BIBLIOTHECA
MAXIMA
PONTIFICIA
TOMVS VI.

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè scripserunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCCABERTI

Prælato domestico assistente sacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiscopo Valentino: olim in eiusdem Vrbis Vniuersitate S. Theologiæ Primario Professore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, postmodùm totius Religionis Generali Magistro; semel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præsentia Hispaniarum Inquisitore Generali.

SANCTISS.MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS VI.



ROMÆ, M.DC.XCVII.

Ex Typographia Ioannis Francisci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

CENSVRA
TOMI VI.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ

DE ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: Cataldini de Boncompagnis: Tractatus solemnis, & aureus: De Translatione S. Concilij Basileæ. Celsi Mancini: De Iuribus Principatuum. Fr. Christiani Lupi: Diuinum, ac immobile S. Petri Apostolorum Principis. Christophori Marcelli: De Hæresis prauitate, & Lutheri perfidia. Cœlestini Sfondrati: Gallia Vindicata. S. Cypriani Episcopi, & Martyris: De Vnitate Ecclesiæ Catholicæ. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt sextus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello hac die 23. Octobris 1697.

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES

Quorum opera in hoc ſexto Tomo continentur.

INDEX CAPITVM

Huius Sexti Tomi.

CATALDINI DE BONCOMPAGNIS,

Tractatus Solemnis, & Aureus; De Translatione S. Concilij Basileæ, ibique Synopsis, & Inuocatio. pag. 1.

PRÆLVDIVM.

CELSI MANCINI RAVENNATIS C. R. L.

De Iuribus Principatuum, ibique Synopsis. pag. 33.

LIBER SECVNDVS.

ARTICVLO II.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

FR. CHRISTIANI LVPI IPRENSIS,

In alma Louaniensi Vniuersitate S. T. D. ac Professoris Primarij, & Regij, Eremitarum S. Augustini.

Diuinum, ac Immobile S. Petri Apostolorum Principis circa omnium sub Cœlo fidelium ad Romanam eius Cathedram Appellationis, ibique Synopsis, & Procemium. pag. 81.

DISSERTATIO I.

De Antiquis Gallicanæ Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem Appellationibus.

DISSERTATIO II.

De Africana Ecclesia ad Sedem Apostolicam prouocationibus.

DISSERTATIO III.

De Romana Heresiarchæ Eutychetis appellatione.

DISSERTATIO IV.

De Romana Appellatione S. Flauiani Constantinopolitani degradati per Ephesinum Latrocinium.

DISSERTATIO V.

De Romana Appellatione Theodoreti Cyrensis Episcopi.

EIVSDEM AVCTORIS.

Dictatus S. Gregorij Septimi Pontificis. pag.437.

Canon

EIVSDEM AVCTORIS.

Dissertatio. An Romanus Pontifex possit omnibus sub Cælo Ecclesijs consecrare, aut consecrandis iubere Episcopos. pag. 651.

CHRISTOPHORI MARCELLI

Archiepiscopi Corcyræ.

De Hæresis prauitate, & Lutheri perfidia, ibique Synopsis. pag. 685.

LIBER PRIMVS.

ribus

COELESTINI SFONDRATI

S. R. E. Cardinalis.

Gallia Vindicata. In qua refutantur, quæ Maimburgus in fauorem primæ propositionis Parisiensis, contra Summi Pontificis in Reges potestatem in libro de institutione, & priuilegijs Romanæ Ecclesiæ conatur producere, ibique Synopsis. pag. 729.

DISSERTATIO II.

DISSERTATIO III.

In qua refutantur, quæ Maimburgus in fauorem secundæ Propositionis Parisiensis producit, conaturque Romanum Pontificem Concilio Generali submittere.

§. VI.

S. CYPRIANI EPISCOPI, ET MARTYRIS.

CATAL-



CATALDINI DE BONCOMPAGNIS

TRACTATVS SOLEMNIS, ET AVREVS

DE TRANSLATIONE S. CONCILII BASILEAE.

Ad inclytam Ciuitatem Ferrariæ, & de viribus, & importantia literarum eiusdem, & de potestate Sanctiss. D. N. Papæ.

Emendatus fideliter à Clariss. V. I. Interprete, Equiteque insigni D. Ludouico de Bologninis, in venustissimo Bononiæ Gymnasio. Anno Domini 1488.

Cataldinus de Boncompagnis, seu Boncompagnus, seu vt vocat Gesnerus de Bonis Compagnis, Bononiensis, ex familia dicta Draconis, quia illum habet pro stemmate gentilitio, celeberrima, & Pontificia in Gregorio XIII; & adhuc Principibus, tum Ecclesiasticis, tum Laicis Romæ, & Bononiæ clara; I.V.D. & Professor, & Comes, à teneris vnguiculis vsque ad extremam vitæ periodum, totum se Iurisprudentiæ deuouit Bononiæ, vbi Scholares ipsi videbantur à natura quasi facti ad hoc studium, quibus propterea Pontificum Decretalia diriguntur, sub primis ciuilis, Canonicæque doctrinæ fontibus. In ea scientia Cataldinus tantum profecit, vt Ludouicus Bologninus, Aduocatus Consistorialis, celeberrimus ob repetitiones, & consilia, & in I. C. vitis inter Principes Iuristas facilè positus, eius opus de Translatione Concilij Basileensis additionibus auxerit, eodemque honore prosequutus fuerit, ac Ioannem Andream Magnum Canonistam, cuius Consilijs addidit elaboratas notationes. Et quod plus est. Tantus Author vocat Cataldinum, plenitudinem scientiæ, seque veluti facem, & minimum sydus subsequens Solem. Floruit omnibus penè virtutibus, sed ea præcipua, quæ I.C. Christianum ad miraculum vsque nobilitat, nempè integerrima iustaq; veritate, vnde palàm profitebatur, se Christianum non credere, qui paratus non foret pro veritate vitam litare, nec Doctorem, qui propter persecutionem sileret, aut ad auri sonitum tantùm loqueretur. Bononiæ quàm plurimos annos ius est professus multorum filiorum egregius pater, & quantum conijci potest publicè legit Ferrariæ, vbi sub Mœcenate Estensi, quem effusè commendat, & de cuius plenitudine dicit se accepisse, infrascriptum edidit tractatum in gratitudinem, & gratiam Ferrariæ, cui eum dedicat, & quò translatum fuerat Concilium, & hoc magis magisque vero consonat, cum eo tempore Mater Studiorum Bononia filios suos harum ciuitatum Magistros mitteret, & ibi etiam docuerit Bologninus Cataldini Panegyristes. Extat modò inter tractatus Magnos iuris, de Ecclesiasticâ

Potestate tomo xiij.& cum agat de Potestate Papæ Bibliothecę nostrę inserimus. Edidit etiam Author iste alium Tractatum de Sindicatu, §.Proficisci, vt apparet ex Bibliotheca Conradi Gesneri aucta per Iosiam Simlerum Tigurinum. Causa autem, & motiuum huius Tractatus est huiusmodi. Concilium Basileense, quo nullum maiori cum molestia celebratum est in Ecclesia, per xviij. annos, à Martino V. indictum, ope Sigismundi adhuc Regis, ex præscriptò Concilij Constantiensis congregatum, eo fine, vt in illo de moribus fidelium reformandis, & Curia Romana in melius mutanda, Bohemorum turbis, & hæresibus componendis ageretur; Præsidem habuit Iulium Cæsarinum S. R. E. Cardinalem, Sedisque Apostolicæ Legatum. Post obitum Martini Eugenius Papa prædecessoris vestigijs insistens Iuliano seriò vt inchoaretur demandauit. Cumque maxima multitudo ex vniuerso orbe Latino Basileam conflueret 14. Kalendas Augusti inchoata est, sed sub specie reformandæ reipublicæ Christi, cum tolleret pleraque Romanæ Ecclesiæ priuilegia Eugenius Papa Legato Sedis Apostolicæ reuocato Concilium, cuius inchoationem antea approbauerat dissoluit, & de Apostolicæ potestatis plenitudine Ferrariam transtulit; vnde discedente Legato Synodus illa inuito Pontifice prorogata desijt esse, & Æcumenica, & Legitima, & propterea dicitur ex parte reprobata in sess. 11. Lateranensis Concilij sub Leone X. ex parte approbata, quoniam Nicolaus V. pacis gratia aliqua approbauit, idest Constitutiones de Beneficijs Ecclesiasticis. Qui plura cupit de hoc Concilio videat Conciliorum Collectores, & Raynaldum fusè de hoc agentem. Nulla corporis diuisio, tantò cum dolore vnquam accidit, ac illa huius Concilij, quippe vel triginta tantum oues in Pastorem vniuersalem insurrexere, & peste eos Patres depascente, & Magno Caroli Francorum Regis filij equitatu dissipati certabant adhuc auctoritate rationum scribente pro ijs Laurentio Valla, & inter schisma externum, & domesticum, quod describit Æneas Syluius ibi præsens, in rationibus solùm erant concordes. Spargebantur in Patres æquè, ac in vulgus eæ sententię. Maiorem esse Orbem Vrbe. Concilium superiùs decisum esse, Papa. Non posse Pontificem venire contra factum suum; cum iàm annullasset quidquid contra Concilium illud fuisset attentatum; Basileense Concilium legitimum esse, vtpotè legitimè congregatum, idcòque quodlibet aliud agnosci illegitimum. Hæc & similia Ecclesiam Dei, & Patres catholicos vulnerabant. Huic morbo occurrit Cataldinus, & peritissimus æquè, ac Sanctissimus Ioannes à Capistrano demonstrantes ad euidentiam Papam potuisse dissoluere Concilium illud, & Maiorem esse Papam quouis Concilio etiam Æcumenico certo, nedum dubio. Eo fructu res acta est, vt Synodus illa duobus veluti arietibus impugnata omninò corruerit, & nullum fructum attulerit ijs Patribus, multum Romano Pontifici. Quippè Amedeus Nicolao Pontifici cessit, & ad antiquam humilitatem redijt, creatus tamen à Nicolao in patria sua Legatus à Latere, & in senectute, pęnitens, vt aliqui narrant, miraculis claruit, & Synodus illa veluti procera illa Nabucdonosor statua caput aureum iactans pedes habuit luteos. Tanto deinde contemptu laborauit, vt non solùm apud Doctores Catholicos, & vbique terrarum, vt eruditissimè demonstrat Andræas Duallius, qui suo loco positus nostram condecorat Bibliothecam, sed etiam apud Etherodoxos irridentium salibus fuerit exposita. Ait enim Robertus Creyghtonius in notis suis ad historiam Concilij Florentini. In Synodo Basileense huic nostræ coætanea, & corriuali, cùm Episcoporum paucitate laborarent ingentem presbyterorum multitudinem inuexerunt contra omnem consuetudinem, ità vt diceretur Synodus Presbyterorum, non Episcoporum. Tractatum ergo istum paulò post Concilium Basileense scriptum, quo tempore Florebat Auctor iste, experientia teste vtilissimum infra collocamus.

INVOCATIO.

DEI, sub expressione Trinitatis, nomine inuocato, qui in personis est trinus, & in substantia vnus existit, de consecratione distinctione quinta, cap. fin. de sum. Trinit. & fide catholica, cap. primo, & secundo, qui solus curare potest meæ imbecillitatis animæ passiones, de consecr. dist.1. omnis Christianus, & ipsius augere potentias, & virtutes, de pœnitent. dist. 2. cap. dum sanctam, qui linguas facit esse disertas, 4. quæst.3. in fin. qui magis inspicit cor, quàm opus, 15. quæst. 6. capit.1. & in se sperantes non fallit, 22. qu. 2. cap.1. quare ad ipsum cum Dauid, Psalm.50. humiliter porrigo preces, dicens, Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam, 2. q.1. §.hinc etiam.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Vnitas diuisionem non recipit.*
2 *Ecclesia scindi non debet.*
3 *Fides nostra non stat in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*
4 *Terra omnis corrupta est coram Deo, & repleta iniquitate.*

PRÆLVDIVM.

ET si vnam esse catholicam Ec-
clesiam est definitum à Can-
tico canticorum, 24. quæstio.
prima, cap. loquitur vbi vna
est Ecclesia, vna spes, vnica fi-
des quantum est possibile esse
in Clem. 1. §. primo de sententia excom-
1 municatio. vnitas enim diuisionem non re-
cipit. de præben. tuæ, & cap. maioribus &
cap. dilecto de rescrip. capit. pastoralis.
§. primo vna est enim columba mea, per-
fecta mea, vna est matris suæ electa geni-
ricis suæ de consecratione distinctione
quarta, cap. alium, & d. cap. loquitur, vna
est Ecclesia, vnus populus, vna spes voca-
tionis nostræ, vnus Dominus vna fi-
des, vnum baptisma d. capit. loquitur ea-
dem causa, & qu. cap. schisma. Cumque
in præsentiarum, vt ita dixerim vigeant
proh dolor, duo generalia concilia, quo-
rum vtrumque se asserit in Spiritu San-
cto legitimè congregatum, vniuersalem
representare Ecclesiam, & quodlibet eorum
Ecclesiam ad se trahunt, Christi Ecclesiam
disrumpendo 8. distin. capi. legimus facit.
cap. quoniam de offic. ord. & quod not. 7.
quæst. 1. cap. in apibus, in cap. cum non
2 ignores, de præben. Ecclesia enim scindi
non debet sed tota in vnitate consistit. 16.
quæst. vltima sicut Domini vestimentum,
sæpeque mecum aliàs disceptaui quod
ipsorum verum, & legitimum, & Catho-
licum diceretur, sæpius, cùm Ecclesia
orando. Deus qui diuersitatem gentium
confessione tui nominis adunasti, da vna
sit fides mentium, & pietas actionum; pro
hac enim Christum ter legimus exorasse,
Io: 12. rogo ait vt vnum sint, &c. Mecum-
que creberrimè dixerim verbum illud. Tu
Domine qui nosti corda omnium, osten-
de, quod elegeris ex his duobus vnum.
Actuum 1. Ad calamum tamen manum;
porrigere non præsumpsi imitatus vestigia
Hier. A, A, A, domine nescio loqui, quia
puer ego sum 8. quæst. 1. cap. in scripturis,
& cap. sciendum. Verùm quia generosos
animos labor alit, & inuitat, nec est
viri timere sudorem. Nec est strenuus nun-
cupandus, qui labores fugit nisi crescat ei
animus ex ipsarum rerum difficultate, te-
stante in epistola Seneca ad Lucilium, &
refert Io: An. de renun. cap. nisi cum pri-
dem. §. porro. Confisus igitur de omnipo-
tentis Dei subsidio, qui dat omnibus af-
fluenter, & non improperat. Iac. cap. 1.
3 Nam vt dicit Apost. ad Cori. 2. fides no-
stra non sit in sapientia hominum, sed in
virtute Dei, vnde scriptum est, omnia quę-
cumque facietis in verbo, aut opere, In
nomine patris nostri Iesu Christi facite,
gratias agentes Deo act. 17. & ad Cor. 10.
in fine transumptiuè 26. quæst. 4. cap. non
licet, & ea causa quæst. 7. cap. non obser-
uetis in fine. Is enim est, qui dixit ad Moy-
sem. ero in ore tuo, & docebo quid loque-
ris. Exod. 4. propositum mihi est non
auiditate consequendæ laudis, sed semi-
nandæ veritatis 32. quæst. 4. obijciuntur,
scribere quæ occurrunt circa ambiguita-
tes, & altercationes varias, quæ nuperrimè
in dubijs reuocantur. Nam Dominus per
Esai. 58. nos admonet, dicens Clama ne
cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam 64.
distinctio. cap. si rector. ne contingat,
mihi dicere cum propheta. Veh mihi, qui
tacui, & quod dico in tenebris dicite in
lumine, & quod in aure auditis, prædicate
super tecta. Matth. 10. Profectò quilibet
catholicus christianus, vt tantis abusibus
occuratur pro salute sua insomnes ducere
noctes debet in auth. vt diuinæ ius. subscri.
habeant, in princip. collatio. secunda,
de restitutio. spoliatorum cap. frequens li-
bro 6. de electio. cap. Ecclesia 2. in auth.
iure fine quoquo suffra. in princ. colum. 2.
durus est attamen hic sermo, & quis po-
test eum audire 24. quæst. 1. §. sed notan-
dum de pœni. d. 4. cap. si ex bono, cor-
4 rupta est profectò omnis terra coram Deo,
& repleta iniquitate, non est veritas, non
est misericordia, non est conscientia Dei
in terra, & propter hoc infirmatur omnis
qui habitat in ea. Osee 10. cap. vt & ego
paruulus quidem homuncio, deuotus Ec-
clesiæ dicere possim, quod ille princeps
clarissimus magnus, ornatus filijs ac fra-
tribus Matathias; compatiens Romanæ Ec-
clesiæ attestatur, veh inquit mihi, vt qui
natus sim videere corruptionem populi
mei, & contritionem ciuitatis sanctæ,
templum eius factum sit homo ignobilis,
omnis compositio eius ablata est, quæ
erat libera, facta est ancilla, & pulchritu-
do nostra desolata est secundùm gloriam,
& multiplicata est ignominia eius, quid
ergo iuuat viuere. Auferte obsecro patres
conciliares à vobis ipsis malum, quod si
inuicem mordetis, videte ne inuicem
consumamini ad Gala. quinto cap. iam
quidem delictum est in vobis, quod iudi-
cia habetis adinuicem ad Corint. 6. Iam
equidem illud verum esse conscientiam le-
gisperiti consilium Dei spreuerunt, & in
semetipsos Luc. 7. cap. & ibi dicit glo. Au-
gusti. Christus in scientiam legisperitis
ingerit, vt deprimat eorum vanum super-
biam, dicentes se sapientes, profectò
stulti facti sunt ad Roman. primo capi.
quadragesimatertia distinctione capite
hinc enim propter peccata nostra, vt cum
scriptura conueniam, & iniquitates pa-
trum nostrorum Hierusalem, & populus
tuus Domine in opprobrio sunt omnibus
per circuitum nostrum. Exaudi igitur
Deus orationem populi tui, & preces eius,
& ostende faciem propter temetipsum
Deus meus, exaudi, & placare Domine,
attende & fac quia nomen tuum inuoca-
tum est super ciuitatem, & super populum
tuum, scribitur Danielis 9.

SVMMARIVM.

1 *Lucernæ ardentes super candelabrum quæ sint.*
Christianum non se putet, qui mori pro Christo non habet animum præparatum.
2 *Doctores nullo modo propter persecutionem, futuram, debent tacere quin annuncient veritatem.*
Proditor veritatis quis dicatur.
Supplicium pro veritate melius est pati, quàm pro adulatione beneficium.
Diligere nemo tenetur plus alium, quàm seipsum.
3 *Ecclesiæ reformatio tam in capite, quàm in membris fieri debet.*
4 *Synodus Basileen. ad quid introducta.*
5 *Concilium per quod tempus durare debeat.*
6 *Concilium Basileense quo pacto voluerit Papa Ferrariam transferre.*
7 *Faciendum illud impediet, quod resoluit iam factum.*
8 *Papa non potest contra generale statutum Ecclesiæ dispensare.*
9 *Papa quod semel approbauit, amplius reprobare non potest.*
Orbis maior est vrbe.
10 *Veritas conspicitur ex sola ecclesia catholica.*
11 *Ecclesia dicitur congregatio fidelium.*
12 *Retractationi nulli subijcitur, quod sancta synodus ordinauit.*
Auctoritatem rei, qui accomodat, ipsam rem facere videtur.
13 *Papa an possit se submittere iudicio aliorum?*
14 *Papa non puri hominis, sed Dei viui, vices gerit in terris. & 21.*
15 *Papalis maiestas summa est.*
16 *Iustitia cultum suum perdit, quando silentia iudicij ob strepitum turbæ confundit.*
17 *Episcopi exempla & præcepta qui non sequitur magis diaboli, quàm Christi membrum esse conuincitur.*
18 *Deum qui non mediocriter offendant?*
19 *Nauicula Petri, & si fluctuet, submergi tamen non potest.*
20 *Ecclesia impugnari potest, expugnari non potest.*
22 *Synodus. Basileen. habuit oculum collisum.*
23 *Errori alterius qui consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum.*
Bestialiter viuens bestialiter condemnatur.
24 *Errorem aliorum qui defendit, multò damnabilior est illis, qui errant.*
25 *Faciens quod vult, absque moderamine rationis, audiet, quod non vult.*
Dignitas aggrauat delictum delinquentis.
26 *Veritas sæpius excogitata, magis [illegible]*
27 *Imperator Romanorum, & Græci quam ob causam recusarunt ciuitatem Auenion. in conuocanda synodo.*
28 *Definire non pertinet nisi ad papam, quando de fide agitur.*
29 *Delictum sceleratius, est grauiùs vindicandum.*
30 *Mala futura præcauenda.*
Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi.
31 *Corrupta sunt, quæ ex corrupta radice procedunt.*
32 *Concilium Basileen. quid contulerit.*
33 *Sublimioribus potestatibus, omnis anima subdita esse debet.*
34 *Suspicio potiùs est repellenda, quàm approbanda.*
35 *Detrahentes quid faciant.*
36 *Aequitas simulata duplex est iniquitas.*
37 *Statuta vniuersalium conciliorum interpretari ad Papam spectat.*
38 *Papa non semper alteri potest committere vices suas.*
39 *Peccator dum venit in profundum malorum contemnit.*
40 *Prælati quando discordant in electione, recurritur ad superiorem.*
Contradicere potest vnus maiori parti, si iustam rationem habeat.
Sententia vnius, potest plures trahere ad suam partem.
41 *Maior pars dicitur illa, quæ maiori nititur ratione, etiam si sit minor.*
42 *Concilium vnde dictum.*
43 *Turba ad faciendum mala, non sequenda.*
44 *Probatio vbi requiritur, non sufficit informatio.*
Papa de nullo crimine potest impetiri, præterquàm de hæresi.
45 *Papa eo ipso quod est hæreticus, minor est omni Christiano.*
47 *Infamatus propter scandalum populi, debet se purgare.*
48 *Periculosum est coram suspecto iudice litigare.*
49 *Locus tutus ad comparendum quis dicatur.*
50 *Discipulus non est supra magistrum.*
Sedes inferior, potiorem dissoluere non potest.
51 *Ferrarien. concilium an fuerit legitimum.*
52 *Acephali qui dicantur.*
53 *Marchionis Ferrariæ laudes depromuntur. 54. 55.*
56 *Omnia ad id referuntur vnde vim, formam, & originem habent.*
57 *Persona loquentis, semper intelligitur excepta, in quocumque generali & speciali mandato.*
58 *Tenor decreti Basileen. concilij.*
59 *Capitulum frequens, & capitulum, quoniam, quo casu habeant papam ligare.*
60 *Imperatores antiquitus ad quid congregabant.*
61 *Episcopi superiores solùm, an verò abbates, vel alij, sint ad concilium vocandi.*
62 *Papæ congregantis concilium est in potestate, congregare Abbates, & alios si vult.*
63 *Episcopi omnes prouinciæ vocandi sunt in concilio prouinciali.*
64 *Arbitrio summi pontificis potest relinqui numerus episcoporum, vbi non agitur de fide, vel de facto papa.*
65 *Homines ab ecclesia quis diuidat.*
Concilia quo tempore inceperunt.
66 *Episcopi vocati ad concilium, pœnam excommunicationis incurrunt, non venientes.*
67 *Causa communis est omnibus Christi deuotis, & omnes tangit, cum de fide agitur.*
68 *Edoceri ab anniculo capiunt humiles.*
69 *Transgressor promissionis iuratæ qualiter puniatur.*
70 *Authoritatem rei qui acommodat, ipsam rem fecisse videtur.*

Con-

Concilium approbans, non potest amodo gesta in concilio improbare.

71 *Confirmatio concilij, & inhæsio illi facta per papam, quid operetur.*

Dare videtur, qui confirmat.

72 *Concilium authoritate apostolica confirmatum, habet statim authoritatem & potestatem administrandi spirituali a pleno iure.*

73 *Iudicium integrum est, quod plurimorum sententijs comprobatur.*

74 *Vniuersalis ecclesia semper cum maturitate agit.*

75 *Imperator non intendit de rebus spiritualibus aliquid differere.*

76 *Papa dicitur esse maior concilio.*

77 *Disputare de papa, vel ab eo appellare alicui non licet.*

78 *Papæ facta excusantur, etiam si videantur iniusta*

79 *Papa statim quod in hæresim incidit, est omni dignitate exutus.*

Accusari an possit quis perpetuò de heresi post mortem.

81 *Papæ veritas, sicut est salus hominum, sic & prauitas ipsius cedit in damnationem innumerabilium personarum.*

82 *Iura penam transgressoribus canonum imponentia, de quibus loquantur:*

83 *Concilium legem papæ imponere non potest.*

84 *Papa dicitur caput, & Episcopus orbis.*

85 *Imperium non habet par in parem.*

86 *Apostolicus nullis conciliorum decretis, seu legibus est subiectus.*

Superior qui dicatur.

87 *Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesijs.*

Leges Papæ obseruandæ; sicut leges Dei.

88 *Papa non potest se subijcere inferiori nisi in foro penitentiæ.*

89 *Sanctus, & peccator non potest quis simul esse.*

90 *Persona loquentis non continetur in generali sermone.*

91 *Verba non sunt amarè interpretanda, sed ciuili modo intelligenda.*

92 *Sedes Apostolica in signum specialis dominij, aliqua sibi reseruauit: quæ in quacumcumque legatione per Apostolicum alteri commissa non veniunt, vt ea infringere possit.*

93 *Papa an possit ligare semetipsum.*

94 *Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.*

Princeps potest contractum cum eo initum, & concessionem per eum facta reuocare.

95 *Papa non ligatur legibus positiuis.*

96 *Reprehensibile non debet iudicari, si secundùm varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana.*

97 *Senectus est proxima causa mortis.*

98 *Extraneum sensum quærere non debemus ex scripturis, sed sensum capere veritatis.*

99 *Iudicare non licet cuiquam de iudicio sedis beati Petri.*

100 *Statuta conciliorum, Sedes Apostolica, secundùm temporum, in totum, vel partem corrigit, & emendat.*

101 *Deus quandoque suam mutat sententiam.*

102 *Legem Papæ, non potest concilium imponere.*

103 *Humanis in adinuentionibus nil tam perfectum reperitur, quin ex aliqua sui parte defectum aliquem patiatur.*

104 *Disceptationes arduæ, & nodosæ nequeunt oportunè verbis breuibus explicari.*

Superflua remouere qui intendit, vt plurimum necessaria, & vtilia resecat.

His ita pro præludijs præmissis incipiam. Et videtur in hoc tam eminentissimo, & formidabili dubio quæstionis probabiliter posse dici Basileen. Concilium, debere catholicum, & legitimum, & Ferrarien. Conciliabulum reputari, & quod persecutio tantæ quæstionis, & causæ reddat spiritus timebundos, quia gesta, & gerenda concilium iustificat, & impugnat, & in hac tam grauissima disceptatione mallem alios audire, quàm audiri, 6. qu. 1. capit. quæro in fin. cùm cognoscam nimium præsumptuosum, & superstitiosum existere, lingua transeunte super terram, ponere os in cœlum, 31. dist. cap. in tantum. Nec cuiuspiam huiusmodi conciliorum patribus sit quomodolibet detrahendum, de rest. spol. cap. literas, de pœnitentia, di-
1 stinct. 1. cap. homicidiorum. Sunt enim lucernæ ardentes, quæ lucent super candelabrum in monte Domini, de reliq. & venerat. sanctorum cap. vnico lib. 6. & tanquam splendor firmamenti per vniuersum refulgent, & ad iustitiam erudiunt plurimos, tanquam stellæ in perpetuas æternitates capit. super Specula de magistris. In his enim præclaris patribus, doctoribus, & prælatis refulget permaximè sol sapientis, & scientiæ plenitudo, & montes resplenduerunt ab eis in cap. scriptum de electio. loquar tamen intrepidè verba mea. Nam vt ait Hieron. Non se putet Christianum qui mori pro Christo non habet animum præparatum, Qui enim metu alicuius potestatis veritatem occultat, Dei iram contra se prouocat, quia magis hominem quam Deum formidat, canonis verbum est 11. quæst. 3. capitu. quisquis, nullo enim modo propter persecutionem futuram debent Doctor. facere quin annuncient veritatem 43. distinct. cap. si rector. & cap.
2 scimus in glo. quia proditor esse dicitur veritatis, non solùm, qui mendacium pro veritate asseuerat, sed qui non liberè veritatem pronunciant, quam pronunciare oportet 11. quæst. 3. cap. nolite, nam melius est pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione beneficium eadem causa, & quæstione, cap. nemo peritorum. Nam nemo tenetur plus alium diligere, quàm seipsum, dicit gloss. in cap. petitio de iureiurando & in cap. 1. §. hoc vnguento de sacra vnctione est enim saluti vniuersæ, & propriæ sui ipsius potiùs, quàm præsidentibus deferendum de sent. excommun. cap. [illegible] Deus plus punire, & plus benefacere possit, vt not: in cap. tua de decimis in glos. 2,

Porro non videtur, Basileen. concilium tanta maturitate, & solemnitate digestum, & vndique ex mundi partibus congregatum. In omnem enim terram exiuit sonus eorum Ioan. X. de electio. capitu. fundamen-

mentali sexto, pro erroribus, & scismatibus extirpandis, & generali reformatione
3 Ecclesiæ, tam in capite, quàm in membris per sanctissimum Dominum nostrum Papam dissolui, & ad alium locum, & ciuitatem transferri quomodolibet, potuisse, tum quia id Basileen. concilium deliberatum, & firmatum, & conclusum, ibidem celebrandum in illa sanctissima synodo Constantien. per Martinum V. cum totius cleri, Cardinalium, Prælatorum, in eodem concilio existentium in numero copioso, deliberatione, consilio, & assensu. Tum etiam quia id concilium dissoluendi impediendi, vel mutandi, Apostolico est potestas omni modo interdicta. Tum etiam quicumque, cuiuscumque status, vel dignitatis, & si Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis illius sacræ synodi Basileen. super præmissis, seu pertinentibus in ea synodo factis, & faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iura, siue subsidia, si opus fuerit, recurrendo, tum etiam quia decreto eiusdem sacræ Basileen. synodi, est
4 specificè definitum, quod ipsa synodus pro hæresis extirpatione, ac morum generali reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, nec non pro pace inter Christianos procuranda, per nullum, quauis auctoritate, & si Papali dignitate præfulgeat dissolui, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari non possit, seu debeat in futurum, absque eiusdem synodi Basileensis deliberatione, & consensu; tum etiam, quia si ipse Romanus Pontifex ipsum concilium quoquomodo de facto impedire, mutare, dissoluere voluerit, & intra quatuor menses cum reali satisfactione non resipuerit, ex tunc Romanus Pontifex à Papali administratione sit ipso iure suspensus, quæ quidem Papalis administratio ad illud sacrum concilium ipso iure deuoluatur; & si pœnas prædictas post duos menses. post dictos quatuor menses, animo sustinuerit indurato, contra ipsum Romanum Pontificem vsque ad priuationem inclusiuè per generale concilium procedatur, tum etiam quia in eadem synodo. Basileen. assentientibus plurimis sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus fuit solemniter decretum, vt illud sacrum concilium per Papam sine expresso duarum partium eiusdem concilij votis, singulorum per deputationes, in generali congregatione scrutatis postea solemni sessione discuti, aut dissolui non possit, aut de loco ad locum transmutari, tum etiam quia fuit per aliud decretum eiusdem concilij declaratum, Omne concilium, quod illo durante alibi contigerit erigi, non fore Concilium, sed scismaticorum conuenticulum. Intelligitur autem dura-
5 re illud concilium iuxta præmissi decreti seriem, donec ex consensu duarum partium eius fuerit dissolutum, tum etiam quia decreto concilij Constantien. quod incipit Frequens, per antea fuerat ordinatum, vt locus futuri concilij, cum consensu ipsius concilij congregati eligi deberet, & si concilio dissoluto locum illum mutari oporteret ex causis legitimis; tunc alius locus eiusdem nationis eligi deberet, tum etiam quia decreto eiusdem synodi Basileen. super conuentione Græcorum, specialiter declaratur concilium in Basilea firmiter esse permansurum, donec Græci ad portum per illam sanctam Synodum eis nominandum peruenerint, prout hæc latè patent, in cap. frequens edito in Constantien. Concilio, & in cap. quoniam frequens, edito in Basileen. Concilio, & in decretis Synodi Basileen. præfatæ, quæ incipiunt, ambitiosorum, & vt sacri. & cum Christi Ecclesia, quæ omnia per sanctissimum dominum dominum nostrum Eugenium Papam in eius adhæsione fuerunt corroborata, & specificè confirmata, & per suos oratores præsidentes saltem nominibus proprijs iurata dicuntur.

Amplius idem sanctissimus Dominus noster in adhæsione sua facta Basileen. concilio, cum de reuocatione literarum incipientium, Deus nouit, mentio haberetur, ipse, quidquid per eum, aut suo nomine in præiudicium, aut derogationem illius Basileen. concilij sacri, contra eius auctoritatem factum, attentatum erit, cassauit, irritauit, & annullauit, nullaque irrita fuisse, & esse declarauit, & se deinceps à nouitatibus, grauaminibus, seù præiudicijs inferendis illis sacro concilio, aut suppositis eius, & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu desistere pol-
6 licitus est. Quo ergo pacto, & quo iure illud concilium Basileen. dissoluere, & Ferrariam transferri, idem sanctissimus dominus noster potuerit, non videtur, cum nedum dissoluere, eidem apostolico concilium sit penitus decretis huiusmodi interdictum, sed in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei, in capite, & in membris Papam habere concilio obedire, magnæ synodi Constantien. auctoritas apertè declarat. in c. frequens, & postea in vndecima sessione, Basileen. synodi, quæ incipit, quàm frequens, fuit iterum decretum. Satis enim esset bonis moribus interdictum, & ab omni vetustate remotum, vt Papa possit pro sua voluntate dissoluere concilia congregata, quia per hanc viam posset faciliter euadere declarationem, & decisionem concilij celebrati, etiã si de crimine hęresis impeteretur. Ex his videtur, Basileen. concilium dissolui, & ad ciuitatem Ferrariensem transferri, minimè potuisse, & consequenter Ferrarien. concilium non posse verum, & legitimùm nuncupari, cum dissolutio prioris concilij fuerit, & sic sacris decretis dictantibus apostolico penitus interdicto,
7 illud enim, quod impedit faciendum, resoluit iam factum ff. de furtis, l. inter omnes, §. rectè, coniuncta, l. Vrannius, §. 1. ff. de fideiuss. Non enim Papæ licuit edictales cõstitutiones, & sanctiones illas saluberrimas, editas tam in concilio Constantien. quam Basileen. euertere, vel mutare,

tare,

tare, 25. quæst. 1. cap. omne, & bonus tex. 25. quæst. 1. cap. sunt quidam dicentes, ibi dum dicit, vbi verò sancti Patres aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædictum est, vsque ad animam, & sanguinem confirmare debet, si enim quod docuerunt Apostoli, & prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non scientiam dare, sed magis errare conuinceretur. Et alibi, quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt vtilitatem, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa, sed manentibus terminis, quos constituerunt patres, ne iniustè vsurpet alienum, sed intra terminos proprios, atque legi, prout quisque valuerit in latitudine se exerceat charitatis, 25. quæst. 1. cap. quæ ad perpetuam, & gloss. ibi dicit, quod
8 Papa non potest contra generale statutum Ecclesiæ dispensare, & si omnes consentiant non valeret statutum, per auctoritatem, cap. sunt quidam, & cap. contra, vbi dicit litera, quod contra statutum patrum concedere aliquid, vel mutare, nec hoc sedis apostolicæ potest auctoritas, quæcumque namque sancta synodus statuit, & decreuit, nullis opinionibus contrarijs, seu retractationibus sunt subiecta. Sed simpliciter obseruanda, vt sacratissimorum Imperatorum Valentiniani, & Martiani sanxit auctoritas, super confirmatione concilij Chalcedon. & notat. 63. dist. cap. Valentinianus, ad idem 25. dist. cap. sicut, in fi. text. ibi cunctas, quæ præfata concilia respuunt, respuo, quæ venerantur amplector, quia dum vniuersali sunt consensu statuta constituta, se & non illa destrui, quisquis præsumit absoluere, quod ligant, aut ligare quod absoluunt.

Amplius Papa approbando, Basileen. concilium, & gesta eius non potest gesta, & gerenda in eo concilio improbare, quia
9 quod semel approbauit, amplius reprobare non potest 4. dist. cap. in istis, in glosa 8 quæst. 2. cap. dilectissimi 32. quæst. 5. cap. horrendus, ff. qui satisd. cog. l. ab arbitro, & 4. quod ibi not. facit regula, quod semel placuit de re iud. libro 6. & 4. quæst. 3. cap. fin. & quod ibi not. Archi. de elect. cap. cum vintoniensis, & quod not. Inno. de exceptio, cap. venerabili, sic & non possum reprobare mores, quos primo approbaui de fil. presby. cap. veniens, & dict. cap. horrendus, sufficit enim semel consentire, vt dicit ibi glosa, & patet, 4. dist. cap. in istis, & in dict. cap. dilectissimi, facit quod not. de depon. impub. cap. de illis. Rursus Papa non potuit contra gesta, & decreta in concilijs Constantien. & Basileen. dispensare, vel illa in irritum reuocare, & destruere, prout soluendo Basileen. concilium fecisse censetur, 15. dist. cap. sicut, quia orbis maior est vrbe, vt ibi in glo. Io. sic, & non potest destruere statum Ecclesiæ. 8. q. 1. c. Moyses, Palam est enim, quod in re dubia, ad fidem, & certitudinem, ecclesiæ catholicæ valet authoritas, 11. dist. capitulo Palam,
10 quia ex sola catholica ecclesia veritas conspicitur, 24. quæst. prima, cap. quia ex sola, nam ecclesia errare non potest, 24. quæst. prima, capitulo hæc est fides, & cap. à recta fide, & cap. pudenda, & 19. distinct. capitulo ita dominus. Quinimmo traditum est illam Ecclesiam, quæ est contra concilium generale, in his, quæ respiciunt & fidem, & Ecclesiæ vnionem, non esse Catholicam, in dicto capitulo quæ ad perpetuam, in glos. decima, nam sententia totius Ecclesiæ, est præferenda Romanæ, vigesimaquarta quæstione tertia, capitulo quodcumque, & capitulo à recta, & capitulo pudenda, & glo. decima si in aliquo sibi contradicit, argumentum, 35. distinctione, capitulo legimus, & ibi dicit glo. quod vniuersalis ecclesia errare non potest, quia Deus non permittit, per dict. capitulum à recta fide, & capitulum pudenda. Quærit autem glo. Ioan. in dicto capitulo à recta de qua ecclesia intelligatur, quod errare non potest, & dicit, quod non de Papa, quia non Ecclesia dicitur, septima quæstione prima, capitulo scire debes, quia clarum est, quod Papa potest errare, decimonono capitulo Anastasius, & quadragesima distinct. capitulo Papa, sed intelligitur de congregatione fi-
11 delium, hæc enim dicitur Ecclesia: de consecratione, distinct. prima, cap. Ecclesia, quæ quoad singulas generum species est impossibile quod est errare, pro qua orauit Christus, vt non deficeret Petrus; de hac quidem Apostolus pollicebatur, quod sine intermissione de ea, in orationibus suis faceret mentionem, vt patet in epistola ad Roma. in prin. Minus quippe ex quacumque terrena sententia Romana est fundata Ecclesia, sed ex illo verbo quo cœli, & terra firmati sunt, 22. dist. c. 1. Et qui ei derogando, contra ipsam loquitur, hæreticus reputatur, 22. dist. c. omnis, hæc valet omnes iudicare, & de ipsa iudicare nemini est permissum, 9. q. 3. c. Episcopo, §. sola 17. q. 3. c. nemini istud est tabernaculum illud, quod nequaquam auferri potest, nec auferetur clauus eius in sempiternum. Esaiæ 33.

Porrò, non videtur dissolutionem Basilien. Concilij per Apostolicum, & ad alium locum illius translationem fieri potuisse, cum hoc sit eidem Apostolico, per decreta Conciliorum Constantien. & Basilien. pe-
12 nitus interdictum, quia nec vlli retractationi subijcitur, quod sancta Synodus ordinauit, 24. q. 1. c. maiores nostri, in rub. Spiritus enim sanctus in specie columbæ descendit, & mansit super eos. Luc. 3. in vers. 1. de pæ. dist. 25. quærendum, de sac. vnc. c. vnam, §. quia verò. Et iterum Spiritus sanctus super pastores proprios descendit in specie columbæ, & mansit in eis. Act. 4. 43. di. c. sit rector, de conse. di. 1. nocte. & di. ea. omnes quos, c. venit. Nec dicat quis, quod Concilia non possunt imponere legem Papæ, de ele. c. significasti, 17. dist. §. hinc etiam, 35. q. 9. c. veniam, quia in his, quæ respiciunt decorem Ecclesiæ, ac etiam vnionem, ipse subijcitur, Concilijs; nam in his posset Papa coram Concilio accusari, 40. dist. c. si Papa, quia hæc duo principaliter respiciunt, & spe-

ctant

stant ad Concilia, & in illis Concilium est supra Papam, facit 93. disti. c.legimus. Amplius idem Apostolicus inhærendo Basileen. Concilio, & gesta in eo confirmando, decreta eiusdem Concilij per, & antea edita, intelligitur approbasse, & confirmasse, quia qui auctoritatem rei accommodat, ipsam rem facere etiam videtur, C. de vete. iu. enucle. l. 1. facit, c.antiqua.de priui. 27. dist. §. hinc, & continenter decretis illis editis in Constan. & Basiliens. Concilijs, de quibus suprà, se submisisse iudicio, & eorum correctioni videtur, 43. dist.ca.in synodo, 2.q.7. c.nos incompetenter, in qui-
13 bus est specificè diffinitum, quod Papa potest se submittere iudicio aliorum facit, ff.de iurisdi. om.iud.l.est receptum, & quod ibi no. de re iu.c.2. libro sexto, & maximè iudicio Concilij congregati, cum Concilia dederint primatum Romanæ Ecclesiæ, tertia quæs.sexta, capit.dudum, 17. dist. c. hinc, de elec.c. significasti, vnde satis conueniens est, quod ipsi de reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris habeant iudicare, 93. dist. cap. legimus, in verbo, maior est. Quid ergo dicemus, & si in re tam ardua sit periculosissimum definire, tamen quia scriptum est, à recta fide, & Apostolico tramite propter nullam persecutionem futuram nolite recedere, scientes, quoniam iuxta sententiam Saluatoris: Beati sunt qui persequutionem patiuntur propter iustitiam. Textualia verba sunt, vigesimaquarta quæstione prima à recta.

Proinde loquar coram Sanctissimo cętu intrepidè verba illa, audite me qui sequimini, quod iustum est, & quæritis Dominum, attendite ad petram vnde excisi estis, scribitur Esa. 51. Tu enim Pater beatissime ipse es, qui mihi dicis. Noli timere, effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Esa. 20. Ego Dominus, & non alter, formans lucem, & creans tenebras; Ego Dominus faciens omnia. Esa. 45. & iterum: Ecce seruus meus suscipiam eum, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, in veritate deducet iudicium, non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium. Esa. 42. Credo, idest ex fide sentio, C.de iuram. calum. l.2. & firmissimè attestor, nullatenusque dubito, de consecratio. dist. 3. cap. firmissimè, extra de hæreti.capitulo firmissimè, Concilium Ferrarien. esse verum, Catholicum, & legitimum Concilium, in quo præest Sanctissimus Dominus noster Eugenius Papa quartus, verus, & indubitatus Christi Vicarius, successor Petri, & gregis Domini Rector directò, qui potens est opere, & sermone, de offi.ordi. inter cætera, de statu mona.c.cum ad monasterium, vers. prior;
14 & non puri hominis, sed Dei viui vices gerit in terris; vt in c.1.vers.porro, de transla. c. quanto, cuius potestas non est ex homine, sed ex Deo, 4. d.§.leges, & ibi Arch. & totius mundi Dominus appellatur, de priuile, c. cum ex diuersis, lib. 6. ipse namque Sacerdos maximus, Summus Pontifex, hæres Apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraam, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus, ipse est, vt Bernardi vtar eloquio, diligentiùs Pater summus, & particeps omnium timentium cum Christianorum dux, & ordinator, omnium pastor, magister sapientum, oppressorum refugium, aduocatus pauperum, miserorum spes, cęcorum oculus, mutorum lingua, baculus senum, malorum metus, bonorum gloria, potentum virga, tyrannorum malleus, regum dominus, moderator legum, sal terræ, orbis lumen, vicarius Christi, successor Petri, & mundi arbiter, dominus, & magister.

15 Summa est enim Papalis maiestas, quia non est sanctitas quæ comparetur ei super terram. Iob. 10. inde dicunt docto. quod magis est obediendum Papæ in administratione, quàm cuicumque Apostolo resurgenti, in c. quod de translationem, de offic. deleg. de exces. Præla. c. sicut de transact. c. sicut ex illo 21. dist. cap.1. 21. dist. §. 1. 22. distin. c.Sacrosan. & Canon dicit, quod Deus beato Petro æternæ vitæ clauigero, terreni simul, & cęlestis iura commisit imperij, 22.dis.c.1. Amplius profiteor, atque credo Basil. synodum synagogam sathanæ, quam possidet princeps tenebrarum veriùs appellari debere, & cum pace omnium dixerim. Non veretur se in Spiritu sancto legitimè congregatam asserere, contra doctrinam Canonis, attestantis, Spiritum sanctum in sanctis, & no, reprobis, & discolis habitare, c.3.c.illud ibi dum dicit, Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, & de talibus intelligitur, illud Ioan. qui dicit in Epistola sua canonica: Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus qui ex Deo sunt, ad hæc; 42. dist.c.quiescamus; nam & oculus meus vidit, & auris audiuit illorum patrum funestam, & vitam illecebrem, ibi enim regnant, sectæ, & contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, emulationes, strepitus, tumul-
16 tuosæ voces. Ex quibus dicit Canon Cultum suum iustitia perdit, quando silentia iudicij strepitum turba confundit, 5. q. 4. cap. in loco benedictionis, torpent ibidem ingenia desidiosæ iuuentutis, nec honestæ rei labore vigilatur, ibi virtutum pulcherrimum, idest honor, harum artium alimentum, maximè cecidit, & ad turpia translatum est omne certamen, vt Senecæ, & Ciceronis vtar eloquio. Et Cicero de oratore, lib. 1. testatur, plura hodie homines iudicant, aut timore, aut cupiditate, quam veritate, aut iuris norma, & alibi scriptum est, non est qui iudicet verè, sed confidunt homines in nihilo, & loquuntur vanitates, scribitur, lib. 10. de illis profectò Apostolus testabatur, erunt inquit homines seipsos amantes cupidi, elati, ingrati, scelesti, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proterui, tumidi, cęci, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem spiritum pietatis, virtutem autem eius abnegantes; ad Tim. 2. cap.

Contra hoc profectò Dominus clamabat,

bat, dum inquit: O vos Sacerdotes, qui fallitis nomen meum, offerentes ad altare meum panes pollutos; non est mihi voluntas in vobis, 81. distin. c. apparet, sunt enim synagogę sathanę quas possidet princeps tenebrarum. Matth. 15. dissidium namque in Apostolica sede desiderant, vt ab eius authoritate diuisi, vsurpationes exerceant, dicit Canon. 64. dist. c. quia
17 per ambitiosam. Sanè qui Episcopi exempla, & præcepta non sequitur magis diaboli, quàm Christi membrum esse conuincitur, & potiùs infidelis esse monstratur, 28. dist. c. nullis, multi profectò rem ambiunt, rem agi perfunctoriè intendentes, contra illud Augustini, 40. di. c. ante omnia, 8. q. 1. qui Episcopatum, vnde Ber. ad Senno. Episcopum sic scripsit: inhiantibus onera blandiuntur, sed onera pensantibus, tędio sunt, atque formidini; multi verò tanta alacritate, & fiducia non currerent ad honores, si sentirent onera grauare, & illa profectò metuerent, nec cum tanto labore, & periculo affectarētur infulæ dignitatum.

Nūc verò quia attenditur gloria, & non pœna, purum esse in Ecclesia clericum, seque viles, & inglorios existimant, qui quocumque eminentiori loco non fuerint sublimati. Ioan. Andr. in cap. 1. de offic. legat. lib. 6. accedit, quod idem scribit de elect. cap. venerabilem, super verbo, vsurpare, & de præb. cap. genere, super verbo rationis. Heu heu non erubuit synodus illa, contra verum Christi Vicarium, qui est caput, & Cardo Ecclesiæ Orthodoxæ, cornua erigere, vt not. de rapto., cap. 1. in glos. circa finem, de appel. cap. cum parati, in glos. ad Aquilonem sedem eorum ponere satagentes, iussa domini sui, sua pręsumptione damnando 24. quæst. 4. cap.
18 si is qui non mediocriter profectò Deum offendit, qui de vita cælestis regis, & domini, sua præsumptione resoluit, vt dict. cap. si inter, qui, vt aduersùs eos apostolicus dicere possit illud Iudith, Mures egressi sunt de cauernis, & prouocarunt nos ad prælium, ignorant Patres illi miserrimi verbum Christi, qui scandalizat vnum de pusillis, qui in me credit, expedit, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Matth. 18. de renun. nisi, cum pridem, §. generi, & cap. cum ex iniuncto de ope. not. nun. Ecce proh dolor synodus illa, quæ se asserit in Spiritu sancto congregatam, & literis suis monitorijs, non erubescit Patrem, & Dominum vniuersi, coram se facere euocari, simul cum eo in papatum miserabiliter inhiando. Romanam [illegible] sua præsumptione confundere & turbare, anathemate, excommunicatione perpetua labefactata, cum impijsque non resurgent in iudicio reputetur, omnipotentis vindictam contra se sentiat, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, quorum præsumit Ecclesiam confundere in hac vita, & in futura furorem sentiat, scribitur ad contextum 23. dist. in nomine. Dicant mihi patres illi laude nulla digni, sed argutijs supprimendi, qua instigatione diabolica, repetitis malleis, crebrisque concussionibus, alumnam Dei viuentis conantur opprimere, & summi Piscatoris nauiculam, intumescentibus procellis, in naufragijs profunda demergere 23. di. cap. in nomine. Scire dicunt Patres illi profectò hostes Ecclesiæ, qui charitatem vulnerare modis omnibus moliuntur, & Ecclesiæ rescindere vnionem, & nouum schisma in Ecclesia gignere, & conātur humanum genus euertere, & turbare 16. qu. 2.
19 cap. visis literis prin. quod & si fluctuet nauicula Petri, submergi tamen non potest 20. quæst. 1. cap. non turbatur, de qua Hilarius loquebatur, proprium est inquit Ecclesiæ, vt tunc viuat, cum læditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc secura sit cum deseritur, tunc obtineat cum superata videtur.

Hanc quippe imperator cœlestis instituit, & iubente Domino, de Antiochia Romam translata est 24. quæst. 1. cap. rogamus, illam ipse solus fundauit, & ipsius priuilegio fungitur 23. dist. cap. 1. immò canones attestātur, quod non ab Apostolis, sed ab ipso Saluatore nostro primarum obtinuit, eadem dis. cap. sacrosancta ipse enim locum elegit, eamque ratione persequutionis deserere noluit. Nam Petrum persecutionem fugiētem reuocauit dicens, quod pro se vellet ibi pati, seu etiam crucifigi, antequam locum illum desereret, vt extra, qui fil. sint legit. cap. per venerabilem, §. sanè 3. qu. 1. cap. nulli, in fin. exemplo illius, qui tunicam suo cruore defendit 24. qu. 1. cap. memor, hanc enim coronam Ecclesiæ Petrus, & Paulus proprio sanguine eodem die, sub eodem protectore Domino consecrarunt 21. dis. c. quamuis, de elect. cap. fundamenta, 22. distin. cap. 2. hanc, diuina prouidentia incommutabili dispositione, legimus alijs præesse, vt in proœmio, lib. 6. & ideo Zacha. 14. de Ecclesia loquens, ait sedebit Hierusalem secura, & merito à superiori mente superari non potest, & montes Domini proprietatus in vertice eius, Esai 2. & ideo
20 dicit Chrysostomus Ecclesia impugnari potest, expugnari non potest, Tela mittuntur, sed eius murus non perforatur. Machinæ præparantur, sed turris dauidica non eliditur. Est insuper locus tutus, qui ab aliquo flumine non potest inundari, idest erroribus submergi, ergo nec flamma obruet eam, & ratio est, quia vniuersalis Ecclesia errare non potest, vt dicit Augustinus super illo verbo, ergo pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & Augustinus dicit super illo verbo Psal. sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. In Abel Ecclesia incępit, & tunc Cain eam expugnauit, sed Abel est saluatus, sola Ecclesia in Noe fuit, Deus eum à diluuio liberauit, sola fuit in Abraham, & de Caldę orum ira est ereptus, sola in Moyse, & de manibus Pharaonis liberatus est, sola in Dauid, & à Golia euasit, deinde in Machabęis, & ipsi liberati sunt, postmodum in Domino Nostro Iesu Christo, & ipse captus, ligatus, illusus, & crucifixus, & mortuus est, Deus eum tertia die resuscitauit, & post

In Apostolis, & ipsi persecutiones patientes, ad vltimum coronati ascenderunt in cęlum, sic ergo omni tempore persequtionis Ecclesiæ, Christus ordinauit suos milites, & instituit, vt super intacta permaneat, nititur ergo synodus illa Basileensis
21 verum Vicarium Iesu Christi, qui non puri hominis, sed Dei viui vices gerit in terris, suis literis monitorijs infestare, nauemque submergere Petri, nam fluctuar, sed nunquam desinit esse ratis, cum successoris Petri potestas non sit ex homine, sed ex Deo de iud. cap. nouit, §. 1. Solent lites moueri, propter dubium finis. 1. Regum 16. cap. ff. de pec. l. quod debetur, sed hic finis, & victoria certa est, quia Ecclesia Christique Vicarius, sponsus, pugilque Ecclesiæ gloriosus, cui data est potestas in omnem tribum, & populum, & longam gentem. Apo. 14. & qui habet potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius. Apoca. 19. veritatem sequitur, quæ semper vincit, & præualet. Esdræ. 3. cap. 7. dict. cap. consuetudo, & supra petram solidam fundata est, ideò ruere non potest. 24. quæst. 1. cap. loquitur 21. dict. cap. in nouo. Dicat mihi Synodus illa Basileen. quæ contra summum Christi Vicarium altare conatur erigere, schisma fouens 23. quæst. 5. cap. nos. vos, & indiscissam Dei tunicam, & desuper contextam per frusta decerpit, & Christi pro posse nititur vineam supplantare, 24. quæst. 1. cap. quantum vetus, summique piscatoris nauiculam in naufragij profunda demergere 23. dist. cap. in nomine.

Scire namque debent quicumque ab vnitate fidei, vel Societate Petri quomodolibet semetipsos, segregant, tales nec vinculis prædictorum solui, nec ianuam posse regni cœlestis ingredi dicit, text 24. quæst. 1. quicumque. Quid dicere Synodus illa poterit, nisi verbum illud, scrutamini
22 scripturas, ipsæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Ioan. 5. hæc Synodus profectò habens oculum collisum, Vicarij IesuChristi damnare sententias, temerè iam præsumpsit, Matth. 7. 32. quæst. 7. mihi prin. veritatis quippe à se fidem abiecit, & Deo, & eius Vicario extitit infidelis, 2. quæst. 7. non potest. Non enim venit ponere pacem in Ecclesia, sed gladium acuū. 24. quæst. 1. cap. qui contra pacem, vbi dicit text. qui contra pacem Ecclesiæ sunt, si dignitatem, aut cingulum militiæ habent, nudentur eis, scandalizando Christi Vicarium, & per consequens ipsum Deum 90. dicto cap. nulla ratione, & duobus cap. seq. 8. quæst. 1. cap. qui vos. Quid dicent patres illi Basileen. scissuram Ecclesiæ lachrymantes, qui prauo ordine machinantur malum, & linguam seminant intendentes homines separare à fide. Prouerbiorum 6. Quid dicere poterunt, nisi illud peruenerunt peccata nostra vsque ad cœlum, & recordatus est dominus iniquitatum nostrarum. Apoca. 17. sequar turbam ad faciendum mala, & iudicio plurimorum acquieui. Exodi. 23. vnde aduersùm illos patres condignè occurrat dicere canonis verbum illud, quia præuaricationem eorum regere argumentis suis sub quadam iustitiæ specie fucatis, quibusdam exquisitis adinuentionibus æquitatem obruere studuerunt, fuerunt ab omni regimine, & dignitate depositi, scribitur ad contextum 11. quæst. 3. cap. ita corporis;
23 nam qui alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum 11. quæst. 3. cap. qui consentit 83. d. cap. quid enim, vbi dicit litera, quid enim prodest illi, suo errore non pollui, quod consensum præstat erranti; Ideò dicebat Hierony. in epistola ad Paulinum cap. 3. quod seruitores Dei ex vitæ merito, tamen nocent, si destruentibus non resistunt, quia qui bestialiter viuit, bestialiter condemnatur. Tribus nomen modis, quis dicitur consentire dicit glos. 2. qu. 1. cap. notum. primò si cooperatur 1. quæst. 1. si quatenus ipsos. Secundò cum non corrigit ex officio quos tenetur 83. di. si quatenus inferior. Tertio modo cum defendit peccantem, vel quando sua auctoritate delinquit 11. quæst. 2. cap. qui aliorum, profectò non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. 2. quæst. 7. cap. negligere, & ideò dicit tex. quod non solùm malitiæ huius auctores, aliquorum præsumptio æstimat puniendos, sed facientes, & consentientes pari pœna plectendos catholica damnat, Ecclesia de sen. excom. cap. quantæ, de offic. dele. cap. 1. 2. qu. 1.
24 notum, & alibi dicit tex. qui aliorum errorem defendit, multò damnabilior est illis, qui errant, quia non solùm errat; sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmatur 24. quæst. 4. cap. aliorum. Vnum videte patres illius Basileen. Synodi, & mente diligenter reuoluite, qui temerè, & damnabiliter ipsius erroribus consensistis, proindè dicebat vir ille egregius super Apoc. 11. viri electi, & spirituales sequestrabunt se, & suos, à quibuscumque non consentientibus euangelicæ veritati, tandem post abyssum, & aliquos babylonis, de quibus supra aliqua memorauimus ad cautelam, scilicet vt mores illius Basilien. Synodi cognoscantur, & cogniti euitentur, restat ne parenthesim faciam longiorem, vt ad prosecutionem illius argumenti, an Papa potuerit illam Synodum Basileen. dissoluere non obstantibus supra decretis, conciliorum Constantien. & Basileen. solliciti festinemus.

Et antequam alio stylum vertam precor, & deprecor auditores pariter, & lectores, vt si quid in hoc discursu dixerim contra Basilean Synodum à vetustate remotum, aures accommodent patienter, 7. quæst. 1. cap. suggestum, scriptum est, enim quod non debemus inultum, dimittere opprobrium illius, qui probra nostra deleuit, extra de iud. cap. in quibusdam, aliàs incipit in nonnullis, §. vltim. bene
25 facit, l. sed si hac lege, §. prostituta, ff. de in ius vocam. Nam, qui facit, quod vult absque moderamine rationis, audiet quod non vult, 93. dist. §. quia verò, qui hanc, 32. quæst. 5. cap. iniquum, & alibi, qui custodit os suum, custodit causam suam, &

qui

qui inconsultè loquitur, sentiet mala, 5. quæst.5. §.fin. & quia delictum honorem excludere scriptum sit,C. vbi sena. vel cla. l. prim. & l. senatoris filia, ff. de ritu nuptia, 11. quæst.3. §. priuilegium, & quod not. 6. quæst. prim. cap. placui tit. de hæreti. cap. sicut, & cap. ad abolendam, in fin. de sent. excomm. & cap. ad audientiam, cum si, imò delictum aggrauat digniras delinquentis, 22. quæst. 5. cap. qui vident 40. distin. cap. homo Christianus, ne cleri. vel mona. cap.cum quidam, §.districtis, cum suis concor. nam cum propriam iniuriam dissimulare, & relaxare Christiano pium sit, tamen iniuriam Christi, & successores eius est penitus improbatum, vnde propter hoc clamabat Christus in Psalm. Effunde ruinam, & conclude aduersus eos, qui me persequuntur, longè namque grauiùs est diuinam, quàm temporalem offendere maiestatem,in auth. vt non luxu. contra naturam in pri.colla. vi. de hær. cap. vergentis, & ibi no. cum plus punire, & plus bene facere possit; vnde no. in dicto cap. tua, de decimis, in gloss.2.

Restat modo, vt attingam indaginem præpositæ veritatis, an Apostolicus potuerit Basileen. Concilium dissoluere, & transferre Ferrariam, prout fecit non obstantibus decretis in Concilijs Constantiensi, & Basileensi, de quibus in superioribus prolixam fecimus mentionem, ex quibus infertur decisio, an Concilium Ferrarien. debeat catholicum, & legitimum reputa-
26 ri, & quia veritas sæpius excogitata magis splendescit in lucem, 35. quæst.9. cap. graue. Sciendum est dum de loco canonici Concilij pro reductione græcorum in eadem Synodo Basileen. sub clamosa disputatione, & dissensione plurima tractarentur, seruatis votis in omnibus deputationibus illius Synodi concordarunt maiores partes, omnem deputationem de Ciuitate Auenion. tamquam poriori vocum, & votorum munita præsidio præualere, licèt reluctante, & contradicente Romano antistite domino meo Domino Ioan. tit. Sanctæ Sabinæ presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis legato, & in eadem Basileen. Synodo præsidente,quasi illa Ciuitas esset ineligibilis tamquam non comprehensa sub decreto initio cum græcis per dictam Synodum Basileen.pluribus patribus, & doctoribus in eadem cum eo concordantibus, de quorum numero ego fui, qui super huiusmodi disceptatione consilium eidem Domino Cardinali sed
27 didi copiosum. verum, quia Imperator Romanorum, Constantinopolitanus Episcopus Ciuitatem illam Auenionem, tamquam non maritimam,nec in decreto cum eis inito comprehensam protinus recusarunt, & ipsis græcis ad illam Ciuitatem contradicentibus se transferre, claro iure comperto, licuit Domino nostro Papæ illud Basileen. Concilium dissoluere ex causa prælibata, & ad Ferrarien. Ciuitatem edicere transferendum, tamquam ad locum sanctitati suæ accommodum, & propinquum, locum fertilem, & amenum, aptissimum, & opulentissimum pro dicto Concilio celebrando, & in verbis decret. huiusmodi comprehensum, vt idem Dominus noster commodè præesset in eo Concilio simul cum græcis personaliter, nec expediat representatiuè per alium eius legatum in eo Concilio interesse, propter infirmitates multiplices, & languores assiduos, quibus proh. dolor lacrymabilirer detinetur, cum agatur de grandi negocio vnionis græcæ Ecclesiæ, & latinæ septingentorum annorum curriculo proh. dolor hactenus iam diuisæ, & de eorum schismatibus, & erroribus extirpandis, in quo Concilio, nedum Papa, qui est caput, & cardo fidei, & Ecclesiæ ortodoxæ,sed Deo deuoti, ac etiam Imperator Romanorum pro eorum salute deberent præsentialiter interesse 95. dist. cap. vbi nam legistis, & tunc ad fidem confirmandam non ad potentiam ostendendam debet imperator in huiusmodi Concilio, quia de fide agitur interesse; eadem dicto cap. ad fidem, & fortiùs ipse Papa, qui est fidei instrumentum debet in tam grandi, & pro maximo
28 negocio personaliter interesse, nam non nisi ad Papam successorem Petri, quando de fide agitur pertinet definire, tex. apertus, 24. quæst. 2. quoties, vbi dicit quoties fidei ratio ventilatur arbitror nonnisi ad Petrum, & sui nominis, & honoris auctoritatem referre debere &c. & eadem quæst. cap. non turbatur, vers. denique in gl. videtur ergo quæstionem eam de fide motam nulli licere determinare, nisi Apostolicæ Sedi, vt dicto cap. quæ ad fidem, in gl. aliud est ipsam sine definitione ventilare, vt ibi dicitur, fateor aurem quod Papa simul cum Concilio deberet, & non solus quæstionem fidei ter minare, tex. clarus 12. distin. cap. præceptis, vbi dicitur quod quæstio fidei pertinet ad Ecclesiam simul cum Papa definire. Illud norandum quod quantùm ad sacram scripturam exponendam sanctorum authoritas preualeret, sed quantùm ad causas finiendas præualet auctoritas Romanorum Pontificum, dicit glos.20. d.cap. decretales, & ex his dum essem in eo, Basileen. Concilio, & de loco eligendo pro futuro, sub contradictione votorum scissura permaxima tractaretur, dicebam, & repeto de via cespitando, iurisdictionem, & superioritatem in Apostolicum vendicare Sanctę Romanę Ecclesię Cardinales Sacerdotes Leuitici generis nuncupatos, quod Romanæ Ecclesiæ gremium nuncupatur, & appellantur 23. dist.c. in nomine Domini, circa medium, ibi eligatur autem de istis Ecclesijs gremio, mandatis pœnalibus pœnisque formidabilibus excommunicationis priuationis omnium beneficiorum, & dignitatum, ad idem Concilium Apostolicus de impetitis recensurus, & Cardinales, vt illis assisterent comparare deberent legitimè.

Huiusmodi intellige de debito decẽtiæ non verò de debito necessitatis.

Vndè nimirum si ex præmissis causis, & alijs potissimè, quia eadem Synodus abu-
29 tebatur potestate concessa, id Concilium Apostolicus dissoluit,& decreuit aliò transferendum, vt dixi. Et quia sceleratius

delictum, est grauiùs vindicandum 24. quæst. 1. cap. non afferamus de elect. cap. licet de euitanda, cum etiam nil sit infelicius felicitate peccantiũ, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut interior hostis roboratur, dicit text. 23. quæst. 1. cap. paratus, in fin. ne Christi oues non verum Pastorem, sed mercenarium sequerentur, cum illa Synodus Ecclesiam funestaret. Nam mendacium profectò est Christianum se dicere, & opera Christi non facere, mendacium est Episcopum, Sacerdotem, vel Clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari, dicit tex. 22. quæst. 3. cauete, & ibi dicit gloss. quod factis negamus Christum sicut, & verbis, vndè scribitur Iacobi. 1. quod vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis, & ideò de duplicibus corde, & labijs scelestis, & alibi dicit canon. Deus, duplicitatis aspernator simplicem intentionem considerat, verborum artem aspernatur, & odit. 22. quæst. 4. cap. qui perierant, cum non valeat quisquam aliquem lædere apud Deum. De illis profectò patribus in Basileen. Synodo residentibus Christus, Matth. 24. loquebatur, væ vobis hypocritæ tristes, similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent speciosa, intus sunt plena ossibus mortuorum, & alibi, væ vobis, qui dicitis bonum, malum, & cap. 11. quæst. 3. cap. væ vobis, de istis, loquebatur Apostolus ad Timo. sexto habentes speciem pietatis, virtutem eius abnegantes, hi sunt, qui se transfigurant in angelum lucis.

Plus dico quod peccauisset Papa, & grauitèr oberrasset nisi illud Concilium dissoluisset, cùm in omnem malignitatem erumperet, & puro corde machinatur malum, & iurgia seminat, intendens homines separare à fide. Prouerb. 6. cum per eius monitoria literarum, Ecclesia perturbatur, vel mala alia sequi possent, cum debeant † futura mala præcauere, vel iuuare, ex doctrina Inno. de sen.
30 excommun. c. inquisitionis in fin. Nam qualitercumque possumus debemus vexare malos, vt cessent à malo 23. q. 6. cap. iam verò, vnde scriptum est quod ex eo, quod non citò profertur contra malos sententia, absque vllo timore perpetrant filij hominum mala Eccl. 9. item facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi 23. quæst. 4. c. est iniusta de vita, & ho. cle. cap. vt clericorum, vnde scriptum est, quod resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpant; & putrescant, testante Hieron. 23. q. 4. cap. reseranda, & alibi idem Hieron. attestata in epistola ad Paulinum cap. 4. quod seruitores Dei quantum ædificant in Ecclesia Dei ex vitæ merito, tantum nocent, si destruentibus non resistant, quia qui bestialitèr viuit, bestialitèr condemnatur. Porro, quamprimùm mihi intonuit dissolutionem per apostolicum illius Basileen. Concilij factā fore, sum lætatus, & spes amplior reddita est mihi, cum de eius sinistro principio monitoriorum emanatoriorum nullus posset felix exitus sperari, quia ex errore non sequitùr nisi error. l. ex diuerso ff. de rei vendic. Qualem enim fructum Christianus populus de eo concilio poterat sperare, cuius radix censetur infe-
31 cta. 1. q. 1. cap. fertur, quia corrupta sunt quæ ex corrupta radice procedunt. 14. q. 5. c. neque prima quæst. prima principatus, illud decantando. Laudate cœli & exultet terra, quoniam consolatus est Dominus populum suum. Esa 10. & aduersùs illam synodum digne occurrunt dici verba illa, audiui vocem magnam de cœlo dicentem alleluia, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius, scribitur Apoc. 9. in princ.

Restat consequenter respondere ad decreta illa de Constantien & Basileen. concilio primo loco proposita, de quibus seriosè feci in in superioribus mentionem, super quibus synodus illa Basileen. ædificauit palatiũ in arena, falsò sibi suggerens concilium illud per Apostolicum dissolui minimè potuisse, & transferri ad aliam ciuitatem, & Papam subesse, & non præesse concilio &c. per iam dicta in superiori discursu, quæ non repeto studio breuitatis, quia esset potiùs transcribere, quàm scribere, & ne propter responsionis penuriam videar declinare certamen 44. dist. cap. in mandatis respōdendum putaui cuilibet singillatim, & aperiam in parabolis os meum, & incipio à monitorio, & citatorio illo primo, quod incipit, cum Christi Ecclesia, vbi recitat saluberrima instituta, quibus pestis auaritiæ, & simoniæ euertuntur, dignitates, & beneficia ecclesiastica collatione gratuita esse dignis, & idoneis pastoribus conferenda, edita in eodem Basileen. concilio ipsum Apostolicũ transgressũ esse, & de neglecta eorum obseruan-
32 tia impetitur; Turbasseque dicitur electionem Pontificum, & prælatorum, diuisiones, scandala, & schismata per vniuersas ferè vacantes Ecclesias iniecisse, & aduersùs obedientes illius synodi decreti sententias fulminasse, & nullo requisito Dominorum Cardinalium, etiam in rebus grauibus consilio, impetitur, ciuitatemq; prænestinam per eius tolerantiam, per stipendiarios Ecclesiæ traditam in ruinam, oppidumque Butrij in prædam traditum, & ruinam, indulgentias insuper plurimas multiplicasse ad impediendum indulgentias eiusdem concilij datas pro subsidio opportuno, pro reductione Græcorum. Amplius iuramentum in assumptione sui Apostolatus super certis ordinationibus præstitum non seruasse, ex quibus dicta synodus ex potestate ei data in Constantien. concilio Basileen. super omnes Christifideles, etiam si papalis dignitatis existat, ipsa synodus edicit, & decernit, vt idem Dominus noster iam 40. dies coram dicta synodo per se, vel alium legitimum responsalem debeat comparere huiusmodi impetitionibus responsurus, quo termino elapso, & eo vt præmittitur minimè comparente, vel etiam comparente, ad vlteriora procedet, cognoscendo, & terminan-

do

do prout Ecclesiæ sanctæ Dei viderit expe-
dire, mandatque Dominis Cardinalibus,
vt ad illam synodum se transferant, & ei-
dem assistant saluti Ecclesiæ prouisuri.
Iste est breuis epilogus omnium in eo mo-
nitorio, & citatorio comprehensorum, sub
datis pridie Kalen. August. MCDXXXII.

Quis furor, ô patres, quæ tanta licen-
tia audiendi C. vnde vi l. si quis in tantam
7. q. 1. c. ad aucter. de censi. c. 2. lib. 6. in gl. 2.
vesanum intellectum vestrum ad talia fa-
cienda, deleantur profectò de libro viuen-
tium, & cum iustis non scribantur. Psal.
73. transumptiuè in casu de pœnit. dist. 4.
§. item secundum sanè omne caput in eis
languidum, omne cor mærens, & à plan-
ta pedis vsque ad verticem non est in ijs
sanitas. Esa. 1. 6. quæst. 1. §. verùm nesci-
tis, quod pharisæi audito hoc sermone
scandalizati sunt, quia cæci sunt, & duces
cæcorum. Matt. 15. 11. quæst. 3. c. inter ver-
ba, quæ diabolica supplantatio vos op-
pressit temerè præsumendo Vicarium Iesu
Christi, Petri successorē, mundi arbitrum,
& magistrum, coram vobis in iudicio euo-
33 care, cùm omnis anima sublimioribus
potestatibus subdita esse debet ad Ro-
man. 22. 11. quæst. 1. magnum 23. q. 5. cap.
prodest. & c. omnis anima de censibus, &
qui resistit potenti, ordinationi Dei resistit
ad Romanos 14. quæst. 1. §. sed sciendum
23. q. 1. cap. quid culpatur, & q. 3. c. quæ-
situm nouistis enim patres per antea vene-
ratione dignissimi, quod vulgaris fama
quorumdam, & æstimatio plurimorum,
non arguunt ipsum Papam, & de Papa est
expressum, quod semper bonus præsumi-
tur, etiam si bonus non esset, etiam si ma-
lum faceret, semper intelligitur bene face-
re, & ad bonum quicquid facit, & omnia
sunt eius opera recta, quidam tex. clarus
coniuncta glos. 11. dist. c. 1. absit præterea,
vt quicquam sinistrum de his arbitremur,
qui apostolico gradu succedunt, qui claues
regni cœlorum habentes, ante diem iudi-
cij iudicant. canonis verbum est. 11. quæst.
4. cap. absit. cum bene de quolibet, & non
male præsumere debeamus dicit gl. Io. 24.
quæst. 3. c. quàm magnum, & ibi concor.
& Canon dicit, quod non solùm ille reus
est, qui falsum, sed etiam is, qui aurem
criminibus citiùs accomodat. 11. q. 3. cap.
quàm magnum, & ibi concor. & Canon
dicit quod non solùm, & mala audita nul-
lum moueant, nec passim dicta absque
certa probatione quisquam vnquam cre-
dat, nec præcipitando quicquam mali
agat. tex. 30. quæst. vlt. cap. nullum, quia
34 omnis suspitio est potiùs repellenda quàm
approbanda, & recipienda tex. 5. quæst.
1. cap. oues, & alibi, absit à Christianorum
iudicio, vt ea, quæ maledicorum hominum
rumoribus conficta sunt credamus, quali-
cumque modulo suspicionis adduci, quia
& sacri eloquij testimonium tenemus, vt
mala maiorum, cum forsitan dantur, nisi
probata, credi non debeant sed citiùs pro-
bata vlcisci. tex. 11. quæst. 3. cap. in cunctis
& Apostolus ad Romanos. 15. dicit, nul-
lum ante veram iustamque probationem
iudicare debemus 30. quæst. vlt. nullum, &
subdit ibi litera, mala itaque audita nul-
lum moueant, nec passim dicta absque
certa probatione quisquam credat, nec
præcipitando quicquam mali agat. & scri-
bitur primæ Io. 3. cap. omnis, qui detrahit
fratri suo homicida est, & omnis homici-
da non habet partem in Regno Christi,
& Dei, transumptiuè positum. 6. quæst. 1.
cap. summa vnde Sanctissimus Dominus
noster dicere ipse posset, quid enim si non
nos homines laudant, & conscientia libe-
ros nos demonstrat. 11. quæst. 3. cap. inter
verba dicit enim Paulus ad Corint. 2. glo-
ria nostra hæc est: testimonium conscien-
tiæ nostræ, & Ioann. 15. dicitur, ecce in
cœlo testis meus, si ergo est testis in cœ-
lo, testis in corde, dimittamus stultos fo-
ris loqui quod volunt, quid enim aliud
detrahentes faciunt, nisi in puluerem exuf-
35 flant, & in oculos suos terram excitant,
vt vnde plus detractionis perflant, inde
magis nihil veritatis videant. scribitur ad
contextum vndecima quæstione prima,
capitulo, incipien. inter verba, & Matth.
15. dicitur Sinite illos, cæci sunt, &
duces cæcorum. Et quod hìc erat casus,
in quo non poterat representatiuè compa-
rere per alium, sed debeat per seipsum Pa-
pa personalitèr, & præsentialiter interes-
se, vnde suadebam de eligendo loco sibi
vicino, & commodo, & habili, ad quem
venire posset, & non de loco remoto, &
distantissimo, ad quem se transferre perso-
nalitès non valeret, obstantibus sanctitatis
suæ infirmitatibus cateruatis, sed frustra
surdo canitur, vt aduersùs illam synodum,
dignè occurrat dicere canonis verbū illud
noluit intelligere, vt bene ageret. 11. q. 3. c.
excellentissimus, profectò, & cum Paulo di-
cere ipse possum, mundus sum à sanguine
omniū vestrum, quomodo nihil subtraxe-
rim vobis vtilium quòminus annuntiarem
vobis. Actor. 20. c. clamauiq; cum Ezechiele.
Conuertimini à vijs vestris pessimis, scri-
ptum est enim argue, obsecra, & increpa
in omni patientia, & doctrina, quis igi-
tur ex vobis arguet me de peccato si veri-
tatem dico vobis. Io. xvii. transumptiuè
positum de hæreti. c. ex iniuncto in fin. ini-
quitates profectò eorum odio habui, &
abominatus sum semper 27. q. 7. c. effectum
de testa. c. quia vos per Host. vnde dignè
aduersùs illos patres cōciliares dignè oc-
currit dicere verbum illud, absit à me, vt
iustos vos iudicem, & non recedam ab in-
nocentia mea. Ioan. 27. transumptiuè in
c. sunt nonnulli 46. dist. odiui quippe Ec-
clesiam malignantium, & cum impijs non
sedebo, vt cum Psalmista conueniam.
Totius profectò iniustitiæ nulla capitalior,
quàm eorum, qui, cum maximè fallunt,
inde agunt, vt boni viri esse videantur, te-
stante Tullio officiorum secundo refert gl.
de hæret. cap. ad nostrum in Clem. & ideo
dicebat Ioann. Andr. referens Gregorij di-
36 ctum illud, quod simulata æquitas duplex
est iniquitas, quia malum facit, & abuti-
tur bono in clem. 1. de relig. domi. in glos.
sua, & alibi dicit text. quod falsa mansue-
tudo, crudelitas appellatur 23. quæst. 1.
cap. ipsa pietas, per quam gubernaculum
disci-

diſciplinæ contemnitur, populus naufragatur. cap. attendentes in princ. de ſtatu mod.

Cauete patres conciliares incontextam Dei tunicam per fruſta decerpere, ſatagentes veſtris monitorijs literarum: mementote ſcriptum eſſe ſapientiam ſapientum; & prudentiam prudentum reprobabo, & ſequitur, ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, & ſit ſapiens, ideſt illa ſapiat, & ſciat ob quæ mundus ſtultum eum reputet, vt ſit ſapiens apud Deum. Redeo ad propoſitum ne parentheſim faciam longiorem, dixi ſuperiùs, & repeto, Papam debere verè non repræſentatiuè per alium, in eo concilio intereſſe, vbi de extirpandis erroribus illorum Græcorum, & de fide catholica tractabatur, & præterea debuiſſe, dum de translatione illius concilij tractaretur ad locum alium, eligi locum commodum ipſi Papæ, ad quem propter ſuos languores, & infirmitates potuiſſet commodè ſe transferre, cum ex dominica iuſſione, & conciliorum auctoritate ſuam habeat iuriſdictionem, 11. diſt. cap. conſequens, 17. diſt. hic, per Archid. 2. diſtin. c. 1. & quod not. de hæret. 11. diſt. in princ. & ibi per Archid. & quia agitur de ſalute animarum, & erroribus, & ſchiſmatibus extirpandis, ideo videtur quod Papa debeat perſonaliter intereſſe, quia in his, quæ reſpiciunt ad ſalutem, ſi quis deciperetur in talibus, ibi non eſſet minus periculum falli, & fallere, 22. q. 4. c. innocens, in glo. Ad Papam enim

Intellige, vt ſupra de debito, condecenter nō necessitatis.

37 ſpectat interpretari ſtatuta vniuerſalium conciliorum, ex quibus, Græcorum errores, & ſchiſmata confunduntur: de exceſ. prælа. c. dilectus, 17. diſt. c. nec licuit, in gl. & cum, vt dixi de fide tractetur, Papæ eſt præſentia opportuna in huiuſmodi diſceptatione errorum, quia concilium non poteſt Papæ legem imponere, de electio. c. ſignificaſti, 39. q. 9. cap. veniam, adduco pro hoc ſignanter bonum text. de conſecrat. diſt. 2. cap. baſilicas, ibi dum dicit, ſatiſque conueniens ſit totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quæ illis vigere conſpiciat, vbi dominus, Eccleſiæ totius poſuit principatum. Matth. 16. ad idem facit, 21. diſt. cap. 1. ibi decretis ergo Romanorum Pontificum, & ſacris canonibus conciliorum Eccleſiaſtica negotia terminentur, & per hæc ego dicebam, & repeto, quod non puto, quod deciſionem huiuſmodi errorum poſſit Papa alteri delegare, quia vbi de fide agitur non niſi ad Petrum pertinet definire, & conſequens non tranſit in generali mandato legationis: de offic. deleg. cap. quoad tranſlationem, cum hæc omnia maiorem diſcuſſionem deſiderent, argum. 24. qu. 1. cap. quoties, 26. qu. 1. cap. frater noſter: ergo per ſe expedire debet, vt benè probatur in d. cap. quoties, vbi dicit text. quoties fidei ratio ventilatur, non niſi ad Petrum, ideſt ſui nominis auctorem referre, pondero illa verba non niſi ad Petrum;

38 per quæ datur intelligi, quod non poteſt Papa alteri committere vices ſuas: ſunt enim plures caſus, qui in legatione non veniunt, ſed ſedes Apoſtolica ſibi tantùm in ſignum ſpecialis dominij reſeruauit, de quibus latè in Specul. de officio legati. §. nunc oſtendendum, inter quos eſt caſus, quando de fidei articulo dubitatur, ſecundum eum in verſic. trigeſimoquinto: vbi dicit, quod per Papam definiri debet; allegat. de baptiſ. maiores in princ. & de hæreti. cap. cum Chriſtus, de Sum. Trinit. & fideli. 24. q. 1. cap. quoties, 12. diſt. cap. præceptis, & licèt gl. dicat in c. frater noſter, 16. qu. 1. ex illo cap. arguendo, quod per legatum, & delegatum tractari poſſit quæſtio fidei, licèt ad Petrum tantùm ſit referenda, ſoluit tamen, quod mediocres cauſas poſſunt tractare Epiſcopi: de hære. c. ad abolendam, ſed magnas non, eo. tit. cap. Chriſtus in parte deciſa, & ita etiam tenet Archidiac. in d. cap. frater. Adduco ad idem, 17. diſt. cap. nec licuit: ibi dum dicitur, ſed quoties aliquid de vniuerſali ſynodo aliquibus dubitatio naſcitur ad recipiendum de eo, quod non intelligunt rationem, aut ſponte hi, qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtolicam ſedem pro percipienda ratione conueniant, aut ſi fortè ſicut de talibus ſcriptum eſt prouerb. 18. cap. peccator, dum venit, in profundum malorum contemnit, ita qui ob-

39 ſtinati, & contumaces extiterint, vt doceri non velint, eos ab eadem Apoſtolica ſede, aut trahi ad ſalutem quoquomodo neceſſe eſt, aut ne aliorum perditio eſſe poſſint, ſecundùm Canones, per ſæculares oportet opprimi poteſtates.

Ex præmiſſis igitur relinquitur neceſſariò concludendum, concilium illud Baſileen. potuiſſe per Apoſtolicum optimo iure ex cauſa diſſolui, & ad alium locum videlicet Ferrariæ ciuitatem transferri, vbi poſſet commodiùs fidei cauſa pertractari, & errorum Græcorum ſchiſmata confutari, propter præſentiam Apoſtolicæ ſanctitatis, quæ illuc tanquam ad locum vicinum poterat commodè ſe transferre, & ad alia loca remotiſſima non valebat, propter infirmitates eius multiplices, & languores. Tum quia in eo Baſileen. concilio, hæc omnia non poterant ventilari ſub præſentia Papæ. Tum, quia ad illud concilium Græci venire ſpecificè denegabant, nec in illum locum, & ciuitatem voluerunt aliquo pacto conſentire. Tum etiam, quia ciuitas Auenionem. per illam ſynodum pro reductione Græcorum deputata non erat comprehenſa in dicto initio, cum etiam ad illam ciuitatem declinare Græci ſpecificè recuſabant, & ſic erat locus alius eligendus de neceſſitate in decreto comprehenſus, græcis acceptus, & commodus ipſi Papæ, cum ad eum deuolueretur, occaſionibus ſupradictis, poteſtas loci concilij transferendi. Eſt enim vulgatum ſatis, quod quando prælati in electione di-

40 ſcordant, recurritur ad ſuperiorem, 1. papam, 65. diſtin. c. ſanè. in gl. & no. in c. duobus. in glo. ſuper verbo teneantur, de tranſlat. lib. 6. & ibi dicit Io. Andr. quod quando partes in eligendo diſcordant, ſedantur per ſuperiorem, item, quando diſſentiunt Epiſcopi in aliquo faciendo vno modo,

modo, & alij alio, ad superiorem recurritur, vt habetur. 42. dist. c. nec licuit, nec statur sententiæ plurimorum, vt d. c. sanè. 55. dist. Nam etiam vnus potest contradicere maiori parti si iustam habeat rationem, 31. dist. c. Nicæna, & ibi per Archid. item vnus potest contradicere toti vniuersitati, sicut rationabili causa mouetur, de his, quæ fi. à prælat. cap. 1. quia sententia vnius potest alios trahere ad partem suam, de eo, qui mitti. in pos. cum sicut in parte decisa. C. de vete. iur. enuclean. l. 1. §. his. & no. gl. in d. c. Nicæna. Pro hoc, quod no. Archi. 32. dist. cap. placuit. præterea illa dicitur maior pars, quæ maiori nititur
41 ratione, etiam si sit minor, 40. dist. cap. multi. cum ibi not. & Archid. 61. dist. cap. Episcoporum, ideo text. d. c. multi: Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes, multi nomine, & pauci opere.

Amplius dum de eo Basileen. concilio sacræ deputationes, denominationi loci pro futuro concilio mirabiliter dissentirent, quia Gallia, & alij plurimi de Germanis nominabant Auenionem, alij Budam, alij Papiam, alij Florentiam, alij Vtinum, & Aliqui Gebennam in Sabaudia, & vota maioris partis in Auenionem concurrerent, quæ ciuitas vt dixi in nullo erat mihi eligibilis, tanquam non comprehensa in decreto, & cum super intellectum verborum illius decreti quæstio oriretur, certè ad Papam, & non ad alium illius decreti interpretatio spectabat. Nec ad illum fuerat recurrendum, de concessio. præbendæ. capitulo dilectus, & quod not. in capitulo vltimo de rescript. cum ipse interpretetur, & tollat statuta conciliorum, & decreta quæcumque quarta. distinctione capitulo sicut. decimaseptima distinctio, capitulo nec licuit. decimaquinta distinctio. capitulo sicut, & probatur de electio. capitulo statutum. & in clem. ne Romani. §. sanè. & capitulo constitutionem. eodem tit. de sen. excommun. cap. nuper. nec mirum, quia illa corrigit, & immutat. vt d. c. statutum. de rescript. lib. 6. & nota. Do. de elec. cap. significasti, & quamuis triste sit valde, quod loquimur, vt dicit Canon. sexta quæstio. prima. cap. quamuis sit triste. præfati patres de illo concilio nil pensum decernentes proponebant in omnibus capitalem sententiam veritati opinioni eorum tenaciter inhærentes contra illud canonicum, 36. dist. cap. relatum, & cap. ne innitaris. de constitut. concilij nomine abutendo. Nam, vt dicit tex. 15. dist. canonem, con-
42 cilium dictum est à communi intentione eorum, quod in vnum dirigat omnem mentis obtutum, & sequitur, vnde qui sibimet dissentiunt non agunt concilium, quia non sentiunt in vnum.

In eo profectò Basileen. concilio, quot homines, & quot capita, tot sententiæ. de consecr. dist. 3. cap. sicut in sacramentis, ad fin. dist. & gloss. ibi allegat. ad idem ff. de arbit. l. item cogendum, §. principaliter, 12. qu. 1. cap. 1. in tantum enim, in eo concilio præualebat malignantium, & nil rectè sapientium multitudo, ambitiones, & plurimæ simultates, nil pensum, nil sanctum, nil iustum agentes, vt non reformationi, sed deformationi Ecclesiæ insudare plurimum viderentur, ad Papatum vijs reprobis inhiantes, immemores, quod viuente Papa est crimen læsæ maiestatis conuenticulas facere de Papatu, dicit Bald. in l. quoniam liberi. C. de testi. alle. c. veniens de testi. in nouell. & est expressum, 89. dist. c. si quis Papa superstite, ambientes Apostolicæ dignitatis apicem in eosdem, qua non verebantur se spoliatos extitisse per temporum longa curricula iam decursa: sed ò dolor, ò pudor de se ipsis nimium præsumpserunt patres illi, prout alibi scri-
43 ptum est, non sequeris turbam ad faciendū mala, nec in iudicio plurimorum acquiesce sententiæ, vt à veritate deuies Exod. 23. Et alibi dicitur, non est qui inuocet iustitiam, nec qui iudicet verè, sed confidunt homines in nihilo, & loquuntur vanitates. Esa. 59. cap. & Apostolus ad Thessal. 2. cap. dicit ideo mittit illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati &c. & actu 5. in fi. dicitur scriptum est enim veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus iustitiam: iam illud Propheticum est impletum Psalm. 10. quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde, & iterum Psal. 64. quia exacuerunt, vt gladium linguas suas, ecce falsa crimina, quæ Domino nostro imposuerunt, & sequitur intenderunt arcum rem amaram, ecce insidias, & machinationes, quas in occulto fabricabant satis amaras, & scandalosas fidelibus, sed maximè suis damnatissimis animabus, & sequitur effectus, vt sagittent in occultis, idest per fraudes, & mendacia confictas: immaculatum, ecce impletum est illud Apostolicæ Prophetiæ, erit inquit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Apostolus ad Tim. in 2. epist. cap. 4.

Dicat proinde mihi patres illi conciliares, & synodus illa Basiliensis, quæ principem principum verum, & indubitatum Christi Vicarium coram ea in iudicio citauerunt, occasione prætensarum præuaricationum, de quibus scilicet retulimus seriosè, vt eorum vtar verbo, per eumdem summum Pontificem, vt dicitur patratarum, veritate eorum, quæ contra eumdem impingebantur, per probationes legitimè receptas aliter minimè patefacta, immò quod est funestius, non erubuit in eodem monitorio subiungere de his eidem constare per summariam informationem, licèt ex abundanti receptam, immemores canonicæ institutionis, & vt discoli in omnibus ambulantes, cum sit speciale in Papa, quod semper pro factis per eum præsumi debeat, quod iustè omnia facta sint, & legitima causa suadente, etiam si non benefacta fuissent, vt est expressum. 40. dist. cap. non vos. Quinimmò antequam ad citatorium

rium potuisse huiusmodi emanare, hæc omnia debuerunt constare, non dico per summariam informationem, sed etiam per probationes legitimè iam receptas, vt di-
44 ctum est: sicut, & sic vbi requiritur probatio non sufficit informatio, quia informatio potest sumi à testibus non iuratis, dixit Bal. in 10. col. de pace tenen. cap. si duo. vbi dicit esse gl. singu.

Amplius dicant mihi patres illi Basileen. cur tam pudibunda occasione prætensarum præuaricationum ad citatoriū, huiusmodi tam detestabile prorumpere præsumpserunt, nam etiam si cōstaret Apostolicum, nedum ista, quæ narrantur in citatorio, sed etiam homicidium commisisse, quamuis peccet, tamen de hoc accusari, vel inquiri non potest, vt dixit gl. Io. in d. cap. non vos 40. dist. de nullo namque mundi crimine potest Papa, præterquam de hæresi impetiri 2. quæst. 2. cap. præsul 40. dist. cap. si Papa 19. dist. cap. Anastasius, 24. quæst. 1. cap. acutius, 24. quæst. 1. cap. qui contra pacem de hæreti. cap. ad abolendam, §. 1. & 2. 9. quæst. 3. cam nemo, 79. dist. cap. 1. de ele. cap. licèt per Inno. & compo. & cap. vbi maius, eodem tit. lib. 6. & ibi dicit Archi. quod licet accusari possit de hæresi, non potest tamen contra eum excipi, & idem Inn. & Host. in cap. licèt,
45 eodem num. ipso, quod Papa hæreticus est, minor est quolibet Christiano, vt d. cap. acutius, quando 1. cap. scimus, & ipso iure est Apostolatu priuatus, d. cap. si quis pœnam, & 1. quæst. 1. cap. si quis de Ecclesia 16. quæst. vltima cap. sanè, 24. quæst. 1. cap. dicamus, & cap. miramur, §. his auctoritatibus, & seipsum priuat, 21. dist. cap. nunc autem, vnde fuit profectò mirandum, quod synodus illa prorupit pro assertis transgressionibus contra Papam ad illud monitorium, & citatorium, nam dicit canon, quod si Papa suæ, & fraternæ salutis immemor negligens, reprehendatur, inutilis, & remissus, huius culpam nullus redarguere præsumat mortalium, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandos, nisi deprehendatur à fide deuius, tex. ad literam 40. dist. cap. si Papa, nec possit concilium pro quocumque crimine, vel delicto nisi pro hæresi, vt dicebam, Papam deijcere de papatu, quia eiectionem
46 summorum Pontificum sibi Deus reseruauit, tex. 79. distin. cap. eiectionem, & alibi dicitur, quod nemo iudicabit primam sedem, neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regib. neque à populo iudicabitur, tex. in terminis, 9. quæst. 3. cap. nemo, & ibi gl. dicit, qood concilium non possit Papam iudicare alleg. de elect. cap. significasti, & subdit, quod si totus mundus sentiret in aliquo contra Papam, Papæ sententiæ standum est, vt 24. quæst. 1. cap. hæc est fides, item aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed sedis illius præsulem, suo sine quæstione reseruauit arbitrio, bonus tex. 9. quæs. 3. cap. aliorum hominum.

Non habet præmissæ conclusioni obstare si dicatur quod, & si Papa pro quocumque crimine, vel delicto nisi pro hæresi tantùm deponi, vel priuari non possit, & quod concilium non habet potestatem contra eum procedendi, nisi pro crimine hæresis, vt dicebam, tamen cum esset is Apostolicus delatus, & infamatus de transgressionibus multiplicibus, de quib. in dicto monitorio, & citatorio plenius continetur, saltem si per se non poterat, obstantibus infirmitatibus, & longitudine itineris ad purgandum se de impetitis coram dicta synodo, per procuratorem habentem speciale mandatum debuit com-
47 parere, quia est regulare, quod infamatus debet propter scandalum populi se purgare, de purgatione eodem cap. 2. & cap. inter, de offic. ord. cap. ex parte, in glos. vlt. 1. quæst. 5. cap. habent hoc proprium, nam & summus Pontifex propter scandalum, sine præiudicio aliorum Pontificum purgat semetipsum, vt patet de Leone Papa, 2. quæst. 5. cap. auditum, & cap. sequenti, & 2. quæs. 7. cap. nos si incompetenter, & cap. seq. Et de eodem Papa habetur quod purgauit se, cum 12. Episcopis, 2. quæst. 6. cap. omnibus, circa fin. & Sixtus Papa purgauit se in concilio, 2. quæs. 5. cap. mandastis, & Damasus Papa cum 42. Episcopis se purgauit, 2. quæst. 7. §. item cum Balaam, circa fin. idem fecit Symachus Papa, vt ibi: idem Gregorius, 2. q. 7. §. quis super, & habemus exemplum beati Gregorij inuitātis, omnem cum reprehendere volentem, 2. q. 7. cap. vos si, vbi patet quod subditi prælatos suos possent reprehendere, & accusare, & de Papa, & suis defectibus damnandis, patet 2. quæst. 4. cap. præsul non damnatur. Quinimò etiam si papa argueretur de hæresi occulta debet Episcoporum concilium conuocari, vt patet 25. disc. cap. sicut in fin. & est expressum, 2. q. 5. cap. mandastis, quia certè ex quo dicta Synodus Basileen. in omnibus ordinationibus, & prouisionibus, & collationibus Apostolicis, vt ita dixerim se posuit aduersantem contra sedem Apostolicam posse tenus fulminando, vt hæc omnia sunt notissima toto orbi, non tenebatur Apostolicus coram illa Synodo se præsentare, in qua essent contra eum purgatores profecto maleuoli, & suspecti, contra not.
48 in cap. inter, de purg. cano. quia periculosum esse describitur coram suspecto iudice litigare, in l. apertissimi, C. de iudi. 3. quæst. 5. cap. quia suspecti, cap. fin. & §. fin. Et quando suspicio est notoria, non requiritur appellatio, nec est recusatio opportuna, secundùm Arch. 2. quæst. 1. cap. quomodo faciunt, quæ habentur de accus. cap. veniens, & in elect. pastoralis, de re ind. Quinimò, & si virtute huiusmodi citatorij potuisset per procuratorem habentem speciale mandatum, purgaturus se de obiectis in iudicio comparere, quod etiam fieri posse Innocent. attestatur, de purgat. canon. cap. cum in iuuentute, tamen ex quo locus tutus non erat Apostolico, non tenebatur mittere responsalem, prætextu monitorij citatorij prælibati, quia ad hoc vt locus citato tutus dicatur, debet esse tutus tàm sibi, quàm procuratori suo, tex. prout infert Ioann. Andr. in cap. ex par-

parte, de appell. nec sufficit locum esse
tutum procuratori, sed non domino, vbi
causa est grauis, secus si esset leuis, quia
tunc sufficit locum esse tutum domino,
& non procuratorib. propter ademptio-
nem facultatis procuratorem constituendi,
vt dicto cap. ex parte, 1. de appell. immo,
49 vt dicit ibi glos. debet locus esse tutus te-
stibus, & aduocato, & Anton. de Butr. ibi-
dem prosequendo hoc dubium, an citatio
arctet citatum ad locum non tutum, & an
debeat appellari, vel opponi de loco non
tuto, dicebat, quod si notoriè locus non
est tutus, sine aliqua appellatione, vel ex-
ceptione citatio non arctat citatum, quia
iudex est certus, vel debet esse de impedi-
mento citati, quo casu non valet, quod
agitur, sicut quando detinetur infirmita-
te, ff. de re iudicata, l. quæsitum, de pro-
curatoribus, capitulo querelam, cum simi-
libus, & hoc planum, illud addo, quod re-
cusatur locus non solùm propter inimici-
tias speciales, sed propter inimicitias ci-
tantis, de officio delegat. capitulo cum R.

Item addo, quod ratione suspicionis
purgat se quis iuramento, vt in vsibus
feudorum, de controuersia inuestit. cap.
primo, §. penult. Nec dicat, quis quod
talis obiectio confunditur per gl. in cap. 1.
de iud. vbi dicit, quod concilium non po-
test recusari, vel allegari suspectum, quia
dico illud verum, quando præsentialiter in
concilio præest Papa, qui est caput, & or-
bis Episcopus, 9. quæst. 3. cuncta, cuius tan-
ta esse conscientia dicitur, quod non mo-
uetur ex sententia aliorum existentium in
concilio, cap. ad Apostolicam, de conuer-
sio. coniuga. & ita dicit Anto. de But. in
d. cap. 1. de Iudæ. Idem ergo dicendum
esset de summo Pontifice, & maximè non
contradicentibus illis de concilio genera-
li, idem etiam esset, si totum concilium
contradiceret, sententia enim sua præua-
let, not. Ioan. Andr. de elect. cap. signi-
ficat. alleg. 4. distinct. cap. in istis, 15. dist.
cap. sicut in fin. cum multis si, est enim
supra concilium, vt dictis iuribus, vt re-
citat Ant. de Butr. in d. cap. 1. de iud.

Sequitur videre de robore literarum
aliarum Basileen. synodi supradictæ inci-
pientium, compatiens, cum synodus, quæ
post repetitas assertas transgressiones com-
missas per dominum nostrum, repetitis te-
noribus decretorum frequens in Constan-
tien. & quoniam frequens, in Basileensis
concilij editorum ad dissolutionem Fer-
rariensis concilij se conuertunt, mandan-
tes Cardinalibus, Patriarchis, Archiepi-
scopis, & Episcopis, & alijs quibuscunque,
vt ad illam Basileen. synodum studeant se
transferre, gerenda insuper quæcumque in
eodem Ferrarien. concilio impugnando,
&c. ò dolor, ò pudor, ò patres proloqui-
tores huius vesanæ legis ministri, qui cum
deberent, & teneantur Apostolicis decre-
tis, cum reuerentia obedire, de seipsis plu-
rimum, quàm debeant vendicantes, illa
50 resoluere attentarunt; non est enim disci-
pulus supra magistrum, de elect. cap. of-
ficij 49. dis. 5. prohibentur, 59. dist. cap.
ordinatos, nouistis quod inferior legem su-
perioris non tollit. de offic. ord. cap. cum
ab Ecclesia, de renuntia, cap. cùm dilectus
& Archid. in cap. fin. de consti. lib. 6. de
maio. & obed. cap. cum inferior, & cap.
statuimus, 21. dist. cap. inferior, vbi dicit
litera, inferior sedes potiorem absoluere
non potest, & subdit, cùm sole clarius ex-
hibuerimus, non posse quemquam minoris
autoritatis, eum, qui maioris potestatis est,
iudicijs suis addicere, aut proprijs defi-
nitionibus subiugare, scitis patres conci-
liares in canon. scriptum esse. Consequens
est, vt quod ab huius sedis Apostolicæ re-
ctoribus plena auctoritate sancitur, nullius
constitutionis, vel cousuetudinis impe-
diente occasione proprias sequendo tan-
tummodò voluntates, remoueatur ad con-
textum, 11. dist. cap. consequens, & iterum
nolite oberrare fratres mei, doctrinis va-
rijs, & extraneis, nolite abduci ab institu-
tis Apostolorum, & Apostolicorum viro-
rum, canones, quos habetis, his fruimini,
& subdit. satisque indignum est, vt quem
quam Pontificum, vel ordinum subsequen-
tium hanc regulam refutare, quam beati
Petri sedem, & sequi viderit, & docere,
textualia verba sunt de consec. distin. 1.
c. Basilicas, & ibi etiam dicit litera, cumq;
nos contra salutarium regularum reueren-
tiam cupiamus temerè nihil dicere, & cum
sedes Apostolica superior his omnibus fa-
uente domino, quæ paternis canonibus
sunt præfixa pio deuotoque studeat tenere
proposito, & sequitur, satisque conueniens,
si vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet
obseruatione concordet, quam illic vigere
conspiciat, vbi dominus totius Ecclesiæ,
posuit principatum, verba sunt ad literam
in d. cap. Basilicas, & sic patet, quod Fer-
rarien. concilium dissolui non potuit per
decretum Basileen. concilij, de quo supra
immo concilium se submittit determina-
tioni Papæ in omnibus eorum decretis,
vt patet, 24. quæst. 1. cap. hæc est fides
Papa beatissime, quam in Ecclesia Ca-
tholica didicimus, in qua si minùs peritè,
aut cautè aliquid positum est, emendari
cupimus à te, qui Petri, & sedem tenes,
& fidem, vt de domino nostro Papa pas-
sim dicere verbum illud, decreuit, & quis
poterit infirmare, & manus eius extenta,
quis auertet eam? Esa. 14. quasi dicat
nullus habet, namque synodus illa, dum
fuisset insinuatum eidem, dissolutionem
illius synodi, & translationem eiusdem
ad Ferrariæ ciuitatem, dixisse potiùs de-
buit verba illa, tuum est destruere, & nos
crimus tecum. confortare, & fac, tecum in
concilio, tecum in auxilio, tecum in præ-
sidio. Esaiæ, 4. Proinde dignè occurrat
summo Pontifici dicere, quod alibi scrip-
ptum est, statui decretum, quod studiosè
impleri volo, Esdræ sexto capitulo.

Concludo ergo in hoc art. quæstionis,
51 Concilium Ferrarien. esse verum, Catholi-
cum, & legitimum Concilium, in quo præ-
est Sanctissimus noster Papa, nec illud pos-
se, vel potuisse per Basileen. Concilium
perturbari; per tex. 24. q. 1. c. non turbatur
nauis, quæ Petrum habet, & subdit, non
ergo turbatur hæc nauis, in qua prouiden-

tia nauigat, abest perfidia, fides superat, quomodo enim turbari potuit, cui præest is, in quo Ecclesiæ firmamentum est, illic ergo turbatio, vbi modica fides, ibi securitas vbi perfecta ductio, denique & si alijs imperatur, vt laxarent retia sua, soli tamen Petro dicitur, duc in altum, hoc est in profundum disputationum. Textualia verba sunt in d.cap.non turbatur, 24.quæstio.1. in sede, præterea Apostolica semper est Catholica, seruata religio, tex.24.quæstio.prima, cap.in sede; & rursus, rogamus vos fratres Charissimi, vt non aliud doceatis, neque seruetis, quàm à beato Petro accepistis, ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam. Textualia verba sunt 24.q.1. c.rogamus, ad idem c. loquitur, ead.causa & quæstione. Quid plura, cum illud Basileen. Concilium fuerit per Apostolicum dissolutum, & translatum ad Ferrariæ Ciuitatem, non potest ammodò Concilium nuncupari, cum caput, nec præsidentes pro Papa non habeat de præsenti, 94.dist. c.nulla ratione, vbi dicit tex. quod quæ sub nullius disciplina, &
52 prouidentia gubernantur, tales acephalos, sine capite, prisca consuetudo nuncupauit, caueant profectò in eadem Basileen. synodo residentes, scriptum est enim, si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, & in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice ipsius iræ, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni, & fumus tormentorum eius ascendet in sęcula sęculorum, scribitur Apoca.14.

Concludo igitur in hoc dubio propositæ quæstionis Concilium Basileen. non posse amplius Concilium appellari, sed potest dici acephalum, absque capite, monstruosum, contra regularem naturam Conciliorum, quæ constant ex membris, & capite, vt in alijs inferioribus Concilijs, 3.distinct.5. porrò, 18.distinct. c.quoniam si Episcopus Metropolitanus, cap.si quis Episcoporum, per totum, 12. q. 1. cap. in apibus de præscript. cap. cum non liceat, cap.cum si, & Ferrarien. Concilium esse verum, legitimũ, Catholicum Concilium, & legitimè institutum, in qua Ciuitate politia omnis, virtutes ciuium amplissimæ, & spectatissimorum, veneratio plurimorum, liberalitas, & magnificentia, hospitalitas in externos, mores venusti, elegantiæ bonorum, & rerum omnium plenitudo, ibi vita imperturbabi-
53 lis, ibi Princeps ille Esten. Marchio immortalitate dignissimus, optimus super bonos, cui seruire regnare est, ipse enim superexcellentissimus piorum, pijssimus, præstantissimus; stabilis, & immutabilis semper agens, & semper quietus, colligens, & non egens; cum nil desit sibi, is securus; & non formidans, reddens debita, nulli debens, donans debita, nil perdens: is perfecto virtutum fulgore, videtur omnes mundi Principes superare, magnus namque es Domine, & laudabilis nimis, & magna virtus tua, & sapientiæ tuę non est numerus, tu solus es, cui Deus omnipotens latam gloriam reseruauit, tuæque serenitatis excellentia de gentibus in gentes, & de regnis ad populos conuolauit, & cum bonis, ac donis multiplicibus te beauit, ipse Deus super omnes bonum te felicem, felicissimum faciendo, largitus est tibi illum filium inclytum per secula celebrandum, Leonellum, summæ militiæ, ac religionis decus, virum catholicum, ac deuotum, ac illustrem, & nobilem profectò ætatis imparem, & cum pace aliorum dixerim, & fidei ardetiorem, quem saluare, & dies suos in pace custodire dignetur, ille, qui cũcta potest Dominus Sabaoth, vnde dicuntur profectò parentes, qui tam gloriosissimum, & inclytum Dominum genuerunt benedicatur patria, quæ te aluit. O felicia regna tua: omnes igitur exultemus verboque Virgilij in tanti Hercle magnificentissimi filij laudem proferamus. Quæ te tam læta tulerunt secula. Qui tanti talem genuere parentes: tu profectò mundi iubar, & decus; tu quippè solus es vitæ nostræ sapientissimus dux, & speculum fidei ortodoxæ, virtutum inda-
54 gator, expulsorque vitiorum. Tu orbem quasi nouiter peperisti, & dissipatos homines in societatem vitæ collocasti, & vndiq; populos lacessitos, tu reparator legum, tu morum magister, & disciplinæ fuisti, ad te omnes confugiunt, à te opem petunt, iuxta sententiam Ciceronis de Tusculanis quæstionib. lib.6. Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum. Iudith xv. Beati viri tui populi nostri, beati serui tui, qui assistunt coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. 3. Regum 10. c. proinde sapientiam eius narrent populi, & laudem eius pronunciet Ecclesia, Eccles. 44. Benedictus Dominus, qui hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua ab ore viuentium. Iudith.3. quis est hic, & laudemus eum, fecit enim mirabilia in vita sua. Eccl.31. profectò nusquam quisq; tam vni homini carus fuit, quantum his suis subditis, & cognoscentibus vniuersis, & vt eius retro gesta testantur, animus suus nunquam his angustijs, quas natura nobis ad iuuandum dedit contentus fuit, semper immortalitatis amore flagrauit, non habere vitam arbitratus, quæ corpore, & spiritu continetur, sed illam, inquam vitam quæ vigebat memoria seculorum, omniumque posteritas alet, quem ipsa æternitas semper intuebitur; vt Tullij ad Cæsarem in oratione pro Marcello vtar verbis; vt huic Principi glorioso dicere ipse possit, quod Cicero de laude Cæsaris testabatur, quis est enim ille, aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium, studio, aut innocentia, aut vllo laudis genere præstantior, nulla nempè scribendi, aut dicendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare res gestas suas possit, quis laudes tuas enumeret, profectò
55 nemo, hic Princeps magnificentissimus, de plenitudine enim sua omnes accipiunt, diuini clementis, eiusque magnificentiæ, & vestigia imitatus est, nihil qui vnquam liberale prætermisit. Quinimmò elapsa illa die, qua liberalitate non fungeretur, quasi cum

cum quodam lachrymabili mœrore solitum dicere narrat Eutropius, hodie diem perdidi, & vt breuiter ipse dicam de eo, eiusq; prosapia, per os psalmistę Dominus loquebatur; & discretissimus Dominus noster verissimè dicerę potuit, ipse posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea, inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum, manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie ipsius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam, & veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius, ipse inuocabit me pater meus es tu, & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ, in æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.

Postremò restat videre de robore, efficacia, importantia, & effectu capitulorum, sequens, in Constantien. & quoniam frequens in Basileen. Concilijs hactenus e ditorum, super quibus Basilien. synodus de transgressoribus multiplicibus contra Dominum nostrum facit omnimodum fundamentum, ea potissima ratione, quia sanctitas sua in adhæsione, quam fecit illi synodo Basil. decretum illius Capituli, quoniam frequens; per antea contra Romanum Pontificem dicitur confirmasse. Et quia
56 omnia ad id referuntur, vnde vim formã, & originem habent, ff. ad l. fal. in ratione, §. si filio, ver. vt omnes opes prioris, & causa secunda tantum operatur quantum à prima sibi influitur, & non vltra, de leg. 2. l. peto, §. prędium, idcircò vt prosequutio huius dubij clarior relinquatur, aduertendum est, & pleniùs considerandum, quod hæc duo capitula, & decreta edita in Constantien. & Basileen. Concilijs, facta fuerunt per dicta Concilia non præsidente Papa præsentialiter in altero prædictorum, licèt in Basileen. Concilio legatus, eius nomine præfuisset, quia inter hoc facio magnam differentiam, quia quando Papa personaliter præest Concilio, non posset decreta Concilij simul cum eo, & eius consensu, & auctoritate edita irritare, secus si præfuisset per legatum eius nomine deputatum, quia in hac legatione non veniret, vt posset consentire decretis fiendis, quibus confunderetur Papalis iurisdictio, & quod Papa Concilio obedire teneatur, captata causa, quia ea decreta respiciunt reformationem Eccl. in capite, vel in membris, quia in quocumque generali, & speciali mandato
57 semper intelligitur excepta persona loquentis, & vt auctoritas, & dignitas constituentis confundi, vel supprimi non possit per ipsum constitutum, vt latiùs infra dicetur, Et incipio ab ea parte, cap. frequens, in Constantien. Concilio decretati, vt nihil remaneat in hoc prato spinosum, C. de vet. iur. enuc. l. 1. §. hæc etiam, vt demus lectoribus lac in potum, de præbend. c. Deus qui, §. Apostoli, cuius verba hæc sunt. Ipsa synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, Ecclesiam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cuiuscumq; vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur, in his, quæ respiciunt ad fidem, & extirpationem prædicti schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris; item declarat, quod quicumque cuiuscumque status etiam si Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus huius sanctæ synodi, & cuiuslibet alterius legitimæ congregatæ, seu pertinentibus ad ea factis, & fiendis contumaciter obedire contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentię subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris subsidia recurrẽdo. Hoc idem aliquibus tamen additis, in vndecima sessione Basileens. Synodus declarauit, cuius
58 decreti verba hæc sunt. Quoniam generalium Conciliorum celebratio, tamquam agri Dominici præcipua cultura, vniuersalem statum Ecclesiæ concernit, ideò summa cum diligentia intendendum est, vt cunctis obstaculis, quæ tam salubrem institutionem impedire possent accuratè obuietur; inhærens ergo hæc Sancta synodus ordinationi Concilij Constantien. quæ incipit, frequens, cupiensque scandala, quæ proh dolor, diebus nostris contigerunt, futuris temporibus in perniciem Ecclesiæ repullulent; statuit, & decernit, vt Romanus Pontifex, qui primus in vinea Domini laborare, & alios suo exemplo ad laborandum trahere teneretur, per se, vel legatum de latere, aut legatos eligendum, vel eligendos de consilio, & assensu non anicula-ri duarum partium Cardinalium, in Concilijs generalibus debeat interesse, necnon omnes, & singulæ personæ Ecclesiasticæ, quæ de iure, vel consuetudine in generalibus Concilijs adesse debent. Deinceps ad ipsa generalia Concilia, cum vigore ipsius Constitutionis frequens, indicta, quam huius sacri Concilij Basileen. inducenda, aut alterius futuri legitimè congregati authoritate inducenda, sine alia vocatione venire personaliter astringentur, nisi legitimo detineantur impedimento, quo casu personas idoneas cum sufficienti mandato destinare teneantur, quod si ipse Romanus Pontifex, & aliæ prædictæ personæ hæc facere neglexerint, aut ipsum Concilium quo quo modo de facto impedire, mutare, prorogare, dissoluere operam dederint. & infra quatuor menses cum reali satisfactione non resipuerint. Et tunc Romanus Pontifex à Papali, & prædictæ personæ à suarum dignitatum administratione sint ipso iure suspensæ, quæ quidem Papalis administratio ad sacrum Concilium ipso iure deuoluatur. Quod si pœnas prędictas per duos menses post dictos quatuor menses animo sustinuerint indurato, contra Romanum Pontificem, ac personas prædictas vsque ad priuationem inclusiuè per Concilium generale procedatur.

Visis ergo tenoribus Decretorum supra-
[illegible] scriptorum, vt apponatur in omnibus quæ

nuperrimè reuocantur in dubium gladius
ad radicem, de pluribus est videndum. Et
primò, de robore, & effectu dictorum ca-
pitulorum, frequens, & quoniam frequens,
an, & quo casu habeant Papam ligare, &
59 an dictorum capitulorum decreta, absq;
specialissima approbatione Apostolica ip-
sum ligent, & debeant valida reputari. Pro
cuius dubij explanatione vlteriori præmit-
tenda sunt aliqua in materia Conciliorum,
quæ fortè non omnibus sunt nota. Et pri-
mò dico, quod ad esse Concilij est, quod sit
canonicè institutum, & canonicè congre-
gatum, & quod agenda sint de primis veri-
tatibus; 25. q. prima, c. quæ ad perpetuam,
& tunc dicitur legitimè celebratum, quan-
do fit de mandato Papæ Summi Pontificis
ipso interueniente, vel alio de eius speciali
mandato, iuxtà id, quod legitur; & no. in
§. porro, 3. dist. sexta synodus, circa prin.
& dist. cap. 1. & 2. & clariùs inter gesta
Symmachi, in lib. conciliorum, cap. 9. Item
sciendum, quod in Congregatione Conci-
liorum semper interfuerunt Imperatores
priscis temporibus, vt patet in cap. cano-
nes, 15. distinctio. vt enim ibi habetur sy-
nodus Constantino Augusto imperante
facta est. Secunda, sub Theodosio seniore.
Tertia, sub iuniori Theodosio. Quarta,
sub Martiano Principe; patet hoc etiam in
Concilio congregato ad mandatum Regis
Theodorici, vt iudicaret de his, quæ Papæ
Symmacho dicebantur impingi decimasep-
tima distinctione, §. hinc etiam.

Quinimmo innumerabilia inueniuntur,
antiquitus per Imperatores concilia con-
uocata, vt patet in transcursu tripartitæ
historiæ Martini a. Chronicæ, & in lib. con-
ciliorum, ad hęc 17. dist. cap. habeo librum
60 cum se, vsque ad fin. dist. Nec alia ratio-
ne Imperatores antiquitus concilia con-
gregabant, nisi quia Ecclesia tunc non
erat in potestate sua, sed aduersitates pa-
tiebatur, nec audebat congregare, vt pa-
tet in primo capitulo concilij Affricani
15. distinctio, capitulo primo, vnde sta-
tim cum Ecclesia potuit, hoc correxit, non
per principes, sed per se, concilia conuo-
cauit. Et aliquando per Imperatores prę-
cipiente Ecclesia, aliquando ipsa rogante,
& postea ipsa authorante, aliquando ipsa
ratificante, vt patet 17. distinctio per to-
tum, & maxime in §. hinc esset, & aliquan-
do consultu imperatoris, & præsentia, vt
in principio Chalcedonen. concilij. Sic &
Antiochenum congregatum fuit in gestis
Antioch. concilij capitulo primo, & ge-
stis: Siluestri Papæ, cap. ... cum si.

Rursus sciẽdum, super quo mecum aliàs
61 disputaui, an solùm Episcopi superiores,
an verò abbates, vel alij sint ad concilium
conuocandi, & videtur primo dicendum,
quod nõ solùm Episcopi interesse debeant,
& sint vocandi, per id quod habetur 18.
distinctio, capitulo 1. & 2. 15. dict. cap. 1.
16. dict. cap. 6. synodus, & cap. seq. 22.
quæst. 4. cap. sicut excellentia, ibi conci-
lium verò catholicorum Episcoporum ad-
moneri præcipuè &c. & cap. Guilisarius,
ibi, sed cum Episcopis, quos congregare
potuit &c. Secundò videtur, quod etiam
abbates sint vocandi, per id quod habe-
tur 63. dist. cap. adrianus, ibi, religiosis
Episcopis, & abbatibus &c. Tertiò vide-
tur, quod etiam sacerdos, per id, quod ha-
betur, 25. distinctione cap. 1. in vers. quar-
ta synodus 16. dist. cap. vlt. & §. hinc etiam
eadem, distin. Item etiam omnes prælati,
vt in cap. fin. de maior. & obed. item vi-
detur, quod etiam Imperator sit vocan-
dus, per id quod habetur in præallegato,
cap. Adrianus dict. cap. sexta synodus, &
21. dict. cap. nunc autem, & 3. quæst. 5.
mandastis. Quid dicemus videtur in hoc
articulo dicendum esse, quod solùm Epi-
scopi, & superiores necessario sint vocan-
di, vt not. Innoc. & Ioan. Andr. in cap.
gratiæ de præben. facit 18. distin. cap. Epi-
scopus non debet, & cap. propter & cap.
non oportet, cum capitulis sequentibus, &
quod habetur, quasi per totam illam dist.
Nec obstant iura superiùs allegata, quia
62 fateor, quod in potestate Papę congregan-
tis concilium est congregare etiam abba-
tes & alios prædictos, si vult, per iura
prædicta, sed non est necessitas, si non vult,
per iura primò allegata, & per id quod
superiùs, dixi, posset, etiam dici quod
quamuis iura illa dicant de sacerdotibus,
intelliguntur de Episcopis arg. cap. 1. de
pecu. cle. & sic exponit glos. in cap. vltim.
17. dist. item certum est, quod hodie non
tenetur necessariò vocare principes, vel
Imperatorem, per dictum, §. hinc etiam
17. dist. & per illud quod legitur & not.
24. distin. §. verum potest tamen si vult, &
videat expediens esse ad scandala vitanda
per iura superiùs allegata, & 63. distin.
§. verum principibus, & cap seq.

Occurrit vlterius excitandum, an Papa
teneatur necessariò omnes Episcopos or-
bis, & superiores conuocare, intelligen-
do de catholicis, per id, quod habetur in
cap. cum quibus 24. qu. 3. Et per id, quod
superiùs dixi, quod sic per id, quod habe-
tur, cap. 16. dist. 1. circa principium, ibi
sub hæc etiam sancti Patres in concilio Ni-
cæno de omni orbe terrarum conuenientes
&c. & quia in concilio prouinciali omnes
Episcopi prouinciæ sunt vocandi, vt pro-
63 batur in cap. 1. & cap. prop. il primo, &
secundo 18. dist. & quasi per totam distin-
ctio facit decret. sicut olim, de acensatio,
ergo eodem modo in concilio generali
omnes Episcopi orbis catholici, sunt vo-
candi, quia ipse Papa dicitur Archiepi-
scopus orbis 21. dist. in fin. & prouincia
eius dicitur vniuersitas orbis, de decimis,
cap. tua nos. Et hoc satis videtur iustum,
præsertim vbi agitur de maximo præiudi-
cio, & de re ardua, facit quod legitur &
not. 19. dist. cap. Anastasius, & 21. distn.
cap. nunc autem, & 17. dist. in summa,
hoc etiam satis videtur de mente glos. in
cap. sicut 15. dist. in verbo, præsumunt,
dum dixit quod orbis maior est vrbe, in-
telligit enim per orbem Episcopos orbis, vt
patere potest rectè intuenti, ad idem quod
notatur 9. qu. 3. nemo. Quid dicendum,
dubito, malo enim sic loqui, quàm alte-
rum inconsultè, & temerariè affirmare,
6. qu. 1. cap. quæro in fin. Nam inuenio
con-

concilia generalia in dispari numero dudum facta & celebrata, vt patet 15. distin. cap. 1. vbi patet quod quandoque in numero 318. Episcoporum, quandoque in numero 150. quandoque in numero 200. quandoque in numero 250. facit 16. distin. cap. 6. synodus, & sic videtur quod non necessariò omnes Episcopi orbis sint vocandi, posset fortè dici, quod fuerunt omnes conuocati, tamen non omnes interfuerunt, vel quia non fuerunt catholici, quos necesse non est vocari, vel non potuerunt venire impediti art. 18. distin. cap. non oportet, & cap. quoniam quidem, & c. Episcopus ad synodum.

64 Satis videtur, quod vbi non agitur de fide, nec de facto Papæ, posset numerus relinqui arbitrio Summi Pontificis, nam concilium generale videtur illud, quod Papæ mandato congregatur, ipso interessente, vel alio eius nomine, de eius speciali mandato, iuxta id quod legitur, & notatur in §. porrò 3. dist. cap. 6. synodus, circa principium, & 16. dist. cap. 1. & 2. in summa. Nec curandum videtur de diminuto numero prælatorum, per illud verbum Christi discipulis suis dictum, vbi duo, vel tres in nomine meo fuerint congregati, ego in medio sum 1. qu. 1. c. cum scriptura 34. quæstio 1. cap. alienus. Ostendendo non multitudini deprecantium non plurimum tribui, si duo inquit ex vobis conuenerint in terra &c. Dominus enim de Ecclesia sua loquitur ad hos, qui sunt in in Ecclesia, vt si ipsi concordes fuerint secundùm quod mandauit, aut monuit, duo aut tres collecti vnanimiter orauerint, licèt duo, aut tres sint, impetrare possunt à Dei maiestate quod postulant, vbicumque duo, aut tres collecti in nomine meo, ego inquit cum eis sum, cum simplicibus atque paratis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta seruantibus, cum his licèt duobus, vel tribus esse se dixit, quomodo cum tribus pueris in camino ignis fuit, & quia in Deum simplices, atque inter se vnanimes permanebant, flammis ambientibus medio spiritu roris animauit. Quomodo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, & quia vnanimes erant ipse affuit, quàm ergo in præceptis suis ponit, & dicit, vbi fuerint duo, vel tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum.

65 Non homines ab Ecclesia diuidit, qui instituit, fecit Ecclesiam, sed exprobrans discordiam pacem suam voce commendans plus impetrari posse paucorum concordi prece, quàm discordiosa oratione multorum; verba fuerunt ad literam beati Cypriani ad Nouatianum epistola octaua. De iure autem quod Episcopi faciant concilium habetur 15. quæst. 7. cap. 1. & de elect. cap. 1. de post prælat. cap. 2. Item quo tempore concilia inceperunt, dic quod tempore Melchisedech 13. quæst. 1. cap. placuit per Archidiac. item quanto tempore debeat stare concilium, & in loco morari, habetur 18. distin. cap. propter Ecclesiasticas, illud prætermittendum non est, quod si omnes Episcopi, vocati non veniant, malè faciunt, & peccant, si iusto impedimento cessante nõ veniunt 18. dist. cap. non oportet, & cap. Episcopus ad synodum, & cap. placuit, & cap. si quis au-

66 tem cum duo capitulis se. Quinimò pœnam excommunicationis incurrunt 11. qu. 3. cap. incertum, & si adsit impedimentum mittere tenentur excusatorem aliquem, vt dict. cap. Episcopus non debet, cap. placuit, videtur tamen, quod concilium resideat penès vocatos, & venientes, arg. eius quod habetur 22. qu. 4. cap. Guilisarius ibi, cum Episcopis, quos potui, & cap. & eius quod legitur, & not. in fin. de elect. cap. quia propter & eod. titul. cap. cum nobis olim de princip. ibi, quia ad electionem faciendam accedere noluerunt, & cap. facit quod habetur in præalleg. cap. Episcopus ad synodum cum seq.

Sanè, & si plus impetrari possit à Domino paucorum concordi prece, quàm discordi oratione multorum auctoritas verborum Domini attestatur, si duo, vel tres congregati fuerint, vt dixi in superioribus, tamen quando de fide agitur, &

67 schismatibus extirpandis, quia causa est communis omnibus Christi deuotis, & omnes tangit, ab omnibus Episcopis orbis catholicis tractari, & determinari deberet, & ipsos debere ad concilium conuocari, quia quod omnes tangit &c. 55. dist. capit. 1. de his quæ fiunt à maior. par. caus. cap. vltimo residebit tamen concilium penès vocatos venientes, vt dixi, saltem si intersunt duæ partes omnium Episcoporum, & superiorum orbis, per id quod legitur, & not. in cap. 1. de his quæ fiunt à maior. par. cap. per Ioan. annot. ff. quod cuiusque vni. not. l. nulli, l. planè, & per Inno. in cap. cum nobis olim in gloss. magna in cap. fin. de elect. vel fortè videtur sufficere si maior pars intersit per not. per Compo. in decret. cap. quia propter, in verbo, vt maior de elect. & ar. ff. ad muni. l. quod maior. & eius quod not. gloss. in cap. fin. de maio. & obed. in gl. ar. quod præsentes, vers. idem credo, vel forte videretur sufficere si intersint de Episcopi, per id quod legitur, & nota 15. dist. cap. 1. vers. sancta Synodus in hoc articulo quæstionis, aliter non, si ergo fides, sed dico simpliciter cogitandum esse aliorum determinationi peiori me submittens, & velut agnus coram tondente non aperiam os meum, de pœnitentia dist. 2. cap. si est inquit ad fin. cum paratus sim

68 etiam ab anniculo edoceri. 24. qu. 1. cap. 1.

Redeo igitur ad thema nostræ præpositæ quæstionis, ne parenthesim faciam longiorem, & videtur probabiliter posse dici, Sanctissimum Dominum nostrum potuisse licitè impediri, & contra eum procedi per dicta Basileen. synodi pro transgressionibus seriosiùs recitatis in factis monitorijs, & citationibus contra eum, & dissolutionem illius concilij subsecutam, & illius translationem factam per eumdem Dominum nostrum ad Ferrariæ ciuitatem, tum quia in respicientibus reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris, ipse Apostolicus concilio obedire tenetur, & sicut transgressor decretorum editorum per illam



sam synodum generalem, cum non resipuerit infra terminum assignatum, puniri poterit per illud concilium, etiam per alia iuris remedia recurrendo, est enim notum satis quod trangressor canonum, si hoc fecerit in contemptum, & illorum obseruantiam postergauerit, quia sic sibi placuerit, est meritò deponendus, vbi autem illa decreta,& canones transgressus esset credens, sacra illa Concilia Constantien. & Basileen. vniuersalem Ecclesiam representantia non habere potestatem, illa decreta, & canones,quæ fecerunt, condendi, vt hæreticus est plectendus, vt plenè leguntur, & probantur de elect. cap. generali, lib. 6. in gloss. contra faciens, cum remissionibus ibi positis, & 4. dist. §. fin. 19. dist. nulli fas, facit quod not. de treu. & pa. in prin.

69 Et fortiùs punitur trausgressor promissionis iuratæ, 24. qu. 1. non afferamus,de iureiur. cap. debitores, tum etiam quia non licuit Papæ concilium dissoluere, vel mutare, & ad alium locum transferre, citra pœnas, de quibus, in cap. quàm frequens, vbi de suspensione à Pontificali administratione ad concilium de, voluenda, & de priuatione specificè continetur, casus est in terminis in cap. frequens, & capitulo quoniam frequens, superiùs allegatis, in quibus hæc omnia sunt clarissimè definita, quorum capitulorum dispositioni, & obligatur, & obedire tenetur, ac etiam in spectantibus in generalem reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris, vt in dictis capitulis est expresum, quæ decreta, & capitula in adhęsione, quàm fecit Basileen. concilio ipse Apostolicus,nedum confirmasse, sed fecisse videtur arg. l.1. C. de vete. iur. enn. vbi

70 qui auctoritatem rei accommodat ipsam rem fecisse videtur, & videtur expressum, 17.dist. §. hinc etiam,facit de princ. cap. antiqua roborantur, enim auctoritate Papæ huiusmodi per antea statuta concilij, ex quo concilio inhæsit, & per consequens approbauit, 17. dist. cap. concilia, quia approbando concilium non potest amodo gesta in concilio improbare,vt in Regula, quod semel, lib. 7. & 4. qu. 3. cap. fin. & ibi not.Arch. de elect.cap. cum vintonien. & quod not. Inno. de exce. cap. ven. facit 8. quæst. 2. cap. dilectissimi, per Arch. 20. qu. 3. cap. procliuis, ff. de aqua plu. arcen l. in omnem, quorum lega. l. prima, §. prodest. C. de ac & obed. l. sicut. Sic non possum reprobare mores, quos primò approbaui de filijs presbyt.cap. veniens,5. qu. 5. cap. horrendus, & Papa approbando concilium, & ei inhærendo, totum, quod in eo factum erat, ac etiam faciendum approbasse videtur, text. sing. ff. de manumis. l. Caius, facit si cer. pe. l. cum fundus, §. seruum tuum imprudens ff. de pac. l. sin autem, & gl. singu. C. de pac.l.3.

71 gloss. fin. in fin. confirmatio,namque concilij, & inhæsio illi facta per Papam operatur vt gesta, & gerenda in concilio valeant,quæ aliàs essent nulla, 16. qu. 1. cap. placuit, pro hoc quod scribit, Bal. in l. adoptio non iure facta, ff. de adop. & in l. illam C. de testamen. & C. de rerum permu. l. ex placito, item confirmatio operatur, vt non possit de cætero actus in dubium reuocari, iuxta not. in l. chirographis, ff. de admi. tuto, & in cap. fin. de fi. instru. Et confirmando concilium, & ei inhærendo videtur in illud transferre omnem plenitudinem potestatis, & ipse per illud cōcilium decreta facere dicetur, quia dare videtur, quia confirmat. iuxta not. per Bal.ff.de iurisd.omn. iudi. l. more, & ibi dicitur, quod confirmatio trahitur retro. Et idem dixit in l. ius ciuile, ff. de instit.& iu.l. de quibus, ff. de legir. & in d. l. ex placito. C. de rerum permu. Item quando Papa confirmatur defectum supplet, ex certa scientia faciendo Inno. de religio. do. cap. constitutus de transac. cap. veniens in gloss. 1. de confirm. vti, cap.1.de præben. cap. Apostolicæ, lib. 6. super verbo noscatur in glos. maximè quando in forma priuilegij talis confirmatio facta

72 esset, vt dictis iuribus. Quinimò concilium authoritate Apostolica confirmatum habet statim authoritatem, & potestatem administrandi spiritualia pleno iure, secundum Hosti. & Inno. in cap. ex transmissa de elect.

Amplius concilia dederunt primatum Ecclesiæ, 18. quæst.2. c.dudum 17. dist.§. hinc de elect.cap. significasti, & per ipsum concilium, vniuersalis, representarur Ecclesia, quæ nil aliud est, quàm congregatio fidelium de conse.distinct.1. capit. Ecclesia, & cum ipsa errare non possit, vt dicit Augustin.super illo verbo, Ego oraui pro te Petre, vt non deficiar fides tua, vt num.24.q.1.cap.à recta.15.dis. notandum decretis huiusmodi conciliorum est firmitèr inherendum. Nam quæcumque synodus sancta statuit, & decreuit, nullis opinionibus, contrarijs, seu retractationibus, sunt subiecta, sed simpliciter sunt seruanda, , vt sanctissimorum Imperatorum Valentiniani, & Martiani sanxit authoritas, super confirmatione Concilij Chalcedon. 63.dist. cap. Valentinianus, & in dubijs est semper ad vniuersalem Ecclesiam recurrendum 11.dist.cap.palam, quæ esse dicitur vbicumque sunt boni 21.dist. cap.quàuis, licèt in ea sint minus idonei, 23.dist. cap.1.& per Archiep.de elect.cap.vbi periculum, §.cœterum in vers. idoneæ lib. 6.

73 Integrum est enim iudicium quod plurimorum sententijs probatur, dixit tex.in cap.prudentia de offic. deleg. & per ampliores homines perfecta veritas reuelatur, dixit tex.C.de fideius.l.fin.ad fin.16.distin. cap.extra conscientiam, concilium enim vniuersalem Ecclesiam representans est illa sedes,quæ non habet maculam,neque rugam 21.dis. cap. quamuis, & speculum omnibus esse debet, quæ tanquam magistra in omnibus esse debet, quæ tanquam magistra in omnibus est sequenda 40. dist. cap.si quis, in fin.12.dist.1.& 2.22. distin. c.omnes, conciliorum namque potestas ex quacumque terrena sententia, non consistit, sed ex illo verbo quo cœli, & terra firmati sunt 22.distin.cap.1.& qui ei derogando in contrarium loquitur, hæreticus reputatur 22.dist.cap. omnis habet enim ple-

plenitudinem potestatis 3.dist.cap.nullum, & valet, omnes iudicare,& de ipsa vniuersali Ecclesia nemini est permissum 9.quæst. u.cap.Episcopo §.sola 17.q.4.cum nemini & sic super statutis, & conciliorum decretis, non licet alicui in contrarium disputare, argumen.ad hoc ff.de iur. om. iudic. l. si quis id quod vers.quod si dum proponi-
74 tur, & est ratio, quia vniuersalis Ecclesia semper cum maturitate agit.can.distin. c.communis, vnde quæ non docet sequenda, sequi non cogitur, de consen.dist. 1. basilicas 3.distin. cap.nosce. Nec vlli retractationi subijcitur, quod semel sancta synodus iudicauit. 24. q. 1. cap. maiores nostri in rubro, & sic videtur probabilitèr concludendum Apostolicum obligatum esse ad obseruantiam dictorum decretorum in concilijs Constantien.& Basilien.editorum, & vt transgressor puniri posse pœnis. in eisdem specificè declaratis, cum & eadem decreta decernant ipsum, obedire debere concilio, tam in his, quæ causam fidei respiciunt, quàm in tangentibus ad reformationem vniuersalis Ecclesiæ in capite, & in membris, & sicut transgressor decretorum editorum pœnis subiacet, de quibus in eisdem continetur capitulis, & decretis, quibus etiam iustitia canonis, suadente, erat per ipsum etiam obediendum, per tex.ad hoc notabilem 10. dist. c. certum vbi tex.ad literam sic dicit.Certum est hoc rebus vestris esse salutare, vt cum de causa Dei agitur, iuxta ipsius Dei constitutionem regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & sacrosancta per eorum præsules potiùs discere,quàm docere ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda iura præfigere, neque in eius sanctionibus velle dominari, cuius Deus voluit clementiæ, tuæ piæ deuotionis colla submittere, ne, dum mensura cęlestis dispensationis exceditur, eatur in contume-
75 liam disponentis, sic & imperator non intendit de rebus spiritualibus, quæ decorem Ecclesiæ respiciant aliquid differere, in epistola inter claras de sum. tri.96. dist. cap.cum ad verum & in cap. Ecclesia sicut modo de const.

Nec videtur posse Apostolicum, ex quo inhæsit concilio, & per consequens decreta illa per prius edita confirmauit, posse contra dispositionem dictorum decretorum modo aliquo attentare, tam in non volendo seruare, constitutiones, & canones in eodem concilio promulgatos, respicientes reformationem Ecclesiæ in capite, & membris, quàm etiam in definitione illius concilij facta, & ad alium locum translatione sequuta, quia vt dixi, inhærendo concilio, decreta eiusdem maximè per antea edita ante adhæsionem factam confirmasse videtur, & se subiecisse mandatis illius concilij, quibus ex tenore decretorum perfectorum Apostolicus obedire tenetur tam in respicientibus reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris, est enim notum satis,quod Papa potest se subijcere iudicio aliorum, vt patet 2. quæst. 7. cap. nos si in competenter, in tex. & gloss.63. dist. cap.in synodo 40.distinct.cap.si Papa, in glos. nona quæst. 3. nemo in text.& glos. Sed præmissis nequaquam obsistentibus, teneo, & pro veritate assero, sanctissimum dominum nostrum pro transgressionibus eidem impositis, nec etiam pro dissolutione illius Basileen.concilij impetiri, & puniri posse, pœnis in ipsis decretis latiùs comprehensis. Et pro huius dubij decisione clariori aduerten-
76 dum, & præmittendum est, quod Papa Concilio dicitur esse maior.15. dist. cap. sicut 24.quæst.1.cap.quodcumque statuta enim conciliorum interpretatur, & tollit. 15. dist.cap.sicut 17. d.cap.nec licuit, de elect.cap.statutum eod.lib.& in cler.ne Romani §.sanè, de elect. & cap. constitutionem, & cap.statutum de sen.excom.

Nec mirum, quia concilia corrigit, & mutat, vt d.cap.statutum, & per doc.de elect.cap.significasti vbi dicit Ioann.super ver.robur,quod Papæ sententiæ standum est,si contradicat Ecclesiæ, vel Concilio. 5. dist.cap.in istis 15. dist. cap. sicut in fin. 19. dist.cap.part.9.quæst.3.cap.nemo, & ibi etiam dicit Ioann. Andr. quod solus Papa sine concilio, vel eius parte potest interpretari statuta concilij ad idem 17. dist.cap.nec licuit, nec mirum, quia vt dict.cap.statutum de rescrip.ipse enim solus habet plenitudinem potestatis 9. dist. cap.2.2.q.7.cap. qui se scit de auctoritate, & vsu pallij cap.ad honorem 2.quæst.7. c.
77 decreto & cap. qui se scit, nec licet de Papa alicui disputare, vel ab eo appellare 17.quæst.4. c.si quis 9.q.3.c.cuncta, nec de Sedis Apostolicæ iudicio alicui iudicare permissum est, aut illis sententiam retractare, propter Romanæ Ecclesiæ primatum à Christo beato Petro diuinitus collatum. tex. 17.quæst.4.cap.nemini,& cum Papæ auctoritate, conciliorum statuta roborentur 17. dist. cap. concilia potest illa resoluere, & absoluere quod concilium malè damnauit 9.quæst.3. cap. cuncta per mundum el.1. vbi dicit litera, sed nec illa prætermittimus, quod Apostolica sedes sine vlla synodo precedente,absoluere,quos synodus iniqua damnauit, & damnare nulla existente synodo quos oportuit habuerit facultatem. Et hęc non mirum pro suo principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce tenuit semper, & retinebit, qui canon editus fuit in concilio Gelasij Papæ Quatti capitulis sequentibus. Est enim super omne concilium, & super omne statutum, vt dict.c. significasti de elect.& ipse est qui superiorem non habet eodem tit.cap.licet Idem
78 facta Papæ excusantur, etiam si videantur iniusta. 21.dist.cap.1. Et licèt Papa faciat, quod nobis videatur iniustum, nihilominus est iustum 22 q.4. cap.de thirijs Papa præterea concilia congregat, & congregata, disiungit, disiuncta congregat. 25. quæst.2. si ergo ipse enim solus potest de nihilo aliquid facere, & de aliquo aliud ar.de conse.dist.2. cap.re vera art.C.de rei vxor.act.l.vna, circa princ.num.glos. de transact.cap.veniens, aliorum præterea causas Deus hominibus tractandas commisit,

misit, Papam vero suo iudicio reseruauit
text.9.quæst. v. cap.aliorum 79. distinct.c.
eiectionem 21. dist.c.in tantum..

Amplius dicit tex.quod nemo iudicabit
primam sedem, neque ab Augusto, neque
ab omni clero, nec à regibus, neque à po-
pulo iudicabitur 9. quæst.3. cap. nemo, &
gl.ibi dicit quod Concilium Papa iudicare
non potest, & si totus mundus sentiret in
aliquo contra Papam, Papæ sententiæ est
standum elect. cap. significasti, & 24.
quæst.1. cap. hæc est fides. Nec dicat quis
quod concilium sit iudex in causa Papæ, vt
n.2.quæst.7. §.item Symmachus sub §. itē
balaam. & 17. dist.§. hinc etiam, ver. ad
hæc serenissimus 40.dist.cap.si Papa. de re
iudic.cap.2. lib.6. in verbo concilium, &
per Ioann.Andr. post Arch.in cap. in fidei
fauorem de hæred. lib.6.in nouella, quia
illud verum eo casu, quo priuata persona
79 est, statim enim quod ipse in hæresim inci-
dit est omni dignitate exutus, & concilium
est iudex competens eo casu 17.dist.§.hinc
etiam ver.ad hæc 2.q.7.c.Symmachus, aliàs
est sub §. item si balaam, in fin. quia orbis
maior est vrbe 15.dist.cap. sicut & cap.ne-
mo 11.q.4.quod dicit quod nemo iudica-
bit primam sedem, intelligit de Papa
catholico, & fideli, & hoc habet pro in-
dubitato de Papa viuente, sed si Papa de-
functus de heresi accusatur, successor eius
est iudex competens, nec expedit conci-
lium conuocari, vt patet ex his, quæ num.
24. quæst. 1. cap. 1. An autem de hæresi
possit post mortem quis perpetuò accusa-
ri, refert Ioann.Andr. post modo in cap.
2.de præscrip.lib.6.& not. de hæreticis cap.
accusatus §.in eos lib.6.plus dicit Ioann.
Andr.in dict.cap.in fidei fauorem, quos-
dam tenere, quod quamuis in concilio
probetur contra Papam, damnabitur per
concilium, sed ipse damnabit seipsum
21. dist. §. nunc autem; sed Archidiaco-
nus quem ipse sequitur tenet contra-
rium, quod concilium damnare poterit,
per dict.cap. si Papa 41.dist. ad fi. & habet
hoc vt dixi pro indubitato de Papa viuen-
80 te, quia sicut veritas ipsius est salus ho-
minum, sic & prauitas ipsius cedit in da-
mnationem innumerabilium personarum,
vt dict.cap.si Papa existente, ergo Papa ca-
tholico ipse solus habet plenitudinem po-
testatis 11.dist.cap.2.cum ipse solus sit Dei
Vicarius Matth. 16. de re iudic. cap. ad
Apostolicæ lib.6. Et ex præmissis sit liqui-
dò compertum, concilium Basilien. non
habere iurisdictionem, & potestatem con-
tra Papam, & ipsius monitoria non offi-
cere eidem in sui Apostolatus iudicio, in
aliqua sui parte.

Non habent præmissæ decisioni obsiste-
re dicta decreta Constantien. & Basilien.
conciliorum, quod in respicientibus re-
formationem generalem vniuersalis Eccle-
siæ, & causam fidei, Papa debeat obedire,
mandatis concilij, & quia transgressiones
plurimas fecisse dicatur circa obseruan-
tiam decretorum iuristarum, per illam sy-
nodum, quæ reformationem Ecclesiæ tan-
gere videntur in capite, & in membris, &
sicut transgressor canonum, & decretorum
prædictorum, in contemptum dicti conci-
lij veniat deponendus, per no. in cap.ge-
nerali in glos.contrafaciens lib.6.cum con-
cordanti, superius in hoc discursu ple-
nius allegatis, quia certe omnia iura lo-
81 quentia de pœna transgressoribus cano-
num infligenda, loquuntur in inferioribus,
non autem in Papa, qui licèt peccet cano-
nes transgrediendo, nisi fidem recipiant
ex quibus possit hæreticus reputari, tamen
non deponitur, & sic debet intelligi, quod
no.in dict. cap.generali, & 4. dist. cap.vlt.
Plus videtur quod licèt Papa non faciat
ex contemptu, tamen transgrediens cano-
nes præcepti, qui reformationem Ecclesiæ
respicerent in capite, & in membris, di-
ceretur peccare, & sic potest intelligi quod
habetur in cap.2.de maior.& obed.& quod
nota 11.dist.cap.quis, autem & quod no.
Archi.81. dist. cap. quicumque, & quod
tangitur in §.vlti.26.dist.inquantum sentit,
quod veniens contra canonem præcepti
peccat, licèt non faciat in contemptum fa-
cit etiam quod legitur, & not.per glos.Io.
And. & Io.Cal.in c.1.de treu.& pace.

Sed aduerte, quia hoc esset verum, quan-
do illi canones emanassent à superiore, qui
haberet potestatem, secus si à Concilio,
82 quod imponere legem Papę non potest, vt
est expressum 17. dicto §. hinc etiam, si
enim Concilium habeat potestatem imme-
diatè à Christo, vt Conciliorum Constan-
tien.& Basileen. sanxit auctoritas, hoc ta-
men puto, salua determinatione Romanæ
Ecclesiæ, & Domini Nostri Papæ, cui me
subijcio, verum esse, nisi quando Aposto-
lica Sedes vacaret, sicut fuit tempore Con-
stantien. Concilij, in quo fuerat Papa de-
positus, quia tunc caput Concilij est Chri-
stus Redemptor noster, qui est caput cor-
poris Ecclesiæ, ad Colloss. 1. sed Papa
Catholico in Ecclesia præsidente ipse, &
nullus alius dicitur esse caput Ecclesiæ,
quem dedit Deus super omnem Ecclesiam,
Ephe. cap.1. 1.quæst.cap. cum Paulus 24.
quæst.1. cap. loquitur, pro hoc quod not.
glos.in cap.1. de schismat. lib.6.Papa ergo
viuente, & existente Catholico, concilia
videntur habere potestatem ab ipso Papa
mediatam, & solus Papa habet immedia-
tam à Christo, quia Papæ authoritate con-
ciliorum statuta roborantur 17.distinctio-
ne, cap. concilia, sed Papa solus habuit
potestatem immediatam à Deo, & non à
Concilijs 21. d.cap. quamuis 24.dist. cap.
omnes, licèt secundario habuerit à con-
cilijs, vt dicit gloss.17. d. §. hinc etiam.
Amplius & si concilia dedissent primatum
Ecclesiæ Romanæ iuxta not. 3. quæst. 6.
cap. dudum, & d. §. hinc etiam, de cler.
cap. significasti, ergo non possent illum
primatum resoluere, vel aliter limitare, &
modificare, quia quod semel placuit, de
reg. iur. lib.6. & in reg. mutare, & in reg.
decet lib. 6. Papa namque Orb. Archiepi-
scopus, appellatur 21. dict. in fin. & pro-
uincia eius dicitur vniuersitas orbis, de
83 decimis cap. tua nos, item dicitur ca-
put, & Episcopus orbis, 9. quæst.4. cap.
cuncta, & ipse solus est Dei Vicarius, Matth.
16. de re iud. cap. ad Apostolicæ, lib.6.

Quid

83 Quid plura, etsi concilia Constantien. & Basileen. habeant potestatem immediatè, & fortiùs ipse Papa, qui Dei viui vices gerit in terris, vt Ecclesia. benefic. cap.1. vers. porrò de translatio. cap. quanto, cui & Deus terreni simul, & cælestis iura commisit imperij 22. dist. cap.1. is enim Apostolicus ab ipso Domino Saluatore nostro obtinuit principatum, dixit tex. 22. dist. cap. sacrosancta, & patet ex verbo illo per Dominum dicto Petro, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt dicitur in d. cap. sacrosan. 22. quæst.1. cap. rogamus, bonus tex. 21. dist. cap. in nouo, sibi nomen in Persona Petri Dominus ligandi, & soluendi tradidit potestatem, ea causa, & seq. cap. quodcumque ligaueris, & sic videtur Papam Conciliorum decretis, & legibus non astringi, quia vt dixi à Christo, & Papa & Concilium habent potestatem, vndè ipsius Papæ potestas, decretis conciliorum supprimi,
84 non potuit, vel confundi, quia par in parem non habet imperium, l. nam magistratus, ff. de iniur. 6. quæst.4. cap.1. de elect. c. innotuit, licèt in veritate, vt dixi Conciliũ non possit imponere legem Papæ, vt patet in §. hinc etiam 17. dist. & Papa est maior Concilio, & Conciliorum statuta corrigit, & immutat, & firmat, Ioann. Andr. in cap. significasti, de elect. & latius, supra dixi, ideò statutis in Concilio, ad eorum obseruantiam non ligatur, quia ipse super omnia statuta Conciliorum, & illa corrigit, & immutat, secundùm Ioann. And. in dicto cap. significasti, & latiùs supra dixi. Ideò veriùs est dicendum, Papam non peccare, si illorum Conciliorum canones noluerit obseruare, quia ipsius sententiæ standum est, etiam si contradicat Ecclesiæ, vel Concilio secundùm Io. And. in d.c. significasti, super verbo. robur. & patet in c. statutum de rescrip. nec superiorem habet in terra, vt in c. licet, de elect. & eius facta excusantur etiam si videãtur iniusta 40. d.c.1. & latiùs est superioribus replicatum.

Et ex his patet responsio ad cap. quoniam frequens, super quo synodus Basileen. fundauit ruinosum palatium in arena, quia certè; & si tenor illius, cap. inhibeat concilij dissolutionem, & ad alium locum translationem per Apostolicum faciendam, & pœnas imponat vsque ad priuationem ipsius, dico ipsum Apostolicum ex decreto huiusmodi non ligari, quò minus possit, maximè ex legitima causa illud dissoluere, transferre ad alium locum, tùm
85 quia nullis conciliorum decretis, seù legibus Apostolicus est subiectus, vt patet 19. d. §. hinc etiam, & firmat explicitè Io. And. in d. cap. significasti, sæpiùs allegato, vbi concludit, quod Papa est supra Concilium, & tenet Bal. in l. rescripta, C. de preci. Impera. off. Vndè si est supra Concilium, ergo illud destituere potest pro placito voluntatis, maximè legitima, & necessaria causa suadente, vt infra dicetur. Nam quod Principi placuit legis habet vigorem, ff. de const. prin. l. 1. in vers. princeps, ibi, solemnitas omnis, C. de testa. l. omnium, & vbi ipse est, non dicitur quicquam dolo, vel machinatione sinistra factum esse, vt l. probatorias, C. de diuer. rescrip. lib.12. ergo vt superior potuit claro iure Concilium dissoluere, quia superior dignoscitur omnis, qui instituendi ius habet, in auth. de defen. ciui. §. interim, & no. Bal. in proœm. ff. habet enim Papa, vt ibi refert Bal. claues Dei, & mundi claritatem, ideò nimirum si est maior Concilio secundùm eum. Item in Papa est summa potestas nullis circumscripta limitibus, secundùm eum, & subdit quod habet plenitudinem potestatis, & est totum continens, auctoritate, potestate, & ordinatione, & dicitur Princeps Ecclesiæ, & primum locum tenens, de elect. cap. cupientes, & alios regit, & à nemine regitur, consilio tamen prudentium se regit, & gubernat, C. de leg. l. humanum, & directè possidet iurisdictionem in singulis generum, secundùm eum ibidem. Item Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesijs 19. dist. c. quamuis, & canon dicit 19. dist. cap. nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis decreta, plus dicit idem Bal. in d. l. rescripta, de preci. impe. offe. vbi ponit de potestate Papæ, de qua per Inn. in cap. quod super, de voto, quod cùm Papa teneat locum Principis Apostolorum 12. quæst.2. cap. videmus, quod maior est Papæ auctoritas, quàm sanctorum 20. dist. cap. de libellis, & cap. 1. quod ipse Papa
86 confirmat nemo infirmat 10. di. cap. fin. & nedum quod possit concilium resoluere, & illud diuidere, & ad alium locum transferre, sed diuidit duces mundi 10. d. cap. lege, & obseruandæ sunt leges Dei 10. d. c. palam. Item papali approbationi est standum 19. distin. cap. si Romanorum, & vbi Papa, ibi vniuersalis Synodus 10. dist. cap. Anastasius 98. dist. cap. nec licuit, & profectò pro Papa præsumitur 40. dist. non vos, ipse est Vicarius Iesu Christi 79. dist. cap. si quis, & habet à Deo plenitudinem potestatis 82. distin. cap. proposuisti, tamen etiam, quia Papa non potuisset se subijcere iudici alieno, vt possit eum deponere, licèt possit se submittere reprehensionibus aliorum, 9. quæst.6. cap. nos si incompetenter, per glos. & per Archi. no. Ioan. And. de conse. cap. ad nostram, & patet explicitè 21. distin. cap. nec autem, vbi tex. ad hoc valde no. & sic debet intelligi quod not. glos. 91. dist. cap. si Papa in glos. & 9. quæst.3. cap. nemo, & fuit de mente, Bal.
87 in l. est receptum, de iur. om. iud. vbi dicit, quod Papa non potest se subijcere inferiori, nisi in foro pœnitentiæ allegat qui filij sint legi. cap. per vene. §. quod no. & l. bene à Zenone de quadr. præscrip. & est ratio secundùm eum, quia potest in propria causa ius dicere, & submittendo se, facit non solùm cõtra suam iurisdictionem, sed in derogationem suæ iurisdictionis, quod non potest facere ar. ff. de arb. l. sed si in seruum, §. si quis iudex, secundùm Odof.

Fortificatur hæc decisio ratione, quia
88 dignitas Papalis est à Deo instituta, vndè per ipsum etiammet Papam supprimi non posset. 21. dist. cap. in nouo, & sic mutata esset, & mutaretur forma, quæ est, vt Ecclesia per vnum regatur. facit l. 2.

§.nouissimè de orig. iur. non enim posset
Papa abdicare à se potestatem Papalem
contra officij sui debitum, minuẽdo hono-
rem Papalis maiestatis, & se mandatis su-
bijcere Concilij obsequentem arg. in aut.
de hære. & fal. §. 1. tùm etiam, quia decre-
tum frequens, & decretum quoniam fre-
quens, non valent, nisi fuissent specificè
per Apostolicum confirmata, & speciali de-
creto approbata, text. 19. dist. cap. si Ro-
manorum, ibi dum dicit tex. itaut quod
verè Sedes Apostol. probauit hodie tenea-
tur probatum, & acceptum, & quod illa
repulit, hactenus inefficax habeatur, &
88 tex. dicit Sedi concessa nullus occupare
sine eius consulto præsumat 17. dist. cap.
huic Sedi, & illud clarum, quod per adhæ-
sionem factam Concilio, nusquam intel-
ligetur Apostolicum confirmasse decreta,
quæ facta fuissent in supprimendo eius Pa-
palem auctoritatem, & dignitatem, & quod
obedire Concilio teneatur in concernen-
tibus reformationem Ecclesiæ in capite,
vel in membris, allego per hoc dictum Cy.
in l. inquisitio veritatis, C. de solutio. vbi
dicit, quòd si promitto te iuuare contra
quoscumque homines, & accommodare
tibi arma, & currum meum contra omnem
personam, quod non videor promittere
contra me per dictam, l. inquisitio pro
hoc, ff. de Sena. l. 1. & l. administrarores,
§. fin. de excu. tu. & de condi. inde. l. frater
à fratre ad idem cap. in generali de reg. iu.
lib. 6. in cap. contractus eodem tit. in mer-
cu. & de iure iuran. cap. petitio in glos.
89 Est præterea vulgatum satis, quod in ge-
nerali sermone non continetur persona
loquentis 23. quæst. 5. cap. non licet in gl.
ordi. sic in generali sermone non intelli-
gitur persona accipientis, ff. manda. l. si
mandato tibi, vt pro me, §. si cui sic in
generali oblatione non veniunt ea, quæ
quis non esset verisimiliter obligaturus, vt
l. obligatione, ff. de pig. verba præterea
quantumcumque generalia restringuntur
ne contineant id, quod incipit esse ini-
quum, l. ex facto de vulg. & pup. & cap.
suggestum de decimis. Item ne compre-
hendant casum captiosum similiter restrin-
guntur, l. 2. ff. de ferijs, l. cum aquiliana,
ff. de transa. vbi dicit tex. quod interpreta-
tio prudentum, hanc captiosam libertatem
fregit, similiter restringuntur verba, vt
concessum in genere, ius concedentis non
lædat, vt ff. de serui. vrb. præd. l. si domus.
Nec est præterea alicui cum propria iactu-
ra consulendum 2[illegible] quæst. [illegible] cap. 1. circa
medium 24. quæst. 5. forte; vndè quæcum-
que generalis confirmatio facta fuisset per
Apostolicum deeretorum edictorum, vel
edendorum per Basileen. Concilium, non
comprehenderet casum, in quo potestas
Apostolica, & eius iurisdictio super om-
nes, diminuerentur, cùm Papa superio-
rem non habeat, vt in cap. licèt de elect.
sed per dictam decreta. quomodolibet im-
pediretur, restringeretur, & modificare-
tur, quoniam verba non sunt amarè in-
terpretanda, sed ciuili modo intelligenda,
ff. de serui. l. si cui, ff. de testi. l. 1. extra
eodem tit. cap. licèt enim, & cap. signi-
ficauerunt 37. dist. cap. de quibusdam de
cle. non resi. cap. ex parte, nec sunt ad
extraneum sensum trahenda, vbi res salua
esse pôt. de verbo. signi. cap. intelligentia,
& cap. propterea, imò ciuili modo gene-
90 ralia verba intelliguntur de rescrip. cap. ad
aures, & cap. cum in nostra. Nam impœ-
nitentibus dicitur, non tibi dico, vt te tra-
dam, de pœnit. d. 2. §. His auctoritatibus
quando autem quis debeat contra se
confiteri, & se prodere, not. glos. l. dist.
cap. ex pœnitentibus, & sic ex his videtur
recto iure concludi quod Apostolicus, in-
hærendo Basileen. Concilio, & illius decre-
ta facta approbando, & confirmando, illa
intelligitur approbasse, dum, modò iuri-
sdictionem Papalem non supprimant, vel
offendant, ac honorem, & præeminentiam
Sedis Apostolicæ non lædant, quæ vt dixi
superiorem nullum recognoscit, de elect.
cap. licèt. Nec dicat quis, quod ex quo
legatus, vel legati Apostolicæ Sedis pro
eo, tempore facti huiusmodi decreti in eo-
dem Concilio præfuerunt, satis est, quia
perindè est, ac si Apostolicus illorum de-
cretorum notitiam habuisset, & per con-
sequens inhærendo illi Concilio ipsa de-
creta, prout & sicut ad literam facta fue-
runt dicatur specificè confirmasse, & sic
non posset illa resoluere, vel contra eorum
dispositionem quomodolibet attentare.
Quia decreto propter præsentiam cuius-
cumque legati Apostolici, & præsidentiam
in eo Concilio, tempore præfati huiusmo-
di decreti, & diminutionis Apostolicæ po-
testatis, id decretatum, vt præmittitur,
decretum non valuit, quia in quacumque
legatione per Apostolicum alteri commis-
91 sa, non venit, vt ea infringere possit, quæ
sibi Sedes Apostolica in signum specialis
domiuij reseruauit, vt in cap. quod ad
translationem de offic. delegatum cum no-
men decretatum fuerit debere Apostolicũ
mandatis Concilij obedire in respicienti-
bus reformationem Ecclesiæ in capite, vel
in membris, contradicitur decretatum vi-
detur in illis, Apostolicum subesse Conci-
lio, non præesse, arg. ff. de proc. l. pom.
§. Sed & is, maximè cum id decretum ad
eius obseruantiam Papam astringit, vsque
ad priuationem inclusiuè:

Simile dicimus, quod in quocumque
generali mandato non venit, quod Procu-
rator possit facere dominum in pœnam in-
cidere, ff. de condict. l. si procurator, &
l. 3. §. si procurator, ff. si quis id non ob-
tempe. & quod in eis legitur, & not. vnde
non posset legatus iurisdictionem genera-
ralem remittere, & concilio dare, arg. ff. de
transactio. l. cum hi, §. si, prætor. idem in
Præside Prouinciæ, & curatore Reipublicæ,
qui non possunt concedere, quæ fisci sunt,
ff. quod vi, aut clam. l. prohibere, §. planè,
92 cum etiam, quia Papa non potest ligare
semetipsum, etiam si id decretum per con-
cilium editum specificè confirmasset, quo-
minùs illud valeat reuocare, vt patet aper-
tè in cap. vltimo de rescrip. lib. 6. & not.
in cap. vltimo de conces. præben. eodem
lib. & per Ioan. mon. in cap. de constit. lib. 6.
Amplius, licèt illam decr. specificè Apo-
stolicus

stolicus confirmasset, possit tamen illam resoluere, per tex. apertum 25. quæst. 2. his ita, vbi dicit. litera, oportet ergo primam sedem obseruare, ea quod decernendo mandauit, non necessitate obsequendi, sed auctoritate impetrandi, licetque sibi contra generalia decreta specialia priuilegia indulgere, &, speciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto, ad idem bonus, tex. 25. quæst. 2. cap. postquam, §. his ita, vbi dicit litera, sua auctoritate congregata, valet disiungere, & disiuncta congregare, rationis tamen æquitate considerata, vnde vel pietatis, vel necessitatis intuitu semel à se concessa valet in totum, vel in partem commutare, pro necessitate, namque corrigendorum vitiorum, priuilegia multarum Ecclesiarum, vel minuuntur, vel penitus immutantur, siue particulariter, siue generaliter iuxta illud,
93 priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, textualia verba sunt ibidem.

Plus dico, quod etiam si per viam contractus, dicta decreta Papa obseruare promisisset, non obligatur Papa ad obseruantiam promissorum, quando talis contractus, cum subditis celebratus existeret, vt dixit singulariter Inno. in cap. in nostra, de iniurijs, & damn. dat. & Bal. di. cit. ff. de constit. prin. l. 1. quod princeps potest contractum cum eo initum, & concessionem per eum factam reuocare, in l. 1. ff. de constit. princip. potest. enim Papa de plenitudine potestatis omnia, licèt videantur iniusta, secundum Innoc. in cap. quanto, de iureiur. & not. Bal. in cap. cum te sponsæ, C. de donat. ante nupt. & quod etat validum annullare, & nullum validare, 16. quæst. 1. cap. 1. & de his, quæ fiunt à prælat. c. cùm apostolica, & not. de fal. cap. de fal. cap. veniens, & de accusa, cap. ad petitionem, potest enim facere de nihilo aliquid, & de aliquo aliud, arg. de conse. dist. 2. cap. re vera, & C. de rei vxor. ac circa prin. & not. gl. in cap. veniens. Est
94 præterea regulare, quod Papa non ligatur legibus positiuis, & si aliter faceret, quam promiserit tenet actus, 9. quæst. 3. sola, cum §. seq. ad fin. 11. d. cap. si Papa, & quod ibi not. 1. quæst. 8. §. nisi rigor. 12. quæst. 2. non licet Papæ de conces. præb. cap. proposuit, vnde dicimus, quod instar sacrilegij obtinet disputare, an sie dignus quem princeps elegit. 27. quæst. 4. cap. sacrilegium. Tum etiam quia, & si decretum Basileen., concilij inhibeat concilium dissolui, vel mutari ad alium locum per Apostolicum transferri sub pœnis formidabilibus, vsque ad pœnam depositionis inclusiuè, vt litera, cap. quoniam frequens, specificè attestatur, attenta tamen noua causa superueniente, de electione loci idonei, & commodi ipsi Papæ, in quo possit faciliter conuenire pro extirpandis hæresibus; & græcorum erroribus, quia aliter in eo præsentialiter non existente, & non interpretatiuè causa fidei non poterat ventilari, vt latè probatum, & deductum est in superioribus.

Attentis insuper abusibus illius Basileen. synodi, & decretis funestis in dominum nostrũ lachrymabiliter attentatis. optimè potuit id concilium dissolui, & continuandum transferri ad Ferrariæ ciuitatem decreto
95 huiusmodi non obstante. Nam non debet reprehensibile iudicari, si secundùm varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, præsertim cum vrgens, vel euidens vtilitas id expostulat dicit tex. in cap. non debet, de consan. & affi. 19. dist. cap. sciendum, 4. dist. cap. erit autem, 22. quæst. 4. cap. quod ignoret pro hoc bonus tex. 24. dist. cap. vlt. vbi dicit litera, quod sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione diuelli; ita multa sunt, quæ aut necessitate temporum, aut per considerationem ætatum oporteat temperari, illa semper consideratione seruata, vt in his, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id nouerimus sequendum; quod nec decretis Apostolicis inueniatur aduersum. Ex quo tex. datur clarè intelligi, quod suadente causa necessaria, id concilium Basileen. dissolui potuit, & ad alium locum continuandum transferri. Adduco pro hoc, text. optimum, qui bene probat. 15. quæst. 2. cap. posteaquam, versic. his ita superiùs allegatis attenta potissimè infirmitate domini nostri, & eius ætate senili, vt tantum bonum vnionis Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ effectum desideratissimum consequatur, vt probat ibi tex. Excusat enim eum infirmitas, quia ad illum locum esset quasi impossibile se transferre, ff. de re iudic. l. quæsitum, C. qui morbo se excusant. l. podagræ. lib. 10. Item excusat eum iustum impedimentum, C. de excep. 1. de elect. capit. si pro defectu, & capit. cupientes, §. fin. lib. 6. de priuil. cap. cum personæ, §. 1. eodem lib. Item excusat senectus, ff. de test. l. inuiti, & de decurio, l. 1. §. fin. 36. dist. tanta, in verb. senex. per Archi. Est
96 enim senectus propinqua causa mortis, Ideò senex. mortuus, præsumitur ex senectute decedere, l. si vt certo, §. nunc videndum, ff. commo. Quinimmo, senex semper dicitur esse in periculo mortis, l. mortis causa capio, ff. de donat. cau. mor. & alibi dicitur, quod senectus defectus est, atque canities, quæ vix labores, & dolores suos tolerare possunt, vt habetur de voto, cap. magnæ, versic. verum. Qui autem dicantur senes, habetur, C. de his, qui non imple. stipen. l. 2. lib. 10. ff. de iure immu. l. semper, per Ioann. Andr. in cap. quoniam, super verbo senex. vt lit. non contest.

Sauè quia sunt. nonnulli contra quos doctor gentium exclamauit, de conse. dist. 4. cap. nec quemquam, circa fin. qui vbi nox occurrit non igneam claritatem apponere curarunt, ignora per ignotius, aliter quàm debeant exponentes, contra illud Hieronymi, vino inebriantur, qui scripturas aliter intelligunt, quàm se habeat veritas, 37. dist. cap. vino, iuuat ad intelligentiam illorum, capitulorum, frequens, & quoniam frequens, scripsisse in superioribus recita-
97 ta, quia dicit canon, quod ex scriptis sensum extraneum quærere non debemus, sed sensum capere veritatis ita tamen, vt vbi quis falsa didicerit falsa, & simulata

declinet, 37. diſtin. cap. relatum. Et vt
totum ſub exiguo comprehendatur, pro
veritate aſſeuero concludenter, Baſileen.
concilium citra pœnas in eiſdem decretis
appoſitas diſſolui, & ad alium locum tran-
ſferri per Apoſtolicum potuiſſe, ea vrgen-
tiſſima ratione, cui non eſt dare reſpon-
ſum, quia dicta decreta poteſtatis Apoſto-
licæ reſtrictiua, ac etiam ipſius priuatiua,
edita per illa concilia, abſque Apoſtolicæ
ſedis ſpecifica notione, fuerunt prorſus nul-
la, & viribus non ſubſiſtunt, patet, in con-
cilio Gelaſij Papæ. 9. quæſt. 3. cap. cuncta
per mundum, in parte deciſa, ibi dum di-
cit, quoniam quorumlibet ſententijs liga-
ta Pontificum, ſedes Apoſtolica habet ius
ſoluendi, vtpote quæ de omni Eccleſia fas
98 habet iudicandi. Neque cuiquam liceat
de eius iudicare iudicio, iſta ſunt forma-
lia verba illius text. quæ apponunt gla-
dium ad radicem huiuſmodi decretorum
videlicet dicta decreta, etiam per Apoſto-
licum ſpecificè confirmata, potuiſſe per
eumdem ſolui, & in melius commutari.
Tum quia Papa illa nuſquam intelligitur
confirmaſſe, cùm poteſtatem Apoſtolicam
offenderent, vel aliter modificarent, vel
impedirent, quia ſic eſſet in poteſtate con-
cilij diſſoluere omnem iuriſdictionem Pa-
palem, decreta quæcumque faciendo, ſub
prætextu, quia reſpicerent reformationem
vniuerſalis Eccleſiæ in capite, & in mem-
bris, & ſi aliter diceremus patet inconue-
niens manifeſtum, quia ſub hoc confiſto
colore, iuriſdictio, & poteſtas Papalis con-
funderetur ex toto, vt latius, ſupra
dixi. Tum etiam quia etiam ſpecifica
confirmatio per Apoſtolicum facta illiuſ-
modi decreti quoniam frequens, non ligat
ipſum Apoſtolicum confirmantem, quo
minùs poſſit illud reſoluere, & in melius
commutare, per tex. apertum, in cap. vlt.
de reſcrip. lib. 6. & per text. notabilem, 25.
quæſt. prima, §. his ita, in verſic. oportet
ergo.

Habet præterea illa confirmatio, & iu-
ramentum præſtitum ſuper illa, tacitam
conditionem ſubintellectam à iure, rebus
in eodem ſtatu manentibus, vt in cap.
quemadmodum, de iureiur. de reſcrip.
cap. ex parte conuentus, ff. qui ſatiſda.
99 cog. l. fin. item ſedes Apoſtolica concilio-
rum ſtatuta ſecundùm euentum tempo-
rum in totum, vel in partem corrigit, &
immutat, vt in cap. ſtatutum de elect. lib. 6.
ne quod pro communi vtilitate fuerit ſta-
tutum, ad noxam tendere videatur, 44. diſt.
§. verum, 35. quæſt. 1. cap. [illegible]
commu, cap. vlt. in prin. Nam, & reuoca-
tur priuilegium, cum tendit ad noxam, de
decimis, cap. ſuggeſtum, de pri. cap. 1. &
cap. auctoritate, item ſedes Apoſtolica
ſententias tàm ſuas, quàm aliorum reuo-
cat, quandoq; mutat in melius, 35. quæſt. 9.
cap. ſententiam, & cap. ſeq. de reſcript.
cap. vlt. lib. 6. Sicut & Auguſtinum legimus
iam feciſſe, 12. quæſt. 2. cap. certè cùm eſſet
occaſio licitum fuit id mutare concilium,
& decretum editum reuocare, 63. diſtin.
§. rum, de conſang. & affi. cap. non debet,
ff. de vulg. & pup. l. ex facto, il picolo,

dicit enim text. quod deteſtatur iniquorum
peruerſitas abſtinere neſciens à vetitis,
nec debito modo gaudere conceſſis, dignè
plerumque affectum excitat præſidentis
ad ea, quæ iuſtæ fuerant conſiderationi
conceſſa, cùm in abuſum ea vergere cir-
cumſpicit, diſtrictione præuia reuocandi,
in cap. deteſtanda, de conceſs. præben.
lib. 6. 35. quæſt. 9. cap. veniam, de in integ.
100 reſtitu. cap. cum ex literis. Quinimmo,
& ipſe Deus quandoque mutat ſuam ſen-
tentiam, 22. quæſt. 3. cap. incommutabilis,
& Auguſtinus mutat propoſitum, 20. quæſt.
2. cap. ego ſum qui ſtatueram, & Impera-
tor dicit. Non piget noſtras emendare
leges. in auth. vt fratrum filij, & nota.
de accu. cap. qualiter, & quando & cap. ad
petitionem, & canon dicit ſic, ſummæ ſe-
dis Pontifices canonibus à ſe, ſeu ab alijs
ſua auctoritate conditis, reuerentiam ex-
hibent, & eis ſe humiliando ipſos cuſto-
diunt, nonnunquam verò, ſeu iubendo,
ſeu definiendo, ſeu decernendo, ſeu aliter
agendo, ſe decretorum dominos eſſe oſten-
dunt, illud ex toto certiſſimum, quod pro
tranſgreſſione, & neglecta obſeruantia
huiuſmodi decretorum, concilium non po-
tuit Apoſtolicum pœnæ ſubijcere priuati-
101 uè, tum quia concilium non poteſt im-
ponere legem Papæ, 17. diſtin. 2. hinc eſſet,
& not. per Ioan. Andr. in cap. ſignificaſti,
de elect. nec ipſum pro huiuſmodi tran-
ſgreſſionibus impetire, tex. clarus, 22. diſt. §.
hinc etiam, vbi dicit litera, Epiſcopi non
in ſynodo reſidentes cōgregata auctorita-
te eiuſdē Symmachi, dixerunt Symmacho
Papa ſedis Apoſtolicæ præſul, ab huiuſmo-
di oppoſitionibus impetitus, quantum ad
homines reſpicit ſit immunis, & liber,
cuius cauſam totam Dei iudicio reſerua-
mus.

Hæc eſt igitur tandem fides, & mea ſen-
tentia Pater beatiſſime, vt canonis verbo
vtar, quam ſemper tenui, in qua ſi minus
ritè, aut parum cautè aliquid poſitum eſt,
à te cupio emendari, qui Petri fidem, & ſe-
dem tenes, ſi autem mea ſententia Apo-
ſtolatus tui iudicio comprobatur, qui-
cumque me culpare voluerit ſe imperitum,
vel maleuolum, & non catholicum com-
probabit, ſcribitur ad contextum, 14. queſt.
1. cap. hæc eſt fides. Negare tamen ne-
queo, quin aliqua ſint inſita in hoc meo
opuſculo, quæ iuſto iudicio valent forte
temeritate calcari, vt aſſerit Aug. in cano-
102 ne, negare, 9. diſtin. cum nil tam perfe-
ctum in humanis adiuentionibus reperia-
tur, quin ex aliqua ſui parte defectum ali-
quem patiatur, vt dicit legiſlator, C. de
vete. iur. enu. l. 2. §. ſed quia, cum concor.
23. quæſt. 5. cap. de occidendis, ideò in
omnibus ſcriptis meis peritiori iudicio in
omnib. me ſubmitto, iuriſconſulti veſtigia
imitatus, in l. Claudius felix, ff. qui pot.
in pig. hab. peritorum patrum ſententiæ
non reſiſtens, ſed velut agnus coram ton-
dente non aperiam de cætero os meum, de
pœni. diſtin. 2. cap. ſi eſt inquit. ad fin. cum
paratus ſim etiam ab anniculo edoceri,
quæſt. 1. cap. 1. Tibique ſoli ſanctiſſime
pater patrum, & domine ſancte parens cor-
pus,

pus, & animam meam inclinato capite, & poplite genuflexo, ac manibus cancellatis humiliter recommitto, periodum faciens in dicendis, veniam postulando si illi longè pertractum fuit officium, dicam enim cum Hieronymo ad Paulinum, vbi de Esdra loquitur, excessi modum epistolæ, non tamen impleui, quod volui, & licèt sciam dixisse Valerium, quod multa, & magna breuibus sunt dicenda, id tamen testante Hieronymo super Esa. lib. 11. de illa breuitate debet intelligi, per quam intelligentiæ non fit damnum, testor Deum in sermonum folijs non exulto, cum in illis quis non debeat gloriari, 1. quæst. 1. cap. Marchion. & Basilides, 22. quæst. 5. cap.
103 humanæ disceptationes, tamen arduæ, & nodosæ nequeunt opportunè verbis breuibus explicari, quia qui superflua remouere intendit, vt plurimum necessaria, & vtilia resecat, vt patet de voto, cap. quod super his, §. rursus, & seq. primo responso. Ad laudem eius per quem omnia facta sunt. Qui viuit, & regnat in secula benedictus.

ADDITIO

Domini Ludouici Bolognini.

SVMMARIVM.

1 *Plenitudo adiectione non eget.*
2 *Papa vnde dicatur.*
Papa ad petitionem clerici potest committere contra laicum omnem causam indistinctè.
Mundi concilium potest solus Papa congregare.
3 *Licentiam celebrandi officia diuina in Ecclesia interdicta, solus Papa concedere potest.*
Excommunicato, vel interdicto, licentiam celebrandi diuina officia, non potest dare Papa.
Orbem totum regit Papa.
4 *Papa non potest iudicari ab Imperatore.*
Imperatorem solus Papa deponere potest sine concilio.
Papa potest esse iudex in omnibus causis proprijs.
5 *Auctoritas Papæ tanta est, quod solo verbo potest absoluere.*
Ius tantum de Papa confidit, quod eius statuta solus Deus corrigit.
6 *Papa iudicat secundùm conscientiam suam, & non secundùm allegata, & probata.*
Simoniam non dicitur committere Papa, si confert beneficia, vel dignitates accepta pecunia.
7 *Papa si participaret cum excommunicato, non incurreret excommunicationem.*
Dispensare cum bastardis, assumendis ad curam animarum, & ad ordines sacros Papa potest.
8 *Reuerendissimi Domini Cardinales vices Apostolorum tenent.*
9 *Apostoli omnes fuerunt Episcopi.*
10 *Cardinales dicuntur pars corporis Papæ.*
11 *Quotidianis curis, qui die noctuque pro toto terrarum orbe laborant, dignam habeant suæ prærogatiuæ fortunam.*

LVculenter profectò, & copiosè per Dominum Auctorem dictum est de potestate Sanctissimi Domini d. nostri Pontificis maximi, seu Sedis Apostolicæ, nec non Reuerendissimorum d. Cardinalium sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & totius orbis pondus sustinentium, adeò vt, si vltra nunc ego alij quid dicere velim, solem quærere facibus illustrare dici non immeritò pos-
1 sem, cùm plenitudo adiectione non egeat iuxta text. in cap. si omnia 6. quæst. 1. & cap. bene quidem 96. dist. cum si, & esset rei demonstratæ demonstrationem facere vt in l. 1. in fi. ff. de actio emp. & in l. fi. ff. de do. præleg. vt in cap. certificari, de reg. iur. lib. 6. Idcirco in præmissis non multum insistam, & eo maximè cùm de suprema eorum omnium facultate alia latiùs dixerim in libello nostro intitulato de præstantia Cardinalium, vbi, & Sedis Apostolicæ, & eorumdem Reuerendorum Dominorum immensa potestate diximus; & etiam cum ea quæ nunc dicerem, essent minima pars eorum, quæ ignorarem. Tamen pro nunc, ne sic illotis vt ita dixerim manibus pertranseamus, iuxta l. 1. de orig. iur. breuiter superaddam in prædictis per dominum authorem, vnum verbum ad honorem tantæ Sedis. Et præsertim sanctissimi Domini d. nostri Innocentij bene merito Pontificis Maximi VIII. cui satis; superque satis, & in minoribus, & maioribus constituto, debeo, atque iterum debeo.

2 Primò igitur dico quod Papa dicitur à Papè, quæ est dictio admiratiua, quasi admirabilis in terris, cùm Dei vices sustineat. ita dixit illustris doctor conbononiensis Io: And. in sua gloss. in §. hoc sanè in proemio cle. in verbo, sanè, qui dixit quod Papa dicitur stupor mundi, quia nec Deus est, nec homo, sed est vtrumque & subdit quàm etymologia huius nominis est pater patrum. Et de alijs cognominibus etiam, & titulis eius posuit Archi. in cap. 1. de constit. lib. 6. Præterea Papa habet potestatem ligandi, & soluendi quicquid vult cap. manet. 24. quæst. 1. & cap. considerandum 1. distin. in cap. in nouo 21. disp. & habetur Matth. 27. cap. Hinc est quod Papa est iudex omnium etiam non recognoscentium superiorem, & regum, & Imperatoris, ratione peccati, vel iniustitiæ, vt est gloss. multum sing. in cap. ex transmissa, extra de foro compe. Præterea consuetudo obseruat quòd Papa ad petitionem clerici potest committere contra laicum omnem causam indistinctè secundùm Spe. in tit. de coope. iud. in adi. §. 1. ver. 30. cùm seq. & Archi. in cap. indicatum 86. di. d. Anto. in cap. si clericus de fo. compe. & voluit Dominus meus Ale. in consil. 90. in 4. col. in 1. vol. inci. quis sit iudex &c. Et etiam solus Papa potest congregare concilium mundi; secundùm Bal. in suo tractatu schismatis in 15.
3 colum. Præterea solus Papa potest concedere licentiam celebrandi officia diuina in Ecclesia interdicta, secundùm gloss. in cap. ad hæc extra de appel. quàm approbant Scrib. ibi quod Episcopus facere non potest,

potest, vt ibi per gloss. non potest tamen Papa dare licentiam excommunicato, vel interdicto celebrandi diuina officia, secundùm Inn. in cap. præterea eo tit. & ratio est, quia non entis nullæ partes, sed excommunicatus, vel interdictus reputatur pro non ente, & sic pro nullo, vnde sicut mortuo non posset concedere licentiam celebrandi officia diuina, ita nec potest dare interdicto, vel excommunicato.

Vlterius Papa regit totum orbem text. est in d. cap. duo sunt genera 96. dist. & etiam habet plenitudinem potestatis ex sola electione cap. ego 64. dist. & cap. in nomine 24. dist. & voluit gloss. in cap. licet extra de elec. & voluit Bald. in prædicto
4 tractatu schismatis in 31. col. insuper non potest Papa iudicari ab Imperatore tex. in cap. scripturis 96. dist. nec etiam à quocumque alio, cum ipse non habeat superiorem cap. aliorum, & per totam illam quæst. 9. qu. 4. & voluit gloss. in cap. nemo eadem causa, & quæstione, quæ dicit hoc esse verum nisi in causa hæresis. Similiter solus Papa etiam sine concilio potest deponere Imperatorem, secundùm gloss. in cap. ad Apostolicæ de re iud. lib. 6. & Bar. & Bal. in l. fi. C. de legibus & in l. rescripta C. de preci impera offe. Denuo potest Papa esse iudex in omnibus causis proprijs, & non solùm per se ipsum, sed etiam delegando seu delegatum constituendo, secundùm Bart. in l. est receptum ff. de iurisd. om. iud. vbi aliàs legendo dixit & Bal. in l. cum antiquioribus. C. de iur. deli. Et quod plus est eius sententiæ non possunt retractari. 9. quæst. 3. per totum. Insuper tanta est eius auctoritas quod potest solo verbo absoluere, secundùm Speculato. in titul. de citat. §. quintò vers. quid si iudex &c. iuxta illud, quodcumque solueris super terram &c.

5 Præterea ius tantùm de eo confidit; quod eius statuta solus Deus corrigit; ita dixit Bal. in d. tractatu schismatis, in 3. col. & non potest etiam recusari, vt suspectus in causis, etiam si esset coniunctus vni ex litigantibus, cap. 1. in fin. cum glo. sua de concess. præben. lib. 6. & volunt. d. canoni in cap. postremo, de appel. & in cap. querela, extra de electione. Et de potestate sua absoluta potest impartiri officium suum etiam non petenti, secus est de ordinaria, secundùm d. Abb. in cap. ea quæ, extra de re iudic. & intantum lex etiam de eo confidit, quod si ad eum appellatur potest cognoscere de causa principali, omisso articulo appellationis, etiam inuito appellante, de consensu solius appellati, text. est in cap. cordi. extra de appel. lib. 6. & voluit Innoc. & Ioan. And. ibidem, & Innoc. in cap. 1. extra de elect. eod. lib. & do. Abbas, & alij scribentes in cap. vt debitus, de ap. in antiquis. Insuper iudicat
6 Papa secundùm conscientiam suam, & non allegata, & probata secundùm Bar. in l. vnica. in fin. C. vt quæ desunt aduo. par licèt alij iudices iudicent secundùm allegata, & probata, l. illicitas, §. veritas, ff. de offic. præsi. & ratio est, secundùm Bar. vbi sup. quia Papa est iudex supra legem, ideò dictum eius habetur pro lege, & propter hoc debet iudicare secundùm conscientiam, aliter peccaret, secundùm Bar. refe-
7 rentem theologos ita tenere. Successiuè si Papa participaret cum excommunicato non incurrit excommunicationem, glo. est in cap. statuimus, de sent. excom. lib. 6. & in cap. si aliquem, eod. tit. in antiquis, & dixit gl. in cap. nulli, eod. tit. quod non ligatur lege, vel constitutione sua, vel canone, & facit, l. princeps, ff. de legi. & l. digna vox, C. eod. tit.

Potest etiam Papa dispensare cum bastardis assumendis ad curam animarum, & & ad ordines sacros, secundùm Bal. in rub. C. de preci. impera. offeren. & Bald. in additio. Specu. in tit. de dispens. ver. cum illegitimè, & cap. plus dico, quod si promoueret spurium ad Episcopatum, videtur cum eo dispensasse, secundùm Bal. in l. imperialis, §. 1. C. de nupt. cum multis alijs similibus, quæ breuitatis causa omitto. Nam si enarrare vellem facultatem, dignitatem, & præeminentiam, tantæ Sedis, ante diem clauso componet vesper olympo, nec mihi si centum linguæ sint, oraque centum, ferrea vox, &c. minimam earum partem attingere possem. Et ideò pro nunc his paucis contentus ero, cùm aliàs longior fuerim circa hoc, in libello nostro de præstantia cardinalium edito, vbi est locus proprius, & ad ibi dicta me remitto. Circa verò præstantiam Reuerendissimorum Dominorum d. meorum Cardinalium Dominos author. supra incidenter aliquid etiam tetigit, circa quod etiam non intendo in præsentia longiùs exordiri, cum aliàs hoc enarrauerim in prædicto libello nostro principaliter edito de eorumdem præstantia, & immensa authoritate, nisi quod pro nunc vnum verbum in medium afferam.

8 Primo enim Reuerendissimi Domini Cardinales vices Apostolorum tenent. Nam Apostoli possunt considerari tripliciter. Primò quando principaliter astiterunt ante eius Resurrectionem, quo quidem in statu omnes pares fuere, nec Petrus alijs præerat, Christus enim viuens inter homines solus habuit in Ecclesia præmissam potestatem, vt in cap. legatur 24. quæst. 1. & fuit prior sacerdotum 33. qu. 8. cap. cum à iudæis, & ipse verus, & solus tunc pastor ouium, & Pontifex fuit cap. sancta Roman. 15. disp. capitul. Dominus noster 53. distinct. Secundò possunt considerari Apostoli quando astiterunt Petro tanquam primo pastori, in quo quidem statu Petrus præfuit omnibus, ipsique primo in Ecclesia Christi Pontificatus est traditus cap. in nouo. 21. dist. vbi est casus multùm notandus, & in hoc duplici statu Reuerendissimi Domini Cardinales verè repræsentant Apostolos, & assistunt, Papæ, qui est vicarius Christi, & Petri successor. Vltimò possunt Apostoli considerari tanquam postea ex præcepto Christi separati à Petro, tanquam diuisi, euntes prædicando per mundum, & in hoc statu vices Apostolorum dicuntur gerere, & Episcopi tex.

est

est in d. cap. in nouo, & in cap. videntes 22. quæst. 1. & in cap. quorum vices. 67.dist. & in cap. manus de cons. dist.5. & hoc est quod voluit dicere vas electionis Paulus, dum dixit alios Deus dedit Apostolos, alios pastores, alios doctores, alios prophetas, &c. quæ verba habentur transumptiuè in cap. cum ex iniuncto extra de
9 hære. fuerunt omnes Apostoli Episcopi vt probatur in d. cap. in nouo & in cap. loquitur 22. quod 1. Et ex his incidenter infero Reuerendissimos Dominos Cardinales fuisse tempore Christi, quicquid dixerint aliqui, qui voluerunt eos habuisse initium tempore Pontiani Papæ, & Marcelli qui fuit anno CCCIII. & non est verum, bene est verum, quod in nouo testamento priusquũ hoc nomine nuncuparentur, videlicet Cardinales, reperio eos appellatos consiliarios, ita probatur in cap. Ecclesiasticis 12. quæst.2. vbi Gregorius Papa appellat Theodoricum consiliarium idem probatur in cap. parochia 16. quæst.1. vbi Pelagius Papa similiter appellat eos consiliarios, & in cap. conuenientibus 1.qu.7.

Postea appellati sunt Cardinales, quia hæc dignitas solùm reperitur in Romana Ecclesia, quæ est caput, & cardo aliarum vt in §.1. 21. quæst. 1. & in cap. sacrosan. 22. dist. sicut enim ostium regitur per cardinem, ita Ecclesia per istos, ita habetur per gloss. in cap.2. exer. de offic. archidia. Et non ab re omnes alij gradus, & dignitates vllis Ecclesiæ huic cedunt, & cedere debent, quia dicebat Host. & Io: And. in cap. dilectus elect. de præben. nullam fore dignitatem Ecclesiasticam post Papatum
10 maiorem Cardinalatu, ipsi enim dicuntur pars corporis Papæ 6. quæst. 1. cap. si quis cum militibus l. quisquis C. ad l. Iul. maiest. & not. gloss. in cap. excommunicatis extra de offic. leg. & adeò dicuntur pars corporis Papa, quod Papa non exigit iuramentum ab eis, quia diceretur exigere iuramentum à seipso, intantum reputatur pars eius corporis seu membra ita voluit Host. & Io: And: in cap. antiqua extra de priuil. insuper ipsi Cardinales Papam eligunt. cap. vbi periculum de elect. lib. 6. & hæc electio fit omnino de gremio ipsorum cap. oportebit, & cap. nullus 79. dist. & præsunt Romanæ curiæ vniuersalis Ecclesiæ vt est text. iur. cap. bonæ extra de postul. prælat. Episcopi verò, & alij in loco particulari huic curæ præsunt cap. mulier. 33. quæst. 5. cap. accusat. 1. quæst.7. cap. in noua 25. disp. quibus non ab re dicere possumus illud quod habetur in l. bene à Zenone C. de quadrie. præscr. & in cap. 1. de offic. leg. lib. 6. vt qui die no-
11 ctuque quotidianis curis pro toto terrarum orbe laborant, dignam habeant suæ prærogatiuæ fortunam, &c. Ex quibus etiam non ab re dicere possumus, vos estis lux mundi, &c. Cætera de eorumdem immensa authoritate, præstantia, & excellentia, dixi in d. libello nostro, & de eorumdem prærogatiuis posuit etiam gloss. in d. cap. vbi periculum de elect. lib. 6. & gloss. in cap. 1. de scisma. eodem lib. & Host. & Io. And. in cap. ad liberandum, extra de iudæis, & host. in cap. cum ex eo de pœn. & remis. & Ang. in cons. 182. incipien. vtrum, qui asserit se, &c. Et Io: Cal. combononien. in consil.1. in cap. an si Episcopus,&c. Et Lud. Rom. in cons.48. incip. ius commune pro residentibus, &c. Et Lud. Rom. in cons. vlt. incip. vos estis lux mundi, &c. Et Dominus meus Alc. de Imo. in rub. ff. de iurisd. om. iud. in 3. col. & in l. 1. in Apostolis ff. de offic. præfec. præto. Ludo. Bologni.

CELSI



CELSI MANCINI RAVENNATIS C. R. L.

DE IVRIBVS PRINCIPATVVM.

LIBER SECVNDVS.

Celsus Mancinus Rauennas, Canonicus Regularis Lateranensis Congregationis, iuuenis Rhetoricæ, Poesi, humanioribus literis, deinde Philosophiæ, & Theologiæ operam dedit, deinde varios per Congregationis gradus Portuensis Cœnobij apud Rauennam electus est Præfectus. Inde Romam veniens, ibique degens, vt ipsemet in Præfatione testatur libros nouem de Iuribus Principatuum edidit, & dedicauit Illustriss. ac Reuerendiss. D. Cynthio Aldobrandino S.R.E. Cardinali, Clementis VIII. Nepoti. Cognita quasi sub oculis, & è propinquo eius eruditione, & doctrina electus est ab eodem Clemente VIII. Episcopus Alexanensis XIX. Aprilis anno M. D. XCVII. Est autem Alexanum ciuitas, sita in Salentinis decorata comitatu, & Episcopatus vetustæ Leucadiæ successit, vnde Præsules dominati sunt Leucadienses, à Græcis Patriarchis constitutus, & diù administratus, postea à Romanis Pontificibus constitutus fuit Præsul Latinus, & Hydruntinæ Metropolitanæ datus est suffraganeus. Non reliquit sub Modiò occultam scientiam suam Celsus, sed aliquos vastæ eruditionis Philosophiæ, & Theologiæ partus edidit. In primis libros tres de cognitione hominis, quæ naturali lumine haberi potest. Item libros nouem de Iuribus Principatuum. Romæ; Ex Typographia Gulielmi Facciotti M. D. XCVI. In 1. agit De regiminis necessitate. In 2. De Dominiorum iuribus. In 3. De Potestate Papæ directa, vel indirecta. In 4. De eadem cum solutionibus ad argumenta Aduersariorum. In 5. De Diuitijs, paupertate, censibus Principum. In 6. De Arte militari Principum. In 7. De Legum necessitate, & proprietatibus. In 8. De Conditionibus quæ potestati, iurique Principatus conueniunt. In vltimo De Venationibus, & Principibus circa res sacras. Scripsit autem hos libros eo motiuo, quod nullus hucusque explicuerit exactam iuris naturam, quamuis scripserint, alij de iuribus Dominiorum vt Boterus, vel de Republica vt Bodinus, vel de Doctrina ciuili, vt Lipsius. Hæc tantùm opera enumerant Ludouicus Carolus à S. Iacobo in sua Bibliotheca Pontificia, Vghellus, Pennottus, & alij, qui Celsi mentionem aliquam faciunt. Cæterum in Bibliotheca Classica M. Georgij Draudij ponuntur tres alij tractatus. I. De Somnijs, & Sinesi per Somnia. II. De Risu, ac Ridiculis. III. De Synaugia Platonica. Trem. 1592. 4. & Francofurti apud M. Zachariam Palthemium in 8. 1598. Mortuus est autem anno M. DC. XII. & sepultus est in sua Cathedrali Alexani. Meminere huius Auctoris, & supradicti præcipuè M. Georgius Draudius tribus vicibus eum de materia diuersa differentem nominans, aliæque Bibliothecæ, & præter hos Gabriel Pennottus insignis Theologus, & Historicus eiusdem Congregationis in sua historia

storia tripartita lib. 3. cap. 55. & Ferdinandus Vghellus in sua Italia Sacra in Episcopis Alexani. Ex his autem libris omni eruditionis genere, Poesi, Rhetorica, Philosophia, Theologia, & iure refertis seligimus tantùm è primis quatuor, qui tantùm Romana Pontifici, nostroque instituto inseruire possunt; cæteris, quæ ad nos non spectant, omissis.

CAPVT V.

Partium Consideratio. Potestas in partes: contra Bodinum.

Vemadmodum facies, lineamentis, & coloribus adumbratæ, vix hominem præseferunt, cuius sunt imagines; at, vbi coloribus, & vmbris fuerint absolutæ, ad viuum, cuius sunt imagines, exprimunt; ita sanè definitiones, licèt rem definitam nobis satis faciant conspicuam, attamen, vbi exactiùs partes illius examinantur, vel resolutione, methodo celebratissima, atque vtilissima declarantur, res definitæ perfectiùs à nobis cognoscuntur. Galenus idcircò resolutionem partium commendauit, & artem medendi hac via discipulos illius instruxit. Aristoteles, in libris de demonstratione, hanc eamdem methodum secutus, quid sit Demonstratio, legentibus patefacit. Hanc aliquo modo sequemur nos. Et primò incipiemus à potestate, quæ fuit prima vltimo loco traditæ definitionis. Potestas, quæ in Principibus reperitur, à nonnullis, qui nouissimè diebus istis scripserunt de Republica, & de Regno, inter quos Ioannem Bodinum recenseamus velim, diuiditur in Potestatem dependentem, & independentem. Roget aliquis, quænam sit dependens potestas, quæue independens. Respondent, independentem esse illam, quæ nullam aliam habet superiorem, nisi Diuinam legem, & Naturæ; qua ratione Imperatores, Reges, & Duces sunt independentes. E contra, dependens illa erit, quæ superiorem habet, vnde deriuat, vel alio modo ei subijcitur. Diuisionem hanc, vt numquam contempsi, ita declarationem membrorum eius minimè sum amplexus, quod scilicet Principes, Duces, & Reges nullam habeant superiorem potestatem, nisi Diuinam legem, ac Naturalem. Hoc namque concesso, statim in mundo monstrum oriri video; nimirum, dari multitudinem imperantium independentium, nullo concesso primo, ad quem cæteri referantur. Hæc res fusiùs suo loco tractabitur, & firmis, ni fallor, ac inconcussis rationibus roborabitur. Dicam in præsentiarum illud dumtaxat, Principatuum malam esse multitudinem, ideo dari vnum primum ad quem cæteri habent relationem, vt conclusit Aristoteles, Homerum Poetam secutus. Quærit Aristoteles in calce librorum, quos Diuinos (12. Met. text. vlt.) passim appellant Peripatetici, an sit bonum Vniuersi, & si sit, an à rebus seiunctum, an verò in rebus ipsis existat. Quæstionibus ibi citatis respondens, ait, vno & altero modo bonum Vniuersi reperiri, in rebus scilicet existens; & à rebus separatum. Est ordo in prima mente, ab omni corporis, ac materiæ concretione separata, qui ordo est causa ordinis in rebus existentis: at, vbi est ordo, ibi vnum prius, aliud posterius, vnumque primum, cui cætera omnia attribuuntur: quare, si bonum est vniuersi, quod necessariò, siue velimus, siue nolimus, debemus confiteri, concludemus, cum Aristotele, immò Natura duce in Principatibus ordinem reperiri, ibique vnum esse primum, ad quem cæteri referantur. Et confirmatur ijs, quæ ex Sancto Patre Augustin. referuntur, cap. est ordo. 34. quæst. 1. Naturalis est hominibus ordo, addamusque rebus omnibus: dum mundus iste durabit, homines præerunt hominibus. Dœmones dœmonibus, Angeli angelis præsunt. Cum autem Deus erit omnia in omnibus, cessabit omnis prælatio, at permanebit ordo. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Cœlorum motus, terminum, finemque attinget, errantia sydera à proprio desistent cursu, at ordo perdurabit, nec suas amittet vires. Confirma ijs, quæ habet Diuus Paulus loco superiùs adducto. Inquit Apostolus, *Quæ sunt à Deo, ordinata sunt, omnis potestas à Deo est*: si omnia, quæ sunt à Deo, ordinata sunt, & omnis potestas à Deo est, igitur in potestatibus erit ordo, in ordine autem necessariò vnum primum est adinuenire, igitur non erunt plures potestates independentes, siquidem ordo consistit in graduum distinctione, in illoque necesse est ad vnum deuenire. Quod si plures sint Principatus omninò independentes, aufertur ordo: quo ablato, omnia inconspecta, neglecta, perturbataque iacent: aufertur Vniuersi bonum, cunctaque, vt summatim dixerim, ruunt miserrimè. Ordo requirit, vt minores obediant maioribus, illis subijciantur, & subiaceant; at, his ablatis, nulla subsistit vniuersitas, vt cap. ad hoc, apertè docemur. Dist. 89. Cum itaque, quæcumque sunt à Deo, ordinem habeant, qui ordo in graduum distinctione consistit, & infima per media ad suprema reducantur, vt ait Beatus Dionysius martyr lege diuinitatis, hæc pluralitas non erit admittenda. His laconismo inseruiens, finem contentus. Pluribus infra rationibus, & haud negligenter, conclusio est demonstranda.

CAPVT VI.

Potestatis diuisio, noua.

Alij, mitiùs materiam hanc tractantes, ac longè sapientiùs veritatem inquirentes, vnam aiunt esse primam rerum spiritualium potestatem, alteram verò temporalium: illam in Summo Pontifice reperiri, cui Regni Cœlorum claues tradidit Dominus, hanc verò in Imperatore, qui in rebus temporalibus cæteris supereminet; has esse primas pote-

potestates imperandi, ad quas omnes aliæ rediguntur. Primus omnium, qui hanc inuexit doctrinam, vt lectione consequi potui, fuit Hugo, qui in Decret. c.cum ad verum, inquit, Cæsaream dignitatem, gladijque potestatem non accepisse Imperatorem ab Apostolis, sed à Principibus, & à populi electione, Ijs addens, vt propriam confirmet opinionem, Imperatorem priorem esse tempore Summo Pontifice. Cum verò Imperator Summum Pontificem antecesserit, non est dicendum, quod ab illo acceperit potestatem. Ad hæc, dignitates sunt inter se diuersæ, igitur in vno esse non possunt. In Summo Pontifice est apex dignitatis spiritualis, in illo igitur non erit culmen dignitatis temporalis. His concludit, Summum Pontificem esse maiorem Imperatore. si res spirituales attendamus, è regione, Imperatorem maiorem esse Pontifice, si temporalem aspiciamus auctoritatem. Confirmant hoc ijs, quæ leguntur distinc. nonagesimasexta, vbi de donatione agitur à Constantino Imperatore facta Ecclesiæ. Doctrinam hanc amplexi sunt Nicolaus Sanderus, Dominicus Sotus Venerabilis Pater, Reuerendissimus Ambrosius Catharinus Senensis, ac nouissimè celeberrimus quidam Theologus, vir magnæ doctrinæ, ac summi ingenij. Res hæc magni est ponderis, idcircò non est oscitanter inspicienda, sed tractanda, si non ea, quæ ad tanti negotij attinet maiestatem, cura, ac doctrina, ea saltem, quam vires ingenij mei (quas perexiguas semper intellexi) suppeditare possunt, solertia, ac diligentia. Singillatim horum adducam Doctorum opinionem, nimirum Catharini, Soti, & postremi, quem memorauimus: siquidem, quæ in Sanderi scriptis leguntur, hæc eadem apud hosce vnusquisque legere potest. Postremi Doctoris citati sententiam silentio omitterem: at, quoniam nonnulla adiecit, & ordine rem hanc digessit, ne propria illum videar defraudare laude, lubenter adducam eius sententiam. Horum itaque doctorum rationes afferam, quibus arbitrati sunt, propriam opinionem lectoribus facillimè persuaderi posse; proximè, meum erit, solidis rationibus ostendere, aduenam, ac peregrinam esse in scholis veritatis hanc opinionem, non autem domesticam; nouissimè caligine depulsa, & veritate cognita, occurram rationibus oppositis, vt omnibus scrupulus euellatur è mentibus legentium. Rem aggredior in nomine Domini, ab Ambrosio Cathariuo, doctissimo Theologo, ordiens.

Dist. 69.

Cap. Constantinus.

CAPVT VII.

Catharini sententia, & rationes.

PErillustris, & Reuerendissimus Ambrosius Catharinus Politus, Senensis, Episcopus Minoriensis, argumentum istud amplexus, illud mordicus defendere studuit, & ea, qua solet, loquendi libertate, contrarium sentientes increpat, & ignorantiæ, ac inscitiæ reprehendit. Vult Catharinus, in Christo nullam fuisse temporalis Regni potestatem Regiam, Christique Vicarium orbis terrarum non esse dominum temporalem, immò dominium huiusmodi ad res spectans temporales aliunde habere, quam à SALVATORE. Verba illius hæc sunt in commentario epistolæ Diui Pauli ad Romanos, vbi conclusit, & rectè, Iurisdictionem temporalem altari seruientibus posse conuenire. *Non desunt tamen plerique, quibus non sufficit, quod satis est, ne dicam nimium. Sunt enim, qui, vt dixi, magno in Ecclesiam odio, vel Pontificum moribus irritati, hunc gladium omninò negant, & auferunt ab Ecclesiasticis; & sunt contrà, qui, siue id per adulationem faciant, siue per nimiam simplicitatem, aiunt, ad Summum Pontificem de iure pertinere omnem totius orbis terræ dominationem, etiam temporalem, cum sit summus Christi in terris Vicarius. Domini autem est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo. Addunt, Christum dixisse: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Verum ridicula hæc profectò: quæ neque ipsimet Pontifices auderent asserere.* Deinde, nonnullis rationibus interpositis, quas iam iam adducemus, ait: *Nec propterea negatur, quin Summus Pontifex possit esse rerum temporalium dominus: sed hoc asseritur, hoc illi dominium minimè datum quasi Pontifici, immediatè à Christo, sed illud habet, quasi vnus quilibet hominum, ad quem humano aliquo iure obueniat talis potestas, nec alio iure ipse Pontifex prætendit. Nam, cùm rogatur, quo iure possideat illam, & illam ciuitatem, aut prouinciam, ostendit iura, idest titulos locorum legitimos, quæ possidet, quibus dominatur.* Hanc suam sententiam rationibus confirmare satagit. Prima est hæc: Si Summus Pontifex esset dominus totius orbis, nulli essent domini verè terrarum in temporalibus, sed solus Pontifex esset dominus totius orbis, & cęteri (etiam quoad temporalia) sub illo: at, hoc si admittatur, nullum certè locum habebit illud Ioannis: *Regnum meum non est de hoc mundo; filius hominis non habet, vbi reclinet caput suum.* Quod si Regnum istud ad illum attinebat, vt homo erat, cur fugit, ne Regem illum constituerent? & cur vni de duobus fratribus litigantibus, petenti, vt iuberet fratri, secum vellet diuidere hæreditatem respondit: *Homo quis me constituit Iudicem, aut diuisorem inter vos?* Locus certè iste videtur cogere, vt fateamur, non fuisse illi datam rerum humanarum, & sæcularium quæstionum iudiciariam cognitionem, & iurisdictionem. Quod autem Summus Pontifex sit Vicarius Christi, nihil habet momenti; vt credamus, illi fuisse datam ad regendum omnia regna mundi in temporalibus potestatem: immò, si rem diligentiùs meditabimur, contrarium asseremus. Christus siquidem abiecit regna, atque, vt homo erat in mundo, non habuit. Post resurrectionem, dixit, datam sibi fuisse omnem potestatem: at, dum in hoc mundo vixit, subiectus fuit omnibus potestatibus. Sui ergo regni Vicarium reliquit Papam, quod sibi à Patre datum fuit, cum in terris nobiscum ageret, nempè regnum spirituale super oues, quæ illum sequerentur, atque illi semetipsas propria voluntate subijcerent, cuius regni finis est vita æterna; si enim absolutè esset Christi Vicarius, secundùm omnem potestatem, quam Christus habet, haberet etiam potestatem super angelos, & beatos in Cœlo;

Cap. 13.

Io 18. Luc. 19.

 quod

quod est ridiculum. Concludit tandem, Vicariatum hunc in ouium pastura consistere, Summique Pontificis iurisdictionem in ouibus esse, quæ baptismatis lauacro se illi subdidere. De ijs autem, quæ foris sunt, non esse illius iudicare, vt prima Cor. dixit Apostolus, sed Domini. Idque perpetui vsus ratio satis probat; numquam enim Papa possedit orbem terrarum. Hæc Reuerendissimus Catharinus loco adducto. A quo nec abfuit Sotus, cuius sententiam nunc apponam. Cap 5.

CAPVT VIII.

Dominici Soti opinio, & fundamenta.

DOminicus Sotus in Commentarijs, quos edidit in Euangelium Diui Matthæi, tum primo, tum vigesimo capite, de Regno Christi disputans, & de illius Vicario, probare contendit, fuisse spirituale, non autem temporale. Quæ omnia summatim reperit de Iust. & Iure. Præfatur, quod Christus, inquantum Deus, vtique Cœlorum, & orbis terræ Dominus erat, temporalis, spiritualisque potestatis habens columen: & quemadmodum cuncta ex nihilo produxit, ita in idem omnia posse redigere; deinde ratione eius humanitatis, ait: *Secundùm fidem Catholicam agnouimus, eumdem, quatenus hominem, iure redemptionis vnicum fuisse Regem regni cœlorum, quippè cui incumbebat, cuncta, quæ ad sempiternam hæreditatem attinent, dispensare; nempè, Ecclesiam fundare, Sacramenta instituere, magistratus Ecclesiasticos creare, leges condere, ac demùm omnes iudicare, & cuique pro meritis præmia æterna, ac supplicia decernere; subindèque Reges vniuersos, vt suis legibus parerent, cogere, eorumque leges, qua parte suis legibus aduersarentur, abrogare, vniuersaque temporalia; quoties ad suum spiritualium finem opus esset, in suum vsum assumere. Cæterum, quantùm ad sæcularem potestatem, contrarium arbitrati sumus: videlicet, quatenus hominem non fuisse Regem, non quod potuit, erat quippè Deus, sed quia eum non decuit, neque subindè voluit.* Hæc Sotus. Probat autem conclusionem hanc varijs rationibus, quarum prima hæc est. Christus venit in mundum, vt nos redimeret, & saluos faceret: igitur nullam assumpsit potestatem, nisi quæ illi erat necessaria ad hoc peragendum negotium, ad quod nullum adiumentum afferebant temporalia; hac de causa illa contempsit, & tamquam inutilia, habuit vilipendio. Verùm dicet fortè aliquis, ex Dauidis stirpe illum fuisse ortum. Respondet ipse. Regnum illud hæreditarium, quod Domino tribuitur, Dauidis prosapia descendenti, particulare erat in Tribu Israelis, illudque in Ioachimo, filio Iechoniæ, vel in patruo illius Sedeciæ, finem habuisse; quemadmodum prædixerat Hieremias propheta; ab illo vsque ad Domini aduentum perdurasse Regnum in Sacerdotibus, & in Machabæis: & hac ratione Iacob suum sortitum fuisse finem, & plenitudinem: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Præterea, hac potestate numquam est vsus Dominus, dum apud nos esset, ideò frustra tribuitur illi, spiritualis fuit ea potestas, quam habuit. In psalmo sic scriptum legimus: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*; idest, super Ecclesiam, prædicando præceptum eius. Regnum ergo eius fuit spirituale, non autem temporale: nimirum, docere fidem, & prædicare. Hoc docuit ipse, Pilato respondens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Illis verbis monens nos, Regnum illius perpetuò duraturum, vt Esaias, Euangelicus Propheta, prædixerat. Erat nihilominus Rex Regum, & Dominus dominantium, vt ait Ioannes: & quia scopus eius spiritualis fini temporalium regnorum præferendus, poterat ad hunc finem alijs vti. Ex his omnibus colligit, in Christo hoc Regnum non fuit temporale, igitur non reliquit illud suo Vicario, huic autem eam commisit, quam habuit, potestatem: nimirum, quoties esset necessarium, ad illum finem cunctis Regibus imperaret, leges eorum corrigeret, vniuersa denique temporalia vsurparet: inquit ille, ego verò, Sua faceret. Confirmat hoc, quoniam hæ duæ potestates sunt valdè inter se diuersæ; vt vna ab altera non possit prouenire. Fines, ait, sunt diuersi, vt legitur dist.x. & dist. xcvi. & c. solitæ, de maio. & obedi. vbi Summus Pontifex dicit, se esse Solem, & Imperatorem Lunam; Solem, qui præest diei rerum spiritualium; Lunam, quæ præest nocti rerum temporalium. His omnibus addidit, omnes potestates Principum esse à Deo: siquidem, licèt à Republica fuerint Principes electi, nihilominus à Deo sunt, quoniam Respublica hoc fecit diuinitus erudita: ideò Diuus Paulus potestates huiusmodi à Deo esse dicebat, Romanis scribens, cuius doctrinam retro citauimus. Et ad Titum: *Admone illos, Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedientes.* Atqui non tantùm Principum Christianorum potestates, verùm infidelium quoque sunt à Deo, quoniam fides non destruit naturam, sed perficit, & illis potestatibus possunt populos regere in his, quæ sunt iuris naturalis. Sic Danielis testimonio certiores facti sumus, à Deo Nabucdonosorem imperio fuisse donatum. Et Dominus Saluator Pilato dixit: *Non haberes potestatem aduersùs me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Hinc fit, vt in exordio nascentis Ecclesiæ, licèt omnes Principes ferè essent infideles, attamen Sanctus Petrus præceperit Christianis, vt subiecti essent omni humanæ creaturæ, propter Dominum. Hæc Sotus locis citatis scripta reliquit. Quæ etiam apud Sanderum leguntur. Omnia tribus innituntur fundamentis. Primum est, in Summo Pontifice ideò non reperiri Regiam potestatem, quoniam, cum hæc non esset in Christo, nec ab eodem fuit relicta eius Vicario. Alterum est, quod sunt duæ diuersæ potestates, & fines illarum sunt valde diuersi. Postremum verò, Principum potestates, licet sint à populis, nihilominus à Deo præcipuè ortum habent. His conspicuum fit Soti placitum, qui doctor cum Ambrosio Catha-

Marginal notes: 4. q. 4. 21. 1. — Cap. 22. — Isai. 2. — Cap. 9. — Cap. quoniã c. cum ad verum. c. duo sunt. — Rom. 13. Tit. 3. — Cap. 2.

tharino conuenit. Mirum profectò, Catharinum cum Soto idem sentire, cum ab illo distare in omnibus ferè vnusquisque norit, qui illorum scripta, & amarissimas Apologias Soti perlegerit, materia tamen hæc fecit illos concordes. Vnus, & alter doctus; vnus, & alter Illustrissimæ illius familiæ filius, attamen sæpe, ac sæpiùs vnus alteri obuius. Iam verò, quoniam vnanimes nunc illos reperimus, superest, vt dicamus, quod, pro veritate certando, vt in contrarias abierunt sententias frequenter, ita nunc eodem consilio conuenerunt. Vtriusque, vt diximus opinionem vir doctissimus huius tempestatis amplexus, ordine cuncta digessit, cuius labores nunc sunt aspiciendi.

CAPVT IX.

Recentiores Theologi grauissimi doctrina, & fundamenta.

QVidam doctor, magnus planè vir, de bonis artibus benemeritus, Soti, Sanderi, Catharinique doctrinam secutus, illam hausit toto pectore, quæ ab ijs fuerunt scriptis commendata, accipiens, illis nonnulla addendo vberiora, ditiora, firmioraque facere studuit, ordine cuncta digerendo. Hominis namque scribentis est, aut certè, quæ à cæteris fuerunt conscripta, accipiendo, meliora facere, aut noua proprio Marte inuenta oculis legentium inspicienda præbere. Ordo est talis. Præaccepta distinctione, quod temporalis potestas possit in Summo Pontifice reperiri suprema, hoc erit, aut directè, aut indirectè, at directè in illo nequit existere, indirectè autem illi competit hæc suprema potestas rerum temporalium, atque superemineus: igitur hoc modo illi inesse dicendum erit. Hanc distinctionem insusurrauit Catharinus: & explicitè illam scripserunt Sanderus, & Sotus, mox sigillatim materiam hanc secauit in capita: quorum vnum est, Papam, vt Papam non esse dominum totius orbis, alterum, alicuius prouinciæ, aut oppidi nullam habere iurisdictionem merè temporalem. Adhæc, totius orbis Christiani indirectè esse dominum. Postremum hoc caput consultò intactum relinquerem, nullum enim mihi facessit negotium: attamen in disputationem vocandum duxi, tùm quia habet nonnulla, quæ eius opinioni fauere videntur, tùm quia viderer laborem subterfugere.

CAPVT X.

Disputationis pars prima.

QVod Christi Vicarius non sit dominus in toto orbe, sic demonstrasse existimauit Theologus iste doctissimus. Ioannis vltimo, committens oues Dominus Petro, illas dumtaxat eius curæ commendauit, quę illius erant, nimirum quæ baptismatis charactere essent insignitæ, & Christianam profiterentur militiam, igitur Summus Pontifex Christi Vicarius totiùs orbis non est dominus, multæ enim sunt orbis partes, in quibus Christianæ non sunt oues. Ad hæc, Papa nequit infideles iudicare, attestaute Paulo Apostolo ad Corinthios, illis verbis, *Quid ad me de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Ergo illorum non est dominus. Præterea, infideles Principes sunt veri Principes, & supremi suorum Regnorum quoniam dominium non fundatur in gratia, aut fide, sed in libero arbitrio, & ratione; nec descendit ex iure diuino, sed ex iure gentium, quia Deus approbat regna Gentilium in vtroque testamento. In Daniele legimus: *Tu es Rex Regum, & Deus Cęli dedit tibi Regnum, & Imperium &c.* Apud Matthæum quoque: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ait, Reddite, non Donate; sed Reddite, quæ illi iure debentur. Et Diuus Paulus ad Romanos: *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Iubet quin etiam, propter conscientiam Ethnicis obedire, at certè non teneremur Principibus obedire, qui non sunt veri Principes. Dicent fortè, Tenemur obedire, quia sunt Vicarij Papæ. Verùm hæc responsio nullius est roboris. Papa enim, si posset, nollet tales Vicarios, &, si posset, daret illa Regna Principibus Christianis, igitur non sunt eius Vicarij. Nouissimè, ridiculum est, asserere, à Deo [Papæ] datum fuisse ius in omnia Regna totius mundi, facultatem verò numquam ei fuisse concessam talium Regnorum. Quòd si quis dixerit, Papam esse Monarcham Spiritualem in toto orbe terrarum, nihilominus principatum huiusmodi numquam potuit exercere vbique locorum orbis. Respondet, Papam dici Monarcham spiritualem in toto orbe, non quidem, quod omnibus præsit hominibus, qui sunt in omnibus orbis partibus, sed quod præsit omnibus Christianis in toto orbe diffusis. Et rursum, ex hypothesi vera est elocutio: Si totus mundus fidem susciperet, planè toti mundo spirituali Summus Pontifex præesset. Verùm nec adhuc deest instantia. Alexander huius nominis Sextus orbem nuperrimè inuentum Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ diuisit. Respondet ille, non eo consilio à Summo Pontifice diuisum fuisse Regnum Regibus illis, vt proficiscerentur ad debellandos infideles, illorumque Regna occupanda, sed dumtaxat, vt eò adducerent fidei Christianæ præcones, ac tuerentur, atque protegerent, tùm eosdem Theologos, tùm suscipientes Dei verbum, ad propagandam fidem Christianam concionibus sacris, & laboribus eorumdem Theologorum, vtque auferrentur bella Christianorum Principum, qui in regionibus illis negotia erant habituri. Hæc quoad primum quæstionis membrum.

1. Cap. 5.
Cap. 2.
22. Cap.
13. Cap.

ARTICVLVS II.

Summum Pontificem non esse dominum totius orbis Christiani.

CAPVT XI.

IAm verò, quod non tantùm Christi Vicarius non sit dominus orbis terrarum in rebus

rebus temporalibus, verùm in ijs partibus, quarum Christiani sunt incolæ, ijs, quæ sequuntur rationibus nititur demonstrare. Si Papa (ita orditur ille) esset dominus totius Christiani orbis de iure diuino, vt asserunt, qui oppositam tenent sententiam, id sanè deberet constare, aut scripturis, aut Apostolorum traditione. A' scripturis nihil aliud habemus, nisi, datas fuisse Pontifici claues regni Cœlorum, clauium autem rerum terrenarum nulla sit mentio. Traditionem verò Apostolorum aduersarij nullam proferunt. Insuper, Christus non abstulit regna ijs, quorum erant. Christus enim, quæ bene se habebant, non venit demoliri, ac destruere, sed perficere; ergo, quando Rex fit Christianus, quod obtinebat iure terrenum regnum, non amittit, sed nouum acquirit ius ad regnum æternum, alioqui Christi beneficium obesset Regibus, & gratia destrueret naturam. Et confirmatur Sedulij carmine, quod publicè canitur à tota Ecclesia:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui Regna dat cælestia.

Præterea, si Papa est dominus totius orbis Christiani supremus, singuli Episcopi sunt Principes temporales in oppidis ipsorum Episcopatui subiectis: siquidem id, quod est Papa in Ecclesia vniuersali, est quilibet Episcopus in particulari. Verùm, Episcopos esse dominos vrbium, quarum sunt Episcopi, nec aduersarij admittunt, nec veritas concedit: est enim apertè falsum: igitur non est dominus totius orbis Christiani. Confirmat hoc auctoritate Sancti Ambrosij, dicentis: *Si tributum petit Imperator, non negatur, agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Et Athanasius, scribens ad agentes solitariam vitam: *Hosius Episcopus ait Imperatori. Tibi Deus imperium, nobis autem, quæ sunt Ecclesiæ, Christus commisit.* Nouissimè adducit testimonia plurimorum Pontificum, primum est Leonis in epistola ad Martianum Imperatorem, vbi loci Summus Pontifex fatetur, à Deo fuisse electum Martianum Imperatorem, ad Imperiumque vocatum. Et alibi asserit, auctoritatem imperij Martiani à Deo esse. Et similia habet in omnibus ferè epistolis, ad Theodosium, Martianum, & Leonem, sibi inuicem succedentes Imperatores. Gelasius, scribens Anastasio, quæ verba referuntur in Dec. ait: Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus iste regitur, auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas &c. Vbi animaduersione dignum est, Gelasium non loqui solùm de executione, sed de ipsa potestate, & auctoritate: ne dicant aduersarij, vt solent, Papam quidem habere vtramque potestatem, at executionem alijs demandare. Gregorius, Mauritio scribens, inquit: *Potestas super omnes homines, dominorum meorum pietate, cælitus data est.* Et Nicolaus: *Nolite præiudicium Dei Ecclesiæ irrogare: illa quippe nullum imperio vestro præiudicium infert:* Et infra: *Idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus legibus vterentur.* Hic etiam Pontifex non de sola executione, sed de potestate, & dignitate loquitur, quinimmò, si de sola executione verba faceret, id etiam sufficeret; etenim, quidquid habent Imperatores, Nicolaus à Christo eos id habere affirmat. Præter hæc, petit doctissimus vir iste: Vel potest Summus Pontifex auferre à Regibus, & Imperatoribus hanc executionem, tamquam ipse Summus Rex, & Imperator, aut non potest. Si potest, igitur est maior Christo: si autem nequit, igitur non habet verè potestatem Regiam. Insuper, Alexander Tertius, rogatus, an appellatio à Iudice sæculari ad Papam teneat, respondet: *Tenet quidem, in ijs, quæ sunt nostræ temporalis iurisdictionis subiecti, in alijs verò, secundùm iuris rigorem, credimus non tenere.* Quin etiam Can. Causam 2. ait Summus Pontifex, *Nos, attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Pontificem, de talibus possessionibus iudicare &c.* Innocentius Tertius scripsit, & ipse: *Ad firmamentum cæli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, maior est; quæ verò carnalibus, minor. Vt, quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Reges, & Pontifices differentia cognoscatur.* Quo in loco animaduertit, quemadmodum non est idem sydus Sol, & Luna, & sicut Sol non instituit Lunam, sed Deus ita quoque idem non esse Pontificatum, & Imperium, nec vnum ab alio absolutè pendere. Postremò cap. per venerabilem legimus, Pontificem solùm in patrimonio Ecclesiæ plenam habere potestatem in temporalibus, in alijs verò regionibus non item. Addendo; *Cum Rex in temporalibus superiorem minimè recognoscat sine iuris alterius læsione se iurisdictioni nostræ subijcere potuit, in quo videretur aliquibus per se ipsum (non tamquam pater cum filijs, sed tamquam Princeps cum subditis) potuit dispensare. Tu autem, noscens alijs subiacere, vnde sine ipsorum forsan iniuria, nisi præstarent nobis assensum in hoc subdere te non possis.* His arbitratur doctor iste cumulatè probari, Summum Pontificem, Christi Vicarium, Orbis Christiani dominium non habere.

In orat. de Trad. Eccl.

Dist. 96. cap duo sunt.

Lib. 2. ep. 61.

Nicol. ad Michael.

Cap. si duobus, §. denique, ex. de Appell.

Ex. qui fi. sint leg.

Cap. solitæ de maio. & ob.

Ex. qui fi. sint legi.

CAPVT XII.

Quæstionis propositæ tertij capitis expositio.

AT qui, vt totius orbis Christiani Summum Pontificem dominium ait non habere, ita, propè magis accedens ad negotium, negat omnino, in Christi Vicario esse rerum, vt dicunt, temporalium iurisdictionem directè. Quam sententiam, & ipsam quoque proprijs nititur fulcire rationibus, quarum prima hæc est. Christus, vt homo, dum in terris vixit, non accepit, nec voluit vllum temporale dominium. Summus Pontifex, Christi Vicarius, nobis Christum repræ-

repræſentat, qualis erat, dum hic inter nos viueret, igitur Summus Pontifex atque adeò, vt Summus Pontifex, nullum habet temporale dominium. Vtraque propoſito huius rationis probanda eſt, ac explicanda, & primo loco ea, quæ prima in ordine fuit adducta. Id verò, vt efficiat, ſupponit, Chriſtum fuiſſe quidem ſemper, vt Dei filium, regem, & dominum omnium terrarum, eo modo, quo eſt eius pater; verùm, regnum huiuſmodi eſſe æternum, atque diuinum, nec tollere dominia hominum, nec poſſe Pontifici conuenire. Præterea, Chriſtum fuiſſe, vt hominem, Regem omnium hominum ſpiritualem, & habuiſſe poteſtatem ampliſſimam ſpiritualem in omnes, tam fideles, quàm infideles, in ordine ad ſalutem æternam, itaut ad fidem, Sacramentaque ſuſcipienda poſſet eos aſtringere. Futurum erat poſt iudicij diem, hoc Spirituale Chriſti Regnum ſenſibile; atque conſpicuum, atque huius Regni gloriam hoc modo inchoatam eſſe in ipſo capite Chriſto, cum à mortuis ſurrexit. Verùm neque huiuſmodi regnum eſſe temporale, vt noſtrorum Regum, neque Pontifici poſſe communicari, cum ſupponat corporum reſurrectionem. Hæc autem omnia vti firma, & conſtantia eſſe aſſeuerat, ita non negat, quod potuiſſet Regiam accipere auctoritatem, ſi ei placuiſſet, ac cognouiſſet id ei expedire, quapropter, nec accepiſſe, neque etiam habuiſſe regnum, non tantùm executionem dominij, & Regni temporalis. Hoc autem ita probatur. Si auctoritatem hanc, & poteſtatem Regiam habuit, aut certè illam habuit, vt hæreditaria ſucceſſione, vel electione, vel iure belli, vel dono ſpeciali: verùm, nec ſucceſſione hæreditaria, nec electione, nec iure belli, nec ſpeciali dono: igitur nullo modo eam habuit. Probatur maior, ſingillatim vnamquamque partem accipiendo. Non quidem hæreditaria ſucceſſione, quoniam, etſi ex familia Regia eſt ortus, & atauis editus Regibus, attamen non conſtat, an ipſe eſset magis proximus Dauid, quàm alij multi, qui eiuſdem erant familiæ, ideòque tunc regnum ablatum erat à familia Dauid, idque Deo volente, qui etiam prædixerat, ex Iechoniæ familia, vnde Chriſtus deſcendit, nullum futurum Regem temporalem, eo modo, quo fuerat Dauid, & alij eius ſucceſsores. Hierem. *Hæc dicit Dominus, ſcribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec etiam erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in iuda.* Ex hoc autem natum eſse Saluatorem, Euangeliſta Matthæus ſcribit. Quod etiam titulo electionis regnum non habuerit, indè fit manifeſtum, quia adoleſcenti illi, roganti Dominum Ieſum, vt iudicium proferret in cauſa, quam cum fratre habebat, ita reſpondit: *O homo, quis me iudicem conſtituit, aut diuiſorem inter vos?* hoc eſt, neque Imperator, neque Reſpublica me conſtituit iudicem. Inſuper, cum nouit venire, vt raperent eum, Regemque conſtituerent, aufugit, & ſeceſſit in partem aliam. Neque iure belli, cum numquam bella commiſerit. Neque dono ſpeciali, quoniam, vt Diuus Auguſtinus, & Theophylactus aiunt, cum vellet Pilatum à ſuſpicione liberare, dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Confirmat hæc, quoniam nec vtilis, nec neceſſaria erat illi talis auctoritas, ſed potiùs ſuperuacanea, cum finis eius eſset redemptio humani generis, huius autem gratia ſpiritualis dumtaxat poteſtas ei erat opus, hac enim poterat etiam de rebus omnibus temporalibus diſponere, vti exiſtimaſset humanæ redemptioni expedire, his addendo temporalia non eſse æterna, ſed ortui, ac interitui obnoxia, at Chriſti regnum eſt æternum, atteſtante Dauide in illis verbis: *Ego conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion, montem ſanctum eius.* Dixit, *Conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion:* addendo, *Prædicans præceptum eius.* Docet illis verbis, qualenam regnum eius extiterit. Et apud Danielem: *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* His finem imponens, inquit: Si Chriſtus fuit Rex humano more, Regnum finem habuit, quando Dominus, ſydera ſcandens, ad Patrem Omnipotentem aſcendit. Secunda aſſumptio item probatur. Eam Summus Pontifex habet auctoritatem, quam habuit Chriſtus homo paſſibilis.

Hier. 22.

Cap. Luc. 12.

Ioann. 6.

Pſal. 2.

CAPVT XIII.

Nouiſſima particula exponitur.

QVarta tandem ſequitur particula, ſcilicet, Chriſti Vicarium habere poteſtatem temporalium bonorum indirectè. Ille etenim, licèt, vt Pontifex, nullam habeat merè temporalem, habet tamen in ordine ad bonum ſpirituale, ſummam de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum diſponendi poteſtatem. Hoc nonnulli explicant exẽplo artium quarumdam cum vna illarum ad finem alterius ordinatur. Gratia exempli frenifactiua, & equeſtris, vna harum alteri ſubordinatur, quoniam finis vnius, ad finem alterius natura propria refertur. Damnat doctiſſimus iſte Theologus huiuſmodi ſimilitudinem: ſiquidem in ijs artibus vna alteri ita ſubordinata eſt, vt, vna ablata, ſuperiore nimirum, auferatur & inferior. Verùm non ſic ſe habent poteſtates iſtæ: quoniam politica ſine Eccleſiaſtica poteſt conſiſtere, quod in infidelibus videmus manifeſtè. Quare, hac relicta, & abiecta ſimilitudine, aliam accipit, quæ fuit Gregorij Nazianzeni. Similitudo hæc eſt. Vti ſe habet in homine ſpiritus, & caro, ita in Eccleſia illæ duæ poteſtates ſe habent. Caro, & Spiritus ſunt duę res, quæ ab inuicem ſunt ſeparabiles, &, licèt ſint ſimul iunctæ, nihilominus ab inuicem poſſunt ſeparari, habet caro ſenſum, & appetitum, quibus reſpondent res, actus & obiecta proportionata, quorum omnium finis immediatus eſt ſanitas, corporiſque bona conſtitutio. Habet ſpiritus intellectum, & voluntatem, actus, atque obiecta propria, ac pro fine animæ ſanitatem, ac perfectionem. Caro inuenitur ſine ſpiritu, vt in brutis, è regione ſpiritus ſine carne, vt in Angelis. His fit conſpicuum, nullum iſtorum eſſe præciſè ob alterius gratiam. Inuenitur etiam caro adiuncta ſpiritui in homine, vbi, quoniam

In or. ad Po tim. per. & imp. ira.

niam vnam constituunt personam; necessariò habent subordinationem. Caro subest, spiritus præest, & licèt spiritus non se misceat actionibus carnis, verùm permittit, vt omnes suas exerceat actiones, vt in brutis exercet: attamen, quando hæ officiunt fini eiusdemmet spiritus, tunc spiritus carni imperat, eamque castigat, atque, si opus est, ieiunia indicit, aliasue imponit afflictiones, etiam aliquo detrimento corporis, & exanimatione, linguam cogit, ne loquatur; oculos, ne videant, & c. Pari ratione, si ad finem spiritus obtinẽdum necessaria sit aliqua carnis operatio, vt ipsa etiam mors, spiritus imperare potest carni, vt se, ac sua exponat, quemadmodum in martyribus est videre. Nec secus quidem politica potestas suos habet principes, leges, iudicia, & c. Ita quoque Ecclesiastica suos Episcopos, Canones, & iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem æternam, inueniuntur quandoque separatæ, vt olim Apostolorum tempore, quandoque coniunctæ, vti nunc quando simul sunt iunctæ, vnum efficiunt corpus, ideo debent esse connexæ,& inferior superiori subiecta, atque subordinata. Spiritualis itaque temporalibus non miscet se negotijs, verùm sinit omnia procedere,sicut anteaquam coniunctæ essent, dummodò non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad illum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest, & debet coercere temporalem omni ratione, ac via, quæ ad id videbitur esse necessaria. Comparat demum potestatem Summi Pontificis cũ Principibus sæcularibus, illorumque legibus, & foro: & inquit, quod, si cum personis Principum sæcularium comparetur Summus Pontifex, non potest vt Papa ordinariè temporales Principes deponere, etiam iusta de causa, eo modo, quo deponit Episcopos, idest tamquam ordinarius iudex, potest tamen mutare Regna, & vni auferre, alteriq; conferre, tamquam Princeps spiritualis, si id sit necessarium ad animarum salutem. Quod verò attinet ad leges, inquit, Papam, vt Papam non posse ordinariè condere legem ciuilem, vel confirmare, vel Principum leges abrogare, quia ipse non est Princeps Ecclesiæ politicus; tamen potest omnia illa facere, si aliqua lex ciuilis sit necessaria ad salutem animarum, & Reges nolint eam condere: E contra, aliam abrogare, si saluti animarum fuerit noxia, & abolere eam nolint Reges. De iudicijs etiam idem sentit, dicens, Papam ordinariè non posse de rebus temporalibus proferre iudicium, rectè ideo Diuus Bernardus ad Eugenium de consideratione dicebat: *Habent hæc inferiora iudices suos Reges, & Principes terræ, quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis*: Item *in criminibus, non in possessionibus, potestas vestra*. Lib: pri. Postremò: probat ciuilem potestatem subiectam esse spirituali ratione finis, ea ratione, quoniam temporalia subiacent spiritualibus, vnumque corpus sumus,& idcirco vna subordinatur ad aliam. Hæc excultissimus vir iste Theologus.



LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Propria affertur sententia. Quædam præmittuntur disputationis gratia.

HActenus in aliorum referendis sententijs horas attriuit. Nunc propositum argumentum expostulat, vt propriam tandem sententiam exponam. Credidi ego semper, veram esse Diui Thomæ sententiam, quàm legi apud eum secundo Sententiarum in calce illius Commentarij, vbi habet hæc verba: *Nisi fortè potestati temporali, etiam spiritualis coniungatur, sicut in Papa, qui vtriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis, & sæcularis, hoc illo disponente, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quam sententiam habet in libello de regimine Principum passim, & tertia parte Summæ: vt proprio loco fiet conspicuum. In Summo Pontifice est vtrauis potestas, seu iurisdictio, spiritualis, atque temporalis; &, vti omnium est eminentissimus in potestate spirituali, ita etiam in temporali, adeò, vt liceat de Christi Vicario illud similitudine quadam asserere, quod Plato in Timæo dixit de Deo, quærens in Timæo, quidnam esset Deus, respondit, *non est homo, non cælum, non bonum, sed quid præstantius.* Roget quis, an Summus Pontifex sit Dux, Rex, Imperator, anue Princeps, cautè respondebit, si negando asseret, esse quid præstantiùs, quid ve eminentius. Iam verò, cum sit omnium eminentissimus, Christique Vicarius, particulari, & vniuersali iustitiæ consulere debet, & ob id Reges, & Imperatores corrigere, siquidem, remota iustitia, scripsit Diuus Pater Augustinus, regna non sunt quidem regna, sed potiùs magna latrocinia: cum parua latrocinia quædam regna existant; munus illius est, proprius ac peculiaris labor, vt vna quæque iustitia ab omnibus vbique seruetur, nimirum, vt vnicuique, quod suum est, reddatur, atque, si alicui illata sit iniuria, & iniustè opprimatur grauamine, ab iniuria vindicetur læsus, à grauamine releuetur oppressus, vtque Respublica inualeat Christiana, ac in dies maiores vires acquirat, bonumque illius minimè perturbetur, præcipuè autem curare, vt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Iesu Christi Saluatoris nostri sponsæ dilectissimæ, populus subijciatur, at nulla certè iustitia esse potest, quæ hominem auferat à Deo: qui verò à dominio Ecclesiæ se subtrabit, proculdubio est iniustus, vt dicebat Pater Augustinus. Nec alteri hæc cura, quàm Summo Pontifici, potest conuenire: quoniam, vt scripsit Damascenus, eius est, prospicere rebus, quæ sunt in mundo, cuius fuit & concedere. Sicut autem omnium regnorum auctor est Deus, ita illorum est protector, & prouisor. Papa, Christi vicem gerens, cum omnes antecellat Principes, omnibus præcipere potest, lites, & contentiones illorum, nedum subditorum, audire, sententiam promulgando, finem illis imponere, vtilitati eorumdem prospicere, ad sui tutelam, & in auxilium eos vocare, vt iurisdictionem habens, illos, qui eidem iurisdictioni sunt subiecti. Neque inde sequitur, vt aliorum Principum derogetur auctoritati, detrahatur iurisdictioni, & potestatis quid imminuatur, hæreditario iure vel electione, vel donatione, alioue iusto titulo regna possidentium, siquidem liberè, vt iurisdictionis leges patiuntur, propriam possunt exercere auctoritatem, Regnorum testamento hęredes instituere, oppida, ciuitatesque donare, si iura regni hæc patiuntur, populis imponere leges, ac promulgare, eosque punire, puniendo interficere, nam quemadmodum principibus subiecti agrorum, domorum, hortorum prædiorumque liberum habent dominium, & hæc bona liberè possident, nec Principes illorum iurisdictione huic aduersantur liberę possessioni, possunt enim subdiți ea vendere, donare, iure legati, aut hæreditatis alijs relinquere, licèt, vbi adest necessitas, vtens suo iure Princeps, pro publico, & communi bono, & pro sui tutela possit subiectos in patrocinium proprium vocare, & bonis illorum vti: ita Christi Vicarius sua iurisdictione Principes ad Beati Petri patrimonij defensionem, tutelam vocare, leges promulgare, &, vbi occasio expostulat, delinquentes corripere, licèt liberi dicantur Principes, & liberè dominentur. Totius orbis Summus Pontifex dicitur Dominus, hac ratione, orbis inquam Christiani, non quod omnium prouinciarum fruatur Imperio, populos regendo, sed quoniam ea pollet auctoritate, quod virtute quadam, ac iurisdictionis potentia, omnes alias penetrat, eo modo, quem diximus, & ceteræ ab hac dependent, vt nunc fuit explicatum. Orbis infidelium potentia Dominus dicitur: quoniam, si populi infideles,

De Ciuit. Dei l. 4. c. 4.

De Ciuit. Dei l. 19. c. 21. l. li. 23.

les, & illorum Principes Christi fidem susciperent, huic primæ, & eminentissimæ iurisdictioni subijcerentur. Ordinariè exequitur iurisdictionem suam in Beati Petri Patrimonio, casualiter vero in omnibus Regnis: vt proprio loco fiet conspicuum. Hæc veritas à me est demonstranda: huiusque gratia adducendæ rationes, quas præcipuè à libris, quos ob illorum excellentiam BIBLIA dicuntur, hauriam: hoc est à verbo Dei frequenter, vt potero, accipiam testimonia, his enim nec maiora, nec digniora possunt excogitari, nedum inueniri. Vtar insuper attestationibus Summorum Pontificum, & sanctorum Patrum, quibus, ob magnam gratiæ copiam, qua Deus Optimus, & Maximus illos ditauit, sine vlla animi hæsitatione, magna est adhibenda fides. Ad hæc, vtar rationibus, & exempla in medium afferam: quoniam, vti mens splendore suffusa primæ lucis, nullum dat locum dubitationi, ita lumine veritatis, quæ demonstrationibus emicat, intellectus humanus illustratus, illico assentit conclusionibus. Illius natura hæc est, vt ex Aristotele colligere possumus, quod veritati adhæret, & in ea, vt in suo fine acquiescit: hinc principijs magis assentitur, quàm conclusionibus, quoniam in illis magis fulget veritas:
1. Metaph. Porro, demonstrationes sunt instrumenta,
1. poster. quibus intellectus lumine veritatis illustratur: exempla vero, & gesta plurimum prodesunt ad veritatem roborandam; quoniam, vti multis actionibus frequentatis generatur habitus, ita multis actionibus acquiritur rei possessio: qui non bis, ac semel re aliqua vtitur, tamquam propria, is profectò, dominium rei exercendo, dominum eiusdem rei cæteris se præbet. Porro, cùm à Summo Pontifice Principes errantes emendatos fuisse, nouosque electos actis Regno fruentibus ab eodem, fuerit demonstratum, Papæ potestatem à nulla alicuius Principis excellentia vinci, sed è contra ab ea cæteras præstantia, & eminentia superari, erit probatum. His vtendo medijs, hocque calcando iter, rem non aspiciam eminus, aut in superficie, vt Sotus voluit, dum dixit, ab ijs; qui superficie rem aspexerint, hanc defendendi sententiam, quam nunc profiteor, & verissimam esse credo. Non ero adulator, vt Catharinus clamat, sed, veritatem proferendo ex ijs fontibus emanantem, veritatis ero discipulus. Immo haud facilè video, nec satis intelligo, quomodo notam adulationis euitent illi, qui oppositam tuentur sententiam, (Catharinum alloquor, alios excipiendo) & vilipendunt hanc opinionem: hæc proprio non protulerim iudicio, sed grauissimorum, & Sanctorum virorum sententia. Beatus Antoninus habet hæc verba: *Qui autem dicunt, Papam*
3. par. su. t. 22. cap. 5. §. 17. *in orbe terrarum totum dominium habere super spiritualia, non autem super temporalia, simi-*
3. Reg. 20. *les sunt consiliarijs Regis Syriæ, qui dixerunt, Dij montium sunt Dij eorum, & ideo superauerunt nos; sed pugnemus contra eos in campestribus, & in conuallibus, in quibus dij eorum dominium habent, & obtinebimus contra eos, ad literam: sic hodie mali consiliarij adulatione pestifera seducunt Reges, & Principes terræ, dicentes, Dij montium, puta spiritualium bonorum, sunt Summi Pontifices, sed non Dij vallium, quia temporalium bonorum nullum dominium habent. Ideo in campestribus, in potentia scilicet bonorum temporalium, pugnemus contra eos, & obtinebimus. Sed, quid dicat eis Diuina sententia, audiamus. Quia dixerunt, inquit, Syrij, Deus montium est Deus eorum, & non Deus vallium, dabo hanc multitudinem in manu vestra, & scietis, quia ego sum Dominus.* Hæc vir ille sanctus. Quæ omnia exemplis confirmat, nimirum Iuliani Apostatæ, Mauritij Imperatoris, Theodorici Regis, Federicique Imperatoris. Iulianus insequebat in membra Christi, ac in caput, Mauritius Gregorium Papam persecutus est, Theodoricus Ioannem Papam Etruscum asperrimis carceribus, quæ adhuc seruantur Rauennæ apud ædes Diui Apollinaris, afflixit, in quibus tandem squallore, & inedia è vita cessit. Federicus Pontificem Maximum, temeritate percitus, diuexauit. Omnes auctoritati Pontificiæ repugnantes mortem contumeliosam obierunt. Augustinus Triumphus, vir sanctitate decorus, Sacraque Theologia clarus, qui ob hanc & illam dignum se præbuit, vt Sanctus Archiepiscopus Florentinus, vir tantæ existimationis, probatæque doctrinæ, eius positiones in hac materia passim amplecteretur, idem prorsus sensit, videns, validum esse hunc sentiendi modum. Ab hoc spectabili viro Beatus Antoninus nunc citatus mutuo hæc accepit. Is Augustinus in libro de potestate Ecclesiæ ait, adulatione pestifera adductos esse Aug. Trin. q. 55. art. 2.
illos scriptores, qui oppositam astruunt sententiam. Quare non adulationis causa, sed veritatis studio susceptus est iste labor: nec sum adeò mentis inops, vt ignorem, purissimas Summorum Pontificum aures verbis mendacij fœdandas non esse, mentem candidissimam officio adulationis turbandam, atque molestia, ac tædio afficiendam: mei non sum nescius, ac immemor, quem tantò magis dedecet mendacia, & adulatoria verba, quantò magis decet verissima enuntiare, veritatem sequi, illamque profiteri. Nimia simplicitate minimè ductus, ò Reuerendissime Catharine, sed veritate magistra, hæc pauca, & obiter ferè, materiæ necessitate compulsus, quantum attinet ad negotium nostrum, scriptis commendabo. Neque, si Summus Pontifex hæc aliquando audierit, aut viderit, ridebit: quæ risum mouent, sunt aut naturæ, aut artis deformitates sine læsione, animum nostrum mouentes: at hæc non est deformitas naturæ, aut artis. Oracula ita testantur, rationes sic erudiunt intellectum, res gestæ non secus docent. Non ægrè ferret doctissimus ille Theologus, cuius postremo loco fecimus mentionem, de sacro studio bene meritus, nec indignè accideret Sandero, aut Soto, si adhuc vitam viuerent, quod doctrinæ eorum opponerem. Illi æquo animo ferre nequeunt, vt contra sententiam, quam sibi probari docuerunt, palam, aut dictis, aut scriptis disseratur, qui propriam opinionem tamquam fœtum adeò diligunt, vt amore illius quodammodo perciti, existiment, nefas esse cæteros alienam habere, ab illa sententiam, nihil tale de viro sapiente est suspicandum: scribit, disserit, docet vt veritati præstò sit, quantum vires ingenij possunt subministrare, vt veritatis discipulus: cui ve-

veritati si quis alio tempore à se dissentiendo auxilium præstiterit, mirificè lætabitur: modestè, ni fallor, disceptabo, vt aliàs credo me fecisse, non vt videar aliorum contemnere labores, cæterisue supereminere, sed potiùs illos magnifacere à lectoribus habear. Rei igitur initium faciam.

CAPVT II.

In Christi Vicario Regiam dignitatem reperiri.

Regiæ dignitatis in Christi Vicario existentis disputationem aggressurus, non ab re futurum esse credo, si ab ijs, quæ magis sunt vniuersalia, exordiar. Ordo enim doctrinæ requirit, vt magis vniuersalia, ac simpliciora, specialibus & compositis præmittantur. Hoc nos sæpius monuit Aristoteles. Primo namque libro Naturalis Philosophiæ in procemio, ab vniuersalioribus, tanquam à notioribus, inchoandum esse, aiebat. Et in eodem libro sic scripsit: *Etenim secundùm naturam communia primùm dicentes*, Primò probemus, quod sit in Christi Vicario Regia potestas; mox, qualis sit, ostendemus. Quæri enim primò debet, an res sit, deinde qualis sit: docuit Aristoteles, docet & natura, quæ primò esse respicit, deinde illa, quæ sequuntur esse. Rationum hæc sit prima. In lege Naturæ, & in lege Moysi, in summis Sacerdotibus fuit apex vtriusque auctoritatis: igitur multò magis in summis Sacerdotibus sub lege Christi. Probo antecedens, deinde illationem facillimè ostendo. Sub lege Naturæ magnus Sacerdos Dei altissimi fuit Rex ille Salem Melchisedech, vt in libro Genesis sacræ est videre, cui Patriarcha Abrahamus, Chaldæorum splendor, decimas omnium obtulit. Sanctus Paulus, ad Hebræos scribens, tanti viri, Deo accepti, summi Sacerdotis, ac Regis, mentionem facit, & laudes, vt decet, prosequitur. Locum hunc Genesis ponderans Sanctus Hieronymus inquit, Hebræos sentire, & pro constanti habere, Melchisedech secundum genitum Noe fuisse, & affirmare ex temporum supputatione, illum vixisse, vsque ad Isaacum; addens, omnes primogenitos illius ætatis priscæ fuisse Reges, & summos Sacerdotes. Sub lege igitur Naturæ summi Sacerdotes fuerunt Reges, illisque vna, & altera regendi auctoritas extitit. Nec secus sub lege scripta. Primus ductor, Rector, ac Princeps populi illius, fuit Moyses, Deo, & hominibus carus. In Exodo legimus, quibus apparet vtramuis dignitatem in illo extitisse: *Altera autem die sedit Moyses, vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi, à mane vsque ad vesperam, quod cum cognatus eius, omnia scilicet, quæ in populo agebat, videret, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam?* Et paucis additis: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est, vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea, atque consilia mea, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in ijs, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cærimonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant. Prouide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui audient populum omni tempore; quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent, leuiusq; sit tibi partito in alios onere.* Vtriusque auctoritatis, temporalis, & spiritualis, mentionem facit sacra historia, & apicem vtriusque in Moyse extitisse ostendit. Hortabatur Ietro Moysem ad iudices substituendos, vt ab illis minores caussæ iudicarentur, hortabatur quin etiam ad dandam operam ijs, quæ ad cultum Dei attinebant. Primum munus, apicem Regiæ potestatis nobis ponit ob oculos, secundum vero culmen spiritualis dignitatis, si rem diligenter meditemur, fuit Moyses Sacerdos, ac summus Sacerdos. Sacerdotium inde deprehenditur, quoniam, vt in Exodo legimus, incensum Domino adoleuit, quod munus erat Sacerdotis, vt in lib. Paralipomenon, & Leuit. legitur, sanctificauit tabernaculum, & altare, obtulit sacrificia, & holocausta, Aaronem fratrem vnxit, Sacerdotemque consecrauit, quæ solus Sacerdos facere poterat. Et Dauid: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Summus Sacerdos, quoniam, vt iam locus adductus nos certiores facit, vnxit Aaronem. In Exodo, vbi Deus hæc præcipit Aaroni, manifestè magis omnia apparent. Alloquens Dominus Moysem, vt Sacerdotes eligeret, vocaret, vestiret, & vngeret, inquit: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis, de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nabad, & Abiu, Eleazar, & Ithamar, &c.* ait: *Applica quoque ad te*: perinde, ac si dixisset, Voca in coauditores. Et Caietanus, explicans Psalmi nonagesimi octaui verba nunc citata, nimirum, *Moyses, & Aaron inter Sacerdotes*, sic scripsit: *Ecce status Sacerdotalis eorum. Aaron siquidem fuit summus Sacerdos*, & Moyses fons Sacerdotij inuenitur, dum ipse consecrauit Aaron, S. Gregorius Nazianzenus, & ipse quoque hæc habuit: *Moyses Princeps Principum, & Sacerdotum Sacerdos, Aarone pro lingua vtebatur.* Et Sanctus Ambrosius in quæstionibus in Leuiticum: *Summi Sacerdotes erant Moyses, & Aaron.* Philo Iudæus, quæ de Moysi vita scripserat, conclusit his verbis: *Hæc est vita, hic exitus Moysis Regis, Legis latoris, Pontificis, & Prophetæ.* Cœteros si aspiciamus etiam Sacerdotes primos, id verum esse inueniemus Machabæi Iudas, Ionatas, Ioannes, & alij, ad Herodem vsque, Pontifices, & Duces populi extitere, quemadmodum sacer ille gestorum scriptor memoriæ hominum, & scriptis commendauit, quæ etiam à Iosepho de Antiquitatibus scribente adnotata fuisse comperio. In iudicibus idem est videre. In Heli vna, & altera extitit auctoritas. In Samuele apicem vtriusq; fuisse dignitatis, Regum nos monet historia. Cœterum, quoniam res illa nonnulla habet, quæ optimè faciunt ad hanc roborandam sententiam nostram, dilucidandamque veritatem, non ab re futurum esse duxi, si aliqua at-

Marginal notes: Tex.4. — Tex.57. — 2. Post. c.1. & 2. — Cap.14. — Cap.7. — Cap.18. — Cap.40. — Cap.26. — Cap.8. — Psal.98. — Cap.28. — In Orat. ad Nyssen. — Quæst. 23. — 12. 6.

1. 3. attentione locus ille perpendatur, Senuerat Samuel, vt primo Regum legitur, ætateque grandæuus, secum cogitans, proprijs humeris esse impar illud regendi onus, quodue æquius alienis illa insedisset sarcina, super populum Israelis, Ioelem, & Abiam filios iudices constituit, populus tumultuaria quadam seditione concitatus, filios Samuelis, eò quod auaritiæ essent dediti, habens contemptui, ad eumdem Samuelem iuit, summaque instantia efflagitauit, vt ei Regem constitueret, à quo inposterum esset regendus. Magnus ille vir, Propheta, sanctus, summusque Sacerdos, tumultu populi commotus, Dominum oratione consuluit: cui oranti hæc verba respondit: *Audiui vocem, & quæ locutus est populus tibi, optimè noui: non enim te abiecerunt; sed me abiecerunt, ne regnem super eos*. Hæc sunt Domini verba. Ex quibus colligo, in summo Sacerdote Regiam potestatem reperiri, quandoquidem ait Dominus, Non te, (Samuelem alloquendo) sed me abiecerunt, ne regnem super eos. Petebat populus Regem, qui non esset summus Sacerdos, contentio non erat, ac tumultus populi de auctoritate, sed de persona regnatura, supponebant tumultus illi auctoritatem Regiam: at lis erat de illo, in quo talis auctoritas collocanda esset. Colligitur insuper, apicem, & culmen huius dignitatis, in summo Sacerdote olim reperiri, adeò enim molestè tulit hanc iniuriam Dominus, vt sibimetipsi illatam reputarit, dixit, *Non te abiecerunt, sed me abiecerunt*. Quæ verba potestatem eminentissimam indicant. Confirmo hæc verbis Theodoreti, qui, explicans illa verba Psalmi, *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius*: ait: *Non temerè alijs prætermissis Vatibus, de ijs tantùm mentionem fecit, sed vt innatum furorem, & tyrannidem doceret, etenim Moysis, & Aaronis tempestate Sacerdotium subripere conati sunt, & Samuelis tempore diuinum regnum aspernati, humanum adamarunt.* Appellat vir sanctus auctoritatem, siue potestatem Regiam in summo Sacerdote existentem, diuinam; quæ verò reperitur in principibus laicis, humanam. Qui dicendi modus nos profectò docet, Regiam dignitatem in summo Sacerdote eminentissimè existere, & ab hac dignitate, & excellentia eam vinci, quæ in Principibus sæcularibus reperitur, tantumque superari, quantum humana à diuinis vincuntur. His stabile, & inconcussum sit nostrum antecedens, scilicet, in lege Naturæ, & Moysi, in summis Sacerdotibus fuisse Regiam potestatem. Superest, vt probemus illationem. Sacerdotium (ea sic ostenditur) Euangelicæ legis est multò præstantius Sacerdotio legis Moysis, & Naturæ. Si ergo in illis summis Sacerdotibus fuit Regia potestas, tamquam adiunctum, multò sanè magis erit in Christi Vicario, tamquam appendix, aut tamquam socia spiritualis potestatis. Confirma his, quæ habet Apostolorum Princeps, Beatus Petrus, dum ait: *Vos autem genus electum. Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Reperit promissionem Domini, populo Israelitico factam, quando mense tertio egressionis de Ægypto populus in solitudinem Synai venit, fixit tentoria populus in illo loco, ibique castrametatus

Theod. in Psal. 98.

1. Cap. 2.

est. Moyses ascendit montem, de quo vocauit eum Dominus, iussitque, vt populo ob oculos poneret beneficia accepta, nimirum, quod tot prodigijs, manuque potenti à grauissima Pharaonis seruitute, & dira tyrannide, qua miserrimè vexabatur, & molestissima, qua opprimebatur vexatione, esset liberatus. His non contentus Dominus, noua ei pollicebatur beneficia: Si pactum, & vocem eius audiuisset, peculiarem populum ex multis electum ei esse futurum. *Si ergo audieritis vocem, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea enim est omnis terra, & vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens sancta*. Hæc est promissio Domini, populum Iudaicum futurum esse peculiarem ex multis, populum electum Domino, cuius Regnum esset Sacerdotale. Hanc sententiam Beatus Petrus repetens, ostendensque, promissionem illam in populo Christiano cumulatam, & absolutam habuisse perfectionem, ait: *Vos estis Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Quod sanctus Historicus in lege veteri fecit adiectiuum Regno, nimirum Sacerdotium, dixit *Regnum Sacerdotale*, Diuus Petrus fecit substantiuum, & Regnum adiectiuum, scribens, *Regale Sacerdotium*: Debile fuit, ac longè inferius Sacerdotium veteris legis nostræ legis sacerdotio, viguit autem satis Regalis potestas in illa lege, ideò Beatus Petrus fecit Regnum adiectiuum. Si igitur sub lege Moysi in summo Sacerdote fuit Regia potestas, multò sanè magis in nostræ legis summo Sacerdote erit Regalis hæc auctoritas, vtraque simul iuncta est, Sacerdotio iunctum est regnum, primus Rex, qui constitutus fuit in populo electo, abiuncta hac potestate a summo Sacerdote, populi errore hoc factum fuit, & quia radicem non habuit pietatis, statim ac Regno potitus est, arsit impietate. Ideo Dominus primo Regum, loco iam citato, dixit, se abiectum fuisse. Hæc fuit sententia sancti patris Hieronymi in Oseam Prophetam, exponentis verba illa Prophetiæ, *Ipsi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognoui*. Cuius verba hìc libenter referam, vt, quantum possum, veritati inseruiam. Hæc sunt verba. *Tempore necessitatis, & angustiæ, quando captiuitas venerit, me inuocabunt, & dicent: Deus meus, & cognouimus te Israel, nos, qui appellamur Israel, scimus te, atque cognoscimus, & nomen Iacob, quod tibi placuit, seruamus antiquum, vt dicamus Israel, quibus respondit Dominus: Quomodo vocamini Israel, cum Israel proiecerit bonum, idest Dominum suum, à quo est appellatus Israel? idcirco quia Israel proiecit bonum, inimicus, hoc est Assyrius persequetur eum, atque comprehendet, qui me Rege deserto petierunt sibi Regem, sicut gentes reliquæ, & fecerunt contra voluntatem Dei. Denique, & Samuel eis dura exponit imperia, & filios eorum, & filias dixit Regibus seruituras, vt ad Dominum Regem clementissimum conuertantur, sed illi absque voluntate Dei principes extiterunt, & non eis suffecit hoc scelus, nisi maiori impietate facinus duplicaretur, vt argentum suum, & aurum, quod acceperat ad diuitias, & ornatum, in Idola verterent. Ergo Saul non ex voluntate Dei, sed ex populi errore Rex factus est, & quia radicem pietatis non habuit, statim vt regnare*

Exod. 19.

ca-

cœpit, *impietate succensus est*. Ex quibus verbis duo colliguntur: quorum alterum est, Regiam potestatem in summo Sacerdote existentem, eminentissimam, diuinamque esse. Ait: *Qui me Rege deserto petierunt sibi Regem, sicut gentes reliquæ*. Aliud est, grauem fuisse errorem populi illius, petere Regem, vti gentes tunc habebant. Hoc etiam adnotauit sanctus Thomas in calce secundi Sententiarum, vbi disputat, num omnis prælatio sit à Deo, exponendo Oseæ locum nunc adductum; sic scripsit: *Dicuntur, non ex Deo regnasse Iudæorum reges, inquantum dissuadente Samuele Regem sibi eligere voluerunt*. Obseruandum est secundo loco, (ad id redeo, vnde defluxit oratio) Regiam auctoritatem summi Pontificis auctoritate esse longè inferiorem: vt colligi potest ex verbis Sancti Petri, Theologorum Principis, ac summitatis antiquissimæ, sicut dixit Sanctus Dionysius, in ijs, quæ de Beato Ierotheo ad Timotheum scripsit (nomine Theologorum appellabantur Apostoli, teste Damasceno, tum in libro Transfigurationis Domini, tum alibi, quoniam verbum Dei disseminabant, & ex suggestis conciones habebant ad populum, verbum illud sanctissimum prædicantes) apertissimè, ac manifestè. Adiectiuum facit Regnum, Sacerdotium substantiuum. Quod etiam legimus in cap. solitæ benignitatis affectu. Vbi summus Pontifex Imperatori irato, quia literis Pontificijs à Christi Vicario fuerat reprehensus, dixit: *Potuisses autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo intelligere potiùs, quia dictum est non à quolibet, sed à Deo; non Regi, sed Sacerdoti; non de Regia stirpe, sed de Sacerdotali prosapia descendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce constitui te super gentes, & regna; vt euellas, & dissipes, ædifices, & plantes*. Arguit Papa, argumento accepto à loco topico, à minori ad maius, affirmatiuè, qui modus arguendi indubiam facit fidem. Si enim quatuor, aut quinque militum centuriæ oppidum capere, & depopulari possunt, eorumdem myrias multò magis proculdubiò poterit hæc facere. Si à Domino constitutus est Sacerdos super Regna, vt plantet, euellat, & destruat, multò sanè magis omnium Sacerdotum summus, & Princeps Christi Vicarius, hæc facere poterit. Verùm prosequamur probationum seriem: & arguamus sic. Dominus, instituens, sibi Vicarium, dixit: *Petre, diligis me plus his*. Cui respondens Petrus: *Tu scis, Domine, quia amo te*: Ait Dominus, *Pasce oues meas*. Petrus præponitur ouibus, igitur vtrauis auctoritas ei data fuit, Regia, & Pontificia; spiritualis, & temporalis. Probanda est hæc illatio. Audio enim Catharinum, & Sotum, dicentes, in sola Ouium pastura consistere hoc munus, à Christo Beato Petro iniunctum. Quæ responsio, & interpretatio, verbis nimis est incommoda, illisque vim infert. Probando hoc apparebit. Ostendo igitur. Pascere oues, in sacra Scriptura, vti spiritualem, ita temporalem amplectitur potestatem, qua quis alicui præficitur Reipublicæ, & potest ius dicere statuendo, decernendo, sententiam pronunciando, leges promulgando, quibus legibus, statutis, decretis iusdicenti populus tenetur obedire, eaque rata, ac iusta habere.

q. 1. vl. dist. in resp. co. 1.

S. Dyon.

Dom. in vi. Barla. & Iosaph. SS. in diæ.

De mai, & ob.

Hier. 1.

Possem innumera propemodum adducere sacræ Scripturæ loca, vbi Reges appellantur Pastores, & Pascere idem prorsus significat, quod temporali dominio regere: ac, quoniam meum non est consilium exemplis scripturam onustam hanc facere, paucis ero contentus. Ab Ezechiele incipiam, dicente. *Et suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem*. Dauidem autem profectò Regem fuisse, non autem Sacerdotem, norunt omnes. Rursus idem Sanctus Vates: *Et seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum*. Isaias ipse quoque hac phrasi verborum est vsus, loquens de Cyro Rege, quem tot, tantisque laudibus Xenophon, celebrauit elegantissimè: *Quid dico Cyro. pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis?* Nulla proculdubio fuit in Rege Cyro Sacerdotalis dignitas, nihilominus Pastor appellatur ab Isaia. Alibi quoq; conquerebatur de Regibus, dicens: *Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam*. Ieremias passim hoc loquendi modo est vsus. Regum peccata reprehendens, dicebat: *Et tenentes legem, nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me*. Et in alio loco: *Omnes pastores tui pascunt ventos*. Regum secundo libro: *Tibi dixit Dominus Deus tuus, Pasce populum meum Israel, & erit princeps super eum*. Quæ loca omnia ad vnum de Regibus sunt accipienda: vt inspicientibus patet. Verùm, omissis, quos possem adducere, locis, his similibus, ad verba Euangelij Iesu Christi Saluatoris nostri me conuerto, & præsertim ad Græcam scripturam, qua Beatus Ioannes Euangelista scripsit Euangelium. Dominus, ad Petrum oculos conuertens, illum alloquendo, ter interrogauit, num ab eo diligeretur magis, quàm ab alijs, maiorem à Petro requirebat caritatem, cuius fidei erat maiora commissurus. Ter Apostolus, cum affirmasset à se diligi Dominum, commissus est ei grex illis verbis: *Pasce oues meas*. Constituens Vicarium Petrum Dominus, non semel, ac bis dixit, *Pasce*, sed ter, *Pasce, pasce, pasce*, Euangelista duplici verbo vsus est ad hoc exprimendum. Primo *vosce*, Secundo *poimaine*, Tertio *vosce* Verba hæc vti diuersa sunt inter se, ita variam, ac diuersam habent significationem, *vosce*, significat pascere, *poimaine*, autem regere. Psalmo secundo, vbi Latinus codex legit, *Reges eos in virga ferrea, &c*. Græcus habet *poimaneis aytoys en raudosidira*. Et Psalmo vigesimo secundo, vbi Latinus legit, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, Græcus habet, *cyriospoimainei me*. Summatim, vox illa *poimaine*, regere significat. Nouerat planè sanctus Euangelista harum vocum vim, & proprietatem. Prima non contentus, qua vtramque potestatem possumus intelligere, vt omnis prorsus euelleretur scrupulus, nullusque daretur dubitandi locus de temporali potestate, relicta à Saluatore Vicario suo super oues, dixit *vosce*, & *poimaine*. Dicet fortè aliquis, quod regere ibi loci significat iurisdictionem spiritualem, verùm difficile hęc interpretatio potest huic loco conuenire, quoniam, si pastor est, gregem ducit, ductor autem gubernat, & regit. Ideò, cum voce Pastoris intelligatur ordo, & regimen;

Cap. 34.

Cap. 37.

Cap. 44.

Cap. 56.

Cap. 2.

Cap. 22.

Cap. 5.

Io. cap. vlt.

dum

dum adijcitur vox illa *poimaine*, temporalis iurisdictio debet intelligi. Quare, si phrasim Scripturarum sequamur, quam proculdubio sequi necesse est, si Græcum attendamus codicem, & linguam, necesse est fateri, dum Iesus Saluator noster verbis illis Pasce, pasce, pasce oues meas, Vicarium instituit, huic temporalem, & spiritualem potestatem commiserit. Præter hæc, arguamus sic. Petrus Christi loco est suffectus, igitur & spiritualem, & Regiam habuit potestatem. Probatur illatio. Idem est dominium, eademque auctoritas delegantis, & delegati. at in Christo fuit vna & altera potestas. igitur & in eius Vicario. Non me latet, minorem hanc aduersarijs non arridere. ab illis reijcitur. est enim vna ex præcipuis basibus, ac fundamentis, cui ferè totum eorumdem innititur ædificium, vel saltem bona pars, quod in Christo non fuerit Regia potestas temporalis Quare, si in probanda hac immorabor propositione, venia dignus ero. Ostendo igitur, in Christo Domino nostro fuisse Regiam potestatem temporalem. Cum natus esset Dominus Iesus in oppido Iudaico Bethleemitico, Reges sapientes Orientales, proprijs relictis domibus, in Palæstinam venerunt, Hierosolymamque ingressi, homines interrogando, dixerunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Dominum appellant Regem, talemque muneribus confitentur. Dicet fortè aliquis, non tamquam Regem temporalem, sed vt Regem æternum, à Regibus Orientalibus Saluatorem muneribus fuisse veneratum. Verum hæc responsio historiæ Euangelicæ durè potest accommodari. Narrat Sanctus Euangelista Matthæus, horum Regum nuntio Herodem turbatum, vniuersamque ciuitatem fuisse commotam, manante per omnes plateas eius rumore, famaque per omnes vias eunte. fremuit adeò Herodes, ac timuit, ne regnum amitteret noui huius Regis magni ortu. vt, barbarie immanissima, in paruulos innocentes insæuiendo, à bimatu, & infra, iusserit trucidari in finibus illis. Herodis hæc commotio non aliunde profecta est, nisi à Magorum colloquio, quo Regem Iudæorum Dominum Saluatorem nostrum Regem temporalem agnoscebant, & confitebantur. nec enim ob Regem spiritualem excanduisset Herodes, nec adeò sibimet timuisset, vt impulsus timore mandasset paruulos innocentes tanta barbarie, & immanitate occidi, magna proprij Regni iactura, siquidem nouo Rege spirituali adueniente, legem absoluturo, poterat perdurare Regnum illius. Commota est vniuersa ciuitas, vel quoniam noui Regis nuntio accepto, si esset alienigena, regnum Hebræi amitterent, vt aliàs dixerunt de Romanis; vel, si ex suis existeret, sperabant, vt ab oppressione liberarentur Iudæi. ægrè ferebant tributum dare Cæsari, frequenter habentes in ore, *Abrahæ filij sumus, & nemini seruiuimus.* Hanc ob eamdem causam Saluatorem interrogauerunt Dominum, an liceret tributum dare Cæsari. Quare quodcumque horum admittamus, semper argumentum subministrabit ad probandum, quod vt Rex temporalis tunc agnitus fuerit. quod & munera ei à regibus oblata indicant, vt Iuuencus presbyter adnotauit. quem Sanctus Gregorius Papa, & cum eo quamplurimi summę auctoritatis doctores sancti, obseruauerunt. Insuper in eodem Euangelij libro hęc leguntur: *Cùm venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magister vester non soluit didrachma. Ait, Etiam. Et, cùm intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Iesus. Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, ascende ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te.* Locus est apertissimus, omnem penitùs reijciens interpretationem. Scandalo moti didrachmatis exactores, Petrum interrogant, cur Christus Dominus noster tributum non solueret. Quæstio hæc est de censu, qui temporalibus soluebatur Principibus. Dominus, vt propriam ostenderet immunitatem, causamue, cur non solueret, interrogat Petrum, quinam essent immunes ab hoc onere soluendo, an filij Regum, an subiecti. Respondente Petro, subiectos esse illos, qui tributa soluunt, infert Dominus, Regum filios liberos esse, ipsumque immunem, & hæc causa erat, cur tributum non solueret; nihilominus iubet Petro, vt eat ad mare, piscem capiat, os eius aperiat, in quo staterem inueniet, quo exactoribus soluat tributum; non quod teneretur, sed ne illis esset scandalo. Hic sermo est de potestate Regia temporali, quod sanè inficias ire non possumus; huic namque tributa, & vectigalia subditi soluunt, à solutione immunem se esse, ait Dominus; quoniam Rex erat, & Regali prosapia oriundus. Confirmare possumus hæc omnia patris Hieronymi auctoritate, qui, locum illum exponens, ait, *Dominum secundùm carnem, & secundùm spiritum,* filium fuisse Regis. Verba huius magni doctoris hæc sunt: *Dominus noster, & secundùm carnem, & secundùm spiritum filius erat Regis, vel ex stirpe Dauid generatus, vel omnipotentis Patris verbum; ergo tributa, &c.* Insuper ingredienti Domino Hierosolymam, occurrit turba copiosa Asinæ insedenti, turba hæc vestimenta strauit in via, ramos ab arboribus abscidit, magnoque aclamatu illum recepit. Cur autem Asinæ supersederet Dominus, enarrans Euangelista, ait, ea de causa fuisse factum, vt, quæ iam prædixerat Zacharias Propheta, adimplerentur: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum eius.* Vt Rex temporalis recipitur Dominus acclamatu, & modo, quo vtuntur populi ad recipiendum Principem temporalem, nec turba illa vt Messiam Saluatorem recepit: quoniam mysterium istud eam tunc latuit; igitur in Saluatore nostro Regia fuit temporalis potestas. Confirmemus hæc. Quoniam Saluator noster mittens discipulos ad accipiendam asinam, & pullum eius, ait illis: *Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi: &, si quis aliquid dixerit vobis, dicite, Dominus his opus habet, & confestim, dimittet eos:* Dominium exercuit, & Regiam potestatem hoc actu,

Matth. 2.

cap. 17.

Idem S. Augustin. de consen. Euang. cap. 1.

Matth. 21.

cap. 9.

actu, vt vnusquisque videre potest. Ad hæc, Ioannes Euangelista, capite nono, narrat, mulierem quamdam adulteram coram Domino adductam fuisse à Iudæis, qui Dominum interrogarunt, quid de illa esset agendum. Ijs Dominus dixit: Quis illorum esset sine peccato, primus in illam iaceret lapides. Quibus enunciatis verbis, inclinans se, cœpit in terra scribere. Hebræi, vel redarguente illos propria conscientia, vel quod Scriptura digito Domini in terra exarata, peccata illorum nefanda sibi ipsis objici cognoscerent; intacta relicta muliere, abierunt; cùm verò omnes recessissent, conuersus ad mulierem Dominus, dixit: *Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit, Nemo, Domine*. Statim respondendo, subiecit Dominus: *Nec ego te condemnabo*. Actus iste, est iudiciatius, & non ad spiritualem, sed ad temporalem attinet potestatem. *Nos non iudicamus quemquam*: siquidem de vita, & morte agitur. Porrò cùm Dominus dixerit. *Qui sine peccato vestrum est, primus in illam lapidem mittat*, iudicium profert: igitur in illo erat potestas iudicandi. Confirmari potest, quoniam, nisi in illo hæc fuisset auctoritas, non dixisset Dominus, *Neque ego te condemnabo*. Insuper, in eodem Euangelio
cap.19. legimus, quod Hebræis clamantibus coram Pilato, ab illoque flagitantibus, vt crucifigendus traderetur Christus, respondit ipse, *Regem vestrum crucifigam*. Cui responderunt, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Colligitur ex hoc loco, in Saluatore nostro agnitam fuisse à Pilato potestatem Regiam temporalem; siquidem, dum ait, *Regem vestrum crucifigam*? & illi respondent, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, de Rege, ac Regno temporali, non autem de spirituali, est sermo. Cognitio hæc, quam habuit Pilatus, à quonam ortum habuit principio? A nullo certè alio, nisi aut à fama, quæ vagabatur, aut ab aliquibus gestis, quibus Regiam in seipso demonstrauit esse potestatem. Habuit pro constanti hoc Pilatus, ideò in tabella, quæ capiti Saluatoris super posita fuit, inscriptum erat: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum*. In hac sententia perseuerauit, quando Iudæi, indignè ferentes inscriptionem illam, à Pilato petierunt, vt immutaretur in hac, quod se faciebat Regem Iudæorum; respondit Pilatus, permanens in sua opinione, *Quod scripsi, scripsi*. Ad hæc, dicentibus Hebræis Pilato, quod scriberet, quia ipse dixit, *Ego sum Rex Iudæorum*, aliquo modo videntur assentire, aliquando innotuisse Regiam potestatem Christi, quam æquo animo ferre nequibant. Sanctæ Ecclesiæ Doctores non adeò in hac re dubiè scripserunt, vt sine hæsitatione nobis non liceat hanc veritatem de illorum sententia asserere. Sanctus Pater Hieronymus, vt retrò vidimus, manifestè id sentit. Pater Au-
De Conf. Euan. gustinus alicubi dicebat, quia Christus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos, idcircò factum fuisse, vt ex Euangelistis quidam à Sacerdotio, quidam à diuinitate, quidam à natiuitate Euangelij faceret initium. Notanda sunt verba Patris Augustini, & diligenter consideranda. Triplex faciunt Euangelistæ propriæ historiæ initium, à diuinitate, à Sacerdotio, & ab Ortu Saluatoris: quoniam futurus erat Saluator Rex, Propheta, & Summus Sacerdos. Prophetiæ principium, à diuinitate acceptum. Sacerdotij initium sumptum ab eadem dignitate. Regis autem exordium à Christi Ortu. Porrò, cùm natiuitas hæc sit secundùm humanitatem, igitur ratione humanitatis Christus fuit Rex, iuxta huius magni Patris sententiam. Hæc eadem colliguntur ex ijs, quæ scripsit super Ioannem. Idem etiam legimus in quadam Homilia ma- Trac.15.
gni Ioannis Chrysostomi in eumdem Euangelistam. Hom.893. Idem habet Hilarius in Matthæum cap.1. cuius hæc sunt verba: *Matthæus paternam originem, quæ ex Iuda, recenset: Lucas verò acceptum per Nathan ex tribu Leui genus edocet suis vterque partibus Domino nostro Iesu Christo, qui est æternus Rex, & Sacerdos etiam in carnali ortu, vtriusque generis gloriam probauerunt*. Nil apertiùs Beatus Thomas adeò conspicuus fuit in re proposita, vt nihil clariùs possit desiderari. De regimine Princi-
pum, annumerans varias Monarchias, tem- Lib.3. c.12.
porum lapsu sibi ipsis succedentes, nimirum Assyriorum, Medorum, Græcorum, & Romanorum; cum ad postremam hanc peruenit, habet hæc verba: *Post hanc Octauianus, filius sororis suæ, successit, qui, vindicta exercita contra occisores Iulij, interfectoque Antonio, qui Monarchiam tenebat in Orientalibus, ipsam obtinuit. Et propter suam modestiam longo tempore in ea Principatum habuit, ac in anno quadragesimo sui regiminis, impleta septuagesima septima hebdomada secundùm Danielem, sui dominij cessante regno, & Sacerdotio in Iudæa, nascitur Christus, qui fuit verus Rex, & Sacerdos, & verus Monarcha. Vnde, post resurrectionem apparens discipulis suis, dixit, Data est mihi omnis potestas, siue in cælo, siue in terra. Quod quidem ad humanitatem oportet referre, secundùm Augustinum, & Hieronymum, quia de diuinitate nulli est dubium, quin semper habuerit*. Hæc est sancti Thomæ scriptura. Qui locus haud dubiè lectorem docet, in Christo fuisse potestatem Regiam temporalem, secundùm humanitatem. Ait beatus Doctor, loquens de Monarchijs temporalibus, cessante Iudæorum Regno, & Sacerdotio, Christum fuisse natum, aduentu autem illius nouum fuit Regnum, nouaque Monarchia: & loquitur de regno temporali; hoc vt nobis innueret, dixit, *Quia de diuinitate nulli dubium est, quin semper habuerit*, idest, quin semper fuerit Rex. Audio nonnullos nimis senticosos, dicentes, librum hunc non fuisse sancti Thomæ. His ego dicam, quod, ea auctoritate, qua hoc asserunt, eadem aio esse huius Doctoris opus. Addo, quod conclusiones, & fundamenta conclusionum sibi inuicem respondent. Tertia parte Summæ, vt infra Dei auxilio patebit, hoc scripsit. In secundo Sententiarum apicem vtriusque dignitatis in Summo Pontifice reperiri, asserit, quæ conclusio à prima dependet. Porrò, cùm loca doctrinæ sibi consentiant, & stylus admodum sit similis, quomodo non possimus dicere sancti Thomæ istud esse opus, ignoro. Accedit, quod hucusque inter opera sancti Thomæ opusculum illud semper fuit connumeratum. Mos est nonnullorum, qui, dum alio modo doctrinam scribentis aut sustinere, aut reijcere nequeunt, confugiunt ad hoc, quod auctoris sit spurium

opus.

opus. Ad rem redeo. In eodem libro alibi
3.lib.4.c.13. scripsit: *Et inde est, quod, quamuis adoraretur à Magis, glorificaretur ab Angelis, in signum vniuersalis sui dominij, humili tamen loco iacuit, vilibus inuolutus pannis, qua quidem via homines meliùs ad virtutem trahuntur, quàm armorum virtute*. Ibidem hæc confirmans, accipit id, quod narrat Lucas Euangelista in Domini nostri ortu, nobis semper felicissimo, nimirum, à Cæsare Augusto edictum fuisse, vt describeretur vniuersus orbis, hac descriptione soluebatur census in subiectionis testimonium: vt infra, Deo fauente, fusiùs sumus dicturi. Agnoscit hanc descriptionem mysterijs grauidam, & prægnantem sanctus Doctor, & ait: *In humilitate ergo vixit, & demùm in Augusto substituit, vt describeretur vniuersus orbis, in ortu Domini, vt Lucas Euangelista testatur, & in hac descriptione soluebatur census, siue tributum, vt historiæ tradunt, in recognitionem debitæ seruitutis, non sine mysterio, quia ille natus erat, qui verus erat mundi Dominus, & Monarcha, cuius vices gerebat Augustus, licèt non intelligeret, sed nutu Dei, sicut Caiphas,
cap.14. prophetauit*. In eodem libro, vbi differit, cur si Rex fuerat Christus abiectam tamen elegerit vitam, admittendo Regem esse, (& loquitur de temporali Regno) respondet, fuisse voluntariam illam abiectionem, & idcircò in ætate infantili magis apparuisse excellentiam dominij, nimirum Magorum adoratione Regem Iudæorum attestante, Herodis in pueros innocentes strage, quàm in adulta ætate, vt insinuaret, voluntariam fuisse eius abiectionem. In eodem libro, explicans causam, cur, cùm esset Dominus orbis, humilem amauerit statum, ait: *Quamuis enim temporaliter esset Dominus orbis directè, tamen ad spiritualem vitam suum ordinauit principatum*. Ibidem proximè, assignans rationem, cur, si Rex erat, Pilato dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo*: inquit: *id dixisse, ad tollendam suspicionem de cordibus hominum, quod quasi principatum assumpsisset, vt in mundo dominaretur, & esset eius finis, vt aliorum Principum vitam abiectam elegit, & tamen erat verus Dominus, & Monarcha*. Passim in eodem libro in hac perseuerans sententia similia scripsit. Tertia parte sum-
Quæst.69. art.4. mæ, differens de iudiciaria Christi potestate, (qui locus infra adducetur) idem voluit. Ad hæc, probemus in Summo Pontifice Regiam potestatem reperiri redeuntes ad rem propositam, longa vsi sumus oratione in probanda illa assumptione, quoniam oppositum illius est (vt diximus) vnum ex præcipuis fundamentis aduersariorum. Argumentum est hoc. Ea est in Summo Pontifice auctoritas, quàm Dominus noster Petro commisit, cum ad Cælos esset ascensurus, Vicarium eumdem instituit; Ecclesiam ei commendando; at hæc potestas est tum spiritualis, tum temporalis: igitur in Papa est vna, & altera potestas maior adeò est conspicua, vt omnem prorsus negligat probationis speciem, minor verò facillimè probatur. Ascensurus ad Cælum Iesus Saluator noster, cum discipulis verba faciens, ait: *Data est mihi omnis*
Matth.vlt. *potestas siue in cælo, siue in terra*. Vt intelliget, & Beatus. Petrus, & nos omnes cum illo, quæ potestas illi fuisset concessa, qua vè fungeretur auctoritate Christi Vicarius: nimirum, spirituali, & temporali, quàm habuit Christus, quatenus homo: vt nunc ex Sancto Thoma, Beato Hieronymo, & Patre Augustino recitauimus. Confirmemus hæc verbis Nicolai Summi Pontificis, scribentis ad Mediolanenses, vt Can. omnes videre licet. *Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cælestis imperij iura commisit*, Qui opposi-
tam habent sententiam, huic rationi nostræ, Dist.22.
& confirmationi respondent, glossando illa verba ex Euangelio Sancti Matthæi adducta, *Data est mihi omnis potestas siue in cælo, siue in terra*, id est, vt regnem in cordibus fidelium per fidem, vt in Cælo sum Rex Angelorum. Confirmationi autem, dicunt, non inueniri inter epistolas Nicolai; id quod citatur à Gratiano; & si inuenitur, sensum verborum hunc esse à Christo commissa fuisse iura cælestis; & terrestris regni, id est, Christus concessit Petro, vt quod ille solueret in terris esset solutum in Cælo allusitq; ad illud verbum, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælo*: Neutra istarum responsionum quidquam prodest. Non prima quidem, quoniam, cum duæ essent in Christo potestates ratione humanitatis, & verba illa sint referenda ad humanitatem, secundùm quàm Rex erat, & summus Sacerdos, vt ex Sancto Thoma, Beato Augustino, & Beato Hieronymo retro diximus, vtramque hic accipere debemus. Quod si, hunc locum interpretando, Sanctus Hieronymus vnam accipit dumtaxat potestatem, non tamen inde sequitur, vt vna, & altera in Christo non fuerit potestas, quod confirmari potest, notula illa *Omnis*, vt etiam iurisperiti aiunt, verificatur saltem in duobus, cum dixit *Omnis*, vnam, & alteram potestatem necesse est accipere, & ideò sequitur, *siue in cælo, siue in terra*, illa alternatiua refertur ad *Omnis*: alter autem dicitur de duobus. Secunda responsio duplex est, primò negat, deinde respondet. Latini dicere solent (de Logicis, & Philosophis loquor) per negationem, & fiduciariam respõsionem, seu per instantiam, & fiduciariam reprobationem apud Aristotelem frequens est vsus huius vocis, *Instantia*, pro negatione. Græci dicere solent per Eustasin, & Antiparistasin. Verùm, vt ingenuè fatear negare, id, quod tot sæcula approbarunt, nimis durum videtur longo vsu temporis lex illa per scholas vagata est, atque vt Nicolai Summi Pontificis recepta, & dato quod illius Papæ non esset, tamquam Sanctio Pontificia habita, ac recepta, robur habet. Videns fortè hasce instantias auctor responsionis, secundam primæ addidit responsionem, quæ nec ipsa euertit argumentum. Inquit lex illa, *Æternæ vitæ clauigero terreni, simul, & cælestis imperij iura commisit*. Duarum potestatem ab inuicem distinctarum fit mentio, vt notula illa *Simul* fidem facit apertam: at id, quod soluit Petrus in terra; sit solutum, & in Cælo, vnius dumtaxat potestatis est actus, ad spiritualem nimirum spectans, quare ar-
gumentum permanet inconcussum. Nouissi- De for. cõ. cap licèt &
mè arguam. Vacante Imperio, Papa vtitur Cl. de re iu,
Imperatoris auctoritate: igitur in illo vna, cap. pastoralis.
& altera reperitur potestas. Antecedens est Innocentij huius nominis ij, & Concilij Vienen-

nen-

nensis, Respondent nonnulli, Pontificem Maximum succedere non in omnibus, sed solùm in auctoritate iudicandi, & condemnandi eas causas, quæ à solo Imperatore solent iudicari, & quæ non patiuntur facilè moram. Acu (vt dicitur) rem tetigerunt, concedunt, hac responsione, in Papa esse iurisdictionem temporalem supremam, quod passim negant. Si Pontifex Maximus habet potestatem causas iudicandi ad solum Imperatorem attinentes, igitur potestas Imperatoria, quæ omnium potestatum est maxima, & suprema, erit in Papa. Atqui, quoniam hoc est, quod existit summa huius negotij, præsentisque disputationis pars præcipua, & hactenus probauimus in Christi Vicario reperiri temporalem iurisdictionem, nunc demonstremus auctoritatem huiusmodi esse omnium supremam.

CAPVT III.

Christi Vicarij potestatem Regiam esse omnium supremam, aliasque cunctorum Principum auctoritates antecellere.

AGe, qualis nam sit ista Summi Pontificis potestas, demonstremus: nimirum, omnium aliarum primam, & supremam. Conclusio, ijs, quæ hactenus explicata fuerunt, licèt possit esse ferè conspicua, nihilominus speciatim hic, tamquam in proprio loco, est à nobis demonstrationibus confirmanda. Harum autem sit hæc prima. In omni genere necesse est deuenire ad vnum primum, quod sit metrum, & mensura aliorum, & accessu, & recessu ab eo, & ad illud: cætera iudicanda. Auctoritas, & potestas, sunt vnum genus: igitur in ijs erit deueniendum ad vnam primam, quæ sit metrum, & mensura aliarum, à qua aliæ iudicentur. Iam verò, cum in Summo Pontifice ea existat Regalis Maiestas, quæ fuit in Christo Domino nostro: igitur in illo erit apex, & culmen Regiæ auctoritatis: siquidem illa maior proculdubio nulla potest excogitari. Adhæc, Reges, & Imperatores à Summis Pontificibus vnguntur; igitur Papæ auctoritas omnium erit maxima. Antecedens, tum à lege veteri, tum à noua, vires obtinet. Primus, qui Rex extiterit populi Dei, fuit Saul: vt sacra Regum nos docet historia. Dominus, Samuelem alloquendo, dixit. *Vnges eum super populum meum Israel.* Cum verò à Samuele vngeretur, sic scriptum legimus: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait, Vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem.* De Dauide loquens Dominus, cum eodem Propheta, quem Dauidem, Saule abiecto, & reprobato, Regem elegerat populi illius, ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni, & mittam ad Isai Bethelemitem.* Et, nonnullis interpositis, ibidem: *Surge, & vnge eum: ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* Ad hæc, cùm mortuo Saule, Dauid in Hebron Rex est agnitus, &

1. Reg. c. 9.

1. e Reg. 16.

receptus: *Vnxeruntque Dauid in Regem super Israel.* De Salomone, Dauidis filio: *Sumpsitq; Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem, & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus, Viuat Rex Salomon.* Sub lege quin etiam Euangelica Imperator, & Rex vnguntur. Consequentia patet, quoniam, vt dicebat Paulus Apostolus, ad Hebræos scribens, minor benedicitur à maiori, vnctio autem potestatem significat; atqui vti in potestatibus spiritualibus à maiori minor benedicitur, vngitur, & potestatem accipit, ita in temporalibus Imperator, & Rex vnguntur, quia potestas illorum à prima, quæ est in Summo Pontifice, dependent. Confirmatur Imperialis, & Regalis potestas: constituuntur, & abrogantur à Summo Pontifice, igitur iurisdictio, potestasque Papæ, aliorum potestate est maior. Consequentia est manifesta; probatur antecedens. Imperator eligitur, vngitur, & coronatur, eligitur autem aut immediatè, aut mediantibus Electoribus, ab eodem constitutis, qui hosce instituit Electores, fuit Gregorius Pont. Max. huius nominis quintus: vt narrat Platina, Blondus Foroliuiensis, & Nauclerus, quibus ceteri scriptores assentiunt tempore Othonis Imperatoris quatuor Principes ex laicis, tres verò clericos, Regem Bohemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, Marchionem Brandeburgensem, Archiepiscopum Moguntinum, Coloniensem, & Treuirensem Electores deputauit. Germaniam autem hac dignitate honorauit, vel quoniam Alemani Principes à dura seruitute impiorum Romanam Ecclesiam liberarunt, aut quoniam Germanus ipse quoque Gregorius fuit, Othonis Imperatoris consanguineus: & tunc temporis gens illa summa veneratione Sanctos habebat Apostolos. Grati, & memores beneficij accepti Germani, tempore Rodulphi Romanorum Regis, (hoc autem nomine Imperator honestatur, quia Imperium à Romano Pontifice pendet) anno domini millesimo, ducentesimo, septuagesimo octauo, publica obligationis scriptura, illius ætatis Electorum sigillis signata, ob tantum beneficium à Sancta Sede Apostolica apud illos positum, testimonium facere voluerunt. Has literas non vidi, at quoniam à Mutio Iustinopolitano in illo libello, qui nuncupatur Principum disciplina lingua domestica conscripto, easque adhuc Romæ extare ipsemet asseuerat, ideò ex idiomate vernaculo in Latinum conuersas, hìc apponere decreui. Series literarum hæc est: *Nos Principes Imperij omnibus præsentes literas inspecturis. Amplectendo olim Romana mater Ecclesia quasi germana caritate Germaniam, illam ornauit eo nomine terrenæ dignitatis, quod est super omne nomen illorum, qui in terra temporaliter regnant, in ea plantando Principes, veluti arbores præ ceteris electas, singularique gratia ditando, dedit eisdē miræ potestatis augmentum. Siquidem Ecclesiæ auctoritate suffulti, illorum electione mediante, veluti planta electa eum produceret, qui Romani Imperij tractaret habenas.* His conspicuum fieri arbitror, Germanos fateri auctoritatem eligendi Imperatorem à Summo Pontifice deriuare, aiunt enim, à Christi Vicario (quæ fuit illius charitas) Germaniam accepisse

2. Reg. c. 5.

3. Reg. c. 5.

In Vi. eius. Bl dec. 2. lib. 3. Nauc. gener. 3.

auctorem eligendi Imperatorem: qua media apud Germanos est imperialis dignitas. Verùm non pigeat, & alia inspicere. *Hoc est illud luminare minùs in firmamento Ecclesiæ militantis, illustratum à maiori luminari Christi Vicario*. Hic fatentur, Summo Pontifici Imperatorem subesse, ab illoque splendorem, & gloriam accipere, dicendo, Cæsarem esse luminare minus, à primo luminari, id est à Papa illustratum. *Hic est ille, qui gladium educit materialem, & reponit ad nutum eiusdem Pontificis, vt pastor pastorum adiutus, illius defensione ouium tutelam manutenendo sibi commissarum, gladio spirituali illas reddat tutas, temporali corrigat, & freno ducat ad vindictam malefactorum, ad laudem autem bonorum*. His verbis iterum iurisdictionem Imperatoris Summi Pontificis potestate fatentur esse inferiorem, ad eamdemque fore referendam, aiunt: ideo Imperatorem eligi, vt miles sit Ecclesiæ, bellaque gerat ad nutum Summi Sacerdotis, & hunc adiuuet, vt possit regere gregem. Quæ sequuntur, videamus. *Vt igitur omnis materia dissensionis, & scandali, omnisue occasio perturbationis animi auferatur, inter Ecclesiam, & Imperium, vt ij duo gladij in Ecclesia Dei constituti, debita vnione simul exerceantur in vtilem reformationem vniuersi, & nos in actu voluntatis, & operationis, inueniamur filij deuotionis, & pacis, qui tenemur fauere tum Ecclesiæ, tum Imperio, quidquid à D. Rodulpho Dei gratia Romanorum Rege, D. N. D. Nicolao Papæ III. eiusque successoribus fuit recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum nuperrimè donatum, declaratum, aut concessum iuratum tractatum, priuilegijs actum, & omni alia quacumque scriptura, cuiusuis tenoris circa recognitiones, ratificationes, approbationes, innouationes, confirmationes, donationes concessiones factas tum ab alijs Imperatoribus, & Regibus Romanorum, eiusdem Regis prædecessoribus, quàm ab ipso Rege, specialiter circa fidelitatem, obedientiam, honorificentiam, & reuerentiã, quã reddere debent* Romani *Imperatores*, & Reges Romanis *Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ, &c. Nos in omnibus, & per omnia approbamus, ratificamus, concorditer, & irreuocabiliter cedimus, & promittimus, quod contra res promissas, aut aliquam illarum aliquo tempore numquam contrauenienmus, sed omnes illas, & quamlibet earum, quantum per nos fieri poterit, procurabimus inuiolabiliter obseruare. Atque, vt hæc omnia à nobis Romanis Pontificibus, & Ecclesia perpetuò obseruentur, fieri fecimus præsentem scripturam nostrorum sigillorum testimonio stabilitam*. Hæ sunt literæ ab Illustrissimis, & Excellentissimis Imperij Electoribus scriptæ, quibus tonsoribus, & lippis (vt inquit adagium) patere potest, Imperatoris potestatem subesse Summi Pontificis iurisdictioni, in Coronatione etiam, præter alia verba, quæ dicuntur à Papa, cum gladius traditur Imperatori, hæc proferuntur: *Accipe gladium manu mea, quamuis indigna, supra corpus Beati Petri Apostoli, vice, & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum consecratum, tibi Cæsari concessum, nostra benedictione diuinitus ordinatum, ad defensionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, ad vindictam malorum, & laudem bonorum*. Gladius autem potestatem indicat, vt non tantùm literis ab Electoribus scriptis, verùm Euangelij verbis efficimur certiores. Apud Magdeburgenses *Gregorius, suam Patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, vt penès solos Germanos ius esset eligendi Regem, qui post Diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellatur*. Duo hic leguntur, quorum primùm est eligendi Imperatorem ius à Summo Pontifice in Germanos deriuare; alterum vero, Diadema, & nomen Augusti, ab eodem in Imperatorem prouenire. Porro, si hæc omnia vera existunt, quæ sanè sunt verissima, qui, obsecro, fieri potest, vt non fateamur, auctoritatem Cæsaream, Pontificis iurisdictioni subesse: siquidem ad illam refertur omnibus modis, scilicet in constitutione, abrogatione, & moderamine. Hæc sunt gestis confirmanda, vt, pluribus actibus, ius hoc esse Summi Pontificis, omnibus fiat conspicuum. Zacharias, Romanus Pontifex, Francorum Regem non tantùm facinoribus ipsiusmet, quàm quod Regno esset inutilis, deposuit à Regno, & Pipinum, Caroli Imperatoris patrem, in eius locum substituit, omnesque Francigenas (vt verbis Pontificis vtar, quæ leguntur c. alius) à iuramento absoluit. Stephanus, huius nominis Secundus, Imperium à Græcis ad Germanos transtulit: vt legimus in cap. per venerabilem. Alexander Tertius Federicum Barbarossam pedibus conculcauit, vt superbiam huius Imperatoris prosterneret. Innocentius Quartus Federicum Secundum in Concilio Lugdunẽsi priuauit Imperio, in eiusque locum subrogauit Thuringiæ comitem. Gregorius Septimus Henricum Quartum deposuit, iussitque eligi Rodulphum Ducem Sueuiæ. Innocentius Tertius reiecit Philippum, Magni Federici Barbarossæ filium, & Othonem Brunsuicensem elegit: quo deinde deposito, Federicum Secundum eligi mandauit: iterumque hoc deposito à Papa, eodem Pontifice iubente, Lantgrauius Thuringiæ est electus. Benedictus Vndecimus Luchinum Vicecomitem Mediolani confirmauit, Mastinum Scaligerum Veronæ, & Vincentiæ Marchionem, Philipinum Gonzagam Mantuæ. Martinus Primus Paulum priuauit Imperio, quia Legatos ab eodem Pontifice ad eum missos neglexerat. Innocentius Quartus Lusitaniæ Regi, qui magnus fuit dilapidator bonorum, & prodigus, dedit adiutorem, nec permisit eum regnare, nisi administratoris consilio. His conspicuum fit omnibus, à Summo Pontifice deponi, priuarique Imperatores, & è contra eligi: idque non tantùm ratione eorum, quæ attinent ad fidem, verùm eorum, quæ ad mores, & ad ius ciuile spectant. Huic rei adstipulantur veteris Testamenti paginæ. Exactis Samuelis filijs, Rex populi à Deo electus est Saul filius Cis, at voluit Deus, vt à Samuele Rex eligeretur, vngeretur, & declararetur, populoque ab eodem Rex promulgaretur. Reprobatur Saul, inobedientiæ peccato, ab eodem Samuele, à quo electus fuerat, & vnctus, & populo datus Rex, voluit Deus vt reprobaretur, & Dauid Rex populi eligeretur, & sanctæ vnctionis oleo vngeretur. Dauidis successor Salomon Regno potitur, patre defuncto, à Sadocho Sacerdote vngitur, & Rex acclamatur. Quorsum hæc Deus fieri voluit? Nulla certè alia de caussa, nisi, vt pro firmo habe-

Centur. 10. c. 10.

15. q. 6.

De Elect.

haberemus, licet omnes potestates à Deo proueniant, nihilominus, Summo Pontifice mediante, in homines deuenire, ab illoque pendere, ad illius quin etiam fastigium omnes referri. Iam vero, si iussu Papæ eliguntur Imperatores, ab eodemque priuantur Imperio, non tantùm earum rerum caussa, quæ ad fidem attinent, sed quæ ad mores spectant, igitur Summi Pontificis iurisdictio, ac potestas, est omnium eminentissima. Nullum hìc habet locum illa distinctio, *Directè, & Indirectè*. Probatum est, in illo esse potestatem Regiam, & bona pars Doctorum docet, quod vt Summus Princeps hæc fecerit. Electio insuper Principum ab illo facta, idem confirmat. Reuertamur ad susceptum negotium; &, quæ nuperrimè sunt dicta, confirmando, sequamur seriem rationum, de eadem fidelia duos parietes dealbando. Accipiamus pronuntiatum illud, seu dignitatem illam, maiorem à minori non iudicari, sed è contra, minorem iudicio maioris subijci, dignitates autem ob id tales appellantur, quoniam vt animaduertit Themistius, Theophrastum secutus, dignæ sunt, vt ab omnibus illis adhibeatur fides, hæc verò, quam accepimus, est dignitas in lege Pontificia approbata, & ab omnibus in ea versatis recepta, vt multis in locis lectione consequi possumus. Hoc iacto fundamento, ita arguamus, Imperator, & Reges à Summo Pontifice iudicantur, igitur Papæ auctoritas, & iurisdictio omnium est eminentissima. Consequentia est manifesta: probatur antecedens auctoritate Zephyrini martyris, atque Pontificis, qui præfuit Ecclesiæ, tempore Antonini: cuius sententia refertur cap. ad Romanam. Is sanciuit, ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, & maximè ab oppressis appellandum fore, & concurrendum quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, ab eorum oppressionibus releuentur, quia non potest nec debet mater obliuisci filium suum. Appellatio autem, nil aliud est, quàm remedium iuris, quo succurritur oppresso in tribunali contentioso, & ordinè iudiciario, quo quis oppressus ab inferiori iudice, licet ei recurrere ad superiorem. At ordo iste iudiciarius, quo subuenitur oppresso in ordine iudiciario appellatione, locum habet dumtaxat in foro exterioris iudicij, vbi lis est inter hominem. Iam verò, cum in hisce iudicijs supremum gradum obtineat Summus Pontifex, igitur auctoritate omnium est eminentissimus. Nullum hìc possumus assignare locum distinctioni illi, *Directè, & Indirectè*. Genericè loquitur de omnibus, & de potestate iudiciaria in foro contentioso martyr Zephyrinus: vultque, à Papa, tamquam omnium iudice, aliorum caussas fore iudicandas, quod minimè facere posset, nisi in eo esset collocatum auctoritatis, & potestatis fastigium. Ad hæc, accipiamus argumentum ab ijs, qui sunt contrariæ opinionis: & confirmemus hanc nostram positionem. Innocentius Tertius, vir Sanctitate, & doctrina clarissimus, Christi Vicarius, in capite solitæ aiebat, *in firmamento Cæli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis, & Regalis, harum, quæ præest diebus spiritualibus scilicet, maior est ac dignior ea, quæ temporalibus præficitur, vt, quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Papam, & Imperatorem cognoscatur differentia*. Felicissimè explicat Summus Pontifex hac sanctione eminentiam Pontificiæ dignitatis. Varia sunt in Cælo sidera præter ea, quę passim Planetas dicimus, ac inter se diuersa. Aspiciamus octauum orbem, varijs imaginibus cęlatum, (cælum enim à cælatura dicitur, vt Varro doctè animaduertit, vt puta quoniam imaginibus, & luminibus veluti eleganti cælatura sit signatum, non autem à Celando vt quibusdam arrisit, quoniam nobis celet, & abscondat Deum Optimum Maximum, ac mentes illas beatas, si quidem, cum sint incorporeæ illæ substantiæ, ab omnique concretione materiæ immunes, suapte natura sunt etiam inuisibiles) hæc sydera fulgent lumine, fulgent & planetæ, ac illa, quæ in circulo sunt sporadeo, à quibus via lactea producitur, à Græcis Galaxia nuncupata, (qua in re non assentior Aristoteli, asserenti, Galaxiam ex eadem constare materia, ex qua constat Cometa, & ab eijsdem principijs prouenire) hæ autem, cum minuta, sint nimis à nobis non inspiciuntur, in illorum autem cognitionem deuenimus à lumine illo refracto, quod in octauo cernitur orbe, nomine Lactis appellato. Omnia sydera, quæcumque existant, à Sole lumen accipiunt. Non est, cur longa vtar oratione, quomodo omnia sydera à primo lumine, a Sole scilicet, qui est fons, origo, & principium luminis, lumen habeant: an scilicet totum, an partem luminis, anve omnibus hoc sit commune; an ve commune sit hoc omnibus, vt totum recipiant lumen, an verò Lunæ dumtaxat hoc sit proprium, hoc dicam tantùm, ab omnibus philosophis concedi, saltem luminis incrementum sidera omnia octaui orbis recipere à Sole, Iouis, Saturni, Veneris, Mercurij, & Martis stellam, & ipsam quoque huiusmodi luminis accretionem à Sole mutuò accipere: Lunam vero, cum sit omnium syderum fæx, & excremẽtum quoddam, totum accipere. Innocentius Papa Pontificiam auctoritatem Soli, Cæsaris autem potestatem Lunæ similem facit. Sol, vt diximus, fons, & origo luminis, syderibus omnibus lumen elargitur. Variæ sunt hominum potestates à Deo datæ, diuersæque auctoritates, quæ omnes à Summa potestate pendent, ab illave lumen recipiunt, vt sydera à Sole. Temporales iurisdictiones, siue sint ab electione, siue hereditario iure, siue alio modo, omnes ad illam primam referuntur, illique attribuuntur, quare, si Innocentij verba perpendimus, in hanc proculdubio deueniemus sententiam, adeò, vt liceat, argumentum aduersariorum reflectendo, illorum demoliri sententiam, nostramq; stabilire. Ea est proportio inter Summum Pontificem, & Imperatorem, quæ est inter Solem, & Lunam: sed Sol præstantior est valdè, ac eminentior Luna: & hæc ab illa mutuat splendorem, & lucem, igitur Papa est eminentior Imperatore, & Imperatoris auctoritas à Summo Pontifice pendet. Id etiam sibi voluit Bonifacius Papa in illa lege sacra, vbi elegantissimè docuit, omnia, quæcumque sunt, Christi Vicarij potestati subijci oportere. Id autem vt commodiùs efficiat, assumit primò illud tamquam basim, ac fundamen-

Pri. post. cap. 5.

d. 22. cap. 1. 42. q. 7. c. nō si §. sicut enim, 2. qu. 6.

l. 1. ff. de appell.

De maior. & obed.

tum, Ecclesiam Dei scilicet esse vnam, vno spiritu regi debere, vnumque corpus illius esse, vnam primam potestatem, cui cęteræ subduntur omnes auctoritates, atque, veluti in corpore omnia membra subsunt capiti, ita planè in Ecclesia, capiti nostro, Christi Vicario, nos, vt membra corporis, quod est Ecclesia, vitam habeamus, necessariò subdimur. Hoc comprobat argumento accepto ab arca Noe, diluuij tempore, in qua homines, & bruta,& quæ in illa vniuersali aquarum inundatione non perierunt, seruarunt vitam. Ita in Ecclesia vnico nauclero, vno scilicet Christi Vicario, nauim regente, scopulos, & syrtes euitamus. Vnum igitur corpus, huiusque corporis vnum caput,non duo capita. Quod Dominus, Petro committens oues, etiam nos monuit, dicendo, *Pasce oues meas*, vniuersas intelligendo. Quare, siue Græci, siue alij dicunt, Petro, eiusque successori non esse commissos, necesse est, vt fateantur de ouibus Christi non esse, Domino asserente, vnum esse ouile, ac vnum Pastorem. Cęterum,quoniam duæ sunt in Ecclesia potestates, quarum vna ab altera distat, spiritualis nempe,ac temporalis, & Pontificis munus est, cælestibus operam dare; ne quis suspicetur hanc ob causam ab Ecclesia auferri vnitatem, respondet ille, has duas potestates ita se habere, quod vna alteri subest. Sic enim requirit ordo, vnam ab Ecclesia exercendam, alteram vero ad nutum Ecclesiæ, perinde ac si dixisset, licèt sint diuersæ,& distinctæ in Ecclesia hę potestates, Christique Vicarij intersit, cælestibus esse intentum, non autem arma tractare, nihilominus adeò spiritualibus præest, vt etiam temporalia ei subdantur: quoniam ad nutum illius, temporalis est exercenda. Videas, obsecro, non dixit, Ad imperium, sed Ad nutum, Principes iubent mandant, imperant; Deus, qui omnium est Dominus, nutu imperat.

Dixerat,& nutu totum tremefecit Olympum:

Virg. Scripsit ille Poeta. Quod si ad nutum Papæ temporalis potestas est exercenda: ergo ad eius imperium:ergo in eius est potestate, quod enim imperet nutu, potestatem eius, cui fit iussio, subesse auctoritati imperantis, signum est euidentissimum. Iurisdictio igitur Cæsarea, & Regalis huic subiectæ erunt. Verùm prosequamur lectionem, & videbimus adhuc hæc magis manifesta: *Certè, qui in potestate Petri gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis, Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet, gladius, & materialis: is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus; ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis.* Perseuerat in re dilucidanda, & roboranda. Ait, vtramuis potestatem existere in Summo Pontifice, quem nomine Ecclesiæ appellat, dum inquit: Alter ab Ecclesia; probatque id verbis SALVATORIS, dicentis Petro: *Conuerte gladium tuum in vaginam*; & dicit: *Qui negat vtrumque gladium esse Vicarij Christi,malè verba considerat Domini*. Ponderandus est locus; apparebit namque, in Summo Pontifice apicem temporalis auctoritatis existere.

Ex Euangelio Diui Lucæ verba sunt adducta, dicentibus Apostolis: *Ecce duo gladij hìc*. Respondit Dominus, *Sufficit*. Beatus Pater, & cum illo Diuus Bernardus exponunt, duas potestates: nec immeritò.Proximus erat morti Dominus; & idcircò, quæ venturæ erant perturbationes in Ecclesia, quibusve illis necessaria erant, discipulos monebat. Verba facit de soliditate Sedis Apostolicæ, de illius inconcussione, de inuasione Sathanæ, de tuto munimine Petri, & de necessitate vtriusq; potestatis in Ecclesia. Vna, & altera in Christo erat, cum viueret, atque nobiscum conuersaretur: nihil eis tunc defuit; morte intercedente, absens erat futurus, absente illlo, nil etiam ipsis erat de futurum: quia vtraque potestas in Ecclesia pro regimine,munimine, & conseruatione eius debebat perseuerare. Petrus, & Petri successores vicem Christi debebant gerere. Hæc omnia ibi meminit Saluator, dum gladios duos sufficere dixit. Nomine igitur Gladij, accipere debemus potestatem; vnus gladius latens,alter patens;vnus spiritualis, alter temporalis; ille ad animam; hic ad corpus attinens. Primum in Petri manu esse nullus negare potest, secundum etiam in eiusdem Petri esse potestate, verba Saluatoris nos docent, dum inquit: *Conuerte gladium tuum in vaginam*. Pronomen illud possessiuum, *Tuum*, gladium hunc Petri esse, manifestè indicat; si quidem ea, quæ a nobis possidentur, nostra existunt: nostræve dubduntur ditioni,*Tuum* dixit Dominus, Petrum alloquendo, indicans, in Petro, ac Petri successoribus esse talem potestatem. Nec ab hac dissensit sententia Sanctus Bernardus ad Eugenium scribens, dum dixit: *Quid denuò vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es reponere in vaginam?* (loquitur de gladio temporali) *quem tamen, qui tuum esse negat, non satis mihi videtur attendere verbum D mini, dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse forsitan tuo nutu, & non tua manu euaginandus, alioquin, si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis: Ecce duo gladij hìc, non respondisset Christus: Satis est,sed, Nimis est.* Non negat, gladium hinc esse Petri, sed gladij vsum non conuenire,admodùm personæ summi Pontificis, qui, altioribus, ac dignioribus intentus, non debet, illis relictis, hisce operam nauare, quæ minoris sunt dignitatis, à quibusve, vt fieri debet, abstinere, vt cœlestibus diligenter possit vacare. Reuertamur ad sermonem nostrum, & ad Saluatoris nostri verborum examen. Dixit Dominus Petro: *Conuerte gladium tuum*. Non dixit, Proijce: non dixit, Alteri committe· sed, *Conuerte in vaginam*; vt confirmaret, auctoritatem hanc temporalem Petri esse, & apud illum permanere. Si omninò fuisset à Christi Vicario disiuncta, ab illove omninò abiuncta, non dixisset, *Tuum*, non dixisset, *Conuerte in vaginam*; sed, Proijce; vel, Alteri committe. Qui negant in Summo Pontifice potestatem temporalem reperiri: respondent, nullum hìc fieri potestatis mentionem, sed dumtaxàt, discipulos moneri, angustijs adeò circumuallandos fore, vt tunicam vendant ad emendum gladium, quemadmodum ijs vsu solet euenire, qui inimicorum obsidione se circumcingendos fore præsentiunt, mysticè autem exponi

Lib. 4. de Consi.

poni verba illarum à Sancto Bernardo, tum à Beato Pontifice. Miror, hos doctores sic respondere, non quidem, quod responsio sit doctrinæ expers, sed quoniam, dum ipsi probare conantur, quod in Papa sæcularis dignitas non reperiatur, vtuntur Pontificis Innocentij lege, interpretantis ea, quæ à Moyse de Sole, & Luna scripta fuerunt mysticè. Tota illorum vis rationis innititur sensui mystico; attamen nunc haud facile admittunt hunc arguendi modum, sensum mysticum includentem. Optima est ratio, & habet firmas vires. Licèt enim Sancti Bernardi deberet sufficere auctoritas, qui fuit pater tantæ Sanctitatis nihilominùs Bonifacij Papæ interpretatio omnem ex mentibus aufert scrupulum. Summus Pontifex habet auctoritatem eminentem, quæ sunt in diuina lege, interpretandi: & ideò declarationibus eius contenti esse, & acquiescere debemus. Ait ipse, Diuinis edoctus oraculis, vtrumque gladium, vtramque potestatem nobis indicare: & idcircò, licèt mysticus sit sensus, non licet tamen ab eo discedere. Verùm, obsecro, quod ipsi pro tutela propria adducunt, idem permittant in aliorum esse adiumentum: &, quod eis licere arbitrantur, ab alijs alienum nolint existere; iter, quod ipsi calcant, commune cæteris non obsepiant, & intercludant. Est igitur in manu Summi Pontificis vna, & altera potestas, & apex vtriusque, vt retro demonstrauimus; & confirmatur, arguendo iterum ratione ab aduersarijs sumpta, quæ colligitur ex doctrina Innocentij Papæ, & refertur cap. pervenerabilem. Rogatus Christi Vicarius à quodam, qui, legitima vxore exclusa, aliam superduxerat, de qua susceperat filios, vt hosce legitimationis gratia honestaret, Pontifex Romanus, gratiam negando, nonnulla discutit de apice dignitatis temporalis propriæ, eo consilio, vt videre videor, ne, cùm eam negasset, quis posset suspicari, id fuisse factum, eo quod Christi Vicarius auctoritatem habeat angustis limitatam terminis. Habet hæc verba: *Rationibus igitur his induti, Regi gratiam fecimus requisiti, caussam tam ex veteri, quàm ex nouo testamento trahentes, quod non solùm in Ecclesiæ patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem causaliter exercemus; non quod alieno iuri præiudicare velimus, sed quia, sicut in Deuteronomio continetur; Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem, & sanguinem; caussam, & caussam; lepram, & lepram; & iudicium intra portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, sequerisque eorum sententiam: qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur.* Hæc adducit Pontifex veritatis illustrandæ gratia; quibus non contentus, statim accingit se ad horum interpretationem. Primò, accipit verba illa: *Loco, quem elegerit Dominus*: & inquit, hunc locum esse Apostolicam Sedem, hanc inquam esse, quam Dominus elegit. Etenim, cum Apostolorum Princeps

Ex qui fi fi leg.

Roma, fugiendo, exiuisset; volens Dominus ad locum, quem elegerat, reuocare, ab illo interrogatus: *Domine, quo vadis?* Respondit: *Venio Romam iterum crucifigi*. Quæ verba intelligens Beatus Petrus pro se fuisse dicta, statim est reuersus. Leuiticos Sacerdotes interpretatur fratres suos, Illustrissimos, ac Reuerendissimos Cardinales, qui ei iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij existunt coadiutores. Papa autem Sacerdos, cui Pontifici dictum fuit à Domino, Petrum alloquente: *Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in Cælis*. Vicarius Christi constitutus est iudex viuorum, & mortuorum, qui est Summus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. Tria etiam distinguit iudicia, ciuile scilicèt, criminale, & medium inter hæc; & concludit, vbi aliquid dubium oritur in ijs, ad Romanum Pontificem confugiendum fore, qui omnia iudicet; & Iurisdictionem Papæ omnium aliarum temporalium eminentissimam esse, manifestè asserit Beatus Innocentius, & caussas omnes, siue temporales, siue spirituales, à Sede Apostolica dijudicandas, ac decernendas. Confirmat Paulinus verbis ad Corinthios: *Nescitis, quoniam angelos iudicabitis, quantò magis sæcularia?* Verba Papæ non sunt silentio prætereunda, inquit: *Beatus Paulus, etiam, vt plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens, ait: Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis sæcularia?* Concludit tandem Innocentius, omnes caussas, tam criminales, quàm ciuiles, ac ad animam spectantes, esse fori Papæ, illumque habere potestatem, & tum in Patrimonio Beati Petri, tum in aliorum Principum ditionibus causaliter illam exercere. Ex qua lege Pontificia hæc colliguntur. Primum est, illud verum esse, quod dixi initio huius disputationis, nimirùm, potestatem Papæ esse super omnes alias: cum in ditionibus aliorum Principum, vbi casus euenerit, possit exerceri, ait: Papa non tantùm in Beati Petri Patrimonio, verùm in alijs ditionibus causaliter exercere potest propriam auctoritatem. Ideò dixi, si vsum ordinarium huius potestatis cõsiderenius, in patrimonio Beati Petri esse; at, si causaliter consideretur vsus huius auctoritatis, sanè in omnibus locis locum habebit. Ad hæc dixi, Principes liberè posse exercere iurisdictionem propriam, liberosque esse in propria iurisdictione; nihilominùs inde non sequi, quin illorum potestas habeat superiorem potestatem, à qua, & ipsi, & cæteri possint iudicari. Hæc omnia illinc possunt facillimè colligi. Quin etiam elicitur, falsum esse, ad Papam, vt Papam, vt Summum Sacerdotem, non attinere iudicia temporalium rerum. Probat hoc Innocentius, ostendens, omnia iudicia, siue criminalia, siue inter hæc media, ad Summum Pontificem attinere, eiusque munus esse, omnia iudicia facere: idque lege Deuteronomij comprobat, ac verbis Diui Pauli, dicentis: *Si spiritualia iudicabitis, quantò magis temporalia?* Summus Sacerdos, vt talis, iudicat spiritualia: igitur, vt talis, etiam temporalia. Probatur hoc, quia nulla limitatione, nullave appendice, ad eamdem ait spectare potestatem, seu ad eumdem Sacerdotali potestate fungentem, temporalia, & spiritualia iudicare. Nec possumus hic dice-

1. cap. 6.

re

re, quod indirectè hæc verba sint intelligenda, tum ratione nunc dicta, tum quoniam æquiuocatio esset in verbis, illaque nimis extorquerentur: esset æquiuocatio, quoniam dicens Apostolus: *Nescitis, quoniam Angelos iudicabitis, quantò magis sæcularia*, si respiciendo res spirituales directè iudicium esset intelligendum, respectu autem sæcularium indirectè verbum, *Iudicabitis*, omninò erit æquiuocum. Infertur etiam his verbis: siquidem ait Apostolus Paulus: *Nescitis, quoniam Angelos iudicabitis, quantò magis sæcularia?* Arguit à maiori ad minus, vt Logici dicunt, affirmatiuè, dicens: Si spiritualium potestis afferre iudicium, multò magis temporalium. Notula illa, *multò magis*, denotat, quod si directum illis conuenit iudicium rerum spiritualium, multò magis temporalium; quod si directè intelligamus, res spirituales iudicandas fore à Summo Pontifice, & temporales indirectè, non multò magis, sed minùs, iudicabuntur. Consentaneum colligitur falsum esse, quod Papa, vt Papa non possit condere leges temporales, etenim si Summi Sacerdotis, vt ex lege Deuteronomij iam demonstratum fuit, sunt omnia iudicia, siue ciuilia, siue media, siue criminalia sint, & ad eum spectant, in omnibus ijs ius dicendo determinabit, legesque promulgabit. Pontificij iuris interpretes, ac Cæsarei idem volunt. Bartholus adeò nostræ adsit sententiæ, vt l. 2. §. præsides, ff. de requirendis reis dixerit, oppositam opinionem heresim esse. Oldradus consil. 81. Paulus de Castro l. non ambigitur, ff. de legibus, Innocen. Hostien. in cap. nouit, de iudic. quos secuti sunt Petrus ab Ancharano, Antonius à Butrio, Panor. Im. Andreas Siculus, Felin. & Dec. Hostiens. Panor. Præpos. communisque est opinio, cap. caussam quæ, qui fi. si. le. Archi. & Cardin. Alex. in c. quoniam 10. distin. & Alex. cap. cum ad verum. Prieras verbo Papa, q. 10. & 11. Io: Selestadien. in quadriuio 1. par. col. 1. Hiero. Balbus, de Corona. Im. Panor. vt finem imponam, Innoc. & Im. in cap. si duobus, §. denique, de appella. constanter aiunt, esse communem opinionem. Atqui, quoniam hactenus probauimus, hanc potestatem esse omnium eminentissimam, adiecimusque, latam esse, vt omnes comprehendat latitudines, id nunc diligentiùs est inquirendum, ac apeciendum.

96. Dis.

CAPVT IV.

Latitudo Potestatis temporalis in Summo Pontifice existentis.

NOn erit fortè facile, propositæ quæstionis veritatem dilucidare; ratio, & non mediocris, est contrarietas grauissimorum virorum. Cùm enim de vna, & cadem re, contrarias doctorum, qui de studijs bonarum artium benemeriti sunt, videmus sententias, ibi iudicium proferre, haud facilè erit. Ambrosius Catharinus loco, quem citauimus retro, Sanderus, Sotus pater venerabilis, atque cum ijs nonnulli alij, asserentes, in Papa non esse rerum temporalium potestatem, quod si aliqua in eo reperitur, vt dicebat Catharinus, eam habet, velut homo vnus ex nobis, (est enim Vicarius Christi, regnum autem Christi consistit in ouium pastura, non autem in bonis temporalibus) nullam prorsùs admittunt huius potestatis latitudinem. Rem hanc nonnulli confirmantes, aiunt, sceptrum, phrygium, & iurisdictionem Summum Pontificem accepisse à Constantino: vt legimus cap. Constantinus, quem locum supra retulimus. E' regione Aluatus de planctu Ecclesiæ, Beatus Antoninus, Augustinus Anconitanus, ac cum istis doctores illi, quos in calce capitis præteriti adduximus, tantam esse huius potestatis latitudinem asserunt, quanta est totius orbis; quam positionem conantur rationibus stabilire, sic arguendo; Christus plenam habuit totius orbis omnisque creaturæ iurisdictionem: igitur, & Vicarius illius Summus Pontifex. Probatur consequentia. Eam planè auctoritatem Dominus reliquit Vicario suo, quam ipse habuit, dum esset nobiscum: at hæc fuit plenissima totius orbis: igitur, & illa, quæ est in eius Vicario. Antecedens, licèt ijs, quæ retro fuerunt dicta, satis sit conspicuum; nihilominùs adhuc noua ratione probatur, probationem accipiendo à Beato Ioanne in Apocalypsi: vbi Apostolus ille testatur, Dominum IESVM CHRISTVM Saluatorem nostrum esse Regem Regum, & Dominum Dominantium. Et alibi, Regem Principum terræ existere, legimus. Non me latet, Sotum de Iustit. & Iure alio sensu locum hunc interpretari: verùm noui etiam, dum negat, in Christo fuisse rerum temporalium regnum, huc, & illuc nauem impellendo, vndis agitatum, nec littus appellere posse, nec in portum se recipere. Inquit ille: *Cæterum, quantùm ad sæcularem potestatem, contrarium arbitror, videlicet, quatenus hominem non fuisse Regem, non quod non potuit, erat quippè Deus, sed quia neque eum decuit, neque subindè voluit.* Hæc venerandus ille Theologus: à quo petendus est. Si potuit, cur non decuit? cur noluit? &, si in supposito illo erat, vt verissimè erat, diuina, & humana natura, ibi etiam dignitas Regalis, non tantum Regni æterni, verùm etiam temporalis aderat: vt suprà, ni fallor, satis demonstratum, idque probatum fuit ex Sancto Thoma, qui, de regimine Principum scribens, passim id asserit. Qui etiam non tantùm locis adductis, sed, & tertia par. Sum. hanc eamdem habuit sententiam. Disputans de iudiciaria potestate Christi, arguendo, quod talis potestas non debeat ei conuenire, hanc conficit rationem. Lucæ 22. Negauit Dominus iudicium adolescenti, qui de communi diuidundo, & familiæ herciscundæ, vt verbis Iureconsultorum vtar, cum togabat: igitur non fuit in eo potestas rerum humanarum. Huic rationi occurrens Sanctus Thomas: ait: *Ad primum ergo, dicendum, quod, sicut dictum est, iudiciaria potestas consequitur Regiam dignitatem; Christus autem, quamuis esset Rex constitutus à Deo, non tamen, in terris viuens, Regnum temporaliter administrare voluit.* Admittit his verbis Beatus vir, in Christo fuisse Regiam potestatem rerũ temporalium, dicens, huiusmodi iudicium sequi Regiam potestatem; quæ quamuis esset in Christo, illam tamen exercere noluit. Non negat hanc potestatem, cùm debuisset illam negare, si fuisset oppositæ sententiæ: sed ait, Dominum

96

Cap. 1.

4. q. 4. ar. 1.

9. 69. art. 4.

no-

noluisse eam exercere. Exercitium supponit potestatem: vsus auctoritatis supponit auctoritatem: dicendo, quod noluerit hanc potestatem Regiam rerum temporalium exercere, quamuis à patre esset constitutus Rex, affirmat, huiusmodi potestatem in illo extitisse, licèt vsum eiusdem neget auctoritatis. Reuertamur ad probationes, & vltimam hanc cęteris addamus, pro stabilienda sententia eorum, qui volunt, Summum Pontificem totius orbis habere potestatem. Christus, Vicarium instituendo, eam dedit illi auctoritatem, quam habebat, cum à mortuis resurrexit: at hæc fuit plenissima, siue in terra, siue in cęlo: igitur habebit plenissimam potestatem Christi Vicarius, ac totius orbis. Quare concludunt isti, Papam totius orbis esse dominum. Ego, vt ingenuè fatear, quemadmodum numquam priorem doctrinam sum amplexus, ita etiam hanc postremam declarationis esse indigentem semper existimaui. Quod enim Papa non habeat iurisdictionem temporalem vt Papa est, dici non potest, nisi à veritate velit quis diffidere. Quod verò totius orbis sit Dominus, vsus non approbat. Ad hæc, verborum æquiuocatio parit confusionem, & ignorantiam. Quare in hac materia duo mihi nunc sunt agenda: nomina sunt distinguenda pro euitanda ignoratione, ac confusione: limitationesque sunt assignandæ, vt res possit esse consona veritati.

CAPVT V.

Potestatis Summi Pontificis in suas species diuisio. Deque nomine Papæ.

VT faciliùs, quæ sunt proposita, digerantur, & digesta exponantur, à Christi ordiar potestate: hanc namque haud negligenter cognita, faciliori negotio, quæ supersunt, fient conspicua. Dicamus igitur, in Christo duplicem fuisse auctoritatem, vt ex duplici portione mundus est compositus, siue paruus, siue magnus; paruus ex anima, & corpore; magnus, ex elementari, & cœlesti, parte compactus. Altera potestas ad animam, altera ad corpus attinet: illa hac tantò præstantior, quantò anima corpus vincit nobilitate, ambæ absolutissimæ, ambæ perfectissimæ, adeout omnes homines, & actiones illorum, Saluatoris nostri potestati sint subiectæ. Hìc dicet aliquis: Quæso, quì fieri potest, vt omnes homines, & actiones illorum, subijciantur potestati Christi? Quoniam, si de spirituali loquamur, innumeri propemodum sunt homines, qui, barbarie quadam inculta, bestiarum more viuunt, & numerosa multitudo, quæ aliena à veri Dei cultu veneratur Idola, sin autem de temporali sit sermo, Dominus humilem ortum habuit, pauperemque gessit vitam. Respondeo, Sanctum Thomam præceptorem secutus, quæstione, & articulo nouissimè adductis, latum esse discrimen, loqui de Christi potestate, & de vsu, seù, vt dicunt, de executione potestatis. Christi potestati in se conceptæ, vt scilicet à patre eam accepit, & homines omnes, & illorum actiones subduntur, nullus est homo viuens, nullaue humana actio, quæ tantam effugiat potestatem, at, si consideremus eius vsum, & executionem, rem secus se habere, comperiemus. Non enim desunt, qui, Sacramentorum charactere, signoque fidelium carentes, ad Idola sunt conuersi, quare latum est discrimen, considerare hanc potestatem in se conceptam, & illam concipere, vt est in vsu, & executione. In Christo fuit Regia potestas, licèt vsus in illo non fuerit, veluti, si Princeps artem horologia conficiendi optimè nouerit, licèt eam non exerceat. In Saluatore fuit Regia potestas, licèt ea non fuerit vsus, vt dicebat Angelicus doctor, & Pater Ambrosius in Sanctum Lucam, explicans verba illa: *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* Inquit magnus iste pater: *Bene terrena declinat, qui propter diuina descenderat, nec iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, viuorum habens, mortuorumque iudicium, arbitriumque mortuorum. Non ergo, quid petas, sed à quo postules, intuendum est: nec coram maioribus intento animo putes obstrependum; vnde non immeritò refutatur iste frater, qui dispensationem cælestium gestiebat corruptibilibus occupare.* Sic scripsit magnus ille pater. Fuit igitur in Saluatore nostro Regia potestas, licèt illam noluerit exercere præstantioribus intentus. Venit Dominus, vt conderet Ecclesiam, nouam legem, nouosque ritus, ac noua Sacramenta institueret, noua faceret omnia, senescentem mundum restauraret. Ne autem, aut mundano splendori, diuitiarum opibus, ac vi Regnorum, hæc ascriberentur, pauperem elegit ortum, & pauperem gessit vitam. Regnum temporale ob id exercere recusauit, hac eadem de causa abiectos, humiles, indoctosque viros primordia Ecclesiæ fundamenta, & columnas esse voluit, ne mundi viribus, aut humanæ sapientiæ, & eloquentiæ, aliqua ratione tantum opus posset attribui. His adduntur ea, quæ docet Sanctus Thomas de Regimine Principum, nimirum, Dominum hanc elegisse vitam, licèt esset Rex, vt fideles sui exemplo excitaret ad operandum secundùm virtutem, cuius via aptior est humilitas, ac mundi contemptus, tùm etiam, vt doceret Principes humilitatem, per quam quis redditur in regendo gratiosùs; vndè illud: *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Eoque magis in Principe est necessaria humilitas, quantò per eminentiam sui status dentibus inuidiæ ægrè ferentis superiorem, laceratur. Harum rerum Dauid haud nesciens, vxori Michol, insultanti, quòd nudus coram arca Domini saltasset, respondit: *Ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & domum eius, & præcepit mihi, vt essem dux super populum domini Israel, & Iudam, & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Quam regulam ait Sanctus Thomas voluit seruare Christus, & ideò de illo sedente super asinam dixit Propheta: *Ecce, Rex tuus venit mansuetus.* Addens idem doctor, humilem vitam elegisse, ad insinuandam differentiam inter suum, & aliorum Principum dominium, quamuis enim esset Dominus orbis directè, humiliter tamen vixit, vt alios hunc viam virtutis tutissimam doceret. Hæc itaque cum ita se habeant, Dominus, Vicarium instituendo, has ei contulit

Lib. 3.

lit potestates, licèt vsus vtriusque suis claudatur terminis. Hoc latiùs alibi, & fusiùs, Dei beneficio, explicabitur. Dicamus nunc, Iurisdictionem spiritualem, & temporalem à Domino Vicario suo fuisse concessam. Temporalis si concipiatur, vt est in ordinario exercitio, & vsu, dicendum est, tantam esse, quantum est Beati Petri Patrimonium, sin verò casualiter, tunc tantam exercet, quantus est Christianus orbis. Hæc supra fuerunt exposita, duce Innocentio, cuius doctrinam, & legem adduximus, atque perpendimus. Et confirmari potest conclusio, quoad eam partem, nimirum, quod tantæ sit latitudinis quantus est Christianus orbis, Zephyrini auctoritate, Papæ, & Martyris, sub Petro quartidecimi, qui sanciuit, ab omnibus posse appellari ad Sedem Apostolicam. Innocentius autem Tertius, centesimus, & octuagesimus in ordine, qui ante Pontificatum, doctrina, & moribus insignis, à Cœlestino in numerum Cardinalium relatus, in eius etiam locum suffectus est Pontifex, sub Henrico Germano Cæsare 21. aiebat, casualiter in omnibus ditionibus à Summo Pontifice exerceri iurisdictionem, ordinariè autem in Beati Petri Patrimonio. Quòd si in se consideretur iurisdictio, atque quoad eius potentiam, tanta est, quanta latitudo totius orbis, cuius incolæ sunt homines beatitudinis capaces. Rogabit fortè aliquis, cur in Papa splendescat nunc Regia dignitas, quæ vix in Christo enituit, & in priscis Pontificibus fuit latens. Responsio, ex ijs, quæ hactenus sunt dicta, emanat. Recusauit Dominus vsum huius dignitatis, quoniam fini, ad quem venerat, non erant profutura: declinauit, vt dicebat Pater Ambrosius, terrena, qui cœlestibus erat intentus, hac etiam de causa in primis Pontificibus nascentis Ecclesiæ latuit semper Regia potestas, eousque abdita extitit, quousque vinea Domini, quam plantando adeò laborauit, vt adhuc in manibus, ac pedibus appareant signa, altas radices emiserit, sponsaque Christi, cui mammæ non erant, adoleuerit. Tercentum, & quinquaginta annis martyrio, & sanguine, vbi fundamenta iacta fuerunt, erectique parietes, potestas, quæ latuerat, in Beato Siluestro, & successoribus enituit. Angustus autem est huius potestatis vsus, ac modica exercitatio, si vsum ordinarium excogitemus, si curam rerum spiritualium consideremus, Pontifex cœlestibus occupatus, terrenis vix potest esse intentus; maioribus inuolutus, inferioribus non est occupandus. In Regibus, & Imperatoribus vsus huius potestatis magis est latus, quoniam illorum fines non sunt res cœlestes, sed terrenæ, ac caducæ. Id nobis apertum fecit Bonifacius Papa, dicens, gladium temporalem ad nutum Pontificis esse euaginandum. Hoc voluit, & diuus Bernardus. Concludamus igitur, magnam esse hanc iurisdictionem, omniumque eminentissimam, & tantam esse, quanta est orbis latitudo, quod infra magis erit apertum. Hoc sensu, ego arbitror, accipiendum esse pronuntiatum illud, Papa est Dominus totius orbis. Quod autem attinet ad voces, quæ æquiuocationem pariunt, quæue indigent declaratione, illæ sunt, *Papa*, & *Quatenus*. Vocabulum istud, Papa, vt videre videor nonnullis errandi fuit occasio; idcircò diligenter à nobis est considerandum. Antonius Polus existimauit, aliquid mirandum nobis significare, deductumque esse ab aduerbio Papè, quod est admirantis. Quam sententiam vti non approbo, ita etiam non contemno. In Lucid. auct. Pap. Quod innuat quid mirandum, dum profertur de Christi Vicario, proculdubio cum veritate consecutit; at, si germanam eius significationem, quam iam iam ex fonte Græco hauriemus, ad mentem referemus, vix huic sententiæ poterit accommodari: cum rei mirandæ non sit signum, & nota. Addamus, quod ab aduerbijs nomina substantiua proueniant, repertum est non facilè admittēdum à Grammaticis. Auctor illius Dictionarij, quod Catholicon inscribitur, aliter sentit. Litera P. in dictione Papa, ait, nomen hoc ex duplici syllaba constans Pa, Pa. significat patrem patrum, Summo autem Pontifici conuenire, quoniam ipse est pater Patrum, quæ doctrina proprio auctori est relinquenda: vt rectè adsnotauit Cæsar Baronius (vir numquam satislaudatus, cuius scriptis, styli candore, facilitate exponendi, narrandi, & docendi diligentia, vti nostra debet plurimum ætas, ita futuræ, eidem se multùm obnoxias esse, sentient) in Martyrologio, in obitu sanctorum mensis Ianuarij, die decima adducit vir iste doctissimus testimonium Epistolæ, scriptæ à Concilio Prouinciali Epiri, ad Hormisdam Papam, quæ sic incipit: *Synodus Veteris Epiri, Ioannes Matthæus Constantinus &c. Domino nostro per cuncta sanctissimo, ac beatissimo patri patrum, comministro, ac Principi Episcoporum, Hormisdæ Papæ*. Quæ seruantur in manuscripto codice Vaticano, In qua inscriptione legimus, Patrem patrum, deindè Papam. Iam verò, si Papa idem significaret, quod Pater Patrum, frustra sanè in illa inscriptione esset additum nomen illud, Papæ, quare dicendum est, Græcam fere esse vocem istam, ac peregrinam in Italia, à *Pappas* deducta, quæ Patrem significat, vel, vt alij volunt, à *Pappos*, idest *auus*, proueniens. In prima significatione frequens est vsus illius. Est autem nomen venerationis, à Syracusis tractum, honore venerandum, qui à filijs parentibus exhibetur, & hoc modo in nomen dignitatis pertransijt, illosque appellamus Patres, quos veneratione quadam nominamus, maximè autem Sacerdotibus est nomen accommodatum, tùm veneratione, tùm quadam metaphora, & translatione, quoniam vt dicebat Apostolus, *In Christo Iesu per Euangelium vos genui*. Et alicubi: *Filioli mei, quos ego parturio, donec in vobis formetur Christus*. Priscus est huius vocis vsus, peculiaris autem fuit Episcoporum, vt Epistolæ Sancti Hieronymi ad Patrem Augustinum scriptæ passim testantur. Illarum inscriptio hæc est: *Domino verè sancto, & beatissimo Papæ Augustino, Hieronymus in Domino salutem*. Epistola, quæ extat in Sanctis Patris Augustini Epistolis 11. 13. 14. atque idem Pater Augustinus in epistola ad Paulinum scripta, Beatum Ambrosium hoc nomine appellat, dicens: *Libros beatissimi Papæ Ambrosij, credo habere sanctitatem tuam, eos autem multùm desidero, quos aduersùs nonnullos imperitissimos, & superbissimos,*

ſimos, qui de Platonis libris Dominum profeciſſe contendunt, diligentiſsimè, & copioſiſsimè ſcripſit. Sanctus Auguſtinus natus eſt tercenſimo quinquageſimo octauo anno, gratiæ ſalutaris Incarnationis, idibus Nouembris. Commune autem fuit omnibus Epiſcopis, vt non tantùm teſtimonijs adductis poteſt eſſe conſpicuum, verùm etiam ijs, quæ poſteritatis memoriæ commendauit Rufinus, & Eulogius Cordubenſis, qui floruit anno 850. licèt poſtmodum peculiare Summorum Pontificum factum fuerit, vt Epiſtolis Caſſiodori, ciuis noſtri Rauennatis, facili labore conijcere poſſumus. Primus omnium Pontificum, cui hoc nomen fuerit attributum, vt lectione conſequi potui, beatiſſimus Silueſter extitit, vt volumine primo Conciliorum licet videre. Gregorius huius nominis ſeptimus, Ieſu Chriſti Vicarius, & Paſtor centeſimus, & ſexageſimus tertius, omnium bonorum conſenſu Pontifex creatus, anno ſalutis 1072. (formam electionis habes in Platina, & alia digna annotatione, illud autem præcipuè, quod Henricum Quartum Imperatorem, ob eius ſcelera, primò omni Regia adminiſtratione priuauerit, mox anathemate notauit, nec ab hoc nodo illum abſoluit, donec, depoſito Regali ornamento, nudis pedibus, tempore aſperrimæ hyemis, cum gelu cuncta obrigeſcerent, veniret ad Summum Pontificem, vbi, veniam humiliter petens, Eccleſiæ reconciliatus, integraque obedientia promiſſa, eſt abſolutus) is in Synodo Romæ celebrata aduersùs ſchiſmaticos, inter multa, hoc ſanciuit, vt non niſi Summis Pontificibus nomen Papæ tribueretur. Cùm ergo dicimus Papa, illico Chriſti Vicarium intelligimus, in quo apex exiſtit Sacerdotalis dignitatis, & temporalis, vt ſenſit Sanctus Thomas, & à nobis fuit probatum. Non me latet, hanc vocem aliam etiam habere ſignificationem: denotat enim illum, qui alit. Hinc Iuuenalis:

Rufinus. Eulogius. Caſſiod. Platina. Sat. 6.

Timidus prægustet pocula pappas,

Attamen vſu frequenti, & communi pro Patre, vt dictum eſt, accipitur; vndè verbum Pappare, quod ſignificat minutis, ac blandiuſculis verbis patrem appellare. Inde Perſius ſic cecinit.

Sat. 3.

Et ſimiles regum pueris pappare minutim.
Poſcis, & iratus mammæ lalare recuſas.

Ab hac autem ſignificatione Chriſti Vicarius Papa appellatus eſt nimirum Pater omni veneratione, omnique deuotione colendus. Hæc quoad primam vocem. Quod attinet ad ſecundam, ad *Quatenus* ſcilicet, iam in ijs, quæ de hominis cognitione edidimus cumulatè diximus, nunc repeto, quod dictio hæc prima ſui ſignificatione denotat formam, teſte Ariſtotele Poſter. primo, V. autem Metaph. cap. xviij. ſignificat non tantùm formam, ſed alia quoque genera cauſarum, cum dicimus homo ſecundùm quod homo admiratur, perinde, ac ſi dixerimus, homo, ratione animæ humanæ, ſeu, vt habet animam humanam, admiratur, ſi quis dicat coloris ſuperficies, ſecundùm quod talis eſt ſubiectum, innuimus coloris ſubiectum proprium. His ſic breuibus explicatis, incipiamus nodos ſoluere. Cæterum, quoniam duplex eſt habita diſputatio, altera attinens ad ſimplicem exiſtentiam poteſtatis Regiæ in Chriſti Vicario, altera ad latitudinem eiuſdem poteſtatis, & hæc fuit ſecunda; ordine immutato, ab hac prima ordiamur.

Tex. 11.

CAPVT VI.

Rationes diluuntur, quibus probabatur, nullam eſſe latitudinem poteſtatis Summi Pontificis.

Laconiſmo vtendo ſatisfaciam rationibus illorum, qui nullam admittunt latitudinem Pontificiæ poteſtatis temporalis. Infra namque, cùm aliorum doctorum argumenta perpendemus, luculentiùs id fiet. Prima ratio erat: Papa nullam habet poteſtatem temporalem, quòd ſi eam habet, ſubdebat Catharinus, cuius argumenta iam iam ponderabimus, eam habet, veluti vnus homo ex nobis. Ratio eſt, quia Summus Pontifex Chriſti Vicarius eſt: at Regnum Chriſti conſiſtit in ouium paſtura. Dubium eſt antecedens, falſaque antecedentis probatio, Cum ait, Papa nullam habet poteſtatem directè temporalem (de hac enim eſt lis, & controuerſia) principium petit, hoc eſt, quod nos negamus, & illi eſt probandum. Fortè id videns Catharinus, diſiunctione eſt vſus, ſubdens: Vel ſi habet, illam habet, quaſi vnus homo ex nobis. Hæc pars diſiunctionis duplicem poteſt admittere ſenſum. Primus eſt, quòd vti eliguntur Imperatores, & Principes, ità etiam electione Summus Pontifex habeat poteſtatem. Hoc ſenſu ſi accipiatur, quod, electione facta ab Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, habeat hanc poteſtatem, concedimus totum, hac lege, & conditione, quod, cum eligitur Summus Pontifex, illa electione habeat apicem vtriuſque dignitatis: veluti, cum Imperator eligitur ab Alemaniæ Electoribus electione illa habeat Imperialem auctoritatem. Secundus ſenſus eſt, quod non vt Papa, ſed vt talis Princeps, habeat huiuſmodi poteſtatem, qui ſenſus magis congruit probationi, ſi enim primo ſenſu acciperetur, probaret oppoſitum, & ratio, quam adducit, eſſet remotiſſima à ſcopo, hoc etiam ſecundo ſenſu antecedens acceptum, petit id, quod eſt in principio, ſupponit tamquam certum id, quod ei erat demonſtrandum: Dum verò additur, Papa eſt Chriſti Vicarius, eius Regnum eſt in ouium paſtura, quoniam Chriſti Regnum tale eſt. Patere arbitror, quid ſit obiectioni dicendum. Cùm etenim probatum fuerit hactenus, in Chriſto fuiſſe Regiam poteſtatem temporalem, ac in eius Vicario, negandum eſt, quod additur. Erat ſecunda, ratio, quod à Conſtantino accepit ſceptrum, ac diadema. Poſſem primò dicere, ſanctionem illam Pontificiam, inter paleas numerari à iuris Pontificij doctoribus: verùm aio, caput illud adductum tantùm abeſſe, vt noſtram demoliatur ſententiam, quod magis

illam roborat, atque confirmat. Aspiciamus verba, quæso: & videbimus, non fuisse datam ab Imperatore potestatem, sed id potiùs, quo illam posset exercere Summus Pontifex. Verba sunt hæc: *Sancimus, vt principatum teneat super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Ecclesias, & Pontifex, qui per tempora ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior Princeps cunctis Sacerdotibus, & totius mundi existat, & eius iudicio, quæ ad cultum, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur*. Ex quibus verbis tria colliguntur, quæ ab Imperatore illa constitutione fuerunt ordinata, Christi Vicario tribuenda, nimirum, primatum super Sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, ac omnes totius orbis Ecclesias. Apicem Sacerdotalis dignitatis. Facultatem decernendi in ijs, quæ ad fidem, & stabilitatem procuranda sunt Christianorum. Quis, obsecro, dixerit, hæc ab Imperatore Christi Vicario posse donari? A Saluatore nostro acceperunt Petrus, Petrique successores, primatum super omnes Sedes, Apicem Sacerdotalem, ac ius decernendi, vt Oracula sacra testantur, attamen, istæc ab Imperatore in Summum Pontificem deriuare, verba innuunt huius loci adducti. Canè sunt verba intelligenda, eo nimirum sensu, quod Imperator propria auctoritate, ac viribus, tamquam Christi miles, & tutor Ecclesiæ, quid à populis Christianis sit faciendum, declaret, ad quæ exequenda, quantum illius patiuntur vires, omnibus imperet. Præter hæc, Phrygium candido splendore nitentem, & nitore splendentem albo, resurrectionem Dominicam designans, ab eodem sacratissimo vertici impositum fuisse ait, decernendo, vt illo vterentur beati Siluestri successores: attamen ornamenta Sacerdotalia, mysteria significantia, à Deo fuisse ordinata, vt de Aarone legimus, & à Christi Apostolis, crediderim omnibus esse conspicuum. Quapropter illa donatio non fuit ratione potestatis Regiæ, sed vsus, ac executionis potestatis, quemadmodum, si, defuncto Rege, exacto à proprio Regno, filijs Regnum amissum daretur, non potestas, sed executio potestatis illis donaretur. Scio, similitudinem non esse omnino propriam, sed sufficiat, per illam, rem fuisse explicatam. Dicamus igitur, donationem illam fuisse possessionis assignationem bonorum, ac rerum, in quibus iurisdictionem poterat exercere Christi Vicarius, bonaue illi fuisse donata, non autem Regiam potestatem. Confirmari potest ijs, quæ sequuntur, quibus Constantinus ait, iudicasse, Regnum Orientalibus transferendũ, quoniam vbi Principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis caput, ab Imperatore Cœlesti est constitutum, iustum non est, vt illic Imperator terrenus regnet, habeatuè potestatem. Recusat, loquens de regno temporali, vbi à Deo dominus est constitutus Christi Vicarius, Regno potiri, quare auctoritas ex illo loco huc citata, nullam vim habet, ac robur. Hac relicta schola, ad oppositam me conuerto. Aiebant Aluarus, Archiepiscopus Florentinus, Augustinus Anconitanus, & cum ijs alij quamplurimi, Summum Pontificem totius orbis habere dominium. Quæ sententia, & declarationis est indigens, & limitationis. Cùm dominium dicunt, hic non est accipiendum dominium propria significatione (vt ego sentio) sed pro iurisdictione. Rursus, iurisdictio hæc, vel accipi potest potestate, vel actu, & actu adhuc dupliciter, vel ordinariè, vel casualiter. Si potestate, Papæ auctoritas, & iurisdictio accipiatur, totum complectitur orbem, vt infra latiùs erit dicendum. Si accipiatur actu non ordinariè, sed casualiter, cum dumtaxat in orbe Christiano habeat vsum, tanta erit dicenda, quantus est orbis Christianus: ordinariè verò tanta est, quantum est Beati Petri Patrimonium. Doctores citati accipiunt iurisdictionem in potentia, non autem in actu. De ijs infra etiam, quoniam futurus est sermo, hæc nunc sufficere arbitror. Cæterum quoniam tribus modis, vt Simplicius aiebat, problema aliquod confirmare solemus, vel rationibus illud demonstrando, vel oppositæ opinionis incongruitatem demonstrando, vel argumenta soluendo. Et hactenus duo prima capita absoluerimus. Nunc soluamus rationes primæ disputationis. 8 Physi.

LIBER

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Hugonis Rationes soluuntur.

PRima illarum omnium, quas recensuimus, opinionum, erat Hugonis, summæ auctoritatis viri, Theologi. Dicebat Hugo, propriam dignitatem Imperatorem non ab Apostolica manu, sed à Principibus, & à populo, media electione habere, quæ positio tantùm à vero distat, quantum Ortus ab Occasu. Retro demonstrauimus, electionem, aut medijs Electoribus à Sede Apostolica constitutis, aut immediatè à Summo Pontifice fieri. Quod si hæc vera sunt, quæ verissima esse, nihil est, quod dubitemus, qui, obsecro fieri potest, vt negemus, Imperatorem recipere potestatem à manu Apostolica? Liceat mihi, argumentum retorquendo, Hugoni opponere, & meam roborare sententiam. Imperator habet potestatem electione, aut à Christi Vicario, aut ab Electoribus eiusdem facta: igitur ab illo dependet. Atqui, vti ad hanc confirmandam opinionem dictum istud parum prodest, ita sanè, quæ illi sunt addita, nullius sunt efficaciæ, ac momenti: scilicèt, Pontificatum esse posteriorẽ tempore Imperio: rursus, hæc duo inter se valdè distare, vnumque ab alio non posse pendere: Quod enim attinet ad primum, si loquamur de Imperatoribus Christianis, deq; Christi Vicario nullus certè negabit, Papam esse priorem tempore Imperatore. Primus Imperator Christianorum fuit Constantinus, qui à Beato Siluestro fuit sacri baptismatis fonte regeneratus; iste autem Summus Pontifex fuit in ordine trigesimus secundus. quare longè est Imperium posterius Pontificatu: cum Beatus Siluester, anno Domini 315. ad Pontificatum fuerit assumptus, à quo Constantinus lepra curatus fuit, & baptismatis fonte lotus. Si vero loquamur simpliciter, & in vniuersum de Imperio, & Pontificatu, adhuc Sacerdotij apex, seu Pontificatus est prior Imperio. ante Christi Sacerdotium, fuit Sacerdotium Leuiticum, & Sacerdotium legis Naturæ, vt Diuus Paulus ad Hebræos scripsit. Tale autem prius est Imperio. Vltimum vero adductum argumentum nihil obest nobis. Dicimus, apicem potestatis sæcularis in Papa reperiri. quod si vsus, & executio talis potestatis, maior sit in Imperatore, aut Rege, inde tamen non sequitur, vt maior sit casualiter, & in se considerata, ac excellentior, in Principe sæculari, quàm in Papa: immo totum oppositum est dicendum: vt hactenus fuit demonstratum. Ad hæc, huius sententiæ incongruitas inde facillimè deprehenditur, quod, illa concessa, Imperator esset maioris auctoritatis Christo. Probatur hoc: quoniam eadem est auctoritas Papæ, quæ fuit in Christo. Cautè magis (quæ mea fert sententia) fuisset locutus, & sapientiùs propriæ consuluisset doctrinæ, si dixisset, maiorem esse executionem, & vsum potestatis, non autem maiorem esse auctoritatem, seu potestatem ipsam. His autem absolutis, ad Reuerendissimum Catharinum me conuerto: de quo nonnulla etiam hactenus sunt dicta.

CAPVT II.

Rationum Reuerendissimi Ambrosij Catharini Solutio.

PErillustris, ac Reuerendissimus, Ambrosius Catharinus, vir acerimi ingenij, sententiam illorum irridens, qui Papam Dominium habere temporale Orbis Christiani, vel totius Orbis asseuerant, varijs vtebatur rationibus. Quarum prima hæc fuit: Si Summus Pontifex esset dominus Orbis, nulli essent verè domini terrarum in temporalibus, sed solus Pontifex dominus esset: alij verò, quo ad temporalia, sub illo: at, hoc si admittatur, nullum certè locum habebit illud Ioannis, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Luc. 9.
Et iterum: *Filius hominis non habet, vbi reclinet caput suum.* Malè colligit Catharinus: nec quod probare cupit, aliqua ratione confirmat. Cum dicimus, Summus Pontifex totius orbis Christiani est dominus latè, ac fusiùs est accipiendum dominium: vt scilicet significat iurisdictionem; at Christi Vicarius omnibus supereminet, omnes antecellit principes, totius orbis Christiani dominus dicitur: quoniam eius iurisdictioni cęteræ subijciuntur, ad illamue, tamquam ad primam, referuntur. Est munus illius, vt particularis iustitia, ac vniuersalis seruetur: idcirco errores Principum corrigit, excessus illorum dijudicat. Liberi quidem sunt in proprijs ditionibus Principes, vt retro diximus, & liberè possunt exercere propriam auctoritatem: at sunt termini, ac limites, quos non debent illi transilire, modus est in illa vtendo, quem seruare tenentur. quod si metrum excesserint, si lineam transilierint, Vicarij Chri-

Christi partes sunt; causas cognoscere, & remedium adhibere, in quo est apex vtriusque auctoritatis. Ad argumentum igitur, negatur illa consequentia.nec enim sequitur, Papa à Deo est constitutus iudex vniuersalis totius orbis, cęteris Principibus superemineт, & casualiter vbique terrarum iurisdictionem exercet, eo modo, quem diximus, Principes non sunt in propria ditione veri Principes, & liberè (vt leges patiuntur Principatuum) propriam non possunt exercere iurisdictionem. Quæ verò addebantur, nimirum, *Regnum meum non est de hoc mundo*;&, *Filius hominis non habet, vbi reclinet caput suum*, iam sunt clara; &, ad nostram demoliendam doctrinam inefficacia esse, demonstratum fuit. Habuit Christus Regiam potestatem: at, quoniam illa noluit vti, ideo dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo, &, Filius hominis non habet, vbi reclinet caput suum*. Silentio non sunt prætereunda ea, quæ Beatus Ioannes Chrysostomus in quadam homilia nobis scripta reliquit. Hunc locum interpretando, inquit. *Regnum meum non est*
83. in Ioan. *de hoc mundo, idest, mundano modo, quo alij Reges, qui ex fortitudine ministrorum accipiunt potestatem regnando, ipse autem super suos regnandi, sibi ipsi est sufficiens, nullo alio indigens auxilio*. Verùm adijciebat ille, in suæ sententiæ patrocinium, cùm in animum incidisset Hebræis, Dominum Iesum Christum rapere, vt Regem constituerent, neglexit Regij honoris dignitatem: fugit enim Saluator, ne Rex constitueretur. Insuper negauit iudicium adolescenti, petenti apud Euangelistam
Cap.12. Lucam. Horum locorum nullus est, qui habeat efficaciam. Fugit Dominus recusando Regnum oblatum: quoniam, vt diximus, Sanctum Thomam secuti, licèt potestatem, ac dominium habebat, vsum tamen, & executionem Regni, noluit habere; cuius rei causam iam explicauimus. Possumus adijcere ea, quæ scripsit Beatus Pater Augustinus, in huius loci interpretatione. *Cessit Saluator*
Tr.25.su.10. *Regno, dominioque Regali, sibi oblato ab hominibus, quia noluit Regem fieri per homines, qui Regnum dabat hominibus*. Silentio inuoluo, eam recusasse potestatem, vt præscriberet regulam hominibus perniciosè honores appetentibus: quemadmodum paupertatem dilexit, vt addiscerent eius fideles, diuitiarum cupiditatibus frenum imponere: quemadmodum contumelias passus est, vt & ipsi probra, & maledicta non debeant perhorrescere, sed ijs animum assuescere. Negauit adolescenti iudicium, petenti bonorum suorum diuisionem: quoniam, cælestibus intentus, temporalia declinabat: vt dixit Pater Ambrosius. Ex illo loco non colligitur, quod in Christo non esset dignitas Regalis, vt supra diximus, Sanctum Thomam secuti;sed dumtaxat, Dominum noluisse talem dignitatem exercere.Concludendo Catharinus sentiebat, auctoritatem Vicarij Christi potestatem in sola ouium pastura consistere, iurisdictionemque illius, solùmmodo in onibus Christi locum habere, quæ scilicet baptismo ei subditæ existunt, de ijs enim, quæ foris sunt illius non esse iudicare confirmans hæc omnia vsu, quo à Romano Pontifice totum orbem possideri, hucusque non est compertum

Ex falsis principijs falsa deducitur conclusio, quod enim in Christi Vicario sola potestas spiritualis reperiatur, falsum esse, varijs rationibus fuit demonstratum: at, quod tantùm habeat iurisdictionem inChristi fidelibus idque vsu fuisse comprobatum, numquam terrarum orbem possedisse, nunc est leui considerationе, ac rudi examine ponderandum, infra namque hæc erunt dilucidanda. Dictum est supra, Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, illique commissas esse oues à Christo, & potestatem Regni cælestis, ac terreni, vt Nicolaus Papa dicebat, fuisse clargitam. Hæc potestas summa est, immo culmen, ac fastigium potestatis, Vicario Christi congruens. Vniuersalis est iurisdictio, & spiritualium, & temporalium bonorum. Si potentiam, & auctoritatem hanc in sui ambitu, ac in se consideremus, quatenus potest extendi, totum orbem; si casualiter, totum orbem Christianum; si vsum ordinarium aspiciamus,terminis suis est limitata,atque proprijs conclusa limitibus, cum autem adiecit Apostoli Pauli verba, *De ijs, qui foris sunt, nihil ad nos*, animaduertere noluit, Apostolum loqui de vsu potestatis, non autem de ipsamet potestate, atque, vt Christi passio pro omnibus fuit sufficienter, licèt non efficaciter. Hæc ab alijs diuersis exponuntur verbis. Nonnulli aiunt, à clauibus datis Petro Paganos etiam complecti, & oues illius esse subijci clauibus ea ratione, quoniam non credentes, iam iudicati sunt, atque ligati earumdem autem clauium potestate, si velint euigilare, & fidem Christi recipere, possent absolui. Oues autem Christi in duas distribuunt classes,vel enim sunt Christi oues iure creationis dumtaxat, vel iure creationis characteris baptismalis simul. Primi generis oues, sunt & pagani, quoniam creati sunt à Deo, licèt baptismatis charactere non sint insigniti. Secundæ autem classis, sunt fideles. Hæc habet glossa super illud Ioannis Euangelistæ: *Oues meæ vocem meam audient*. Cap.10.
Postquam dixerat, *Non estis ex ouibus meis*, ait glossa: *Consequenter inducit eos, vt oues efficiantur*. Imitatione, & voluntate, fideles sunt oues Christi. in quibus à summo Pontifice exercetur iurisdictio, & actu potestas illius ponitur in vsu. Infideles, vt capaces sunt beatitudinis, huic subduntur potestati, de facto autem minimè. Verùm de ijs locupletius infra, Dei gratia, vt polliciti sumus. Nunc Soti rationes sunt euertendæ.

CAPVT III.

Dominici Soti Rationes soluuntur.

Domlnicus Sotus, de studio Theologiæ sacræ benemeritus, ab Ambrosio Catharino non dissentiens, in hac materia, vt propriam positionem stabiliret, primo loco sic arguebat. In Christo non fuit potestas temporalis: igitur neque in eius Vicario. Vt autem hoc antecedens demonstraret, cui tota innititur disputatio, varijs vtebatur rationibus. Quarum prima hæc erat: Christus venit in mundum(singillatim sunt repetendæ ac soluendæ rationes, commodioris doctrinæ gra-

næ gratia) vt nos redimeret, & saluos faceret: igitur nullam assumpsit potestatem, nisi illam, quæ ipsi erat necessaria, ad huiusmodi peragendum negotium, at quoniam nullum afferebat auxilium talis potestas sæcularis, ad saluos nos faciendos, igitur illam contempsit, atque abiecit. Hæc ratio plurimùm deficit. Supponit primò, quod illi omnino erat probandum, principium petens. Fatemur, Dominum in mundum venisse, vt nos saluos faceret, hoc est, quàm quod verissimum, quo admisso, sequitur, vt venerit cum potestate accommodata ad hoc peragendum: at quòd nullam aliam habuerit potestatem, hac excepta, inde proculdubio non sequitur. Legatus, gratia exempli, à Summo Pontifice missus, ad Prouinciam Romandiolæ regendam, cum potestate mittitur reos puniendi, aliaue agendi attinentia ad tale regimen: at, quòd nullam aliam habeat, præter hanc dignitatem, inde non sequitur, & si fulgeat aliqua dignitate ab hac diuersa, nullum oritur incommodum, aut inconueniens. Cum ergo arguit Sotus, Christus venit in mundum, vt nos faceret saluos, igitur nullam assumpsit potestatem, nisi illam, quæ attinebat ad hoc conficiendum negotium, negatur hæc consequentia. Quod etiam ei conueniret Regalis potestas, iam iam, Beato Thoma præceptore, & duce, aperiemus. Quare hucusque ratio bifariam peccat. Verùm dicebat ille, temporalia nullum adiumentum poterant ei præstare, ideò illa neglexit. Videas, obsecro, quonam modo doctor iste à potestate rerum temporalium ad vsum pertranseat. Concedimus, vt superiùs diximus, Dominum non fuisse vsum rebus temporalibus: &, quo consilio id fecerit Saluator noster, ea non sunt hic repetenda: at negamus, in illo non fuisse rerum temporalium potestatem: atqui, quoniam poterat fortè aliquis dicere Regnum hæreditarium per Dauidis prosapiam descendens Christum habuisse, id Sotus reijciebat: quoniam Regnum illud, aiebat ipse, in Ioachim, filio Iechoniæ, habuit finem. Ratio hæc nihil nobis officit, qui asserimus, à Deo patre hanc obtinuisse dignitatem, vt ex Sancto Thoma demonstrauimus. Dicere non possumus, Christum ex Regia stirpe non fuisse ortum: quoniam testimonio patris Hieronymi, & Augustini, & Scripturarum, quorum supra mentionem fecimus: hoc clarum est. Quibus addere liceat ea, quæ docemur à Ioanne Damasceno, qui, loquens de Virgine Deipara, illam ex stirpe Regia ortam fuisse, ostendit. Verba huius grauissimi Doctoris vti non grauabor apponere, ita non pigebit benignum lectorem ea inspicere. Hæc autem talia sunt: *Enimuero, quod Ioseph ex Dauidica tribu descenderit, Matthæus, & Lucas, sacratissimi Euangelistæ, dilucidè manifestarunt: sed Matthæus quidem ex Dauid per Salomonem deduxit Ioseph, Lucas autem per Nathan, Sanctæ vero Virginis generationem ambo siluerunt. Decet scire, non fuisse morem Hebræis, neque Diuinæ Scripturæ, genealogias texere mulierum: nam lex fuit, tribum non desponsare ex alia tribu. At qui Ioseph ex Dauidica descendit tribu, & iustus erat: hoc enim de ipso Diuinum testatur Euangelium: non igitur, præter legem, Sanctam Virginem ad desponsationem duxisset, nisi ex eius sceptro descendisset. Cum igitur ostenderit Euangelista descensum Ioseph, satisfactum esse putandum est.* Et, paucis interpositis, sequens rem propositam, ait: *Ex serie igitur Nathan, filij Dauid, Leui genuit Melchi, & Pantherem. Panther genuit Barpantherem, sic ab eo denominatum, Barpanther genuit Ioachim, Ioachim vero genuit Sanctam Deiparam. Ex serie Salomonis filij Dauid, Nathan duxit vxorem, ex qua genuit Iacob: mortuo autem Nathan, Melchi, qui erat ex tribu Nathan, filius Leui, frater verò Barpantheris, nupsit vxori Nathan, matri quidem Iacob, & genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres vterini Iacob, & Heli, Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli vero ex tribu Nathan: defuncto autem Heli, de tribu Nathan, sine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis vxorem eius, & suscitauit semen fratri suo, & genuit Ioseph. Ioseph igitur natura quidem est filius Iacob, ex descensu à Salomone, secundùm vero legem filius Heli, ex Nathan.* Hæc Damascenus. Quibus patet, quod Dominus ex stirpe Dauidica fuerit oriundus: est ex Dauidis stirpe, si matrem aspiciamus, eiusque genealogiam, ex cuius matris purissimis sanguinibus, caro illius à Spiritu sancto fuit fabricata: hæc autem est attendenda, quoniam caro Christi patrem nesciuit terrenum: quod verò finem habuerit in Iechonia Dauidis Regnum, nil certè ad nos, siquidem Regna successione lineæ masculorum perseuerant in primogenitis. Sat sit nobis, ostendisse, ex Regia stirpe fuisse generatam Saluatoris nostri matrem: atque, quod ex Dauidica, Ioachim, pater eius, filius fuit Barpantheris, Leui nepos, ex Nathan filio Dauid descendens. Locus vero ex Hieremia adductus, loquitur de linea masculorum, ad quam Regnum attinebat, continuata successione. Arguebat insuper: Dominus numquam est vsus hac auctoritate: igitur frustra fuit in illo. Consequentia hæc nulla est. Mammæ generantur à natura ad alendam sobolem: igitur in masculis erunt frustra. Alæ datæ sunt auibus ad volandum: igitur Struthio camelus habet frustra. Consequentia certè nulla est. Omitto, quod multæ potentiæ in natura sunt frustra: vt quotidie videmus: & inde nullum sequitur incommodum. Puer, verbi causa, est in potentia ad emittendam barbam: & moritur: potentia illa est frustra. Infans est in potentia ad ambulandum, & emittendos dentes, & moritur: frustra est hæc, & illa potentia. Quod attinet ad argumentum, respondemus non fuisse frustra: quoniam fuit ad ornandum, vt mammas masculis construxit Natura, quemadmodum Auerroes adnotauit, aduersùs Galenum disserendo. Probabat deinde, in Christo potestatem fuisse spiritualem, vt excluderet, temporalem in illo extitisse auctoritatem: verùm frustra. Demonstrandum certè illi erat; solam auctoritatem spiritualem in Christo fuisse. Indefinita propositio æquipollet particulari, vt logici inquiunt: at à particulari, ac singulari, ad exclusiuam, ratio non tenet: vt ijdem logici docent. Petrus est domi: ergo solus Petrus est domi: ratio nullam habet efficaciam. Confirmabat hoc, quoniam coram Pilato dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quo-

l. 4. de fid. Orth.

Collig.

Quoniam cum discipulo Sancti Thomæ in præsentiarum est disputatio, idcirco huius Beati Doctoris responsio est adducenda. Inquit vir Sanctus, hoc à Saluatore fuisse dictum, non quod careret Regia potestate temporali, sed quoniam ea noluit vti. Hæc sunt eius verba, quæstione olim citata: *Ad primum; dicendum, quod sicut dictum est, iudiciaria potestas consequitur Regiam dignitatem; Christus autem, quamuis esset Rex constitutus à Deo, non tamen in terris viuens, terrenum Regnum temporaliter administrare voluit: vnde ipse dixit; Regnum meum non est de hoc mundo.* Hæc Beatus Thomas. Sensus ergo est, non de auctoritate, potestateque Regia, sed de vsu, ac administratione. Nouissimè adducebat nonnulla loca ex Pontificio iure excerpta, cap. quoniam idem, cap. duo sunt, cap. cum ad verum, & cap. solitæ. Quibus in locis apparere videtur, Christi Vicarium, non habere temporalem potestatem. Postremum caput supra cum fuerit discussum, atque demonstratum, nostro negotio summoperè opitulari, idcirco nunc relinquamus huius rei considerationem: infra fortè cum nouam nacti fuerimus occasionem disceptationis, noua erit discussio. Ad alia loca me conuerto, ordine immutato. Accipio legem illam *Cùm ad verum*, cui tantùm ab istis tribuitur, qua non docemur, in Summo Pontifice Regalem potestatem minimè reperiri, sed dumtaxat, nomen Imperatoris, & vsum eiusdem iurisdictionis. Hoc sanè conspicuum erit, si verba adducti Canonis legantur attentè. Illa hæc sunt: *Cùm ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo, Christus Iesus, actibus proprijs, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferno demergi. Et, vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans minimè se negotijs sæcularibus implicaret, vt vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset sæcularibus negotijs implicatus.* Hæc est illa lex, à verbis Nicolai Summi Pontificis accepta: quæ, vt dixi, nihil nobis officit. Sunt vera Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem scripta, vt corrigeret eiusdem erratum. Præceperat Michael, nedum facultatem dederat, vt Ignatius, Constantinopolitanus Patriarcha ab Episcopis deponeretur: quod sanè ab eo, nec debuerat, nec poterat fieri. Licèt enim in veteri lege Principes, essent simul etiam Sacerdotes, nihilominus à Principibus Dominus segregando hanc potestatem, sæcularibus exactis iudicibus, sub lege gratiæ, hæc officia discreuit, & separauit: atque, licèt Summo Pontifici vna, & altera insit potestas, non tamen è contra Imperatores, ac Reges Pontificali fulgent potestate. Summus Pontifex non sibi vsurpat nomen Imperatoris: è contra Imperator Iura Pontificatus non debet sibi arripere. Quare, cum scopus Papæ sit, docere Imperatorem non habere potestatem temporalem, vt olim habuerunt prisci Reges, & Principes, hoc sensu sunt verba attendenda, vt scilicet remoueatur ab Imperatore audacia Patriarcham deponendi; ijs tamen noluit Summus Pontifex ostendere, quod in Papa non sit vna, & altera potestas. Verùm, vt res adhuc magis solidior fiat, dicta Papæ huius animaduertamus. Dum loquitur de Imperatore, ait, quod iura non arripiet: dum verò de Summo Pontifice verba facit, inquit, quod sibi non vsurpat nomen Imperatoris. Negat, auctoritatem Pontificis conuenire Imperatori: non autem negat, potestatem temporalem Pontifici inesse. Demum, cum de regimine rerum temporalium Pontificis loquitur, supponendo potestatem Regalem in illo existere ait, quod dumtaxat vtitur legibus Imperialibus pro cursu rerum temporalium. Cautè, prudentèr, ac sapientèr, vt decet Christi Vicarium, loquitur Beatissimus Pater, quia potestas spiritualis, & temporalis reperiuntur in Papa: hæc autem illa longè inferior: præcipuumque munus illius sunt spiritualia: ait primò, illi dandam esse operam cœlestibus, tamen legibus Imperialibus eum debere vti, vt temporalia regat. Quare lex illa adducta, vti manifestè negat, Imperatori inesse spiritualium rerum potestatem, ita insinuat Pontificem fulgere auctoritate temporali: licèt autem hæc sint discreta officia, inde non sequitur, vt Summo Pontifici ambo non insint. Alter locus erat cap. Duo sunt; quæ verba excerpta sunt ex epistola Gelasij Papæ, scribentis Anastasio Imperatori, illumque corrigentis. Contendebat Anastasius, Papam anteire dignitate: Beatissimus ille Pater, scribens eidem Imperatori, ostendit, Cæsarem Summo Pontifice esse inferiorem. Probat hoc duplici ratione: quarum prima est: A Papa spiritualium Regnum haberi, ab Imperatore rerum temporalium. Secunda est, quoniam colla Regum, & Principum genibus Sacerdotum submittuntur; hoc inde probat, quia Innocentius Arcadium excommunicauit, consentientem, vt Sanctus Ioannes Chrysostomus à sua sede pelleretur. Beatus etiam Ambrosius, licèt Sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa, quæ alijs Sacerdotibus non adeò videbatur grauis, Theodosium magnum Imperatorem excommunicatione damnauit. His concludit, Imperatorem Romano Pontifici, eiusque potestati, esse subiectum; quare epistolæ illius verba adducta potiùs nobis fauent, quàm nostram demoliantur sententiam. Aliud est, quod Papa sumat argumentum à dignitate eidem inexistenti Sacerdotali, cuius Imperator est expers, vt ostendat, Imperatorem Papa esse inferiorem; aliud est, quod in illo sola reperiatur spiritualis auctoritas. Distinguit autem potestates in suas species, vt illarum comparatione, appareat, Papam esse maiorem Imperatore; non autem sibi vult illa distinctione, quod vna sola sit in Summo Pontifice. Supponit, illam in eodem reperiri auctoritatem, spiritualem nimirum, vt inde probet Papæ supereminentiam. Accedo ad alium, qui relictus est, locum; verba sunt Sancti Cypriani martyris ad Iulianum Imperatorem scripta: *Quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, sic actibus, & di-*

59. art. 4.

Distinct. 10. 97. de mai. & ob.

& dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, propria volens medicinali humilitate hominum corda sursum afferri, non humana superbia, rursus in inferiora demergi, vt etiam Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum Imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret in cursibus, & Deo militans minimè sæcularibus sese implicaret, ac vicissim ne ille diuinis rebus præsidere videretur, qui esset negotijs sæcularibus implicatus. Eadem sunt verba cum ijs, quæ ex Nicolai Summi Pontificis sunt adducta, & ideo eadem responsione sunt reijcienda. Iura Pontificatus vindicabat sibi Iulianus, ea ratione ductus, quoniam in antiqua lege Imperatores, seu Reges, summi Sacerdotis fungebantur officio. Beatus Cyprianus, hunc refellens errorem, inquit, postquam Deus humanitatem induit, & nobiscum homo factus, conuersatus est, discreuit hæc officia, vt Imperator temporalibus dumtaxat præsideret, non autem Spiritualibus. Sancti Martyris Cypriani Scopus quisnam est, & finis quisnam, obsecro? Nullus certè alius, nisi, ostendere, ad Imperatorem non attinere spiritualia, sed temporalia. His tamen non negat, temporalem potestatem in Pontifice reperiri. Sat ei sit, ostendere, distinctas esse potestates, ambasq; Regibus temporalibus non conuenire, cùm soli Papæ vna, & altera insit. Adde, has potestates distinctas dici, si etiam Vicarij Christi personam consideremus: quoniam eodem modo illi non conueniunt. Potestas iurisdictionis spiritualium rerum, quæ sunt cælestes, propriè ei congruit, & secundùm immediatam institutionem, & executionem, vt dicitur, at potestas rerum temporalium, licèt immediate competat, ei secundùm immediatam institutionem, (verbis, quæ vsus scholarum familiaria fecit, vtar, rei notificandæ gratia) non tamen ita primò, ac propriè, & æquè conuenit, secundùm immediatam executionem, si quidem cælestibus intentus, quantum fieri potest, à terrenis debet abstinere, ne minoribus intentus, maiora relinquat. Hoc docuit Ietro Moysem: quem videns adeò sæcularibus negotijs, ac terrenis præpeditum, vix diuinis rebus operam nauare poterat hoc institutum viuendi, contemnens, cognato dixit, stulto labore consumi, aliterque ei esse viuendum. Hortatus est Moysem ad eligendos consiliarios, iudicesue substituendos, qui res temporales administrarent, & ipsi mente libera cælestibus vacanti referrent, quæ populo essent necessaria, quæue vrgentiora Moyses
Cap. 12. Ietro, cognati sanctum, iustumque consilium secutus, iudices constituit ad temporalia tractanda, ad vrgentioraque referenda, vt liberè magis ad spiritualia incumberet. Ita, in Summo Pontifice, licèt vna, & altera sit dignitas, atque potestas, attamen propria magis cùm sit spiritualis, quæ longè est temporali præstantior, ac excellentior, ob id Summus Pontifex, vt fieri potest, alij curam temporalium debet demandare, qui necessaria, ac magis onerosa referant, ab eodem iudicanda. Propter hæc dicuntur inter se dignitates discretæ, si de Papæ persona loquamur, eique spiritualia conuenire: non quod & temporalium rerum iudicium, potestatemq; iudicandi non habeat, sed quoniam ei primò spiritualis conuenit potestas, cælestibusque debet esse intentus. Etenim, quotiescumque duo alicui competunt, quorum vnum altero sit magis ei accommodatum, ab illo sumitur denominatio; illudque eius proprium esse dicitur, quod in ipso est præstantius. Porro, cum hæ duæ potestates, imperium rerum spiritualium, ac temporalium, illud verò sit hoc præstantius, ac longè excellentius, eidem etiam magis accommodatum, eius quin etiam magis proprium appellatur. Quemadmodum pater habens duos filios, quorum vnus virtutibus, moribus, ac studijs præditus, alter vero sit literarum ignarus, moribusque non admodum elegans, adeò primum diliget, vt alter non videatur eius esse filius, licèt ametur, dicetur etiam negligi, odioue haberi secundus, nec parentis filius, tametsi ametur, & carus habeatur: ita in ijs auctoritatibus, prima dicitur summi Pontificis, non quod secunda non refulgeat, sed quia hæc maioris existens excellentiæ, magis ei conuenit. Quare, si aspiciamus, quod Papæ est proprium, proculdubio dicemus, ad illum spiritualia, non autem temporalia, attinere. Comparatiuè loquendo, id admittit verborum vsus, non tantum apud profanos, verùm etiam apud Sacros. Dicemus: Aristoteles odio habuit Alcibiadem, si hunc cum Callisthene comparemus, quem vnicè diligat, & oculis ferat. Vt autem spiritualia illi conueniunt, ita non rectè ab illo auferuntur temporalia, in eius potestate vtrumuis gladium esse, latè supra demonstrauimus, & licèt munus Christi Vicarij sit, rebus cœlestibus operam dare, nihilominus non debet terrena negligere. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ de argentatæ, & posteriora eius in pallore auri*. Si inter vtramque sortem Laicorum, & clericorum (nullam certè habet Dominus aliam sortem viuentium in hoc mundo, quæ sit capax summi boni) quiescit Pastor, tunc Ecclesia, Domini columba, proprijs ornamentis est honestata, & Leo IV. cuius verba habemus *cap. quia præsulatus*, scribens Eburnio, & Adelfridio, Episcopis, idem affirmat, dicens: *Quia Præsulatus nostri (quod bene nostis) magisterium non solum de* 1. quæst. 3.
Sacerdotum, verùm etiam de sæcularium vtilitatibus debet esse sollicitum, &c. Dissimilem ab 2. 2. q. 40.
hac doctrinam Sanctus Thomas minimè habuit. Alicubi quærens, an clericis, & Epi- Art. 2.
scopis pugnare liceat, & in bellum exire. *Cum ad bonum* (scripsit ille, veritatem quæstionis dubiæ patefaciens) *societatis humanæ* 1. pol. c. 1.
plura sint necessaria, diuersa autem à diuersis meliùs, ac expeditè magis agantur, quàm ab vno solo, vt dicebat Aristoteles, quædam vero sunt negotia, adeo sibi repugnantia, vt conuenienter simul nequeant exerceri, hac de caussa minora prohibentur ijs, quibus maiora committituntur. Quemadmodum humana lege cautum est, militibus bellicis exercitijs ascriptis, negotiationes inhibentur, bellica autem exercitia maximè aduersantur officijs illis, quibus deputantur clerici, ac Episcopi. bellica namque exercitia animi inquietudines habent, quibus animus ad contemplanda cælestia distrahitur. Hinc Sanctus Paulus scripsit: 2. Tim. 2.
Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotijs.

gotijs. Concludit Sanctus Thomas, hac verborum serie, officia omnino sibimet aduersantia, ab vno, & eodem non exerceri congrua simul. Concludit quinetiam, bellica negotia clericis inhiberi, quoniam Deo militantes, non implicant se negotijs sæcularibus. Ex hoc loco colligo, quod rerum temporalium, & spiritualium regimina, non sunt adeò opposita, vt sit impossibile, quod vnus, & idem, ea exerceat. Inhibetur clericis bellica exercitatio, quoniam mens humana huiusmodi negotia perturbatur, & contemplationibus rerum cælestium existit impedimento. Non inquit impossibile esse, ab vno exerceri, sed ait, diuersa à diuersis rectiùs exerceri, maiori diligentia, atque exactiùs, & congruentiùs. Porro, rerum temporalium regimen, cum populi fruuntur pace, & rerum spiritualium administratio, ab vno, & eodem facillimè poterit exerceri, vbi sint, qui adiuuent præcipuè, quinetiam tempore belli, si armorum iura, ac exercitatio bellica, alijs committatur, adhuc eidem hæc duo possunt inesse officia. Verùm, ad locum adductum redeuntes, immò etiam ad alia duo respondendo, dicamus, quod Martyr Cyprianus, alijque duo Beati Patres cum eo, respicientes ad id, quod est proprium summi Pontificis, & quod primò, ac præcipuè ei competit, dixerunt, Papæ esse spiritualia. At, his addendo, dicebat Sotus: Sunt duæ diuersæ omnino potestates, sæcularis, & temporalis: igitur vna ab altera non potest prouenire. Ratio hæc peccat: quoniam falsò innititur fundamento. Supponit, in summo Pontifice apicem vtriusque potestatis non reperiri, quod nos supra explosimus, & falsum esse demonstrauimus. Quare, dum infert hic Doctor, Sunt duæ potestates diuersæ, igitur vna ab altera non potest deuenire: ratio hæc nihil nobis officit, qui asserimus, apicem vtriusque potestatis in Christi Vicario reperiri. Peccat secundò, quoniam Sancti Pauli doctrina declarauimus. Si Papa iudicat spiritualia, tantò magis temporalia. Quare, licèt actus illi sint diuersi, non tamen adeò sunt oppositi, quin ad vnum possint redigi principium. Id etiam, quod ex secundo Psalmo exceptum adduxit, scilicet. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion, montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*: nullius est efficaciæ. quod iam iam apparebit, rationibus postremò adductis occurendo.

CAPVT IV.

Postremi Doctoris citati rationes euertuntur.

NVllo certè labore, facilique negotio, huius doctissimi viri rationibus possumus satisfacere: cùm omnes ferè funditus sint euersæ, & solutæ, argumenta Soti, & Catharini ponderando. Eadem ferè, vt diximus supra, sunt argumenta, pauca sunt addita proprio Marte. Quatuor membris autem cuncta ab illo fuerunt disposita; quorum primum illas continebat rationes, quibus nitebatur probare, summum Pontificem totius Orbis non esse dominum. Primam illarum hanc fecit: Papa Christi Vicarius non est totius Orbis dominus, quoniam Ioannis capite vltimo, committens Iesus oues Petro, eas dumtaxat illius curæ commisit, quæ erant ipsius, charactere nimirum baptismatis insignitæ. Ad hæc, Papa non potest iudicare infideles. Quid ad me, de ijs, quæ foris sunt, iudicare? His duabus rationibus tetro occurrimus. Atque, licèt ijs, quæ sunt dicta, possem esse contentus, nihilominus, vti argumenta huius grauissimi viri repetere volui, doctrinam considerando, ita etiam nonnulla addere decreui. ne frustra susceptus sit respondendi labor. Accipio primum, Saluator dicens, *Pasce oues meas, &c.* Dicam primò, vt glossa nos docet, sensum verborum hunc esse: *Pasce oues meas*: idest, vt meas, non vt tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, mea lucra quære, non tua; gloria autem eius est, credentes roborare, ac stabilire, ne deficiant. terrena subsidia, si necesse sit, subditis prouidere, exempla virtutum præbere, aduersarijs obsistere, peccantes corrigere. Hoc sensu si accipiantur illa verba, nulla certè erit ratio; cum indifferenter de omnibus loquatur ouibus. Verùm audio quempiam, adhuc instantem, has oues non esse Christi, quæ extra ouile viuunt; sunt verò Christi, quæ terminis ouilis circumseptæ, degunt. Respondeo, cum Dominus Petro commendauit oues, Paganos, nedum Christicolas, eius curæ demandauit: Verba Domini sunt consideranda, de ouibus suis loquentis: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Duas ouium meminit Dominus species his verbis. Commemorat oues proprias, & hæ sunt, quæ vocem illius audiunt, quæ Euangelium susceipiunt, & Christum agnoscunt Pastorem, qui animam suam dedit pro grege. hæ sunt, quæ intra ouilis septa viuunt. Alias quinetiam meminit, quas extra ouile esse asserit, à primis diffidentes, quæ vocem eius non audiunt, quæ Euangelij prædicationem non susceperunt, quas dicit ei fore adducendas, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor omnium. Testatur Dominus, has, & illas esse oues ipsius. Dicendo Petro, *Pasce oues meas*, omnes has oues ei commendat. Quare ratio illa, adducta ab ijs doctissimis viris, numquam mihi probari potuit, neque efficax visa fuit. Iurisdictio enim Papæ, si de iure loquamur, (verbis vtar alienis) & non de facto, latissima est, & omnes alias subditas habet. Hinc Iuris Pontificij doctores concludunt, paganos, barbarasue quasuis nationes, licèt sola lege naturæ vtantur, à Papa iustè puniri posse: vt etiam in nonnullis sacris Decreti legibus inspicientibus fit conspicuum. Idololatras quinetiam Christi Vicarius corripere potest: quoniam naturale est, Deum colere, non autem creaturas. Inde prouenit, quod Papa iudicat, & supplicijs afficit Iudæos, legem non obseruantes in moralibus, quæ immutabilia perseuerant. Ea propter Gregorius huius nominis Nonus, & Innocentius Quartus, Talmud Hebræorum librum com-

1. Cor. 5.

Io. 10.

32. quæst. 7. Flagitia. 23. q. 5. cap. si audictis.

comburi iusserunt, in quo quamplurimæ hæreses continebantur, & illos puniri, qui eas cæteros docerent. Quod si Papa Iudæis, vel Paganis, ac etiam Christianis, pœnas omittit inferre, hoc facit, vel quia proprium imperium ei vires non subministrat, hęc agendi; vel imminentium periculorum causa; vel ob futura scandala. Silentio prætereo, Infideles à Papa puniri posse, si missos ab eodem Papa concionatores verbi Dei in regiones eorum, eos non recipiant: quoniam, licèt pręcisè infideles nequeant cogi ad credendum, & ad fidem suscipiendā, attamen, quia omnis creatura rationalis facta est ad laudandùm Deum, *Laudate Deum omnes gentes. Omnis spiritus laudet Dominum*: idcirco pagani, prohibentes prędicatores, peccant, peccando autem, à Papa sunt puniendi. Dicam solum Pontificis Romani iurisdictionem latissimā esse, vt demonstraui; & eius curę commissas fuisse oues omnes, siue sint actu Christi oues, siue potentia. Omnes fieri possunt Christi oues, quę potestate sunt tales. Americarum populi id nos docent, qui, cùm olim pecudum more viuerent, essentque oues errantes, nunc tandem, summa Dei miseratione, ad proprium pastorem Christum Dominum conuersi sunt. Quod secundo loco adiecit, verba fuerunt Sancti Pauli, dicentis: *De ijs, qui foris sunt, nihil ad nos*. Iam dixi, verba illa quem patiantur sensum, & ideo nunc explicatiùs aio, Apostolum loqui de potestate, quę iurisdictionem spiritualem requirit. Porro, cùm infideles actu non subdantur spirituali iurisdictioni, idcirco dixit, nihil ad eum attinere. Hęc fuit B. Athanasij sententia: qui, hunc locum explicans, ita loquitur: perinde dicat: Neminem equidem nunc eorum, qui exteriores sunt, alloquor: id enim leges meas excedere. superuacaneum igitur, Christi pręcepta illis iniungere, qui extra Christi aulam diuagantur. Hoc idem Beatus Thomas sentit. Addatur, eos, qui sunt foris, ad nos nihil attinere pręcisè, scilicet, eos ad fidem compellendo, quia sola Dei gratia sunt vocandi: at, si nos perturbant, ad nos faciunt. Canonicis constitutionibus non plectuntur, si illorum matrimonia, aliauè simillima his, consideremus; at, si Christicolis iniuriosi existunt, si fidei, vel cultui diuino inueniuntur contumeliosi, tunc quidem possunt coerceri, & subtractione participationis etiam omnium Christianorum puniri. Tertium aggredior argumentum. Infideles Principes, sunt veri Principes suorum Regnorum: nam dominium non fundatur in gratia, aut in fide, sed in libero arbitrio, & ratione, nec descendit ex iure diuino, sed ex iure gentium, vt patet, eo quod Deus approbat Regna Gentilium in vtroque Testamento. Daniel: *Tu es Rex Regum, & Deus Cæli dedit tibi Regnum, & imperium*. Et apud Sanctum Matthæum: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; &, quæ sunt Dei, Deo*. Ait Saluator: Reddite, non, Donate, sed Reddite, quæ illi debentur iure. Et Sanctus Paulus: *Cui tributum, trbutum, cui vectigal, vectigal*. Iubet quinetiam, propter conscientiam Ethnicis principibus obedire, ac certè non tenemur obedire Principibus, qui non sunt veri Principes. Hac eadem ratione vtebatur Sotus de Iust. & Iu. Quæ licèt prima facie aliquid concludere videatur, nihilominus nullam habet efficaciam ad destruendam nostram positionem. Non dicimus nos, quod Papa sit totius Orbis dominus, sed quod eius iurisdictio omnium sit eminentissima, & ad illam tamquam ad primam, cæteræ referantur. Ad hæc, quod de iure subditam habet omnem potestatem: & Turcarum, aliorumque Gentilium potestas, quomodo summi Pontificis iurisdictioni subijciatur, ostendimus. Quare dato quod aliqui illorum sint veri domini, cum dicitur, Paganorum Principes, sunt veri Principes: igitur Papa non est totius Orbis Dominus. Respondemus, quod si accipiamus dominium propriè sumptum, nihil facit ad rem adducta ratio. Distinximus retro dominium, à iurisdictione: & ostendimus, Papæ iurisdictionem esse in omni orbis regione, aut actu, aut potestate, aut de iure, aut de facto, idcirco ratio nihil ad nos, qui non dicimus, Papam esse dominum orbis, sed supremum orbis Principem, cui alij subijci debent. Loca autem adducta nostræ non obsunt sententiæ, eo consilio sunt citata, vt confirmetur, Regna esse à Deo, quæ, vt Pater Augustinus aiebat, ab illo sunt, aut volente, aut sinente. Primus locus probat, omnem potestatem à Deo esse, quæ gratis admittitur, vt nunc dictum fuit. Secundus, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*, nihil aliud nos docet, nisi iustitiam quamdam legalem, qua cuncta sunt ponderanda, & vnicuique reddendum, quod suum est. Tributum debetur Principibus, tamquam stipendiarijs, laborant pro tutela populi: ideò tributum à populis illis reddendum. Apostolus Paulus, rem hanc exaggerando, ad Romanos scribens, dixit: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal; & cui honorem, honorem, cui timorem, timorem*. Verba Beati Petri, quibus hortatur, nos subiectos esse, eò tendunt, quod subditi esse debeamus ob meritum humilitatis, non autem sermo est de subiectione, qua homines Principibus, & Regibus subijciuntur. Glossa hæc fuit Innocentij Papæ huius nominis Tertij, qui sic scripsit Constantino Imperatori: *Mirata Imperialis sublimitas, quod te nixi fuimus in nostris litteris increpare. Huic autem tuæ admirationi non causam, sed occasionem præbuit, quod legisti, Beatum Petrum, Apostolorum Principem, sic scripsisse: Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, tamquam præcellenti: siue Ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*. Et infra: *Verùm, si personam loquentis, & eorum, ad quos loquebatur, ac vim locutionis, diligentiùs attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat. nam, si per hoc, quod dixit, Subditi estote, Sacerdotibus voluit imponere iugum subiectionis, & eis prælationis auctoritatem auferre, quibus eos subiectos esse monebat: sequeretur ex hoc etiam, quod seruus quilibet in Sacerdotes imperium accepisset: cum dicatur omni humanæ creaturæ*. Hæc Magnus Innocentius. Ex quibus colligi potest, quis sit illorum verborum sensus, & quod gratis citentur ad roborandum illud antecedens. His itaque expositis, ad alia accedamus, quæ sequuntur. Quod enim

Marginal notes: Ex. de cle. cap. exc. mi. — Psal. 126. — Psal. vltim. — Ex. de iud. cap. & si iud. & 17. q. 4. — Dan. 2. — Matth. 22. — Rom. 13. — 4. q. 4. ar. 1. — De ma. & ob. cap. soli; te.

enim frustra esset auctoritas, iam responsum fuit. Vnum silentio prætereundum esse non censeo, in verbis Innocentij. Explicans verba Principis Apostolorum, *Regi, tamquam præexcellenti*, ait, *Non negamus, quando præcellat Imperator in temporalibus illos, dumtaxat eos, qui ab ipso suscipient temporalia.* Porro, cùm Papa dignitatem Regiam ab illo non accipiat, igitur non erit inferior. Accedamus ad alia.

CAPVT V.

Articuli Secundi rationes diluuntur, quibus probatur, Papam non esse Dominum totius Orbis Christiani.

Rationibus Summorum Pontificum, & dictis vir Theologus vtens, arbitratus est, cumulatè ab illo fuisse demonstratum, Romanum Pontificem totius orbis Christiani non esse Dominum. Verùm, vti rationes sunt inefficaces, ita Summorum Pontificum dicta nihil eius sententiam tuentur. Dicebat ille: si totius Christiani orbis Summus Pontifex esset Dominus de iure diuino, id sanè vel aliqua Scriptura, vel Apostolorum traditione deberet constare: at nihil habemus, nisi traditas fuisse Regni cælorum claues, Regni autem terrarum nulla extat memoria, nullauè traditio Apostolica, igitur orbis Christiani non erit Dominus. Ratio retro à nobis nec vnico quidem medio est euersa. Probauimus sacris testimonijs, à Domino oues Petro fuisse commissas, ouiumque regimen eidem fuisse demandatum. Ad hæc, omnem potestatem, in cælo, & in terra, à Deo Patre, Christo fuisse datam, hancue in eius Vicario reperiri. Quare falsò innititur fundamentum hæc ratio, malèque colligit, qui eam sic deducit. Eius autem ambitus est Petri potestas, Christique Vicarij, cuius sunt claues, si accipiamus iurisdictionem Summi Pontificis eo modo, quem supra toties diximus. Cùm ad Petrum conuersus, dixit, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* respondenti Petro, *Tu es Christus, filius Dei viui*, Dixit Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Fundamentum Ecclesiæ est Fides, quam Petrus confitetur, in illoque existit: Petrus autem petra, latitudo Clauium tanta erit, quanta est credentium fides. Cùm deinde dixit, *Pasce oues meas*, his verbis regimen, vt iam fuit demonstratum, animarum, & iurisdictionem elargiendo, vtriusque iurisdictionis curam demandando, tanta proculdubio erit iurisdictionis latitudo, quanti ambitus sunt Claues. Addebat ille: Christus non abstulit Regna ijs, quorum erant, quoniam venit ea perficere, quæ bene se habebant, non autem destruere: igitur, quando Rex infidelis fit Christianus, Regnum terrenum, quod habet, non ammittit, sed ad æternum Regnum nouum ius acquirit; alioquì obesset Regibus Christi beneficium, gratiaque naturam destrueret. Confirmans hæc Sedulij poemate, cuius initium est.

A solis ortus cardine.

In ortum Domini nostri Iesu Christi Regis Saluatoris nostri edito, in quo, alphabeti literis, quasi gradibus, incedens: vir ille celebris, Ieremiam imitatus, laudes canit magnæ illius Natiuitatis, nobis semper felicissimæ, & summam Dei charitatem celebrat. In quo poemate hæc leguntur:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui Regna dat cælestia.

Argumentum nec veris vtitur suppositionibus, nec quid necessarium concludit; Singulas partes perpendendo, omnia manifesta erunt. Supponit tamquam fundamentum, quod Christus non abstulerit Regna ijs, quorum erant. Quod quomodo cum veritate conueniat, non satis intelligo, Græcis, & Romanis Euangelium recipientibus. Audio Dominum, clamantem, ac dicentem Iudaismo: *Auferetur à vobis Regnum, & dabitur genti facienti hæc.* Lego Patrem Augustinum contra Petilianum hæreticum locum hunc interpretantem, & dicentem, verba illa omnibus impijs esse dicta. Quod si hæc omnibus impijs, & Iudæis simul fuerunt dicta, an vera sit suppositio, vnusquisque potest videre. Quod verò ipse tunc, dum vitam egit, non fecerit, hoc nihil refert. Non abstulit quidem Dominus noster Regna, vi opprimendo, sed noua Sacramenta, & nouam legem instituendo, ac promulgando, Iudæorum ac infidelium Regna facta sunt credentium. Duo hæc mutuò se consequuntur: & vnum alteri fit comes, Regnum, & Religio. Persarum Regnum, quod nunc extat, cum illo Turcarum, à religione falsa ortum habuisse, legimus. Verùm, ne longe petamus testimonia, Hebræi, de Domino loquentes, hæc dixerunt. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, gentem.* Quod verò Regna, quæ tunc extabant, bene se haberent, hoc dubium est, & controuersum. Plena erat gens illa, & Regna Idolatria, atque superstitione, de gentibus loquor: Iudæa autem, quo modo bene sese haberet, vnusquisque potest videre, hoc illi erat stabiliendum. Addebat, quod dum infidelis Rex fit fidelis, non amittit ius Regni sed nouum acquirit ius ad Regnum æternum ratio est, quia, si id daretur, sequeretur magnum inconueniens, quod gratia destrueret naturam. Hæc adhuc mihi suspecta sunt. Si enim Regnum pendet à gentium libera voluntate vt pro, constanti habet vir iste doctissimus, (loquor ad hominem) Turcarum Princeps à populo electus, propria animi deliberatione, vt leges populi, mores, ac statuta seruet: ac Dei, quem colit, religionem defendat, quod apud Tartaros, Turcas, & Persas in vsu esse tradunt historiæ; ille verò qui eligitur, iuramento hoc affirmet se facturum, Christianam Religionem suscipiens infidelis, an iura Regni retineat, erat ab ipso ra-

ratione, & diligentia explicandum. Cum additur enim, Gratia naturam destrueret, potiùs naturæ opus, nimirum, electio proueniens à libera populi voluntate, quam nomine Naturæ solemus appellare. Quod verò beneficium Saluatoris obesset, hoc etiam inde non infertur; quandoquidem, dato quod amitteret ius Regni, cuncta, quæ possidemus sunt danda pro Reguo cælorum: amitteret certè Rex ille Regnum temporale, & æternum acquireret, iure Regni temporalis spoliaretur, vt haberet ius ad Regnum æternum. Sedulij testimonium adductum, tantùm abest, vt nobis officiat, quod potiùs confirmat ea, quæ diximus. Alloquitur magnus ille Doctor Herodem Regem, qui immanissima barbarie, & furore concitatus, in pueros Bethleemiticos insæuiebat, horrendum facinus illi obijciendo, quærit ab ipso, cur sibi timeret? Christus enim Dominus noster non erat vi regna ablaturus, sed dulci quodam attractu cordium, erat Ecclesiam instituturus, quæ & incrementum, & perfectionem erat hoc eodem modo habitura; licètque Christus Rex esset, nihilominus Regia, Regaliue potestate minimè erat vsurus, diuitiæ, & opes illi non erant necessariæ, quemadmodum cæteris Regibus, ad incutiendum populis timorem, & ad subijciendum gentes rebelles propriæ ditioni, ad tuendum se, ac populum suum, ad propulsandasque iniurias. Cùm itaque diuitijs non egeret ad hæc agenda, non essetque vsurus Regali dignitate, frustra sibi timebat Herodes, impiè, ac immanissimè sanguine infantium glebas Bethleem tingebat, parentes illorum mæstitia afficiebat, proprio Regno damnum inferebat nece illa paruulorum miserabili. Verba sunt consideranda. Inquit Sedulius: *Non eripit mortalia*. Verbum illud *Eripere*, cùm profertur vim quamdam, & violentiam, more tyrannico, & iniusto, indicat. Porro, cùm Dominus noster omnibus dominetur, omniumque sit productor sanctissimus, aliena proculdubio, quod esset erepturus, nullo modo debebat furens Rex suspicari. Verùm iterum rationem sumamus; & illi satisfaciamus. Consilium auctoris est, demonstrare, Papam non esse Dominum totius Christiani Orbis: & vtitur hac ratione. Christus non abstulit Regna ijs, quorum erant: nec enim venit, vt quæ bene se habebant demoliretur ac destrueret, sed vt perficeret: igitur, quando Rex infidelis fit Christianus, Regnum terrenum, quod iure obtinet, non amittit, sed nouum adipiscitur ius ad Regnum æternum alioquin Christi beneficium obesset Regibus, & gratia destrueret naturam. Ea est vis, illud ve pondus argumenti. Regna sunt à populorum electione, non autem à gratia, igitur Summus Pontifex non est Dominus totius Orbis. Quod verò sint ab electione, non autem à gratia, inde probatur quia, si Rex infidelis fit Christianus, Regnum non amittit, quod possidebat, sed nouum ius acquirit ad Regnum æternum. Et Christus veniẽs in mundũ, non abstulit aliorum Regna, mundo conferens gratiã. Si Christus non abstulit Regna aliorũ vtiq; sunt à populorũ electione; igitur Summus Pontifex totius Orbis Christiani non est Dominus. Consequentia hæc quantam vim habeat, vnusquisque potest facillimè iudicare. Quoniam scilicet non abstulit aliorum Regna, Christus, igitur illius Vicarius non erit Dominus Orbis, non abstulit aliorum Regna; igitur sunt à populorum electione. Si ab illis abstulisset Regna, adhuc essent à populorum electione, tamquam à causa media; neque inde sequitur, Igitur Vicarius illius non est Dominus Orbis; quoniam, cùm Papa sit Dei Vicarius, illi debent omnia subijci Regna. Qua in re illud certè non est prætereundum silentio, quomodo Electio sit causa regni constituendi. Hoc simpliciter dictum, falsum est. Eligat populus Principem inhabilem, aut hæresi, aut aliquo crimine electio certè Principem non constituet, tunc electione Rex constituetur, cum electio erit ritè, & rectè ab electoribus facta. Atqui satisfaciamus rationi, & dicamus, quod, si quid probat, illud probat, Papam non esse Dominum totius Orbis Christiani, vt imperet omnibus ordinariè, & de facto. Quod certè non asserimus: verùm dicimus, totius Orbis Christiani eo sensu esse Dominum, quoniam aliorum iurisdictiones ad hanc vti ad primam referantur, & quod dè iure omnibus præeminet. Hoc autem esse falsum adducta ratio minimè persuadet. Quomodo autem Paganis dominetur Regibus alibi diximus, & quomodo etiam totius orbis Christiani dicatur Dominus. Postrema ratio hæc erat: Si Papa est totius Orbis Christiani Dominus, ac Princeps, singuli quoque Episcopi erunt Principes in oppidis, Episcopatui illorum subditis: siquidem id, quod est Papa in Ecclesia vniuersali, est quilibet Episcopus in propria Diœcesi. Si ergo Summus Pontifex est totius Orbis Dominus, ergo & quilibet Episcopus in propria diœcesi hoc verò à veritate longè distat. Malè colligitur hac ratione, quoniam eodem modo non se habet Episcopus in propria diœcesi, & Papa in toto Orbe Christiano. Etenim, in Christi, Petrique successoribus temporalis potestatis culmen, & fastigium reperiri, abundè, vt ingenij nostri vires fuerunt, (quas semper perexiguas esse non negaui) fuit demonstratum, quod in Episcopis non inuenitur. Pariter etiam spiritualis dignitatis apex in Christi Vicario existit, non autem in Episcopis. Sacra consulamus Oracula: & hæc conspicua fient, omnisque controuersia dirimetur. In nouissima cęna, dicens. *Quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, discipulos suos sacerdotes ordinando, potestatem super corpus Christi, verum, & spiritualis iurisdictionis, eis dedit. Post resurrectionem autem dicendo, *Euntes, prædicate Euangelium omni creaturæ: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; auctoritatem, & potestatem donauit illis, ad annuntiandam remissionem peccatorum, eademve dimitendi. Fastigium autem potestatis, & auctoritatis, Petro est elargitus, cùm Claues ei tradidit ligandi, atque soluendi. Verba id nobis manifestè indicant. Pollicendo beato Petro Claues, singulari numero hunc discipulum est allocutus, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Petro autem respondenti, & confitenti, Christum esse filium Dei viui, Cælorum Claues spopondit ei

Dominus, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum*. Singulariter Petrum est allocutus, & vsus est pronomine illo, *Tibi*, vt patefaceret summum huius potestatis culmen, ac apicem, in beato Petro reperiri. Eadem verborum serie vsus est Dominus, cum eumdem Apostolum præficeret Ecclesię. Proprio nomine illum appellando dixit: *Petre, amas me plus his?* Maiorem ab eo requirebat amorem, erat daturus potestatem. Promisit Petro Claues, non autem Apostolis. Commisit Petro Ecclesiam, non autem Apostolis; at, cum dedit potestatem Apostolis & auctoritatem, sine Petro nihil est elargitus quæ proculdubio, certam faciunt fidem, Apostolos sine beato Petro nihil posse; contraque, Beatum Petrum sine illis, posse. Quę omnia diligenter tractata comperimus à Sancto Leone in epistola, quæ refertur in cap.
97.dist.19. ita Dominus, cuius magni Pontificis epistolæ receptæ fuerunt à Concilio Constantinopolitano, summoque honore habitæ: vt prima actione legitur in Epiphanij epistola, Ioannisque Hierosolymitani rescripto. Vniuersalis est igitur hæc potestas Vicarij Christi, non distincta, non limitata, non contracta, ac veluti mensura quadam constituta, vti Episcoporum, quæ suis terminis est conclusa. Hinc
Cap.14. Sanctus Pau. ad Rom. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Summus itaque Pontifex, Christi Vicarius, characteris impressione est Sacerdos, Characteris dilatatione, ac perfectione Sacerdos magnus. Vt autem habet iurisdictionem in Ecclesia vniuersali supremam, ad cuncta maiora negotia exercenda, maximus Sacerdos existit, Christi Sacerdotium repræsentans. Verum illud est, omnes Episcopos dici Fratres Papæ, at hoc limitationis, declarationisque ministerio est indignus. Fratres dici possunt naturæ conformitate, qua etiam ratione Christus Saluator noster, qui verus homo, verusque Deus est, hæc proferendo non est dedignatus homines vocare Fra-
Cap.2. tres. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis*, scriptum est à Beato Paulo, ad Hebræos. Secundò dicuntur Fratres, meriti æqualitate. Tertiò, ordinis dignitate. Omnes namque Apostoli ordinis potestatem, à Christo æqualiter receperunt. Episcopi autem Apostolorum personas, vt receptissimo vtar verbo; repræsentant, Papa autem beati Petri gerit vi-
21.dist. cem, Christiue dicitur, existitque Vicarius. Hæc scripta legimus c. in nouo testamento. vbi cęteros Apostolos cum Petro pari consortio honorem, ac potestatem a Domino accepisse, nimirum si ordinem respiciamus, & consecrationem, vt ibi luculenter Glossator animaduertit, licet videre. Huc tendunt,
Sess.23.c.4. quæ scripta sunt in Concilio Tridentino, &c.
dist.68. quorum vices. At, cum sermo est de iurisdictionis potestate, nullus certè æqualis est Papę in tali potestate. Episcopi omnes vocati sunt in partem sollicitudinis, ac administrationis: solus autem Papa in toto Orbe vniuersalem habet administrationem. Hæc sibi Beatus Chrysostomus in homilia super Ioan. dicens, à Christo Sanctum Iacobum in loco singulari decretum fuisse prælatum, Beatum vero Petrum totius Orbis magistrum, & doctorem, fuisse delegatum. Super Apostolorum Acta

quin etiam scripsit, Petrum accepisse potestatem super omnes homines, non quidem vt Moyses, in gente vna, vel in vno populo, sed in vniuerso terrarum orbe. Adde, quod in Petro non tantùm fastigium potestatis spiritualis, verùm etiam temporalis existit, vt iam dictum fuit. Quare nulla prorsus est illatio, nulliusque roboris adducta ratio. Cęterùm, quoniam, argumentis non contentus, quædam afferebat patrum dicta, hæc quoque sunt perpendẽda, illorum primum erat Sancti Ambrosij ita loquentis, *Si tributum petit Imperator, tributum Cæsaris est, non negatur*. Et in Epistola Athanasij ad solitariam vitam agentes. Hosius Episcopus ait: *Imperatori tibi Deus Imperium, nobis autem, quæ sunt Ecclesiæ commisit*. Vnum, & alterum testimonium, nullum nobis facessit negotium, nec ingerit laborem, in confutanda sententiam aliorum, Ijs, quæ supra sunt exposita, vni, & alteri, cumulatè fuit satisfactum. Miles Christi existit Imperator, Ecclesiæ aduocatus, ac protector, hac de causa illi tributa sunt reddenda, atque vbi desunt laicorum bona, ex ære Ecclesiæ stipendia ei sunt eroganda, quæ secum meditando Pater Ambrosius ait, tributum Cæsari non esse negandum. Addamus ijs, cumulatioris doctrinæ gratia, prædia illa tributum Imperatori reddere, quæ priùs erant Domini, vt dicunt, temporalis, & certum reddebant tributum, mox ad Ecclesiam transeunt onere proprio. Iustum est, ab Ecclesia solui tributum illud, quod soluebatur à Domino prædij, qui scilicet idem donauit, vel vendidit Ecclesiæ, ob id tamen non subijcitur Ecclesia domino temporali, vt ei contribuat vt c. in qualibet, §. sancimus, ac alibi legimus. Soluit etiam Ecclesia hoc tributum pro causa, quam assignat Vrbanus Papa loco citato, nimirum c. tributum, pro pace, & quiete, quam tueri debent Imperatores, Ecclesiam, & clericos protegere, At, si sermo sit de agris, qui Dist.33.q.8.
priùs immunes erant, & Ecclesiæ donati fuerunt, nullum certè est dubium, quod tributum non soluunt. Verba autem Sancti Ambrosij de prædijs illis, quæ transeunt cum onere proprio, sunt accipienda, quemadmodum glossa insinuat in eodem capite. Si tributum, in verbo agri. Secundus item locus, quomodo sit exponendus, conspicuum esse arbitror ijs, quæ supra fuerunt allata. Imperium datum fuisse Imperatori à Deo, vt tractet temporalia, non autem spiritualia, Summo Pontifici Ecclesiam fuisse commissam, vt sacra tractet, nec tamen inde sequitur, quin Summus Pontifex possit etiam temporalia moderari. Adiecit his & alia duo loca Beati Leonis Papæ: vnum ex epistola trigesima octaua; alterum ex epistola quadragesima tertia. Quæ loca restantur, Imperatorem à Deo fuisse factum. Quæ testimonia haud officiunt nobis, asserentibus, à Deo Principes ad Principatum, & dignitatis culmen euectos fuisse, quin autem Papæ potestas cæteris superemineat, & quod mediante illa aliæ non insint principibus potestates, inde non sequitur. Saul à Deo Rex fuit electus, à Samuele tamen vnctus, & constitutus fuit. Dauid quoque populi eiusdem Rex fuit Dei electione, & Samuelis posthmodum electione, & vnctione. Coronatur à Summo Pontifice Imperator, & vngi-

vngitur, eligitur quoque ab Electoribus, à Christi Vicario ad hoc officium ordinatis, & delegatis. Successione Rex fuit Salomon, at à Sadoco Sacerdote vnctus est, & Rex constituitur illa vnctione, si potestatem attendamus: quamobrem neganda est meritò illa consequentia, neque enim ex verborum contextu talis illatio sequitur. Peccat argumentum, vt logici aiunt, per fallaciam consequentis. Gentes (gratia exempli) diuinitus consecutę sunt baptismum, igitur non per ministrum. Aaron, ac filij eiusdem diuinitus sunt Sacerdotes: igitur non medio Moyse? In Exodo dixit Dominus: *Vesties his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo; & cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, vt Sacerdotio fungantur mihi.* A Deo habuerunt Sacerdotium, præbente manu Moyse. Sui Iuris approbationem, consecrationem, vnctionem, & Diadema quoniam à Papa obtinet Imperator: ideo concludimus, hæc eadem à Deo illi obuenire Papa mediante. Deus aliqua facit immediatè, ea scilicet, quæ creat aliqua vero medijs creaturis. In Exodo frequens est huius elocutionis vsus: *Locutus est Dominus ad Moysem.* Doctores interpretantur per Angelum. Quare nil obsunt sententiæ nostræ adductæ testimonia, qui, vti asserimus, omnes dignitates à Deo prouenire, ita affirmamus omnes potestates, & iurisdictionem ad primam, in Summo Pontifice existentem, tamquam ad metrum, & mensuram aliarum referri. His adijciebat nonnulla alia dicta Beatorum Pontificum, Gelasij, Gregorij, Nicolai, Alexandri, ac Innocentij. Quare ferè omnia, qua nam intellectione sint accipienda, supra exposuimus. Primum est Beati Gelasij, quod legitur c. Duo sunt, de quo fusiùs superiùs dictum fuit. Cæterùm, quoniam obseruat vir iste doctissimus quædam, illa sunt adducenda, & reijcienda. Animaduertit, ibi non esse sermonem de sola executione, sed de ipsa potestate. Ait ille: *ne dicant aduersarij, vt solent, Papam quidem habere vtramque potestatem, at executionem alijs demandare. Gregorius, ad Mauritium scribens, ait. Potestas super omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data est.* Hæc animaduersio ad nostrum non facit negotium, numquam negaui, nec alios negantes legi, potestatem rerum temporalium Imperatori inesse, ego lippus in Sole non caligo, multò minùs cæteros, aquilinis oculis præditos caligare credidi. Dico ego, rerum temporalium potestatem à Deo Imperatori fuisse elargitam, quemadmodum etiam Sancti Gregorij Papæ verba testantur. Verùm assero, inde non sequi, quod talis potestas, omnisque alia, Summi Pontifici iurisdictioni non subijciatur. Consequentiam inualidam esse: Potestas hæc, est à Deo, igitur non est Papæ potestati subdita: nunc demonstraui. Patefeci quinetiam, licèt sit à Deo, adhuc tamen verum esse, quod dependeat à Summo Pontifice. Loca etiam, quæ ex Beato Nicolao excerpta adducuntur, nullum nobis afferunt laborem. Primus locus nil aliud legentem monet, nisi, quod in ijs, quæ ad iurisdictionem attinent, cùm Summus Pontifex nihil noui efficiat, quod imminuat potestatem Principum, multò magis (modestè loquitur, ac lenè vir Sanctus) Principes, Ecclesiæ iura

Cap. 28.

non debent sibi vsurpare. Secundùm verò dictum, iam fuit superiùs declaratum. Vnum dumtaxat addo. Cùm legimus officiorum horum discrimen, id cautè est intelligendum, nec enim est ijs concludendum, Papam carere omnino executione rerum temporalium, & pugnæ præcipuè. Siquidem, vt immediatè non licet, se miscere pugnis ac bellis: nihilominus medijs alijs, hæc facere potest. Tali sensu sunt accipienda verba Gregorij Papæ c. si in morte, & Patris Ambrosij c. vides, & c. Adrianus. Arguebat autem dicens, vel Summus Pontifex à Regibus, & Imperatoribus, hanc executionem potest auferre, tamquam ipse Summus Pontifex, & Imperator, aut non potest. Si primum detur, erit maior Christo; si secundum concedatur, non habet potestatem regiam. Ratio hæc supponit ea, quæ incassum probare nixus est. Respondeo, quod potest: vt etiam supra fuit demonstratum, tamquam ille, in quo apex vtriusque dignitatis fulget. at, cum infert, Igitur erit maior Christo, consequentia est neganda. Causa negationis patet. Non exercuit autem hanc Christus dignitatem causis alibi à nobis expositis. Venio ad Alexandri decretum, c. si duobus, §. denique. Qui, interrogatus, num appellatio à iudice sæculari ad Papam teneat, respondit, *Tenet quidem in ijs, quæ sunt nostræ temporalis iurisdictionis subiecti, in alijs vero secundùm iuris rigorem credimus non tenere.* Item c. causam, *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare, &c.* Ambæ instantiæ facili labore tolluntur. Sunt appellationes in duplici differentia, vel negotiorum difficillimorum & summi ponderis, vel in mediocritate quadam collocatorum, in primis locum habet appellatio ad Summum Pontificem, non autem in secundis. Cum appellamus à Rege, aut ab alio iudice ad Papam, nec temerè, nec leui de causa id est faciendum, ne imminuatur Principis auctoritas, venia, & facilitate appellationum: sed in causis dumtaxat summæ vrgentiæ, vbi vi ius nostrum pessumdari videmus, tunc ad supremum confugimus iudicem, cuius officium est huiusmodi causas iudicare. Sed, quæ supersunt, ponderemus, obsecro. Citauit, ad propriam roborandam doctrinam, decretum Innocentij Papæ c. solitæ, vbi Christi Vicarius similem, se facit Soli, Imperatorem Lunæ, qui locus quoniam supra in gratiam nostri adductus fuit, & discussus, nunc bona venia relinquatur intactus. Tantum enim abest, vt sententiam nostram euertat, quod illam potiùs roboret, atque firmiorem reddat. Ad vltimum locum adductum me conuerto, qui erat Epistola Summi Pontificis in c. per venerabilem. Dicebat Theologus iste doctissimus, verbis harum litterarum conspicuum esse, Papam solum in Patrimonio Beati Petri, in temporalibus habere plenam potestatem, in alijs verò regionibus minimè. Et ibidem addebat, à Rege nullum superiorem in hac vita recognosci. Verba hæc sunt: *Insuper, cum Rex in temporalibus superiorem minimè recognoscat, sine iuris alterius læsione, in eo se iurisdictioni nostræ subijcere potuit, in quo videtur aliquibus, quod per se ipsum, non tamquam pater cum filijs, sed tamquam Princeps cum subditis, potuit dispensare. Tu autem nosceris*

23. q. 8. q. 13. dist. 63. q. 6.

23. q. 8. q. 3.

Dist. 63. q. 6.

Ex. de Ap.

Ex. q. fin. si. leg.

Ex. de mai. & ob.

Ex. q. fin. si. leg.

ris alijs subiacere. Hæc Beatissimus ille Pontifex. Ex quibus colligit doctissimus vir, Regem in temporalibus neminem cognoscere sibi superiorem. Qui locus, licèt prima facie, nescio quid roboris maximi videatur in se continere, nihilominus, si rectè quis eum considerabit, videbit profectò, quod gratis adducitur. Si quidem in eo rescripto hæc leguntur verba: *Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus, requisiti, causam tam ex veteri, quàm ex nouo Testamento trahentes, quod non solùm in Ecclesiæ Patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, temporalem exercemus iurisdictionem: non quod alieno iuri præiudicare velimus, &c.* Non dicit Summus Pontifex, dumtaxat se habere potestatem plenam in temporalibus, in Ecclesiæ Patrimonio, negando, alibi ab eo exerceri temporalem potestatem: sed loquitur de potestate efficiendi filios legitimos, dicens, non tantùm in Beati Petri Patrimonio, verùm in alijs ditionibus, id ab ipso fieri posse. Cùm verò actus iste ad iurisdictionem spectet, planè ex ijs colligere poterimus Papæ iurisdictionem omnibus præstare, ac omnia amplecti loca, suam vbique potestatem exercendo casualiter. Vt autem res plenè intelligatur, cognoscaturque, locum hunc magis nostræ, quàm oppositæ fauere sententiæ; non grauabor ea, qua fieri poterit, breuitate illa hic referre, quæ Christi Vicarius in ea epistola lectores docuit: vt vnusquisque possit iudicare, hanc veritatem, & adductum testimonium in nostrum auxilium iustè posse vocari. Humili supplicatione, precibusque rogatus Summus Pontifex ab Archiepiscopo Arelatensi, illius scilicet partis Galliæ, quæ Narbonensis passim appellatur, vt cuiusdam nobilissimi viri illius regionis filios titulo, vt dicunt, legitimationis, dignaretur decorare, ne obiectio natalium, illis esset impedimento, in adeunda patris hæreditate. Audaciam, animumque accipiebat filiorum pater rogandi Pontificem, ab illoque postulandi hanc gratiam, eo quod Francorum Rex vxorem Reginam cum dimisisset, & ex alia postmodum superducta puerum, & puellam suscepisset, ita & ipse, legitima vxore explosa, aliam sibi copularat, ex qua filios genuerat, quemadmodum cum filijs Regis, illegitimo thoro natis, ex benignitate Sedis Apostolicæ dispensauerat, ita quoque cum suis esset dispensandum. Papa, his respondens supplicationibus, negat petenti gratiam. Ne autem quis suspicaretur, hoc ea de causa fieri, quoniam in aliena iurisdictione huiusmodi potestatem non posset Papa exercere, cùm filios illegitimos, idoneos, ac legitimos facere ad actus sæculares, sit Imperatoris, Regisue munus, cuius est leges condere, ac illas (vt ita dixerim) ferire, ac iugulare, & tollere: Pontifex ostendit, primò in Christi Vicario plenam esse huius facti auctoritatem, deinde huius viri casum esse valde dissimilem à Regis Galliarum euentu. Probat autem, ab Apostolica Sede super hoc plenam haberi potestatem, hisce vtendo rationibus. Primò, quoniam, diuersis causis inspectis, Apostolica Sedes cum quibusdam dispensauit, minùs legitimè natis, non naturalibus tantùm, verùm etiam adulterinis, vt possint in Episcopos promoueri: verisimilius itaque erit, & probabilius reputabitur, vt possit legitimare ad actus sæculares, hocque præcipuè, si, præter Romanum Pontificem, inter homines superiorem alium non cognoscant, qui legitimandi habeat potestatem. Hoc roborando, confirmat, quoniam cæteri Principes, ad actus sæculares huiusmodi filios, legitimationis ditant honore, Pontifex Maximus non tantùm ad hos actus, verùm ad spirituales, vt dictum est, in quibus maior prouidentia, & auctoritas, & idoneitas requiritur, legitimos facit. Quod autem in maiori conceditur, in minori licitum esse videtur. Argumento præterea à simili ducto, perseuerat in probanda conclusione. Probatio est hæc. Eo ipso, quod aliquis ad apicem Episcopatus attollitur, eximitur à patria potestate, & si simplex Episcopus, scienter alterius seruum ordinaret in presbyterum, licèt ordinator dominio satisfacere teneretur, ordinatus tamen iugum euaderet seruitutis. Monstruosum siquidem videretur, vt, qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa sæculares actus illegitimus remaneret. Porrò, si in spiritualibus dispensatur, in temporalibus quoque dispensatum esse, intelligitur. His concludens in Patrimonio Beati Petri à Sede Apostolica id liberè effici posse, in quo & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & Summi Principis exequitur potestatem. Quod autem illius viri Illustrissimi casus sit dispar, ac longè dissimilis, ab euentu Galliarum Regis, docet, quia Francorum Rex per Rhemensem Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ Legatum, fuit per sententiam separatus: ille verò, propria temeritate ductus, vxorem à se ipso seiunxit. Rex, antequam ad ipsum prohibitio de non contrahendo cum altera peruenisset, filium, & filiam susceperat; ille verò, in Ecclesiæ contemptum, aliam vxorem superducere tentauerat. Rex è contra matrimonio obiecit impedimentum affinitatis, & coram præfato Archiepiscopo testes induxit; at ille Narbonensis, nihil, quod diuortium induceret, obiecerat. Postremò, cum Rex in temporalibus superiorem minimè recognoscat, sine iuris alterius læsione, in eo se iurisdictioni Apostolicæ subijcere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per se ipsum, non tamquam pater cum filijs, sed tamquam Princeps cum subditis, potuit dispensare, at Gallus Narbonensis subditus erat. Hisce rationibus inductum Regi gratiam fecisse, ex veteri, nouoque Testamento causam trahendo, non solùm in Ecclesiæ Patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerit potestatem, verùm etiam in aliorum Principum ditionibus, posse filios ex amplexu illegitimo natos, legitimos facere, docet Christi Vicarius. Ex quibus primò colligitur, in Summo Pontifice apicem vtriusque potestatis reperiri. Inquit Papa, in Patrimonio Beati Petri liberè potest Apostolica Sedes id efficere, in quo & Summi Pontificis auctoritatem, & Summi Principis potestatem, exercet. Adiectiuum illud *Summi* vt *Pontifici* additum, dignitatis Sacerdotalis culmen in Papa denotat: ita etiam adiunctum, *Principi*, fastigium Principatus in eodem debet iudicare. Cum enim eodem modo vtro-

vtrobique iaceat, nulla voce contrahente, seu limitante, vtrobique vt eumdem pariat sensum, est necesse. Colligitur secundò id, quod sæpius hactenus dictum fuit: Papam scilicet in toto orbe Christiano habere temporale dominium, seu mauis potestatem, ac iurisdictionem, licèt illam dumtaxat ordinariè exerceat in Patrimonio Ecclesiæ. Hoc liquet. Rogatur Papa à quodam Principe Galliæ Narbonensis, vt filios suos legitimationis gratia honestet. Regio illa inter partes Patrimonij Beati Petri non adnumeratur. Actus ille ad Principem habentem iurisdictionem, & illius regionis auctoritatem, seu potestatem spectat: attamen testatur Papa, testimonijs acceptis à nouo, ac veteri Testamento, in remotis partibus illis, ac alijs à Beati Petri patrimonio distantibus, id facere posse. Disputat Pontifex, &, vt dubium soluat, an scilicet possit filios legitimos facere, in parte Galliæ, soluendo, ostendit quod potest, licèt gratiam deneget, vt liberaret animum omnium, & præcipuè postulantis à dubitatione, an scilicet posset legitimationis gratia honorare filios subditorum alterius Principis. Docet, tali actu se habere plenam potestatem, liberè autem ea vti in Beati Petri Patrimonio. Vox illa, *Præcipuè*, comparatiuum redolet, ad aliudve refertur, ad aliam partem, in qua non ita exercet, omni semoto respectu, propriam Principis auctoritatem. Id etiam aduerbium *Liberè* iudicat: hoc aduerbium refertur ad id, quod aliquo respectu, seu aliqua ratione, minùs liberè exercetur: at liberè in Ecclesiæ Patrimonio, minus liberè in aliorum ditionibus: quoniam in illo ordinariè, in ijs casualiter Papa Principis vtitur potestate. Colligitur quinetiam, in Summo Pontifice superiorem auctoritatem reperiri Regum potestate. Si enim Regum filij illegitimi, Papæ auctoritate habiles fiunt ad Regnum, actus verò talis auctoritatem requirat superioris, cùm id à Rege nequeat fieri, sed à Pontifice agatur, proculdubio talis auctoritas erit eminentior. Accedo modò ad argumentum: respondeoque, illis verbis nos doceri oppositum. Ait Beatus Pater, non tantùm in Patrimonio Ecclesiæ, verum etiam in aliena ditione, plenam habere potestatem, filios spurios legitimationis gratia decorandi, liberè autem, atque omni semoto respectu, in patrimonio B. Petri, vbi Summi Principis exequitur potestatem. Duo hìc affirmat. Quorum vnum est, in ditionibus aliorum Principum plenam habere talis actus potestatem; alterum est, liberè eam exercere in Ecclesiæ Patrimonio. Non dicit, quod solùm habeat potestatem in patrimonio Beati Petri, quemadmodum illi asserunt. Vsus liber refertur ad Ecclesiæ patrimonium, plenitudo potestatis ad omnia loca, omnesve ditiones. Verba etiam secundo loco adducta illorum destruunt sententiam, qui oppositum sentiunt, nostramque confirmant, atque consolidant. Comparat Papa subditum cum Rege, vt vidimus, curue cum filijs Regis dispensarit, & cum filijs subditi neget dispensare: ait, quòd latum est inter hos discrimen: Rex est sui iuris, ac mancipij, nullum habens superiorem in proprio Regno, cuius sit munus filios legitimationis honore decorare, at subditorum filij cum habeant superiorem Regem, illius erit munus tales filios legitimatione honestare. Sine alterius læsione Rex, & Princeps, potest se alterius potestati subdere: at subiectus, alienæ subdens se potestati, lædit proprij Principis auctoritatem, quemadmodum læditur auctoritas iudicis, ad quem primò spectat causas audire, ac primam proferre sententiam, vbi quis superius tribunal tentat adire. Cum ait, Regem non habere superiorem, comparat illum cum subditis in propria ditione, non autem loquitur absolutè: quoniam loquendo simpliciter, Rex quoque subditur potestati primæ, vt diximus. Ipse Summus Pontifex, se ipsum declarando, ait, quod, cum in aliena iurisdictione dispensandi vtitur auctoritate, aliorum iurisdictioni non vult præiudicare. Papæ temporalis potestas, licèt proprijs concludi terminis, dici possit, si eius vsum quotidianum liberum aspiciamus, atque vt Principis Apostolorum patrimonio est accommodata, nihilominus casualiter, & in se considerata in omnibus Christi Principum ditionibus habet suas vires. Verba verò illa, cum Rex in temporalibus minimè recognoscat, haud nos docent, Regis potestatem Papæ potestati non subiacere, siquidem, quæ sequuntur, contrarium indicant: verùm innuunt, Regem in proprio Rgno non recognoscere superiorem, non autem quod extra ditionem non habeat Ponrificem Romanum superiorem. Glossa non est silentio inuoluenda: quæ ait, quod si de facto non subijcitur, de iure subdirur: quoniam, licèt Principes sint sui iuris, ac liberè propriam exerceant auctoritatem, nihilominus inde non sequitur, quin à Papa possint iudicari. Non sunt hæc duo adeò opposita, vt simul non possint existere: quod liberè exercere valeat auctoritatem, & quod habeat superiorem iurisdictionem, vt alibi demonstrauimus. Hac de causa, & his, quæ nunc, latè explicauimus, dixit Sanctus Bernardus, quod non debet mittere Papa falcem in messem alienam: & hoc sensu loquuntur Pontificiæ sanctiones, cap. cum ad verum, cap. quoniam idem, cap. solitæ: quæ omnes locum habent, si loquamur de Papæ auctoritate, ratione quotidiani vsus in Ecclesiæ patrimonio, vbi terminis quibusdam conclusa iudicari potest, & de exercitatione potestatis Principum in eorum ditionibus in subditos: at, si loquamur casualiter, & ratione eius latitudinis, de iure in omnibus iurisdictionibus, si exerceatur, non erit incongruum: discreta est ab alijs, vt patrimonio Ecclesiæ est accommodata. Hæc hactenus. Ad tertiam disputationis partem accedamus.

CAPVT

CAPVT VI.

Diluuntur rationes, probantes Papam, nullam habere temporalem iurisdictionem directè.

VErùm, quemadmodum argumenta hactenus adducta infirma fuerunt, ad probanda huius viri placita; ita sanè minus sunt efficacia, quæ ornato verborum apparatu construit, vt probet, Summum Pontificem nullam habere iurisdictionem temporalem. Quibus equidem satisfaciendi laborem æquo animo recusare poteram, cum non semel, sed bis, ac ter, in reijciendis Hugonis, & Catharini, & Soti rationibus, hæc quoque euerterim. Verùm, quoniam nonnulla ab hoc excultissimo Theologo sunt addita, idcirco nouo examine eas perpendere decreui, vt nihil supersit, quod studio meo non fuerit discussum, atque dilucidatum. Argumentum erat hoc. Christus, vt homo cùm in terris vixit, tunc non accepit, nec voluit vllum temporale dominium. Summus autem Pontifex Christi Vicarius est, & nobis repræsentat, qualis Dominus noster erat, dum hic inter nos homines viueret: igitur Papa nullum habet temporale dominium. Vt verò probaret huius rationis vnam, & alteram propositionem, longa vtebatur oratione, à Soto, Catharino, ac Sandero mutuando. Aiebat primò, Christum fuisse quidem semper, vt Dei Filium, Regem, ac dominum omnium creaturarum, eo modo, quo eius Pater; sed hoc Regnum eius æternum esse, & diuinum, nec tollere dominia hominum, nec posse Pontifici conuenire. Fuisse præterea Christum, vt hominem, Regem hominum spiritualem, & habuisse potestatem amplissimam in omnes, tam fideles, quàm infideles, in ordine ad salutem æternam, ita, vt posset obligare ad fidem, & Sacramenta sua suscipienda: futurum etiam post diem iudicij, hoc spirituale Regnum Christi etiam sensibile, & manifestum; & ita inchoatam esse gloriam huius Regni, in ipso capite nostro Christo, quando à mortuis resurrexit. Cæterum, hoc etiam non esse Regnum temporale, qualia sunt nostrorum Regum, nec posse Pontifici communicari, quia præsupponit resurrectionem. Potuisset denique, Christum hominem, si voluisset, & expedire sibi visum fuisset accipere Regiam auctoritatem tamen noluisse, ac proinde non accepisse, nec habuisse non solùm executionem, dominij, & Regni, sed nec auctoritatem, nec potestatem, vllius Regni temporalis. Id probabat, quoniam, si habuit Regnum, aut hereditaria successione, aut electione, aut iure belli, aut dono speciali habuit, at nullo horum modorum Regno potitus est: igitur nullo modo illud obtinuit. Quod successione hæreditaria regnum non habuerit, inde probatur, quoniam, tametsi ex Dauidis familia descenderit, tamen non constat, an ipse esset Dauidi magis proximus, quàm multi alij, qui eiusdem erant familiæ, & propterea tunc ab eadem familia regnum erat ablatum, idque volente Deo, qui etiam prædixerat ex Iechoniæ familia, vnde Christus, fuit oriundus, nullum futurum Regem temporalem. Ierem. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*. Ex hoc autem Dominum traxisse originem constat ex Matthæi verbis. Nec titulo electionis, quoniam in Euangelio sacro sancti Lucæ legimus: *O' homo, quis me iudicem constituit, aut diuisorem inter vos*? Hoc est, neque Imperator, neque Respublica. Ad hæc, apud Ioannem Sanctum legitur, quod, cum cognouisset Dominus, vt turbæ eum raperent, Regemque constituerent, fugit. Nec dono speciali, quoniam, cupiens à suspicione liberare Pilatum, vt Theophylactus, Beatique Augustinus, & Cyrillus interpretantur, dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Hæc est tota, ac integra ratio, quam prolixiore sermone, Sotus construxit. probationes verò apud Ambrosium Catharinum leguntur. Omnibus, vt dixi, supra fuit satisfactum. at in veritatis gratiam, iterum respondendi onus minimè recusabo. Peccat argumentum in illatione, cum infert, Summus Pontifex, Christi Vicarius, repræsentat Christum, inter homines in hoc mundo degentem, igitur non est in illo Regia potestas. Duo supponit antecedens: quorum vnum limitationis est indigens, alterum verò omnino est negandum. Supponit, quod Summus Pontifex repræsentet Christum omnibus modis. quod sanè contractè est accipiendum: nimirum, vt est caput Ecclesiæ huius visibilis, ac militantis, vtve in illo est culmen potestatis. Supponit secundò, quod in Christo non fuerit Regia potestas. quod proculdubio negandum est. etenim iam demonstratum fuit, in Domino Saluatore nostro, & Regiam potestatem, & actus quosdam huius potestatis extitisse. Ideò illatio est neganda. Probabat illationem, sed incassum: vt iam patebit, ac manifestum etiam fuit in anteactis disputationibus, quas cum Catharino, Soroque habuimus; nam ex communibus rationibus existunt, at, demonstrationes ex proprijs constare, me docuit, Aristoteles, non autem ex communibus. Si dixero, Fabricius ridet, quoniam est animal, malè colligo, causam communem assignando, non enim ideò ridet, quoniam est præditus sensu, quo animal existit, sed quia rationis est compos, atque admiratiuus, vt in ijs, quæ de risu, & de ridiculis edidi, memini me demonstrasse. Ita sanè in re proposita ex communibus constant probationes, ideò nil cogunt. Eas consideremus. Probat, quod non fuerit Rex electione, loco ex Euangelio Sancti Lucæ desumpto, vbi Dominus adolescenti familiæ herciscundæ, & communi diuidundo (vt iuris interpretes aiunt) intento, dixit. *O' homo, quis me iudicem constituit, aut diuisorem inter vos*? Hæc ratio ex communibus nimis constat. nam non eo quod causam illam iudicare, iudiciumque proferre negauerit, idcirco non erat Rex electione. Innumeri propemodum sunt iudices, qui nec sunt Reges electione, nec à talibus Regibus constituti iudices. Multò maioris est ambitus, causas iudicare, quàm fungi regia dignitate. Negando proferre sen-

Marginal notes: Ierem. 22. — 1. Cap. 12. Cap. — 6. Cap.

ſententiam,& declinando ab illo iudicio, non ſequitur quod Rex non fuerit; oppoſitum conſequentis optimè iungitur cum ſuo antecedente. Quare, vt logica ratione, ſeu regula vtamur, nullius eſt roboris conſequentia. Quid verò locus ille adductus habeat momenti, alibi ex Patre Ambroſio, & beato Thoma, declarauimus; vbi oſtendimus, noſtræ opinioni minimè aduerſari; nihil enim aliud docet locus ille, niſi quod exercitium talis poteſtatis tunc liberè noluit, non autem quod poteſtas in Chriſto iudicandi non extiterit. Addebatur locus Ioannis Euangeliſtæ ad hæc confirmanda: vbi docemur, Dominum aufugiſſe, cum Hebræis in animum incidiſſet, vt illum raperent, & Regem conſtituerent. Probatio hæc propè magis ad rem accedit, licèt nullam habeat efficaciam. Quare enim aufugerit Dominus Ieſus, Saluator noſter, ſatis expreſſum fuit. Redeamus ad probationem. Hæc, vt dixi, magis ſapit artem: electio enim, vt colligitur ex ſancto Thoma, & ex Ariſtotele eſt multorum placentium in ordine (quod etiam verbum 2. 2. qu.13. quodammodo indicat) vnius præacceptio: 5. Ethic. ſicut, ſiquis, facturus iter, quod & nauibus, & equo peragi poſſit, commodique gratia, nauem eligat, is ex duobus alterum eligit. Electio verò, vt ſpeciatim de illa loquamur, ſicut Oſtienſi arriſit (quod etiam colligitur ex cap. cum in cunctis, & cap. quia propter, de elect. & cap. cum olim, de arb.) eſt idoneæ perſonæ ad dignitatem, vel fraternam ſocietatem ſeruata forma canonica, vocatio. Oſtien. Porrò, cum hic, vt Euangeliſta ſcripſit, turbis eſſet animo,rapere Dominum, vt Regem conſtituerent, proculdubiò locus iſte proprius eſt magis, accommodatusue rei propoſitæ. Verùm liceat obſecro antiquum imitari inſtitutum, quod Hebræis familiare fuit; obiectionem obiectione repellere. Ita Dominus Cap.15. Scribarum, & Phariſæorum nequitiam repreſſit, quemadmodum ex ſancti Matthæi Euangelio colligitur. Illis obijcientibus, cur diſcipuli illotis manibus manducarent, obiecit Dominus, quare ipſi mandatum Dei transgrederentur, propter eorumdemmet traditionem. Virgilius quoque, dum cantu paſtores certare facit, Menalcham, & Damœtam, coram Palæmone, hæc ſcripta reliquit.

DA. *Dic, quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)*
Tres pateat cæli ſpatium, non amplius vlnas.
ME. *Dic, quibus in terris inſcripti nomina Regum*
Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habeto.

Vnus paſtor, alterius paſtoris obiectionem, noua repellit obiectione. Sequar antiquum inſtitutum, & dicam ego. Summitati Crucis, cui affixus fuit Saluator noſter, tabella appoſita fuit, in qua titulus hic legebatur, *Ieſus, Nazarenus, Rex Iudæorum*; vt in Euangelio beati Ioannis ſcriptum legimus; vel, *Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum*, vt ſanctus Matthæus ſcripſit; ſeu, *Rex Iudæorum*: vt habet Euangeliſtæ Marci Euangelium. Docebant hæc verba lectorem, Dominum noſtrum fuiſſe Regem Iudæorum. Ægrè tulerunt ipſi, Pilatumque adierunt, eum rogantes, vt, titulum immutando, ſcriberet, quod ipſe dicebat, ſe eſſe Iudæorum Regem. Hæc flagitantibus Hebræis, reſpondit Pilatus: *Quod ſcripſi, ſcripſi*: inſcriptionem relinquens intactam. Iam verò, cum hæc omnia magno myſterio fuerint peracta, & Dei nutu; dicam ego, ex hoc loco colligi, Dominum noſtrum fuiſſe Regem. Ad hæc, Pilato interroganti, an eſſet Rex Iudæorum,reſpondit Dominus, vt in Euangelio ſanctorum Matthæi, & Marci, legimus, *Tu dicis*: his verbis confirmans, ſe eſſe Regem. Negabit fortè quiſpiam, verbis illis affirmari à Domino, quod eſſet Rex. At, qui hæc, aut dixerit, aut conceperit, meminiſſe oportet, hanc fuiſſe phraſim, & modum dicendi IESV Saluatoris noſtri, quo affirmabat. Cùm ductus eſſet coram Principe Sacerdotum, ab illoque his verbis fuiſſet rogatus: Matth.26. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei viui*; dixit illi: *Tu dixiſti*. Si verba illa, *Tu dixiſti*, attendamus, & interrogationem aſpiciamus, neceſſe eſt conſiteri, verba illa eſſe affirmantia. Adiuratus per Deum viuum, & reſpondendo, *Tu dicis*, quod erat, minimè negauit, ſed confeſſus eſt, & affirmauit. Confirmemus hæc ſancti Marci Euangelio, qui, hunc eumdem actum ſcri- Cap. 14. bens, habet hæc verba: *Rurſum Summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus, filius Dei benedicti: Ieſus autem dixit illi, Ego ſum, & videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli*. Quod etiam ſanctus Matthæus expreſſit, dicens, *Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Quare, cùm idem ſit dicendi modus, dum reſpondet, an ſit filius Dei Viui, & an ſit Rex, vti reſpondens primæ interrogationi, *Tu dicis*, affirmatiuè reſpondet, ita etiam, eodem modo reſpondendo, ac ijſdem verbis, interrogationi, an eſſet Rex, dicendum eſt, & pro certo habendum, quod affirmet, & aſſertiuè reſpondeat, non autem negatiuè. Obiectioni autem dicendum eſt, quod, cùm Dominus Rex Regum,& vniuerſalisDominus omnium, non erat, cur fieret illius paruæ multitudinis, &, qui iam Rex erat, ab illis turbis Rex conſtitueretur. Addendum eſt ijs, Gloſſam aſſerere, à Domino id fuiſſe factum, vt doceret mundi electos proſpera fugere, quæ animum præpediunt in via Dei, docuit, opes, & diuitias fore contemnendas,vt facilius ſit nobis iter ad cælum. Ratio præterea, qua vſus eſt, probando, Dominum non fuiſſe Regem ſpeciali dono, eadem laborat infirmitate: ex communibus namque conflata eſt, non autem ex proprijs. Si quid demonſtrat, id oſtendit in Chriſto ſimpliciter non fuiſſe regnum, non autem quod dono non acceperit regnum. Latius eſt, regnum non habere, quàm dono regnum non accepiſſe; ſiquidem multi ſunt Reges electione, & hereditaria ſucceſſione, qui non ſunt donatione. *Donum*, Par. 1. q.30. ar.2. quemadmodum beatus Thomas aiebat, ab Ariſtotele accipiens, *eſt datio irredibilis, ideſt quod non datur intentione retributionis*. Et hoc modo dicit gratuitam donationem. Hinc primo Sentent. Ariſtotelem quoque ſecutus ſcri-

Dist.18.ar.2. scripsit: *Donatio, est datio liberalis, siue irreddibilis, idest recompensationem non intendens.* Et Azo dicebat: *Donatio, est rei licitæ facta collatio,* In Summa. definiens donationem inter viuos, vt plerique doctores sentiunt. Hæc eadem habemus l. Donatio, ff. eod. tit. Quæ cùm sic habeant, demonstrandum erat, quod tali titulo regnum non obtinuisset. At verba illa, Pilato Præsidi dicta, hoc profectò persuadere non possunt. Quid verò sit respondendum huic obiectioni, ijs, quæ alibi sunt dicta, fit manifestum. Quæ, vt maiorem accipiant soliditatem, locum ponderemus. Dubio procul, si verbis noster Saluator negasset, se esse Regem, Pilatus ex illis haud collegisset, quod Dominus esset Rex. Statim enim ac IESVS dixit, Regnum meum non est de hoc mundo, intulit Pilatus: Ergo Rex es tu? Conclusio hæc, quæ interrogatione profertur, opposita esset præmissis, & hominem, non præsidem, non ius reddentem, non populos regentem, sed ipsa infantia infantiorem, rudemque, indicaret. Veluti, si aliquis pauper alloqueretur quempiam, & calamitates elapsi temporis, quo ciuitas Romæ cum multis alijs Italiæ, vexabatur penuria annonæ, incredibilique egestate peribant homines inedia, & diceret, quod pauperes, brutorum more, glandibus, & herbis vescebantur, audiens autem ex ijs inferret, igitur tu affluebas, & epulis genio indulgebas? fatuè, insipienter, loqueretur iste, & ineptè colligeret ex præmissis hanc conclusionem cum pauper, deplorando miseriam propriam, illa dixisset. Ita in re proposita; si Dominus verbis illis negasset se esse Regem, quonam modo interrogaret Pilatus eumdem, ac ex præmissis inferret, *Ergo Rex es tu?* Insuper, quoniam hæc dicenti Pilato, respondit IESVS: *Tu dicis, quia ego sum*: quæ verba, vt superiùs nunc dictum fuit, affirmant: non possumus colligere tam facilè, quod Dominus negauerit se Regem esse. Quapropter alia mehercle intelligentia verba illa sunt intelligenda. In memoriam igitur reuocandum est, inter alias calumnias falsò ab Iudæis Domino nostro ascriptas, & accusationes iniquè ei illatas, hæ fuerunt, vt in sacro Euangelio Lucæ, & Ioannis legimus, quod gentem Hebræam subuerteret, & Regem se faceret, tributaque ob id Cæsari negaret dari. Lucæ vigesimo tertio, sic dicebant accusatores: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Apud Ioannem verò: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Et ibidem, Iudæi, Pilatum, rogantes, vt immutaret superscriptionem causæ mortis dicebant. *Noli scribere. Rex Iudæorum: sed, quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.* Cum igitur huius criminis esset accusatus, à Pilato interrogatus est illis verbis, *Tu es Rex Iudæorum?* Cui respondens Saluator. *A' temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me?* A quonam huius criminis accusaretur, quod gentem subuertendo, Regem se faceret, respondit Præses Romanus, accusatores manifestos faciens, dixit, quod Hebræi essent, qui illum accusarent. Falsas autem accusationes reijciens Dominus, quod illius religionis se

Cap.23.
Cap.19.

Regem fecisset, negat exercuisse Regiam potestatem, Regemque se fecisse. Si enim hoc verum esset, vtique, qui eius subditi essent, decertarent, atque eniterentur, ne à Iudæis tam malè tractaretur: & conclusit, quod Regnum suum non erat illinc. Quæ verba Pilatus audiens, ratus, ne dum negaret, illius prouinciæ esse Regem, alterius esset, vt iuris interpretes dicunt, vnius exclusio, est alterius inclusio, cum ea responsione non intelligeret ab illo absolutè, & simpliciter negari, se Regem esse, noua interrogatione efflagitauit, num esset Rex: Cui tandem respondens Saluator, dixit: *Tu dicis, quia ego sum*: indicans, hac dicendi pharasi, quod licèt potestatem non exercuerit in subditos, nihilominus Rex erat, Regali fulgens dignitate. Verba igitur hæc nihil prodesse possunt doctrinæ, quam hactenus adstruere studui. His addebat. Temporalia non sunt æterna, sed ortui, interitui obnoxia: at Christi regnum est æternum, attestante Dauide illis verbis; *Ego constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Et apud Danielem: *in diebus autem illorum Regnorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Igitur non est dicendum, quod in illo fuerit temporale Regnum. Priorem locum alibi tetigimus, hucusque differendo expositionem absolutam. Aio nunc, diminutè citari Dauidis Prophetę sacra verba. In eodem Psalmo legimus: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Vtriusque Regni mentionem fecit Vates: spiritualis quidem, dum dixit; *Constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius*: Temporalis autem, cum cecinit; *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ.* Verum illud est, quod Sanctus Propheta vnum dumtaxat meminerit Regnum, nimirum spirituale: inde tamen non sequitur, quod Regiam non habuerit potestatem temporalem. Et, licèt ex illo loco non colligeretur, tamen ex alijs locis elici potest. Peccat idcirco argumentum, à singulari, vt dicunt logici, ad exclusiuam. Rex est domi, ergo solus Rex illatio est inefficax. Regnum Christi spirituale erat, quod prædicaret super Sion, ergo Christum solum hoc Regnum possidebat, nulla est hæc consequentia. Locus secundò adductus ex Daniele nostræ fauet causæ. Interpretationem ab eodem Propheta petamus visionem Nabucdonosoris exponente. Vidit ille Rex statuam magnam, cuius caput aureum erat pectus, & brachia argentea, venter, & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum pars fictilis: sine manibus de monte lapis absciffus est, statuæ pedes percutiendo comminuit, tuncque pariter contritum est ferrum, æs argentum, & aurum. Hæc Daniel spiritu Dei interpretando ait, aurum, argentum, æs, & ferrum, diuersa nobis indicare Regna, Chaldæorum, Assyriorum, Græcorum, & Romanorum: vltimo loco futurum esse Regnum populi Christiani, quod in æternum esset perduraturum sic inquit: *In diebus autem Regnorum illorum suscitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur commi-*

minuuet autem, & consumet Regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Loquitur de Regnis temporalibus: quæ finem habuerunt. Regna adnumerat: & hæc ad finem temporum, quæ non potuerint perdurare, explicat; at quoniam Regnum Christianorum eousque perdurabit, ideò in æternum ait esse duraturum. Hoc etiam sensit Diuus Thomas de regimine Principum, loco, quem retro citauimus. Adducebat nouissimè, pro sui tutela: Si Christus fuit Rex Iudæorum, desijt Regnum; cum diem obijt. Negatur hæc illatio: etenim, delegando Petro propriam auctoritatem, vt in illo collocauit Sacerdotij fastigium, ita Regiam posuit potestatem; atque, vti morte non desijt apex Sacerdotij, ita etiam neque dignitas Regia: Desinant autem, & finem habeant, quæ ad hanc attinent partem.

CAPVT VII.

Postremi Articuli examen, Papam scilicet indirectè habere potestatem temporalem.

DIrectè rerum temporalium negans in Christi Vicario reperiri potestatem, ita, indirectè eidem inesse; affirmabat. Hoc duplici exemplo demonstrare satagebat primùm, ab artibus, vt dicunt, subalternantibus, & subalternatis, vt ab ea, quæ domat equos: aliud vero, à spiritu, & carne desumptum. Primo autem abiecto, secundum accipit. Primum ea reprobabat ratione: quoniam, si vera esset similitudo, sequeretur quod vna non posset sine alia consistere; nobiliorique ablata, rueret inferior. Secundum autem ideo accipiebat, quia caro, spiritusque sunt duæ res, quæ seorsum, ac separatæ ab inuicem, necnon coniunctæ possunt adinueniri. Habet caro sensum, & appetitum, quibus res, actus, & obiecta proportionata respondent, & quorum finis immediatus est sanitas, ac bona corporis constitutio habet spiritus intellectum, & voluntatem, actus atque obiecta proportionata, & pro fine animæ sanitatem, & perfectionem: inuenitur caro sine spiritu, vt in brutis: inuenitur spiritus sine carne in Angelis. Hinc deducebat, quod, vti caro proprias habet leges peculiares, & spiritus ipse quoque: ita etiam potestas sæcularis, & spiritualis se habent & quemadmodum, vbi contumacem, & petulantem spiritus cognoscit sensum, à viaque salutis declinantem, leges ei præscribit, terminos præfigit, quos nequit transire, illum castigat, & macerat: ita spiritualis auctoritas, vbi videt temporalem à salute, & via Dei aberrantem, emendat, atque cohibet. Hinc demum tria, vt inquiunt logici, corollaria eliciebat. Primum illorum hoc erat: Papam, vt Papam ordinariè temporales Principes etiam iusta de causa, eo modo, quo Episcopos priuat Episcopatu, nimirum tamquam iudex verus, & ordinarius, deponere non posse, nihilominus mutare Regna, vni auferre, & alteri conferre tamquam Princeps spiritualis, si id vergit in bonum animarum, sitque necessarium ad illarum salutem. Secundum est: Papam, vt Papam ordinariè non posse condere leges ciuiles, aut infirmare Principum decreta: cum non sit ipse politicus Princeps. Tertium: Non posse Papam ordinariè de rebus temporalibus iudicare. Postrema hæc pars ab ijs, quæ præcesserunt, non dissimilis, quamplurimis scatet mendis, varijsque affligatur incommodis. Atque, vt silentio prætercam vocum improprietatem, quæ semper in disciplinis extitit culpabilis, assertionum durities, quæ dum proferuntur, animus læditur, parit horrorem. Verum non est, quod Papa leges ciuiles condere nequeat: falsum est, (parcat mihi illius virtus: veritatis illustrandæ gratiæ hæc proferuntur, non illius minuendæ gloriæ studio) quod non possit priuare Reges Regno, tamquam iudex, si caussa adsit iusta. A veritate quoque alienum est, quod temporalia non possit iudicare. Nouissimè (& hoc veluti auctuarium accedat) in explicatione propriæ positionis, vt videre videor, à scopo sibi proposito aberrat. Hæc omnia sunt dilucidanda, vt, quid ego ipse velim, benignus accipiat lector. Primò, relicto exemplo, (hinc ordior, seriem non immutando dictorum illius) ne cogeretur admittere, Pontificiam dignitatem temporalem, præstantioremq; esse Regali potestate, & hanc omninò in gratiam esse illius, ablataque perfectiori, imperfectiorem ruere, accepit secundum, carnis scilicèt, ac spiritus. Quæ res licèt in homine reperiantur coniunctæ, nihilominùs in brutis, & angelis seiunctæ, atque segregatæ existunt. Verùm res ad restim redit: adhùcque eidem luto hæremus. Siquidem, quemadmodùm in artibus illis imperfectior est in gratiam perfectioris, ita in vitis illis imperfectior est in gratiam perfectioris, ignobilior in gratiam nobilioris. Lex est inuiolabilis Naturæ, vt imperfectum sit in gratiam perfectioris: quam secutus Aristoteles de Anima, differendo, longo examine nos docuit, animam vegetalem, imperfectiorem, esse in gratiam perfectioris, atque, vbi perfectior reperitur, ibi etiam imperfectior, ablataque perfectiori, vbi plures sunt, imperfectiorem destrui, atque perire. Est in homine plantarum virtus, est sensus, ac intellectus, separetur anima intellectiua à corpore, vegetalis, & sentiens vbi nam erunt? viuimus primò vitam plantæ, demùm animalis, postremò hominis, vt dicebat Aristoteles, sensu, & ratione ducibus: inferiores hæ vitæ in gratiam sunt superioris; quare argumentum reflectendo, sic dicere possumus: Vti se habent in humano corpore sensus, & intellectus, ita potestas laica, & spiritualis in Ecclesia: at in corpore humano sensus paret intellectui, omninoque subditur ei, & est in gratiam illius: ac, ablato intellectu, ruit sensus: igitur in Ecclesia potestas laica omninò spirituali subdita erit, in gratiamue eius, & hac ablata, illam auferri est necesse. Minor iam ijs, quæ sunt dicta, conspicua esse potest: maior autem inde probatur, quoniam de Principibus, ac Potestatibus, quæ sunt in Ecclesia, est lis, & controuersia. Ecclesiam autem persimilem humano corpori facit Sanctus Paulus; & scripsit, nos esse illius membra, cuius caput existit Christus Saluator noster. Hæc eodem sensu tra-

2. li. b4. tex. 14. vsque ad 22.

2. de gen. ani. cap. 3.

tractata legimus à Bonifacio, & Innocentio, c. vnam sanctam, & c. solitæ Summis Pontificibus. Quæ dicta sint, vt si conspicuum, quanti roboris existat ratio. Verum tamen illud est, quod argumentum parum, aut nihil potest nobis esse negotij, qui dicimus, à prima summi Pontificis Regia potestate alias pendere, ad eamque referri in iudicijs. Quod verò bona corporis constitutio sit finis sensus immediatus, nescio, quomodo verè possit affirmari. Si enim corporis constitutione accipit crasim, seu temperiem, dubio procul longè abest à scopo; nam optimum temperamentum est materia sensus, non autem finis: vt de longitudine, & breuitate vitæ scripsit Aristoteles. Hinc, generationem viuentium & vitam definiens, dixit, vitam esse permansionem animæ in calido, & humido; generationem verò, participationem animæ, calidi, & humidi. In libris autem Physicorum, causam efficientem, formam, & finem, in idem plerumque venire aiebat, materiam verò minimè; materiamque in gratiam formæ esse, non autem è contrà. Hæc autem cum vera sint, sensusque sit forma, & bona corporis constitutio sit materia, talis constitutio non poterit esse finis: quoniam materia, vt dictum est nunc, non venit in vnum cum causa finali, atque materia est in gratiam formæ, non autem forma in gratiam illius; finis erit sensus, quoniam forma est, in cuius gratiam erit bona corporis constitutio. Sin autem nomine bonæ constitutionis corporis accipiat sanitatem, neque hoc tam facilè est illi condonandum: etenim in Commentarijs de Anima passim docemur, obiecta fines esse potentiarum, hasque operationibus, ac obiectis distingui, tamquam proprijs finibus, non autem sanitate, quæ est qualitas, proueniens à vera humorum proportione. Asserebat insupèr, sensum proprias habere operationes, quibus mens non miscetur, & inde nonnumquam euenire, vt spiritus ab elocutione linguam auocet, arceat manus à tactu, gustui deneget cibos, & auditui sonos. Quæ, an satis cautè sint dicta, aliorum esto iudicium. Vnica in nobis est anima, omnium Theologorum assensu, quod etiam optimis Peripateticis, Alexandro præcipuè, atrisit: vnumquodque agit, per quod est in actu per rationalem animam homo est in actu, & per hanc omnia facit officia, vegetat, (homo hominem generat, dixit Aristot.) hac sentit, hac intelligit, Si ergo vna est anima, de hac non est, quod loquamur, tamquam de rebus inter se verè seiunctis: nisi velimus omninò impropriè loqui, ac in nobis plures animas ponere subiecto distinctas: vt Platoni, tamquam probrum, obijcere solebat Aristoteles. Insupèr; Si spiritus legem ponit sensibus, & propria auctoritate corripit errantes, cur non potest Summus Pontifex, vt Papa est, inferiorem castigare auctoritatem, vbi iusta adsit causa, cum spiritus, vt spiritus hæc efficiat? Audio alium, dicentem, in ijs, quæ sunt spiritus, potest directè; in ijs, quæ sunt huius sæculi, indirectè. At hæc responsio iam reiecta fuit, vbi ostensum fuit, à prima hac potestate directè alias omnes iudicari. Accedamus ad corollaria. In quorum discussione veritati erimus adiumento. Primum illorum hoc erat: Papam vt

2. tex. 76.

12. Mo. tex. 13. & 2. Phys. 26.

Papam Principes temporales iusta de causa non posse deponere eo modo, quo Episcopos ab Episcopatu solet abdicare. Vt supra animaduertebam, in hac vocula, *Quatenus*, morbus delitescit, necnon in nomine illo *Papa*. Vox illa, *Quatenus*, quæ apud logicos appellatur nota reduplicatiua, primò, significat formam, demùm omne genus causæ: Papa verò trifariàm sumitur, vt alibi diximus. Cùm igitur inquiunt, Papa quatenus Papa, sensus verborum primò hic potest esse: Papam secundùm esse patris, idest, vt pater quemadmodum Papa nobis indicat patrem, non potest &c. At hoc sensu non potest accipi, vt decreto Summi Pontificis Clementis cautum fuit. Neque etiam potest esse sensus, quod Papa, vt Sacerdos non possit, eadem de causa, quia decreuit Beatus vir Clemens, vt soli Christi Vicario nomen illud esset tribuēdum: Et dictio, *Quatenus*, est de omni, vt contex. V. pri. poster. docetur: quare, si ei competeret, quatenus Sacerdoti, hoc iudicium, omnibus competeret Sacerdotibus. Superest igitur, vt accipiatur ea significatione, vt est Summus Sacerdos, Christique Vicarius. Sed, hac acceptione si verba intelligantur, id, quod ipse, tamquam certum, ac verum, existimauit, à veritate erit semotum. Christi Vicarius propriè dicitur Papa: at in Christi Vicario est apex vtriusque potestatis; & ideò, vt Papa, inferiores potestates dijudicat. Addam hic paucula, huius veritatis illustrandæ studio, & ostendam, ei, non tantùm, vt Summo Principis, sed vt Summo Sacerdoti, hoc iudicium iure conuenire. Dominus Moysem alloquendo, in Exodo, dixit: *Constitui te Deum super Pharaonem*. Iuxta phrasim Sacræ Scripturæ, nomine Dei iudicem accepit. In eodem libro ita scriptum reperimus: *Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in custodiam; & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint, si inuenitur fur, duplicem reddet; si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem*. Nomine Deorum iudices intelligit. Et alibi: *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices*. Ex ijs hanc colligo rationem Moyses iudex à Deo constituitur super Pharaonem: igitur Papa habet potestatem super Principes, & Reges: Consequentia probatur; quoniam Moyses à Deo est constitutus iudex super Pharaonem: Moyses autem Summus fuit Sacerdos; vt superiùs fuit demonstratum, & verbis Sancti Anacleti potest confirmari: qui, exponens verba illa Psalmi, Moyses, & Aaron inter Sacerdotes eius, ait: vt cap. Sacrosancta legitur: *Primi inter Sacerdotes fuerunt*. Quod si Summi Sacerdotes veteris legis hac functi sunt potestate, multò sanè magis nouæ legis illa fulgebunt. Confirma hæc Innocentij Papæ doctrina, cap. per venerabilem, & cap. solitæ. Quibus in locis docet Summus Pontifex, plenam iudicandi potestatem, temporalia, Reges, & Principes, in Christi Vicario, reperiri, varijs rationibus, ex veteri, ac nouo Testamento desumptis. Increpauerat Papa Constantinum Imperatorem, ea de causa, quoniam Patriarcham Constantinopolitanum eo non erat prosecutus honore, qui tantæ conueniebat dignitati. Miratus est Imperator Papæ repre-

Cap. 7.

Cap. 22.

Psalm. 98. Dist. 22.

Ca. 10. q. fi. fine leg. & de maio. & ob. c. solitæ.

hen-

hensiones, illasque ægrè tulit, Summus Pontifex, re hac cognita, sumpsit calamum, & ad Imperatorem literas dedit: quibus ostendit, ab ipso iudicari posse Reges, & Principes. Ad hoc efficiendum accipit illud à Dño Ieremiæ dictũ, nimirùm: *Ecce constitui te super gentes, & Regna, vt euellas, dissipes, & ædifices, & plantes*. Hæc verba non sunt dicta à quolibet, sed à Deo; non Regi, sed Sacerdoti: non de Regia stirpe, sed Sacerdotali prosapia descendenti, & de Sacerdotibus, qui erant in Anathot, Quod si hæc dicta fuerunt Sacerdoti, multò sanè magis, concludit Sanctus ille Pater, erunt dicta, Summo Pontifici. Iam verò si illis verbis, datur Sacerdoti potestas iudicandi Reges, illosque Regno priuandi: ait enim: *Constitui te super Reges, & Regna, vt euellas, dissipes, ædifices, & plantes*. Multò magis Summus Pontifex hac fulgebit auctoritate. Consequentia est Beati Innocentij, loco nunc adducto. Assumit insupèr, ad probandum; in Papa reperiri plenam iudicandi potestatem, tum temporalia, tum spiritualia, ea, quæ scripta sunt in Deuteronomio: nimirum: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicium intra portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus: sequerisque eorum sententiam, qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur*. Hæc sunt libri Deuteronomij verba; quæ diligentèr interpretantur ab eodem Papa, singula considerante. Supponit hoc, tamquam firmum, quod nullus certè potest negare: scillcèt, quod lex secunda primam interpretetur; & ex vi vocabuli comprobatur; inde sequitur, vt, quod ibi decernitur, in nouo Testamento debeat obseruari. Locum autem, quem elegit Dominus, Apostolicam Sedem esse, nullus negabit: præcipuè si ea mente reuoluet, quæ dixit Dominus Petro, fugienti, cum iam Vrbem exiuisset. Volens Saluator ad locum, quem elegerat, eum reuocare, ab illo, interrogatus: *Domine, quò vadis?* respondit. *Venio Romam iterum crucifigi*. Quæ pro se dicta esse intelligens, ad locum ipsum protinus est reuersus. Leuitici generis Sacerdotes sunt fratres Papæ, qui eidem iure Leuitico existunt coadiutores Sacerdotalis officij. Is verò super eos Sacerdos, siue iudex existit, cui Dominus inquit: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis*. Vicarius illius, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Tria distinguit iudicia iudex iste: inter sanguinem, & sanguinem: inter causam, & causam: inter lepram, & lepram; per primum, criminale, & ciuile; per secundum, Ecclesiasticum, & ciuile; per vltimum, Ecclesiasticum, & criminale accipit. In ij, si quid controuersum, ac dubium extiterit, ad iudicium Sedis Apostolicæ est recurrendum: cuius sententiam, qui superbiæ tumore contempserit obseruare, mori præcipitur, idest per excommunicationis sententiam, veluti mortuus, à communione fidelium separari. Hæc Papa, Oraculo Diuino duce. Quibus colligitur, quod non tantùm Ecclesiastica, verùm & sæcularia, munus illius sit iudicare, & Principes, & Reges iudicio eius subdere. Scopus Papæ est in illa epistola, demonstrare, à Papa iudicari posse Reges, & Principes, id demonstrauit argumento sumpto à verbis Domini, Ieremiæ prophetæ dictis: perseuerans in eadem sententia, noua ratione accepta a lege Deuteronomij: & tria facit distincta iudicia Christi Vicarium attinentia, inter quæ iudicium ad res temporales attinens sibi locum vsurpat. Generatim autem loquitur Dominus, verbaque sunt generalia; vt nos doceat, quod omnia iudicia, ad sæcularia spectantia, ad Papam pertineant. Eodem modo, & eo sensu, nulla addita limitatione, verba Deuteronomij loquuntur. Eodem modo igitur poterit iudicare temporalia, & spiritualia, at spiritualia directè iudicandi potestatem habet: igitur, & eamdem habebit directè iudicandi temporalia. Et, quoniam nullum excipit iudicium, Reges quoque, & Principe, directè iudicandi habebit facultatem. Nulla itaque erit glossa illa *indirectè*: quæ multoties adducebatur pro defensione propriæ doctrinæ. Si enim directè iudicandi haberet facultatem spiritualia illis verbis, temporalia vero indirectè, æquiuocatio esset in verbis, immo vim inferremus textui, verba contorquebimus, quæ sic sub vno, & eodem sensu sunt legenda: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, caussam, & caussam, lepram, & lepram, & iudicium intra portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem; &c.* Omnia hæc iudicia absolutè ad vnum, & eumdem attinere, ait Dominus, nulla facta limitatione, nullave adiuncta appendice, omnia vniet eidem iudici, eidemque iudicio. His non contentus Pontifex, in eo loco ad ostendendam potestatis Pontificię plenitudinem, adducit verba Sancti Pauli, idem asserentis. Legis verba sunt hæc: *Paulus etiam, vt plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens, ait: Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis sæcularia?* Quod si Reges iudicant à Deo iudices constituti super ipsos, ac illorum regna, si ad illos pertinet, causas omnes, & Ecclesiasticas, & ciuiles, nullam excipiendo, iudicare, & eodem modo absolutè scilicet eis fuerit commissum hoc iudicium, nullum certè est corollarium illud, inanisque familiaris ea declaratio *indirectè*. Id autem tantò magis est firmum, tantòve maiores acquirit vires, quod in Christi Vicario apex Regiæ potestatis quinetiam reperitur. Transeo ad secundam conclusionem, à prima dependentem, illiuc simillimam. In talibus facilis est transitus, vt dicebat Aristoteles, de elementorum ortu disputans. Talis erat conclusio, Papa leges ciuiles nequit condere, aut confirmare, vel infirmare Principum leges, cum non sit in Ecclesia Dei politicus Princeps. Assertio hæc, vti falso innititur fundamento, ita propria ruit imbecillitate. Si Papa Principatum obtinet, cur leges sancire, & promulgare, non potest? Dicet, quod Papa condit leges, sed non vt Papa. Optimè quidem loquere- 2. De Gen.

tur,

tur, si his verbis intelligeret, Papam non esse Principem: quoniam sui excellentia vincit omnes temporales auctoritates, & longè superat illas dignitate: at, quoniam contrario sensu proferuntur, nimirum, quod non sit in eo potestas promulgandi ciuiles leges, quia Princeps non est politicus, ideo afferenda est responsio. Negatur primò, quod Papa, vt Papa non sit Princeps. Anteactis disputationibus ostendimus, vocem hanc soli Christi Vicario conuenire, decreto Clementis Summi Pontificis: in quo Vicario culmen temporalis auctoritatis, nedum fastigium Sacerdotalis dignitatis, reperiri, pariter demonstratum fuit. Ideo falsum est, quod Papa, vt Papa leges condere nequeat ciuiles, & Cæsareas immutare, ac corrigere, si Reges ipsos, & Imperatores ei licèt emendare. Quod etiam non mediocrem facit persuasionem, & ratio sufficiens esse potest ad persuadendum, quemadmodum Principum, Regum, & Imperatorum potest immutare potestates, vt cap. Adrianus docemur, ita leges Principum infringere, & castigare. Ad hæc, diuinæ legis est executor, vt Imperator legis humanæ est conditor: quare planè poterit leges ciuiles castigare, quo leges humanas diuina debet emendare. Sanctus Pater Augustinus ideo dicebat, de libero arbitrio differens: *Videtur mihi lex ista, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedere, atque multa impunita relinquere, quæ per Diuinam legem iudicantur*: Porro, cum Diuina lege hæ sanctiones sint iudicandæ, ac corrigendæ, has poterit immutare, ac emendare. Insuper, humana iudicia sepe declinant à rectitudine, hinc idem Pater, explicans verba illa Principis Apostolorum, *Si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt*? sic scripsit: *Quare iustus vix saluabitur? nisi, quia iustitiam Dei tantam esse, constat, vt, ad examen Diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia appareat*. Iudicia itaque humana vbi non conueniunt cum lege diuina, munus est Papæ, qui est Diuinæ legis executor, & illa, & responsa prudentum, Principumque placita, iustitiæ, & rectitudini restituere. Præterea, hæc potestas à Deo Principi datur ad terrorem malorum, bonorumque honorem. Humana lex, vt dicebat idem Pater Augustinus, in eodem libro, literis promulgata, solùm hominibus opitulatur, secundùm vitam hanc animalem viuentibus: at lex diuina ad vltimum finem nos dirigit, igitur à Summo Pontifice poterit lex temporalis immutari, cuius officium est, executioni demandare diuinam legem vt potestas data à Deo ipsa quoq; proprium consequatur finem. Præterea, vsu solet euenire, quod homines, peccando, pacem publicam turbando, alios lædendo, carceribus detineantur, à iudiceque sint iudicandi, & pœna mulctandi: atqui, cùm homo sit Dei structura miranda, & opus omni honore dignum, hanc ob rem non temerè torquendus, tormentisque vexandus, vt Hippolytus de Marsilijs iudices monebat, sed summa prudentia, ac iustitia vexationibus vrgendus: & sententia de illo non est ferenda, cui maturum non præcedat consilium: quoniam de summa rerum agitur, idest de vita humana, necesse est, vt sit conspicuum, & testibus comprobatum, à reo talia perpetrata fuisse delicta, ore insuper proprio contumax peccata fateatur. Hinc illud Sancti Augustini, Nos in quemquam non ferimus sententiam, nisi sponte conuictum, vel confessum. Humana vero lex est inefficax ad interiora iudicanda, Diuina vero apta, & magis accommodata: idcirco hac illa humana debet corrigi: & propter hæc Papa poterit legem ciuilem meliorem facere. Nouissime, Papa, vt alibi demonstrauimus, culmen habet potestatis temporalis, & ad illum attinet omnes causas iudicare, tamquam iudicem à Deo constitutū: igitur & leges condere, ac promulgare, & immutare: quoniam hæc agit tamquam iudex omnium eminentissimus. Quod ab hoc doctore vltimo loco adiectum fuit, Pontificem scilicet non ferre iudicium in temporalibus, iam fuit explosum, ideo, hac disputatione relicta, in qua fortè magis laborauimus, quàm onus susceptum requireret, pulchritudine problematum allecti, concludentes, supremam potestatem iudicandi omnes in Christo Vicario reperiri, & fastigium vtriusque dignitatis, ac culmen vtriusque potestatis. Nunc tandem ad ipsammet reuertamur potestatem, vt partes definitionis allatæ explicentur, eaque ratione, natura rei inspecta facilis sit aditus ad alia, quæ sequuntur, exploranda.

Dist. 63. — 1. cap. 5. — 1. cap. 4. — Cap. 15. — In Pract.

CAPVT VIII.

Potestas dependens, & independens, quæ vere dicatur.

LVce immissa, tenebrisque fugatis, nunc demum ad id, quod propositum fuit initio, redeuntes, imperantium est diuidenda auctoritas, eiusque species sunt assignandæ. Hæc gemina est: quemadmodum duplex est Regnum, cæleste nimirum; ac terrenum. Altera, dicitur naturalis, seu humana; altera, Spiritualis, ac diuina. Vtramque autem à Deo esse, iam iam exponemus, Dei Optimi, & Maximi beneficio. Prima, respiciens regimen temporalium rerum, & caducarum, Temporalis appellatur: Secunda vero, spiritualium, ac æternarum rerum moderamen amplectens, dicitur Spiritualis. Temporalis à mundi infantia sumpsit exordium: vt retro demonstrauimus: & apud omnes homines reperitur, siue Deo permittente, siue volente. Hinc Israelitæ, Samuelem alloquentes, dixerunt, Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Id enim, quod, naturæ impulsu, conuenit omnibus, naturam participantibus, quin sit commune, nihil est, quod vereamur, at naturæ impulsu, regimine, & moderamine, homines duci, olim ostendimus: ideo, communem esse omnibus hanc viuendi regulam, necesse est fateri. Spiritualis verò potestas apud veros Dei cultores extitit, atque nunc etiam reperitur. Sub lege Moysis satis enituit: at in nobis sub lege gratiæ viuentibus lucida fulget. Vna, & altera à Sacerdotio distinguitur: suntque inter se differenter: varij enim sunt illarum actus, & diuersi fines. Prima

adeo

adeò disiuncta est à Sacerdotio, vt multoties diuersis fuerit attributa personis Sacerdotalis, & temporalis dignitas, ne vna alteri esset impedimento, & ne quis, melioribus addictus, dum inferioribus esset prepeditus prestantiora, superioraque amitteret. Verùm tamen illud est, quod licèt hæ auctoritates distent ab inuicem, nihilominus, vnam alteri coherere, & simul ambas iungi, multoties videmus. Tempore legis Naturæ, necdum scripturæ, & gratiæ, in vno, ac eodem collocatas fuisse, in summo scilicet Sacerdote, iam demonstrauimus. Addo nunc, id non tantum apud eos, qui vero lumine veritatis illustrati, Deum coluerunt, extitisse in vsu, verùm etiam apud ipsosmet Gentiles antiquum fuisse institutum. Ægypti illum Regia honestabant potestate, qui sapiens esset, & Summus Sacerdos: Romanos quoque Imperatores apice dignitatis Sacerdotalis fuisse ornatos, testantur historiæ, & ff. l. 1. legitur, & à Claris etiam viris docemur. Hæc secum reputans Isidorus, aiebat, maiorum fuisse consuetudinem, vt Rex esset Sacerdos, siue Pontifex. Atqui, vti temporalis potestas à Sacerdotali est abiuncta, ita etiam Regia illa spiritualis auctoritas ab eodem est separata. Multi sunt Sacerdotij dignitate fungentes: quorum tamen nulla est potestas in alios. Hinc euenit, tamquam à suo proprio principio deriuans, illa vulgatissima apud omnes, ac receptissima distinctio potestatis spiritualis in potestatem ordinis, ac iurisdictionis. quoniam sapit dominium Regium. Iunguntur, & copulantur hæ quinetiam auctoritates, ac eidem inexistunt. In Romano Pontifice primò, demum in Patriarchis, & Episcopis, ac cęteris, quos Spiritus sanctus præposuit regere Ecclesiam Dei: vt in Actibus Apostolorum legimus. Cum itaque duplex sit potestas, spiritualis scilicet, quæ & in ipsa quoq; est bipartita; ac temporalis; prima omissa, cum ad nostrum non attineat institutum, secundam accipiamus: & dicamus, hanc vel esse omnium primam, alias excedentem, quodammodo illimitatam, ac independentem, ad quam aliæ habent relationem: ceteræ inferiores, quæ ad primam referuntur, siue institutione, ac vsu, siue saltem, vt à prima iudicantur. Age, singula declaremus membra, sic namque, vt opinor, & allata patebit definitio, &, quæ sunt dubia, fient conspicua. Prima in Summo Pontifice reperitur, à Deo eius Vicario elargita. Plena nuncupatur, quia omnis potestas, ad hominum, & præcipuè fidelium regimen à Deo ordinata, in hac comprehenditur, & illi omnis, alia subditur, omnes alias excedendo, illas quoque dijudicat, modum imponit, & corrigit. Illimitata dicitur, quoniam non tantùm in parte eius peculiari, in Patrimonio scilicet Beati Petri, verùm in alijs ditionibus exerceri potest; vt vidimus. Ad hæc, operari potest alijs potestatibus medijs, atque sine illis, secundùm leges abipsa promulgatas, & si oportuerit, illis etiam abrogatis. Omnibus supereminere dicitur, quoniam cęteræ ad eius pedes iacent, tamquam ancillæ, tamquam immutādæ, instituendæ, abrogandæ. Ob hanc eminētiam, alias in sui auxilium potest vocare. Atqui in dubium fortè vocabit aliquis, quinam fieri possit, vt hęc potestas plena, ac eminens dicatur, quia, cum à Christo in quo plenam dicimus extitisse potestatem, eius Vicario talis fuerit elargita potestas, latumque sit discrimen inter hanc, & Christi potestatem. Non est negaudum, respondeo, maioris esse ambitus Christi potestatem Summi Pontificis auctoritate: verùm, quemadmodum Christus dicitur plenus gratia, & mater gratia plena, Christus in summa excellentia, quæ possit haberi ad omnes effectus gratiæ, mater verò, quoniam sufficientem ad illum statum, vt scilicet Dei Optimi Maximi mater existeret, ita sanè in re proposita plenior est Christi auctoritas, qui Deus, & homo erat à Deo constitutus iudex viuentium, & mortuorum, ob eius grauem, & acerbissimam passionem. Summo autem Pontifici conuenit, Christo committente, atque tradente. Christus agebat, vt instrumentum diuinitatis, cui excellenter erat adiunctus: at Papa agit, vt gerit eius vicem. Christus potest quoscumque homines sibi subijcere: Summus Pontifex hoc minimè potest. Christus, Angelorum, viuorum, & mortuorum caput, rationalium, & irrationalium Dominus: Papa, hominum dumtaxat, præcipuè autem fidelium, qui præcipuè capaces sunt felicitatis, ad cœlum habentes iter; secundò autem infidelium, eatenus: quoniam, si illorum naturam aspiciamus, felicitatis minimè sunt incapaces. Verùm plena dicitur, si mundum hunc aspiciamus, si viuentes homines voluamus mente: quoniam illam dedit Vicario suo potestatem, quæ planè poterat sufficere ad omnia obeunda munia; vt omnium pater, omnium rector, omnium pastor, omnium rex. Hæc igitur, verè, & propriè loquendo, est independens, sui iuris, ac mancipij omnino. Cæteræ autem, dependentes dicuntur, siue iure Emphytheusis, siue feudi ratione, siue delegatione, siue alio modo quis fulgeat auctoritate. Est dependens, qui viget dignitate ei delegata: siquidem institutione, executione, ac depositione, à suo pendet delegante. A' quo quis instituitur, eius operatur virtute, ac potestate, & desinit ad nutum illius, cuius voluntate tali auctoritate honestatur. Qui iure Emphytheusis habent potestatem, hosce dependenti potestate esse praeditos facile est videre, si, quid sit Emphytheusis, inspexerimus. Emphytheusis, inquit Angelus, est vox Græca, significans rem commissam fidei alicuius: addit, Latinè dici (verbis eius vtor) Rei meliorationem. Cui assentit Siluester, sic scribens. *Emphytheusis, vocabulum est Græcum, & Latinè dicitur Melioratio, propter hoc, quod olim per istum contractum solùm viles quadam terræ, & steriles, concedebantur, vt accipiens melioraret, & fertiles redderet.* Hæc ille. Si quis roget, quomodo ex Græco eloquio possit hauriri, quod Emphytheusis significet rem alicuius fidei commissam, respondeo Angelus, id nobis indicare vim, vocabuli. Emphytheusis, inquit ipse, dicitur ab *Eu, idest In; Fitos, idest Fides; & Thesis, idest Positio.* Doctrina hæc quomodo literas Græcas callentibus possit arridere, non satis intelligo. Emphytheusis, Græce *emphyteusis,* Latinè Plantatio dicitur, à verbo Græco em-

20. dist. 7. Ethic.

Tit. de Emph.

Tit. de Emph.

emphyteuo, quod significat planto, Insero, ac Ingenero. Id quod in Psalmo legitur, Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, codex Græcus habet, *caì espeiran agroys caì ephyteusan ampelonas*. Quinetiam verbum illud *Phyteno*, frequenter non tantùm accipitur pro planto, produco, sed pro Sero, Arboribus consero. *Phytios* autem, germinaminationis auctorem denotat, quod cognomen Solis proprium esse dicitur. Quare, cum Emphytheusis, à verbo *emphyteuo*, fit quod significat Consero, Sero, Arbores planto, & *emphyteusis* Latinè dicatur Plantatio, prædia dicuntur dari in Emphytheusim, ob id, vt doctissimus Budæus adnotauit, quoniam dantur, vt etiam dicebant Doctores, isti, (cum quibus conuenio in conclusione, licèt dissentiam in fundamento) quia cultura, & laboribus meliora, & feraciora fiant. Hæc nos Græca docet structura: nec est confugiendum ad ea, quæ ab Angelo sunt scriptis commendata, quæ linguæ Græcæ imperitiam attestantur. Dicendum est itaque, Emphytheusim nobis indicare rei concessionem, quæ fit à Domino eiusdem, vt res ipsa melior fiat. Iam verò, cùm quippiam hac conditione alicui conceditur, planum est, dominium, vt dicunt iuris Cæsarei professores, directum apud concedentem remanere, licèt dominium vtile accipienti tradatur. Cum igitur aut prædium, aut castrum, aut quippiam, in quo iurisdictio exerceatur ab alio quis acceperit, potestas accipientis à concedente dependet. Hac eadem ratione, quæ iure feudi possidentur, dependentiam auctoritatis necessariò arguunt: siquidem, vt Pet. Heli adnotauit dominio directò apud concedentem permanente, vtile traditur recipienti, in cuius subiectionis testimonium quotannis recipiens soluit aliquid concedenti. Hinc Gof. Feudum definiens aiebat: Feudum esse concessionem rei immobilis, factam pro homagio. Hostiensis quoque, & Azo, ab hoc non diffidentes, dixerunt, Feudum esse beneficium alicuius rei, inuestitura interueniente, sic concessæ, seu datæ alij, vt dominium penès concedentem remaneat, cuius occasione recipiens, & successor eius concedente domino ad id seruitium, de quo & conuenit, & feudi natura requirit, tenetur directo domino, vtile autem ad feudatarium transit. Cum itaque Summus Pontifex, aut Imperator, aut Rex, aut Dux, castrum, ciuitatem ac similia bona concesserit, iurisdictionem, ac potestatem, qua fungitur recipiens, esse dependentem, dubitare non possumus. Est postremò auctoritas, quæ nec iure delegationis Emphyteusis, ac Feudi dicitur dependens, sed ea ratione, quoniam imperfectum est in gratiam perfecti, membra in capitis gratiam, & quia in omni genere, quod primum existit, aliorum regula & metrum ab hominibus habetur. Hoc modo, Regum, & Imperatorum potestates subiectæ sunt Christi Vicario, quoniam ab hac suprema ille iudicantur, & corriguntur. Ad hæc, vnctio, qua significatur auctoritatis collatio, non est mediocris persuasio huius dependentiæ à prima: siquidem, cum à ministris Papæ vngantur, & confirmentur, licèt à populis sint electi, nihilominus, actione vnctionis, à prima potestate dependere intelligunt. Ordo autem talis est inter hasce potestates, quoniam, in delegato, quæ reperitur auctoritas, ad delegantis nutum incipit, progreditur, ac desinit: minùs pendet, quæ Emphytheusis in aliquo reperitur; minùs, quæ feudi iure; at multò sanè minùs, quæ vltimo loco est adducta species potestatis; hæc superiorem cognoscit, vt necessitas vrget, nimirum, vt iudicium est ferendum. Nouissimè, possumus dicere, ab hac prima omnes alias pendere: quoniam, licèt immediatè sint à populorum, vel electorum consilio, & electione, mediatè sunt à Deo, Dei autem Summus Pontifex est Vicarius in hoc mundo. Hæc itaque, & tot, sint dicta in gratiam veritatis: quæ adhuc magis explicabitur, si diligenti examine ponderabimus, omnes potestates à Deo esse.

In Pã. l. sed si §. 1.

Tract. de Feud.

FR. CHRI-

FR. CHRISTIANI LVPI, IPRENSIS,

In Alma Louanienſi Vniuerſitate S. Theol. Doctoris, ac Profeſſoris Primarij, & Regij Eremitarum Sancti Auguſtini nuper Prioris Prouincialis,

DIVINVM, AC IMMOBILE S. PETRI Apoſtolorum Principis,

Circa omnium ſub cœlo Fidelium ad Romanam eius Cathedram APPELLATIONES Aduersùm profanas hodie vocum nouitates aſſertum Priuilegium.

Chriſtianus Lupus ex honeſta Luporum familia Ipris natus à teneris annis literis humanis, & ingenij docilitate, & incredibili memoria ſtuduit. Decimoquinto ætatis ſuæ anno Auguſtinianam familiam ingreſſus, perdius, & pernox ſeuerioribus ſtudijs indulſit, eo fructu, vt vix exacto ſtudiorum curriculo à ſuperioribus in celebri Colonienſi Cœnobio Philoſophiæ legendæ adoleſcentulus fuerit præpoſitus, in quo ſtudio iam maturus, Programmata Philoſophiæ, libellum de ouo animato, Apologias pro anima oui, & Eremitici ſui Ordinis Primogenitura edidit aduersùs Maſpurgenſem Academiam, & alios. Viſum eſt Patribus abſonum, animam ita capacem in Democriti puteo, vel Ariſtotelis porticibus incluſam tenere, & Louanium ad primam Theologiæ Cathedram ſui ordinis moderandam miſerunt, deinde Duacum, iterum Louanium; vbi ex Patrum velut Auorum opibus diues, Auguſtinum pænè ibi extinctum meliorem ad vitam reduxit, nullum reliquit Auctorem quem non legeret, quindecim horas quotidie ſtudio conſecrans, nullum, ex quo aliquid non ſelegerit, ex quorum ſelectionibus viginti vaſtiſſimos libros minutiſſimè ſcriptos efformauit. At inuidia virtutem, quaſi vmbra Solem ſequente, veluti Ianſenij tunc recens proſcripti diſcipulo laurea negata eſt, ſolùmque Imperio Innocentij X. togatas machinas diſſoluentis impetrauit. Sedata ea tempeſtate ſæuior altera ſurrexit, ſcribentibus aliquibus Theologis numquam Pontifici ſe fideles fore, donec Lupus ſiſteret Louanij, vnde Alexander Septimus, iam ſibi in Belgio notum Romam vocauit, inuitis ipſis æmulis, iam præſagientibus reum illum triumphatorem, quod & mox docuit euentus, facilè integerrimam fidem Pontifice experto. In vrbe vix moratus, mox cognitus eſt ab Eruditiſſimo Luca Holſtenio, qui publicè profitebatur neminem à ſe adhuc repertum in Eccleſiaſtica Hiſtoria Lupo peritiorem, quem propterea tanta veneratione eſt proſequutus, vt Bibliothecam Angelicam præpoſuerit Vaticanæ, adiungens illi in Lupi gratiam celebrem ſuam Bibliothecam. Felix Roſpiglioſius S.R.E. Cardinalis quadraginta varias, eaſque difficillimas quæſtiones vnà ſimul ſoluendas propoſuit, & Lupus pleniſſimè ſatisfecit.

tisfecit. Cardinalis ipse de Noris ingenuè fatetur se opera, & Consilio Lupi Ecclesiasticæ historiæ totum se deuouisse. Interim & priuatis, & publicis quæstionibus dissoluendis occupabatur. Composuit præter cætera opus egregium de priuilegio S. Petri circa Romanas appellationes. Motiuum dedit P. Paschalius, Quesnellus, qui opera S. Leonis M. nuper edidit, Notis, & Dissertationibus illustrata, qui oblitus laudum in Magnum illum Pontificem congestarum, vt absoluat S. Hilarium Arelatensem mulctatum à S. Leone in auctoritate sibi per Galliam vsurpata, condemnat Leonem, & adsutis disputationibus ostendere conatur nullum judicium Romæ per appellationem retractatum; quem & Censores, & Lupus Romæ confutarunt, ita vt de hac materia nil amplius valeat mens desiderare. Duos prætereà nactus est Codices M. S. quorum alter varias tum Theodoreti, tum aliorum Patrum epistolas hactenus ineditas complectens, ab ipso est notis illustratus, facturus similiter alteri, De Vita, & epistolis Sancti Thomæ Cantuariensis, nisi mors inuidisset. Publicis etiam quæstionibus totus erat, inter quas grauissimam illam tot annis, & laboribus agitatam, an vastissimo Sinarum imperio, ac Regnis Iaponiæ Diuina mysteria patria lingua peragi permittenda forent, quasi peremptoriè decidit, Ecclesiam postulata hæc semper reiecisse, eruditissimè ostendens. Tandem Romæ quinquennio moratus deuicto fulmine, quo pænè ictus fuit ad altare, peste, qua pænè obrutus in Monasterio, & inuidia, rediit ad antiquam cellulam solo crucifixo, & Bibliotheca diuitem, ibique nomine P. Generalis comitij Prouinciæ Belgicæ cum potestate præsedit, & deinde rediit ad pristinos labores. Post aliquod tempus Romam inuitatur ab Eminentiss. Cardinali Camerario Palutio Alterio Ordinis eximio Protectori, sed nimis in Belgio erat necessarius. Opportunum tamen tempus aduenit, cum insanabilis nouandi cupiditas luxuriantes Casuistarum mentes ita in præceps impulerat, vt nulla fatuitas careret patrono, cum maxima Animarum pernicie. Legatus missus est cum literis Regis Catholici ad Innocentium XI. Lupus, cui additus socius Franciscus van Viane, qui improbo bis in hebdomada examine, & omni moto lapide ad hunc à quamplurimis impossibilem creditum, rem perduxit exitum, vt Pontifex sexagintaquinque opinionum capita vno ictu confoderit. In ea legatione Lupus maxima Italorum gratulatione exceptus, à Cosmo Tertio Magno Etruriæ Duce omni officiorum genere cumulatus, & salutatione, & amplissimis muneribus, & Rheda per vrbem, & lectica Romam vsque, & auro regio, quod ille magnificè reiecit, asserens, Pauper sum, Pauper vixi, Pauper mori volo. Romæ Cardinales quamplurimi officij causa illum conuenere, Ipsa Succorum Regina, vera Minerua, in Academicorum Regiorum albo adscripsit, in Generalibus Comitijs tanquam Belgicæ Prouinciæ Rector, in electione Generalis æquum suffragium tulit, dignitates autem omnes etsi rogatus nulla ratione potuit adduci vt reciperet, & eodem animo reiecit, quo olim à Clemente Nono Apostolici Sacrarij Præfecturam vltrò oblatam constanter recusauerat. Confectis, quæ Romæ sistebant negotijs, & conualescens è graui morbo, in quo adfuerunt decumbenti Tres Maximi Cardinales Franciscus Barberinus, Felix Rospigliosius, Gregorius Barbadicus, nullis potuit illecebris Romæ detineri, nec quæstuosa cathedra in Archigymnasio Sapientiæ, nec genio in ipsum prono Principis, tantumque curauit Romam relinquere, quantum magna pars curat stringere. Vnde Pontificem ipsum dicere solitum accepimus. Lupum non vulgaris virtutis, ac probitatis argumento, & documento esse, quod etsi crebrò rogatus, & qui non incommodè Romæ commorari posset, vt inde tamen abire sibi liceret, tantoperè laborauerit; & abeunti ipsi munuscula misit, in ijs ex auro duo maioris formæ numismata, quibus viri Principes donari solent, & muneribus secuti sunt splendidissimi Cardinales, Benedictus Pamphilius, & Iacobus Rospigliosius. Per Tridentinas alpes, & Noricum in Belgium sospes, Sarcinam Belgicæ Prouinciæ, quam regebat, deponere cupidus, Louanij indixit comitia, & paulò post Magistratu abdicauit. Interea in Demortui Eximij viri Gerardi van Vverm almæ Vniuersitatis Louaniensis Regij Professoris Primarij locum, Serenissimus Parmensium Princeps, & Belgij Gubernator eum suffecit, honore nulli vnquam Regularium tradito. Inter studia propria, & Roma missa, & senium, incidit in morbum initio despectum, sed postea multis morbis grauidum, quos per quatuor, & amplius menses lectulo affixus constantissimè tolerauit, feruentissimis semper abundans sententijs, & iaculatorijs, ad ipsum moribundum venit notissimus Pater Marcus ab Auiano, cuius præsentia se reputauit indignum.

dignum. Annuntiata ei hora mortis, gratias Deo egit, petijt veniam à Patribus, & vltimum hoc petijt, maximæ humilitatis exemplum, vt sepeliretur inter Fratres Laicos, quorum meritis Deus ipsum per suam gratiam faceret dignum. Decessit sexto nonas Iulij anno post Christum natum M. DC. LXXXI. Morte eius tristati sunt pænè vniuersi, & Summus Pontifex, vbi intellexit decessisse, Iacturam grauissimam in eo à Sede Apostolicam factam esse professus est, se verò plurimùm dolere dixit, quod morte præuentum debito honore sibi exornare non licuisset. Vixit annos LXIX. Innumera pænè scripsit erudito magis quàm compto orationis stylo, hæc inter alia typis edita habemus. Notas, & Scholia in Canones, & Decreta Synodorum Generalium, & Prouincialium, atque in eis dissertationes historicas, à Decretis Primi Nicæni, vsque ad ea Gregorij Septimi quinque tomis, Librum Tertulliani de Præscriptionibus, commentarijs doctissimis illustratum. Varia eiusdem opuscula duobus tomis comprehensa, & ea, quæ supra meminimus, & multa M. S. Nos librum de appellationibus, & ea, quæ fusè tomo IV. de Romano Pontifice edidit, instituto nostro maximè accomodata infra collocamus. Qui plura cupit legat Iosephum Sabbatinum eius vitæ Scriptorem.

SANCTVS GELASIVS PONTIFEX
Epist. 4.

Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur: Contrà quos hoc ipso venire se produnt, quod Primæ Sedi, sana, rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui Appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam prorsùs appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari. Sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potiùs Decreta sequenda mandarunt.

Ost laudatas suas parabolas Sapiens Ecclesiastes adiunxit: ***His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: Frequensque meditatio carnis afflictio est.*** Alij legunt: ***Fili mi caue ne multos libros conscribas. Non est finis.*** Quem textum olim Origeni, plurimorum librorum scriptori, quidam obiecerunt. Hinc se in Philocalia purgaturus demonstrat omnes veritatis adsertores libros non esse nisi vnicum, & solùm errorem diuidi in plures, atque concludit: [Quare si hæc fidem facere apud vos possunt, quid sit vnus liber, & quid multi, nunc magis sum sollicitus, non quidem propter multitudinem Scriptorum, sed propter vim intellectorum, nè forsan eò prolabar vt Mandatum transiliam, si quid præter veritatem tamquam veritatem exponam, vel in vno meorum Commentariorum. Tùm enim fuero Scriptor multorum librorum, Et cum nunc specie ac prætextu cognitionis aliarum opinionum Asseclæ in Sanctam Christi Ecclesiam insurgant, & multorum librorum compositionem diuulgent, quibus Euangelicarum, & Apostolicarum constitutionum expositionem pollicentur, si iam sileamus, nec illis salutaria, & vera documenta opponamus, auidas & ieiunas animas cibi inopia expugnabunt, ad vetitas, & omninò impuras, atque abominandas escas festinantes. Quare necesse mihi videtur esse, eum, qui sine fraude, ac præuaricatione potest se pro Ecclesiastico sermone Oratorem interponere, & confutare eos, qui falsam sibi cognitionem assumunt, stare aduersùm hæretica commenta, & excelsitatem Euangelici præconij illis opponere, in quo est plenissima consensio communis doctrinæ: Veteris cum nouo Testamento.] Hinc omnia vtriusque Testamenti à pluribus conscripta volumina non sunt nisi liber vnicus. Proindè soli Errones sunt plurium librorum scriptores. Quos inter omnino sunt, qui Catholicæ Ecclesiæ Monarchiam lacerant, aut turbant, ac in Christianum Orbem reducere satagunt schisma Eusebianum. Petulanti errori est obuiandum, & contra ipsos ampliandus vnicus liber auitæ veritatis. Hoc, fisus Diuino auxilio, aggredior, idque [sine fraude, & præuaricatione.] Etenim constanter profiteor regulam, quam Imperatori Constantio, Eusebiani schismatis Coryphæo, Papalis authoritatis protendendæ ambitum, & studium improperanti, reposuit Liberius Pontifex: [Secutus sum morem, ordinemque Maiorum,] Nihil addi Episcopatui vrbis Romæ, nihil minui passus sum.

Cap. 12. Cap. 5. Epist. 2.

DISERTATIO PRIMA.

De antiquis Gallicanæ Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem appellationibus.

CAPVT PRIMVM.

Exponuntur Paschasij Quesnelli Sensa circa has appellationes.

Ota inter sanctum Leonem Pontificem, & sanctum Hilarium Arelatensem Archi-Episcopum quæstio est Eruditis explorata. Originem duxit ex Chelidonij Episcopi, per Hilarium synodaliter degradati, ac Romam appellantis, facta
Cap.16. per sanctum Leonem reparatione. [Dicebatur ille internuptam suo adhibuisse coniugio, & sæculi administratione perfunctus capitali aliquos condemnasse sententia.] Ita scribit in præfati Hilarij vita incognitus Auctor, quem prætendunt esse S. Honoratum Massiliensem Episcopum, atque adiungit: [Accusatio testimonijs confirmatur.] Et prosequitur: Chelidonius Vrbem credidit expetendam. [Quod vbi comperit vir B. Hilarius, inconcussa fidei radice constanter animatus, intrepidus Vrbem Romanam festinus intrauit. Apostolorum ac Martyrum occursu peracto, B. Leoni Papæ illicò se præsentat, cum reuerentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, vt Ecclesiarum statum more solito ordinaret, adstruens aliquos, apud Gallias publicam meritò excepisse sententiam, & in Vrbe Sacris Altaribus interesse. Rogat, atque constringit, vt si suggestionem suam libenter accepit, secretò iubeat emendari. Et se ad officia, non ad causam venisse. Protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere. Porrò autem si aliud velit, se non futurum esse molestum. Et quod tantorum virorum, præsertim iam ad supernam gratiam vocatorum, nec in narratione audeo iudicia ventilare, hoc breuiter tetigisse sufficiat: Quod solus tantos sustinuit, quod nequaquam minantes expauit, quod inquirentes edocuit, quod altercantes vicit, quod potentibus non cessit, quod in discrimine vitæ positus, communioni suæ, quem cum tantis viris damnauerat, coniungi nullatenùs acquieuit, quod custodibus appositis, hyemis rigore sæuiente, quos ratione non flexerat, credidit relinquendos.]

Encomiastes affirmat plura. Primò, quod Chelidonij appellationem, ac Romanum accessum Hilarius indignissimè tulerit, ideoque sit ipsum mox secutus. Et quidem per saxeas alpes, pedes, sine equo, aut asino. Emphaticè hæc disertè addit. Secundò affirmat, quod Hilarius primùm Sanctos Apostolos & Martyres, deinde statim Pontificem salutauerit, cum reuerentia impendens obsequium. Haud dubiè tunc etiam consueta oscula pedum. Tertiò, quod cum humilitate depoposcerit Ecclesiarum statum more solito per Pontificem ordinari. Questus est vetustum administrandæ Ecclesiæ modum à Pontifice alterari, ac innouari. Et expressit inductæ nouitatis speciem: [Adstruens aliquos apud Gallias publicam meritò excepisse sententiam, & in Vrbe Sacris Altaribus interesse.] Notat Chelidonium, quem in Gallia degradatum, Pontifex ante visum, ac auditum Hilarium, antè discussam causam reuestiuerat in Episcopum, & vti talem permiserat secum in Sacris procedere. Et hoc in puncto censuit Pontificem excessisse. Hinc ipsum rogauit, atque constrinxit, vt suum factum secretò emendaret. Addidit se ad officia, ad explendum Metropolitici muneris debitum venisse, non ad istam causam iudicialiter retractandam. Hinc se vti protestandi ordine, non accusandi. In Romano, aut quouis alio appellatarum causarum iudicio prior iudex demutatur in Reum, aut certè in Accusatorem: Eò descendere Hilarius noluit, ideoque edixit se simpliciter protestari. Et nostri Leonis clementiam audiamus ex eius literis ad Episcopos Viennensis Prouinciæ: [Hilarius nobiscum residens.] Honorauit Hilarium, non detrusit ad Reos, aut Accusatores; sed vti coniudicem in appellationis retractatu gratiosè admisit ad Synodalem consessum & suffragium. Quæ fuit gratia admodùm singularis.

Præfatus Encomiastes pergit: [Solus tantos sustinuit, minantes nequaquam expauit, inquirentes edocuit, altercantes vicit, potentibus non cessit, in discrimine vitæ positus, communioni suæ, quem damnauerat, coniungi nullatenus acquieuit.] Hæc omnia egit, qui dixerat se venisse ad simpliciter protestandum. Verùm longè alia scribit in præfatis literis magnus Leo: [Quæ apud nos in causa Chelidonij Episcopi Gesta confecta sint, & quę Hilarius dixerit, dum

cum

cum eodem præsente Episcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat. Vbi postquam Hilarius rationabile, quod in sanctorum concilio Sacerdotum posset respondere, non habuit, ad ea se occulta cordis ipsius transtulerunt, quæ nullus Laicorum dicere, nullus Sacerdotum posset audire. Doluimus, Fratres, & hunc eius mentis tumorum medelis patientiæ nostræ curare tentauimus. Nolebamus etenim ea illi exacerbare vulnera, quæ suæ animæ insolentibus subindè sermonibus infligebat: Et quem susceperamus vt fratrem, delinire magis ipsum, quamuis ipse se suis responsionibus innodaret, quàm contristare nostris interlocutionibus nitebamur. Absolutus est Chelidonius Episcopus, quoniam se iniustè Sacerdotio fuisse deiectum, manifesta testium responsione, ipso etiam præsente monstrauerat, ita vt quod Hilarius nobiscum residens posset opponere non haberet.] Paternum contra viduarum maritos Canonem demonstrat plenissimè obseruari à Romana Ecclesia, addit Chelidonium ab isto vitio probatum immunem, atque concludit: [Mansisset namque in illum prolata sententia, si obiectorum veritas exstitisset. Redditus itaque est Ecclesiæ suæ, & huic, quam amittere non debuit, dignitati Co. Episcopus noster Chelidonius, sicut Gestorum series, & post decursam cognitionem sententia, quæ à nobis prolata est, testatur.]

• Aliud ille Encomiastes, longè aliud scribit magnus Leo. Ille Hilarium in Romana Synodo vicisse, ac triumphasse, hic affirmat fuisse conuictum, atque confusum, vtpotè qui pro suo in Chelidonium iudicio nihil rationabile potuerit adducere. Hinc in iram abreptus prorupit in mentis tumorem, in suorum arcanorum propalationem, in insolentes sermones, quos Laicorum nemo dicere, nemo Sacerdotum posset audire. Et adiunxit contumaciam, de qua Scriptor iste: [In discrimine vitę positus,] vtique apud Vrbem Romanam, communioni eius, videlicet Chelidonij, quem cum tantis viris, inter quos S.Germanus, Antisiodori Episcopus, damnauerat, coniungi nullateuùs acquieuit. [Papale pro Chelidonio iudicium probare, & admittere contumaciter noluit: Noluit Chelidonio, vt Episcopo communicare. Hinc custodibus appositis, hyemis rigore sæuiente, quos ratione non flexerat, credidit relinquendos.] Pontifice insalutato aufugit. Verba, [Custodibus appositis,] innuunt dudum Hilarium fuisse Papali iussione, ne fugeret, arctè custoditum.

Notanda sunt hæc Laudatoris verba: [Tantorum virorum, præsertim iam ad supernam gratiam vocatorum, nec in narratione audeo iudicia ventilare. Paschasius Quesnellus non probat hanc modestiam: Reuelata fronte asseuerat S. Leonem grauiter, & multipliciter excessisse.] Hinc demonstrare cogor excessisse Hilarium. Antè Sardicensem Synodum aliqui hinc indè Metropolitæ degradatis à se Episcopis mox consecrabant successorem, & Romanæ appellationi solùm dabant deuolutiuum effectum, non suspensiuum. Aduersabatur Apostolico Canoni. Hinc quartus laudatæ Synodi Canon de appellante Romam Episcopo edixit: [Non priùs in Cathedram alius substituatur, quàm Romanus Episcopus causa cognita sententiam tulerit.] Edixit per appellationem suspendi Metropolitæ, aut etiam Patriarchæ iudicium, appellantem permanere Episcopum, spoliari non posse, spoliatum plenè restituendum, ne nudus ac inermis teneatur cum armato Metropolita, ac eius Synodo præliari. Hinc pro Maximo Cynico, qui à Constantinopolitana Synodo degradatus Romam appellauerat, & in cuius appellantis locum illa consecrauerat Nectarium, ad Imperatorem Theodosium scripserunt S. Ambrosius, & cæteri Italiæ Episcopi: Priùsquàm attentaretur ista Consecratio, [constare oportuit, vtrùm huic abrogandum, quàm alij conferendum Sacerdotium videretur. Itaque cum Maximum Episcopum receperunt in communionem nostra consortia, quoniam eum à Catholicis constitit Episcopis ordinatum, nec ab Episcopatus Constantinopolitani petitione putauimus remouendum.] Exstat epistola apud Iacobum Sirmondum post Appendicem Theodosiani Codicis. Affirmat appellantem à sibi per tantam Synodum inflicta degradatione Maximum fuisse à S. Damaso Pontifice ac eius Synodo agnitum pro Episcopo, atque ita admissum ad iudicium retractatorium. Plurima sunt huiusmodi exempla. Eamdem regulam in degradato, ac appellante Chelidonio secutus fuit magnus Leo Pontifex: Hinc vana fuit Hilarij querimonia. Et hic fuit primus illius excessus.

Secundus fuit, quod Papale de Chelidonio iudicium proteruus spreuerit, illum noluerit agnoscere, vt Episcopum, nec ipsi vt tali communicare. Tertiùs est, quod Roma aufugerit insalutato Pontifice. Vtique post absolutum, ac reparatum Chelidonium. Ex nimia impatientia. Paschasius Quesnellus scribit egressum ante pronunciatam sententiam. Verùm plura S.Leonis verba palàm innuunt oppositum. Quartum eius excessum edicit S.Leo in literis ad Episcopos Viennensis Prouinciæ: [Non nobis Ordinationes vestrarum Prouinciarum defendimus, quod potest forsitan ad deprauãdos Sanctitatis vestræ animos Hilarius pro suo more mentiri.] Quintus excessus est, quod non dumtaxat in Galliam redux, sed & in alma vrbe, ac in ipsa Papali Synodo effutiuerit insolentes ex iracundia sermones, quos [nullus Laicorum dicere, nullus Sacerdotum posset audire.]

Qui ab Hilario Romanas Appellationes censent tentatas excuti, sunt in ipsum grauiter iniurij. Omnis lis fuit, non de substantia, sed de forma Sardicensi. In Chelidonij reparatione damnauit duo. Primò reparationis modum. Reuestitionem ante omne iudicium. Clamauit illum non ex Canone, ideoq; non ex S. Petri priuilegio reparatum, sed violenter per potentiam, ideoque ipsi noluit, vti Episcopo communicare. At inania clamasse euincunt hæc verba Pontificis: [Absolutus est Chelidonius Episcopus, quoniam se iniustè Sacerdotio fuisse deiectum manifesta testium responsione, ipso etiam præsente monstrauerat, ita vt quod Hilarius nobiscum residens posset opponere, non haberet. Remotum est iudicium, quod ab Hilario

lario prolatum in hac sententiam legebatur.] Chelidonius, licèt ob inuocatum Sancti Petri auxilium statim re indutus, tamen non nisi post plenum examen fuit purgatus, ac in Episcopali gradu stabilitus.

Alter Hilarij clamor fuit longè audacior. Audiamus rem ab ipso Pontifice. Diuinum, qui etiam in Successores traducitur, S. Petri Apostoli primatum exponit eleganti ac sublimi compendio, atque prosequitur; [Verùm hanc Petræ istius Sacratissimam firmitatem, Deo ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus, non sequendo. Cùm nulli se subditum legi, nullis institutionis Dominicæ credat regulis contineri, à vestro, nostroque per vsurpationis ambitum more desciscens præsumendo illicita, & quæ custodire debuit negligendo. Verùm hæc nos, seruata circa vos nostræ charitatis gratia, quàm Sanctitati vestræ Apostolica semper Sedes impendit, nitimur consilio maturiore corrigere, & vestrarum Ecclesiarum statum, communicato vobiscum labore, componere, non noua instituentes, sed vetera renouantes, vt in status consuetudine, quæ nobis à nostris Patribus est tradita, perduremus, & Deo nostro per boni operis ministerium, remotis perturbationum scandalis, placeamus. Nobiscum itaque vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reuerentia, à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & per diuersarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia, adeò vt, seruata vnitate spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc indè literis, quod sanctè agebatur perpetuæ proficeret charitati: Quoniam sollicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem Diuinitus datam nec Ecclesijs, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem, semper inter maiores nostros, & benè tentum, & salubriter custoditum, Hilarius Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturus excessit, ita suæ vos cupiēs subdere potestati, vt se B. Apostolo Petro non patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omnium per Galliam Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suam transferens dignitatem, ipsius quoque Beatissimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui cùm præ cæteris soluendi, & ligandi tradita sit potestas, pascendarū tamen ouium cura specialiùs mādata est: Cui quisquis Principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatē, sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferna demergit.]

Hinc discimus plura. Primò, quod mota inter magnum Leonem, & S. Hilarium quæstio fuerit de Gallicanæ Ecclesiæ, Episcoporum præsertim, ad Apostolicam Sedem, ac eius Pontificem appellationibus. Secundò, quod hæ appellationes sint antiqua Gallicanæ Ecclesiæ consuetudo: Non nouum Institutum, sed vetusta traditio. Tertiò, quod exstent diuersa illius antiqua exempla. Quartò, quod Apostolica Sedes Gallicanæ Ecclesiæ iudicia, ad se per appellationem deuoluta, quandoque confirmauerit, quandoque cassarit, & reformarit, ideòque super ipsa habuerit, ac exercuerit plenissimam authoritatem. Quintò, quod propter has appellationes nulla vnquam fuerit contentio inter Ecclesias, sed constans spiritus in pacis vinculo vnitas, perpetua, ac inconcussa charitas. Sextò, quod hic sit vetustus trames, inter maiores nostros bene tentus, ac salubriter custoditus. Septimò, quod hæc sit Dominica, seù Euangelica regula. Octauò, quod Romana Ecclesia non sua, sed quæ Christi sunt quærat, adeòque alijs Ecclesijs, aut Episcopis datas Diuinitùs dignitates numquam tentarit inuadere: Quod istæ appellationes sint Diuina dignitas Romanæ Ecclesiæ. Nonò, quod quisquis hanc eius dignitatem tentat infringere, non sequatur traditionem veterem, sed seruiat suis nouellis cupiditatibus: Quod sequatur nouæ vsurpationis ambitum, quod desciscat à veteribus Ecclesiæ moribus, quod præsumat illicita, quod velit esse exlex, etiam extra regulas Dominicæ institutionis. Decimò, quod hæc omnia facinora patret Metropolita Hilarius. Quod Ecclesiarum statutum, & Episcoporum concordiam turbet nouis præsumptionibus. Quod totius Narbonensis Galliæ Episcopos cupiat ita suæ subdere potestati, vt se B. Petro non patiatur esse subiectum. Quod nempè ipsos à se synodaliter damnatos clamaret non posse accedere Romam; sua iudicia non posse istic retractari per Pontificem, longè minùs reformari. [Quin & ipsius quoque Beatissimi Petri reuerentiam minuebat verbis arrogantioribus, cui cùm præ cæteris soluendi, & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ouium cura specialiùs mandata est. Vt Romanas appellationes truncaret, quibusdam videtur ipsum quoque S. Petri primatum arietasse. Hæc verba,] Cui cum præ cæteris, &c. Videntur mendosa. Videtur legendum: Cui licèt cum cæteris, &c. Magni, & multi sunt hi excessus Sancti Hilarij.

Ad laudata Pontificis verba scribit in quinta disertatione Paschasius Quesnellus: [Controuersiæ cardo in eo positus est, vtrùm recepti tunc in Gallia Canones, & Gallicanæ Ecclesiæ mores, ac consuetudo, id ab Hilario exigerent, vt sententiam ritè & Canonicè in Gallicana synodo prolatam ab Episcopo Romano ad examen reuocari, & vi appellationis, aut confirmari, aut retractari sineret. Quid posterioribus sæculis actum fuerit, vel fieri debuerit, quid nouo, vt aiunt, iure, nostra vel maiorum ætate, quid etiam per illa tempora in alijs Prouincijs fuerit vsu inductum, non est animus inquirere: Quippe quod ad Hilarij causam non facit. Satis enim, superque sanctissima eius memoria ab omni improbæ cupiditatis nota, vel violati Pontificij iuris suspicione vindicabitur, si nihil ab ipso presumptum esse ostenderimus, quod Gallicanæ Ecclesiæ consuetudini consonum non esset, nec vllam vnquam appellationem à Gallicanis partibus ad Romani Episcopi tribunal esse delatam, ab ipsis fidei incunabulis vsq; ad Hilarij Arelatensis tempora.

pora. Totum igitur opus, totus labor noster in examine erit Facti, non in discussione Iuris, quæ ab Instituto nostro aliena est.]

Quin immò, optime Quesnelle, te misces quæstioni iuris: Affirmas à Gallicana olim Ecclesia ad Apostolicam Sedem non potuisse prouocari. Etenim prosequeris: [Porrò iam à primordijs seminati intrà Regiones nostras Euangelij hoc Antistitum Gallicanorum mentibus insedit, quod Africanis semper fuit persuasum totis his quadringentis quinquaginta, & amplius annis, nempè Episcopatum vnum esse, atque indiuisum, cuius à singulis in solidum pars tenetur, ac proinde si quem ex portione gregis Christi adscripta, quam regit Pastor vnusquisque, ac gubernat, in aliquod crimen prolabi contingeret, apud eumdem agere causam suam compelli debere, seruato appellanti ad Prouincialem, vel etiam maiorem synodum iure. Si quis secùs fecisset, & ad extraneos iudices vellet per appellationis libellum confugere, is Episcoporum concordiam cohærentem collidere, vnitatemque scindere meritò putabatur. Authoritas autem, quæ Episcopis quibusque in suos Presbyteros, cæterosque gregis sui alumnos competebat, hæc eadem Metropolitanis vnà cum Prouinciæ Concilio in Comprouinciales Episcopos deferebatur iure quodam naturali, & consuetudine ab omnibus recepta, quam sacrosancta postmodum Conciliorum firmauit authoritas.] Palam dogmatizat, & in Gallicana, & in Africana olim Ecclesia, nec Presbyteros, aut alios Clericos, immò nec ipsos Episcopos potuisse à suæ synodi iudicio Romam accedere, aut appellare. Omnium Prouincialium, aut sanè Diœcesanarum Synodorum iudicia fuisse olim inconcussa atque inappellabilia. Eusebiana Arianorum factio in suo olim Philippo-Politano Conuenticulo sanxit Patriarcharum Synodorum iudicia esse istiusmodi; de Prouincialibus nemo vnquam Orthodoxus, nisi nostris nuperrimè diebus, istud somniauit: Somniarunt id in Opere de Sacerdotij, ac Imperij concordia Petrus de Marca, & in Præfatione ad Gratiani Monachi Decretum Stephanus Baluzius. Has resorbet Paschasius Quesnellus. Inconcussam Prouincialium synodorum authoritatem censet esse *ius quoddam naturale*.

CAPVT II.

An Gallicani Episcopi à suis Synodis damnati olim appellauerint ad Sedem Apostolicam?

IAm audiuimus magnum Leonem in momentosissima ad Viennensis Prouinciæ Antistites epistola id constantissimè affirmantem: Asseuerantem innumera Relationum, diuersa esse Appellationum exempla. Verùm Paschasius Quæsnellus hæc omnia euadit insigni compendio: [quod vt ritè ac secundùm iuris ipsius leges inquiratur, non ex Leonis Epistola, alijsque Scriptis discutiendum est, nemo enim in propria causa testis est idoneus; sed ex publicis, quæ supersunt, Ecclesiæ monimentis, quæ quid in occurrentibus Episcoporum causis gestum sit, sincerè exhibent]. Et infra scribit: [Qui attentè, nec occupato animo ea omnia perspexerit, quæ hactenus disseruimus, haud dubito, quin conceptam aduersùs Hilarium peruicaciæ, cupiditatis, ambitionisque opinionem facilè ex animo deponat, hocque potiùs sibi persuadebit, Maiorum suorum vestigia pressisse Hilarium, cùm sententiam in Synodo latam à Sanctissimis Episcopis tanta constantia & fortitudine tutatus est: Sed mirabitur è contra, quod S. Leo consuetudinem disciplinamque tam continua serie custoditam sit prætergressus, Sedis suæ amplitudini, quæ Sanctorum etiam virorum infirmitas est, plùs æquo studens.] Pergit in tertia istius Dissertationis parte: [Nihil contrà Canones actum est ab Hilario, immò verò nihil nisi pro custodia Canonum, vel contra Chelidonium decretum in Synodo, vel Romæ coram Pontifice prolatum est ab Hilario. Quamobrem quod Leoni sententiam æquitate plenam rescindere volenti strenuè obstiterit, non proteruiæ in eo indicium, sed inuicti animi, disciplinæque tenacissimi argumentum fuit.] Affirmat Hilarium per omnia benè, S. Leonem per omnia malè egisse: Excessisse suæ potestatis limites, esse prævaricatum Canones, Gallicanas appellationes esse per ipsum intrusas, ideòque in suis momentosissimis literis imposuisse varia, immò esse mentitum: Ad protendendam suæ Sedis amplitudinem. Eodem pede graditur in Dissertatione de causa & Romana appellatione Hæresiarchæ Eutychetis: [Non Leoni ipsi, Sanctissimo licèt viro, aurem accommodamus, Sedis videlicet suæ splendorem, ac iura prosequenti. Num. 9.

Est lepida euasio. Hausta ex purissimis Fontibus: Ex Marco Antonio de Dominis, Archi-Apostata Spalatensi, qui Sancti Petri supra alios Apostolos Primatū impugnans, & tentans destruere, S. Leonis sibi ipsi opponens testimonia, respondet & scribit:] Fateor, si præcedentia, & subsequentia huius eloquentissimi Pontificis verba considerentur, cum plurimùm in Petri Primatum inclinare. Ex quo Primatu cum Romani Pontificis Primatus deducatur, quidni Leo Romanus Episcopus in propriæ dignitatis & Sedis authoritatem inclinet, vbi liberum videatur esse opinari? Propterea omnium Romanorum Pontificum in hoc genere Dicta meritò suspecta possint haberi. [Demonstrare nititur nemini credendum in causa propria, & concludit:] Lib 1 cap. 3. Verùm hoc non tam Leonis, aut aliorum veterum Pontificum elationi, aut ambitioni, vt nunc, quàm bono cuidam, pioque ipsorum Zelo tribuendum, dum Cathedram suam exaltarent, quo nimirùm syncera tùnc fide, addita Sedis authoritate, tot vndique pullulantes hæreses possent faciliùs comprimere. [Calua excusatio,

Marcus Antonius hæc didicit à Ioanne Caluino. Hic in quarto Institutionum libro affirmat prætensum Romanæ Ecclesiæ Primatum consistere in quatuor capitibus:] Ordinatione Episcoporum, Conciliorum Indictione, audiendis appellationibus, aut iurisdictione, Monitionibus castigatorijs, aut Censuris. Cap 7. [Demonstrare nititur quartum, ac duo priora

ra numquam competiisse Romanos Episcopatui, atque prosequitur:] Superest quarta species Potestatis, quæ appellationibus constat. Summum imperium pęnès eum esse, constat, ad cuius tribunal prouocatur. Multi sæpè Romanorum Pontificem appellarunt: Ipse quoque causarum cognitionum ad se trahere conatus est, sed semper fuit derisus, quoties suos fines excessit. Nihil dicam de Oriente, aut Græcia, sed constat Galliæ Episcopos fortiter restitisse, cum sibi imperium in eos sumere videretur. [In Africa diù fuit ea de re dissertatum.]

Etiam ipse Galliam Africæ æquiparat, & affirmat neutra in Diœcesi Romanas olim appellationes fuisse admissas. An S. Hilarij cum Magno Leone, an verò Hincmari Remensis cum Nicolao primo, & Adriano secundo, an potiùs ambas quæstiones respiciat, non possim affirmare. Quidquid sit, blaterat Pontificem semper fuisse derisum; ideoque nec creditum ipsi, nec esse credendum. Caluinus hęc didicit ab Eusebiana Arianorum factione, quæ in præfato PhilippoPolitano Conuentu S. Iulium Pontificem arguit, quod suæ Papalis authoritatis limites excessisset, & tentasset transfigere. Ex quo spiritu etiam Imperator Constantinus istud ipsum improperauit S. Liberio. Et erat quæstio de appellationibus.

Num. 16. Sequentia Paschasij Quesnelli verba sunt nonnihil molliora: Talis fuit Ecclesiæ Gallicanæ status vsque ad S. Leonis tempora, qui proindè cum dixit per diuersarum appellationem causarum, sicut vetus consuetudo poscebat, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia, vel memoria lapsus est, vel à Chelidonio palpante, & imponente delusus, vel denique alia pęnès se rerum in Gallijs gestarum monimenta habuit, quæ ad nos vsque non peruenerunt. [Hoc tertium est omninò verum. S. namque Leo ex authenticis suæ Ecclesiæ Scrinijs scripsit, ideòque à nemine est arguendus falsi, longè minùs imposturæ, aut mendacij. Scripsit ex sui Prædecessoris Innocentij ad S. Victricium Rothomagensem Metropolitam litteris: Si quæ causæ, vel contentiones inter Clericos, tam superioris ordinis quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, vt secundùm Nicænam Synodum congregatis eiusdem Prouinciæ Sacerdotibus iurgium terminetur. Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Ecclesiam nutu Diuino gubernant, ad alias conuolare Prouincias. Quod si quis fortè præsumpserit, ab officio Clericatus submotus, velut iniuriarum reus iudicetur.

Agit de interiectis post terminatum à Prouinciæ Synodo iurgium appellationibus. De appellationibus etiam infimi Cleri. Affirmat ipsas fieri non posse ad vicinam, quamuis in Gallia, vel alibi Prouinciam, sed dumtaxat ad Sedem Romanam. Huic enim in omnibus causis debet custodiri reuerentia: Vtique non solùm Relationis reuerentia, sed & Appellationis. Et quod ita sanxiuerint non soli Sardicenses, sed etiam Nicæni Canones, suo loco demonstrabitur. Proindè non soli Episcopi, sed & infimus Galliæ Clerus semper Romam prouocauit.

Paschasius Quesnellus reponit hæc verba, [Cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri,] non reperiri apud Abbatem Dionysium Exiguum, ideòque esse spurium additamentum: Et margine irrepsisse in textum. Respondeo ista verba reperiri in pluribus exemplaribus Dionysio antiquioribus, ideòque locum esse his ipsius Paschasij Quesnelli de quodam Africano, etiam non reperto apud Dionysium, Canone verbis: Responderi potest Dionysium incidisse in truncatos mendososque Codices, nec Africanam collectionem habuisse ex Romano Codice, in quem Africanorum ad Bonifacium Epistola numquam relata esset. Et certè clausulam istam esse legitimam agnoscunt, non solummodò Iacobus Sirmondus, ac Philippus Labbæus, sed etiam Petrus de Marca, ac Hincmarus Remensis. Ex quo lucet ipsam apud Gallicanæ Ecclesię Bibliothecas esse antiquissimam, ac vniuersalissimam. Addo tamen forsitan esse spuriam & adiectitiam. Etenim deest etiam in antiquo Codice Romanæ Ecclesiæ. Quidquid sit, ipsius intermissio nobis non nocet. Eius quippe substantia plenè continetur in verbis prioribus: [Sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ.

Hæc omnia affirmant in Nouella ad Ætium Patricium, ac vtriusque militiæ Magistrum lege, Imperatores Theodosius II. ac Valentinianus III. [His talibus, & contra Imperij Maiestatem, & contra reuerentiam Apostolicæ Sedis admissis, per ordinem Religiosi viri Vrbis Papæ cognitione discussis, certa in Hilarium ex his, quos malè ordinauerat, lata sententia est.]. Agit de Apostolica in Hilarium, ac perperam ab ipso consecratos Episcopos lata sententia. Et prosequitur: [Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis authoritati in Ecclesias non liceat] ? Vtique sententia, quæ damnatos per Hilarium Episcopos repararat, & per ipsum consecratos degradarat. Et post quædam denuò pergit: [Ne leuis saltem in Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui Religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tàm Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ authoritate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis authoritas, ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis vocatus venire neglexerit, per Moderatorem eiusdem Prouinciæ adesse cogatur, per omnia seruatis, quæ Diui Parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt], Principes palàm agunt de Romanis appellationibus. Palàm asserunt ipsas esse antiquam consuetudinem: Non donatam, sed Romanæ Ecclesiæ delatam à suis etiam Majoribus. Vtique secundùm Nicænos, ac Apostolicos Canones. Hoc enim Imperator Valentinianus profitetur in varijs quoque literis, scriptis aduersùm Acta Ephesini Latrocinij.

Harum Appellationum, ac Euocationum antiquitas laudatur etiam à S. Auito, Viennensi Archi-Episcopo, in literis ad Romanæ Vrbis Senatores, Faustinum, & Symmachum:

chum: [Fuerat talis status rerum desiderandus, vt ipsi per nos Vrbem Orbi Venerabilem pro dependendis Diuinis, humanisque officijs expeteremus]. Hoc est, antiquus Galliæ sub Romano Imperio status, antè ipsam laceratam à Barbaris. Et inter ista Diuina, ac humana Episcoporum apud almam Vrbem officia omninò erant, & appellationes. Lucet hoc ex alijs eiusdem S. Episcopi literis ad illustrem virum Ansemundum. Nescio quis petulcus juuenis Sacram Virginem maculauerat, & pro ipso ad solemnem pœnitentiam damnato Ansemundus intercedebat, hinc ad ipsum Auitus: [Licèt diuersas in me flammas euomat, & ad Romanæ forsan Ecclesiæ audientiam vocet, nec minas adsentatione placabo, nec fatigationes itinerum verebor]. Hinc discimus varia. Primò, quod isto etiam, dùm Barbari Reges omnem Romanum sine sua venia accessum vetabant, tempore, non soli Gallicani Episcopi, aut Clerici, sed etiam Laici consueuerint Romam appellare. Secundò, quod appellarint etiam à publicis pœnitentijs. Tertiò, quod appellatio impositorem pœnitentiæ Episcopum euocaret, & cogeret ad Romanum accessum. Quartò, quod Barbari Reges istas appellationes, ac euocationes nec sisterent, nec impedirent. Nec ista fuit noua apud Gallias disciplina. Quod antiqua fuerit, laudata per præfatam S. Leonis Epistolam, rectè aduertit, ac disertè affirmat in suis ad Sancti Auiti Epistolas Notis Iacobus Sirmondus.

Epist. 49.

Eamdem sententiam constanter tenuerunt Imperator Ludouicus Pius, & cūcti tùnc per Galliam, ac Germaniam Episcopi. Etenim ille sanxit in quarto Additamento suorum Capitularium: [Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè appellent Apostolicam Sedem, atque ad eam, quasi ad matrem confugiant, vt ab ea, sicut semper fuit, profulciantur, defendantur, & liberentur, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumq; Successorum, atque Canonum authoritas reseruauit. Quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit. Canonibus quippè iubentibus in talibus absque Romano nil decerni Pontifice, nec ad Synodum Episcopum conuocari debere: Et quidquid ex his eo inconsulto præsumptum fuerit, viribus carere]. Romanas Appellationes affirmat esse antiquam SS. Apostolorum, Successorum Episcoporum, & Sacrorum Canonum authoritatem. Et firmat ex Synodo Sardicensi; ex S. Leonis ad Cæsariensis Mauritaniæ Episcopos literis, ac ex laudata lege Theodosij, ac Valentiniani. Hanc omninò respiciunt hæc verba: [Culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit]. Quæ omnia in suis Capitularibus firmauit, & Carolus magnus. Quinimmò hæ appellationes sunt Euangelicum ius, S. Petro, ac eius Successoribus datum per Domini verba: *Confirma fratres tuos*. Ita tradunt antiquissimi, atq; grauissimi Patres.

Cap. 15.

Eadem omnia firmat S. Hilarij pœnitentia, ac palinodia, de quo in Gallias regresso scribit eius Encomiastes: [In ciuitatem regressus, licèt corporali infirmitate fractus, tamen perfectione sanctus, & pietate promptissimus, totum se ad placandum tunc animum S. Leonis inclinata humilitate conuertit. Misit primitùs Rauennium, tùm Presbyterum, postmodò proprium Successorem; deindè Sanctum Nectarium, Sanctumque Constantium, præcipuos Sacerdotes.] Fecit hæc omnia non spontaneo motu, sed compulsus noua euocatione Pontificis, & Diuali iussione Valentiniani Imperatoris. Hæc ipsi extorserunt humilitatem, & voluntatem placandi Pontificis: A personali accessu se excusauit ob infirmitatem, atque ita misit suorum Presbyterorum Primatem Rauennium. Verùm hæc Legatio non satisfecit Apostolicæ Sedi: Hinc successit alia per duos digniores prouinciæ Episcopos, Nectarium Diniensem, & Constantium Vcetiensem. Pergit Encomiastes: [Quanta in hac causa dictauerit, huic operi nulla possum ratione connectere]. Suorum Actorum plures scripsit Apologias, haud dubiè, partim expurgatorias, partim pœnitentiales. Hoc palàm asserunt verba. [Inclinata humilitate.] Sua contra Chelidonium iudicia, & Acta studuit, licèt non firmare, tamen purgare. Huc respicit Encomiastes. [Tantorum virorum, nec in narratione audeo ventilare iudicia.

Cap. 17.

Etenim Hilarius, licèt errauerit, possit fuisse non præuaricatus; Quod tamen de suis in Apostolicæ Sedis authoritatem Attentatis omninò egerit pœnitentiam, & pœnitentiales scripserit Apologias, non est dubitandum. Alias numquam admisisset Romana Ecclesia: Item sinè illis Hilarium numquam inscripsisset suis Sanctorum tabulis. Hasce purgatrices, ac pœnitentiales literas haud dubiò detulerunt Legati Episcopi. Et nihilominùs Leonem Pontificem adeò timuerunt, vt primò accesserint, ac implorauerint Auxiliarem Præfectum, & ad illum non præsumpserint accedere, nisi priùs ab hoc dispositum, atque placatum. Encomiastes adducit fragmentum ex Auxiliaris Præfecti ad S. Hilarium Rescripto: [Sanctos Nectarium, & Constantium Sacerdotes, de Beatitudinis tuæ parte venientes, digna admiratione suscepi. Cùm his sæpiùs sum locutus de virtute animi, atq; constantia, contemptuq; rerum humanarum, quo inter fragilitates nostras semper beatus es. Nam quid potest in hac corporea vita esse securum, quæ cum sit misera, tamen non potest esse perpetua? Locutus sum etiam cum S. Papa Leone. Hoc loco, credo, aliquantum animo perhorrescis, sed cum propositi tui tenax sis, & semper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris, sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego minimum quidem factum Beatitudinis tuæ arrogantiæ memini contagione fuscari. Sed impatienter ferunt homines, si sic loquamur, quomodò nobis conscij sumus. Aures præterea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur: In quam si Sanctitas sua se dimittat, plurimum, nihil perditurus, acquiris. Da mihi hoc, & exiguas nubes paruæ mutationis serenitate compesce.] Paschasius Quesnellus affirmat omnia Hilarij apud Vrbem Acta ab Auxiliari, teste oculato, laudari, & probari, & adiungit:

[Hilarius sui Propositi tenax, semper æqualis, iura suæ Ecclesiæ, & vsque ad extremum spiritum obtinuit, & qua pollebat eloquentia, strenuè defendit].

Respondeo Auxiliaris verba esse afflicti, senis, infirmi, ac magni Episcopi consolatoria, ideòque non per fallacem adulationem, scripta tamen per dispensatoriam commiserationem: Et omnia videntur agere de sola reparatione Chelidonij. Absit, vt tantus Romani Imperij Minister contra suorum Principum Auitam fidem, & perpetuam in nouissima etiam contra Hilarium lege professionem laudarit, aut probarit impugnari, ac euerti Romanas appellationes. Fuisset crimen læsæ, etiam humanæ, Maiestatis. Absit, vt vel cogitauerit Magno Leoni talia proponere. Singula eius verba sunt introspicienda.

Primò, scribit se cum Nectario, & Constantio Episcopis disseruisse de virtute animi, de constantia, de rerum terrenarum contemptu, quo Hilarius erat beatus. Scribit ipsum solo isto contemptu, non etiam animi virtute, & constantia fuisse beatum. Nempè disputauit, an Hilarij Acta essent vera constantiæ virtus, & cum tam eximio rerum mundanarum contemptu rectè cohærent? Quis non videat notari Hilarium? Auxiliaris egit cum eius Legatis, vti magnus Gregorius egit cum Ioanne Ieiunatore, Constantinopolitano Episcopo, Monastico humilitatis tenacissimo, rogans, an hæc cum eius circa [Vniuersalis Episcopi] titulum Gestis conueniret? Etiam reliqua Præfecti ad Hilarium verba, licèt nobilis humanitatis vario melle condiantur, omninò arguunt, & admonent. Tantus, & variè afflictus, Episcopus non erat sale perfricandus.

CAPVT III.

Quæstiones aliquot circa Lapsum S. Hilarij.

QVæstio prima est, Quis fuerit Sancti Hilarij scopus, quis circa Romanas appellationes error, quæ audacia? Quidam censent impegisse in Romanæ Ecclesiæ Primatum, & ex hac radice Romanis Appellationibus, quæ istius Primatus sunt palmaris character, pertinaciter iuisse obuiam. Adhæsisse Philippo-Politano sensui Eusebianæ factionis. Et huic opinioni fauere videntur magni Leonis ad Viennensis Prouinciæ Episcopos aduersùs Hilarium verba: [Cui]. B. Petro Apostolo, ac eius Romanæ Cathedræ: [quisquis Principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest diminuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit]. Respondeo Sanctum Hilarium ab ista nò dumtaxàt schismatica, sed, & hæretica impietate fuisse per omnia longè alienissimum. In eius Actis, & Scriptis nullum est illius vestigium. Quod Papalem Primatum vsque tunc Occidentalium nullus, nisi forsitan Vrsatius, & Valens, errando, aut rebellando tetigerit, est cunctis exploratissimum. Et Hilarij scopo non solummodò non proderat ista impietas, sed etiam capitaliter aduersabatur. Etenim Philippo-Politana factio non quasuis, sed solas Patriarchales, ac alias Autocephalas synodos voluit esse supremas, inconcussas, inappellabiles: Quod cunctæ Prouinciales ad Patriarchæ, aut Autocephali Primatis Cathedram possent appellari, numquam dubitauit. Istam Patriarchalem, ac Primatialem dignitatem defendit constantissimè. Eamdem constantissimè defendit omnis Factio Photij, ac Michaelis Cerularij. Quare hodierna Petri de Marca, Stephani Baluzij, Paschasij Quesnelli, ac Symmystarum doctrina est profana vocum nouitas, longè remotiùs transiliens limites veritatis. Cuncta sancti Hilarij quæstio fuit circa auctoritatem suæ Prouincialis synodi; Quare eius error, & lapsus fuit alterius ordinis.

Quibusdam videtur fuisse idem ipse error, qui postmodò inuasit S. Marinianum, Metropolitam Rauennatis Ecclesiæ. Etenim nescio cuius Abbatis Claudij appellationem excussit, & deferri noluit ad magnum Gregorium. Errorem reuellit optimus Pontifex, & adiungit: [Vos autem ibi stultorum verba non moueant, nec per nos credatis aliquod dispendium Ecclesiæ vestræ fieri]. Nempè per Imperialis Exarchi Sedem exaltata erat tunc Rauenna, atque ita quidam spargebant prima Autocephaliæ semina: Circumscripserunt S. Marinianum, & cum tanto Pontifice commiserunt. Eadem vanitas possit ob nupèr in Arelatensi ciuitate positam Gallicani Prætorij, ac Præfecti Sedem illusisse S. Hilario. Possit censuisse nò minùs suas Episcopales, quàm ipsius Præfecti sententias esse inappellabiles. Ex ista suæ ciuitatis dignitate Sedi suæ accessisse Autocephaliam. Lib. 5. Epist. 24.

Hilarius omninò videtur ab ista vanitate fuisse circumscriptus. Eius namque Encomiastes scribit: [Hilarius Beato Leoni Papæ illicò se præsentat, cum humilitate deposcens, vt Ecclesiarum statum more solito ordinaret, adstruens aliquos apud Gallias publicam meritò excepisse sententiam, & in Vrbe Sacris Altaribus interesse]. Affirmat Hilario aduersùs Pontificem fuisse duplicem querimoniam. Primò, quod Gallicanis Ecclesijs nouas leges imponeret, nouam formam Hierarchiæ. Quod solidam Narbonensis Galliæ Prouinciam diuideret in plures, atque ita Arelatensi Cathedræ non modicam irrogaret iniuriam. Secundò, quod à sua synodo degradatos, ac Romam prouocantes Episcopos permitteret Vrbem accedere, quod prouocationi suspensiuum effectum adscriberet, quod Romanum prouocantis accessum probaret, & in suo Apostolico tribunali causam retractaret. Quod ipsam ad priores Iudices non remitteret. Hinc pergit Encomiastes: [Hilarius rogat, atque constringit, vt Leo secretò iubeat emendari. Se ad officia, non ad causam venisse: Protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere.] Se venisse ad explendum tuendæ suæ Dignitatis, & Cathedræ officium, non ad causam retractandam. Se nolle demutari in accusatorem, sed merè protestari. Hinc Pontificem non solummodò rogauit, sed insuper constringere præsumpsit ad secretam saltem palinodiam. Cap. 17.

Vtram-

Vtramque querimoniam insigniter elucidat in sua Nouella aduersùs Hilarium lege Imperator Valentinianus Tertius: [Verùm ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui Religionis disciplina videatur, hac perenni Sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum, contra consuetudinem veterem liceat sine viri Venerabilis Papę Vrbis æternæ, auctoritate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis Auctoritas. Ita vt quisquis Episcoporum ad Iudicium Romani Antistitis conuentus venire neglexerit, per Moderatorem eiusdem Prouinciæ adesse cogatur, per omnia seruatis, quæ Diui Parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt.] Prior respicit Hierarchiam, ac Ordinationem Narbonensis Prouinciæ; posterior legis pars frænat Hilarij in Romanas Appellationes, aut potiùs in Romanas Appellantium Euocationes impetum. Hilarius namque Romanas appellationes nullatenùs prætendebat auferre, aut circumducere. Quo enim colore, quo fuco? Proindè circa prosequendæ appellationis modum prætendebat sola duo. Ne appellationi suspensiuus tribueretur effectus, & ne retractatorium iudicium Romæ fieret in tribunali Apostolico. Huic enim audaciæ frænum palàm injiciunt hæc Legis verba: [Quisquis Episcoporum ad Iudicium Romani Antistitis conuentus venire neglexerit, &c.]

Verùm quis huic prætensioni color, quis fuit fucus? Etenim Sardicenses, quinimmò & Apostolici Canones vtramque istam formam omninò deferunt Romanis appellationibus. Et ipsos Hilarius ignorare non potuit. Etenim Sanctus Maximinus Treuirensis, Euphratas Coloniensis, Sanctus Seruatius Tongrensis, alijque plures Gallicani Episcopi Sardicensi Concilio adfuerant, aut certè illi subscripserant, atque ita eius Canones deportarant, aut traduxerant in Galliam. Et quidem gloriosus ille Maximinus sancto Pontifici Iulio fuerat auctor, vt in S. Athanasium, aliosque Orientales ad ipsum appellantes Episcopos faceret quæcumq; fecit: Vt plena, per Apostolicos, immò & per Euangelicos Canones donata, suæ Sedis auctoritate in ipsos vteretur. Quare etiam Auctor fuit, vt hanc Diuinam Romanæ Cathedræ auctoritatem Hosius, & Gaudentius per Sardicenses Canones innouarent, ac stabilirent. Hæc sunt eius prætensa crimina, ob quæ ad suos Gregales scripsit Eusebiana, ac Scelerata Philippo-Politani Conuenticuli Factio: [Iulium Vrbis Romæ, Hosium, & Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum à Treuiris damnauit omne Concilium secundùm antiquissimam Legem, vt Auctores communionis Marcelli, & Athanasij, & cæterorum sceleratorum.] Horum omnium Gallicana Ecclesia semper fuit, vti callentissima, ita & obseruantissima. Proindè aliud nequijt Hilarium in istos errores circumscribere, quàm fucus nouæ Autocephaliæ. Ex ipso censuit suæ Sedi accreuisse noua iura, noua Priuilegia. Suis Synodalibus Iudicijs accessisse dignitatem illam, quæ Prætorialium Præfectorum sententias non per appellationem suspendi, ac retractari, sed dumtaxat ob humiles preces permittit deuolui, ac reuideri: Quæ Præfectum non permittit humiliari in reum, aut accusatorem, sed mandat ipsum reuisoriæ cognitioni adesse, immò & præsidere. Et hæc est vera causa, ex qua magnus Leo offensum Hilarium in retractatorio Chelidonij iudicio non iussit stare vt reum, sed gratiosè permisit, vt Iudicem considere, & suffragari. Hoc dispensatorio beneficio sperauit eius animum liberandum ab vlcere.

Ex eadem radice aduersùs pertinacem, & ab Vrbe fugitiuum sanctus Pontifex scripsit ad Antistites Viennensis Prouinciæ. Exponit sancti Petri, ac Apostolicæ Sedis Diuina Priuilegia, ac pergit: [Verùm hanc Petræ istius Sacratissimam firmitatem, Deo ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere fauendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus non sequendo, cum nulli se subditum legi, nullis Dominicæ Institutionis credit regulis contineri, à vestro nostroque per nouæ vsurpationis ambitum more desciscens, præsumendo illicita, & quæ custodire debuit negligendo.] Hilarium arguit, non quod hæretica, vel schismatica sapiendo, sed quod suis cupiditatibus fauendo tentaret Apostolicæ Sedis potestatem infringere: Non quod ab orthodoxa fide, aut vnitate, sed quod ab auitis Romanæ, ac Gallicanæ Ecclesiæ moribus per nouæ vsurpationis ambitum descisceret. Quod veteres Patrum traditiones excuteret, quod nullis subdi legibus, nullis vellet contineri Canonibus, quod illicita præsumeret, quod negligeret obseruanda. Certum est Pontificem in his omnibus respicere, ac laudare Sardicenses Canones, & ab ipsis stabilitos fauores Romanis appellationibus. Eos queritur excuti, & sperni ab Hilario. Idque contra perpetuam pietatem, ac obseruantiam Gallicanæ Ecclesiæ.

Hinc prosequitur: [Verùm hæc nos nitimur consilio maturiore corrigere, & vestrarum Ecclesiarum statum communicato vobiscum labore componere, non noua instituentes, sed vetera renouantes, vt in statu consuetudine, quæ nobis à nostris Patribus est tradita, perduremus, & Deo nostro per boni operis ministerium, remotis perturbationum scandalis, placeamus.] Nequaquam agit de stabiliendæ Narbonensis Prouinciæ diuisione, ac varijs in ipsa manutenendis Metropolitis. Hæc enim omnia nequaquam erant vetustissima, sed omninò nouiora. Agit igitur de instaurando Romanarum appellationum antiquo statu, & forma. Hinc enim subiungit: [Nobiscum itaque Fraternitas vestra recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reuerentia, à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & per diuersarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, Appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse Iudicia, adeò vt seruata vnitate Spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc indè literis, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quoniam sollicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Chri-

sti, dignitatem Diuinitùs datam nec Ecclesijs, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat.] Constanter affirmat in Chelidonij causa se non nouo modo, sed iuxta auitam consuetudinem, ac regulam processisse.

Notanda sunt verba; [A vestræ etiam Prouinciȩ Sacerdotibus.] Affirmant auitam consuetudinem, ac regulam æquis semper passibus ambulasse per omnem Galliam: Etiam per Prouinciam Narbonensem. Istum tramitem à nullo vnquam fuisse derelictum, longè minùs redargutum, nisi nùnc ab vnico Hilario. Quod Pontifex potentissimis verbis exprimit: [Sed hunc tramitem, semper inter Maiores nostros, & bene tentum, & salubriter custoditum, Hilarius, Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus turbarurus, excessit, ita suæ vos cupiens subdere potestati, vt se Beato Apostolo Petro non patiatur esse subiectum.] Reuera enim quisquis Romanam Appellationem, licèt non excutere, tamen studet suis iuribus truncare, omninò ambit in subditos sibi Episcopos dominatum, ac tyrannidem exercere. Et S. Petro, quemadmodum oportet, non esse subiectus.

Notanda sunt, & hæc verba: [Sollicitudo nostra dignitatem Diuinitùs datam, nec Ecclesijs, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat.] Affirmant, quod antiqua prosequendæ appellationis forma nullius Ecclesiæ, nullius Episcopi priuilegium, aut dignitatem circumscripserit: Quod per ipsam Romana Sedes non sua quæsierit, sed quæ Iesu Christi. Quod ipsa sit Diuinum, ab ipso Christo Domino impartitum, Apostolicæ Cathedræ Priuilegium. Hinc item discimus, quod Hilarius etiam clamarit suæ Ecclesiæ dignitatem ab ista forma mutilari. Notanda denique sunt, & hæc verba: [Quemadmodum vetus consuetudo poscebat.] Edicunt istam exequendæ appellationis formam non esse à Sardicensi Synodo, sed à perpetua omnium Ecclesiarum consuetudine: Ab Apostolico, immò ab Euangelico Canone, per istam Synodum declarato dumtaxat, ac innouato. Hinc etiam in sua lege Imperator Valentinianus, postquam dixerat euocatum à Romano Pontifice Episcopum esse à Rectore Prouinciæ compellendum ad obedientiam, statim subiunxit: [Per omnia seruatis, quæ Diui Parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt.] Affirmat hæc Romanæ Sedis priuilegia esse longè antiquissima, à Christianis Imperatoribus semper agnita, honorata, atque defensa. Ex quibus omnibus lucet Paschasium Quesnellum non solummodò in Magnum Leonem, sed etiam in Sanctum Hilarium esse iniquum. Huic enim, qui solum prosequendæ Appellationis modum inuasit, imponit quod destruere tentarit omnem eius substantiam. Quod fieri non possit citra manifestam hæresim.

Secunda quæstio est, an Sanctus Hilarius in his suis præsumptionibus victor aduersùs Pontificem euaserit, ac permanserit? Paschasius Quesnellus affirmat: [Hilarius sui Propositi tenax, semper æqualis, Iura suæ Ecclesiæ, & vsque ad extremum spiritum obtinuit, & qua pollebat eloquentia, strenuè defendit.] Respondeo oppositum disertè asseri ab ipso etiam Hilarij Encomiaste: [Hilarius in ciuitatem regressus, licèt corporali infirmitate fractus, tamen perfectione sanctus, & pietate promptissimus, totum se ad placandum tùnc animum S. Leonis inclinata humilitate conuertit. Misit primitùs S. Rauennium, tùnc Presbyterum, postmodò proprium Successorem: Deindè S. Nectarium, sanctumque Constantium, præcipuos Sacerdotes] . Quod etiam hi potentes, ac validi intercessores, nec quoad Narbonensis Prouinciæ integritatem, nec quoad prosequendæ Appellationis modum, nec item quoad Chelidonij causam obtinuerint vllam victoriam, est per omnia exploratissimum. Etenim, & Narbonensis Gallia fuit secta in plures Prouincias, & Sardicensis appellandi disciplina per omnem Galliam mansit constantissima. Etiam Chelidonius permansit Episcopus. Licèt hoc non valeam ad oculum ostendere, nullum tamen possit adduci dubitandi indicium. Graues Authores ex Authenticis Ecclesiarum monimentis affirmant Chelidonium fuisse Vesontionensem Episcopum, & à Sancto Leone restitutum, esse in sua Sede defunctum. Addunt Importunum, quem Hilarius deiecto Chelidonio mox superordinauerat, fuisse ab eodem Pontifice turpiter ejectum. Nempe in magno Leone feruebat ille animi vigor, ex quo ad Sabinianum, suum Diaconum, ac in Regia ciuitate Apocrisarium, postmodò scripsit magnus Gregorius: [Ante paratior sum mori, quàm Beati Petri Apostoli Ecclesiam in meis diebus degenerare], Et ista Importuni superordinatio etiam persuadet Hilarium recalcitrasse aduersùs solum Chelidonianæ appellationis suspensiuum effectum, aduersùs solam formam Sardicensem.

Cap. 71.

Lib. 7. Epist. 1.

Tertia quæstio est, an sanctus Hilarius ob istos excessus fuerit à Sancto Leone degradatus? Quidam affirmant. Et ipsis suffragari videntur hæc præfatæ Nouellæ verba: [His talibus, & contra Imperii Maiestatem, & contra reuerentiam Apostolicæ Sedis admissis, per ordinem Religiosi viri Vrbis Papæ cognitione discussis, certa in Hilarium ex his, quæ malè ordinauerat, lata sententia est]. Alij legunt: [Quos malè ordinauerat]. Et omnino videtur ita legendum. Verba affirmant, quod Magnus Leo non solas Hilarij Ordinationes, sed etiam Ordinatorum personas synodaliter discusserit, ac non in solum Hilarium, sed etiam in istorum quosdam tulerit sententiam; Vtique degradationis. Respondeo tamen ita non esse. Etenim Nouella statim subdit: [Hilarium adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti Præsulis Leonis permittit humanitas]. Affirmat Hilarium fuisse degradatione dignissimum, gratiosè tamen, ac dispensatoriè non degradatum. Interim fuit insigniter mulctatus: Per diuisionem non solius solidæ Narbonensis, sed etiam ipsius Arelatensis Prouinciæ. Huius non modica portio fuit transcripta in Viennensem Metropolim. Nouella rectè affirmat ipsum deliquisse non solummodò in Apostolicæ Sedis reuerentiam, sed insuper in Maiestatem Imperij: Quia nempè ciuitatibus, quas non sola Apostolica Sede, sed & Imperium in singulares Prouincias erexerat, pertinaciter nolebat cedere. Per armatam violentiam ten-

tentabat perseuerare solidus omnium Metropolita.

Quarta quæstio est, an Hilarius post suam ex alma Vrbe fugam fuerit à Sancto Leone reuocatus ad Iudicium? Respondeo fuisse. Lucet eò laudata lege, nec non ex ipso Hilarij Encomiaste. Hæc enim euocatio est omninò sententia illa, quam in Hilarium à Leone latam Nouella asserit, ac adiungit; [Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine nostra Sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis Authoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque Præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlterius, vel Hilario, nec cuiquam alteri liceat Præceptis Romani Antistitis obuiare.] Hanc sententiam lucidiùs exponit ipse Pontifex in datis statim post Hilarij fugam literis ad cũctos Galliæ, Viennensis præsertim Prouinciæ, Episcopos: [Quali pertinacia Hilarius Iudicium nostrum effugerit, sancta vestra Fraternitas non ignorat. Vnde & iustum esse videmus, vt quia Principis Apostolorum magnam in iudicijs moderationem, quam in potestate per Vicarios suos semper exhibet. Arelatensis Episcopus non exspectauit, à Priuilegio suæ ciuitatis submotus humili loco discat, quod in magno, gratis munere nostrorum Prædecessorum concesso, tenere noluit. Sicque redintegratum Viennensi Archi Episcopo Priuilegium, & ius antiquum, quod Apostolica Benignitas ad Arelatensem ex parte transtulit ciuitatem, vt tali seueritate Hilarius coercitus discat non temerè transgredi terminos antiquos, Canonica prolatione fundatos.] Affirmat varia. Primò, quod Hilarius in retractario Chelidonij iudicio tamquam Coniudex noluerit assidere Pontifici, ideòque Roma aufugerit. Nempè pertinaciter volebat ipsum fieri in suo Tribunali. Secundò Pontifex affirmat, quod istam retractandarum appellationum formam Apostolica sedes semper seruauit: Etiam ante Sardicensem Synodum. Tertiò, quod hoc vetustum Priuilegium Canonica Prolatio fundarit, seu confirmarit; Vtique Sardicensis. Quartò, quod hæc Hilarij præuaricatio non sit modica, ideoque propter ipsam iure meritò sit mutilatus amplo suæ Cathedræ Priuilegio, gratis donato per Romanam Ecclesiam. Nihilominus inauditum Leo damnare noluit, ideòque & Romam reuocauit. Tunc igitur reductus est ad mentem Hilarius, & vti eius Encomiastes scribit, Romam legauit primò Rauennium Presbyterum, deinde duos Primates Episcopos, ad placandum Pontificis animum, & se à Romani tribunalis accessu excusandum. Et tandèm conuersus, ac illuminatus est ad seriam adeò pœnitentiam, vt quidem affirment ipsum spontè ex Episcopali Throno descendisse, ac redijsse ad silentium Lirinensis Monasterij. Quidquid sit, certum est fuisse ex pleno corde contritum. Alioquin ipsum in suas Sanctorum tabulas nunquam admisisset Romana Ecclesia. Et hinc patet illos, qui hodie ad Diuinum Romanæ Sedis circa appellationes Priuilegium circumducendum, aut certè circumscribendum vtuntur illius authoritate, & exemplo, esse similes istis, qui olim ad firmandas suas de Rebaptismo nugas inuocabant authoritatem, & exemplum sancti Cypriani.

Quinta quæstio est, an memoratus sancti Hilarij Encomiastes sit reuera sanctus Honoratus Massiliensis Episcopus? Et quidem, quod Honoratus Hilarij vitam scripserit, videtur non dubitandum. Etenim in eius elogio Gennadius Massiliensis, aut certè quis eius Prosecutor hæc habet: [Honoratus Sanctorum Patrum vitas ad ædificationem Posterorum coaptat legendas, præcipuè nutritoris sui Hilarij Arelatensis Episcopi. Dico.] Vel quis eius prosecutor. Etenim in Gennadij Scholijs ad Sancti Eugenij Carthaginensis Episcopi elogiũ scribit Aubertus Miræus: [In vulgatis Gennadij exemplaribus post Eugenium Pomerius Maurus, & Honoratus Massiliensis subnectuntur, quos tamen duos Honorius Augusto-Dunensis in suo catalogo non habet, ideoque videntur ad Gennadij catalogum non pertinere. At verò Isidorus Hispalensis, ac Sigebertus Gemblacensis Pomerium memorant, Honorati neuter meminit. Manu-scripta Gennadij exemplaria vetustiora inter se variant: In quibusdam solus Honoratus, in alijs prætereà Pomerius, Cæsarius, Sidonius, & Gelasius Papa omittuntur. Ne quid tamen à curioso Lectore desiderari possit, plenam Scriptorum centuriam dabo, vt eam Gennadij titulo Suffridus Petrus Coloniæ Agrippinæ publicauit.] Cuiuscumque verò sit istud caput, quæstio est, an hęc præsens sancti Hilarij vita sit genuinum opus sancti Honorati? Paschasius Quesnellus constanter affirmat: Quo per eius authoritatem firmet omnia Hilarij Acta, & illorum, quæ sanctus Leo ad Viennensis Prouinciæ Episcopos scripsit, fidem exsuffler. Respondeo tamen esse rem penitùs incertam. Rectè enim in primo Gallicanarum Synodorum tomo scribit Iacobus Sirmondus. [Honoratus, seù quis alius vitæ Hilarij author.] Et Aubertus Miræus affirmat se à Ioanne Iacobo Chiffletio, Societatis Iesu Presbytero, habere literas sequentis tenoris: [Gennadij Massiliensis de Scriptoribus Ecclesiasticis habeo exemplar vnum peruetustum, edito non pleniùs, immò contractius à fine. Pomerium enim nonagesimo quinto, eoque vltimo loco recenset, Honoratum Massiliensem præterit. Sanè vitam sancti Hilarij Arelatensis, quam author Chronologiæ Lerinensis huic Honorato inscribit, solo vulgati Gennadij fretus testimonio, Petrus Saccius in Pontificio Arelatensi, ex manu-scripto Codice, vendicat Reuerentio, seu Rauennio Arelatensi Episcopo, Hilarij successori. Et sunt alia, quæ mihi suspectam faciant illam apud Gennadium Honorati Massiliensis mentionem.] Lerinense Chronicon habet hanc Epigraphen: [Sancti Hilarij vita ex membrano perantiquo manu-scripto Monasterij Lerinensis, authore Anonymo.] Proinde vetustus ille codex caret authoris nomine. Etiam Fratres Sammarthani in Gallia Christiana censent illud Honorati elogium non esse à Gennadio, sed adiectum post eius mortem. Quidquid sit, nec Rauennius, nec Honoratus, nec Angelus de cælo possit euacuare fidem Magni Leonis:

CA-

CAPVT IV.

Discutiuntur, quæ circa hanc Romanam Chelidonij Episcopi appellationem nuperrimè scripsit Ioannes Gerbais, Doctor Parisiensis, Socius Sorbonicus, Regius eloquentiæ professor.

SApientissimus hic, ac Eloquentissimus Magister noster in sua de maioribus causis Dissertatione hæc scribit: [Anno quadringentesimo quadragesimo Chelidonius Episcopus in Concilio Arelatensi deiectus est, quia, vt ferebatur, viduam vxorem acceperat, præfueratq; aliquando Iudicijs capitalibus. Quia verò iniquè secum putauit actum, ad Leonem Papam se contulit, Iudicij reformationem iuxta Concilij Sardicensis Placita petiturus]. Errat in duobus. Primò, quod dicat istam Synodum ab Hilario fuisse actam anno illius sæculi quadragesimo. Etenim Chelidonius statim à sua damnatione abiuit Romam, Hilarius est ipsum secutus, paucis diebus hæsit Romæ, ac refugit in Galliam, & Magnus Leo est fugientem statim secutus suis literis: At verò prima huius contra illum ad omnes Gallicanæ Ecclesiæ Antistites Epistola est data octauo Idus Ianuarias anni quadragesimi quinti, ideòque Synodus ista omnino fuit habita anno quadragesimo quarto. Et quidem sub finem: forsitan mense Octobri. Tunc enim est tempus Episcopalium Synodorum. Hinc famosus Encomiastes scribit Hilarium sæuiente hyemis rigore redijsse Roma: Nempè in exordio Ianuarij, aut in fine Decembris. Secundus error est, quod scribat istam Synodum fuisse actam in Arelatensi ciuitate. Iacobus Sirmondus ad Gallicanas Synodos rectiùs scribit esse incerti loci. Et Fratres Sammarthani in Gallia Christiana scribunt; [Vetus author vitæ sancti Romani Abbatis Iurensis docet circa annum quadringentesimum quadragesimum quartum habitum Concilium, haud procul ab vrbe Vesontionensi;] Reuincunt vtrumque errorem. Eloquentissimo tamen viro gratulamur, quod non parum veritatis agnoscat: Quod profiteatur Chelidonium iuisse Romam ad postulandum Hilarium Iudicij reformationem iuxta Placita Sardicensis Concilij. Profitetur hoc in Gallia tunc solemniter viguisse.

Fol. 176.

Sensa sua lucidè aperit in alio loco: [Insuper contendo præter Canones primorum Conciliorum Orientalium, qui continebantur in antiquo Ecclesię codice, alios etiam in Gallijs ante Carolum Magnum vsitatos fuisse, qui deinceps à Dionysio Exiguo priscis illis adiecti sunt, puta tàm Africanos, quàm Sardicenses,] Hos demonstrat, quoad varia morum capita laudari, ac firmari à prima Turonensi, ac à prima Synodo Aurelianensi, & adiungit: [Quod si Sardicensis disciplina, quoad aliqua capita valuit, apud Gallos ante Carolum Magnum, quidni & quoad appellationes valuisse ibidem asseramus? Maximè verò cùm Episcopi Romani occasionem nullam omiserint eius, vt cæteris Ecclesijs, ita & Gallicanis intimandæ.] Demonstrat hæc ex Decretalibus sancti Innocentij primi ad S. Victricium Rothomagensem Metropolitam literis. Adducit totum caput de Ecclesiasticis Iudicijs: Et quidem cum famosa circa Romanam Ecclesiam clausula: [Cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri.] Et exponit: [In priori Responsionis huius parte Pontifex causas quidem Clericorum, tam superioris, quàm inferioris ordinis, terminari vult in Synodis Prouinciarum, iuxta Nicæni Concilij Placitum, quod & ab ipso ibi laudatur; sed neque in posteriori parte Sardicenses Canones de liberis ad Apostolicam Sedem Appellationibus prætermisit. Synodus enim, quæ commemoratur ab Innocentio, alia non est à Sardicensi.]

Denuò pergit: [Iam verò cum Ecclesia Gallicana obsequentissima fuerit semper Apostolicæ Sedi, quorsùm, quæso, Sardicensem de Appellationibus disciplinam reiecisset? Quæ cum Apostolicæ Sedi grata esset & honorifica, leges tamen à sanctis Patribus, Nicænis præsertim, de Iudicijs Ecclesiasticis latas non euertebat.] Hæc omnia non recedunt à Regno Dei. Quod enim ista sancti Innocentij epistola partim Nicænos, partim Sardicenses Canones lauder, aduertit etiam Remensis Hincmarus. Et est longè certissimum. Eadem epistola est quasi primus Canonum codex Gallicanæ Ecclesiæ. Et apud ipsam semper fuit in summa authoritate, ac reuerentia. Secunda Turonensis Synodus ex ipsa restaurat lapsam disciplinam, & adiungit: [Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Et quorum authorum valere possit prædicatio, nisi quos Apostolica Sedes semper, aut intromisit, aut Apocryphos fecit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit authoritas.] Affirmant laudatam Decretalem, adeòque & Sardicenses Canones semper in Gallia floruisse. Hi sanè floruerunt etiam ante istum Pontificem. Nec enim ipse primus, sed dudum antea per Galliam promulgarunt sanctus Maximinus Treuirensis, Euphratas Coloniensis, sanctus Seruatius Tongrensis, alijque nostri Parentes Episcopi, qui Sardicæ fuerunt, aut eius Acta in suis Sedibus subscripserunt. Eosdem in Apologia ad Constantium Imperatorem laudat magnus Pictauiensium Episcopus Hilarius.

Cap. 22.

Eloquentissimus Magister pergit de Appellatione Chelidonij: [Hunc tamen agendi modum, appellandi nempè à Prouinciæ Synodo ad Romanum Pontificem, ægerrimè tulit Hilarius Arelatensis, qui Chelidonij damnationi præfuerat. Quia nempè insolentior paulò visus est, neque hactenùs Galli talem consuetudinem habuerant.] Suadet hæc per superiùs adducta Hilariani Encomiastæ verba, & prosequitur: [Leo magnus non sic facilè acquieuit Hilarij suggestioni, sed Chelidonij causam retractari apud se voluit. Ex quo quidem incensus Hilarius durioribus paulò verbis Leonem insequutus est, ipseque inter hæc, neque expectato fine Iudicij, neque salutato Leone, ex Vrbe excessit.] Et statim post: [Quod ad Chelidonium attinet, quia iniustè accusatus fuerat, re itaque inno-

nocuus visus est, Ecclesiæ suæ est redditus. Fuitque pariter restitutus Proiectus, cui ægrotanti alterum substituisse Hilarius perhibebatur.]

Eloquentissimus vir retrocedit à veritate, quam fuerat professus. Professus namque fuit Sardicenses Canones,& ab ipsis sancitam Romanæ Appellationis disciplinam semper viguisse in Gallia; at verò nunc scribit istum appellandi modum fuisse insolentiorem, & vsque tunc apud Gallos non fuisse illius consuetudinem. Hinc Hilarium fuisse offensum. Agit non de quauis Appellatione,sed de illa, quæ in RomanaSynodo per ipsumPontificem retractari debeat, ac in qua prior Iudex, in Reum, aut Accusatorem demutatus, possit Romam euocari, cogendus reddere rationes sui Iudicij. Et grauiter labitur. Etenim sanctus Leo ad Viennensis Prouinciæ Episcopos disertè, & constanter scribit:[Nobiscum Fraternitas vestra recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reuerentia, à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & per diuersarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, Appellationem causarum aut retractata, aut confirmata fuisse Iudicia. Et hunc tramitem, semper inter Maiores nostros & benè tentum, & salubriter custoditum, Hilarius Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturus excessit:] Ipsius quoque beatissimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui pascendarum ouium cura specialiùs mandata est.[Affirmat plura. Primò quod adduci possint innumera Relationum, ac Appellationum exempla. Secundò, quod istas Appellationes Apostolica Sedes non quouis modo, sed apud semetipsam discusserit: Et priora Iudicia confirmauerit quandoque, quandoque etiam reformarit. Quod eodem modo processerit, quo iam procedebatur in causa Chelidonij. Tertiò, quod hæc sit perpetua consuetudo Gallicanæ Ecclesiæ: Perpetuus trames, semper benè tentus à Maioribus, ac salubriter custoditus. Quartò, quod circa hæc omnia semper fuerit firma concordia Ecclesiarum, ac Sacerdotum. Quintò, quod istam consuetudinem, istamque concordiam primus rumpere tentauit Hilarius, atque ita insigniter turbarit Ecclesias. Sextò, quod ista Appellationis prosequendæ forma sit non à Sardicensi, vel quauis alia Synodo, sed ab ipso Christo Domino, qui Apostolicæ Cathedræ tradidit Pasturam omnium suarum Ouium, plenam authoritatem soluendi, atque ligandi. Proinde penitùs deuium est, quod Hilarius se fundarit in priori consuetudine Gallicanæ Ecclesiæ. Ista tamen adeò insolenter tentasse non possit sine aliquo colore, aut fuco. Ego nescio aliud, nisi quod ex Gallicani Præfecti Sede censuerit suo Throno accessisse nouam dignitatis speciem.

Quod ipsum non vanè colligitur ex adeò festina in degradatorum Episcoporum Sedes superordinatione. Etenim Hilarius non soli Proiecto, sed & Chelidonio statim superordinauit. At verò hæc festinatio erat penitùs aliena ab antiquis Galliæ moribus. Etenim duæ Gallicanæ Synodi, quæ Euphratam Coloniensem dicuntur degradasse, non præsumpserunt superordinare. Licèt degradarent ob manifestam hæresim. Etiam Biterrensis Pseudo-Synodus, quæ sanctum Hilarium Pictauiensem deiecit, non superordinauit. Nec item Pseudo-Synodus Arelatensis, eijciens sanctum Paulinum Treuerinsem. Nec ipsa item Orthodoxa Parisiensis, damnans Saturninum Arelatensem, ausum scelcratas manus mittere in duos istos gloriosos Antistites.

Hodierni Apostolicæ Sedis Detractores assiduè proclamant adAfricanam Ecclesiam: Clamant ipsi eamdem cum Gallicana semper quoad iudicia fuisse disciplinam. Insigniter falluntur,ac fallunt. Interim etiam Africana Ecclesia degradatis Episcopis numquam statim superordinauit. Ne quidem ante Sardicensem Synodum. Etenim Donatus Carthaginensis Episcopus damnato à se Priuato Lambesitano superordinare non præsumpsit, antequam sanctus Fabianus firmasset eius iudicium. Ita colligitur ex sancti Cypriani literis ad sanctum Cornelium. Et sanctus Augustinus Donatistas grauiter arguit, quod ante similem Romanam confirmationem præsumpserint deiecto Cçciliano superordinare Maiorinum. Nempè Prouinciarum Synodi, vti ad sanctum Victricium scripsit sanctus Innocentius, suum de deiectis Episcopis iudicium debuerunt semper referre Romam, & ante Apostolicum Rescriptum non superordinare. Quapropter clarum est,quod hanc suam nouitatem Hilarius fundare non potuerit in auitis moribus Gallicanæ Ecclesiæ. Ego nescio fundamentum aliud, nisi nouam dignitatem ex Sede Præfecturæ. Epist. 55.

Possint opponi duo. Primum est, quod non soli vulgares Metropolitæ, sed etiam quicumque Autocephali Exarchi, ac ipsi etiam Patriarchæ fuerint obligati circa Romanas Appellationes reuereri, ac obseruare Sardicensem formam, ac disciplinam; adeòque Hilarius ex vano Autocephaliæ prætextu non potuerit istud onus excutere. Erat namque doctus Episcopus, peritus Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Secundum est, quod ipse regulam, quæ datam alicui ciuitati, aut regioni à Principe dignitatem transfundit in istius ciuitatis,aut regionis Episcopum, semper auersatus oderit. Hinc enim à Romanis Imperatoribus erectas in Narbonensi Gallia nouas Prouincias pertinaciter agnoscere in rebus Ecclesiasticis noluit: Voluit & quoad Consecrationes, & quoad iudicia permanere solidus, ac solus Metropolita. Quomodo igitur credi possit, quod ille ex Præfecti Sede tentarit sibi singularem dignitatem aduocare?

Respondet in literis ad sanctum Marinianum, Rauennæ Metropolitam, magnus Gregorius: [Scripta Fraternitatis vestræ suscepimus, in quibus indicastis quosdam de Clero, ac Populo clamitasse, contra leges, & Canones esse, vt inter Ecclesiam vestram, & Claudium Abbatem causa hic examinari, ac iudicari debeat. Qui si Ecclesiasticum ordinem, vel inter quos vertitur, nossent aduertere, se à superflua querela modis omnibus abstinerent: Præsertim, quia nec causa illic dici possit, vbi se prædictus Abbas à Decessore vestro questus est iniustitiam pertulisse, & ex ea hactenùs laborare. Hoc enim poterat Lib. 5. Epist. 24.

for-

fortassis oppponi, si non ad Maiorem recurreret, & apud eum causæ suæ meritum peteret terminari. Numquid non ipse nosti, quia causa, quæ à Ioanne Presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem, & CoEpiscopum nostrum orta est, secundùm Canones ad Apostolicam Sedem recurrit, & nostra est sententia definita? Si ergo de illa ciuitate, vbi Princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est, quantò magis negotium, quod contra vos est, hìc est veritate cognita terminandum? Vos autem ibi stultorum verba non moueant, nec per nos credatis dispendium aliquod Ecclesiæ vestræ fieri. Fraternitas autem vestra sapienter egit Personas pro negotio ipso transmittere, & verba inania non audire.]

Claudius Abbas non à Mariniano, sed ab eius Antecessore Ioanne in nescio quo negotio grauatus appellarat Sedem Apostolicam: Et magnus Gregorius Appellationem admiserat, ideoque Mariniano mandauit, vt Responsales transmitteret, qui in retractatorio iudicio purgarent Ioannis sententiam, aut ipsam audirent reformari. At intercessit Rauennæ Clerus, ac Populus, altè clamans esse contra leges, & Canones, vt iste Retractatus Romæ fieret. Clamarunt Rauennatis Ecclesiæ dignitatibus per Pontificem inferri vim, atque dispendium. Quod nempè Rauenna esset Exarchi, Prætoriorum Præfectis æqualis, gloriosa Sedes, ideòque eius Episcopus gauderet eorumdem circa Ecclesiasticas causas Prærogatiuis: Et Imperator Iustinianus nuperrimè sanxerat, vti Præfectorum, ita & Patriarcharum, adeòque & omnium Autocephalorum Primatum sententias esse inappellabiles. Hinc Claudij Abbatis, & spectantis ad ipsum causæ Romana euocatio clamabatur esse etiam contra leges. Nequaquam Appellationis substantiam, sed solam eius Sardicensem formam tentabant effugere: Volebant causam istam ab ipso Mariniano cum quibusdam per Dominum Papam adiunctis Episcopis esse reuidendam. Et sanctus Marinianus, licèt in Romana ciuitate, ac sub Monastica ipsius Gregorij disciplina enutritus, necnon insigniter eruditus, attendit ad ista, & non parùm cespitauit. Attamen ne magistrum Pontificem, ac Romanam Ecclesiam offenderet, transmisit Responsales, verùm cum protestatione. Quid ad ista Gregorius? Respondit esse verba stultorum: Verba inania. Et demonstrauit ex recentissimo Constantinopolitanæ, in qua non Italiæ Exarchus, sed totius Mundi Imperator Sedem habet, Ecclesiæ exemplo. Etenim Ioannes Presbyter contra Ioannem Patriarcham appellauerat Romam, & ipse Marinianus proprijs oculis viderat istam causam retractari in vrbe, ac definiri iuxtà formam Sardicensem. Viderat nec Patriarcham, nec Imperatorem, qui tamen vterque admodum modicè diligebat Gregorium, in vllo contraijsse. Ista igitur ipsa stultorum inania verba, quæ sanctum Marinianum cespitare fecerunt, seduxerunt sanctum Hilarium. Vtrumque eximiè doctum ac sanctum. Nempè in propriæ dignitatis causa: Quandoque bonus dormitat Homerus.

Iterum audiamus Eloquentissimum Magistrum nostrum: [Sua hæc Iudicia Leo significauit Episcopis Viennensis Prouinciæ epistola illa, quæ iam laudata est; cum autem intelligeret vix habitura effectum apud Gallos, tum quia nondum assueti erant appellationibus illis nuper inuectis, tum verò maximè, quod Episcoporum Gallicanorum causas Romæ cognouisset, Valentinianum Imperatorem rogauit, vt Edicto suo Iudiciorum, quæ tulerat, executionem vellet adiuuare. Valentinianus, Leoni morem gerens, Edictum emisit. Magister adducit capitalia Edicti verba, & pergit: Hac porro constitutione plus dedit Valentinianus, quàm Leo rogauerat. Immò, & ampliùs dedit, quàm ipse posset. Plus quidem dedit quàm Leo rogauerat: aliud quippe nil optauerat Leo, quàm vt Iudicij contra Hilarium lati executio Imperatoria authoritate iuuaretur. Plus etiam indulsit, quàm posset: Cum enim Imperatores condere leges de Ecclesiasticis rebus non possent, nisi quæ conformes sint canonibus, quæque ad eorum executionem tendant, fert ibi legem Valentinianus, quæ canonibus non quibusuis, sed Sardicensibus ipsis omnino contraria est. Iubent enim Sardicenses canones Episcoporum causas agitari in prouincijs, siue quoad primam, siue quod secundam cognitionem. Imperator verò cogendos vult Episcopos, vt in Vrbem ab Episcopo Romano iudicandi sese conferant. Quare mirum nihil est, si Galli, canonum antiquorum vsque semper obseruantissimi, generali huic legi de petenda vrbe nunquam obsecuti sint.]

Palàm retrocedit à sua priori sapientia in plures errores. Primus est, quod Romanæ Appellationes tunc essent nuper inuectæ, ideoque Gallicani Episcopi necdum essent ipsis assueti. Etenim Sanctus Maximinus Treuerensis Episcopus, dum Sancti Athanasij, ac aliorum Orientalium Episcoporum appellationem admitti, & Antiochenæ Synodi de ipsis Iudicium suspendi, ac retractari suasit hac persuasit Sancto Iulio, omnino suasit ex more, & sensu non solius Romanæ, sed, & Gallicanæ Ecclesiæ. Quin immò quod Iulius sit antiquum Vniuersalis Ecclesię Canonem ista in re sequutus, disertè testatur in Ecclesiastica historia Theodoretus. Ipse item Iulius idem asseuerat in literis ad Antiochenam Synodum. Et iustum canonem laudatus Maximinus omnino innouauit ac stabiliuit apud Sardicam. Et quid magnus Leo de harum appellationum apud Gallos antiquitate dicat, iam abundè audiuimus. Proinde de hoc Eloquentissimo Magistro nostro Magnus Gregorius diceret, quod venum exponat [inania verba stultorum.] Secundus error est, quod Magnus Leo in eo maximè deliquerit, quod Gallicanorum Episcoporum causas cognouerit Romæ. Etenim laudatus Maximinus Sancto Iulio etiam author fuit, vt Sancti Athanasij, & aliorum Orientalium Episcoporum causam cognosceret Romæ. Et istius sui consilij fundamenta omnino desumpsit ex more, & canone totius Ecclesiæ, suæ præsertim Gallicanæ. Quæ omnia Magnus Leo confirmat. Operis huius decursus adducet plura authentica exempla, ac testimonia.

Lib. 1. Cap. 15

Pro-

Proinde tertius error est, quod Magnus Leo ad hanc sui operis nouitatem Gallicanis Ecclesijs imponendam ab Imperatore Valentiniano postularit Legis adiutoriũ. Etenim ipse Imperator in ipsa lege palàm scribit contrarium: [Hæc cum hactenus inuiolabiliter fuerint custodita. Hilarius contumaci ausu insolita quædam præsumenda tentauit. Ne quid Gallicanis Episcopis contra veterem consuetudinem liceat.] Vnica igitur postulandæ Legis ratio fuit dura Hilarij in Papalem Authoritatem, & auitam Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem contumacia. Hoc ipse Imperator disertè profitetur. [Et erat quidem ipsa Papalis sententia per Gallias etiam sine Imperiali Sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis Authoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlteriùs Hilario, nec cuiquem alteri liceat Præceptis Romani Antistitis obuiare.] Et Lex nulli magis profuit, quàm ipsi Hilario. Eius enim duritiam fregit, aperuit oculos, perduxit ad veritatis cognitionem, ac veram pœnitentiam, perfecitque in sanctissimum Episcopum.

Quartus error est, quod Magnus Leo solam sui contra Hilarium Iudicij executionem postularit, adeoque Valentinianus plura dederit, quàm fuerit rogatus. Etenim Magnus Leo nullam contra Hilarium tulit definitiuam sententiam, sed Principi exposuit plura alia, omnia postulans adiuuari per eius Brachium. Primò, quod Hilarius alios incõpetenter remouisset, alios Episcopos indecenter inuitis, ac repugnantibus ciuibus ordinasset. Secundò, quod ipsos per armatam violentiam intrusisset suis sedibus. Tertiò, quod Romanis Appellationibus, nec suspensiuum effectum: nec Romanum vellet concedi accessum, ideoque nec appellantes Episcopos Romam accedere, nec eorum Damnatores permitteret illuc euocari. Quod his euocationibus omnem denegaret obedientiam. Idque contra sacræ, Sardicensis vtique, ac Nicænæ Synodi Authoritatem. Et omnia tria Valentinianus damnauit, plenè confirmans Pontificis Iudicium.

Quintus error est, quod Valentinianus suæ potestatis limites excesserit: Quoniam Sardicenses Canones nec appellantium Episcoporum Iudices Romam euocari permittant, nec istas causas per Pontificem retractari. Hunc Magistrum nostrum planè credo esse non dumtaxat eloquentissimum, sed & sapientissimum: Easdem interim virtutes omninò credo infuisse Magno Leoni, nec non & Valentiniani III. Assessoribus. Et hic ipse Magister profitetur se istis omnibus scribere contraria. Cui igitur sit credendum? Iudicandum permitto cunctis Lectoribus. Quod igitur iste Magister ab auito Gallicanæ Ecclesiæ sensu longissimè retrocedat, licèt tanti Pontificis, ac istorum Assessorum Authoritas abundè euincat, volo tamen paucis alijs demonstrare exemplis, ac testimonijs. Gloriosus Treuirensium Antistes Maximinus Papæ Iulio Author fuit, non dumtaxat, vt sanctum Athanasium statim reuestiret, sed etiam vt eius Damnatores citaret Romam: Et hanc vetustam Romanæ Appellationis disciplinam curauit innouari, atque firmari per Sardicenses Canones. Omnia ista fecit ex auito sensu Gallicanæ Ecclesiæ. De Sancto Britio Turonensi Episcopo, per rebellem populum eiecto, & Romam abeunte, ac appellante, scribit sanctus eius Successor Gregorius: [Post cuius abscessum aiunt Turonici suo Sacerdoti Iustiniano, quem Britio superordinauerant, vade post eum, & exerce negotium tuum. Quia si prosecutus eum non fueris, ad nostrum omnium contemptum humiliaberis. Iustinianus verò egressus à Turone, Vercellas Italiæ ciuitatem adgressus, Iudicio Dei percussus, obijt peregrinus.] Omnis Populus cum grauibus minis Iustiniano mandauit, vt & ipse Romam accederet in Retractatorio Pontificis Iudicio purgaturus ciuitatis factum, ac suam ordinationem defensurus. Mandauit iuxta Sardicenses canones. Quod nempe eorum legitimus intellectus non apud solum Clerum, sed etiam apud Galliæ populum esset longè notissimus Et hinc Iustinianus promptè obediuit. Gregorius adiungit, quod Britius per Romanum Apostolicæ Sedis Iudicium tandem receperit suum Thronum atque Ecclesiam. Herotem, & Lazarum, Gallicanos Episcopos, Zosimus Pontifex in literis ad Aurelium Carthaginensem, & cæteros Africæ Episcopos appellat [Erubescenda factis, & damnationibus nomina,] & adiungit: [Specialis illos Sedis Apostolicæ authoritas ab omni communione submouit.] Nempe in Gallia damnati Romam appellauerant, atque accesserant: Et eorum causam Romæ per semetipsum retractarat Zozimus, & firmarat Gallicanam sententiam. Idem Pontifex in literis ad Hilarium Narbonensem Episcopum enumerat Vrsi, ac Tuentij Gallorum, ac in Gallia damnatorum Episcoporum, crimina, & adiungit: [Hæc omnia apud nos Gestis, Testimonijsque discussa sunt.] Vtique in Retractario appellationis Iudicio. De nescio quo obscœno Iuuene, quem subdere volebat publicæ pœnitentiæ, ad illustrem virum Ansemundum scripsit Sanctus Auitus Viennensis Archiepiscopus; [Licèt me ad Romanæ forsitan Ecclesiæ audientiam vocet, fatigationes itinerum non verebor.] Sapaudo Arelatensi Archiepiscopo, de friuolis suorum Clericorum appellationibus, & Romanis accessibus expostulanti, rescripsit Pelagius Primus; [Necesse habemus solliciti esse, vt si quis venerit, non facilè nobis, tamquam ignaris, subrepere aliquid videatur. Meliùs tamen fraternitas tua faciet, si cognoscens illos, quos suspicamini, ad nos esse venturos, etiam vos personam instructam ex omni parte dirigatis, quæ eis possit obsistere. Quia cum epistola vestra nihil de causa contineat, si hic, qui modò nobis ex voluntate vestra verbo suggessit, tunc apud nos nequeat inueniri, videbimur nos accusatoris officium suscepisse.] Palam affirmat accusatoris in appellatis causis officium spectare ad ipsum Sapaudum. De Salonio ac Sagittario, Gallicanis, ac Synodaliter damnatis Episcopis, scribit Sanctus Gregorius Episcopus Turonensis: [At illi, cùm adhuc propitium sibi Regem nossent, ad eum accedunt, deplorantes se iniustè remotos, sibique tradi licentiam, vt ad Papam

Lib. 2. Cap. 11.

Epist. 49.

Epist. 9.

pam Vrbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis Epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Ioanne Tertio exponunt se nullis rationalibus existentibus causis dimotos. Ille verò Epistolas ad Regem dirigit, in quibus eosdem locis suis restitui iubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis, impleuit.] Pontifex eos reuestiuit, dilato in opportunum tempus retractatorio Iudicio. Et fuit plenissimè obeditum. Etenim vterque quarto, quod sub Benedicto primo, proximo Ioannis Successore, fuit celebratum, Parisiensi concilio assedit, & subscripsit, vt integer Episcopus. Quæ omnia manifestissimè facta sunt iuxta Sardicenses canones. Quid opus multis? Et Dionysius Exiguus, & Isidorus Mercator Sardicensem canonem transtulerunt hoc modo: [si depositus Episcopus proclamauerit agendum sibi negotium in Vrbe Roma, alter Episcopus in eius Cathedra non ordinetur, nisi causa fuerit in Romani Episcopi Iudicio determinata.] Et hanc translationem probauit etiam, ac suæ canonum collectioni inseruit Cresconius Africanus Episcopus. Quare grandi stupore digna sunt istius Magistri nostri hæc verba: [Galli generali huic legi de petenda Roma numquam obsequuti sunt.]

Lib. 5. Cap. 20.

CAPVT V.

Romanarum in Gallia Appellationum antiquitas demonstratur ex S. Cypriano.

MArtianus Arelatensis Archiepiscopus olim patrauit tria crimina: [Primò iactabat, & prædicabat, quod Nouatiano studens, & eius peruicaciam sequens, à nostra communicatione se segregasset.] Nec S. Cornelium, nec S. Lucium, nec item S. Stephanum voluit vti Pontifices agnoscere. Dixit Nouatianum fuisse legitimum Romanorum Antistitem, ideoque etiam defuncto perstitit contumax adhærere. Secundò, item Nouatiani errorem pari pertinacia tenuit, ac defendit. Docuit lapsos non posse reparari per Ecclesiæ Claues: istud crimen esse reseruatum iudicio Diuinæ Maiestatis.

Tertium eius crimen habes in his S. Cypriani verbis: [Ex quibus, vtique execrandis hæreticis, cum Martianus esse cœperit, & se Nouatiano coniugens, aduersarius misericordiæ, & pietatis extiterit, sententiam non dicat, sed accipiat, nec sic agat quasi iudicauerit de Collegio Sacerdotum, quando ipse sit ab vniuersis Sacerdotibus iudicatus.] Blaterabat SS. Pontifices Cornelium, & Lucium ipsamque Romanam, & omnes ei adhærentes Ecclesias in suo pro lapsis Decreto errasse, Nouatianum autem docuisse ex Euangelio. Lucent hæc ex sequentibus S. Cypriani verbis: [Seruandus est enim Antecessorum nostrorum, Beatorum Martyrum Cornelij, & Lucij, honor gloriosus, &c.] Vtique honor martyrij. Eos Martianus clamabat esse præuaricatores Christiani dogmatis, ideoque, & Pseudomartyres. Homo sceleratus, ac impudens damnabat omnem Ecclesiam. Commouit omnem Galliam, & plurimos lapsos sine Sacramentalis Reconciliationis Pace, ac Viatico transmisit ad illud sæculum.

Audiamus rei decursum ex S. Cypriani literis ad S. Papam Stephanum [Faustinus Collega noster, Lugduni consistens, semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ iam scio vobis vtique nuntiata, tàm ab eo, quàm à cæteris Co-Episcopis nostris, in eadem Prouincia constitutis. Quod Martianus, Arelate consistens, Nouatiano sese coniunxerit, & à Catholicæ Ecclesiæ vnitate atque à corporis nostri, & Sacerdotij consensione discesserit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam prauitatem.] Nempè prauitatem crudelitatis Nouatiensis. Exponit crudele dogma, & concludit: Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Gallijs constitutos, ne vltra Martianum, peruicacem, & superbum, & Diuinæ pietatis, ac fraternæ pacis inimicum, Collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur à nostris abstentus, qui iam pridem iactat, & prædicat, quod Nouatiano studens, & eius peruicaciam sequens, à communicatione se nostra segregauerit, cùm Nouatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus, & hostis Ecclesiæ iudicatus sit.] Et post quædam: [Quàm vanum est, Frater charissime, vt Nouatiano nuper retuso, & refutato, & per totum orbem à Sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores nobis adhuc patiamur illudere, & de maiestate, ac dignitate Ecclesiæ iudicare? Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Martiano alius in locum eius substituatur. [Et tandem concludit: Significa planè nobis, quis in locum Martiani Arelate fuerit substitutus, vt sciamus ad quem Fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.]

Ex quibus verbis discimus plura. Primò, quod Martiani per Galliam grassatio fuerit sæpiùs relata ad Stephanum Pontificem. Relata fuit per Faustinum Lugdunensium Metropolitam, & per ipsos Martiani Comprouinciales Episcopos. Et ad hæc, atque similia exempla respexit magnus Leo, dum ad Viennensis Prouinciæ Episcopos scripsit Gallicanas ad Apostolicam Sedem Relationes ante se fuisse innumeras. Secundò, discimus verùm esse hunc Iacobi Pamelij commentarium: [Licuisse iam olim Pontificibus Romanis Episcopos iustis de causis excommunicare, imò destituere, & nouos in eorum locum substituere, perspicuum facit hoc loco Cyprianus de Gallis. Quod mirum in modum commendat authoritatem, & Primatum.] Quæ verba probauit, & in suos Commentarios transcripsit etiam vir Francus, ac eruditus Nicolaus Rigaltius. Insuper eleganti compendio refutat omnia Ioannis Launoij, ex Apostolicæ Sedis odio præsumentis istam epistolam proscribere ad spuria. Ita consueuit Erronum desperatio. Hinc Paschasius Quesnellus istam euadendi portam vidit, nec honorificam sibi fore, nec securam.

Nihilominus irrefragabilem S. Cypriani autho-

authoritatem omnibus neruis tentat euacuare. Ex eius multiloquio audiamus aliqua: [Martianus Arelatensis Episcopus, Nouatiana labe infectus, vastabat Gallias, Sedis suæ amplitudine fretus. Cùm autem cæteri Episcopi Gallicani aduersùs hominem in sua Prouincia potentem nihil auderent, nec id etiam temporum ratio sineret, cum prætcrea plebs Arelatensis, Martiani fraudibus decepta, Episcopum suum tueretur, ac defenderet, vti ex epistola Cypriani licèt conijcere, à cæteris exterarum Prouinciarum Episcopis opem implorauerunt, præcipuèque à Romano, & Carthaginensi, quorum maxima erat in Ecclesia authoritas. Ad vtrumque ergo literas dederunt Faustinus Lugdunensis Episcopus, & Romanæ Prouinciæ, idest, Narbonensis solidæ Episcopi.

In primis verò Romanum Episcopum tamquam cætus Episcopalis Caput, Apicemque sollicitabant, vt Ecclesiæ sub schismatici Episcopi iugo laboranti adesset, authoritate Sedis suæ fretus. Quod eam ob rationem egerunt, quod & nullum in ea Prouincia sibi imminentem habeat Martianus, & non ita pridem à Sede Apostolica transmissum acceperant Trophimum, de cuius indigno Successore Martiano apud ipsum querelam deferendi ius habebant. Tardante verò Stephano, nec suppetias ferente, iterùm ad Cyprianum scripsere Galli, vt ipse apud Romanum instātiùs ageret de Martiani depositione. Fecit quod rogabatur Cyprianus, deditque literas ad Pontificem querelarum, precumque Gallicanæ Ecclesiæ indices, in quibus vtriùsque Ecclesiæ mentem, ac disciplinam licet intueri.

Diuinæ veritatis potentiam demonstrant hæc verba: [Instantiùs ageret de Martiani depositione procuranda.] Etenim Quesnellus, vt huius epistolæ pagella cantat, assiduè blaterat ipsam non agere de depositione. Depositionis ab abstentione discrimen affirmat à nemine ignorari. Et ecce hic profitetur Martiani depositionem fuisse à Gallis Episcopis, & S. Cypriano postulatam, ideòque, & à Sancto Stephano Pontifice inflictam. Hæc veritas in adductis illius verbis latet inter plurimos errores, vti aurum inter lutum. Porrò primus error est in his verbis:] Cum cæteri Episcopi Gallicani [aduersùs hominem in sua Prouincia potentem nihil auderent.] Etenim Episcopi isti fuerunt adeò generosi, vt suis clamoribus permouerint omnem Galliam, vt Martianum apud vicinum Metropolitam Faustinum detulerint, vt Apostolicam S. Stephani authoritatem sæpiùs implorauerint, vt eius moras tandem abruperint per Sanctum Cyprianum. Verùm cur ipsi illum non deiecerunt? Aperta est ratio: Quod esset ipsorum Metropolitanus. Hinc nec per propriam Synodum, nec per vicinum Metropolitam damnari, & exui potuit, sed per solum Pontificem, suum Primatem, ac Patriarcham. Quod Metropolita per solum Patriarcham possit deijci, nequaquam ducit originem ex famosa Imperatoris Gratiani ad Sanctum Damasum Pontificem lege: Est Apostolica regula, per Patrum Canones, & Principum leges postmodò aduersùs quorumdam præuaricationes frequenter confirmata.

Secundus error est in his verbis. [Nec id etiam ratio temporum sineret.] Quæ temporum ratio? Etenim tempus, quod per omnem Galliam, & Africam clamari, quod hominem multis ad Apostolicam Sedem Relationibus inuadi, ac tandem per eiusdem Sedis Antistitem degradari permisit, cur non permitteret proijci per propriam Synodum? Certè quin omnes istæ Relationes fuerint Synodales, non est dubitandum. Quapropter omnis ratio fuit defectus potestatis in proprium Metropolitam.

Tertius error est in his verbis: [Cum Arelatensis plebs Episcopum suum tueretur, ac defenderet.] Etenim oppositum disertè edicunt hæc Sancti Cypriani de Arelatensibus verba: Seruis Dei pœnitentibus, & dolentibus, & ad Ecclesiam lachrymis, & gemitu, & dolore pulsantibus. Diebus, & noctibus ingemiscunt, & Diuinam, ac Paternam, vtique Episcopalem, misericordiam deprecantes, solatium nostræ opitulationis exposcunt. [Nempè aduersùs suum Episcopum Martianum.] Grex Christi ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur.] Dum ab ipso Sacramenti Reconciliationis Pacem magnis fletibus postulabat.

Quartus error est in his verbis: [Ab exterarum Prouinciarum Episcopis opem implorauerunt.] Etenim non refugerunt, nisi ad vicinissimum Faustinum, Metropolitam Lugdunensem, qui quod par nihil valeret in parem, rem omnem cum Martiani Suffraganeis retulit Sancto Stephano, omnium Papæ, & Patriarchæ. A' Faustino aliud non flagitarunt, quàm fraternum auxilium.

Quintus error est in his verbis: [Præcipuèque à Romano, & Carthaginensi. Tardante verò Stephano, nec suppetias ferente, iterùm ad Cyprianum scripsere Galli.] Falsum est, quod iterum. In prima instantia scripserunt ad solum Stephanum. Lucet ex Cypriani verbis: [Quæ etiam vobis scio nuntiata tàm ab eo, quàm à cæteris Co-Episcopis nostris in eadem Prouincia constitutis.] Nempè antequam ego ab illis inuocarer. Hinc Cyprianus pergit: Faustinus semel, atque iterum mihi scripsit. [Nempè Cyprianus ad primam epistolam mouere se noluit, & Pontificem quasi de negligentia increpare. Forsitan nata inter ipsos de Hæreticorum Baptismo controuersia possit illum reddidisse tardiorem. Quidquid sit, Cyprianus non nisi tardante Stephano fuit inuocatus.

Quare sextus error est in his verbis: [Quorum maxima erat in Ecclesia authoritas.] Nempè si agatur de authoritate Sedium. Etenim Carthaginensis Ecclesia, licèt Primatialis, non tamen fuit Autocephala, ideòque eius Sedes authoritate non fuit inter maximas. Et quid Gallis cum ipsa? Certè Ioanni Hierosolymæ Episcopo, à Theophilo Alexandriæ Patriarcha auxilium postulanti, respondit olim Sanctus Hieronymus: [Tu qui Regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicœni Concilij Canonibus vteris, Responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palestina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palestinæ Metropolis Cæsaræa sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur

ad Cæsaræensem Episcopum referre debueras, aut si procul expetendum Iudicium erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ.] Eadem ratione ad Carthaginensem Episcopum Gallia quid pertinet? Nicæni Canones nullum ei dant Primatem, nullum Patriarcham, nisi Dominum Papam. Proindè dum Sedium respicitur auctoritas, contra Martianum Faustinus nullatenùs ad Cyprianum poterat, sed referre debebat ad solum Stephanum.

Fuit tamen, verùm longè alia ratio referendi etiam ad Cyprianum. Eam exponit præfatus Ioannes in illis, quas S. Hieronymus impugnat, literis ad Patriarcham Theophilum: [Tu quidem, vt homo Dei, & Apostolica ornatus gratia, curam omnium Ecclesiarum, maximè eius, quæ in Hierosolymis est, sustines, cùm ipse plurimis sollicitudinibus Ecclesiæ Dei, quæ sub te est, distringaris.] Affirmat alias esse, alias Ecclesias non esse sub Theophilo, & tamen laudat, quod gerat omnium sollicitudinem: Nempè de istis Paternæ iustitiæ, de his sollicitudinem solius Fraternę charitatis. Et hanc charitatem sanctus etiam Cyprianus de omni Ecclesia habuit: Præsertim circa materiam Nouatianensis crudelitatis. Etenim vsque ad ista tempora Lapsis non fuerat data Sacramentalis Reconciliationis Pax: Ne-quidem in ipso exitu. Clementiæ nouitas excogitari cœpit post Sancti Fabiani Pontificis Martyrium, vacante Romana Ecclesia. Ob Imperatoris Decij de non creando nouo Pontifice Edictum vacauit illa diutiùs, & grassans persecutio omnem Romanum Orbem impleuerat Lapsis. Et ipsi eiulantes, ac flentes Catholicæ Matris viscera, & fores pulsabant apud omnes Ecclesias: Et magnum Cyprianum ad sui commiserationem permouerunt. Hinc ille viduato Clero fuit auctor, vt clementiam sub futuri Pontificis Beneplacito admitteret. Et postmodò per Sanctum Cornelium Pontificem, eius Successorem Lucium, & plerasque sub cœlo Ecclesias fuit comprobata, & suscepta in mores. Hinc Gallicani Episcopi aduersùs clementiæ istius hostem Martianum inuocarunt Sanctum Cyprianum. Non propter Sedis, sed propter solius personæ, in ista præsertim causa, auctoritatem. Aliàs potuerant magis amicum Pontifici intercessorem impendere.

Hæc Paschasij Quesnelli verba, [Inprimis verò Romanum Episcopum tamquam cætus Episcopalis Caput, Apicemque sollicitabant,] nescio an sint atra, vel alba. Suspicionem fouent, & augent item hæc: [Vt Ecclesiæ laboranti adesset, authoritate Sedis suæ fretus.] Quod eam ob rationem egerunt, quod nullum in ea Prouincia sibi imminentem habeat Martianus, & non ita pridem à Sede Apostolica transmissum acceperant Trophimum, de cuius indigno Successore Martiano apud ipsum querelam deferendi ius habeant. [Sunt tenebrosa, ac amphibia. Tenebras augent hæc:] Quod nullum in Prouincia sibi imminentem habeat. [An fateantur ei vllum in omni Ecclesia fuisse superiorem Episcopum, nouit Diuina Sapientia. Possint asserere, quod nimia Martiani Tyrannide lassati Gallicani Episcopi refugerint ad primum Christianitatis Episcopum, vti olim suorum Regum violentijs fracti Persidis fideles implorauerunt Imperatorem Constantinum. Deindè, Abbatiæ passim propagantur ex Abbatijs: Et propagantis Abbas dicitur propagatę Pater, & aliquid potestatis ad ipsam retinet. Eadem forma viget in Ecclesijs. Huic enim Hincmarus Remensis aliquid suæ in Laudunensem, istius Iuris aliquid scripsit Hipponensi Cathedræ esse in Fussalensem. Hinc igitur etiam R.P. Paschasius videtur Romanæ Ecclesiæ ob datum primum EpiscopumTrophimum adscribere aliquod potestatis in Arelatensem. Ego nolim indulgere suspicionibus: Nolim accusare quod nescio. Clarè profiteamur, quod Martianus, vtpotè Occidentalis Metropolita, nullum in terris, nisi Romanum Pontificem, habuerit sibi Prælatum, ac imminentem, ideòque Gallicani Episcopi nullum, nisi Romanæ Cathedræ, potuerint implorare auxilium. Sic nobis erit pax, & veritas.

Nec vacat, nec lubet singula viri verba discutere. Post quædam ille pergit: [Nequaquam verum est hìc agi de depositione, cuius ne nomen quidem apparet in epistola, sed de abstentione agitur, cuius à depositione discrimen, qui ignorat, ad iudiciorum Canonicorum tractationem illotis manibus, pedibusque accedit.] Imò non sine fundamento quis dicat ad tractandas Sancti Cypriani epistolas illotum te accedere. Etenim Sanctus Cyprianus per Episcopi, aut Clerici abstentionem frequentissimè intelligit depositionem. Etiam in hac ipsa epistola: [Cum Nouatianus olim abstentus, & hostis Ecclesiæ iudicatus sit.] Est Romani Imperij phrasis, quod abijciendum, & degradandum Imperatorem priùs iudicabat, ac declarabat hostem Imperij, & tunc abstinebat, seù deponebat. Pergit epistola: [Nouatiano nuper retuso, & refutato, & per totum Orbem à Sacerdotibus Dei abstento.] Quis non videt laudari degradationem? Eandem manifestè laudant hæc verba: [Abstento Martiano, alius in locum eius substituatur.] Etenim substitutio, seù noui Episcopi consecratio fieri non potest, nisi post degradatum Episcopum: Suspensio, aut excommunicatio nullatenus sufficiunt. Eadem vocis acceptione Sanctus Cyprianus vtitur etiam in alijs locis. Scio vocem ab ipso etiam pro excommunicatione accipi. Excommunicatio enim est abstentio à communione. Verùm apud antiquos fideles vox, [Communio,] importabat varia: Communionem Episcopalem, Clericalem, Laicam. Et cuiusuis communionis abstentio erat quandoque perpetua, quandoque temporanea, & reparabilis. Ab Episcopali, aut Clericali communione abstentio perpetua erat Episcopi, aut Clerici in laicam communionem deiectio, ideòque vera degradatio. Proindè Papa Stephanus non suspensionem Martiani, aut excommunicationem fuit rogatus, sed omninò degradationem. Et licèt de sola suspensione, aut excommunicatione ageretur, scopus noster manet integer. Etenim & istæ sunt iurisdictionis actus, ideòque euincunt Papalem authoritatem in Gallicanos Episcopos.

Pergit Paschasius Quesnellus: [Supponit Cyprianus Martianum, sine ulla Synodi senten-

ſententia, vel alio iudicio, ſententiæ aduerſùs Nouarianum prolatæ ſubijci debere.] Affirmat Martianum, vtpotè profeſſum Nouatiani Sectatorem, non indigere nouo degradationis iudicio, ſed ipſum Nouatiani per S. S. Cornelium & Lucium factæ damnationi eſſe per omnia obnoxium, & irretitum, ideòque opus eſſe ſola iſtius iudicij extenſione. Etenim data in Nouatianum ſententia obſtrinxit omnes Nouarienſes: Et præſentes & futuros. Queſnellus vult hæc à Cypriano adduci ad euacuandam, aut certè contrahendam authoritatem Romani Pontificis. Reſpondeo Cyprianum iſta omninò ſenſiſſe. Epiſtolæ verba ſunt lucida. Continent auitum & Apoſtolicum Canonem, ex quo poſtea & ſanctus Felix tertius ſcripſit contra Eutychianiſtas: [Facta ſemel Synodus abiecti cuiuſlibet erroris cunctos ſequaces conſequentes inuoluit.] Verùm abſit, vt ſanctus Cyprianus iſta adduxerit ad circumſcribendam authoritatem Romanæ Eccleſiæ. Palàm adduxit ad firmandam. Etenim Nouatianus non à Generali, immò nec à Parriarchali Synodo, ſed à ſolo ſancti Cornelij Presbyterio degradatus fuerat: Et Cyprianus conſtanter affirmat Iudicium iſtud valere, ac extendi etiam in Martianum. Allegat iſta ad excutiendam Stephani tarditatem: Edixit nec noua Synodo, nec nouo examine, nec alio iudiciali molimine, ſed ſola execurione eſſe opus, ideoque omnem in tanto negotio moram eſſe inexcuſabilem. Hinc contentus non fuir ſcripſiſſe: [Quapropter facere te oporrer pleniſſimas literas.] Sed ſtatim reperiuit: [Dirigantur in Prouinciam à te literæ: Et randem concluſir:] Significa planè nobis, quis in locum Martiani fuerit inſtitutus. [Omnia ad lentum Ponrificem accendendum. Et hęc quoque euertunt Queſnelli commentariones. Etenim cùr Prouinciæ Synodus, cur viciniſſimæ Prouinciæ Metropolita Fauſtinus, cur ſanctus Cyprianus non extruſit Martianum? Cur neceſſaria, ac imploranda fuit Sedes Apoſtolica? Quod iſta etiam extruſio ſit Patriarchalis authoritaris actus, ideoque fieri non potuerit, niſi per Patriarcham.

Paſchaſius Queſnellus opponit hæc Cypriani verba:] Quapropter facere te oportet pleniſſimas literas ad Epiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos, ne vltrà Marrianum Collegio noſtro inſultare patiantur, quod necdum videarur à nobis abſtenrus. [Et commentarur:] Cyprianus per illud, [Nobis,] ſatis inſinuat Gallos non ſolius Romani Pontificis ſententiam attendiſſe, ſed etiam Carthaginenſis, quem & pro ſua parte in Gallias ſcripſiſſe, verba hæc non ſinunt. Præſertim cum ſuperiùs dixerit. [Cui rei noſtrum eſt conſulere, & ſubuenire, Frater chariſſime:] Et poſtea ſuum à fratribus Gallicanis poſtulatum eſſe aſſerat auxilium. [Probat ex his eiuſdem epiſtolæ verbis:] Solatium noſtræ opitulationis expoſcunt. [Reſpondeo plures iterùm miſceri errores. Primus eſt, quod ſanctus Cyprianus ſuo motu & ex officio, ſeù pro ſua parte ſcripſerit in Gallias, Lucet ex verbis:] Fauſtinus ſemel atque iterùm mihi ſcripſit. [Aſſeueraut, quod Cyprianus non niſi ex iterato Fauſtini motu ſe mouerit.

Ex ipſo enim norat etiam à Gallis eſſe ſcriptum ad Vrbem: Hinc credidit ſuum inciramentum non eſſe Pontifici neceſſarium. Epiſt. 55. Er repero; Quid Gallicanæ Eccleſiæ cum Africana? Queſnellus aſſiduè decantat Cypriani verba: [Singulis Paſtoribus portio gregis adſcripta eſt, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus.] Quo apud ipſum iure Gallicana Eccleſia ſpectat ad portionem Primatis Carthaginenſis? Hinc enim Cyprianus ſcripſit ad Stephanum: [Cui rei noſtrum eſt conſulere, & ſubuenire, Frater chariſſime, qui Diuinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes, ſic vigoris cenſuram peccaroribus exhibemus, vt ramen Lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ Diuinæ medicinam non denegemus.] Excuſat ſe, quod ſe miſceat alienę Eccleſiæ. Affirmat ſe eſſe illum Epiſcopum, qui cum Stephano, tùnc inter maiores Romanæ Eccleſiæ Clericos conſtituto, & cum eius Anteceſſoribus Cornelio, & Lucio condiderit clemens in Lapſos Decretum, ideoque hanc cauſam ad ſe pertinere. Hinc Gallicanæ Eccleſiæ Lapſi. [Opitulationis ſolarium ab ipſo expopoſcerunt.] Hoc eſt, fraternæ apud Papam interceſſionis auxilium. Nec aliud Cyprianus attentauit.

Secundus error eſt, quod Galli non ſolius Romani, ſed etiam Carthaginenſis Epiſcopi ſententiam attenderint. Etenim quis ſub cælo Canon ſancit, aut ſuader Gallicanam Eccleſiam Romano Epiſcopo non aliter ſubijci, quàm Carthaginenſi? Quæ ſunt hæc paradoxa? Certè ſanctus Cyprianus agere debuit, & omninò egit cum Arelarenſi Martiano, quomodò Acacius Conſtanrinopoliranus Epiſcopus egit in Petrum Mogum Pſeudo Patriarcham Alexandrinum, de quibus ſanctus Gelaſius Pontifex ſcripſit ad Orientales Epiſcopos: [Acacius Petrum petita Sedis Apoſtolicæ præceptione damnauir. [Et adiungit petitæ præceptionis cauſam: [Nam cùm Acacius nullo Priuilegio fulciretur, vt de ſecunda Sede poſſet ferre Iudicium, non potuit iure quemquam damnare.] Vtique ſine iſta præceptione. Affirmat eamdem eſſe rationem de Petri reparatione, & proſequitur: [Sicut ergo Acacius antè non priùs damnauit, quàm & referret, & poſceret Petrum Apoſtolica authoritate damnandum, ſic & in recipiendo modum ſeruare debuiſſet, vt priuſquam ſe ei communione miſceret, per Sedem Apoſtolicam poſceret examinari eum, & legitima ratione purgari, cum nec examinandi, aut recipiendi eum habere ipſe Pontificium, & non niſi per illius Sedis authoritatem, conſenſumque hoc poſſet implere, ſine cuius authoritate non potuerat ipſe damnare. Cum enim conſtet ſemper, aut Sedis Apoſtolicæ authoritate huiuſmodi perſonas diſcuſſas, vel eſſe purgaras, &c. [Extat epiſtola apud Iacobum Sirmondum poſt appendicem Theodoſiani Codicis. Affirmat Petrum Mogum, alienæ Diæceſis Epiſcopum & Patriarcham, licèt manifeſtè hæreticum, atque intruſum, ab Acacio nec damnari potuiſſe, nec reparari: Et Acacium adhuc Catholicum ſenſiſſe iſtud ipſum, vtporè qui illum non niſi poſt petitam, & obtentam Apoſtolicæ Sedis facul-

facultatem præsumpsit damnare. Addit semper fuisse ita factum, & istud certò constare. Esse omnibus exploratum Canonem Apostolicum.

Eodem sanè modo in Hæresiarcham Nestorium processit sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Dorotheus Martianopolitanus Episcopus, secundæ Mœsæ Metropolita, in solemni Constantinopolitanæ Ecclesiæ Synaxi coram Præsidente Nestorio, & omni adstante Clero ac Populo dixerat pro concione: [Si quis Mariam esse Deiparam dixerit, Anathema sit.] Anathematizarat totam Christi Ecclesiam, omnes eius orthodoxos Episcopos, qui cuncti vna voce profitentur sacrosanctam Virginem esse Dei Matrem. Hinc grauissimè offensus Cyrillus scripsit: [Cum nos ipsi, quin etiamnùm in vita manemus, cæterique terrarum Orbis Episcopi, tùm Patres quoque nostri, qui hinc iam olim ad Deum profecti sunt, Anathemate ab illo percussi sumus, quid vetabat & nos quoque vocibus illius contraria scribere, ac dicere; Anathema, si quis Mariam Deiparam esse negauerit? Verùm id hactenùs propter illum facere nolui, ne sint qui Episcopum Alexandrinum, Ægyptiamuc Synodum Anathematis sententiam in Nestorium tulisse, atque ita suæ potestatis limites transiliisse dicerent.] Affirmat id spectare ad Occidentis Synodum, ad Episcopum Romanum. Vti Alexandrinum Episcopum, ac Ægyptiam Synodum, ita Occidentis Synodum, & Romanum Episcopum habet pro eisdem. Causa Præsidentiæ. Quod est notandum. Etiam in suis ad sanctum Pontificem Cœlestinum literis Cyrillus de multis Nestorij in se iniurijs, de pertinacia in hæresi, de impudenribus eius blasphemijs plura refert, & concludit: [At quamvis res ita se habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter deferere ausi sumus, quàm hæc ipsa Pietati tuæ indicaremus.] Plura sunt huiusmodi antiqua exempla. Eandem ergò regulam secuti sunt Gallicani Episcopi, & sanctus Cyprianus: Martianum damnare non sunt ausi sine præceptione Stephani. Hinc Romam retulerunt, & Pontificem vrserunt.

Epist. 6.

Epist. 9.

Error tertius est, quod hæc Cypriani verba, [Quod necdum à nobis videatur abstentus,] asserunt Gallicanis Episcopis fuisse aliquid dependentiæ à Carthaginensi. Etenim illa adhærent his præcedentibus: [Nè vltra Marcianum Collegio nostro insultare patiantur.] Respiciunt auitum Ecclesiæ morem & Canonem, ex quo Patriarcha, ac præsertim Romanus Pontifex, super degradati à se Episcopi nomine per omnes Diœceses mittebat subscribendam Tractoriam, atque ita suum Iudicium iubebat ab omni Episcopali Collegio confirmari. Damnatum à se Episcopum iubebat ab omnibus Collegis condemnari, & abstineri. Huius Canonis executionem fieri per Gallias rogat à Stephano Cyprianus, vt ita facinorosus Marcianus se videat abstentum ab omnibus, etiam sibi subiectis Episcopis, ac proindè desinat toti per istam Diœcesim Episcopali Collegio, ac presertim subiectæ sibi Prouinciæ furiosus insultare. Proinde voces, *A nobis*, non solos Stephanum, & Cyprianum, sed comprehendunt cunctos generatim Episcopos, ideòque Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus irrito conatu aliquid ex ipsis venatur. Fateor tamen sanctum Cyprianum, vtpotè nouæ in Lapsos clementiæ Authorem, singulariter in Martiani damnationem influxisse, ac debuisse influere. Non ob suæ Sedis, sed ob singularem istius sui operis authoritatem. Quare risu digna sunt hæc verba Quesnelli: [Quid porrò Cyprianus de Pontificis Romani circa depositionem Episcoporum potestate senserit, non est huius loci inquirere. Satis clarè mentem suam aperit alijs in locis. Sufficit, quod ad rem præsentem spectat, probasse, nihil in causa Martiani postulasse Gallos à Stephano Papa, quod à Cypriano similiter non petierint, nihil Cyprianum scribi voluisse in Gallias à Romano Pontifice, quod ipse non scripserit; totamque demùm causam Synodi Gallicanæ potestati fuisse relictam.] Attamen hoc non est Romanæ Appellationis, sed primæ instantiæ exemplum. Euincit Gallicanos Metropolitas in prima etiam instantia, ideoque & Prouinciales Episcopos in causis appellatis semper pleno iure spectasse ad Tribunal Romanæ Ecclesiæ.

Adducenda sunt & hæc R. P. Paschasij Quesnelli verba: [Video quidem authores nonnullos magni nominis hanc epistolam mirum in modum iactare pro suprema Pontificis Romani in Episcopos deponendos potestate. Quos æmulatus, aut etiam prætergressus nouitius quidam Scriptor multa congerit, homine causis forensibus procurandis addicto digniora, quàm in Theologia versato.] Per istos magni nominis Authores existimo intelligi Iacobum Pamelium, ac Nicolaum Rigaltium. Hi enim ex hac epistola non iactant, sed demonstrant supremam Romani Pontificis in deponendis Episcopis potestatem. Vtriusque Scriptoris verba, profectò alta, ac reuerenda, adduxi superiùs. Nec dubitandum, quin Rigaltius, vir Laicus, ac Regij Tribunalis Præfectus, scripserit ex communi sensu totius Galliæ. Ex eodem sensu, & quidem per longè altiora verba, scripsit istius R. P. Paschasij Magister Dominus Petrus de Marca: [Summum ius Romanæ Sedis in sententia de rebus ad se relatis ferenda disertissimis verbis Cyprianus agnouit. Quod euidentissimè patet in causa Martiani Arelatensis Episcopi, qui se Nouatiani, à Sacerdotibus Dei per totum Orbem abstenti, partibus adiunxerat. Faustinus Episcopus Lugdunensis, & suæ Prouinciæ Co-Episcopi, qui Martianum Sacerdotio deijcere non poterant, quod alterius Prouinciæ, nempè Narbonensis, esset Episcopus, hac de re Stephanum Papam Relatione sua monuerunt.] Et post varia prosequitur: [Sed illustriora sunt verba, quæ sequuntur, quibus decernendi & pronuntiandi de re proposita, iuxta sententiam Gallicanorum, & Africanorum Episcoporum, potestas Romanæ Ecclesiæ asseritur, eique plenissima executionis cura demandatur.] Adducit laudata sancti Cypriani verba, & concludit: [Nulla industria Nouatores hoc Cypriani testimonium eleuare possunt. Futilis est enim illa responsio, non deponi à Stephano Martianum, sed deponendum declarari. Quin immò conceptis verbis Cyprianus

nus exigit à Stephano, vt suis literis Martianum damnet, atque adeò alium substituendum decernat.] R. P. Paschasius dignetur suum Magistrum attendere & imitari: Et ob eius imitationem non reprehendere, ac elogijs insignire eruditum virum Ioannem Dauid.

CAPVT VI.

Discutitur aliud, ex S. Cypriano adductum, Romanæ Appellationis Exemplum.

BAsilides Asturicensis in Hispania, & Martialis Emeritensis ibidem Episcopus, ob Idololatriæ libellos, ac alia crimina à suis Synodis degradati, Romam appellauerant, & per sanctum Stephanum Pontificem fuerant reparati, ac restituti. Et quidem Asturicenses in Basilidis appellantis locum elegerant, & consecrarant Sabinum. Emeritenses, Romanam Appellationem reueriti, videntur non superordinasse. Quidquid sit, per istam reparationem, & reparatorum ad suas Sedes reditum turbatæ fuerunt istæ Ecclesiæ, & sancti Cypriani Synodum consuluere. Hæ literæ perierunt, ipsarum tamen substantiam nouimus ex Synodali rescripto sancti Cypriani: [Cum in vnum conuenissemus, legimus literas vestras, quas ad nos per Felicem, & Sabinum Episcopos nostros pro fidei vestræ integritate, & pro Dei timore fecistis, significantes Basilidem, & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conscientia vinctos, Episcopatum gerere, & Sacerdotium Dei administrare non oportere, & desiderantes rescribi ad hæc vobis, & iustam pariter, ac necessariam sollicitudinem vestram, vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ subleuari.] Epistola enumerat vtriusque degradati Episcopi facinora, & pergit: [Frustra tales sibi Episcopatum vsurpare conantur, cum manifestum sit eiusmodi homines, nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificio offerre debere. Maximè cum iam pridem nobiscum, & cum omnibus Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius Collega noster, Sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuerit eiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab Ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi. Nec vos moueat, Fratres dilectissimi, si apud quosdam in nouissimis temporibus, aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligiosus vacillat, aut pacifica concordia non perseuerat.] Et tandem concludit: [Quare etsi aliqui de Collegis nostris exstiterunt, qui Deificam disciplinam negligendam putant, & cum Basilide, & Martiale temerè communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet, &c.]

Discimus hinc varia. Primò, quod Basilides, & Martialis fuerint Romæ per Stephanum Pontificem reparati, & quod Stephanus ipsis, vt integris Episcopis communicauerit, atque vt tales remiserit in suas Sedes. Item reducibus non dumtaxat Laici, aut Clerici, sed etiam quidam Hispaniarum Episcopi plenè communicarunt. Quidquid alij ipsos Apostolicæ Sedi obrepsisse, ideoque non admittendos, sed magis puniendos instarent, isti perrexerunt in suo opere, reueriti qualecumque Romani Pontificis iudicium. Perrexerunt, & isti alij. Et ad hos sanctus Cyprianus multis demonstrant damnatorum Episcoporum communionem esse contagiosam, atque vitandam, & concludit: [Propter quod integritatis, & fidei vestræ religiosam sollicitudinem, Fratres dilectissimi, & laudamus pariter, & probamus, & quantum possumus, adhortamur literis nostris, ne vos cum profanis, & maculatis Sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, & vt sinceram fidei vestræ firmitatem religioso timore seruetis.]

Secundò discimus fundamentum, ex quo quidam Hispaniarum Episcopi crediderint Basilidem, & Martialem, licèt criminum reos, fuisse per Stephanum legitimè reparatos. Discimus ex his verbis: [Cornelius Collega noster decreuit eiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab Ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.] Episcopi illi censebant nuperum clementiæ in lapsos Decretum esse non pro solis Laicis, sed etiam pro Episcopis, & Clericis, ideòque ipsos potuisse in sui quoque gradus communionem redintegrari. Quod ipsum suadent hæc verba: [Præceptis Diuinis necesse est obsequia nostra deseruiant, nec personam in eiusmodi rebus excipere, aut aliquid cuiquam largiri potest humana Indulgentia, vbi intercedit, & legem tribuit Diuina præscriptio.] Eodem errore laborarunt Antonianus, & quidam alij intra Africam Episcopi; Crediderunt istius Decreti vigore lapsum Episcopum Trophimum fuisse à sancto Cornelio plenè reparatum, ideòque ipsum, vtpotè Apostolicæ regulæ præuaricatorem, noluerunt agnoscere in Pontificem. Erat crassus error. Etenim Decretum omninò se extendebat etiam ad Clericos, atque Episcopos; Verùm pro sola laica communione.

Tertiò discimus causam, ex qua Hispaniarum Ecclesię in tanto dubio habuerint recursum ad sanctum Cyprianum, ab eius sententia exspectantes auxilium, aut solatium. Quia videlicet ille fuerat istius clementis Decreti auctor, ideòque reperiri non poterat securior interpres.

Audiendus est reliquus sancti Cypriani contextus. Exponit Apostolicam Episcopalis electionis formam, laudat ipsam vigere in Hispaniarum Ecclesijs, & prosequitur: [Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri Ordinatione, vt de vniuersæ Fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur, & manus in locum Basilidis imponeretur. Nec rescindere Ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longè positum, & gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi se iniustè in Episcopatum,

tum, de quo fuerat iustè depositus. Hoc cò pertinet, vt Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta, vt ad illa superiora peccata eius: etiam fallaciæ,& circumuentionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest. Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quominùs ipse quoque delictis grauibus inuolutus Episcopatum tenere non debeat, &c.]

Etiam ex his verbis plura addiscimus. Primò, Sabinum, nouum Asturicensem Episcopum, fuisse à solis quibusdam præsentibus Prouinciæ Episcopis electum, & consecratum, reliquos verò consensisse per literas. Et hanc formam sanctus Cyprianus affirmat esse Apostolicam. Est illa ipsa, quam postmodò instaurauit, & confirmauit quartus Canon Nicænus. Secundò discimus, quod Basilides, & Martialis, à suis Synodis degradati, Romam appellauerint, & accesserint, fuerintque per sanctum Stephanum restituti. Tertiò, quòd Stephanum per obreptiones circumuenerint, ideòque cassa fuerit ista reparatio: Quod ipsorum crimina non purgauerit, sed auxerit. Quartò, quod Stephanus sibi obrepi negligenter permiserit. Quintò, quod Asturicensis Ecclesia Basilidis Appellationem spreuerit, vt friuolam, ideòque Sabinum sibi in nouum Episcopum consecrauerit. Sextò, quod Emeritensis Ecclesia sui Episcopi Martialis Appellationem fuerit reuerita, atque ideò cessauerit à noua electione & consecratione. Et sanctus Cyprianus videtur sensisse cum Asturicensibus. Ex quo discimus similem noui Episcopi creationem tùnc fuisse ancipitem: Diuersas & aduersas de ipsa fuisse sententias. Quidquid sit, istud Cypriani iudicium Africana Ecclesia non fuit amplexa.

Epist. 162. Etenim in literis ad quosdam Donatistarum Episcopos sanctus Augustinus Secundum Tigisitanum Episcopum, Numidiæ Primatem, eiusque Synodum grauissimè arguit, quod damnato per ipsos Ceciliano Carthaginensi Archiepiscopo, antequam ista damnatio confirmaretur per Romanam Ecclesiam, Maiorinum superordinassent. Supponit hanc regulam isto etiam tempore fuisse certam apud omnes Afros: Et Orthodoxos & Donatistas. Et loqui nequit ex Sardicensi Canone: Constat enim istos Canones Afris, etiam sancto Augustino, fuisse ignotos. Et sanctus Cyprianus videtur non negasse regulam: Videtur duntaxat asserere, quod in Basilidis manifestè friuola appellatione non habuerit locum. Eamdem Romana Ecclesia semper tenuit constantissimè. Hinc de damnato, & suæ causæ desertore Euaristo Episcopo scripsit ad sanctum Cyprianum sanctus

Epist. 48. Cornelius Pontifex: [Euaristus auctor Schismatis fuit, & Successor plebi, cui ante præfuerat, Zetus in locum eius est Episcopus constitutus.] Ex noui Episcopi constitutione concludit datum de Euaristo iudicium iam transijsse in rem indicatam, & nullum esse locum retractationi. Esse Apostolicum Canonem, suo loco demonstrabitur.

Audiamus nùnc Paschasij Quesnelli de his censuram: *Priori*, per Prouinciæ Synodum datæ, [Sententiæ standum esse respondit Cyprianus, omisso Stephani iudicio, quod rescindere Ordinationem alterius episcopi, in locum Basilidis substituti, iure perfectam non potuit. Basilides porrò appellatione sua aliud non profecit, quàm vt cumularet delicta, & ad priora peccata eius etiam fallaciæ, & circumuentionis crimen accederet.] Respondeo aliud esse aduersari Romanæ appellationis operi, ac effectui, aliud eius auctoritati. Non hoc, sed istud fecit Cyprianus. Stephani in datas contra Basilidem, & Martialem à Prouinciæ Synodo sententias auctoritatem palàm profitetur, ast ipsarum cassationem affirmat factam per obreptionem, ideòque, & appellationem, & Papale iudicium rectè fuisse refutata ab Hispanis. Quod obreptio esset manifesta. Hinc enim scribit: [Quapropter cum, sicut scripsistis, Fratres dilectissimi, & vt Felix, & Sabinus Collegæ nostri asseuerant, vtque alius Felix de Cæsaraugusta, fidei cultor, ac defensor veritatis, literis suis significat, Basilides & Martialis nefando idololatriæ libello contaminati sint, &c.] Tantis testimonijs Cyprianus fidem adhibuit, ideòque censuit Stephanum non sine potestate, sed per errorem iudicasse. Quid Stephanus circa istos episcopos egerit, non plenè constat. Certum est, quod ipsos non repararit per potentiam, aut dispensatoriam gratiam. Hæc enim ignorabat istorum temporum immobilis disciplina. Certum item est, quod ipsos ob Appellationis reuerentiam reuestiuerit. Quid de retractatorio ad plenam reparationem iudicio fecerit, aut faciendum sanxerit, ignoro. Quidquid sit, hoc exemplum manifestè, ac firmè euertit commenta Paschasij Quesnelli.

CAPVT VII.

Adducuntur alia antiqua Romanæ Appellationis Gallicanæ Exempla.

PAschasius Quesnellus ad Romanas appellationes è Gallia proscribendas adducit, & alia exempla. Primum est Euphratæ Coloniensis Episcopi, Metropolitæ per secundam Germaniam, ab Agrippinensi Synodo degradati propter hæresim. Blasphemabat enim, & docebat Christum Dominum fuisse purum hominem. Quesnellus adiungit: [Euphratas de sententia Synodi per appellationem ad Sedem Romanam deferenda ne cogitauit quidem.] Respondeo non esse mirum. Constabat enim de crimine, & plena sententiæ iustitia. De ipso enim edixit S. Maximinus Treuirensis Episcopus, primæ Belgicæ Metropolita: [Perditum & blasphemum Euphratam omnis mundus iam ore Domini cognouit esse damnatum.] Et Seuerinus Sennonensis Episcopus: [Constat Euphratam subscriptione Fratrum plurimorum in Spiritum Sanctum blasphemasse, negando Christum Deum.] Et Iesses Spirensis Episcopus: [Non solùm epistolis omnium ecclesiarum, quæ audierunt Euphratam negare

Chri-

Christum Deum, sed ego ipse auribus meis audiui sub præsentia Martini Consenioris nostri, & Metropij Presbyteri, & Victoris Diaconi.] Victor wormatiensis episcopus addidit reum fuisse multorum aliorum criminum. Proinde non Romanæ Sedis impotentia, sed manifesta sententiæ iustitia Euphratam retraxit ab appellatione. In Gallia Christiana Fratres Sammarthani perperam affirmant illum damnatum ob Arianam hæresim. Etenim aliud in suo suffragio habet Valerianus Antisiodorensis episcopus: [Euphratas, falsus Doctor, nudum tantùm hominem asserit Christum.] Fuit è fæce Pauli Samosatensis, aut Marcelli.

Respondeo secundò non esse improbabile, quod Euphratas appellauerit ad Romanam Ecclesiam, aut ad eius gratiam supplex confugerit. Etenim sequenti post hanc synodum anno, vti integer & Canonicus Episcopus, adfuit & subscripsit Sardicensi Concilio, ab eodem vnà cum Vincentio Capuano Episcopo Legatus ad Imperatorem Constantium, supplicaturus relegatos ob Catholicam fidem episcopos, reuocari in suos gradus, & Sedes. Refert hæc in epistola ad suos Monachos sanctus Athanasius, & adiungit ambos fuisse viros mirificos, promptos ad quoduis facinus. Et vti tales à Constante Augusto per literas Fratri Constantio commendatos.

Euphratas fuit Arianis adeò odiosus, vt ipsorum apud Antiochiam Patriarcha Stephanus ipsi nocturnam meretricem sceleratissimè immiserit, non eius pudicitiam, sed famam deuastaturus. Et impudens scortum adeò veneratum fuit viri dormientis faciem, vt mox fugerit è cubiculo, & multis clamoribus infames Stephani dolos propalauerit. Et sanè Synodales Legatos, qui Decreta rogarēt à Principe in executionem mitti, oportuit esse viros integerrimos. Proinde oportet Euphratam ab infami prioris anni apud Agrippinam iudicio fuisse expurgatum plenissimè, ac reparatum. Sancti Seruatij Tongrensis Episcopi Acta affirmant in damnati Euphratæ locum fuisse mox ordinatum sanctum Seuerinum. Oportet omnia hæc fuisse ex integro exsufflata. Et exsufflari non potuere, nisi per Sedem Apostolicam: Vtique ab Euphrata inuocatam. Aut hæc vera sunt, aut ista Coloniensis Synodus nequit, vti eius acta habent, fuisse celebrata anno quadragesimo sexto quarti sæculi. Certè postmodò, post Sardicensem Synodum, celebrari non potuit. Etenim sancti Seruatij acta affirmant Euphratam præsente sancto Athanasio delirasse, adeoque & tunc temporis fuisse discussum Synodaliter, atque damnatum. Nempè dum post Tyriam Synodum à Magno Constantino proscriptus Athanasius exulabat in Gallia, & qui post Sardicensem Synodum eò non redijt, nec potuit redire. Imperator quippè Constans tunc statim fuit occisus à Tyranno Magnentio, & Occidentis Imperium est deuolutum ad Constantium, professum Athanasij aduersarium, atque ita isthuc ille proficisci non poterat, nec esse securus. Proindè nec Agrippinensis Synodus potuit celebrari post Sardicensem. Quidam existimant Euphratam fuisse integerrimum semper Episcopum, ideòque hæc omnia esse spuria figmenta: Similia illis, quæ circumferunt de Lapsu sancti Pontificis Marcellini.

Nec desunt fundamenta. Etenim nec sanctus Athanasius, nec quis alius apud Antiques authenticus Scriptor istorum meminit. Deindè quis credat tot, & tantos istius Agrippinensis Synodi Episcopos circa Euphratam fuisse circumscriptos, ideòque ipsum prouocasse ad Sedem Apostolicam, fuisse exsolutum à perperam iniectis vinculis, & reparatum? Præsertim quia Synodalia acta affirmant fuisse relapsum. Quomodo tanti viri adeò deuiassent? Præterea gratiosam, ac dispensatoriam lapsi, ac præsertim relapsi in hæresim Episcopi reparationē penitùs ignorabat disciplina istorum temporum. Et quomodò per gratiam reparatus, ideoque delicti sui stigmata adhuc portans Episcopus fuisset per Sardicensem Synodum honoratus tam gloriosa Legatione, & adiunctus, atque æquatus magno Capuanorum Vincentio? Quomodo Eusebiani, qui tanta clamarunt contra Marcellum, non plura clamassent contra Euphratam? Quomodò non clamassent esse relapsum hæreticum, bis damnatum, ab ipso etiam Athanasio? Quomodò hæc omnia, ipsi etiam Iulio non improperassent? Et certè sanctus Seuerinus videtur Euphratæ, tunc successisse. Etenim hic Sardicam profectus est, & istic omnibus fulsit in Episcopali gloria, Quæ omnia fortissimè suadent ista Agrippinensia acta esse infirma, & caduca. Est intricata quæstio. Et eius decisio non est necessaria ad nostrum Propositum.

Paschasius Quesnellus pergit ad secundum exemplum: [Ab Arelatensi Synodo, quæ Paulinum Treuirorum Episcopum Catholicum iniustè deposuit anno trecētesimo quinquagesimo tertio, à Biterrensi anni trecentesimi quinquagesimi sexti, vndè Saturnini Arelatensis opera sanctus Hilarius in exilium pulsus est, & à Parisiensi anni trecentesimi sexagesimi secundi, quæ ipsum Saturninum damnauit, appellatum esse non apparet, licèt iniusta Paulini, & Hilarij damnatio vtrique ad Romanum Pontificem confugiendi ius peculiare tribuerit.] Respondeo hanc fabulam sibi ipsi non cohærere. Etenim si Paulinus, & Hilarius habuerint peculiare ius suam iniustam damnationem referendi, ac item propter ipsam confugiend ad Apostolicam Sedem, omninò potuerunt etiam appellare. Ista enim relatio, & istud refugium fieri non poterant, nisi ad iniquum iudicium circumducendum, & recuperandum Episcopatum: Quæ quid sunt aliud, quàm Romana appellatio?

Quæstio est. Quare non appellauerint? Quidam respondent ipsos fuisse non dumtaxat damnatos ab istis Synodis, sed insuper à Principe relegatos. De Paulini relegatione scribit ad Imperatorem Constantium sanctus Hilarius: [Paulinum beatæ passionis virum, blandimento sollicitatum relegasti, & Ecclesiam sanctam Treuirorum tali Sacerdote spoliasti. Ipsum vsque ad mortem demutasti exilijs, & fatigasti. Extra Christianum quoque nomen relegasti: Ne panem, aut de horreo tuo sumeret, aut de Montani, Maximil-

læque antro profanatum exspectaret.] Eum Constantius relegauit in Phrygiam: Et istic, quò hæreticis communicare compelleretur, circumscripsit intra ciuitates Montanistarum. Deinde eorum damnatio, ac relegatio incidunt in annos, quibus deportati Liberij Pontificis Cathedram insedit intrusus Fœlix, cui nemo Catholicus poterat communicare. Hisce de causis aliqui censent neutrum, ab iniquis damnationibus prouocasse. Verùm hæc non concludunt. Istæ enim causæ impedire potuerunt appellationis prosecutionem, non ipsam appellationem. Hinc Romam appellarunt etiam sanctus Ioan: Chrysostomus, eius successor sanctus Flauianus, Eusebius Dorylæi, Theodoretus Cyri Episcopus, alijque plures, quos Regiæ relegationis violentia impediuit à Romano accessu, & prouocationis prosecutione.

Proindè respondeo sanctum Paulinum, itemque sanctum Hilarium, de hisce suis damnationibus censuisse istud ipsum, quod de attentata in sanctū Cyrillum per Ioannis Antiocheni Factionem damnatione censuit in Ephesino Concilio Acacius Melitinensis Episcopus, secundæ Armeniæ Metropolita: [Fieri non potest, vt hi, qui à sancta synodo desciuerunt, & prauæ opinioni Nestorij se adiunxerunt, quidquam contra Oecumenicę huius Synodi Præsides audeant efficere, cum nullam omninò habeant authoritatem.] Dixi istam sententiam fuisse non Episcopale iudicium, sed hostile conuicium, ideoque nulla opus fuisse appellatione, vel absolutione. Et hanc Acacij assertionem confirmauit, in relatione ad sanctum Cœlestinum Pontificem plena Ephesina Synodus, scribens istam sententiam fuisse non dumtaxat iniquam, & à Canonibus discrepantem, sed insuper Contumeliam, vtpotè attentatam citra quamuis potestatem. Idem de attentata per Nicænum Dioscori Patriarchæ Alexandrini Conuenticulum in magnum Papam Leonem, excommunicatione iudicauit in relatione ad Valentinianum, ac Martianum Imperatores vniuersa Chalcedonensis Synodus: [Dioscorus super alias suas nequitias aduersùs ipsam Apostolicam Sedem latrauit, & excommunicationis literas aduersùs sanctissimum Papam Leonem facere conatus est.] Huiusmodi Synodales hæreticorum in Orthodoxos latratus, sunt manifesta conuitia & attentata, ideòque nulla appellatione indigent, nulla circumductione. Sunt incruenta persecutio, incruentum martyrium. Disertè hoc scribit ipse Hilarius in libello ad Imperatorem Constantium, quem ipsi apud Constantinopolim tradidit in proprias manus: [Episcopus ego sum, in omnium Gallicarum Ecclesiarum, atque Episcoporum communione, licèt in exilio, permanens, & Ecclesiæ adhuc per Presbyteros meos communionem distribuens. Exulo autem, non crimine, sed factione.] Apud aduersantem sibi Principem, intrepidus adseuerat se esse, non degradatum, sed exulem: Et quidem non crimine, sed factione. Se adhuc esse plenum Episcopum, & talem agnosci ab omni Gallia: Vtpotè qui in omnium istic Episcoporum, ac Populorum communione permaneat, eamdemque per suos Vicarios Presbyteros pleno iure distribuat Pictauiensi Ecclesiæ. Gallicana Ecclesia norat auitam, posteà à Pelagio Primo Pontifice, in literis ad Narsetem, Patricium laudatam, ac expositam, Regulam, quæ per talia hæreticarum, aut schismaticarum Synodorum facinora, affirmat neminem à Sacerdotum Collegio, aut Christianitatis consortio separari, sed elongari à polluto ipsorum contagio. Eamdem secutus fuit gloriosus Treuirensium, Antistes Maximinus, dum in damnatum ab Eusebianis, & ab Augusto Constantio proscriptum Athanasium fecit, quod in Eusebiani Chronici supplemento laudat sanctus Hieronymus:] Maximinus Treuirorum Episcopus clarus habetur, à quo Athanasius, dum à Constantio quæreretur ad pœnam, honorificè susceptus est.] Eadem ex regula, idem Hieronymus scribit in illustrium virorum Catalogo: [Hilarius factione Saturnini Arelatensis Episcopi, de Synodo Biterrensi in Phrygiam relegatur.] Addit in Dialogo contra Luciferianos: Hilarium de prælio reuertentem Gallicana Ecclesia complexa est. Citra omnem appellationem, aut reuestitionem. Quod ipsum censuit omnis, etiam Orientalis Ecclesia. Nam & Seleuciensis Synodus sanctum Hilarum, licèt damnatum & exulem, citra omnem absolutionem admisit ad consessum, atque suffragium.

Act. 4.

Epist. 3.

Eadem est ratio sancti Paulini. Imitatus est suum gloriosum antecessorem Maximinum, eiusque Collegas, Hosium Cordubensem, Protogenem Sardicensem, aliosque plures, quos norat à crudelissima Philippo. Politani Conuenticuli sententia numquam appellasse. Quis enim appellet ab istiusmodi contumelijs? Hinc Paulinum Treuerensis Ecclesia, quia viuum recipere non potuit, defunctum è Phrygia reportauit in Galliam, & vti canonicum Episcopum, immò vt triumphantem Martyrem, gloriosè sepeliuit.

Tertium Paschasij Quesnelli exemplum est Hæresiarcha Priscillianus. Eius acta sunt breuiter audienda. Sanctus Sulpitius Seuerus in Chronico affirmat à Priscilliano adhuc laico, etiam Iustinianum, ac Saluianum, Hispaniarum Episcopos, fuisse seductos, & pergit: [Quo Adyginus Cordubensis Episcopus comperto, ad Idacium emeritæ ætatis Sacerdotem refert. Igitur post multa inter eos certamina apud Cæsar-Augustam synodus congregatur: Cui tum etiam Aquitani Episcopi interfuere. Verùm hæretici committere se iudicio non ausi. In absentes tum lata sententia, damnatique Instantius, & Saluianus Episcopi, Elpidius & Priscillianus laici. Additum etiam: Vt si quis damnatos in communione recepisset, sciret in se eamdem sententiam promendam.] Hac sententia Instantius, & Saluianus offensi Priscillianum ad ampliandas sui erroris vires creàrunt Episcopum Labinensem, & S. Sulpitius prosequitur: [Tunc Idacius, atque Ithacius,] Orthodoxi Hispaniæ Episcopi, [acriùs instare, arbitrantes posse inter initia malum comprimi. Sed parum sanis consilijs sæculares iudices adeunt, vt eorum Decretis, atque executionibus hæretici vrbibus pellerentur. Igitur post multa & fœda, Idacio supplicante elicitur à Gratiano, tunc Imperatore

L. 2. c. 61.

tore

tore rescriptum; quo vniuersi hæretici excedere non Ecclesijs tantùm, aut vrbibus, sed extra omnes terras propelli iubebantur. Quo comperto Gnostici diffisi rebus suis, non ausi iudicio certare, spontè cessere, qui episcopi videbantur, cæteros metus dispersit. At tum Instantius, Saluianus, & Priscillianus, Romam profecti, vt apud Damasum, Vrbis à tempestate episcopum, obiecta purgarent. Hi vbi Romam peruenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem eius admissi sunt. Regressi Mediolanum, æquè aduersantem sibi Ambrosium repererunt. Tum vertere consilia, vt quia duobus episcopis, quorum ea tempestate erat summa authoritas, non illuserant, largiendo & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent.] Ita corrupto Macedonio: tùm Magistro Officiorum rescriptum eliciunt, quo calcatis, quæ priùs decreta erant, restitui Ecclesijs iubebantur. Ita Instantius, & Priscillianus redierunt iactabundi in Hispaniam, & suas receperunt Ecclesias. In ipsis permanserunt, vsque ad inuasum à Maximo Imperium, & Sulpitius prosequitur: [Vbi Maximus Oppidum Treuirorum victor ingressus est, Ithacius ingerit preces, plenas in Priscillianum, ac socios eius inuidiæ, atque criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hispaniarum literis, omnes omninò, quos labes illa inuoluerat, deduci ad Synodum Burdigalensem iubet. Ita deducti Instantius, & Priscillianus. Quorum Instantius, prior iussus causam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus verò, ne ab Episcopis audiretur, ad Principem prouocauit. Permissumque id nostrorum inconstantia: Quia, aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, alijs episcopis audientiam reseruare.]

Hæc postrema appellatio facta est anno tertio post mortem sancti Damasi. Eius meminit etiam Prosper in Chronico: [Priscillianus in Synodo Burdigalensi damnandum se intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit. Auditusque Treuiris ab Euodio Præfecto Prætorio, à Maximo gladio addictus est]. Omnem rei seriem edicit in suo
Anno 386. Chronico Idacius Lemicensis Episcopus: [Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, per Episcopos, quos sibi in eadem prauitate collegerat, Abulæ Episcopus ordinatur. Qui aliquot Episcoporum Concilijs auditus Italiam petit, & Romam. Vbi ne ad conspectum quidem S. S. Episcoporum Damasi, & Ambrosij receptus, cum his, cum quibus iuerat, redit ad Gallias. Inibi similiter à sancto Martino Episcopo, & ab alijs Episcopis hæreticus iudicatus, appellat ad Cæsarem: Quia in Gallijs his diebus Maximus Tyrannus obtinebat potestatem Imperij]. Rectè scribit Priscillianistas ab aliquot Synodis fuisse auditos in Hispania, & damnatos. Et hi ab omnibus istis Romam appellarunt, atque accesserunt.

At longè aliud censet Paschasius Quesnellus. Etenim de postrema ad Imperatorem Maximum prouocatione scribit: [De Romano Episcopo ab alterutro appellato nulla mentio]. Respondeo non esse mirum. Qua enim fronte scelerati homines, qui sancto Damaso detecti non potuerant illudere, seù obrepere, ideòque nec eius faciem fuerant permissi videre: Qui insuper ad euadendum istud totius Hispaniæ, ac Apostolicæ Sedis iudicium fecerant perfugium ad laicas Potestates, ipsas pecunia corruperant, atque ita rursum turbarant, & macularant plures Ecclesias. Qua, inquam, fronte isti prouocassent, aut accessissent ad Successorem Siricium? Norant se per ipsum eodem modo tractandos. Hinc vti Gratiani Ministros auro deprauarant, ita sperarunt, & ipsum Maximum inescare, ideòque ad ipsum prouocarunt.

Maior est Paschasij Quesnelli fiducia circa primam appellationem. Quærit, cur sanctus Damasus appellantes, nec ad suam faciem admiserit? Et respondet rationem esse hæc Cæsar-Augustanæ Synodi verba: [Si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eamdem promendam sententiam]. Respondeo hæc iterùm olere Eusebianæ Factionis proteruiam. Etenim, & ista factio sanctum Iulium Pontificem censuit cecidisse in inflictam sancto Athanasio damnationem, quod eum à se damnatum ille in communionem recepisset. Suarum Synodorum sententias censuit non posse deuolui Romam, nec istic retractari, longè minùs corrigi, aut exsufflari. Et quidem illi agebant de solis Patriarchalibus, aut totiùs Orientalis Ecclesiæ Synodis; at verò Paschasius Quesnellus scribit de Synodis Occidentalium Prouinciarum, quas suo Patriarchæ subdi nemo est vnquam inficiatus. Proindè sanctus Damasus nequaquam timuit istud contagium, sed secutus est antiquissimum Romanæ Ecclesiæ morem, ex quo sanctus Papa, & Martyr Stephanus sancti Cypriani, circa Baptismum errantis, [Legatos Episcopos, nec ad sermonem colloquij saltem communis admisit], & omne illis apud fideles interdixit hospitium. Ita in famosa sua epistola testatur Firmilianus, apud Cappadoces Archiepiscopus Cæsaræiensis. Eodem modo magnus Papa Leo tractauit Eutychianos Legatos Alexandrinæ Ecclesiæ: Legati nec ad faciem vsque salutationis admissi, sine aliquo effectu reuersi sunt]. Ita Dioscorus Presbyter, & Cheræmon Lector, eiusdem Ecclesiæ apud Constantinopolim Apocrisarij, questi sunt Cresconio, & Germano Episcopis, istic Legatis Anastasij secundi Pontificis. Etiam de Petro Fullone, Antiochiæ Patriarcha, & Ioanne Apamæensi Episcopo, Metropolita Secundæ Syriæ, Eutychianis hæreticis, scribit Narratio de Eutychianæ perfidiæ successu, vsque ad damnatum Acacium Constantinopolitanum Episcopum: [Acacius petijt Apostolicam Sedem, vt si ad eamdem confugerent, ne ipso quidem digni haberentur adspectu]. Et de sancto Agapeto Pontifice, Constantinopolim aduecto, scribit in Breuiario Liberatus Diaconus: [Agapetus Anthimi], hæretici ac intrusi Constantinopolitani Patriarchæ, [præsentiam spreuit, Cap. 21.
cumque ad salutandum suscipere noluit]. Et nullis Principum, ipsius etiam Augustæ Theodoræ promissis, precibus, aut minis ad id se permisit inclinari. Et de Græcorum Episcopis, sibi circa tria famosa Capitula obedire de-

detrectantibus, ad omnem Ecclesiam scripsit Vigilius Pontifex: [Eos vlteriùs non permisimus esse nostræ communionis participes, nec adspectus eorum oculi nostri receperunt]. Hinc, & Pyrrhus, Eutychianus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistes, à sancto Abbate Maximo conuictus, & confusus, humiliter supplicauit: [Hoc vnum, & solum rogo, primùm quidem, vt merear Apostolica Delubra, magis autem ipsos Apostolorum Principes adorare. Deindè verò, vt liceat sanctissimum Papam in faciem videre, eique libellum eorum, quæ absurdè gesta sunt, tradere] Et sanctus Maximus, ac Gregorius Patricius responderunt: [Quando tua propositio bona est, atque vtilis, sic fiat]. Tùnc Pyrrhum ex Africa portarunt Romam, & sanctus Maximus pergit: [In hanc celeberrimam Vrbem Romam cum Pyrrhus venisset nobiscum, Promissum impleuit, damnauitque impiæ Ecthesios dogmata, ac se per rectam professionem, cum sancta Ecclesia coninnxit]. Et fuit admissus ad faciem Pontificis. Nemo Hæreticus, nisi post conuersionem, & solemnem Hæresis abiurationem, potuit vnquam hanc videre. Et hanc regulam secutus est sanctus Damasus in Priscillianum.

CAPVT VIII.

Examinatur Imperatoris Gratiani Lex, quæ omnes Occidentalis Ecclesiæ Metropolitas Episcopos iussit in prima etiam instantia iudicari à Romano Pontifice.

ZOzimus Pontifex ad se traxit primam instantiam Proculi Massiliensis Episcopi, se nouum secundę Narbonensis Prouincię Metropolitam prętendētis, & de hac re scribit Paschasius Quesnellus: [Hoc illustrissimus Petrus de Marca dicit actum esse Romę post Gratiani legem promulgatam, quæ Romani Pontificis iudicio commiserat Metropolitanos, quamque meritò iure non multi faciebant Gallicani, vtpote consuetudini Ecclesiasticæ, receptisque regulis aduersam. Quidquid sit de hac lege, quæ Canonum sanctiones infirmare non potuit, non est cur nos Zozimi conatus iste plurimum sollicitet]. &c. Anti-Papæ Vrsicini, licèt Coloniam Agrippinam relegati, Factio grauiter vexauit Ecclesias. Plures Episcopos mouit in rebellionem Romanæ Ecclesiæ. Hinc in Romana Synodo S. Papa Damasus ab Imperatoribus Gratiano ac Valentiniano postulauit plura auxilia, inter quæ fuit & hoc: [Iubere Pietas vestra dignetur, quicumque vel Fratris nostri Damasi, vel nostro iudicio, qui Catholici sumus, fuerit condemnatus, atque iniustè voluerit retinere Ecclesiam, vel vocatus à Sacerdotali iudicio non adesse, accitus ad Vrbem Romam veniat, aut si in longinquioribus Partibus huiusmodi emerserit quæstio, ad Metropolitani deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Iudices dederit, contendere sine dilatione iubeatur].

Et Principes in eadem verba rescripserunt. Paschasius Quesnellus cum Petro de Marca censet, & Synodum postulasse, & Principes sanxisse contra Canones.

Respondeo hanc esse enormem contumeliam, & in istam Synodum, & in istos Principes. Quæ contumelia maior, quàm tantum Pontificum, eiusque Apostolicam, cui S. Ambrosius adfuit, synodum de Apostolicorum Canonum infractione infamare? Apostolicum namque Canonem omninò laudat in relatione ad S. Cœlestinum Pontificem Ephesina Synodus, scribens contra Ioannis Patriarchæ Antiocheni factionem, ausam damnare S. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum: [Si quibuslibet potestas fiat maioribus Sedibus contumeliam inferendi, & in illos, in quos nihil iuris habent, sententias pronuntiandi, vsque adeò iniquas, & à Canonibus discrepantes, vel potiùs contumelias, in extremam confusionem res Ecclesiacæ delabentur]. Quod ipsum in causa Acacij Constantinopolitani Episcopi scribit in literis ad Dardaniæ Episcopos S. Gelasius, & suum rescriptum fundat in hac generali Regula: [Ab inferioribus Potior discuti non potest, aut iudicari] Etiam in Tomo de Anathematis vinculo scribit idem Pontifex: [Inferior Potiorem absoluere non potest.] Addit hunc esse perpetuum Ecclesiæ tramitem. Est Apostolica regula, quæ Clericum à proprio Episcopo, Episcopum à Metropolita, Metropolitam à Patriarcha, vel Exarcho, Exarchum, & Patriarcham semper iussit à Papa Synodaliter Iudicari. Hinc in Ephesino Concilio aduersùs Ioannem Antiochiæ Patriarcham, Synodali euocationi parere detrectantem, dixit Iuuenalis Hierosolymæ Episcopus: [Oportebat Ioannem confestim accurrere ad Apostolicam sedem Magnæ Romæ nobiscum confidentem, apud quam non est ex Apostolico ordine, & traditione, vt ipsa Sedes Antiochena dirigatur, & iudicetur]. Romanæ Sedi in hac parte adiunxit Apostolicum Hierosolymæ Thronum. At ex proprio arbitrio: Quo fucaret suum ambitum. Ex isto Canone Pentapolitana Ægyptiacæ Diœcesios Prouincia suum Patriarcham Dionysium, profani Dogmatis suspectum, detulit sancto Dionysio Pontifici: Et hic illum iudicauit. Hæresiarcham Nestorium, quod Constantinopolitana Ecclesia tùnc Patriarchalia iura ambiret, Sancto Cœlestino Pontifici detulit sanctus Cyrillus. Huius successorem Dioscorum Clerici Alexandrini accusarunt apud sanctum Papam Leonem. Plura sunt istiusmodi exempla. Arabici Canones Patriarcham à subdito Metropolita, nec accusari permittunt, nisi de consilio, & assensu alterius Patriarchæ.

Ex eadem regula Metropolitanus à suæ Prouinciæ Synodo nunquam damnari potuit aut iudicari, sed à solo Patriarcha, aut eius Synodo. Ita docet primus Canon Ephesini Concilij. Omnes quippè Episcopos, qui Synodo præsentes fuerant Ioannis Antiocheni Patriarchæ factionem secuti, damnat, & pergit ad absentes eius Congregales: [Si quispiam Metropolita Prouinciæ, derelicta sancta & oecumænica Synodo, aut accessit ad illorũ defectionis consessum, aut accedet inposterum,

rum, siuè cum Cœlestio sensit, siuè sentiet, ipse nihil ampliùs poterit agere aduersùm Prouinciæ Episcopos, vt qui iàm indè à Synodo totiùs Ecclesiasticæ communionis expers sit factus, & prorsùs inutilis; sed & ipsis Episcopis illius Prouinciæ, circumque vicinis Metropolitis recta sentientibus subiacebit, vt omninò deiectus à Sede Episcopatus]. Ephesina Synodus fuit in duas partes lacerata. Et istorum, qui Hæresiarcham Nestorium damnauerant, aut eius damnationi accesserant, atque subscripserant, Metropolitarum, ac aliorum Episcoporum aliqui, à Ioanne Patriarcha Antiocheno circumscripti, aut seducti, post-modò verterunt vela, recantarunt sua suffragia, & ad Ioannis factionem retrocesserunt. Hos castigat laudatus Canon. Et inter alias istius-modi Metropolitæ pœnas ponit, quod deinceps suæ Prouinciæ Synodo subfuturus sit, & ab ipsa iudicandus: Quia videlicet integer Metropolita ipsi non subest, nec ab ipsa potest iudicari. Hinc Edessenæ Metropolios Clerici suum Episcopum Ibam accusarunt non apud Synodum suæ Prouinciæ, sed apud [Magnum, & sanctum Concilium] Domni Patriarchæ Antiocheni. Ita habes in decima Actione Concilij Chalcedonensis: Et huius nonus Canon sanxit Clericum apud Episcopum, Episcopum apud Prouinciæ Synodum, Metropolitam esse conueniendum apud Diœcesios Primatem, aut apud Episcopum Regiæ ciuitatis Constantinopolitanæ.

Agit de Thracicæ, Asianæ, ac Ponticæ Diœcesios Metropolitis, quorum Consecrationem Constantinopolitanus inuaserat, & inuadere moliebatur etiam iudicialèm in ipsos authoritatem. Hoc Synodus noluit. Statuit Alternatiuam, positam in arbitrio Conuenientis. Interim Metropolitam noluit iudicari à sua Synodo. Quod ipsum confirmauit octaua Synodus. Sanxit vt damnatus à Metropolita Episcopus prouocet ad [Patriarchale Caput,] & adiunxit: [Insuper etiam nullo modo quisquis Metropolitanorum ab Episcopis Prouinciæ suæ iudicetur, sed à solo proprio Patriarcha.] Idem habent Arabici Canones, & adiungunt; [Patriarcha querelam vnius Archiepiscopi de alio Archi-Episcopo non accipiat, nisi altero Archiepiscopo ex Fratribus interueniente.] Ex simili nescio quo Canone Guntharius Coloniensis, & Thergandus Treuerensis Metropolitæ, à Nicolao primo Pontifice damnati, apud Ludouicum secundum Imperatorem conquesti sunt, quod isti iudicio nullus alter Metropolita adfuisset. Ex isto capite tentarunt iudicium exsufflare. Quæ omnia nequaquam ducunt originem ex lege Gratiani Principis. Hæc enim scripta fuit ad solam Occidentalem Ecclesiam, ad solùm Patriarchatum Romanum. Nec item sunt nouum ius: Sunt Canones innouantes, ac stabilientes Apostolicam traditionem.

Can. 16.
Can. 46.

Fateor tamen istos Canones, quandoq; non viguisse in Gallia. Etenim tertia Aurelianensis Synodus Episcopus, & Clericis rigidè interdicit omne extranearum mulierum contubernium, omnem præsertim carnis Lapsum, atque concludit: [Metropolitanus,] Can. 4. vtique lapsus, [à Comprouincialibus suis distringatur.] Et quinta Synodus sanxit: [Si Metropolitanus à Comprouinciali Episcopo bis fuerit in causa propria appellatus, & eum audire distulerit, ad proximam Synodum, quæ constituetur, negotium suum in Concilio habeat licentiam exerendi, & quidquid pro iustitia à Comprouincialibus suis statutum fuerit, studeat obseruare.] Vtique Metropolitanus. Quod ipsum repetit secunda Aruernensis Synodus. Paschasius Quesnellus dat causam: [Gratiani legem merito iure non multi faciebant Gallicani, vtpotè consuetudini Ecclesiasticæ, receptisque Regulis aduersantem.] Respondeo legem à Gallicanis Episcopis, nec contemptam fuisse, nec neglectam. Ea enim vsi sunt sub Pontificibus Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cœlestino, Sixto, Leone. Et ipsam ad magni Leonis preces innouauit contra sancti Hilarij nouitates Valentinianus tertius. Neglectus igitur causa fuit, non legis ad Ecclesiasticam consuetudinem, aut receptos Canones contrarietas, sed Galliæ inuasores Reges barbari, qui suis Episcopis interdixerunt Regni egressum, ac ipsum etiam Romanum accessum, eosque iusserunt esse contentos solis Relationibus. Ita testatur in literis ad Romanos Senatores Faustum, & Symmachum sanctus Auitus Archiepiscopus Viènensis. Hinc Metropolitæ, ne sibi impunis foret delinquendi, aut exeedendi licentia, semetipsos suarum Prouinciarum Synodis spontè submiserũt. Erat manifestè cõtra Canones. Hinc vnà cum multis alijs, per barbaros istos Reges intrusis, Ecclesiasticæ disciplinæ deprauationibus morem istum aboleuit, & Canonum vigorem reduxit magnus Imperator Carolus, Reparator Gallicanæ Christianitatis. Etenim in septimo Capitularium libro habemus: [Si aduersùs Prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem Diœceseos, & apud ipsum iudicetur, aut apud Sedem Apostolicam.] Primates, tunc habere incæpit Gallia: Hinc Capitulum aliquos apud suum Primatem, aliquos Metropolitas mandat apud Sedem Apostolicam iudicari. Vtique istos, qui non habebant Primatem. Est canon Chalcedonensis. Hæc eius verba, [Aut Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ.] Carolus transmutat in hæc: [Aut Sedem Apostolicam.] Hausit hoc ex fictitia epistola, quæ passim adscribitur sancto Iulio Pontifici. Et hinc videmus, quod Hincmarus Metropolita Remensis non cæperit primus hunc antiquum Canonem introducere in Gallias; Nam & Adrianus primus, dum Bituricensem Cathedram reposuit in Metropoliticam dignitatem, voluit eius Episcopum deinceps iudicari à sola Sede Apostolica. Eamdem regulam habent capitula, quæ Angilramus Metensis Episcopus, vel accepit ab eodem Pontifice, vel potiùs ipsi obtulit.

Can. 17.
Can. 16.
Cap. 241.

Canon tamen semper habuit exceptionem, quam in suo ad Ephesinam Synodum libello adduxit Charisius, Philadelphiensis in Lydia Ecclesiæ Præsbyter: [Omnes qui rectè sapiunt, ita comparati sunt, vt honorem semper, & quam decet obseruantiam spiritualibus maximè Patribus & Doctoribus de-

deferre desiderent. Si verò illos, qui docere debent, talia de fide auditoribus insonare contigerit, quæ omnium, & aures, & animos offendant, tunc sanè ordinem commutari necesse est, & prauæ doctrinæ Magistros à subiectis reprehendi.] Exceptionem in sua Romana, octavi concilij actis inserta synodo exponit Adrianus Secundus Pontifex, dicens de suo Antecessore Honorio, damnato ab Orientalibus: [Sciendum est, quia super hæresi fuerat accusatus, propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi, vel prauos sensus liberè respuendi.] Quæstio est, quid hic intelligatur per reprehensionem, ac resistentiam? Quidam censent intelligi solam facultatem accusandi, aut sanè se separandi ab errantis Prælati communione.

Respondeo tamen intelligi etiam facultatem iudicandi. Quisque priuatus, etiam Laicus, possit accusare Prælatum similem, ac eius communionem deserere; subdita autem Synodus habet authoritatem ipsius etiā iudicandi. Ita subiecta Antiochena Synodus damnauit, ac eiecit suum Patriarcham Paulum Samosatensem. Et Euphratam Coloniæ Episcopum, Metropolitam secundæ Germaniæ, damnauit propria Synodus. Et de Cosma Epiphaniensi, ac Seuerino Arethusæ Episcopo, Seueri Patriarchæ Antiocheni manifesta hæresi offensis, scribit Euagrius Epiphaniensis: [Cosmas, & Seuerianus primùm se à Seueri communione segregarunt, deindè libellum abdicationis ad eum mittunt.] Non est dubitandum, quin iste libellus fuerit Synodalis, formatus ab aliqua synodo. Similem synodum laudat antiqua, & authentica Entychiani successus Narratio, scribens de eiusdem sedis Patriarcha Petro Fullone:] Petrus, pulso Martyrio, Catholico Episcopo, per vilissimum populum, & hæreticos Sedem ipsius occupauit, continuòque est damnatus ab Episcopis, atque à Leone Imperatore Oasin deportatus.] Huiusmodi Synodale iudicium præfati Antistites fuerunt in Seuerum executi.

Notanda tamen sunt verba Charisij: [Quæ omnium & aures, & animos offendant.] Esse debet manifesta hæresis. Si dubia sit & palliabilis, opus est præuia Relatione ad Sedem Apostolicam. Hinc Dionysium, suum Alexandriæ Patriarcham, Pentapolitanę Prouinciæ Episcopi non præsumpserunt damnare, sed accusarunt apud Dionysium Pontificem: Quod nempe eius error esset dubius, non manifestus. Eadem de causa Iubaianus, Pompeius, alijque pet Africani Episcopi suum Primatem Cyprianum, praua de Baptismate docentem, non inuaserunt, sed detulerunt apud Stephanum Papam, quod eius error haberet aliquid fundamenti. Item dum error esset dubius, subiecta Synodus semper sibi adsociauit aliquem æqualem, aut etiam maiorem reo Metropolita, Primatem, aut Patriarcham. Ita Antiochena Synodus contra Paulum Patriarcham, processura ad definitiuam sententiam, adesse voluit Donysium Patriarcham Alexandrinum, ac item Firmilianum Cæsariensem in Cappadocia Episcopum, Exarchum Ponticæ Diœcesios. Et suum iudicium mox retulit ad Sedem Apostolicam. Ex eadem regula Coloniensis synodus, missura damnationis manum in suum Metropolitam Euphratam, sibi adiunxit Maximinum Treuerensem, & Valentinum Metropolitam Arelatensem. Et ex hoc fonte possit prodijsse Arabicus Canon, mandans Patriarcham, aut Metropolitam non iudicari, nisi præsente alio Patriarcha, aut Metropolita. Quod obseruatum voluit, etiam dum Metropolita iudicaretur à suo Patriarcha. Præfatæ exceptionis ratio est clara. Etenim manifestè hæreticus semetipsum damnat, ac degradat. Est opus non iudicio, sed sola declaratione, ac executione. Hanc Canones semper permiserunt etiam subiectæ synodo.

Eadem fuit ratio de peccato idololatriæ. Hinc enim Martialem Emeritensem Episcopum, Metropolitam Lusitaniæ, propria Synodus degradauit. Si tamen fuerit Metropolita, Etenim Ferdinandus Mendoza, Ioannes Mariana, ac alij Hispanicarum rerum periti, affirmant vsque ad Imperatoris Constantini tempora nullos in Hispania fuisse Metropolitanos Episcopos, sed tunc istic viguisse Hierarchiam Africanam, quæ acceptæ consecrationis ætate seniorem faciebat Primatem Prouinciæ. Et ipsorum assertio habet fundamentum in Canonibus Illiberitanis. Antiquam formam insigniter exponit in litteris ad quosdam Donatistarum Episcopos sanctus Augustinus, scribens aduersùs Secundum Tigisitanum Episcopum, Numidiæ Primatem, ausum damnare Cecilianum Cartaginensem Episcopum, Primatem, totius Africæ, quod diceret Ordinatum à Traditoribus. Cecilianus ad synodum euocatus adesse noluit, allegans Superiorem euocari non posse à Subditis. Hinc illum Secundus pro confesso habuit, & damnauit in contumaciam. Hunc impetum Augustinus grauiter improbat, & adiungit Secundum debuisse ad suam Synodum perorare in huiusmodi verba: [Videtis Fratres, post tantam stragem persecutionis misericordia Dei à Principibus sæculi pacem esse concessam, non debemus nos Christiani, & Episcopi vnitatem disrumpere Christianam, quam iam Paganus non insequitur inimicus. Epist. 162. Itaque aut omnes istas causas, quas clades turbulentissimi temporis inflixit Ecclesiæ, Deo Iudici dimittamus, aut si aliqui in vobis sint, qui certa istorum crimina ita nouerint, vt ea facilè valeant edocere, negantesque conuincere, & talibus communicare formidant, pergant ad Fratres, & Collegas nostros Transmarinarum Ecclesiarum Episcopos, & ibi primò de istorum Factis, & contumacia conquerantur, quod ad iudicium Collegarum Afrorum malè sibi conscij venire noluerint, & indè illis denuntietur, vt veniant, ibiq; obiectis respondeant. Quod si non fecerint, ibi eorum prauitas, & peruersitas innotescet, missaque Tractoria super eorum nomine per totum Orbem terrarum, quòcumque jam Ecclesia Christi dilatata est, ab omnibus Ecclesijs eorum communio præcidetur, ne aliquis error in Cathedra Ecclesiæ Carthaginensis oriatur. Tunc demùm securi Episcopum alium Plebi Carthagi-

thaginis ordinabimus, cum à tota Eccleſia illi fuerint ſeparati, ne fortè cum alius modò fuerit ordinatus, non ei communicetur ab Eccleſia Tranſmarina, quia iſte ab honore depoſitus non videbitur, quem iam ordinatum fama celebrauit, & ad eum commeare communicatorias literas fecit, atque ita magnum ſcandalum ſchiſmatis in vnitate Chriſti iam pacatis temporibus oriatur, dum præproperè noſtras volumus præcipitare ſententias, & non contra Cecilianum, ſed contra Orbem terrarum, qui ei per ignorantiam communicat, Altare alterum erigere audeamus.]

Sanctus Auguſtinus docet varia. Primò, quod Africana Synodus Primatem ſuum Cecilianum, ſi quidem eius, in traditionem lapſus erat certus, ac manifeſtus, potuerit euocare ad iudicium. Secundò, quod contumacem non potuerit cogere, nec damnare in contumaciam. Tertiò, quod contumacem debuerit deferre ad tribunal Romanæ Eccleſiæ. Quartò, quod Romana Eccleſia potuerit contumacem damnare, & ſuper eius nomine ad omnes ſub cœlo Eccleſias mittere damnationis Tractoriam. Quidam codices habent: [Tractatoriam.] Eſt mendum. Hæc omnia fundantur in Ceciliani Primatu, propter quem non ſubdebatur iſti Synodo. Quintò Auguſtinus docet, quod antè confirmatam à Romana Eccleſia Ceciliani damnationem nequiuerit procedi ad creationem novi Epiſcopi. Et addit cauſam: quia nempè ante iſtam confirmationem inflicta per Africanam Synodum degradatio non eſt firma; ideòque Sedes necdùm cenſetur vacare. Traditio, & per Traditores accepta Conſecratio erant crimina capitalia, grauiora hæreſi. Propter ipſa Cecilianus poterat iudicari à ſuis Subditis. Attamen Afrorum tanta erat in ſuum Primatem reuerentia, vt ipſum ſubdita ſynodus inuitum non potuerit ad ſe trahere, ſed contumacem debuerit Romam prouocare. Et iſtam Regulam noſcens Cecilianus recuſauit euocatus adeſſe: Maluit Romæ iudicari. Ex eadem regula CarthaginenſisDonatiſtarum ſynodus inuitum non potuerit ad ſe trahere, ſed contumacem debuerit Romam prouocare. Et iſtam Regulam noſcens Cecilianus recuſauit euocatus adeſſe: Maluit Romæ iudicari. Ex eadem regula Carthaginenſis Donatiſtarum ſynodus in ſuum Primatem Primianum fecit, quod in quarto contra Creſconium libro ſcribit ſanctus Auguſtinus: [Synodus ad Primianum non ſemel, ſed iterum, ac tertiò Legatus miſit, vt ſi ad eos ipſe venire nollet, ipſos ad ſe venire permitteret.] Quæ omnia non fundantur in lege Imperatoris Gratiani, ſed in Apoſtolico Canone, per iſtam Legem innouato, & confirmato.

Cap. 7.

Ex his addiſcimus cauſam, cur Narbonenſis Prouinciæ ſynodus ſuum Arelatenſem Metropolitam Martianum damnare non præſumpſerit: Cur item ſanctus Stephanus Pontifex in ipſo damnando fuerit lentior, & per iteratas ſancti Cypriani literas debuerit vrgeri. Quia nempè palmare eius crimen erat adhuc vtcumque ambiguum, nec plenè exploratum. Clemens ſancti Cornelij in Lapſos Decretum quidam Epiſcopi noluerunt admittere per hæreticam contumaciam, quidam per rigidam diſciplinam. Nam & de clementi ſancti Zephyrini in mæchos Decreto ſcribit ipſe Cyprianus ad Antonianum Epiſcopum:] Apud Anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſthìc in Prouincia noſtra dandam Pacem mæchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen à Coepiſcoporum ſuorum Collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt, vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur. Manente Concordiæ vinculo, & perſeuerante Catholicæ Eccleſiæ indiuiduo ſacramento, actum ſuum diſponit & dirigit vnuſquiſque Epiſcopus, rationem Propoſiti ſui Domino redditurus] Epiſcopi iſti clemens Zephyrini Decretum non impugnabant hæretica duritia, aut cenſura: Nequaquam cenſebant eſſe Diuinæ legis præuaricaricatorium. Cenſebant Mœchiam per Eccleſiæ claues poſt expletam pænitentiam poſſe abſolui: Attamen clementiam iſtam credebant ſuis populis non conuenire. Populis, de quibus poſtmodò ſcripſit ſanctus Saluianus: [Tam impoſſibile eſt Afrum eſſe caſtum, quàm Afrum non eſſe Afrum. Hinc illi à communi Eccleſiæ Altari ſe non ſepararunt. Hæc ipſa ſententiarum diuerſitas euenit Decreto Cornelij. Nam, & diù poſt Illiberitana Synodus quibuſdam, & mæchis, & lapſis negauit extremum Sacramentalis Reconciliationis viaticum. Cenſuit Antiquam diſciplinam eſſe ſuis populis conuenientiorem. Quod ipſum quidam Gallicani Epiſcopi adhuc conſuerunt multo tempore poſt Nicænum Concilium. Lucet ex literis ſancti Cœleſtini Pontificis. Porrò qua ſententia ageretur Martianus, videtur dudùm latuiſſe, ac fuiſſe obſcurum: Hinc nec Synodus ipſum fuit auſa inuadere, & Stephanus diſſimulauit. Tandem ille palàm blaterauit Decretum eſſe præ[illegible]ium Euangelici dogmatis. [illegible]feſſus eſt ſe docere cum No[illegible], erexit nouum Altare, euaſit manifeſtus hæreticus. Tunc Stephanus præuenit Synodum, functus officio.

C A P. IX.

Diſcutiuntur Ioannis de Gerbais Senſa circa laudatam Imperatoris Gratiani legem.

HÆc Lex mirificè ferit oculos nouarum hodie vocum Authoribus. Eloquentiſſimus igitur ille Magiſter noſter poſt impugnatam Valentiniani tertij pro Magni Leonis aduersùs Arelatenſem Hilarium Decretis legem pergit, ac ſcribit: [Non plus habet roboris lex altera, quæ à Gratiano paulò ante ad Relationem Concilij, tum Aquileienſis, tum Romani, edita erat.] Adducit palmaria legis verba, & concludit: [Non habet, inquam, lex iſta plus roboris, ſi fortè generaliter accipiatur. Nã & peccat iſta quoq; contra

Cano-

Canones, & quatenus Episcopos iudicandos decernit à Damaso, & quinque, aut septem Episcopis, & quatenus Metropolitanos promiscuè Episcopi Romani, aut virorum ab ipso deputatorum iudicio planè subijcit]. Hic nouarum vocum Dilector potiùs primas iudicandorum instantias, quàm iudicatorum Episcoporum Appellationes vult Apostolicæ Sedi subripere: Cunctos à suæ Prouinciæ Synodo, nullum vult posse à Papa damnari. Nec ipsos Metropolitas. Hinc Augusti Gratiani legem censet impingere in Canones. Istud hominum genus tentat nouam Hierarchiam fabricari, ideòque proterue asseuerat, quod ante ipsorum Gloriosum Magisterium nemo sub Sole intellexerit Canones.

Dico igitur istum eloquentissimum Magistrum hìc labi in duos errores. Primus est, quod lex in Canones peccet, quatenùs decernit Episcopos iudicádos à Romano Pontifice cum consilio quinque, aut septem Episcoporum. Lex enim sanxit de Suburbicarijs Romanæ Prouinciæ Episcopis, quorum Pontifex erat proprius Metropolita. Vastissima erat tùnc ista Prouincia. Omnis Italia non habebat nisi quatuor Metropolitas: Romanum, Mediolanensem, Aquileiensem, & Calaritanum. Proindè tùnc omnes à Liguria vsque ad Ionium mare intra italiam Prouinciæ, ipsaque etiam Sicilia spectabant ad Metropoliticam subiectionem Romani Pontificis, ac proindè nullus istic Episcopus iudicari poterat, nisi per eius synodum. At verò hanc tantam synodum adunare erat non parui moliminis. Longè maioris, quàm adunare aliquam Africanam. Hinc vti Africani Canones degradandorum Episcoporum potestatem soli cum duodecim Episcopis Primati crediderunt, ita perpetua Italiæ consuetudo illàm semper permisit soli Pontifici, cum consilio quinque, aut septem Episcoporum. Non cum Concilio, sed cum consilio. Rationem dat in sua ad Orientales Clericos, & Monacos synodali epistola sanctus Felix III. [Quoties intra Italiam propter causas Ecclesiasticas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo tenetur, vt Successor Præsulum sedis Apostolicæ, ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum cuncta disponàt, qui Caput est omnium]. Affirmat in ista Synodo solùm Pontificem sancire, ac definire omnia, adsidentibus ei Episcopis esse consultiuum dumtaxàt suffragium. Affirmat hanc esse perpetuam consuetudinem, & adiungit ipsam fuisse cofirmatam à Nicæna synodo: Vtique per sextum Canonem. Romanus igitur Pontifex subiectos suæ Metropoli; Episcopos poterat etiam solus degradare: Attamen ne in mente, aut affectu pateretur aliquid humani, passim adhibebat quinque, vel septem Episcoporum consilium. Et hanc consuetudinem Imperator Gratianus sua lege confirmauit. Quod contra Canones aliquid egerit, in nullius vnquam mentem incidit.

Alter istius eloquentissimi viri error est, quod ista lex impegerit in Canones, quatenùs Metropolitas promiscuè Episcopi Romani, aut virorum ab ipso deputatorum iudicio planè subijcit. Etenim lex nequaquam de cunctis sub cœlo, sed de solis Romani Patriarchatus, præsertim tamen de Italiæ, ac Galliæ Metropolitis sanxit, ideòque est lucidissima obseruatrix, ac executrix Canonum. Vti Metropolitarum Consecratio, ita & prima de ipsorum delictis cognitio per Apostolicos Canones, ac perpetuam consuetudinem semper spectauit ad Patriarcham, aut certè ad Primatem. At] verò Romanæ Ecclesiæ Patriarchatus nullum olim Primatem habuit, nisi solùm Carthaginensem, ideòque omnes per Illyricum, Italiam, Galliam, ac Hispaniam Metropolitæ sine medio suberant Romanorum Episcopo: Proindè à nullo, nisi ab isto, aut eius Delegatis poterant iudicari. Hanc eius perpetuam authoritatem lex confirmauit. Quod contra Canones egerit, sapientissimus ille Magister dignetur suæ Rhetoricæ artis Auditoribus, non Ecclesiasticæ Hierarchiæ Peritis suadere, aut prædicare.

Audiamus sequentia: [Sed neque etiam Gratiano mens fuit constitutionem istam generaliter proponere, quasi verò, & pro locis omnibus, & in omne tempus valitura esset. Verùm ea dumtaxàt cautum esse voluit, ne Vrsicinus, qui Romanam Sedem Damaso inuidebat, ampliùs quidquam moliretur contra Damasum: Non per se quidem, cùm iam in exilio esset, sed per Episcopos, quos olim ordinauerat, & qui contempto Damasi, ac aliorum Episcoporum, qui Damaso fauebant, iudicio, Sedes suas impunè retinebant]. Eloquentissimus Doctor adducit verba legis, & concludit: [Iraque lex ad supplicationem huiusmodi lata, temporanea tantùm fuit, atque ad id vnum comparata, vt pax Ecclesiæ redderetur, quam turbabat Vrsicinus, vtque Episcopi, qui legitimis obtemperare Iudicijs recusabant, ad obsequium cogerentur]. Quod ex pro omnibus locis non fuerit lata, libens fateor. Iam enim professus sum esse latam pro solo Romano Patriarchatu. Præsertim pro Italia, & Gallia. At quod lata non sit pro omnibus temporibus, est insignis error. Illa enim confirmauit, ac in executionem misit Apostolicum Canonem, quem Barbarorum violentiæ, licèt pro tempore dissimulandum suaserint, non tamen potuerunt circumducere.

Proindè quod Apostolicus Canon, qui primam de Patriarchis, Autocephalis Exarchis, & Romani Patriarchatus, si solam forsitan demas Africam, Metropolitis cognitionem priuatiuè defert Romano Pontifici, etiam post istam legem semper viguerit, licèt abundè demonstratum sit, ostendere placet alijs adhùc testimonijs, & exemplis. Oportet penitùs obstruere os loquentium iniqua. Memnon Ephesinorum Episcopus, ac Asiaticę Diœcéseos Exarchus, suum Presbyterum Bassianum, ex quibus nescio causis non diligebat, ideòque ipsum, vt à suis amoueret oculis: reluctantem, & recalcitrantem consecrauit Euazorum Episcopum. At verò ille Thronum istum adscendere, immò, & accedere penitùs noluit, ideòque humilis, & afflictus permansit Ephesi. Defuncto Memnoni successit Basilius, & de ipso Bassianus dixit ad Chalcedonensem Synodum: [Is euocans Concilium Prouinciæ, & agnoscens violentiam, quam fueram passus, & quoniam machinatio fuerat, alium in illa ciuitate ordinauit Episcopum, mihi verò reddit communionem, & locum

Epi-

Epiſcopatus]. Communionem; & locum vacantis Epiſcopi. Baſſianus pergit: [Contigit iterùm, & hunc vitę finem ſuſcipere, me autem cum multa neceſſitate, & vi inthronizauerunt in eadem ciuitate Epheſi Populus, & Clerus, & Epiſcopi, quorum vnus Olympius Epiſcopus hic eſt]. Epiſcopus Theodoſio-Politanus. Omnes poſt ſanctum Ioannem Chryſoſtomum Conſtantinopolitani Epiſcopi tentauerunt Epheſinos Exarchos ſua Authocephalia exuere, ac regię ciuitatis throno ſubijcere, atq; ita ſeſe euehere in Patriarchas. Et iſtic tùnc ſedebat S. Proclus, laudati Ioannis Diaconus, omniumq; eius Actorum acerrimus defenſor, ac proſecutor. Hinc eius potentiam, qua nouum Epiſcopum omninò erat conſecrandum ad ſuas manus euocaturus, metuentes Epheſiorum Clerus, & Populus, conſecratum Baſſianum exaltarunt, atque ita ſe præſeruandos ſperarunt à multis contentionibus, à multo periculo ſuæ Exarchalis Autocephaliæ. Baſſianus pergit; [Agnoſcens autem hæc pijſſimus noſter Imperator, repentè hoc confirmauit, & continuò per Commonitorium apertè declarauit, confirmans Epiſcopatum. Poſteà direxit iterùm Sacram per Euſtatium Silentiarium, quæ confirmaret Epiſcopatum. Veni autem in Regiam Conſtantinopolim, & ſuſcipiens nos idem rerum Dominus, ideſt, me, & eum, qui erat in Regia ciuitate, Epiſcopum Proclum, amicos nos fecit. Et communicaui cum eo, & cum omnibus Epiſcopis, qui tùnc temporis ſunt reperti. Et faciens ſynodicam idem ſanctiſſimus Proclus direxit & ciuitati, & Epiſcopis, & Clericis]. Ex his docemur plura. Primò, quod ſanctus Proclus iſtam ſine ſua Patriarchali venia, ſeù præuia confirmatione factam Inthronizationem peſſimè cęperit, ideoque, & minatus ſit Baſſianum extrudere. Secundò, quod Baſſianus Imperatorem Theodoſium de Eccleſiæ ſuæ dignitate, & ei donata per ipſos Apoſtolos Autocephalia inſtruxerit, atque ita binam ſui Epiſcopatus confirmationem obtinuerit. Nempè tùnc necdum prodierat vigeſimus octauus Chalcedonenſis Canon, ideòque Princeps iudicabat iuxta regulas antiquæ Hierarchiæ, Tertiò docemur, quod ſanctus Proclus propter iſta non ceſſauerit, ſed conſtans perrexerit apud Principem vrgere ſua Patriarchalia Iura. Quartò, quod hæc omnia Baſſianus timens tandem iuerit Conſtantinopolim, & quod illic Princeps ipſum cum Proclo pacificauerit. Haud dubiè per aliquam, ſaluo vtriuſque partis iure, interlocutoriam tranſactionem. Quintò, quod hac via placatus Proclus ei dederit ſynodicam, eiuſq; Epiſcopatum plenè confirmauerit.

Quæ omnia ſunt planè veriſſima. Eis enim ad Chalcedonenſem ſynodum atteſtatus eſt Lucianus Byziæ in Europa Epiſcopus. Glorioſiſſimis iudicibus interloquentibus, [Reuerendiſſimus Epiſcopus Baſſianus edoceat, quis eum fecit Epiſcopum], præfatus Lucianus reſpondit: [Qui habuit ius, ſuſcepit eum bonæ memoriæ Proclus. Et ſuſcepit eum beatæ memoriæ Theodoſius, pijſſimus Imperator: Et vocans eos amicos fecit]. Notanda ſunt verba: [Qui habuit ius]. Affirmant illud in Epheſinam Eccleſiam, ac omnem Aſiaticam Diœceſim ius omninò competiſſe Proclo, & Conſtantinopolitanæ Cathedræ, ideòque de legitima Baſſiani promotione non eſſe dubitandum. Iſti ipſi glorioſiſſimi Iudices Theodoſio Aſſeſſores, & Authores fuerant, vt ante Procli interuentum Baſſiano Epiſcopatum confirmaret: Vtique iuxta antiquos mores, & Canones, Item vt Proclum cogeret ad faciendam præfatam interlocutoriam tranſactionem. Hinc Lucianus eos intrepidè notat: Affirmat plenum iſtius rei ius Conſtantinopolitano Throno competere. Nempè erat in ipſa Europæ Prouincia Epiſcopus, ideòque mordicus ſtabat pro iſtis rapinis Conſtantinopolitanorum Antiſtitum. Et hinc eius teſtimonio non fidentes Glorioſiſſimi Iudices perrexerunt: [Si Proclus ſanctæ memoriæ ſuſcepit Baſſianum Reuerendiſſimum Epiſcopum, & communicauit ei tamquam Epiſcopo Epheſinorum Metropolis, Reuerendiſſimus Clerus ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ nos edoceat]. Et Theophilus iſtius Eccleſiæ Presbyter reſpondit: [Vt coram Deo: & ſuſcepit eum ſanctæ memoriæ Proclus communicantem, & ſynodalibus literis honorans dimiſit eum ad Epheſum, & in Diptychis poſuit eius nomen, & recitabatur vſque ad modicum ab hinc tempus]. Et cunctus eiuſdem Eccleſiæ Clerus confirmauit Theophili teſtimonium. Et tanta authoritate munitus Baſſianus per quatuor annos in plena pace ſedit Epiſcopus.

Verùm hęc omnia grauiſſimè diſplicuerunt pluribus Aſiaticæ Diœceſeos Epiſcopis, pluribuſque Clericis Epheſinæ Eccleſiæ. Indigniſſimè ferebant à ſancto Paulo Apoſtolo fundatam, & à ſancto Ioanne Euangeliſta dudum directam Epheſiorum Eccleſiam ſpoliari ſua Authocephalia, & violenter captiuari, ac traduci in ſeruitutem Conſtantinopolitanæ Cathedræ. Iſtas rapinas, & Apoſtolicorum Canonum præuaricationes nouerant per omnia diſplicere Romanæ Eccleſiæ, ac præſertìm ſedenti tunc zeloſiſſimo Pontifici Magno Leoni. Nouerant ſimiles Iuuenalis Hieroſolymitani Epiſcopi, quas per Epheſini Concilij authoritatem ſtabilire tentauerat, in Antiochenum Patriarchatum rapinas fuiſſe ab ipſo, licèt tunc dumtaxàt Archi-Diacono, potentiſſimè excuſſas, & exſufflatas. Nouerant Autocephalorum Exarchorum Epiſcopalem confirmationem, & primam de ipſorum Conſecratione, ac quibuſuis cauſis cognitionem priuatiuè, ac ſine medio ſpectare ad Romanum Pontificē. Hinc igitur ſuum Archi-Epiſcopum Baſſianum, eius illegitimam inthronizationem, inualidam à ſancto Proclo confirmationem, alioſque eius defectus, & exceſſus detulerunt, & accuſarunt apud Magnum Leonem. Eum accuſarunt, quod non ab Epiſcopis impoſitus, ſed à Gladiatoribus, Arenarijs, alijſque id genus violentijs fuiſſet coniectus in Epiſcopalem Thronum. Et de accuſationis ſucceſſu in Chalcedonenſi ſynodo ad glorioſiſſimos Iudices dixit eius Succeſſor Stephanus: [Et pro hoc expulſus eſt à Sanctis Patribus, à Sanctiſſimo Regiæ ciuitatis Romæ Leone, à Beatiſſimo Sanctæ memoriæ Flauiano Conſtantinopolitanæ Vrbis, & ab Alexandrino Antiocheno. Ab his expulſus eſt. Romanus Epiſcopus eum depoſuit, & Alexandrinus eum damnauit,

Videat vestra Magnificentia epistolam scriptam à sancto Leone.] Et ad vlteriorem Gloriosissimorum Iudicum interrogationem denuò reposuit: [Relatum est ab episcopo Alexandrinæ ciuitatis, Sanctissimæ memoriæ Theodosio Principe scribente illuc. Allatæ sunt etiam literæ à Beatissimo, & Sanctissimo Papa Romano, quatenus istum esse non oporteret episcopum. Et manifestæ sunt literæ. Iubete venire Notarios.] Et rursum dixit ad omnem Synodum: [Sanctissimus Archiepiscopus Romanus Leo hunc deposuit, quoniã præter Regulas factus est] . Et istam Romanæ Ecclesiæ authoritatem, istudque Magni Leonis Iudicium, & Dioscorus Alexandrinus, & Domnus Patriarcha Antiochenus, & Sanctus Flauianus, qui sancti Procli Presbyter fuerat, agnouerunt, comprobarunt, & miserunt in plenam executionem. Etenim Ephesino Latrocinio non Bassianus adsedit, sed Successor Stephanus. Quinimmò Dioscorus videtur fuisse Author totius negotij. Etenim Constantinopolitanorum episcoporum rapinas pessimè oderat. Hinc videtur Ephesinæ Ecclesiæ episcopos, & Clericos instigasse, vt Bassiano datam à sancto Proclo episcopalem confirmationem accusarent apud Pontificem. Illud iudicium etiam probauit omnis Chalcedonensis Synodus. Etenim Bassianum pronunciauit legitimè abiectum, ac degradatum. Nempè tunc necdum ediderat vigesimum octauum Canonem, ideòque notat primam de Ephesino Exarcho notitiam, eiusque episcopalem confirmationem, non ad Constantinopolitanum episcopum, sed priuatiuè sine medio spectare ad Pontificem Romanum ex Apostolico Canone. Nam, & sanctus Victor Pontifex primæ instantiæ iudicium exercuit in Ephesinum Polycratem. Laudata sancti Leonis epistola, dum è latebris apparuerit, poterit nos plura docere.

Eumdem Apostolicum Canonem nouit, & obseruauit Timotheus Salophaciolus, Patriarcha Alexandrinus, de quo ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum scripsit sanctus Simplicius Pontifex: [Frater & Co-Episcopus noster Timotheus, persecutione probabilior factus pristini non immemor Instituti, per Fratrem, & Co-Episcopum Isaiam, & filios nostros, Nilum Presbyterum, & Martyrium Diaconum Alexandrinæ Ecclesiæ, solemnia Scripta direxit, quibus & illud, quod ante perterritus de Dioscori nomine fecerat, se destruxisse memorauit; & remissionem ipsius erroris expetijt, nosque de quiete fecit Ecclesiæ gratulari, expertus erga se, quod in eo tunc reprehendimus, non inultum, & reconciliatum sibi nunc Diuinæ miserationis affectum.] Et in alia ad eumdem Acacium epistola: [Sicut in reditu Fratris, & Co-Episcopi nostri Timothei gratulamur, ita eum commonente Dilectione tua cupimus irreprehensibilem reperiri. Quia meministi eum iamdudum fidelis Præsulis non habuisse constantiam, quando ei, vt damnati Dioscori nomen inter Altaria recitaretur, extortum est.] Ex Alexandrino Clero, & Populo plures Chalcedonensem sui Patriarchæ Dioscori degradationem contumacissimè auersabantur. Hinc enim sanctum Proterium, quem in illius adhuc viuentis, & apud Gangras in Paphlagonia exulantis, locum Orthodoxi consecrauerant, illi crudelissimè in quinta sancta feria, in ipso Baptisterio trucidarunt. Hoc ipsum sibi metuens Proterij successor Timotheus Eutychianis Dioscori dilectoribus benignissimum se exhibuit, & ad ipsos placandos damnati, ac hæretici hominis nomen reddidit sacris Ecclesiæ Tabulis, atque ita professus est ipsum, & viuum & mortuum, fuisse semper legitimum Episcopum, ac iniquè damnatum. Existimabat esse dispensatoriam pacis, ac publicæ quietis fibulam. At erat grauissimum, ac varium delictum. Manifesta damnatio Chalcedonensis Synodi, & contagiosa communio cum hæretico nomine. Hinc ipsum Simplicius grauiter increpauit, minatus grauiora: Degradationem. Verùm ille præuenit iustitiam, errorem agnouit & correxit, rasit Dioscori nomen, humiliter postulauit veniam, pollicitus meliora. Et suis precibus adiutorem adhibuit Acacium Constantinopolitanum Episcopum, tunc adhuc sanum, & integrum, ideòque verbo, & opere potentissimum, apud Romanam Ecclesiam. Ambo profitebantur ad ipsam spectare istud iudicium. Hinc enim de Timotheo Pontifex dicit: [Pristini non immemor Instituti.]

Ex eodem Canone Orientales Archimandritæ, & Monachi aduersùs Anthimum Trapezuntis Episcopum, qui hæretico Theodoræ Imperatricis fauore nixus semetipsum in Regiæ ciuitatis Cathedram intruserat, & occultè fouebat Eutychianam hæresim, scripserunt ad Imperatorem Iustinianum: [Misit Deus huic ciuitati Agapetum, Pontificem antiquæ Romæ, in depositione Anthimi, tamquam olim Petrum Magnum Apostolum Romanis in depositione Simonis præstigiarum. Iste verò honorabilis vir, sciens per libellos plurimorum nostrorum ea, quæ iniquè contra Ecclesias præsumpta fuere, ea ipsa visu semel accipiendo, neque ad visum suscipere voluit Anthimum, furentem aduersùs Canones, sed hunc iustè eiecit de sacerdotali Sede huius ciuitatis, & opitulante, ac adiuuante Catholicam fidem, ac diuinos canones vestro imperio, præfecit ipsi Ecclesiæ sanctissimum Mennam rectæ fidei, & pudicæ vitæ, & honestæ conuersationis, & infirmantium in iniuncta sibi dispensatione approbatissimũ. Prætereà rursùs de Anthimo libellos, & Episcopi Palestini in ciuitate congregati, & alij Orientales, & Legati aliorum Pontificum, & nos ipsi postulauimus Anthimum Episcopum Trapezuntinum, quæ perpetrauit, facere per libellum nota Sedi Apostolicæ, & liberare se ipsum ab omni hæretico errore, & proficisci ad Ecclesiam Trapezuntinam. Aut si hoc non velit, finaliter condemnetur, & omni dignitate, & operatione sacerdotali nudetur, sicut sanctus Cœlestinus fecit contra impium Nestorium.]

Affirmant varia. Primò, quod sanctus Agapetus Pontifex Constantinopolim venerit ad Imperatorem Iustinianum. Occasionem & scopum exponit in Breuiario Liberatus Diaconus. Secundò, quod tunc præfatus Anthimus incubaret Constantinopolitanæ Ecclesiæ, homo versutus, ac dolosus. Etenim licèt pessimus Eutychianista, putatus fuit

fuit tantus Catholicæ fidei Assertor, vt in Constantinopolitana Collatione fuerit vnà cum Hypatio Ephesino, Demetrio Philippi Cæsareensi, & alijs sanctissimis Episcopis assumptus ad disputandum contra Episcopos Seuerianos. Tertiò, quod hæc vtcumque sciens Pontifex hominem statim auersatus fuerit, nequidem dignatus admittere ad suum conspectum. Quartò, quod hæc omnia videntes, & hac optima occasione vsi Orientales Archimandritę ac Monachi, Agapeto exhibuerint libellos supplicantes ex Regiæ ciuitatis Throno Anthimum hæreticum eijci, ac imponi virum orthodoxum, verum Episcopum, & Pastorem. Quintò, quod Agapetus libellos, & causam admiserit, suumque Tribunal in ipsa regia ciuitate erexerit, iudicialiter procedens contra Anthimum. Sextò, quod ipsum propter illegitimum contra Canones transitum deiecerit, atque ita ex Constantinopolitano Patriarcha iusserit denuò esse Trapezuntinum Episcopum. Septimò, quod mox in eius locum proprijs manibus consecrauerit Mennam Presbyterum, Præfectum pauperibus infirmis. Octauò, quod tunc Monachi non cessauerint, sed aduersùs ipsum perrexerint agere, vti contra hæreticum. Nonò, quod hanc actionem non apud Amasenum Episcopum, Trapezuntini Metropolitam, instituerint, sed continuarint apud Agapetum. Decimò, quod hæc omnia non soli ipsi Archimandritæ, ac Monachi egerint, sed insuper plures Hierosolymitani, ac Antiocheni Patriarchatus Episcopi, necnon & ipse Imperator Iustinianus.

Ex quibus discimus præsertim tria. Primò, quod prima de Constantinopolitani Patriarchæ promotione, ac excessibus cognitio priuatiuè spectet ad solum Pontificem. Secundò, quod Papa, dum illum degradat, suo iure possit consecrare successorem. Tertiò, quod etiam prima de alijs, tam Prouincialibus, quàm Metropolitis, Orientalium Episcopis cognitio, licèt fieri possit per Patriarcham, & Metropolitam, deuolui possit etiam ad Papam. Quod sit alternatiuum ius, ideòque accusator habeat electionem, præsertim in causa fidei. Et hinc nouus Patriarcha Mennas vnà cum Romanæ Ecclesiæ Apocrisarijs, ac Legatis perrexit aduersùs Anthimum, & vti hæreticum degradauit. Etiam Seuerum Antiochenum, Petrum Apamæensem, ac Zoaram monachum. Quæ omnia Mennas suæ Sedis authoritate palàm non potuit, sed propter adsidentes Legatos Romanæ Ecclesiæ. Ita ipse in sua Synodo est assiduè professus. Et synodalia Acta profitentur sanctum Cœlestinum Pontificem ista sua authoritate egisse in Nestorium, ac ipsum degradasse. Quod ipsum constanter professa est Ephesina Synodus.

Quod eadem potestate in cunctos Romani Patriarchatus Metropolitas non solus Damasus sit vsus, sed omnes etiam successores constanter vti perrexerint, ostendi possit multis, in superiori capite non adductis, alijs exemplis. Quod ista forma in Gallicanis Ecclesijs vsque ad barbaros Reges constanter viguerit, lucet ex decretis sancti Hilari Papę. Etenim nescio quis Hermes, ad Biterrensem Ecclesiam electus, & consecratus, & ab ipsa iniquè reiectus, nescio quo iniquo modo inuasit, aut impositus fuit in Cathedram Narbonensis Metropolis. Hinc ad Leontium Arelatensem Archiepiscopum, suum in Gallia Vicarium, Hilarus scripsit: [Miramur Fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem esse, vt quæque iniqua, & contra Patrum nostrorum Statuta in Prouincia, quæ ad Monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis, aut non potes, etiam nec nos silentij tui taciturnitate permittas corrigere.] Compendio exponit Hermetis excessum, & adiungit: [Quam rem decuerat Sanctitatem tuam, vt nobis è vestigio indicaret.] Affirmat, quod Leontius debuerit Hermetem, aut statim corrigere per vices Apostolicas, aut certè corrigendum referre Pontifici. Nempè, quia Hermes erat Metropolitanus. Vnde & Pontifex ipsum correxit. Etenim dispensatoriè confirmauit in Narbonensi Cathedra, sed sub hoc pœnali moderamine: [Ei, qui nunc Ecclesiæ Narbonensi præsidere permittitur, Ordinandorum Episcoporum ob hæc, quæ prauè facta sunt, sustulimus potestatem, quam ad fratrem, & Coepiscopum nostrum Constantium, Vceticæ Ecclesiæ Antistitem, quia æuo honoris Primas esse dicitur, pertinere censuimus.] Tractauit Hermetem, quomodo à Bonifacio, & Cœlestino, & nescio quo alio Pontifice tractatos fuisse Antonium Fussalensem, & tres alios in Mauritania Cæsaræensi Africanos Episcopos, testatur in literis ad laudatum Cœlestinum sanctus Augustinus. Eius Metropoliticam potestatem insigniter circumscripsit, & mutilauit. Etiam Mamerti Viennensis Metropolitę contra Arelatensem Metropolim excessus, quod Leontius Vicarius in hac causa esset pars, ideòque congruè non posset Iudicem induere, Diensis Ecclesia retulit ad Hilarum, & ipse illum iudicauit, compescuit, atque correxit.

Epist. 7.

Epist. 8.

Epist. 261.

Etiam natam inter Æonium Arelatensem & Hesychium Viennensem de Metropolici iuris limitibus, ac modo controuersiam isti ipsi Metropolitæ retulerunt Romam, & Symmachus Pontifex hæc Æonio rescripsit: [Ne facilè alterius partis absentia præiudicialiter videamur aliqua decreuisse, id magis duximus ordinandum, vt Fraternitas tua competenti tempore de Ecclesiastico ordine instructum non moretur de omni causa dirigere, qui apud nos totius veritatem causæ competenter alleget, quatenùs pertractatis omnibus, quod statuendum est, sub deliberationis robore sanciatur. Illud etiam Dilectionem tuam facere debere præcipimus, vt Fratrem & Coepiscopum nostrum Viennensis vrbis Antistitem misso Nuntio & scriptura commoneat, vt is quoque constitutis diebus hominem proprium dirigat, qui partis eius allegationes competenter insinuet, vt deprompris ab vtraque parte suggestionibus, quæ in perpetuum seruanda sunt, securiùs disponantur.] Ecce non dumtaxat ad Retractatorium appellatæ causæ Iudicium, sed etiam ad primam Instantiam Pontifex vtrumque Gallicanum Metropolitam, aut certè ipsorum Vicarios euocabat Romam, atque illic discutiebat causam, ac definiebat. Et quod nemo tunc intercesserit Gallicanus episcopus,

Iacet ex superiùs adducta sancti Auiti ad Romanos Senatores epistola. Sanctus namque Auitus fuit Hesychij Successor & filius, ideoque omnia scripsit ex Patris sui sensu. Plura sunt istiusmodi Gallicana exempla.

Proindè certum est, quod iniecta per barbaros Reges calamitas cœperit hanc Apostolicam formam mutare. Hinc mutationem meritò proscripsit, & auitos Canones reduxit Imperator Carolus Magnus. Quin & antè Imperium, dum Tilpinum admonuit Rhemensi Throno, istius ecclesiæ Priuilegia, in sancto Rigoberto per Carolum Martellum grauiter læsa, curauit per Adrianum primum Pontificem innouari & confirmari: Inter quæ erat, quod Rhemensis Archiepiscopus per nullum, nisi per ipsum Romanum Pontificem,
Lib. 2. Cap. 17. possit iudicari. Pontificium Diploma exstat apud Frodoardum in historia Rhemensis ecclesiæ. Sic Caroli Successor & filius Ludouicus Pius Fortunatum Gradensem Archiepiscopum, licèt lesæ Maiestatis reum, Romam
An. 824. misit à Papa iudicandum. Ita habes apud Annales Eginardi. Hinc & Theonis Villana Synodus Ebbonem Rhemensem Archiepiscopum, quod non nisi per Papam, aut eius Vicarios iudicari posset, induxit ad cedendum episcopatui. Ita docent Acta de eius depositione. Posterioribus etiam sæculis sanctus Thomas, Cantuariensis Archiepiscopus, & martyr, dum à suis Suffraganeis, & Regni Proceribus damnaretur, proclamauit aduersùs Attentatum, contestans esse inauditam
Lib. 1. Epist. 40. audaciam. Exstat Alexandri III. Pontificis ad istum Athletam epistola, qua constanter affirmat istud iudicium contra Patrum Statura, contraque diuinas, ac humanas leges fuisse præsumptum.

Omittere non possim magnum Gregorium. Fuit rigidissimus Apostolici huius Canonis obseruator, ac executor. Etenim Sardiniæ episcopis seriò præcipiens, ne sine sui Metropolitæ Formata quòquam ireut,
Lib. 7. Iudic. 2. Epist. 8. adiungit: [Nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, contra eumdem Metropolitanum vestrum aliquid causæ vos habere contingar, vt ob hoc Sedis Apostolicæ iudicium requiratis.] Etiam quidquid contra Maximum Salonitanum episcopum, Dalmatiæ Metropolitam, potenter egit, egit in prima Instantia. Eodem modo, nisi sacrarum Iussionum violentia obstitisset, parabat agere in Seuerum Gradensem. Et Adrianum, Thebanæ in Thessalia ciuitatis episcopum, nec per Larissæ Metropolitam, nec per ipsum primæ Iustinianæ Primatem, sed per solam Apostolicam Sedem, aut eius Delegatos iudicari voluit, eò quod illum, ac eius ecclesiam Pelagius II. exemisset ab omni eorum potestate, ac suæ Sedi immediatè supposuisset. Eius ad Ioannem Larissæ Metropolitam verba sunt lucida: [Decernimus, vt Fraternitas tua ab Adriano, ecclesiaque eius omnem ante habitæ suæ potestatem iurisdictionis abstineat, & secundùm Scripta nostri Decessoris, si causa, vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria aduersùs præfatum Consacerdotem nostrum potuerit euenire, vel per eos, qui sunt, vel fuerint in Regia Vrbe Responsales, si mediocris est, quæstio cognoscatur; vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur.] Ex quibus omnibus lucidissimè patet laudatam Imperatoris Lib. 2. Iudic. 11. Ep. 7.
Gratiani legem non hæsisse in sola persona sancti Damasi, sed fuisse perpetuam interpretem, ac executricem Canonis Apostolici.

Ista lex, licèt pro sola Occidentali Ecclesia emanauerit, attamē etiam apud Orientales quoad illam partem, quæ apud ipsos seruari poterat, semper fuit in summa reuerentia, ac plena obedientia. Nempè quoad illam partem, quæ degradatum, & contumaciter parere reluctantem, episcopum deportari mandat ad centum ab ista ciuitate milliaria. Hanc enim partem omninò respexit Theodoretus Cyrensis episcopus, dum ab Ephesino Latrocinio degradatus scripsit ad Anatolium Patricium: [Magnitudinem tuam obtestor, hanc à Victore Augusto gratiam petat, vt habitare me saltem iubeat in monasterio nostro, quod à Cyrensi ciuitate abest millibus centum, & viginti.] Omninò loqui- Epist. 119.
tur ex sensu, & iuxtà obseruantiam Orientalis Ecclesiæ. Et hinc istam pœnam, quod esset obnoxia incommodis, Imperator Iustinianus commutauit in clausuram intra aliquod monasterium. Et istud etiam pro Orientali præsertim Ecclesia. Eamdem Legis partem ad Africanæ Ecclesiæ preces innouarunt Imperatores Arcadius, & Honorius. Ob frenandam turbulentiam Equitij, apud Diarætorum Hipponem episcopi. Palàm supponunt legem vsque tunc mansisse in pleno vigore, ideóque & stabilierunt eius executionem. Eamdem legis partem laudat, ac in Gallia semper viguisse, nec non & magnum Papam Leonem eadem aduersùs Eutychetem hæresiarcham fuisse vsum, affirmat in literis, quas ex Duziacensi synodo, ac ex Caroli Calui Francorum Regis nomine scripsit ad Adrianum II. Pontificem, Hincmarus Rhemensis. Actor. 6.
Ista legis pars fuit omninò noua, fundata quidem in antiquis Romani Imperij moribus, in nullo tamen Canone; àt verò altera eius pars omninò fuit Apostolici Canonis executrix: Et adeò semper apud omnem Romanum Patriarchatum viguit, vt eius innouatio numquam debuerit postulari à Principe. Quo igitur fuco dici possit fuisse limitata ad personam solius Damasi?

CAPVT X.

Examinantur alia Romanarum è Gallia Appellationum Exempla.

PAschasius Quesnellus hæc iterum scribit: [Maioris momenti est Proculi Massiliensis Episcopi causa, cuius ad se traxisse etiam primam cognitionem Zozimus Pontifex dicitur instante Patroclo Arelatensi, cuius, & studio depositus est. Hoc Illustrissimus Petrus de Marca dicit actum esse Romæ post Gratiani legem promulgatam, quæ Romani Pontificis iudicio commiserat Metropolitanos. Quidquid sit de hac lege, non est cur nos Zozimi conatus iste plurimùm sollicitet. Primùm enim ex solo Facto ius nasci cuiquam non potest, præsertim cum repugnan-

gnantes, & contradicentes habet aduersæ partis patronos. Deinde Zozimi factum Appellationum ius nequaquam attinet, neque ex Sardicensibus canonibus patrocinium trahere potest. Hi enim nec de prima cognitione, nec de Appellatione quidquam habent, sed de sola causæ in prouincia ipsa retractatione procuranda. Tertiò, & si nolumus epistolis Zozimi fidem derogare, nihilominus totius istius negotij ratio non satis perspecta habetur, quæ non nisi ex his epistolis innotescit. Cùm enim authoritatis Sedis suæ amplificandæ studio plurimùm laborasse conuincatur ex Africanis momentis, non temerariè conijcimus eandem repulsam passum in Gallijs Zozimum, quam in Africa.] Honorat Zozimum, vti supra honorauit Magnum Leonem: Affirmat ipsi circa Apostolicæ Sedis iura non esse credendum. Et Romanas appellationes tunc non viguisse in Gallia.

Rei series est paucis exponenda. Solidam Narbonæ Prouinciam Magnus Constantinus videtur diuisisse in Viennensem, & Narbonensem. Priorem Magnus Theodosius, aut eius Antecessor Gratianus creditur subsecuisse in Viennensem, & secundam Narbonensem. Eodem tempore emerserunt Maritimarum Alpium prouincia, & prouincia Alpium Graiarum. Et sic Massilia euasit in Metropolim. Rationem adducit in literis ad Græcum Massiliensem Episcopum Apollinaris Sidonius: [Iam non primi,] vtique vos Massilienses, [Comprouincialium cæpistis esse, sed vltimi.] Massilia ante istam prouinciarum diuisionem fuerat Viennensis prouinciæ prima ciuitas, prima Episcopalis Sedes, primus Thronus. Hinc per diuisionem profecit in Metropolim, ideoque Proculus Episcopus se prætendit, ac gessit Metropolitam. Prætendit ciuitatem suam ex ista diuisione profecisse non duntaxat in ciuilem Metropolim, sed insuper in Ecclesiasticam. Nec carebat fundamento. Hac enim via etiam Turonum, Senonum, Rhemensium, & plures intra ipsam Galliam ciuitates ita profecerunt. Verùm Arelatensis Ecclesia antiqua totius Narbonæ Metropolis, potenter intercessit. Et tandem causam deduxit ad Synodum Taurinensem, à qua emanauit hæc sententia: [Cùm vir S. Proculus, Massiliensis ciuitatis Episcopus, se tanquam Metropolitanum ecclesijs, quæ in secunda prouincia Narbonensi positæ videbantur, diceret præesse debere, atque per se Ordinationes in memorata Prouincia Summorum fieri Sacerdotum, siquidē adsereret easdem ecclesias, vel suas fuisse, vel episcopos à se in eisdem ecclesijs ordinatos & è diuerso eiusdem Regionis episcopi,] vtique spectantes, & permanentes ad Arelatensem Cathedram, [aliud defensarent, ac sibi alterius prouinciæ Sacerdotem præesse non debere contenderent, id iudicatum est à S. Synodo, contemplatione pacis, atque concordiæ, vt non tam ciuitati eius, quæ in altera prouincia sita est, cuius magnitudinem nesciremus, quàm ipsi potissimùm defertur, vt tanquam Pater Filijs honore primatus adsisteret. Dignum enim visum est, vt quamuis vnitate Prouinciæ minimè tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. Hæc igitur ipsi tantùm in diebus vitæ eius forma seruabitur, vt in ecclesijs Prouinciæ secundæ Narbonensis, quas vel suas Parochias, vel suos Discipulos constiterit fuisse ordinatos, Primatus habeat dignitatem.] Fuit interlocutoria sententia: Lata ab extraneis Iudicibus.

Lib. 7. Epist. 7.

Hæc Synodus passim creditur celebrata ad quarti Sæculi annum nonagesimum septimum, atque ita Arelatensi ecclesiæ tunc præsidebat Constantius. Et vna cùm Proculo possit Synodo adfuisse. Quidquid sit, acquieuit sententiæ. Acquieuit, & Successor Heros. Verùm huius Successor Patroclus appellauit ad Zozimum Pontificem, & Romam accessit. Lucet ex quinta Pontificis ad ipsum epistola: [quid de Proculi damnatione censuerim, tenet conscientia tua, cum meo interesses examini. Nec te gestorum nostrorum authoritas latet, vel Scriptorum, quæ de ipsius damnatione per terrarum diuersa loca direximus.] Patroclus armabatur authoritate Constantij Imperatoris. Nam per ipsum adhuc Magistrum militum in Gallia, intrusus fuerat in Arelatensem Cathedram. Hinc à Zozimo impetrauit varia. Primò, euocationem Proculi ad Vrbem. Lucet ex tertia Pontificis epistola: [Multa contra veterem formam Proculus vsurpasse detectus est in ordinationibus nonnullorum indebitè celebrandis, quas proximè numerosa cognitione discussimus, licèt ipse diu exspectatus, fastidiosè ferens sibi inducias attributas, conuenire dissimulet.] Proculus ergo etiam post impetratas inducias non comparuit. Hinc Patroclus secundò obtinuit cassationem Taurinensis Iudicij. Pergit enim Pontifex in eadem epistola: [Attamen illa præsumptio nos admodùm mouit, quod in Synodo Taurinensi, cùm longè aliud ageretur, in Apostolicæ Sedis iniuriam subripiendum putauit, vt sibi Concilij illius emendicata obreptio præstaret ordinandorum, veluti Metropolitano, in Narbonensi secunda Prouincia potestatem.] Patroclus tertiò impetrauit suæ Sedi restaurari plenum Metropoliticum ius in totam, prout olim fuerat, Narbonæ Prouinciam. Lucet ex prima Zozimi epistola: [Iussimus præcipuam, sicuti semper habuit, Metropolitanus Episcopus Arelatensium ciuitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat authoritatem. Viennensem, Narbonensem primam, Narbonensem secundam Prouincias ad Pontificium suum reuocet.] Tacet Maritimarum, & Graiarum Alpium Prouincias; quod cuncti ipsarum Episcopi obedirent Patroclo, & nullus præsumeret se Metropolitanum. Patroclus, quartò impetrauit Proculi, hisce Decretis contumaciter refragantis degradationem.

Ex quibus lucet Paschasium Quesnellum hìc variè labi. Primus lapsus est, quod Zozimus in hac causa non respexerit ad laudatam legem Imperatoris Gratiani. Eum respexisse euincunt hæc ipsius adducta verba de Taurinensi Iudicio: [In Apostolicæ Sedis iniuriam Proculus subripiendum putauit.] Synodum manifestè arguit, quod Metropoliticas, ideoque Apostolicæ Sedi reseruatas, causas iudicando in Apostolicam authoritatem impegisset. Eamdem legem respexit in literis ad Viennensis, ac Narbonensis Prouin-

ciæ

ciæ Episcopos S. Papa Celestinus: [Massiliensis Ecclesiæ Sacerdotem, qui dicitur, quod nefas est, in nece fratris taliter gratulatus, vt huic, qui eius sanguine cruentatus aduenerat, portionem cum eodem habiturus occurreret, vestro audiendum Collegio delegamus.] Agit de Proculo. Rem elucidat Prosper in Chronico: [Patroclus Arelatensis Episcopus à Tribuno quodam Barnabo multis vulneribus laniatus occiditur. Quod facinus ad occultam iussionem Felicis Magistri militum referebatur.] Inimici mors placuit Proculo. Hinc percussori Barnabo, manibus adhuc cruento, gratulabundus occurrit, & inuitauit ad mensam. Pontifex agit de secunda Narbonensi Prouincia. Et ipsi non soli, sed simul Viennensi Prouinciæ delegat hanc causam Proculi: quod nempe ille esset Metropolita, ideoque eius prima instantia ex Gratiani edicto spectaret ad Sedem Romanam. Fateor tamen Zozimum ex isto non processisse edicto. Eius quippe Iudicium non fuit prima cognitio, sed Retractatoria. Quare secundus Quesnelli lapsus est, quod hoc Zozimi Factum non tangat ius Appellationum. Clarum est hanc causam fuisse appellatam.

Reponit ille Proculum nec comparuisse ad Romanum tribunal, nec obtemperasse sententiæ, nec cessasse ab exercitio Metropoliticæ potestatis, nec agnouisse, aut curasse degradationem, sed in consecrandis Episcopis etiam tunc processisse. Quæ omnia esse verissima censet ex Zozimi epistolis. Ab ipsa Romana Ecclesia probatam eius contumaciam. In adductis enim verbis Celestinus Pontifex ipsum agnoscit pro Massiliensi Episcopo, eiusque causam delegat adunandæ Synodo duarum Prouinciarum. Respondeo Proculo euenisse, quod Acacio Constantinopolitano Episcopo, per Ioannem Alexandriæ Patriarcham appellato Romam, euenisse testatur in data contra illum sententia Felix III. [Ad libellum fratris, Coepiscopi mei Ioannis, qui te grauissimis obiectionibus impetiuit, in Apostolica Sede secundùm canones diffidens, obiecta firmasti.] Attamen Proculi contumacia fuit longè inferior. Timuit enim authoritatem Imperatoris Constantij, ideoque comparere non contempsit, sed non fuit ausus. Nec dubitandum est, quin postmodò se submiserit Apostolicæ Sedi, atque ita ab iniecto per Zozimum vinculo solutus, redierit ad gradum, reparatus in integrum Episcopum. Proculus enim fuit magnus Antistes, celebratus multorum Patrum elogijs. Factum istud existimo, dum Bonifacius Pontifex circumduxit Zozimi pro Arelatensi Metropoli iudicium, ac à Lutubensi Ecclesia excitatus Hilarium Narbonensem Episcopum firmauit in dignitate Metropolitica supra primam Narbonensem. Idem Pontifex à Taurinensi Synodo sancitum, & à Zozimo exsufflatum, Metropoliticum ius reparauit Viennensi Ecclesiæ. Patet ex Sancti Celestini ad Narbonensis,ac Viennensis Prouinciarum episcopos literis: [Iuxta decreta canonum, vnaquæque Prouincia suo Metropolitano contenta sit, vt Decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec vsurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi vnusquisque contentus limitibus. Alter in alterius Prouincia nihil præsumat.] Loquitur de vtraque Narbonensi Prouincia. Etenim generatim scribit [ad episcopos Narbonenses.] Item [ad Viennenses episcopos.] Et singulis his prouincijs reddit, & firmat suum Metropolitam. Et asseuerat se sancire ex Decreto Antecessoris Bonifacij, atque ita testatur hunc ista omnia sibi præformasse.

Tunc igitur: & Proculus refugit ad laudatum Bonifacium, questus est de Zozimi iudicio, exposuit causas suæ non comparitionis, & impetrauit non dumtaxat sui gradus reparationem, sed insuper dignitatis Metropoliticæ. Hinc Cęlestinus ipsum agnouit vt Metropolitam, atque canonicum episcopum, & primam de eius crimine cognitionem delegauit propriæ ipsius prouinciæ. Certè si fuisset prouincialis solummodò episcopus, prouinciæ Synodus ad ipsum de tanto crimine discutiendum, atque damnandum non indigebat delegata authoritate Sedis Apostolicæ. Proinde Proculus non ad Romanas Appellationes spernendas recalcitrauit Zozimo, sed ad euadendum eius non æquum pro Patroclo iudicium. Credidit Zozimum pro Patroclo sentire cum Augusto Constantio. Et eius suspicio non caruit fundamentis. Hinc à Bonifacio consecutus est plenam gratiam.

Paschasius Quesnellus prosequitur: [Ex eiusdem Papæ Zozimi epistolis discimus alios aliquot episcopos in Gallijs sententiam excepisse, quos inter Lazarus Aquensium episcopus, & Vrsus, cuius Sedes ignota, numerantur. Nullius tamen appellationem legimus. Tantùm abest, vt primam sententiam in illos ferre adgressus sit Romanus Episcopus, Ita vt Patrocli improbitati, ac audaciæ tribuendum sit, quod primùm in Proculi negotio tentatum est. Nam veritus, ne ordinationem eius, sacris canonibus contrariam, in irritum mitterent Gallicani episcopi, Romani Pontificis gratiam, & fauorem sibi varijs artibus conciliauit, spemque fecit maximè authoritatis eius in Gallijs magis promouendæ: Quam occasionem auidè arripuit Zozimus, vt imperuiam hactenus huiusmodi consuetudini, ac moribus Galliam circa episcoporum iudicia, aliarumque rerum administrationem,tandem aliquando per viam haberet. Quod tamen eo, quem optabat, exitu caruit.]

Errores varij. Primus est, quod nullam hic legamus Appellationem. Etenim manifestum est, quod Patroclus à Taurinensis Synodi iudicio Romam prouocauerit. Secundus error est, quod nulla hic item appareat prima Romani Pontificis sententia in Gallicanum Episcopum. Etenim apparet criminalis causa Proculi Metropolitæ Massiliensis, Synodo delegata per Cęlestinum Pontificem: Hæc delegatio est omninò prima cognitio, seu fieri non potest, nisi per primæ cognitionis Iudicem. Tertius error est, quod ista Appellatio sit primum attentatum in Gallia, tribuendum Patrocli improbitati, atque audaciæ, Etenim nemo tunc Gallicanus Episcopus, nullus antiquus Scriptor Patroclum hic arguit attentatæ nouitatis. Sunt nouissima

ma Paschasij Quesnelli Dogmata. Patroclus egit iuxta antiquum canonem, & morem totius Ecclesiæ. Quartus error est, quod Patroclus timuerit suam episcopalem creationem rescindi à Gallicanis episcopis. Ipse enim erat supremus Galliæ, & quidem Imperatoris Constantij authoritate armatus Metropolitanus, ideoque ab isto metu liberrimus. Et eius Ordinatio erat ambigua. Gallicani episcopi, qui Martiani Arelatensis Metropolitæ dubiam hæresim non præsumpserant inuadere, quomodo inuasissent dubiam Patrocli promotionem? Ipsam inuadere debuerant in primis annis. Certè Constantius tunc solummodò erat Magister militum. Qua fiducia, qui tunc timuerant, sub eius Imperio cœperunt à Patroclo timeri? Proinde Patroclus non ex isto metu, sed ex suo plenæ Metropoliticæ dignitatis ambitu, ac ex plena in nouum Constantij Imperium fiducia prouocauit Romam, & causam obtinuit. Quintus error est, quod Patroclus varijs artibus Zozimi gratiam sibi conciliarit, & spem fecerit Apostolicæ authoritatis promouendæ. Hæc omnia sunt friuola figmenta. Patroclus nullam artem impendit, nisi solam authoritatem amici Principis.

Videamus causam Lazari Aquensis Episcopi. Ipsi Quesnellus iungere debuerat non ignotæ sedis Vrsum, sed Herotem Archiepiscopum Arelatensem. Hos enim Zozimus passim iungit. Et ipsi se iunxerunt. Videntur simul appellasse Romam, aut sanè appellationem fuisse simul prosecuti, Simul profecti sunt in Palestinam: aut certè simul isthic vixerunt. Isthic hæresiarcham Pelagium simul accusarunt, & traduxerunt ad Diospolitanam Synodum. Zozimus Pontifex in literis ad Africæ, Galliæ, ac Hispaniæ Episcopos hæc scribit de Lazaro: [Lazarus, dudùm in Taurinensi Concilio grauissimorum Episcoporum sententijs pro Calumniatore damnatus, cum Britij innocentis Turonensis Episcopi vitam falsis obiectionibus appetisset, post verò indebitum ab eodem Proculo, qui inter cæteros in Synodo damnationis eius adsederat, Sacerdotium consecutus, à quo se ipse vitæ suæ conscientia, datis literis in abdicationem sui, spontè submouit.] Affirmat tria. Primò, Proculum adfuisse Taurinensi Concilio. Secundò, Lazarum, adhuc Clericum, ob patratas in Britium Antistitem calumnias fuisse damnatum. Tertiò, ab ipso damnatore Proculo postea fuisse consecratum Episcopum ad Aquensem Ecclesiam. Proculus tunc agebat Metropolitam istius Prouinciæ, ideoque credendus est soluisse istud vinculum, & Lazarum solutum consecrasse. Quidquid sit, Lazarus Episcopus fuit denuò degradatus, admisit sententiam, & propriæ manus subscriptione confirmauit. Aut certè degradari timens à Synodo, præuenit Iudicij infamiam, ac semetipsum degradauit. Zozimus adiungit, & aliud, Proculo, & Lazaro commune crimen, patratum in Episcopali Consecratione Vrsi, atque Tuentij: [Hìc multa concurrunt. Improborum & damnatorum Ordinatio, prætermissio Metropolitani, & Lazarus in consortio illicitæ Ordinationis adscitus.] Arguit Proculum de tribus. Primò, quod damnatos, ac irregulares homines consecrauerit in Episcopos. Deindè, quod Metropolitica Patrocli iura inuaserit. Tertiò, quod intrusum Lazarum sibi fecerit in ista Consecratione adsistere. De Herote autem scribit Prosper in Chronico: [Heros, vir sanctus, & sancti Martini discipulus, cum Arelatensi Oppido præsideret Episcopus, à Populo eiusdem ciuitatis insons, & nullis insimulationibus noxius, pulsus est, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Constantij, Magistri militum, cuius per ipsum gratia quærebatur. Eaque res inter Episcopos illius Regionis magnarum discordiarum materia fuit.]

Plura de his scribit Zozimus Pontifex in literis ad Africanos Episcopos: [Patuit Herotem, & Lazarum inobseruatis Ordinationibus, Plebe, Cleroque contradicente, ignotos; alienigenas, intra Gallias Sacerdotia vendicasse, quibus se ipsi propria abdicauere sententia, nosque, licèt & alia, tamen eorum pœnitudinem secuti, Sacerdotali eos loco, & omni communione submouimus.] Et in alia ad eosdem epistola: [Itanè, Fratres dilectissimi, ad aures vestras, qui sint isti turbines Ecclesiæ, vel procellæ, nec opinione peruenit? Itanè vos latuit vita horum, atque damnatio? Sed quamquam specialis illos Apostolicæ Sedis authoritas omni communione submouerit, discite & in hac epistola, licèt strictim, hominum mores. Vetus Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi. Per multa Concilia in sanctum Britium, Coepiscopum nostrum Turonicæ ciuitatis, Diabolicus accusator inuentus est. A Proculo Massiliensi in Synodo Taurini Oppidi sententiam calumniatoris excepit. Ab eodem Proculo fit post multos annos Sacerdos, Tyrannici Iudicij defensor, ciuitatis Aquensium. Cumque contrairet afflicta ciuitas, in ipsum penetrale, & Sacerdotale solium, sanguine innocentis penè respersum, irrupit. Stetitque in eo hactenus vmbra Sacerdotij, donec Tyranno staret imago Imperij. Quo loco post internecionem Patroni spontè se exuit, & propria cessione damnauit. De Herote verò omnia similia: Idem Tyrannus, Patronus cædis, turbæ præsbyterorum, contradicentium vincula & custodiæ, & totius ciuitatis afflictio. Similis pœnitentia de abdicatione Sacerdotij.] Et tandem concludit: [Vbi Heros, vbi Lazarus? Erubescenda factis, & damnationibus nomina.] Adducta de Lazaro verba quidam Codices sic legunt: [In Sacerdotale solium, penè adhuc innocentis Decessoris sanguine respersum, fretus Tyranni patrocinio irrupit.]

Ad Domini annum quadringentesimum octauum scribit Prosper in Chronico: [Constantinus ex infima militia, ob solam speciem nominis in Britannia Tyrannus exoritur, & ad Gallias transit.] Et ad eiusdem sæculi annum duodecimum: [Constantinus per Honorij Duces Constantium, & Vlsanum apud Arelatense Oppidum victus, & captus est.] Occuparat omnem ferè Narbonensem Galliam. Ei adhæserunt Heros, & Lazarus. Et dum in Aquensem ciuitatem irrumperet, occisus fuit Episcopus, ac eius in locum intrusus Lazarus, A' Massiliensi Proculo. Eodem modo

modo Heros fuit intrusus in Arelatensem Cathedram. Et hinc dum Tyrannum occidit, & istas ciuitates Imperio reddidit Militum Magister Constantius, vtrumque istum Episcopum eiecit, ac Arelatensi Throno imposuit Patroclum. Et istos ambos fecit synodaliter damnari. Hinc Zozimus dicit ipsorum Ordinationes fuisse inobseruatas, factas Clero & populo contradicente, contradicentium quosdam fuisse coniectos in vincula, & custodias, atque ita euenisse afflictionem totius ciuitatis. Et adiungit ipsos post eiectum Tyrannum cessisse Episcopatui, idque per omnia manu scriptos abdicationis libellos.

Notanda sunt hæc Pontificis verba: [Nos, licèt & alia, tamen eorum de se pænitudinem secuti, Sacerdotali eos loco,& omni communione submouimus.] Et hæc: [Erubescenda factis, & damnationibus nomina.] Item ista: [Graue fuit Lazaro, & Heroti literarum suarum pedissequos esse. An nesciebant Dilectionem vestram relaturam ad Sedem Apostolicam? Huc certò calumniæ compendio nauigassent. Vbi de Episcopatu abdicando agitur, maria terrasque lustrant, nec vlla suffragia prætermittunt; vbi verò innocentium fama percellitur, otiosi & delicati, siue accusatores, siue testes, in cubilibus, & lectulis suis literis abutuntur, & totam Africam, vniuersumque tranquillum Catholicæ Serenitatis innubilant ad libidines suas duæ pestes.] Hinc discimus plura. Primò, quod Heros, & Lazarus fuerint damnati à pluribus Synodis. Nempè à Gallicana, & Romana. Secundò, quod hæc Romana Synodus fuerit celebrata per ipsum Zozimum. Tertiò, quod illi ad recuperandum Episcopatum lustrauerint maria ac terras, nullaque prætermiserint suffragia. Nempè ab irrogata sibi per Militum Magistrum Constantium, ac eius iussu congregatas Synodos ignominia appellarunt, ac accesserunt Romam, & datas contra ipsos sententias Zozimus Pontifex probauit, ac confirmauit. Romam appellarunt Patroclum. Et ab hac victoria, nec non à subsecuto Constantij Imperio hic animatus inuasit Proculum Massiliensem, Simplicium Viennensem, aliosque nouos intra Narbonensem Prouinciam Metropolitas, nec non & ipsam Taurinensem Synodum, & omnia gloriosus obtinuit. Et hinc quartò discimus, quod hæ Romanæ in Gallia appellationes nequaquam à Patrocli improbitate, ac audacia ducant originem. Patroclus Herotem ac Lazarum, hi sunt imitati suos maiores, secuti perpetuam Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem. Nempè apud illam semper viguit laudata per S. Gelasium Pontificem in literis ad Dardaniæ Episcopos Regula: [Ad beati Petri Apostoli Sedem de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus.] Hinc à Zozimo damnati, vel potiùs in priori damnatione confirmati Heros, & Lazarus secesserunt in terram sanctam, acturi illic pœnitentiam, aut certè suam calamitatem apud Dominicæ passionis loca consolaturi. Isthic accusarunt hæresiarcham Pelagium, & perduxerunt ad Synodum Diospolitanam. Quare istam accusationem modici fecit Zozimus. Nec sine fundamento. De quo quidquid sit, lucet Paschasium Quesnellum vana nobis prædicare.

Pergamus ad Vrsum, ac Tuentium. Zozimus in literis ad Africæ, Galliæ, ac Hispaniæ Episcopos præfatur Maiorum Constituta esse ex integro obseruanda, & pergit: [Sed nihil minùs ab Viso, & Tuentio. Quorum vnus assidua huius Sedis medicina curatus, ad emendati erroris non potuit peruenire sanitatem. Alter verò antè aliquot annos obiecta criminatione submotus, sicut ciuium Scripta testantur, vel Ingesta docuerunt, etiam ab eo gradum summi Sacerdotis accepit, à quo fuerat antè damnatus. Cœcus error in vtroque, vt quod est potissimum in omnibus, nec velit aliorum de Tuentio, nec suam in Vrso tenere sententiam. Sed fac vt honesti mores in hominibus essent, & probata suffragia, quid illud quod prætermisso Fratre nostro Patroclo, Metropolitano Episcopo Arelatensium ciuitatis, sine cuius authoritate, iuxta Maiorum Canones, nulla penitùs potuit Ordinatio celebrari, tumultuosè, & turbidè indebitis Sacerdotia impinguntur.] Adiungit non solum Metropolitam, sed & Prouinciales Coepiscopos, itemque legitimum Ordinationis diem fuisse neglectos, & concludit: [Hic multa occurrunt. Improborum, & damnatorum Ordinatio, prætermissio Metropolitani, nec non & Prouincialium Sacerdotum, locorumque alienorum impudentissima vsurpatio, nec saltem diei custodita solemnitas, & Lazarus in consortio illicitæ Ordinationis adscitus. Hæc omnia apud nos gestis, testimonijsque discussa sunt. Atque vtinam in Tuentio praui tantùm mores, non etiam Priscilliana superstitio patuisset: Quæ sedis huius dudùm humanitas & misericordia in hoc illi consulere voluit, vt emendatior de cætero permaneret. Quod beneficium, pænè præter exemplum sibi præstitum, si diligentiùs obseruare voluisset, erroris illum anteacti oportuit pœnitere, non ita præcipiti impetu ad Sacerdotium festinare, vt nec diei veterem solemnitatem, quæ præcipuè custodienda fuerat, obseruaret, nec indebito loco crederet abstinendum. Qua de re ad sanctitatem vestram, & per totum Orbem scripta direximus, nè Tuentium, & Vrsum in communione Ecclesiæ, in quocumque Ecclesiastico gradu, à qua in totum anathematizati sunt, suscipiendos esse ducatis. Dicuntur enim circulatores esse, quod nos ex sententijs agnouimus in eorum damnatione Sacerdotali authoritate prolatis, quas in diuersis Regionibus exceperunt.]

Vrsi, ac Tuentij Ordinatio videtur fuisse patrata à Proculo. Hoc suadet assumpta Lazari assistentia. Ipsum Proculus habuit pro suo suffraganeo. Quidquid sit, Pontifex affirmat varia. Primò, quod & Vrsus, & Tuentius fuerint malè morati. Secundò, quod ob malos mores fuerint discussi in varijs Synodis, & damnati. Tertiò, quod Tuentius insuper fuerit Priscillianista. Quartò, quod ob ista Synodaliter damnatus, refugerit ad sedem Apostolicam, pœnitens supplicauerit gratiam, atque acceperit. Nempè ex regula, quam in laudata ad Dardaniæ Antistites epistola prædicat sanctus Gelasius:

[Cun-

[Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi.] Quinrò Zozimus affirmat istud beneficium fuisse singulare, ac pænè præter exemplum. Nempè Priscillanistis vsitata erat hæc regula: [Iura, periura, secretum prodere noli.] Hinc ipsis Romana Ecclesia non facilè credebat, ac impendebat reconciliationis gratiam. Pontifex sextò affirmat, quod etiam post hanc gratiam Tuentius non potuerit creari Episcopus, sed persistere debuerit in pœnitentia, atque ita promereri nouam gratiam. Nempè lapsus in hæresim Clericus, licèt pœniteret, ex antiqua disciplina manebat perpetuò irregularis. Per reconciliationem purgabatur à culpa, non ab ista pœna. Septimò, Pontifex affirmat, quod Vrsus, licèt antea electus in Episcopum, potuisset legitimè excuti, propter obiecta crimina. Octauò, quod post hæc omnia fuerint præuaricatoriè intrusi in Episcopalem dignitatem. Nempè per alienum, immò per imaginarium Metropolitam, per cooperationem famosi Lazari, illegitimo die, cum contemptu Comprouincialium. Propter hæc crimina Patroclus Metropolita eos damnauit atque extrusit. Hinc Romam appellarunt ad Zozimum: Et nihil retulerunt, nisi suæ damnationem consecrationis, eiusque solemnem publicationem per omnes sub cœlo Ecclesias. Ex quibus iterùm lucet non solùm Patroclum tunc appellasse Romam, sed hanc appellandi consuetudinem fuisse famosissimam apud omnes Gallicanas Ecclesias.

Superiùs iniecta Britij Turonensis Episcopi memoria docet nos duo. Primò, Lazarum fuisse calumniatorem Britij. Authorem adeò firmiter confutæ calumniæ, vt Britius ipsam, nec per miracula potuerit diluere, sed propter eam fuerit degradatus, atque (Lib. 2. c. 1.) eiectus, ac eius in locum superordinatus primò Iustinianus, deindè Armentius. Ista memoria secundò nos docet insignem eiusdem degradati Britij, vtique Gallicani Episcopi, Romanam appellationem. Etenim in Francorum historia scripsit Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus: [Britius Romanæ Vrbis Papam experijt, flens, & eiulans, atque dicens; Meritò hæc patior, quia peccaui in Sanctum Dei.] Vtique Sanctum Martinum. [Et eum delirum, ac amentem sæpè vocaui, cuius videns virtutes non credidi.] Et infra: [At Britius Episcopus Romam veniens, cuncta, quæ pertulerat Papæ refert. Qui ad Sedem Apostolicam residens, plerumque Missarum solemnia celebrans, inibi quidquid in Sanctum Dei deliquerat, deflendo diluit. Septimo igitur regressus anno à Roma, cum authoritate Papæ illius, Turonem redire disponit. Et veniens ad vicum, cuius nomen est Laudiacum, sexto ab vrbe milliario, mansionem accepit. Armentius verò febre corripitur, & media nocte spiritum exhalauit. Quod protinùs Britio Episcopo per Visum reuelatum est. Qui ait suis: Surgite velociùs, vt ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum Pontificem occurramus. Cumque illi venientes portam Ciuitatis ingrederentur, ecce istum per aliam portam mortuum efferebant. Quo sepulto Britius in Cathedram suam regressus est, septem posteà feliciter viuens annos.] Regressus est, ac scilicet sedit per Papæ authoritatem. Et hoc omninò est vnum Romanarum appellationum exemplum, quas in literis ad Viennensis Prouinciæ Episcopos laudat Magnus Leo.

CAPVT XI.

Discutiuntur alia per Paschasium Quesnellum adducta exempla,

HÆc Paschasius Quesnellus: [Sub Bonifacij Pontificatu, qui Zozimo proximè successit, vnica occurrit Maximi Valentini Episcopi causa, aduersùs quem, cum à Valentinæ Ciuitatis Clericis conuentus esset, non ad se causæ cognitionem pertraxit, sed monuit à Comprouincialibus instruendum esse iudicium.] Maximus erat [innolutus Manichæi caligine.] Constabat ex [Gestis Synodalibus.] Erat [commissis innolutus vndique flagitijs.] Ita solent Manichæi. Et propter hæc fuerat apud [sæcularium quoque Iudicum Tribunalia subditus quæstionibus, quod in vili quoque persona turpissimū est.] Præterea [ex prolatis in medium Gestis asserebatur damnatus homicidij. De hoc Episcopo scripsit ad Patroclum Arelatensem, aliosque septem in Gallia Prouinciarum Episcopos Sanctus Bonifacius:] Valentinæ nos Clerici Ciuitatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum reste tota Prouincia asserunt commisisse. Delegata toties cognitione illum constituta semper subterfugisse Iudicia, nec confisum conscientia festinasse, vt si esset innocens, examinatis omnibus purgaretur. Qui è contrario probauit de se illa, quæ dicta sunt, qui ad ea confutanda, cum essent innumera, à Decessoribus meis, Prouinciali delegata cognitione, conuentus etiam dicitur euitasse, & adesse minimè voluisse. [Hanc assiduam eius fugam exaggerat, & prosequitur:] Debueram quidem iam nunc dignam pro eius accusatis in nostro indicio actibus, qui cognitionem, & Decretum Iudicum sæpè declinando credidit illudendum, ferre sententiam, at nè aliquis præcoquam forsitan iudicaret, & sibi qui absens est, licèt sit quæsitus à nobis, nihil reseruatum esse diceret, maluimus intercapedine temporis data differre. [Enumerat facinora Maximi, & concludit:] Dilationem tamen dedimus, & decreuimus vestrum intra Prouinciam habere Kalendarium Nouembrium, vt si adesse voluerit, præsens, si confidit, ad obiecta respondeat; si verò adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur.

Hinc discimus plura. Primò, quod Maximi accusatio fuerit inchoata non sub Bonifacio, sed sub eius Antecessoribus; Zozimo ac Innocentio: Forsan & sub Anastasio. Etenim Sammarthani Fratres in Gallia Christiana affirmant Maximum à quinti sæculi ingressu sedisse Episcopum. Secundò discimus, quod hæc accusatio fuerit semper facta apud Sedem Apostolicam. Tertiò, quod Romani Pontifices causam semper remiserint ad Prouinciæ Synodum, ac ipsi delegarint.

Quæ verba non carent emphasi. Affirmant quod ista accusatio fuerit legitima, quod causam fixerit apud Romanam Cathedram, quod Pontifex etiam in prima Instantia possit iudicare Prouinciales Episcopos, quod Gallicana Ecclesia de isto articulo tunc non dubitarit. Et hinc ista remissio fuit delegatio. Exinde Synodus, quia Pontifex apposuerat manum, iudicare nequijt per ordinariam authoritatem, sed solummodò per delegationem. Apostolicæ manus appositio est adeò antiqua. Ex his principijs scribit Bonifacius: [Debueram quidem iam nunc pro eius accusatis in nostro iudicio actibus ferre sententiam.] Attamen ex causis maluit denuò remittere, ac delegare. Quare errorem continent hæc Paschasij Quesnelli verba: [Monuit à Comprouincialibus instruendum esse iudicium.] Nequaquam monuit, sed suo Tribunali iam affixam causam Synodo delegauit.

Proindè hìc non de appellatione agitur, sed de prima instantia, per Canones spectante ad Prouinciæ Synodum. Hinc quæritur, quo fundamento, & qua occasione Valentinus Clerus hunc ordinem præterierit, & suum Episcopum accusauerit apud Sedem Apostolicam? Respondeo ob Narbonensis Prouinciæ tunc per Imperatores factam diuisionem, obindè natas inter Episcopos de iure Metropolitico controuersias, & ob ambiguum Taurinensis Synodi de ipsis iudicium. Istas lites memorat in funebri Valentiniani Secundi Imperatoris encomio Sanctus Ambrosius. Affirmat se à iuuene Principe ad ipsum baptizandum fuisse vocatum in Gallias, atque adiungit: [Additur, eò, vt properem ocius, nec arbitrarer itineris mei causam esse Synodum Gallorum Episcoporum, propter quorum frequentes dissensiones crebrò me excusaueram.] En Taurinense Decretum: [Illud inter Episcopos vrbium Arelatensis, & Viennensis, qui de Primatus apud nos honore certabant, à Sancta Synodo definitum est, vt qui ex eis comprobauerit suam Ciuitatem esse Metropolim, is totius Prouinciæ honorem Primatus obtineat, & ipse iuxta præceptum Canonum habeat Ordinationum potestatem. Certè ad pacis vinculum conseruandum hoc consilio vtiliori decretum est, vt, si placet memoratarum vrbium Episcopis, vnaquaque de his viciniores sibi inter Prouincias vendicet Ciuitates, atque eas Ecclesias visitet, quas Oppidis suis proximas magis esse constiterit, ita vt memores vnanimitatis, atque concordiæ non alter alterum, sibi longiùs vsurpando, quod est alij propiùs, inquietet.] Decretum hoc videtur quæstiones non composuisse, sed auxisse. Inter ipsas fluctuauit Valentina Ecclesia, nesciens an Viennensem Metropolim deberet respicere, an Arelatensem. Et possit ab vtriusque Episcopo fuisse vexata. Hinc ipsa Episcopum suum, ne magis se inuolueret, detulit apud Sedem Apostolicam. Quare accusatio post datum à Zozimo pro Arelatensi Metropoli iudicium videtur quieuisse. Hinc statim post defunctum Zozimum fuit resumpta apud Successorem Bonifacium, & ab ipso remissa ad plenam Narbonensis Prouinciæ Synodum: Ad Patroclum, Remigium, Maximum, Hilarium, aliosque septem Prouinciarum Episcopos. Hilarius hic est Narbonensis Antistes, poniturque inter Prouinciales: Quod nempè Zozimi iudicium Bonifacius necdum circumduxisset. Hæc delegatio facta est sub Consulatu Monaxij, decimonono anno quinti sæculi: Circumductio contigit ad tertium decimum Honorij Consulatum, vigesimo secundo anno istius sæculi.

Ista circumductio etiam spectat ad præsentem materiam. Zozimi pro Arelatensi Metropoli Sanctio adeò obtinuit per omnes istas nouas Prouincias, vt etiam primæ Narbonensis Metropolita Hilarius pareret, ac se gereret, vt Prouincialem Episcopum. Hinc in Maximi Valentini causa scribitur, ac numeratur inter Prouinciales. Verùm plures recalcitrarunt. Etenim Lutubensis, ad primam Narbonensem spectantis, Ecclesiæ Clerus, & Populus adeò fuit auersatus istam Sanctionem, adeòque noluit noui sui Electi consecrationem à Patroclo petere, aut admittere, vt ad Hilarium Narbonensem Episcopum scripserit Bonifacius: [Ecce Lutubensis Ecclesiæ Cleri Ordo, vel plebis preces suas, & lachrymas ad nos magno cum dolore miserunt, dicentes Coepiscopum nostrum Patroclum, sua petitione cessante, in locum decedentis Episcopi nescio quem in alia Prouincia, prætermisso Metropolitano, contra Patrum Regulas ordinasse.] Affirmat, ac demonstrat Patrocli Factum aduersari Nicœnis Canonibus, & antiquis moribus, atque concludit: [Vnde, Frater charissime, si ita res sunt, & Ecclesiam supradictam Prouinciç tuç limes includit, nostra authoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes, desiderijs supplicantium, & voluntate respecta, ad eundem locum, in quo Ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani iure munitus, & præceptionibus nostris fretus accede, intelligens arbitrio tuo, secundùm Regulas Patrum, quæcumque facienda sunt, à nobis esse concessa, ita ut peractis omnibus, Apostolicæ Sedi, quidquid statueris, te referente clarescat, cui totius Prouinciæ tuæ Ordinationem liquet esse mandatam. Affirmat Zozimi Sanctionem, vtpotè aduersam Nicœnis Canonibus, nunquam substitisse, ideòque Narbonensem Antistitem, & esse, & semper fuisse Metropolitam.] Et hinc manifestum est Gratiani Imperatoris Legem, & ab ipsa confirmatum Canonem, qui primam contra Metropolitas Instantiam, reseruat Sedi Apostolicæ, tunc viguisse in Gallia. Etenim Lutubenses agebant contra duos Metropolitas: Contra Patrocli, alieni Metropolitæ audaciam, & contra negligentiam proprij Metropolitç Hilarij. Hinc non ad Prouinciæ suæ Synodum confugerunt, sed ad Bonifacium Pontificem. Narbonensium Ciuitas, & Regio per Magnum Constantinum sunt omnium primæ decisæ ab Arelatensi corpore, & euectæ in singularem Metropolim, ac Prouinciam: Et Ciuilem, & Ecclesiasticam. Hinc & illa contra Zozimi Decretum prima intercessit, ipsum arguit nouitatis, ac euicit. Natæ postmodò Prouinciæ sunt secutæ eius exemplum, & causam similiter obtinuerunt.

Paschasius Quesnellus pergit: [Cœlestinus Papa, qui post Bonifacium sedit, Danielem quemdam ad suum Tribunal videtur euocasse,

causse; sed hominem vagum, qui ab Orientalibus, apud quos multa flagitia perpetrarat, accusatus apud Romanum Pontificem, eique quasi traditus, apud Gallias diù quæsitus est ad iudicium. Sed talis causa extra exemplum est, nec ius vllum simile sibi attribuisse in Gallicanos episcopos credendus est Cœlestinus, qui in fine eiusdem epistolæ ad episcopos Prouinciæ Viennensis, & Narbonensis causam Massiliensis episcopi Prouinciæ suæ Collegio audiendam pro consuetudine, ac iure dimittit.] Audiamus Pontificem. Quæritur indignos à Gallicana Ecclesia euehi ad episcopatum, & demonstrat exemplo: [Daniel, nuper missa ad nos relatione ex Orientalibus ad nos partibus, ab omni, quod tenuerat, Virginum monasterio est nefarijs obiectionibus accusatus. Multa à multis obiecta flagitia. In quanam lateret terrarum parte quæsitus est, vt si innocentiæ suæ confideret, contra se postulatum iudicium minimè declinaret. Missa ad Arelatensem episcopū per Fortunatū Subdiaconum nostrum, vt ad Iudicium episcopale destinaretur epistola, tantis grauatus Testimonijs, tanta facinorum accusatione pulsatus, Sacrarum, vt dicitur, Virginum pollutus incæstu, Episcopus asseritur ordinatus. In Scrinijs Libelli continentur, quorum ad vos exemplaria direximus. In Pontificij dignitatem hoc tempore, quo ad causam dicendam missis à nobis literis vocabatur, obrepsit. Sacro nomini absit iniuria.] Et infra: [Daniel, qui accusationem Pontificali honore subterfugere se posse credidit, & ad fastigium tantum accusatores suos latendo peruenit, à Sanctitatis vestræ cœtu interim se nouerit segregatum, qui se nostro iudicio debet obijcere, si conscientię suę nouit confidentiam se teneret.]

Daniel, ergo erat Presbyter Orientalis Ecclesiæ. Cuius Diœcesis, Prouinciæ, aut Parochiæ, ignoratur. Erat Præfectus sanctimonialium: Et quarūdam stuprator. Hinc sui episcopi iudicium timens fugit in Narbonensem Galliam. Et istic innotuit suis accusatoribus. Hinc illi flagitiosum hominem detulerunt Sedi Apostolicæ. Nempè, & sui Episcopi, & sui Metropolitæ, & sui Patriarchæ, aut Primatis limites euaserat, & agebat gyrouagum: Hinc accusari debuit apud Patrem communem, Episcopum Romanum. Ita Hæresiarcham Pelagium, dum ex Italia in Africam, ex hac in Siciliam, hinc in Palestinam vagus abiuerat, sanctus Augustinus, ac alij Afrorum Episcopi detulerunt sancto Pontifici Innocentio, & supplicarunt Romam euocari. Ex hac Regula sanctus Cœlestinus euocauit, & Danielem. Et hic interim circumscripsit Gallicanos episcopos, fuitque ab ipsis in Confratrem consecratus. Ita & sceleratus sancti Ambrosij Ex-Diaconus Gerontiùs, dum Constantinopolim fugit, circumscripsit Helladium Cæsaræiensem in Cappadocia episcopum, Ponticæ Diœcesios Exarchum, ac ab ipso est consecratus in Nicomediensem episcopum, Metropolitam Bithyniæ. Ambo sperarunt sua crimina sepelire, sub episcopalibus infulis. Verùm Danielis accusatores perrexerunt ad Cœlestinum, & Cœlestinus hominem euocauit ad suum Tribunal.

Et hinc lucent varij errores Paschasij Quesuelli. Primus est in his verbis: [Sed talis causa extra exemplum est, nec ius vllum simile sibi attribuisse in Gallicanos episcopos credendus est Cœlestinus.] Etenim vti Gerontiùs, Bithynus, ac Ponticus, ita Daniel per episcopalem Consecrationem factus est Gallicanus episcopus, atque ita vterque subijt omnia iura, omniaque onera suæ Diœceseos. Et hinc vti sanctus Ioannes Chrysostomus, Patriarchatus Constantinopolitani Propagator, degradauit Gerontium, ita quoq; Galliæ Metropolita potuit Danielem inuadere. Proinde Cœlestinus omninò euocauit Gallicanum episcopum. Et quidem Prouincialem. Nempè propter litis pendentiam, inchoatam ante Danielis episcopatum. Secundus error est, quod Cœlestinus Proculi Massiliensis episcopi causam. [Prouinciæ Collegio audiendam pro consuetudine, ac iure dimiserit.] Etenim Pontifex disertè scribit se non dimittere, sed delegare. Nempè Proculus erat Metropolita, ideòque eius causa priuatiuè, ac immediatè spectabat ad Sedem Apostolicam. Quæri possit, cur Maximi Valentini episcopi, hominis etiam vagabundi, causam Bonifacius Prouinciæ Synodo delegari, Cœlestinus autem delegare noluerit causam Danielis? Ratio est obuia: Quod nempè Narbonensis, aut Viennensis Prouincię episcopi euehendo sceleratum hominem deliquissent, ideòque, & ipsi essent rei, ac inhabiles ad tale iudicium.

Ioannes à Bosco Parisiensis, in appendice ad Bibliothecam Floriacensem adducit has, præsentem materiam illustrantes, Zozimi Pontificis literas ad Simplicium Metropolitam Viennensem: [Zozimus episcopus Simplicio Viennensi Archiepiscopo salutē. Relatum nobis est, qualiter in Taurinensi synodo causas tuæ Diœcesios prosecutus fueris. Et licèt Arelatensi episcopo, antequam Legatus tuus venisset, propter reuerentiam sancti Trophimi ius, & Pontificium super tres Prouincias habere scripserimus, tamen si ita est, vt Scripta tua nobis missa continent, interim ventiletur, potestatem antiquam tibi manere permittimus, vt sicut in Taurinēsi grauissimorum episcoporum synodo, pacis consilio, decretum, viciniores tibi intra Prouinciam vendices ciuitates, donec pleniùs rei ordinem charitas Apostolicæ prosequatur. Lazarum indebitè episcopum, criminatorem Fratris, ordinatum, scias nostro iudicio esse damnatum. Data sub die Kalendarum Octobris, Honorio vndecies, & Constantio Consulibus.] Quidquid aliqui contradicant, epistola videtur legitima, atque authentica. Et tempora concordant. Etenim epistola, qua Zozimus Simplicium, & Taurinense iudicium castigat, data est eodem Consulatu, tertiò Kalendas Octobris, ideòque hæc epistola est posterior. Nostras assertiones insigniter confirmat.

CAPVT XII.

Expenditur primum Paschasij Quesnelli Fundamentum.

Cap. 15. POst agitatam Martiani Arelatensis episcopi causam Paschasius Quesnellus pergit: [Paulò fusiùs hanc Martiani causam excussimus, vt hoc vno exemplo, quod nobis ex primæua illa antiquitate Gallicana superest, euicerimus nullo alio iudicio Gallicanum esse præuentum, nullo retractatum. Tota enim in Comprouinciales episcopos, potestas pęnès synodicos Conuentus residebat, tum in Gallijs, tum in alijs Regionibus.] Respondeo Martiani exemplum non spectare ad præsentem Controuersiam, ideòque perperàm fuisse adductum: Et discussum fuit longè infeliciùs. Et quod datum de Martiano Gallicanum iudicium, nullo alio fuerit præuentum, & verum est, & falsum, est verum, quia nullum de ipso est factum in Gallia iudicium, ideòque nec præuentum. Etenim nec Arelatensi Prouinciæ Antistites, nec Lugdunensium Metropolita Faustinus præsumpserunt de homine iudicare. Nec citrà præuaricationem potuerunt. Dictum istud est penitùs falsum, quia lucidum, & exploratum est, quod Stephanus Pontifex primam de Martiano cognitionem instituerit,& primus ipsum damnauerit. Si quis & alius damnarit, damnauit ex Stephani præceptione. Quod olim plena in Prouinciales Antistites damnandos facultas, resederit penes Prouinciæ Synodos, libens admitto: Verùm nullatenùs excludi, & damnatis auferri possit facultas appellandi. Ita exclusio est non solummodò in papalem,sed & in Patriarchalem authoritatem iniuriosissima. Nec Eusebius Nicomediensis, nec Photius, nec Michael Cerularius, nec quis similium fœcum alius talia vnquam vomere præsumpsit in Patriarchalem Dignitatem.

Audiamus primum Paschasij Quesnelli Fundamentum: [Huius porrò disciplinæ causam & originem, in episcopalis dignitatis natura, ac sacrosanctis priuilegijs fundatam Nicæna nobis synodus aperit, quæ ius illud non scriptum scriptis canonibus,totius mundi reuerentia consecratis, sanxit atque firmauit. Sic enim se habet Canon quintus.] De his qui communione priuantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis, per vnamquamque Prouinciam sententia Regularis obtineat, vt hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. [Et postea:] Placuit annis singulis per vnamquamque Prouinciam, bis in anno Concilia celebrari,vt communiter omnibus simul episcopis congregatis discutiantur eiusmodi quæstiones. [Tametsi enim Canon ille depositionem episcoporum, inter eiusmodi quæstiones non designet expressis verbis, hunc genuinum esse Canonis sensum sibi quisque facilè persuadebit, qui Concilij Constantinopolitani Patres audire voluerit, canone suo secundo Nicænum interpretantes:] Non inuitati episcopi vltra Diœcesim, accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendi ecclesiasticis causis; seruata Regula, quæ suprascripta est de vnaquaque Diœcesi. Manifestum namque est, quod per singulas quasque Prouincias Prouincialis Synodus administrare, & gubernare omnia debeat, secundùm ea, quæ sunt in Nicæa definita. [Administrationis vocabulo iudicia aduersùs Episcopos comprehendi, æquè,ac alia negotia ecclesiastica, ostendit illustrissimus Petrus de Marca. Et huius interpretationis adstipulatores habemus Concilij Africani Patres, in epistola ad Cęlestinum Papam, quem sic alloquuntur:] Decreta Nicæna, siuè inferioris gradus Clericos, siuè ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, iustissimèque viderunt, quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda. Nec vnicuique Prouinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: Maximè quia vnicuique concessum, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare. [Eidem sententiæ suffragantur Innocentius Papa, in epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem, & Concilij Antiocheni Canon decimusquintus, quo statutur sententiam, ab omnibus Episcopis alicuius Prouinciæ laram,ab alijs Episcopis retractari, nec debere, nec posse.]

Est caducum fundamentum, consutum ex multis erroribus. Primus error est, quod quintus Nicænus Canon agat, etiam de episcoporum depositionibus, aut alijs in ipsos sententijs. Manifestè agit de solis criminalibus in Clericos, aut Laicos iudicijs. Etenim agit de vnius episcopi iudicio, reformabili per Prouinciæ synodum. Hinc Dionysij Exigui, quem Quesnellus sequitur, translatio adiungit: [Et sic qui suo peccauerint Episcopo.] Et Gentiani Herueti translatio: [Et sic quos episcopum offendisse constiterit.] Et translatio Isidori Mercatoris: [Hi qui ob culpas episcoporum suorum offensas meritò contraxerint.] Et Ruffini presbyteri compendium: [Vt si fortè ab vno iniquè aliquid gestum est, à cæteris emendetur.] At verò vnus episcopus, nequit collegam deponere, aut quouis modo criminaliter iudicare. Nec Metropolita, immò nec Patriarcha, id possit in suum Suffraganeum. Fieri nequit, nisi per plenam Prouinciæ synodum, aut sanè per definitum episcoporum, simul cum metropolita numerum. Constantinopolitana Nectarij Patriarchæ, circa Agapij, ac Bagadij, de Bostrensi episcopatu contendentium,causam synodus est omnibus notissima. Et fuit non vulgaris. Adfuerunt enim Theophilus Alexandrinus, Flauianus Patriarcha Antiochenus, ac alij grandes episcopi. Et ipsa pro Bagadio, quem duo episcopi deiecerant, edixit deijci non potuisse, nisi per plenam totiùs Prouinciæ synodum: Et ita sanciri ab Apostolico Canone. Insuper vnius Prouinciæ iudicium, nequit retractari per Prouinciam, longè minùs reformari. Proindè manifestum est, à quinto Nicæno Canone, non statui de episcoporum damnationibus, sed de solis criminalibus iudicijs in Clericum, aut Laicum.

Eo-

Lib.1.c.31. Eodem sensu Canonem intellexit, atque exposuit Gelasius Cyzicenus: [Exquiratur autem, num impotentia animi, aut pertinacia, aut aliqua alia indignatione episcopi, sint excommunicati.] Non episcoporum, aut Synodi indignatione, sed solius episcopi. Idem censuit Author, haud dubiè aliqua Synodus Arabicorum Canonum. Audiamus nouam, ac meliorem interpretationem Abrahami Ecchellensis: [Nullus episcoporum excommunicatum, ab alio episcopo recipiat, presbyter ille sit, vel monachus, aut laicus. Et ne illum exsoluat ab excommunicatione, aut absolutionem impendat ei vllam, ne contemni videatur, & paruipendi episcopus ille, & eius excommunicatio tamquam parui ponderis habeatur. Verùm si episcopus ille iniquus, atque tyrannus fuerit notorius, petieritque excommunicatus se purgare apud suum Metropolitanum, aut Patriarcham, id licitum ipsi sit; illi enim in eum potestatem habent.] Scribant tamen priùs ad episcopum de causa iniquitatis.

Can.2. Nicæni Patres rectè dicunt ante istam synodum multa fuisse facta [præter Canonem Ecclesiarum.] Etenim propter Arij Blasphemias, & præstita ipsis per varios, hinc indè episcopos adiutoria, litibus, & discordijs scatebant omnes Ecclesiæ. Episcoporum aliqui etiam in Orthodoxos, ac Zelosos Clericos, & Laicos exercuere tyrannidem, & multos perperam ex animi pusillanimitate damnarunt. Philippopolitanus Eusebianæ factionis conuentus, inter cæteros Orthodoxos episcopos degradauit, etiam venerabilem Gaudentium Naxitanum, quod [immemor esset sui Decessoris Cyriaci, subscribentis sententijs in sceleratos dignè illatis.]

Lib.3. c 10. Hermias Zozomenus exponit: [Quod contrario studio ducebatur, quàm Cyriacus, cui successerat, & magni faciebat eos, quos ille abdicauerat.] Haud dubiè fuit calumniosa futela: Forsan tamen habens aliquid, non fundamenti, sed coloris. Quidquid sit, similis episcoporum in suos clericos, & laicos petulantiæ tum grassabantur. Porrò Apostolicus Canon, mandat ligatum ab vno episcopo non solui ab alio. Quare etiam iniustè vincti, quandoque per annos in ista miserabili calamitate cogebantur persistere. Hinc grandibus animarum periculis occurrens magna Synodus iussit quotannis fieri duos in quauis Prouincia Conuentus, qui talia discuterent, atque sanarent. Ita afflictorum Clericorum, aut Laicorum animæ non, nisi per medium annum gemere poterant sub acerbo vinculo iniqui episcopi. Verùm Arabicorum Canonum conditrix Synodus censuit istud tempus esse iusto prolixius. Hinc laudatam soluendi potestatem cōmisit etiam Metropolitæ, ac Patriarchæ, omni tempore soluturis iniqua vincula.

Fuit optima, ac iustissima moderatio. Hinc ipsam probauit, ac ampliauit Sardicensis Synodus: [Si Episcopus quis fortè iracundus, quod esse non debet, citò asperè moueatur aduersùs Presbyterum, siue Diaconum suum, & exterminari eum ab ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Habeat potestatym Eiectus finitimos rogare Episcopos, vt eius causam audiant, & diligentiùs tractent: Quia non oportet negare audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui iustè, aut iniustè eiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur: Vt aut probetur eius sententia, aut temeritas emendetur. Priùs tamen quàm omnia diligenter, & fideliter fuerint examinata, cōmunionem non debet præsumere, donec ipse eum recipiat, & communioni societ.] Quæ forma placuit etiam Africanæ Ecclesiæ. Etenim Mileuitana, seu potiùs Carthaginensis Synodus sanxit: [Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis quas habuerint, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum.] Quem Canonem frequenter laudauit, & in Gallicanæ Ecclesię mores introducere studuit Hincmarus Rhemensis. At verò Chalcedonensis Synodus censuit in nullo recedendum à Canone Nicęno: [Si Clericus habeat causam cum Episcopo suo, apud Synodum Prouincię causam dicat. Si autem disceptationem habeat cum Metropolitano Episcopo, aut ad Diœcesios primam sedem recurrat, aut ad sedem Constantinopolitanam.] Ita Canonem legit antiquus codex Romanę Ecclesię. Ex quo lucet huic placuisse vtramque formam. Etenim vti hunc Chalcedonensem, ita & istum Sardicensem Canonem olim inseruit suo codici. Dixi inductam per Arabicos Canones moderationem placuisse Sardicensi Synodum. Et posset esse. Alii tamen malunt hanc Synodum fuisse priorem.

Alter Paschasij Quesnelli error est, quod secundus Constantinopolitanę Synodi Canon interpretetur, & confirmet quintum Nicęnum. Etenim interpretatur prȩsertim sextum. Quesnellus, qui supra quintum Nicęnum adduxit ex translatione Dionysij Exigui, iam secundùm Constantinopolitanum Canonem adducit ex translatione Isidori Mercatoris. Ego à Dionysio, vtpotè probatissimo apud omnes Ecclesias, Iudico non recedendum sine rationibus. Audiamus integrum Canonem: [Qui sunt super Diœcesim Episcopi, nequaquam ad ecclesias, quę sunt extra prȩfixos sibi terminos, accedant, nec eas prȩsumptione confundant, sed iuxta Canones Alexandrinus Antistes, quę sunt Ægypti regat solummodò, & Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent, seruatis Priuilegijs, quę Nicęnis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt. Asianæ quoque Diœcesios Episcopi ea solùm, quæ sunt in Asiana Diœcesi, dispensent. Nec non, & Ponti Episcopi ea tantùm, quæ sunt in Ponto. Et Thraciarum, quæ in Thracia sunt, gubernent. Non vocati autem Episcopi vltra suam Diœcesim non accedant propter Ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas. Seruata verò, quæ scripta est de gubernationibus regula, manifestum est, quod illa, quæ sunt per vnamquamque Prouinciam, ipsius Prouinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.] Christus Dominus Ecclesiæ suæ Regimen sanxit esse Monarchicum, ita tamen, vt admisceatur aliquid Aristocratiæ. Hinc Apostoli omne istud corpus distribuerunt in sex Autocephalas, vni tamen

Pa-

Papali Capiti subiectas, Dioeceses: Tres Patriarchales, Apostolicis sedibus eximias, & tres Exarchicas, seù Primatiales.

Et hunc in literis ad Pulcheriam Augustam respicit Magnus Leo: [Quæ si à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia. Nullæ de mensura honorum dissensiones, nullæ de Ordinationibus lites, nullæ de Priuilegijs ambiguitates, nulla erunt de vsurpatione certamina.] Vti aduersùm Meletij Lycopolitani Episcopi inuasiones sextus Nicænus, ita aduersùm Petri Alexandrini Patriarchæ præsumptionem prodijt secundus Canon Constantinopolitanus. Meletius Alexandrini Patriarchatus iura læserat. Hinc Nicænus Canon solos tres Patriarchas laudauit, eorumque firmauit dignitatem. Et solummodò summariè dixit de tribus Exarchicis Dioecesibus: [Per cæteras Prouincias sua Priuilegia seruentur Ecclesijs.] Gentiani Herueti translatio est expressior: [Et in alijs Prouincijs sua Priuilegia, ac suæ dignitates, & authoritates Ecclesijs seruentur.] At verò Petrus Patriarcha Thracicæ Dioecesios, ac præsertim Heraclæensis Exarchi iura violauerat: Hinc Constantinopolitanus Canon non solos Patriarchas, sed insuper tres Exarchos expressit, & ipsorum prouidit iuribus, ac dignitatibus. Prouidit confirmando, exponendo, ac ampliando non quintum, sed manifestò sextum Nicænum Canonem.

Epist. 55.

Quæstio est, Cur totiùs Ægyptiacæ Dioecesios administrationem committat soli Alexandrino Patriarchæ; Orientalem autem, Asiaticam, Ponticam, & Thracicam Dioecesim, quasi distribuat in omnes simul Episcopos? Item cur non meminerit Romanæ Ecclesiæ? Respondeo isto tempore Eustatianum Schisma adhuc viguisse apud Antiochiam: Sedebant isthic duo Patriarchæ, Paulinus, ac Meletius. His quæstionibus noluit ex causis se miscere Synodus, ideòque dixit: [Orientis Episcopi Orientem tantùm gubernent.] Attamen addit: [Seruatis Priuilegijs, quæ Nicænis Canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt.] Quod nempè non ipsius sedis, sed solorum Præsidentium iura essent vocata in controuersiam. Quare per Orientis Episcopos Canon intelligit Meletium, ac Paulinum: Permittit, vt intra istum Patriarcharum quisque gubernet, & administret suam communionem. In Thracica Dioecesi Constantinopolitanus Episcopus erigebat cristas, coeperatq; se ostentare Antocephalum, & Heraclæense iugum excutere. Etiam has quæstiones Synodus duxit nō tangendas, ideòque edixit de omnibus tribus Exarchatibus: [Episcopi gubernent atque dispensent.] Cur de Romana Ecclesia sileat, edicit in literis ad Thessaliæ Episcopos Sanctus Papa Bonifacius: [Nicęna Synodus non aliquid super eum,] Sanctum Petrum Apostolum, ac eius Romanam Sedem, [ausa est constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa.] Eandem Reuerentiam detulit Constantinopolitana Synodus. Hinc eius de Romana Ecclesia silentium.

Canon adiungit: [Seruata verò, quę scripta est, de gubernationibus Regula, manifestum est quod illa, quæ sunt per vnamquamque Prouinciam, ipsius Prouincię Synodus dispenset, sicut Nicęno decretum constat esse Concilio.] Sensus est: Hęc tàm nostra, quàm Nicęna de gubernationibus Regula non solummodò Patriarchalibus, atque Exarchicis Dioecesibus prouidet, sed insuper singulis Prouincijs: Cuiusque Prouincię negotia sanxit administrari per eiusdem Prouincię Synodum. Etenim Nicęni Canonis verba sunt vniuersalia: [Suis Priuilegia seruentur Ecclesijs,] Sunt verba sexti Canonis. Et ipsa à pręsenti Canone respici, puto non dubitandum. Nihilominus marginale Scholion passim censet respici quintum. Certè quintus non de quibuscumq; Prouinciarum negotijs sanxit, sed de solis Clericorum, aut Laicorum per suum Episcopum inflictis excommunicationibus. Proindè ipsum, si præsens Canon respiciat, extendit & ampliat per paritatem rationis. Quod videtur hic non fieri. Nolim contumaciter refragari. Quidquid sit, ipsum non extendit, aut ampliat ad damnationes Episcopis inflictas per Synodos. Proindè exponit, atque firmat hic Canon sextum Nicænum, quintum si tangat, tangit admodum modicè.

Tertius Paschasij Quesnelli error, atque excessus est, quod sua aduersùs sancti Petri sedem Commenta stabilire tentet per adductas Africani Concilij literas ad sanctum Coelestinum Pontificem. Certum est istarum miserandarum literarum qualitatem à viro eximiè erudito non ignorari. Audiamus plenum contextum: [Præfato debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem velitis admittere. Quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè aduertit Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis, vel Laicis videtur ibi præcaueri, quantò magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in sua Prouincia communione suspensi, à tua sanctitate, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque, & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua: Quia, & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, siuè inferioris gradus Clericos, siuè ipsos episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, iustissimèque prouiderunt, quæcumq; negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda: Nec vnicuiq; Prouinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudēter videatur, & cōstantissimè teneatur.]

Omnis inter Africanam, & Romanam Ecclesiam quæstio erat de Romana Appellatione Cleri inferioris. Quod damnati per suæ Prouinciæ, aut etiam per totiùs Dioecesios synodum episcopi semper potuerint prouocare Romam, erat apud omnes in confesso. Perpetuam consuetudinem demonstrabant plurima exempla. Vtriusque partis in hac lite fundamentum erant Nicæni Canones. Africani Antistites spondebant ipsis plenam reuerentiam, ac obedientiam. Verùm agnoscebant solos viginti, Papa Zozimus adstruebat

bat plures : Ex vetusto Romanæ Ecclesiæ more Sardicenses simul cum Nicænis accumulabat in vnum corpus, & similiter affirmabat Nicænus. Post multum examen Africani sunt stabiliti in sua opinione, tenacissimè persuasi Nicænos non esse nisi viginti. Et inter istos solus quintus sanxit de Appellationibus. Hunc cœperunt attentiùs discutere, atque ex ipso concluserunt sequentia. Primò, quod ille sanciat de solis Clericorum, ac Laicorum, ab vno suo episcopo damnatorum, ad Prouinciæ synodum prouocationibus. Deindè, quod Canon istos appellantes suis Metropolitanis, ac ipsorum synodis committat apertissimè, atque ita istud iudicium sit inconcussum, ideòque per vlteriorem appellationem deuolui non possit ad Romanam Ecclesiam. Tertiò, quod par, atque eadem sit damnatorum, & appellantium episcoporum ratio, ideòque quod nec ipsi à Canone permittantur per iteratam prouocationem procedere Romam. Quartò, quod nulla hìc sit iniustitia, aut duritia: Quoniam isti appellantes valeant per nouum refugium progredi ad plenam suæ Prouinciæ, immò & totiùs Diœcesios synodnm. Etenim apud Afros damnati ab episcopo clerici ad vicinos episcopos, ab his ad Prouinciæ synodum, ab hac ad plenarium Concilium poterant perfugere. Item ad damnandum episcopum necessaria non erat plena synodus Prouinciæ, sed sufficiebant duodecim cum Primate Collegæ, atque ita, & iste damnatus poterat bis intra Africam prouocare. His considerationibus transuersi Afrorum Episcopi Romanas etiam suorum Collegarum Appellationes censuerunt non permitti à quinto Nicæno Canone, ipsas etiam excusserunt, & contra perpetuam suæ ecclesiæ consuetudinem prohibuerunt, & tentarunt abolere. Fuerunt reuerà transuersi. Ista est enim epistola, quam viri eruditi censuerunt adeò deuiam, & indignam, & spuriam, & fictam crediderint nullatenus editam à venerabili Aurelio Carthaginis Archiepiscopo, ac eius Collegis. Processit à turbato per iram calamo, atque ita ira viri non est operata iustitiam. Per ipsum Aurelius amisit, aut certè obnubilauit sua grandissima merita: Exclusus ab Ecclesiasticis Sanctorum tabulis. Quin immò per ipsam Africana Ecclesia creditur complesse sua peccata, ex quibus per Diuinam iustitiam tradita fuit in barbaras, hæreticas, & crudelissimas manus Wandalorum. Exstat sub Bonifacij secundi Pontificis nomine ad Eulalium Alexandriæ Patriarcham epistola, affirmans ex istis litibus Schisma fuisse inter Romanam, & Africanam Ecclesias, quod durauerit, vsque ad Pontificatum istius Bonifacij. Est ficta, ac suppositicia, attamen non caret omni fundamento. Hæ enim lites, licèt verùm Schisma non conflauerint, fuerunt durissimæ. Has deuias, ac miserandas literas Paschasius Quesnellus probat, ipsis consentit, per ipsas exponendum vult quintum Nicænum Canonem, ideòque & Romanas appellationes explodendas è Gallia, immò ex omni Ecclesia. Quæ omnia an cadant in Catholicum Doctorem, relinquo alijs definiendum.

Quartus illius error, atque excessus est, quod sua commenta asserat probari à tertio Canone, quem ad sanctum Victricium Archi-Episcopum Rothomagensem transmisit sanctus Papa Innocentius: [Si quæ causæ, vel contentiones inter Clericos, tam superioris Ordinis, quàm inferioris, fuerint exortæ, vt secundùm Synodum Nicænam congregatis eiusdem Prouinciæ Episcopis iurgium terminetur. Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Ecclesiam Dei gubernant, ad alias conuolare Prouincias. Quod si quis fortè præsumpserit, ab officio Clericatus submotus, velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post Episcopale iudicium referantur.] Paschasius Quesnellus videtur censere, quod hæc omnia dicantur aut deducantur ex quinto Nicæno Canone. Longè rectiùs censuit in sua noua Epistola Hincmarus Metropolita Rhemensis: [Beatus Innocentius ad Victricium Rothomagensem Episcopum duo capitula magni Concilij Nicæni, & capitulum Sardicensis Concilij de Episcoporum ad Sedem Apostolicam appellationibus vno capitulo sagaciter atque sapienter explicuit.] Immò vnum Nicænæ, & duo Sardicensis Synodi capitula congessit in vnum. Etenim quod omnes Clericorum causæ debeant per Prouinciæ Synodum terminari, est manifesta Sanctio quinti Nicæni Canonis. At ipsum Innocentius ampliat, atque extendit etiam ad superioris Cleri, id est, Episcoporum contentiones atque iurgia. Ad primas de illis instantias, ad Episcopi contra Episcopum lites, quas planum est oportere terminari in eadem Synodo. Et sic recta est extensio. Quod nullus Clericus, aut etiam Episcopus possit suas causas traducere ad alterius Prouinciæ Synodum, est Sanctio tertij Canonis Sardicensis: [Quod si in aliqua Prouincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit, ne vnus è duobus ex alia Prouincia aduocet Episcopum Cognitorem.] Gentianus Heruetus vertit: [Neuter eorum ex alia Prouincia Episcopos Cognitores euocet.] Nec item accedat. Quod de maioribus causis datum à Prouinciæ Synodo iudicium referri debeat ad Sedem Apostolicam, est item desumptum ex Sardicensi Synodo. Non ex aliquo Canone, sed ex Synodali relatione ad Iulium Pontificem: [Hoc optimum, & valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, idest, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.] Hæc Relatio est Apostolica traditio, ideòque per hanc Synodum meritò fuit laudata & stabilita: Et ipsa habet omnem appellationis effectum, deuoluit atque suspendit. Etenim ad Felicem & Hilarum rectè sanctus Augustinus: Epist. 137. [Et in ipsis causis sæcularibus, quando ad maiorem Potestatem refertur arbitrium iudicandi, manentibus sicut erant omnibus rebus, expectatur illa sententia, vnde iam non liceat prouocare, ne superiori Cognitori fiat iniuria, si eius pendente iudicio, aliquid fuerit commutatum. [Eamdem formam affirmat vigere in causis Ecclesiasticis. Quare ad illum, ad

ad quem referri oportet, potest & prouocari. Hinc Innocentius suis literis indidit circa extranea iudicia: [Sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ.] Et item ipse, vel quis alius rectè adiunxit: [Cui debet in omnibus causis reuerentia custodiri.] Nempè tam appellationis reuerentia, quàm relationis. Relationis in solis maioribus, appellationis reuerentia etiam in causis minoribus. Quare hoc Innocentij Capitulm Paschasij Quesnelli commenta nullatenus adiuuat, sed penitus euertit.

Quintus illius error, atque excessus est, quod ad stabilienda sua commenta aduocet etiam decimum quintum Canonem Antiochenum: [Si quis Episcopus, de certis criminibus accusatus, condemnetur ab omnibus Episcopis eiusdem Prouinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum formam Decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari, sed firmam concordantium Episcoporũ Prouinciæ manere sententiam.] Quis enim nesciat Antiochenos Canones esse dolosas Eusebianæ Factionis contra sanctum Athanasium, aliosque Orientis Orthodoxos Antistites, nec non aduersùs Diuina sancti Petri Apostoli Priuilegia sutelas, vaferrimo studio congestas præsertim aduersùs Priuilegium Romanæ Appellationis? Sanctus Athanasius aduersùm Tyriæ Synodi & Mareotici examinis inquissimas technas, alij Orthodoxi per Orientem Episcopi aduersùm alias præfatæ Factionis iniurias appellarant ad sancti Petri Cathedram, & accesserant Iulium illius Insessorem. Et hic Factionis Capita euocarat ad suum Tribunal, reddituras rationes suorum operum. At in mala causa nullum prodest ingenium. Hinc isti desperati non Romam, sed cum suis Congerronibus processerunt Antiochiam, & isthic euomuerunt Canonum fucos, quibus non soli Athanasio ac eius Collegis, sed cunctis suum perpetuum aduersarijs Romanam viam clauderent, & aduersùm suas Synodales coniurationes subducerent omne auxilium, atque solatium. Pararunt viam ad sua Attentata Philippo-Politana, in quibus deposuere laruam, & reuelata fronte arietarunt, ac euertere studuerunt Diuinam Ecclesiæ Monarchiam, definiuerunt Ecclesiæ Regimen esse ex Diuino Instituto Aristocraticum, æquali mensura distributum in tres Patriarchas, quorum nullus habeat authoritatem in alterum, & à quorum nullo possit ad alterum prouocari. Romanum esse primum solo loco, non iurisdictione. In Antiochena Synodo posuerunt huius pessimæ machinæ cooperta fundamenta: Sanxerunt damnatum à diuisa in diuersa suffragia Synodo Episcopum posse appellare, non Romam, sed aliud majus in Oriente Concilium; ab vnanimi autem Conuentu damnatis nullum superesse refugium. Eis nullam restare audientiam, sed solam in laica Communione pænitentiam. In Arcana historia Procopius Cæsariensis affirmat Imperatorem Iustinianum in condendis varijs legibus respexisse ad lites tunc pendentes, ac suo, aut suorum lucro prospexisse: Prospexisse victoriæ istius partis, à qua sperabat commodum. Apparebant leges iustæ & congruę, verùm in ipsarum visceribus latebat pessimus anguis. Istiusmodi sunt & Antiocheni Canones. Hinc ipsos dudum non sola Romana, sed & omnis Orthodoxa Orientis Ecclesia fuit auersata. Sunt ambidextri: Cothurnus aptus ad vtrumque pedem. Hinc postquam Eusebiana vafrities, & ipsi congenita pericula cessarunt in orbe Christiano, purgari cęperunt isti Canones, atque ita varijs placere. Nec enim inepti sunt ad bonum vsum. Placere tandem cœperunt etiam Romanæ Ecclesiæ. Etenim Dionysius Exiguus ipsos inseruit suo codici, scripto ad vsum istius Ecclesię, quem omnis Latina Ecclesia pedetentim probauit, atque admisit.

Quin & dudum antea, dum ex vniuersæ, vtique Orientalis, Ecclesiæ codice istorum Canonum aliqui legerentur ad Chalcedonensem Synodum, Apostolicæ Sedis Legati non intercesserunt, atque ita demonstrarunt nec sibi, nec Romanæ Sedi ipsos displicere. Forsitan ex tunc erant in antiquo codice Romanorum. Et quidem isthic fuit etiam Canon decimus quintus. Nempe intellectus cum salutari clausula, quam in literis ad sanctum Victricium expressit Innocentius Pontifex: [Sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri.] In Eusebiano sensu erat nequissimus, laudata clausula facit rectum. Verùm Paschasius Quesnellus probat priorem sensum, & tentat ipsum protrudere in Gallicanam Ecclesiam.

Redeamus ad quintum Nicænum Canonem. Videamus an ille permissam damnatis Clericis ac Laicis ad suæ Prouinciæ Tribunal appellationem velit esse inconcussam & vltimam, ideòque neget vlterius procedere, non solummodò ad Patriarcham, sed etiam ad Romanam Ecclesiam. Partem affirmatiuam tenuit Antiochena synodus. Item erratica synodus Aurelij Carthaginensis. Et ipsis adhæret Paschasius Quesnellus. Quousque Aurelius intra Africanæ, quæ inferiori Clero Romanam Appellationem numquam indulserat, consuetudinis defensionem constitit, generosè ipsi adhæserunt, ipsumque ex pectore adiuuerunt Sanctus Augustinus, sanctus Alipius, sanctus Possidius, alijque meliores ac familiares Episcopi. Etenim rationabilis, & auita totius gentis consuetudo iustissimè poterat defendi. Ast vbi Aurelius Romanas etiam Episcoporum appellationes cœpit inuadere, & in immobilem huius Apostolicæ dignitatis Petram infelix caput impingere, laudati episcopi retraxerunt manus, & sancto Petro manserunt fidelissimi. Lucent hæc ex Sancti Augustini epistola, quam de causa Antonij Fussalensis episcopi scripsit ad Cœlestinum Pontificem. Et hæc laudatorum Antistitum à suo semper dilectissimo Aurelio Primate secessio demonstrat, ac altissimè clamat ista eius Acta fuisse deuia atq; præuaricatoria. Fuerunt præuaricatoria quinti Nicæni Canonis. Hic enim etiam Clericis, & Laicis omninò permittit à suæ quoque Prouinciæ synodo, si iniquo episcopi Iudicio gratificetur, procedere, & prouocare ad Cathedram Romanam. Disertè hoc asseuerat in literis ad Antiochenam synodum sanctus Iulius Pontifex: [Qui benè sentiunt de ijs, quæ egerunt, & in quibus ipsi Iudices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis iudicatum est, ab alijs excutiatur. Quippe

pe qui fecuri fint, ea, quæ ipfi iufta iudicauerunt, iniufta numquam fieri poffe. Quocirca epifcopi, in magna fynodo Nicææ congregati, non fine Dei confilio permiferunt prioris fynodi Acta in alia fynodo examinari, vt & illi, qui iudices erant, præ oculis habentes fecundum de ea ipfa re Iudicium futurum, cum omni diligentia caufam expenderent, & illi, qui fententiam acceperant, certò cognofcerent, fe non per fimultatem priorum Iudicum, fed iure ac meritò condemnatos effe. Quod fi iftiufmodi confuetudo olim fuit, eiufque memoria renouata eft, & Scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non finitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui femel in Ecclefia obtinuit, & à Synodo confirmatus eft, iniquum eft à paucis abrogari.] Palàm differit de Appellationibus ad Sedem Apoftolicam. Agit enim de Romana Appellatione fancti Athanafij, fancti Pauli Conftantinopolitani, Marcelli Ancyrani, Afclepæ Gazenfis, & aliorum Epifcoporum Orientalium. Et affirmat plura. Primò, quod hæc appellandi forma fit vetuftus mos, antiqua confuetudo, traditio Apoftolica. Secundò, quod pauci in Antiochena Synodo Epifcopi tentauerint illam abrogare & profcribere. Nempè per vafras technas ambiguorum Canonum. Iulius affirmat tertiò, quod in vanum laborarint. Etenim Nicæna Synodus difcuffit auitam confuetudinem, probauit, ftabiliuit, & ad perpetuam rei memoriam redegit in Scriptum. Factum id eft in quinto Canone, ac præfertim in fexto. Etenim quintus fubintellectam habet expreffam à fancto Innocentio claufulam; fextus autem difertè mandat fua Priuilegia, dignitates, atque authoritates cuftodiri cunctis ecclefijs. Præfertim ecclefiæ Romanæ, fuper quam fynodus nihil fuit aufa ftatuere, fciens illi omnia conceffa à Domino.

Arabici Canones non funt Nicæni. Attamen ipforum author non fine fundamento adfcripfit eis iftum fublimem titulum. Etenim Nicænos exponunt, & ampliant ad varias factorum fpecies. Audiamus quadragefimum quartum: [Patriarcha infpiciat quodcumque negotium fecerit aliquis fuorum Metropolitarum, fiue Epifcoporum in Prouincijs, quibus præfunt. Si autem inuenerit ex illis quidquam, quod non decet, permutet illud, ac de illo conftituat, prout ipfi videtur. Etenim omnium ipforum Pater eft, & illi funt ipfius filij. Metropolitæ autem Principatum fuper fe agnofcere, eumque venerari debent inftar Fratris maioris, quem fibi Fratres anteponunt, illique parere ducunt ob eius optimum Regimen, Maioritatem. Patriarcha porrò inftar Patris in fua Iurifdictione fuper filios fuos. Et quemadmodum Patriarcha poteftatem habet fuper fubditos fuos, ita quoque Romanus Pontifex poteftatem habet fuper vniuerfos Patriarchas, quemadmodum Petrus habebat fuper vniuerfos Chriftianitatis Principes, & Concilia ipforum: Quoniam Chrifti Vicarius eft fuper Redemptionem, Ecclefias, & cunctos Populos.] Hæc omnia fundamentum habent in fexto Nicæno Canone. Et ex ipfis laudati Canones deducunt, & confirmant Romanas Appellationes, immò, & primas inftantias. Et certè Pontifici incumbit follicitudo omnium Ecclefiarum. Eft Pater totius Ecclefiæ, totius Redemptionis, omnium Synodorum, omnium fidelium Populorum. Quia eft Chrifti Vicarius. Ex quo vides labi illos, qui hunc Titulum volunt olim fuiffe communem omnibus epifcopis, & non nifi à pauciffimis fæculis appropriari cœpiffe foli Papæ.

CAPVT XIII.

Expenditur aliud Pafchafij Quefnelli fundamentum.

HÆc funt eius verba: [Sardicenfem Synodum familiare eft in hoc negotio proferre, indéque velut palmare argumentum fumere, quo appellationis ius à Synodis ad Sedem Apoftolicam iam tunc Canonica auctoritate ftabilitum effe comprobetur. Quamuis enim huius Concilij non meminerit fanctus Leo, de appellationibus agens in hac ad Viennenfes epiftola, fed veteris tantummodò confuetudinis; illi tamen Concilio debetur earum appellationum origo, & illius Canones fub Nicænorum nomine allegauit ipfe Leo aliquot poft annis in caufa Flauiani Conftantinopolitani Epifcopi. Indè, inquam, appellationum vfui ratio quæfita eft à Romanis Pontificibus, licèt reuerà nihil de appellationibus decernant Sardicenfes Patres, fed tantummodò retractationis, feu reuifionis caufæ decernendæ poteftatem faciant Romano Epifcopo, vt demonftrat Illuftriffimus Petrus de Marca, & ex ipfa Canonum Sardicenfium lectione manifeftum fit. Quæ poteftas retractationis in ipfa Prouincia decernendæ, etfi iure appellationum longè inferior fit, trepidè tamen, & dubitanter admodùm ab Hofio propofita eft, qui rem nouam Canonibus Nicænis minimè confonam, conftantique aduerfam confuetudini, quafi fupplex, & honorandam fancti Petri memoriam prætendens, exorauit.] Si vobis placet, fancti Petri Apoftoli memoriam honoremus: [Sed tantæ auctoritatis non fuit apud Epifcopos, fiue Orientales, fiue Occidentales, Sardicenfis Synodus, vt huiufmodi definitioni ftatim inhærendum effe cenfuerint. Hoc enim retractationis iugum à fuis femper humeris amoliti funt Orientales, qui ob hanc fortè caufam Concilij iftius Canones in fuas Collectiones non retulerunt, ficut nec Gallicani. Africani etiam numquam illam appellationis, feu retractationis Prærogatiuam admiferunt, vt patet ex Synodica ad Cœleftinum Papam epiftola, quæ teftatur antiquam effe confuetudinem, ac difciplinam, vt Epifcoporum, & Presbyterorum caufæ extra Prouincias vagari non finerentur, fed vbi orta erant negotia, ibi Metropolitanorum auctoritate effe finienda. Vnde ne de Sardicenfibus quidem audijffe, fed vnius Nicæni Concilij Canones cum fuis pro regula habuiffe Africanos, manifeftum eft.]

Etiam hæc verba fcatent erroribus, atque exceffibus. Primus eft, quod ex Sardi-

censi Synodo sumamus palmare pro Romanis Appellationibus fundamentum. Etenim omnia, quæ iam adduxi ex sancto Iulio, istam præcessere Synodum. Et ipse pro palmari isto fundamento adduxit perpetuum Ecclesiæ morem, & consuetudinem, confirmatam à Nicæna Synodo, & relatam in scriptum. Adduxit traditionem Apostolicam firmatam pluribus exemplis, ac perpetuo vsu. Vnde de ipso scribit in Ecclesiastica historia Theodoretus, quod circa iam adductas Orientalium Episcoporum appellationes fuerit [secutus Ecclesiæ Canonem.] Hoc est palmare istius iuris fundamentum. Hinc & ipsum sanctus Leo in literis ad Viennensis Prouinciæ Episcopos adduxit aduersùs audaciam, & nouitates sancti Hilarij. Quin immò videtur respexisse istas sancti Iulij literas. Præsertim hæc verba: [Quod si eiusmodi consuetudo olim fuit, eiusque memoria renouata est, & Scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari.] Sanctus Leo affirmat istum morem semper viguisse etiam in Gallijs, ideòque ab Hilario, nec circumduci potuisse, nec circumscribi.

Secundus error est, quod harum appellationum ius dicamus stabilitum, [seu introductum à Sardicensi Synodo. Quod enim vox,] stabilitum, hanc ibi acceptionem habeat, suadent hæc verba: [Inde appellationum vsui ratio quæsita est à Romanis Pontificibus.] Est error insigniter crassus. Quippe ante Sardicensem Synodum ad Apostolicam Sedem appellarunt sanctus Athanasius, sanctus Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, Lucius Adrianopolitanus, alijque plures per Eusebianæ Factionis Synodos degradati, aut vexati Orientales Episcopi: eos audiuit Iulius Pontifex, absoluit à perperàm iniectis vinculis, reparauit in priorem gradum, ac per interim remisit in suas Sedes. Videlicet donec fieret totius causæ retractatorium iudicium. Hinc nota est omnis inter istam Factionem, & Romanam Ecclesiam contentio. Etiam Antiochenæ Synodi audacia, & horrenda, ac inaudita facinora Conuentus Philippo-Politani. Quid enim horrendius, quàm damnare Romanum Pontificem, & Monarchicum Ecclesiæ Regimen transmutare in Aristocraticum, atque ita manifesto schismate lacerare Ecclesiam? Etiam Donatistæ dudum ante Sardicensem Synodum à Constantino Augusto integros Iudices postularunt contra Cæciliani Carthaginensis Archiepiscopi Ordinationem: Et Apostolicam Traditionem ab Hosio Cordubensi Episcopo edoctus Princeps ipsos remisit ad Melchiadem Pontificem, & pro aliquo istorum factiosorum solatio rogauit illi assidere aliquot Gallicanos Episcopos. Plura istiusmodi exempla sunt iam adducta, ac in decursu adducentur. Proinde Sardicensis synodus Romanas Appellationes nequaquam introduxit, sed aduersùm Eusebianæ Factionis nouas, violentas, schismaticas, atque hæreticas præsumptiones solummodò stabiliuit, & confirmauit.

Tertius error est, quod Sardicensis synodus nihil de appellationibus decreuerit, sed solam retractationis, seu reuisionis decernendæ potestatem fecerit Romanis Pontificibus. Et quod istud ex ipsa Canonum Sardicensium lectione sit manifestum. Certè oppositum est manifestissimum. Etenim isti Canones interiectis ad Romanum Pontificem proclamationibus donant non solùm deuolutiuum effectum, sed & suspensiuum. Donant potestatem, qua istius modi causas retractare possit, vel per semetipsum in alma Vrbe, vel in partibus per delegatos è suo Latere Presbyteros, vel per Synodum vicinæ, aut etiam eiusdem Prouinciæ. Prout visum fuerit eius sapientissimo arbitrio. Immò hanc potestatem non donat, sed à Christo Domino donatam, per Apostolos ordinatam, confirmatam à Nicæna Synodo, & plurimis stabilitam exemplis, solummodò inuouat, & aduersùm præfatas nouitates exponit & armat. Quod ista omnia, etiam suspensiuus effectus, sint à Christo Domino, & Apostolicis Canonibus, mox ex authenticis christianæ disciplinæ fontibus demonstrabitur. At verò ista sunt manifestus, & proprijssimus character veræ appellationis. Et de hac per Sardicenses Canones stabilita veritate nemo Catholicus ambegit: Dominus Petrus de Marca est forsitan omnium primus.

Error quartus est, quod Hosius Cordubensis Episcopus, Apostolicus Legatus, ac Præses Sardicensis Synodi, Retractationis in Prouincia decernendæ ius proponens, sciuerit à se proponi rem nouam, Nicænis Canonibus minimè consonam, constantique aduersam consuetudini. Si solùm decernendæ retractationis ius proposuerit, fateor ista esse verissima. Addo illum longissimè recessisse à Nicæna Synodo, quæ super sancti Petri Romanam Cathedram nihil fuit ausa constituere, sciens illi omnia concessa à Domino. Etenim Apostolici iuris ad solius retractationis decernendæ potestatem restrictio est omninò nouum, Nicænis Canonibus aduersum, perpetuam Ecclesiæ consuetudinem euertens, ac supra sancti Petri Cathedram statuere attentans figmentum, à Confessoris Hosij sacris cogitationibus alienissimum. Quapropter ipse in sua ad Sardicensem Synodum relatione haud quaquam circumscriptam, & diminutam decernendæ retractationis, sed plenissimam admittendæ, & quouis iuxtà suum sapientissimum arbitrium modo iudicandæ, atque exequendæ appellationis potestatem adscripsit Sedi Apostolicæ. Erat res omnibus exploratissima. Quomodò aliter Iulius Pontifex Orientalibus Antiochenæ Synodi Episcopis ipsam refricuisset in barbam? Certè isti omnes adfuerant Nicænæ Synodo. Eidem Hosius præsederat, habuerat cum relationis auctoritate prærogatiuam suffragij, ideòque eius arcana plenè nouerat. Proindè dum isto pro Romanis Appellationibus officio functus fuit apud Sardicam, optimè nouit se non referre rem nouam, aut Nicænis Canonibus non consonam, aut constanti aduersam consuetudini.

Quintus error est, quod Hosius Romanas Appellationes trepidè, ac dubitanter admodùm, & quasi supplex Sardicensi Synodo retu-

retulerit, & honorandam sancti Petri memoriam prætendens exorauerit: [Si vobis placet, sancti Petri memoriam honoremus.] Est effrænis in gloriosum Confessorem, Abramicum senem, & omnium tunc Synodorum Patrem contumelia. De Eusebianis Episcopis scribit ad omnem sub Cœlo Ecclesiam laudata Synodus: [In itinere Sardicensi certis in locis Conciliabula in modum Synodi inter se habuerunt, & fœdera cum interminationibus conflauerunt, vt vbi Sardicam peruenissent, minimè se in iudicio sisterent, aut in eumdem locum cum sacra synodo conuenirent, sed mox vbi eò peruenissent, & perfunctoria specie aduentum suum ostentassent, raptim indè aufugerent. [Et quò ista coniuratio esset magis firma,] curarunt vt omnes eodem, [& per viam & apud Sardicā,] domicilio vterentur, nè vel tantillum quispiam ab illis seorsim agere posset.] Palmaris quæstio erat de Athanasij, Pauli, Marcelli, & aliorum Antistitum, ab ipsis damnatorum, Romana Appellatione, & per Iulium Pontificem impartita illis reuestitione. Coniurarunt hæc numquam admittere, & potiùs patrare quidlibet, quàm istos suos damnatos agnoscere in Episcopos, & cum ipsis Synodaliter considere. Intrauerunt Sardicam, & multam de his cum Hosio, alijsque Latinis Episcopis disputarunt. Et ipsos tam pro dictorum Appellantium innocentia, quàm pro S.Petri priuilegio inuenerunt cōstantissimos. Viderunt nullam patere portam excutiendi præsertìm Athanasij, nisi per apertam rebellionem contra sedem Apostolicam. Hinc omnes de nocte fugerunt, & abierunt Philippo-Polim, Thracicæ Diœcesios ciuitatem, ideòque spectantem ad Orientale Imperium sui Principis, sub quo liberè poterant quidlibet insanire. Isthic igitur insanierunt tres Patriarchatus esse Diuino iure Autocephalos, & æquales per omnia, ideòque vnum nihil posse in alium, & ab vno damnatos non posse ad alium prouocare. Singulorum Iudicia esse Diuino iure inconcussa, atq; inappellabilia. Hinc concluserunt Iulium Pontificem, qui talia in præfatos episcopos attentauerat, esse Diuinæ legis præuaricatorem, ideòque gradu, & communione priuarunt. Præfatos episcopos pronuntiarunt nequaquam absolutos, aut reuestitos, sed ob tentatam nouam appellandi audaciam esse prolapsos in maiorem damnationem. Eorum furor præsertìm efferbuit in sanctum Maximinum Treuirensem episcopum: Quod ad ista omnia Iulium permouisset. Et hinc lucet, quid Gallicana Ecclesia, tum censuerit de Romanis appellationibus. Has omnes schismaticas, atque hæreticas Eusebianæ Factionis petulantias nouerat Hosius, ideòque sibi Apostolicæ Sedis Legato vidit non dormiendum. Hinc non trepidè, nec dubitantèr, nec supplicitèr, sed generosè, constantèr, & ex Apostolico pectore clamauit ad Sardicensem Synodum: [Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus]. Aduersùm hæreticas sceleratæ Factionis petulantias nos Orthodoxi episcopi confirmemus data per Christum Dominum sancto Petro priuilegia, Apostolicos de eisdem Canones, & Nicænæ synodi nouissima decreta. Per hosce Sardicēses Canones inuasit, ac destruxit, & iam dictam Eusebianorum audaciā, & simul ipsorū Canones Antiochenos.

Sextus error est, quod Orientalis Ecclesia istam Sardicensem definitionem non statim admiserit, sed semper studuerit excutere. Etenim Sardica Alexandriam rediens Athanasius transiuit per Syriam, & Hierosolymam, Et isthic sanctus Maximus Antistes cum ipso celebrauit Synodum, in qua publicauit, & executus est Acta, & Decreta Sardicensia. Audiamus Photij Bibliothecam in Excerptis ex vita sancti Athanasij: [Athanasius, cum peruenisset Hierosolymam, Maximo Episcopo, & Confessori nota fecit Acta Sardicensis Concilij. Quodque Constantius Imperator benè erga se animatus sit. Deindè congregat synodum Episcoporum, quæ beato Athanasio, & communionem, & dignitatem Episcopalem decernit, & scribit ipsa synodus Alexandrinis, & omnibus in Ægypto, ac Libya episcopis, quæ de Athanasio decreta essent, & gesta. Athanasius autem Alexandriam cum venisset, Conuentus Episcoporum in Ægypto egit, quæ synodus consentiebat eis, quæ in Sardicensi, ac Hierosolymitana synodo decreta erant]. Quod pro Sardicensis Concilij publicatione diuersas in Ægypto synodos celebrauerit, testantur Socrates, & Hermias Sozomenus. Et suis ad omnes sub cœlo absentes episcopos literis subiunxit Sardicensis synodus: [Quin, & vos quoque, vt spiritu præsentes in nostra synodo, studete idem suffragium conferatis per vestras subscriptiones, quo ab omnibus vbique Sacrorum Ministris concordia seruetur]. Plurimos, & Occidentales, & Orientales, subscripsisse demonstrat in secunda ad Constantium Imperatorem apologia sanctus Athanasius. Philippo-Politanus Conuentus ei inter cætera impegit, quod per ficta testimonia circumscripsisset Iulium Pontificem, atque ita obrepsisset in communionem. Hinc in laudata apologia adiungit, quod etiam ante Sardicēsem synodum trecenti quadraginta Orientales episcopi pro ipsius innocentia subscripserint: Ab eisdem probatam, admissam, subscriptam, ac publicatam fuisse istam synodum, videtur non dubitandum. Eusebianæ Factionis turbulentissimi incentores Vrsacius, & Valens etiam subscripsere, & de suis apud Philippo-Polim Actis supplicantes veniam. Ex istā Factione plures redierunt ad mentem, & synodum admiserunt. Eosdem Canones laudat, & secundùm ipsos sancti Ioannis Chrysostomi appellationem exequitur in literis ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum sanctus Pontifex Innocentius. Ipsos per omnem Orientem viguisse testatur Palladius episcopus Helenopolitanus in Dialogo cum Theodoro Romanæ Ecclesiæ Diacono de vita laudati Ioannis. Et hinc plena, plusquam sexcentos & triginta Orientales complectens episcopos, Chalcedonensis synodus in prosphonetico sermone dixit ad Martianum Imperatorem: [Illi, qui apud Sardicam contra Arij reliquias conuenerunt, Orientalibus direxerunt sui Constituta Iudicij]. Palàm asseuerant apud se vigere hanc synodum, & obseruari. Palàm edicunt inter Canones, quos per singulas synodos à sanctis Patribus hactenùs constitutos laudat, & firmat eorum pri-

Lib. 258.

Epist. 29.

primus Canon, omninò comprehendi etiam Sardicenses. Eosdem authenticis Canonibus adnumerat Trullana synodus. Omnem synodum, vt apud se vigentem, describunt, atq; exponunt Socrates, Sozomenus, ac præsertim Theodoretus. Eamdem laudat, ac probat sanctus Epiphanius. Eiusdem meminit magnus Basilius, nihil in ipsa culpans, nisi reparationem Marcelli. Post ipsam ad Romanos Pontifices appellarunt Petrus Alexandrinus, eius Successor sanctus Flauius, Theodoretus Cyrensis, Eusebius Dorylæensis, Calandion Antiochenus episcopus, aliique multò plures. Item Ætius Constantinopolitanę Ecclesiæ Archidiaconus, Salomon Presbyter, ac plures alij Clerici. Item Leo Sapiens Imperator ab inflicta sibi per Nicolaum Patriarcham excommunicatione prouocauit ad Romanam Ecclesiam. Eãdem inuocarunt sanctus Nicephorus, sanctusq; Ignatius, Patriarchæ Constantinopolitani. Et quis nesciat omnes istas appellationes fuisse directas per Canones Sardicenses? Certè magnus Leo, dum sancti Flauiani aduersùs totum Ephesinum latrocinium interiectam appellationem rogauit à Theodosio Imperatore permitti suo cursui, adiecit suis literis: [Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitatorum Decreta testantur, quæ subter annexa sunt]. Et adnexuit Sardicensem Canonem. Notat illos vigere apud Orientales Ecclesias, & haberi pro Nicænis.

Hæres. 71. Cap. 8.

Epist. 40. Cap. 3.

Primus apud Orientales Photius cœpit hos Canones arietare: Quo nempè suam ex neophyto episcopalem intrusionem purgaret, & fomenta quæreret fabricando schismati. At verò rescripsit Nicolaus Pontifex: [Quod verò dicitis Sardicense Concilium, vos non habere, vel recipere, non facilè nobis credendi facultas tribuitur. Maximè cum Sardicense Concilium, quod pęnès vos in vestris regionibus actum est, & omnis Ecclesia recipit, qua ratione conuenerat, vt hoc sancta Constantinopolitana Ecclesia abijceret, & vt dignum est non retineret]? Et certum est Photium imposuisse. Etenim Canones istos Ioannes Scholasticus, tertius istius nominis Constantinopolitanus episcopus, inseruerat suo Codici, haud dubiè obseruato apud istam Ecclesiam. Et ipse ante Lapsum Photius inseruerat suo Nomo-canoni. Photio enim familiare fuit aliud ante, aliud post Lapsum cantare. Quapropter admiranda est Paschasij Quesnelli fiducia, ausi scribere: [Tantæ authoritatis non fuit apud episcopos Orientales Sardicensis synodus, vt huiusmodi definitioni statim inhærendum esse censuerint. Hoc enim retractationis iugum à suis semper humeris amoliti sunt, qui ob hanc fortè causam Concilij istius canones in suas collectiones non retulerunt].

Interim vniuersæ, vtique Orientalis, Ecclesiæ codex non continet istos canones. Hinc Paschasius Quesnellus adeò constanter ipsis obstrepit. Conabor mòx occurrere. Septimus eius error est, quod hosce canones etiam Gallicana Ecclesia olim non admiserit. Affirmat Dionysij Exigui codicem in Gallia non fuisse admissum ante Magni Caroli tempora, ideòque nec canones Sardicenses. Affirmat hos non viguisse in Gallia, nisi per istum codicem. Respondeo huius codicis in Galliâ admissionem non spectare ad præsentem controuersiam. Quidquid sit, dico istos canones semper in Gallia viguisse. Primus, Gallicanæ Ecclesiæ codex, seu Gallicani codicis prima exordia sunt Innocentij primi epistola ad Victricium episcopum Rothomagensem. Hinc Papa ipsam appellat. [Digestas vitæ, & morum probabilium disciplinas, ac librum Regularem, Didascalum, atque Monitorem]. Quis ambigat ipsam semper viguisse in Gallia? At verò eius tertium caput est desumptũ partim ex Nicænis, partim ex canonibus Sardicensibus: Et per Nicænam synodum intelligit vtramque. Et quod plures Gallorum episcopi huic synodo interfuerint, ac absentes subscripserint, disertè affirmat in secunda apologia Magnus Athanasius. Exprimit ipsorum nomina. Adfuit sanctus Maximinus Treuirorum episcopus, ob præstitum Romanis appellationibus generosum auxilium degradatus Philippo-Poli. De Hosio Cordubensi episcopo, Sardica regresso in Hispaniam, scribit antiqui authoris liber Synodicus: [Cordubæ episcopus sanctissimus Hosius, Synodum Diuinam, & sanctam in sua ciuitate conuocans, Diuinitùs expositam illustrauit doctrinam, condemnans eosdem quos Sardicensis abdicauerat Synodus, & quos ea absoluerat recipiens]. Certè existimo similem synodum fuisse celebratam à regresso in Gallias Maximino, alijsque ibidem Metropolitis. Secunda Turonensis, inter Gallicanas nequaquam infima, synodus aduersùm incæstuosa coniugia innouat antiquos canones, & adiungit: [Propterea fuit illos iterare necessarium, quia dicunt plures, quasi illud per Prædecessorum negligentiam Sacerdotum illis non fuisset apertum. Sed reuera mentiuntur, cum sciamus tales; ac tantos viros nullatenùs huic negligentiæ subiacuisse, sed hoc, quod Scripturæ sanctæ testantur, assiduè prædicasse]. Eadem diligentia prædicarunt Generalium synodorum canones. Proindè quisquis magnum Maximinum opinatur hac in re fuisse negligentem, iam audiuit Turonensis synodi de sua opinione iudicium. A laudato Pontifice Innocentio creduntur etiam esse canones synodi Romanorum ad Gallos Episcopos. Quidquid sit, sunt antiqua, authentica, obseruata per Galliam, & forsitan ad eius codicem adiuncta rescripta Sedis Apostolicæ. Et quædam sunt palàm desumpta de canonibus Sardicensibus. Nempè capitulum duodecimum, vetans Episcopum assumi ex Laicis. Et capitulum decimum-tertium, secundum Nicęnum Canonem, statuentem de prima Neophytorum specie, extendens ad secundam. Prima ex Gentilibus, secunda species est ex Laicis.

Cap. 21.

Hæc omnia similiter patent ex degradatione, ac Romana appellatione Contumeliosi, Reiensis in secunda Narbonensi Prouincia Episcopi, circa quem, & Cæsarius Metropolita, & Ioannes II. Pontifex, eiusque Successor Agapetus omnia egerunt ex canone Sardicensi. Contumeliosus fuerat lapsus in adulterium, & inuolutus àlijs criminibus. Hinc Prouincialis synodus ipsum degradauit, & ad egendam perpetuam pœnitentiam clausit in monasterio. Erat conuictus, & confessus,

fessus, ideòque nec prouocauit, Attamen in sua synodo habuit fautores, de quibus sanctus Cæsarius: [Quæ est ista Iustitiæ inimica benignitas, palpare criminosos, & vulnera eorum vsque ad diem Iudicij incurata seruare? Quod si etiam durissimam eos pœnitentiam per plures annos agere videremus, sic nos ipsi, & saluti eorum consulere, & canonum deberemus statuta seruare. Cum verò in aliquibus, nec compunctionis humilitas, nec instantia orandi, vel plangendi appareat, nec eos Ieiunijs, vel lectioni vacare videamus, possumus cognoscere, si ad honorem pristinum redierint, cum quanta negligentia, & cum quanto tepore, & inimica animæ securitate permaneant, credentes, quod sic eos non acta dignè pœnitentia admiserit Deus, quomodò Sacerdotes indulsisse videntur]. Demonstrat esse falsam, periculosam, immò perniciosam misericordiam. Episcopi isti nolebant contumeliosum degradari, nec ad perpetuam pœnitentiam detrudi in Monasterium, sed solummodò suspendi ad tempus, & tunc reddi Episcopalis communionis honori, de suis infirmitatibus responsurum Domino Deo. Ex quo liquet Apostolicum canonem, [Oportet Episcopum sine crimine esse], quoad carnalia flagitia cœpisse tunc tepescere in Gallijs. Hinc erat causa maior, atque difficilis. Et ista Episcoporum intercessio habebat aliquid appellationis. Hinc sanctus Cæsarius, Summi Pontificis per Galliam Vicarius, ex Sardicensi Canone, & Innocentij ad Victricium rescripto, post Episcopale Iudicium omnia retulit ad Sedem Apostolicam, Contumelioso non permisit ordinari Successorem, & supplicauit ex Romana disciplina instrui. Porrò Ioannes II. Pontifex probauit Cæsarij iudicium, Contumeliosi degradationem confirmauit, iussit perpetuùm claudi in monasterio, & ipsi creari successorem. Et dum hoc fiat, dari Visitatorem Reiensi Ecclesiæ. Et ad Cæsarium contra istos indiscretè benignos Collegas instruendum, atque armandum transmisit quædam Extracta ex Decretis Siricij Papæ, ex Canonibus Apostolicis, atque Antiochenis. Nempè non de appellatione, sed de sola degradationis causa, atque iniustitia fuerat consultus, ideòque transmittere non debuit Sardicenses Canones.

Proindè Contumeliosus fuit clausus in monasterio. Attamen nescio qua de causa non accepit successorem. Interim Ioannes Pontifex abijt ad meliorem vitam, & successit Agapetus. Cœperunt tunc spirare alij venti: Hinc & Contumeliosus vertit vela. Pœnitentiæ, & clausuræ pertæsus prouocauit ad Sedem Apostolicam, asseruit se innoxium, & postulauit nouum examen. His permotus Cæsarius fecit, quæ ad ipsum rescripsit Agapetus: Et nos quidem, quamuis culpatus à nobis Emeritus defensor Contumeliosum Episcopum reuersum ad Ecclesiam suam charitatis tuæ voluntate firmauerit, vsque ad exitum Iudicij, quod delegauerimus, ipsum reddita sibi modò propria substantia, suspensum interim volumus ab administratione patrimonij Ecclesiastici, & celebratione Missarum. Quia id quod sibi viderat Iudicio fuisse sublatum, gloriosiùs, si ei veritas suffragatur, Iudicio, receperit, quàm vsurpationibus occuparit. Melius autem fecerit Fraternitas tua, si posteaquam Sedis Apostolicæ appellatione interposita desiderauit examen, circa personam eius à tempore sententiæ nihil permisisset imminui, vt esset integrum negotium, quod interposita prouocatione quæreretur. Nam si in executione mittitur prima sententia, secunda cognitio non habet quod requirat. Addendum, quia etsi non esset prædictus Episcopus iudicationi refragatus, priuatam magis potuit secundùm Canones expetere successionem, quàm seueritatem Religionis excipere. Suspensus igitur, sicut præfati sumus, Episcopus Contumeliosus habeat tantùm, quam præsumpsisse dicitur, celebrationem Missarum: Et patrimonio Ecclesiæ in guberuatione Archidiaconi constituto, itaut alimonia sufficienter Episcopo non negetur, Visitatoriam in eius loco præcipimus ordinari personam, & patienter exspectare Iudices, quos inspirante Domino constituerimus audire.]

Habemus hinc varia. Primò, quòd Montumeliosi appellatione, ac Romanæ Ecclesiæ reuerentia territus Cæsarius Contumeliosum relaxarit è monasterio, ac redire permiserit ad Episcopalem honorem, atque officium. Palàm ex Sardicensi Canone, qui à degradationis iudicio prouocantem Episcopum mandat reuestiri, perseuerare Episcopum, & vti Episcopum per omnia tractari. Propter suspensiuam appellationis virtutem. Secundò habemus, quod Contumeliosus statim cœperit se gerere vti Episcopum, & tam spiritualia, quàm temporalia administrare. Etiam celebrare Missas, aliaque exercere Episcopalia ministeria. Tertiò, quod Cæsarius Romam legauerit Emeritum, defensorem suæ Ecclesiæ, omnia hæc expositum Pontifici. Quarto, quod hæc Cæsarij, & Contumeliosi acta non probauerit Pontifex, ideòque, & Emeritum, ad cuius hæc etiam spectabant officium, culparit. Et rectè. Etenim Synodale degradati Contumeliosi Iudicium erat confirmatum à Ioanne Pontifice, & datum fuerat nouæ Episcopalis creationis mandatum, ideòque Contumelioso deinceps non suffragabatur Canon Sardicensis. Sententia transierat in rem iudicatam, ac proindè appellationi non supererat locus, sed gratiosæ dumtaxat reuisioni. Debebat ille supplicare restitutionis beneficium, atque interim permanere in humilitate degradati. Hinc Pontifex affirmat, quod Missarum celebrationem, ac Ecclesiasticæ substantiæ administrationem præsumpserit: Quod illa vsurpationibns occuparit, quæ iudicio recipere debuerat. Quiптò habemus, quod Pontifex hanc qualemcumque prouocationem noluerit carere omni fructu. Dedit ei plures effectus. Primò, Contumeliosum tractari voluit non vt degradatum, sed solummodò, vt suspensum, ideòque nec Successorem ei permisit dari, sed Ecclesiam iussit persistere sub Visitatore. Deindè, ipsi indulsit celebrationem Missarum. Tertiò, iussit ipsi bona reddi patrimonialia, & subtrahi solam administrationem Ecclesiasticæ substantiæ. Degradato enim Episcopo auferebatur etiam sui patrimonij regimen, & ex ipsius prouentibus alebatur. Quartò Pontifex man-

mandat, vt hac appellatione pendente nihil innouetur, aut attentetur. Istud volunt hæc verba: [Melius autem fecerat Fraternitas tua, si posteaquam Sedis Apostolicæ desiderauit examen, circa personam eius à tempore sententiæ nihil permisisset imminui, vt esset integrum negotium, quod interposita prouocatione quæreretur. Nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda cognitio non habet quod requirat. [Videtur Cæsarius argui, quod nescio quid innouasset. Sextò habemus, quod ex Iudicibus Episcopis aliquos Pontifex Romam euocarit, omnem rei seriem expposituros. Vsque ad istorum aduentum, & tunc faciendum tetractatorium iudicium mandat omnia in iam dicto statu quieta persistere. Et ad demonstrandam huius suæ interlocutionis Iustitiam adiungit: Præterea nequid deesset, quod charitati tuæ videatur incognitum, studio dilectionis constitutorum fecimus capitula subter annecti, vt scientia communicemur Canonum, sicut participamus effectu.] epistolæ descriptores, ecclesiasticæ eruditionis damno, prætermiserunt adiungere Canones. Fuerunt omninò Sardicenses. Quis enim non videat secundùm ipsos regi hæc omnia? Lucet & istos Canones tunc viguisse in Gallia, & Romanis appellationibus, ac euocationibus fuisse plenam libertatem.

Octauus tandem Paschasij Quesnelli error, atque excessus est, quod etiam Africana Ecclesia istam Apostolicam appellationis, seù retractationis prærogatiuam nunquam admiserit. Et loquitur etiam de episcopis, atque ità cantat indignissimam ignorantiæ, aut malitiæ fabulam, infra ex professo discutiendam. Et ipsam persuadere denuò tentat ex infelicissima, non totius Africanæ Diœcesios, aut Synodi, sed quorumdam dumtaxat Episcoporum ad Cœlestinum Pontificem epistola. Interim verum est, quod Africani isto tempore Episcopi, etiam Sanctus Augustinus, ignorarint Sardicenses Canones. Rationem exquiram, atque exponam suo loco.

CAPVT XIV.

Exponitur tertium Paschasij Quesnelli fundamentum.

Tertium viri fundamentum est in his verbis: [Quod ad Gallicanam attinet Ecclesiam, hoc notatu dignum est, de Sardicensibus mentionem non esse factam à Sancto Leone, in hac aduersùs Hilarium querela, quæ de appellatione nata erat. Solam enim consuetudinem obtendit Pontifex ambitiosis Hilarij, vt putabat, conatibus: Quod magno argumento est Leonem per Sanctum Prosperum, hominem Gallum, quem à Secretis habebat, vt per se ipsum, dum in Gallijs ageret, certiorem factum esse, hos Canones à Gallicana Ecclesia non recipi, vt superfluum esset eos in medium adducere. Si enim inserti fuissent Gallicano Canonum codici, in propria causa prænaricatus esset Leo, eos Canones commemorare omittens, quibus & plurimum Sedi Romanæ deferebatur, & Hilarius tamquàm Canonum etiam in Gallia receptorum violator potuisset iudicari: Nisi dixeris Leonem ab his abstinuisse, tùm quia repulsam nouerat, quam Cœlestinus Papa ab Africanis passus fuerat ob istos Canones Nicœnis Patribus attributos; tùm quia pro ingenio suo videbat Canones Sardicenses nihil de appellationibus, vel de retractatione sententiæ Romæ peragenda statuere, sed amplius nihil Romano Pontifici concedere, quàm vt nouum Iudicium in eadem Prouincia celebrandum indiceret, quod in causa Chelidonij ab eo præstitum non fuerat. Quamobrem veritus, ne parùm roboris habitura esset apud Gallos sua epistola, cui nulli canones militarent, sed quam potiùs vetus consuetudo canonibus roborata nouitatis arguebat, eam curauit Imperatoria constitutione muniri. In qua quidem, & Petri meritum, & Romanæ dignitatem ecclesiæ, & sacræ Synodi authoritatem pro Sedis Apostolicæ firmanda amplitudine commemorat Valentinianus, de Sardicensi verò Synodo pro asserendo appellationum iure mirum seruat silentium. Quod argumento de Gallis ignotam fuisse disciplinam Sardicensibus Decretis inductam, quæ illis opponere minimè ausi sunt Romani.]

Respondeo Romanos Pontifices, ac alios Patres, dum Romanæ appellationis ius, atque authoritatem stabiliebant, quandoque solos Nicœnos, quandoque solos Sardicenses canones, quandoque solam consuetudinem, quandoque allegasse simul omnia. Ita noster magnus Leo, qui aduersùs Hilarium adduxit solam consuetudinem, in literis ad Imperatorem Theodosium pro Sancti Flauiani appellatione adduxit solos Sardicenses canones, dicens Nicœnos. Ex quo lucet istos tunc solemniter viguisse per omnem Orientem, & his fuisse adnumeratos. Pro hac eadem appellatione Imperator Valentinianus III. in literis ad suum Collegam Theodosium adduxit solam consuetudinem, ex qua [Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habet, & facultatem de fine, & Sacerdotibus iudicandi.] Hanc à maioribus traditam consuetudinem affirmat ab Augustis principibus cum omni competenti deuotione defendendam, & vti propriæ venerationis dignitatem Sancto Petro intemeratam conseruandam. Eodem modo authenticus Eutychianæ Historiæ Breuiculus, seù antiqua super Acacij Episcopi Constantinopolitani nomine acta de Ioanne Thalaia Patriarcha Alexandrino, Apostolicam Sedem synodica scripta misit.] Et subdunt causam suæ Phrasios: [Nam & Priores eius similiter Romanæ Ecclesiæ suffugium propofcerunt.] Porrò propriam causam, ex qua magnus noster Leo phrasim ita variarit, fateor me ignorare. Dum scribimus, sumus quandoque ad solam attenti substantiam, & verba sine causis variamus. Existimo quod in sua aduersùs Hilarium epistola respexerit ad Sancti Iulij epistolam contra Eusebianos.

Interim præfata Paschasij Quesnelli verba etiam non carent erroribus. Primus est, quod Sanctum Prosperum studeat facere Sancti Leonis seductorem, aut circumscriptorem, qui persuaserit Sardicenses canones non admitti à Gallicana Ecclesia. An in istius

Eccle-

Ecclesiæ codicem fuerint relati, nolim disceptare: Certum est fuisse isthic admissos, atque obseruatos. Proindè nec ista petulantia in Sanctum Prosperum, nec ista imperitia cadere potuit in doctissimum Leonem. Et quod Prosper Romanas è Gallia appellationes probauerit, atque defenderit, eius acta euincunt. Etenim quosdam Gallicanos Episcopos non solummodò ob Pelagianos errores, aut vicinas illis opiniones, sed insuper ob coniectas in Sanctum Augustinum blasphemias detulit in prima etiam instantia ad Sedem Apostolicam. Forsitan quod ipsorum quidam essent Metropolitæ, atque ita prima in ipsos instantia spectaret ad Sanctum Petrum. Quia Gratiani Imperatoris lex vigebat in Gallia. Porrò an sanctus Prosper fuerit magni istius Pontificis Secretarius, est res valde incerta. Videtur non fuisse. Etenim in notis ad Apollinaris Sidonij epistolas scribit Iacobus Sirmondus: [Prosperum Aquitanum, alij Reiensem in Gallia, alij Rhegiensem in Italia Episcopum faciunt. Sed mea quidem sententia Episcopus numquam fuit.] Vtraque Ecclesia habuit istius nominis Episcopum, verùm neutrius tempora quadrant in Aquitanum. Demonstrat hoc laudatus scriptor, ac pergit:] Vt Episcopum prorsùs non fuisse sentiam, facit omnium veterum authoritas. Victorij de Cyclo Paschali ad Hilarium, Gennadij scriptorum Ecclesiasticorum capite octogesimo quarto, Gelasij Papæ de libris Apocryphis, Marcellini Comitis in Chronico sincero, & non vitiato, Bedæ in Martyrologio, aliorumque, qui cum de Prospero omnia alia narrent, de Episcopi eius honore mentionem nullam faciunt.] Gennadius vnicuique scriptori addit sui gradus titulum: Dicit fuisse Episcopum, Presbyterum, Diaconum, &c. At verò de Prospero dicit, [Prosper homo Aquitanus.] Istud ipsum in sua Romana synodo facit sanctus Gelasius, & addit de sancto Prospero: [Opuscula beati Prosperi, viri Religiosissimi.] Est non leue argumentum. Etenim Ioanni Hierosolymæ Episcopo, qui sanctum Hieronymum nominarat non adiuncto presbyteri titulo, hic respondit: [Quis me decapitauit.] Plura sunt, quæ demonstrent istos titulos olim numquam fuisse prætermissos. Prætermissio erat contumelia. Prosper igitur fuit monachus, & laicus, ideòque possit non fuisse sancti Leonis secretarius. Certè tantum munus videtur non cecidisse in laicum monachum. Attamen præfatus Gennadius adiungit: [Epistolæ Papæ Leonis aduersùs Eutychem de vera Christi Incarnatione ad diuersos datæ, à Prospero dictatæ dicuntur.] Vox, [Dicuntur,] affirmat rem esse dubiam. Vt sit, laudatæ epistolæ palam prædicant Sardicenses canones, atque ita liquet hos istarum, quiscumque fuerit, authori placuisse. Parùm refert ad præsentem materiam.

Alter excessus est, quod denuò laudet infelicissimam quorumdam Africanorum Antistitum ad sanctum Pontificem Cœlestinum epistolam, ac in ipsa fundet sua aduersùs Apostolicam Sedem tentamina. Est res indignissima, lamentanda in Doctore Catholico. Excessus tertius est, quod sanctus Leo pro suo ingenio viderit Sardicenses canones nihil de appellationibus, vel de retractatione sententię Romę peragenda statuere, sed amplius nihil Romano Pontifici concedere, quàm vt nouum indicat Iudicium, in eadem Prouincia celebrandum. Sunt Paradoxa, partim reuicta in superioribus, partim mox largiùs reuincenda. Quartus excessus est, quod sancti Leonis epistolæ nulli militarent canones. Etenim non solos Sardicenses, sed etiam Nicœnos militasse, supra demonstratum est, lucido, atque irrefragabili testimonio sancti Iulij Pontificis. Quintus excessus est, quod vetus, Canonibus roborata, consuetudo epistolam nouitatis arguerit. Ad similes Acaciani schismatis nugas olim reposuit sanctus Papa Gelasius: [Viderint si alios habeant canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæterum isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur,] Leonis epistolam fulciunt, & firmant. Quorumdam hodiè aduersùs Diuinam Apostolicæ Sedis dignitatem conspiratio reuerà habet alios canones. Etenim D. Petrus de Marca producit Philippopolitani conuenticuli literas, Eusebianas, Schismaticas, Hæreticas, ab omni sub Cœlo Ecclesia damnatissimas: Et ex ipsis studet sanctum Petrum denuò cribrare.

Sextus excessus est, quod suæ epistolæ infirmitatem sciens Sanctus Leo, ipsam curauerit Imperatoria constitutione muniri. Arguit Pontificem, quod ea quæ per Iustitiam, & canones non poterat, fuerit executus per laicam violentiam. Etiam in alio loco non erubescit sanctum Leonem infamare de varijs excessibus, & scribit inter cætera: [Quartò denique in canones peccasse videtur Leo, cum per Imperatoriam Sanctionem Gallicanæ Ecclesiæ consuetudini derogare primus tentauit, illudque à Valentiniano tertio Edictum obtinuit.] Canonibus aduersari affirmat hæc Edicti verba: [Ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum liceat sine Viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ authoritate tentare, sed illis, omnibusque pro Lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis authoritas.] Est Sanctissima Constitutio: Absit vt sacris canonibus aduersetur. Istud non de appellandi iure, aut more sanxit, sed de Episcoporum consecrationibus, circa quas Hilarius grauissimè excesserat. Porrò quis nesciat omnium, etiam Prouincialium, Episcopum non solam confirmationem, sed etiam consecrationem spectare ad Patriarcham? Est certa & clara sanctio sexti Nicœni canonis, adeòque est canon Apostolicus. Ad Gallicanos enim Episcopos de Nicœna Synodo rectè scripsit primus Innocentius: [Episcopi in vnum congregati Apostolicas traditiones ad omnium notitiam peruenire voluerunt.] Nicœnos canones affirmat esse Apostolicos. Secundùm hos igitur canones Romanus Antistes cunctorum per suum patriarchatum episcoporum præuiam confirmationem, & consecrationem potest ad se trahere, Metropolitis permittere, variè de ipsis ex arbitrio disponere. Hoc firmat atque exequitur laudata Valentiniani constitutio, atque ita nullatenus impingit in canones. Euertit Hilarij calumniam, qui in Galliam redux ad depra-

uandos

uandos collegarum animos blaterabat, quod Pontifex omnium Prouinciarum ordinationes sibi vellet defendere. Augustus princeps affirmat ipsum iure id omninò posse. Est res alterius loci. Interim Paschasius Quesnellus, quot ibi verba, tot habet in magnum Leonem contumelias.

Ista Augusta constitutio adeò perstringit, atque offendit huius viri oculos, vt ad circumscribendam eius authoritatem cogatur etiam Episcopo Hilario, suo dilectissimo clienti, maledicere. Plura rursum congerit ex infelicissima, atque erratica quorumdam Afrorum epistola, pergit: [Quis non acquiescat tot rationum momentis, quibus quid opponi possit, planè non video, nisi sancto Leoni visum esse pro ecclesiæ bono, & ad minuendam Hilarij potestatem, quæ aduersarijs gratiæ Dei in Gallia inualescentibus animos addebat, nouum sibi ius parare, Imperatoris authoritate munito, cuius animam pro arbitrio, quò vellet, inclinabat]. Quis hunc virum ad maledicendum conduxerit, ignoro. Maledicit Magno Leoni, quod Papalem authoritatem tentauerit vltra metas transfigere. Maledicit Augusto Valentiniano, quod Pontifici ad nouitates, ideòque & ad iniquitates seruiliter obedíuerit. Maledicit sancto Hilario, quod Semipelagianæ perfidiæ fuerit princeps, atque incentor.

Septimus tandem illius error, atque excessus est, quod ista constitutio pro asserendo Romanæ appellationis iure non adducat canones Sardicenses. Respondeo adducere. Audiamus eius exordium: [Cum Sedis Apostolicæ primatum sancti Petri meritum, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam synodi firmarit authoritas.] Constitutio agit etiam de admittendarum appellationum primatu, ideòque & Nicœnam laudat synodum, & Sardicensem. Lucet ex alijs eiusdem Imperatoris literis ad collegam Theodosium, scriptis pro admittenda appellatione sancti Flauiani. Affirmat ipsum appellasse [secundùm solemnitatem,] seù solemnem constitutionem [Conciliorum.] Vtique Nicœni, & Sardicensis. Tàm hæ literæ, quàm ista constitutio agunt de pari formi causa, & haud dubiè sunt ab eodem secretario. Proindè ille easdem vtrobique intellexit synodus. Quidquid sit, Romanæ appellationis ius non fundatur in sola synodo Sardicensi.

Pijssimam Valentiniani constitutionem venerata semper fuit omnis, Gallicana præsertim, sub cœlo ecclesia, ideòque indignum, ac nullatenus tolerandum est ipsam hodie à nescio quibus hominibus ita conspui, & conculcari. Ex ipsa sanctus Hilarus Pontifex pro Leontio Arelatensi Episcopo aduersùm Mamerti Viennensis Episcopi excessus scripsit ad Gallicanos Episcopos: [Christianorum quoque principum lege decretum est, vt quidquid ecclesijs, eorumque Rectoribus, pro quiete omnium Domini Sacerdotum, atque ipsius obseruantia disciplinæ, in auferendis confusionibus Apostolicæ Sedis Antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi, tenaciterque seruari.] Et statim subdit: *Nec vnquam possent conuelli, quæ & sacerdotali ecclesiastica præceptione fulcirentur*, & Regia. [Eamdem in quarto capitularium additamento laudat, ac firmat Imperator Ludouicus Pius:] Culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm Apostolicæ Sedis Papæ fieri placuerit. [Quinimmò Petrus de Marca affirmat istius constitutionis pro Romanæ Ecclesiæ primatu verba esse adeò lucida, & veneranda,] vt huius sæculi nouatoribus possint sanguinem suffundere. [Et adiungit:] Hæc nouella constitutio Codici Theodosiano adiuncta est, cuius Codicis vsus apud Gallos, Romanæ legis nomine, in rebus ecclesiasticis inualuit.] Et hoc demonstrat ex antiquis Gallicanæ Ecclesiæ synodis, ac Regum edictis. Proindè frontem sub axillis gerunt, qui hodiè de sua in istam legem maledicentia non erubescunt. Nempè nouam Hierarchiam diligunt, & tentant Mundo obtrudere, ideòque calcanda sunt antiqua omnia.

Prætermitti non possit eximium, ac insigne elogium, quod præfatæ legi impetit Honorius Pontifex in literis ad Sergium Subdiaconum. Honorius Calaritanum Episcopum, Sardiniæ Metropolitam, & quosdam eius clericos, de nescio quibus accusatos, ad suum Tribunal euocauerat. Et Metropolita obediuit, ac venit, verùm clericos momordit, & morata est propria conscientia, ac fecit contumaces. Hinc Pontifex Barbarum, Romanæ Ecclesiæ Regionarium defensorem, misit ad Sardos, qui clericos potenter adduceret. Et ipsos naui imposuerat. At ecce Theodorus, Sardiniæ Præses, ipsos defensori violenter eripuit, ac transmisit in Africam. Hinc Pontifex se conuertit ad Georgium Africæ præfectum, postulauit sibi tradi clericos, & castigari Præsidem, ac alias literas addidit ad Sergium Subdiaconum: [Exemplar sacræ Theodosij, ac Valentiniani tuæ experientiæ curauimus destinandum, & Eminentissimo Præfecto per tuam experientiam dirigendū, cuius series non solùm eius Eminentiam, verùm etiam omnes omninò, qui à Sedis Apostolicæ ditione exorbitare contendunt, nihilominùs informare possit. Quemadmodum Serenissimi Principes hactenùs omnes innouauerunt cuncta priuilegia Sedis Apostolicæ, & quæ olim eidem sunt concessa, ipsa lectione poterunt approbari. Nam de Domini Dei Nostri misericordia confidimus, quod iura vel priuilegia beati Petri curabimus expetere, atque immutilata intentione quæsita, atque impertita defendere. Tua ergò experientia, eiusdem sacræ tenore attentiùs relegendo sufflata, non solùm Eminentissimo Præfecto, sed etiam alijs hæc eadem insinuare non differat. [Palam & constanter affirmat laudatam legem plenissimè viguisse per omne Imperium, per omnes Occidentis ecclesias, per ipsam firmari Apostolicum canonem, datamque ab ipso potestatem, qua Romanorum Episcopus non solos in appellatis causis Prouinciales Episcopos, sed etiam in prima instantia Occidentales Metropolitas, & eorum excessibus admixtos clericos possit ad suum in alma vrbe Tribunal euocare, & compellere.

CA-

CAPVT XV.

Sancti Leonis circa Chelidonium Acta purgantur à prima Paschasij Quesnelli calumnia.

PAschasius Quesnellus sanctum Hilarium Romanæ Chelidonij episcopi appellationi recalcitrando, & sui synodalis iudicij authoritatem inappellabilem contumaciter sustinendo, legitimè secundùm Canones egisse; sanctum autem Leonem isti appellationi deferendo, istudque iudicium exsufflando, affirmat egisse perperam contra continua serie custoditam consuetudinem, ac disciplinam, & plus æquo studuisse amplitudini suæ Sedis, atque prosequitur: [Verum non in eo solùm Canones sanctus Leo visus est minùs attendisse in præsenti aduersùs Hilarium concertatione. In hoc etiam à Sardicensibus, quorum maximè authoritati incumbebat, recessit quod causam Chelidonij extra Prouinciã examinandam susceperit, & absque primorũ Iudicum cõmunione eam in suo iudicio retractarit: Quod tentatũ priùs non fuerat ab eius Prędecessoribus, qui saltem Sardicensium Canonum limites non excesserant. Isti autem Canones ita redintegrandi Synodorum Prouincialium iudicij potestatem faciunt Romano episcopo, vt tamen velint nouos ab eo iudices decerni ex vicina Prouincia, qui vna cum iudicibus, à quorum sententia appellatur, iterato examini intersint. Hoc enim necessarium erat ex Decretis Sardicensibus, vt priores iudices posterioris examinis participes essent, quemadmodum ab Illustrissimo Marca obseruatum est. Neutrum fecit Sanctus Leo, sed totam sibi causam reseruauit proprio subijciendam examini, iudicioque absoluendam.] Hæc sua commenta iterum stabilit ex infelicissima ac præuaricatoria quorumdam Africanorum Antistitum ad sanctum Pontificem Cęlestinum epistola, & adiungit; [Has disciplinæ regulas à strenuo suo Præcessore Cypriano hauserant Beatissimi Patres; quorum pars magna Augustinus erat.] Sanctum Leonem arguit de duobus. Primò, quod retractatorium iudicium non delegarit in partibus, sed appellantes atque appellatos euocauerit ad suum Tribunal. Hanc euocationem censet aduersari canonibus Sardicensibus.

Huius opinionis nec Paschasius Quesnellus, nec Petrus de Marca est primus author. Eamdem sæculo nono pertinaciter sustinuit Hincmarus Metropolita Rhemensis. Etenim ad suum nepotem Hincmarum Laudunensem episcopum, qui degradatus Romam appellauerat, & volebat accedere, dicit in Duziacensi synodo: [Diuersi canones episcopum, à congregatis Regionis episcopis cum eiusdem Prouinciæ episcopis, Apostolicæ Sedis authoritate: vel cum à latere suo directo in Prouincia, in qua ventilata, & iudicata est, iubent audiri.] Et ipsum item probat ex præfata Afrorum epistola, nec non ex magni Gregorij literis ad Columbum episcopum Numidiæ. Et cum vniuersa ista synodo Hincmarus ad Adrianum secundum Pontificem scripsit solemnissimas literas; omne suum de Laudunensi Hincmaro Iudicium retulit, supplicauit confirmari, atque adiunxit: [Si fortè quod non putamus, visum vobis necessariò fuerit, vt secundùm Sardicenses Canones renouetur Iudicium, detis Iudices, scribendo episcopis, qui in finitimis, & vicinis Prouincijs sunt, vt & ipsi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Vel si decreueritis mittere à latere vestro habentes authoritatem vestram, qui cum episcopis iudicent, eo in gradum non restituto, sicut sacri Sardicenses Canones præcipiunt, non abnuimus. Denuo se fundat in ista Afrorum epistola, & concludit:] quia ergo nos, quantum scimus, & possumus, priuilegium sanctæ, & primæ Sedis Romanæ, & confirmare, & obaudire, & extollere cupimus, atque satagimus, & seruet vestra Paternitas, & à Deo in prima Sede constituta authoritas, nobis filijs, & subiectis suis episcopis ecclesiastica priuilegia, à sacris Canonibus, & vestris Decessoribus, atque Prædecessoribus, nostris Decessoribus atque Prædecessoribus confirmata. Quatenus, & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & à se concessis alijs iura sua non minuat.] Et hæc stabilit authoritate magni Gregorij, non semel scribentis ad suos episcopos: [Mihi ipsi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.] Affirmat Sardicensem Canonem semper in Gallia fuisse sic intellectum atque obseruatum. Destinata fuit hæc epistola per sanctum Actardum episcopum Namnetensem. At retulit Rescripta non placentia. Adrianus Pontifex Sardicenses Canones intellexit, aliter, & Hincmarum Laudunensem, itemque eius Aduersarios voluit ad se transmitti, & causam eorum coram se retractari. Rhemensis Hincmari artes, Romæ iam pridem notissimas, videtur notasse suis coloribus. Hinc sine suo Præside Duziacensis synodus denuò scripsit: [Apertissimè iubent sacri Canones Sardicenses, vt episcopi in Prouincia qualibet regulariter iudicantes episcopum, post iudicium scribant Romano Pontifici, qualiter causam examinarint iudicati episcopi, dicentes;] Vt si aliquis episcopus iudicatus fuerit. [Et paulo post;] Scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo. [Et ne quilibet in hoc interpendere posset, in quarto, & septimo capitulo id ipsum consequenter repetendo, ac apertiùs inculcando explanant, dicentes;] Cum aliquis episcopus depositus fuerit. Et: si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint, de gradu suo eum deiecerint Regionis episcopi, & appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, & iustum putauerit vt renouetur examen, det iudices. Id est, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima, & vicina Prouincia sunt, vt ipsi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. [Et reliqua, sicut ibidem Canon prosequitur. Et sancti Innocentius, Bonifacius, ac Leo consonanter ex eisdem sacris Canonibus promulgarunt, quæ Canonibus ipsi conueniunt, vt in promptu esse legentibus constat.] Hanc in rem congerunt

S plu-

plurima, ex quibus pertinaciter censent suam opinionem manifestò demonstrari. Attamen Pontificem, qui Laudunensem cum suis aduersarijs Antistitem sibi sisti seriò mandaret, non ausi deinceps offendere, addiderunt: [Apud Dominum Regem obtinuimus, vt quicumque vellent de Clero, & familia Laudunensis Ecclesiæ Romam cum Hincmaro Episcopo ire, haberent licentiam. Pergat igitur secundùm mandatum vestrum, non abnuimus, non contendimus, non refutamus. Et sententia Sedis Apostolicæ secundùm sacros Canones, & decreta ipsius Sedis Pontificum, de illo exequatur. Et ea, vt Leo decernit, quæ iuxta Ecclesiasticum morem iustè, & rationabiliter à nobis sunt definita, vestra quoque sententia roborentur.] Conantur Pontificem bonis verbis circumscribere. Nec enim Laudunensis ecclesiæ Clericos, aut mancipia, sed quosdam è iudicibus episcopos adiungi Hincmaro iusserat Pontifex, & Romam ad retractandum iudicium transmitti. Nempè Rhemensis Hincmari, è cuius versatili ingenio prodierunt omnes hæ literæ, animo firmissimè infixum stabat, nunquam permittere istud Romanum iudicium. Hic ergo est originalis fons, ex quo prodeunt hæc noua aduersùs Apostolicam Sedem Dogmata.

Respondeo sanctum Leonem rectissimè per omnia egisse in causa Chelidonij. Etenim Iulius Pontifex, qui ob sancti Athanasij, & aliorum Orientalium Antistitum Romam Appellationem aliquos ex ipsorum iudicibus ad retractandas caussas euocarat Romanam, ad Antiochenam, ac refractariam Eusebianæ factionis Synodum rescripsit: [Quid actum est dignum offensa? Aut qua in re vobis, quibus scripsi, causam succensionis præbui? Qui enim benè sentiunt de ijs, quæ egerunt, & in quibus ipsi iudices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis iudicatum est, ab alijs excutiatur. Quippe qui secuti sint, ea, quæ ipsi iusta indicauerunt, iniusta numquam fieri posse.] Affirmat hanc esse antiquam ecclesiæ consuetudinem, confirmatam in Nicæna synodo, & redactam in scriptum. Et concludit: [Morem, qui semel in ecclesia obtinuit, & à synodo, confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari.] Palam agit de appellatarum causarum, & ambarum in ipsis partium ad Romanum retractaturi Pontificis Tribunal euocatione. Antiochenam synodum, quæ per dolosos Canones ipsam impugnabat, arguit horrendæ contumaciæ, & perniciosæ nouitatis.

Et prosequitur: [Quin ne hoc quidem concesso, quidquam æqui habet vestra offensio? Siquidem vestri Legati, Macarius Presbyter, & Hesychius, ac Martyrius Diaconi, nullo modo, cum huc venissent, pares Presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab illis conuicti, refutatique, Concilium indici à nobis postularunt, literasque, & ad Eusebianos, & ad Athanasium Alexandriam, quibus conuocarentur, mitti, vt coram omnibus iusto iudicio de causa cognosci possit: Tum enim se de Athanasio probaturos esse, quod iam nequirent. Publicè enim coram nobis Martyrius, & Hesychius refellebantur, Athanasij Presbyteris bona cum fiducia alacriter resistentibus, Martyrius verò cum suis, si vera dicenda, sint, vbique profligabatur, ac proinde Concilium generale postulabat. Si igitur Martyrio, & Hesychio nullam synodum postulantibus, adhortatus fuissem, vt ad synodum, qui ad me scripsissent, conuocarentur, idque in gratiam fratrum, qui se iniuriam pati conquerebantur, etiam vel ita æqua, & iusta fuisset nostra cohortatio: Cum ea sit, & ecclesiastica, & Deo grata. Iam vbi eidem illi, qui à vobis pro grauibus viris, & fide digni habiti fuere, Authores mihi fuerint, vt vos conuocarem, certè id à vobis ægrè ferri non debuit, sed potiùs alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hac citatione offenduntur, temeraria, & tergiuersatio sistendi se iudicio inhonesta, & suspiciosa videretur. An quisquam stomachari debet, si quæ ipse ipse fecit, ab alijs fieri videat? Si enim, vt scribitis, inconcussam habet authoritatem quælibet synodus, & contumeliosè agitur cum iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur considerate quæso Dilectissimi, quinam sint: qui synodum improbant, & qui aliorum iudicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines grauem.]

Pontifex docet varia. Primò, antiquam Ecclesiæ, præsertim iam à Nicæna synodo confirmatam, consuetudinem esse, sufficientissimum veritatis, & rectè administrati à se officij argumentũ, ac fundamentum. Deinde, licèt hoc fundamentum non adesset, suas in hoc negotio actiones fulciri alijs principijs, subministratis per ipsam Eusebianam Factionem. Etenim eius Legati, quod sancti Athanasij Legatis non possent resistere, postularunt ipsos principales, nempe ipsum Athanasium, & aliquos ex ipsis Tyriæ, ac Antiochenæ synodorum episcopis euocari per Pontificem, & per ipsos, & coram ipsis causam retractari. Postularunt generale Concilium: Non totius ecclesiæ, sed commune partibus contendentibus. Istud hìc dicitur generale. Papa supponit ipsos egisse secundùm Ecclesiæ mores, & Canones, ideòque, & sua acta ab ipsis iustificari. Tertiò affirmat se ad talem decernendam, ac exequendam euocationem non indiguisse postulatu, aut consensu partium: Euocari à se posse etiam inuitos. Et vtitur iudiciali vocabulo, [Citari.] Hinc concludit Eusebianorum tergiuersationem esse temerariam, inhonestam, suspiciosam: Vtique de propria causa, & conscientia. Et adiungit tergiuersationis fundamentum: Quod nempe Eusebiani in Antiochena synodo contra omnem antiquitatem iam blaterare cœpissent Orientalium synodorum authoritatem esse inconcussam, ideòque ab ipsis non posse Romam prouocari. Affirmat esse lepidum factionis iudicium. Etenim ipsa sacrosanctas ipsius Nicæni Concilij sententias impudenter sine fronte rescindebat, & exufflabat; at verò sua factiosa, iniqua, & palàm scelerata apud Tyrum, & Antiochiam iudicia volebat esse immobilia, & sacrosancta. Hic est omninò primus fons, ex quo Paschasius Quesnellus ac eius Symmistæ potant turbidas aquas, & ex ipsis vniuersam Ecclesiam student contra Apostolicam Sedem inebriare. Profero alta verba,

at

at non sine rationibus. Etenim Eusebiana factio non de Prouincialibus, sed de solis Patriarchalibus synodis sanxit: Quin Prouinciales possent ad Patriarchalem retractationem prouocari, ac euocari, apud ipsam erat, ac etiamnum apud Photiani Schismatis Sectatores est indubitatissimum. At verò hi noui Dogmatistæ etiam hæc iudicia volunt abrepta Romanæ ecclesiæ. Euertunt non solam Papalem dignitatem, sed etiam Patriarchalem.

Iulius Pontifex prosequitur: [Macarius Presbyter, ac Martyrius, ac Hesychius Diaconi, authores nobis fuerunt, vt Alexandriam scriberemus cuidam Pisto, quo tempore etiam Athanasius Alexandriæ versabatur. Hunc autem Pistum Athanasij Presbyteri superuenientes docuerunt Arianum esse, & eo nomine ab Alexandro, & Nicæna Synodo reum factum, gradumque sui Ordinis à quodam Secundo, quem magna synodus vt Arianum reiecerat, accepisse. His verò nec Martyrij quidem sodales contradicebant, neque Pistum à Secundo fuisse constitutum negabant. Videtis igitur vel ex hac causa, qui potiùs in culpa habendi sint, nósne, qui persuaderi non potuimus, vt Ariano Pisto literas scriberemus, an illi, qui mihi consilium dedere, vt contempto magno Concilio ad impios hæreticos, velut ad pios homines, literas darem? Certè Macarius Presbyter, cum Legatus ab Eusebio venerat, vbi audiuit Athanasij Presbyteros Pisto obsistere, nosque eius præsentiam non admittere, vnà cum Martyrio, Hesychio, quamuis graui valetudine, de nocte profectus est: Vt non inconcinnè diuinaremus eum impatientia refutati Pisti fugam arripuisse. Impossibile enim est Secundi ordinationem, vtpotè Ariani, vim vllam in Catholica ecclesia habere. Id enim verè ad synodi, & episcoporum, qui in synodo fuere, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio, & cura, veluti Deo præsente, egissent, à nobis vt vana, & futilia abrogarentur.]

Pistus est vnus ex Arij congerronibus, qui vnà cum ipso, & alijs istius impietatis authoribus subscripsit infami contra sanctum Alexandrum Alexandriæ Patriarcham epistolæ. Subscripsit in hunc modum: [Pistus, qui Alexandriæ ab Arianis collocatus est.] Exstat epistola apud sanctum Epiphanium. Elogium istud existimo non fuisse ab ipso Pisto adiectum, sed vel à laudato Alexandro vel à sancto Athanasio, vel à quouis alio, qui epistolæ exemplar ad perpetuam rei memoriam indidit Archiuijs Alexandrinæ Ecclesiæ. Etenim dum scribebatur epistola, Pistus necdum erat collocatus Alexandriæ. Alioquin non vltimus subscripsisset, sed primus. Hic igitur sceleratus hæreticus, dum Ariana factio omnem Dei, ac hominum proiecit reuerentiam, à Secundo Pentapolitano episcopo fuit contra sanctum Alexandrum creatus Alexandrinus episcopus, erectus in turbulentissimum Idolum. Nouo suo altari facinorosa factio dedit nouum Antistitem. Ille erat cum suo consecratore Secundo iam damnatus à sancto Alexandro, nec dubitandum videretur, quin tunc fuerit iterata damnatio. Quidquid sit eius damnatio fuit iterata, & confirmata Nicææ. Igitur Eusebij Nicomediensis episcopi, & cunctæ istius factionis Legatio, dum appellantis Athanasij Legationem exspectat Romæ, familiariter egit cum Iulio Pontifice, & eius benignitate abutens studuit circumscribere. Laudauit Pistum, contestata est esse innocentem, & non tantummodò ab Alexandro, sed etiam Nicææ malè damnatum: addidit non minùs, quàm Athanasium prouocasse ad Sedem Apostolicam, ideòque etiam ipsum supplicauit euocari Romam, ac eius causam retractari. Et Pontifex videtur non fuisse alienus. At interim aduenit sancti Athanasij Legatio, exposuit Pisti acta, & causam, atque ita sanctissimum Pontificem præseruauit ab isto præcipitio. Porrò Antiochena synodus iam sanxerat Orientalis ecclesiæ iudicia esse inappellabilia, ideòque nec appellantes, nec appellatos posse Romam euocari. Laudata igitur Iulij epistola huic Schismaticæ præsumptioni opponit præfatorum Legatorum pro Pisto tentamina: admiratur Patriarchalis synodi sententias iam prædicari inconcussas ab istis ipsis, qui nupertimè per suos Legatos professi fuerant ab ipsa etiam Oecumenica Nicæna synodo posse prouocari ad sancti Petri Cathedram, atque hac via studuerant suum Pistum adiuuare. Qui Athanasij ad dictas in ipsum sententias retractandas euocationem probarant, & supplicarant etiam Pistum euocari. Qui postularunt tanto impetu, vt ob repulsæ impatientiam Roma aufugerint insalutato Pontifice, de nocte, graui valetudine. Ex his Pontifex concludit istiusmodi Romanam euocationem esse antiquam consuetudinem, nunquam ab aliquo pulsatam, nisi iam ab Antiochena Synodo. Et concludit per hanc ironiam: [Nos scilicet discordiam induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundùm Canonem facimus.] Et inferiùs: [Hæc potissima mihi scribendi causa fuit, vt huc veniretis, quò vobis præsentibus omnia corrigi & sanari possent. Ac propterea alacriùs à vobis, & sine recusatione occurrendum fuit, ne qui hactenus istorum scelerum infamia laborant, contumacia non comparendi in iudicio libellos contra se datos videantur refellere non potuisse. Cùm igitur talia rumoribus, & fama circumferantur, tantasque iniurias ecclesiæ patiantur, & istiusmodi insidijs vexentur, quinam quæso sunt, qui flammam discordiæ accendunt? Nosne, qui ista dolemus, patientibus fratribus compatimur; an illi, qui hæc scelera designant?] Constanter asseuerat se, & agere in his, & egisse secundùm Canones. Vnde, & omnia eius acta probauit, atque confirmauit Sardicensis synodus.

Et certè omnia appellatarum ante Nicænam synodum causarum retractatoria iudicia fuerunt acta Romæ Basilidis ac Martialis, Hispanorum Antistitum, damnationem isthìc retractauit Stephanus Pontifex. Fortunatus, Pseudoepiscopus Carthaginensis, cum pessima Felicissimi Diaconi, & quinque rebellium Presbyterorum factione, acturus contra sancti Cypriani ex Neophyto episcopalem creationem, & ab ipso datum in se iudicium, Romam nauigauit ad sanctum Cor-

nelium. Etiam Donatistarum aduersùs Cecilianum prouocatio fuit retractata Romæ per sanctum Melchiadem. Hanc igitur consuetudinem probauit, confirmauit, ac in Scriptum redegit Nicæna synodus. Eamdem secutus sanctus Iulius. Et hinc omnia eius acta stabiliuit Sardicensis Synodus. Scripsit enim ad Alexandrinam ecclesiam: [Qua in re æquitas iudicij Fratris, & Coepiscopi Iulij liquidissimè apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sententiam tulit.] Et in relatione ad ipsum Iulium: [Orientales episcopi conuenti per Presbyteros tuos, & per epistolam, ad synodum, quæ futura erat in vrbe Roma, venire noluerunt.] Et in literis ad vniuersos sub cælo episcopos; [Eusebianorum Sycophantia ex eo præcipuè cognosci potuit, quod accersiti à dilecto nostro Comministro Iulio, iudicio non steterint. Accessissent enim, si Actorum suorum in Comministros nostros fiduciam habuissent.] Hanc contumaciam synodus omninò damnauit.

Quocirca Sardicenses Canones hanc euocandi potestatem nullatenus eripuerunt Romano Pontifici, Absit. Sic enim sancti Petri memoriam non honorassent, sed grauissimè castrassent, & circumscripsissent. Ausi fuissent aliquid constituere supra istum, cui Dominus concessit omnia. Hæc sunt verba tertij Canonis: [Si Pontifex iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det Iudices.] Septimus Canon addit: [Si Romanæ ecclesiæ episcopus iustum putauerit, vt renouetur Iudicium, vel discussionis examen, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Prouincia sunt, & ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione mouerit Romanum episcopum, vt de latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate episcopi quid velit, & quid æstimet. Et si decreuit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis iudicent, habentes eius authoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio iudicauerit.] Sensus est: Retractatorias episcopalium appellationum causas Romanus Antistes non solummodò per semetipsum agitare possit, sed & ipsas delegare Vel eidem Prouinciæ, vel Prouinciæ vicinæ, vel etiam Legatis è suo Latere. Prout placuerit. Quin ipsas per semetipsum posset agitare, nulli erat, aut esse poterat dubium. Hinc de ista potestate silent Canones, & exprimunt solam delegandi potestatem. Exprimunt varios delegandi modos, & adiungunt: [Quod sapientissimo suo consilio iudicauerit.] Quia nempe super ipsum non audent aliq; constituere.

Eodem modo Canonem intellexerunt sanctus Ambrosius, & omnes Episcopi, qui cum ipso assederunt sancto Damaso Pontifici in Romana Synodo. Maximi Cynici, à Petro Alexandrino Patriarcha promoti in Episcopum Constantinopolitanum, & à Constantinopolitana Synodo degradati, Romanam appellationem exponit in literis ad Theodosium Imperatorem sanctus Ambrosius, atque prosequitur: [Nos in Synodo ea, quæ totius Orbis Episcopis erat præscripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. Adeò ipso tempore, qui generale Concilium declinauerant, Constantinopoli gessisse dicuntur. Nam cum agnouissent ad hoc partium venisse Maximum, vt causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, iure & more maiorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse iudicium viderentur, &c.] Maximi causam amplè exponit, addit propter illi aduersam Nectarij ordinationem esse dissolutam ac dissociatam Ecclesiarum communionem, atque concludit: [Nec videmus eam posse aliter conuenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super duorum ordinatione sit in Vrbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium. Neque enim indignum videtur, Auguste, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque, & Italorum episcoporum debeant subire Tractatum, qui vnius Acholij ita exspectandum putauerunt esse Iudicium, vt de Occidentalibus partibus Constantinopolim euocandum putarint.]

Sanctus Ambrosius docet nos varia. Primò, quod post exstinctum Valentem Imperatorem Arianum, & datum illi Orthodoxum successorem Theodosium, Damasus Pontifex ad expurgandam, ac reconciliandam Orientalem Ecclesiam totius Orbis episcopis præscripserit, seu indixerit generalem synodum, celebrandam in Vrbe. Ex quo videmus hanc indictionem semper spectasse ad Papam. Secundò docet, quod Orientales Episcopi se excusauerint ab huius synodi accessu, & inter se Constantinopoli Concilium egerint. Hæc est secunda generalis synodus: Generalis & authentica, non ob suum meritum, sed ob sancti Damasi authoritatem, qui ex causis ipsam accumulauit cum sua Romana, plenè confirmauit, atque ita fecit œcumenicam, atque authenticam. Tertiò Ambrosius docet, quod ab ista synodo damnatus Maximus Romam appellarit, atque confugerit ad synodum, quam isthìc propter iam dictam Orientalium absentiam Damasus agebat cum solis episcopis Italiæ. Quartò docet, quod ad istam appellationem suscipiendam Damasus non indiguerit generalis Concilij authoritate, sed istud potuerit ex sola authoritate suæ Sedis. Ex iure, & more maiorum, quo etiam sanctus Athanasius, eius successor Petrus, & plures alij Orientales Episcopi appellarunt. Hæc sola verba euertunt Paschasium Quesnellum, & cunctos eius Symmystas, nugantes sanctum Athanasium, & alios Orientales Episcopos non prouocasse ad Papam, sed ad synodum totius ecclesiæ. Ambrosius quintò docet, quod Orientalis Ecclesia spreuerit Maximi appellationem, atque ita Nectarius petrexerit Constantinopolitanis præsidere episcopus. Sextò, quod hanc contumaciam Romana, & omnis Latina Ecclesia adeò indignè tulerit, vt propter ipsam fuerit laxata, atque dissoluta vtriusque ecclesiæ communio. Septimò, quod huius resarciendæ nulla fuerit spes, nisi

nisi Orientales Episcopi Romam aduenirent ad retractandum suum de Maximo iudicium. Octauò, quod in hac Romana synodo Orientales Episcopi non essent futuri coniudices, aut habituri synodale suffragium, sed synodalem Romani Episcopi Tractatum, atque Iudicium subituri. Et benè notanda sunt Ambrosij verba: [Non est indignum, Auguste.] Manifestè respiciunt Sardicenses Canones, & ipsos iam dicto modo interpretantur. Edicunt esse dignum, ac iustum, vt Orientales episcopi isto modo honorent memoriam sancti Apostoli Petri.

Canones Sardicenses eumdem in sensum intellexit Theodoretus Cyrensis episcopus. Etenim in literis, per quas ab inflicta sibi per Ephesinum Latrocinium degradatione prouocauit ad magnum Leonem, hæc habet post varia: [At ego Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam, & oro atque obtestor sanctitatem tuam, vt mihi rectum, & iustum Tribunal vestrum inuocanti opem ferat, iubeatque ad vos venire.] Eadem de re scripsit ad Renatum, Romanæ ecclesiæ Presbyterum, quem à magno Leone Legatum isti Ephesino Concilio Præsidem turbulentus Dioscorus excusserat: [Oro sanctitatem tuam, sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo persuadeat, vt Apostolica potestate vtatur, & me ad Concilium vestrum aduolare præcipiat. Habet enim sanctissima illa Sedes ecclesiarum, quæ in toto sunt Orbe, Principatum.] Non ad generalem synodum, sed prouocauit ad Apostolicam Sedem, ad iustum, & rectum Tribunal solius Pontificis. Quod ipsum fecit Eusebius Doryleensis, atque adeò, & alij Antistites degradati per istud Latrocinium. Proinde & sanctus Flauianus. Istud ipsum anteà fecerat hæresiarcha Eutyches. Quare hæc vnica Theodoreti professio euertit omnes nugas, quas nobis circa sancti Flauiani, ac Eutychetis appellationem Paschasius Quesnellus studet obtrudere. Theodoretus pergit: [Ante omnia, vt à vobis docear oro, an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non. Vestram enim sententiam expecto. Quod si in iudicatis manere me iusseritis, manebo, neque vlli hominum deinceps ero molestus, sed rectum Dei, ac Saluatoris nostri Iudicium expectabo. Hæc per Presbyteros Hypatium, & Abrahamium sanctitati vestræ suggessi, quandoquidem ne ad vos contenderem, regiarum literarum vincula retinuerunt.] Etenim Augustus Theodosius ipsum regia sua iussione intra Cyrenses muros circumscripserat. At ipse Papalem euocationem tanti fecit, vt censeret isti circumscripto exilio, cunctisque sacris iussionibus præualere. Quod nempè ista fundaretur in Sardicensibus Canonibus, omni tali iussione validioribus. Et quidem magnus Leo non solummodò ipsum, & alios degradatos, atque appellantes episcopos, sed etiam ipsorum Ephesinos Iudices parabat Romam ad retractandam sententiam compellere: Sed obices iniecit Augusti Theodosij, per sceleratum Chrysaphium Eunuchum circumuenti, regia violentia, errans Latrocinalia acta esse Nicænæ fidei, & Canonibus conformia, atque ita potenter iubens præualere. Nihilominus magnus Leo Theodoreti appellationi detulit effectum suspensiuum, suspendit iniectum illi à Latrocinio vinculum, agnouit vt Canonicum episcopum, & vti talem iussit ab omnibus agnosci. Et fuit agnitus. Etiam à Chalcedonensi Synodo. Quæ & peregit retractatorium iudicium. Etenim interim defuncto Theodosio successit pijssimus Martianus. Hic cum Collega Valentiniano tertio permisit Pontifici liberum Papalis authoritatis exercitium: Plenam potestatem iudicandi de fide, atque episcopis. Idque iuxtà antiquam consuetudinem. & Nicænos Canones. Sub quibus intellexit & Sardicenses. Nam hos Nicænos inscribens, Leo pro sua potestate allegauerat apud Theodosium. Verùm ex causis hoc retractatorium iudicium noluit Romæ fieri: Primùm Nicææ, deinde faciendum censuit Chalcedone in plena synodo. Et ita factum est. Hac ipsius authoritate cassatum est Latrocinale iudicium. Etiam secundùm Sardicenses Canones.

Epist. 115. Epist. 118.

Habemus plura istiusmodi exempla. Primum est ipsum Sardicense Concilium. Etenim Iulius Pontifex, nec Tyriam, aut Antiochenam, nec alias Orientalium synodos, à quibus sanctus Athanasius, aut alij episcopi fuerant damnati, cassauit, aut circumduxit: Nec enim poterat inauditis partibus. Et partes primùm per variarum excusationum technas, deinde per apertam contumaciam detrectabant adesse. Hinc præfatos episcopos solummodò reuestiuit, graduique & communioni reddidit, & retractatorium iudicium delegauit synodo Sardicensi: Et ad ipsam transmisit è suo Latere Presbyteros, iudicio præfuturos. Eodem modo, & simili de causa Innocentius primus sancti Ioannis Chrysostomi, gradui, & communioni ante omnia redditi, retractatorium iudicium delegauit synodo Thessalonicensi. Ita & Adrianus II. sancti Patriarchæ Ignatij retractandam causam delegauit octauæ synodo. Ex his exemplis Paschasius Quesnellus, & similes Dogmatistæ conantur Mundo obtrudere, quod Orientales episcopi non ad Romanum Pontificem appellauerint, sed ad generale Concilium. Hallucinantur. Etenim appellatas causas Papa potest ad se euocare, delegare eidem synodo, aut cuicumque alteri. Et è suo Latere legare Presbyteros, aut episcopos, qui isti iudicio præsideant. Appellata causa, quandoque vel ob propriam nodositatem, vel ob futuræ executionis obices est difficilior, quàm vt ab vnius, ipsius etiam Romanæ Prouinciæ, synodo expediatur. Hinc tales causas laudati Pontifices delegarunt Oecumenicis synodis. Non per necessitatem, sed quia suo sapientissimo consilio iudicabant ita conuenire. Etiam Secundùm Canones Sardicenses.

De hoc istorum Canonum intellectu Gallicana etiam Ecclesia olim adeò non dubitauit, vt magnus eius Antistes sanctus Auitus contra nescio quem petulantem iuuenem, ab ipso damnatum ad publicam pœnitentiam, & minitantem appellare Romam, scripserit ad illustrem virum Ansemundum: [Licèt diuersas in me flammas euomat, & ad Romanæ forsan Ecclesiæ audientiam vocet, nec minas adsentatione placabo, nec fatiga-

tio-

tiones itinerum verebor.] Palàm profitetur Romanas Appellationes tunc in Gallia fuisse familiares. Quid opus multis? Et Occidentalis, & Orientalis Ecclesia istum intellectum professa fuit in Florentino Concilio. Græcorum episcopi sub synodi finem cum suo imperatore consultantes, & inquirentes, tandem admiserunt priuilegia Papæ, præterquàm duo. Hoc erat secundum caput. [Vt si quis putet se ab aliquo Patriarcharum pati iniuriam, & veniat qui interposuit appellationem, ne Patriarchæ ipsi sese sistant iudicandos, sed Papa mittat in Prouinciam quamque Inquisitores, & ibi per eos præsentibus negotijs in partibus iniuriam passi ius suum obtineant.] Erat modica exceptio. A Sardicensis Canonis obseruantia non Prouinciales, aut Metropolitanos episcopos, immo nec Primates, aut Exarchos eximebat, sed solos Patriarchas. Et tamen Eugenius Pontifex constanter respondit: [Se velle omnia ecclesiæ suæ priuilegia, velleque ad se fieri appellationes, necnon regere, ac pascere vniuersam Christi ecclesiam, vti omnium Pastorem. Et omnes Patriarchas obedire eius voluntati.] Et Græci tandem acquieuerunt. Quocirca magnus Leo in retractatorio Chelidonij iudicio non excessit suæ potestatis limites, nec præuaricatus est Sardicenses Canones, sed Paschasius Quesnellus ipsi & veritati impingit calumniam.

CAPVT XVI.

Expurgatur secunda in S. Leonem calumnia.

SEcundus Paschasij Quesnelli in supra adductis verbis error est, quod sanctus Leo retractatorium Chelidonij iudicium non potuerit facere solus, sed quod priores Iudices ipsi assidere debuerint, ac simul iudicare. Et quod ita sanciant Canones Sardicenses. Ipse ex Petro de Marca, Petrus de Marca errorem bibit ex Hincmaro Rhemensi. Censent criminalia Prouincialium synodorum iudicia esse suprema, ideòque ab ipsis appellari non posse, sed de ipsorum iniustitia querentibus, & prouocantibus præstari posse solùm gratiosum beneficium reuisionis. Hoc est enim priuilegium supremorum Magistratuum: Nempè Augusti Principis, præfecti Prætorio, & similium. Eodem iure apud nos Belgas gaudent Sanctius suæ Maiestatis Concilium, Parlamentum Mechliniense, ac Senatus Brabantiæ. Hinc dum ipsorum reuidentur sententiæ, aduocantur quidem alij Iudices, verùm & ipsi debent cum pleno suffragio assidere. Hoc iure principaliter, & super omnes gaudet Romanus Pontifex. Hinc primo Arelatensi Concilio, ad quod à sancti Melchiadis Romana sententia Donatistæ prouocarant, sancti Siluestri Legatio præsedit. Etiam Ephesino Concilio, ad quod contra sancti Cælestini sententiam prouocarat Nestorius, sanctus Cyrillus, itemque Arcadius, ac Proiectus episcopi, necnon & Romanæ ecclesiæ presbyter Philippus, Legati eiusdem Pontificis, adfuerunt, ac præsederunt. Et hæc est palmaris, ac prima Ephesini Latrocinij præuaricatio, quod Dioscorus Alexandriæ Patriarcha sancti Leonis Legatos excluserit, ac ipse præsederit. Hæresiarcha Eutyches, non dumtaxat à sancti Flauiani sententia, sed etiam à sancti Leonis, ipsam confirmantis, iudicio prouocarat. Hinc Dioscorus etiam Pontificem asseruit è Iudice cecidisse, ac transijsse in Reum, aut certè Accusatorem, atque ita præsidendi Prærogatiuam ad se, secundùm ecclesiæ Patriarcham, deuenisse. Verùm longè aliter censuit Chalcedonensis synodus: Laudati Pontificis Legatos admisit ad plenam præsidentiam. Eodem non quidem præsidendi, sed tamen adsidendi priuilegio gaudere omnes Prouinciales synodos, prætendunt Dominus Petrus de Marca, ac Paschasius Quesnellus. Petrus de Marca est mitior: Obtinere id vult in solis iudicijs ciuilibus, aut criminalibus. Paschasius Quesnellus extendit etiam ad Dogmatica.

Ambo infeliciter errant. Eamdem prærogatiuam in Chalcedonensi synodo prætendit præfatus Patriarcha Dioscorus. Etenim licèt hic ageretur sancti Flauiani, & aliorum episcoporum, qui ab eius apud Ephesum Latrociniali sententia ad magnum Leonem prouocarant, retractatorium iudicium, ipse post Legatos Apostolicos, ac Anatolium Constantinopolitanum Antistitem sedit omnium primus. Se ingessit in locum debitum suæ ecclesiæ. Et existimabat se non carere omni fundamento. Etenim Patriarchæ sunt istud ipsum in ecclesia, quod Prætoriorum præfecti in Imperio: Hinc & ipsorum prærogatiuam Dioscorus prætendit suis synodalibus iudicijs. Sed longè alia erat sententia Legationis Apostolicæ. Etenim sanctus Paschasinus, Lilybeti apud Siculos episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus, statim in ipso synodi exordio intercessit aduersùs istum Dioscori consessum, & dixit ad gloriosissimos Iudices: [Beatissimi atque Apostolici viri, Papæ Vrbis Romæ, quæ est Caput omnium ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos obseruare necesse est. Si ergo præcipit Vestra Magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.] Et Lucentius Æsculanus episcopus, alter Sedis Apostolicæ Legatus adiunxit: [Non patimur tantam iniuriam nec vobis fieri nec nobis, vt iste sedeat, qui iudicandus aduenit.] Et gloriosissimis Iudicibus, singularis huius contra Dioscorum exceptionis causam interrogantibus, idem Lucentius reposuit: [Iudicij sui necesse est eum reddere rationem. Quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & synodum subripuit facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est.] Adducit tres criminales rationes. Quod sine authoritate Sedis Apostolicæ subripuisset præsidere generali synodo. Quod Iudicis personam non habens præsumpsisset iudicare. Et quod à prauo eius iudicio esset prouocatum ad Sedem Apostolicam, ideòque in retractatorio, quod ex sancti Leonis mandato iam inchoabatur, iudicio Iudex esse non posset,

set, sed aduenisset iudicandus. Quod iam ex iudice esset demutatus in Reum. Et hanc rationem, licèt non palmarem, Lucentius adduxit primo loco: Quod nempè contineret causam propriam, ex qua Dioscorus non posset synodo considere. Et sanctus Paschasinus perrexit: [Nos contra præcepta beatissimi, atque Apostolici Papæ venire non possumus, nec contra ecclesiasticas regulas, nec contra instituta Patrum.] Affirmat hanc Dioscori exclusionem postulari iuxtà sacros Canones. Quæ omnia audientes gloriosissimi Iudices exaudierunt has intercessiones, & iusserunt Dioscorum è cathedra descendere, & vt Reum stare in medio.

Eamdem rationem adduxit Eusebius Dorylcensis episcopus, qui à Dioscoro apud Ephesum degradatus appellarat ad Pontificem, & dixit ad gloriosissimos Iudices, ac omnem synodum: [Per salutem Dominorum vniuersi Mundi, iubete etiam preces meas legi, sicut placuit pijssimo Imperatori: Læsus sum à Dioscoro: Læsa est fides. Occisus est Flauianus sanctus episcopus, impleor lachrymis, simul mecum iniustè damnatus est ab eo. Iubete preces meas perlegi.] Affirmat se à Martiano Augusto supplicasse executionem Canonum, qui iniusti iudicij authorem episcopum mandant in retractatorio iudicio demutari in Reum: Affirmat istas suas preces admissas à Principe, & exequendas transmissas ad synodum, ideòque Dioscorum omninò fuisse à consessu excludendum. Hic precum contextus: [Quoniam igitur non modica sunt, quæ à Dioscoro vsurpata sunt aduersùs Christi fidem, & aduersùm nos, prouoluti precamur vestram Clementiam, vt præcipiatis Reuerendissimum episcopum Dioscorum respondere his, quæ à nobis ei ingeruntur.] Palàm expostulat Dioscorum transire in Reum. Vtique secundùm Canones.

Etiam sanctus Paschasinus dixit magnum Leonem hæc iussisse secundùm Patrum Instituta, & regulas Ecclesiasticas. Etenim eodem modo procedi in secundo Ephesino Concilio iusserat Imperator Theodosius. Eius ad Elpidium sacri Consistorij Comitem & Eulogium Tribunum ac Notarium, futuros synodi assessores, directa diualis sacra iussit [causam ordine prouenire, his qui pridem Eutychetis religiosissimi Archimandritæ iudices extiterant, præsentibus quidem ac tacentibus, nullum tamen iudicantium habentibus locum, sed communem aliorum omnium sanctorum Patrum sententiam expectantibus, quoniam ea quæ dudum ab ipsis iudicata sunt iam retractantur.] Et huius sacræ iussionis vigore ad sanctum Flauianum, qui Eusebium Dorylecnsem, primum Eutychetis accusatorem, volebat introduci functurum officio, dixit in Ephesino Latrocinio præfatus Comes Elpidius: [Sacratissimus Imperator, implens ipse primus ordinem Legum, quarum est & inuentor, & custos, præcipit eos, qui dudum iudices fuerunt, in loco eorum esse, qui iudicandi sunt, neque habere tempus docendi, quoad eius licentiam vos dederitis. Ad ea ergò, quæ nunc à religiosissimo Archiepiscopo Flauiano dicta sunt, & hoc doceo; quia accusator quidem suam accusationem impleuit, & vt arbitratus est, vicit, & iudex accusatoris causam iam in semetipsum transtulit, sicut & in publicis sententijs custoditur.] Affirmat Eusebium in prima cognitione fuisse suo officio plenè perfunctum, ideoque totum accusandi onus esse iam in retractatorio iudicio deuolutum in priorem iudicem sanctum Flauianum. Dicere debuerat istud onus etiam in iudicem transijsse. Sic eius interlocutio fuisset irreprehensibilis. Quare talis sententia nequaquam improbata fuit per synodum Chalcedonensem. Immo circa Dioscorum fuit confirmata.

Eadem norma processum fuit in primo Ephesino Concilio. Etenim sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & Memnon Ephesiorum Primas, per factiosam Ioannis Antiocheni Patriarchæ synodum degradati, ac suæ appellationi insistentes, isthic dicunt ad Patres: [Vos iure permoti, Ioannem per sanctissimos episcopos accersistis, vt quæ contra Leges ecclesiasticas, immò verò contra Ordinem ecclesiasticum deliquerat, defenderet, & rationem de his, quæ temerè contra Canones molitus fuerat, redderet.] Et rursùm: [Libellos obtulimus, postulantes vt Ioannes Reuerendissimus ecclesiæ Antiochenæ episcopus, & qui vnà cum ipso iniuriam in nos contexuerunt, ac depositionis abuti nomine præsumpserunt, ad sanctam hanc, ac Oecumenicam synodum accerserentur, quò coram causam pro se dicant, suæque dicacitati patrocinarentur, siue iniustas machinationes defenderent.] Imperator Theodosius, ab eiusdem Ioannis factione seductus, cassauit acta laudati Concilij. Comes Irenæus ad istius Factionis episcopos scribit rationem: [Quin & illud quoque modis omnibus perspicuum euasit, nec recto, & congruo ordine seruato Concilium conuocatum fuisse ab Ægyptio, nec ei iudicare licuisse, cum vnus esset ex eis, qui iudicandi erant.] Per Ægyptium intelligit sanctum Cyrillum. Heresiarcha Nestorius ab eius etiam iudicio prouocauerat ad synodum. Hinc præsidere, immò adsistere non potuisse, sed inter iudicandos reos statuere debuisse censuit circumuentus Princeps Theodosius, ideòque, & circumduxit omnia acta synodalia. Epistola extat inter acta Ephesini per Ioannem Antiochenum habiti Conciliabuli. Verùm Cyrillus Nestorij non personam, vt potè alterius Diœceseos, sed solam hæresim damnauerat: Ea de causa non poterat è Iudice cadere in reum.

Actor. 4.

Actor. 5.

Ex eadem regula processit Sardicensis Synodus. Etenim de sancto Athanasio, qui Eusebianos, sui damnatores, Tyriæ, ac Antiochenæ Synodi episcopos Romam appellarat, scribit ad Alexandrinam ecclesiam: [Frater noster Athanasius animum non despondit, sed magna cum fiducia eos ad iudicium prouocauit. Quod & nobis in voto fuit Ac proinde eos hortabamur, vt iudicio se sisterent, & si possent, accusationis causam certis documentis peragerent.] Vt se sisterent retractatorio apud Sardicam iudicio, & isthic non iudices agerent, sed accusatores. Eadem synodus scribit ad omnes sub cœlo episcopos: [Eusebiani fraudem suam per ea, quæ in hac sacratissima synodo gessere, longè

gè manifestiùs declararunt. Nam cum ad Sardicam ciuitatem accessissent, conspectis ibi Athanasio, Marcello, & Asclepa, alijsque nonnullis, veriti sunt in iudicium procedere. Et cum non semel, aut bis, sed iterùm, atque iterùm citati essent, citationibus non obtemperarunt: Tametsi omnes episcopi simul congregati essent, & omnes expectarent, & hortarentur eos, vt in iudicium prodirent, & ea quæ rumoribus, & literis de Comministris nostris absentibus iactauerant, præsentes iustis rationibus comprobarent. Verùm illi, quantumcunque citati, prodire noluerunt. Qua tergiuersatione suam Sycophantiam manifestissimam reddiderunt, & propemodùm ex ipsa recusatione accipiendi iudicij insidias suas, & conspirationes quasi clamoribus confessi sunt.] Palam affirmat ipsos fuisse citatos ad retractatorium iudicium, cui adessent, vt rei, aut accusatores. Quare Paschasius Quesnellus, dum suum errorem affirmat sanciri à Sardicensi synodo, infeliciter hallucinatur. Et hinc lucet, quod ista synodus Romano Episcopo adscripserit non solùm decernendæ in partibus remisionis ius, sed plenam authoritatem veræ appellationis.

Hosce Canones ita intellexit, atque executus est etiam primus Pontifex Innocentius. Etenim accepta sancti Ioannis Chrysostomi appellatione, & auditis vtriusque partis Legatis, sanctum Ioannem in sua communione retinuit, iussit reuestiendum, & de retractatorio iudicio scripsit ad damnatricis Synodi Principem Theophilum Alexandrinum: [Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad synodum proximè in Christo celebrandam, & illic iuxtà Nicæni Concilij Canones, & Decreta contende. Alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia.] Ipsum euocat ad Romanam synodum. Verùm hæc non successit, & ex causis fuit translata Thessalonicam. Hinc ad fratrem, & Collegam Arcadium scripsit Imperator Honorius: [Hoc ante omnia de tua mansuetudine postulo, vt Theophilum Alexandrinum etiam inuitum adesse præcipias.] Manifestum est Theophilum citari vt reum: Ad reddendas rationes sui Iudicij. Et Pontifex affirmat hæc omnia decerni iuxta Nicænos Canones. Palàm intelligit Sardicenses.

Huc etiam spectat, quod de Imperatore Arcadio ad laudatum Pontificem scribit idem Chrysostomus: Affirmat se de iniquo Theophili Patriarchæ Alexandrini, ac totius apud Quercum synodi iudicio fuisse conquestum apud istum Principem,] & adiungit: [Arcadius pro sua pietate missis ad Theophilum Nuntijs, eum, & omnes, qui cum ipso erant ex Ægypto, vocauit, vt rationes factorum redderent.] Vtique redderent in superiori synodali iudicio. [Neque sufficere putarent ad defensionem, quæ attentarant ex vna parte, absentibus nobis, tam iniustè, contra tot, ac tantos Canones.] Certè non alios, quàm Apostolicos, & Sardicenses.

Hæc omnia insigniter confirmat Euagrius Epiphaniensis. De sancti Cyrilli, ac Memnonis aduersùs iniquum Ioannis Antiocheni in se iudicium ad Ephesinam synodum appellatione hæc scribit: [Post libellos à Cyrillo, & Memnone oblatos accersitur Ioannes de abdicatione ab ipso facta responsurus.] Non ampliùs iudex futurus, sed reus. Idem Scriptor de sancti Flauiani in Eutychetem retractando per Ephesinum Latrocinium iudicio hæc habet: [Theodosius ista quæ sequuntur, Elpidio mandauit.] Elpidio Comiti, directuro istud Synodale iudicium. [Qui antehac Iudicium de Eutyche Religiosissimo Abbate tulerunt, intersint Concilio illi quidem, & quietè se gerant, & iudicandi authoritatem nullam habeant, sed communem omnium sanctissimorum Patrum sententiam exspectent: quandoquidem ea, quæ fuerunt ante ab illis indicata, iam excutiuntur.] Etiam de Chalcedonensi synodo, Ephesinum Dioscori de sancto Flauiano iudicium retractatura, scribit idem Euagrius: [Leonis Pontificis Vicarij Senatoribus dixerunt Dioscorum non debere cum illis in Concilio considere. Istud enim suum episcopum Leonem mandasse: quod quidem si minimè obseruarent, se ab ecclesia discessuros. Et cum Senatores rogarent, quænam crimina obijcerentur Dioscoro, responderunt illum, qui personam iudicis præter æquum, & bonum susceperat, debere pro iudicio, quod ipse de alijs dederat, iudicium subire. Quæ cum dixissent, Dioscorus de sententia Senatus in medio consessu statutus est.] Vti discutiendus reus. Etiam Liberatus Diaconus in Breuiario scribit de Ephesino Latrocinio: [Conuenerunt Flauianus, & Eutyches, tamquam iudicandi.] Iam pariformiter rei. Quæ omnia sunt manifestè facta iuxta Sardicenses Canones. Et sic vides ipsos laudari tam à Græco, quàm à Latino Scriptore, atque ita in vtraque ecclesia plenè, ac æqualiter viguisse Etiam tunc fuisse notissimos, ac probatos Africanæ ecclesiæ. Quinimmò est disciplina Sardicensi Concilio longè antiquior. Etenim magnus Athanasius, à Tyria synodo in contumaciam damnatus, de istius iudicij iniquitate suas querimonias facturus, Regiam ciuitatem, & magnum Imperatorem Constantinum accessit, & hic ad istius synodi episcopos varia scripsit de æqua iudiciorum forma, & adiungit; [Quam ob causam vt properè ad nostram Pietatem veniatis volo, vt & rerum à vobis actarum exactam rationem nobis exhibeatis, & de vobis ipsis satisfaciatis. Sacra exstat apud ecclesiasticam Cæsaræensis Eusebij historiam. Est Apostolicus Canon desumptus ex iudiciali disciplina Romanæ reipublicæ, firmatus per Sardicensem synodum, ac redactus in Scriptum. Hunc esse istius synodi sensum, & prior, & posterior tuos Christianitatis consuetudo euincit. Porrò Dioscorus, ac Sanctus Flauianus erant Patriarchæ: Proinde ab ista appellati iudicis in reum demutatrice lege nullus vnquam, nisi Romanus Pontifex, fuit per Canones exemptus.

Paschasius Quesnellus errori superaddit calumniam, scribens quod sanctus Leo in retractatorio Chelidonij iudicio non dederit Hilario synodalem consessum atque suffragium. Etenim contrarium manifestè patet ex his verbis Pontificiæ epistolæ ad episcopos Prouinciæ Viennensis: [Hilarius nobiscum residens.] Vtique in retractatorio iudicio. Nequaquam ex sacrorum Canonum debi-

Lib. c.4.

Cap. 10.

Cap. 11.

Cap. 8. bito, sed ex gratioso beneficio id Pontifex. Ob famam de Hilarij sanctimonia. Eamdem gratiam Hosius in Sardicensi synodo obtulit Eusebianis episcopis: Ad mitigandos ipsorum animos, ad pacificandam ecclesiam. Eumdem eadem de causa honorem Orientalibus episcopis, qui Maximum Cynicum damnauerant, obtulerunt Sanctus Papa Damasus, ac sanctus Ambrosius.

Paschasius Quesnellus calumniatur etiã sanctum Cyprianum, ac sanctum Augustinum. Etenim scribit, quod Aurelius, & quidam alij Afrorum episcopi suę infelicissimæ, ac præuaricatricis ad Cœlestinum Pontificem epistolæ fundamenta hauserint ex sancto Cypriano, adeòque quod sanctus Cyprianus Romanas appellationes fuerit etiam auersatus. Est manifesta calumnia. Etenim quod gloriosus iste Martyr Romanas Africanorum episcoporum appellationes agnouerit, ac fuerit reueritus, euincunt eius literæ ad sanctum Papam Cornelium. Suo loco demonstrabitur. Paschasius Quesnellus similiter scribit, quod inter Africanos præuaricatoriæ epistolæ Authores magna pars fuerit sanctus Augustinus. Calumniosè. Ei nec Augustinus suum nomen præfixit, aut subscripsit, nec Alipius, nec Possidius, nec quis alius Augustino familiaris episcopus. Quod Romanas Afrorum Antistitum appellationes ille semper defenderit constantissimè, demonstrant plures ipsius libri, atq; epistolæ. Quod ipsas etiã tunc defenderit, demonstrat eius ad sanctum Cęlestinum epistola, scripta de causa Antonij episcopi Fussalensis. Sunt res suo loco elucidãdę.

Epist. 55.

Epist. 261.

CAPVT XVII.

Purgatur tertia in sanctum Leonem calumnia.

PAschasius Quesnellus pergit in sanctum Leonem: [Tertium etiam vulnus canonibus infixisse Leo videtur, cùm Chelidonium communionis suæ participem fecit, & sacris Altaribus interesse passus est, antequam eius causæ examen de nouo institueretur. Quod proculdubio canonicæ dispositioni contrarium erat, qua cautum est propter Ecclesiæ, Sacerdotijque indiuisam vnitatem, vt qui à singulis episcopis sententiam damnationis exceperunt, ab omnibus per totam Ecclesiam constitutis Sacerdotibus damnati censeantur.] Adducit varios canones, qui ab vno Episcopo damnatum vetant admitti ab alio, & prosequitur: [Quàm consultiùs igitur imitatus esset sanctus Leo Ecclesiæ Romanæ Proceres, quos olim Marcion Hæresiarcha, à proprio parente episcopo Ecclesia pulsus, adiens, vt Ecclesiasticæ communioni restitueretur, numquam hoc ab eis obtinere potuit, teste sancto Epiphanio, sed hac ab illis responsione repulsus est:] Nos iniussu venerandi Patris tui facere illud non possumus. Vna siquidem fides, & animorum vna consensio. Neque contra spectatissimum collegam Patrem tuum, quidquam moliri possumus. [Ita cleri Romani Seniores, ab Apostolorum discipulis edocti, traditionem Apostolicam violare nefas ducebant.]

Hæres. 72.

Sanctissimo Pontifici impingit tres excessus. Primus est, quod appellantem Chelidonium, ante expletum retractatorium iudicium, immò ante omne causæ examen, admiserit vt Canonicum Antistitem, ipsique permiserit sacrum ministerium, & omnem episcopalem communionem. Huius erroris fons est, item Hincmarus Metropolita Rhemensis. Etenim ipse cum suæ Prouinciæ episcopis, è Duziacensi Synodo, aduersùs Hincmarum Laudunensem episcopum, qui Romam prouocarat, scripsit ad Adrianum secundum Pontificem: [Si fortè visum vobis necessariò fuerit, vt secundùm Sardicenses canones renouetis iudicium, & detis iudices, scribendo episcopis, qui in finitimis, & vicinis prouincijs sunt, vt & ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta veritatis fidem definiant. Vel si decreueritis mittere è latere vestro habentes authoritatem vestram, qui cum episcopis iudicent, eo in gradum adhuc non restituto, sicut Sardicenses canones pręcipiunt, non abnuimus.] Et infra: [Verumtamen, quanta possumus humilitatis deuotione deposcimus, vt etiam in hac causa nobis canonicam definitionem seruetis. Videlicet vt si, quod non credimus, ea, quæ regulariter definiuimus, prout sacras regulas intelleximus, vobis præsentialiter non placuerit vestra sententia roborare, non antea communioni Sacerdotali, à qua separatus est, restituatur, antequam secundùm regulas, & leges in prouincia, in qua causæ gestæ sunt, & iudicatæ, requiratur. Quia vsque ad nostra tempora, nulla Patrum definitione, hoc Ecclesijs Gallicanis, & Belgicis est derogatum.]

Est error ab Eusebiana factione inductus, damnatus per canones Sardicenses. Adeò hi canones ipsi non suffragantur. Etenim cuncta istius factionis, apud Sardicam lis fuit propter sanctum Athanasium, aliosq; ab ipsa degradatos episcopos, quos ante retractatorium examen, Iulius episcopali communioni reddiderat, & quos Hosius Cordubensis episcopus, istius Synodi Apostolicus præses, volebat vti Canonicos episcopos admitti ad consessum, postmodò retractatoriè discutiendos. Synodalis ad Iulium relatio habet: [Tria fuerunt, quæ tractanda erant. Ante omnia de fide, & de integritate veritatis, quam] Eusebiani [violauerant. Secunda de personis, quas dicebant esse deiectas. De iniquo iudicio: Vt si potuissent probare, iusta fieret confirmatio. Tertia verò quæstio] erat de varijs eorumdem Eusebianorum alijs facinoribus. Præfatos primæ actioni adsidere, & gaudere suffragio, vti integros episcopos, volebat Hosius, in secunda demum actione tractandos vt reos. Quia nempè illi Romam appellauerant, quia ipsorum appellationem Iulius admiserat, ideoque & reposuerat, vel potiùs suspenso Tyrio, ac Antiocheno iudicio, illos continuarat in episcopali communione. Hoc Eusebiani fuerunt adeò auersati, vt potiùs quàm cum istis suis damnatis considere Synodaliter, maluerint fugere Philippopolim, conflaturi primum schisma, primamque hæresim aduersùs priuilegia Apostolicæ Sedis.

Sardicensem Canonem eodem modo intellexerunt, ac executi sunt sanctus Ambrosius,

fius, & omnis cum ipso adsidens sancto Pontifici Damaso Romana Synodus, in literis ad Imperatorem Theodosium, agentibus de Romana appellatione Maximi Cynici, degradati per synodum Constantinopolitanam, Exponunt Principi fundamenta causæ, & concludunt: [Itaque cum Maximinum episcopum receperunt in communionem nostra consortia, quoniam eum à Catholicis constitit Sacerdotibus ordinatum, nec ab episcopatus Constantinopolitani, putauimus petitione remouendum.] Profitentur appellantem, Maximum à se admissum, & continuatum in episcopali communione, idque ante inchoatum retractatorium iudicium: Continuatum in episcopatus possessione, & admissum ad eiusdem petitionem, seu examen petitorium. Epistola exstat apud Iacobum Sirmondum, post appendicem Theodosiani Codicis.

Eodem modo cum sancto Ioanne Chrysostomo processit Innocentius Primus. Etenim acceptis Theophili Alexandrini Patriarchæ synodi relatione, & sancti Ioannis aduersus illam appellationem, rescripsit ad Theophilum: [Frater Theophile, nos, & te, & Fratrem nostrum Ioannem communionis nostrę esse decreuimus, sicut & prioribus in literis apertè satis expressimus. Et nunc in sententia nostra, & voluntate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quotiescumque scripseris, nisi debitum sequatur, conueniensque iudicium, propter ea, quæ magno cum dedecore sunt gesta, possibile non est nos à Ioannis communione recedere. Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio occurre ad synodum proximè in Christo celebrandam, & illic iuxta Nicæni Concilij Canones, & Decreta contende. Alios quippe Canones Romana non nouit Ecclesia.] Priores eius literæ latent, aut perierunt. Has nobis custodiuit Palladius Helenopolitanus episcopus in Dialogo cum Theodoro, Romanæ Ecclesiæ Diacono, de actis sancti Ioannis. Addit Theophili, ac eius apud hortos Ruffinianos synodi iudicium fuisse à Pontifice irritatum, atque cassatum. Rectiùs dixisset fuisse suspensum. Cassatio enim fieri non poterat, nisi in retractatorio iudicio.

Innocentius igitur appellantem Ioannem, mox ante omnem audientiam continuauit in episcopali communione, & Theophilum euocauit cum ipso Romam ad causæ retractationem. Palladius laudat Theotecnum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyterum, exuli Ioanni fidelissimum, & prosequitur: [Cui & ipsi communionis literas, & ad episcopum Ioannem, & ad omnes ei communicantes episcopos Innocentius tradens, orabat cum lachrymis, vt patienter tolerarent, cum opem ipse ferre non posset, eò quod nonnulli obsisterent potentes Aduersarij, ecclesiasticæ pacis inimici.] Versatilis quippe Theophilus, per istam ipsam Imperatricis Eudoxiæ violentiam, qua apud hortos Ruffinianos omnia egerat, iam impediebat suam etiam Romanam euocationem, & retractatorium isthic iudicium. Hinc tandem per Honorij Augusti authoritatem Innocentius, coegit huius collegam, & fratrem Augustum Arcadium, vt intra Occidentale Imperium permitteret indici Synodum Thessalonicensem: Et compelleret eò accedere, aut inuitum adduci ipsum etiam Theophilum. Et suis ad istam Synodum Legatis Vicarijs, inter alia mandata dedit hoc commonitorium: [Non oportere Ioannem iudicium ingredi, nisi illi priùs Ecclesia, communioque redderetur, vt omni dilationis occasione sublata, sua sponte Concilium posset ingredi.] Iussit spoliatum reuestiri ante omnia, atque armari, vt non nudus, ac inermis, sed vestitus, atque armatus cum vestito, ac armato Theophilo posset pro iustitia decertare, & suam causam defendere. Et hæc omnia iuxta Nicænos Canones. Id est, Sardicenses. Ita Innocentius disertè testatur in literis ad Clerum, ac Populum Constantinopolitanum. Theophilus Ioannem, ex Antiochenis Canonibus damnarat: Hinc ipsum per Sardicenses, istorum circumductores, Innocentius voluit reparari. Ita amplè demonstrat Palladius. Et hoc Innocentij iudicium probauit, atque firmauit omnis tandem, etiam Orientalis Ecclesia. Etenim & Theophili successor Cyrillus, & ipsius Ioannis intrusus, successor Atticus eius nomen retulerunt in episcopalia Dypticha, & omnis tandem Oriens in sanctorum tabulas.

Eodem modo magnus Leo tractauit Theodoretum, Eusebium Dorylensem, aliosque per latrocinium Ephesinum degradatos, ac ad se appellantes episcopos. Et eius factum probauit, atque admisit plena Chalcedonensis synodus. Theodoretum, vti reuestitum, admisit ad episcopalem consessum, ac suffragium, at non nisi post plenè retractatam causam reparauit. Quid igitur miri, quod idem Pontifex, eodem iure tractauit Gallicanum Antistitem Chelidonium? Plurima sunt huiusmodi authentica exempla. Hæc abundè sufficiunt, vt reuincant Paschasij Quesnelli calumniosam scriptiunculam de tanto Pontifice. Hanc in rem quidam adducunt Ephesinam etiam synodum, quæ Hæresiarcham Nestorium, licèt à Cœlestini Pontificis iudicio prouocasset, appellauit religiosissimum episcopum, & aduocauit ad synodalem consessum. Existimant Sardicenses canones obtinere, etiam in prouocantibus à summi Pontificis sententia ad generale Concilium. Et certè Hæresiarcham Eutychetem, qui à magni Leonis iudicio prouocarat, ita tractauit Dioscorus in secundo Ephesino Concilio. At grauissimè errant. Etenim Romani Pontificis iudicia sunt omninò suprema, atque ita in illis nullus est appellationis locus, sed soli gratiosæ reuisioni. Et prouocans reuestiri non potest, nisi post victoriam in retractatorio iudicio. Quare ista Nestorij intitulatio fuit, ex causis dispensatoria. Eutychetis admissio fuit, vna ex Dioscori præuaricationibus.

Obstare his videtur authoritas sancti Nicolai Primi Pontificis, rescribentis ad synodum Suessionensem: [Porrò si quispiam sedem Apostolicam, per Sergium sanctæ memoriæ Papam, Ebbonem quondam Archiepiscopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, nouerit quoniã talem Sedes Apostolica debuit Ebbonem, donec synodali examine causa eius discuteretur, habere, qua-

qualem ab alijs habitum non ignorabat.] Confirmat ex quinto Nicæno Canone, atque prosequitur: [Donec igitur authoritate sua de huiusmodi pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio examinatio, vel dijudicatio proueniret, Apostolica Sedes nihil agere debuit, nisi quod egit. Videlicet, vt ab alijs abiectum, ipsum nequaquam indiscussè susciperet. Præcipuè cum prædictus Ebbo non quasi pro depositione sua queritans, & legitima restitui volens examine præcedente, Sedem Apostolicam appellauerit, sed à contumacibus suasus, & his iunctus, repentè, & reconciliari ab ea, & Pallio donari quærens, & quasi episcopus, inter episcopos, nulla causæ suæ discussione præueniente, communicari poscens, ad eamdem summam sedem accesserit, à qua, iam reprobatus ab alijs, meritò debuit reprobari, donec supplex ab ea sese Canonicè posceret adiuuari. Nam constat, vt sanctus scribit Papa Gelasius, vniuscuiusque Synodi constitutum, nullam magis exequi Sedem pre ceteris oportere, quàm primam.]

Respondeo Nicolaum Pontificem exponi à semetipso. Etenim Ebbo non Romanam Sedem appellans, & ab ipsa iuxta Canones adiuuari, ac sibi illatas tolli iniurias supplicans, sed turbidus, ac aduersùs sui damnatricem Synodum proteruus accessit, volens ipsam sperni, vt contumeliosam, & sese sine omni examine admitti, vt Canonicum episcopum, & Pallio donari. Hoc meritò admittere detrectauit Sergius II. Idq; ob quintum Nicænum Canonem. Meritò addidit sanctus Nicolaus, quod Romana Sedes quemque episcopum, aut fidelem debeat agnoscere talem, qualis est factus ab alijs: Vtique à suo episcopo, aut Synodo. Quod alium agnoscere, aut facere non possit, nisi præcedente examine. Quod omninò verùm est, etiam de appellantibus. Non totiùs causæ retractatorium, ac definitiuum, sed aliquod summarium debet præcedere iudicium, quo Pontifex censeat appellationem admittendam, & procedendum ad plenam retractationem. Hinc supra in literis ad Imperatorem Theodosium dixit nobis de appellante Maximo Cynico sanctus Ambrosius: [Maximum episcopum receperunt in communionem nostra consortia, nec ab episcopatus Constantinopolitani putauimus petitione remouendum.] Et de Nicolai Pontificis, recto sensu nequaquam est ambigendum. Etenim ipse iam dicto, iuxta Sardicenses Canones, modo tractauit Appellantem Rothaldum episcopum Suessionensem.

Secunda Paschasij Quesnelli, in sanctum Leonem calumnia est, quod in isto circa appellantem Chelidonium, actu sit præuaricatus quintum Nicænum Canonem. Quod alienum damnatum irregulariter admiserit. Est ipsissima Eusebianæ factionis, ac Philippolitani conuenticuli, in sanctum Iulium Pontificem contumelia, de qua ipsum conuenticulum in suis Synodalibus literis: [Iulium vrbis Romæ, Hosium] Cordubensem, [& Protogenem] Sardicensem, [& Gaudentium] Naxitanum, [& Maximinum à Treuiris damnauit omne Concilium secundùm antiquissimam legem, vt authores communionis Marcelli, & Athanasij, cæterorumque scelératorum] laudat Apostolicam Ecclesiæ legem, quæ vnius episcopi, aut Synodi damnatum vetat admitti ab alijs. Agit non de plenæ, ac firmæ per retractatorium iudicium communionis restitutione, sed de sola momentanea ante istud communione, de sola reuestitione spoliati, ipsum armante, ac præparante ad retractatorium prælium. Hanc quippè solam sancto Athanasio, ac alijs appellantibus episcopis Iulius impenderat. Hoc ipsum opus in Magno Leone, damnat Paschasius Quesnellus. Proindè viderit, quomodò se secernat à Philippopolitano conuenticulo.

Tertia eius in Magnum Leonem calumnia est, quod Chelidonium sine Hilarij venia admiserit in gradum. Quod imitari debuisset Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, qui Marcioni, per suum Patrem, ac episcopum Sinopensem damnato, noluerunt, vel laicam communionem reddere sine istius venia. Quidam censent hanc Reu. Patris Paschasij Quesnelli doctrinam non esse penitùs deuiam, vtpote quam in secundo libro de concordantia Catholica tradit, etiam Nicolaus Cardinalis Cusanus: [Si dicis Papam subditos episcoporum absoluere, & ligare, dico idem in alijs, quando consensus propriorum interuenit. Actus enim aliter nullus per consensum, aut ratificationem proprij Sacerdotis, in hac materia validus efficitur. Cum ergò vsu communi hoc sit introductum, & ex vsu consensus elicitur, patet quod efficacia huius vigorem ex consensu recipit. Cum enim nullus teneatur obedire, nisi in concessis à Canone, & cum non reperiatur, Canon alicuius Concilij, Papam hoc posse appellatione nulla interposita, oportet ad consuetudinem, vsum, & consensum illud resoluere. Papa enim non habet à Canone, quod lædere possit iurisdictionem episcoporum. Quia esset ordinem turbare.] Eiusdem mentis olim fuit Henricus Leodicensis episcopus, ob nescio quem suum Parochianum Romæ absolutum Gregorio Septimo scribens [mordaci inuectiua, tamquam Apostolicæ Sedi, non esset authoritas, quoscumque, & vbicumque vult ligare, & absoluere.] Respondeo, hæc non spectare ad nostram quæstionem, ideoque ab illis nullas Paschasio Quesnello præberi suppetias. Præfati enim Doctores agunt de solutione citra appellationem facienda per gratiam; quod appellatas causas Papa possit retractare, ac definire, & nata ab illis vincula in quouis homine per iustitiam soluere, palàm profitentur. Et tamen ad Henricum istum rescripsit laudatus Gregorius: [Intelligas te, aut præsumptionis spiritu, aut ignorantia contra authoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ verba iactasse, quasi imitando Orientales, qui contra beatum Papam Iulium obloqui præsumpserunt, eò quod ipse sanctissimum Athanasium Patriarcham, sine consensu eorum absoluerat.] Affirmat ipsum ruere in Philippopolitanam, & Schismaticam Eusebianæ factionis audaciam. Et rectè affirmat. Quod enim Apostolica Sedes quorumuis episcoporum, ac Synodorum iudicia, etiam iusta, possit per rationabilem gratiam soluere, mox

audiemus à sancto Pictauiensium Antistite Hilario. Et ostendi possit pluribus exemplis, ac testimonijs. Proinde istud tanti Pontificis de isto Henrico, non ignobilis sedis Episcopo, iudicium longè potiori iure cadit in Reu. Patrem Paschasium. Audiamus, & faciamus sequentia Gregorij verba: [Tibi deinceps caueas, ne huiusmodi contra nos temeritate rescribas, sed potiùs ad documenta sanctorum Patrum, quæ te loqui, & scribere doceant, humiliter recurras.] Marcionis negotium statim discutietur.

Quarta Paschasij Quesnelli in magnum Leonem calumnia est hæc: [Quartò denique in Canones Leo peccasse videtur, cum per Imperatoriam Sanctionem Gallicanæ Ecclesiæ consuetudini derogare primus tentauit, illudque à Valentiniano tertio Edictum elicuit.] Quintò Canonibus aduersari censet hæc præsertim edicti verba: [Ne quid tàm Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ authoritate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis authoritas.] Verùm quibus Canonibus, cui Gallicanæ Ecclesiæ consuetudini aduersatur istud edictum? Aliud sanè huc vsque credidit Gallicana Ecclesia. Sanctus Leo fecit aduersùs Hilarium, quod contra Pelagianos fecisse sanctum Bonifacium Pontificem scribit in libro contra Collatorem beatus Prosper: [Non solùm Apostolicis, sed etiam Regijs vtebatur edictis.]

Horrenda est hæc Paschasij Quesnelli conclusio: [Quis non videat Leonem nostrum talia molientem Gallicanarum, immò omnium Ecclesiarum statum aliter, quàm more solito ordinasse, vt querebatur Hilarius? Dum, inquam, communionem suam Episcopo Canonicè deposito irretractata caussa vltrò impertit, dum iudicij synodalis sententiam in Episcopum legitimè accusatum, & conuictum pronunciatam infringit; dum caussam extra Prouinciam iterato examini subijcit; dum denique sæculares Potestates aduersùs Hilarium, totamque Ecclesiam Gallicanam commouit. E' contra verò planum est sanctum Hilarium, cum Pontificis concilio contradixit; cum non exspectata eius sententia, gregem suum bonus Pastor quantociùs reuisurus, abscessit;] cum communioni [Chelidonij,] quem cum tantis viris damnauerat, coniungi nullatenùs acquieuit, [vt scribit vitæ eius author,] etiam cum vitæ discrimine; [non nouis præsumptionibus ecclesiarum statum, & concordiam sacerdotum turbasse, sed religiosè seruasse, nec eum deseruisse tramitem semper inter maiores, & bene tentum, & salubriter custoditum, quod obijcit sanctus Leo, sed eum potiùs ab alijs desertum vigore Apostolico vindicauit.]

CAPVT XVIII.

Discutitur conclusio R. P. Paschasij Quesnelli.

REuerendus P. Paschasius Quesnellus sua in magnum Leonem elogia conatur concludere glorioso, ac iam audito Epiphonemate. Adducit varios Canones, qui ab vno episcopo ligatum vetant ab illo solui, & istiusmodi solutionem sanciunt esse eiusdem scabiei attractiuum attentatum, atque concludit: [Quantò consultiùs igitur imitatus esset sanctus Leo Ecclesiæ Romanæ Proceres, quos olim Marcion Hæresiarcha, à proprio Patre Episcopo Ecclesia pulsus, adiens vt Ecclesiasticæ communioni restitueretur, nunquam hoc ab eis obtinere potuit, teste Epiphanio, Hæresi quadragesima secunda, quæ est Marcionistarum, sed hac ab illis responsione repulsus est.] Nos, [inquiunt,] iniussu venerandi Patris tui facere illud non possumus. Vna siquidem fides, & animorum vna consensio. Neque contra spectatissimum collegam, patrem tuum quidquam moliri possumus. [Ita Clerici Romani, Seniores, ab Apostolorum discipulis edocti, vt ait Epiphanius, traditionem Apostolicam violare nefas ducebant.] Rursus respondeo hæc esse ipsissima Philippo-Politana Eusebianæ Factionis dogmata. Etenim scelerata factio non ob alium criminis fucum præsumpsit in sanctum Iulium Pontificem, ac sanctum Maximinum Treuirensem Episcopum, splendidissimam, ac firmissimam totius, Gallicanæ præsertim, Ecclesiæ columnam, latrare degradationis conuitium, quàm quod ille, quintum Nicænum Canonem præuaricatus, damnatum à Tyria, ac Antiochena Synodo Athanasium admisisset in suam communionem, hic verò istius præuaricationis fuisset consultor, atque incentor. Immò sunt ampla istorum dogmatum augmenta. Etenim Romano Pontifici non dumtaxat in synodalia aliorum Patriarcharum iudicia authoritatem abnegant, sed etiam in Prouinciales Synodos suarum Diœcesium.

Romani Cleri in Marcionem opus est discutiendum. Audiendus est ex integro sanctus Epiphanius: [Marcion fuit genere Ponticus, ex ea parte quæ Heleno-Pontus dicitur, oppido Sinope. Qui initio vitæ castitatem præ se ferens, Monachorum Instituta professus est: Parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Postea cum Virginem quamdam adamasset, ac fraudibus pellexisset, à cælestis vitæ spe illam iuxta, ac semetipsum deiecit. Ob hunc igitur incæstum ab ipso Parente est pulsus Ecclesia: Viro comprimis Religioso, ac veritatis amore flagrantissimo, & in hac Episcopalis muneris administratione præstanti. Cui cum Marcion diù multùmque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à Patre precibus nullis obtinuit. Vehementem siquidem ex ea te dolorem optimus senex, & Episcopus cœperat, quod non ille solùm excidisset, sed & ignominiam sibi, ac dedecus imposuisset. Ergo vbi se nullis artibus eblandiri posse, quod cuperet, animaduertit, Popularium suorum probra, ac ludibria non sustinens, clam ab oppido secessit, ac Romam post Hygini Papæ obitum sese contulit. Eò statim, ac Marcion peruenit, ac Seniores adiens, qui ab Apostolorum Discipulis edocti adhuc supererant, vt in communionem admitteretur ab ijs frustra petijt. Quamobrem exstimulatus inuidia, quod non Principem illic locum, ac ne Eccle-

siæ

fiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere induxit in animum.] Et infra: [Marcion palam seniores alloquens inquit, Cur me recipere noluistis? Responderunt illi: Nobis iniussu venerandi Patris tui facere istud non licet. Vna siquidem fides est, & animorum vna consensio. Neque contra spectantissimum collegam Patrem tuum moliri quidpiam possumus. At ille vehementiùs excandescens, ac superbia, & inuidia percitus Schisma conflauit, ac priuatam hæresim est architectatus. Et ait: Ecclesiam vestram ego dissociabo, ac in eam Schisma sempiternum immittam.]

Verùm longè alia in Præscriptionum libro scribit Tertullianus: [Constat Marcionem, ac Valentinum neq; adeò olim fuisse, Antonini ferè Principatu, & in Catholicæ fidei primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub Episcopatu Eleutherij Benedicti. Donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quâ fratres quoque vitiabant, semel, & iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis Sestertijs, quæ Ecclesiæ intulerat, nouissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminauerunt. Postmodùm idem Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni sibi datæ occurrit, ita Pacem recepturus, si cæteros, quos perditioni erudijsset, Ecclesiæ restitueret, morte præuentus est.] Notanda est vox, [Constat.] Potenter suadet hanc Tertulliani de Marcione relationem esse authenticam, & veram. Et certè Tertullianus fuit vicinissimus istis temporibus.

Cap. 30.

Affirmat primò, quod Marcion apud Romanam Ecclesiam crediderit, adeòque, & baptizatus fuerit. Secundò, quod ingenio inquietus sit lapsus in hæresim. Vtique Cerdonis. Tertiò, quod istius erroris tandem Doctor euaserit, ac multos vitiarit. Vtique post secundum lapsum. Quartò, quod semel, & iterum fuerit eiectus è communione Ecclesiæ, ac bis per pœnitentiam receptus in Sacramentalis Pacis, seu Reconciliationis gratiam. Quintò, quod ob tertium lapsum sit relegatus in perpetuum discidium. Sextò, quod etiam tunc pœnitentiam egerit, ac fuerit recipiendus in præfatam gratiam. Ea tamen conditione, [si cæteros, quos perditioni erudierat, restitueret Ecclesiæ.] Septimò, quod conditionem acceptauerit, sed ab ipsa explenda fuerit præuentus per mortem. Est igitur defunctus in pœnitentia.

Notanda sunt hæc verba: [Marcion quidem cum ducentis Sestertijs, quæ Ecclesiæ intulerat, nouissimè in perpetuum discidium relegatus.] Docent nos plura benè notanda. Primò, quod Marcion Romæ non solùm Baptisma acceperit, sed insuper fuerit euectus in Clerum. Etenim Romanæ Ecclesiæ Populus nunquam, iuxta primitiuum Hierosolymitanæ, ac Alexandrinæ Christianitatis morem, in communi vixit, adeòque nec baptizati illic vnquam omnia sua intulerunt Ecclesiæ. Istiusmodi illatio non fiebat, nisi ab euectis in Clerum. Ab illis omninò fiebat, Non dumtaxat Romæ, sed in plurimis Ecclesijs. Omnis enim sub cælo Clerus, licèt non eamdem domum, & mensam, olim tamen aliquid communis vitæ habuit, ideòque omnia sua ponebat ad pedes sui Episcopi, singulis iuxta Ministerij merita distributuri diuisiones, mensuras, & sportulas. Quæ inferendi forma postmodò transiuit in Monasteria. Secundum est, quod Romana Ecclesia Marcioni, nec in prima, nec in secunda, sed dumtaxat in tertia eiectione reddiderit sua Sestertia. Quia nempe prima, & secunda erant sola excommunicatio, ac verò tertia eiectio fuit degradatio: Perpetuum discidium à Clero. Degradatus omni istarum distributionum iure excidebat, ideòque ipsi reddebatur illatum patrimonium. Tertium est, quod Marcion etiam post perpetui discidij inflictionem egerit pœnitentiam, & Pacis addictionem acceperit. Nempè Pacis, seu communionis Laicæ. Quartum est, quod primitiua Ecclesiæ disciplina, quæ solemnem pœnitentiam, ac reconciliationem iterari vetuit, iterari omniuò permiserit priuatam. Etiam de grauibus criminibus. Verùm hæc omnia non faciunt ad præsens Propositum.

Sanctus Epiphanius Apocryphis quandoque credidit. Lucet ex illis, quæ scribit de Meletiano schismate. Quod etiam circa Marcionem fuerit nimiùm credulus, fortiter suadet ab ipso appositus Marcioni Monachatus. Quod enim sanctus Antonius sit primus Monasteriorum author, disertè tradit in eius vita sanctus Athanasius. Anteà Ægyptus paucos hinc inde prope proprium pagum, aut domum Solitarios habuit, nullum Cœnobitam. Quod verò idem Athanasius cœperit primus Monachos in Clerum assumere, atque ita contemplatiuam vitam cum actiua iungere, affirmat in eius Elogio sanctus Gregorius Nazianzenus. Et de Pontica Diœcesi scribit Hermias Sozomenus: [Apud Armenios, Paphlagones, & Ponti accolas Eustatius Sebastæ in Armenia Episcopus Monasticæ conuersationis Author fuisse dicitur.] Item quod ante sanctum Athanasium, ac eius successorem Petrum, qui appellationis prosequendæ causa accesserunt almam Vrbem, nullus illic Monachus apparuerit, testatur in literis ad sacram Virginem Principiam sanctus Hieronymus. Sunt tamen argumenta non irrefragabilia. Etenim sanctum Iacobum Nisibenum Episcopum, vnum è Nicænæ Synodi Patribus, ideòque Athanasio longè seniorem, Theodoretus in Monastica historia testatur antea fuisse Monachum. Et vti quidam in Ægypto ante Antonium, ita ante Eustatiū pauci hinc inde in Ponto possint fuisse Solitarij. Et ex istis Marcion possit à Patre Episcopo fuisse euectus in Presbyterum.

Orat. 21.
L. 3. C. 18.
Epist. 16.
Cap. 1.

Interim qualiscumque sancti Epiphanij relatio nequaquam euertit sancti Petri Priuilegium. Absit. Immò potentissimè confirmat. Affirmat enim Marcionem à Patris Episcopi sententia appellasse Romam, & accessisse. Idque post mortem Hygini Pontificis: Vacante tunc sede. Dudùm ante Pontificatum Zephyrini. Eius peccatum erat mœchia; & quidem cumulata cum sacrilegio. At verò vsque ad Zephyrini Papatum omnis sub cælo Ecclesia tria crimina reseruabat Christo Domino: Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam. Istorum patratores compellebat ad perpetuam totius vitę pœnitentiam: Et nec exeuntibus largiebatur Sacramentalis re-

reconciliationis viaticum. Eos, suis commendatos suffragijs, transmittebat ad summum nostrum in Dei Patris dextera Pontificem, ab ipso iudicandos, soluendos, aut alligandos. Sanctus Zephyrinus est primus Author nouę tunc clementię, de qua scribit lapsus ad Montanum Tertullianus in libro de Pudicitia: [Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum edicit, Ego, & mœchię, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.] Hinc igitur de Marcionis patre, Sinopensi apud Ponticos Episcopo, scribit sanctus Epiphanius: [Cui cum Marcion multùm, ac diu supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à Patre precibus nullis obtinuit.] Eadem de causa Romanus Clerus ne Ecclesię quidem aditum Marcioni aperuit, sed Patris de ipso sententiam plenè confirmauit. Quod nempe mœchia, pręsertim sacrilega, tunc esset crimen reseruatum Christo Domino. Non ex authoritatis defectu, sed ex rigore disciplinę.

Cap. 1.

Notanda sunt Sancti Epiphanij de Marcione verba: [Quamobrem exstimulatus inuidia, quod non Principem illic locum, ac ne Ecclesię quidem aditum impetrasset, &c.] Edicunt Marcionem non simplicem monachum, sed omninò fuisse Sinopensis Ecclesiæ Presbyterum, ac à Romana Ecclesia expostulasse non solius Laicę communionis, sed etiam Presbyteralis honoris restitutionem. Istum honorem sanctus Epiphanius omninò intelligit per [Principem locum.] Maior enim Clerus, nempe cum Episcopo Presbyteri, in sacro Tribunali simul sedebant, vti Principes, ac Senatores Ecclesiæ. Proinde Epiphanius palàm affirmat Marcionem, & communione, & gradu fuisse à Patre Episcopo exutum, & pro vtroque appellasse, & accessisse Romanam Ecclesiam. Erat superbiæ, ac præsumptionis plenissima, & Apostolicis Canonibus aduersissima audacia. Etenim Apostolus de Episcopis, ac presbyteris disertè sanxit: [Oportet episcopum sine crimine esse.] Præsertim sine flagitio. Et quidem patrato post acceptum Ordinem. Hinc igitur Romanus Clerus paternam sententiam meritò confirmauit in Marcionem, & ipsum exclusit non solùm à gradu, sed insuper ab Ecclesiæ aditu.

Hæc sunt Sensa sancti Epiphanij. Et ex ipsis discimus, quod istis etiam primitiuis Ecclesiæ temporibus Orientalis Ecclesia à suorum Episcoporum Iudicijs appellaret, atque accederet Romanam Cathedram. Nec soli Episcopi, sed etiam clerici. Et quidem Marcion à Sinopensis Episcopi sententia non ad Amaseni Metropolitæ, immò nec ad Cæsaræinsis sui Exarchi Tribunal, aut Synodum, sed immediatè prouocauit ad Apostolicam Romanæ Ecclesiæ Cathedram. Et accessit. Quàm eximium, ac momentosum pro Romanarum Appellationum antiquitate, & amplitudine sit hoc exemplum, ipsa res altissimè clamat. Orientalibus non dumtaxat episcopis, sed & clericis permittit præteriri Metropolitam, ac Exarchum, adeòq; & Patriarcham, & Romanum Pontificem immediatè non dumtaxat inuocari, sed & accedi. Et istam consuetudinem stabiliuit Sardicensis Synodus. Vacans Romana Ecclesia tunc regebatur à Presbyteris, qui Apostolorum Discipulos viderant, atque audiuerant, ecclesiasticam disciplinam ab ipsis edocti. Ex quo lucet, quod Romana Appellatio omninò ab Apostolis, immò & ab ipso Christo Domino ducat originem. En per qualia exempla R. Pater Paschasius Quesnellus conetur, ac speret ipsam euertere.

Difficultatem faciunt hæc Romani Cleri ad Marcionem verba: [Nobis iniussu venerandi Patris tui facere istud non licet. Neque contra spectatissimum collegam patrem tuum moliri quidquam possumus.] Videntur profiteri, quod non propter disciplinæ rigorem: sed propter authoritatis inopiam ita egerint. Nam disciplinæ rigor postulatam à Marcione gratiam, nec ad Patris iussum permisisset. Videntur profiteri istud ipsum, quod postmodo Antiochena Eusebianæ factionis Synodus scripsit ad Sanctum Iulium Pontificem: [Inconcussam authoritatem habet quælibet Synodus, & contumeliosè agitur cum Iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur.] Eadem Romani Cleri verba vrget Ioannes Launoius, & ex ipsis confidit se de sancto Apostolo Petro gloriosum triumphare. Respondeo istam Eusebianam, ac schismaticam regulam abundè reuinci à Rescripto laudati Pontificis. Aliud est quamcumque sententiam retractari à superiori Iudice, aliud est iustam sententiam ab ipso circumduci, & exsufflari: Solùm posterius est inferioris Iudicis contumelia. Ex Apostolico enim Canone Nicæna Synodus sanxit à superiori Iudice non esse soluendum vinculum, nisi quod processerit ex inferioris Iudicis pusillanimitate, contentione, aut alio vitio. At verò data à Patre Episcopo in filium Marcionem sententia erat vndequaque iustissima: Hinc Romanus Clerus rectè reposuit ipsam à se sine illius iussu non posse solui: Iustè enim ligatum reum remitti oportet ad iussum, ad beneplacitum ligantis.

Et hęc quidem solutio possit videri sufficiens. Attamen res est penitùs introspicienda. Notanda sunt hæc sancti Epiphanij verba: [Marcion exstimulatus inuidia, quod non Principem illic locum impetrasset]. Palàm edicunt, quod Marcion Presbyteralis honoris restitutionem non simpliciter, sed illic Romæ obtinere postulauerit: Quod postularit Presbyter incardinari in Romanam Ecclesiam. [Etenim suorum Popularium probra, & ludibria non ferens,] ex Sinopensi ciuitate clam discesserat, ideòque numquam volebat eò redire. Voluit Romæ traducere vitam. De alma enim Vrbe Cornelius Tacitus in Annalibus rectè scripsit: [Quò cuncta vndique atrocia; atque pudenda confluunt, celebranturque.] Hinc igitur etiam Marcion illuc non dumtaxàt confluere, & manere, sed etiam celebrari voluit: Esse de clero, & quidem Princeps, ac Presbyter. Et huc respexit, dum in hæresim prolapsus, palàm, idest, impudentèr, ac sine fronte, dixit ad clerum: [Cur me recipere noluistis)? & clerus reposuit: [Nobis iniussu venerandi Patris tui facere istud non licet. Contra spectatissimum Collegam Patrem tuum moliri nihil possumus.] Sensus est: Nec iustissimam tui Patris de te sententiam circumducere, nec te, licèt integer esses, in nostrum cardinem sine eius iussu

Lib. 15. Cap. 44.

iussu possumus admittere. Quia nempè Apostolicus canon alienum clericum sine proprij Episcopi iussu, ac literis vetat ab alio Episcopo incardinari in suam Ecclesiam. Istum canonem tunc omninò seruabat etiam Romana Ecclesia. Et hinc in hæreticum, ac barbarum furorem versus Ponticus Marcion respondit: [Ecclesiam vestram ego dissociabo, ac in eam sempiternum schisma immittam]. Sensus est lucidus: Quia me non vultis habere Presbyterum, equidem Romæ permanebo, futurus vobis perpetuus hostis, & vestræ Ecclesiæ crudelis lacerator. Vti Martinus Lutherus Papatum, ac Apostolicam sedem penitus suffocare, ita Marcion minatus est ipsam lacerare sempiterno schismate. Et certè permansit Romæ. Hinc enim de sancto Polycarpo scribit in Ecclesiasticorum scriptorum catalogo sanctus Hieronymus: [Polycarpus, Ecclesiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentium, Marcionis persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cumque ei fortuitò obuiam fuisset Marcion, & diceret, Cognoscis nos, respondit: Cognosco Primogenitum Diaboli]. Hygino successit Pius, Pio Anicetus: Et Pius sedit per nouem annos: Quare vides, quod Marcion Romæ firmus permanserit, & pertinaciter perrexerit lacerare Ecclesiam. Hæc sunt sensa sancti Epiphanij: Et quod Romanis appellationibus non detrahant, sed ipsis dent lucidissimum testimonium, ac patrocinium, est penitus manifestum.

Notanda sunt item verba, quibus Romanus clericus Marcionis patrem appellat [Spectatissimum Collegam]. Ostendunt fuisse eximium Episcopum, ac notissimum Romanæ Ecclesiæ. Nec ambigendum est, quin, & ipse de filij criminibus, de suo in ipsum Iudicio, ac friuola eius Appellatione, & fuga relationes Romam transmiserit. Proindè, & ipse agnouit, ac veneratus est istas Appellationes: Agnouit retractatorium iudicium non necessariò esse faciendum in propria Prouincia, sed fieri omninò posse in alma Vrbe. Proùt placuerit sapientissimo Romani Episcopi arbitrio. Hinc item discimus, quod viduatæ Romanæ Ecclesiæ clerus appellationes tunc admitteret, ipsasque retractaret, ac definiret. Quod ipsum lucidè demonstrat eiusdem per sancti Fabiani Pontificis Martyrium vacantis Ecclesiæ clerus in rescripto ad sanctum Cyprianum. [Quod autem pertinet ad Priuatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nuntiare voluisti. Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiæ excubare. Sed nos etiam ante literas tuas fraus
Epist. 30. callidi hominis latere non potuit. Nam cum antehac quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset Vexillarius Priuati, & furto, ac fraudulenter literas à nobis elicere curaret, nec quis esse latuit, nec literas, quas volebat, accepit]. Priuatus Lambesitanus Episcopus fuerat à Donato, sancti Cypriani Antecessore, damnatus, ac degradatus: Et eius sententiam in appellantem hominem sanctus Fabianus confirmauerat. Hinc ille post Pontificis mortem studuit circumducere vtrumq; iudicium: Romam misit suæ cohortis Vexillarium, qui viduatum clerum in istam circumductionem circumscriberet. At fraudulentia non successit. Interim hinc etiam vides Africanos quoque Episcopos semper Romam prouocasse: Nec dûtaxât ad Dominum Papam, sed etiam ad viduatum clerum. Item vides istas appellationes non in Africa fuisse retractatas, sed in alma Vrbe. Hæc suo loco demonstrabuntur largiùs.

Quæstio est, Quomodò Marcion potuerit talia, sacris canonibus, palàm obuia, à Romana Ecclesia postulare? Erat ecclesiasticæ regulæ, ac disciplinæ peritissimus: Quo igitur titulo, aut fuco postulauit Impossibilia? Respondeo hunc nodum solui à Commentario, quem synodalibus Sardicensis Concilij literis subdunt fragmenta sancti Hilarij Pictauiensis Episcopi: [Quam opportunitatem nacti Vrsacius, & Valens, Romanæ Plebis Episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Iulius ex consilio veniam, quam orabant, impertit, vt cum lucro Catholicæ Ecclesiæ vires quoq; detraheret Arianis, cùm eos, qui veritatem ante turbauerant, consilij huius, & audaciæ pœnitentes, in communionem Catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret]. Ex his vides duplicem lapsi, etiam clerici, & Episcopi, reparandi formam esse antiquissimam: Nempè reparationem per iustitiam, ac reparationem per dispensatoriam gratiam. Certè Iulius non est primus Author huius clementiæ, sed etiam in hoc articulo sequutus priorem Romanæ Ecclesiæ consuetudinem. Eamdem igitur gratiam postulauit Marcion. Quapropter omnem istam authoritatem agnouit in Romana ecclesia: Authoritatem non dumtaxàt soluendi quæcumque Episcoporum, ac synodorum iudicia, sed etiam quoslibet sub cœlo clericos transferendi in suum cardinem, Et per iustitiam, & per gratiam. At Romanus clerus ea potestate vti ex rationibus noluit, forsitan quod maiorem hanc causam censeret reseruandam futuro Pontifici.

Porrò, quod sanctus Epiphanius Romanas appellationes, ipsarumque antiquitatem omninò agnouerit, lucet ex varijs eius locis, præsertìm ex illis quæ scribit de Marcello Ancyræ Episcopo, Metropolita primæ Galatiæ. Hunc Antiochena Eusebianæ factionis synodus damnarat. Ob hæresim. Et damnatio non carebat fundamento. Etenim de ipsa scribit in libro de synodis laudatus Hilarius: [Adfuerunt Episcopi nonaginta, & septem, cum in suspicionem venisset vnus ex Episcopis, quod praua sentiret]. Hic est omninò Marcellus; Et talia de ipso scripsit Hilarius, qui cum omni latina Ecclesia dudùm studuit illum constanter defendere. At verò damnatus prouocauit ad Romanam Ecclesiam, ac Iulium Pontificem. Et personaliter accessit. Sua istic acta exponit in libello, quem porrexit laudato Pontifici: [Cum nonnulli ex ijs, qui, quod parùm integrè de fide sentirent, anteà condemnati sunt, quique à me in Nicæna Synodo conuicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitauerint, me nec rectè, nec cum Ecclesiæ doctrina consentaneæ de fide statuere, vt crimen suum in me transferrent, propterea necessariò Romam mihi veniendum, & te commonendum putaui, vt eos: qui contra me

sci-

scripserunt, accerseres, vt cum aduenissent de duobus illis à me conuincerentur, cum illa ipsa falsa esse, quæ in me scripserunt, tum eos adhùc in pristino errore perseuerare. Et indigna quædam aduersùs Ecclesias Dei, ac nos ipsos illarum Præsides esse machinatos. Sed cum illi venire noluerint, tametsi Presbyteros ad illos miseris, ego verò anno integro, & tribus mensibus Romæ commoratus fuerim, faciendum mihi omninò censui, vt antequam hinc proficiscerer, meæ fidei professionem tibi sincerè, atque ex animo, meaque manu perscriptam, offerrem]. Adiungit suæ fidei professionem, ipsi inserit integrum Apostolicum Symbolum, & supplicat reparari, aut plenè saltem reuestiri.

Affirmat varia. Primò, quod Antiochena synodus istud de sua damnatione iudicium statim retulerit ad sedem Apostolicam. Secundò, quod Romanæ Ecclesiæ contra istas iniurias auxilium implorauerit, & quod ipsam accesserit, semetipsum expurgaturus, ac reparandus. Tertiò, quod ad istud tractatorium Iudicium rogauerit Romam euocari istius synodi Antistites, reddituros sui operis rationem, ac de iniquitate conuincendos. Quartò affirmat, quod Iulius Pontifex ipsos ad istum finem euocauerit. Et quidem per Legatos Presbyteros. Quintò, quod per totum annos, ac tres menses illi non comparuerint, ideòque digni fuerint damnari in contumaciam, ac ipse in Episcopalem honorem plenè reparari. Et quidem Pontifex reparare noluit. Ex integro tamen reuestiuit, ac plenam causæ retractationem fieri synodaliter iussit apud Sardicam. Et Marcellum eò transmisit, & ipsum synodus discussit, absoluit à vinculo, ac plenè reparauit. Et hæc omnia, licèt Sardicensem synodum à Marcello circumscriptam crediderit cum alijs passim Græcis, omninò probauit Epiphanius, ac suo inseruit operi. Et hinc iterùm videmus istam retractandæ appellationis formam esse antiquissimam, & Sardicæ duntaxàt fuisse innouatam, ac stabilitam.

CAPVT XIX.

Examinantur Dogmata D. Petri de Marca.

Harum sordium palmaris hoc sæculo fons est D. Petrus de Marca Archi-Episcopus Parisiensis. Ex ipso biberunt Paschasius Quesnellus, & omnes eius Symmystæ. Quocircà fons hic est detegendus, ac obturandus. In sexto de Sacerdotij, ac Imperij concordia libro Synodales Prouinciarum ad Romanum Pontificem relationes esse antiquissimas, & prosequitur:] At Iudicia in synodis illis reddita, quoad disciplinam erant summæ authoritatis, vt constat ex Concilio Nicæno, non solùm quoad correctionem, & depositionem Presbyterorum, aliorumque inferioris Ordinis Clericorum, sed etiam quoad depositionem Episcoporum. Itaque appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitus ratio suppetebat damnatis, quàm vt rescripto Principis ne- Cap. 14.

gotium retractaretur in maiori synodo: Quando videlicet agebantur causa alicuius Episcopi, aut aliquod negotium magni momenti]. Respondeo hic consui errores varios. Primus est, quod Concilium, vtique quinto canone, sanciat etiam de depositionibus Episcoporum. Secundus est, quod damnatis nullum relinquat appellationis locum. Etenim longè aliud nobis suprà dixit Iulius Pontifex. Nec refert, quod Nicænus Canon Romanæ Ecclesiæ priuilegium non exprimat. Rationem dat in literis ad Thessaliæ Episcopos sanctus Bonifacius Pontifex: Quia nempè super sanctum Petrum, ac eius Apostolicam Cathedram ista synodus nihil fuit ausa constituere, sciens illi omnia donata à Domino.

Tertius error est, quod damnatis Episcopis, aut clericis olim nullum suppeteret remedium, nisi refugiū ad rescripta Principum. Etenim vsque ad magnum Constantinum Principes erant gentiles, professi hostes Ecclesiæ, ac persecutores Episcopalium synodorum. Quis tum ipsos accedere poterat ad postulandam maiorem synodum? Quis vnquam accessit? Nullum suppetit exemplum, nisi forsitan facinorosi Pauli Samosatensis, de quo per Antiochenam Synodum damnato scribit in Ecclesiastica historia Eusebius Cæsareensis: [Verùm cum Paulus ex Episcopi domo, eius Ecclesiæ propria, exire nollet, Imperator Aurelianus, ea de re rogatus sententiam, sanctissimè quid esset agendum decreuit. Præcepit enim, vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & Vrbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent. Sic demùm Paulus cum summo dedecore, sæcularis Imperij ac Potestatis authoritate, ab Ecclesia penitus extruditur. Quo quidem tempore talem, & tam benignè ergà nos animatum Aurelianus se declarauit.] An Paulus ad Aurelianum confugerit, non est manifestum: Certè Synodum confugisse nunquam crediderim. Quidquid sit, confugium istud non seruiuit ad appellationi nouam impetrandam Synodum, sed ad obtinendam Synodalis Iudicij executionem. Quis Apostolicus Canon, quæ Patrum regula, quæ Ecclesiæ consuetudo, quod authenticum exemplum Episcopos à Synodali damnatione prouocantes misit ad Reges aut Principes?

Lib. 7. Cap. 24.

Nullum est exemplum, nisi Donatistarum, ad quos, & adversum quos declamat sanctus Optatus Episcopus Mileuitanus: [Quod de nobis dicitis,] Quid Christianis cum Regibus, aut quid Episcopis cum Palatio? [Si nota est posse Reges, vos tota perfundit inuidia. Nam Maiores vestri, Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, & cæteri Imperatorem Constantinum, harum rerum adhuc ignarum, his precibus rogauerunt, quarum exemplum infra scriptum est: Rogamus te, ò Constantine, optime Imperator, quoniam de genere iusto es, cuius Pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos, & cæteros Episcopos contentiones sunt. Petimus vt de Gallia nobis Iudices dari præcipiat Pietas tua. Datæ à Luciano, Nassutio, Digno, Lib. 5.

Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati.] Quibus lectis, Constantinus plenus liuore respondit. In qua responsione, & eorum preces prodidit, dum ait: Petitis à me in sæculo Iudicium, cum ego ipse Christi Iudicium exspectem. Et tamen dati sunt Iudices. [Et in literis ad Vincentium, Donatistarum Cartennensem in Mauritania Episcopum, sanctus Augustinus: Vos indubitanter arguimus, quibus crimen videtur de inimicis communionis nostræ Christiano Imperatori aliquid conqueri. Cum libellus à Maioribus vestris Anulino Proconsuli datus, & Constantino Imperatori mittendus, ita superscriptus sit:] Libellus Ecclesiæ Catholicæ, criminum Ceciliani, traditus à parte Maiorini. Illos autem magis hinc arguimus, quia apud Imperatorem vltrò Cecilianum accusauerunt, quem priùs apud Collegas Transmarinos conuincere debuerant. Ipso autem Imperatore longè ordinatiùs agente, vt Episcoporum caussam ad se delatam ad Episcopos mitteret, nec victi cū fratribus pacem habere voluerunt. Ecce, quid ecclesiæ Patres de isto confugio sentiant. Et quid senserit ipse Constantinus, adhuc Catechumenus. Augustinus affirmat Cecilianum non ad Principem fuisse deferendum, nec à Principe postulandos Iudices, sed implorandos fuisse Transmarinos Antistites, hoc est, Episcopum Romanum. Disertè semetipsum ita exponit in literis ad quosdam Donatistarum Episcopos. Et hinc Constantinus factiosos istos remisit ad Papam Melchiadem. Aliquid tamen gratiæ volens ipsis impendere, rogauit adiungi quosdam Episcopos Gallicanos. Nempè etiam tunc non Laicus Princeps, sed Apostolica Sedes ex Christi Domini Instituto erat refugium damnatorum Episcoporum. Ad ipsam refugerunt ex Hispania Basilides, & Martialis, ex Africa Priuatus Lambesitanus Episcopus, & Fortunatus Pseudo-Episcopus Carthaginensis, ex Oriente Sanctus Athanasius, & eius Collegæ, & alij hinc indè plures. Non ad Reges, sed sancto Petro dictum est: [Confirma fratres tuos.] Augustas Episcopalium causarum Delegationes fateor Christianis olim temporibus fuisse frequentes: Verùm solas Canonibus conformes probauit Ecclesia. Quasuis alias improbauit, & constanter excussit.

Dominus Petrus de Marca prosequitur: [Ei authoritati temperamentum in Oriente adhibuit Sardicensis Synodus, in gratiam Episcoporum gradu suo deiectorum, data nimirum licentia appellandi ad Apostolicam Sedem, vt Iudicium renouetur in Prouincia, si Romanus Episcopus iudicauerit renouandum esse. Quoad verò Presbyteros, & Laicos excommunicatos nihil innouatum, quoniam eorum causæ non erant tanti momenti, vt Romanus Pontifex appellari posset, Sicut nec in Oriente concessa eis erat appellatio ad Patriarchas, vt patet ex Nicænis Canonibus, Antiocheno sexto, & nono Chalcedonensi. Concilium, inquam, Sardicense nihil prorsùs destruxit de suprema Conciliorum Prouincialium authoritate quoad Presbyteros. Contra eam Canone decimo septimo firmauit aduersùm iniquas quorumdam Episcoporum molitiones, qui ferre non poterant Presbyterorum, aut Diaconorum deiectorum querelas aduersùm ipsos propositas apud ceteros Episcopos: Habeat potestatem is, qui abiectus est, vt Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille episcopus, qui iustè, vel iniustè eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur: Vt, vel probetur sententia eius à plurimis, vel emendetur. [Interim tamen executioni demandanda est sententia episcopi, vt ait Canon:] Tamen priùs quàm omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum, qui fuerit à communione separatus, antè cognitionem nullus debet præsumere, vt eum communione societ. [Huius Canonis præiudicio, quem Legatus Faustinus tamquam Canonem Nicænæ Synodi protulerat, Zozimus firmare conatus est cognitionem à se habitam de accusatione Apiarij Presbyteri Africani, à proprio episcopo deiecti, existimans videlicet eum esse Canonis illius sensum, vt Presbyteri excommunicati arbitrio relinquat querelam suam deferendi, ad quos voluerit episcopos, modò Prouinciæ vicini essent, cuiusmodi esse Roma videbatur, habita ratione Prouinciarum maritimarum Africæ.]

Errores plurimi. Primus est, quod inconcussæ Prouincialium Synodorum authoritati temperamentum adhibuerit Sardicensis Synodus. Etenim quod appellandi facultas, non à Sardicensi Synodo, sed à perpetua, per Christum Dominum instituta, per Apostolos confirmata, & per Nicænam Synodum reducta in scriptum, Ecclesiarum consuetudine ducat originem, est abundè demonstratum in superioribus. Eusebiana factio nequaquam Prouinciales, sed solas Patriarchales Synodos prætendit esse inconcussas. Secundus error est, quod Sardicensis Synodus pro solo Occidente, istud temperamentum dederit. Etenim ista Synodus, licèt sanctus Epiphanius dicat Occidentalem, plenum tamen vigorē habuit, etiam in Oriente. Est supra demonstratum. Quod verè, ac plenè œcumenica fuerit, possit faciliter, ac lucidè demonstrari. Tertiùs error est, quod Sardicensis Synodus Romanam appellationem indulserit solis episcopis. Longè aliud ad Antiochenam Eusebianæ factionis Synodum scribit factus Papa Iulius: [Non solùm Athanasius, & Marcellus episcopi, cum querimonijs de illatis iniurijs, sed & plurimi alij episcopi ex Thracia, Cælesyria, Phœnicia, Palestina huc conuenere. Presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliundè, huc ad Concilium occurrunt, & coram omnibus episcopis ibi congregatis, inter reliqua dicta sua conquesti sunt, vim & iniuriam Ecclesijs illatam esse, suasque Ecclesias eadem, quæ Alexandrina, passas esse. Ex Ægypto autem, & Alexandria, cum denuò superuenissent, Presbyteri literas secum attulere, quibus plurimorum episcoporum querimonia continebatur, se cum huc ad Concilium pergerent, detentos fuisse, atque etiamnum detineri.] Ecce, etiam ante Sardicensem Synodum inferior Clerus, pari cum episcopis iure, poterat prouocare Romam, & prouocabat. Et ipsum adeò displicebat

primis istarum appellationum hostibus Eusebianis, vt appellantes & Romam accedentes Presbyteros comprehenderent per viam, ac traderent in custodias. Quam artem etiam nouit, atque exercuit primus apud Gallos, Clericalium ad Sanctam Petri Sedem appellationum hostis, Hincmarus Metropolita Rhemensis. Porrò Iulius Pontifex, quoniam euocati istorum appellantium Aduersarij detrectabant comparere ad retractatorium in Vrbe iudicium, vti episcopos, ita & Clericos, quorum appellationem admiserat, continuauit in suo gradu & communione, & omnium causas retractari iussit per Synodum Sardicensem. Et hæc in sua ad Iulium relatione affirmat se conuenisse ad tres causas, quarum hæc fuit tertia: [Tertia quæstio, quæ verè quæstio appellanda est, quod graues, & acerbas iniurias, intolerabiles etiam & nefarias contumelias Ecclesijs fecissent, cùm raperet episcopos, presbyteros, Diaconos, & omnes clericos in exilium mitterent; ad deserta loca traducerent; fame, siti, nuditate, & omni egestate necarent; alios clausos carcere, squallore conficerent, &c.] Et in literis ad Clerum Alexandrinum: [Quia cognouimus Aphtonium, & Athanasium Capitonis filium, & Paulum, & Plutionem, Compresbyteros vestros, eamdem] cum varijs episcopis [fraudem ab Eusebianis perpessos esse, hac de causa hoc etiam vobis significare necessarium duximus, etiam illos à nobis esse receptos, & vt innocentes crimine liberatos.] Istorum igitur, tam Clericorum, quàm episcoporum, quos spoliatos Iulius reuestiuerat, & in sui gradus possessione continuarat, Sardicensis Synodus retractauit causas, ipsisque reddidit, etiam ius, atque titulum. Idque ex mandato Iulij. Quod enim Generalis Synodus solas sibi à Pontifice delegatas causas possit agitare, ac definire, disertè scribit sanctus Leo, ad Anatolium episcopum Constantinopolitanum. Proinde Sardicensis Synodus Romanam Appellationem inferiori Clero, nec dedit, nec abstulit, sed à Christo Domino datam confirmauit. Chistus Dominus non solas oues, sed etiam agnos commisit sancto Petro: Omnes possunt in suis angustijs ad hunc recurrere, omnes debent ab ipso adiuuari.

Quartus error est, quod Romanæ Appellationis retractatorium iudicium sit renouandum in eadem, aut vicina Prouincia. Est abundè supra explosus. Quintus est, quod inferior in Oriente Clerus, non possit à suæ Prouinciæ Synodo prouocare ad Patriarchã. Etenim contrarium supra audiuimus à Canonibus Arabicis. Sextus error est, quod ita statuatur à Nicænis Canonibus. Est Paradoxum, alienissimum à sensu omnium Orientalium. Certè Arabicorum Canonum, Authores censuerunt ipsos adeò conformes Nicænis, vt credi, & haberi Nicænos voluerint. Error septimus est, quod ita sanciat sextus, etiam Canon Antiochenus. Etenim Eusebiana factio, dum lubricum, ac dolosum cudit canonem, solam Romanam voluit Appellationem excludere, nullatenùs Patriarchalem. Et dum illum admisit Romana Ecclesia, purgauit per subintellectam clausulam: [Sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ.] Quidquid sit, istos Canones circumduxit Sardicensis Synodus. Octauus error est, quod ita sanciat nonus etiam canon Chalcedonensis. Etenim disertè sancit oppositum: [Quod si clericus habet causam aduersùs episcopum proprium, apud Synodum Prouinciæ iudicetur. Quod si aduersùs eiusdem Prouinciæ Metropolitanum habet querelam, petat, aut primatem Diœcesios, aut Sedem Regiæ Vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur.] Agit de Clericis trium olim Autocephalarum Diœcesion. Ipsis permittit appellare à suo episcopo ad Prouinciæ Synodum, hinc ad nouum Patriarcham Constantinopolitanum, ideòque similem recursum ad suos Patriarchas permittit, & clero aliorum Patriarchatuum.

Quin immò, quod Orientalis Ecclesiæ inferior clerus, semper etiam ad Apostolicam Sedem liberè appellauerit, est longè certissimum. Etenim Constantinopolitanæ Ecclesiæ clerici, per Patriarcham suum, atq; Hæresiarcham Nestorium degradati, appellarunt ad sanctum Cœlestinum. Et Pontifex illis rescripsit, multa ex sacris literis, ex sancti Athanasij similiter appellantis exemplo, ac ex alijs istiusmodi principijs solatia, & tandem conclusit: [Ne tamen ad tempus Nestorij videatur valere sententia, apertè sedis nostræ sanxit authoritas nullum, siue episcopum, siue clericum, seu professione aliqua Christianum, qui à Nestorio, vel eius similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo, vel communione deiecti sunt, vel deiectum, vel excommunicatum videri, sed hi omnes in nostra communione fuerunt, & hucusque perdurant. Quia neminem deijcere, vel remouere poterat, qui prædicans talia titubabat.] Eorum absolutionem vsq; ad retractatorium in Ephesina Synodo iudicium differre noluit: Appellationem mox admisit, atque ita ipsos continuauit in suo gradu, & communione. Quod etiam Pistus, Alexandriæ Ecclesiæ presbyter, Romam appellarit, supra audiuimus à sancto Iulio Pontifice. Et quidem appellauit aduersùs iudicium Sacrosanctæ Nicænæ Synodi. Et sanctus Ambrosius cum cæteris Italiæ episcopis, dum ab Imperatore Theodosio postulauit generalem Synodum, adiunxit: [Neque enim æstimamus esse conuitium, cùm vnus Constantinopolitanę Ecclesię presbyter, Paulus nomine, intra Achaiam Synodum Orientalium, iuxta, atque Occidentalium postularit.] Quod etiam Cheræmon, Victor, Sophronius, ac facinorosi Flauiani Puerulus, fæces Alexandrinæ ciuitatis, contra sancti Cyrilli sententiam appellarint ad generalem Synodum, testatur idem Pater in literis ad clerum Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Proinde, & ad Papam appellare potuerant. Quid opus multis? Quod Orientales, ex ipsa etiam Regia ciuitate, clerici Romam passim appellarent, testatur magnus Gregorius in literis ad Marinianum Rauennæ Episcopum. Et Ætius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Archidiaconus contra suum Patriarcham Anatolium, qui inuitum consecrauerat presbyterum, atque ita sub honoris specie degradauerat, inuocauit sanctum Papam Leonem, & causam obtinuit. Pontifici enim Anatolius

Epist. 19.

Lib 5. Epist. 24.

Epist. 106. Cap. 2.

lius rescripsit: [Reuerendissimus nostræ Ecclesiæ presbyter Ætius in priore loco, atque honore est restitutus. [Etiam Archimandrita, & eiusdem Ecclesiæ presbyter Eutyches, à suo Patriarcha Flauiano damnatus, appellauit ad eumdem Pontificem: Et fuit auditus. Verùm, quoniam eius hæresis fuit manifesta, lata in ipsum sententia fuit confirmata. Athanasius item Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, ac sancti Cyrilli nepos. Ischyrion, ac Theodorus, eiusdem Ecclesiæ Diaconi, necnon Sophronius, ibidem fidelis laicus, à Dioscoro Patriarcha degradati, ac variè vexati, appellauerunt ad eumdem Pontificem, & sub ipso congregatam Chalcedonensem Synodum. Omnes suis libellis dederunt hanc Epigraphen:] Sanctissimo & beatissimo vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctissimo Concilio, secundùm voluntatem Dei, & Diuina mandata in Chalcedonensi ciuitate congregato. [Instantis Concilij opportunitas eis fecit animos ad ipsum prouocandi, alioquin ad solum Pontificem prouocaturis. Et omnis ista maxima Synodus prouocationem probauit, admisit, exaudiuit. Istam Epigraphen respicit magnus Gregorius, in varijs literis scribens vniuersalis Episcopi] titulum fuisse à laudata Synodo oblatum, ac delatum magno Leoni, ac humiliter refutatum. Similiter ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ clerum, & populum de Salomone presbytero, per Acacium Patriarcham deiecto, scribit Fœlix III. Pontifex: [Filio nostro Salomoni presbytero, quem Acacius, vt placeret hæreticis, suo priuare putauit gradu, gradum proprium sententia vestra confirmet, vel omnes, qui fortè à memorato propulsi, in suis locis, & in nostra communione manere pronunciet.] Quia nempe Salomon ad Fœlicem prouocauerat. Item Ioannem Chalcedonensem, & Athanasium Isauriæ presbyterum, à Ioanne Patriarcha Constantinopolitano degradatos, atque ad se prouocantes, exaudiuit, ac reparauit magnus Papa Gregorius. Et hæc omnia sunt ab ipsis Apostolis: Immò ab ipso Christo Domino. Etenim quod Marcion, Sinopensis Ecclesiæ presbyter, à sui Patris, ac episcopi sententia Romam appellarit, & quod ipsum vacantis Romanæ Ecclesiæ seniores presbyteri audierint, ac iudicarint, supra audiuimus à sancto Epiphanio. Erant presbyteri edocti ab Apostolorum Discipulis. Et certè Domini verba: *Pasce oues meas, confirma fratres tuos*, aliaque id genus, nequaquam comprehendunt solos episcopos.

Eamdem formam viguisse in Gallicana Ecclesia, lucidè docet magni Leonis epistola ad Rusticum Metropolitam Narbonensem: [Gestis, quæ in episcoporum, Honoratorumque examine confecta sunt, recensitis, Sabiniano & Leoni presbyteris actionis suæ intelleximus fiduciam defuisse, nec eis iustam superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus spontè subduxerũt. Circà quos quam formam, quamue mensuram debeas tenere Iustitiæ, tuo relinquo moderamini, suadens tamen charitatis hortatu, vt sanandis ægris spiritalem adhibeas medicinam. Et dicente Scriptura,] Noli esse iustus nimiùm, [mitiùs agas cum eis.] Paschasius Quesnellus correxit hunc textum, & legit: [Actionis tuæ.] Euertit sensum. Nescio quo scopo. Quidquid sit, Sabinianus, & Leo presbyteri, à Rustico degradati, aut castigati, prouocauerant Romam. At in sua causa defecerant. Hinc ipsos Pontifex remisit Rustico, permisit eius moderamini, & commendauit clementiæ. Quod etiam Tuentius, Gallicanæ Ecclesiæ clericus, quem Proculus Massiliensis Metropolita postmodò consecrauit in nescio, cuius ciuitatis episcopum, à sui Antistitis iudicio Romam appellarit, ac eius circumductionem, non per iustitiam, sed per singularissimam gratiam obtinuerit, testatur sanctus Papa Zozimus, in literis ad episcopos Africæ, Galliæ, ac Hispaniæ. Sapaudo Arelatensi episcopo, de friuolis suorum clericorum appellationibus querenti Pelagius I. reposuit ipsos interim audiendos, ideòque opus esse, vt & Sapaudus suos transmittat Responsales: Quò nempe causa retractetur secundùm Sardicenses canones. Etiam nequam ille iuuenis, qui Sacram Virginem stuprauerat, ab imposita sibi per sanctum Auitum Viennensem Metropolitam publica pœnitentia appellauit ad Sedem Apostolicam, aut certè minatus est appellare. Nec desunt alia exempla. Et nemo tunc Gallicanus Episcopus intercessit. Propter constantem consuetudinem. Et ecce nunc apud imperitos clamatur, inferiorem Galliæ clerum numquam fuisse gauisum ista facultate.

Epist. 2.

Nonus error est, quod Sardicensis synodus clerum inferiorem exuat Romanæ appellationis auxilio. Est atrox in synodum contumelia. Etenim Sanctissimi isti Patres clerum voluerunt non opprimere intra Episcoporum manus, sed per istum canonem adiuuare. Excommunicatorum absoluendorum potestatem, quam Nicœna Synodus ad Synodum Prouinciæ, & ad duas per annum vices restrinxerat, ipsi ampliant ad vicinos Episcopos, & ad omnes dies totius anni. Sunt duo erroris fundamenta. Primum, quod Romanam appellationem firmantes canones palàm loquantur de solis episcopis, non de clericis. Secundùm est quartus decimus canon, de damnatis à suo Episcopo clericis hæc sanciens:] Qui eijcitur, potestatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis eiusdem Prouinciæ. Si autem Metropolitanus abest, ad finitimum concurrendi, & rogandi, vt suum negotium accurratè examinetur. Neque enim non sunt aures præbendæ eis, qui rogant. Ille autem Episcopus, qui iure, vel iniuria eum expulit, æquo animo ferre debet, vt rei fiat examinatio, & vel eius confirmetur sententia, vel corrigatur. Priusquam diligenter, & ex fide fuerint examinata singula, qui communionem non habet, ante rei cognitionem non sibi debet communionem arrogare.] Est appellatio admodum accisa, & contracta. Etenim deuoluit solummodò, non suspendit. Et Dominus Petrus de Marca vult ab ipsa excludi Romanam appellationem.

Respondeo hunc canonem quibusdam olim displicuisse. Etenim Guilielmus Beueresius, licèt Heterodoxus, eruditus tamen, ad-

adducit hoc eius antiquum scholion: [Hic canon contrarius est ijs quæ ante ipsum sunt & confusionum, & scandalorum causa. Clericum enim ab Episcopo condemnatum confugere ad communem Metropolitanum est consentaneum, & canonicum; si autem Metropolitanus præstò non sit, ad alium confugere, eumque Dominum, & Examinatorem sui Episcopi constituere, qui nullam omnino in eum potestatem habet, quàm absurdum est, tumultum, & seditionem mouens, & bono ordini exitiosum]? Quod ipsum in suo ad similem Africanum canonem scholio scribit Alexius Aristinus. Nec sine omni fundamento. Nihilominùs non soli Africanæ, sed omni tandem ecclesiæ canon placuit ob singularem pietatem in oppressum à quorumdam Episcoporum violentia clerum. Frequenter prædicatur ab Hincmaro Rhemensi. Etenim quintum Nicenum canonem ampliat, ac prorogat à Prouinciæ synodo non dumtaxat ad Metropolitam, sed etiam ad vicinum quandoque Episcopum. Clerici ab episcopalis damnationis vinculo soluendi potestatem, quam quintus ille canon soli Prouinciæ synodo, & duabus dumtaxat per annum vicibus facit, hic extendit ad Metropolitam, imò & ad vicinum Episcopum, & ad cunctos totius anni dies.

Proindè quintum illum canonem nullatenùs restringit, aut circumscribit. Quod verò ille Romanas non excludat appellationes, est longè certissimum. Nemo id vnquam admisit in mentem. Ioannes Dauid rectè scribit esse assertionem fatuam. Longè minùs id facit Sardicensis synodus. Etenim ipsa, solas Romanas appellationes retractans, non solas Athanasij, ac Marcelli, aliorumque Episcoporum, sed insuper plurium clericorum causas retractauit, ac definiuit. Porrò in suis canonibus solos Episcopos expressit ob duas causas. Primam possimus discere ex Græcis Romanæ Ecclesiæ Archimandritis, ac Monachis, Lateranensem sancti Martini Papæ synodum rogantibus, vt in Cyrum, Sergium, aliosque Monothelicitæ impietatis authores dignetur procedere [secundùm synodales regulas.] At verò harum regularum vna est, vt synodus non definiat, nisi de motis apud ipsam controuersijs. At isto tempore Eusebiana factio non mouebat, nisi de Episcoporum Romanis appellationibus. Hinc igitur de hisce solis respondit Sardicensis synodus. Secunda ratio est, quod plures damnati Episcopi ad nullum, nisi ad Romanum Pōtificem possint prouocare. Etenim damnati non possunt, nisi per Prouinciæ synodum. At verò damnati clerici istam omnes synodum, & cuncti Orientales insuper suum Patriarcham, aut Exarchum inuocare poterant: Hinc in istis suis canonibus Sardicensis synodus exprimendos duxit solos Episcopos.

Act. 2.

Proindè hæc synodus in clericos fuit liberalissima. Illis fecit quadruplicem appellandi viam: Ad Romanam ecclesiam, ac Prouinciæ synodum, ad Metropolitam, & vicinum Episcopum. Duæ priores erant antiquæ, fundatæ in Apostolicis canonibus; at verò duæ posteriores erant noua, & singularis gratia, hinc restricta, & circumscripta. Solummodò deuoluebat, non suspendebat. Et iure merito. Etenim Metropolita, ac præsertim vicinus Episcopus iudicabat ex mero indulto, ideòque eius limites excedere non poterat: Non poterat ante expletam totius causæ retractationem reuestire. Africani canones, ex hoc Sardicensi palam desumpti, adiungunt, vt appellatio fiat non ad vnum, sed ad duos vicinos Episcopos: Et vt ipsi causam non retractent, longè minus definiant sine venia proprij Episcopi. Extat Sardicensis canonis latina translatio, quæ hoc ipsum præcipit, & adiungit: [Priusquam omnia diligenter, ac fideliter fuerint examinata, clericus communionem non debet præsumere, donec proprius Episcopus eum recipiat, & communioni societ.] Metropolitæ, ac vicinis Episcopis permittit solam definitionem causæ, executionem fieri vult per proprium Episcopum. Quod autem clerici ad Apostolicam Sedem, aut ad Prouinciæ synodum appellatio etiam suspendat, non est dubitandum.

Error decimus est, quod Zozimus Pontifex vicinitatis iure, ac huius canonis vigore admiserit appellationem Apiarij presbyteri Africani. Est miseranda ad obnubilandam veritatem subtilitas. Etenim Apiarius erat Siccensis in Cæsareensi Mauritania Ecclesiæ presbyter, ideòque à Romana Ciuitate remotissimus. Hinc nequaquam vicinitatis iure, sed Apostolicæ authoritatis priuilegio Zozimus censuit se fulciri. Verùm hæc est alia quæstio. Etenim inferior Africanæ Ecclesiæ clerus ex auita gentis consuetudine carebat facultate inuocandi Sedem Apostolicam, compulsus suarum synodorum iudicio acquiescere. Excipitur à communi regula. Et generi non derogatur per speciem. Est quæstio suo loco singulariter, ac amplè discutienda. Interim D. Petrus de Marca non totus deuiat. Hæc sua noua dogmata obtinere vult in solis ecclesiasticæ disciplinæ, non in Christianæ fidei Iudicijs: Circa hæc confitetur à prouinciarum, imò & à Diœcesion synodis prouocari posse, & semper pronocatum fuisse ad Cathedram sancti Petri. Eius discipuli, qui errorem etiam ad fidei Iudicia extendunt, longè grauiorem infligunt veritati iniuriam.

Quod Prouincialia Galliarum Concilia suprema ista potestate olim fruerentur, Dominus Petrus de Marca etiam probat ex Innocentij primi rescripto ad sanctum Victricium. Et confirmat ex prima Vasensi synodo, ex secunda Arelatensi, ac ex tertia Aurelianensi; Respondeo hunc esse Vasensem canonem: [Si quis Episcopi sui sententiæ non acquiescit, recurrat ad synodum.] Hic est Arelatensis: [Si quis Episcopi sui sententiæ non acquiescat, synodi legibus audiendum.] Aurelianensis ita sancit de damnatis clericis: [De quibus si querela procedit, officium agens recurrat ad synodum.] In quibus omnibus, nec vnus est apex, qui errorem adiuuet. Etiam Innocentius Pontifex suo canoni disertè addidit: [Sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri. [Nempè in clericorum causis appellationis reuerentia, in Episcoporum negotijs insuper reuerentia relationis,

Cap. 5.
Cap. 48.
Cap. 19.

Et omnes istæ synodi innouant quintum Nicœnum canonem: Hinc Arelatensis sancit appellantem clericum[synodi legibus audiendum.] Proindè tenuerunt, & pietatem, ex qua Nicœni Patres nihil ausi sunt constituere super Romanam Ecclesiam, scientes ipsi omnia concessa à Domino. Et quod istarum synodorum Patres suis clericis, imò & laicis Romanas appellationes permiserint, adducta superiùs exempla docuerunt.

CAPVT XX.

An inferior Galliæ Clerus sub Carolinæ Familiæ Regibus Romam appellauerit?

Lib. 6. c. 14. Dominus Petrus de Marca à Romani Imperij temporibus, & à prima Merouingiorum Regum Dynastia transit, nouis suis dogmatibus subsidia venaturus, ad Dynastiam Carolinam, & nobis obtrudit canonem Francofordiensis synodi: [Statutum est à Domino Rege, & sancta Synodo, vt Episcopi iustitias faciant in suis Parochijs. Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & cæteris clericis, vel etiam alijs in eius parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad iudicium Episcoporum. Et si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant Accusatores cum Accusato cum literis Metropolitani, vt sciamus veritatem rei.] Dominus Archiepiscopus affirmat huic synodo adfuisse, ac præsedisse Apostolicam Adriani primi Legationem, ideòque, & probatam, & confirmatam esse à Romana Ecclesia. Et commentatur: [Constat igitur hoc canone nullum appellationis genus relinqui à Iudicio Metropolitani. Excipit solùm, vt si post sententiam synodi superfit adhuc aliqua controuersia, accusator & reus adeant Principem cum literis Metropolitani, vt Rex cognitionem extraiudicialem causæ suscipiat, authoritatemque suam tribuat pro executione rei iudicatę, aut protectionem suam subditis suis, si contingeret eos opprimi in iniuriam legum, & Canonum.]

Cap. 6.

Respondeo hic nequaquam agi de iudicialiter, aut extraiudicialiter reuidendo Prouincialis synodi iudicio, sed de causis difficilioribus, ad quarum fundum synodus pertingere non valuerat, nec ipsas definire. Agit de euentu, de quo & Magnus Leo in literis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum per Illyrici Prouincias Vicarium: [Bini conuentus per singulos annos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos Ecclesiæ Ordines nasci adsolent, iudicetur. Ac si fortè inter ipsos qui præsunt, de maioribus peccatis causa nascatur, quæ Prouinciali nequeat examine definiri, Fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit instruere, vt si coram positis partibus, nec tuo fuerit sopita iudicio, ad nostram cognitionem quidquid illud est, transferatur.] Istiusmodi causas, quas Leo ad suum Vicarium, Rex Carolus per Metropolitam iussit ad se referri. Non vt iudicaret, sed vt nosset rei statum, ac veritatem, ac dispiceret meliorem modum definiendi. Eiusmodi causas, quoniam Gallia tunc non habeat Apostolicum Vicarium, Carolus delegabat suo Archicapellano. Et istud Tribunal, vti & plura alia, licèt extra Canones, maioris boni intuitu Romana Ecclesia dissimulabat. Lamentabilem statum, in quem Carolus Martellus, & Raginfredus, de Regiæ domus maioratu litigantes, vniuersum Galliæ Regnum, & eius Christianitatem detruserunt, exponit Hincmarus Rhemensis in vita sancti Remigij. Lapsam religionem, & disciplinam reparare Pipinus cœperat, & iam Carolus perficiebat: Hinc plura in ipso Apostolica Sedes tolerauit. Quod tamen istud Tribunal Romanas appellationes etiam inferiori Clero non eripuerit, est exploratissimum. Etenim primus, & palmaris articulus, quem in lapsa nostra Christianitate reparauit Apostolus noster sanctus Bonifacius, fuit plenissima obedientia, atque subiectio sub Romana Ecclesia. Et tunc nouus Canonum Codex, per Isidorum mercatorem ex Hispania deportatus in Galliam à Riculpho Moguntinensi Episcopo spargebatur per omnem Francorũ Monarchiam, & à cunctis, vtì res è cœlo lapsa, cum gaudio, & reuerentia suscipiebatur. Primus eũ rodere ausus fuit Rhemensis Hincmarus. At successu infelicissimo. Porrò inter palmaria istius Codicis capita est Romana etiam clericorum appellatio. Et plures eius de hac re articulos Carolus Magnus, ac Ludouicus Pius inseruerunt suis Capitularibus. Quare manifestum est, quod Gallicana tunc Ecclesia istas appellationes in nullo penitùs læserit, aut contraxerit. Porrò, an Francofordiensis Synodi Canones confirmauerit Romana Ecclesia, est non modica quæstio. Eruditi plures censent ea dumtaxat confirmata, quæ illic sancita sunt pro orthodoxa fide contra errores Episcoporum Felicis, ac Elipandi.

Epist. 12. Cap. 7.

Dominus Petrus de Marca pergit ad sextam synodum Parisiensem, & scribit: [Concilium Parisiense manifestè probat viam appellandi ad Sedem Apostolicam nondum fuisse apertam per istas tempestates, cum doleat clericos ab Episcopis suis castigatos, querelam ad Regem deferre solitos, quando synodi Prouinciales non habebantur]. Synodus lamentatur quintum Nicęnum canonem, qui bis in anno mandat celebrari Prouinciæ synodum, non obseruari iu Gallia, & adiungit: [Ob id Ecclesiasticæ vtilitati magnum dispendium, & Principalibus auribus insolens impedimentum, & multorum impunitas nascitur flagitiorum]. Hinc rigidè mandat, vt Nicænus Canon deinceps seruetur ab omnibus Metropolitis. Respondeo hanc Parisiensem sanctionem non facere ad Propositum. Etenim nos hìc agimus de Romanis clericorum aduersùs Prouincialium synodorum iudicia prouocationibus, quæ fieri non poterant, dum nullæ istiusmodi synodi in Gallia celebrabantur. A' singularibus suorum Antistitum Lib. 1. c. 6.

tum Iudicijs, non ad Apostolicam Sedem Clerus consueuit refugere, sed ad suæ Prouinciæ synodos: Quia igitur hæ non fiebant, refugiebat ille ad Regem, supplicans appellationem suam transmitti ad tribunal Palatini Archi-Capellani. Quod Parisiensis synodus nihil contra sanctum Petrum sanxerit, liquet ex eo, quod sanciat obseruari Nicænos Canones, à quibus sciebat Romanæ Appellationis potestatem fuisse confirmatam, ac redactam in scriptum: Et isto tempore Romanæ etiam Cleri Appellationes plena libertate gaudebant in Gallia. Etenim ab Ebbone Remensi Archi-Episcopo consecrati, & per illius Successorem Hincmarum degradati clerici appellarunt ad Nicolaum Pontificem, & per ipsum fuerunt restituti. Et Episcoporum nullus præsumpsit intercedere.

Carolinum Regnum ducit à Carolo Martello originem. At verò sub eius Principatu Gregorius III. scripsit ad sanctum Bonifacium, Apostolicum nostræ gentis Vicarium: [Presbyterum, quem præterito asseruisti anno ad nos venisse, nostroque iudicio fuisse à suis nefarijs absolutum actionibus, credas neque nobis aliquam confessionem fecisse, nec à nobis, vt suos expleat libitus, absolutum fuisse]. Bonifacius nequaquam aduersùs Presbyteri appellationem, sed aduersùs solam eius friuoleitatem intercesserat: Nec non aduersùs nimiam Romanę Ecclesiæ indulgentiam, quæ appellantibus clericis, non per solam iustitiam, sed etiam per gratiam nimis faciliter reddebat suum gradum. Hic est vnicus titulus, aut fucus, in quo Hincmarus Rhemensis Episcopus, ac per ipsum Rex Carolus Caluus fundarunt suas querimonias contra Romanas Clericorum Appellationes. Nihilominùs illę perrexerunt per omnem Galliam ambulare liberrimis pedibus. Etenim apud Gratiani Decretum exstat Nicolai primi Pontificis epistola ad Gallionem Senensem episcopum. Est mendum. Legendum est: Ad Vvenilonem Senonensem episcopum. [Volumus, & Apostolica authoritate monemus, vt Presbyter, de quo agitur, si post excommunicationem suam adire Apostolicam Sedem voluerit, nullus iter eius impedire præsumat]. Inter eiusdem Pontificis fragmenta exstat epistola ad Herardum Turonensem episcopum, qua Christophorum presbyterum, de varijs damnatum, ac ad se appellantem, declarat innoxium, reponit in gradum, ei superordinatum mandat expelli, ac ipsum sine mora restitui. Et adiungit: [Nullatenùs Canonica Instituta alicuius temeritate contemni permittas, quia facientem, & consentientem par pœna constringit]. In literis ad vniuersos Galliæ episcopos scriptis de causa Rothaldi Suessionensis episcopi, amplè demonstrat omnes omninò, & episcopos, & clericos posse Romam prouocare: Demonstrat ex nono Chalcedonensi canone. In literis ad Suessionensem synodum affirmat Rhemenses à degradato episcopo Ebbone ordinatos clericos non ad se solùm, sed etiam ad suos Antecessores Leonem quartum, ac Benedictum tertium appellasse, ex causis tamen quæstionem non fuisse plenè retractatam, ac definitam. In literis ad Michaelem Augustum scribit ex omnibus sub cœlo gentibus plura assiduè hominum millia Romam accurrere: Hominum vexatorum non dumtaxàt à suis episcopis, sed etiam à suis Regibus. Et omnibus deberi, ac etiam præberi solatia, atque auxilia. Etiam miserabilis Monachus Godescalcus prouocauit ad eumdẽ Pontificem. Omittere non possim appellationem Balduini Flãdrensis Forestarij, ac Iudith Regiæ filiæ, factam item ad eumdem Nicolaum. Ei nos Flandri debemus plurima. Ipsa enim ad laudati Pontificis preces nos euexit in liberum populum. Nec mirandus est feruentissimus huius Pontificis in defendendis Romanis Gallicani cleri appellationibus zelus. Fomenta dedit præfatus Hincmarus, appellantes clericos consuetus tractare ad eum modum, quo Rex Pharao tractauit Hebræos. Ad Adrianum secundum Pontificem, vti Herlefridus Syluanectensis Presbyter, ita & Carolomannus, Caroli Calui Regis filius, aduersùm paternas violentias appellauit. Et ipsum Pontifex mòx reuestiuit. Plura exempla adducentur in decursu:

Epist. 2.
Epist. 57.
Epist. 59.
Epist. 8.

Dominus Petrus de Marca pro suis Commentis tandem adducit vigesimum sextum octauæ synodi canonem, qui clericos à suo episcopo degradatos permittit prouocare ad Prouinciæ synodum, atque adiungit: [Metropolita verò libenter suscipiat huiusmodi, & aduocet episcopum qui deposuit, vel alio modo clericum læsit, & apud se cum alijs etiam episcopis negotij faciat examen, ad confirmandam scilicèt sine omni suspicione, vel destruendam per generalem synodum, ex multorum sententia, clerici depositionem]. Affirmat hos canones, licèt à Gallicana non recipiantur Ecclesia, adeò tamen admitti à Romana, vt ipsos contineat antiqua Romani Pontificis professio, ipsumque obliget ad eos exequendos, & obseruandos. Et adiungit compendium, quo canonem circumscribit Anastasius Bibliothecarius: Quod si clericus depositus, vel iniuriam passus est à suo episcopo, potestatem habeat recurrere ad Maiores Catholicæ Ecclesiæ Principes, idest, Summos Pontifices. Addit compendium esse obscurum, & per Summos Pontifices intelligi episcopos istius Prouinciæ. Respondeo hoc posse transire. At quod Canon Prouincialis synodi de clero iudicium sanciat esse inconcussum, atque inappellabile, est ridiculum, paradoxum, indignum tanto Doctore, ac Antistite. Etenim sic excluderet etiam prouocationem clerici ab ista synodo ad Patriarcham. Quod nullus etiam Eusebianus, aut Photianus admiserit. Longè minùs excludit Romanas prouocationes. Synodus conuenit ad retractandam Sancti Patriarchæ Ignatij Romanam Appellationem, & ad Photianas contra Romanæ Ecclesiæ priuilegia contumelias proscribendas: Quis credat quod & ipsa istis priuilegijs plagas inflixerit? Aliud est Romanas Appellationes non exprimi, aut non laudari per canonem, aliud prohiberi. Dominus Archi-Episcopus à cunctis canonibus, qui ad Prouinciæ synodum appellari permittunt, & Romanæ appellationis facultatem expressè non adiungunt, scribit has appellationes prohiberi. Certè admodùm inconcinnè. Porrò, quod huius synodi canones Gallicana tunc Ecclesia non admiserit

ſerit, fecit Hincmarus Remenſis: Quod varios eius exceſsus iſti canones damnarint. Eos poſtmodò admiſit Gallia, atque eſt venerata.

Certè adſertio, quæ ſuadere tentat, quod Carolina Chriſtianiſſimorum Regum progenies inferiorem clerum à Romanis appellationibus excluſerit, itaque Sancti Apoſtoli Petri Diuina Priuilegia non modicè mutilauerit, eſt dictis Regibus, & cunctis ipſorum populis, noſtris progenitoribus, longè iniurioſiſſima. Etenim de auita noſtrorum Maiorum in Apoſtolicam Sedem reuerentia veraciter ſcripſit noſter tunc Apoſtolus Sanctus Bonifacius: [Reuera tanta reuerentia apicem Apoſtolicæ Sedis omnes ſuſpiciunt, vt nullam ſanctorum Canonum diſciplinam, & antiquam Chriſtianæ Religionis inſtitutionem magis ab ore Præceſſoris eius, quàm à ſacris Paginis, & paternis Traditionibus expetant. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, vt ad eius arbitrium ſuam conuerſationem, & ipſi remittant, aut intédant]. Quod magnus Carolus, licèt de nimia Romanorum Pontificum in criminoſos clericos indulgentia fuerit queſtus, Romanas ipſorum appellationes in nullo penitùs læſerit, lucidè demonſtrat eximium eius Capitulum, quod ſuo Decreto inſeruit Sanctus Iuo Carnutenſis Epiſcopus: [In memoriam beati Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis eſt mater dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas. Et licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, feramus, & pia deuotione toleremus. Si verò, quod non decet, quilibet, ſiue ſit Preſbyter, ſiue Diaconus, aliquam perturbationem machinando, & noſtro miniſterio inſidiando redarguatur falſam ab Apoſtolica Sede detuliſſe epiſtolam, vel aliud quod inde non venerit, ſalua fide, & integra circa Apoſtolicum humilitate, penès Epiſcopum ſit poteſtas, vtrùm eum in carcerem, aut in aliam detrudat cuſtodiam, vſquequò per epiſtolam, aut per idoneos ſuæ partis Legatos Apoſtolicam interpellet Sublimitatem, vt potiſſimum ſua ſancta Legatione dignetur decernere, quid de talibus iuſto ordine lex Romana ſtatuat definire, vt, & is corrigatur, & in cæteris modis imponatur]. Verba, [Epiſtolam, vel aliud, quod inde non venerit], faciunt hunc ſenſum: [Quod inde venire non debuerit]. Verba, [In memoriam beati Petri Apoſtoli honoremus], manifeſtè laudant, ac firmant Sardicenſes de Romana appellatione canones: Carolus lamentatur, & cum patientia, ac deuotione ſuffert hominum vitia, datam illis à Deo poteſtatem honorat, ac veneratur. Hoc eſt eſſe Principem Orthodoxum, verumque Catholicæ matris filium: [Non verbo, & lingua, ſed opere, & veritate].

Part. 5. Cap. 50.

Ex cunctis Carolinis Regibus vnus ferè Carolus Caluus, à Rhemenſi Hincmaro circumſcriptus, egit in iſtas appellationes. Hinc poſt-modò nata inter ipſum, ac dictum Hincmarum diſcordia aperuit illi oculos, adiutos ab ambitione Occidentalis Imperij. Etenim tamdem in Ludouici II. Imperatoris, ſui ex fratre nepotis, Thronum electus eſt à Ioanne VIII. Pontifice, ac Italiæ Epiſcopis, ea tamen lege, vt in Ticinenſi Conuentu faceret hanc profeſſionem: [Vt Sancta Romana Eccleſia, ſicut eſt Caput omnium Eccleſiarum, ita ab omnibus honoretur, ac veneretur. Neque quiſquam contra ius, & poteſtatem ipſius aliquid iniuſtè agere præſumat, ſed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro vniuerſali Eccleſia Paſtoralem exhibere curam, atque Sacris precibus omnium pro omnibus interpellare authorem. Vt honor Domino, & ſpirituali Patri noſtro, Ioanni Summo Pontifici, & venerabili vniuerſali Papæ ab omnibus conſeruetur: Et quæ ſecundùm Sacrum miniſterium ſuum authoritate Apoſtolica decreuerit, cùm ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur. Et debita illi obedientia ab omnibus conſeruetur. [Certè profeſſio videtur deſumpta ex nouella lege Valentiniani III. quidquid ſit, ipſam Carolus repetiuit in Pontigonenſi ſynodo coram Legatis eiuſdem Pontificis, atque ita eius Auguſta electio fuit comprobata, ac admiſſa etiam à Gallicanis epiſcopis. Ipſam omninò fecit contra impetus, quibus Romanas appellationes inuaſerat. Et clericorum etiam appellationes Pontifex ſtabilitas voluit. Hinc enim in Pontigonenſi ſynodo habemus etiam hunc articulum: [Quinto nonas Iulij conuenerunt epiſcopi ſine Imperatore. Et habitæ ſunt contentiones de presbyteris ex diuerſis Parochijs, clamantibus ad Legatos Apoſtolicos. Et ſic ſoluta eſt ſynodus in illo die]. Citra cauſarum definitionem. Poſtmodò autem reueſtitus eſt Adalgaudus presbyter, retractatorio iudicio dilato ad quatuor menſes. Eſt reueſtitus non per epiſcopos, ſed per Apoſtolicos Legatos. Ita Romana Clericorum Appellatio eſt iſtic plenè ſtabilita.

CAPVT XXI.

Examinatur Hincmari Rhemenſis Epiſcopi, ſub Caroli Calui Francorum Regis nomine ſcripta, Epiſtola ad Ioannem VIII. Pontificem.

Dominus Petrus de Marca procedit ad aliud argumentum: [Extremis annis Regni Caroli Calui, vis prima illata eſt authoritati Conciliorum Prouincialium. Presbyteri enim depoſiti, & pœnitentiæ ſubiecti, qui nec Iudicio Epiſcoporum ſuorum acquieſcere volebant, nec Metropolitanum interpellare, Romam proficiſcebantur, & illinc literas Canonibus aduerſas deferebant, in quibus citra vllam cauſſæ cognitionem Iudicia Epiſcoporum reſcindebantur, & Iudices Romam euocabantur, ſententiæ ſuæ rationes illic allaturi. De hoc enim vſu cum Ioanne octauo expoſtulat Carolus Caluus Imperator in epiſtola ad eum ſcripta, cuius Author eſt Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus. In qua illud quoque additur, nolle epiſcopos agnoſcere authoritatem harum literarum, quas exiſtimabant conceſſas fuiſſe à Miniſtris,

ſtris, commotis videlicet miſericordia quadam querentium, neque ſibi perſuadere poſſe eas juſſu Pontificis fuiſſe decretas.] Et infra: [Imperator probat debere presbyteros iudicari ab Epiſcopis, & à Synodo Prouinciç, ſi querela moueatur, Ita namque decretum in Concilijs Nicęno, Antiocheno, Sardicenſi, Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi. Neque licitam eſſe prouocationem ab eis Iudicijs, vt Synodus Carthaginenſis diſertis verbis definiuit.]

Reſpondeo miſceri hìc vera falſis. Primò falſum eſt, quod prima Presbyterorum Romana è Gallijs appellatio contigerit temporibus Ioannis octaui Pontificis, & Imperatoris Caroli Calui. Error eſt abundè demonſtratus, & reuictus in ſuperioribus. Secundò falſum eſt, quod Romanę Appellationes inferant vim Prouinciarum Synodis: Quod Nicęni, Antiocheni, Sardicenſes, Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſes Canones ſanciant Clericorum appellationes eſſe neceſſariò faciendas apud Prouinciæ Synodum, & iſtic ſine vlterioris progreſſus ſpe finiendas. Etenim longè aliud docent Angilramni Metenſis Epiſcopi, quæ Gallicana Eccleſia ſemper fuit venerata, Adriano primo Pontifici oblata Capitula: [Saluo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu, manifeſtum eſt, quod illa, quæ ſunt per vnamquemque Prouinciam, ipſius Prouinciæ Synodus diſpenſet, ſicut in Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio.] Palam profitentur Nicænis, adeòque & cunctis alijs, Iudiciorum, ac Appellationum formam præſcribentibus, antiquis Canonibus ineſſe hanc intrinſecam conditionem: [Saluo Romanæ Eccleſiæ in omnibus Primatu.] Et hanc profeſſionem Angilramnus, & omnis Gallicana Eccleſia didicit ex ſuo primo Canonum Codice: Ex Innocentij primo reſcripto ad Rorhomagenſem Victricium. Cap. 9.

Carolus Caluus noni Chriſtiani ſæculi anno ſeptuageſimo ſexto eſt electus in Imperatorem. Et tunc tàm in Ticinenſi Conuentu, quàm in Pontigonenſi Synodo fecit præfatam profeſſionem pro Romanæ Eccleſiæ dignitatibus. Manifeſtè fecit contra violentias, quas aduersùs Rothaldi Sueſſionenſis, ac Hincmari Laudunenſis Epiſcopi Romanas Appellationes intulerat Nicolao primo, ac Adriano ſecundo. Et profeſſio ſe omninò extendebat etiam ad Romanas Appellationes inferioris Cleri. At verò hæc ad Ioannem Pontificem epiſtola eſt ſcripta anno ſequenti. Hinc quæritur, quomodò non ſit præuaricatoria? Reſpondeo ipſam proceſſiſſe ex verſatili Hincmari Rhemenſis ingenio, peritiſſimo ad omnem ventum vela vertere. Attamen non eſt palàm præuaricatoria. Primò, quia ſupplicat Pontifici. Deinde, quia potiùs contra Clericalium Appellationum abuſum ſupplicat, quàm contra ſubſtantiam. Præſertim ſupplicat, vt inferior Clerus deinceps compellatur à ſuorum Epiſcoporum Iudicijs non immediatè Romam, ſed priùs appellare ad Synodum ſuæ Prouinciæ. Hunc enim ordinem ſanciunt cuncti præfati Canones. Et omninò ex Apoſtolica diſciplina ducunt originem. Quare æqua, & iuſta, ſaluis tamen ſaluandis, fuit iſta poſtulatio. Præcipuum epiſtolæ peccatum eſt, quod ex abuſuum prætextu moliatur ſuffocare, & abolere ſubſtantiam.

Damnati ob crimina à ſuis Epiſcopis Clerici iſto tempore paſſim nolebant ſuarum Prouinciarum Synodos accedere, atque ita impingebant in tertiæ Aurelianenſis Synodi Canonem: [Si quis Clericorum circa ſe, aut diſtrictionem, aut tractationem Epiſcopi ſui putat iniuſtam, iuxta antiquas Conſtitutiones recurrat ad Synodum.] Eſt antiqua, & frequens apud omnes gentes Conſtitutio. Verùm maculoſa Clericorum conſcientia auerſabatur hunc morem. Egebat enim non iuſtitia, ſed liberaliſſima gratia, quam ob damnatoris, ac diſciplinam diligentis epiſcopi præſentiam deſperabat à ſua Synodo. Hinc inuocabant, & accedebant maternam Romanæ Eccleſiæ clementiam, ipſam doloſis lachrymis, ac alijs obreptionum artibus inflectebant, & glorioſi redibant in Galliam. Etiam inſultabundi. Apoſtolicis enim abſolutionum, ac reparationum literis armati ſpernebant ſuos epiſcopos, viuebant libertinè, dehoneſtabant Eccleſiaſticam vitam, & ſcandalizabant Chriſtianum Populum. Et Ioannem octauum Pontificem fuiſſe in ſuſtinendo diſciplinæ fræno, ac neruo languidiorem, eſt exploratum. Hìnc zeloſiores epiſcopi modicè deferebant iſtis Romanis gratijs, ac Roma redeuntes Clericos cogebant ad explendam ſibi impoſitam pœnam aut pœnitentiam. Et certè hęc de Romani Pontificis circũſcriptione exceptio ſemper competijt Epiſcopis. Quod enim etiam Hiſpani Epiſcopi aduersùs Baſilidis, ac Martialis Epiſcoporum reparationem, à ſancto Stephano Pontifice doloſè extortam, olim exceperint, ipſamque excuſſerint, teſtatur, & comprobat glorioſus Martyr Cyprianus. Proinde ſi aduersùm iſtos dumtaxat abuſus interceſſiſſet Imperator Carolus, iuſta, ac fundata erat interceſſio. At eſt egreſſa limites. Quare etiam Dominus Petrus de Marca errat tertiò, quod dicat damnatos Presbyteros, nec à Synodali ſuæ Prouinciç Iudicio potuiſſe Romam confugere. Quartò, quod hoc probet ex Africanis Canonibus, & velit ipſos obtinere in Gallia. Etenim Africanæ Eccleſiæ inferior Clerus nunquam potuit prouocare Romam, ſed debuit ſuarum Synodorum ſententijs acquieſcere. Fuit ſingularis conſuetudo iſtius gentis, ideòque nullatenùs poteſt tranſcribi in alios. Can. 20.

Aduertendum eſt, quod Rhemenſis Hincmarus non cœperit primus prouocare ad Africanos Canones, & mores: Nequidem ad præuaricatoriam Aurelij Carthaginenſis primatis epiſtolam. Etenim Angilramnus Metenſis Epiſcopus ſuis Capitulis inſeruit etiam hunc articulum. [Prudentiſſimè, iuſtiſſimèque Nicæna, ſiue Africana Decreta definierunt, quæcumque negotia in ſuis locis, vbi orta fuerint, finienda. Maximè quia vnicuique conceſſum eſt, ſi iudicio offenſus fuerit cognitorem, ad Concilium ſuç Prouinciç, vel etiam vniuerſale prouocare.] Palam loquitur ex præuaricatoria epiſtola: Et eius ſanctionem profitetur eſſe non ſolummodò Africanam, ſed etiam Nicęnam. Fuit tunc venialis error. Etenim Regia magni Caroli diligentia Gallicanam Eccleſiam, necdum libe-

liberauerat à varijs ignorantię tenebris, in quas illam detruserat Merouingiorum Regum ignauia. Angilramnus nesciebat granum discernere à palea, ideòque simplicem, ac plenam fidem dabat isti epistolæ. Attamen sub iam laudata clausula: [Saluo Romanæ Ecclesiæ in omnibus Primatu.] At verò Rhemensis Hincmarus, emunctæ naris, ac mentis Doctor, aduersùs Romanam Ecclesiam studuit Africanos mores, immò & istam prævaricatoriam epistolam deducere in Gallias, atque ita potenter, si non in episcopos, in omnem certè inferiorem Clerum dominari.

Can. 20. Præfata Caroli Regis, vel potiùs Hincmari epistola est discutienda. Distinguit inter episcopos, & clericos, & istis profitetur esse plenam facultatem appellandi ad Sedem Apostolicam. Addit tamen retractatorium Iudicium esse faciendum in partibus: Errat partes non posse Romam euocari. Multis nititur firmare errorem: Etiam ex infelicissima Africanorum Antistitum epistola ad Cœlestinum Pontificem. Quæ, aut ignorantia, aut vafricies fuit Hincmaro indigna. Pergit ad Cleri inferioris appellationes: [Appellantes Presbyteri, vel Diaconi, à quibus, & qualiter sint iudicandi, sacri Carthaginenses Canones euidenter ostendunt.] Multis nititur demonstrare damnatis Clericis esse prouocandum ad Synodum suæ Prouinciæ, addit hæc esse Canonica istarum Synodorum priuilegia, atque concludit: [Quæ si etiam illis seruata, & ab eis secuta, & executa non fuerint, nihil prodest eos secundùm sacros Canones, & Decreta Sedis Romanæ Pontificum, pro accusatis Presbyteris de manifestis criminibus Comprouinciales; episcoporum Synodos frequentare, sed faciet licenter quisque Presbyterorum quod libet, vnde si fuerit redargutus, veniat Romam. Et quia pro singulis Presbyteris episcopi Trans-Alpini irregulariter iudicatis Missos dirigere, & actionũ documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro multis alijs impedimentis huc producere, fiducialiter poterit mentiens quisque innocentiam suam asserere, cum non erit, qui mendacia eius possit refellere. Vnde Legum. & Canonum Conditores prudentissimè, iustissimèque viderunt, quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda; & per expressa Regularum Iudicia discretissimè iudicanda, & post iudicium conseruanda. Maximè de subintroductione contra regulas mulierum, pro qua ab episcopis Trans-Alpinis Presbyt. regulariter iudicati ad hanc sanctam Romanam Sedem inscijs suis episcopis veniunt, & eis epistolas eorum refragantes iudicijs deferunt, eosque, vel comministros illorum ad hanc sanctam Sedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt: Quod antiquorum Legibus, vel Patrum Regulis decretum fuisse legimus. Quas epistolas sacris Legibus obuias, nec authoritate Apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumcumque vafricie credimus. Non enim sibi ipsi Sedes Apostolica potest esse contraria, vel diuersa, de qua Gelasius Papa dicit, quod nulla Sedes magis obligetur sacros obseruare Canones, quàm prima.] De eiusdem literis scripsit in exordio epistolæ: [Trans-Alpinarum Regionum Presbyteri, à suis episcopis de certis criminibus regulariter ab Ordine Sacerdotali deiecti, & pœnitentiæ subacti, sine licentia, & conscientia Primatum, & episcoporum suorum, huc venire, & hinc epistolas, quæ Regulis non conueniunt, referre cœperunt. Quas non iussione Apostolica, sed vt assolet etiam in Republica, propter multiplicia Reclamatorum negotia, quorumcumque ministrorum quasi pia miserarione factas, & nos, & illius regionis putant episcopi.]

Gallicani isto tempore Presbyteri, ob concubinatum, vel alia flagitia à suis episcopis damnati, non ad suæ Prouinciæ, à quo degradationem suam nouerant confirmandum, Concilium prouocabant, sed omnibus inscijs secedebant Romam, & isthìc obtinebant literas, quibus eorum appellatio admittebatur, quibus reuestiebantur in suum gradum, & quibus episcopus, aut eius Vicarius Romam euocabatur, ad retractatorium Iudicium. Iuxta Sardicenses Canones. Est forma Ioanne Octauo longè antiquior. Etenim de ipsa apud Gregorium III. noster Apostolus Bonifacius, & apud Adrianum I. questus etiam fuit Francorum Rex Carolus Magnus. Istiusmodi miseriæ solent pedetentim irrepere. Proinde Hincmari expostulatio quoad duos articulos fuit fundata. Primò, quod flagitiosi Clerici, neglecta Prouincię Synodo, immediatè Romam accederent, Deindè, quod Romana Ecclesia nimiùm faciliter ipsos exaudiret. Verùm Hincmarus grauiter excessit, quod degradatis Clericis omnium Romanæ appellationes portam tentauerit claudere, Quod Transmarinum, & Trans-Alpinum, idest, Africanum, & Gallicanum Synodale Iudicium equiparauerit: Quod Africanę Ecclesię in suos Clericos authoritatem voluerit communem Gallicanę Ecclesię. Imitari debuerat sanctum Bonifacium, & Magnum Carolum, qui de Romanæ appellationis abusu conquesti, eius substantiam fuerunt venerati.

Hincmarus pergit: [Potest fieri, vt illi, qui in vicinis Parochijs sunt huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique iuxta sacras Regulas ad manus impositionem, & ad Synodos huc venire solent, ipsi pro reclamatione contra Presbyterum suum ad præfatam examinationem conueniant, sicut sacri Canones, ac leges præcipiunt, vt ad Primatem vniuscuiusq; Prouinciæ, qui negotia videntur habere, concurrant, vel ad Synodum, qui se læsos existimant, quò non sit difficilè restes producere, inuitentur. Trans-Alpinis autem, & alijs qui similiter in longinquis Regionibus commorantur, Apostolica Sedes, & sacrorum Canonum Promulgatores, quæ sunt vnicuiq; Prouinciæ possibilia, & authoritati conuenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia, tenenda, & exequenda discretissimè præfixerunt.] Et D. Petrus de Marca commentatur: [Francorum desiderio opponebatur consuetudo aliarum Ecclesiarum, quæ Presbyteros damnatos consentiebant in Synodo Romana, cui episcopi eorum interessent, iudicari. Excipit Imperator præclarè admodum, disparem esse rationem Episcoporum Romanæ Vrbi vicinorum, & eorum, qui trans

Alpes essent. Illos quippe à Papa consecrari, & ad eius Synodum pertinere, quò secundùm Canones accedere tenentur, ideòque interesse posse examinandis querelis, quas eorum Presbyteri proponunt. At Trans-Alpinorum, aliorumque, qui in longinquis Regionibus commorantur, diuersam esse caussam. Canones, & Decreta Pontificum nihil aliud ab eis exegisse, quàm id, quod possibile fuerit, & quod authoritati Canonicæ, pacique Ecclesiasticæ consentaneum foret. Nunquàm adactos Trans-Alpinos Episcopos ad iter Romanum pro quęstionibus Presbyterorum. Quamquam fortasse ita vsurpatum ab ijs, qui ad specialem Episcopi Romani Diœcesim pertinebant.]

Quæstio erat, an Gallicani Presbyteri possent, prætermissa suæ Prouinciæ Synodo, immediatè Romam prouocare. Et pontificis caussam adiuuabat perpetuus mos totiùs Italiæ, cuius Presbyteri ita appellabant, & quorum Episcopos Papa euocabat ad retractatorium Iudicium. Porrò Romanorum Episcopus est non solummodò Papa, sed insuper Occidentis Patriarcha, Exarchus Italiæ, ac Metropolita suæ Prouincię. Et huius omnes Episcopos consecrat, consecrandos euocat ad suas manus, & suo tempore ad suas Prouinciales Synodos. Hęc Prouincia olim erat vastissima: Comprehendebat Picenum, Æmiliam, Campaniam, reliquas Prouincias, vsq; ad Mare Ionium, ipsamque Siciliam, & Corsicam. Isto quidem tempore Siciliam, Calabriam, Apuliam, aliasque Italię Prouincias, per hęreticam Leonis Isauri Imperatori violentiam abstractas, detinebat Patriarcha Constantinopolitanus: Verùm violentia non pręiudicat iuri. Rex igitur Carolus, ac Metropolita Hincmarus affirmant harum Regionum Clericos posse à suorum Episcoporum sententijs appellare ad Papam, atque ipsorum Episcopos ad retractatorium Iudicium à Papa euocari, eò quod sit ipsorum Metropolitanus, ideòque non habeant aliud refugium. At longè aliam esse rationem in Clericis Trans-Alpinis, habentibus suas proprias Prouincias, proprios Metropolitas, propriasque Synodos. Eos obligari ad istas Synodos proximè inuocandas. Et quidem si isthic stetisset Hincmarus, non carebat fundamento, & poterat exaudiri. At istis Clericis auferre facultatem inuocandi Sedem Apostolicam aduersùs suarùm Synodorum Iudicia, & Africanum morem protrudere in Galliam, erat criminosa pręsumptio.

Hincmarus hęc optimè notat. Notat inferiorem totiùs Mundi Clerum semper à suis Synodis prouocasse Romam, & istas prouocationes semper fuisse directas secundùm Canones Sardicenses. Hoc nodo, vt se extricet, prosequitur: [Legimus etiam, quamuis rarissimè pręceptum à Sede Apostolica, quosdam de longinquioribus Parochijs specialis Diœcesis Romani Pontificis, ad cuius sollicitudinem vniuersalis Ecclesia pertinet, propter contumaces contentiones aliquas fuisse inuitatos. Sed de Trans-Alpinis Regionibus, quibus decreta Priuilegia seruari debent, tale quid pro Presbyterorum, & Diaconorum appellatione à Sede Apostolica pręceptum fuisse, non legimus.] Per longinquas specialis Diœcesis Romani Pontificis Parochias intelligit omnem Patriarchatum Romanum. Fatetur ex remotioribus istius Patriarchatus Prouincijs, ac Parochijs Presbyteros quandoque appellasse Romam, & Episcopos ad retractatorium Iudicium euocatos comparuisse: Verùm rarissimè, & nonnisi ob contumaces contentiones. Addit id nunquam factum in Gallia: Eò quod ipsa circa hunc articulum habeat singularia Priuilegia. Nempe Priuilegia Africanę Ecclesię. Quo in puncto grauissimè labitur. Lucet ex supra adductis testimonijs sancti Leonis in epistola ad Rusticum Narbonensem, sancti Auiti in literis ad Ansemundum, Pelagij primi in Rescripto ad Sapaudum Arelatensem, ac Gregorij III. in literis ad sanctum Bonifacium. Porrò quod Gallicana Ecclesia circa Romanas inferioris Cleri Appellationes habuerit Priuilegium, aut morem Africanę Ecclesię, est friuolum nugamentum. Proinde hęc Hincmari exceptio meritò fuit refutata.

Petrus de Marca pergit agitare quęstionem, an Gallicani Presbyteri possent à suorum Episcoporum Iudicijs immediatè, neglecta suę Prouincię Synodo, prouocare ad Pontificem, & prosequitur: [Et Ioannes quidem VIII. videtur maiorem antiquarum institutionum curam habuisse post acceptam Caroli epistolam, quam Decreto octaui Concilij muniri conspiciebat. Quippe Sigebodo Narbonensi Archiepiscopo exprobrat facinus quorumdam Episcoporum Prouinciæ Narbonensi, qui Presbyterum quemdam accusatum ad Sedem Apostolicam accedere iusserant, interim verò eum suspenderant, ac quibusdam epitimijs,] idest, pœnitentijs [onerauerant, donec aliter summus Pontifex statuisset. Porrò ea de caussa Presbyterum illum Romani Episcopi Iudicio commiserant, quod caussa dubia esset. Addit verò rectè illos id agere potuisse, si ea] in plenario Concilio [examinata, constitisset esse difficilem. Eò enim casu consuli potuisse Sedem Apostolicam, secundùm antiquam consuetudinem:] Vt ita facta scripto relatione, si quid dubium sibi, vel difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc, more prisco, Decretum exposceret. [Quapropter Ioannes cognitionem illam ab eo Metropolitano suscipi iubet, vt iure proprio eam definiat cum Collegis suis.] Hæc sunt verba Pontificis: [Ergò saltem nunc Fraternitas tua, Metropolitani iure potita, ex episcopis sub se degentium, vel vicinorum sex vnà cum episcopo, cuius est iste Paræciæ, sibi socians, tantum negotium ventilet subtili discussionis ventilabro, & inuento, quod iustum est, Canonicè decernat, & communi Fratrum censura definiat.]

Respondeo hæc non facere ad propositum. Non de Romana Appellatione agunt, sed relatione. Neque enim iste presbyter Romam prouocauerat. [Facto tumultu presbyterum illum quidam apprehensum, & à terra brachijs subleuatum, in proprium fratrem forti iactauerat impetu, vt idem germanus suus tanto onere malè impulsus in terram ruerit, & prostratus, atque oppressus vitæ flatum violenter amiserit.] Hinc nata est quæstio, an presbyter ex isto homicidio esset irregularis? Eius episcopus, assumptis quibus-

busdam Collegis, discussit causam, & iudicauit dubiam, atque difficilem. Quare presbyterum suspendit ab officio, imposuit epitimia, & Romam misit ad iudicium Papæ Ioannis. Misit sine debitis instructionibus. Audi ab ipso Pontifice: [At vbi nobis & persona Relatoris incognita, & nullo episcoporum Scripto commendatio approbata est, & rursùs vbi nulla est accusatoris obiectio, nec accusati reatus confessio, nec fidelium comprobatio testium, nos nec illius solius narrationi creduli esse possumus, nec rursùs in eum definitiuam damnationis sententiam proferre valemus.] Arguit istum episcopum, quod causam, licèt dubiam, ac difficilem, non proximè ad Metropolitam, aut eius synodum, sed Romam, & quidem sine instructionibus, & ipse Pontifici ignotus, retulisset. Executus est antiquum Canonem, quem ad Theodorum Foroiuliensem episcopum scribit magnus Leo: [Sollicitudinis hic ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitùs de eo, quod quærendum esse videbatur, conferres; ac si id, quod ignorabat Dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis. Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet inquiri.] Et adiungit: [Sed vt quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de quæstionibus tuis habeat ecclesiastica regula, non tacebo.] Affirmat episcopales relationes, vel ad Metropolitam posse fieri, vel ad Pontificem: Episcopis esse ius eligendi. Verùm Apostolica Sedes, quoniam per omnium ecclesiarum sollicitudinem distrahitur in plurima, semper maluit primam relationem fieri ad Metropolitam. Hinc quasi de speciali gratia Leo rescripsit referenti Theodoro. Hoc alternatiuæ ius norat, & ipso vsus fuit iste etiam Gallicanus episcopus: Verùm Ioannes Pontifex, quod causa non esset instructa, ipsum censuit non exaudiendum. Non igitur per Hincmari, aut Caroli Regis epistolam fuit correctus, sed egit ex antiqua regula ecclesiæ, de qua nullam mentionem fecerat ista epistola.

Epist. 82. Cap. 1.

D. Petrus de Marca sua aduersùs inferiorem Galliæ Clerum, & Apostolicæ Sedis authoritatem commenta probat etiam ex literis Adriani secundi Pontificis ad præfatum Regem Carolum: Quod præsentem presbyterum Herlefridum, potestate sui Præsulis plusquam canonica veritate perculsum, ad Sedem Apostolicam, vtpotè Caput omnium ecclesiarum, venire passi estis, benè quidem fecistis; sed nunc meliùs faceretis, si quod inciuili consilio apud suum Episcopum perperam gestum est, in Prouinciali synodo apud vos rationabiliter, & apud Fratrem nostrum Hincmarum Archiepiscopum cassaretur. Quapropter Apostolica dilectione Gloriam vestram hortamur, vt aut præsentialiter huic Herlefrido presbytero suam ecclesiam cum omnibus suis, vsque ad tempus Prouincialis Synodi hanc liberè possessuro, pro tempore, quod Sacri Canones definiere, solemniter reddere faciatis, aut Erpuinum Episcopum suum Legatum nobis, qui hæc pleniùs veriusque renunciet, præsentialiter mittere cogatis: Quatenùs, dum luce clariùs cuncta nouerimus, sciamus in quem Apostolicæ animaduersionis sententiam proferamus. [D. Petrus de Marca commentatur:] Adrianus itaque Pontifex agnoscit authoritatem Metropolitani, cui negotium istud iudicandum relinquit, ac tamen indicat cupere se, vt causa apud Sedem Apostolicam iudicetur, si Rex ita patiatur. Eius tamen arbitrio rem integram relinquit.

Respondeo hoc exemplo lucidè euinci ius Sedis Apostolicæ, ac demonstrari quod Carolus Rex ipsum agnouerit. Hæc est facti species. Erpuinus Syluanectensis Episcopus nescio cuius Ecclesiæ Curatum Presbyterum Herlefridum deposuerat, ac sua Parochia eiecerat: Et quidem inciuili consilio. Sic enim textus est corrigendus. Hinc Herlefridus prouocauit. Verùm non ad Hincmarum Metropolitam, aut eius Synodum, sed proximè Romam. Et Carolus Rex fecit ei facultatem exeundi Regno, & accedendæ Sedis Apostolicæ. Nempè nouerat Gallicanum Clerum posse, etiam immediatè, Romam prouocare à Iudicijs suorum Antistitum. Adrianus Pontifex appellationem admisit, & paratum se exhibuit ad retractatorium iudicium; addidit tamen se malle, vt fiat per Hincmarum Archiepiscopum in Prouinciali synodo. Quare errorem continent hæc verba D. Petri de Marca: [Indicat cupere se, vt causa apud Sedem Apostolicam iudicetur.] Etenim Pontifex manifestè fuit indifferens. Et processit secundùm Canones Sardicenses. Hinc Herlefridum iussit mox sua Ecclesia, & omnibus alijs reuestiri, & ab Erpuino Romam mitti Legatum, qui in retractatorio, si quidem Romæ fieret, iudicio esset ipsius Apocrisarius. Proindè Carolus Rex tunc etiam agnouit, quod istud iudicium posset Romæ fieri, & quod necessarias ad ipsum personas Pontifex posset euocare. Hæc tunc confessus est idem ille Rex, qui nuper in causa Rothaldi Suessionensis Episcopi, & postmodò in adductis ad Ioannem VIII. literis egit, & scripsit omnia contraria: Nempè iuxtà varios ventos, qui spirabant ex Hincmari pulmonibus. Quare hoc Herlefridi exemplum penitùs euertit commenta D. Petri de Marca.

Audiamus illius conclusionem: [Adriani, & Ioannis successores, ruptis Canonum cancellis, appellationes presbyterorum admisere, adeò vt Gregorius VII. in Decretis suis, quæ vulgò Dictatus Papæ dicuntur, hoc quoque præceperit:] Vt nemo audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem. [Quod in ius commune versum est in Decreto Gratiani, & in libris Decretalium.] Respondeo immediatas ad Romanam Sedem appellationes inferiori Clero per nullum auferri antiquum Canonem. Alternatiua est antiquissima. Lucet ex præfato sancti Leonis Rescripto ad Theodorum Foroiuliensem. Etenim appellationis, ac relationis est eadem ratio, ac potestas: Ad ipsum, ad quem referre oportet, licèt & appellare. Eundem morem viguisse in Orientali Ecclesia docet nos Anastasius Nicænus episcopus, Bithyniæ tunc Metropolita, dicens ad omnem Chalcedonensem synodum: [Sunt epistolæ beati Ioannis episcopi Constantinopolitani ad Nicænum episcopum, vt iret Basilonopolim, & emendaret Ecclesiam, tamquam sibimet com-

Petentem.] Affirmat nescio quos Basilonopolitanæ Ecclesiæ Clericos non ad Nicænum Metropolitam, sed immediatè prouocasse ad sanctum Ioannem Chrysostomum, vti ad Patriarcham Constantinopolitanum, & ab hoc causam istam, quod proprijs deberet oculis inspici, fuisse delegatam isti proprio Metropolitæ, ac ipsi mandatum, vt iret Basilonopolim, & istas lites definiendo emendaret, ac pacificaret Ecclesiam. Item supra audiuimus, quod Marcion presbyter proximè, prætermissis omnibus medijs, appellauerit ad Sedem Apostolicam. Istum morem Orientalibus Clericis fuisse familiarem demonstrant plura loca magni Gregorij. Interim sanctus Paulus Apostolus reliquit nobis eximium Canonem: [Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.] Quod immediatas Clericorum Appellationes passim admitti, ac definiri à Romanis Pontificibus non expediat Catholicæ Ecclesiæ, Eugenio tertio in libris de consideratione rectè suadet sanctus Bernardus. Quod item Ioannis Octaui successores ista in re fuerint nimiùm benigni, docet sub Formosi Papatu, & Arnulphi imperio celebrata Triburiensis synodus: Etenim supra adductum magni Imperatoris Caroli Capitulum innouat, ac assumit in suum Canonem. Eximium istum Principem imitata frænauit abusum, Romanæ Sedis authoritatem, nec tangere præsumpsit. Nempè Arnulphus erat Carolinæ stirpis, ac virtutis Princeps, ideòque fuit memor, quod etiam Nicæna synodus supra sancti Petri Sedem nihil fuerit ausa constituere, sciens illi omnia concessa à Domino. Dominus Petrus de Marca non rectè culpat omnes à Ioanne Octauo vsque ad Septimum Gregorium Pontifices. Quod enim sanctus Leo Nonus, eiusque successores, præsertim laudatus Gregorius, lapsam disciplinam strenuè restaurarint, & quod à propria domo, ab ipsa Romana Ecclesia incœperint, est cunctis manifestum. Eiusdem Gregorij Dictatus meretur apud omnes Ecclesias describi aureis literis, & à cunctis Christianis addisci memoriter, adinstar Symboli. Nam & Gallicana olim Ecclesia hanc reuerentiam detulit dogmatico Tomo sancti Leonis. Dictatum suo loco sum conatus exponere, ac defendere ab æmulis.

CAPVT XXII.

An Gallicani Episcopi fuerint aliquando exempti à Patriarchali, intra Almam Vrbem celebranda, Romani Pontificis Synodo.

AFfirmat Dominus Petrus de Marca, & eumdem errorem imponit Hincmaro Rhemensi, ac Regi Carolo Caluo. Ex his ipsorum verbis in superiùs adducta epistola ad Ioannem Octauum Pontificem: [Legimus etiam, quamuis rarissimè, præceptum à Sede Apostolica quosdam de longinquioribus Parochijs specialis Diœcesis Romani Pontificis, ad cuius sollicitudinem vniuersalis Ecclesia pertinet, propter contumaces contentiones aliquas inuitatos fuisse. Sed de TransAlpinis Regionibus, quibus decreta priuilegia seruari debent, tale quid pro presbyterorum, & diaconorum appellatione à Sede Apostolica præceptum fuisse non legimus.] Hæc verba Dominus Petrus de Marca commentatur: [Exceptio illa, nimirùm Ecclesiam Gallicanam non pertinere ad specialem Diœcesim Romanam, idest, neque ad consecrationem Episcopi Romani, neque ad eius synodum, tametsi Sedem Apostolicam coleret, velut particulare Occidentis, & etiam tamquam Caput vniuersæ Ecclesiæ; exceptio, inquam, illa prorsùs legitima erat. Prudenter itaque Nicolaus I. conatus est efficere, vt Episcopi Galliarum ad Concilium Romanum conuenirent, vt ea ratione eamdem in Gallia, & vniuerso Occidente Patriarchalis Iurisdictionis amplitudinem constitueret, quam Patriarchæ Orientis possidebant in sua quisque Diœcesi. Illi autem Metropolitanos omnes euocabant ad synodum patriarchalem, iuxtà Canones Constantinopolitanos, & Chalcedonenses, Iustinianique Nouellas. Ea itaque de causa literas ad episcopos Galliarum, & Germaniarum scripsit, vt eos ad Concilium Romanum euocaret. Quæ redditæ illis fuere cura Regum Caroli Calui, & Ludouici. At Episcopi, qui Nicolai consilium intellexerant, nihil suo nomine responderunt, sed scribi ad eum procurauere à suis Regibus, qui Protectores sunt libertatum Ecclesiæ. Igitur Principes scripserunt non potuisse episcopos accedere ad Concilium ob breuitatem temporis, & ob pericula itinerum, & ob id etiam quod occupati essent pro tuitione Regni aduersùm Pyratas. Quibus addunt nullam esse necessitatem, quæ episcopos cogat Romam mittere,] vt Concilio intersint. Et episcopos de regnis vestris Romam mittendi non postulet necessitas, [Vt ait Nicolaus in sua ad Reges epistola. Qui ex his verbis colligit nolle episcopos mandatis suis obedire. Nam Reges tamquam rem certam existimabant episcopos suos non pertinere ad corpus Concilij Romani, atque ideò non teneri ad illud accedere toties, quoties eos euocari contingit, sed tantùm si ea necessitas incidat, vt Concilium œcumenicum sit celebrandum.]

Respondeo hanc fabulam sibi ipsi non cohærere. Etenim si Gallicana Ecclesia Romanum Antistitem agnoscat, & veneretur, vt suum, ac totius Occidentis Patriarchale Caput, quomodo eius episcopi non spectant ad eius synodum, & consecrationem? Hæc enim sunt duo Patriarchalis dignitatis nobiliora capita. Quis hoc iure, quod non soli Constantinopolitani, & Chalcedonenses, sed etiam Nicæni Canones confirmant omnibus Patriarchis, exuit Romanum? Quod enim Chalcedonenses, & Constantinopolitani videantur sancire de solis Orientalibus, oritur ex auitæ reuerentiæ regula, ex qua nullum generale Concilium præsumpsit aliquid constituere supra Romanam Ecclesiam, sciens illi à Domino concessa omnia. Certè isto, præsertim ad Patriarchalem synodum euocandi Gallicanos Episcopos, iure Romana Ecclesia semper fuit gauisa, & vsa. Etenim

Ro-

Romana Synodus, in qua sanctus Melchiades damnauit Donatistas, fuit Patriarchalis: Et ad ipsam euocati sunt, atque comparuerunt illustriores Galliarum Antistites. Scio illos euocatos per sacram iussionem Imperatoris Constantini: At illa facta est secundùm Canones. Etiam prima Arelatensis Synodus fuit Patriarchalis: Conuocata ac directa per sanctum Syluestrum. Et habuit Gallicanos episcopos. Idem Syluester ad Nicænam Synodum transmittere voluit non solos suos, sed insuper Legatos suæ Patriarchalis Synodi, itemque cum sui suffragij prærogatiua suffragium istius synodi: Hinc ad Almam Vrbem conuocauit ducentos sexaginta septem suarum Diœcesion episcopos. Quis inficietur Gallicanam etiam Diœcesim adfuisse? Istud ipsum pro Chalcedonensi synodo egit sanctus Leo: Verùm in alia forma. Omnes suas Diœceses Romam fatigare ex causis nolens, iussit ipsas congregari intra suos limites, & ad se transmitti singularum synodale suffragium. Quanta cum reuerentia obediuerit Gallicana Ecclesia, docet eius Rescriptum ad Pontificem.

Et inter authenticas sancti Damasi Pontificis literas sexta est ipsius, & episcoporum, qui ad eum in Romanam Vrbem ex Italia, & Gallia conuenerant numero nonaginta. Est synodalis ad Illyricianam Diœcesim. Et alia ad eiusdem Diœcesis Antistites synodica eiusdem Pontificis epistola habet: Significatum est nobis à Fratribus, qui in Gallia, & agro Venetorum habitant. Et rursùm: Gallorum, atque Venetorum Fratrum relatione comperimus. Quod nempè Galli, non minùs, quàm Veneti, spectarent ad Patriarchalem synodum Romanæ Ecclesiæ, & Aquileiensi sub eodem Pontifice, quod Patriarchalis formam habuit, Concilio adfuerunt plures Gallicani episcopi, & plures absentium Legati. Eiusdem Concilij synodalis epistola habet hanc Epigraphen: [Concilium, quod conuenit Aquileæ, dilectissimis Fratribus, episcopis Prouinciæ Viennensium, & Narbonensium, primæ & secundæ.] Quod nempè istæ Prouinciæ spectarent ad idem Patriarchale Collegium. Hinc eiusdem synodi ad Principes relatio habet: [Omnes propè episcopi ex omnibus Prouincijs Occidentalibus, missis adfuere Legatis.] Alia relatio exponit istas Prouincias: Quod à vobis Africanæ, & Gallicanæ Ecclesiæ per Legatos obsecrant.

Illustrissimum Gallicanæ obedientiæ, ac reuerentiæ exemplum habemus à sexta synodo. Sanctus Agatho, antequam suam legationem mitteret Constantinopolim, conuocauit suam Patriarchalem synodum, & adfuerunt episcopi centum vigintiquinque. Inter hos erat [Adeodatus Leucorum, seu Tullensis episcopus, Legatus venerabilis synodi per Galliarum Prouincias constitutæ. Felix episcopus Arelatensis, Legatus venerabilis synodi per Galliarum Prouincias constitutę. Taurinus Diaconus sanctæ Ecclesiæ Telonensis, Legatus venerabilis synodi per Galliarum Prouincias constitutæ. Vvilfridus episcopus sanctæ Ecclesiæ Eboracenæ, Legatus venerabilis synodi per Britanniam constitutæ. Valentinus episcopus sanctæ Ecclesiæ Aquensis.] Imperator Constantinus optauerat istam synodum esse numerosiorem; verùm cur esse non potuerit, audiamus à Pontificis rescripto ad Principem: [Nisi longus Prouinciarum ambitus, in quibus humilitatis nostræ Concilium constitutum est, tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc noster famulatus impleret.] Affirmat, familiare sibi Concilium, longè extendi. Nempè vsque ad Oceanum, & vltra ipsum. Et supponit omnes istos episcopos obligari ad suam synodum. Et ad Faustum ac Symmachum, Romanæ Vrbis Senatores, scribit sanctus Auitus Archiepiscopus Viennensis: [Fuerat talis status rerum desiderandus, vt ipsi per nos Vrbem Orbi venerabilem pro dependendis diuinis, humanisque expeteremus officijs. Sed quia istud iam dudum per rationem temporum fieri posse cessauit, vellemus, vel eò securitatis accedere, vt quæ in communi causa supplicari oportet, Amplitudo vestra Congregatorum Galliæ sacerdotum relatione cognoscat.] Agit de Patriarchalibus synodis Symmachi Papæ. Lamentatur in Gallia defecisse Romanum Imperium, & in ipsa variè lacerata dominari Barbaros: Et hinc duo præsertim euenisse Ecclesiæ vulnera. Primò, quod Gallicani episcopi non possent Almam Vrbem ad Patriarchales synodos accedere. Deindè, quod nec totius Gallicanæ Diœcesis synodus posset ad faciendas Romam Relationes conuenire. Nempè barbari Reges, inuasis à se Ditionibus metuentes, nolebant episcopos suis finibus excedere. Hæc est vera ratio, ex qua Gallicani episcopi cœperunt rariùs Patriarchalibus Romanorum Pontificum synodis adesse.

Quod ad hasce synodos semper spectauerit Gallia, palàm lucet ex eius etiam Apostolicis Vicarijs. Etenim Romani Pontifices, vti in Illyrico, ita & in Gallia istos habuere. Suas isthic vices delegarunt Æonio, Cæsario, Auxanio, Virgilio, ac alijs episcopis Ecclesiæ Arelatensis: Item sancto Remigio episcopo Rhemensi. Est res antiqua. Etenim Zozimus Pontifex Patroclo Arelatensi dedit duo: Metropoliticam potestatem super solidam Narbonæ Prouinciam, & Apostolicas vices per reliquam Galliam. Porrò de horum Vicariorum potestate scribit sanctus Leo ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, suum in Illyrico Vicarium: [De persona consecrandi episcopi, & de Cleri, Plebisque consensu Metropolitanus episcopus ad Fraternitatem tuam referat, quodque in Prouincia benè placuit, scire te faciat, vt Ordinationem celebrandam tua quoque firmet authoritas.] Ei delegat authoritatem examinandi, & confirmandi electiones omnium episcoporum. Etiam Metropolitarum. Et pergit: [Si causa aliqua maior exstiterit, ob quam rationabile, ac necessarium sit Fratrum aduocare Conuentum, binos de singulis Prouincijs episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad Fraternitatem tuam venire sufficiat.] Delegat ei potestatem Diœcesanæ synodi. Ipsam verò limitat ob Anastasij excessum, nuper patratum in Atticum episcopum Nicopolitanum, Metropolitam veteris Epiri. Easdem facultates habuerunt Gallicani Vicarij. At verò Pon-

ti-

tifex non delegat, nisi suam authoritatem, atque ita Gallicani episcopi conuincuntur semper spectasse ad eius Patriarchalem synodum, & ad eius consecrationem. Nullus vnquam Galliæ Metropolita prætendit Autocephaliam, seu exemptionem à Patriarchico iugo Romani Antistitis, nisi vnus sanctus Hilarius. Hic ambitus videtur fuisse eius delictum. Et sanè mitius est in hanc potestatem impingere, quàm in Papalem. At istum spiritum suppressit Valentiniani Augusti lex, palàm stabiliens etiam Patriarchalia iura Pontificis.

Et hinc patet Nicolai primi in euocandis ad istam suam synodum Gallicanis episcopis consilium fuisse Canonicum, atque authenticum. Audiamus Pontificem: [Intelligi datur episcopos monitis nostris non velle parere, propter illud, quod in literis vestris subdunt. Dicunt enim post aliqua: Vt episcopos de Regnis vestris ad synodum Romam mittendi necessitas non postulet. Vnde si vos fortasse aliter dicitis, nos illud dicimus quod Diuinitus reuelatur, quia cum nouitatum mala multiplicari videamus, si ex diuersis Prouincijs Fratres ad inuicem conuenissent iuxta priscum morem, & nos consensus illorum reuelante Domino, quæ decernenda sunt decernemus, & ipsi necessitates suas referentes, & nos nostra exponentes, quæ decreta fuissent, meliùs in eorum notitiam facerent peruenire, qui semper synodalem conuentum à nobis aggregari petierant, sicque fieret, vt secundùm qualitatem morbi medicina conficeretur, & ad sananda vulnera longè latèque effunderetur.] Pontifex affirmat varia. Primò, quod Gallicanorum Antistitum ad Patriarchales Romani Pontificis synodos euocatio non sit res noua, sed vetusta consuetudo. Secundò, quod præsens euocatio fuerit facta ex necessarijs caussis: Nempe ad medendum ecclesiæ, etiam Gallicanæ, varijs vulneribus. Tertiò, quod episcopi talis euocationis potestatem non abnegarent Pontifici, sed exstimarent nullam tunc fuisse illius necessitatem. Quare nullam hic exemptionem aut libertatem allegant, nec Regiam istius libertatis protectionem inuocant. Sunt Domini Petri de Marca in istos episcopos iniuriosa figmenta. Hincmarus Rhemensis, ex cuius nutu Rex Carolus egit hæc omnia, non adeò desipuit. Quod ipsum lucidissimè patet ex rationibus, ob quas episcopi se excusarunt. Audiamus ipsas à Nicolao Pontifice rescribente Regibus: [Quia episcopos ad synodum nostram, & pro angustia temporis, & pro iniuria transitus occurrere non valere dixistis, meritò durè habuimus, cum tanta temporis angustia non immineret, vt saltem de vobiscum conuersantibus binos mittere nequiuissetis. Reprehensibile denique valde esse constat, quod tu, fili mi Carole Rex, subintulisti, dicendo maiorem partem episcoporum omnium diu noctuque cum alijs fidelibus tuis contra Pyratas maritimos inuigilare, ob idque episcopi impediantur venire cum militum Christi sit seruire Christo, militum verò sæculi, sæculo.] Harum rationum nulla innuit, longè minùs asserit dogmatizatam à Petro de Marca exemptionem.

Verùm cur episcopi hac excusationes non per se allegarunt apud Pontificem, sed per Reges, præsertim per Regem Carolum? Respondeo has esse consuetas sutelas Hincmari Rhemensis, qui isto tempore erat os, & lingua Francorum Antistitum. Nouerat tertiam excusationem non esse episcopalem, & duas priores fuisse friuolas, in simili causa apud Iulium ab Eusebiana Factione, & apud Damasum Pontificem adductas ab istius Factionis reliquijs, ac ab vtroque Pontifice spretas, atque explosas. Insuper nouerat in ista Romana synodo retractandam causam Rothaldi Suessionensis episcopi, qui ab eius synodo damnatus Romam appellauerat, & quem Nicolaus Pontifex ob eius in non comparendo cōtumaciam reuestiuerat, ac perinterim reparatum remiserat in Sedem, retractatorium iudicium reseruans primæ Patriarchali synodo. Iuxta Iulij in Athanasij causa exemplum, & Canones Sardicenses. Proindè istam synodum Hincmarus oderat, & iam dictas rationes nouerat esse friuolas: Hinc vsus est lingua, & calamo Caroli Regis. Ex suo more. Et ex consueto in extremis refugio [Rex non vult.] Interim nec per Regem ausus est effutire se exemptum à Patriarchali synodo.

Nihilominus Romana Ecclesia optimè perspexit, quo hæc tenderent. Hinc in octaua synodo curauit prodire hunc Canonem: [Sancta, & vniuersalis Nicæna prima synodus antiquam consuetudinem iubet seruari per Ægyptum: & Prouincias, quæ sub ipsa sunt, ita vt horum omnium Alexandrinus episcopus habeat potestatem, dicens, quia & in Romanorum ciuitate huiusmodi mos prænaluit. Qua pro causa, & hæc magna & sancta synodus tam in seniori, & noua Roma, quàm in Sede Antiochiæ, ac Hierosolymorum, priscam consuetudinem decernit in omnibus conseruari, ita vt eorum Præsules vniuersorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promouentur, & siue per manus impositionem, siue per Pallij dationem episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad conuocandum eos, vrgente necessitate, ac synodalem Conuentum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, dum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusauerit. Sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui ne secundùm vocationem Apostolici Præsulis occurrant, à Mundi Principibus se detineri sine ratione causantur, placuit talem excusationem omnimodis esse inualidam. Cùm enim Principes pro suis causis Conuentus frequenter agant, impium est, vt summos Præsules ad synodos pro Ecclesiasticis negotijs celebrandum impediant, vel quosdam à Concilijs eorum prohibeant, licèt tale impedimentum & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diuersis modis fieri didicerimus. Consueuerunt autem Metropolitani bis in anno synodos facere; ideòque, sicut dicunt, ad Patriarchale penitus non occurrere caput. Sed sancta hæc, & vniuersalis synodus, nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa nouit rationabiliora esse, ac vtiliora Metropolitanorum Concilijs, quæ à Patriarchali Sede congregantur, & idcircò hæc exigit fieri.] Exponit Patriarcha-

lis

lis synodi vtilitates, & post quædam alia concludit: [Quisquis ergo Metropolitanorum proprium Patriarcham contempserit, & vocationem eius, quæ siue ad vnum solùm, siue ad plures, siue ad omnes sit, absque validissima ægrotatione, vel Paganorum incursu non obedierit, & per totos duos menses post notitiam vocationis ad proprium venire Patriarcham minimè festinauerit, vel si quocumque modo latitare, aut non cognoscere Nuntium ab illo missum tentauerit, segregetur; si verò intra vnum annum eamdem contumaciam, & inobedientiam demonstrauerit, deponatur omnibus modis.] Totus Canon inuadit Hincmarum, & eius consuetum, [Rex non vult.] Nam, & ipse dixerat à se Metropolita bis in anno celebrari synodum, ideòque non esse opus synodis Patriarchalibus. Ipse non solummodò communem ad istas synodos, sed etiam singularem sui euocationem spreuerat, ad retractatorium Rothaldi Suessionensis Episcopi iudicium contumaciter nolens comparere, vsus multis ambagibus. Hoc eius contra Patriarchalem, Romani Pontificis authoritatem excessus damnauit Canon, ac simul iam dictum, tunc adhuc futurum, errorem Petri de Marca.

Hic interim pergit: [Bilem Nicolai mouit hæc responsio, qui repræsentat communi consensu prouideri non posse necessitatibus Ecclesiæ, nisi episcopi venerint ex Prouincijs ad Romanum Concilium. At diuersa ratio prohibebat Reges nostros, & episcopos Galliarum, ne illuc accederent. Quippe illic Lex ipsis imposita fuisset, contendissent Pontifices Canones in eo Concilio conditos executioni demandandos esse citra nouum examen cum eis decernendis accessisset consensus Episcoporum Gallicanorum: Secus eueniebat, quando Concilia habebantur intra Gallias. Causæ enim in eis agitabantur ex sententia, consensu Regis, & omnium Ordinum: Et si quid à Roma mittebatur, deliberationi Concilij obnoxium erat. Mitigatus tandem est Nicolai animus quoad iura Regum in Episcopos. Agnoscit enim eam illis authoritatem inesse, vt prohibere possint, ne Episcopi Romam accedant, neque id vllo modo exprobrari posse episcopis, si obsequio suo prohibitionem exequantur. Attamen contendit posse Reges vituperari, si ea authoritate abutantur.]

Respondeo Nicolai bilem fuisse iustissimam: Vnde, & ipsi plenè satisfecit octauum Concilium. Dominus Petrus de Marca addit errores erroribus. Primus est, quod conditi in Romana Patriarchali synodo Canones executioni nequeant mandari sine nouo Regis examine. Etenim quis Patrum Canon quæ auita traditio his Canonibus hanc seruitutem imposuit, Regibus dedit istam potestatem? Secundus error est, quod acta intra Gallias Concilia agiteutur ex sententia, & consensu Regis, & omnium Ordinum: Et si quid Roma mittatur, sit deliberationi obnoxium. Etenim hæc longissimè deuiant ab antiqua erga Romanam Cathedram reuerentia, ex qua etiam Nicæna synodus nihil fuit ausa super ipsam constituere, sciens ipsi omnia concessa à Domino. Sunt noua in sanctum Petrum Attentata, quæ sanctus Thomas Cantuariensis dixit esse consuetudines Barbarorum. Non spectant ad præsentem controuersiam. Tertius error est, quod Nicolaus Pontifex Regia in Episcopos iura tandem agnouerit. Etenim istas Caroli violentias prudenter, ac patienter dissimulauit: Absit ut tanquam iura agnouerit. Vsus est Prophetica regula: [Cum accepero tempus, ego Iustitias iudicabo.] Et istud tempus à Domino Deo accepit eius Successor Adrianus in octaua synodo. At Petrus de Marca adiungit de ipsa quartum errorem: [Videbimus postea, quid sexennio post in octaua synodo tentauerit Summus Pontifex aduersùs Iura Regni Francici.] Adrianus II. Nicænos, & Apostolicos pro Patriarchalibus, Romani præsertim Pontificis, ab Hincmaro Rhemensi & Carolo Caluo grauiter læsis, synodis Canones isthìc innouauit: Aliud non egit. Atque ita Petrus de Marca profitetur Regni sui iura cum istis Canonibus non cohærere. Absit, vt auita Christianissimorum Regum pietas talia iura ambiat. Certè talia ipsis non prædicauit sanctus Remigius.

CAPVT XXIII.

Discutiuntur alia fundamenta Domini Petri de Marca.

ROmanas Appellationes arietare Dominus Petrus de Marca ex professo pergit in septimo libro, & scribit: [Consuetudo illa, quæ Concilijs vniuscuisque Prouinciæ supremam Episcoporum deponendorum potestatem tribuit, scripto tradita est, & firmata Canone quinto Nicæni Concilij. Adducit Canònem, & pergit: [Canon ille confirmat authoritatem cuiusque Prouinciæ in iudicandis definitiuo Decreto caussis ecclesiasticis, quæ ad Clericos, aut Laicos spectant, & per consequentiam idem ius statuitur quoad correctionem, & depositionem episcoporum, tametsi casus ille disertis verbis non exstet in Canone. Sanè dubitari non potest, quin hìc Canonis sensus sit, & ea mens, vt in generali hac lege comprehendantur iudicia aduersùm episcopos, cùm eorum mentionem aliàs nullibi faciat synodus.] Respondeo hunc Domini Petri de Marca librum esse thesaurum, ex quo Paschasius Quesnellus deprompsit sua omnia. Adducta verba ferè transcripsit. Et sunt abundè refutata. Et fons iste etiam errat multipliciter. Primò, quod inappellabilis deponendorum episcoporum potestas competat Prouincialibus synodis. Deinde, quod ista suprema authoritas sit confirmata à Nicæna synodo, & redacta in scriptum. Tertiò, quod hocce scriptum sit quintus Canon. Etenim Prouinciæ synodus est prima in deponendis episcopis cognitio, ideòque si ipsius authoritas sit suprema, degradatis episcopis nulla competit appellatio. Admiranda est fiducia, qua Dominus Archiepiscopus talia spargit in Mundum.

Eadem fiducia pergit: [Præter argumentum illud exstat aperta, ac expressa authoritas Concilij secundi Oecumenici, itemque Africani Concilij, & Innocentij primi Papæ quo-

quorum ea est sententia, vt iudicia episcoporum eo Canone Nicæno contiueri existiment. Canon quippe secundus Concilij Constantinopolitani Oecumenici apertè testatur administrationem, & gubernationem ecclesiarum hoc Canone Nicæno mandatam esse vnicuique Prouinciæ. Administrationis verò vocabulo Patres Constantinopolitani comprehendunt iudicia aduersùm episcopos, æquè ac alia Politiæ, & Regiminis Ecclesiastici capita.] Etiam hæc verba ferè descripsit Paschasius Quesnellus. Item illa continent multiplices errores. Primus est, quod infelicissimi, ac præuaricatorij istius Africani Concilij authoritate vtatur aduersùs sanctum Petrum Apostolum. Secundus error est, quod Innocentij primi rescriptum laudet solum quintum Nicænum Canonem. Quod etiam Sardicensem lauder, alibi rectè affirmat ipse Dominus Archiepiscopus. Error tertius est, quod istud rescriptum sanciat, aut asserat Prouincialium synodorum iudicia esse inappellabilia. Est fabula cantanda pueris. Quartus error est, quod secundus Canon Constantinopolitanus confirmet præsertim quintum Nicænum. Quintus est, quod apertè, ac expressè permittit à Prouinciali ad Patriarchalem, aut Exarchiam, & ab hac iterum prouocari ad generalem synodum totius ecclesiæ.

Dominus Archiepiscopus inuocat etiam Antiochenos Canones: [Eadem veritas colligi potest ex Canonibus Concilij Antiocheni, cuius authoritas recepta fuit in Concilio Chalcedonensi, & dein in vniuersa ecclesia. Concilium enim illud cupiens prorsus tollere difficultates, quæ persæpe occurrebant in executione Concilij Nicæni, quoad depositiones episcoporum, ijs verbis vtitur, quæ apertè docent definitiuum iudicium ad synodum vniuscuiusque Prouinciæ pertinere.] Respondeo longè aliud ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum scribere Innocentium primum: [Canonibus obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti, quos solos consectari decet ecclesiam Catholicam & iuxta eos iudicare. Si alij à quopiam proferuntur, à Canonibus Nicænis dissonantes, & hæreticos Authores referentes, ij à Catholicis episcopis reijciuntur. Hæreticorum namque Inuenta Catholicis Canonibus non sunt adnectenda: Semper enim illi per nefaria Decreta Patrum Nicænorum Concilium minuere intendunt. Quapropter non solùm hoc dicimus istos sequendos non esse, verùm etiam cum hæreticis, & Schismaticis Dogmatibus condemnandos, quemadmodum antea in Sardicensi Concilio ab episcopis factum est.] Agit pro sancto Ioanne Chrysostomo, quem Theophili Patriarchæ Alexandrini factio ex Antiochenis Canonibus damnauerat. Docet varia: Canones istos dissonare à Nicænis, esse ab hæreticis authoribus, hæreticorum Inuenta, Decreta nefaria, contraria Nicæno Concilio, ipsum imminuentia, Hæretica, & Schismatica Dogmata, damnanda ab omnibus, etiam pridem damnata à Sardicensi synodo. Adeò absunt isti Canones, vt exponant Nicænos. Quod ipsos studeant euertere, etiam Iulius Pontifex altissimè clamauit in literis ad ipsorum conditricem Antiochenam synodum. Quod nempè Patriarchales, & quasdam etiam alias Orientalium synodos sanxissent esse supremas, atque ita auertissent Romanas appellationes, quas Nicæna synodus confirmauerat, ac redegerat in scriptum.

Hoc ipsum testatur Palladius Helenopolitanus episcopus in Dialogo cum Theodoro, Romanæ ecclesiæ Diacono, de actis laudati Ioannis. Affirmat datum de ipso iudicium fuisse, [vt locus purgandi se Ioanni nullus omninò daretur, vigore scilicet Canonum eorum, quos Theophilus miserat, à quadraginta Arij complicibus editos.] Adducit Antiochenum Canonem, ac pergit: [Et ista quidem regula, vt nequam, & à nequissimis edita, in Sardicensi Concilio eliminata est, quando Iulius Athanasium, & Marcellum admisit ad communionem. Quorum gratia etiam Canon ille fuerat editus.] Nempe ad euertendam, quam Iulius fecerat, Athanasij, ac Marcelli appellantium reparationem & euertendam Sedis Apostolicæ circa ista authoritatem. Et tamen istos Canones postmodo admisit Chalcedonensis synodus ac vniuersa ecclesia. Nempè dolosi sunt, & ambidextri ad bonum, & malum. Ecclesia ipsos admisit sub hac salutari clausula: [Sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus caussis debet custodiri reuerentia.] D. Petrus de Marca ipsis vtitur in sensu Eusebiano, atque ita longissimè saltat extra limites veritatis.

Affirmat inter Antiochenos canones esse aliquam contradictionis speciem, & pergit: [conciliatio horum canonum pendet, vt ego quidem existimo, à praxi illarum tempestatum, quæ Interpretibus Græcis, atque etiam latinis ignota fuit. Ea autem versabatur in authoritate, quam Imperatores possidebant concedendi rescripta pro reuisione supremorum Iudiciorum, siuè illa ciuilia essent, siuè Ecclesiastica. Nam edicta præfectorum prætorio obnoxia non erant appellationi, sed reuisioni tantùm, si eam is, qui causa ceciderat, fieri peteret libello in eam rem oblato Imperatori.] Demonstrat hæc ex Romanis legibus, atque prosequitur: [Implorabantur etiam rescripta Principum aduersùs suprema synodorum Iudicia. Cui consuetudini temperamentum adhibet canon duodecimus Antiochenus, vt his quidem omnis spes restitutionis adimatur, qui postquam damnati fuerint, preces Imperatori obtulerint, vt eius authoritate restituantur; eorum verò causa per reuisionem retractetur, qui ab Imperatore obtinuerint, vt nouum concilium habeatur, ad quod maior episcoporum numerus accedat.]

Respondeo Dominum Archiepiscopum hærere in petitione principij. Demonstrandum ipsi est, quod Prouincialium Synodorum iudicia olim non fuerint obnoxia appellationibus. Certè hac in re perperam comparantur cum Iudicijs præfectorum prætorio. Nec enim Metropolitæ, sed soli Patriarchæ habent istum in ecclesia locum, quem prætorium præfecti habent in Republica; vndè Imperator Iustinianus horum Iudicijs, ac sententijs non Metropolitarum, sed solorum Patriarcharum Iudicia, ac sententias

tias

tias æquiparat. Et quidem sub hac semper salutari clausula: [Sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ.] Proindè Diualium rescriptorum, & sacrarum delegationum postulatio non ex suprema Prouincialium synodorum authoritate, sed ex desperatâ Donatistarum audacia ducit originem. Primi Donatistæ talia postularunt à Magno Constantino: Et sua audacia optimum Principem, adhuc Iuuenem, & Catechumenum, grauissimè scandalizarunt. Malum inualuit sub Constantio per Eusebianos. Nec mirum: Etenim scelerata Factio per laceratam in Philippopolitano Conuentu Catholicæ ecclesiæ monarchiam vidit esse solutam etiam ecclesiæ vnitatem, ideòque ad ipsam quouis modo resarciendam garriuit Constantium esse Episcopū Episcoporum. Ita disertè testatur Lucifer Calaritanus Episcopus in libro de Filio Dei. Et sanè sine vnitate capitis esse non potest vnitas corporis. Hinc facinorosa Factio Papalem prærogatiuam transcripsit in Imperatorem. Ex hoc fonte etiam Antiocheni, qui primi permiserunt ista refugia, Canones emanarunt. Hinc tandem euenit, quod ad quintum suum librum præfatur Socrates: [Passim in historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, ecclesiæ negotia ex ipsorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima concilia de eorumdem sententia, & conuocata sunt, & adhuc conuocantur.]

Eadem via inualuerunt sacræ delegationes. Etiam aduersùm prouinciales synodos. Verùm hæ nequaquam inde probantur esse supremæ, aut inappellabiles. Ista nempè Diualia rescripta debebant obseruare, & exequi sacros Canones: Alioquin erant violenta in ecclesiæ dignitatem iniuria. Hinc Imperator Constantinus Donatistarum litibus, non Gallicanos, quos illi postulabant, episcopos dedit Iudices, sed Pontificem Romanum. Et Theophilus Alexandriæ Patriarcha ad sanctum Ioannem Chrysostomum, cui Imperator Arcadius criminalem eius causam delegauerat, scripsit: [Arbitror te non ignorare, quid præcipiant Nicœni Concilij Canones, sancientes Episcopum non iudicare causas citra suos terminos. Si autem ignoras, disce. Et libellos contra me suscipere desinas. Nam etsi iudicari me opus sit, ab Ægyptijs magis, quàm à te id fieri oportet, qui septuaginta quinque dierum itinere à nobis separatus es.] Affirmat Diualem delegationem sexto, per secundùm Constantinopolitanum confirmato, ac exposito, Canoni repugnare, ideòque nullius esse ponderis. Et sanctus Ioannes intercessionem agnouit iustam, atque admisit. Ea de re postmodò scripsit ad Papam Innocentium: [Pijssimus Imperator iussit, quæ contra Theophilum dicerentur, audire. Verùm nos, Patrum decreta reueriti, nequaquam acquieuimus, sed vehementer obstitimus. [Vtique ipsi Principi, volenti suum rescriptum mitti in executionem. Eadem exceptione vsus est ipse Ioannes contra synodum in hortis Ruffinianis: Dixit Thraciæ Episcopos non posse iudicari ab Ægyptijs. Et Domnus Patriarcha Antiochenus contra sacram delegationem, qua Imperator Theodosius Ibæ Edesseni Archiepiscopi causam commiserat alterius Prouinciæ Episcopis, potenter intercessit, clamans ipsam debuisse deuolui ad suum Tribunal, ideòque talem delegationem esse contemptum sui Apostolici Throni. Videatur epistola Theodoreti, & decima actio Concilij Chalcedonensis. Aduersùm tales delegationes frequenter, ac potenter intercessit Magnus Papa Gregorius, constanter asseuerans sacros Canones à Principe debere diligi, ideòque illis aduersas Iussiones, vtpotè per obreptionem extortas, nullius esse vigoris, aut reuerentiæ. Proindè sacræ delegationes, quoniam non ad aliam Prouinciam, nec ad alium Patriarcham, sed ad proprium Exarchum debent dirigi, lucidè demonstrant Prouincialium Synodorum Iudicia esse omninò appellabilia.

Dominus Archiepiscopus pro suis Commentis adducit etiam Imperatoris Gratiani Legem postmodò innouatam, & extensam ab Imperatoribus Arcadio, ac Honorio: [Quicumque residentibus Sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus, & nomine, si aliquid contra sententiam, vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursùsque Sacerdotium petere, à quo videtur exclusus, procul ab ea Vrbe, quam infecit indignus, secundùm legem diuæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat.] Et infra: [Sit huiusmodi personis tenore præsentis legis illicitum sacra nostra adire secreta, & impetrare rescripta. Omnia deiectis per culpam sacerdotio personis, quæ impetrata sunt, infecta permaneant.] Dominus Archiepiscopus commentatur: [Præter ea argumenta validum quoque testimonium ad probandam veterem illam Principum authoritatem sumi potest ex lege, quæ prohibuit, ne deinceps hic mos vsurparetur.] Et infra: lex damnatis episcopis disertè inhibet, ne ad Principes accedant, neue rescripta impetrent, quæ nulla esse pronunciat, si eorum episcoporum damnatio peracta sit iustam ob causam. Censet damnatos synodaliter episcopos longè fortiùs arceri à Romana appellatione.

Respondeo Romanas appellationes à neutra lege euerti, sisti, lædi, aut circumscribi. Etenim Gratiani Lex sancit aduersùm solos ab Vrsino Antipapa seductos, aut consecratos, & ob schisma à sancto Damaso Pontifice synodaliter damnatos episcopos, Parmensem præsertim, ac Puteolanum, qui etiam post relegatum in Gallias, ac intra Agrippinensis Coloniæ muros circumscriptum suum Idolum non cessabant fouere factionem, rebellare Damaso, suas Cathedras per violentiam retinere, suas Ciuitates agitare sursum deorsum, vilem plebem circumscribere, atque ipsius incondito impetu ecclesiam, & Rempublicam arietare. Et quo fucum haberent, per technas obrepebant in sacra rescripta, quibus princeps eorum causam alteri synodo delegabat retractandam. Et reuerà obrepebant. Etenim & Romanæ Cathedræ priuilegia diligens, & istorum Schismaticorum technas non ignorans Gratianus suis sacris literis passim adiungebat hanc clausulam: [Si Iudicio sacerdotum in Vrbe Roma sit depositus, nec vocem quidem in Iudicio proferre

proferre debet.] Nihilominus fraus quandoque præualebat, & suffurabatur rescriptum sine istiusmodi exceptione. Et dolosi Turbines, à praua retracti conscientia, non ad suę causæ retractatricem accedebant synodum, sed ad amissas redeuntes Cathedras, quasi reparatos per principem Episcopos ostentabant se, turbasque innouabant, atque augebant. Et audacia transibat in exemplum etiam damnatis per alias synodos episcopis.

Audiamus synodi preces: [Quoniam, licèt iam dudum vestræ Clementiæ Iudicio relegatus Vrsicinus per eos, quos illicitè sacrilegus ordinauit, vilissimum quemque, occultè licèt, sollicitare conatur. Eoque exemplo nonnulli Episcopi, qui male ecclesijs incubant, vsu temeritatis suæ, & profani conspiratione contemptus, ne acquiescant Romani sacerdotis Iudicio, lacessunt. Itaut etiam, qui se intelligunt pro meritorum suorum ratione damnandos, vel damnatos esse viderunt, redempta vulgi multitudine, Iudices suos terrore mortis exagitent, contemptisque cognitoribus, vel fugatis, illicitũ obtineant sacerdotium. Idcircò Statuti Imperialis non nouitatem, sed firmitudinem postulamus. Indignum quippè est, vt conuentus quisque, adhibita manu, eò sit munitior, quò flagitiosior fuerit. Sicut Parmensis Episcopus, deiectus Iudicio nostro, ecclesiam tamen retinet impudenter. Damnatus æquè Florentius, Puteolanus, postea quàm deiectus est, cum aures Tranquillitatis vestræ inquietasset, atque huiusmodi rescriptum meruisset, vt si Iudicio sacerdotum in Vrbe Roma fuisset depositus, ne vocem quidem in Iudicijs proferre deberet, post sextum annum repsit ad Ciuitatem, tenuit ecclesiam, multas in Oppido Puteolano, de quo deiectus fuerat, seditiones insolentia concitauit. Eadem exempla suæ Legi inseruit Imperator Gratianus, atque adiunxit: Et Florentius Puteolanus post damnationem, quam recto Iudicio conuictus accepit, mansuetudinem nostram inquietare conatus, dignum tulit in progressione responsum. Post quintum decimum annum, ecclesiam, de qua extrusus fuerat, rursùs contaminare conatur; Congressiones illicitas facere molitur, egentemque consilij multitudinem perditi animi persuasione deprauat. Nostrorum videlicet Iudicum socordia fretus, qui priuatæ gratiæ Imperialia præcepta condonant: Et religionem, quam nos iure veneramur, quam fortasse ipsi negligunt, inquietari patienter accipiunt.] Pretio, aut perfidia corrupti Romano Pontifici non præbebant Regij Brachij auxilium. Aduersùm hos igitur, quos ipse Pontifex synodaliter damnarat, Episcopos, & aduersùm ipsorum turbulentias Romana Ecclesia postulauit auxilium, & Gratianus Imperator dedit. Nequaquam iniquè damnatis per suas synodos Episcopis Romanæ appellationis asylum, sed iustè per solam Romanam Ecclesiam deiectis clausit portas turbulentiæ. Ad preces S. Damasi, Sancti Ambrosij, totiùsque Romanæ Synodi.

Istam Legem singulariter dilexit, & ad se extendi ambiuit Africana Ecclesia. Hinc inter varia, quæ Aurelius Primas pro reparando ecclesiæ suæ statu postulanda duxit à Principe, fuit & hoc: [Et illud petendum, vt statuere dignentur, vt si quis cuiuslibet honoris clericus Iudicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, siuè ab ecclesijs, quibus præfuit, siuè à quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ, atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant.] Accessisse possint, & preces aliarum ecclesiarum. Hinc ergò Arcadius, & Honorius ad Adrianum prætorio præfectum scripserunt: [Suggerentibus Episcopis didicimus quosdam sacerdotes christianæ Legis, quorum delicta cœtu episcopali, & deprehensa fuerint, & eorum sententia vindicata, in sinu earum Vrbium, in quibus talia commissa sunt, permanere, & quærere turbas populi conuocare, turbatores quietis existere, tumultus popularis authores, innocentes se post iudicium dicere, plebem colligere, & velut adhuc Episcopos salutari, Comitatum sacrum petere, mereri mendacijs Oracula, & furtiua rescripta.] Aduersùm istiusmodi turbines innouarunt, & extenderunt laudatam Legem Imperatoris Gratiani. Primus, qui Romanas damnatorum Episcoporum appellationes prętendit euerti per istas Leges, fuit Hincmarus Rhemensis. Erubuit è proprio ore talia nugamenta proferre: Hinc ipsa aduersùs Romanam Hincmari Laudunensis appellationem scripsit ad Adrianum Secundum è Duziacensi Synodo per Manum Regis Caroli Calui. Et addit fœdum errorem. Gratiani Legem dixit emanasse ad præfatas preces Afrorum.

Quod ista lex Romanas Appellationes auferat, est cantanda pueris fabula. Hinc Theodoretus, Cyrensis Episcopus, qui circumscripto intra suam ciuitatem exilio clausus, per Imperatorem Theodosium, & per Ephesinum latrocinium degradatus, appellauerat ad sanctum Leonem Pontificem, nec permittebatur accedere, scripsit ad Anatolium Patritium: [Magnitudinem tuam obtestor, hanc à Victore Augusto gratiam petat, vt in Occidentem veniam, ibique à Deo charissimis sanctissimisque Episcopis iudicer, Epist. 119. ac si vel minimum à fidei regula deflectere videar, in medium maris profundum deijciar. Quod si his vestris precibus non cedat, habitare me saltem iubeat in monasterio nostro, quod quidem à Cyrensi ciuitate abest millibus centum, & viginti. Horum, si fieri potest, priùs illud; sin minùs, alterum certè magnitudinis vestræ opera concedi mihi postulo.] Affirmat, aut sibi permittendam Romanæ Appellationis prosecutionem, aut certè tractandum iuxta legem Gratiani. Si nempè censeretur friuolè prouocasse. Et hinc Imperator Martianus ipsi permisit istam prosecutionem. Eiusdem mentis olim fuit Gallicana Ecclesia. Etenim Cæsarius contumeliosum Episcopum, cuius damnatoria sententia iam transierat in rem iudicatam, ideòque & erat detrusus in monasterium, mox vt reclamare cœpit, & appellare ad Agapetum Pontificem, extraxit è Monasterio, & redire permisit ad episcopalem honorem. Eadem est ratio sacrarum delegationum. Quod ipsas nec Gratianus, nec Arcadius, aut Honorius per suas leges aboleuerint,

rint, aut abolere voluerint, est nimis manifestum. Etenim, & Ephesinæ, & Chalcedonensis synodi acta, Theodosianus Codex, aliaque antiqua, & Ecclesiæ, & Imperij Monimenta abundant sacris Delegationibus. Proinde præfati Principes aboleuerunt solos iniquos aduersùs iustitiam, & publicam pacem iustè damnatorum episcoporum recursus. Quæ omnia tandem agnoscit, ipse etiam Dominus Archiepiscopus. Etenim adiungit: [Si damnatio peracta sit ob iustam causam.]

CAPVT XXIV.

Discutiuntur exempla adducta per Dominum Petrum de Marca.

Dominus Archiepiscopus affirmat sua Commenta confirmari plurimis exemplis. Hoc est primum: [Primum itaque exemplum petitur à Concilio Sardicési, quod de iudicijs à Synodis Tyria, Antiochena, & Constantinopolitana aduersùs Athanasium episcopum Alexandrinum, & Marcellum Ancyranum latis cognouit permissu Imperatorum Constantij, & Constantis, qui eorum causam retractari concesserant. Ingenuè id fatetur ipsa Synodus in epistola Synodica ad Iulium Papam scripta:] Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam & ipsi Religiosissimi Imperatores permiserunt, vt de integro vniuersa discussa disputarentur. [Eo Imperatorum permissu se Synodus Sardicensis tuebatur aduersùs Orientalium conquestionem, qui aiebant iudicia à suis prædecessoribus fato functis facta non posse retractari.] Non erat fas eorum, qui iam cum Deo sunt, sententiam refricare, [vt inquiunt Orientales in sua Synodica epistola. Ex ea porrò epistola colligi potest vsus, qui tum apud episcopos inualuerat, auxilium Principum implorandi aduersùs iudicia episcoporum. Nam cum Occidentalibus obtulissent consensuros se,] vt ex vtroque Concilio [Legati in Ægyptum mittantur ad noscenda Athanasij crimina, eam conditionem addunt, consentire se damnationi suæ, si calumniam ei impactam fuisse constiterit, ac præterea, vt præcludatur omnis via implorandi præsidium Imperatorum, aut Concilij, aut etiam cuiuspiam episcopi.]

Respondeo, hæc omnia non spectare ad præsentem controuersiam, ac insuper scatere erroribus, atque excessibus. Etenim nos hic quærimus de Prouincialium Synodorum authoritate, an suprema sit, quæ nec per Romanam Appellationem possit concuti: At verò Tyria, Antiochena, & Constantinopolitana Synodi fuerunt Patriarchales, ideòque alterius formæ & fori. Et tamen etiam ipsæ fuerunt per Romanam Appellationem concussæ. Fuerunt primò per Iulium Pontificem succisæ, & circumscriptæ, ac tandem per Sardicensem Synodum circumductæ, ac exsufflatæ. Idque secundùm Apostolicos Canones, Atque Nicænos. Proinde Apostolica Sedes eamdem longè potiori iure potestatem habet in iudicia Prouincialium Synodorum. Quod error, qui Prouincialium Synodorum in degradatos episcopos, aut clericos iudicia affirmat suprema, ac inappellabilia, sit quinto Niceno Canoni iniuriosissimus, ac Eusebiano, itemque Photiano Schismate peior, licèt cunctis exploratum sit, expedit paucis ostendi. Vtriusque igitur Schismatis pertinax Sectator Theodorus Balsamon, ac in ipso Antiochenus Patriarcha, Sardicenses canones exponens scribit ad tertium: [Quæ autem de Papa definita sunt, eadem de Patriarcha Constantinopolitano sunt intelligenda, quod is à diuersis canonibus similiter, ac Papa sit in omnibus honoratus.] Ex sui Schismatis regula censet Romanum Pontificem, & Constantinopolitanum Patriarcham esse pares, ac æquales, ideòque ad vtrumque pariformiter à cunctis eorum subditis, episcopis, clericis, ac laicis, aduersùm Synodales Prouinciarum sententias posse prouocari. Eadem repetit in Scholio ad quintum canonem: [Quia in prioribus canonibus diximus non esse, quæ de Papa constituta sunt, specialia eius, & solius priuilegia, vt necesse habeat quiuis condemnatus episcopus ad Sedem Romanam accedere, sed etiam apud Sedem Constantinopolitanam exaudiri, eadem quoque rursùm dicimus.] Eodem modo Sardicenses canones exponit Ioannes Zonaras: [Huius Sardicensis canonis decreto summi Sacerdotes, antiquæ Romæ, in quacumque causa ab episcopis prouocationem ad ipsos dari iactant, ac eumdem in prima Nicęna Oecumenica Synodo, conditum fuisse falsò affirmant. Quod quidem, cum in Synodo Carthaginensi propositum fuisset, minimè cum veritate consentire probatum est. Neque igitur hic canon à Nicæna Synodo editus fuit, neque ad ipsum Romanum Pontificem prouocationes ab omnibus episcopis, sed ab ijs tantummodò, qui eidem subiecti erant, dari oportere decernit. Romanæ autem Ecclesiæ ditioni, eo tempore omnes ferè Occidentis Ecclesiæ subijciebantur: Macedoniæ nimirùm, Thessaliæ, Illyrici, Græciæ, Peloponesi, & eius quæ Euripus dicitur, quæ postea in Constantinopolitani iura transierunt.] Affirmat plura. Primò, quod Romani Pontifices prætendant sibi per Sardicenses canones adscribere appellationes omnium sub cælo Ecclesiarum. Secundò, quod ipsos dicant esse Nicænos. Tertiò, quod vtrumque sit falsum. Quartò, quod posterioris falsitas pateat ex illis, quæ Zozimus Pontifex olim egit cum Africana Ecclesia. Et in his quatuor conuenit cum modernis Nouatoribus. Quintò affirmat, quod Sardicensis Synodus omnes, & solas Romani Patriarchatus appellationes attribuat Romanis Pontificibus. Hoc libens profitetur. Et adiungit Romanum Patriarchatum fuisse tunc vastissimum: Nempè ante rapinas, ac violentias Imperatoris Leonis Isauri. Eamdem veritatem in Alphabetico Syntagmate profitetur Matthęus Blastares. Et omnes alij Sectatores istius schismatis. O' lamentabilem miseriam nostrorum temporum! Per talia testimonia compellimur in Orthodoxis Doctoribus frænare vocum nouitates.

Primus porrò error est, quod Sardicensis Synodus Orientalium Synodorum, ac appellantium episcoporum causam retractauerit

rit ex delegatione Principum. Etenim ipsa Synodus disertè scribit, se ex solo Principum permissu egisse, non ex ipsorum delegatione, aut iussione. Generalis Synodus est, non solùs Ecclesiæ, sed etiam totiùs Reipublicæ commotio: Hinc sine isto permissu fieri nunquam potuit. Præsertim istis temporibus, quibus, vt sanctus Optatus Mileuitanus ait, non Imperium in Ecclesia, sed Ecclesia erat in Imperio. Pontifex Synodum concipiebat eius causas exponebat Principi, ipsius postulabat permissum, ipsoque obtento indicebat synodum. Ita factum Sardicensi synodo, palàm scribit sanctus Athanasius in epistola ad suos monachos: [Romæ congregati episcopi propè quinquaginta, Eusebianos, vt suspectos, ac timentes se sistere, non receperunt, & quæ ab ipsis scripta essent, pro vanis habuerunt; nos autem receperunt, nostramque communionem sunt amplexi. Interim cum ista fierent, simul & de synodo Romana Constans Imperator, & quid Alexandriæ, & per vniuersum mundum contra Catholicos gereretur, resciuit. Missæ sunt igitur literæ à Constante ad Fratrem suum Constantium, ibique de amborum sententia placuit, vt synodus Sardicensis celebraretur, & de rebus actis cognitio fieret, ne vlteriùs iniuriosè habiti iniurijs afficerentur, vel iniuriosi vlteriùs pergerent iniuriam facere.] Iulius suæ, in qua appellantem Athanasium reuestiuerat, & ad quam Eusebiani, retractatorium, ac definitiuum iudicium audituri, comparere contumaciter noluerant, Synodi acta exposuit, suggessit necessariam totiùs Ecclesiæ Synodum, & ad ipsam postulauit compelli Eusebianos. Constans permisit, & Fratrem Constantium compulit ad Eusebianos isthìc exhibendos. Vtique audituros præfatum iudicium, spectans ad solam authoritatem Iulij. Porrò Venerabilis Hosius in literis ad Imperatorem Constantium laudat Imperatorem Constantem, quod Ecclesiasticis episcoporum iudicijs, numquam fecerit vim, immò nec se miscuerit: Omnia permisit episcopis & sacris Canonibus, Præsertim episcopo Romano. Et hinc Sardicensem synodum voluit fieri intra suum Imperium. Quod ei Constans nullatenus se interposuerit, affirmat Athanasius in secunda Apologia: [Nos igitur, plurimis conuenientibus Sardicam, eos, qui cum Eusebio communicauerant, in iudicium prouocauimus. Illi verò, quibus in oculis erant sua delicta, conspectis ibi suis Accusatoribus, magnoperè iudicium exhorruerunt. Cum enim omnes se ritè, ac legitimè sisterent, Eusebiani secum Comites Mausonianum, Æsychium, & Castritium adduxere, vt pro sua consuetudine illorum potestate, quidquid animo libuisset, perficerent. Ibi cum sine Comitibus Concilium ageretur, neque vllus miles interueniret, isti à suis conscientijs ingentem animi consternationem acceperunt. Siquidem non eo modo, quo volebant, de ipsis fiebant iudicia, sed vt veritatis ratio requirebat. [Istud ipsum repetit in epistola ad suos monachos, & adiungit Sardicæ omnia fuisse peracta, [secundùm morem ecclesiasticum.] Proindè non ex delegatione Principum, sed ex authoritate Iulij Pontificis.

Secundus error est, quod Sardicensis Synodus eo Principum permissu fuerit se tuita aduersùs conquestionem Orientalium. Etenim longè aliud de generalibus, immò & de inferioribus Ecclesiæ synodis docet sanctus Martyr, & Abbas Maximus. Theodosio Cæsaræinsi, apud Bithynos episcopo, Lateranẽsem sancti Martini Pontificis, quod sine Augusta iussione facta esset, contra Monothelitas synodum spernenti, in habita cum ipso collatione respondit: [Si synodus, quæ factæ sunt, iussiones Imperatorum firmant, & non pia fides, recipe synodos, quæ contra Homousion factæ sunt. Nam iussione Principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Constantinopoli sub Eudoxio Ariano, quintam in Nicæa Thraciæ, sextam in Syrmio, & post hæc multò post septimam in Epheso, cui Dioscorus præsedit. Omnes enim has Imperatorum iussio aggregauit. Attamen omnes damnatæ sunt, propter impietatem infidelium Dogmatum ab eis confirmatorum. Quare autem non abijcitis eam, quæ deposuit Paulum Samosatenum, sub sanctis, ac beatis Dionysio Papa Romano, & Dionysio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum Patratore, qui eidem præsuit synodo, quoniam non est iussione facta Imperatoris? Quis prætcrea Canon promulgat illas solas approbandas Synodos, quæ Imperatoris iussione sunt congregatæ? Verùm etsi omninò iussione Imperatoris congregatis, illas nouit sanctas, & probabiles Synodos priùs Ecclesiæ Canon, quas rectitudo Dogmatum approbauit. Sed & bis, quemadmodum nouit Dominus meus, & alios docet, fieri Synodos in omni Prouincia per singulos annos regula sancit, iussionis Imperialis nullam memoriam faciens, ad tuitionem salutaris fidei nostræ, & correctionem omnium capitulorum, quæ Diuinæ non conueniunt Ecclesiæ legi.] Et conuictus Theodosius reposuit: [Ita est, vt asseris. Dogmatum quippè rectitudo Synodos firmat.] Ambo profitentur, quod Principis iussio, aut permissio non spectent ad Synodi substantiam, & tam abesse possint, quàm adesse. Sola rectæ fidei custodia, & sacrorum Canonum obseruantia tuentur, ac firmant Synodales Actus. Et iuxta hosce Canones primum locum tenet authoritas Romani Pontificis, cuius est Synodo præsidere. In huius nomen formantur synodalia iudicia. Et hoc non à paucis sæculis: Ita enim fecit Chalcedonensis synodus. Sardicensi synodo Augusta iussio adhibita duntaxat fuit ad sistendos contumaces Eusebianos. Eam inuocauit Iulius, tamquam Regij brachij auxilium. Proinde sola eiusdem Iulij authoritas fuit synodi tuitio, atque directio.

Tertius error est, quod Orientales episcopi dixerint sua iudicia non posse retractari. Et quod istud rectè probetur ex adducta ipsorum epistola. Quod item ex ista epistola rectè colligatur vsus, qui tunc apud episcopos inualuerat. Nempè vsus recurrendi ad Principem, & ab ipso postulandi retractatorium iudicium. Respondeo errorem hunc esse enormem, atque intolerabilem. Etenim ista epistola est sceleratissima Eusebianæ Factio-

ctionis in Philippopolitano Conuenticulo futela, qua nequaquam tota Orientalis ecclesia, sed sola facinorosissima Eusebij Nicomediensis episcopi coniuratio tentauit Monarchicam Catholicæ Ecclesiæ vnitatem lacerare, Apostolicæ Sedis Primatum destruere, Romanas appellationes de Diuinæ legis preuaricatu accusare, damnare Iulij Pontificis Acta circa Athanasij, ac aliorum episcoporum reuestitionem, & ipsum tamquam Diuini Iuris transgressorem excommunicare. Qua in re Petrus de Marca patrat excessus varios. Primò, sceleratissimum paucorum Eusebianorum facinus transcribit in totam Orientalem Ecclesiam. Secundò, ex istius sceleratissimæ epistolæ authoritate inuadit Romanas appellationes. Tertiò, ex eius testimonio affirmat nos doceri vsum totius Orientis. Quartò, istius epistolæ iniquitatem transcendit, atque excedit. Etenim epistola solas Patriarchales, ille autem Prouinciales etiam synodos affirmat esse supremas, atque inappellabiles. Quæ omnia an quadrent in Orthodoxum Archi-Episcopum, permitto alijs definiendum.

Dominus Archi-Episcopus tradit, & secundum exemplum: [Secundum exemplum exstat apud Epiphanium. Scribit enim Photinum à synodo Sardicensi damnatum, velut nouæ hæresios authorem, Constantij Imperatoris authoritatem implorasse, vt causam suam retractari obtineret, & vt ostenderet iniquo se Iudicio fuisse depositum. Constantius itaque octo Comites, idest, Consiliarios suos delegauit, qui vnà cum Concilio Orientalium in Vrbe Syrmiensi causam eius iudicarent, suscepta à Basilio episcopo Ancyrano cura conuincendi impietatem, ac hæreticas propositiones Photini]. Respondeo etiam hoc exemplum esse extra chorum. Etenim Sardicensis synodus fuit œcumenica, ideòq; eius Iudicium fuit omninò supremum, ac penitus inappellabile: At verò nos hìc agimus de Prouinciarum synodis. Harum supremam authoritatem ignoramus hactenùs, & doceri cupimus per authentica exempla, aut testimonia. Porrò ille ad Constantium recursus fuit dignus Hæresiarcha Photino. Fuit similis illi, quo Martinus Lutherus ad Ducem Saxoniæ, aut Ioannes Caluinus contra Tridentinum Concilium recurreret ad Regem Angliæ. Etiam ista Delegatio fuit Constantio digna. Etenim ille nihil magis habuit in voto, quàm Sardicensem synodum euertere. Et Syrmiensis synodus fuit vna istarum, de quibus in epistola ad suos monachos sanctus Athanasius: [Quis videns Constantium in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere Iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat illum esse ipsam abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est] ? Dum in Sardicensi synodo credebatur quid corrigendum, eius retractatio fuerat à Iulio postulanda, non à Constantio. Retractatorium Iudicium primi Donatistæ postulauerunt à Laico Principe. Quæ postulatio circa generalem synodum est intolerabilis. Hac de re videatur epistola Sancti Leonis Pontificis ad Leonem Imperatorem.

CAPVT XXV.

Discutiuntur alia exempla, adducta per Dominum Petrum de Marca.

TErtium exemplum est Cyrillus Hierosolymæ Episcopus. Dominus Archi-Episcopus affirmat ipsum esse lucidissimum, atq; exponit: [Cyrillus fuerat depositus ab Acacio Cæsareæ Episcopo, Metropolitano suo; in Synodo Prouinciæ Palestinæ, à qua prouocauit ad maius Concilium, oblato Iudicibus libello appellationis. Adnotat Socrates primum omnium Cyrillum contra consuetudinem, & canonem Ecclesiasticum, appellationem vsurpasse ad eum morem, qui in foro obtinet]. Audiendus est totus Socratis contextus, agens de Actis Seleuciensis Concilij: L. 2. C. 32. [Acaciana Factio ad Concilium accedere recusauit. Qui autem alterius erant partis, in Ecclesiam conuenientes accersunt Acacium cum suis, quò de Cyrillo Hierosolymorum Episcopo decideretur. Hoc loco intelligamus oprtet Cyrillum iam antea accusatum fuisse, & ab Episcopatu submotum. Qui simùl, atque de gradu esset deiectus, appellationis libello ad eos, qui eum deiecerant, misso, ad maiores Iudices prouocauit. Cui quidem appellationi Constantius Imperator suffragatus est. Atque à Cyrillo solo, & primo, proindè, ac si res apud Laicos Iudices ageretur, contra canonis ecclesiastici consuetudinem prouocatum est. Tandem Seleuciam, vt de eo Iudicium fieri, aduentant. Et ob eam causam episcopi Acacium cum suis accersiuere. At vbi sæpiùs accersiti non venerunt, illum ipsum Acacium abdicant]. Et Cyrillum restituerunt. Dominus Petrus de Marca commentatur: [Vnde colligere possumus nondum receptam ea ætate fuisse appellationem à minori synodo ad maiorem, neq; à Prouinciali ad Patriarchalem. Nam Concilium Antiochenum non tribuebat facultatem appellandi ab vna synodo ad aliam. Vnica ei mens fuit præscribere, quandonam deposito episcopo liceret Principis rescriptum ad maius Concilium impetrare ad obtinendam reuisionem, quæ primos Iudices non vetabat secundo Iudicio interesse. Nihilominùs Cyrillus simpliciter appellauit ad maius Concilium, appellationemque suam primis Iudicibus denunciauit, cùm mos postulare videretur, vt rescriptum Principis impetraret]. Elucidat per Parisiensis Parlamenti, & Cancellariæ morem, atque prosequitur: [At Cyrillus vltra progressus est. Nam præter innouationem ab eo introductam rescriptum Constantij obtinuit secundùm morem, quo causa eadem retractari iussa est in Concilio Seleuciensi, cuius authoritate restitutus est Cyrillus].

Respondeo Dominum Archiepiscopum variè labi. Primus error est, quod dicat Cyrillum non ad superiorem prouocasse Synodum, sed ad numerosiorem. Etenim rerum ad Antiochenum Patriarchatum spectantium peritissimus Theodoretus scribit in Ecclesiastica Historia: [Acacius abdicauit Cyrillum, L. 2. C. 27. ac Hierosolymis expulit. Cyrillus autem pro-

proficiscitur Antiochiam, quam Pastore orbatam reperit. Inde Tharsum petens, cùm Syluano Ecclesiæ illius Antistite ætatem degit. Quare, rem, vt accepit Acacius, literas dedit ad Syluanum, eumque de Cyrilli abdicatione certiorem fecit. At Syluanus à ministerio ecclesiastico illum minimè prohibuit. Vbi episcopi conuenerunt Seleuciam, Cyrillus cum Syluano fit Concilij particeps]. Palàm affirmat Cyrillum non ad numerosiorem synodum, sed prouocasse, & accessisse ad suum Patriarcham Antiochenum. Et quia vacabat vidua Sedes, institui nequit retractatorium Iudicium. Hinc nouum Patriarcham expectans, accessit Tharsum, Metropolim Ciliciæ. Quò potentis Metropolitæ patrocinio contra Acacij violentias muniretur. Et Syluanus officio non defuit. Quidquid enim Apostolicum Canonem, qui vnius episcopi damnatum vetat admitti ab alio, Acacius inclamaret, ille Cyrillum non seclusit ab Episcopali communione, nec prohibuit à sacro Ministerio. Et eius Iudicium, ac factum comprobauit Seleuciensis synodus. Etenim vtrumq; admisit ad synodalem consessum, atque suffragium. Tractauit vt canonicos episcopos: Vtique propter appellationem, iuxtà Canones Sardicenses. Nempè isthìc erant non soli Antiochenorum Canonum, & Philippo-Politanæ audaciæ authores episcopi, sed plurimi etiam catholici, qui Sardicensem synodum probabant, & admittebant. Seleuciensis synodus Acacium cum suis, non vti Coniudicem, sed vti futurum reum euocauit ad reddendas rationes sui Iudicij. Et contumacem degradauit. Quæ omnia quis non videt facta fuisse iuxtà Canones Sardicenses? Quare, & Socrates per maiores Iudices omninò intellexit superiores.

Secundus error est, quod Seleuciensis Concilij tempore necdum esset appellatio à Prouinciæ synodo ad Patriarchalem. Etenim contrarium lucet ex iam exposita appellatione Cyrilli. Et viginti circiter post annis habita Constantinopolitana synodus sanxit: [Si qui dicunt se habere aliquas aduersùs Episcopum criminationes, eas iubet sancta Synodus primùm quidem apud Prouinciæ episcopos accusationem prosequi, & apud eos probare crimina episcopi, qui aliquarum rerum accusatur. Quod si euenerit, vt Prouinciales episcopi crimina, quæ episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad maiorem synodum Diœcesis illius Episcoporum pro hac causa conuocatorum. Si quis autem ijs, quæ decreta fuerint, contemptis, ausus fuerit, vel Imperatoris aures molestia afficere, vel sæcularium Principum, vel vniuersalem Synodum perturbare, neglectis Diœcesis Episcopis, eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, vt qui canonibus iniuriam fecerit, & Ecclesiasticum ordinem euerterit]. Patriarchales appellationes adeò probat, & firmat, vt ante expletum de ipsis retractatorium in Patriarchali Synodo Iudicium rigidè interdicat recurri ad Rescripta Principum, aut etiam ad generalem Synodum totius Ecclesiæ. Profitetur se hæc sancire non de nouo, sed iuxta sacros Canones, & Ecclesiasticum ordinem, quem euerti nolit, aut perturbari. Has enim appellationes introduxit Canon Apostolicus. Hinc easdem firmant Chalcedonense Concilium, octaua Synodus, Canones Arabici, & alij plures.

Cap. 6.

Tertius error est, quod Antiocheni Canones non ab vna synodo prouocari ad aliam, sed solummodò permittant postulari Rescriptum Principis, qui malè iudicatam causam dignetur alteri synodo delegare. Respondeo parum referre, quid isti Canones sanxerint. Ex ipsis non possumus veram Ecclesiæ disciplinam, nec veram Ecclesiasticorum Iudiciorum normam agnoscere. Quoniam sunt Eusebiana soboles, damnata per Canones Sardicenses. Nihilominùs omnis veritas est suauis, & amabilis, ideòque exquirenda. Sexti Canonis verba sunt lucida: [Si quis à proprio episcopo fuerit excommunicatus, non priùs ab alijs suscipiatur, quàm fuerit susceptus à proprio episcopo, vel facta synodo accedens se defenderit, & persuasa synodo aliam sententiam retulerit]. Permittit ab episcopo prouocari ad synodum. Et nulla est mentio Rescripti, aut Principis. Vtor translatione Gentiani Herueti, quia hìc est clarior. Duodecimus Canon est æquè lucidus. [Si quis à proprio episcopo depositus presbyter, vel Diaconus, vel episcopus à synodo, ausus fuerit Imperatoris auribus molestiam exhibere, cùm oporteat ad maiorem synodum conuerti, & ius quod habere se putat, ad plures episcopos referre, eorumque examinationem, ac iudicium suscipere. Qui igitur his contemptis, Imperatori molestus fuerit, is nulla venia dignus, neque sui defendendi locum habeat, nec futuræ restitutionis spem expectet]. Non est opus commentario. Canon non solummodò permittit, sed sub grauissima pœna mandat & episcopis, & clericis, vt rescripta intermittant, & à synodo prouocent ad synodum. Vtique à Prouinciali ad Patriarchalem. Decimus-quartus, & decimus-quintus Canon hanc facultatem limitant ad eos, qui vnanimi totius Prouinciali synodi suffragio non fuerint damnati. Vnanimiter damnatis occludit ianuam huius refugij. Et contra hunc canonem prodijt sextus Constantinopolitanus, qui non nisi post exceptam à Patriarchali synodo sententiam permittit confugi ad rescripta. Iste enim sextus canon est ille, cuius vigore Theophilus Alexandrinus tentabat Sanctum Ioannem Chrysostomum proscribere in perpetuum, ac insolubile exilium. Palladius Helenopolitanus ipsum proponit in hac verba: [Si quis Episcopus, aut Presbyter, iustè, siue iniustè depositus, ex se ipso absque synodo in Ecclesiam redierit, hic iam excusationis non habeat locum, sed omninò appellatur.] Est variè alteratus. Mixtus ex quarto, & sexto. Haud dubiè theca Theophili. An Constantius Cyrillo rescriptum dederit, ignoro. Si dederit, ipsum non appellandi, aut retractandi faciebat facultatem, sed factam appellationem comprobabat, & adiuuabat executorijs iussionibus.

Porrò quid in Cyrillo Socrates propriè improbet, non est manifestum. Quidquid sit, grauiter errat, dum scribit Cyrillum fuisse primum, ac solùm istius excessus Patratorem. Etenim etiam de Donatistis, à Romano

no Melchiadis Pontificis Iudicio prouocantibus, ad Arelatensem Synodum scripsit Imperator Constantinus:] O rabida furoris audacia! Sicut in caussis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt.] Existimo Cyrillum ab vnanimi Acacianæ Synodi suffragio fuisse damnatum,atque ita appellando impegisse in quintum decimum Canonem Antiochenam. Et adiuuisse se per leges. Etenim leges etiam illum, qui apud Prouincialis Præfecti Tribunal fuerit vnanimi omnium Assessorum suffragio damnatus, permittunt prouocare ad Præfectum Prætorij. Hinc Constantius fuit appellationi suffragatus. Censuit indultum Laicis per leges in minoribus etiam causis refugium, episcopis in capitali causa non posse per Canones denegari. Proindè Socrates, dum scribit Cyrillum solum, ac primum impegisse in Canonis consuetudinem, respicit Canones Antiochenos. Et isto sensu possit verum dicere. Interim Constantij, atque Cyrilli Iudicium probauit Constantinopolitana Synodus. Omnibus generatim damnatis per Prouinciæ Synodum Episcopis permisit prouocare ad Synodum Patriarchæ. Etiam damnatis vnanimi suffragio. Hi namque damnati tunc passim confugiebant ad sacra Rescripta: Synodus maluit valere antiquos Canones, ideòq; istis etiam damnatis reddidit appellationem ad Patriarcham. Existimo sanxisse ex rogatu optimi Imperatoris Theodosij, qui suas turbatis tunc Reipublicæ negotijs distentissimas aures inquietari nolebat similibus Episcoporum quæstionibus. Insuper episcopi isti omnem Eusebianæ iniquitatis Factionem, omniaque eius contrà Apostolicam Sedem Attentata volebant extincta. Quod Socratis auctoritatem modici pendam, nemo admiretur. Etenim de ipso, Hæresiarchæ Nestorij res exponente, scribit in primo suo libro Euagrius Epiphaniensis: [Licèt Socrates rem aliter, vtpote eiusdem ignarus, commemoret.] Et tamen fuit vicinus Nestorij æuo.

Procedamus ad quartum exemplum: [Quartum exemplum peti potest ex damnatione sancti Ioannis Chrysostomi, qui cum in Synodo ad Quercum depositus fuisset à Theophilo Episcopo Alexandrino, in exilium actus est ab Imperatore, reuocatus tamen ab eo paulò post. At is, tametsi reuocatus fuisset, ægrè ferens Iudicium aduersùs se latum, tametsi nullitatibus plenum, ac erroribus, Arcadij Augusti præsidium expetijt, rogans vt Synodum congregaret, in qua omnes accusationes de integro iudicarentur.] Mox obsecrabamus Christianissimum Regem, vt Concilium ageret, quo facta hæc iustificarentur, [vt ipse ait in epistola ad Innocentium. Et Concilium quidem illud conuocatum est, sed infelici euentu quoad caussam magni istius Viri.]

Respondeo facti seriem esse breuiter elucidandam. Ab Arcadio, per quem ob prioris Synodi authoritatem electus,in honorem, ac Sedem reuocatus, atque repositus beatus Ioannes, per Antiochenos Canones, quorum directione damnatus fuerat, voluit se firmare. Prioris Synodi Iudicium voluit per maiorem circumduci, At res malè cessit. Ea circumductio fieri debuerat ante reditum, ante resumptum Thronum, ac præsertim ante resumptum sacrum ministerium. Hinc Theophilus conclusit ipsum impegisse in quartum, & sextum Canonem, addidisse excessus excessibus, atque ita excidisse omni spe excusationis, audientiæ, ac restitutionis. Et ita relegatus fuit in perpetuum, ac insolubile exilium. Extrema hæc calamitas Ioanni aperuit oculos, & ipsos direxit ad sanctum Petrum Apostolum, eiusque in Romana Cathedra Successorem Innocentium. Ioannes ad hunc appellauit. Et per ipsum fuit reuestitus. Et huius Iudicij iustitiam, ac plenam authoritatem agnouit omnis tandem Oriens. De Authoritate nemo Orthodoxus dubitauit. Iustitiam agnouere tandem Theophili etiam nepos, & Successor Cyrillus, itemque Ioannis intrusus Successor Atticus. Eorum de hac re literas integras, apud Nicephorum Callixtum, ipsarum fragmenta habes apud Facundum Episcopum Hermianensem. Optimi operis authores fuerunt sanctus Alexander Patriarcha Antiochenus, sanctus Isidorus Pelusiotes, Presbyter Alexandrinæ Ecclesiæ, & sanctus Augustinus. Huius enim opera prodijt hic Africanus Canon: [Placuit,vt de dissensione Romanæ,atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quo vtraque Ecclesia inter se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.] Cap. 101. Etenim Innocentius Pontifex sanctum Cyrillum, quod suo in Ioannem iudicio nollet acquiescere, adeò auersatus fuit, vt licèt non excommunicauerit, noluerit tamen, vel ipsi, vel eius Ecclesiæ communicare. Vsque ad præstitam laudato Iudicio plenissimam obedientiam. Dissociata fuit istarum Ecclesiarum communio. Quin, & ipse Theophilus Iudicium istud agnouit. Etenim in mortis lecto sibi adferri iussit sancti Ioannis imaginem, ab ipso supplicauit veniam, & veneratus est, vt Canonicum, ac benè restitutum episcopum. Ita in tertia pro sacris Imaginibus oratione testatus sanctus Ioannes Damascenus ex historia Isidori Diaconi. Et istum Canonem tanti fecit omnis Africana Ecclesia, vt retulerit in suum Codicem. Ex quibus omnibus manifestissimum fit hanc appellationem fuisse probatam ab omnibus sub cælo Ecclesijs. Item manifestissimum est hæc scripta esse indigna tanto Parisiensium Archiepiscopo.

Ipse interim adducit, & quintum exemplum: [Manet itaque sententia à me prolata, Iudicia nempè in Synodis Prouincialibus lata aduersùm Episcopos appellationi obnoxia non fuisse secundùm antiquos Canones, tametsi Reuisioni locus esset, si ita Princeps Rescripto iuberet. Obtinebat ea consuetudo non solùm in Oriente, sed etiam in Gallia, vt constat ex ijs, quæ Valerianus Episcopus Antisiodorensis disseruit in Synodo Agrippinensi, quæ habita est aduersùs Euphratam illius ciuitatis Episcopum. Eum quinque Episcopi deposuerant propter hæresim. Primi verò Iudices optarant, vt damnatio ab ipsis decreta confirmaretur, & approbaretur à maiori Episcoporum Gallicanorum numero. Eam itaque ob caussam Metropolitanos octo Prouinciarum euocarunt ad Coloniam Agrippinam. Eo in Concilio Valerianus dixit

xit validam esse depositionem à quinque illis Episcopis decretam, neque necessarium prorsùs fuisse, vt noua hæc congregatio fieret.] Hoc fuit Valeriani suffragium: [Etsi non omnes Conseniores, hic apud Agrippinam Dei voluntate, qui sumus adunati, conuenissemus, suffecerat à quinque Episcopis Euphratam blasphemum, quia Christum Deum negat, pro meritis suis sententiari, ideòque Iure esse depositum.]

Respondeo antiquos Canones, qui Prouincialium Synodorum Iudicia sanciunt non esse Romanis appellationibus obnoxia, à nobis ignorari. Adducantur, & doceamur. Quod enim Nicæni, Sardicenses, Constantinopolitani, Chalcedonenses, & octauæ Synodi Canones istas appellationes comprobent, est nimis manifestum. De Nicæna Synodo audiuimus testimonium Iulij Pontificis. E' Constantinopolitana Synodo Romam prouocauit Maximus Cynicus, consecratus Episcopus à Petro Alexandriæ Patriarcha, qui & ipse eò appellauerat. Chalcedonense Synodus conuenit ad retractandam appellationem sancti Flauiani, & aliorum Orientalium Antistitum, qui per Ephesinum Latrocinii degradari appellauerant ad sanctum Leonem. Præcipuus octauæ Synodi Scopus fuit retractare Romanam appellationem sancti Patriarchæ Ignatij. Sardicensis Synodus pro semetipsa loquitur. Parisiensis Archiepiscopus pro suis figmentis nullos adducit Canones, nisi in Eusebiano sensu Antiochenos, & sceleratissimam Sanctionem Philippo-Politani Conuenticuli. Quasi speret nos ex Orthodoxis facere Eusebianos.

Et eius fabula sibi ipsi hic non cohæret. Etenim Imperatorias Episcopalium causarum delegationes affirmat viguisse etiam in Gallia, idque constare ex Valeriani Episcopi suffragio: Et statim addit Episcopos istos ad Agrippinensem Synodum conuenisse [ad postulationem Fratrum.] Non igitur ex sacra delegatione. Valeriani suffragium, nec vnum Iota habet, quod faciat talis delegationis memoriam: Quomodò igitur ex ipso constat istas delegationes viguisse etiam in Gallia? Non nego viguisse, sed affirmo istud non constare, immò nec coniecturari ex Valeriani sufragio. Prætetea Valerianus, ac item Amandus Argentinensis Episcopus quidem affirmant priorem quinque Episcoporum Synodum suffecisse ad damnandum Euphratam; ast vbi dicunt ipsam fuisse inappellabilem? Toto cœlo ista differunt. Quin immò Euphratas videtur appellasse. Alioquin quomodò ad eius caussam retractandam conuenisset hæc præsens maior Synodus? Quin, & ab hac videtur appellatum. Etenim Dominus Archiepiscopus profitetur ipsam conuenisse anno quadragesimo sexto quarti sæculi: At verò sequenti anno Euphratas, vti integer Episcopus, adfuit Sardicensi Concilio, & cum Vincentio Capuano egit res non modicas. Erat ergò solutus ab Agrippinensis damnationis vinculo. Certè non per alium, quàm per Romanum Pontificem. Res est discussa superiùs. Perseuero de istius rei veritate ambigere.

Audiamus, & sextum exemplum: [Saturninum Episcopum Arelatensem Gallicani Episcopi in Synodo Parisiensi excommunicarunt, qui nulla mentione facta confirmationis à Romano Pontifice decretæ, Synodicam suam Epistolam miserunt ad Episcopos Orientis. Significant se inter excommunicatos ponere Auxentium, & reliquos Episcopos, quos excommunicatos fuisse scripserant Episcopi Orientales. Tùm denunciant excommunicatum à se fuisse Saturninum Arelatensem.] Respondeo Dominum Archiepiscopum recedere à suo themate. Etenim non ait hanc Parisiensem Synodum fuisse immunem à Romana appellatione, sed non retulisse Romam, nec expectasse Romanæ confirmationis Rescriptum. Immediatè retulisse ad Orientales. Videtur contra sua priora Asserta Gallicanas Synodos à Romanis etiam relationibus eximere. Certè sanctum Alexandrum Alexandriæ Patriarcham, dum Arium, & eius asseclas Clericos damnauit, retulisse ad sanctum Pontificem Siluestrum, & originales literas tunc permansisse in Romanis Archiuijs, testatur in epistola ad Imperatorem Constantium Liberius Pontifex: Quomodò igitur Gallicana Synodus non retulerit damnationem Archiepiscopi Saturnini? Est alia quæstio. Deinde Dominus Archiepiscopus alibi profitetur dogmatica Prouincialium Synodorum Iudicia semper fuisse appellabilia: Quomodò igitur hic Agrippinensem, & Parisiensem manifestè Dogmaticas Synodos prætendit inappellabiles? Oportet esse sui memorem. Epist.2.

CAPVT XXVI.

Discutiuntur Sensa D. Petri de Marca circa Synodum Sardicensem.

AVdi exordium: [Canone itaque Nicæno firmata est, vti diximus, suprema Synodorum Prouincialium authoritas in ferendis Iudicijs, quę temperata fuit Rescriptis Principum, qui reuisiones causarum fieri præciebant. Hinc nouæ Regulæ data occasio, quam Sardicense Concilium condidit, quæ transfusa est in Romanum Episcopum potestas illa, quæ Imperatoribus competebat, concedendi reuisiones huiusmodi. Eò tamen adhibito temperamento, quod infra adnotabitur.] O miserum Romanum Episcopum, qui in Prouinciales suorum Episcoporum Synodos nihil potestatis accepit à Christo Domino, & nescio quid potestatis per Sardicensis Synodi gratiam mutuare debuit à laica Regum violentia! Immò ò miserrimum quemcumque hominem, qui talia commenta tentat Christianis mentibus imprimere! Si Romanus Episcopus nullam hic à Christo Domino authoritatem, sed solum istud laicæ violentiæ imitamentum habet, qua potestate antea degradauit Martianum Episcopum Arelatensem? Qua potestate appellantes admisit Basilidem, & Martialem? Quà fronte Iulius admisit, & reparauit sanctum Athanasium, & longè plures Orientalis Ecclesiæ ad se appellantes Episcopos, & Clericos? Certè hac de re scribit in Ecclesiastica historia Theodoretus: [Iulius Ecclesiasticam sequens Cap.8.

regu-

regulam, & Eusebianos Romam venire iussit, & Diuino Athanasio diem ad Iudicium dixit. Qui simul vt citationem accepit, in viam se dedit. At qui fabulam notant, quippe, qui eam ipsi condiderant, Romam ideò profecti non sunt, quod mendacium facilè deprehensum iri sentiebant. [Quam regulam, quem Canonem secutus est Iulius? Certè non alium, quàm Apostolicum, confirmatum à Nicæna Synodo, & redactum in scriptum. Nemo indignetur, quod Imperatorias episcopalium causarum delegationes, dicam esse Regiam in Ecclesiæ dignitatem, & sacros Canones violentiam. Etenim Dominus Petrus de Marca, affirmat prouincialium Synodorum sententias, quas perpetua Ecclesiarum consuetudo, & Niceni, adeòque etiam Apostolici Canones velint supremas, & inconcussas, fuisse per sacra Rescripta retractari iussas à Romanis Imperatoribus: Quis istam delegationem fuisse concussionem, quis tantorum sigillorum infractionem inficietur fuisse violentam? Certè ista, sacris Canonibus consona, rescripta dipensatoriè, ac patienter tolerauit olim Ecclesia; dissona constanter excussit, vti violentias.

Quod Romana appellatio, sit non desumptum ex Regia violentia imitamentum, sed perpetua consuetudo, atque Apostolica traditio, immò & Diuinum Christi Institutum, est antiqua fides Gallicanæ Ecclesiæ. Etenim inter Ludouici Imperatoris Pij, in quarto additamento, Capitularia sunt, & hæc: [Placuit vt accusatus, vel iudicatus à Comprouincialibus, in aliqua causa episcopus, licenter appellet, & adeat Romanæ Ecclesiæ Pontificem, qui aut per se, aut per suos Vicarios retractari, eius negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suā agit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur episcopus. Quoniam quamquam Comprouincialibus episcopis, accusati Pontificis causam scrutari liceat, non tamen definiti, inconsulto Romano Pontifice, permissum est, cùm beato Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso Domino dictum est:] Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlis. [Vt omnes episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam, quasi ad Matrem, confugiant, & ab ea, sicut semper fuit, profulciantur, defendantur, & liberentur. Cuius dispositioni omnes Ecclesiasticas causas, & episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum authoritas reseruauit.] Hæc est antiqua, & perpetua Gallicanæ Ecclesiæ fides, quam Petrus de Marca non possit transigere. Et disertè affirmat retractatorium iudicium posse fieri, etiam per ipsum Pontificem. Vtique in alma Vrbe. Etiam hunc articulum affirmat esse traditionem Apostolicam.

Palmaris pro nostra fide præscriptio est, vt nihil credamus, nisi quod accepimus à nostris maioribus, illi à suis, isti tandem ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus autem accepit à Deo. Quidquid has lineas egreditur, est vana nouitas, & damnandus error. At verò quod episcopalium appellationum admittendarum, & retractandarum potestas in Romano Pontifice, sit quoddam Regarium rescriptorum imitamentum, nemo vnquam euomuit: Non ipse Nicomediensis Eusebius, non Photius, nec forsitan Michael Cerularius, longè minùs Rhemensis Hincmarus. Hoc nouum dogma exspectabat felices Natales, aut episcopales infulas Petri de Marca. Non indulgeo suspicionibus, aut coniecturis, ipsemet illud disertè profitetur: [Sardicensi Concilio debetur prima origo iuris Summi Pontificis, quoad iudicia canonica episcoporum. Quamquam si rem propiùs introspiciamus, neque canonum verba egrediamur, manifestum erit nihil illic statutum esse, aduersùs supremam synodorum Prouincialium authoritatem, Canone Nicæno firmatam. Fateor equidem hactenùs vniuersis persuasum fuisse, repertam esse in Synodo Sardicensi legem, de appellationibus aduersùs episcoporum iudicia, easque à Summo Pontifice iudicandas esse, ex præscripto huius Concilij. Verùm vt ab ea persuasione recedam, facit quod à me obseruatum est, nempè ius tantùm concedendi reuisionem à Synodo Sardicensi introductum esse, in gratiam Sedis Apostolicæ, & in quoddam detrimentum authoritatis Imperatoriæ. Hæc interpretatio mea est. Quam cum aliquot viris doctis aperuissem, eam illi suffragio suo comprobarunt. Discrimen quippè est, inter appellationem, ac reuisionem. Illa namq; integram causæ cognitionem transfert ad iudicem superiorem, qui quæstionem excutit, & definit in suo tribunali; at reuisio definitiuum iudicium, relinquit priori iurisdictioni, ea ratione vt prioribus iudicibus noui adiungantur. Sed huic persuasioni, quàm dixi, occasionem dedit ipsa Sardicensis Synodus, quæ vocibus] Appellandi, & [Prouocandi impropriè vtitur, quod retractatio vicem subeat appellationis. Vnde factum est, vt sequens ætas existimauerit in his Canonibus agi de vera appellatione, iuxtà propriam huius vocis significationem.]

Disertis verbis gloriatur suum dogma esse nouum, ac se esse ipsius inuentorem, ideòque & nouum Dogmatistam. Et addit plurimos errores. Primus est, quod Romanæ appellationis origo sit à Synodo Sardicensi. Secundus est, quod quintus Nicænus Canon Prouincialium Synodorum iudicijs adscribat supremam, & inconcussam authoritatem. Hæc assertio est totiùs deuiæ, ac paradoxæ machinæ principale fundamentum, ideòque toties repetitur. Ioannes Dauid rectè scribit esse assertionem fatuam. Tertius error est, quod Sardicenses Canones istam supremam authoritatem in nullo diminuant. Quartus error est, quod circa hos canones vniuersa hactenùs Ecclesia fuerit in errore. Quod veritas in Democriti puteo huc vsque latuerit, & non nisi à paucis annis liberatorem inuenerit. Et quidem tanta veritas. Quintus error est, quod vniuersa huc vsque Ecclesia crediderit, appellationis Romanæ legem esse repertam per istos canones. Etenim vniuersa semper credidit Ecclesiæ Romanæ appellationis legem, vtpotè Apostolicam, atque Euangelicam, non esse repertam, aut intro-

ductam per istos canones, sed expositam, stabilitam, & confirmatam. Sextus est, quod isti Canones nō adscribant nouæ appellationis authoritatem, sed solius reuisionis.

Septimus error est, quod hi Canones istud ius adscribant Romano Episcopo, non in ablationem, sed dumtaxat in quoddam detrimentum authoritatis Imperatoriæ. Proinde hanc authoritatem Imperatoribus nequaquam auferunt, sed stabiliunt, & ipsam communicant, ac deriuant in Romanum, etiam Episcopum. Ad eum modum, quo nonus Chalcedonensis Canon Exarchicæ appellationis, ius per tres Autocephalas Diœceses, quod antea competebat solis Exarchis, extendit, ac deriuat in nouum, etiam Patriarcham Constantinopolitanum. Proinde vti hic Chalcedonensis inter istos Primates, & istum Patriarcham, ita Sardicensis Canon, inter Imperatorem, & Pontificem introduxit appellandi alternatiuam, & ius præuentionis. Alternatiuam, & eligendi ius dedit ipsis appellantibus. Sunt lepida Dogmata. Porrò Imperator, qui Tyrannum non agat, Prouincialium Synodorum sententias per semetipsum retractare non potest, sed dumtaxat delegare alijs episcopis. Petrus de Marca censet nihil aliud Iuris Romano etiam Pontifici adscribi per Sardicenses. De Imperatore Constantino, scribit ad suos Monachos sanctus Athanasius: [Quis videns eum in decernendo Principem se facere episcoporum, & præsidere Iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat illum esse eam ipsam abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est? Nam cum circumamictus sit Christianismo, & in loca sancta penetret, & inibi consistens deuastet Ecclesias abrogans Canones, & vi agens, vt sua obtineat, quis vnquam audebit dicere hoc tempus Christianis pacatum esse, & non potius persecutionem? Et talem persecutionem, qualis nec antea fuerit, & qualem fortasse nemo vnquam fecerit, nisi filius ille iniquitatis?] Quod nempè per se iudicare non posset, sed solummodò delegare. Proindè & Romanus Pontifex, si talia attentet in Prouinciales Synodos, huius noui dogmatis iudicio erit abrogator Canonum, persecutor Ecclesiæ, desolationis abominatio, & Anti Christus. Lutherani & Caluinistæ, hæc libentissimè audierint, Eusebiani ista in suo Constantio non solummodò tolerabant, sed & laudabant, ac insuper incitabant ad talia. Magnus enim Athanasius agit de Mediolanensi Synodo, quam à Liberio Pontifice postulatam ad pacandam tandem aliquando Ecclesiam Constantius permiserat: Verùm Eusebiani, videntes rem non succedere ad sua vota, authores fuerunt Principi, vt insignem plusquam trecentorum episcoporum conuentum, ex Ecclesia transferret ad Palatium, ac ipse præsideret, & episcopos cogeret ad sua desideria. Et Constantius fecit. Erat retractatorium de Athanasij causa iudicium. An istiusmodi præsidentiam, & Ecclesiasticorum Iudiciorum retractationē Dominus Archiepiscopus damnaret hodie in Regibus, ignoro: Et nolo accusare quod nescio. Quidquid sit, in Romano Pontifice censet ista esse intolerabile Attentatum.

Octauus error est, quod Romanus Antistes à retractatorio appellatæ causæ iudicio non possit priores Iudices excludere: Quod debeat definitiuum iudicium, relinquere priori iurisdictioni, ea ratione, vt prioribus iudicibus noui adiungantur. Error est in superioribus abundè refutatus. Interim Dogmatistes pergit errores cumulare erroribus: Attamen ius in Sardicensi Synodo, quęsitum Episcopo Romano, est prorsùs diuersum à iudicio appellationis, cum nihil ei concessum sit, quàm vt decernere possit causæ retractationem. Quippè Synodus statuit, vt si episcopus damnatus Pontificem Romanum appellauerit, in potestate eius sit appellationem respuendi, quo pacto sententia episcoporum prouinciæ confirmabitur, aut eam admittendi: Quo casu debet Episcopus Romanus iudicium integrum remittere ad episcopos prouinciæ, & ad finitimos, vt illi causæ cognitionem suscipiant, præsente Legato Summi Pontificis. Præterea appellationis ea vis est, vt priore interim sententia supersedendum sit. Quod aliter obtinet in reuisione. Nam confugium illud ad Apostolicam Sedem non impediebat, quin interim sententia depositionis executioni mandaretur.] Plures iterum errores. Primus est, quod Romanus Pontifex appellatas causas, ipse per se iudicare non possit, nec Romam ad suum tribunal euocare. Secundus est, quod nihil possit, quàm delegare retractaturos Iudices. Tertius est, quod delegare non possit quoslibet, sed solos eiusdem, aut vicinæ prouinciæ episcopos. Quartus est, quod Romana appellatio solummodò deuoluat, non autem suspendat, ideòque Appellantem Pontifex, ante expletum retractatorium iudicium non possit reuestire. Et ex his Dominus Archiepiscopus concludit Romana perfugia, nequaquam esse veras appellationes, sed dumtaxat reuisiones. Et benè concludit. At falsum ex falso. Etenim omnes eius præmissæ sunt vanissima figmenta. Quare ego concludo Romana perfugia, esse verissimas appellationes. Hinc Sardicensis Synodus vocibus „ Appellandi „ & „ Prouocandi „ est vsa in propria significatione.

Dominus Petrus de Marca pergit: [Huius autem iuris nouam esse institutionem probant verba Canonis.] Si placet vobis, inquit Hosius Cordubensis episcopus, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus. [Non ait confirmandam esse antiquam traditionē, quemadmodum fieri consueuit in negotijs, quæ renouatione tantùm, aut explicatione iuris antiqui indigent.] Eodem argumento, vtitur Paschasius Quesnellus: Et adiungit, quod Hosius trepidè, & admodum dubitanter, & quasi supplex istam Romano Pontifici gratiam à Synodo orauerit, ac exorauerit. Quod nempè sciret à se postulari rem nouam, dissonam Nicænis Canonibus, & constanti aduersam consuetudini. Respōdeo hanc Synodalem Hosij Præsidis relationem dirigi aduersùs Philippopolitana Eusebianę factionis attentata, quæ eo ipso tempore Diuinam Ecclesiæ Monarchiam, Romanæ Ecclesiæ primatum, Diuinum Romanæ appellationis ius, omnia sancti Petri Apostoli priuilegia proijciebant in terram.

Nam

Nam & in sanctum Iulium Pontificem, propter admissam sancti Athanasij, ac aliorum Orientalium Episcoporum appellationem, propter ipsos ante retractatorium iudicium reuestitos, & ob istam retractationem delegatam Sardicensi Synodo, isto ipso tempore excommunicationem ore rabido latrabat, & degradationem. Aduersùm ista facinorosissima Attentata declamat Hosius: [Reuerendissimi Patres, qualia iam fiant Philippopoli, vos nostis. Non sola Diuina Ecclesiæ Hierarchia, sed & ipse Apostolorum Princeps proijciuntur, & conculcantur. Restituti per ipsum Episcopi denuò spoliantur. Clamantur appellando crimina cumulasse criminibus, ideòque, & in ipsos damnationes cumulantur damnationibus. Ipse Summus Pontifex, cuius ego apud vos sum Vicarius, tamquam Diuinæ legis præuaricator, & nouarum in Ecclesia rerum propter admissas appellationes author, anathematizatur. Et cum ipso Primates huius Synodi Antistites, Quare nobis non licet dormire. Ante omnia, si vobis placet, oportet nos honorare memoriam sancti Petri Apostoli.] Hosij relatio talem habuit sensum. Nullatenus nouitatem olet, sed omninò clamat vetustatem, eiusque stabilimentum, & confirmationem.

Confiteor, dicere potuerat, [Renouemus, ac elucidemus Nicænos Canones.] Attamen nec debuit, nec dixit. Constantinopolitanæ Synodi Patres in suo Symbolo dixerunt de Spiritu Sancto: *Ex Patre procedit*. Potuerant dicere: *Ex Patre, Filioque procedit*. Certè præcidissent duras Ecclesiarum quęstiones, lamentanda schismata. Hinc Caroli Magni Legatio dixit ad Leonem III. Numquid non benè ijdem tunc authores fecissent, si quatuor tantum addendo syllabas, tam pernecessarium fidei Sacramentum cunctis deinceps sæculis perspicuum redderetur? [Et Pontifex respondit:] Sicut non audeo dicere non bene fecisse si fecissent, quia proculdubio sicut cætera, quæ, vel omiserunt, scientes vtique, & non tam humana, quàm Diuina illuminati sapientia fecerunt; ita quoque non audeo dicere istud eos nobis minùs intellexisse. Perpendisse, cur dimiserint. Tu, & tui videte, quid sentiatis de vobis. Nam, & ego me illis non dico præferam, sed etiam illud absit mihi, vt coæquare præsumam. [Hoc ipsum ego respondeo de Synodali relatione Confessoris Hosij. Haud dubiè Spiritus Sanctus ei non reuelauit, quod periculosa nouissimorum dierum tempora essent visura Catholicos viros, qui eius verba tam peruersè detorquerent.

Et quidem constantissimo huic Confessori timiditatem in Sardicensi Synodo adscribere est atrox nimiùm contumelia. Quam intrepido isthìc animo egerit, edicit ipse in literis ad Imperatorem Constantium. Hic ab Eusebianis seductus Princeps adeò oderat sanctum Athanasium, vt in Mediolanensi Synodo dixerit ad Liberium Pontificem:] Preclaram illam victoriam, de Magnentio, & Syluano partam, non tanti facerem, quanti Athanasij ab Ecclesiasticarum rerum administratione abdicationem. [Hinc primùm per promissa, deinde per Regias minas tentauit Hosium cogere in suam sententiam. Ast ille respondit:] Ego Confessionis munus expleui, primùm cum persecutio moueretur ab auo tuo Maximiniano. Quod si tu quoque persecutionem moues, etiam nunc ad quiduis potiùs sustinendum paratus sum, quàm vt effundam innocentem sanguinem, & veritatem prodam. Fui ipse in Sardicensi Concilio, ipseque vltro Athanasij inimicos prouocaui, vt si quid contra eum haberent, edicerent. Promisique eis securitatem, & ne quidquam aliud expectarent, quàm rectum in omnibus Iudicium. Id non semel, sed bis feci. [Ecce quanto, & quali Episcopo Paschasius Quesnellus impingit timorem, trepidationem, supplices preces, pro Diuinis sancti Petri priuilegijs. Adducenda sunt, quoniam nos docebunt rem non modicam, etiam sequentia epistolæ verba:] Quod si nollet rem ab vniuersa Synodo disceptari, saltem me Iudice vterentur. [Retractatorium Athanasianæ causę Iudicium per appellationem erat deuolutum ad Sedem Apostolicam. Sed quoniam Eusebianæ Factionis Episcopi, qui ipsum in Tyria, & Antiochena Synodo damnauerant, contumaciter nolebant Romam adesse, eos per Constantis, & Constantij Imperatorum auctoritatem Iulius Pontifex iussit adduci Sardicam, & isthìc fieri retractationem. In generali Synodo, cui Hosius præsideret. Et in Factionis gratiam addidit facultatem, quæ solus Hosius, si isti mallent, retractaret: Nempe ne coram tota Synodo confunderentur. Ex quo lucet, quod Apostolicus Canon, aut antiqua consuetudo Pontificem non constringeret ad certum retractationis modum. Quare nec constrinxit, aut constringere potuit Sardicensis Synodus: Eius sapientissimo consilio permisit plenam libertatem. Authoritatem, quam Iulius dedit toti Sardicensi Concilio, dedit, & vni Hosio: Vtrisque fuit delegata eadem auctoritas. Quæ potestas residet in cunctis etiam Successoribus. Hinc & post Sardicensem Synodum Liberius Pontifex Imperatori Constantio, Tyriam Synodum valere volenti aduersùs Athanasium, in Mediolanẽsi colloquio opposuit varia priora pro Athanasio Iudicia, & adiunxit: [Omnes contendamus Alexandriam, vbi Reus, vbi Accusator, & causæ eorum Patroni sunt, atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter feremus.] Consensit in nouam retractationem, & præscripsit nouum eius modum. Nec quisquam aduersùs Pontificis potestatem, sed solus facinorosus Epictetus Centum Cellensis Episcopus intercessit de nimijs impensis publicæ Vecturæ. Nempè omnes nouerant retractationis modum esse in sapientissimo, ac liberrimo Pontificis arbitrio. Quare nec Iulius pro retractanda sancti Athanasij, ac aliorum Orientalium Episcoporum causa ad Sardicensem, nec eiusdem Athanasij denuò agitanda causa Liberius ad Aquileiensem, aut Mediolanensem, nec Innocentius pro retractanda sancti Ioannis Chrysostomi causa ad Thessalonicensem, nec pro sancti Flauiani, ac aliorum Episcoporum retractanda appellatione sanctus Leo ad Chalcedonensem, nec pro rectractanda S. Ignatij causa Adrianus II. fuit obligatus ad indicendam octauam Synodum. Omne illud Iudicium, vti Iulius vni Hosio, sic ipsi poterant

vni alteri delegare. Ipsorum sapientissimum consilium ex causis elegit modum retractandi per generalem Synodum.

Porrò quod quintus Nicænus Canon Prouincialium Synodorum Iudicijs adscribat supremam, ac inappellabilem auctoritatem, nemo vnquam effutiuit: Nemo Catholicus, nemo Schismaticus, nemo Hæreticus. Dominus Petrus de Marca est omnium primus. Etenim Eusebiana Factio Iulium quidem Pontificem ob susceptos alienos damnatos, adeòque ob violatum istum Canonem damnauit apud Philippopolim, attamen nequaquam egit de damnatis per Prouincialem sui Patriarchatus Synodum, sed de solis damnatis per Synodos Diœcesanas aliorum Patriarcharum. De damnatis per Synodum Tyriam, Antiochenam, & Constantinopolitanam. Quin quisque Patriarcha posset interiectas aduersus subditarum sibi Prouinciarum iudicia appellationes admittere, ipsas retractare, & ista etiam Iudicia circumducere, nulli Eusebiano venit in dubium. Excepto vnico casu vnanimis suffragij, de quo Canon Antiochenus, postmodò tamen circumductus per sextum Constantinopolitanum. Eumdem in sensum locutus est ad Liberium Papam in Mediolanensi Colloquio Imperator Constantius: Res de quibus constituta est formula, infringi nequeunt. Siquidem plurium Episcoporum rata debet esse sententia. [Loquitur de Tyria Synodo, cui antea dixerat,] omnes Orbis terrarum Episcopos adfuisse. [Locutus est in sensum Eusebianum. Etiam Aurelius Carthaginensis, & quidam alij Afrorum Episcopi in infelicissima ad Cœlestinum Pontificem epistola nequaquam fauent Domino Archi-Episcopo. Censent quod quintus Nicænus Canon sanciat Synodalia etiam de Episcopis Iudicia esse inconcussa, ideoque, & damnatos isthìc Episcopos non posse Romam prouocare: Verùm non de Prouinciæ, sed de totius suæ Diœcesios agunt Synodo. Etenim in ea ipse epistola profitentur, quod damnati in istis Episcopi, immò, & Clerici, possint ad hanc confugere. Patriarchales appellationes nec Photius extinxit, nec Michael Cerularius. Quod ipsas quintus Canon Nicænus extingueret, in nullius vnquam, cuius nomen nouerimus, venit animum. Quare hunc, quem Dominus Archi-Episcopus iam tentat Mundo obtrudere, istius Canonis intellectum Ioannes Dauid rectissimè scripsit esse fatuum.

Adducta iam Dogmata Dominus Archi-Episcopus pergit confirmare:] Sanè vix credi potest tam promptos ac faciles fuisse Episcopos, vt statim, & absque ulla contradictione consenserint exui se suprema auctoritate, quam possidebant, vt iudicia sua simplici appellationi submitterent. Faciliùs eis persuaderi poterat, vt approbarent tribui Episcopo Romano ius concedendi Reuisionem aduersùs eorum iudicia, id est, ius Imperatoribus quæsitum communicari cum Romano Pontifice, eaque ratione paulatim, ac sensim sine sensu adimi Imperatoribus. Neque enim Concilium in vniuersum id ius ademit Principibus, vt colligere possumus ex verbis Canonis septimi, quæ sic habent: [Si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ.] Verbis quidem illis conditionalibus datur damnato facultas implorandi auxilium Romani Episcopi; verùm id non impedit, quin etiam possit adire Imperatorem, cuius auctoritatem in hac materia satis manifestè agnoscit Synodica epistola Concilij Sardicensis, paulò ante laudata.]

Errores suos repetit, & adiungit nouos. Primus est, quod Prouinciales Synodi ante Sardicense Concilium haberent supremam auctoritatem. Secundus est, quod hac auctoritate se exui permiserint in gratiam Romani Pontificis. Tertius est, quod non plenè se permiserint exui. Istam enim suam auctoritatem permiserint non per appellationes circumduci, sed solummodò circumscribi per reuisiones. Quartus est, quod hoc Reuisionis ius tunc esset quæsitum Romanis Imperatoribus. Quintus est, quod Sardicensis Synodus Romano Pontifici nihil adscripserit, nisi istius Imperialis Iuris communionem. Sextus est, quod Synodus istud ius Imperatoribus non plenè ademerit. Septimus est, quod istud colligatur ex adductis verbis septimi Canonis. Etenim verba ista, nec apicem habent de Imperatoribus. Et hoc aduertens Dominus Archi-Episcopus recurrit ad Synodalem epistolam, in qua Patres confitentur se agere ex permissu Principum. Quia nempe generales Synodi, quoniam, & Ecclesiam, & Rem-publicam mouent, sine Principum permissu non solent celebrari. Quid hoc ad præsentem controuersiam? Rectè tamen Dominus Archi-Episcopus addit, quod Synodus paulatim, & sensim sine sensu voluerit istud ius Imperatoribus adimere. Ita profitetur ipsum esse contra Canones, adeòque, & istud ipsum censet de illius extensione ad Romanos Pontifices.

Audiamus, & sequentia:] Magnum tamen discrimen intercedit inter ius quod Imperatoribus competebat, & illud quod Romano Pontifici tribuitur. Imperatores enim, cùm negotia retractari præcipiebant, maius Concilium congregabant, ad quod euocabant Episcopos ex diuersis Prouincijs, prout eis libuerat. At Canones Sardicenses modum adhibent auctoritati Episcopi Romani, cui nihil aliud licere volunt, quàm vt nouos Iudices donet Episcopos ex vicina Prouincia, qui vnà cum prioribus Iudicibus intersint renouationi Concilij, & Iudicij. [Errores suos repetit, & adiungit nouos. Repetitus iam frequenter error est, quod Sardicensis Synodus Romano Pontifici nihil detulerit, nisi Imperialis Iuris communionem. Primus error nouus est, quod plenam communionem non detulerit. Secundus est, quod Imperator Synodalium Iudiciorum retractationem possit delegare Episcopis, quibus voluerit. Etenim omnes Ecclesiæ Patres nullum agnoscunt Principis ius ad istas Delegationes, sed meram suam dispensatoriam tolerantiam. Canonibus conformes patienter tolerarunt, difformes constanter excusserunt. Tertius error est quod Pontifex appellatarum causarum retractationem delegare non possit, nisi eidem aut vicinæ Prouinciæ. Etenim Synodus profitetur se omnia relinquere eius sapientissimo consilio, Dominus Archiepiscopus illustriorem

rem Papalis auctoritatis partem transcribit in Imperatorem.

Quid de Imperialibus Episcopalium causarum Delegationibus senserit Sardicensis Synodus, audiamus ab eius Præside Hosio in literis ad Imperatorem Constantium: [Desine, quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem Iudicij, serua te purum in istam diem, neque te misceas Ecclesiasticis negotijs, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis concredidit, quæ sunt ecclesiæ. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Diuinæ; ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini fias obnoxius.] Date quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. [Neque enim nobis fas est in terris Imperium tenere, neque tu Thymiamatum, & Sacrorum potestatem habes.] Palàm scribit contra memoratas Delegationes. Eadem est sententia omnium Patrum. Talia, & nos oportet prædicare nostris Regibus. At ecce Dominus Archiepiscopus mauult scribere, quod Sardicensis synodus nihil detulerit Romano Pontifici, nisi diminutam Regij Iuris communionem. Mouet & alias quæstiones: An synodus Sardicensis fuerit Oecumenica? An Episcopo damnando permittat appellare ante definitiuam sententiam? An appellare permittat ab ista etiam synodo, cui Pontifex primi Iudicij Retractationem delegauit? Non spectant ad præsentem materiam.

CAPVT XXVII.

An Dominus Petrus de Marca sit reuera primus Auctor Commenti, quod asserit Romanas Appellationes esse quamdam, à Sardicensi Concilio donatam participationem Augusti iuris, quo Romani Imperatores semper potuerunt quorumuis, etiam Ecclesiasticorum, ac Synodalium, Tribunalium sententias per Sacra Rescripta delegare retractandas alijs Iudicibus?

ALiquid semper noui dicere fuit olim magna laus apud Gentiles Atheniensium Philosophos. Apud nos verò Christianos quid Gentium Doctor Apostolus sentiat de vocum nouitatibus, est omnibus exploratum. Quidquid apud nos in Dogmate est nouum, est & falsum. Hanc esse firmissimam Præscriptionem demonstrat frequenter Tertullianus. Et hinc præsens Domini Archiepiscopi gloria nihil est: Est miseranda confessio erroris. Paucis tamen videndum est, an gloriatio, licèt vacua, sit tamen vera. Supradixi Commentum istud esse adeò deuium, vt nec Nicomediensi Eusebio, nec Photio in mentem venerit, immò forsitan, nec Michaeli Cerulario. Quidquid sit, in mentem omninò venit Leoni Acridensi Episcopo, Exarcho-Bulgarorum, pertinacissimo, ac nequissimo dicti Michaelis satelliti, & cooperario. Hic est primus auctor prodigiosæ fabulæ. Aduersùs Latinam Ecclesiam scripsit plures epistolas, quarum vna est, [Aduersùm illos, qui dicunt Romam esse primum Thronum.] Contumaciter asseuerat Primatum à Christo Domino non esse datum meritis sancti Petri Apostoli: Domini verba, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] non in Petri personam, sed in eius de Dei Filio confessionem fuisse directam, ideòque hanc, non illam esse rupem immobilem. Asseuerat Dominum ad [vnam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam] fuisse locutum, [non ad Petrianam, aut Romanam, vt vult indoctus Romanorum fastus.]

Attamen, quin Romana Ecclesia sit in longa istius Primatus possessione, non præsumit inficiari, ideòque quærit istius possessionis originem. Et definit: [Porrò si quis consideret, à quo Roma Primas habere visa est, ei gradum vix concedet, siquidem Paganorum sententia in Ecclesia Dei omninò absurda est. Aureliani enim, Paganam Religionem colentis, iudicio ea Primatum accepisse videtur. Contigit enim Aurelianum hunc, ad Exercitum tendentem, per Antiochiam iter facere, Paulum autem Samosatensem, loci illius Episcopum, iudicio Episcoporum congregatorum, tum honore Sacerdotali, tum Throno depositum, seditiosè, & per vim contendere, vt quæ sibi ablata erant recuperaret, hosque, qui eum deposuerant, id ei non concedere. Magna interea contentione, & rixa absurda erumpente, vtraque pars tandem ad potentiam mundanam, eamque, quæ coercere poterat, respexit: Hi, vt Pauli tyrannidem sisterent; ille verò, vt eorum suffragia irrita faceret, & Patrum Sanctiones impunè violaret. Indigent itaque, necessitate cogente, vtraque pars, seorsim licèt, auctoritate Imperatoris. Ille autem sese illa, de quibus contendebant, non intelligere affirmans, ad Episcopum Romanum causam adferre iussit: Eosque, recusantes licèt, eis stare, quæ Romanus Episcopus iudicaret; quippè qui antea, cùm eiusdem religionis esset, eius rei aliunde notitiam habuit, Romam adduxit: eisque idcircò videbatur ei Primas dedisse, & in omnium tyrannidem Pontificatum asseruisse.]

Affirmat plura. Primò, quod & degradatus Paulus, & degradatrix Synodus ad Aurelianum prouocauerint. Secundò, quod Aurelianus, vtpotè Laicus, & Paganus, istam Christiani dogmatis, ac disciplinæ quæstionem non intellexerit. Tertiò, quod hac de causa ipsam remiserit ad iudicium Romani Episcopi. Quartò, quod vtraque pars istud Iudicium detrectarit. Quintò, quod Princeps inuitos Romam coegerit. Sextò, quod hoc sit exordium Romanæ Appellationis, totiusque Romani Primatus. Quia nempè Romani Episcopi hanc Imperialem Delegationem duxerunt in consequentiam, atque ita ipsam pedetentim sibi in ius transformarunt. Miscet vera falsis, interim palàm docet, quod Imperator Aurelianus Augustæ Delegationis Ius habuerit, & ipsum quoad ecclesiasticas

quæ-

quæstiones transcripserit in Romanam Ecclesiam. Dominus Petrus de Marca hanc transcriptionem à Sardicensi Synodo, Leo Acridensis censet factam ab Imperatore Aureliano. Hoc est vnicum discrimen inter vtriusque dogmata. Et Leonis opinio est Romanæ Ecclesiæ fauorabilior. In tribus. Primò, quod dicat transcriptionem, natumque inde appellationis ius esse vetustiora. Secundò, quod istam dicat factam ab ipso, qui sua alienare poterat, Principe. Et certè, si facta sit talis transcriptio, qua potestate Sardicensis Synodus Augustam Reipublicæ authoritatem potuit transferre in Romanum Pontificem? Tertiò, quod Leo Acridensis retractatorium iudicium permittat in alma Vrbe fieri. Affirmat enim, quod Aurelianus partes adduxerit Romam.

An Dominus Petrus de Marca istas Leonis Acridensis fabulosas blasphemias legerit, ignoro, interim habet etiam alia istis similia. Leo enim pergit: [Porrò Synodus prima præcepit, vt vnaquæque Prouincia propria iura conseruet, & nemo alterius limites inuadat, & alienas Prouincias surripiat, sibique subijciat.] Laudat non quintum, sed sextum Nicænum Canonem. Et in ipso fundat Episcoporum appellationes. Ex ipso affirmat, quod vna Prouincia, seu Diœcesis non subsit alteri, nec ab alterius Episcopo possit inuadi. Vtique non Patriarchalis tantùm, sed quæuis Autocephala. Qualis tunc erat, & ipsa Acridensis. Etenim Græci Autocephaliam, qua olim Heraclæensem, Ephesinam, & Cæsaræensem exuerunt, postmodo transtulerunt in plures alias Cathedras, atque ita suum schisma transformarunt in hydram multorum capitum. Leo agit in Romanam Ecclesiam: Affirmat, quod ipsa omnes sub cœlo Appellationes, aliumque Primatum prætendendo inuadat alienas Prouincias, ideòque peccet in sextum Nicænum Canonem. Pontifici nequaquam Patriarchalem suarum Prouinciarum Præfecturam, ac Appellationes denegat: Absit. Ei concedit, ac profitetur omnem istius potestatis plenitudinem. Diuina Iustitia passim schisma punit per schisma: Ecclesiasticæ vnitatis laceratores passim transuertit in Cadmæos fratres. Hinc & schismaticis Græcis non deferunt Metropolitæ, qui suas Synodos ambirent esse supremas, ac inappellabiles. Verùm illos alij inuaserunt isto impetu, quo olim apud Donatistas Primianistę tractarunt Maximianistas. Videatur Theodorus Balsamon in Meditato de Patriarcharum Priuilegijs. Eodem modo nescio quem similiter ambitiosum Metropolitam inuadit Callipolitanæ Ecclesiæ Oeconomus in literis ad Theodosium Constantinopolitanæ Ecclesiæ Prothonotarium: epistola extat in Turco-Græcia apud Martinum Crusium. Fol. 333. En quales Duces habeant nostri hodie Nouatores. Illos non proscribo ad schismaticos: Absit. Diuina Clementia me custodiat. Et ipsos. Dico quod quædam cum istis praua, quædam sapiant, ac doceant peiora.

Huius Leonis oculos etiam ferit Sardicensis Synodus. Hinc prosequitur: [Quod si dicas Synodum Sardicensem præcipere, vt Episcopus Romanus aliarum Prouinciarum suffragia examinet, id multis modis solui potest. Primò, quod cum localis sit, à quarta Oecumenica rescinditur. Ea enim Patriarchæ potissimùm Constantinopolitano aliorum iudicia examinare concessit.] Cum Domino Petro de Marca affirmat Sardicensem Synodum non Oecumenicam, sed dumtaxat localem, seu Patriarchalem fuisse, ideòque eius Canones non extendi ad omnem ecclesiam. Hoc schismaticis Græcis est palmare fundamentum contra vniuersalitatem istorum Canonum. Hinc concludunt potuisse circumduci per sequentes Oecumenicas Synodos: Et præsens Leo affirmat circumductos per Synodum Chalcedonensem; Per nonum eius Canonem. Affirmat quod hic cunctas totius mundi appellationes à Romano Episcopo transferat in Constantinopolitanum. Ridiculè. Etenim Canon manifestè agit de solis appellationibus trium, vsque tunc Autocephalarum, Diœcesion: Thraciçę, Asiaticæ, Ponticæ.

Interim & hic Leo, & cuncta Photiani Schismatis Factio Sardicenses Canones longè rectiùs intelligunt, quàm hodierni Nouatores. Ex animo profitentur, quod isti Canones Romano Pontifici plenam faciant potestatem euocandi, delegandi, & appellatas causas quouis iuxta suum arbitrium modo retractandi. Etenim Theodorus Balsamon ad quintum Sardicensem Canonem scribit: [Præsens Canon dicit, quod si quis à Prouincialibus Episcopis condemnatus fuerit, & ad Papam appellauerit, is verò vicinis mandauerit Episcopis, vt de appellatione cognoscant, si hoc iustum esse putauerit, & ab eis quoque condemnatus fuerit, & secundò ad Papam accesserit, & illi visum est ea, quæ priùs iudicata sunt, rursùs examinari, ne cogatur is, qui iudicio vicerit, Romam venire, sed in Prouinciam iussu Papæ veniant Presbyteri ex eius Latere, siue ab eius ecclesiâ, & familiaritate illi coniuncti, qui authoritatem, siue potestatem eius habere debent, vt cum Regionis illius episcopis de quæstione iudicent, illamque decidant. Si autem Romanus Episcopus non esse iustum perspexerit, vt rursùs examinentur ea, quæ priùs iudicata fuerant, eius enim iudicio Canon omnia relinquit, faciet quod sibi iustum esse videbitur. Cum Canon hæc definiat, ne tibi contrarium esse videatur caput primum tituli noni librorum Basilicorum, dicens non posse Iudicem appellatum ad alium transmittere cognitionem appellationis, sed eam per se audire debere. Sed dic præsentem Canonem esse specialem, & ita editum esse propter viæ longitudinem, & ne vexentur Episcopi, in adeò longinquam, & alienam Religionem trahendi. Cum Presbyteris autem Papæ secundam appellationem iudicare Prouinciales Episcopos, qui condemnarunt Episcopum, ne dicas esse contrarium legi, quæ dixit: Iudex, qui semel pronunciauit, officio functus est, & non potest rursùs propriam sententiam examinare. Nam, & hoc etiam specialiùs editum est, vt mihi videtur. Propterea enim, & Papæ iudicio relictum est genus iudicij. Quod enim ad Leges attinet, non poterant vnà cum Papæ Presbyteris iudicare illi, qui sententiam priùs tulerant.

Sin

Syn autem dixeris alios esse Episcopos, qui sententiam tulerint, nihil inuenies repugnans.] Affirmat Canonem quibusdam displicuisse, quod Pontificem ad appellatas causas per semetipsum retractandas non adstringeret, sed permitteret facultatem delegandi. Et quidem etiam illi Prouinciali Synodo, à cuius iudicio erat prouocatum. Censebant Canonem aduersari Romanis legibus, ideòque, & deuiare. Etenim Ecclesia in suis olim iudicijs sequebatur formam Romanæ Reipublicæ. Theodori responsio est lucida. Et recta. Affirmat Canonem esse ampliatiuum, hoc sensu: Romanus Episcopus possit istiusmodi causas non dumtaxat euocare ad suum tribunal, sed etiam quibuscumque alijs iuxta suum sapientissimum arbitrium delegare. Euertit omnes Hincmarianas, ac item modernas vocum nouitates.

Notandum est aliud eiusdem Leonis aduersùs Sardicensis synodi authoritatem argumentum: [Insuper quod Hosius Cordubæ Episcopus, præsidentiæ Romanæ locum tenens, & gratiam maiorem, quàm par erat, ei potissimùm deferens, Episcopi Constantinopolitani, qui non tantùm aberat, sed & hæresi laborabat, curam non leuem haberet. Quod si hæc synodus Oecumenicas priores, & præcipuè primam, quæ præcepit vt vnaquæque Prouincia iura sua inuiolata omninò conseruaret: Hæc, inquam, cum sit localis synodus, si Oecumenicam despiciat, potissimùm super hac re, quis eam æstimauerit.] Miscet vera falsis, & affirmat plura. Primò, quod Hosius fuerit istius synodi Apostolicus præsidens. Secundò, quod non timidus fuerit, sed nimiùm audax: Quod Romanæ Ecclesiæ nimium detulerit. Vtique per verba: [Honoremus sancti Petri memoriam.] Tertiò, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ dignitates neglexerit. Quoniam eius Episcopus aberat: Et quoniam erat Hæreticus. Quod ob demerita præsulum violauerit iura sedium. Quartò, quod sit præuaricatus Nicænos Canones. Non quintum, sed sextum. Hæc illius verba: [Suis priuilegia seruentur Ecclesijs.] Quintò. quod ob istum contemptum synodus sit nullius ponderis.

Quod Sardicensis synodus Constantinopolitanæ Ecclesiæ iura læserit, est ridicula fabula. Hæc enim Ecclesia Patriarchalem dignitatem tunc, nedum somniauerat. Habebat simplicem Archiepiscopum, id est, solo nomine Metropolitam, sine Suffraganeis. Patriarchicam Diœcesim, ac potestatem primus architectari cœpit sanctus Ioannes Chrysostomus. Falsum item est, quod eius Episcopus tunc fuerit hæreticus, aut non fuerit apud Sardicam. Eius namque legitimus Episcopus tunc erat Confessor Paulus, cuius ab Arianis eiecti Romana ad sanctum Iulium Appellatio fuit ex eiusdem Pontificis iussu retractata Sardicæ, & ipse absolutus à calumnijs, & repositus in gradum. Hac enim iustitia offensi Eusebiani illum, ne rediret in Sedem, suffocarunt in balneo. Quod hæc synodus dumtaxat localis fuerit, aut quod Nicænos Canones læserit, est etiam manifestè deuium. Attamen vtraque fabula plenissimè placet hodiernis nouatoribus. Hi quintum, Acridensis Leo affirmat læsum fuisse sextum. Et rectiùs. Longè item rectiùs affirmat Hosium, per audaciam excessisse, quàm defecisse per timiditatem, & quasi precarium beneficium supplicasse à synodo. Vtique proclamando: [Sancti Petri memoriam honoremus.] Rei veritas affirmat nec audaciam, nec timiditatem fuisse, sed Hosio dignam constantiam.

Et ipsam Romana Ecclesia semper est plurimùm venerata. Etenim Gregorius IV. Pontifex de causa Aldrici Cenomanensis Episcopi, cuius Romana Appellatio patiebatur contradictionis obices, scripsit ad Gallicanos Episcopos: [Quapropter has ad vos literas destinamus, quibus Decreto nostro ad vestram rogantes charitatem mandamus, vt si aliquis, quod non optamus, suorum Æmulorum Aldricum Episcopum accusare damnabiliter attentauerit, vt honoretur beati Petri Apostolorum principis memoria, Ecclesiæque Romanæ, cui præsedit, priuilegium, & nostri nominis authoritas. Liceat illi post auditionem Primatum Diœceseos, si necesse fuerit, nos appellare, & nostra authoritate, aut ante nos, aut ante Legatos ex nostro Latere missos, iuxta Patrum Decrera, suas exercere, atque finire actiones.] Palam laudat Sardicenses Canones, & exponit: [Aut ante Nos, aut ante Legatos nostros exercere suas, atque finire actiones.] Nempè sicut sederit sapientissimo Romani Antistitis arbitrio. Hinc denuò addit: [Et authoritate Canonum, & prædecessorum nostrorum Decretis sancitum est, vt Episcopus accusatus, si voluerit, appellet Romanum Pontificem, & ad eum, si libuerit, confugiat, vt ab eo eius causa audiatur, aut ipse à Latere suo Legatos, qui eam audiant, mittat, qui iustè cum omnibus Episcopis Comprouincialibus eius authoritate iudicent.] Et hanc epistolam tanti olim fecit Gallicana Ecclesia, vt plures eius partes sanctus Iuo Carnutensis Episcopus suo Decreto inseruerit. Præfatam Hosij synodalem relationem laudat in literis ad Hincmarum Rhemensem Episcopum etiam sanctus Papa Nicolaus: [Debuerat certè Beatitudo tua, cùm Rothaldum Suessionensem Episcopum, toties examinaueras, scribens S. Petri memoriam honorare, eiusque iudicium, etiamsi nunquam appellasset idem Rothaldus, modis omnibus præstolari.] Eamdem in suo supraadducto Capitulo laudauit Carolus magnus, laudemque in suum Canonem assumpsit Triburiensis synodus. Et ecce hodie ista relatio clamatur fuisse timida, humilis, ac precaria supplicatio. Et hoc per sublimes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos.

Acridensis Leo pergit aduersùs Sardicensem synodum: [Quoniam Carthaginensis synodus, postea circiter annos duodecim, quæstiones exactè exhauriens, non solùm nullam venerationem Sardicensi synodo attribuit, sed nec scire dignata est, an talis habita fuerit; sed ad Canones primæ synodi respiciens, ad Cœlestinum planè scribit, ille enim tertius à Zozimo Sedem Romanam administrabat, vt Romanus Pontifex non audeat aliorum Decreta attingere. Quippe, quod nullus Canon istud præcipiat.] Variè & fœdè errat. Primò, quod sexta Carthaginensis synodus sit facta duodecim annis post Sardicensem. Distant enim ad septuaginta annos.

annos. Secundò, quod dicat omnes de ista re quæstiones fuisse exhaustas ab ista sexta synodo. Etenim illic nihil definitum est, sed omnia fuere dilata in maturius examen. Tertiò, quod ista synodus Sardicenses Canones non solummodò ignorauerit, sed etiam contempserit. Etenim Primates istius synodi Episcopi ipsos, vbi agnouerunt, admiserunt cum plena reuerentia. Quartò, quod ista synodus etiam ad Sanctum Papam Cœlestinum scripserit. Etenim id factum est post plures annos. Verùmtamen hi errores non sunt capitales, nec faciunt ad præsentis quæstionis substantiam. Capitalis igitur error est, quod ista Afrorum epistola sit authentica, ac legitima: quod rectè dicat Romanas tam episcoporum, quàm Clericorum Appellationes in nullo fundari Canone, ideòque ipsas rectè excutiat. Et hoc ipsum plenis buccis profitentur hodierni nouatores. Præuaricatoria epistola est ipsis grande fundamentum.

Leo Acridensis prosequitur: [Porro, quia synodus Venethalensis, Canones primæ synodi sequuta, Episcopos Romæ subiectos synodicis eius Decretis obedire iubet, eos autem, qui sub Alexandrino Patriarcha sunt eius Decretis. Et alios similiter.] Quæ, & qualis fuerit ista Venethalensis synodus, fateor me ignorare. Interim Leo tradit plura benè notanda. Primò palàm laudat sextum Nicænum Canonem, qui Patriarchalia Ecclesiæ Alexandrinæ à Meletio Lycopolitano episcopo inuasa, ac læsa, iura reparat, & hac occasione laudauit etiam Diuina Romanæ Ecclesiæ priuilegia, nec non dignitates Antiochenæ Sedis, & generatim omnium Autocephalorum Exarchatuum. Secundò affirmat per hunc, non per quintum Canonem stabiliri Romanas Appellationes. Tertiò affirmat appellationes non soli Romanæ Ecclesiæ competere, sed etiam Alexandrinæ, Antiochenæ, & alijs Autocephalis: Et has omnes stabiliri per istum Canonem. Ex his concludit Romanæ Sedi non totius mundi, sed deberi appellationes solorum episcoporum spectantium ad eius Patriarchatum. Hos omnes affirmat à suarum Prouinciarum synodis posse prouocare ad Papam. Et istud sanciri per sextum Nicænum Canonem. Et ecce has etiam appellationes ei auferunt hodierni nouatores. Quod sancto Petro Apostolo, ac eius Romano Throno relinquunt Schismatici, auferre nituntur Orthodoxi. Res deploranda sanguineis lachrymis. Quod eadem Ioannes Zonaras, Theodorus Balsamon, Matthæus Blasteres, Alexius Aristinus, alijque omnes Photiani Schismatis Sectatores sentiant, ac doceant, est supra demonstratum. Cuncti affirmant non in quinto, sed in sexto Nicæno Canone agi de faciendis ad Patriarchales Sedes appellationibus. Et rectè. Assertionem, quæ à quinto Canone affirmat Romanas appellationes auferri, Ioannes Dauid rectissimè scripsit esse fatuam.

Quod olim quicumque Orientales, à suarum Prouinciarum synodis damnati episcopi potuerint libertimè ad suos prouocare Patriarchas aut Exarchos; quod item hi istas causas non solummodò delegare in partibus, sed etiam potuerint ad sua tribunalia euocare, est longè certissimum. Plurima demonstrant exempla, ac testimonia. Etenim quod Clerici Basilonopolitani ad S. Ioannem Chrysostomum, vti ad suum Patriarcham, prouocauerint, supra nos docuit Anastasij Nicæni Metropolitæ attestatio ad plenam Chalcedonensem synodum. Videtur id factum aduersùs Alexandrum Basilonopolitanum episcopum, qui à laudato Ioanne consecratus, eique in persecutione fidelissimus, cum alijs eius fautoribus debuit aufugere: & fugit in Pentapolitanam Libyam, benignè susceptus à S. Synesio, Ptolemaidis episcopo. Erat enim natione Cyrenensis, ideòque fugit in suam Patriam. Et quia à Theophili Patriarchæ Alexandrini violentia fugerat, Synesius ad illum, ne suum Superiorem offenderet, omnia fideliter retulit. Ita habes in eius literis ad eumdem Theophilum. In laudatis Chalcedonensis synodi actis etiam habemus, quod Athanasius, Perrhensis in Euphratesia Prouincia episcopus, à suo Metropolita Panolbio degradatus, appellauerit Domnum Antiochiæ Patriarcham, & fuerit ab ipso synodaliter auditus. Domnus causam non delegauit eiusdem, aut vicinæ Prouinciæ episcopis, sed partes Antiochiam euocauit ad suam synodum. Hæc integra extat in præfatis actis. Et ex ipsis discimus Panolbio Ioannem, Ioanni successisse Stephanum. Nempè Panolbius successerat Alexandro, qui cum Ioanne Antiochiæ Patriarcha adfuit Ephesino Concilio, & ob rebellionem contra Ecclesiarum pacem fuit deportatus in Ægyptum. Item videmus omnes istos successores fuisse breuis vitæ. Idem Patriarcha Domnus grauissimè tulit Ibæ Edesseni Metropolitæ primam instantiam fuisse sibi per sacra rescripta ablatam: Clamauit esse iniuriam, immò contemptum sui Apostolici Throni. Certè prima de Metropolita cognitio; & retractatorium de Prouinciali Episcopo iudicium spectant ad idem tribunal. Quid opus multis in re lucida? Nonus Chalcedonensis Canon firmat has Patriarchales appellationes. Firmari etiam à Constantinopolitanis, alijsque pluribus, est sæpe ostensum. Et ecce, non Schismatici, non homines Orientales, aut Græci, sed Latini, Occidentalis Ecclesiæ Filij, Orthodoxi auent his omnibus exuere sanctum Apostolum Petrum.

Epist. 67.

Etiam commenti, quod Mundo suadet Romanas appellationes vetari à quinto Nicœno Canone, Dominus Petrus de Marca non est primus author. Etenim Guilhelmus Beueregius, Anglicani Schismatis Doctor, nobis adducit nescio cuius Schismatici Græci Scholion ad quartum Sardicensem Canonem. Affirmat in Amerbachiano Codice reperiri medium interTheodori Balsamonis, ac Ioannis Zonaræ commentaria. Hæc sunt verba: [Ex hoc Canone res Romana ad superbiam elata est. Et hunc, tamquam à Synodo Nicœna constitutum, olim proferentes malefici tunc temporis Romanorum Præsides à concilio Carthaginensi deprehensi sunt, quemadmodum ipsum synodicum Synodi Carthaginensis proœmium ostendit. Quin etiam nec hic amplius quid, quàm alij Canones, istis concedit, licèt illi ita sine ratione opinentur. Neque enim absolutè vspiam depositum licentiam habere dicit ad Episcopum

pum Romanum appellandi. Sic Sardicensis Synodus Oecumenicis planè aduersaretur. Sed eum, qui à finitimis episcopis, & rursùs eum, qui ab ipsius Prouinciæ Episcopis depositus est. Neque enim Metropolitæ Conuentum, neque Exarchi, siue Patriarchæ præsentiam comprehendit: Adeò vt si quis eorum ibi adsit, & nec à finitimis episcopis, nec in vicinijs condemnatio episcopi constituatur, nulla à Romano retractatio erit, quemadmodum in proposito hoc Canone traditur.] Affirmat non illos, qui à Prouinciæ Synodo, sed dumtaxat eos, qui à Prouincialibus, siue à finitimis sine Metropolita Episcopis damnantur, posse appellare ad Papam. Synodaliter damnatis nullum patere asylum. Verùm istiusmodi fabula nulli vnquam schismatico Græco venit in mentem. Est risu, non refutatu digna. Hinc & ipsi Græci istud Scholion forsitan suppresserunt. Interim Romanæ Ecclesiæ odium adeò clausit dicti Beueregij oculos, vt scribat ipsum esse obseruatu dignissimum.

Vt adiutoria, præsertim arma, deportentur ad hostes, rigidissimè damnant, & leges, & Canones. Catholicæ ecclesiæ hostibus Dogmatica arma transmittere est facinus longè enormius. Præsertim his periculosis, ac malignis nouissimorum dierum temporibus, quorum cuncti hæretici adeò oderunt, & non dumtaxat supprimere, sed & euertere tentant Apostolicam Sedem, vt cunctos Orthodoxos appellent Papistas. Credunt id esse ignominię nomen. Et nonne istud facinus patrant hodierni Nouatores? Etenim præfatus Beueregius nuperrimè hæc scripsit ad quartum Sardicensem Canonem: [Synodus Nicœna Canone quinto decreuit, vt omnes ecclesiasticæ causæ à Prouinciali Synodo determinentur, in qua motæ sunt. Post istud itaque decretum à generali synodo constitutum, ridiculum fuisset Prouincialem synodum decernere, vt à Prouinciæ synodo ad Episcopum Romanum appelletur, illeque causam finiret. Neque hoc quidem Concilio Sardicæ habito in mentem vnquam venit. Nusquam enim decreuit, vt ipse Romanus Episcopus causam aliquam in aliena Prouincia ortam determinaret, sed tantùm, vt ipsi liceret decernere, vt causa aliqua retractetur in eadem Prouincia, vbi priùs iudicata est, vt ex tertio, & quinto, alijsque huius Concilij Canonibus patet. Et in primis etiam obseruandum est, neque hoc, quidquid est priuilegij, vel è Scripturis, vel ex antiqua traditione, aut consuetudine à Patribus Sardicensibus Episcopo Romano asseritur, & instituitur, sed tantùm in honorem sancti Petri. Sic enim Hosius Episcopus Cordubensis, qui concilio præerat. Adeòut nullum aliud tunc temporis ijs præstò esset argumentum, quo hoc fundaretur, nisi vt memoria sancti Petri, per huiusmodi priuilegium Episcopo Romano indultum, honoraretur.] Sunt ipsissima nostrorum Nouatorum argumenta, & sensa. Certum est esse hausta ex ipsis. Nam & Beueregius profitetur se scribere ex ipsorum fonte, Hincmaro Rhemensi.

CAPVT XXVIII.

Discutiuntur alia D. Archiepiscopi Dogmata circa Sardicensem Synodum.

Dominus Archiepiscopus in quarto septimi libri capite hæc scribit: [Adnotandum est iniquum omninò visum esse Orientalibus, si Occidentales Episcopi, etiam in plenario concilio, tentarent retractare Iudicia in Synodis Orientalibus facta, quod eo pacto harum synodorum authoritatem violari manifestum esset. Itaque vix credi potest, eos ita comparatos fuisse, vt solius Romani Pontificis authoritatem sua superiorem esse confiterentur. Præsertim cum Schisma recenter aduersùs illum fecissent, eumque ob hoc excommunicassent, quod caput esset eorum, qui leges ecclesiasticas pessū dederant:] Vt Ducem, & Principem malorum, qui primus ianuam communionis sceleratis, atque damnatis aperuit, cæterisque adirum fecit ad soluenda Iura Diuina. [Orientales enim per istas tempestates regulam hanc certam, & indubitatam ecclesiasticæ disciplinæ esse contendebant, res in Oriente iudicatas retractari non posse in Occidente, nec è contra. Ita namque affirmauit Concilium Antiochenum in epistola ad Iulium Papam, in qua Episcopi adferunt exemplum damnationis Pauli Samosateni, ab Episcopis Orientalibus decretæ, quam Occidens recepit, consensuque suo firmauit absque nouo examine, sicut etiam Oriens recepit, & approbatione sua confirmauit damnationem à Synodo Occidentali decretam aduersùs Nouatum. At Iulius Papa respondens huic epistolæ Concilij Antiocheni, non contradicit absolutè supremam esse authoritatem Orientalium Conciliorum, sed Athanasij tantùm facto inhæret, explicandoque Iudicio, quod aduersùs eum fuerat latum in Synodo Tyria. Ait enim illud esse irritum, quod aduersùs Athanasium, presbyterumque eius Macarium testimonia absentibus illis recepta fuerint à Iudicibus delegatis, apertissimis Athanasij hostibus, & ab eô eiuratis, ideòque Iudicium illud integrum non fuisse, sed tantùm *ec numerois*, ex quo sequeretur illud executioni non esse mandandum. Cùm itaque Athanasium in suam communionem susceperit, nihil se Canonibus aduersum egisse, quoniam sententia excommunicationis nulla erat. Quibus addidit momenta ex visceribus causæ petita, falsitatem nimirùm accusationis probatam authoritate actorum, quam plures Orientis Episcopos à communione sua non abstinuisse Athanasium, tametsi damnationis sententia in eum lata fuisset; tùm nolle Episcopos Orientales in vnum conuenire, quamuis per Legatos consensissent, vt Papa Iulius vniuersos Episcopos Romam euocaret pro discutienda causa Athanasij. Ait postremò nihil aduersùs Statuta Nicœni Concilij tentari, si quæ synodus quæpiam statuit, in posteriore retractentur. Alludit autem ad Synodum Alexandrinam, cui centum Episcopi interfuerant, in qua damnatus fuit Arius,

cuius

cuius causa de integro discussa fuit in Concilio Nicœno.]

Errores plurimi. Primus est, quod Orientalis Ecclesia censuerit sua synodalia Iudicia non posse retractari per Occidentalem: Secundus est, quod eadem ecclesia censeret manifestum, eo pacto violari istarum synodorum authoritatem. Tertius est, quod eadem ecclesia noluerit solius Romani Pontificis authoritatem esse sua superiorem. Quartus est, quod hac de causa fecerit Schisma ab Occidentali, & excommunicauerit Iulium Pontificem, vti caput eorum qui pessumdederaut leges ecclesiasticas. Quintus est, quod hæc omnia demonstrentur ex adductis verbis Orientalium. Etenim verba hæc non sunt Orientalis Ecclesiæ. Absit. Sunt scelerata Eusebianæ factionis verba, desumpta ex scelerata epistola, quam factio è Philoppopolitano Conuentu misit ad suos Symmystas, etiam ad facinorosos in Africa Donatistas. Etiam istarum vulpium caudas ad demoliendam Christi vineam tentauit sibi colligare. Factio affirmat sibi adfuisse octoginta episcopos: Et tamen epistolæ synodali non subscripserunt, nisi septuaginta duo. Et inter istos est Illustris ille Ischyras, imaginarius episcopus Mareotidis. At verò in secunda ad Constantinum Imperatorem Apologia sanctus Athanasius enumerat Orientales Episcopos, qui Sardicensi Concilio subscripserunt, & prosequitur: [Qui igitur decretis synodi subscripserunt, sunt isti. Et plurimi alij sunt, qui ante hanc synodum pro nobis scripserunt, tùm ex Asia, tùm ex Phrygia, tùm ex Isauria, quorum singulorum nomina cum suis epistolis circumferuntur, propè sexaginta. In vniuersum autem trecenti quadraginta.] Hi cum suo Clero, & populo erant Orientalis ecclesia. Hæc ecclesia non dogmatizauit sua synodalia Iudicia non posse retractari per Romanam Ecclesiam, nec iudicauit per istam retractationem manifestò violari suarũ synodorum authoritatem, nec negauit solius Romani Pontificis authoritatem esse sua superiorem, nec Schisma fecit aduersùs ipsam, nec excommunicauit Iulium Pontificem. Ea quippe nullo pacto sunt Christiana. Sunt horrenda facinora solius sceleratæ factionis Eusebianæ, solius scelerati Philippopolitani Conuenticuli. Proindè Dominus Archiepiscopus scelerata istius factionis Dogmata, & opera transcribit in omnem Orientalem Ecclesiam. Eo iure, quo olim Gentiles abominanda Gnosticæ factionis flagitia transcribebant in omnes Christianos. Eodem priuilegio quis possit Caluinistarum, aut Lutheranorum Dogmata, & acta toti Latinæ ecclesiæ affricare.

Sextus error est, quod Eusebiana factio noluerit sua Iudicia retractari etiam per Oecumenicam synodum. Etenim ad hanc retractationem peragendam comparuerunt in Sardicensi Concilio. Omnis ipsorum contentio fuit de facta per Iulium Papam renestitione sancti Athanasij, & aliorum episcoporum. Volebant ipsos adesse, vt damnatos, ac redactos in laicam communionem, non vt Canonicos Episcopos, atque ita retractari Iudicium Tyrium, atque Antiochenum. Ipsis exclusis, ac stantibus inter Reos. Imperator Constantius, mox vt per fratris Constantis mortem adeptus est Occidentale Imperium, omnibus neruis studuit, vt latini episcopi, præsertim Liberius Pontifex, admitterent ista de Athanasio Iudicia, & ipso damnato communicarent Eusebianis, atque ita pacificarent ecclesiam. Hæc vrgenti Eusebio Eunucho Liberius respondit: [Quomodò hoc contra Athanasium possit fieri? Quem enim non vna, sed iam altera synodus probè ab omni crimine liberum pronunciauit, & Romana Ecclesia cum pace dimisit, quomodò poterimus condemnare? Non ita se habet ecclesiasticus Canon, neque vnquam accepimus talem à Patribus traditionem, quam ipsi à beato, & magno Apostolo Petro acceperunt. Quòd si omninò Imperator curam suam pro ecclesiastica pace quærit interponere, aut si scripta à nobis pro Athanasio deleri iubet, deleantur quoque ea, quæ contra illum scripta sunt, fiatque deindè ecclesiastica synodus longè à Palatio, vbi nec Imperator præstò est, nec Comes se ingerit, nec Iudex minatur.] Affirmat Athanasij causam iam pridem esse finitam: Nempè & in Romana Iulij Pontificis synodo, & in Sardicensi. Earum sententias iam dudum transiuisse in rem iudicatam. Et ista Iudicia fuisse peracta iuxta Canones, quos sanctus Petrus Apostolus tradidit Romanæ Ecclesiæ. Nempè pro modo retractandi causas appellatas. Nihilominùs Pontifex paratus fuit suspendere omnia, & in noua generali synodo iustituere nouam retractationem de Athanasio. Hæc eius consilia non probauit Hosius, scribens ad Constantium: [Ego Athanasij accusationibus non subscribo, quem nos, & Romana Ecclesia, & vniuersa Sardicensis synodus innocentem pronunciauit. Interim Liberius permansit in suo Proposito, & à Constantio postulauit synodum fieri apud Aquileiam. Verùm Constantius noluit] ipsam fieri longè à Palatio, nec sine sua præsentia, ideòque fieri iussit Mediolani. Et Eusebiani comparuerunt. Proindè suarum synodorum, etiam Patriarchalium, Iudicia professi sunt esse obnoxia retractationi per generalem synodum. Auersabantur solam Romani Episcopi authoritatem esse supra suas synodos. Res in Oriente iudicatas nolebant per ipsum retractari.

Septimus D. Archiepiscopi error est, quod asserat istam fuisse sententiam totius Orientalis Ecclesiæ, & quod istud probet ex Antiochenæ synodi ad Iulium Pontificem epistola. Etenim nec ista synodus, nec ista epistola fuit totius Orientalis ecclesiæ, sed solius Eusebianæ factionis. Qualis epistola fuerit, audiamus ex rescripto Iulij: [Nescio cur vobis ita rem agere placuit, vt nos in hanc opinionem redigatis, vt arbitremur nos sub specie reuerentiæ pro ludibrio esse habitos, dictaque vestra irridentium fuisse, cùm & Presbyteros nostros ad vos missos, quos cum gaudio remissos oportuit, cum luctu remiseritis, ob ea, quæ isthìc geri conspiciebant. Ego certè, cum literas vestras euoluerem, post varias vltrò citroque cogitationes, eas supprimendas putaui, ea spe quod crederem saltem aliquos ex vestris aduenturos, nec opus fore istiusmodi epistolis,

ne si illæ in publicum promerentur, multos sui dolore afficerent. Cæterum vbi nullus vestrũ superuenit, necesse fuit vt eas proferrem. Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant, vt crederent istiusmodi literas à vobis profectas esse, in quibus rixandi potiùs, quàm charitatis affectus eminebat. Quod si ambitione eloquentiæ ostentandæ ita exceptæ sunt à Dictatore, id certè studium ad alios spectat. In rebus enim ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolici requiruntur, operaque dari solet, ne quis ex paruis in ecclesia scandalizetur.] Hæc est facinorosissima epistola, qua Eusebiana coniuratio Romanam Iulij synodum, & ab ipsa factam sancti Athanasij, & aliorum Orientalium episcoporũ reuestitionem damnare cæpit, Romanæ ecclesiæ iugum palàm excutere, & futura sua Philippopolitani Conuenticuli Attentata præformare. Epistola latet, aut perijt: Similiter, & epistola, qua Iulius istorum episcoporum reuestitionem intimauit factioni, & cui factio reposuit istam suam. Vtriusque tamen compendium nobis conseruauit Hermias Sozomenus: [Romanus Episcopus, cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis] Appellantibus episcopis: [Ecclesiam suam restituit, scripsitque ad episcopos Orientis, & eos incusauit, quod inconsultò decretis Nicæni Concilij stare nollent. Deditque mandatum, vt quidã illorum, omnium nomine, ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam, & iustam esse. Quin etiam minatus est se de reliquo non passurum eos inultos esse, nisi nouis rebus studere desistant. Ista quidem scripsit Iulius. Athananasius autem, & Paulus in suas Sedes reuertuntur, literasque Iulij mittunt Orientis episcopis. Quibus illi grauiter commoti, conuenerunt Antiochiæ in vnum, & epistolam verbis elegantibus ornatam, & disertè, vt Rhetorum mos est, compositam ad Iulium scribunt, eamque plenam ironiæ, & minarum non expertem grauissimarum. Namquamquam literis suis fatebantur ecclesiam Romanam Primas apud omnes ferre, vtpotè quæ Apostolorum schola, & pietatis Metropolis, licèt authores Christianæ Religionis primùm ex Oriente eò venissent, iam ab initio fuisset, tamen indignati sunt se posteriores ideò ferre, quod magnitudine ecclesiæ superarentur: Idque cum virtute, & piè viuendi instituto essent longè superiores. Quin etiam criminis loco Iulio objiciebant, quod cum Athanasio, & reliquis cum eo Episcopis communicauerit. Et ægrè admodum ferebant perinde ac si tum Concilium fuisset, tum ipsorum sententia abrogata. Quod factum vt iniquum, & à Lege ecclesiastica discrepans insinularunt. His de causis cùm eum ad hunc modum criminati essent, & sibi factam iniuriam testati, Iulio pacem, & communionem pollicebantur, si modò abdicationem eorum, qui ad ipsum perfugerant, approbaret; sin autem resisteret ipsorum Decretis, contraria se facturos prædicebant. Nam episcopos Orientis, qui ipsos antegressi fuerant, minimè refragatos esse episcopo Romano, cum Nouatus ab eo erat ecclesia eiectus.] Hanc Scismaticam, atque hæreticam Eusebianæ factionis epistolam Dominus Archiepiscopus transcribit in totam Orientis ecclesiam, ipsam laudat, ac ex ipsa confirmat sua Dogmata: atque ita palàm profitetur ipsa esse Eusebiana. Ex hoc Sozomeni testimonio discimus, quod Iulius Eusebianos bis Romam euocauerit ad retractatorium iudicium: Proindè euocatio ad Sardicensem synodum fuit tertia citatio.

Lib.3.c.7.

Admiror verò, cur Sozomenus in isto sceleratæ epistolæ compendio prætermisit articulum de damnatione Pauli Samosatensis. Cur eumdem omiserit, & Socrates. Erat enim palmare Fundamentum Eusebianæ audaciæ. Inde ipsum vrsit in suis synodalibus literis Philippopolitanum Conuenticulum: [Et iterum quod in Oriente de Paulo Samosateno statutum est, ab omnibus est signatum.] Asserunt damnationis istius synodale iudicium fuisse probatum, & admissum à Romana ecclesia sine nouo examine, ideòque nullum ipsi esse ius circa Orientales synodos. Respondeo ipsos grauissimè errasse, & iure, & in facto. Etenim ista Antiochena synodus egit tria, quæ sine præuia ad Apostolicam Sedem relatione, & accepto ab ipsa rescripto expleri non poterant, aut firmari. Eusebius Cæsarænsis historiæ suæ inseruit synodi relationem ad Dionysium Pontificem sed mutilam. Suo more prætermisit illa, quæ eius non congruebant finibus. Integra Relatio nos plenè instruxisset. Porrò hæc sunt tria istius synodi opera: Definierunt de fide, Paulum Patriarcham degradarunt, & statim ecclesiæ imposuerunt Successorem Domnum. Quorum singula indigebant dicta relatione, & ad ipsam rescripto. Etenim de damnandorum episcoporum forma scripsit ad Orientales Antistites sanctus Papa Gelasius: [Si crimine respersi erant aliquo, ecclesiastica debuit examinatione cognosci. Taceam, & ad Sedem Apostolicam, ac ex more referri: Ne nostra priuilegia curare videamur. Satis sit ostendere, quid secundùm regulas, & Patrum Canones facere debetetis.] Et infra: [Si hęretici erant prodi, discuti, & legitimè cõuinci modis omnibus debuerãt. Taceo, quia ad nos Paterna fuerat consuetudine referendum. Tantùm commoneo, quid fieri ecclesiastico iure conuenerit.] Et iterum: [Quos si à fide integra, communioneque Catholica putaretis errare, ad Apostolicam Sedem, secundùm Scita Maiorum, & sicut semper est factum, referre debueratis.] Quæ præsertim locum habent, dum agebatur de Patriarcha, spectante ad immediatam potestatem Romani Pontificis. Ante omnem sententiam erat necessarium præfatum rescriptum. Ita sanè in causa sui Patriarchæ Alexandrini Dionysij processerunt Episcopi Pẽtapolitani. Ista Gelasij epistola exstat post Theodosiani Codicis appendicem, & in antiquo Codice Romanæ Ecclesiæ. Epist. 9.

Porrò qualiter Patriarchas recenter creatos tractaret olim Romanus Pontifex, exponit sanctus Gregorius in literis ad Anastasium Isauriæ Presbyterum: [Fratri nostro Cyriaco, Constantinopolitanæ ciuitatis Antistiti, qui nuper in Ioannis Reuerendissimi episcopi loco ordinatus est, nostra voluimus

scripta transmittere, sed quia non est consuetudo, vt priùsquam ad nos eius Synodica deferatur ei scribere debeamus, idcircò nunc distulimus.] Proinde prima Romani Pontificis ad nouum Patriarcham epistola erat Synodicæ approbatio, & confirmatio initi episcopatus. Hanc consuetudinem esse antiquissimam, confirmatam à Nicæna synodo, & ecclesiasticæ vnitati penitus necessariam, demonstrat in alia ad Orientales epistola laudatus Gelasius, atque adiungit: [Qua ratione Maiores nostri, Reuerendi illi ecclesiarum Magistri, clarissimaque illa Christiani populi lumina, quos merita virtutum suarum vsque ad confessionis gloriosissimas palmas, & Martyrij fulgentes extulere coronas ad illam Sedem, quam Princeps Apostolorum sederat Petrus, sui Sacerdotij sumpta principia repleti Christi charitate mittebant, suæ inde soliditatis grauissima, & firmitatis roboramenta poscentes.] Demonstrat etiam ante Nicænam synodum, in medio gentilium persecutionum æstu, viguisse, istam consuetudinem, ideòque esse institutionem Apostolicam. Quomodo in isto interim se gererent noui Patriarchæ, docet in Breuiario Liberatus Diaconus, agens de Flauita, Patriarcha Constantinopolitano, proximo Successore Acacij: [Moritur Acacius, & ordinatur post eum Flauitas Presbyter, qui non consensit sine Romano episcopo inthronizari, sed transmisit synodicam Papæ Romano Felici, qui modico viuens tempore moritur, non accipiens ipsius epistolam.] Proinde Græcorum Patriarchæ, Occidentalium Metropolitarum more, ante acceptam Papalem confirmationem non poterant, sedere in Throno, nec fungi præcipuis muneribus suæ dignitatis. Et quin hæc omnia Antiochenum Concilium, & ab ipso promotus Domnus exactissimè seruauerint, non est dubitandum. Hinc enim degradatus Paulus vsque ad Papalia rescripta contumax permansit in episcopali Palatio, & tandem per Aurelianum Imperatorem fuit iussus excedere. [Aurelianus præcepit, vt Domus ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & vrbis Romæ episcopi per literas tribuendam præscriberent.] Nempe tales literæ iam aduenerant, ipsasque gentilis Princeps fuit executus. Notanda item sunt hæc Antiochenæ synodi ad Dionysium Pontificem verba: [Istum igitur tam Deo aduersarium, & tam contumacem, eramus coacti ecclesia excludere, & alium episcopum in eius locum substituere. Vnde Domnum designauimus, omni virtutum, quæ episcopum decent, genere exornatum. Ac vos de eius electione per epistolam certiores fecimus, vt illi scribatis, & ab eo accipiatis communionis literas.] Ei transmittunt Domni synodicam, & supplicant ad ipsam rescribi, atque ita confirmari eius episcopatum. Sese purgant, quod tanta opera sine præuia relatione attentarit: Asseuerant se per intolerabilia Pauli facinora fuisse compulsos. Et quin Domnus vsque ad Papalem confirmationem abstinuerit episcopali Throno, non est ambigendum. Etenim qui vsque tunc episcopali Domo abstinuit, & Paulum in ipsa quietum perdurare permisit, haud dubiè abstinuit, & Throno. Proinde

Cap. 18.

Lib. 7. c. 24.

Eusebiana Factio, dum hæc omnia sine nouo Romani Pontificis examine scripsit transijsse in firmitatem, errauit toto cœlo.

Et hinc octauus Domini Archiepiscopi error est, quod præfatis Antiochenæ synodi literis respondens Iulius, [non contradicit absolutè supremam esse Conciliorum Orientalium authoritatem, sed Athanasij tantum facto inhæret, explicandoque Iudicio, quod aduersùs eum fuerat latum in Tyria synodo.] Patitur angustias. & inuoluit sermones: Eum enim premit manifesta veritas. Et bonum ingenium malam causam non potest adiuuare: Eius mentem non plenè assequor. Videtur asserere, quod circa Athanasium Iulius nullum Apostolicæ potestatis, aut Iurisdictionis actum exercuit, sed merè declarauerit acta Tyria fuisse substantialiter nulla, ideoque nec curanda: Quod circa Athanasij à Tyria synodo damnationem Iulius non fecerit aliud, quàm quod in Ephesina synodo circa sanctoCyrillo inflictam à Ioannis Antiocheni Conuenticulo damnationem fecit Acacius Melitensis episcopus, Metropolita secundæ Armeniæ. Censet fuisse Theologicum, & Doctorale Iudicium, nequaquam Iurisdictionale, ac authoritatiuum. Sic videtur. Est verò error intolerabilis, peior errore Eusebianorum. Hi enim in solo iure errabant, non in facto. Censebant Iulium circa Athanasium omninò fuisse vsum authoritate, at quam non habebat, ideoque & ipsum, vt Attentatorem, & præsumptorem, damnarunt, ac degradarunt. Dominus Archiepiscopus vult non degradari Iulium, & tamen recusat in ipso agnoscere Apostolicam iurisdictionem: Hinc docet ipsum nulla fuisse vsum in sanctum Athanasium.

Sed longè aliud in literis ad Imperatorem Constantium docet Confessor Hosius: [Athanasium nos, & Romana Ecclesia, & vniuersa synodus Sardicensis innocentem pronunciauit.] Romana Ecclesia id fecit per Iulij synodum. Et ad Eusebium, Imperatoris Constantij Eunuchum, dixit Liberius Pontifex: [Athanasium non vna, sed iam altera synodus probè ab omni crimine liberum pronunciauit, & Romana Ecclesia cum pace dimisit.] Refert hæc Athanasius in literis ad suos Monachos. Porrò [pronunciare liberum aut innocentem, & cum pace dimittere] sunt omninò vocabula importantia authoritatem, & iurisdictionem. Etenim hæc pax apud antiquos Patres & Canones est culpæ, aut pœnæ reconiliatoria solutio. Quare enormi cum fiducia Petrus de Marca scribit quod sceleratæ epistolæ respondens Iulius, Orientalibus synodis absolutè non denegauerit supremam authoritatem. Etenim scribit post ac inter varia: [Si vt scribitis, inconcussam habet authoritatem qualibet synodus, & contumeliosè agitur cum Iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur, considerate quæso, dilectissimi, quinam sint qui synodum improbant, & qui aliorum iudicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines grauem. Certè id quod postremò gestum, cum sit horrendum auditu, sufficit ad cætera, quæ à me omittuntur, comprobanda. Ariani à beatæ memoriæ Alexandro, quondam Alexandriæ Episcopo, ob impietatem eiecti, non solùm in eo iudicio à cunctis

ciui-

ciuitatibus reijciebantur, sed ab omnibus simul, qui ad Nicænum Concilium coierant anathemate feriebantur. Nihil enim erat in illorum delicto vulgare, neque in hominem peccauerant, sed in ipsum Iesum Christum. Eidem tamen ita ab vniuerso Orbe reiecti, & per omnem ecclesiam famosissimè notati, nunc denuò in ecclesia, quod quidem triste vestris animis arbitramur, recipi perhibentur.

Pontifex admiratur, quod Eusebiani clament Patriarchales Orientalium synodos esse supremas, & inconcussas. Affirmat fabulam sibi ipsi non cohærere. Etenim ipsimet non solas Patriarchales, sed ipsam etiam Nicænam synodum concutiunt per appellationes, ac retractationes, immò, & per violentiam rescindunt. Exempla sunt in promptu Etenim ipse Arius, & per Nicænam synodum damnatus, à tantis iudicijs prouocauit ad Hierosolymitanam Encœniorum synodum: Et fuit per ipsam absolutus. Talia Eusebiani patrarunt etiam in Euzoium, Lucium, Georgium, aliosque Arij congerrones. Quin & Pistum, suum imaginarium episcopum, similiter, & Alexandriæ, & Nicææ damnatum, animarunt appellare Romam, & Iulium Pontificem admittendam eius appellationem studuerunt circumscribere. Videntur seditiosum hominem inflammasse ad agendum contra sanctum Athanasium, & à Romana Ecclesia postulandumEpiscopatum Alexandrinum. Iulius Eusebianis hæc refricat in frontem,& admiratur quod suas Orientales synodos velint adeò inconcussas, vt nec per Romanam appellationē possint concuti, & non nisi cum Orientalis Ecclesiæ contumelia per Pontificem retractari. Affirmat, atque demonstrat, quod Romana Ecclesia omnes afflictos, ipsam inuocantes, seu ad ipsam appellantes, possit ac debeat adiuuandos suscipere; quod priores iudices ad reddendas sui iudicij rationes possit Romam euocare; quod possit tales causas retractare ex integro; quod in appellantium Sedes nullus interim consecrari possit: quod Appellantes, dum priores iudices comparere nolunt, possit reuestire. Hanc potestatem sibi esse per Apostolicos Canones, ac item per Nicænos: vetustam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem fuisse discussam Nicææ, confirmatam, ac redactam in scriptum.

Hinc Pontifex prosequitur: [Quod non temerè, aut iniustè susceperim in communionem Coepiscopos nostros Athanasium, & Marcellum, etiamsi priùs dicta sufficiant, breuibus tamen ratio vobis istarum rerum est demonstranda.] In prioribus epistolæ partibus demonstrauit Romanæ Ecclesiæ potestatem, nunc demonstrare pergit Athanasio, & Marcello etiam esse iustitiam. Exponit Athanasij causam. & concludit: [Cum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iusta pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici Canonis est? Hominemque proinde non condemnaremus, sed potiùs reciperemus, eumque pro episcopo, quemadmodum est, haberemus? Præter hæc omnia annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit, vestram præsentiam expectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim iudicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset: Neque sponte, sed literis nostris ad iudicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per literas citauimus. Et tamen post tanta argumenta nos velut insolitum quiddam agentes reprehenditis:]. Disertè affirmat se egisse iudicialiter, secundùm Canones, & secundùm vetustam ecclesiæ consuetudinem. Eodem modo demonstrat se egisse cum Marcello. Quisquis horum aliquid negat. non potest non esse Eusebianus. Legenda est integra epistola: Scribenda non solùm aureis literis, sed & in omnium cordibus. Ita omnes habebunt arma ad explodenda Commenta Domini Archiepiscopi.

Audiamus peiora ipsius Commenta: [Sed adnotandum est non dicere Iulium redditas à se fuisse Ecclesias Athanasio, & reliquis episcopis. Nam ea erat quæstio principalis, quæ reseruata erat cognitioni synodi, quam Iulius conuocauerat, rogantibus Orientalium Legatis: Tametsi negarint dein Orientales id se Legatis suis dedisse in mandatis. Sanè eidem Orientales in sua epistola synodica, sub nomine Concilij Sardicensis edita, illud tantùm conqueruntur, receptos in communionem Athanasium, & reliquos damnatos episcopos:] Ad Iulium Romam perrexit, sed & ad Italiæ quosdam suæ partis episcopos, quos seducens per epistolarum falsitatem, ab eisdem perfacilè in communionem receptus est. [Quare cum legis apud Sozomenum, Iulium recepisse in suam communionem Athanasium, ac reliquos episcopos, & vnicuique eorum Ecclesiam suam reddidisse, ob curam videlicet vniuersalis Ecclesiæ quæ ei incumbit propter dignitatem suæ Sedis, existimare debes restitutionem illam ecclesiarum non fuisse factam directè, sed per consequentiam, eò quod Episcopi illi à Iulio in communionem recepti fuerint, velut episcopi huius, & illius Sedis.] Hominemque non condemnaremus, sed reciperemus, eumque pro episcopo, quemadmodum est, haberemus, inquit Iulius in epistola ad Orientales.

Errores varij. Primus est, quod Iulius Athanasio, ac alijs episcopis communionem reddiderit, non tamen ecclesias. Etenim non solus Sozomenus, cuius verba sunt adducta superiùs, istud habet, sed etiam Socrates: [Iulius, quoniam Ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat, literis suis ad episcopos Orientis liberiùs præscriptis, damnatorum episcoporum partes tueri studet, in Orientem literas mittit, quo & suus cuique locus restitueretur, & eos, qui illos temerè abdicauerant, grauiter reprehenderet. Illi discedunt Roma, literisque Iulij episcopi confisi, ad suas ipsorum redeunt ecclesias: Literas, ad quos scriptæ erant, mittunt. Hi vbi eas acceperunt, Iulij reprehensionem ducunt contumeliæ loco: Concilium Antiochiæ conuocant. Vbi simul, atque conuenerant, de communi omnium sententia epistolam scribunt, per quam Iulium contra acriùs insimulant: Ostenduntque, si qui eorum arbitrio Ecclesia fortè exacti essent, rem ab eo Lib. 2. c. 1[illegible] non

non debere decerni.] Proinde epistolam, qua Iulius Athanasio, & reliquis reddidit suas Sedes, non est præsens, sed alia interior. Quin ipsam Socrates, & Sozomenus viderint, non est dubitandum. At ipsa Eusebianos adeò offendit, vt Antiochiam abierint ad nouam synodum, Athanasiumque non tantùmmodò iterum damnauerint, sed insuper in eius Cathedram consecrauerint nouum episcopum Gregorium Cappadocem, & ipsum armata militum manu iusserint inthronizari. Etiam in Marcelli Sedem intruserunt quemdam Basilium. Et Iulio rescripserunt illorum restitutionem esse impossibilem: Nec enim duos simul episcopos posse esse in eodem Throno. Hinc Iulius reposuit: [Esto vt sint Athanasius & Marcellus, vt scribitis, translati è suis Sedibus, &c.] Istas superordinationes grauissimè damnat, vult superordinatos eijci, & reponi Athanasium, atque Marcellum. Quare Petrus de Marca grauiter errat, dum etiam in hac Iulij epistola scribit nullam fieri mentionem de restitutione Sedium. Quin hanc restitutionem abundè laudat epistola, dum affirmat Athanasio, & alijs episcopis redditam à Iulio communionem. Etenim laudat non Laicam, non Diaconalem, aut Presbyteralem, sed omninò Episcopalem communionem: Quæ palàm includit restitutionem Sedis. Hinc in Sardicensi Concilio prima, & palmaris inter Orthodoxos, & Eusebianos contentio fuit, quod isti constanter vellent, hi pertinaciter nollent Athanasium, & Marcellum admitti ad synodalem suo loco consessum, atque suffragium. Nempè Iulius Pontifex illos plenè reuestiuerat, ac restituerat omnia. Et Petrus de Marca hæc non ignorauit. Vt veritatem effugiat, profert subtilem distinctionem restitutionis directæ à restitutione per consequentiam. Ridicula Commenta.

Secundus error est, quod quæstio de restituendis Ecclesijs fuerit principalis, reseruata synodo, quam Iulius conuocauerat. Censet damnatos, ac appellantes episcopos non potuisse reuestiri, nisi per & post expletum retractatorium Iudicium. Est error Eusebianus. Hæc enim facinorosa Factio in Sardicensis synodi ingressu istud ipsum prætenderat obseruari in Marcello, & Athanasio. Et quia non obtinuerunt, de nocte fugerunt Philippopolim, isthìc laceraturi totam Ecclesiam. Cogor eadem repetere. Tertius error est, quod Dominus Archiepiscopus certam, & exploratam Socratis, ac Sozomeni assertionem tentet euacuare per sceleratas, & abominabiles literas Philippopolitani Conuenticuli. Quartus error est, quod istas literas denuò transcribat in cunctam Orientalem Ecclesiam. Quintus est, quod profiteatur se sequi Sensa istius Orientalis Ecclesiæ, atque ita se palàm profiteatur Eusebianum.

Non accuso quod nescio. Etenim nouus Dogmatistes prosequitur: [Necessariam esse arbitratus sum discussionem præcipuorum capitum huius epistolæ, quod ea, æquè ac verba Sozomeni, perperam hactenùs accepta sint ab ijs, qui ea laudauere. Contendunt enim Factum Iulij, quod nihil aliud est, quàm velut quoddam obsequij genus ad retinendam communionem, à suprema eius iurisdictione profectum esse, atque illum ea authoritate cassasse iudicia Conciliorum Orientalium.] Multiplicat errores. Primus est, quod Iulij epistola, vti & adductum Sozomeni testimonium, à nullo hactenùs fuerint intellecta. Nempè etiam hæc liberanda veritas exspectabat Natales, aut Insulas huius Doctoris, denuò profitentis se dogmatizare noua. Secundus error est, quod Iulius erga Athanasium, ac alios appellantes episcopos non fuerit vsus suprema iurisdictione, nec per authoritatem cassauerit Orientalium synodorum iudicia, sed eis solummodò impenderit aliquod genus obsequij. Etenim non sola Iulij, sed & Philippopolitani Conuenticuli epistola disertis, & apertis verbis affirmant, quod Iulius Orientalis synodi [iudicium refricarit; quod restaurauerit aliud de ipsis iudicium; quod Orientales prætenderit iudicandos ab Occidentalibus,] atque ita præuaricatus sit diuinam legem, & disciplinam. Proinde Petrus de Marca errat supra Eusebianos: Hi enim Iulio denegarunt solam potestatem, ille verò insuper Actum.

Pergit errare: [Orientales Sardicæ congregati pertinaciter adhærent sententiæ Concilij Antiocheni, causamque secessionis suæ reijciunt in Occidentales, qui aduersùs veterem ecclesiæ consuetudinem cognoscere vellent de causis Orientalium. Sic enim aiunt in epistola sua synodica.] Emissa è Philippopolitano Conuenticulo. Primus error est, quod istam sceleratissimam epistolam denuò transcribat in totam Orientalem Ecclesiam. Secundus est, quod ipsam dicat scriptam Sardicæ. Tertius est, quod Occidentales, volendo de causis, & iudicijs Orientalium cognoscere, egerint contra veterem ecclesiæ consuetudinem. Et quidem quod Occidentales voluerint ista agnoscere, est omninò verissimum. Et Petrus de Marca ipsum hìc confitetur, atque ita euertit suam priorem assertionem, qua dixerat Iulium pro Athanasio, & alijs episcopis non per iurisdictionem, seu authoritatem egisse, sed solummodò per obsequium.

Dominus Archiepiscopus ab Antiochenæ Synodi, & Philippopolitani Conuenticuli literis se conuertit ad literas Imperatoris Constantij: [Sed quænam fuerit Orientalium mens, manifestè docet epistola Imperatoris Constantij, data ad Ariminense Concilium, quod constabat ex episcopis Occidentis.] Hæc sunt verba epistolæ: [Non de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoscit Grauitas vestra, tractare debetis.] Et iterùm: [Quę cùm ita sint, aduersùm Orientales nihil statuere vos oportet. Aut si aliquid volueritis contra eosdem, prædictis absentibus, definire, id, quod fuerit vsurpatum, irrito euanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra Statuta testantur iam nunc robur, & copiam denegari.] Respondeo D. Archiepiscopum à Calcaria cadere in Carbonariam. Etenim quod Constantius, Eusebianæ Factionis Dux, eadem cùm ipsis senserit de suprema Orientalium Synodorum authoritate, non caret verisimilitudine. Quoniam ex Factionis ore fuit cum Li-

Liberio Pontifice locutus in Mediolanensi Colloquio. Et post Philippopolitanum Conuenticulum facinorosa Factio cæpit illum pomposè inscribere Episcopum episcoporum. Ita Principem, cætera bonum, sed humanæ gloriæ cupidum, delusit, & circumscripsit.

Attamen videtur non fuisse seductus. Etenim non isti Conuenticulo, sed Synodo Sardicensi videtur adhæsisse. Hinc & Athanasium, licèt Philippopoli damnatum, quia Sardicæ absolutum, cum honorificis literis remisit in Sedem. Et contra istos dolosos circumscriptores scripsit ad ipsum Hosius: [Non est prudentis in gratiam alienæ libidinis seipsum in periculum certum conijcere. Desine, quæso, & ausculta mihi, Constanti: Hoc enim decet & me scribere, & te non vilipendere.] Quare videtur rectam habuisse fidem, & tamen ista scripsisse ad Ariminense Concilium. Etenim Constantius in ecclesiæ synodis agebat omnia. Hinc ad ipsas mittebat diuales literas, quibus præscribebat, & tractanda, & tractandi ordinem. Explebat munus Romani Pontificis. Certè vti Frater eius Constans, ita & Pater Constantinus non fecit talia. Ipse est author praui operis, à quo successores noluerunt recedere. Hinc igitur & talia mandata misit ad Ariminensem Synodum. Nec sine causa. Etenim inter Seleuciensis Synodi Primates erant plures scabiosi, dorso suo metuentes à Romana Ecclesia. Præsertim propter Athanasium, quem nouerant abijsse Ariminum. Item ipsum Athanasium, quem Seleuciæ sperabat damnandum, noluit denuò absolui ab Ariminensibus. Hic est verus fons istius sacræ iussionis. Notanda sunt hæc verba: [Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra Statuta testantur iam nunc robur, & copiam denegari.] Affirmant aduersa Acta non per Canones, sed per præfata Rescripta fore irrita. Possit ergo Constantius rectum sensisse de authoritate, ac Primatu Romanæ Ecclesiæ, & Regiæ potestatis dumtaxat excessisse limites. Proinde etiam hoc D. Archiepiscopi fundamentum est caducum, ac ruinosum.

CAPVT XXIX.

Discutiuntur D. Archiepiscopi Sensa circa sancti Iulij Pontificis Rescriptum ad Antiochenam Synodum.

VArias hac de re & Iulius, & Athanasius, & Eusebiani vltrò, citròque scripserunt epistolas, quæ grandi ecclesiasticæ eruditionis, damno, aut perierunt, aut latent. Tragædia incœpit non proximè post Tyriam Synodum, sed post reductum à Constantino Iuniore Athanasium è Gallia, quò eum magnus Constantinus proscripserat. Eusebiana Factio clamauit ipsum Tyri degradatum redijsse, ac sedere authoritate laica: Hinc nouæ calumniæ, noua persecutio. Quare Athanasius prouocauit Romam, misitque appellationis instrumentum per Legatos. Et suos miserunt etiam Eusebiani. Quibus auditis Iulius Pontifex admisit appellationem vtramque partem euocauit Romam ad retractatorium iudicium, & Athanasius statim comparuit. Hæsit isthìc per annum, & medium, exspectans aduersarios. Interim accesserunt etiam Marcellus Ancyranus, Paulus Constantinopolitanus, Asclepas Gazensis, Lucius Adrianopolitanus, alijque Orientales Episcopi, & Clerici, ab Eusebianis passi similes iniurias, ideòque & ipsi appellantes. Hinc lapso tanto tempore, de Eusebianorum aduentu desperans Iulius istos episcopos plenè reuestiuit, & cùm suis literis remisit ad suas ecclesias, mandans recipi, vt integros episcopos, & Eusebianos denuò citans ad retractatorium iudicium. Has literas palàm laudat Hermias Sozomenus. Et ad ipsas Eusebiani adeò non attenderunt, vt abierint Antiochiam, condiderint nequissimos Canones contra Athanasium, & Iulium, confirmarint iudicium Tyrium, at insuper in Athanasij Sedem intruserint alium episcopum. Et hæc omnia retulerunt Iulio per sceleratissimas literas, quas Sozomenus redigit in compendium. His Iulius reposuit doctissimam epistolam, quam nobis in secunda sua Apologia custodiuit sanctus Athanasius. Et ipsam hìc expurgare studeo à Commentis Petri de Marca.

Audiamus Commenta: [Negari certè non potest, quin aliter ea tempestate visum sit Occidentalibus. Verùm longè aberant ab opinione eorum, qui nostra ætate tractarunt de controuersijs fidei, qui pronunciant appellationes episcoporum Orientalium iudicandas esse apud Vrbem à summo Pontifice. Nituntur illi, vt ipsi existimant, præiudicio epistolæ Iulij Papæ, cuius sensum detorquent ad mentem suam, cùm tamen ex ea constet iura Sedis Apostolicæ temperamento quodam prudenter adhibito per eas tempestates explicari solita. Nihil enim aliud ab Orientalibus exigebant Iulius & Romana Sydodus, quàm vt causæ Ecclesiarum Apostolicarum, in primis verò Alexandrinæ, quoties de depositione episcoporum earum Sedium ageretur, cum Papa, & Synodo Romana communicarentur, antequàm Synodi Orientales cognitionem de ijs instituerent, vt communi sensu componi possent magnæ ecclesiæ. Quod si post iudicium Orientalium querela manifestæ oppressionis deferretur ad Synodum Occidentalem, tunc retractandum esset negotium in Concilio Occidentalium, & Orientalium. Vnde constat in ea epistola non agi de appellatione, sed de prima tantùm causæ cognitione, aut reuisione, neque excitatam controuersiam de omnibus episcopis, sed de ijs tantùm, qui Apostolicis Ecclesijs præsiderent, inprimis de Alexandrino, ac tamen iudicium reddi non debere à solo Romano Episcopo cum episcopis Occidentalibus, sed ab episcopis Occidentis, & Orientis in vnam sententiam conspirantibus.] Ista enim colliguntur ex epistola Iulij, qua Orientales obiurgat in causa Athanasij episcopi Alexandrini, & Marcelli Ancyrani, quos Orientis Concilia damnauerant, inconsulto Episcopo Romano.] Vrget hæc verba epi-

sto-

stolæ: [Oportuit scribere omnibus nobis, ita vt ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & imprimis de Alexandrina ciuitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc esse consuetudinem, vt primùm nobis scribatur, vt posteà, quod iustum est, definiri possit? Quapropter si isthic huiusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram ecclesiam referri oportuit.]

Errores plurimi. Primus est, quod ea tempestate soli Occidentales sentirent aliud. Etenim omnes Orthodoxi, etiam Orientales, semper recta senserunt. Exposita in Sedem Apostolicam, ac omnem Catholicæ Ecclesiæ Hierarchiam petulantia fuit solius Eusebianæ Factionis, de qua Iulius: [Audio paucos esse istorum malorum authores.] Et etiam ex his post Philippopolitanum Conuenticulum multi erubuerunt de suis facinoribus, & pœnitentes ad Matrem Ecclesiam redierunt. Et demus solam Occidentalem Ecclesiam recta, aut meliora sensisse. Certè etiam tunc Dominus Archiepiscopus debebat obseruare regulam, quam Iuliano Eclanensi episcopo, pro suis erroribus prouocanti ad Orientalem Ecclesiam, præscripsit sanctus Augustinus: Occidentalis Ecclesia nos genuit, docuit,& baptizauit, ideòque permanere nos oportet in eius sensibus. Et quidem Dominus Archiepiscopus etiam Occidentalem Ecclesiam calumniatur: In ipsam transcribit errorem Eusebianum. Affirmat quod ipsa olim censuerit Orientalium Synodorum iudicia retractari non posse per solam Sedem Apostolicam, sed dumtaxàt per Oecumenicam Synodum.

Secundus error est, quod hac ætate Occidentales illi, qui Orientalium Episcoporum appellationes pronunciant iudicandas esse apud Vrbem Romam à Summo Pontifice, foueant opinionem deuiam, alienam ab antiquis Occidentalibus. Etenim istam opinionem fouit in Florentino Concilio etiam Eugenius IV. Et ipsam tandem admisit omnis Ecclesia. Etiam Orientalis. Quod sit verus Sardicensium Canonum, anterioris Ecclesiasticæ consuetudinis, & omnium posteriorum Patrum sensus, est supra demonstratum. Porrò admiror, quod Dominus Archiepiscopus circa Romanas Orientalium Episcoporum appellationes agnoscat aliqua per istas tempestates iura Sedis Apostolicæ. Etenim iam docuit primam omnis Romani hic iuris originem esse Sardicensem synodum: Quomodò igitur istiusmodi iura iam scribit fuisse ante ipsam? Nempè omnium fortium fortissima veritas etiam ab inuitis extorquet sui confessionem.

Tertius error est, quod iam laudata veritas nitatur præiudicio epistolæ Iulij. Etenim epistolæ verba sunt clarissima, ideòque nullum hic possit esse præiudicium. Licèt illa superiùs adduxerim, volo aliqua repetere: [An non dilectionis iudicium erat nos Presbyteros misisse, qui compaterentur patientibus, & incitarent eos, qui iudicium Scriptis postularant, vt præstò esse vellent, quò primùm omnia componerentur, & emendationem acciperent, ne diutiùs, aut Fratres nostri iniurias, aut vos calumnias pateremini]? Et infra: [Quid actum est dignum offensa? Aut qua in re vobis, quibus scripsi, causam succensionis præbui? An quia adhortati vos sumus, vt ad synodum occurreretis? Atqui illud potiùs cùm gaudio excipi oportuit. Qui enim benè sentiunt de ijs quæ egerunt, & in quibus ipsi, vt aiunt, Iudices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis iudicatum est, ab alijs excutiatur: Quippè qui secuti sunt ea, quæ ipsi iusta prædicauerunt, iniusta numquam posse fieri]. Et iterùm: [Quapropter indignatio eorum, qui hac citatione offenduntur, temeraria, & tergiuersatio se sistendi iudicio inhonesta, & suspiciosa videtur]. Assiduè inculcat factas à se Eusebianorum ad retractatorium in Alma Vrbe iudicium citationes: Ipsas affirmat factas secundùm vetustum morem, iuxta Patrum traditionem, iuxtà Canones Apostolicos, ideòque Eusebianos præuaricatoriè refragari. Liberius Pontifex ad Eusebium Constantij Imperatoris Eunuchum dixit esse Canones, quos Sanctus Petrus tradidit Romanæ Ecclesiæ.

Quartus error est, quod epistola agat, non de Orientalium Episcoporum appellatione, sed dumtaxàt de prima instantia. Quis talia audiens, aut legens credat epistolam fuisse visam à Domino Archi-Episcopo? Quod epistola de sancti Athanasij, Marcelli, ac aliorum Orientalium Episcoporum Romana appellatione agat, est sole meridiano manifestius. Ego in tanta luce nolim verba perdere. Domini Archi-Episcopi verba etiam sibi ipsis videntur non cohærere. Etenim aiunt epistolam non [de appellatione] agere, [sed de prima tantùm cognitione, aut reuisione]. Quis reuisionem vnquam dixit esse primam cognitionem? Interim epistola agit de omnibus: Et de appellatione, seu reuisione, & de prima insupèr instantia. Prior, & potior eius pars agit de appellatione: Demonstrat Athanasium, ac Marcellum ex fundamentis appellasse, ac legitimè reuestitos, ideòque his Actibus fuisse per Eusebianos deferendum. Extrema tamdem pars adiungit tantos episcopos sine præuia ad Romanam Sedem relatione, & sine accepto ad ipsam Rescripto non fuisse degradandos, atque ex ista occasione quædam disputat de prima instantia. Ita demonstrat omnia Eusebianorum in tantos episcopos acta fuisse attentata contra canones.

Quintus error est, quod epistola non agat de omnibus episcopis, sed de illis tãtùm, qui Apostolicis præsederunt Ecclesijs. Etenim epistola, licèt solum Athanasium, ac Marcellum exprimat, tamen etiam agit de Paulo Constantinopolitano, Lucio Adriano-Politano, Asclepa Gazensi, & multis alijs ex Thracia, Cœle-Syria, Phœnicia, ac Palestina episcopis, qui aduersùs similes Eusebianorum in se iniurias Romam appellauerant. Vnde ipsos disertè damnauit iterum, & in suis synodicis literis expresit Philippo-Politanum Conuenticulum. At verò isti non præsidebant Apostolicis Ecclesijs. Eorum Ecclesiæ non erant Apostolicæ, nisi [ex consanguinitate doctrinæ]. Ita in Præscriptionum libro loquitur Tertullianus. Apostolica enim Ecclesia est

est triplex. Prima est, quæ habet Sedem Apostolicam. Et hæ non sunt nisi tres: Romana, Alexandrina, ac Antiochena. Nec enim cuiusuis Apostoli prædicatio, sed sola solius Sancti Petri insessio Episcopalis facit Apostolicam Sedem. Secunda Apostolicæ Ecclesiæ species sunt istæ Ecclesiæ, quas quis Apostolus fundauit, & docuit proprio ore, aut per epistolas. Tales sunt Hierosolymitana, Corinthia, Ephesina, Philippensis, Thessalonicensis, Ancyrana, & plurimæ aliæ. Etenim Sanctus Paulus non ad solam Ancyranam, sed ad omnes scripsit Galatarum Ecclesias. Et proprio ore docuit totum Illyricum, ac omnem Asiam, à Hierusalem vsque Romam. Alij Apostoli istud fecerunt, aut ibidem, aut in alijs Regionibus. Quare tales Apostolicæ Ecclesiæ sunt longè plurimæ. Singularis tamen dignitas, atque authoritas semper fuit illis, quas Apostoli honorarunt suis epistolis. Tertia species sunt istæ, quæ sub orthodoxa fide sunt postmodò fundatæ ab Apostolorum discipulis, & alijs Successoribus: Quæ in dies fundantur per Romanos Pontifices; Sunt Apostolicæ per consanguinitatem doctrinæ. Omnes simùl iunctę sunt vna Apostolica Ecclesia, quam profitemur in Symbolo. Dominus Archi-episcopus agit de prima præsertim, ac etiam de secunda specie: De illa ipsius parte, quam Apostoli honorarunt suis litteris. Et rectè.

Sextus error est, quod primæ contrarium Ecclesiarum Episcopos instantiæ sententia dari non possit à solo Pontifice cum Episcopis Occidentalibus, sed dumtaxàt ab episcopis Orientis, & Occidentis in vnam sententiam conspirantibus. Hoc est, à solo generali Concilio. Agit præsertim de episcopo Alexandrino. Hic enim, quoniam Patriarcha est, priuatiuè spectat ad primam cognitionem Romani Pontificis, ideò que sine præuia ad illum relatione, & sine accepto ad ipsam Rescripto non potest ab vlla synodo damnari. Eadem est ratio Patriarchæ Antiocheni. Item, & trium Authocephalorum Exarchorum: Heraclæensis, Ephesini, & Cœsariensis. Ita fuit vsque dum inuasi, & quasi absorpti fuere à Constantinopolitano. Ipsorum Autocephalia tunc in istum transijt. Docet ista in literis ad Orientales episcopos sanctus Gelasius, agens de Petro Mogo, Alexandriæ Patriarcha, quem à Romana Ecclesia damnatum Acacius Patriarcha Constantinopolitanus, quod pœnitentem crederet, aut diceret, præsumpserat absoluere, ac reparare: [Concedamus pœnituisse, sed numquam docebitur, numquam monstrabitur, numquam omninò probabitur eius purgationem fuisse legitimam, quæ non est competentibus regulis celebrata. Secundæ enim Antistitem, nec expellere quisquam, nec reuocare sine primæ Sedis assensu, vel potuit, vel debuit. Nisi fortè iam ordine rerum confuso, atque turbato. nec prima, nec secunda, nec tertia Sedes debeat obseruari, vel suscipi secundùm Statuta Maiorum, & sublato capite, vt videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine, fiatque illud, quod de populo scriptum est Israel]: In illo tempore non erat Dux in Israel. Vnusquisque quòd placitum erat in oculis suis faciebat. [Qua enim ratione, vel consequentia illis Sedibus defendendum est, si primæ Beatissimi Petri Sedi antiqua, & vetusta reuerentia non deferatur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata, atque firmata, trecentorumque decem & octo Patrum inuicto, & singulari Iudicio vetustissimus iudicatus est honor]? Affirmat hanc formam esse longè vetustissimam, non introductam, sed confirmatam à Nicæno Concilio. Et prosequitur in sequenti epistola: [Sicut ergo Acacius Petrus non priùs damnauit, quàm, & referret, & posceret Apostolica potestate damnandum, sic, & in recipiendo modum seruare debuisset, vt priusquam se ei communione misceret, per Sedem Apostolicam posceret examinari eum, & legitima ratione purgari, cum nec examinandi, aut recipiendi haberet ipse Pontificium, & non nisi per illius Sedis authoritatem, consensumque hoc posset implere, sine cuius authoritate eum non potuerat ipse damnare, & cuius principali diligentia, & discuti potuit, & purgari, & ad communionem conuenienter admitti]. Hanc Apostolicæ Sedis Prærogatiuam pluribus demonstrat. Et ipse Acacius, dum adhuc recta saperet, eamdem religiosissimè agnouit, & defendit constantissimè: Postmodò autem in reprobum sensum datus instaurauit Eusebianam audaciam, tandemque à Romana Ecclesia damnatus, Genti suæ reliquit lamentabile schisma Acacianum. Ex eadem regula Ioannes Patriarcha Antiochenus, tertiæ Sedis Episcopus, grauissimè offendit omnem Ecclesiam, quod in suo Ephesino Conuenticulo Sanctum Cyrillum Alexandrinum, secundæ Sedis Patriarcham, damnare præsumpsisset sine præuio consensu primæ Sedis Romanæ. Plura sunt istiusmodi exempla. Etiam antiquissima. Etenim in sanctum Dionysium Patriarcham Alexandrinum, de graui errore suspectum, sui episcopi non præsumpserunt manus mittere, sed accusarunt apud sanctum Papam Dionysium. Audiamus rem à sancto Athanasio in libro de Dionysij sententia: [Dionysius Episcopus, certior factus de Pentapolitanis Episcopis, quod Sabellij errorem admitterent, zelo religionis epistolam, in qua videbatur labi in contrarium errorem, scripsit. Verùm quidam ex Ecclesia, rectè quidem sentientes, sed tamen ignari eius causæ, cur ita ab eo scriptum esset, Romam adscenderunt, ibique eum apud Dionysium Romanum Præsulem accusauerunt]. Petrus de Marca vult clericos, alij credunt fuisse episcopos. Quidquid sit, Antiochena synodus istud ipsum debuerat facere circa Paulum Samosatensem: Dispensatoriæ prætermissionis causas supra exposui. Quare, & Eusebianam Factionem, quod sine suo præuio consensu fuerit ausa inuolare in Sanctum Athanasium, rectissimè hìc reprehendit Papa Iulius. Vrget violatam fuisse antiquam consuetudinem: [An ignari estis hanc consuetudinem esse, vt primùm nobis scribatur, vt posteà, quod iustum est, definiri possit? Quapropter si isthic huiusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri debuit].

Notanda sunt verba: [Primùm nobis scribatur. Ad nostram Ecclesiam referri oportuit]. Exponunt priora verba: [Oportuit scribere omnibus nobis]. Vtique in hac

Romana synodo præsentibus. Erant autem soli episcopi Romanæ Prouinciæ numero quinquaginta. Ista synodus est Sedes Apostolica. Quare Petrus de Marca per istos omnes perperam intelligit synodum totius Occidentis. Hinc,& grauiter errat, quod ad damnandum Patriarcham velit non sufficere Prouincialem Romani Pontificis Synodum, sed requiri Concilium totius Ecclesiæ. Est error Paradoxus. Nullo fulcitur canone, nullo testimonio, nullo exemplo. Quinimmo sunt contraria exempla. Etenim Domnum Antiochiæ Patriarcham ex friuola causa damnauit, ac eiecit Ephesinum Latrocinium: Erat sententia palàm nulla Et ob causam deficientem, & ob defectum potestatis. Et tamen ipsam ex alia causa confirmauit, seu potiùs de nouo tulit sanctus Leo,atque ita Domnum solus damnauit. Et eius iudicium probauit, & admisit omnis Chalcedonensis synodus. Etiam Acacium Constantinopolitanum damnauit solus Felix III. & sanctum Dionysium Alexandrinum, licèt non damnauerit, tamen discussit, ac iudicauit solus cum sua Synodo Papa Dionysius. Sunt & alia exempla.

Quæstio est; Quo fundamento Iulius Patriarchalium, ac Exarchicarum Ecclesiarum priuilegium extendat ad Ancyranam Ecclesiam? Quomodò dicat etiam Marcellum ab Orientali Synodo iudicari non potuisse sine præuia relatione, ac præuio consensu Sedis Romanæ? Respondeo istud, quidquid dicat Petrus de Marca, non fundari in dignitate Apostolicæ Ecclesiæ. Etenim Ancyrana Ecclesia erat solius Galatiæ Metropolis, subiecta Exarchicæ potestati Cæsariensis Sedis in Cappadocia, ideòque proximo, & pleno iure spectans ad eius iudicium. Et inter Apostolicas Ecclesias multæ erant dumtaxat Suffraganeæ. Etiam inter istas, quas sanctus Paulus honorauit suis epistolis, talis fuit Ecclesia Colossensis, Nulla proinde fuit ipsis exemptio, nullum circa suorum Antistitum damnationem, aut alia iudicia priuilegium. Istarum Ecclesiarum dignitas, quam Petrus de Marca rectè commendat, consistit in alijs capitibus. Ipsa exposui in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani. Proinde dico istam exemptionem non fuisse factam à Iulio. Solummodò dicit, quod præuia relatio, & præuius Romanæ Ecclesiæ consensus omninò expedisset circa vtrumque Episcopum. Quod nempe essent Episcopi, & non vulgares ipsorum Ecclesiæ. Vocem, [Episcopi,] emphaticè accipit, non pro solo Episcopali gradu, sed pro summis in ipso meritis, hoc sensu: Erant non tales quales, sed Episcopi summorum meritorum. Respicit heroica Marcelli contra Arianos Acta apud Nicænam Synodum. Addit tamen præuiæ relationis necessitatem fuisse circa Athanasium. Hinc de ipso solo concludit: [An ignari estis hanc consuetudinem esse, vt primùm nobis scribatur, &c.]

Dominus Archiepiscopus pergit vrgere Apostolicarum Ecclesiarum dignitatem. Pergit docere, quod ipsarum Antistites debeant iudicari à Concilio totiùs Ecclesiæ, & prosequitur: [Sed inprimis caussam Athanasij vrget Iulius, adfertque consuetudinem iam introductam, à Dionysio nimirùm episcopo Alexandrino, quem cum Clerici eius hæreticum suspicarentur, & ob id querelam aduersùs ipsum detulissent ad Sedem Apostolicam, ipse accusationem hanc purgauit scripta ad summum Pontificem epistola. Vnde concludit Iulius monendum se fuisse, si quid suspicionis exortum esset Alexandriæ aduersùs Athanasium. Huc enim tendit oratio Iulij. Ius verò suum accersit à facto Dionysij. Cæterùm caussam iudicari debere scribit ab omnibus, non autem à se solo.] Et post quædam, quibus Eminentissimum Cardinalem Perronium arguit de prauo intellectu Papalis epistolæ, concludit: [Attamen certum est nihil aliud ex his verbis elici posse, quàm eam esse Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudinem, vt primùm ad summum Pontificem scribatur,vt deinc decerni possit quod æquum videbitur, id est, communi omnium suffragio, vt antea dixerat. Cæterùm hìc obseruandum est, satis audacter Iuliùm tribuere consuetudini exemplum semel vsurpatum.]

Respondeo Iulium, Pontificem doctissimum, atque sanctissimum, à Domino Archiepiscopo audacter accusari de audacia. Etenim laudatam ab ipso consuetudinem audiuimus iam à sancto Gelasio esse antiquissimam, vsitatam olim à sanctis Martyribus, & Confessoribus,& postea confirmatam à Nicæno Cōcilio. Licèt nos ignoremus alia exempla, certum est aliqua alia fuisse nota sancto Gelasio. Et cur Iulius respexisse non possit etiam Acta circa Paulum Samosatensem? Arabici Canones sanciunt: [vt non admittatur querela Archiepiscopi contra suum Patriarcham de vllo peccato, neque reprehensio, neque iudicium nisi adhibito altero Patriarcha, vno ex Fratribus eius. Et nullus in hac re accusatori Archiepiscopo faueat, neque cum eo consentiat, nisi authoritate alterius Patriarchæ.] Scio hunc Canonem aliter intelligi, ac transferri ab Abrahamo Ecchelensi: Nihilominùs hæc translatio videtur verior. Et ex tali regula Antiocheni Patriarchatus Metropolitæ ad accusandum, & iudicandum suum Patriarcham Paulum videntur aduocasse,ac suæ Synodo adiunxisse sanctum Dionysium Patriarcham Alexandrinum, & sanctum Firmilianum Primatem Cæsariensem. Verùm quod ad tale opus requiratur Oecumenica totiùs Ecclesiæ Synodus, nullus suadet Canon, nullum testimonium, nullum exemplum. Sancti Iulij verba, [Vt ab omnibus decernatur,] sunt alienissima ab isto errore.

CAPVT XXX.

Discutiuntur Sensa D. Archiepiscopi circa epistolam sancti Damasi Pontificis, è Romana Synodo scriptam ad Imperatorem Theodosium.

Dominus Archiepiscopus videt Iulij epistolam à se detorqueri, ideòque alia suis Commentis venatur arma: [Si quis in du- L. 7. C. 4.

dubium vocare velit interpretationem epistolæ Iulij à me propositam, quoad ius quod sibi vindicabant Occidentales, is mea sententia cedere saltem debet authoritati Concilij Italici, cui inter-fuit sanctus Ambrosius. Sentiunt huius Concilij Patres in Synodica ad Imperatorem Theodosium epistola, Maximum, qui Constantinopolios episcopus fuerat ordinatus, cum in Synodo Constantinopolitana depositus fuisset, captata occasione Concilij generalis, quod Imperatores Romani conuocauerant, ad Apostolicam Sedem accessisse, ibique expostulasse de sua depositione, ac de Nectarij Ordinatione in locum suum. Attamen Occidentales, tametsi Maximum in suam communionem recepissent, nihil quoad episcopatum decernere voluisse absentibus episcopis Orientalibus, qui Constantinopoli substiterant pro celebranda Synodo ea, [inquiunt,] quæ totius Orbis episcopis videbatur esse præscripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. Angi se nihilominùs, quod ex ea caussa interrupta esset Ecclesiarum communio. Orientales enim, cum intellexissent Maximum Romam esse profectum, vt illic causam suam refricari procuraret in Synodo, ad quam vniuersi Orbis episcopi inuitati erant, nolle ad eam accedere. Tunc adferunt vetustam consuetudinem vsurpatam ab Athanasio, Petro Alexandrino, & à plerisque Orientalium episcopis, qui iudicium expetierant, non solùm Ecclesiæ Romanæ, sed etiam Italiæ, ac totiùs Occidentis. Vnde concludunt Orientales, cum Maximus ad episcopos Occidentis accesserit, præstolari debuisse eorum sententiam in caussa Maximi. Ne quis verò existimet eos solos velle negotium illud terminare, declarant se nihil aliud cupere, nisi vt hæc caussa in Concilio iudicetur ab episcopis Occidentalibus, & Orientalibus.] Et adducit verba epistolæ: [Nam cum] Orientales episcopi [cognouissent ad hoc partium venisse Maximum, vt caussam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, iure & more Maiorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus, Alexandrinæ Ecclesiç episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totiùs Occidentis confugisse iudicium viderentur; cùm eum, sicut diximus, experiri velle aduersùm eos, qui episcopatum eius abnuerant, comperissent, præstolari vtique, etiam nostram super ea re sententiam debuerunt. Non Prærogatiuam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrij.] Et infra: [Nec quædam nos angit de domestico studio, & ambitione contentio, sed communio soluta, & dissociata perturbat. Nec videmus eam aliter posse conuenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior ordinatus est, aut certè super duorum Ordinatione fit in Vrbe Roma nostrum, Orientaliumque iudicium. Neque enim indignum videtur, Auguste, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorum, & Italorum Episcoporum debeant subire Tractatum, qui vnius Acholij Episcopi ita exspectandum putauerunt iudicium, vt de Occidentalibus partibus Constantinopolim euocandum putarint. Si quid huic vni reseruatum est, quantò magis pluribus reseruandum est? Nos autem à beatissimo Fratre tuæ Pietatis admoniti, vt tuæ Clementiæ scriberemus Imperio, postulamus, vt vbi vna communio est, & commune velit esse Iudicium, concordantiumque consensum.]

Ex his Dominus Archiepiscopus concludit: [Quod si tunc temporis authoritas Concilij Sardicensis valuisset, occasio videlicet opportunissima reperta erat, quà vocaretur in vsum. Nullam autem eius mentionem faciunt Episcopi Occidentales, nihilque aliud contendunt, quàm vt vnà cum Orientalibus cognoscere possint de caussa depositionis Episcopi Constantinopolitani. Eam ob caussam Theodosium orant, vt Concilium vniuersale, apud Vrbem Romam celebrari iubeat, eamque sibi videri vnicam rationem reuocandæ communionis inter Orientales, & Occidentales. Attamen Occidentalibus satisfactum est epistola Synodica Orientalium, quam ex Concilio Constantinopolitano scripserunt ad Damasum, & ad Synodum Romanam, qua Italos orant, non vt confirment ea, quæ in hac Synodo Constantinopolitana acta erant, sed vt charitate spirituali ipsis gratulentur propter Ordinationes Ecclesiarum Constantinopolitanæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, quibus præfecti erant Nectarius, Flauianus, Cyrillus.]

Respondeo hic etiam non deesse errores. Rei series est breuiter exponenda. Imperator Valens Arianismo infecit omnem Orientem: Præsertim Constantinopolim. Excepta tamen Cappadocia, quæ per Magnum Basilium, ac sanctum Gregorium Nazianzenum permansit quasi propugnaculum Catholicæ Fidei. Per Valentis mortem cessauit persecutio. Hinc pauci apud Constantinopolim residui fideles, nec non, & vicini episcopi rogauerunt præfatum Gregorium, vt dignaretur Regiam ciuitatem accedere, sua doctrina, ac zelo reparaturus fidem, atque ecclesiam. Et Gregorius venit. Non vt Episcopus, sed vt Missionarius. Et primò, quod Ariani haberent omnes Ecclesias, est concionatus sub dio, ideòque, & ab Arianis passus solemnes lapides. Et habitauit pauper in modico Conducto. Postmodò acquisiuit exiguam Ecclesiam sanctæ Anastasiæ, Tandem Theodosius accepit Orientale Imperium, & statim Gregorio tradidit Cathedralem Ecclesiam. Et iussit isthìc esse episcopum. Quare Petrus Patriarcha Alexandrinus ipsum inthronizauit per literas omnium primus. Et eius iudicium secuti sunt plures episcopi. Verùm nescio quis Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter oderat Gregorium, atque ita Petrum per calumnias perduxit in cõtrariam sententiam. Quapropter hic venit Constantinopolim, & intra priuatas ædes, quod Ariani adhuc tenerent Ecclesias, in illius ciuitatis episcopum consecrauit Maximum Cynicum. Ea res mouit totum Orientem: Arianis motibus hunc super-addidit. Plurimi enim diligebant Gregorium. Porrò Orientalem Ecclesiam purgaturus, & pacaturus Papa Damasus, ab Imperatore Theodosio rogauit generalem Synodum, faciendam Romæ: Et impetrauit. Verùm Orientales Episcopi ex caussis noluerunt Romam accedere, Synodum ege-

egerunt Constantinopoli, ac ex istius ciuitatis episcopatu non solum Gregorium, sed etiam Maximum eiecerunt, ac imposuere Nectarium, adhuc Cathecumenum. Addiderunt schisma schismati, & eidem Ecclesiæ dederunt tres episcopos. Hæc sunt successiuè facta per duas in eadem ciuitate Synodos. Prima eiecit Maximum, & stabiliuit Gregorium; secunda Gregorium abiecit, & superordinauit Nectarium. Hinc Maximus appellauit Romam: Accessit ad illhic adunatam sub Damaso Occidentalem Synodum. Et eius appellatio fuit admissa. Rationem dat præfata Romanæ Synodi ad Theodosium epistola: [Nectarij Ordinatio quem ordinem habuerit, non videmus. Namque in Concilio nuper, cum Maximus Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ communionem manere secum, lectis Petri sanctæ memoriæ Viri literis, prodidisset, eiusque intra priuatas ædes, quia Ariani Basilicas adhuc tenebant, secretum esse mandantibus episcopis ordinantibus, dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, in quo de episcopatu eius dubitare possemus; cùm vim sibi repugnanti à plerisque etiam de populo, & Clero testatus esset illatam.] Et infra: [Quia reuera aduertebamus Gregorium nequaquam secundùm traditionem Patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi Sacerdotium vindicare.] Et rursùm: [Nectarium autem cum nuper nostra Mediocritas Constantinopoli cognouerit ornatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus. Præsertim cum ab ijsdem Nectarius dicatur illicò sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur his scrupulus. Nec quædam nos angit de domestico studio, & ambitione contentio, sed communio soluta, & dissociata. Nec videmus eam posse aliter conuenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super duorum Ordinatione sit in Vrbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium.] Maximi ordinationem, quia priorem tempore, & bonis nixam principijs, ducunt legitimam; ideòque eius appellationem scribunt à se admissam. Et ipsum reuestiuerunt: [Itaque cum Maximum Episcopum in communionem receperunt nostra consortia, quoniam eum constat à Catholicis Episcopis ordinatum, nec nos ab Episcopatu Constantinopolitani putauimus petitione remouendum.] Per [sua Consortia] intelligunt Alexandrinam Ecclesiam, omnem Ægyptum, ac omnem communionem Paulini Patriarchæ Antiocheni. Ab his, Maximum recipientibus, aiunt se non posse dissociari. Hinc ipsum admittunt vti Constantinopolitanum Episcopum, reuestiunt, & omnia parant ad retractatorium Iudicium. Rectè asserunt hunc scrupulum non esse mediocrem. Erant, & plures grauissimæ quæstiones, spectantes ad fidem, & pacem vtriusque Ecclesiæ. Hinc generalem, Romæ celebrandam, & semel à Principe concessum, Synodum censent per-necessariam, ideòque rogant ipsam concedi denuò, & Orientales Episcopos ad ipsum compelli.

Primus ergo D. Archiepiscopi error est, quod Romana ista Synodus, absentibus Orientalibus Episcopis, de Maximi Episcopatu nihil voluerit decernere. Etenim decreuit admittendam eius non dumtaxat appellationem, sed & communionem, ipsum reuestiuit, atque admisit ad retractatorium Iudicium. Hocce tamen Iudicium, quia non mediocres comprehendebat scrupulos, inchoare noluit, nisi in communi Synodo. Maximum reuestituit ad illum modum, quo antea vestitus fuerat. Etenim ipse nunquam fuerat pacificus Possessor istius Ecclesiæ. Vti Nectarius ipsi, ita ipse fuit superordinatus Gregorio. Romana Synodus ipsum reponit in istum statum. Notanda sunt Epistolæ verba: [Nam cum cognouissent] Orientales Episcopi, qui generale Romanum Concilium declinauerant, & particulare Constantinopoli celebrabant, [ad hoc partium venisse Maximum, vt caussam in Synodo ageret suam, cum eum experiri aduersùm eos, qui Episcopatum eius abnuerant, comperissent, præstolari, vtique etiam nostram super eo sententiam debuerant.] Affirmant Maximum ante Nectarij Ordinationem prouocasse, ideòque istam debuisse suspendi, & esse non veram Ordinationem, sed attentatam, & damnatam Superordinationem. Vtique damnatam per Canones Sardicenses.

Et hinc secundus D. Archiepiscopi error est, quod isto tempore apud Occidentales non viguerit Sardicensis Concilij authoritas, & hæc epistola nullam faciat ipsius mentionem. Etenim vti D. Archiepiscopus, dum hæc Commentaria scripsit, nullam Grammatices, aut Dialectices mentionem fecit, & tamen scripsit ex ipsarum Regulis; ita sanctus Ambrosius, & alij Romanæ Synodi Patres in hac sua epistola, ac item in suis Synodalibus Actis tractarunt Synodum Sardicensem. Vti Logicales regulæ, ita & sacri Canones diuiduntur in docentes, & vtentes. Attamen hæc Synodus Sardicenses Canones non expleuit ad literam, sed ex caussis fuit vsa aliquo dispensatorio temperamento. Etenim Nectarium, quoniam pendente Romana appellatione promotum, isti Canones mandabant eijci, vt illegitimè superordinatum: At Patres dissimularunt. Permiserunt ipsum non quidem sedere, sed pendere. Vsq; ad retractatorium in generali Synodo Iudicium. Nempe quod esset quæstio non mediocrium scrupulorum. Et propter pacem vtriusque Ecclesiæ. Dissimularunt sub hac conditione: [Angit nos soluta, & dissociata communio. Nec videmus eam posse aliter conuenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super duorum Ordinatione sit in Vrbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium.] Gregorij promotionem habent pro manifestè nulla, ideòque dum hæc non admitteretur conditio, voluerunt Maximum plenè reuestiri, ac inthronizari.

Tertius error est, quod Ecclesiarum Communio fuerit tunc soluta, ac dissociata propter Ordinationem Maximi. Etenim huius dissociationis caussa est longè antiquior. Eam exponit exordium epistolæ. Laudat Theodosium, quod Orientalem Ecclesiam expurgarit ab hæresibus, & prosequitur: [Atque vtinam Catholicos ipsos reuerentiæ ve-

veteri reddidisses, vt nihil nouarent contra Præscripta Maiorum, nec temerè, vel seruanda rescinderent, vel rescindenda seruarent. Itaque dolentiùs fortè, quàm inconsultiùs ingemiscimus faciliùs potuisse expelli hæreticos, quàm inter Catholicos conuenire. Quanta enim nuper confusio facta sit, explicari non potest. Scripseramus dudum, vt quoniam Antiochena ciuitas duos haberet Episcopos, Paulinum, atque Meletium, quos fidei concinere putabamus, aut inter ipsos pax, & concordia saluo ordine Ecclesiastico conueniret, aut certè si quis eorum, altero superstite, decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum, superstite altero, gigneretur. At nunc Meletio defuncti, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse, consortia, quæ à maioribus inoffensè ducta, testantur, contra fas, atque Ecclesiasticum Ordinem, in locum Meletij non tàm subrogatus, quàm superpositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione, & consilio Nectarij, cuius Ordinatio, quem ordinem habuerit, non videmus.] Ecclesia Antiochena dudum fuit in schismate propter eiectum ab Arianis sanctum Eustatium, quem ipsa Nicæna Synodus isti Ecclesiæ dederat Episcopum. Postmodò habuit duos Catholicos Episcopos, Paulinum, ac Meletium. Romana, omnis Latina, Alexandrina, omnis Ægyptia, ac plures per Orientem Ecclesiæ Paulinum, aliæ agnouerunt Meletium. Post varia conuentum est inter partes, atque iuratum, vt altero defuncto superstes esset solus, & solidus Episcopus, atque amborum Clerus, & populus adunaretur in vnam pacificam communionem. Interim Romana cum alijs præfatis Ecclesia communicabat soli Paulino, & solis ipsi communicantibus; atque ita erat dissociata communio. Non à toto Oriente, sed ab illis duntaxat Ecclesijs, quæ Paulinum auersabantur, communicantes soli Meletio. Quædam enim Orientis Ecclesiæ indifferenter communicabant ambobus, atque ita etiam istis dispensatoriè communicabat Romana Ecclesia. Porrò Constantinopolitana Synodus admisit Meletium, & exclusit Paulinum. Insuper in defuncti apud se Meletij locum promouit, & admisit Flauianum, atque ita grauissimè offendit Romanam Ecclesiam. Hinc ipsa dissociauit suam communionem à tota Synodo, & sanxit ipsam non resociandam, nisi Orientales Episcopi venirent Romam, ac illic in communi Synodo tetractarent, & sopirent omnia. Eiusdem dissociationis meminit Aquileiensis synodus in sua secunda epistola ad Imperatores Gratianum, ac Theodosium. Affirmat à Sucorum monte, qui Thraciam à Dacia, adeòque Occidentale Imperium ab Orientali diuidit, vsque ad Oceani fines, id est per totum Occidentale Imperium esse plenam fidei inter Ecclesias pacem; agit Principibus gratias, quod idem Dei beneficium Orienti præstiterint, expellentes hæreticos, & Catholicis reddentes Ecclesias; ac prosequitur: [Sed tamen quoniam inuidia Diaboli nunquam quiescere solet, inter ipsos Catholicos audiuimus crebras dissensiones, impacatamque discordiam. Vnde toto confundimur affectu, quod innouata pleraque comperimus, eosque grauati nunc, quos oportuit adiuuari, qui in nostra semper communione durabant. Denique Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Timotheus, sed, & Antiochenæ Paulinus, qui semper nobiscum communionis intemeratam habuere concordiam, dissensionibus aliorum, quorum fides superioribus temporibus hæsitabat, feruntur vrgeri. Quos quidem, si fieri potest, & fides plena commendat, ad consortia nostra optamus adiungi; sed ita vt vetustæ communionis socijs sua Prærogatiua seruetur, quorum nobis hæc non superflua cura est. Primò omnium, communionis societas nullam debet habere offensam. Deindè, quia vtriusque partis dudum accepimus literas, præcipuèque illorum, qui in Antiochiæ dissidebant Ecclesia. Et quidem nisi hostilis impedimento fuisset irruptio, aliquos etiam de nostro numero disposueramus illò dirigere, qui Sequestres, & Arbitri refundendæ, si fieri posset, pacis existerent. Sed quia studia nostra tunc temporis habere effectum per tumultus publicos nequiuerunt, oblatas Pietati vestræ nostras opinamur preces, quibus iuxta partium Pactum poposcimus, vt altero decedente, penès superstitem Ecclesiæ iura permanerent, nec aliqua superordinatio attentaretur. Ideoque petimus vos, vt & Alexandriæ Sacerdotum Catholicorum omnium Concilium fieri censeatis, qui inter se pleniùs tractent, atque definiant, quibus impartienda communio, quibus sit obseranda.]

Epistola est scripta per sanctum Ambrosium, ex Aquileiensi Synodo, cui adfuerunt septem Gallicani Episcopi, Legati totius Diœcesios: Erat Patriarchalis Synodus, atque ita ex ipsa etiam lucet Gallicanam Ecclesiam ab ista Synodo non fuisse exemptam. Epistola est scripta ante Constantinopolitanam Synodum, & affirmat varia. Primò, quod in Orientali Ecclesia, etiam post eiectos à Theodosio hæreticos, & redditas Catholicis Ecclesias, permanerent crebræ dissensiones, ac impacata discordia. Secundò, quod per istud malum grauarentur illi, qui in fida Occidentalis Ecclesiæ communione semper perstiterant, ideoque debebant adiuuari. Tertiò, quod inter istos grauatos essent etiam Timotheus Alexandrinus, ac Paulinus Patriarcha Antiochenus. Quartò, quod ista grauamina inferrentur per eos, quorum fides superioribus temporibus hæsitauerat. Nempe per Meletij discipulos, & communicatores, quorum plures, vti, & ipse Meletius, antea Ariani fuerant, aut certè de errore suspecti. Quintò dicit, quod hos omnes oportet admitti, aut manere intra Ecclesiæ gremium, attamen sine præiudicio vetustæ communionis, cui custodiri debet sua Prærogatiua, & caueri eius offensa. Sextò, quod hæc vetusta communio præsertim sit apud Antiochiam: Videlicet eius Patriarcham Paulinum. Ipse enim reuera successerat sancto Eustatio, & fuerat consecratus per Luciferum Calaritanum Episcopum. Legatum Sedis Apostolicæ; at verò Meletius intrusis Arianis successerat, per eosdem intrusus, & ipse. Septimò dicit, quod vtraque, & Pauliniana, & Meletiana, istius Ecclesiæ communio inuocasset iam pridem Romanam Ecclesiam: Et quod hæc

hæc parasset eò Legatos trāsmittere, sed impedita fuisset per bellicos motus. Octauò quod eadem Romana Ecclesia tunc Principibus supplicasset, vt iuberent custodiri Pacta inter Paulinum, & Meletium inita, cum iuramento sancientia, vt altero defuncto non attentaretur Superordinatio, sed superstes haberet plena iura Ecclesiæ. Ad hæc per Orientem componenda Patres Aquileienses rogant etiam apud Alexandriam indici Synodum, vtique præparatoriam ad Oecumenicam Romanam. Nulla fit mentio Maximi, aut Nectarij: Quod nempe ille necdum degradatus, hic necdum esset ordinatus. Proinde vera, & vnica causa, ex qua ante Constantinopolitanam Synodum dissociata fuit Ecclesiarum communio, erat sola discordia Antiochenæ Ecclesiæ. Dominus Archiepiscopus pro se vrget hæc verba: [Nec videmus eam posse conuenire; nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus.] Respondeo verba respicere audaciam Nectarij, qui non solùm se intrudi permiserut in Sedem Constantinopolitanam, sed insuper fuerat author Flauianum contra iurata Pacta intrudendi in Sedem Antiochenam. Ita Eustatianum istius Ecclesiæ Schisma innouarat, & auxerat, ac insuper addiderat Schisma Ecclesiæ Constatinopolitanæ. Et alterum cum altero insolubiliter intricauerat. Etenim vniuersam Constantinopolitanam Ecclesiam à Paulini ad Flauiani communionem abstraxerat, atque ita etiam separarat à communione Romanæ Ecclesiæ. Romanæ Synodi Patres censuerunt hæc omnia in ordinem, & pacem non posse redigi, nisi per Nectarij eiectionē, ac inthronizationem Petri, aut certè per generale Concilium.

Quartus Domini Archiepiscopi error est, quod Occidentales Episcopi circa Maximi appellationem nihil aliud contenderint, quàm vt vnà cum Orientalibus cognoscere possent de causa depositionis Episcopi Constantinopolitani. Quod istud retractatorium Iudicium, ideòque & ipsa appellatio fieri non potuerint ad solam Romanam Ecclesiā, sed dumtaxat ad generalem totius Ecclesiæ Synodum. Est error alienissimus à textu epistolæ: [Vt caussam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, iure, & more Maiorum poterat.] Vox, [Poterat,] est supplenda, Istud ius, ac iste mos constant per exempla sancti Athanasij, eius Successoris Petri, ac aliorum Orientalium Antistitum, qui non ad generalem Synodum, sed solummodò, ad Romanæ Ecclesiæ, Italiæ, aut totius Occidentis episcopos confugerunt, & appellarunt. Et epistola adiungit: [Neque enim indignum videtur, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumq; & Italorum Episcoporum debeant subire Tractatum.] Totius Occidentis, quos antea expresserat, iam prætermittit episcopos. Quod nempe nec totam Romani Patriarchatus Synodum censeat necessariam ad retractandas appellationes Orientalium Antistitum. Quin immò nec tota finitimorum, ac Italorum Synodus est necessaria, Verùm hæc tunc simul confidebat, ideòque epistola dicit non esse indignum, vt Orientalis Ecclesia subsit, ac obediat eius retractatorio iudicio.

Proinde Generalis Synodus in isto casu non fuit necessaria, nisi ex voluntate sancti Damasi, qui suo sapientissimo consilio iudicauit ita expedire. Ob duas causas. Primò, quod harum quæstionum scrupulus non esset mediocris. Erat enim intricatissimus ex pluribus, & grauissimis totius Ecclesiæ contentionibus. Secundò, quod tota Constantinopolitana Synodus degradasset appellantem Maximum, ac superordinasset Nectariū, adeoque tota esset ex Iudice demutata in ream, & sic facta obnoxia Romanæ euocationi. Ex eadem regula sanctus postea Leo totum Ephesinum Latrocinium euocauit Romam ad audiendum retractatorium Iudiciū sancti Flauiani, & eius Collegarum in degradatione, ac Romana appellatione. Et tandem adesse iussit apud Chalcedonem. Et eius Principem Dioscorum iussit stare inter Reos. Et palam professus est hæc à se agi iuxta Sardicenses Canones. Quare secundùm ipsos egit etiam sanctus Damasus.

Notanda sunt, & hæc epistolæ verba: [Non Prærogatiuam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrij.] Sunt copulanda cum his: [Nec quædam nos angit de domestico studio, & ambitione contentio, sed communio soluta, & dissociata conturbat.] Notant Orientales Episcopos, quod Romam ad indictum Oecumenicum Concilium non venerint, sed soli Synodum Constantinopoli egerint, atque in illa præsumpserint Maximum in prima instantia soli iudicare. In generali Synodo Papa habet duplex priuilegium: ius relationis, seu propositionis, & Prærogatiuam suffragij. At verò Constantinopolitana Synodus erat pars Oecumenici Concilij indicti Romam, ideòque tenebatur eiusdem legibus: Proinde Pontifex isthic excludi non poterat à priuatinis iuribus. Dum Romam illa nolebat accedere, nihil attentare poterat, nisi post postulata, & accepta Papalem relationem, ac suffragium. Hinc epistola adiungit: [Nec quædam nos angit de domestico studio, & ambitione contentio.] Sensus est: Nollemus vrgere, quod relatio, & suffragij Prærogatiua Pontifici competierint etiam in vestra Synodo, ideòque sine ipso Maximi causam nec inchoare potueritis. Nolumus hæc vrgere, ne angi, & contendere videamur de domestico studio, & ambitu Romanorum iurium. Dumtaxat dicimus, quod tamen esse debuerit consortium communis arbitrij. Etiam in prima instantia: Quantò magis nunc in secunda? Insuper promittit Orientales, dum Romam aduenerint, non transferre ad Reos, sed per singularem gratiam admittere ad synodalem consessum, & suffragium. Damasus imitatur suum Antecessorem Iulium, qui eodem modo, & in sua ad Antiochenam Synodum epistola, & in Sardicensi Synodo, egit cum Eusebianis. Ex quo iterum patet, quod Damasus hæc omnia egerit iuxta formam, Sardicensem. Iste est verus sensus epistolæ.

Hæc verba, [Sed communio soluta, & dissociata perturbat, continet tertiā causam, ex qua Damasus circa hoc negotium voluit esse consortium communis arbitrij. Hæc dissociatio erat palmaris scrupulus: Et resociari

vix

vix poterat, nisi per communem Tractatum. Hic esse debuerat etiam in prima omnium caussarum cognitione, ideòque longè magis iam in retractatoria. Nam Maximi degradatio, & Nectarij superordinatio dissociationem magis innodauerant. Huc etiam respicit conclusio epistolæ: [Nos autem à Beatissimo Principe Fratre tuæ Pietatis admoniti, vt tuæ Clementiæ scriberemus Imperio, postulamus, vt vbi vna communio est, commune velit esse iudicium concordantiumque consensum,] Damasus affirmat se hæc scribere ex consilio Imperatoris Gratiani, cuius mens sit, vt ad resociandam Ecclesiarum communionem, & ad dirimendas alias ipsarum quæstiones fiat generale Concilium. Et quidem in Vrbe Roma. Proinde istud Concilium non fuit necessarium per Canones, sed ex sola voluntate Pontificis, suo sapientissimo consilio iudicantis expedire.

Quæstio est. Quid sint finitimi ad almam Vrbem Episcopi, quid Episcopi Italiæ? Respondeo solitam Italiam à Romanis fuisse diuisam in tres partes: In Prouincias Suburbicarias, & Italiam specialiter dictam. In Theodosiano Codice, ac apud Romani Imperij notitiam famosa est ista distinctio. Prouinciæ suburbicariæ erant illæ, quæ per gyrum continebantur intra centesimum ab Vrbe lapidem. Eas inter erant pars Thusciæ, & pars Piceni. Vtraque enim hęc Prouincia fuit diuisa in partem suburbicariam, & partem Annonariam. Attamen istæ partes non explebant præfatum gyrum, ideòque, & aliæ duæ Prouinciæ fuerunt decem: Campania, Tuscia, Vmbria, Picenum suburbicarium, Sicilia, Apulia, Calabria, Brutij, Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, & Valeria. Speciatim sumpta Italia habuit septem Prouincias: Venetiam, Istriam, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam, Picenum Annonarium, Alpes Cottias, Rhætiam primam, & Rhætiam secundam. Omnes decem vrbicariæ Prouinciæ suberant Præfecto Vrbis. Ita & immediato Metropolitico iure suberant Romano Pontifici: Papa erat ipsarum Metropolita. Excepta tamen Sardinia, quæ proprium semper Metropolitanum habuit. Specialis Italia habebat duos Metropolitas: Mediolanensem & Aquileiensem: Episcopi igitur, quos Dàmasus finitimos vocat, & distinguit ab Italiæ Episcopis, sunt nouem Vrbicariarum Prouinciarum Episcopi, immediatè spectantes ad eius potestatem Metropoliticam, & ad eius Prouincialem Synodum. Affirmat appellatas Episcoporum caussas quandoque in hac sola, quandoque retractari in Synodo totius solidæ Italiæ.

Quintus Domini Archiepiscopi error est, quod Occidentalibus fuerit satisfactum per Synodicam Orientalium epistolam, è Constantinopolitano Concilio scriptam ad Damasum Pontificem. Etenim contrarium euincunt Capuana Siricij Pontificis, Synodus, sancti Ambrosij ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham epistola, & circa eamdem rem Scripta Theodoreti. Romana Ecclesia Flauianum pro periuro, ex lege, contumaci, & ad sacra Rescripta transfuga habuit: Adeò non acquieuit præfatis Synodalibus literis. Romanæ Ecclesiæ communionem ille non accepit, nisi sub finem vitæ. Per meditationem Acacij Berthæensis Episcopi, & Sancti Isidori Pelusiotæ, Presbyteri Alexandrini. Ad horum Legationes, & preces Apostolica Sedes tandem admisit eius Episcopatum. Ex quo lucet Romanam confirmationem Patriarchis fuisse semper necessariam. Porrò de sua è Catechumeno in Episcopum promotione scribit ad Vercellensem Ecclesiam sanctus Ambrosius: [Ordinationem meam Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probarunt.] Vtique ordinando Nectarium. Ex quo docemur Nectarij ordinationem, dum ista scribebat Ambrosius, fuisse probatam, à Romana Ecclesia. Etenim ad suam ordinationem purgandam Ambrosius non assumeret reprobatum exemplum. Nempe Constantinopolitana Synodus Nicænam de sacrosancta Trinitate, ac Diuina Incarnatione fidem insigniter defendit, & stabiliuit. Hinc ipsam confirmauit tamdem, & in eamdem cum sua Romana Oecumenicam Synodum adunauit Damasus. Et ad Theodosij preces, necnon ad Ecclesiæ pacem confirmauit etiam Episcopatum Nectarij. Instructus de Maximi dolosa hypocrisi, & antea occultis facinoribus.

Dominus Archiepiscopus addit, quod Constantinopolitana Synodus Damasum, ac eius Synodum orauerit, non vt sua Acta confirmaret, sed vt spirituali charitate ipsius gratularetur propter Ecclesiarum, & nouorum Episcoporum ordinationes. Hinc conclusum vult generales Synodos non obstringi ad cõfirmationem suorum Actorum postulandam à Romano Pontifice. Respondeo esse caducum argumentum. Etenim de istius Synodi episcopis singularem orationem nobis reliquit sanctus Gregorius Nazianzenus, & in ipsa scribit: [Episcopi dimiserunt me ab vrbe, non admodùm repugnantem. Quippe turpissimum erat me illorum fidei cauponum in numero esse, quorum alij nepotes erant illorum, qui Tributorum scribæ fuerant, & aliud nihil voluebant animo, quàm falsas, & subdolas rationum deprauationes. Alij remos & exercitus reliquerant, redolentes adhuc sentinam, vel corpus fœdatum cicatricibus habentes; populi gubernatores, ac Duces militum, qui ne minimum quidem concessuri videntur. Nonnulli etiam opificiorum, quæ citra ignem operas suas perficere nequeunt, gnari ne fuliginem quidem carnis integrè abluerant, flagriones, ac pistrinis digni. Qui priusquàm pretium Heris numerare queant, si vel exiguam à laboribus requietem inueniant, lasciuiunt insigniter.] Eosdem Episcopos describit in carmine de sua vita: Num. 117. Clamitant illi vndique, vt graculorum turma rem vnam moliens. Iuuenum caterua, quam tabernam diceres: Trahensque turbo puluerem, venti æmulus. Dignatus esset cum quibus nemo, metu sancto, Thronoque præditus, quidquam loqui. Præpostere, vt que funderent verba, & velut vespæ insilirent, concito in frontem impetu. At hos secutus est tamen Cœtus Senum, motus iuuentæ feruidos, quos par erat frænare. Ratio porrò quam scita, adspice: Debere nostras nempè res Solem sequi, ortum hinc trahentes, vnde Regnator poli nobis, amictus

Epist. 9.

ctus carne, primùm splenduit.]

Quod Eusebiana Factio homines ineptissimos intruserit in episcopales Cathedras, est omnibus exploratum. Istorum plures erant in hac Synodo. Etenim per Theodosij Imperatoris Edicta debuerunt, aut Ecclesiam, & honorem relinquere, aut redire ad Matrem Catholicam. Hi igitur, vti Arianos errores, ita Antiochenæ Synodi, & à Philippo-Politani Conuenticuli Schismaticam adhuc olebant audaciam, atque ex hoc fonte blaterabant: [Debere nostras res Solem sequi, ortum hinc trahentes.] Euangelicam prædicationem dicebant duxisse originem, non in Occidentali, sed in Orientali Ecclesia, ideòque secundùm huius, non secundùm istius Canones sibi esse agendum. Quod Orientalis Occidentali subesset, propter metum Principis non audebant negare, eò tamen tendebat clamosum studium. Huc respicit Romana Synodi ad Theodosium epistola [Vtinam Catholicos ipsos reuerentiæ veteri reddidisses, vt nihil nouarent contra Præscripta Maiorum.] Agit de reuerentia erga Romanam Ecclesiam. Ex isto igitur forsan fonte Constantinopolitana Synodus solummodò retulit sua Acta ad Damasum, non supplicauit confirmari. Attamen eius verba possint, & ita accipi, vt supplicent confirmationem. Quidquid sit, quod ista confirmatio sit necessaria, apud veros Christianos est extra controuersiam. Etiam hic articulus est vnus illorum, qui meritò notantur D. Archiepiscopo. Hæc sunt alterius loci.

CAPVT XXXI.

Quid D. Archiepiscopus sentiat de antiqua Sardicensium Canonum obseruantia?

DOminus Archiepiscopus, vti Romanas appellationes, ita auersatur, & Sardicenses Canones. Ipsos non solummodò interpretatur pessimè, sed insuper studet auferri ab antiquo vsu, & reuerentia omnium Ecclesiarum. Iam audiuimus dicentem, quod ipsos nec S. Damasus attenderit, nec S. Ambrosius: quod ipsorum authoritas tunc non valeret apud Romanam Ecclesiam. At ipsum sine fundamento loqui, est demonstratum. In consequentibus docet, quod item nec Innocentius, nec quis alius ante Zozimum Pontifex agnouerit: quod primus ipsos produxerit Zozimus in quæstione cum Africana Ecclesia circa Romanas appellationes inferioris Cleri. [Canones Sardicenses,] inquit, [necdum recepti erant ætate Innocentij primi. Ius illud, quod ille vindicat Sedi suæ, prorsùs petit à Canonibus synodi Nicænæ, quorum sensum, quoad iura Romani Pontificis in Occidente, primus ille aperuit in epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem.] Infrà refert verba epistolæ, ac pergit: [Synodus cuius mentionem facit Innocentius, & Canones in epistola ad Mileuitanum Concilium laudati, sunt omninò alij præter Sardicenses. Synodus enim Sardicensis nihil statuit de relationibus ad summum Pontificem mittendis in materia fidei. Itaque Synodus illa ab Innocentio laudata non est alia, quàm Nicæna.] Porro istas relationes Innocentius laudat etiam in literis ad Mileuitanum Concilium.

Respondeo Innocentium in adductis locis non de solis in fidei materia relationibus agere, sed etiam de relationibus in materia disciplinæ. In rescripto ad Mileuitanam synodum de solis prioribus, in literis ad Victricium agit de ambabus, Agit enim de relationibus omnium maiorum causarum, quæ & circa fidem versari possint, & circa disciplinam. Porrò de ambabus relationibus Sardicensis disertè, ac expresè, Nicæna Synodus non nisi implicitè sancit per generales terminos. Per hæc verba sexti Canonis: [Suis priuilegia seruentur Ecclesijs.] At verò Sardicensis synodus habet in tertio Canone: [Scribatur ab his, qui causam examinauerunt, Iulio Romano Episcopo.] Et in relatione ad eumdem Pontificem: [Hoc aptum, & valdè congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, idest, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.] Laudant vtramque relationis speciem. Quare synodus, quam Innocentius laudat, est omninò Sardicensis. Et hæc inuoluit Nicænam. Et vtraque stabiliuit Apostolicum Canonem, ac auitam Ecclesiæ consuetudinem. Porrò alibi Dominus Archiepiscopus ex Hincmaro Rhemensi rectè dicit ab isto Innocentij Decreto, & Nicænam laudari synodum, & Sardicensem.

Dominus Archiepiscopus in sequenti capite affirmat Romanas à Prouinciarum synodis appellationes sub Damaso Pontifice, & proximis Successoribus, necdum viguisse in Occidente, & pergit: [At Innocentius primus, audaciæ subsidium à dignitate Sedis suæ petens, atrox vulnus inflixit authoritati synodi Macedoniæ, cuius iudicium retractauit in causa Bubalij, & Tauriani, ab ea synodo damnatorum. Id ægrè tulerunt Episcopi per Macedoniam constituti, qui de ea nouitate apud Innocentium questi sunt. Quid faceret summus Pontifex? Erat hic sanè locus proferendi authoritatem Canonum Sardicensium, si tunc illi in vsu fuissent. Nec sanè eos omisisset Pontifex. Sed neque Concilium Nicænum laudauit: quod tamen non omisisset, si Canone aliquo synodus illa Romanæ Sedi ius tribuisset retractandi iudicia Prouinciarum. At fortasse attulit consuetudinem antecessorum suorum, quemadmodum, & ab eo vsurpatum videmus in plurimis occasionibus. Non ita sanè. Solam ergò æquitatem prætendit, aiens veritatem magis splendescere cum exagitatur, fructumque Diuinum esse, cùm veritas sæpè examinatur.]

Errores varij. Primus est fiducia, qua Dominus Archiepiscopus, vti suprà Iulium, ita nunc Innocentium calumniatur de audacia. Secundus, quod Nicæni Canones non permittant à Prouinciarum synodis prouocari ad Sedem Apostolicam. Tertius est, quod nec auita id permittat consuetudo. Quartus est, quod primus huic consuetudini atrox vulnus inflixerit Innocentius. Quintus est, quod Macedoniæ synodus sit questa

de

de nouitate vsurpatæ retractationis. Etenim questa est nequaquam de appellationis, aut retractationis nouitate, vel vsurpatione, sed de huius superfluitate, illius friuoleitate. Affirmauit sui in Bubalium, ac Taurianum iudicij iustitiam fuisse manifestam, ideoque damnatorum hominum appellationem non fuisse admittendam, longè minùs retractandam. Vti olim quidam cum sancto Cypriano Hispanorum Episcopi aduersùs Basilidis, & Martialis Episcoporum, hominum manifestè criminosorum, factam à sancto Stephano Pontifice reparationem, ita Macedones Episcopi fuerunt questi aduersùs factam à S. Innocentio de similium hominum causis retractationem. Innocentius enim ipsos nequaquam reparauerat, sed factum de ipsis iudiciũ solummodò retractarat. Querimonia non aduersùs authoritatem intercessit, sed aduersùs solam obreptionem, seu circumscriptionem.

Audiamus Pontificis epistolam: Mora Coepiscoporum nostrorum Maximiani, & Eumenij, vel potiùs importunitatis temporum fecit, vt vos iteraretis de Bubalio, & Tauriano querimoniam, & nos iterùm in homines perditissimos insurgeremus: Sed paucioribus verbis tantorum malorum imitabor compendium, & strictim, quæ in volumine literarum vestrarum conspexerim, retractabo. Graue non oportuit videri pijssimis mentibus vestris, cuiuscumque retractari iudicium: quia veritas exagitata sæpius, magis splendescit in luce; & pernicies reuocata in iudicium, grauiùs, & sine illius, qui primùm iudicauit, pœnitentia condemnatur. Nam fructus Diuinus est iustitiam sæpiùs recenseri. Verùm illud video mouisse animos vestros, quod in multis Bubalius sæpè fallacijs deprehensus, obiecerit exemplaria fictarum, quas à nobis literarum, cum pro consuetudine hominis nihil, quod proferret, iam fide dignissimum videretur. Sed sileatur omne iam de tali negotio murmur, & conuicti Diaboli ipsi anhelitus comprimantur:] Affirmat varia. Primò, quod Bubalius, ac Taurianus, à Rufi Thessalonicensis Episcopi synodi damnati, Romam non solummodò appellarant, sed etiam accesserant. Secundò, quod inspectis, quæ Rufus haud dubiè transmiserat, synodalibus actis, Pontifex in perditissimos homines insurrexit: quod censuerit ritè damnatos, ideòque nec audiendos. Tertiò, quod precibus ipsorum inflexus tandem admiserit ad retractatorium iudicium. Et adiungit istius gratiæ causam: [Graue non oportuit videri pijssimis mentibus vestris, cuiuscumque retractari iudicium, quia veritas exagitata sæpiùs, magis splendescit in luce, & pernicies reuocata in iudicium, grauiùs, & sine illius, qui primum iudicauit, pœnitentia condemnatur. Nam fructus Diuinus est iustitiam sæpiùs recenseri.] Affirmat se de Thessalonicensis synodi iustitia non dubitasse, ideoque se nec retractasse ad ipsam inhonorandam, sed ad importunis, ac rectè damnatis hominibus obstruendum os, ac magis illustrandam iustitiam. Rufo respondit fermè istud ipsum, quod olim Antiochenæ synodo responderat sanctus Iulius: [Qui benè sentiunt de ijs, quæ egerunt, & in quibus ipsi iudices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis iudicatum est, ab alijs excutiatur. Quippe, qui securi sint, ea, quæ ipsi iusta iudicauerunt, iniusta nunquam fieri posse.] Tandem synodale Rufi de vtroque iudicium confirmat, atque ita extinguit omnem querimoniam.

Ambigua sunt hæc verba: [Illud video mouisse animos vestros, quod in multis Bubalius sæpè fallacijs deprehensus, obiecerit exemplaria fictarum quasi à nobis literarum, &c.] Quales, seu cuius tenoris literas Bubalius finxerit, ignoratur. Existimo non fuisse reparatrices. Etenim non aduersùs hominis reparationem, sed aduersùs solam causæ retractationem Rufus intercessit. Quin immò Bubalius videtur, nec reuestitus fuisse. Etenim degradatorij iudicij iustitiam perspiciens Pontifex, nec appellationem admittere, longè minùs hominem reuestire voluit, sed eius importunis precibus, ac suggestionibus aliquid indulgere, & simul os claudere cupiens, causam admisit ad retractationem. Quidquid sit, manifestè processit secundùm Sardicenses Canones. Etenim, & Bubalius Romam accessit, & ibidem facta est retractatio. Nec aduersùs hoc, aut istud quisquam intercessit. Quod Romanæ appellationes per omne Illyricum liberrimis semper pedibus ambulauerint, & iuxta Sardicensem Normã semper fuerint retractatæ, statim docebunt authentica exempla, ac testimonia. Et quid illis opus? Venerabilis Gaudentius, Naxitanus in Illyrico Episcopus, Præsidis Hosij synodalem pro Romanis appellationibus relationem non probauit solummodò, aut adiuuit, sed insuper ampliauit dicens ad laudatum Hosium: [Si videtur, necessè est adijci huic sententiæ, quam sincera dilectione protulisti, &c.] Et eius propositionem omnis synodus admisit in Canonem. Vnde, & ipsi Philippopolitana Factio non pepercit, sed etiam in eum latrauit Degradationis contumeliam. Eamdem ab illa gratiam retulit Protogenes Sardicensis Episcopus, quod Hosium in cunctis constantissimè adiuuisset. Et adfuerunt cuncti Primates Illyricorum Antistites. Et Sardica, synodi locus, est non extrema Metropolis istius Diœceseos. Quomodo igitur Romanæ appellationes, quomodo Sardicensis disciplina possint istic non viguisse?

In tertij libri, tertio capite Dominus Archiepiscopus hæc scribit: [Prætermittenda non est Canonum Collectio, quæ in quinquaginta titulos distributa, Theodoreti Cyrensis Episcopi nomine extat in manuscripto Codice Bibliothecæ Regiæ. Eam Collectionem Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui Iustiniani temporibus floruit, collatione legum, sed præsertim nouellarum constitutionum eiusdem Principis, ad singulos titulos addita ornauit. Vnde sequitur hanc Collectionem Iustiniani tempus antecessisse, atque adeò temporis rationem eis suffragari, qui Theodoreti genuinum esse opus censent. Quam ille ad vsum priuatum studiosorum concinnauit, vt in numerato haberent Canones omnes, qui ad vnum negotij genus referuntur.] Affirmat quosdam esse appositæ sententiæ, & adducit eorum fundamenta. Hoc est tertium: [Tertia causa petitur à Canonibus Sardicensibus, quos Græci

non admisere in veteri Collectione.] Et ad hoc argumentum Dominus Archiepiscopus respondet: [Aperta est ratio, cur Theodoretus Sardicenses Canones in suam Collectionem coniecerit. Nempe, quod Sede sua à Dioscoro Alexandrino in synodo Ephesina secunda depulsus, eorum Canonum beneficio vsus, Sedem Apostolicam appellauit, & à Leone in communionem receptus, Episcopalique dignitati restitutus, Imperatoris Decreto, & Synodi Chalcedonensis irretractabili iudicio locum suum obtinuit. Quare nihil aliud à Theodoreto expectandum erat, quàm vt Canonibus Sardicensibus recensendis benignum se præstaret.] Istam Collectionem Theodoreto adscribunt etiam in Dissertatione de Primatibus Ioannes Morinus, & in selectis de iure Canonico Dissertationibus Franciscus Florens: Alij tamen censent posteriorem, & esse à Ioanne Patriarcha.

Quidquid sit, Dominus Archiepiscopus fatetur Sardicensium Canonum vsum esse antiquum apud Orientales. Et iure meritò. Etenim Orientalium Antistitum Romanæ appellationes nobis pepererunt istos Canones. Et quod ipsos sanctus Athanasius non per solam Ægyptum, sed etiam apud Hierosolymam synodaliter publicauerit, est omnibus notum. Eosdem subscribi fecit à cunctis melioribus Orientis Episcopis. Quod ipsum omninò fecerunt Marcellus Ancyranus, Lucius Adrianopolitanus, Asclepas Gazensis Episcopus, alijque omnes reparati per istam synodum. Paulus Constantinopolitanus facere non potuit, quoniam in istius synodi odium fuit ab Eusebianis suffocatus in balneo. Iuxta istos Canones Petrus Alexandrinus, eius successor Ioannes Thalaia, Maximus Constantinopolitanus, eius successores, sanctus Ioannes Chrysostomus, & sanctus Flauianus, Eutherius Thyanensis, Helladius Tharsensis, Theodoretus Cyrensis, Eusebius Dorylæensis, alijque longè plures Episcopi appellarunt Romam, & impetrarunt suam causam retractari. Magnus Papa Leo, dum ab Imperatore Theodosio postulauit aduersùs Ephesinum Latrocinium fieri nouam synodum, adiunxit causas: [Quia nostri Legati fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus Episcopus dedit.] Et post quædam: [Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicœæ habitorum decreta testantur, quæ subter annexa sunt.] Et subnexuit Sardicensem de Romanis appellationibus Canonem. Quod nempè sciret ipsum non dumtaxat cum omni reuerentia vigere in Orientali Ecclesia, sed etiam haberi pro Nicœno. Per verba: [Quam autem hoc necessariò postuletur,] asseuerat suam postulationem esse non solummodò rationabilem, sed omninò talem, cui non possit non annui. Quod nempè istorum Canonum authoritas etiam apud Orientales esset irrefragabilis. Eodem sensu ad eumdem Theodosium scripsit pro eadem causa Valentinianus III. Imperator, quod sanctus Flauianus [secundùm Conciliorum solemnitatem appellasset.] Omninò intelligit Sardicense Concilium, atque ita affirmat ipsum viguisse per omne Romanum Imperium. Piget, ac durum est in res lucidas expendere tempus, cuius nemo queat reparare iacturam.

Pergit D. Archiepiscopus ad Gallicanam Ecclesiam: [Inspiciendum nunc est, quænam fuerit Ecclesiæ Gallicanæ praxis in peragendis Iudicijs Canonicis Episcoporum sub prima Regum nostrorum Dynastia. Argumento sequentia erunt Canones Sardicenses in vsu tùm fuisse apud Gallos. Synodus itaque Prouinciæ deijciebat Episcopos. Si verò Pontifex Romanus appellabatur, is retractari causam in Prouincia iubebat, si ita expedire arbitraretur. Exemplo erit causa Contumeliosi Episcopi Reiensis, quem in plena synodo damnatum Cæsarius Arelatensis Episcopatu mouit. Missa dein relatio ad Ioannẽ Secundum Pontificem, qui iudicium illud confirmauit datis literis ad Episcopos Galliæ. Attamen quoniam Contumeliosus prouocauerat ad Sedem Apostolicam, Agapetus Papa præcepit causam eius de integro examinari à Iudicibus delegandis in Prouincia, iuxta Canones, Sardicenses nimirùm, vt patet ex verbis epistolæ Agapeti ad Cæsarium.] Adducit verba epistolæ, & prosequitur: [Ex hac vltima clausula discimus solitos illa tempestate Episcopos Gallicanos exequi sententiam depositionis, tametsi ab ea appellatum esset, quamuis aliud obtinere debere censeret Pontifex.]

Paschasius Quesnellus censet Sardicenses Canones fuisse in Gallia ignotos vsque ad secundam Regum Dynastiam. Tunc primùm vult admissum isthìc fuisse Dionysij exigui Codicem, adeòque & Sardicenses Canones. In his ipsum labi, supra studui demonstrare. Et iam demonstrat etiam Dominus Archiepiscopus. Eruditè & variè. At miscet vera falsis. Etenim falsum est, quod ista tempestate Gallicani Episcopi synodales suorum Collegarum damnationes, licèt ad Sedem Romanam esset prouocatum, in executionem mitterent. Dominus Archiepiscopus errorem suum probat ex sancti Cæsarij actis circa Contumeliosum, appellantem ad Agapetum. Malè. Etenim Contumeliosi damnatio transiuerat in rem iudicatam, & fuerat confirmata per Sedem Romanam, ideòque ille deinceps non gaudebat iure Sardicensium Canonum, sed indigebat gratioso restitutionis beneficio. Rei series est superiùs exposita. Sancti Maximini Treuirensis, Euphratæ Coloniensis, sancti Seruatij Tongrensis, & multorum aliorum in Gallia Episcoporum pro sancto Athanasio, & Sardicensi Concilio acta; sancti Innocentij rescriptum ad sanctum Victricium, eiusdemque capitula transmissa ad omnes Gallicanos Episcopos; sancti Britij Turonensis, Lazari Aquensis, Herotis Arelatensis, Salonij Ebredunensis, Sagittarij Vappicensis, aliorumque Episcoporum, & Clericorum Romanæ appellationes; secundæ Arelatensis, primæ Turonensis, ac primæ Aurelianensis synodi Canones; necnon & plura alia altissimè clamant, ac lucidissimè demonstrant Sardicenses Canones à sui exordio semper viguisse in Gallia: Et iuxta ipsos Romanas appellationes. Addi possent Leonis Sennonensis aduersùs nouum Meleduncensem Episcopum, ac sancti Wilfridi Eboracensis Metropolitæ aduersùs Theodori Cantuariensis

riensis Primatis in se synodale Iudicium appellatio ad sanctum Agathonem Pontificem, ac postmodùm ad Ioannem septimum, aliæque plures. Nam & hæ processerunt secundùm Sardicenses regulas. Et Britannica, vti ciuilis, ita & ecclesiastica, administratio olim spectauit ad Gallicanam Diœcesim. Et cur taceamus Magni Papæ Leonis aduersùs Hilarium pro Chelidonio acta? Certè tanti Pontificis authoritatem Gallicana, vti & omnis sub cœlo alia, ecclesia semper venerata est, & agnouit irrefragabilem.

CAPVT XXXII.

An Sardicensis Synodus fuerit veraciter Oecumenica?

ILlustrissimus Dominus Petrus de Marca respondet: [Historiam Sardicensis Concilij hìc per auersionem describendam esse
Lib. 7. C. 3. existimaui, quoniam obseruatio illa, quæ verissima est, & colligitur ex varijs locis Athanasij, & Hilarij, valdè conducit ad decidendam celebrem illam controuersiam, quam Illustrissimi Cardinales Baronius, & Perronius summa cura tractant; An videlicet Concilium Sardicense sit Oecumenicum? Hac verò quæstione semel definita, facilis videtur esse responsio, an viginti, & vnus Canones, in Sardicensi synodo editi, sint eiusdem authoritatis, ac Nicœni? Cui quæstioni respondeo conuocationem huius concilij ea mente factam esse, vt Concilium Oecumenicum celebraretur, idest, compositum ex Legatis omnium Diœcesion, & magnarum Prouinciarum Imperij Orientalis, & Occidentalis, intra quorum limites ecclesia Christiana pœnè coercebatur. Sed quia diuortium ante contigit, quàm concilium foret constitutum ex Episcopis vtriusque Imperij, res in illo definitæ spectari non possunt, nisi tamquam à Concilio Occidentali decretæ, quandoquidem decretę sint absentibus Episcopis Orientalibus. Sanè sanctus Hilarius Episcopus Pictauiensis, qui tunc viuebat, itemque Epiphanius concilium istud Sardicense vocant Concilium Occidentalium. Nam quod ad trecentos quadraginta quatuor Episcopos attinet, referri numerus ille non potest ad eos tantùm, qui concilio interfuerunt, sed etiam ad eos, qui restitutioni Athanasij subscripserunt post celebrationem concilij.] Eadem docet Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus, & cæteri istorum Collegæ. Hinc inferunt Romanarum appellationem originem non esse à generali synodo, ideòque ipsarum fundamentum non esse iusti ponderis.

Quod non Sardicensis Synodus, sed ipse Christus Dominus, Apostolorum Principi promittens, ac mandans, *Confirma Fratres tuos*, sit Romanarum appellationum origo, est abundè demonstratum. Et insuper in literis ad Orientalem Ecclesiam insigniter demonstrat sanctus Papa Gelasius: [Postremò æquum est, vt qui alios libenter, & competenter vultis habere subiectos, cedatis & ipsi antiquo more Maioribus, vt confidenter imperare possitis Minoribus vestris. Duodecim certè fuerunt Apostoli paribus meritis, parique dignitate suffulti. Cumque omnes æqualiter spiritali luce fulgerent, vnum tamen Principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in Dominam Gentium Romam direxit, vt in præcipua Vrbe, vel prima primum, & præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus æterno hospitio conquiescit, præstans Sedi, quam ipse benedixit, vt à portis inferi numquam pro Domini promissione vincatur, omniumque fluctuantium sit tutissimus portus. In quo, qui requieuerit, beata, & æterna statione gaudebit; qui verò contempserit, ipse videbit qualia excusationum genera prætendat in die Iudicij.] Per fluctuantes palàm intelligit iniustè degradatos Episcopos. Et huic eius professioni nemo tunc, licèt Acacianæ rebellionis sectator, Orientalis Episcopus contradixit, aut obuiauit. Quinimmò omnes vno ore, & calamo scripserunt ad successorem Symmachum: [Supplicamus non pro perditione vnius ouis, neque pro perditione vnius drachmæ, sed pro amica nobis salute. Non pro Orientalium partium tantùm, sed trium propè plagarum habitabilis Mundi. Sanctissime, Beatissimeque festina ad adiuuandum nos.] Profitentur sancto Petro à Christo Domino datam non dumtaxat ligandi, Sathanæ tradendi, eradicandi, aut diruendi, sed etiam soluendi, deiectos erigendi, plantandi, ac ædificandi potestatem; istamque omnem transiuisse in eius Cathedram, & permanere. Nihilominùs istam Romanæ Sedis sublimitatem aduersùm Eusebianæ factionis schismaticas violentias firmauit, ac innouauit Sardicense Concilium, ideòque, & huius dignitatis est aduersùm hodiernos istius factionis dilectores vindicanda.

Dominus Archiepiscopus imitatur Symmachi Pontificis Aduersarios, qui in suo [aduersùs incongruę absolutionis synodum] libello allegarunt: [Non omnes Sacerdotes Regis ad concilium adsciuit authoritas, nec omnes in iudicatione consenserunt.] Ita scribit in suo Apologetico Ennodius Ticinensis Episcopus. Iacobus Sirmondus allegationem elucidat: [Quia nonnulli Episcopi, moræ tædio, post primum, aut secundum synodi conuentum ab Vrbe discesserant.] Ex hoc capite præfati Aduersarij tentarunt persuadere palmarem pro memorato Pontifice Synodum non fuisse plenam, ideòque esse circumscriptæ authoritatis. Eadem ratione Dominus Archiepiscopus Sardicensem synodum ex Apostatica Eusebianæ factionis fuga vult non esse Oecumenicam, ideòque & non pleni ponderis. Quid simile docuit Theodorus Balsamon, pertinax Michaelis Cerularij sectator, atque inde concludit Sardicenses pro Romanis appellationibus Canones sancire, ac valere pro sola Occidentali Romani Patriarchatus Ecclesia, non pro Orientali. Istud ipsum censet Schismaticus ille scriptor, quem refutat Catholicus contra Græcos Tractatus, olim repertus in Constantinopolitano Conuentu Patrum Prædicatorum. Dominus Archiepiscopus hæc Commenta transcendit. Etenim non solarum Patriarchalium, sed

Cc 2 quarum-

quarumuis Prouincialium Synodorum Canonica Iudicia vult esse suprema, ideòque nec ab his posse prouocari ad Pontificem Romanum. Hanc dignitatem negat per hosce Canones adscribi eius Cathedræ.

Balsamoni consonant omnes Asseclæ Photiani schismatis. Etiam Gregorius Cedrenus. Audi eius rationes. Laudat sex generales synodos, ac prosequitur: [Tenendum est alias fuisse certis in locis synodos, quarum decreta habemus, tametsi ex in numero sex illorum conciliorum non exstent. Tale fuit quod Ancyræ actum est. Item Neocæsareæ, Gangris, Antiochiæ, Laodiceæ, Sardicæ, Carthagine. Hæc enim coacta sunt ob quæstiones certis locis subortas, neque iussu Imperatorum, neque ijs præsentibus.] Labitur in tribus. Primum est, quod Sardicensis synodus fuerit indicta propter obortam in certo loco quæstionem. Etenim adunata fuit propter schismaticas Eusebianæ factionis contra Romanæ Ecclesiæ Primatum violentias, blaterantes Ecclesiasticam Hierarchiam esse non Monarchicam, sed Aristocraticam, ideòque à synodalibus Orientalium Patriarcharum Iudicijs non posse Romam prouocari. Accessit causa sancti Athanasij, sancti Pauli Constantinopolitani, Marcelli Ancyrani, Lucij Adrianopolitani, Asclepæ Gazensis, aliorumque plurium Orientalium Episcoporum, Clericorum, ac Ecclesiarum. Item accessit causa Nicœnæ fidei, grauissimè per præfatam factionem impetitæ, ideòque restabiliendæ: Quæ omnes causæ sunt vniuersales. Secundus lapsus est, quod generalis synodus debeat conuocari per Principem. Est vetusta Græcorum adulatio. Tertius est, quod Sardicensis Synodus conuocata non fuerit per Romanum Principem. Quare hi in suum Authorem retorti errores euincunt ipsam fuisse omninò Oecumenicam.

Hoc ipsum lucidè affirmat, ac docet Magnus Athanasius, vnus è Synodi Primatibus. Etenim in suis ad suos Monachos literis amplè exponit Eusebianæ factionis fugam ex Sardicensi Ciuitate, & pergit de remanentibus apud ipsam Episcopis: [Synodus autem ex pluribus, quàm triginta quinque Prouincijs coacta, cognita Arianorum malitia, permisere Athanasio cum suis, vt causam diceret, tùm de calamitatibus suis, tùm de calumnijs, quas passus esset, auditisque eius rationibus hominem innocentem pronunciarunt.] Hascè Prouincias eijcit in Apologia ad Imperatorem Constantium: [Nostram innocentiam plures quàm trecenti Episcopi suis calculis comprobarunt, qui ex multis Prouincijs, Ægypti, Lybiæ, Pentapoleos, Palestinæ, Isauriæ, Cypri Pamphiliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mœsiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epyri, Thessaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Sisciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Africæ vniuersæ, Sardiniæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum, eò se ad concilium contulerant.] Vtique ad Sardicense Concilium, quod propter tantam Prouinciam, ac Episcoporum adunationem idem Athanasius meritò appellat [Magnum,] Et hic & in alijs locis. Nec obsunt eius verba in laudatis literis ad Solitarios: [Conuenerunt ab Oriente, & ex Occidente in Vrbem Sardicam plus minùs centum septuaginta Episcopi.] Etenim hic numerus referri debet ad solos Occidentis Episcopos. Etiam synodalis ad Alexandrinæ Ecclesiæ Clerum epistola habet hanc Epigraphen: [Sacra Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata è Roma, Hispanijs, Gallijs, Italia, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannonijs, Mœsijs, Dacijs, Norico, Thuscia, Dardania, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epyro, Thracia, Rhodope, Palestina, Arabia, Creta, Ægypto.] Palam affirmat omnium harum Prouinciarum Episcopos adfuisse concilio.

Hoc ipsum constanter affirmat in quinto cont. a Eutychetem libro Vigilius Episcopus Tapsensis: [Apud Sardicam omnium Prouinciarum Episcopi congregati, idest, ex Vrbe Roma, Hispanijs, Gallijs, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Mœsia, Dacia, Dardania, altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epyro, Thracia, Rhodope, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto, Phrygia, Pisidia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, altera Phrygia, Pamphilia, Lydia, Insulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Lybia, Galatia, Palestina, & Arabia.] Easdem Prouincias adfuisse, & ex ipsis septuaginta sex Primates Episcopos disertè affirmat antiquus, & authenticus synodorum Catalogus, & adiungit Philippopolitano Conuenticulo adfuisse sexaginta dumtaxat episcopos. Et certè ipsius synodalibus literis subscripserunt septuaginta tres: At verò inter ipsos fuit imaginarius ille Ischyras, & forsan plures eiusmodi, iure merito non computandi. Et hinc lucet, quàm male Dominus Archiepiscopus sceleratæ illius epistolæ Schismatica nugamenta velit esse sensum totius Orientalis Ecclesiæ. Assertionem nostram confirmant apud Photij Bibliothecam vita sancti Athanasij, & vita sancti Pauli Episcopi Cõstãtinopolitani. Ambæ scribunt: [E' partibus Occidentis supra trecentos conuenerunt episcopi, ex Oriente verò tantùm septuaginta sex, in quibus & ipse Ischyras quasi Mareotis Episcopus numerabatur.] Per Occidentales, qui videntur tot non fuisse, possint intelligere omnes, qui Occidentalibus adhæserunt, & cum ipsis permanserunt Sardicæ: Solos Apostatas appellare Orientales. Disertè affirmant synodum fuisse Oecumenicam. Etiam Zacharias, in Photiano schismate Metropolita Chalcedonensis, ad octauam synodum dixit adfuisse trecentos episcopos. Locutus fuit ex mẽte sui Magistri Photij, & nemo penitùs intercessit. Quid opus multis? Habemus euidens, ac irrefragabile Imperatoris Iustiniani testimonium in eius ad omnem ecclesiam edicto pro Orthodoxa fide: [Alij viui, alij post mortem anathematizati sunt à Damaso Papa, & ab Oecumenic Sardicensi synodo, prout testatur sanctus Athanasius.] Et hoc edictum non quinta tantùm synodus, sed & omnis recepit ecclesia. Lib. 257.

Petrus Franciscus Chiffletius laudatum Vigilij Tapsensis locum horrendè truncat, & alterat. Romanam Vrbem, & Latinas, imò & omnes Occidentales Prouincias abscindit, & cen-

& censet Vigilium non de Sardicensi synodo, sed loqui de Conuentu Philippopolitano. Hanc dat rationem sui operis: [Adfuisse quidem Sardicensi Concilio legitimo Episcopos, ex alijs quoque præsertim Occidentis Prouincijs, fidem faciunt inscriptiones, subscriptionesque trium synodicarum Sardicensium, ad Iulium Papam, ad Alexandrinos, & ad omnes Episcopos Catholicos. Ex quibus fortasse, qui primi hos Vigilij libros typis edidere, Romam, Hispanias, Gallias, Sardiniam, Africam, aliasque Occidentis Prouincias in hunc locum inculcarunt. Sed aduertisse potuerant non hìc mentionem esse Sardicensis veræ synodi, sed conciliabuli tantùm Philippopolitani, quod Sardicense ab Hæreticis prædicatum est.] Tantæ fiduciæ fundamentum sunt septem definitionum capitula, isthìc laudata à Vigilio. Scriptor ille existimat ipsa esse extremum finem, seù professionem Philippopolitanæ Synodicæ.

Respondeo Vigilium omninò agere de vera Sardicensi Synodo. Agit enim in Eutychianos, pertinacissimè reclamantes ad solum Nicænum Symbolum. Adeò pertinaciter, vt etiam facta per Constantinopolitanam Synodum additamenta auersarentur, ac damnarent. De hac enim audacia ipsum etiam Eutychetem in Chalcedonensi Synodo arguit venerabilis Diogenes Cyzici Episcopus, Metropolita Hellesponti. Et Timothei Æluri facinorosa Factio ad Leonem Imperatorem scripsit: [Synodum centum quinquaginta nescimus.] Eiusdem Factionis aduersùs Chalcedonensem Synodum palmare fundamentum erat, quod illa ad Nicænum Symbolum addidisset. Calumnia cœpit in ipsa Synodo. Etenim eius Prosphoneticus ad Imperatorem Martianum sermo vix est aliud, quàm Apologia istius calumniæ. Eamdem in quinto suo libro refutat Vigilius, demonstrans istiusmodi additiones semper viguisse, ac probatas fuisse ab ecclesia: & istud ostendit exemplo variarum Synodorum, quarum vna est Sardicensis. Quis non videat ipsum loqui de solis Orthodoxis Synodis? Etenim Hereticorum Conuenticulorũ Acta nequeunt esse competens iustificatio Concilij Chalcedonensis. Proinde omninò laudat veram Sardicensem Synodum. Cum Theodoreto laudat adiectas ipsi tabellas, in quo lapsus est, debueratque hac in re sequi magnum Athanasium. Quod istæ tabellæ fuerint septem Capitulorum ad Nicænam fidem additamenta, possit demonstrari facillimè. Non est huius loci. Quapropter Scriptor ille nimia fiducia grassatur, & in verba, & in sensa Vigilij. Et hìc palàm affirmat omnes istas Orientales Prouincias omninò adfuisse verò Sardicensi Concilio.

Magnus Athanasius Sardicensis Synodi ad omnes sub cęlo Antistites epistolam etiam inseruit suæ ad Constantium Imperatorem Apologiæ, & adiunxit: [Hosius Episcopus subscripsit. Quod & cæteri fecerunt. Hæc ita scriptis mandata sacrum Sardicense Concilium ad eos, qui interesse non potuerant, misit, qui ipsi quoque suis suffragijs Decreta Synodi approbarunt. Eorum autem, qui in Synodo scripserunt, cæterorumque aliorum episcoporum ista sunt nomina.] Enumerat horum episcoporum, ac Prouinciarum nomina, & concludit: Qui igitur Decretis Synodi subscripserunt, sunt isti. Plurimique item alij sunt, qui ante hanc Synodum pro nobis scripserunt, tum ex Asia, tum ex Phrygia, tum ex Isauria, quorum singulorum nomina cum suis epistolis circumferuntur, propè sexaginta tres. In vniuersum autem trecenti quadraginta quatuor. Si Synodali epistolæ addidisset subscriptores Episcopos, res fuisset plana: Sciremus quot adfuissent Synodo. Istius rei silentium cogit nos cespitare. In sancti Hilarij fragmentis extat hìc titulus: [Nomina Episcoporum infra, qui Synodo Sardicensi adfuerunt, & subscripserunt in iudicio. Enumerantur omnia nomina, & adiungitur: Episcopi omnes numero vnus de sexaginta.] Certum est fuisse plures, ideòque iste Cathalogus non est authenticus. Quidquid sit, Athanasius lucidè affirmat trecentos quadraginta quatuor Episcopos Actis Synodalibus subscripsisse, atque ita nobis subministrat duo fundamenta, ex quibus concludamus Synodum fuisse Oecumenicam.

Primum fundamentum nobis explanat in sua, Adriano Secundo Pontifici inscripta, ad octauam Synodum Præfatione Cardinalis Anastasius, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, adducens rationes, ex quibus laudata Synodus sit veraciter vniuersalis: [Vniuersalis est, quia cum Christus in suo Corpore, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cuiusque mortali corpore sensus, locauerit, profectò nihil generalitati deest ecclesiæ, si omnes illæ Sedes vnius fuerint voluntatis, sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ, communisque fuerint sanitatis. Inter quas tamen Sedes quia Romana præcellit, non immerito visui comparatur, qui profectò cunctis sensibus præeminet, acutior illis existens, & communionem, sicut nullus eorum, cum omnibus habens.] Affirmat ad generalem Synodum requiri quinque Patriarcharum præsentiam, præsertim Romani. Quod enim sine huius præsentia, ac vario influxu esse non possit Oecumenica Synodus, est perpetua, & & firma totius Ecclesiæ confessio. Romanum Episcopum in ista Synodo esse luminare maius, ideòque omnes stellas ab ipso illuminari, ac dirigi, ad eamdem octauam Synodum rectè dixit Metrophanes Metropolita Smyrnensis. Actor. 6. At verò de alijs Patriarchis rectè dixit magnificentissimus Patricius Bahanes: [Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchijs, & definiuit in Euangelijs suis, vt numquam aliquando pęnitùs decidant, eò quod capita ecclesiæ sint. Etenim illud, quod dicitur,] Et portæ inferi non præualebunt Actor. 8. aduersùs eam, [hoc denunciat. Quando duo ceciderint, currunt ad tria; cum tria ceciderint, currunt ad duo; cum verò quatuor fortè ceciderint, vnum quod permanet in omnium Capite Christo Deo nostro, reuocat iterùm reliquum corpus Ecclesiæ.] Affirmat ad generalem Synodum ita requiri omnium Patriarcharum præsentiam, atque consensum, vt tamen ipsa per duorum, aut trium, immò & per quatuor defectum, ac Apostasiam non amittat Oecumenicam dignitatem, atque

auctor-

aucto [illegible]. Dummodò nempè persistat, & suum min sterium expleat Pontifex Romanorum. Insigniter hoc in literis ad sanctum Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum scriptis, & ad septimam Synodum lectis, professi sunt Cosmas Alexandrinus, Theodorus Antiochenus, ac Theodorus Patriarcha Hierosolymitanus: [Illud tamquam necessarium pęnès Pontificalem Apicem vestrum ducimus commouendum, vt si volueritis celebrare Synodum, ne vobis molesta appareat trium Apostolicarum Sedium almorum Patriarcharum, & sanctissimorum Episcoporum, qui sub ipsis degunt, absentia, non ex proprio eorum accidens Proposito, sed ex Tenentium, seu Dominantium illis terribilibus minis, & mortiferis pœnis. Hoc autem subtiliùs est considerandum, etiam ab ipsa sacra, & vniuersali sexta Synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus in his partibus episcopi erant, conuenisse repertus est propter obscœnorum obtinentiam. Sed nullum ex hoc sanctæ Synodo adhæsit præiudicium, neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis: Præcipuè cum sanctissimus, & Apostolicus Papa Romanus concordauerit, & in ea inuentus sit per Apocrisarios suos. Et nunc hoc cum sanctissimi auxilio Dei similiter fiat. Nam sicut tunc illius fides in Orbis terræ personuit fines, ita & Synodi, quæ nunc per gratiam Dei congreganda est per interuentionem vestram, & eius, qui moderatur Apostolorum Principis Sedem, prædicabitur in omni loco, qui sub Sole est, videlicet, quæ tyrannicè destructa sunt erigens, & in antiquam, ac Apostolicam reformans traditionem.] Loquuntur de absentia ob tyrannicas, & horrendas minas, ac prohibitiones obscœnorum Saracenorum, tunc Dominantium in tribus istis Patriarchatibus. Si igitur ista iustissima absentia Oecumenicam Synodi dignitatem, atque auctoritatem, nec aufert, nec circumscribit, longè minùs facere id possit absentia per præuaricationem, per rebellionem, per schisma, per hæresim. At verò Sardicensi Synodo, cuius ætas solos tres habebat Patriarchas, adfuit per Legatos Romanorum Episcopus, personaliter sanctus Athanasius Patriarcha Alexandrinus. Adfuerunt Episcopi plusquam ex triginta quinque vtriusque Romani Imperij Prouincijs. Cum paucis infectis, & obscœnis abfuit solus Stephanus Patriarcha Antiochenus, homo intrusus, & hæreticus, ab ipsis postea Arianis ob facinora degradatus. Abfuit per schisma, per hæresim, per apostaticam fugam, per præuaricatoriam rebellionem. Quis ergo negare isti Synodo possit Oecumenicam dignitatem, atque auctoritatem? Quod ipsam Romana, immò omnis Orthodoxa sub cœlo Ecclesia semper Nicænæ Synodo æquiparauerit, & vti authenticam appendicem in vnum cum ipsa corpus conflauerit, est suo loco abundè demonstratum. Sacrosanctum Tridentinum Concilium quis impuro corde, aut ore præsumat inficiari veraciter, ac plenè Oecumenicum? Et tamen ipsi plures cum suis Episcopis defuerunt Patriarchæ. Per hæresim, ac rebellionem. Plura de hoc articulo scripsi in Synodorum Scholijs.

Actor. 3.

Alterum sancti Athanasij pro sua, ac nostra assertione fundamentum est, quod plurimi per omnem Ecclesiam Episcopi iam peractæ Synodo accesserint, & subscripserint. Huiusmodi enim accessus omninò sufficit ad sanandos qualescumque defectus, ad complendam defectuosæ etiam Synodi Oecumenicam dignitatem. Etiam ad sanandum essentialem defectum ex absentia, immò & ex contradictione Romani Pontificis. Etenim quis ignoret hunc defectum infuisse quinto Concilio, ac item primo Constantinopolitano? Loquor præsertim de illo, in quo cum sancto Gregorio Nazianzeno deiectus est maximus Cynicus, ac in Regiæ ciuitatis Cathedram impositus Nectarius. Et tamen accedens dispensatoria, & confirmatoria Vigilij Pontificis, & sancti Damasi consensio, atque subscriptio vtramque fecit authenticam, atque ex integro Oecumenicam. Hæc posterior est vna istarum quatuor, quas magnus Gregorius, vt quatuor sancta Dei Euangelia veneratus est, & iussit venerandas. Et omnis sub cœlo ecclesia fuit semper venerata Orientalis insuper inscripsit sacris Dyptichis, & ad sacrificium quotidiana professione laudauit. Similis igitur Antiocheni Patriarchæ accessio etiam Sardicensem synodum potuit facere Oecumenicam. Et quod omnes Orthodoxi per istum Patriarchatum Primates Episcopi talem accessionem fecerint, lucet ex Actis, quæ statim post synodum cum sancto Athanasio celebrauit Maximus Episcopus Hierosolymitanus. Attamen ipsa tali medicamine non indiguit: Fuit semper per suos Natales integra, ac Oecumenicè sana.

Dominus Archiepiscopus nobis opponit auctoritatem sancti Epiphanij: [Photinus in Sardicensi Occidentis synodo depositus est.] Et sancti Hilarij Pictauiensis Episcopi auctoritatem in libro aduersùs Imperatorem Constantium: [Damnas, & substantiæ nomen, quo te, & Sardicensi synodo, & Sirmiensi pium esse Occidentalibus mentiebaris.] Affirmat Sardicensem synodum ab vtroque Patre appellari Occidentalem, vtique solorum Occidentalium, ideòque negari Oecumenicam. Respondeo hoc sancti Hilarij testimonio pariformiter concludi etiam Sirmiense Concilium fuisse Occidentalium, de quo tamen in quinto contra Eutychetem libro scribit Vigilius Tapsensis Episcopus: [Aduersùs sacrilegam impię professionis vnitatem, quæ per Hosium, Valentem, Vrsacium, & Germinium, cæterosque similis prauitatis apud Sirmium fuerat conscripta, vniuersi Orientales Episcopi conuenientes, alias duodecim sententiarum definitiones ediderunt, quæ Nicæno Concilio non continentur] Et infra: [Illius Catholici Concilij, apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente congregati, quis sufficiat multiplices fidei sanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam synodum non sunt omninò sancitæ?] An ista etiam duodecim Capitula sint apud Sirmium edita, est quæstio. Quid sit hoc posterius Sirmiense Concilium omninò laudat sanctus Hilarius, & ipsum Vigilius palàm affirmat fuisse Orientale. Licèt enim intra Occidentalis Imperij limites fuerit celebratum, constabat tamen ex Orientalibus præsertim

Hæref. 17. Cap. 1.

Epi-

Episcopis. Nec aliud scribit Hilarius. Scribit ipsum placuisse Occidentalibus, non fuisse Occidentale. Idem eodem tenore scribit de Sardicensi. Proinde hoc Domini Archiepiscopi fundamentum est infirmum, & caducum.

Quæstio est, quo sensu sanctus Epiphanius scripserit Sardicensem synodum fuisse Occidentalium? Respondeo illum exponi à Chalcedonensi synodo in acclamatorio sermone ad Imperatorem: [Ita & qui postmodùm vbique aduersùs varias Hæreticorum congregati sunt nouitates, commune de fide Decretum vnanimiter ediderunt, ea, quæ fraterno consensu probauerant, absentibus euidentissimè intimantes. Et illi quidem qui apud Sardicam contra reliquias Arij conuenerunt, Orientalibus direxerunt sui Constituta iudicij. Qui verò in his partibus Apollinaris detexere pestilentiam, Occidentalibus proprium innotuere Decretum.] Sermo comparat Sardicensem synodum cum prima Constantinopolitana, & hanc Orientalium, istam affirmat fuisse Occidentalium: Quia nempè Occidentales Episcopi in ipsa præualuerunt. Deinde Epiphanius loqui possit ex magno Basilio, cui Sardicensis Synodus propter Acta circa Marcellum Ancyræ Episcopum grauiter displicuit. Etenim non solam Marcelli personam, sed & ipsius de æterno Christi Regno librum probauit, & à calumnijs absoluit ista Synodus, in quo fuit omninò circumscripta. Aduersùs hanc obreptionem, ac præsertim aduersùs Marcelli errorem reclamarunt dudum cum Basilio multi Orientales Episcopi, & tandem Constantinopolitana Synodus addidit suo Symbolo: *Cuius Regni non erit finis.* Istam igitur circumscriptionem, & ex ipsa factam Marcelli absolutionem digerere non potuit Basilius, & passim appellauit. [Facinus Occidentalium.] Auersio in plurium animis permansit vsque ad admissum à Romana Ecclesia, & probatum istud Marcelli damnatorium Additamentum. Quiescere tunc cœpit omne illud murmur. Interim ex illo possit Epiphanius adhuc fuisse locutus. Quidquid sit, falsum est, quod plures post peractam Synodum Episcopi subscripserint soli restitutioni sancti Athanasij. Quod omnibus actis subscripserint, supra audiuimus ab ipso Athanasio. Et istam generalem subscriptionem improbauit Basilius: Nempe ob comprehensam absolutionem Marcelli. Adductum Imperatoris Iustiniani pro Oecumenica huius Synodi dignitate testimonium nobis repræsentat sensum totius Orientalis Ecclesiæ.

Notanda sunt hæc Domini Archiepiscopi verba: [Conuocatio huius Concilij ea mente facta est, vt Concilium Oecumenicum celebraretur, sed quia diuortium ante contigit, quàm Concilium foret constitutum ex Episcopis vtriusque Imperij, res in eo definitæ spectari non possunt nisi tamquam à Concilio Occidentali decretæ, quandoquidem decretæ, sint absentibus Episcopis Orientalibus.] Est ipsissimum Hæresiarchæ Nestorij argumentum aduersùs sacrosanctam Ephesinam Synodum, magno impetu declamatum in querimonia ad Imperatorem Theodosium: Pijs literis vestris morem gerentes, voluimus pijssimorum Episcoporum vndequaque venientium, præcipuè verò magnæ ciuitatis Antiochenæ Episcopi cum pijssimis eiusdem Metropolitanis Episcopis, cæterorumque qui ex Italia, & Sicilia expectabantur, aduentum operiri, atque ita communem omnium consessum instituere. Porrò Ægyptij, & Asiatici quoddam seorsim conciliabulum instituerunt.] Affirmat Ephesinum Concilium, quod ex Theodosij intentione debeat esse Oecumenicum, ob non exspectatum Ioannis Patriarchæ Antiocheni cum suis Episcopis aduentum fuisse à Cyrillo, ac Memnone, Ægyptiacę ac Asiaticæ Diœceseon Exarchis, demutatum in particulare Conuenticulum. Et circumscripto Theodosio argumentum placuit. Etenim inter rationes, ex quibus circumduxit Synodi Acta, fuit & hæc: [Neque omnes, vt Decretum erat, pijssimi Episcopi conuenerunt, cum tamen magnæ Antiochenæ ciuitatis Episcopus cum alijs Metropolitanis iam appropinquaret.] Verùm sanctus Cyrillus in Apologetico ad eumdem Principem libro reposuit: [Qui Antiochenæ Ecclesiæ præest, à vestra Maiestate ad præfinitum diem adesse iussus, à sancta Synodo abfuit. Studio enim in itinere hærebat, vt ea cunctatione illius improbitati gratificaretur, qui contra Christum nugatus fuerat.] Affirmat Ioannem non per necessitatem, aut rationabilem causam, sed per dolum, aut certè per culpam serò venisse, ideòque nihil Oecumenicę Dignitatis fuisse detractum Synodo. Et Princeps acquieuit. Etiam ipse postea Ioannes. Et omnis semper Ecclesia. Omnes Ephesinum Concilium, quia veraciter Oecumenicum, veneramur vt sacrosanctum Dei Euangelium. Porrò cum sua Eusebiana Factione Stephanus Antiochenus ad Sardicensem Synodum non serò venit, sed iam præsens per præuaricationem aufugit: Per schisma, per hæresim, per rebellionem. Quare Oecumenicæ Synodi potestas permansit apud reliquos Episcopos. Paucorum Apostatarum iniquitas Synodum, quam Iulij Pontificis, & Constantij, atque Constantis Imperatorum conuocatio, ac intentio Oecumenicam esse iusserat, nequijt transmutare in particularem. Christi Domini promissio, [Vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum,] per aliquot factiosos exsufflari non possit, aut truncari. Veram de absentibus à Synodo Episcopis regulam tradit in literis ad præfatum Imperatorem Theodosium magnus Leo, scribens de Dioscori Patriarchæ Alexandrini in Ephesino Latrocinio violentijs:] In Ipso iudicio non omnes, qui conuenerunt, interfuisse cognouimus. Nam alios reiectos, alios didicimus intromissos, qui pro Dioscori arbitrio impijs subscriptionibus captiuas manus dederunt. [Sola igitur iniusta exclusio, non dolosa absentia, longè minùs scelerata fuga possit Synodum circumscribere, aut ex Oecumenica trasferre in particularem. Immò nec negligens absentia id possit. Etenim Episcopum, qui accedere Synodum neglexerit, & qui legitimè detentus non curauerit legare Vicarium, sacri Canones grauiter puniunt, & puniri mandant, etiam per ipsam Synodum, quam neglexit. Quod nempe ipsa plenam, integræ Synodi habeat auctoritatem.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Demonstratur, quod etiam Orientalis Illyrici Ecclesia semper appellauerit ad Sedem Apostolicam.

Cap. 14. DOminus Petrus de Marca in septimo sui operis libro ponit hanc conclusionem:] Concilia Prouincialia, quorum suprema erat auctoritas quoad depositionem Episcoporum, adeò vt nondum ea tempestate permissa esset in Occidente prouocatio, relationes tamen interdum suas mittebant ad Sedem Apostolicam, quibus continebantur ea, quæ aduersùs Episcopum deiectum decreta fuerant. [Horrenda conclusio. Et adiungit:] At Innocentius I. audaciæ subsidium à dignitate Sedis suæ petens, atrox vulnus inflixit auctoritati Synodi Macedoniæ, cuius iudicium retractauit in causa Bubalij, & Tauriani, ea Synodo damnatorum. Id ægrè tulerunt Episcopi per Macedoniam constituti, qui de ea nouitate apud Innocentium questi sunt. Quid faceret summus Pontifex? Erat hìc sanè locus proferendi auctoritatem canonum Sardicensium, si tunc illi in vsu fuissent. Nec sanè eos omisisset Pontifex. Sed neque Concilium Nicænum laudauit: Quod tamen non omisisset, si canone aliquo Synodus illa Romanæ Sedi ius tribuisset retractandi iudicia Prouinciarum. At fortasse attulit consuetudinem Antecessorum suorum, quemadmodum ab eo vsurpatum videmus in plurimis occasionibus. Non ita sanè. Solam ergò æquitatem prætendit, aiens veritatem magis splendescere, cum exagitatur, fructumque Diuinum esse, cum veritas sæpè examinatur. [Affirmat varia. Primò, quod Prouincialium Synodorum quoad Episcoporum degradationem iudicia sint supremæ ac inappellabilis auctoritatis. An ex Euangelico, an ex Apostolico Iure istam dignitatem ipsis adstruat, ignoro. Ad minus ex Apostolico. Hinc enim secundò asserit, quod Nicæni Canones nihil potestatis super istas Synodos adscripserint Sedi Apostolicæ. Tertiò, quod Sardicensis Synodus cœperit prima honorare sancti Petri memoriam, & ipsi quid modicum impartiri. Quartò, quod isti Canones sub Innocentio primo necdum essent admissi apud Illyricum. Quintò, quod vsque tunc Romanæ damnatorum Antistitum appellationes essent illìc insuetæ, atque incognitæ. Sextò, quod Innocentius ipsas primus tentauerit intrudere. Septimò, quod iste conatus fuerit audax Attentatum. Octauò, quod ista audacia atrox vulnus Synodorum authoritati inflixerit.

Authenticum atque legitimum Innocentij opus supra exposui. Hic addendum iudico, quod vtriusque Illyrici Ecclesia Romanarum appellationum consuetudinem semper habuerit, ac ipsas frequenter vsitarit. Et ante omnia admiror, quomodò Illyrici Ecclesia dicatur ignorasse Sardicenses Canones. Etenim sextus decimus Canon totus est de Thessalonicensi Ecclesia. Decimus octauus componit litem circa Musæum, & Eutychianum: Qui putantur fuisse Episcopi præfatę Ecclesię. Et de Romana appellatione Canones emanarunt non ad solam intercessionem Hosij, sed etiam ad relationem Gaudentij, Naxitani, Episcopi, Metropolitæ Dacorum. Et hac forsitan de causa idem Gaudentius Eusebianæ Factioni fuit adeò exosus, vt damnari meruerit per Philippopolitanum Conuenticulum. Proinde dubitari non possit, quin Sardicenses Canones statim à sui exordio plenè viguerint in Illyrico. Nam, & ipsa Sardica est Illyrici ciuitas. Quod item Romanæ appellationes illìc semper viguerint, lucet ex magni Leonis ad omnes Orientalis Illyrici Metropolitas literis, quibus Apostolicas vices, quas Anastasio Thessalonicensi Archiepiscopo Antecessor eius Sixtus III. dederat, confirmat, atque ampliat. Etenim in fine adiungit: [Si quæ verò causæ grauiores, vel appellationes emerserint, eas sub Anastasij relatione ad nos mitti debere decreuimus, vt nostra secundùm ecclesiasticum morem sententia finiantur.] Quid voces, Secundum ecclesiasticum morem, [importent, est omnibus exploratum. Epist. 4. Cap. 5.

Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus rectè dat hoc marginale Scholion: [Causæ grauiores, & appellationes Illyrici reseruatæ.] Romanæ enim appellationes sunt suprema Romanæ ecclesiæ dignitas, & de ipsa Dominus singulariter dixit ad Apostolici Collegij Principem: *Confirma fratres tuos.* Hinc ipsam generatim delegare numquam consueuit Sedes Apostolica. Eamdem in Illyrico consuetudinem laudat in literis ad Thessaliæ episcopos sanctus Bonifacius I. Rufi Thessalonicensis Archiepiscopi Apostolicis vicibus ob nescio quos eius excessus recalcitrarant, & ipsas excutere tentarant isti episcopi, ideoque ad ipsos scripsit Pontifex: [Certè si in quoquam eius supra debitum fuit visa correptio, quoniam ideò tenet Sedes Apostolica Principatum, vt querelas omnium licenter acceptet, interpellari nos super hoc missa Legatione conuenerat, quos curam omnium rerum manere videatis.] Epistola exstat in Romana Bonifacij secundi synodo, & vulgata per Dominum Lucam Holstenium. Affirmat quarumuis non ex Illyrico dumtaxat, sed ex toto Mundo querimoniarum, & appellationum susceptionem esse ipsum Apostolicæ Sedis Principatum, aut sanè illustrem eius portionem. Idque ideò, quia ipsi manet cura omnium rerum, seu sollicitudo omnium ecclesiarum. Ex quo vides R. Patrem Paschasium Quesnellum, qui Romanæ Cathedræ appellationes subducit, in vanum profiteri ac prædicare eius Primatum. Sunt delusoriæ verborum phaleræ. Epist. 9.

Eamdem consuetudinem idem Pontifex multa eruditione confirmat in literis ad præfatum suum Vicarium Rufum, & cunctos Orientalis Illyrici episcopos. Demonstrat omnes Orientales, etiam Patriarchales, ecclesias esse, ac semper fuisse subiectas Romanæ Sedi, atque prosequitur: [Sed quia res postulat, approbandum documentis est maximas Orientalium ecclesias in magnis negotijs, in quibus opus esset discreptatione maiori, Sedem semper consuluisse Romanam, & quoties vsus exegit, eius auxilium postulasse.] Affirmat istius perpetuæ subiectionis duos Epist. 10.

etiam

etiam esse perpetuos characteres: Relationem, ac appellationem. Affirmat Alexandrinam, & Antiochenam, omnesque alias Orientales ecclesias ad Romanam semper retulisse, ac appellasse, ideoque ipsi semper fuisse subiectas. Est irrefragabile argumentum. Etenim nemo refert, aut prouocat, nisi ad Superiorem. Item ad omnem Superiorem referri potest, ac debet, itemque appellari. Sunt correlatiua: Sese mutuò ponunt, ac tollunt. Proinde quisquis appellationes tollit, tollit & Primatum. Dolosa ac Eusebiana est eius professio. Profitetur solum loci Primatum, non potestatis, aut iurisdictionis.

Porrò quod omnes istæ Orientales ecclesiæ ad Romanam semper retulerint, atque appellauerint, Bonifacius demonstrat authenticis, & magnis exemplis: [Sanctæ memoriæ Athanasius, & Petrus, Alexandrinæ Sacerdotes ecclesiæ, huius Sedis auxilium postularunt. Cum Antiochena ecclesia per multum temporis laboraret, ita vt fierent illinc propter hoc ipsum sæpè discursus, primò sub Meletio, postea sub Flauiano, Apostolicam Sedem manifestum est esse consultam. Ad eius auctoritatem post multa, quę ab ecclesia nostra gesta sunt, nemini dubium est Flauianum communionis gratiam recepisse, qua in perpetuum caruerat, nisi hinc super Scripta manassent. Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarij ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è Latere suo Aulicis cum episcopis, Formatam huic à Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ eius Sacerdotium roboraret. Ante breue tempus, id est, sub Prædecessore meo Innocentio, Orientalium ecclesiarum Pontifices, dolentes se à Beati Petri communione seiunctos, per legatos pacem, sicut Charitas vestra retinet, poposcerunt. Quo tempore Apostolica Sedes omnia non difficulter indulsit. Quoniam igitur ad probandam veritatem arbitror, quæ diximus, exempla sufficere, quamuis vestra notione teneantur, absque Fraternitatis iniuria Conuentui vestro volumus his literis obuiatum.]

Primum itaque exemplum Orientalium Antistitum, qui ad Romanam Sedem prouocarunt, atque ab ipsa postularunt auxilium, sunt sanctus Athanasius Patriarcha Alexandrinus, & proximus eius Successor Petrus. Athanasius contra inflictam sibi à Tyria, ac Antiochena synodo damnationem ad sanctum Iuliũ, Petrus aduersùs Pseudo-patriarchæ Lucij intrusionem, ac sibi illatas ab eius factione violentias appellauit ad sanctum Damasum, & postulauit auxilia. Et Iulius Athanasium solummodò reuestiuit, retractatorium causæ iudicium delegans Sardicensi Concilio. Et hinc nati sunt Sardicenses canones. Etiam præscripta ab ipsis forma, quę omnem retractatorij iudicij seriem permittit sapientissimo arbitrio Romani Pontificis. Hosius innouauit Apostolicum canonem, & stabiliuit perpetuum Ecclesiæ morem, qui tãtam authoritatem Romano Episcopo semper detulerat. Sanxit ex Iulij Pontificis non solùm facto, sed & mandato. Ita enim iubet Apostolica synodorum lex, Pontifici in generali Concilio adscribens ius relationis, cum prærogatiua suffragij.

Hæc Hosius apud Sardicam omninò habuit, & vsurpare non potuit, sine singulari mandato. At verò Damasus Petrum, non solummodò reuestiuit, sed & plenè reparauit. Audiamus rem ab Hermia Sozomeno: [Athanasius Episcopus Ecclesiæ Alexandrinæ exijt è vita. Itaque morte eius quamprimùm per Arianos nunciata, breui tempore post Euzoius, Sectæ Arianæ apud Antiochiam Antistes, proficiscitur Alexandriam, & vnà cum eo, etiam Magnus Quæstor, ab Imperatore Valente missus. Qui duo Petrum, cui Athanasius episcopatum commiserat, comprehensum concludunt in carcere. Petrus verò clam è carcere elapsus, conscensa naue, ad Damasum Episcopum Romanum traiecit.] Rem latiùs narrat Socrates. Et omnium latissimè ipse Petrus, in literis ad omnes Orthodoxos, sub cœlo episcopos extantibus in Ecclesiastica historia Theodoreti. Pergit Sozomenus: Lib. 6. c. 39.
[Concilij Nicæni Fautores, denuò cœperunt animis confidere. Et maximè Alexandrini: Nam Petro cum literis Damasi, tunc Roma reuerso Ecclesias tradiderunt. Lucius autem inde eiectus Constantinopolim nauigauit.] Hoc ipsum scribit Socrates: [Petrus cum literis Damasi Pontificis Romani, Roma reuersùs est. Quæ confirmabant, & eius creationem. Populus igitur illis confisus expellit Lucium, Petrum autem in eius locum introducit.] Proindè Petrus non aduersùm solas Magni Quæstoris, ac Palladij Augustalis Præfecti violentias, sed etiam Lucij intru- Lib. 5. c. 30.
sionem pro sua creatione appellauit. Et hanc confirmauit Damasus, istam exsufflauit. Solus Damasus. Et isti iudicio tantùm detulit Alexandriæ clerus, ac Populus, vt spretis Imperatoris Valentis Arianis terroribus eiecerint Lucium, & Petrum reposuerint in Thronum. Athanasium fuisse à solo Iulio restitutum, supra audiuimus à sancto etiam Gelasio, ac sancto Felice Tertio.

Secundum exemplum est Eustatianum Antiochenæ Ecclesiæ schisma, propter quod ad Romanam Ecclesiam facti sunt multi discursus, relationes multæ, multæ appellationes. Et sub Meletio, & sub Flauiano. Sanctus Eustatius, vnus ex Nicæni Concilij Primatibus, nequissimè fuit per Eusebianã Arianorum factionem damnatus, ac Sede eiectus, ipsaq; fuit tradita istis hæreticis. De Meletio scribit Socrates: [Meletius primum Sebastię, Lib. 2. c. 34.
quæ est in Armenia, delectus est episcopus. Deinde Sebastia in episcopatum Berrheę, vrbis Syriæ, translatus. Qui cum Concilio Seleuciæ habito interfuisset, fideique formulæ à factione Acaciana compositæ subscripsisset, extemplo Berrheam repetijt. Mox Concilio Constantinopoli conuocato Antiocheni, cum pro certo intellexisset Eudoxium, ipsorum Ecclesiam contempsisse, & Constantinopolim diuitiarum causa se transtulisse, Meletium Berrhea euocatum in Sede Episcopali Antiochenæ Ecclesiæ collocant.] Sanctus Epiphanius affirmat, eum ab ipso Acacio Lusco, Cæsariensium apud Palestinos Metropolita, cuius factionem Seleuciæ adiuuerat, fuisse inthronizatum. Nicephorus Calixtus addit ipsum etiam Eudoxium adiuuisse, sperantem fore, vt Meletius Eustatia-

 nos,

nos, in Orthodoxa fide, ac defuncti Eustatij communione constantissimè perdurantes, ad Arianas partes seduceret. Meletius enim erat vir potens opere, ac sermone. Quod ipsum scribit Hermias Sozomenus, & adiungit: [Sed longè ipsos sua fefellit opinio.] Etenim ad tantam Sedem euectus, Meletius est subitò mutatus in alium virum: Mox cœpit se monstrare Orthodoxum, & constanter recta prædicare. Sanctus Ioannes Chrysostomus affirmat, quod triginta dierum spatio, omnem Antiochiam fecerit catholicam. Concionem, cuius causa hæreticus Archidiaconus adscendit Suggestum, ac Meletij os violenter compressit, sanctus Epiphanius inseruit suo Panario. Et his grauissimè læsi Ariani Imperatorem suum Constantium impulerunt, vt Meletium vti præuaricatorem eijceret, & intruderet fidissimum sibi Euzoium, vtpotè ipsius Arij Congerronem, vnà cum illo olim damnatum, ac eiectum à sancto Patriarcha Alexandro. Incogniti Authoris Synodicus liber affirmat Meletium fuisse communi Arianorum, & Catholicorum suffragio euectum, & ipsi eiecto suffectum fuisse Eudoxium. At certum in vtroque labi. Exulabat tunc apud Orientem, vnà cum sancto Eusebio Vercellensi episcopo Lucifer Calaritanus episcopus, agebatque vices Liberij Pontificis, ac Sedis Apostolicæ. Et licèt Meletij conuersionem probaret, & laudaret, nullatenùs tamen eius promotionem. Etenim non solùm ab Arianis patrata erat, sed etiam in locum Arianorum, quos sancto Eustatio superordinatos perfidia intruserat. Censuit sedem à sancti Eustatij morte semper vacasse, ac etiamnùm vacare. Hinc insuper videns abesse Meletium, ideòque sedem non solo iure, sed etiam facto vacuam, ordinauit Paulinum presbyterum, Eustatianæ communioni hucusque præfectum, vacantis sedis quasi Vicarium, & ipsum dixit verum, ac legitimum sancti Eustatij successorem.

Lib. 4. c. 27.

Defuncto Constantio in Imperium successit Iulianus, qui omnes Orthodoxos, ab illo proscriptos episcopos reuocauit, atque ita rediuit, & Meletius. Hinc Antiochena Ecclesia habuit tres episcopos: Paulinum, Meletium, & Euzoium. De ipsis scribit Socrates: [Omnibus ferè Ecclesijs, quæ ibi erant, Euzoius Arianæ Sectæ Patronus præfuit. Paulinus tamen vnam solam obtinuit Ecclesiarum paruarum, quæ erant intra vrbem. Ex qua quidem ipsum Euzoius propter reuerentiam, quam versùs illum habuit, non eiecit. Meletius autem extra portas ciuitatis conuentus celebrauit.] Et hi sunt Campenses, de quibus in suis ad sanctum Damasum literis beatus Hieronymus, pessimè intellectus ab Erasmo. Et quidem de Meletio, ac Paulino, quod ambo essent Orthodoxi, natæ sunt graues contentiones inter Ecclesias. Romana, & omnis Occidentalis, licèt Luciferi factum non plenè probaret, adhæsit Paulino, & Meletium, quia olim Arianum, & ab Arianis translatione intrusum, dudùm censuit non posse esse episcopum; Orientalis autem istud ipsum iudicauit de Paulino, quoniam erat superordinatus Meletio. Accessit, quod apud plures, licèt immeritò, malè oleret de Marcello, ac Sabellio.

Lib. 5. c. 7.

Hinc ortæ sunt plures Legationes, ac prouocationes ad Romanam Ecclesiam. Meletius enim priùs Dorotheum Diaconum, deinde legauit suum Diaconum Sabinum. Ita habemus in varijs literis sancti Basilij, qui in suis ad Antiochum presbyterum literis exponit, & primùm Romanæ Ecclesiæ de hac lite iudicium: [Postquam reuersi sumus domum, confestim occuparunt nos ab oriente epistolæ, quibus sumus certiores facti, literas accepisse factionis Paulinianæ Sectatores ab occidente missas, Principatus ipsius contesserationes. Vnde mirum in modum factionis illius homines efferebantur, & tripudiabant, & fidei edebant confessionem: In qua quidem suscipienda paratissimi erant nostris hic Ecclesijs coadunati.] Eadem de re scripsit ad illustrem Comitem Terentium, qui Romanum Decretum reueritus volebat in executionem mittere: [Dicebantur Fratres, qui Paulino fauebant, in colloquium cum tua rectitudine descendere de sua nobiscum vnione. Nobiscum, inquam, qui à partibus Meletij stamus, illius viri Dei, Episcopi Antiocheni. Quos audio circumferre occidentalium literas, quibus episcopalis Antiochiæ sedes ipsorum parti addicitur, vir autem admirabilis Meletius ab episcopatu Ecclesiæ Dei abdicatur.] Iudicij fundamentum credo à Basilio exponi in literis ad Petrum Alexandriç Patriarcham: „Dorotheus„ Diaconus, Roma [reuersus, referebat nobis quos tecum habuit ipse, apud Damasum Reuerendissimum Episcopum sermones, & mœrore nos affecit, cum prædicaret Fratres nostros, Deo charissimos nostros Comministros, Meletium, atque Eusebium] Samosatensem episcopum, [inter Arij furorem insanientes esse recensitos.] Omnibus neruis suadet istas Romanorum literas esse subreptitias, & se nec ob delatas ex ipso cœlo literas esse recessurum à Meletio. Imitatur Apostolum scribentē ad Galathas: [Licèt Angelus de cœlo aliud euangelizet, anathema sit.] Nequaquam potestatis defectum arguit, sed vitium circumscriptionis. Et plura congerit de Sabellianismo. Grassabatur tunc quæstio de [tribus Hypostasibus.] Et Romanis volens consonare Paulinus refutabat ista vocabula. Hinc Græcorum pluribus reddidit, se suspectum de Sabellio.

Epist. 272.

Epist. 349.

Epist. 321.

Plures Orientalium episcopos occupauit ista in Meletium, Virum veraciter eruditum, ac sanctum, pertinax beneuolentia. Hinc Damasus Pontifex, Ecclesiæ catholicæ pacem suæ authoritati præferens, non nihil recessit à suo iudicio. Moderamen exponit, atque expostulat idem Basilius in literis ad S. Athanasium. Rogat Romanum Pontificem, ab ipso permoueri ad destinandos, qui lamentandas Orientalis Ecclesiç turbas componant, Apostolicos Legatos, atque adiungit: [Et cum qui mittendi sunt volente Deo aduenerint, non inferant Ecclesiæ schismata, sed magis idem sentientes quouis modo ad vnitatem pertrahant, etiamsi quosdam inuenerint, qui peculiaria inter se quædam difficij argumenta præferant. Ne populum Orthodoxum à suis Præpositis separent, & in multas partes diuidant. Cauendum est enim, vt paci posthabeantur omnia. Et cum primis

Epist. 52.

mis Antiochenæ Ecclesiæ medeantur: Ne in ea sincera pars imbecillis facta personarum respectu scindatur.] Omnia satagunt pro Meletio. Rogant mitti Legatos, qui Orthodoxum orientis populum à suis Orthodoxis episcopis non separent, atque ita addant schismatibus schismata, sed dispensatoriè omnia posthabeant paci, ideoque in illis ciuitatibus, in quibus duos reperterint catholicos episcopos, permittant sedere vtrumq; ipsos inter se pacificent, & ambobus impertiant communionem Apostolicæ Sedis. Totus eorum conatus, fit Euangelicum dogma reducere, ac stabilire. Et ista præsertim faciant in Antiochena Ecclesia. Inter Paulinum, ac Meletium. Epistola hæc videtur non ad Damasum scripta, sed ad Liberium. Ipsam tamen, & eius rationes attendit, exaudiuit, & expleuit Damasus. A suo iudicio recedens tam Meletio, quàm Paulino confirmauit episcopatum, & vtrique dedit communionem suæ Sedis, ac totius Occidentalis Ecclesiæ.

Lucet hoc ex Aquileiensis Concilij literis ad Imperatores, Gratianum, Valentinianum, ac Theodosium: [Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus Paulinus, qui semper communionis nobiscum intemeratam habuit concordiam, dissensionibus aliorum, quorum fides superioribus temporibus hæsitabat, fertur vrgeri.]Omninò notatur Meletius.[Quos quidem, si fieri potest, & fides plena commendat, ad consortia nostra optamus adiungi, sed ita vt vetustæ communionis socijs sua prærogatiua seruetur. Quorum nobis hęc non superflua cura est. Primò omnium, communionis societas nullam potest habere offensam. Deinde, quia vtriusque partis dudum accepimus literas, præcipuèque illorum, qui in Antiochiæ diffidebant Ecclesia. Et quidem nisi hostilis impedimento fuisset irruptio, aliquos etiam de nostro numero disposueramus illò dirigere, qui sequestres, & arbitri refundendæ, si posset, pacis existerent. Sed quia studia nostra tunc temporis habere effectum, per tumultus publicos nequiuerunt, oblatas pietati vestræ nostras repetimus preces, quibus hoc poposcimus, vt altero decedente pènès superstitem Ecclesiæ iura permanerent, nec aliqua superordinatio vi tentaretur.] Hoc ipsum ad Imperatorem Theodosium scribunt S. Ambrosius, & cæteri Italiæ episcopi: [Scripsimus dudum, vt quoniam Antiochena ciuitas duos haberet episcopos, Paulinum, atque Meletium, quos fidei concinere putabamus, aut inter ipsos pax, & concordia saluo ordine ecclesiastico conueniret, aut certè si quis eorum altero superstite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum superstite altero gigneretur.] Epistola exstat in appendice Theodosiani Codicis. Proinde Damasus, & Paulinum, & Meletium confirmauit in episcopatu, atque ita istam pacificauit Ecclesiam.

Confirmauit sub tribus conditionibus. Primò, vt Meletium, qui de Ariana scabie non cessabat traduci, plena fides commendaret. Deinde, vt Paulinus, tamquam antiquus Romanæ communionis socius, haberet suam Prærogatiuam. Hoc est, licèt ordinatione posterior, esset tamen loco & communi intra Thronum consessu dignior & prior. Idque ideò, vt pax fieret citra offensam veteris amicitiæ. Et hæc Paulini prærogatiua fuit non minima cura Romanæ Ecclesiæ. Tertia conditio fuit, vt vltimo superstes esset plenus, & solidus episcopus, & defuncti sequela nullam attentaret superordinationem. Factum hoc est ad quarti sæculi annum septuagesimum tertium, in Romana nonaginta trium episcoporum synodo, qui ad audiendam causam Auxentij, Ariani Mediolanensis episcopi, [exponendamque fidem in Vrbe Roma conuenerunt, & sua Acta direxerunt catholicis per Orientem constitutis episcopis. Synodalis epistola habet hanc subnotationem: Explicit hæc epistola, vel expositio Synodi Romanæ, habitæ sub Damaso Papa, & transmissa ad Orientem, in qua omnis Orientalis Ecclesia, facta synodo apud Antiochiam, consona fide credentes, & omnes ita confitentes, eidem super expositæ fidei singuli sua subscriptione confirmant.] Omnium primus subscripsit Meletius: [Meletius episcopus Antiochenus consentio omnibus suprascriptis, ita credens, & sentiens, Et si quis præter hæc sentit, anathema sit.] Eodem modo proximus post ipsum subscripsit Eusebius Samosatensis. Et subnotatio concludit: [Similiter & alij centum quadraginta sex Orientales Episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodiè in Archiuijs Romanæ Ecclesiæ tenetur.] Tot appendices habebat Meletius. Per talem omnium subscriptionem demonstrauit suam plenam fidem, atque ita expleuit primam conditionem requisitam à Damaso. Et hæc omnia Dorotheus, eius ibidem Legatus, ac tunc ex Diacono presbyter, Pontifici authenticè persuaserat, atque ita plenè purgauerat Meletium. Haud dubiè adiutus à Petro Alexandriæ Patriarcha, qui aderat isti Synodo.

Hæc Synodus non solummodò Arianam damnauit hæresim, sed etiam errores Apollinarij. Nihilominùs dolosum Vitalem, licèt gradu mouerit, attamen communione impertijt, aut potiùs impertiendum remisit Antiochiam ad Paulinum. Ipsum per hunc, non per Meletium voluit admitti in communionem Romanæ Ecclesiæ. Et in scriptis ad Paulinum literis adiunxit: [Fidem nostram misimus, non tam tibi, qui nobis eiusdem fidei communione sociaris, quàm his, qui in ea subscribentes, tibi, id est, nobis per te voluerint sociari.] Omnes ex quauis hæresi ad fidem accessuros voluit non per Meletium, sed per Paulinum discuti, probari, atque admitti. Quod nempè pęnès ipsum esset Antiocheni episcopatus prærogatiua. Hæc potestas erat vna ex istius prærogatiuæ portionibus. Hæc item est causa, ex qua Paulinus laudatis Synodalibus Damasi literis non subscripsit. Isto tempore sanctus Hieronymus, hærens in Antiocheno Patriarchatu, ac ad Damasum scribens de quæstione trium Hypostasium, admiratus est Antiochiæ esse tres episcopos. Paulinum, Meletium, ac Vitalem; Omnes gloriantes se communicare Damaso, ac eius Sedi. Hinc addidit, aut omnes tres mentiri, aut certè duos. Non plenè capiebat dispensatoriam Damasi gratiam.

Vitalis tamen omninò mentiebatur. Vtpotè à Damaso admissus in communionem, sed laicam. Homo contumax perstitit se ostentare episcopum, & hæresim palàm profiteri. Lucet ex illis, quæ cum ipso egit, ac de ipso scribit sanctus Epiphanius.

Etiam tunc admissa fuit stipulatio, quam Paulino aliquando obtulerat Meletius: [Quoniam & mihi istarum ouium procurationem commisit Dominus, & tu aliarum curam suscepisti, ipsæque oues veræ pietatis communione consentiunt, Greges concordiæ vinculo coniungamus, & contentionem de Primatu dirimamus. Et cùm oues communiter pascamus, communem illis ritè moderandis curam adhibeamus. Quod si Sedes contentionem gignit, ego hanc contentionem conabor à nobis repellere. Nam ponamus in ista librum Euangelij, & vtrimque nos sedeamus. Quod si ipse priùs è vita abiero, tu solus gregem moderaberis; sin autem tibi illud contigerit, ego curam omnium geram.] Ita affirmat in ecclesiastica historia Theodoretus. Huic paci adfuit, & interuenit sanctus Gregorius Nyssenus episcopus, ipsamque laudat in suis epistolis. Erat Germanus Frater magni Basilij, ideòque certum est, quod constanter egerit pro Meletio. Hermias Sozomenus addit conditionem placuisse omnibus, & ab vtriusque contendentis persona, & Clero fuisse firmatam iureiurando. Vnicum obstitisse Calaritanum Luciferum. Cuius rei fides sit pęnès ipsum. Rei igitur series fuit missa Romam per Petronium Paulini presbyterum, & Dorotheum presbyterum Meletij, & à Damaso confirmata. Non à generali Concilio, sed à solo Damaso.

Lib. 5. c. 4.

Sanctus Bonifacius rectè affirmat duram hanc litem non solùm sub Meletio, sed etiam sub eius successore Flauiano fuisse iudicatam, & compositam à Sede Apostolica. Etenim post Meletij mortem neutra pars seruauit pactorum fidem. Paulinus, dum se admitti, ac firmari postulat in solidum episcopum, reijcitur à Meletij Fautoribus, ac ipsi superordinatur Flauianus. A Diodoro Tharsensium Metropolita, ac Acacio episcopo Berrheensium. Flauianus & Diodorus, Antiochenæ Ecclesiæ olim Compresbyteri, semper fuerant Paulino pertinaciter aduersati. Et istam iniuriam non sufferens Paulinus sibi adhuc viuo successorem ordinauit Euagrium. Et quidem solus. Ita in ecclesiastica Historia testatur Theodoretus. Alij tamen affirmant nonnisi post Paulini mortem fuisse euectum. Vtut sit, aut Paulinus, aut eius communio egit ex vetusta regula: Frangenti fidem fides frangatur eidem. Et hinc Flauianum, vtpotè manifestè periurum, atque intrusum, semper ac meritò auersata fuit Romana Ecclesia. Quin & Diodorum, atque Acacium pro excommunicatis habuit. Ita scribit Hermias Sozomenus. Hinc nouæ, atque horrendæ lites, de quibus ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham scripsit sanctus Ambrosius: [Inter hos duos, Euagrium, & Flauianum, nihil quod ad Christi pacem pertineat eligentes, grauis toto Orbe stabat discordia. Cui bonæ pacis naufragio sancta Synodus Capuensis tandem obtulerat portum tranquillitatis, vt omnibus per totum Orbem daretur communio catholicam confitentibus fidem, & duobus istis tuæ sanctitatis examen impartiretur.] Ad quæstionem decidendam Siricius Pontifex indixit Capuanam Synodum, & vtrumque malè ordinatum iussit adesse. Adfuit solus Euagrius. Hinc Synodus causam delegauit Theophilo, ac eius Synodo: [Quia hoc verum iudicium futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociata communione aliquo fauore propenderet.] Romana Ecclesia, licèt neutrius probaret causam, & vtrumque non proprijs meritis, sed alienis dumtaxàt vitijs videret niti, magis tamen propendebat in Euagrium: Quòd Paulini successor, & creatura esset, & quod ipsum imitatus inuocaret auxilium Sedis Apostolicæ, Hinc Siricium Flauianus suspectum habuit, & noluit aduenire Capuam. At verò Theophilus neutri parti adhæserat per communionem, aut fauoris fomenta prębuerat: Hinc Capuana Synodus ei delegauit causam. Sub ista tamen conditione, quam illi plenè obseruandam inculcauit sanctus Ambrosius: [Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea re iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim tuæ consultum erit sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur Concilio, quod communioni nostræ dissensionem non adferat, vt nos quoque accepta vestrorum serie Statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur.] Delegatio facta est sub obligatione præuiæ relationis ad Romanum Pontificem, & ab ipso accipiendæ comprobationis ante prolationem sententiæ. Ex quo lucet caduco fundamento niti Ioannem Launoium, dum ex ista delegatione nititur elicere, quod Romanus Pontifex olim subfuerit generali Concilio.

Lib 7. c. 11.

Epist. 9.

Quomodo autem Flauianus huic delegationi obtemperauerit, exponit idem Ambrosius: [Cùm ex his æquissimæ synodi constitutis speraremus iam remedium datum, finemque oblatum discordiæ, scribit Sanctitas tua iterùm Fratrem nostrum Flauianum ad precum auxilia, & Imperialium Rescriptorum suffragia remeauisse. Frustrà ergo tantorum Sacerdotum fusus labor, iterùm ad huius sæculi iudicia reuertendum. Iterùm ad rescripta, iterùm vexabuntur Sacerdotes senes, transfretabunt maria, iterùm inualidi corpore Patriam peregrino mutabunt solo, iterùm sacrosancta Altaria deserentur, vt in longinqua proficiscamur: Iterùm pauperum turmæ episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, externæ opis egentes compellentur inopiam gemere, aut certè victum inopem itineris vsurpare. Intereà solus exlex Flauianus, vt illi videtur, non venit, quando omnes conuenimus.] Flauianus recusauit etiam Theophili Tribunal, & ab isto Capuanæ Synodi Statuto appellauit ad generalem in Oriente celebrandam synodum, ipsam postulauit ab Imperatore Theodosio, & videtur impetrasse. Ab Apostolica Sede prouocauit ad synodum. Quod in Oriente celebrandam postulauerit, demonstrant Ambrosij

sij verba: Transfretabunt maria. Non vtique Græci, sed nos Latini episcopi. Hinc subditur: Vt in longinqua proficiscamur.

Sed qualem & quantam reuerentiam isti appellationi detulerit Siricius, audiamus à Theodoreto, summo Encomiaste, ac Patrono Flauiani. Exponit, licèt non plena fide, rei seriem, ac prosequitur: [Romani nihil horum scire cupientes, Euagrij communionem sunt amplexati, ac Imperatoris animum contra Flauianum incitare studuerunt. Nam cum Imperatori nimis acriter instando multum sæpè exhibuissent molestiæ, accersit eum Constantinopolim, & Romam proficisci iubet. At Flauianus respondet hyemem iam esse. Itaque pollicitus se ineunte vere imperata facturum, in patriam reuertit. Sed cum episcopi Romani, non solùm Damasus ille admirabilis, verùm etiam post illum Siricius & Anastasius, vehementiùs in Imperatorem inuecti essent, dixissentque eum illos, qui Tyrannidem contra se exercere molirentur, opprimere, sed his qui per Tyrannidem Christi Leges euertere studerent, impunitatem concedere, eum Imperator denuò accersit, Romamque, vt contendat, cogere laborat.] Affirmat Romanos Pontifices Flauiani appellationem spreuisse, habuisse pro Tyrrannide, ac rebellione, nec permisisse causam diuelli à suo Tribunali. Et interim Euagrium vestieruut, ac posuerunt in Thronum. Eiusdem sententiæ fuit sanctus Ambrosius, Flauianum dicens exlegem.

Lib. 5. c. 23.

Rem tandem post Euagrij mortem cōposuit sanctus Ioannes Chrysostomos. Etenim à Meletio in Diaconum, ab Euagrio in presbyterum consecratus, post huius mortem transijt ad Flauianum, fuit illi familiarissimus, sub illo dixit Homilias ad Antiochenum Populum, & ex eius presbytero exaltatus est in episcopalem Cathedram Regiæ ciuitatis. De ipso igitur apud Constantinopolim consecrato scribit Hermias Sozomenus: [Quamprimùm Ioannes ad episcopatum peruenisset, cum Ægyptij Sacerdotes, & Occidentales adhuc cum Orientalibus different propter Paulinum, & communis quædam distractio, ob hoc ipsum Ecclesias per vniuersum Imperium detineret, Theophilum orabat, vt in hoc sibi auxilium ferret, quo Flauianus in gratiam Romani Episcopi reduci posset. Consensu igitur vtrimque facto ad hoc negotium eliguntur Acacius Berreheensis episcopus, & Isidorus ille, cuius nomine Theophilus ordinationi Ioannis obstiterat. Hi profecti Romam, ac Legatione pro votis functi, in Ægyptum adnauigabant. Et hinc porrò in Syriam peruenit Acacius, Flauiano literas pacificas ab Ægyptijs, & Occidentalibus adferens.] Quod ipsum referunt in Dialogo de sancti Ioannis Chrysostomi, actis Palladius Helenopolitanus episcopus, & apud Photij Bibliothecam, in eiusdem sancti Ioannis vita Gregorius Patriarcha Alexandrinus, grauiter tamen labens gratiam istam fuisse factam à sancto Damaso. Facta enim fuit à sancto Innocentio. Hic ipsam priùs nauigare in Ægyptum, ac Theophilo placere voluit, quod Flauianus etiam hunc grauiter offendisset.

Lib. 8. c. 3.

Eadem de re Zachariæ, Photianæ factionis Chalcedonensi episcopo, ad octauam Synodum dicenti, [Flauianum Antiochiæ Patiarcham Romani non receperunt, sed eum Canon nullatenùs condemnauit,] atque hoc exemplo tentatis purgare schismaticam rebellionem sui Photij, reposuit Metrophanes orthodoxus metropolita Smyrnensis:] Porrò Patriarcham Antiochiæ Flauianum recusabat, quidem Romanorum Ecclesia suscipere, interim Paulinum propter magni Eustatij dilectionem stabilientes, qui Princeps erat eorum, qui propter Eustatium resistebant, & disiungebantur, ac seorsim colligebantur, non tamen & vsque ad finem habuerunt hanc mentem. Pijssimo enim Imperatore Theodosio, mediante acceptum reddiderunt eum, & Patriarcham habuerunt eum Antiochiæ, ita vt & in hoc mendaciter loquens apparueris. Si enim vsque in finem abiecissent eum, benè vtique inuenireris fuisse locutus. Si verò lite cum Paulino detenti restiterunt quidem propter causam, quam dixi, deposuerunt autem huiusmodi contentionem, & receperunt eum, frustra dixisti receptum fuisse Flauianum contra Romanam Ecclesiam.] Labitur fuisse receptum ad mediationem Imperatoris Theodosij. Receptus enim fuit post eius mortem sub filio, & successore Arcadio.

Tertium Romanæ appellationis orientale exemplum sanctus Papa Bonifacius adducit Nectarium Constantinopolitanum episcopum, cui ad Imperatoris Theodosij preces, factas per Legatos è Latere episcopos, atque Aulicos, episcopalem confirmationem & communionem, tandem dedit sanctus Damasus. Rectè. Quoniam Nectarij causa erat appendix ad Romanam appellationem, Maximi Cynici. Etenim Maximus non aduersùs solùm Constantinopolitanæ Synodi iudicium, & sibi ab ipso inflictam degradationem appellauit, sed etiam aduersùs promotionem sancti Gregorij Nazianzeni, ac præsertim aduersùs factam pendente appellatione superordinationem Nectarij. Lucet ex sancti Ambrosij ad præfatum Imperatorem literis, quibus affirmat Maximi appellationem fuisse admissam, & ipsum reuestitum à Romana Ecclesia: [Nectarij ordinatio, quem ordinem habuerit, non videmus. Reuera aduertebamus Gregorium, nequaquam secundùm traditionem Patrum Constantinopolitanæ ecclesiæ, sibi Sacerdotium vindicare.] Nec tantum de factæ superordinationis vitio, adeòque de Sardicensium Canonum prænaricatione, sed insuper de alio non modico crimine agebatur in Nectarium. Pergit enim Ambrosius: [Meletio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse consortia, quæ à Maioribus inoffensè ducta, testantur, contra fas, atque ecclesiasticum ordinem, in locum Meletij non tam subrogatus, quàm superordinatus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione, & consilio Nectarij.] Erant omnes grauissimæ causæ. Et quidem Maximus Cynicus non aduersùs aliquam prouinciæ, sed aduersùs plenam, totiùs orientis synodum pronocauerat. Et ista omnia definiuit solus Episcopus Romanorum.

Quartum Romanæ appellationis orientale

tale exemplum, hic laudatum à Pontifice Bonifacio, est proximus Nectarij successor sanctus Ioannes Chrysostomus. Eum Innocentius I. restituerat, & ad eius causam plenè retractandam indixerat Thessalonicensem synodum: Et quia Theophili Patriarchæ Alexandrini, & ipsi adhærentium episcoporum contumacia obedire detrectauerat, separauit se, & omnes Latinos à communione Orientalis Ecclesiæ. Hoc enim tunc erat frænum, quo Romana Sedes Græcorum proteruiam solebat domare, & frangere. Et hanc præsentem per ipsum, etiam fregit sanctus Innocentius. De his enim rebus omninò scribit Bonifacius: [Ante breue tempus, id est, sub prædecessore meo, beatæ recordationis Innocentio, Orientalium Ecclesiarum Pontifices dolentes se à beati Petri communione seiunctos, per Legatos pacem, sicut charitas vestra retinet, poposcerunt.] Sancti Ioannis nomen reddiderunt sacris Ecclesiarum tabulis, atque ita illum, vt Canonicum, quia benè, ac plenè reparatum, episcopum agnouerunt. Ex quo lucet non sola de Dogmaticis, sed etiam de Canonicis quæstionibus synodalia orientalium iudicia fuisse, semper per appellationem deuoluta ad Apostolicam Sedem, ac per ipsam solam retractata ac definita. Bonifacius rectè dixit: [Sicut charitas vestra retinet.] Etenim Rufus ad laudatam Thessalonicensem synodum viderat, ac fecerat omnia præparamenta.

Quod Illyriciana Ecclesia Romam appellare semper consueuerit, apertè etiam profitetur in exhibitis Bonifacio Secundò precibus Stephanus Larissæ episcopus, Metropolita Thessaliæ: [Denique per hoc quia venerabiles effecti ante vos, & quanti sancti illam Sedem habere meruerunt, corpore quidem in Romana gloriosa degentes ciuitate, spiritu autem ea, quæ ritè agebantur, omninò ornantes & trangressi, & plurimi ex corpore Ecclesiæ ab inimicorum calumniantium violentia sunt liberati à Deo, & à venerabili Apostolica Sede.] Vtique omnes ad ipsam ex bonis fundamentis prouocantes. Insuper edicit liberationis, ac liberatricis potestatis radicem: [Ergò nec tu ipse, sanctissime Pater, me multis circumdatum malis, & ad Deum solummodò, atque vestram paterna consuetudine pietatem respicientem, habebis despectui. Quoniam nullus ecclesiasticus ordo illam vestram, quæ à Saluatore omnium, & primo Pastore vobis est collata, potest præcellere potestatem. Exiguum est vel humile, in quo non prouidentia vestra respicit.] Affirmat istam potestatem non à Sardicensi, aut alia esse synodo, sed ab ipso Christo Domino, qui eam sancto Petro dedit transfundendam in successores.

CAPVT XXXIV.

Adducuntur varia Romanarum ex Illyrico appellationum exempla.

PRimum exemplum sit Perigenes Corinthi episcopus, Metropolita Helladis. Hic Corinthi natus, ac renatus, necnon in eiusdem Ecclesiæ Clero existens à prima ætate, nescio quomodo fuit electus, & consecratus Episcopus ad Patrensem Ecclesiam. Ast ipsum [ciuitate sua Patrenses populi vnitæ contradictionis voce arcuerunt] Hinc iuxta Antiochenum Canonem permansit Corinthi, solo honore episcopus. Interea moritur episcopus Corinthiorum. Hinc ista ipsum postulauit ecclesia. Verùm quod quosdam quasi de translatione moueret scrupulus, relata fuit res ad Bonifacium primum Pontificem: Et hic ipsum post maturum examen admisit, Et rectè. Etenim quod istiusmodi à sua, ad quam consecrati, ciuitate per iniuriam reiectus, & nunquam admissos episcopos in aliam incardinari ecclesiam permiserit Apostolica disciplina, docet non sola Antiochena synodus, sed & perpetua omnium gentium consuetudo. Ista incardinatio nullatenus est translatio. Nihilominus Comprouincialium aliqui sunt auersati Perigenem, & parauerunt conuenire ad synodum, ac definire quæstionem. Et viderentur non solummodò aduersùs formam, sed aliquid etiam habuisse contra materiam. Nec ipsos deterruit Regula per Eulalium Syracusæ Episcopum laudata apud quartam Symmachi Pontificis synodum: [Quod si cuiuslibet Prouinciæ Sacerdotes, intra terminos suos Concilio habito, quidquam sine Metropolitani sui authoritate tentauerint, irritum esse debere sancti Patres sanxerunt.] Vtique Nicæni Patres in suo quarto Canone. Nec item Regula vetans Præpositum iudicari à subditis. Etenim censuerunt Perigenem esse intrusum, & proinde adhuc uacare Sedem, ideoque imitari crediderunt secundæ Mœsiæ, ac secundæ Syriæ episcopos, qui ad Leonis Augusti iussum sine Metropolita conuenerunt, & suum synodale iudicium ediderunt de creatione Timothei Æluri, & authoritate Chalcedonensis Concilij. Hinc Perigenes sibi metuit, ideòque prouocauit ad Papam Bonifacium, supplicans auxilium, de quo Dominus ad Petrum: *Confirma Fratres tuos.* Et ipsum exaudiuit Pontifex, & ad Rufum Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium scripsit: [Ad synodum, quæ dicitur illicitè congreganda de causa Fratris nostri, & Coepiscopi Perigenis, cuius scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus vniuersi Fratres intelligant primò conuenire se citra conscientiam tuam minimè debuisse. Deinde de nostro non esse iudicium retractandum.] Affirmat istam synodum illicitè congregandam, & fore Attentatum, ideòque Perigenis dignitatem iubet esse stabilem, & à nullo vexari.

Ista synodus videtur indicta per authoritatem Attici episcopi Constantinopolitani, ideòque habuisse audaciam attentandi in proprium ab Apostolica Sede confirmatum Metropolitam. Perigeni aduersantes episcopi videntur adhæsisse nuperæ legi, qua Imperator Theodosius Orientale Illyricum Apostolicæ Sedi abstulerat, & transcripserat in Patriarcham Potestatem Constantinopolitanæ Cathedræ. Præfati episcopi ex hac lege videntur censuisse Bonifacium Pontificem dixisse ius extra Territorium, ac proinde sententiam esse nullius ponderis, ideòque reclamasse ad Atticum. Hoc penitus suadent hæc Bonifacij verba: [Quis certè Antistitum, vt fratrum conueniret turba, præcepit, lectis epistolis nostris?] Hoc est, quis Antistes cognitis, & lectis nostri pro Perigene literis habuit authoritatem conuocandi synodum, & nostrum iudicium retractandi? Pergit Pontifex: [Quoniam locus exigit, si placet, recensete Canonum sanctiones, reperietis, quæ sit post Romanam secunda Sedes, quæue sit tertia. A quibus ideò ita rerum videtur ordo distinctus, vt se ecclesiarum Pontifices cæterarum, sub vno tamen eodemque Sacerdotio, habere cognoscant, quibus charitate seruata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subiecti. Et quidem hæc sententia Canonum à vetustate durauit, & nunc vsque Christo nostro fauente perdurat. Nemo vnquam Apostolico Culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias audacter intulit, nisi qui de se voluit iudicari. Hæc omnia palàm diriguntur in episcopum Constantinopolitanum. Affirmant ipsum non esse Patriarcham, nec Illyrici, nec vllius gentis, ideoque hæc omnia acta esse nouitatem, & audaciam. Etenim ecclesia non habet nisi tres Patriarchales Sedes; Inter quas cuncti norunt non esse Constantinopolitanam. Affirmant omnes tres Romanæ subiici, & iudicare non posse de eius iudicio ideòque longè minùs posse Constantinopolitanam, quæ non est aliud, quàm simplex Parochia in prouincia Europæ. Ita Pontifex subneruauit istam Corinthiæ Prouinciæ synodum, & prouocantem ad se Perigenem stabiliuit aduersùs Attici violentias. Et hinc discimus, quod olim appellari consueuerit non solummodò aduersùs latam, sed etiam aduersùs ferendam à synodis sententiam.

Secundùm Romanæ, ex Illyrico appellationis exemplum est Perreuius Thessalæ Prouinciæ episcopus, de quo laudatus Papa Bonifacius in literis ad Rufum Thessalonicensem: [Perreuij Coepiscopi negotium, cuius nobis libellus ab eodem destinatus fecit indicium, cui Consacerdotes sui molesti nimis esse dicuntur, ita vt eum ecclesia sua crederent esse pellendum, diligenter audire tuam volumus Charitatem, conuentis supradictis Coepiscopis nostris, quorum se vim sustinere deplorat. Tunc demum, vt intelligant si quid à se factum est contra consuetudinem, priùs esse cassandum, omnibus vestigatis ad nos tua Charitas referre maturet, quatenus prolatum à tua Fraternitate iudicium sententia nostra valeat roborari.] Iuxta Sardicenses Canones causæ huius retractationem delegat Rufo suo Vicario, attamen cum onere ad se referendi omnia. Et adiungit: [Sanè in epistola Thessalis Fratribus destinata id à nobis scriptum volumus recognoscas, Pausianum, Cyriacum, Calliopum à nostra communione penitus submouendos, ita vt remedium solùm interuentionis tuæ gratiam se habere cognoscant. Maximum autem, quem malè tua Charitas retulit ordinatum, in totum Sacerdotij censemus honore priuandum.] Epist. 8.

Hic est omninò ille Perreuius, qui adfuit Ephesino Concilio, isthìc appellatus Phatmaliensis Episcopus saltuum Thessalonicensium. Videtur esse vnus, & idem. Nempe erat nullius speciatim ciuitatis, sed totius Regionis episcopus, qualis in Italia est Episcopus Sabinensis. Perreuius videtur à Ruso Vicario, aut certè ad eius mandatum fuisse consecratus, at verò Pausianus, Cyriacus, & Calliopus videntur per Attici Constantinopolitani authoritatem superordinasse Maximum. Et vti Petreuius Romam, ita cum suis intrusoribus Maximus videtur prouocasse Constantinopolim. Hos enim Pontifex notare videtur in sequenti ad Thessaliæ Antistites epistola: [Audio episcoporum quosdam, Apostolico iure contempto, nouum quidpiam contra Christi propriè præcepta tentare, cum se ab Apostolicæ Sedis communione, & vt ita dicam veriùs, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum maioris esse non dedit potestatis.] Hoc est, appellantes ad eum, cui sacri Canones nullum dant præeminentiæ locum, quem iubent esse simplicem Heraclæensis Metropolitæ Suffraganeum. Et hinc Perreuius præualuit. Maximus fuit eiectus. Eius Ordinatoribus nulla fuit veniæ spes, nisi per reditum ad Vicarij obedientiam, illiusque apud Pontificem preces pro pœnitentibus. Epist. 9.

Tertium Romanæ ex Illyrico appellationis exemplum est Felix, nescio cuius in noua Epyro Sedis Episcopus, de quo ad totius istius Diœcesis Episcopos scripsit sanctus Cœlestinus Pontifex: [Nunc Dyrrachenæ Prouinciæ causa nos monuit, vbi quorumdam accusantium factione Frater, & Coepiscopus noster Felix, si non nostra interueniisset diligentia, fuisset oppressus.] Videtur non oppressus, sed dumtaxat fuisse opprimendus, ideòque non à lata sententia, sed prouocasse aduersùs ferendam. Ad instar Perigenis. Cœlestinus adiungit: [Nullus] Illyrici Metropolita [vsurpet eodem,] Thessalonicensi Vicario, [inconscio commissam illi Prouinciam; colligere, nisi cum eius voluntate, episcopos non præsumant.] Existimo legendum: per commissam illi Prouinciam colligere episcopos non præsumat. Quod ipsum Bonifacius scripsit ad Rufum. Dyrrachiensis Metropolita hanc à Vicario dependentiam censuit suæ dignitati, & quarto Nicæno Canoni aduersam, ideoque Felicem iudicaturus suo arbitrio conuocauit synodum, & Rufi reclamationem contempsit. Hinc Felix prouocauit ad Cœlestinum, & exauditus impetrauit suspendi synodum, atque ita à damnationis periculo liberari. Ista porrò dependentia, licèt videatur, non aduersatur Nicænis Canonibus. Etenim sextus Canon firmauit Ægyptiacæ Diœcesis con- Epist. 13. Epist. 8.

consuetudinem, in qua nullus Metropolita, sed solus Patriarcha potuit celebrare synodos. Hinc ex omni Ægypto nullam reperias nisi Alexandrinam. Idem Canon sanxit Patriarchicam Ægypti potestatem procedere ad normam Romanæ. Proinde Romani Pontifices, dum Illyrici Metropolitis imposuerunt istam dependentiam, non læserunt istos Canones. Et impositio habuit iustas rationes. Etenim Constantinopolitani Episcopi insidiabantur istis Prouincijs, & inter ipsarum episcopos hinc inde habebant suos fautores. Hinc ad præcidendas Factionum technas Apostolica Sedes Metropoliticam isthic potestatem circumcidit, & nullam permisit ab ipsa celebrari synodum sine conscientia, & præuia facultate Vicarij.

Quartum Romanæ appellationis exemplum, à Sixto III. Pontifice laudatum in literis ad sanctum Proculum Constantinopolitanum Episcopum, licèt ex Illyrico non sit, spectat tamen ad ipsum, vtpotè adductum ad Proclum diuertendum ab inuasione istius Diœcesios. Ad cohibendas eius manus à iuribus Romanæ Ecclesiæ. Exemplum est Idduas Smyrnensis Episcopus, qui inter cæteros Patres adfuit Ephesino Concilio, adhæsit sancto Cyrillo, ac Primati, & Metropolitæ suo Memnoni, & cum ipsis damnauit Nestorium. Defuncto Memnoni in episcopatum successit Basilius, qui nescio qua de causa damnauit Idduam. Et hac de re Sixtus scribit ad Proclum: [Habes recentissimum nuper habitæ actionis exemplum Fratris nostri Idduæ, circa quem Fraternitatis tuæ decreuimus iudicium custodiri, cognitioni tuæ facere nolentes iniuriam, cum eius intentionem iustissimam innocentia tuereris.] A Basilio ac eius synodo damnatus Idduas appellauit ad Proclum, & hic cassauit illius iudicium, ac Idduam declarauit innocentem, atque iustissimum. Hinc aut Basilius, aut potiùs Idduæ accusator, vel quiuis Aduersarius denuò appellauit ad Sixtum: Et hic probauit, & stabiliuit datam à Proclo sententiam. Quæ res Proclo haud dubiè fuit longè gratissima. Ita enim rapina, quàm in Asiaticam Diœcesim sanctus Ioannes Chrysostomus, Procli Magister, inchoauerat, & Successores continuarant, probabatur, & confirmabatur per Sedem Apostolicam. Quare certum est Sixtum non rectà hic egisse. Etenim omnes istas Constantinopolitanorum Antistitum rapinas, licèt confirmatas à Chalcedonensi synodo, exsufflauit & proiecit proximus Sixti Successor Magnus Leo, eiusque fundatissimum iudicium Successores sunt constanter prosecuti. Nempe suis Illyrici Diœcesibus à Proclo Xixtus metuebat. Legem, qua ipsas ab Attico circumscriptus Theodosius transtulerat in Patriarchicam potestatem Constantinopolitani Episcopi, licèt iam ex Honorij mandato circumductam, resuscitare voluit Proclus, aut certè de ista machina fuit suspectus. Hinc ipsum multis laudibus demulcet Sixtus, suum in ipsum profitetur affectum, & hunc affirmat non stare in verbis, sed iam frequenter exijsse in opera. Præsertim in opus, quod datam pro Iddua à Proclo sententiam nupertimè confirmauerat. Promittit tres Autocephalas Diœceses Proclo citra contentiones dimittere, atque ita suadet, & rogat ipsum cessare à quouis tentamine in Prouincias Illyricianas. Qua in re manifestum est Sixtum non esse vsum Apostolico pectore.

Epist. 16.

Quintum exemplum est Stephanus Larissæ Episcopus Metropolita Thessaliæ. Hic iuxta antiquam consuetudinem fuit in sua ciuitate consecratus à suis suffraganeis: Ab Eustatio Gomfiensi, Elpidio Thebano, ac Stephano Laminensi. Probianus Demetriadæ episcopus dixit consuetam orationem Encomiasticam, & ipsam impleuit eximijs elogijs. Consecratio facta est ad præuiam confirmationem Thessalonicensis Vicarij. At ecce statim post præfatus Probianus, Demetrius Sciatensis, & quidam alij eiusdem Prouinciæ Episcopi, vnà cum Antonio Larissenæ ecclesiæ præsbytero adscenderunt Constantinopolim, & apud Epiphanium Patriarcham accusarunt Stephanum de pluribus, præsertim de rebellione aduersùs Constantinopolitanam Ecclesiam, & postularunt ad degradationem. Etenim Epiphanius mortuam, ac sepultam legem, qua Imperator Theodosius Orientalis Illyrici ecclesias transcripserat in Patriarchale iusRegiæ ciuitatis, exhumare, ac resuscitare studuit, atque non modicè conturbauit Ecclesias. Quin Imperator Iustinianus magnis beneficijs ecclesiam cumulauerit, nemo possit inficiari. Attamen etiam plures ei intulit violentias. Ipsarum non minima est, quod istam legem rescripserit in suum Codicè, atq; ita voluerit viuificare.

Hinc Epiphanius istam accusationem admisit tanto impetu, vt nulla accusantium probatione, nec Canonica euocatione vsus, alios Prouinciæ Episcopos, ac Ecclesiæ Clerum à Stephani obedientia, & communione suspenderit, nec ipsi cibos, aut alia necessaria permiserit ex ecclesiastica substantia ministrari. Ipsum suspendit ab officio ac beneficio. Et inuitum iussit deportari Constantinopolim. Sibi exhiberi etiam iussit præfatos eius Consecratores. Nempe prætendebat Consecrationem sine sua præuia confirmatione non potuisse fieri, ideòque ipsorum crimen non indigere probationibus, sed esse manifestum. Et quidquid ad Apostolicam Sedem reclamaret Stephanus, affirmans Illyrici ecclesias non ad Constantinopolitanum, sed pertinuisse semper ac etiamnùm pertinere ad Romanum Patriarchatum, nullatenus fuit auditus, sed iudicatus est delictis accumulare delicta, atque ideò fuit tractatus pessimè; ac tandem à collecta ex aduenis episcopis synodo degradatus. Audiamus ipsum Stephanum, in suæ appellationis libello perorantem ad Bonifacium secundum Pontificem: [Cum igitur nihil approbatum de me fuisset, nec vlla esset Canonicæ vltionis culpa digna inuenta, sententiam protulerunt, & condemnates me à Sacerdotali Officio suspenderunt, cum me constet non dimissum fuisse pro meis plenis partibus allegare, sed & petenti aliqua meæ caussæ profutura ostendere non esse permissum. Quapropter supplicabam, vt non ante sententia diceretur, quàm quæ acta sunt ad vos beatissimos

rese-

referuntur, vt inde vestra de causæ discussio seruaretur. Quod dictum magis eos aduersùm me ampliùs incitauit, putantes de sacrarum ecclesiarum Regiæ Vrbis iure aliud minui, quod ego Apostolicam vestram Sedem visus sum nominasse. Etenim dixi, quia authoritas Sedis Apostolicæ, quæ à Deo, & Saluatore nostro est Summo Apostolorum data, omnibus sanctarum ecclesiarum priuilegijs antecellit: In cuius confessione omnes Mundi acquiescunt ecclesiæ. Sententia igitur lecta iustam denuò vestram audientiam implorani, apud quam nulla cuiuslibet disceptatio vestram potest disturbare iustitiam, sed timor Dei, qui inest in vobis, ipse vnicuique facit per vos sua iura restitui.]

Notanda sunt verba: [Supplicabam vt non ante sententia diceretur, quàm quæ acta sunt ad vos referrentur, vt inde vestra causæ discussio seruaretur.] Stephanus supplicabat, vt Epiphanius, dum Romanæ Sedis, & Thessalonicensis Vicarij iura volebat inuadere, saltem fixos huic ab ista limites non excederet. Etenim iste Vicarius sine præuia ad Romanum Pontificem relatione, & ante acceptum illius Rescriptum non poterat episcopos degradare. Hoc opus erat ex reseruatis. Hinc ista supplicatio offendit grauissimè. Epiphanius enim per istas ecclesias nequaquam Apostolicus Vicarius esse prætendebat, sed authenticus Patriarcha. Hinc censuit Stephanum nominando Apostolicam Sedem impingere in iura Constantinopolitanę Ecclesię. Epiphanius ab Acaciano schisinate plenè recesserat, plenamque Romanæ Ecclesiæ obedientiam fuerat iuxta præscriptum, & transmissum à Pontifice Hormisda libellum solemniter professus, ideoque nullatenùs circa Papalem exorbitat potestatem, sed dumtaxat circa Patriarchalem. Et hinc vndecumque auxilia sibi exquirens Stephanus tandem transiuit ad Papalem: [Authoritas Sedis Apostolicæ, quæ à Deo, & Saluatore nostro est Summo Apostolorum data, omnibus sanctarum ecclesiarum priuilegijs antecellit.] Supplicauit Epiphanio, vt si Patriarchalia Romanæ Ecclesiæ iura non vereretur inuadere, violentas manus saltem cohiberet à Papalibus: Quod non humana, sed diuina essent, & quod ad ipsa etiam ante sententiam posset prouocari. Quod omnium ecclesiarum quibuscumque priuilegijs antecellerent, ideòque interiectis ad ipsa prouocationibus etiam Patriarchæ deberent deferre reuerentiam, & audientiæ locum reseruare: Magni ponderis sunt verba sequentia: [In cuius confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiæ.]

Interim Epiphanius ad omnia clausit oculos, & aures. Quare Stephanus post recitatam sententiam denuò appellauit ad Pontificem Bonifacium. In appellationis instrumento enarrat Epiphanij in se violentias, & concludit: [Deprecor igitur vos, miseremini homini humili, & extenuato animo, adiuuate me per gratiam, quæ vobis à Domino est collata. Si enim, & alia peccata dimittere potestatem à Dei Verbo percepistis, quantò magis habebitis potestatem in his, quæ aduersùs me acta, atque decreta sunt? Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Quia ego ab omni humana spe derelictus esse cognoscor]. Profitetur Romanas appellationes esse non à Sardicensi Synodo, sed à Dei Verbo: Esse partem cęlestium Clauium, quas Dominus dedit Apostolo Petro. Etiam in alijs ad Pontificem literis habet: [Supplico vobis, si qua est Dei misericordia, si qua pietas, si qua dilectio, transite, & hic ipsum in Sancto Spiritu, secundùm beatum Apostolum, auxilium mihi ferentes, vestri, & vestrorum illius beatæ Sedis Decessorum recordantes, quia nullum vnquam ab aliquo iniustè noceri passi sunt]. Profitetur has appellationes esse antiquissimum, ac semper securum omnibus afflictis refugium. Et hasce literas Romam misit per Theodosium Echiniensis Ecclesiæ episcopum. Et adiungit rationem, cur ipse non accesserit: [Cum relecta fuisset sententia, mòx in custodiam Dei amatoribus sacræ Ecclesiæ Defensoribus datus sum. Sed aliqui Deum timentes, & meam miserantes miseriam, quod essem vndique destitutus, in sua fide susceperunt, multam pro me quantitatem pecuniæ promittentes quia non recederem, sed obseruaturum me esse in Regia ciuitate. Hunc habentes magnoperè tractatum omnes, qui aduersùm me ista consignauerunt, vt non possem ad vestigia vestræ Beatitudinis conuolare, & pro Dei mandato aliquam misericordiam à vobis percipere. [Hasce literas Theodosius Pontifici obtulit in Consistorio]. Hæc est Papalis Consistorij prima memoria. Res haud dubiè est longè antiquior.

Huic appellationi se adiunxerunt Elpidius Thebanus, Timotheus Cæsariænsis, & Stephanus Laminensis Episcopus. Quorum duo Stephanum consecrauerant. Quare sibi cum illo metuebant eadem. Hinc, & suas literas tradiderunt communi Legato Theodosio. Exponunt iniquam sui Metropolitæ degradationem, ac Epiphanij de inuadendis Illyrici Ecclesijs prauum animum, & concludunt: [Pro His, & vestram appellamus Beatitudinem, & Apostolicam Sedem, & per eam ter beatum Petrum, atque sanctæ Ecclesiæ primum Doctorem Christum Dominum nostrum audire, & adorare credimus, sperantes, vt miserorum hominum petitionem, quam cum anima tribulatione, & doloribus plena porreximus, minimè despiciatis, sed ista congrua emendatione corrigentes, rebus istis succurrentes, remedium dare dignemini]. Et infra: [Quia si non Dei misericordia, & vestra iuuamina nos præuenerint, tertius, & quartus nuncius similia deportans veniet. Quia non vsque ad Stephanum Dei Amatorem eorum conquiescit intentio, sed & alijs plurimis ista facient, & non ante quiescent, quàm vt ad effectum desideria sua perducant]. Per huiusmodi rapinas, ac violentias Byzantina Ecclesia, in Europæ Prouincia sub Heracleensi Metropolita vulgatis Parochia, pedetentim creuit in Patriarchatum. Tres isti Episcopi profitentur Romanam appellationem esse singularem reuerentiam sancti Apostoli Petri, ac adorationem Christi Domini. Quia nempè est huius Institutum.

Quid Bonifacius Pontifex circa hanc appellationem egerit, ignoramus. Posterior Synodalium Actorum pars perijt, aut latet.

Interim dubitandum non est, quin Epiphanium compescuerit, reparauerit Patriarchalia suæ Ecclesiæ Iura, & Stephanum suo Throno restituerit. Etenim Romana Ecclesia in istis Iuribus firma permansit vsque ad nouas rapinas Imperatoris Leonis Isauri. Aliquid documenti nobis reliquit Agapetus Pontifex. Etenim omninò videtur hic esse ille Stephanus, de quo scribit ad Imperatorem Iustinianum: [Vnde de Stephani episcopi Persona, & causa non credatis alicuius nos studio defensionis impelli. Absit à quorumlibet mentibus Christianis, vt in quacumque Persona, aut innocentiam redarguant, aut crimen absoluant. Sed vniuersa, quæ Sedis Apostolicæ super hac sunt parte Dispositā, illo semper studio manauerunt, quæ Principatui B. Petri vos quoque cupitis per omnia reseruari. Scilicet ne in his, qui Sedis eius Audientiam postulassent, sperata ipsius reuerentia, alterius sententia proueniret. Et ideò quia Clementina vestra salubriter offerre dignata est, vt à Legatis nostris omne negotium tractaretur, hanc operam his, quos incontinenti dirigimus, Deo authore mandamus, ita tamen, vt iam nunc communione nostra vir Religiosus Achilles pro vestra iussione debeat gratulari]. Epiphanius Bonifacij pro Patriarchalibus Apostolicæ Cathedræ iuribus Sancita omninò admiserat: Quia nempè etiam Imperator Iustinianus, meliora edoctus à Pontifice, Principatui beati Petri volebat illa reseruari. Attamen Stephanum noluit recipere in Sedem, affirmans criminosum, ideòque ab ipso circumuentum fuisse Bonifacium. Addidit defensionis, qua nempè Romani Pontifices sua iura zelabantur, studio reparatum. Hoc Agapetus purgat, additque nec à se crimen absolui, nec ab Epiphanio potuisse, aut debuisse redargui innocentiam. Quarè post Bonifacij mortem quæstio rediit ad tribunal Agapeti. Et hæc vtrimque audiens Iustinianus hæsit, ideòque rogauit retractari causam per Papales Legatos, ex alia causa venturos Constantinopolim. Et Papa assensit. Legati isti sunt Sabinus Canusinus, Epiphanius Asculanus, Asterius Salernitanus, Leo Nolensis, ac Rusticus Fesulanus Episcopus, qui etiam cum ipso Papa manserunt Constantinopoli, & post eius mortem adsederunt synodo Mennæ Patriarchæ, executi sententiam Agapeti contra Pseudo-Patriarcham Anthimum. Et hinc discimus Legatos istos non propter Anthimum iuisse in Regiam ciuitatem. Iuerunt enim adhuc viuente Epiphanio.

In eadem ad Iustinianum epistola Agapetus nos docet, & aliam Romanam ex Illyrico appellationem, pergens de memorato Achille: [At verò de Sacerdotio perfruendo, cum ad nos vniuersa, quæ Legati nostri cognouerint, plenissima eorum fuerint relatione perlata, consideratis sanctorum Canonum Regulis, quas seruari præcipitis, sequenda firmiùs censebuntur. Quod autem Clementia vestra Fratris, & Co-episcopi nostri Epiphanij dignata est excusare personam, quia in prædicti Achillis consecratione vestra potiùs iussio, quàm illius ordinatio præuenisset, credimus, quod & ipse cognouerit iure culpatum, qui præter alia, quæ deliquit, hoc certè excusare vix poterit, quod tam pijssimo, & Clementissimo Principi, beati quoque Petri priuilegia defensanti, non vel opportunè suggesserit, quid in hac parte Sedis Apostolicæ reuerentiæ deberetur]. Epiphanij delicta hucvsque ignorauimus. Et addidicimus ex Bonifacij secundi Pontificis Romana synodo, publicata per Dominum Lucam Holstenium. Fuerunt excessus in Illyricum: In Patriarchalia isthìc iura Romanæ Ecclesiæ. Epiphanius itàque sola istorum episcoporum præuia confirmatione non contentus inuasit etiam consecrationem. Et quò obtineret, à circumscripto Iustiniano extorsit sacram iussionem. Eius vigore consecrauit nescio, cui Prouinciæ, & ciuitati Achillem. Hic possit fuisse vnus ex quatuor Scythiæ Monachis, qui tria famosa Capitula detulerunt ad Horsmidam Pontificem, & ipsorum Apostolicam approbationem tamdem obtinuerunt à Ioanne secundo. Erant enim grati, & Iustiniano, & Epiphanio. Quisquis fuerit, Metropolita, aut Thessalonicensis Vicarius non dormijt: Intrusum hominem synodaliter excommunicauit, ac degradauit. Et ille Romam accessit cum Regijs literis, quæ omnem excessum ab Epiphanio transferebant in Principem, allegabant simplicitatem, & circumscriptionem, reparabant iura Romanæ Ecclesiæ, & Achilli veniam, communionem, & gradum ex gratia supplicabant. Verùm Agapetus intellexit machinam: Propter Imperatoris preces Achilli communionem reddidit, gradus causam iussit pleniùs retractari per suos Legatos. Adducere possim etiam Ioannis Nicopolitani episcopi, per veterem Epyrum Metropolitæ, Thomæ, Nicostrati, & alterius Ioannis ad Hormisdam, aliorumque in Illyrico episcoporum ad alios Pontifices appellationem: Verùm adducta exempla abundè sufficiunt.

Scio omnia hæc exempla esse Innocentio primo posteriora, ideòque forsan futurum, vt Domini Petri de Marca Symmystæ eis obstrepant, & conentur rodere. Sed sine fundamento. Etenim omnia haud-quaquam sunt prima sui generis, sed ferè singula clamant ad antiquam consuetudinem. Hinc repeto Sardicenses Canones esse in Illyrico conditos, & à Gaudentio Illyriciano episcopo postulatos, ideòque de perpetua ipsorum isthìc obseruantia non posse dubitari. Quid memoro solùm Gaudentium? Ipsius Sardicensis ciuitatis episcopus Protogenes fuit Ho sij Præsidis in omnibus adiutor, vti sancto Cyrillo in Ephesina synodo, Memnon Ephesius. Hinc vti omnem suam rabiem Ioannis Antiocheni Factio non solùm in istud, sed in hunc profudit, ita & Eusebianæ Factionis Philippopolitanum Conuenticulum omnes sui furoris habenas laxauit, non solùm in Hosium, sed & in Protogenem. Et hoc ob Romanas appellationes, ob probatam, & stabilitam, quam Iulius Pontifex fecerat, sancti Athanasij, Marcelli Ancyrani, aliorumque Orientalium, qui Romam appellauerant, episcoporum restitutionem. Et ob susceptos alios appellantes. Non ob aliam causam. Audiamus verba Conuenticuli: [Cum venissemus Sardicam, didicimus in media Ecclesia Athanasium, Marcellum, & alios sceleratos Concilij Orientalis sententia pulsos, & meritò singulos pro suis

suis facinoribus prædamnatos, cum Hosio, & Protegene sedere simul, & disputare, & quod deterius est, Diuina celebrare mysteria. Protogenes Sardices episcopus non confundebatur communicare Marcello Hæretico, cuius, & Sectam, & reprobum sensum propria voce ipse damnauerat]. Exponunt propositas à se circa Athanasij causam conditiones, & pergunt: [Hanc optionem à nobis propositam Hosius, & Protegenes suscipere timuerunt. Immensa autem confluxerat Sardicam multitudo sceleratorum omnium, ac perditorum. Et eos omnes secum collectos habuerunt Hosius, & Protegenes, eosque honorantes, nos Sacerdotes Dei despiciebant, quia nec ipsi volebamus talibus aliquando coniungi. Hi scelerati, & perditi erant Orthodoxi episcopi, & clerici, qui per Factionem istam degradati Romam appellauerant, & à Iulio Pontifice reuestiti erant Sardicam missi ad plenam suæ causæ retractationem. Sua in ipsos iudicia illi volebant esse supema, ideòque per Iulium non potuisse eos reuestiri. Hinc concludunt: [Nos enim omninò illis], Hosio, & Protogeni. [communicare noluimus, nisi eos, quos damnauimus, proiecissent, & dignum honorem Concilio Orientis tribuerent]. Hac de causa fugerunt Philippo-polim, & illic Hosium, ac Protogenem, vti quinti Nicæni Canonis præuaricatores, in libri sui capite condemnauerunt.

Sardicensi Concilio etiam adfuit Ætius Thessalonicensis Archi-episcopus: Et canonibus non solummodò subscripsit, sed, & illustri suæ ciuitati obtinuit illustre priuilegium. Insupèr ipse successit Eutychiano, ac Museo, qui de ista Cathedra litigauerant, & ob vtriusque electionis vitium fuerant ambo extrusi. Dubitandum non est, quin istam litem, aut alterius, aut vtriusque appellatio Romam deuoluerit, atque ita ipsam diremerit sanctus Iulius. Nam, & litis reliquias absoluit Sardicensis synodus: Haud dubiè ex mandato eiusdem Iulij. Legitimus Ætij Antecessor fuit magnus ille Alexander, qui Tyriæ synodis actis præseus se constanter opposuit, & sanctum Athanasium adiuuit in omnibus, etiam in Romana appellatione. Hinc enim idem Athanasius eius literas suis Apologijs inseruit, exindè apud totam Ecclesiam contestans, & firmans suam innocentiam. Hæc omnia latissimè clamant Romanas appellationes etiam ante primum Innocentium semper viguisse in Illyrico: Haud dubiè illic traditas, & fundatas à sancto Apostolo Paulo.

CAPVT XXXV.

Quomodo circa Romanas appellationes egerit magnus Gregorius?

DE magni Gregorij circa Romanas Gallicanę Ecclesię appellationes Actis Dominus Petrus de Marca hæc scribit: [Gallicanam Ecclesiam Gregorius haud aliter tractauit, quàm Africanam. Iussit enim, vt causæ Gallorum in Concilijs Gallicanis definiantur, vt statim ostendam. Et infrà adducit Leonis quarti ad minoris Britanniæ episcopos, & Gregorij quarti ad Gallicanos Antistites circa Aldrici Cenomanensis episcopi causam literas, & prosequitur: [Hæ duæ constitutiones contrariæ erant Canonibus, in duobus capitibus. Tum ex eo, quod iubent, vt si Episcopus accusatus appellet à synodo Prouinciæ ante iudicium, vel si primam causæ suæ cognitionem à Romano Pontifice suscipi postulet, litis instructione supersedeatur, donec Papa statuerit, quid sequendum sit. Tum etiam, quod arbitrio suo reseruent, an Episcopus in Vrbe Roma iudicandus sit, an verò dimittendus in Prouinciam, illic iudicandus coram Legatis Sedis Apostolicæ. Quod sumptum ex more vsurpato à Gregorio magno. Qui tamen Gallias, & Africam distinguebat ab alijs Prouincijs, & cum eis diuerso prorsùs modo se gerebat, quàm cum alijs.]

L. 7. C. 18.

Cap. 21.

Errores varij. Primus est, quod quartus Gregorius, & quartus Leo sanxerint contraria sacris Canonibus. Secundus est, quod istud ipsum fecerit magnus Gregorius: quod vsurpauerit, & quod suas vsurpationes transfuderit in Successores. Est non leuis in tantum Pontificem, ac in non minimos eius successores iniuria. Etenim non ipsi soli, sed omnis sub cœlo Ecclesia sacros Canones sic semper intellexit. Quantus sacrorum Canonum Doctor, & custos fuerit venerandus, & magnus ille Gregorius, qui possit ignorare? Certè S. Pauli Apostoli prophetiam, quæ nobis prædixit in periculosis nouissimorum dierum temporibus futuros homines parentibus inobedientes, S. Augustinus intellexit de deneganda obedientia sanctis Ecclesiæ Patribus. Tertius error est, quod magnus Gregorius Gallicanam Ecclesiam circa Romanas appellationes non aliter tractauerit, quàm Africanam. Etenim quo suarum epistolarum aut aliorum Scriptorum loco æquiparauit ista illarum Ecclesiarum iura, aut consuetudines? Nec apicem adduxeris. Attamen Dominus Archiepiscopus errando prædicat verum. Etenim magnus Gregorius suæ sanctitatis, ac prudentiæ suauitate, ac fortitudine Africanam Ecclesiam eò perduxit, vt à sua auita, quæ Romanas inferioris Cleri appellationes nunquam admiserat, consuetudine recederet, & promptissimè acquiesceret istis appellationibus: & vt ipsas retractari, ac definiri à Papa permitteret iuxta Sardicensem formam, atque ita se accommodaret ad mores, ac leges totius sub cœlo Christianitatis. Hoc sensu magnus Gregorius Gallicanam Ecclesiam tractauit, non aliter, quàm Africanam. Quia hanc deduxit ad illius mores. Hæc mea asserta demonstrabo inferiùs per lucida exempla, ac testimonia.

Dominus Archiepiscopus è Gallia transit in Hispaniam. Sicut illi, ita & huic conatur affricare sua deuia commenta, atque ita eis patrocinium acquirere. Irrito, ac in vtramque Ecclesiam iniurioso studio. Exponit quædam circa Romanas Afrorum appellationes, & pergit: [Alium ordinem tenuit S. Gregorius quoad Hispaniam, vbi disciplina quiddam speciale inuexerat in iudicijs Episcoporum. Ecclesiæ enim illius nationis vtebantur Canonibus à Martino Bracharensi col-

collectis, itemque ijs qui in synodis Hispanicis condebantur. Eam collectionem concinnauit Martinus circa annum Domini quingentesimum septuagesimum primum, rogantibus Episcopis Gallęciæ: in qua Canones Gręcos in epitomen redactos edidit, quos accommodauit ad vsum Hispaniæ, & ad Canones Conciliorum Toletanorum. In Canone autem decimo tertio causam Episcopi definiendam esse ait in synodo Prouinciali; si verò diuisa fuerint iudicum vota, tum vocandam esse prouinciam finitimam iuxta Canonem Antiochenum.] Rectè. Attamen Martinus non omnem vicinam Prouinciam, sed sanxit aduocandum solum eius Metropolitam. Antiochenus enim Canon variè legitur. Dionysius exiguus legit: [Metropolitanus Episcopus è vicina Prouincia iudices alios conuocet, qui controuersiam tollent.] Consonat Gentiani Herueti translatio: [Metropolitanus Episcopus ex propinqua Prouincia alios euocet iudicaturos, & controuersiam decisuros.] At verò Isidorus Mercator transtulit in hunc modum: [Placuit Metropolitanum Episcopum vicinæ Prouinciæ aduocari; & aliquantos cum eo Episcopos alios.] Et hanc translationem secutus est, aut potiùs fecit Martinus Bracarensis, atque omisit voces: [Et aliquantos cum eo episcopos alios.] Erat vir Græcus, ideoque omninò videtur ipse esse auctor translationis. Istum tamen Codicem non pro tota Hispania fecit, sed pro solo Sueuorum regno, cuius Regem Theodomirum ab Ario traduxit ad Christum Dominum. Interim Codicem postmodùm assumpsit omnis Hispania, & seruauit vsque ad octauam Toletanam synodum. Cur aliquot voces ex Antiocheno Canone Martinus omiserit, ignoro. Possit respexisse præsertim ad casum parium suffragiorum.

Quod tamen Romanis appellationibus nocere nequaquam voluerit, est longè certissimum. Lucet ex appellatione Ianuarij Malacitani episcopi, ac alterius, nescitur vbi, episcopi Stephani ad magnum Gregorium. Attamen circa hunc Stephanum aliquid luminis accipimus ex hìs Gregorij verbis: [De persona Stephani episcopi hoc attendendum est, quia nec inuitus ad iudicium trahi, nec ab episcopis alieni Concilij debuit iudicari.] Et infra: [Contra hæc si dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham, dicendum est, quia à Sede Apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, causa hæc audienda, ac dirimenda fuerat, sicut prædictus episcopus petijsse dignoscitur, qui episcopos alieni Concilij habuit suspectos.] Hinc discimus istum Stephanum non fuisse Hispaniæ episcopum. Etenim in omni Hispania nullus tunc Episcopus erat sine Metropolita. At verò accusabatur de læsæ Maiestatis crimine, ideòque omninò erat subditus Gothici regni. Proinde fuit ex Narbonensi Gallia. Hæc enim ad Regnum istud spectabat, & ipsum non ferebat bono animo. Hinc igitur Recharedus Rex Stephanum non ab eius Gallis, sed à suis Hispanis iudicari voluit: & ille hos suspectos habuit, ideòque, & prouocauit ad magnum Gregorium. Et istam appellationem Pontifex omninò approbat, affirmatque ipsi fuisse deferendum. Etiam ante omnem sententiam. Et nunquam, quidquid Dominus Petrus de Marca scribat, credidero illum censuisse contraria sacris Canonibus.

Lib. 11. Epist. 6.

Itaque Stephanus episcopus de læsa Maiestate accusatus, fuit à Recharedo Rege, euocatus Toletum, traditus iudicio istius synodi, ab ipsa degradatus, ac eius in Sedem statim ordinatus alius. Et gloriosus Comitiolus, Regij Fisci Præfectus, inuasit eius omnia. Etiam S. Leander Hispalensis episcopus, Bœticæ Prouinciæ Metropolita, in sua synodo ob nescio, quæ crimina degradauit Ianuarium Malacitanum episcopum, necnon & quemdam eius Presbyterum. Et omnes tres appellarunt ad magnum Gregorium. Quare optimus Pontifex Ioannem, Romanæ Ecclesiæ defensorem, legauit in Hispaniam, cum his instructionibus: [Imprimis requirendum est de persona Presbyteri. Et si ita se veritas habet, sicut episcopi Ianuarij petitio continet, in Ecclesia, atque in loco suo idem Presbyter modis omnibus reuocetur. Si autem dictum fuerit, quia contra ipsum causa aliqua mota siue probata est, subtiliter, ipso præsente, & pro se rationem reddente, quærendum est, & genus causæ, & modus probationis, vt ex hoc colligere valeas, vtrum adhuc in exilio demorari, an certè in Ecclesiam suam, & officium suum debeat reuocari. De episcopi persona hoc statuendum est, vt si nulla contra eum criminalis causa, quæ exilio, vel depositione digna est, mota, siue probata est, is, qui eo superstite episcopus peruersè, ac contra Canones in Ecclesia eius ordinari præsumpsit, Sacerdotio priuatus, ab omni Ecclesiastico ministerio repellatur. Qui etiam eidem dilectissimo Ianuario, Fratri & Coepiscopo nostro, tradendus est, vt ab ipso, aut in custodia habeatur, aut certè ab eo ad nos per omnia transmittatur. Episcopi verò, qui eum ordinauerunt, vel eius ordinationi consentientes interfuerunt, sex mensibus Dominici corporis, & sanguinis communione priuati, agere pœnitentiam decernantur in Monasterio: & suprascriptus Ianuarius loco, & ordini suo modis omnibus reformetur. Gloriosus autem Comitiolus, quidquid prædictus episcopus per violentiam, atque insecutionem ipsius expendisse, vel damnum pertulisse, dato sacramento firmauerit, eidem episcopo restituere condemnetur.] Eadem sanxit circa causam Stephani. Et plura alia.

Sanxit varia. Primò, ad istas appellationes retractandas non legat è suo latere episcopum, aut Cardinalem Presbyterum, sed minorem Clericum: Ioannem defensorem Romanæ Ecclesiæ. Secundò, mandat, non vt Ioannes cum eiusdem, aut vicinæ Prouinciæ episcopis, sed vt solus omnes istas causas retractet, atque definiat. Causas tanti ponderis. Læsæ Maiestatis. Tertiò mandat, vt sub quibusdā conditionibus statim reuestiat non solos episcopos, sed etiam presbyterum. Quartò mandat, vt reuestitos iubeat præsentes adesse retractatorio iudicio, atque ita ipsos definitiuè reparet, aut damnet. Quintò mandat superordinatos episcopos statim eijci, declarari intrusos, atque irregulares, tandemque insigniter castigari. Tradi in voluntatem, ac potestatem episcopi, cuius Thronum præsumpserunt per adulterium adscendere.

dere. Sextò mandat degradatos episcopos non de solis spiritualibus reuestiri, sed etiam de temporalibus: Regij Fisci Præfectum compelli ad reddenda ipsis omnia. Et iuxta hæc Ioannes defensor constanter iudicauit. Omnia iuxta Sardicenses Canones. Et sic discimus horum sensum esse, quod Pontifex non obligetur è suo latere episcopum, aut Cardinalem presbyterum legare, sed quod possit etiam minorem Clericum: & quod hic solus iudicare possit, sine quauis synodo. Audiamus rationem ab homine Schismatico, Theodoro Balsamone, scribente ad quintum Sardicensem Canonem: Papæ iudicio Canon relinquit omnia.

Dominus Archiepiscopus hæc, vtpotè lucidissima, euertere non valet, studet tamen rodere: [Suspicor episcopos Hispanos non admodùm patienter tulisse iudicia isthæc Romana. Nam appellationis ad Apostolicam Sedem remouendæ causa nouam legem introduxerunt in gratiam episcopi damnati: Nimirum, vt ei liceat secundam synodum impetrare ad obtinendam restitutionem suam. Colligitur id ex Canone vigesimo octauo quarti Toletani Concilij.] Audi Canonem: [Episcopus, Presbyter, Diaconus, si à gradu suo iniustè deiectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altario de manu episcopi.] Addere debuerat vndecimum Canonem octauæ Toletanæ synodi: [Decreta præcedentium Patrum, ad contentionis iurgium radicitùs euellendum, ritè synodalem censuere fieri Conuentum, vt illic de diuersitate iudiciorum protensæ lites habeant terminum, vbi Spiritus Sanctus vniuersalem coadunauit cœtum. Ab hoc ergo Spiritu Sancto succensi, ne quælibet impostcrum aut impunè valeant committi, aut generalia statuta conuelli, plena decernimus vnanimitate connexi, vt quæcumque pro fidei causis Ecclesiasticisque negotijs, aut præteritis Gestis, aut in præsentibus Constitutis, aut futuris etiam Decretis, vel sint, vel fuerint definitiones conscriptæ vniuersali authoritate, nullus his deinceps contradicere audeat, nullus ea euertere præsumat, nullus non implere contendat.] Disertè sanxit generalis Hispanicæ synodi Decreta esse inconcussa: Dominus Archiepiscopus ex ipso potuerat dicere, quod sancirentur suprema, ac etiam Romam inappellabilia.

Sed absint hæc ab Hispanica pietate. Dominus Archiepiscopus de ipsa suspicatur nimis temeraria. Quod constantissimè semper steterit pro auita S. Petri authoritate, & quod circa Romanas appellationes nunquam retrocesserit ab Orthodoxo sensu sui venerabilis Hosij, possit lucidè demonstrari alijs insuper exemplis, ac testimonijs. Quæ pietas stetit immota, immò & creuit, etiam sub barbara captiuitate Saracenorum. Testantur hoc famosæ antiquorum Pontificum epistolę, quas octauo sęculo Isidorus Mercator ex Hispania portauit in Galliam. Sunt viri Hispani opus, conflatum ad suis Contribulibus retinendam, aut refricandam, quam barbarica calamitas dormire coegerat, antiquorum canonum memoriam: Præsertim circa Romanas appellationes, aliaque capita Romani Primatus. Vti Vigilius Tapsensis episcopus varia sub S. Athanasij, ac etiam sub Idacij Clari nomine scripsit contra Arianos, ita iste Anonymus Author contra veros, aut fictos Æmulos Romanæ Cathedræ. Et vetusta, quandoque in bonum, quandoque in malum, industria. Nam & in libro de Pelagij apud Diospolitanam synodum Gestis scribit S. Augustinus: [Mihi quidam Fratres nostri nonnulla opuscula sub meo nomine in Hispaniam venisse dixerunt, quæ quidem ab eis, qui alia nostra legissent, non agnoscerentur, ab alijs tamen nostra esse crederentur.] Ista industria nobis peperit plures Apocryphas Scripturas vtriusque Testamenti.

Interim manifestum est, quod Hispanorum episcopi sub Gothorum, ac Sueuorum Regum Principatu quasdam Ecclesiasticis iudicijs nouitates induxerint. Prima est præfata forma Antiocheni Canonis. Verùm illa non fuit perpetua. Fuit circumducta per vndecimum Canonem octauæ Toletanæ synodi: [Cum quælibet sancta synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quidpiam definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem fortè dissentiant, aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annuæ sententiam luant.] Secunda nouitas est, quod degradato per Prouinciæ synodum episcopo, aut clerico permiserint appellare ad aliam synodum. Nempè ad synodum totius Regni. Etenim stante ante Gothorum inuasionem Romano Imperio Hispania nullum Primatem, nullum Apostolicum Vicarium, ideòque nec Diœcesanam habuit synodum: Omnes Prouinciæ erant à paribus, adeòque ab ipsarum iudicijs prouocari non poterat, nisi ad episcopum Romanorum iuxta sextum Nicænum Canonem. Gothorum Dominatus inuexit generales synodos, ideòque & hanc appellationem. Tertia nouitas est in primo Canone nonæ Toletanæ synodi: [Quod si talia Episcopus agere tenter, Metropolitano eius Clerici insinuare procurent; si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differunt.] Est similis sexto Canoni Francofordiensis synodi: [Si aliquid est, quod episcopus Metropolitanus non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant Accusatores, cum Accusato, cum literis Metropolitani, vt sciamus veritatem rei.] Francorum Reges istiusmodi negotia transmittebant suo Archicapellano. At verò Gothorum Reges non habuerunt istiusmodi Tribunal: Hinc transmittebant ad Synodum totius Regni. Vtrumque fuit contra Canones. Vtrumque tamen Regnum semper admisit clausulam: Salua in omnibus reuerentia Romanæ Ecclesiæ.

Harum innouationum radix fuit Romani apud Hispanos Imperij per Barbaros euersio, cuius calamitates deplorari supra audiuimus à S. Auito Viennensi episcopo in literis ad Faustum, & Symmachum, Senatores Romanorum. Quæ ratio præsertim permouit S. Martinum Bracharensem. Etenim synodalia, præsertim Episcoporum degradatoria, iudicia oportet esse matura: At verò eius tempore apud Gallæcos, & Lusitanos Sueuorum

Rex

Rex Theodomirus, apud alias Hispanias dominabatur Gothorum Rex Athanagildus, ambo Ariani, ideòque auersi, vti à Romana Republica, ita etiam à Romana Ecclesia. Quare huius, licèt non inuocatio, tamen accessus Orthodoxis erat impossibilis: Eius item Legationem admittere erat obnoxium magnis difficultatibus. Hinc igitur sanctus ille Martinus præfata iudicia voluit esse maturissima, ideòque Orthodoxis Hispanorum Synodis imposuit præfatam formam Antiochenam. Verùm Diuina clementia istis Ecclesijs tandem dedit meliora tempora. Dedit Recharedum, non solummodò Regem, sed & Apostolum suæ Gentis: Regem Catholicum, non verbo & lingua, sed opere, & veritate. Eius pietatem, & reuerentiam erga Apostolicam Sedem docent Gregorij magni ad ipsum literæ. Et eius vestigia Successores sunt insequuti. Sic amplissimæ ex cunctis Hispanijs portæ patuerunt Romanis appellationibus. Hinc octaua Toletana synodus dispensatorio Martini Bracarensis temperamento, & Antiocheno Canoni valedixit, ac Prouincialibus synodis reddidit antiquam formam, ac faciem.

Admiranda sunt, quæ Dominus Archiepiscopus scribit de Romanis appellationibus Illyricianæ Ecclesiæ: [Post Gregorij magni tempora Paulus Archiepiscopus Cretæ, quæ Patriarchatui Occidentis subiecta erat, ausus est prohibere, ne ad Vitalianum Papam prouocaretur. Deposuerat is Ioannem Episcopum Lappensem in ea Insula: Qui Romam appellans occasionem dedit synodo, quę anno sexcentesimo quinquagesimo octauo congregata est à Papa Vitaliano. Cum recitata fuissent Acta, reuocata sententia est, tamquam contraria Canonibus. Docet autem epistola Vitaliani ad Paulum, eum appellationi cedere noluisse, in quo sanè nullo iure nitebatur.] Tota Domini Archiepiscopi mens, ac spes est Mundo persuadere, quod Prouincialium synodorum iudicia sint suprema, ideòque & inappellabilia, etiam ad Sedem Apostolicam: Et quod ita sanciatur à quinto Nicæno Canone. Quin, & Innocentium primum Pontificem de audacia damnat, quod ista Illyricianæ Diœcesis iudicia pulsare præsumpserit. Et ecce hic Metropolitam Paulum, dùm Ioannis appellationi recusat cedere, affirmat nullo fuisse nixum iure, egisse Canonibus contraria, ac esse dignum de audacia notari. Nempè veritas, quamtumcumque veletur, aut vexetur, non potest non emittere suos radios.

Creta erat Illyriciana Prouincia, ideòque hęc Ioannis Lappensis appellatio demonstrat istud S. Petri priuilegium in ista Diœcesi semper viguisse. Et quidem iuxta formam Sardicensem. Hinc enim Paulus Metropolita degradatum Ioannem, licèt primò clauserit, appellantem tamen soluit, ac permisit Romam abire. Et misit Acta sui synodalis iudicij. Et ipsum Pontifex grauiter arguit, quod non per Clericum miserit, immò nec epistolam adiunxerit. Insuper eius verba, quæ Ioanni appellanti dixerat. [Quia non competenter quæris,] affirmat fuisse indecentia, & adiungit: [Quæ ergo SS. PP. sanxerunt, indecentia sunt? An placentia tibi decentia sunt?] Et Ioannes Pontificem supplex adiurauit, [vt secundùm Sacratissimos Canones, Institutaque Sanctorum Patrum, suæ causæ meritum requireret.] Et Vitalianus fecit ex Actis. Ioannem reuestiuit, ac remisit in Sedem. Et Paulus plenè obediuit. Etenim Ioannes, vti Canonicus episcopus, adfuit, ac subscripsit sexto generali Concilio.

Eadem forma sub magno Gregorio constantissimè viguit per cæteras vtriusque Illyrici Prouincias. Etenim Adrianus in Thessalia Thebanus Episcopus à Ioanne Larissæ episcopo, suo Metropolita, ad Ioannis, ac Cosmæ Diaconorum accusationem fuit ob pecuniarias causas damnatus ciuiliter, & ob crimina degradatus. Et quidem priorem admisit, aduersùs posteriorem sententiæ partem prouocauit ad Ioannem Acridensem, seu primæ Iustinianæ Episcopum, istarum Prouinciarum Apostolicum Vicarium. Et hic degradationem confirmauit. Quare Adrianus appellauit ad magnum Gregorium, & accessit Vrbem. Et post varia Pontifex ad Ioannem Vicarium scripsit: [Postquam ex abundanti tibi constat appellationem esse porrectam, mirati sumus, cur nec homines tuos, secundùm cautionem Honorato Diacono nostro per Responsales Ecclesiæ tuæ expositam, qui tui iudicij rationem potuissent reddere, transmisisti. Quod factum te, vel de contumacia, vel de conscientiæ trepidatione redarguit. Si igitur hæc, quæ nobis aperta sunt, veritate vallantur, quoniam occasione virium nostrarum consideramus vos iniusta præsumere, de his aliàs, secundùm quod à nobis deliberatum fuerit, Christo auxiliante decernemus. Quòd verò ad præsens attinet, cassatis priùs atque ad nihilum redactis sententiæ tuæ Decretis, ex B. Petri Principis Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra communione priuatum, ab omnipotente Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia, & lachrymis exorare. Præfatum verò Adrianum, Fratrem, & Coepiscopum nostrum, ex tua sententia, neque Canonibus neque legibus existente damnatum, in locum suum atque ordinem reuerti Christo comitante disponimus, vt illi non noceat contra iustitiæ tramitem prolata sententia.] Quæ omnia consequenter Pontifex repetijt, ac latiùs exposuit in literis ad Ioannem Metropolitam Larissæ.

L. 2. indic. 11. Epist. 6.

Affirmat varia. Primò, quod Ioannes Acridensis occasione Papalium virium iniusta præsumeret. Nempè occasione vicis Apostolicæ. Etenim Acrida erat Iustiniani Imperatoris Patria, ideòque per ipsum insignita glorioso nomine primæ Iustinianæ. Idem Princeps, vt illius Episcopum erigeret, à Vigilio Pontifice extorsit illi dignitatem Metropoliticam, nec non, & partem Apostolici Vicariatus, quem Thessalonicensis Episcopus vsque tunc habuerat in totum Illyricum. Hunc Vicariatum S. Gregorius vocabat suas, seu suæ Sedis vires. Per ipsas igitur Ioannes erigebat sua cornua, & in subditos sibi episcopos exercebat tyrannidem. Secundò Gregorius affirmat; quod degradatus Adrianus ante omnia accesserit Constantinopolim, & illic

illic coram Honorato, Romanæ Ecclesiæ Diacono, ac Apocrisario publicauerit suam Romanam appellationem. Tertiò, quod Honoratus aduocauerit Ioannis Acridēsis Apocrisarios, ipsis hanc appellationem insinuauerit, iusseritque admitti. Quartò, quod ipsi eam admiserint, ac insuper non simpliciter, sed sub interposita cautione spoponderint fore, vt ipsorum Episcopus Romam mitteret Legatos, reddituros rationem Synodalis in Adrianum iudicij. Quintò quod Ioannes nihil minus fecerit, ideoque se Pontifici reddiderit variè suspectum. Sextò, quod hac de causa Pontifex fuerit compulsus causam retractare ex Synodalibus Actis. Septimò, quod reperitur sententiam esse non solummodò iniquam, sed insuper malignam. Octauò, quod hac de causa Adrianum plenissimè repararit, ac Ioannem insignitèr castigauerit. Quę omnia sunt manifestè facta secundùm Canones Sardicenses.

AliudRomana ex Illyrico appellationis Exemplum habemus in eiusdem Gregorij literis ad Sapinianum Iadertinum Episcopum: [Habitatores Epidauriensis ciuitatis Florentium, quem suum dicunt esse Episcopum, sibi à nobis restituendum studiosissimè poposcerunt, asserentes frustra eum ad solam tantummodò voluntatem Natalis quondam episcopi detrusum exilio. Et ideò quod de eius causa Fraternitas vestra cognouit, nobis suis subtilitèr epistolis innotescat: Si autem necdum cognouerit, requirat, nobisque renuntiet, vt quidquid de eo statuendum sit, certi deliberare auctore Domino valeamus.] Natalis Salonitanus Episcopus, Dalmatię Metropolita, Florentium Epidauriensem Episcopum degradaret: & ipsum, quia nescio quibus de Causis acquiescebat sententiæ, eiecit, ac deportauit. Et res ita mansit vsque ad mortem Natalis. Cuncti videntur timuisse eius violentiam, atque potentiam. At verò post eius mortem, licèt Florentius ob quietis, ac silentij amorem non se moueret, eius ciues sunt locuti: prouocauerunt ad magnum Gregorium, ac suum iniquè degradatum Episcopum supplicarunt reparari, ac sibi restitui. Sententia iam pridem transiuerat in rem iudicatam, ideòque non erat reuestitioni locus. Nihilominus iustissimus Pontifex, qui violentos Natalis mores optimè nouerat, censuit causam retractandam. Hinc à Sabiniano, annoso istius Prouinciæ episcopo, qui Synodo forsitan interfuerat, ante omnia postulauit instrui, atque ita non circumscribi ad impingendum in Canones.

Lib.7.Epist. 22.

Et ecce hinc occurrit tertium Illyricianæ appellationis exemplum. Etenim præfatus Natalis Honoratum suum Archidiaconum, quod per ipsum impediretur ab Ecclesiæ bonis profundendis in suos consanguineos, inuisum habuit, ideoque inuitum consecrauit in Presbyterum, atque ita callida arte sub Honorius fuco degradauit. Hinc Honoratus, quoniam ad Prouinciæ Synodum prouocare contra Metropolitam non poterat, prouocauit ad Sedem Apostolicam: Et ipsum Gregorius exaudiuit, ac reuestiuit, Natalem, nisi obediret, comminans ab Episcopalis Pallij vsu, immò, & ab omni Episcopali officio suspendere. Etiam superordinatum eiecit; & post varias querimonias, ac minas adiunxit: [Restituto igitur loco suo Honorato Archidiacono, instructam personam sub festinatione transmitte, qui mihi hoc debere, ex ratione fieri suis possit allegationibus demonstrare. Eumdem namq; Archidiaconum ad nos venire decreuimus, vt quidquid iustum, quidquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed auctore Deo normam iustitiæ, postposita cuiuslibet personæ acceptione, custodimus.] Vtramq; partem euocauit ad rettactatorium in suo tribunali iudicium. Palàm secundùm Sardicenses Canones. Et hinc videmus duo. Primò, quod etiam inferior Illyrici Clerus Romam appellauerit. Secundò, quod Sardicenses de Romana appellatione Canones, licèt solos episcopos exprimant, comprehendant tamen, & Clericos, & ambos iubeant tractari sub eadem forma. De hac Honorati appellatione magnus Gregorius scripsit quatuor epistolas. Exstant in secundo eius Regesto, sub decima indictione. Epist.14.15.16 17.

Aliud Illyricianæ appellationis exemplum posset esse istius Natalis proximus Successor Maximus, quem laudatus Gregorius meritò appellat maximum præuaricatorem. Fuit enim plenus facinoribus, intrusus per Simoniam, ac militarem violentiam. Eius causa fuit partim prima cognitio, partim appellatio. Digna edisseri; at nimis longa. Interim ostendi oportet secundùm quos Canones Gregorius ipsam tractarit, ac definiuerit. Ostendit hoc Papalis epistola, cui hæc Epigraphe: [Gregorius Maximo in Salona, qui Episcopatum arripuit.] Post quædam prosequitur: [Certus esto, quia iustitiam tibi, & canonum Statuta seruabimus, atque causæ tuæ, reuelante Domino veritatis auctore, amicum iustitiæ finem imponemus. Nam quod postulas, vt illuc personam dirigere debeamus, qua præsente de his, quæ dicuntur possit esse probatio, esset vtcumque excusabile, si vnquam ratio ei, qui accusatur, necessitatem probationis imponeret. At postquam non tibi, sed accusantibus hoc onus incumbit, ad nos, sicut præfati sumus, dilatione cessante venire non differas. Quod verò indicas Serenissimos Dominos, vt illic debeat esse cognitio præcepisse, nos quidem nullas eorum alias de hac re, nisi quod ad nos venire debeas, iussiones accepimus. Sed etsi forsitan pro Reipublicæ suæ vtilitate multa cogitantibus suggestum est, & eorum iussio per obreptionem elicita, postquam, & nobis, & omnibus notum est pijssimos Dominos disciplinam diligere, ordines seruare, Canones venerari, & se Sacerdotalibus causis non miscere, instanter exequimur, quod & illorum iuuat animā, atque Rempublicam, & ad quod nos terribilis, tremendique Iudicis respectus impellit. Quiesce ergo à cunctis excusationibus, & huc adesse non differas.] Præuaricator Maximus erat potens in aula, & magnos Palatinos habebat sibi obnoxios, ideòque in eius causa Gregorius timuit à sacris iussionibus: Nec sine causa. Etenim Maximus ex tunc operabatur ad obtinendam talem, quæ mandaret hanc causam non euocari

Lib.5 Epist. 25.

cari Romam, sed per Papales Legatos tractari in partibus. Hinc etiam Gregorius supplicauit Principi, vt per sacrum Rescriptum permitteret omnia procedere secundùm Canones. Et obtinuit. Hinc Maximo aduersas iussiones alleganti meritò non credidit, & addidit istiusmodi licèt emanassent iussiones esse palam obreptitias, ac nullius ponderis, eoquod Princeps disciplinam diligat, & Canones, ideòque se non misceat episcopalibus iudicijs.

Notanda sunt hæc verba: [Instanter exequimur, quod, & illorum iuuat animam, & Rempublicam, &c.] Affirmant sacras Principum iussiones, dum sacris canonibus aduersantur, esse negligendas, ac excutiendas, non dumtaxat ob Ecclesiæ disciplinam, sed etiam ob rem publicam, ac animas ipsorum Principum. Quod nempè ista in Ecclesiæ libertatem Regia violentia perdat Regum animas, ac Regna euertat. Et plurima hoc demonstrant authentica exempla. Palmare enim Regni fundamentum est vera pietas in Deum Patrem, ac Matrem Ecclesiam. Certè omnes obligamur talia prædicare nostris Regibus. Quare omni admiratione dignum est, quod Dominus Archiepiscopus magnum Gregorium, incomparabilem sacrorum Canonum Doctorem, atque custodem, arguat ipsis contraria sanxisse. Porrò omnis hic mentio manifestè est de Sardicensibus Canonibus. Manifestum est, quod illi faciant Pontifici plenam potestatem appellatæ causæ, vel euocandæ ad Vrbem, vel delegandæ in partibus. Manifestum est, quod ipsos non solus Gregorius, sed etiam Imperator Mauritius, ac ipse etiam præuaricator Maximus ita intellexerint. Etenim hic ab illo supplicauit gratiam, ac sacram iussionem, qua Papam compelleret ad delegandum: Quâ sapientissimi Pontificis arbitrium, cui Sardicensis Synodus permisit omnia, circumsciberet ad certum tractandi modum. Hæc sufficiant: Ex plurimis paucissima. Etenim qui cunctos Domini Archiepiscopi errores voluerit ostendere, ac reuincere, conscribere debebit larga volumina.

DIS-

DISSERTATIO SECVNDA.

De Africanæ Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam Prouocationibus.

PAschasius Quesnellus clamat etiam Africanam Ecclesiã nũquam appellasse ad Apostolicam Sedem, ideoque has appellationes esse nouellam vsurpationem. Hoc ipsum clamant Ioannes Caluinus, Marcus Antonius de Dominis, alijque professi hostes Romani Primatus. Rhemensium Metropolita Hincmarus dixit olim, & scripsit inferiori Afrorum Clero istas non licuisse appellationes, istamque disciplinam tentauit transducere etiam iu Gallias: & eius Antecedens fuit verissimum. At verò Paschasius Quesnellus istud ipsum clamat de Episcopis. Fœdè hallucinatur. Porrò Africana Ecclesia Hierarchiam habuit diuersam ab illis. Etenim nullus olim in omni Romano Patriarchatu fuit pluribus Prouincijs præfectus Primas, nisi solus Carthaginensis. Gallicani omnes sunt longè posteriores. Etiam apud Anglos Cantuariensis. Afri habuerunt insuper alias singularitates. Hinc ipsorum Hierarchia ad præsentis quæstionis intelligentiam est compendio exponenda.

CAPVT PRIMVM.

Africanæ Ecclesiæ Diœcesis exponitur.

AFricana Ecclesia semper spectauit ad Romanum Patriarchatum. Etenim ad Decentium Eugubinum Episcopum scripsit sanctus Papa Innocentius: [Manifestum est in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius Successores constituerunt Sacerdotes. Aut legant si in his Prouincijs alius Apostolorum inuehitur, aut legitur docuisse.] Hinc concludit omnes istarum gentium Ecclesias obstringi ad obseruandam disciplinam Romanæ Ecclesiæ. Quòd nempe sint eius Diœceses. Idem in præscriptionum libro tradit Tertullianus: [Habes Romam, vnde nobis authoritas.] Hoc est origo. Hanc vocis acceptionem esse Tertulliano familiarem, ostendi in Scholijs ad dictum librum. Fuit familiaris omnibus Afris. Etenim in Nestorianæ, & Eutychianæ hæresium Breuiario Liberatus, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus; scribit Paulum Samosatensem, & Apollinarium Laodicenum fuisse istarum pestium authoritates. Hoc est origines. Tertullianus scribit Africanæ Ecclesiæ authoritatem esse non à sancto Petro, sed à Romana Ecclesia. Profitetur eius originem esse Apostolicis temporibus posteriorem. Apostolicas Ecclesias affirmat esse duplices: Alias per Apostolicam fundationem, alias per solam Apostolicæ Doctrinæ consanguinitatem. Hæ post Apostolorum tempora fundatæ sunt, fundantur in dies, & vsque ad sæculi finem fundabuntur. In harum numero magnus iste Afer profitetur esse suas Africanas. Quod ipsum in libro de Vnitate Ecclesiæ profitetur sanctus Augustinus: [Nonnullæ etiam Barbaræ nationes post Africam crediderunt. Cap. 15. Vnde certum fit Africam in ordine credendi non esse nouissimam.] Palàm supponit ipsam post Apostolica tempora credidisse. Disertè hoc profitetur in Carthaginensis Collationis Breuiculo: [Ecclesia Catholica per totum Mundum diffunditur, incipiens ab L. 3. C. 8. Hierusalem, vnde in propinqua, & longinqua crescendo, etiam in Africam venit.] Et in ipsa collatione Petiliano, Constantinensi Donatistarum episcopo quærenti, [Vndè cœpisti,] idem Agustinus respondit: [Cœpit ista prædicatio ab Herusalem. Inde se Illustrissimo exordio diffudit, diffundens Ecclesiam, quam tenemus. Primò per vicina, deinde per longinqua, etiam in Africam venit.] Et in literis ad Seuerinum scribit Euangelium in Africam venisse ex Orientalibus Ecclesijs, laudat Romanam Ecclesiam, & adiungit: [Vnde ad istas,] Africanas, [partes Christianæ fidei manauit authoritas.] Epist. 170. Primus, quem hodie nouimus, Carthaginensis episcopus est Agrippinus, cuius presbyter fuit Tertullianus, primus apud Latinos author Rebaptismi. Hic Agrippinum circumscripsit in istam audaciam: Et plures episcopos, ac populos per Agrippinum. Quare Agrippinus non fuit Fundator, nec primus episcopus Africanæ Ecclesiæ. Profitetur enim ante se fuisse aliam circa Baptisma consuetudinem, adeòque fuisse etiam Ecclesiam. Primus illius fundator ignoratur.

Cap. 36. (margin, beside "Tertullianus: [Habes Romam")

L. 3. c. 230. (margin, beside "cœpisti,] idem Agustinus respondit")

Cap. 17. Africa quandoque appellatur, etiam Lybia. Exponit in libro de Pastoribus sanctus Augustinus: [Lybia duobus modis dicitur, vel ista quæ propriè est Africa, vel illa Orientis pars, quæ contigua est Africæ, & omninò collimitanea.] Africa ab Ægypto, ac reliquo Oriente per Nilum diuiditur: Omnis cis illum Regio appellatur Africa, & Lybia. Hanc Regionem Syrtes magnæ intersecant. Et ambæ partes gaudent, vtroque isto nomine. Hinc antiqui Scriptores Sabellium, quem Lybem fuisse constat, appellant Afrum. Etiam Simonem Cyrenensem, Dominicæ Crucis portatorem, manifestè Lybem,
Cap. 17. Donatistæ dicebant Afrum. Sancti quoque Athanasij ad Africanos Antistites epistolam aliqui, licèt malè, volunt scriptam ad Lybes. Hinc distinctionis gratia partem vltra Syrtes ætas Lybiam, partem cis ipsas appellauit Africam. Quæ Phrasis est insigniter antiqua. Etenim ex ipsa magnus Athanasius præfatas suas literas inscripsit ad Africanos. Et sanctus Augustinus istum Simonem dixit non fuisse Afrum. Et phrasios distinctio est fundatissima. Etenim Lybia ad Orientale Imperium, ac Ægyptiacam Diœcesim, Africa semper spectauit ad Occidentis Imperium, fuitque singularis Diœcesis, ex magni Constantini Decreto subiecta Prætorio Italiæ. Hæc in Ecclesiasticis rebus primatem habuit Carthaginensem episcopum, spectauit ad Romanum Patriarchatum; illa in duas diuisa Prouincias semper subfuit Patriarchæ Alexandrino. Nilus Doxopatrius, qui Tripolitanam Prouinciam, sitam cis Syrtes, vult subfuisse Alexandrino, infrà exponetur. De quibus omnibus videatur Procopius Cæsariçensis in sexto libro de ædificijs Imperatoris Iustiniani.

De ecclesiasticis, adeòque, & de Ciuilibus Afrorum Prouincijs est mentio apud sanctum Cyprianum. In epistola ad sanctum
Epist. 45. Pontificem Cornelium: [Latiùs fusa est nostra Prouincia. Habet etiam Numidiam, &
Epist. 71. duas Mauritanias sibi cohærentes.] Et in literis ad Quintum episcopum: [Agrippinus cum cæteris Coepiscopis suis, qui in Prouincia Africa, Numidia, & Mauritania Ecclesiam Domini gubernabāt.] Et in epistola ad Iuba-
Epist. 73. ianum episcopum: [Cum in vnum conuenissemus, tam Prouinciæ Africæ, quàm Numidiæ episcopi.] Et ad eius Erraticam Synodum conuenerunt episcopi plurimi: Ex Prouincia Africa, Numidia, Mauritania.] Eidem Synodo adfuit Natalis Oeæ episcopus, & hoc fuit eius suffragium. [Tam ego præsens, quàm Pompeius Sabratensis, quam etiam Dioga Leptimagensis, qui mihi mandauerunt, censemus quod & collegæ nostri, &c. Hæ tres ciuitates constituunt Tripolim, seu Tripolitanam Prouinciam, de qua Solinus: Achæi Tripolim lingua sua signant de trium Vrbium numero, Oeæ, Sabratæ, Leptis-Magnæ.] An tunc fuerit singularis Prouincia, ignoro. Certè sanctus Cyprianus, nullam eius facit memoriam. Et istam suam Synodum, licèt omnes Tripolitani per personam, aut mandatum adessent, affirmat fuisse ex solis episcopis Proconsularibus, Numidis, & Mauris. Tripolis videtur, tunc cum Bizacio fuisse adiuncta Numidiæ. Notanda sunt sancti Cypriani verba: [Latiùs fusa est nostra Prouincia.] Videtur asserere Africam non esse nisi vnicam Prouinciam. Nempe vox, "Diœcesis", priùs inducta per magnum Constantinum, tunc necdum erat in vsu Romani Imperij, ideòque vox "Prouincia", erat tunc latioris significationis. Ipsam Cyprianus accipit pro Diœcesi. Proindè Africana Diœcesis, tunc constabat quatuor Prouincijs: Proconsulari, Numidia, & duabus Mauritanijs, Cæsariçensi, ac Sitifensi. Quæ diuisio est antiquissima. Etenim in primo historiarum libro agens de actis Galbæ Imperatoris, Cornelius Tacitus laudat Africam, & duas Mauritanias. Nec desunt antiquiora testimonia. Mauritaniæ ante Romanum Imperium dudùm fuerant duo Regna: Hinc in Imperio semper fuerunt duæ Prouinciæ.

At verò magnus Constantinus in literis ad Ælafium Africæ Vicarium, per quas iussit in Donatistarum causa adunari Arelatensem Synodum, laudat prouincias, Byzacenam, Tripolitanam, Numidiarum, ac Mauritaniarum. Videntur tunc fuisse septem prouinciæ: Proconsularis, duæ Numidiæ, Tripolitana, Byzacena, ac duæ Mauritaniæ. Etiam ad sextam Carthaginensem Synodum dicuntur [conuenisse Legati diuersarum prouinciarum Africanarum, id est, Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Sitifensis, Mauritaniæ Cæsariçensis, & Tripolis,] Et sub Cæsarij, & Attici Consulatu celebrata Synodus laudat Crescentianum episcopum, primæ Sedis Numidiarum. Et in Ceciliani Carthaginensis, & Fœlicis Aptungensis episcopi purgatorijs actis habemus: [Ad Mauritaniæ sinum non nisi per Numidias pergitur.] Et in Nicæni Concilij historia Gelasius Cyzicenus affirmat Synodalia Gesta à Ceciliano Carthaginensi episcopo fuisse promulgata Ecclesijs Africæ, [ac vtriusque Numidiæ, ac Mauritaniæ.] Et in Græci iuris Lib. 2. c. 27.
Syntagmate Matthæus Blastares distinguit veterem Numidiam, ac nouam. Sanctus Augustinus in literis ad Illustrem virum Pammachium laudat [Consularem Numidiam.] Quod ipsum repetit in pluribus locis. Hinc Christophorus Iustellus, & quidam alij existimant Numidiam, olim vnam, postmodò fuisse diuisam in duas Prouincias.

Quin immò videtur fuisse, & octaua Prouincia: Nempe Mauritania Tingitana. Etenim ad Carthaginensem synodum, quam duodecimo Honorij Consulatu celebrauit cum ducentis, & tribus episcopis Primas Aurelius, conuenerunt Prouincia Byzacena, Mauritania Sitifensis, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæsariçensis, & Hispania. Hoc est, Tingitana Mauritania, vicina Hispanis. Ita habet antiquus Canonum Codex, quo ante Dionysium Exiguum fuit vsa Romana Ecclesia. Et hac de re scribit in secunda de Afrorum contra Pelagianos synodis dissertationes Ioannes Garnerius: [Accessit denique] ad priores Afrorum Prouincias [Hispania Transfretana, seu Mauritania Tingitana, si modò vera sit inscriptio Concilij plenarij, anno quadringentesimo decimo octauo habiti, prout legitur in manuscripto Codice in monasterij sancti Bauonis Gandauensis. At verò inscriptionem esse veram,

do-

docet laudatus Codex Romanæ Ecclesiæ. Ioannes Garnerius pergit in tertia Dissertatione: [Aurelius Carthaginensis episcopus erat Primas totiùs Africanæ Diœcesios. Debet enim fortè excipi Mauritania Tingitana, quæ vt olim Vicario Hispaniarum parebat, ita subetat Bœticæ citerioris Primati. Quamquam Wandalis primùm, tum Vvisigothis hanc Hispaniarum partem inuadentibus, mutatum aliquid reor, & ex eo tempore Mauritaniam Tingitanam, seu Hispaniam Transfretanam, sub Africæ Primate extitisse. In actis enim Concilij Africani, anno quadringentesimo decimo nono habiti, Hispaniæ, Transfretanæ scilicet, Legati inter alios censentur. Vvandali siquidem circiter annum quadringentesimum nonum, Vvisigothi circiter quadringentesimum decimum nonum Bœticam citeriorem, victis Vvandalis, tenuerunt.] Sanctus Victor Vticensis episcopus in primo libro de Vvandalica persecutione adducit alias insuper Africæ Prouincias, de primo isthic Vvandalorum Rege Geinserico scribens: [Geinsericus disponens singulas quasque prouincias, sibi Byzacenam, Abaritanam, atque Getuliam, & partem Numidiæ reseruauit, exercitui verò Zeugitanam, vel proconsularem funem loco hæreditatis diuisit, Valentiniano adhuc Imperatore reliquas, licèt exterminatas, prouincias defendente.]

Respondeo Romanas Afrorum prouincias, post magni Constantini tempora fuisse dumtaxat sex: Olim non fuisse plures. Erant prouincia proconsularis, Numidia, Byzacium, Tripolis, Cæsariænsis Mauritania, & Mauritania Sitifensis. Disertè hoc testatur Sextus Rufus: [Per omnem Africam sex prouinciæ factæ sunt. Ipsa vbi Carthago, Proconsularis; Numidia, Consularis; Byzacium, Consularis; Tripolis & Mauritaniæ duæ, hoc est, Sitifensis & Cæsariænsis, sunt Præsidiales.] Tingitana Mauritania, licèt esset intra Africam numquam tamen ad eius Diœcesim, sed semper spectauit ad Hispaniam. Testatur hoc idem Scriptor: Per omnes Hispanias, sex sunt nunc prouinciæ, Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Gallæcia, Bœtica. Trans fretum etiam in solo Africæ prouincia Hispaniarum est, quæ Tingitana Mauritania cognominatur.] Et in Carthaginensis collationis exordio Vrsus Ducenarius enumerat omnes Africanæ Diœcesis prouincias, & affirmat esse prouinciam proconsularem, prouinciam Byzacenam, Numidiam, Sitifensem & Cæsariænsem Mauritanias, ac prouinciam Tripolitanam. Et Donatistarum apud Cauernas Susis celebrata synodus vniuersalem Africam, asserit esse Prouinciam Proconsularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam, & Tripolim. Extat synodus apud sanctum Augustinum, in secunda concione ad trigesimum sextum Psalmum. Easdem prouincias habet Romani Imperij antiqua notitia, notitia Africanarum Ecclesiarum, vulgatæ per Iacobum Sirmondum, & variæ Afrorum synodi.

Interim Numidia fuit duplex: Antiqua & noua. Et ante Romanum Imperium fuit diuisa in duo Regna. At verò sub Romanis fuit vnica, & ciuilis, & ecclesiastica, prouincia. Vti antiqua, & noua Castella apud Hispanos sunt vnicum Regnum. Ex antiquæ diuisionis memoria, quidam Romani dixerunt Numidias, ac episcopos Numidiarum. Et sanctus Augustinus Numidiam dixit consularem, non quod alia præsidialis esset, sed vt in eius præfectura exprimeret qualitatem. Tingitana Mauritania, tunc non transijt in Africanam Diœcesim. Interim vti Hispaniarum episcopi, quandoque vicinos Narbonensis Galliæ episcopos, ita Africani aliquando inuitarunt Tingitanos. Dum nempè quæpiam occurrit grauissima causa, qualis sub Zozimi Pontificatu fuit Pelagiana hæresis. Et adiuuisse possit Vvandalorum in Hispania Tyrannis. Propter ipsam Tingitani episcopi ad suos in Romana libertate Afros, quàm gementes sub barbarica captiuitate Hispanos Collegas possint maluisse respicere. Vt vt sit, Hispaniæ Ecclesia tunc non habuit Primatem: Omnes eius Metropolitæ erant pares. Toletanus primatus est opus Gothicum. Victor Vticensis episcopus, non iuxta Romanas Prouincias, sed iuxta Africanæ terræ situm isthic loquitur: Et illa fuit diuisa in longè plures Regiones. Harum plures continebantur ab vnica prouincia. Et in literis ad Hesychium episcopum scribit sanctus Augustinus: [Sunt apud nos in Africa barbaræ innumerabiles Gentes, in quibus nondum esse prædicatum Euangelium, ex ijs, qui dicuntur indè captiui, & Romanorum seruitijs iam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est. Pauci tamen anni sunt, ex quo quidam eorum, rarissimi, atque paucissimi, qui pacati Romanis finibus adhærent, ita vt non habeant Reges suos, sed super eos Præfecti à Romano constituantur Imperio, & illi ipsi eorum Præfecti, Christiani esse cœperunt. Interiores autem, qui sub nulla sunt potestate Romana, prorsùs nec Religione Christiana in suorum aliquibus detinentur.] Proinde Romani suas solas Ditiones distribuerunt in prouincias: Plures in prouinciam eamdem. Et istæ prouinciæ apud Christianos, ac Romanos Scriptores sunt vniuersa Africa. Nempe Romana. Epist. 80.

Omnes sex Prouinciæ habuerunt suam ciuilem Metropolim, Sedem præfecti. Proconsularis Prouinciæ Metropolis fuit alma, & magna Carthago, cuius amplissimæ laudes, & apud Gentiles, & apud Christianos scriptores sunt frequentissimæ. Aurelius Victor in libro de Cæsaribus affirmat ipsam esse [terrarum decus.] Loquitur de Carthagine quæ tunc erat: Reparata à Romanis post excidium. Hanc in prioris comparatione fuisse exiguam, testatur Paulus Orosius. Primæ ambitus continebat viginti millia passuum. Numidiæ Metropolis est Cirtha, seù Constantia. Duplicis nominis rationem tradit idem Aurelius; [Cirthæ oppido, quod obsidione Alexandri] Imperatoris [ceciderat, reposito exornatoque nomen Constantina est inditum.] A Reparatore Magno Constantino. Hinc Petilianus, apud Donatistas magnum nomen, à sancto Augustino quandoque Cirthensis, quandoque appellatur Episcopus Constantinensis. Ex huius rei ignorantia quidam censent fuisse duos tunc Petilianos,

Can 86. Quod ista fuerit Numidiarum Metropolis, patet ex Africano Canonum Codice:[Matricula, & Archiuum Numidiæ,& apud primam Sedem sit, & in Metropoli, idest, Constantina.] Byzacij Metropolis est Adrumetus. Cap 6. Testatur hoc Procopius Cæsariænsis in sexto libro de Imperatoris Iustiniani ædificijs: [In Byzacio vrbs est maritima Adrumetus, antiquitùs magna, & frequens,& in ea Prouincia nomen, ac dignitatem adepta Metropoleos, quod cæteris, & amplitudine, & absoluta felicitate præstaret.] Ipsam post eiectos Vvandalos Iustinianus instaurauit, & appellauit Iustinianam Quartam. Acrida in Illyrico, Cõstantina in Cypro,]& magna Carthago erant Iustiniana prima, secunda, & tertia. Iustinianæ fuerunt vltra viginti. Tripolitanæ Prouinciæ Metropolis fuit magna Leptis, Patria Imperatoris Seueri. Ita testatur idem Procopius,additque & ipsam fuisse à Iustiniano instauratam. Mauritaniarum Metropoles sunt Sitifis, & Cæsaræa. Antiqua enim Romani Imperij notitia præponit Sitifim. Nempè quod sit Cæsarea antiquior. Huius originem tradit in septimo libro Eutropius: [Cæsar Augustus tanto amore etiam apud Barbaros fuit, vt Reges, populo Romano amici, in honorem eius conderent Ciuitates, quas Cæsareas nominarent,sicut in Mauritania à Rege Iuba.] Hinc sancti Adonis Mar- Ioan.23. tyrologium ipsam appellat Neocæsaream. Lib.29.c.25 Ammianus Marcellinus scribit fuisse Ciuitatem opulentissimam. Tingi fuisse Tingitanæ Mauritaniæ Metropolim testatur laudatum Martyrologium.

Omnium Prouinciarum Princeps, & caput fuit Carthaginensis, siuè Proconsularis. Hinc ab antiquis scriptoribus aliquando appellatur absolutè Prouincia. Ita sanctus Augustinus in libro de vnitate Ecclesiæ scribit Maximianistas reperiri apud solos [Tripolitanos, Byzacenos, ac Prouinciales.] Cap.3. Et in alio eiusdem libri capite:] Prouincia, Cap.19. Byzacium, Tripolis, Numidia.[Et in Commentario Psalmi nonagesimi quinti:] Getulia, Numidia, Mauritania, Byzacium, Prouincia.] Carthaginem Imperator Adrianus Adrianopolim, Commodus Commodianam, Iustinianus appellauit Iustinianam. Nempè erat caput totius Diœcesios. Eius Proconsul habebat potestatem in omnes Prouincias. Patet ex libro Tertulliani ad Scapulam Proconsulem, ex antiqua Romani Imperij notitia, ac ex multis Romanorum legibus. Iste Proconsul fuit tantæ dignitatis, vt dum siue addito nominabatur Proconsul, intelligeretur Africanus. Erat vnicus in toto Occidentis Imperio.

Res ita mansit vsque ad Imperatorem Iustinianum.Hic per gloriosa Belisarij Ducis arma eiecit ex Africa Vvandalos: Post nonaginta miserandæ captiuitatis annos omnem illam Diœcesim reddidit Romano Imperio, omnia illi auita reparauit priuilegia, & adiunxit aliquid nouitatis. Eius in codice exstat lex, qua de tanto in suum Imperium .1. tit.27 beneficio agit Diuinæ Clementiæ Augustas gratias, & adiungit: [Per Diuinãm Legem sancimus,vt omnis Africa, quam nobis Deus præstitit, per ipsius misericordiam optimum suscipiat ordinem, & propriam habeat præfecturam. Vt sicut Oriens, & Illyricum, ita & Africa præfectoriana maxima potestate specialiter à nostra Clementia decoretur: Cuius Sedem iubemus esse Carthaginem. Et ab ea, auxiliante Deo, septem Prouinciæ cum suis iudicibus disponantur: Quarum Tingi, & quæ Proconsularis antea vocabatur Carthago, & Byzacium, & Tripolis Rectores habeant Consulares; reliquæ verò, id est, Numidia, & Mauritania, & Sardinia à Præsidibus cum Dei auxilio gubernentur.]

Inducit varias nouitates. Primò, Africanæ Diœcesi adijcit duas Prouincias: Tingitanam, ac Sardiniam, quarum prior ad Hispaniam, posterior antea spectabat ad Italiam. Secundò, duas Mauritanias, Cæsariænsem, ac Sitifensem, conflat in vnicam Prouinciam. Et sic toti Diœcesi assignat septem Prouincias. Nempè Vvandali etiam Sardiniam obtinuerant, atque ita Sardi assueuerant Afrorum moribus: Hoc Iustinianus permanere voluit. Tertiò, Proconsulatum extinxit, & euexit in præfecturam. Quartò, Carthaginensem Prouinciam è Proconsulari fecit Consularem, quam formam similiter dedit Prouinciæ Byzacenæ, Tripolitanæ, ac Tingitanæ. Attamen hæ nouitates non pleuè obtinuerunt in ecclesiasticis negotijs. Etenim quod Sardinia, nec Africanas Synodos frequentarit, nec Carthaginensem Primatem respexerit, sed antiquo more perrexerit Patriarchalem Romanæ Cathedræ Synodum, ac authoritatem venerari, demonstrant plures Magni Gregorij epistolæ,&acta Lateranensis Synodi, quam contra Monothelitas celebrauit sanctus Papa Martinus. Illius Metropolita] Deusdedit fuit illic non modica pars, & tertio loco subscripsit post Pontificem: Vtpotè Metropolita Italicę Diœceseos. Carthaginensis Prouincia titulum [Proconsularis Prouincię] nunquam deposuit. Etenim istius Prouinciæ contra Monothelitas Synodus in relatione ad Paulum Constantinopolitanum Patriarcham dedit sibi ipsi hunc titulum: [Episcopi sancti Concilij Proconsularis.] Exstat in secundo laudatæ Lateranensis Synodi Secretario. Quin & Procopius Cæsariænsis in sexto libro de Imperatoris Iustiniani ędificijs scribit:[Carthaginis Regio, quæ Proconsularis dicitur.] Ex quo lucet hunc titulum à Iustiniano non fuisse simul cum Proconsulari dignitate suppressum.

Dixi: [Non plenè.] Quoniam vtraque Mauritania videtur etiam quoad ecclesiasticas res fuisse redacta in vnicam Prouinciam. Etenim Africana aduersùm Monothelitas Synodus suæ ad Theodorum Pontificem relationi dedit hanc Epigraphen:] Domino beatissimo Theodoro Papæ Columbus,primæ Sedis Episcopus Concilij Numidiæ, & Stephanus primæ Sedis Episcopus Concilij Byzaceni, & reparatus episcopus primæ Sedis Concilij Mauritaniæ, & vniuersi episcopi de tribus Concilijs antedictæ Africanæ Prouinciæ. [Non distinguit Mauritaniam, sed generatim dicit: Concilij Mauritaniæ.] Quia nempè vtraque ista prouincia coaluerat. Vvandalica Barbaries plurimas Africæ Ciuitates euerterat: Videtur in Mauritania tot euertisse, vt episcopi residuas indicauerint

non

non sufficere ad constituendas duas Prouincias.

Huius infelicis sæculi varietas Africæ induxit, & aliam diuisionem. Etenim in illa Romanarum Prouinciarum diuisione, quæ Imperatori Leoni Sapienti passim adscribitur, enumerantur quinque Africanæ Prouinciæ: Byzacium, Numidia, prima, ac secunda Mauritania, & Tripolis. Verùm Tripolitana hæc prouincia transfertur in Patriarcham Alexandrinum, ideòque Africana Diœcesis non retinet, nisi quatuor Prouincias. Et inter ipsas Mauritania iterùm diuiditur in duas. Proconsularis, omnium dignior & prima, Prouincia extinguitur, adiecta Byzacio: Non hoc illi, sed illa huic adiungitur. Quod nempè omnes fermè eius Ciuitates, & quidem ipsam etiam Carthaginem, obscœni Saraceni destruxissent. Eadem de causa prima Mauritania habet vnicam Ciuitatem, secunda dumtaxat quatuordecim, ideòque mirum est harum Prouinciarum vnionem fuisse solutam: Forsitan propter Ciuitatum distantiam. Et inter ipsas variæ habent ignota nomina. Credo esse oppida, aut castra, in quæ destructarum Ciuitatum Episcopi suas Cathedras transtulerant. Est non dumtaxat ecclesiastica, sed etiam ciuilis diuisio. Lucet ex hoc titulo: [Sub gloriosissimo Exarcho, seù Præfecto Africæ.] Ex quo patet institutam à Magno Iustiniano præfecturam etiam tunc permansisse.

Infelix Africa, quam laudatus Iustinianus à miseranda Vvandalorum seruitute liberauerat, sub Iustiniano Secundo cecidit in longè magis deplorandam seruitutem Impiorum Saracenorum. Hi suo more illìc destruxerunt omnia. Postmodò tamen eadem eidem Iustiniano restituerunt. At verò eius successor Leontius denuò amisit omnia, atque ita Leo sapiens in tota Africa nihil penitùs potestatis habuit. Quare nouam hanc diuisionem potiùs ab isto Iustiniano factam credo, quàm ab illo Leone. Existimo quod ipsam fecerit iuxta statum, in quo recepit à Saracenis. Et iuxta hanc diuisionem Nilus Doxopatrius in libro de quinque Patriarcatibus scribit Carthaginem esse in Prouincia Byzacij.

Et hìnc intelligimus fundamentum, ex quo Gummitanus Episcopus apud sanctum Leonem nonum Pontificem prætendit esse Primas totius Diœcesios, & Carthaginensem Episcopum à sua dignitate excludere. Quia nempè Proconsularis Prouincia erat adiecta Byzacio, ideòque videbatur debere sequi non ampliùs suam propriam, sed formam Byzacenæ Prouinciæ. Videbatur eius Metropolita, ac Primatialis potestas non ampliùs Carthagini, præsertim iam destructæ, esse annexa, sed sequi seniorem episcopum. At verò tunc Gummitanus erat senior. Hìnc discimus, & aliud: Nempè adductam Prouinciarum notitiam esse mutilam, aut certè Gummitanam Ciuitatem fuisse etiam tunc destructam, & pro ipsa exprimi aliquod eius castrum, aut oppidum. Etenim constat ipsam fuisse in Byzacio, & notitia nullam eiusfacit memoriam. Quidquid sit, Gummitanus Episcopus suæ, licèt forsitan destructæ, Ciuitatis retinuit titulum.

CAPVT II.

Exponitur Hierarchia Africanæ Ecclesiæ.

SEx istæ Prouinciæ apud Afros fuerunt non solummodò ciuiles, sed etiam Ecclesiasticæ. Est res exploratissima. Et fuerunt quoad Episcopales Cathedras numerosissimæ. Etenim per Iacobum Sirmondum vulgata notitia Prouinciæ Proconsulari quinquaginta quatuor, Numidiæ centum viginti quinque, Byzacio centum, & tredecim, Mauritaniæ Cæsariænsi centum viginti sex, Mauritaniæ Sitifensi quadraginta quatuor, Prouinciæ Tripolitanæ assignat quinque Cathedrales Ecclesias. Et numerus videtur esse mutilus. Etenim in Cæsariænsi Prouincia omittitur ipsa Ecclesia Cæsariænsis. Et Carthaginensi Synodo, quam ex sola sua Prouincia contra Pelagianos celebrauit Primas Aurelius, adfuerunt episcopi sexaginta octo. Quin istius notitiæ, seu catalogi author, sanctus Victor Vtitensis Episcopus, in primo Vvandalicæ persecutionis libro scribit in Proconsulari tunc Proniucia fuisse episcopos centum sexaginta quatuor. Et videtur non de Sedibus loqui, sed de superstitibus tunc episcopis, ideòque plures fuisse Sedes. Eius de Mauritania Cæsariænsi isthìc dictum concordat catalogo: [Crescens, Metropolitanus Aquitaniæ Ciuitatis, centum viginti episcopis præest. [Legendum est:] Mauritaniæ Ciuitatis. [Loquitur de Geinserici Regno, at verò catalogus agit de Regno Hunnerici. Crescens videtur tunc fuisse mortuus. Et tamen prçter sex mortuos catalogus numerat centum viginti viuos episcopos, ideòque est differentia quoad vnum. Idem Victoris liber numerat duos Tripolitanos Episcopos Vicessebratenum, & Cresconium Ensem. Legendum est: [Cresconium Oensem.] Hic habetur in catalogo, deest vero Vicessebrarenus, ideòque Tripolis habuit plures, quàm quinque episcopos. Et ad tertiam Carthaginensem Synodum dixit Primas Aurelius: [In Tripoli, vt asseritur, Episcopi sunt quinque tantummodò.] Voces, [Vt asseritur] edicunt ipsum de viuis agere episcopis, non de episcopalibus Cathedris. Etenim Diœcesios Primas nequit subiectarum sibi Sedium numerum ignorasse. Et in Carthaginensi Collatione Ruffinianus scriba dixit de præsentibus catholicis episcopis: [Catholicæ partis episcopi, secundùm subscriptionem huic Breui insertam, efficiuntur ducenti sexaginta sex. Exceptis his quos dicunt necdum subscripsisse.] Et hi erant viginti. Et post horum coram Comite Marcellino exhibitionem dixit sanctus Alipius Tagastensis Episcopus: [Scriptum sit ducentos viginti episcopos esse absentes, quos aut infirmitas, aut ætas, aut certè necessitas detinuit.] Et Fortunianus Siccensis Episcopus addit: [Sexaginta quatuor Cathedras habemus vacnas.] Proindè Cathedræ, quas tunc detinebat Catholica Ecclesia, erant quingentæ septuaginta. Et non paucæ detinebantur à solis Donatistis. Porrò catalogus habet solummodò quadringentas sexaginta nouem Cathedras:

Can. 39.

Lib. 1. Cap. 214.

Est

Est ergo incompletus. Aliud tamen in Collationis Breuiculo scribit sanctus Augustinus: [episcoporum catholicorum omnium præsentium nomina esse constitit ducenta octoginta sex. Viginti enim non subscripserant, qui tamen suam exhibentes præsentiam, & in medium procedentes, nisi quos infirmitas corporis illic apud Africam tenuit, præsentibus gestis se mandare, & consentire professi sunt:] Et infra: [Dictum est à catholicis, alios episcopos centum viginti non venisse Carthaginem.] Et iterum: [Responsum est à catholicis sexaginta esse, quibus successores episcopi nondum fuerant ordinati.] Quisnam textus sit vitiatus, permitto alijs disquirendum. Lib. 1. C. 16.

Quæuis Prouincia, licèt Metropoliticam potestatem habuerit, non tamen habuit Ecclesiasticam Metropolim, in cuius Episcopis ista potestas per successionem resideret. Ista potestas successit in diuersarum Sedium Episcopos. Etenim sub Donatisticæ Factionis exordio Numidiæ Primatum Secundus Tigisitanus, ad Episcopalem sancti Augustini electionem Megalius Calamensis, Mileuitanæ contra Pelagianos Synodi tempore Syluanus Summensis, exinde Valentinus Vaianensis, postmodo sanctus Alipius Tagastensis, alij gesserunt alijs temporibus. Quod ipsum demonstrari possit in alijs Prouincijs. Est res manifesta. Quod sanctus Alipius istum Primatum gesserit, lucet ex epistola Dioscori ad S. Augustinum: Senex Alipius rogauit me: [Et ex sancti Augustini Epistola ad ipsum Alipium:] Augustinus Alipio Seni. [Etenim, Senex, erat vnus è titulis, quibus Afri Metropolitæ potestatis Gestorem Episcopum insigniebant. Ita Carthaginensi, sub Attici, & Cæsarij Consulatu celebratæ, Synodo adfuerunt Aurelius, Muzonius, ac alij Episcopi, & subscribitur:] Manu Senis Muzonij. [Hic est ille Muzonius, de quo in Dialogo contra luciferanios sanctus Hieronymus:] Muzonius Byzacenæ Prouinciæ Episcopus, cui propter ætatem Primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus est. [Vtique in Ariminensi Concilio. Tempore istius Carthaginensis Synodi erat Primas Byzacij. Et precibus, quas in Carthaginensi Collatione Comiti Marcellino obtulerunt Catholici Episcopi, post Aurelium Carthaginensem subscribit] Syluanus Senex, Ecclesiæ Summensis. [Hoc est, Summensis Episcopus, & Primas Numidiæ. Et S. Augustinus scribit ad sanctum Cælestinum Pontificem:] Sanctus Senex, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat. [Et ad Profuturum Constantinensem Episcopum:] Quod Senex Megalius defunctus sit, iam vos audisse quis dubitet? Erant autem à depositione corporis eius, cum hæc scriberem, dies fermè viginti quatuor. Vtrum iam videritis Successorem Primatus eius, si fieri potest scire volumus. [Omnes editi libri sunt mutili. Hoc modo supplendi ex Bibliotheca Serenissimi Domini Magni Ducis. Editi libri addunt:] Disponebas enim. [Et legunt non,] Videris, [sed inueneris.] Quæ lectio videtur melior. Et istud additamentum videtur non omittendum. Erat dubium; quis in Numidia Episcopus Megalio per consecrationis ætatem proximè succederet, adeòque cui post eius mortem deberetur Primatus Prouinciæ. Hac de re Augustinus, & Profuturus ante Megallij mortem contulerant, & Profuturus promiserat sedulò inquirere: Hinc post istius mortem Augustinus rogat, an inuenerit. Proinde apud Afros Metropolitica auctoritas non erat adstricta certæ Sedi, sed semper transibat ad Seniorem consecratione Episcopum totius Prouinciæ. Hinc non rarò erant lites de successione: Dum nempè de consecrationis senio contenderent. Ita euenit inter Victorinum, & Xantippum, Numidiæ Episcopos, de quibus videnda est sancti Augustini epistola ad Victorinum. Et ad istud malum exscindendum emanauit hic Canon: [Quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, literis accipiant ab Ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes Consulem, & diem, vt nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur.]

Epist. 55. Epist. 67. Cap. 7. Epist. 261. Epist. 149. Epist. 217.

Erat singularis, & ab alijs gentibus diuersa Hierarchia. Attamen non vacua fundamenti. Etenim Episcoporum translatio erat tunc summoperè vetita: Afri eam æquipatabant Rebaptismo. Hinc Metropoliticæ ciuitatis Episcopus erat non rarò Iuuenis, ac inter Senes Comprouinciales quasi discipulus inter Magistros. Nihilominùs ipsis præsidebat. Hoc Afri iudicarunt incongruum, ideoque istam potestatem semper alligarunt seniori Episcopo. Et ipsum Prouincia appellabat suum Senem. Titulus iste fuit tanti, vt illo etiam Carthaginensis, licèt non ætatis, sed ciuitatis causa succederet in dignitatem, Primas fuerit vsus, & gauisus. Etenim in literis ad Quintianum Presbyterum sanctus Augustinus Aurelium Primatem scribit [Senem Aurelium.] Quod eadem Hierarchia vsque ad Magni Constantini tempora viguerit apud Hispanos, affirmant Ioannes Mariana, & in scholijs ad Canones Illiberritanos Ferdinandus Mendoza. Et res in istis Canonibus omninò habet fundamentum.

Isti Afrorum Primates habuerunt, & alios titulos. Donatistæ ipsos appellarunt [Principes.] Ita in Carthaginensi Collatione Victor Tabborensis Donatistarum Episcopus dicit: [Beatissimus Pater, & Princeps noster Primianus:] Loquitur de Primiano Carthaginensi. Et in sanctum Augustinum scripsit Cresconius Donatista: [Epistolam Principis vestri, qua nescio quid de te scripsit, cùm te ordinari nollet, tenent non pauci nostrorum. [Per Principem illum intelligit Melagium, Calamensem Episcopum, Numidiæ Primatem, cuius in Augustinum calumnia est eruditis notissima. Et in Carthaginensis Collationis Breuiculo Donatistę Cecilianum Carthaginensem Episcopum arguunt, quod noluerit] Princeps à Principe ordinari. [Nempe Proconsularis Prouincię Primas à Primate Numidiæ. Et in quarto contra Cresconium libro sanctus Augustinus per ironiam scribit:] Primianus super Collegas Principatum gerit. [Titulus videtur inductus à superbissimo fastu Donati magni. Ipsum enim, quod nollet appellari] Episcopus, [sed] Donatus Carthaginis, [sanctus Optatus appellauit] Principem Carthaginis. [Quidquid sit, titulus iste Catholicis Episcopis per omnia displicuit. Hinc contra ipsum sanxit

L. 1. c. 201. L. 3. C. 80. L. 3. L. 16. Cap. 50. Can. 26.

sanxit tertia Carthaginensis Synodus: [Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ Sedis Episcopus.] Hic ergo est secundus istorum Primatum legitimus titulus. Ita in literis ad Generosum sanctus Augustinus scribit Secundum Tigisitanum Episcopum fuisse in Numidia [Episcopum primæ Sedis.] Et sub Cæsarij ac Attici Consulatu celebrata Carthaginensis Synodus laudat] Crescentianum Episcopum primæ Sedis Numidiarum. [Etiam Muzonium dicit in Byzacio primæ Sedis Episcopum. Et Numidiæ Matricula iubetur esse, & apud primam Sedem, & apud Metropolim Constantiam. Aliud ergò erat prima Episcopalis Sedes Prouinciæ, aliud ciuilis Metropolis. Carthaginensis, per sanctum Augustinum in tertio contra Cresconium libro memorata, præfati Secundi Synodus ipsum inscribit [Episcopum primę Cathedrę.] Ex quo vides titulum esse antiquissimum. Eumdem Ianuario, vel potiùs Ianuariano, Donatistarum in Casis nigris Episcopo, deferunt Catholici Hipponensis Ecclesiæ Clerici: [Ianuariano primæ Sedis Episcopo partis Donatianæ.] Eumdem titulum laudant Canones Illiberritani. Et hoc est vnum argumentorum, ex quibus Africana Hierarchia videtur olim viguisse in Hispanis.

Epist. 165.

Cap. 17.

Tertius titulus est Primas. Ita in quarto contra Cresconium libro sanctus Augustinus scribit de præfata Megalij Calamensis epistola: [Epistolam Primatis nostri.] Et in literis ad sanctum Celestinum Pontificem. [Gerebat Numidiæ Primatum.] Et Hipponenses Clerici in præfata ad Ianuarium epistola: [Secundus Tigisitanus, Primas vester.] Et rursùm Augustinus in literis ad Victorinum Episcopum: [Mauritanias Prouincias scimus suos habere Primates.] Et Mileuitana Synodus: [Saluo iure Primatus Numidię, & Mauritaniæ.] Et sanctus Possidius in sancti Augustini vita laudat [Carthaginensem Episcoporum Primatem,] & adiungit: [Tunc Primate Numidiæ Megalio, Calamensi Episcopo.] Notanda est, ac inferiùs exponenda distinctio: Megalium solius Numidię, Carthaginensem appellat Primatem Episcoporum. Tituli radicem exponit in literis ad Galliarum Episcopos sanctus Papa Hilarus: [Constantius Vceticæ Ecclesiæ Antistes, æuo honoris Primas esse dicitur.] Hoc est, senior inter omnes suffraganeos, ideoque ipsorum post Metropolitam dignior, & primus. Apud Afros Prouinciæ senior non solo episcopalis honoris æuo, sed insuper Metropolitica auctoritate præfulgebat, ideoque meritò dicebatur Primas. Magnus Gregorius in literis ad Columbum Numidiæ Episcopum, dat, & aliam rationem: Adeodatum Primatem inscribit [Primatem Synodi. Quod nempe isthìc obtineret auctoritatem Præsidis. Est antiquus titulus. Nam illum Diotrephi Episcopo adscribit etiam sanctus Ioannes Apostolus. Media Ecclesiæ sæcula Primates appellarunt episcopos præfectos pluribus Metropolitis, ac Prouincijs. Hincmarus Rhemensis titulum extendit ad istos etiam vnicæ Prouinciæ Metropolitas, qui nullum agnoscebant istiusmodi Primatem. Est vox multifariæ significationis.

Cap. 64.
Epist. 161.

Epist. 217.
Can. 13.

Cap. 8.

Epist. 4.
Cap. 1.

Libr. 2.
Ep. 86. 87.

Quartus Africanorum Primatum titulus est] Metropolitanus. [Quod Carthaginensi Episcopo competierit, & attributus fuerit, est omnibus notissimum. Erat enim Metropolitanæ Sedis Episcopus, habebatque perpetuam Metropoliticam auctoritatem. Ita in prima Ephesini Concilij Actione Petrus Presbyter, ac Notariorum Primicerius, Capreolum Carthaginensem Antistitem appellat] Reuerendissimum Metropolitanum, ac Episcopum Carthaginis. [Quæstio est, An attributus fuerit etiam aliarum Prouinciarum Primatibus? Respondeo fuisse attributum. Etenim in libro de Gestis cum Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo sanctus Augustinus Deuterium, Catholicum eiusdem ciuitatis Antistitem, appellat [Episcopum Metropolitanum Cæsariensem.] Crescentem eiusdem ciuitatis Episcopum eodem titulo donat in primo libro de Wandalica persecutione sanctus Victor Episcopus Vitensis. Et quarta Carthaginensis Synodus, de consecrando nouo episcopo sanciens, dicit: [Cum consensu Clericorum, & Laicorum, & Conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximèque Metropolitani, vel auctoritate, vel præsentia, ordinetur episcopus.] Loquitur generatim de cunctis Prouincijs. Omnium ergò Primates fuerunt dicti Metropolitani: Non à ciuitate, sed ab auctoritate. Cæsariensis tamen, quoniam Deuterius, & Crescens videntur ætate Ordinis non fuisse seniores, possit sic fuisse dictus à sola ciuitate.

In secundo Vvandalicæ persecutionis libro scribit laudatus Victor: [Geisericus Rex adstante vulgo, in media ciuitate, pro gradibus plateæ nouæ, episcopum suæ Religionis, nomine Iocundum, quem Patriarcham vocitabant, præcepit incendio concremari.] Et ipsi successit Cyrillas. Hic cum nostris episcopis voluit disputare, & Victor prosequitur: [Collocat sibi Cyrillas cum suis satellitibus in loco excelso superbissimum Thronum, adstantibus nostris. Dixeruntque episcopi nostri: Illa est semper grata collatio, vbi superba non dominatur elatio, sed ex consensu communi venitur, vt Cognitoribus decernentibus, partibus agentibus, quod verum est, agnoscatur. Nunc quis erit cognitor, quis examinator, vel libra iustitiæ, vt benè probata confirmet, aut prauè assumpta refellat? Et cum talia, & alia dicerentur, Notarius Regis respondit: Patriarcha Cyrillas. [Et Catholici intercesserunt:] Legatur nobis, quo concedente istud sibi nomen Cyrillas assumpsit. [Ex quibus discimus plura. Primò, quod Africam ingressi Vvandalorum Episcopi assumpserint, ac in se transtulerint Hierarchiam Africanæ Ecclesiæ. Quod sibi Carthagine Primatem statuerint. Quod horum Primatum primi fuerint Iocundus, & Cyrillas. Secundò discimus, quod istum Primatum exaltarint in Patriarchatum, & Primatem inscripserint Patriarcham. Tertiò, quod isti Primati excelsum, & superbum, nempe vt Patriarchæ Thronum concesserint. Quartò, quod Catholici Episcopi hæc omnia improbauerint. Et meritò. Etenim Carthaginensis Episcopus, licèt sex amplissimarum Prouinciarum, ac plurimorum episcoporum Primas esset

esset, nequaquam tamen erat Autocephalus, sed Patriarchico Romanæ Ecclesiæ iuri subiectus per omnia, ideoque remotissimus à Patriarchali dignitate. Et hinc in plenaria suę Diœcesios Synodo non habuit singularem Thronum, sed sedit Collega inter Collegas. Omnis hic Cyrillæ fastus erat nouitas.

Videtur tamen non fuisse nouitas. Etenim in Chronico Victor Tonnonensis episcopus Reparatum Carthaginensem aliquoties appellat Archiepiscopum. Etiam sanctus Leo nonus Pontifex istius ciuitatis episcopum appellat à primum Romano Archiepiscopum, ac maximum totius Africæ Metropolitanum. At verò Archiepiscopi titulus tunc dabatur solis Patriarchis, aut Autocephalis Primatibus. Respondeo Victorem Tonnonensem aliter loqui de Capreolo, Eugenio, ac Bonifacio, Reparati Antecessoribus: Eos simpliciter appellat episcopos. Et de Reparati exordio scribit: Reparatus Carthaginensis Ecclesiæ episcopatum post Bonifacium suscepit: [Et postmodò constanter inscribit Archiepiscopum. Quem titulum istius Sedis Antistiti nec sanctus Augustinus tribuit, nec sanctus Optatus, nec sanctus Cyprianus, nec vlla Africana Synodus, Victor Tonnonensis videtur posteriorem partem suorum Annalium scripsisse de anno in annum. Reparati Acta scripsisse apud Græcos, Constantinopoli, aut in exilio. Isthic didicit Græcorum titulos, & ex ipsis cœpit Reparatum scribere Archi-episcopum. Et falsum est, quod Archi-episcopi titulus isto tempore daretur solis Patriarchis, aut Primatibus Autocephalis. Etenim Romana Ecclesia in suo antiquo Canonum Codice duodecimum Chalcedonensem Canonem legit hoc modo: [Quæcumque ciuitates per sacras literas nomine Metropolitano funguntur, ipsæ solum honorem consequantur, & is, qui huic Ecclesiæ preest episcopus, vocetur Archi-episcopus, saluo vtique proprio iure, quod reuerà Metropolitanæ ciuitati conuenit]. Adeò antiqua est ista significatio. Codex docet ipsam non esse Commentum recentium Græculorum. Hæc sunt alterius loci. Posterioribus sæculis cuncti Africanarum Prouinciarum Primates fuerunt appellati Archi-episcopi. Etenim Sanctus Gregorius septimus laudat Secundum Episcopum Hipponensem, & inscribit Archi-episcopum Mauritaniæ Sitifensis.

Quæstio prima est, An ista Metropoliticæ potestatis successio, aut potiùs de ciuitate in ciuitatem migratio viguerit in omnibus sex Prouincijs? Respondeo non viguisse in Proconsulari Prouincia. Est res omnibus explorata. Quare quæstio præsertim est de Mauritania Cœsariensi. Etenim per Iacobum Sirmondum vulgata Africanarum Ecclesiarum notitia in Sitifensi Mauritania primo Ruffinum Tamallumensem, secundo loco ponit Donatum episcopum Sitifensem, atque ita affirmat non hunc, sed illum fuisse Primatem. At verò, & Sanctus Augustinus, & Sanctus Victor Vticensis Cęsariensem episcopum affirmant fuisse Metropolitanum. Respondeo tamen eamdem formam viguisse in Cœsariensi Prouincia. Lucet ex sancti Augustini epistola ad sanctum Cęlestinum Pontificem; [Existat exemplo, ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliarum iudicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam, nec Episcopali spoliatos honore, nec omnimodis relictos impunitos. Quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus Prouinciæ Cœsariensis episcopus: Aut ad Primatum locus, sicut cæteris, & mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit. Clamet alius eiusdem Prouinciæ episcopus Victor, cui relicto in eadem pœna, in qua, & Priscus fuit, numquam nisi in Diœcesi eius ab alio communicatur episcopo]. Hæc Prisci, & Victoris pœna palàm demonstrat Metropoliticam authoritatem etiam in Cœsariensi Prouincia non Cathedræ fuisse adnexam, sed seniori ætati episcopalis honoris. Hinc in Carthaginensi Collatione Deuterius Catholicus, & Emeritus Donatista Cœsariensium episcopus non habuere locum, nisi suæ ætatis. Et laudatus Africanarum Prouinciarum, ac episcoporum catalogus Apocorium Cœsariensem ponit eodem ordine. Epist. 261.

Eadem de pœna scribit in Chronico ad duodecimum annum à Basilij Consulatu Victor Tonnonensis episcopus: [Primasius Aquimetensis episcopus], quod tria Chalcedonensis synodi Capitula damnare nollet, [Monasterio relegatus est. Sed Boetio, Primate Byzaceni Concilij morte præuento, vt ei succederet, memoratæ damnationi protinus assensit, reuersusque ad suos, quæ priùs defendebat, validissimis persecutionibus impugnauit, fidelibus calumnias generando, eorumque substantias auferendo. Sed in quibus peccauit, latere non potuit. Siquidem postquam à Catholicis sui Concilij Antistitibus pro suis præuaricationibus condemnatur, infelici morte extinguitur]. Quædam olim delicta episcopum, aut clericum degradabant, quædam proscribebant à solo adscensu ad altiorem gradum: Et Imperatoris Iustiniani tempore tale crimen erat non damnare tria ista Capitula. Hinc Primasius, apud Byzacenos senior post Boetium Primatem episcopus, ne istam pœnam incidens excluderetur à successione in Primatum, recessit à priori sententia, & Capitula damnauit. At istum recessum Collegæ censuerunt esse apostasiam: Hinc Primasium à Primatu eiecerunt.

Quæstio secunda est, An omnes sex Prouinciæ habuerint suum proprium Primatem? Rationem dubitandi facit secundus Canon tertiæ Carthaginensis synodi: [Propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis quibusque annis Concilium conuocetur, ad quod omnes Prouinciæ, quæ primas Sedes habent, de Concilijs suis ternos Legatos mittant]. Affirmat quasdam habere, quasdam Prouincias non habere proprium Primatem, propriamque synodum. Et in antiquo Romanæ Ecclesiæ Codice habemus hunc Canonem: [Primatem proprium Mauritania Sitifensis, cum id postularet, habere permissa est in longinquioribus Mauris]. Est compendium. Plenus Canon habetur in Codice Africanæ Ecclesiæ: [Placuit vt Mauritania Sitifensis, vt postulauit Primatem Prouinciæ Numidiæ, ex cuius cœtu separatur, suum habeat Primatem, quem Cap. 17.

con-

consentientibus omnibus Primatibus Africanarum Prouinciarum, vel omnibus episcopis; propter longinquitatem habere permissa est]. Alia lectio habet. [De Primatu Prouinciæ Sitifensis. Primatem verò proprium cum Mauritaniæ Sitifensis Episcopi postularent, omne Concilium Episcoporum Numidiæ, consentientibus omnibus Primatibus, vel vniuersis episcopis Prouinciarum Africanarum, propter longi itineris nouitatem habere permissa est. Cum consilio Carthaginensis Ecclesiæ factum est]. Hinc discimus plura. Primò, quod duæ Mauritaniæ semper fuerint duæ Prouinciæ. Et Ciuiles, & Ecclesiasticæ. Secundò, quod Sitifensis Prouincia olim, nec Primatem habuerit, nec synodum. Tertiò, quod non ad Cæsariensis Prouinciæ, sed ad Numidiæ Primatem, ac synodum spectauerit: Erat Heteroclyta Hierarchia: Radicem ignoro. Ipsam ob longinquitatem itinerum, ac alias rationes pertæsi Sitifenses postularunt singularem Primatem, propriamq; synodum, & obtinuerunt. Hinc ad Victorinum episcopum Numidam, qui contra Xantippum contendebat esse senior, & Primas, scripsit sanctus Augustinus: [Legi in eadem Tractatoria, etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas Prouincias scimus habere suos Primates. Quod si & ex eis ad Numidiam conuocādum esset Concilium, oportuit vtique, vt aliquorum Maurorum Episcoporum, qui illic priores sunt, nomina in Tractoria ponerentur. Quod in ista Tractoria non reperiens, multùm miratus sum]. Victorinus apud Valentini Vaiauensis mortem prætendit se Seniorem Numidiæ, ideòque & Primatem. Et statim se Primatem ostentaturus indixit synodum, & per Tractorias literas conuocauit non solummodò Numidiæ, sed insuper Mauritaniæ, vtique Sitifensis Episcopos. Nempè dictam separationem improbabat, volebatq; circumducere. Fecit istud ipsum, quod elapso sæculo fecit Dominus Carolus à Lotaringia, Archiepiscopus Rhemensis, qui non solum Iprensem, ac alios nouos Flandriæ, ac Artesiæ episcopos, sed etiam ipsum Archiepiscopum Cameracensem euocauit ad suam synodum: Censuit ipsos à sua Metropoli illegitimè, ac inualidè dismembratos. Sanctus Augustinus istud arguit: [Quas Prouincias scimus suos habere Primates]. Affirmat diuisionem esse legitimam, ideòque non tentandam. Videtur fuisse facta anno decimo-septimo quinti seculi.

Epist. 217.

De hac Hierarchia scribit ad Gennadium Patricium, Africæ Exarchum, magnus Gregorius, [Concilium Catholicorum Episcoporum admoneri præcipite, vt Primatem non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis, faciat, quoniam apud Deum non gradus eleuatior, sed vitæ melioris actio comprobatur]. Textus habet: [Gradus elegantior.]. Videtur hoc modo corrigendus. Gregorius voluit Primates deinceps non per ætatem succedere, sed ex cunctis Prouinciæ episcopis iuxta virtutum merita eligi digniorem. Et denuò scripsit ad omnes Numidiæ episcopos: [Petistis per Hilarium Chartularium nostrum à beatæ memoriæ Prædecessore nostro, vt omnes vobis retrò temporum consuetudines seruarentur, quas à beati Petri, Apostolorum Principis, ordinationum initijs vetustas longa seruauit. Et nos quidem, iuxtà seriem Relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, inmotam permanere concedimus, siue de Primatibus constituendis, cæterisque Capitulis, exceptis his, qui ex Donatistis ad episcopatum perueniunt. quos prouehi ad Primatos dignitatem, etiam cum ordo clericorum eos ad locum eumdem defert, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis, commissæ sibi plebis tantummodò curam gerere, non autem illos etiam Antistites, quos Catholica fides in Ecclesiæ sinu, & edocuit, & genuit, ad obtinendum culmen Primatus anteire]. Eadem de re Gregorius rescripsit ad Dominicum Primatem Carthaginensem. Audita Gregorij in Apostolicam Sedem euictione, Dominicus gratulatorias scripsit literas, ac ipsas transmisit per solennissimam Legationem: Per Donatum, & QuodvultDeum Episcopos, Victorem Diaconum, & Angelum Notarium. Nescio qua ex causa fuerunt in via passi moras, & seriùs venerunt Romam, ideòq; Gregorius non respondit, nisi decimo kalendas Augusti indictione decima. Erat sexti sæculi annus nonagesimus secundus: At verò Gregorius Pontificatum inierat iam ante biennium. Rescripsit inter cætera: [De Ecclesiasticis priuilegijs, quod vestra Fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura seruamus. Nec cuilibet, fauente gratia, vltra quàm meretur, impartior, nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu stimulante derogo, sed Fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subuehi, dummodò non sit, quod alteri iure ab altero possit opponi.

L. 1. Ep. 72.

Africanæ Ecclesiæ disciplina per longam sub Wandalis captiuitatem fuit læsa in pluribus, & alterata. Et per lites de tribus Chalcedonensis Concilij Capitibus accesserunt alia vulnera. Et quis tunc Romanus Pontifex videtur auitam Prouincialium Primatuum successionem, quia communi omnium gentium Hierarchiæ aduersam, improbasse, & voluisse mutatam. Hinc Africani omnes, Numidiæ præsertim, episcopi auitum morem probari, & firmari postularunt à Pelagio secundo. Et vt Pontificem permouerent, asseruerunt esse antiquissimum, à tempore Sancti Apostoli Petri. Auitam suam Hierarchiam studuerunt per nouam Apostolicæ Sedis confirmationem reddere immutabilem. Preces videntur Pelagium inuenisse defunctum, ac fuisse traditæ Successori Gregorio. Et hic improbauit morem, ipsumque non quidem immutauit, sed iussit immutari per synodum, & huius executionem delegauit Exarcho Gennadio. Voluit Primates deinceps eligi per synodos: Eligi digniorem totius Prouinciæ. Erat sanctissima sanctio. Nihilominùs suarum consuetudinum tenaces Afri intercesserunt, & nouas miserunt preces. Per Numidiæ episcopos. Et optimus Gregorius indulsit aliquid moderaminis. Consuetudinem, quoniam Catholicæ fidei non aduersabatur, permisit procedere, ea tamen lege, vt apud Donatistas consecrati, & postmodò

dò ad Matrem Catholicam accedentes episcopi nunquam possent ad Primatum adspirare. Postea aduenerunt etiam literæ, & Legatio Primatis Dominici: Et Gregorius denuò firmauit suum Decretum. Proindè ista Primatum Successio semper permansit, & dum Africam contigerit reduci ad Christum Dominum, debebit permanere. Et ista Gregorij contra Donatistas appendix non fuit noua. Lucet ex illis, quæ nobis Victor Tonnonensis dixit circa Primasium Episcopum Aquimetensem: Et quæ Sanctus Augustinus scripsit ad Sanctum Celestinum.

Verba, [Etiam cum ordo clericorum], videntur mendosa. Videtur legendum: [Ordo annorum]; Est enim quæstio de gradu ætatis. Quid ibi operetur Ordo Clericorum? Notandum etiam est Gregorij Rescriptum ad Hilarium Monachum, eius in Africa Legatum: [Felicissimus, atque Vincentius, Diacones Ecclesiæ Lamingensis, oblata petitione suggesserunt ab Argentio, eiusdem ciuitatis episcopo, grauem se iniustitiam pertulisse, & accepto præmio Donatistas in Ecclesijs fuisse præpositos]. Quidam Lamingensium Donatistarum Clerici, ordinatione seniores Felicissimo, ac Vincentio, redierunt ad Ecclesiam, ipsosque Argentius episcopus admisit etiam ad locum iuxtà suæ consecrationis ætatem, ac duobus memoratis clericis præposuit. Hoc similiter improbauit Gregorius: Vti istiusmodi episcopos noluit esse Primates, ita similes clericos voluit in Ecclesiæ tabula esse postremos. Gregorij verba [Quas à beati Petri Apostolorum Principis &c.] videntur affirmare Africanam Ecclesiam esse fundationem Sancti Petri. Verùm sunt Africanæ Relationis verba, quæ Gregorius noluit discutere. Clariùs se exponit in alijs ad Dominicum Primatem literis: [Scientes vnde in Africanis partibus sumpserit ordinatio Sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quod Sedem Apostolicam diligendo, ad officij vestri originem prudenti recordatione recurritis]. Affirmat primos episcopos per Apostolicam Sedem fuisse consecratos, & transmissos in Africam. Lib.7.ep.32.

CAPVT III.

Exponitur Primatus Carthaginensis Ecclesiæ.

IN Commonitorio super Hæresiarchæ Cælestij nomine Marius Mercator rectè affirmat. [Carthaginem esse totius Africæ Metropolim.] Hinc vti Romanus Proconsul Ciuilem, ita istius ciuitatis Episcopus habuit Eccclesiasticam potestatem in omnes Diœcesios Prouincias. Idque à prima fundatione istius Ecclesiæ. Etenim sanctus Cyprianus suam erraticam Synodum collegit ex Prouincia Africa, idest, Proconsulari, ex Numidia, ac vtraque Mauritania. Quod etiam adfuerint Tripolitani Antistites, est supra demonstratum. Notanda est sancti Cypriani ad istam Synodum prefatio: [Neque quisquam nostrum Episcopum se esse episcoporum constituit, aut Tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.] Quod Romanus Antistes passim inscriberetur Pontifex Maximus, ac Episcoporum Episcopus, testatur Tertullianus in libro de pudicitia. Sanctus Papa Stephanus videtur ita inscripsisse semetipsum, atque ista authoritate omnes sub cœlo Ecclesias compulisse ad obediendum suis Decretis contra Rebaptismum. Hoc Cyprianus rodit: Insinuat etiam se esse episcoporum Episcopum, & tamen à se non præsumi istum titulum, nec talem Tyrannidem. Et in literis ad sanctum Cornelium Pontificem scribit: [Latiùs fusa est nostra Prouincia. Habet etiam Numidiam, & duas Mauritanias sibi cohærentes.] Prouinciam accipit pro Diœcesi. Ibidem affirmat sibi in Adrumetinæ, quæ postmodò Byzacij est facta Metropolis, ciuitatis Ecclesiam esse plenam Primatialem potestatem. Quæ omnia sanctus Cyprianus fecit & scripsit iuxta consuetudinem seruatam ab Agrippino, alijsque suis Antecessoribus. Magnum istum titulum probat in sancti Augustini vita sanctus Possidius: Carthaginensem Antistitem appellat. [Primatem episcoporum Carthaginensem.] Nempe omnium episcoporum per omnem Africam. Hinc Victor Tonnonensis Firmum Numidiæ Primatem appellat non simpliciter Primatem episcoporum Numidiarum. [Eodem modo sanctus Augustinus in Carthaginensis Collationis Breuiculo Megalium Calamensem appellat Primatem episcoporum in Numidia.] At verò in literis ad quosdam Donatistarum Episcopos scribit Carthaginem esse amplam, ac illustrem ciuitatem, illi esse non mediocris authoritatis Episcopum, eius Ecclesiam esse verticem totius Africæ, omnes alias esse illi subditum corpus. Etiã sanctus Gregorius Nanzianzenus in sancti Cypriani encomio scribit ipsum non soli Carthaginensi Ecclesiæ, sed toti Africæ fuisse præfectum. Hanc Præfecturam laudant plures Synodi, quas celebrauit Primas Aurelius. In ipsarum vna Epigonius Episcopus dixit ad Aurelium: [Minus præstemis Frater. Necesse habes tu omnes Ecclesias fulcire.] Et ipse Aurelius ad omnem Synodum. [Scitis me multarum Ecclesiarum causam sustinere.] Et Primas Capreolus scripsit ad Ephesinam Synodum: Missis ad vniuersas Africæ Prouincias congruis literis, Synodum cogere volui. [Et apud Victorem Vritentem Episcopum sanctus Primas Eugenius Zenonis Augusti præceptum destinat vniuersæ Africæ.] Et in suis ad Bonifacium Primatem precibus scribit Petrus Abbas: [Tantæ Sedis, quæ totius Africæ Ecclesiæ Primatum tenere dignoscitur, tenore muniamur. [Plurima sunt istiusmodi testimonia.

Epist. 45.

L. 3. Cap. 7.

Concil. 3. Cap. 45.

Lib. 2.

Attamen Carthaginensis Antistes non fuit Autocephalus, sed Patriarchio iure subiectus Romanæ Ecclesiæ. Etenim Africana Ecclesia est fundata per Romanam, ideoque authoritatis, seu originis causa palàm spectat ad Romanum Patriarchatum. Primus Innocentius ipsam ponit in eadem classe cum Ecclesijs Hispanis, Gallicis, Italicis, ac Siculis. Hinc Carthaginensis Primas ad Romanam Ecclesiam semper retulit quasuis grauiores, ac difficiliores causas, itemque quosuis de nouo consecratos Episcopos. Lucet ex varijs sancti Cypriani epistolis. Et idem Cyprianus nonam in

in Lapsos clementiam non præsumpsit attentare, nisi facta relatione ad Romanum vacantis Ecclesiæ Clerum, varioque ad ipsam Rescripto: Quod nempè isthìc esset eius Patriarchica authoritas. Ex eodem principio omnes, etiam Prouinciales, Episcopi potuerunt Carthaginensem præterire Primatem, & à suarum Prouincialium Synodorum Iudicijs proximè Romam prouocare. De sanctis Monachis Martiniano ac Saturiano, per Gensericum Wandalorum Regem in Paganam Africæ Mauritaniam proiectis, scribit in primo libro Victor Vticensis: [Ingentem multitudinem Gentilium Barbarorum Christo Domino lucrauerunt, vbi antea nulla fama Christiani nominis fuerat diuulgata. Mittunt Legatos per itinera distenta Deserti: Peruenitur tandem ad Romanam ciuitatem. Rogatus Episcopus, vt Presbyterum, & Ministros credenti populo destinaret, explet cum gaudio, quod petebatur. [Vtique Leo magnus. Sub Wandalica captiuitate tunc gemebat, & quasi vidua erat Carthaginensis Ecclesia: Hinc Presbyter & Ministri non è Christiana Mauritania, aut ex vicina Hispania, sed postulantur ab Apostolica Sede. Propter Patriarchalem auctoritatem. Hinc & in suo Chronico scribit Guilhelmus Nangiacensis: [Rogerius Rex Siciliæ Africam inuasit, captaque vrbe, quæ Carthago dicebatur, Archiepiscopum Africæ, qui sub seruitute Romam venerat consecrandus, ad Sedem suam remisit liberum.] Africa tunc gemebat sub Saracenis. Et vti nuper sub Gregorij septimi Pontificatu, ita tunc reperiri non poterant duo intra Africam Catholici Episcopi, qui Carthaginensem Electum consecrarent: Hinc ille consecrandus accessit ad suum Patriarcham. Et in Lateranensi sancti Martini Pontificis Synodo exstat Synodica epistola, qua Victor, nouellus Carthaginensium Antistes, per solemnes Legatos refert se accepisse Pontificalis honoris consecrationem & stolam. Et illa postulat sibi per Pontificem confirmari. Nempe suum Patriarcham.

Anno 1643.

Hæc omnia insigniter illustrat S. Leo IX. in literis ad Thomam Africanum Episcopum: [Noueris proculdubiò, quia post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginensis episcopus, nec quicumque sit ille Gummitanus Episcopus, aliquam licentiam consecrandi episcopos, vel deponendi, seu Prouinciale Concilium conuocandi habet sine consensu Carthaginensis Archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis, aut potestatis sit, exceptis his, quæ ad propriam Parochiam pertinent; cætera autem, sicut & alij Africani episcopi, consilio Carthaginensis Archiepiscopi agit. Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis vniuersale Concilium celebrari, aut episcopos damnari, vel deponi. Quia etsi vobis liceat aliquos episcopos examinare, definitiuam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis non licet dare, quod in sanctis Canonibus statutum poteritis inuenire.] Hæc posteriora Leo addit ex Isidori Mercatoris Codice, qui tunc vigebat per Latinam Ecclesiam. Pergit in literis ad Petrum ac Ioannem, Africanos item episcopos: [Sed de Africæ Primatibus aliter intelligendum est, quia in singulis eius Prouincijs antiquitus Primates instituebantur, non secundùm potentiam alicuius ciuitatis, sed secundùm tempus suæ ordinationis, quibus tamen omnibus præerat vnus; scilicet Carthaginensis Archiepiscopus, qui etiam non incongruè dici potest Metropolitanus, propter Carthaginem Metropolim totius Africæ.]

Hanc Carthaginensis Ecclesiæ dignitatem grauiter læserunt Donatistæ. Res infra exponetur. Et ista præsumptio non est admiranda in istis Turbinibus. Eamdem quippè, immò longè maiorem, posterioribus sæculis attentauit Orthodoxus Gummitanæ Ecclesiæ in Byzacio episcopus, aduersùs quem scripsit ad Petrum, & Ioannem, Proconsularis, vt videtur, olim Prouinciæ episcopos S. Leo nonus: [Rectè contrà Gummitanum episcopum dignitatem Carthaginensis Ecclesiæ defendistis. Quia sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginensis episcopus, nec pro aliquo episcopo in tota Africa potest perdere priuilegium, semel susceptum à sancta Romana, & Apostolica Sede, sed obtinebit illud vsque in finem sæculi, & donec in ea inuocabitur Nomen Domini Nostri Iesu Christi, siue deserta iaceat Carthago, siue resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex Concilio Cypriani, hoc ex synodis Aurelij, hoc ex omnibus Africanis Concilijs, hoc, quod maius est, ex venerabilium prædecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum Decretis apertè monstratur. Nec quicumque ille sit Gummitanus episcopus, aliquam licentiam consecrandi episcopos, vel deponendi, seu Prouinciale Concilium conuocandi habet sine consensu Carthaginensis Archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis, aut potestatis sit: Tantummodò procurabit ille Gummitanus episcopus, quæ ad propriam Parochiam pertinent, cætera autem, sicut & alij Africani episcopi, consilio Carthaginensis Archiepiscopi aget, qui solus in Africa Pallium ab Apostolica Sede habere solet. Vnde, & episcopos consecrandi principale, & antiquum ius retinet.] Quid Gummitanus ille Antistes prætenderit, ac præsumpserit, est suprà expositum. Eius item fundamentum.

Quædam Leonis Pontificis verba sunt elucidanda. Primò hæc: [Et post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus.] Nempe intra Romanum Patriarchatum. Etenim in illo vnus ex auita Patrum institutione fuit Primas tot Prouinciarum. Thessalonicensis episcopus præfuit toti Illyrico: Verùm non per ordinarium Primatum, sed per vices delegatas Sedis Apostolicæ. Et ista vicaria Præfectura à S. Damaso duxit primam originem: Galliarum Primates sunt longè iuniores. Omnium senior est per Carolum magnum. Etiam Cantuariensis, ac Toletanus spectant ad media sæcula. Hinc Carthaginensis episcopus etiam extra Romanum Patriarchatum, ac in generalibus Ecclesiæ synodis fuit summè honoratus. Etenim ad sextam synodum Constantinus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter, ac Grammaticus Latinus, solemniter dixit: [Scio temporibus Pauli quondam Patriarchæ venisse Fortunium,

nium, qui fuit episcopus Carthaginensis, & cum Missas acturus esset in sancta magna Dei Ecclesia, quæsitum est, quomodò sedere debuisset, vtrumne ante Metropolitanos, qui hic morabantur, an post eos. Et requirente eodem Paulo quondam Patriarcha in Bibliotheca Patriarchij librum quinti Concilij, vt cognosceret quomodo sedere debuissent, contigit vt inueniretur, & Latinus liber eiusdem Concilij. Et exinde instructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter sedere.] Porrò in quinto Concilio Sextilianus Tunensis Episcopus, Primosi Carthaginensis Primatis Vicarius, ac Legatus, sedit proximè post Patriarchas, ac Autocephalos Exarchos, ante omnes Metropolitanos, & Græcos, & Latinos. Vnicus ipsum præcessit Thessalonicensis, propter amplas vices Apostolicas. Tres Græcorum Exarchi, licèt per Constantinopolitani episcopi rapinas amiserint Autocephaliam, retinent tamen eius imaginem, & quasdam reliquias.

Notanda sunt, & hæc S. Leonis verba: [Priuilegium semel susceptum ab Apostolica Sede.] Et inter hæc priuilegia Leo ponit potestatem [consecrandi Episcopos.] Huius functionis antiquum, & principale ius affirmat esse penès solum Carthaginensem. Ex Apostolico priuilegio. Et addit omnia hæc constare ex Decretis Romanorum Præsulum. Et quidem ista omnia fuisse Afris Romana beneficia, nemo sana sentiens possit inficiari. Ipsum agnouit, ac professus est Carthaginensium Primas Reparatus, qui post eiectos ex Africa Wandalos ad S. Agapetum Pontificem solemniter legauit Caium, & Petrum Episcopos, ac Liberatum suum Archidiaconum, nouo Pontifici gratulaturos adeptam dignitatem, & supplicaturos Primatiali Cathedræ antiqua priuilegia. Lucet ex Pontificis rescripto: [Vniuersa, quæ inimicorum peruersitas inuaserat, charitati tuæ Metropolitana iura reparantes hortamur, &c.] Hoc ipsum professi sunt vniuersi Afrorum Antistites, dum à Pelagio secundo, ac à Magno Gregorio supplicarunt eamdem reparationem, etiam heteroclytam successionem Prouincialium Primatum. Apostolicus Canon sanxit omnes, & singulos, non dumtaxat Metropolitas, sed etiam Prouinciales Episcopos consecrari per Patriarcham: Per eius manus, aut certè ad eius præuiam confirmationem, & literas. Hic Canon, vti in quibusdam alijs Diœcesibus, ita in Africa non viguit ob transmarinam ab alma Vrbe, ac Patriarchali manu distantiam: Et hoc ex gratioso indulto Romanæ Cathedræ. Cathedra ista permisit omnes Afrorum Episcopos consecrari per manus, aut literas Primatis Carthaginensis.

Et hoc indultum circumducendum censuit Siricius Pontifex, dum in Africam misit hunc Canonem: [Extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, nemo audeat ordinare.] Nempè Episcopos. Canon affirmat verum Africæ Primatem, seu Patriarcham sedere in Apostolica Sede, ideoque sine ipsius præuia confirmatione nullum isthic posse consecrari Episcopum. Et mandat deinceps sic obseruari. Et istam nouam regulam Thelensis Synodus tenrauit per Byzacium mittere in executionem. Verùm Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus neruosè contendit Siricij literas, & Thelensem synodum esse spuria, ac suppositicia figmenta. At sine competenti fundamento. Etenim Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus, ac vir eximiè eruditus: Est enim omnino ille idem, qui scripsit vitam S. Fulgentij, & ad cuius literas idem Fulgentius rescripsit librum de Baptismo Æthiopis. Hic, inquam, eruditus Ferrandus in sua breuiatiua Canonum collectione frequenter laudat, & præfatas literas, & præfatam synodum, vti legitimas, atque authenticas. Easdem laudat ille Canonum codex, quem Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus vulgauit, & affirmat esse antiquum Romanæ Ecclesiæ, quo illa fuit vsa, antequam alium meliorem edidisset Dionysius Exiguus. Attamen synodum istam aliqui non Thelensem appellant, sed Theleptensem. Laudatus Ferrandus constanter appellat Zellensem. Et hæc appellatio videtur comprobanda. Etenim tantum testimonium quis improbet? Adductum Canonem præfatus Romanæ Ecclesiæ Codex legit in hunc modum: [Vt extra conscientiam Sedis Apostolicæ Primates nemo audeat ordinare.] Quæ lectio suis etiam non vacat scrupulis.

Etenim Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus aduertit vocem, Ordinare, esse æquiuocam, & ab ipsa quandoque consecrationem, quandoque administrationem, aut quamuis dispositionem importari, atque prosequitur: Verùm vt communiori vocum vsui, & Grammaticæ legibus magis accomodatur] ista lectio: [ita Regionum istarum disciplinæ, ac moribus prorsùs aduersatur. Si enim Primatum nomine Carthaginensem episcopum intelligat, non pluralis, sed singularis numerus apponi debuerat: Cum vnicus esset huiusmodi Primas in Africa. Sed & quàm hoc ab Africanis Iuribus, & consuetudine alienum, vt ad Episcopum Romanum de ordinando Carthaginensi Episcopo consultatio, vel relatio mitteretur. Quod si per Primates Metropolitanum vniuscuiusque Prouinciæ Episcopum, seu primæ Sedis Antistitem designat, iam verò ineptissimum est ac ridiculum istud Decretum, quod Primates extra conscientiam Sedis Apostolicæ ordinari vetat: Cum Primates in Africa, excepto Carthaginensi, nunquam ordinarentur.

Respondeo tamen istam lectionem non esse paradoxam. Per Primates intelligi possunt tam Carthaginensis, quàm primæ Sedis Episcopi per alias Prouincias. Etenim inter Carthaginensis Ecclesiæ Primatialia Iura fuit, & illud, quod ad Carthaginensem Aurelij synodum, à qua proprium Primatem acceperunt, dixerunt Cæcilianus, & Honoratus, Legati Sitifensis Mauritaniæ: [Profitemur in conscientiam Ecclesiæ Carthaginensis perferre, quandocumque voluerimus habere primæ Sedis Episcopum. Ita vt cum primæ Sedis episcopus de corpore recesserit, qui in eius locum succedit, ad Ecclesiam Carthaginis mittat, & eam instruat, vt fiat primæ Sedis episcopus.] Et omnis synodus acclamauit: [Placet, placet.] Et adiungit: [Quandocumque habere voluerit quæcumque Prouincia primæ Sedis Episcopum, instruat primitùs

mitùs Carthaginensem Ecclesiam, & sic quod desiderat faciat.] Quod ius vtcumque lapsum restaurauit in sua Carthaginensi synodo Bonifacius Primas. Et huius synodi, vsque huc latentis, insignem, ac vtilem notitiam debemus Illustrissimo Domino Lucæ Holstenio, qui eam produxit ex Vaticana Bibliotheca. Proinde apud Afros nullus poterat fieri Primas sine præuio examine, & confirmatione Archiepiscopi Carthaginensis. Hic discutere debebat, vtrum accipiendæ dignitati nullus obstaret obex. Et hinc lucet magnum Gregorium, dum alicui notæ obnonoxios exclusit ab ista successione, nihil sanxisse contra Gentis mores, aut Canones. Possit igitur fieri, vt Siricius Pontifex censuerit illud ius spectare ad suam Sedem. Nec sine fundamento. Etenim Primates isti, licèt non quoad ciuitatem, & locum, quoad potestatem, ac dignitatem erant veri, ac pleni Metropolitæ: Et verò omnium Occidentalium Metropolitarum confirmatio, consecratio, ac inthronizatio singulari semper, per sextum Nicænum Canonem stabilito iure spectauit ad Apostolicam Sedem, Patriarchalem totius Septemtrionis, ac Occidentis. Siricius voluit, nec Carthaginensem deinceps consecrari, nec aliarum Prouinciarum primates inthronizari sine suo præuio examine, & assensu. Et hinc vsus est communi ad consecrationem, & inthronizationem significandam voce, [Ordinare.]

Est res non improbabilis. Attamen aliud fortissimè suadet quartum Ferrandi Diaconi compendium: [Vt episcopus à tribus ordinetur, consentientibus alijs per scripta, cum confirmatione Metropolitani, vel Primatis.] Ferrandus affirmat compendium esse desumptum ex quarto, & sexto Nicæno, ex decimonono Antiocheno, ex duodecimo Laodicensi, ex bino Carthaginensi, ex Zellensi Canone, ac ex epistola Papæ Siricij. Per Metropolitanum omnino videtur Carthaginensem Archiepiscopum, per primatem intelligere Præfectum vnius prouinciæ. Etenim vnicus per omnem Africam Metropolitanus fuit iste Archiepiscopus. Ferrandus videtur docere Africanos episcopos consecrari non posse, nisi per interuentum vtriusque præfecti. Particula disiunctiua, Vel videtur sumi pro copulatiua, Et. Nec enim id nouum est, etiam apud Canones. At verò nulla est hìc mentio Sedis Apostolicæ, aut Romani Pontificis. Quærenda est ratio. Quærendum est, quomodo Ferrandus affirmet istud suum compendium esse desumptum ex Siricij epistola, quæ palàm exigit Romanum consensum.

Volo meam, non sententiam, sed coniecturam liberè, attamen doceri paratus, edicere. Siricij synodus videtur non fuisse collecta, ac eius epistola non fuisse concepta pro sola Africana Ecclesia. Et synodus, & epistola videntur sanxisse pro omni latina Christianitate. Videntur esse istud constitutum, de quo liber Pontificalis: [Siricius fecit constitutum de omni Ecclesia, & contra omnes hæreses, & dispersit per vniuersum Mundum, & per omnes prouincias, vt in omni Ecclesiæ Archiuo custodiretur, ob oppugnationem contra omnes hæreses.] Etenim synodalis epistola disertè dicit synodum fuisse adunatam [propter emergentes plurimas causas, quæ in aliquantis non erant causæ, sed crimina. Extiterunt enim nonnulli, qui statuta maiorum non tenentes, castitatem Ecclesiæ sua præsumptione violarunt, voluntatem populi sequentes, & Dei iudicium non timentes.] Etiam in hæreses egit ista synodus: Præsertim in Nouatianensem, ac Montensem, seu Donatisticam, maximè tunc grassantes in Occidentali Ecclesia.

Huius igitur synodi constituta Siricius, vti in omnes alias sui Patriarchatus prouincias, ita transmisit etiam in Africam. Et vti Donatianus Teleptensis episcopus Byzacij Primas, ita & aliarum Prouinciarum Præfecti pro eorum executione adunarunt synodos, aut Prouinciales, aut Africanas. Hæc Thelensis, Teleptensis, aut Zellensis fuit palam Africana, & primus Siricij Canon mouit ipsi grandem scrupulum. Nec sine rationibus. Etenim Africanam Ecclesiam adstringebat ad nouum onus: Ad omnium suorum episcoporum præuiam confirmationem postulandam, non dumtaxat à Prouinciæ, ac Diœceseos primate, sed etiam à Romano Pontifice. Hinc aduersùs illud synodus intercessit, allegans suos mores, suam perpetuam consuetudinem. Et tunc existimo Siricium rescripsisse secundam epistolam, prioris interpretatiuam, ac moderatiuam, de qua Vincentius, & Fortunatianus, Proconsularis prouinciæ Legati, dixerunt ad hanc Zellensem synodum: Etiam cum Tusdrum fuissemus, sicut mecum recolit memorialis auditio vestra, & epistolas sanctæ memoriæ Siricij Sedis Apostolicæ episcopi dedissemus, vnaque earum recitata esset à sanctimonia Fratris nostri Episcopi Latonij, vtrasque nos afferre suggestio indicauit. Has igitur recitari donate. Episcopi dixerunt: Recitentur epistolæ venerabilis memoriæ Siricij. Vt nouerimus, quid earum textus contineat.]

Affirmant, ac nos docent varia. Primò, quod Siricius duas epistolas de hac eadem re miserit ad Africanam Ecclesiam. Nempè secundam ad interpretandos scrupulos natos circa primam. Secundò, quod ad exequendas has literas factæ sint plures per Africam synodi: Etiam post mortem Siricij. Nam proximè ante hanc Zellensem facta fuit Tusdritana: Et vtrique adfuerunt plures eidem episcopi. Tertiò, quod ad Tusdritanam synodum Latonius episcopus, vt istius prouinciæ primas, recitari curarit vnicam dumtaxat epistolam. Quartò, quod adsistentes episcopi non contenti postularint etiam recitari secundam: Et quod fuerit recitata. Nempè Latonius recitari curarat solam posteriorem, prioris interpretem, ac moderatricem: At verò hæc sine illa plenè percipi non poterat. Hinc & ista recitari debuit. Erat præsens epistola. Posterior videtur hunc primum articulum temperasse, ac reduxisse ad communes Occidentalis Ecclesiæ mores, ad auitam Africanæ Gentis consuetudinem. Et hinc adductum suum compendium, quod ad consecrandos episcopos solius Metropolitani, ac Primatis consensum requirit, Ferrandus Diaconus

nus fundari asseuerat, non dumtaxat in quarto, ac sexto Nicæno Canone, sed etiam in Zellensi Synodo, ac in epistola Siricij Pontificis. Non in prima, sed in secunda. Hæc perijt, aut latet. Hinc compellimur ad coniecturas. Eam videtur vidisse S. Leo nonus, Etenim scribit amplissimam illam, quam ad omnes consecrandos episcopos habet primas Carthaginensis, authoritatem esse priuilegium, ac beneficium Romanæ Ecclesiæ. Quod nempè dedit ista secunda epistola. Mihi videor hoc sine fundamento couijcere. Dum epistola apparuerit, docebimur firmiora.

Etiam prouinciarum primates non caruerunt suis dignitatibus: Præsertim Numida, & Cæsariænsis. Etenim dum Victorinus, & Xantippus litigarent de primatu Numidię, ad deinceps euitandos istiusmodi scopulos emanauit hic Canon: [Hic ordo,] quo iunior episcopus nunquam, præsertim in synodo, sedere possit ante seniorem, [& à Patribus, & à maioribus seruatus est, & à nobis, Deo propitio, seruabitur, saluo etiam iure primatis Numidiæ, ac Mauritaniæ.] Hisce duobus semper fuit primus locus post primatem Carthaginensem. Et hi primates fuerunt istius dignitatis adeò tenaces, vt in Carthaginensi, post duodecimum Honorij, & octauum Theodosij Consulatum celebrata, synodo Valentinus Numidiæ primas sederit ante Faustinum, Potentinæ Ecclesiæ episcopum, Legātum Romanæ Ecclesiæ. Eadem in synodo Legati Byzacenæ Prouinciæ, itemque Nouatus Sitifensis episcopus, ac eiusdem Prouinciæ Legatus, sedent, & subscribunt ante Legatos Cæsariænsis Mauritaniæ. Legati omnes sedent inter se permixtim: Omnes eiusdem prouinciæ Legati sibi mutuò non assident. Nempè primatum priuilegium non exibat personas: Nequidem communicabatur prouinciæ Vicarijs, ac Legatis. An in primatum Legatos transierit, non possim affirmare. Existimo primates omnes post Carthaginensem sedisse ante prouinciales episcopos. Etenim in quinta synodo Pompeianus, Victorianensis in Byzacio episcopus, & haud dubiè primas, sedit, ac subscripsit inter Metropolitas: Quod nempe etiam in suæ Diœcesios synodo obtineret istum locum. Sextilianus Tuniensis episcopus, Primosi Carthaginensis Vicarius, ac Legatus, ibidem obtinuit sui principalis locum, ideòque ista regula videtur obtinuisse in domestica etiam synodo.

In Romana sancti Martini Pontificis Synodo extat Synodalis epistola ab Africana trium Prouinciarum Synodo ad Theodorum Pontificem, & habet hanc epigraphen: [Colūbus primæ Sedis Episcopus Concilij Numidię, & Stephanus primę Sedis Episcopus Concilij Byzaceni, & Reparatus Episcopus primæ Sedis Concilij Mauritaniæ.] Byzacij Primas subscribit ante [Primatem Mauritaniæ, ideoque præfatum priuilegium videtur cespitare. Respondeo cespitasse. Nam & ad Bonifacium Primatem, suæ Carthaginensi Synodo præsidentem, dixit Felix Zactarensis Episcopus, Legatus Numidiæ: [Extremus ego precor tuæ patientiæ bonitatem, vt legum institutio Paternarum, quam nouiter constat esse sauciatam, inculcetur mentibus singulorum, vt & Doctor seruet, quod antea didicit, & minùs instructus discat scire quod nescit.] Agit de antiqua lege, ac forma Synodalis præcedentiæ. Hinc subdit: [Tuæ Beatitudinis innocuam exspecto charitatem, vt Africanarum Prouinciarum Concilia qualiter sint paternis institutionibus, ordinata, his Gestis apertiùs demonstretur, & propatulò, quis post te sit alterius primus, non differas sanctis interlocutionibus publicare.] Rogat quis in Africanis Synodis debeat post Carthagiensem Primatem, qui illic [infulatus Sacerdos præsidet, & primus palmatus irradiat,] habere proximum locum, ac esse primus ante omnes alios. Et post relectos varios Aurelianarum Synodorum Canones Bonifacius respondit: Ex paternis definitionibus euidenti veritate collegimus Proconsularem Prouinciam Numidiæ, Numidiam verò Byzacenæ, vel cæteris antelatam. Quisquis ergò perturbare statutum ordinē quandocumque tentarit, honoris sui putabitur pati iacturam.]

Ex his discimus varia. Primò, quod sub Vvandalica captiuitate Africana Hierarchia fuerit alterata in varijs articulis, ac sauciata. Secundò, quod horum articulorum vnus fuerit antiquum præcedentiæ ius, quod in generalibus istic Synodis habebant Primas Numidiæ, ac Primas Cæsariænsis Mauritaniæ. Tertiò, quod sola Numidia reclamarit suum ius, postulans restaurari. De Mauritania nemo loquitur: & tamen aderat, haud dubiè Legatus, Secundinus Minensis Episcopus. Vigilij Tapsensis Episcopi catalogus appellat Minnensem. Nempe Barbari ipsam horrendè deuastarant, ac adeò redegerant in nihilum, vt erubesceret adspirare ad vetusta sui olim splendoris insignia, & hæc omninò est vna rationum, ob quas Imperator Iustinianus vtramque Mauritaniam contraxerit in vnam Prouinciam. Hinc item Primas Bonifacius respondit, quod post Carthaginensem Numida, post hunc proximus sedere deberet, non Cæsariænsis Maurus, sed Byzacenus. Nempe sublimis illa Mauriania iacebat in terra. Et ista eius humilitas permansit etiam post Iustiniani tempora. Hæc igitur est ratio, ob quam in laudata contra Monothelitas Synodo post Numidam Byzacenus sedit ante Maurum. Ex his item fortissimè suademur, quod ante euersam à Barbaris Africam, non solus Numida, ac Maurus, sed etiam Byzacenus, & omnes rèliqui Primates locum habuerint ante Prouinciales Episcopos. Hinc etiam ita præfati tres sederunt in laudata Synodo, Numida, & Maurus iuxta dignitatem suæ Prouinciæ, alij forsitan sederunt iuxta ætatem suæ consecrationis. Quidquid sit, videntur ipsum semper eumdem honorem obtinuisse in generalibus totius Africæ Synodis. Hinc generali Synodo, habita sub Consulatu Attici, & Cæsarij, statim post Carthaginensem Aurelium subscripsit Muzonius Primas Bizacij. Et quartæ Carthaginensi Synodo post eumdem Aurelium primus subscripsit Donatianus Talabricensis, Primas eiusdem Prouinciæ. Et Mileuitanæ Synodo simi-

similiter subscripsit eiusdem Byzacij Primas, Donatianus oeleptensis. Quartò ex Præfatis discimus, quod Africani Antistites in suis Synodis sederent infulati, ac palmati. Hoc est cum mitra episcopali, & veste palmata. Qualis verò, & quàm gloriosa fuerit hæc vestis, videri possit apud scriptores de re vestiaria Romanorum.

De Carthaginensi Ecclesia scribit in animæ Gemma Honorius Augusto-Dunensis: L.1.c.137. [Cum Christiani, relicta lege Dei, paganos spurcititæ operibus imitarentur, Iudicio Dei traditi sunt in manibus eorum, qui deletis Christianis possederunt loca eorum. Vnde Antiochenus Patriarchatus est ad Hierosolymam translatus. Porrò Alexandrinus ad Aquileiam est positus: Quia huic ciuitati primùm Marcus Euangelista præsedit, qui Alexandriæ præfuit. Quamquam quidam contendant, quod Carthaginensis Episcopus hac translatione polleat.] Istud ipsum scribit in primo de Sacramentis libro Hugo Victorinus, omittens tamen Alexandrini Patriarchatus translationē in Sedem Carthaginensem. Et rectè. Est enim figmentum. Etiam Antiocheni Patriarchatus translatio. Etenim Hierosolymæ Patriarchatus, non per translationē emersit, sed per dismembrationē, fuitq; firmatus per Synodum Calcedonensem. Paschalis Secundus, dum Flandri, ac Franci obtinebant terram sanctam, ipsum proposuit Antiocheno. Carthaginensem Primatem honorauit etiam titulus Papa. Erat olim communis omnibus Episcopis: etiam Africanis. Attamen hi ipsum nulli detulerunt, nisi suo Primati Carthaginensi. Lucet ex Africanis Synodis, ac varijs Afrorum Antistitum atque Doctorum literis. Solus iste Primas erat illis Pater Patrum, ac Episcopus Episcoporū.

CAPVT IV.

Exponitur varia, per Donatistas patrata, in Carthaginensis Ecclesiæ dignitatem iniuria.

DOnatistarum schisma est inchoatum à Numidiæ Episcopis: A Donato in Casis nigris, secundo Tigisitano, tunc Primate istius Prouinciæ, ac eius Synodalibus Collegis. Ortum est propter Ceciliani Carthaginensis Archidiaconi promotionem ad istius Ecclesiæ Episcopatum. Aduersùs eius electionem, & consecrationem sunt venati omnes ansas. Inter alia dixerunt hanc vitiosam ex defectu legitimi Consecratoris. Facta fuerat à Felice Abtungensi, alijsque Episcopis Proconsularis Prouinciæ. Posteriores Donatistæ clamarunt debuisse à Secundo fieri: Principem à Principe, Primatem debuisse consecrari à Primate. Et quidem à Primate Numidiæ. Hic enim post Carthaginensem erat primus inter Primates reliquarum Prouinciarum. Hac via tentarunt non dumtaxat Ceciliani ordinationem infirmare, sed insuper suam Numidiam, suæ pertinaciæ originem, ac primariam Sedem, exaltare. Hac de re scribit in Carthaginensis collationis Breuiculo sanctus Augustinus: [Donaristæ longa prosecutione agebant] in collatione, [quod non exspectauerit Cecilianus, vt Princeps à Principe ordinaretur, cum aliud habeat Catholicæ Ecclesiæ consuetudo, vt non Numidiæ, sed propinquiores episcopi episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent, sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus. Hoc autem dicentes de sua consuetudine, quam nescio quandò instituerunt, ecclesiæ præiudicare conabantur: Quæ consuetudo si antiqua esset, hoc ipsum obiecissent Ceciliano, quandò eum absentem damnauerunt.] Omnis Patriarcha, omnisque Autocephalus Primas ex Apostolico Canone consecratur à proprijs Suffraganeis. Etiam plerique Metropolitani, qui ob distantiam, aut aliam causam non obligantur ad Patriarchæ manus accedere. Habent ex indulto sui Patriarchæ. Et inter istos Metropolitanos semper fuit Carthaginensis. Quare tertia Aurelianensis Synodus, quæ Metropolitanos iussit à Metropolitanis consecrari, palàm deuiauit, nec fuit recepta in mores. L.8.C.16.

Istius apud Donatistas nouit atis memoriam habemus in varijs locis S. Augustini. In Libro de vnitate ecclesiæ scribit primam inter Catholicos, & Carthaginensis Ecclesiæ Schismaticos litem fuisse [crimen malæ ordinationis.] Et in Psalmo contra Donati partem: [Erant quidam Traditores librorum de sancta lege, Episcopi de Numidia, & non quilibet de plebe. Cum Carthaginem venissent episcopum ordinare.] Et in primo contra Parmenianum libro affirmat primos schismatis authores fuisse opulentissimam Lucillam, quosdam Carthaginensis Ecclesiæ criminosos Clericos, nec non quosdam ab ista Factione ad Ceciliani perniciem euocatus Numidiæ Episcopos, [vt illo deposito alter eis episcopus ordinaretur.] Istorum episcoporum Princeps erat Donatus à Casis nigris. Hic euocauit Secundum Tigisitanum, Primatem tunc Numidiæ, ac eius septuaginta Collegas: Hi damnarunt Cecilianum, ac ipsi superordinarunt Maiorinum. Rem elucidat in primo suo libro sanctus Optatus Mileuitanus: [Bortus & Celasius, Carthaginensis Ecclesiæ Clerici, post defunctum Mensurium, ac extinctam gentilium persecutionem, vt dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, vt absentibus Numidis, soli vicini episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cecilianus eligitur. Et manus imponente Felice Aptungitano Episcopo ordinatur.] Hinc irata factio aduocauit Secundum Primatem, & hic ordinauit Maiorinum. Proinde ad Carthaginensis Archiepiscopi electionem, & consecrationem solebant, non soli vicini, nec soli Procōsulares inuitari episcopi, sed etiam Numidarum aliqui, forsitan & aliqui aliarum Prouinciarum. Patriarcharum, ac Primatum consecratio sic solet honorari. Et Secundus Primas cum istis suæ Prouinciæ Collegis, quibuscum ordinauerat nouum Cirthensibus Epi-

Episcopum, licèt non aduocatus, videtur ad istum finem accessisse Carthaginem, & fuisse præuentus, ideoque & indignatus. Et istud sciens præuentionis auctrix factio aduocauit turbulentum hominem, atque ita simul schisma conflauerunt. Ista inuitatio videtur fuisse solius honoris, non iuris, aut necessitatis Hinc ipsius prætermissionem nec ipse Secundus Ceciliano obiecit. Nihilominus præsumpsit superordinare. Attamen audacia non transiuit in Successores. Etenim Maximianum Carthaginensem ordinarunt soli Proconsulares episcopi. Et videtur factum ex vigente tunc apud Donatistas consuetudine. Existimo etiam Donatum magnum, Parmenianum fuisse isto modo consecratos, Bagaiensis, cui præsedit Gamalius Numidiæ Primas, & quæ reparauit Primianum, Synodus videtur nouitatem ad similia deinceps schismata auertenda induxisse. Gamalius videtur sui Antecessoris Secundi audaciam euexisse in legem. Hinc S. Augustinus scripsit istam consuetudinem non esse antiquam, & ignotam sibi esse eius originem.

Altera Donatistarum in Carthaginensem Ecclesiam iniuria est ab eadem Bagaiensi Synodo: eodemque Gamalio. Etenim hic Synodo præsedit, excluso Carthaginensium Primate Primiano. Episcopi sederunt hoc ordine: [Gamalius, Primianus, Pontius,] Secundianus, Ianuarius, Saturninus, &c. [Lucet ex quarto sancti Augustini libro contra Cresconium. De ista Synodo idem Augustinus scribit in secunda enarratione super Psalmum trigesimum sextum:] Tu per duas Maximianistarum Synodos damnate Primiane, [tibi seruasti Numidiam, Cecilianus Orbem terrarum. Sic seruauit causam suam Orbi terrarum, quomodò tu seruasti Concilio Numidiarum. Si innocentem te reddidit Sedes Bagaitana, quantò potiùs illum Sedes Apostolica? Magna differentia. Iudices Numidas, apud quos te purgares, tu ipse adisti, apud eos autem Donatus à Ceciliano victus est, quos pars Donati Iudices postulauerat.] Discimus hinc varia. Primò, quod Gamalius fuerit Bagaiensis Episcopus, & Primas Numidiæ. Hinc Augustinus dicit Primianum fuisse reparatum, non dumtaxat à Bagaiensi Synodo, sed etiam à Cathedra: Ad istum modum, quo Cecilianus fuit reparatus. à Sede Apostolica. Quia nempè fuit reparatus per Bagaiensem Episcopum. Secundò discimus, quod Gamalius Synodo præsederit, habuerit Relationem, & suffragij Prærogatiuam, atque fuerit author Synodalis Iudicij. Etenim episcopus, cuius Sedes Reum reparat, non potest synodo non præsidere. Et propter hanc Gamalij authoritatem synodus conuenit in ciuitatem Bagaiensem. Tertiò discimus, quod damnatus Primianus prouocauerit ad Numidiæ Episcopos, ipsos adiuerit, & sibi constituerit Iudices. Etenim Primiani damnatrix synodus constiterat ex solis Episcopis Proconsularibus, Byzacenis, ac Tripolitanis. Ita sanctus Augustinus scribit in libro de Vnitate ecclesiæ. Hinc ille adiuit Numidas quibus tunc adiuncti, & subditi erant etiam Mauri Sitifentes. Ipsos sibi elegit Iudices, eis subijciens suam causam, & personam. Hinc Primas Gamalius vtramq; Prouinciam, nec non & Cæsariænsem, à Maximianistis non seductam, Mauritaniam euocauit, atq; ita coegit synodum trecentorum, & decem episcoporum. Et ipsi præsedit.

Cap. 10.

Cap. 3.

Primianus ipsi adsedit. An statim à synodi exordio, non possim certus affirmare. Affirmandum suadet antiquus Ecclesiæ Canon, qui damnatorum episcoporum legitimis appellationibus adscribit suspensiuum damnationis effectum, adeòque, & istis synodalem consessum vsque ad inchoatam causæ retractationem. Et certè Primianus fuerat damnatus à suis subditis, ideòque videbatur potiùs conuitium sustinuisse, quàm iudicium. Quidquid sit, Gamalio cessit Primatialem præsidendi locum. Hac submissione sibi conciliauit vir patrocinium. Et istam cessionem, suæ dumtaxat personæ indultam ex rationibus, Gamalius edito Canone extendit ad suos Successores, fecitque perpetuam in Donati schismate. Canon perijt: Nulla eius superest memoria. ipsum tamen non sine fundamentis assero. Etenim Notariæ, quam in Carthaginensi collatione exibuerunt, Donatistarum Episcopi subscripserunt hoc ordine: [Ianuarianus, Primianus, & cæteri sinceræ Christianitatis episcopi.] Similiter subscripserunt suo ibidem mandato: [Ianuarianus Episcopus Casensisnigrensis, Primianus Episcopus Carthaginensis, &c.] Hic Ianuarianus videtur esse ille Ianuarius, qui quinto loco sedit in Bagaiensi synodo. Etiam sanctus Augustinus ipsum appellat Ianuarium, affirmatque fuisse Primatem Numidiæ: Collatio quandoque Ianuarium, aliquando appellat Ianuarianum. Cur ille in Collatione sedit, ac subscripsit ante Primianum? Quod fundamentum huius nouæ, & extrauagantis præcedentiæ? Nullum, nisi præuium Gamalij exemplum, ac ex ipso natus Canon Bagaiensis.

Lib. 1. c. 14.

Cap. 148. & 149.

Quæstio est, quid Canon iste sanxerit? Quid Numidiæ Primatibus dederit? An totius Diœcesios Primatum, an simplicem dumtaxat præcedentiam? Respondeo hæc non constare, sed esse ignota. Numidiæ, & Cæsariænsis Mauritaniæ Primates ex antiquo priuilegio habuerunt in generali Diœcesios synodo proximum locum à Carthaginensi; Gamalius videretur hoc ampliasse, & sanxisse vt Numidiæ Primas deinceps esset par etiam Carthaginensi, ideòque ipsorum senior præcederet in generali synodo, ac præsideret. Hinc collatione Primianum præcessit Ianuarianus. Etenim apud Cauernas Susis celebrata synodus dixit de Primiano: [Recens ordinatus est.] Hæc synodus coijt quarti sæculi anno nonagesimo quarto, adeoque eodem, aut certè non nisi proximè priori anno ordinatus fuit Primianus. Eodem anno acta fuit Bagaiensis synodus, atque ita Ianuarianus, quoniam quinto loco sedit, erat senex episcopus. Erat omnium Numidarum tertius. Etenim inter eius antecessores erant Primianus, ac Primas Cæsariænsis. Hinc igitur in collatione debebat ex isto Canone Primianum antecedere. An eadem forma in Ianuariani, ac Primiani Successores

tran-

transiuerit, ignoramus. Etenim Primianus fuit vltimus Donatistarum Carthaginensis Episcopus: Sceleratam hanc successionem partim Augustæ Romanorum leges, partim Vvandalica captiuitas penitùs exciderunt.

Plura videntur his obstare. Etenim collationis tempore non Ianuarius in Casisnigris, sed Adeodatus Mileuitanus Donatistarum episcopus fuit Numidiæ Primas, ideòque ille propter hunc Primatum nequit sedisse ac subscripsisse ante Primianum: Antecedens lucet ex ipsa collatione. Etenim Seueriano, Orthodoxo Ceramussensium Episcopo, asserenti sibi non esse aduersarium episcopum Donatistam, Habetdeum Primiani Carthaginensis Episcopi Diaconus reposuit: [Habemus Senem Adeodatum.] Et ipse Adeodatus exposuit: [In plebe mea Mileuitana est Ceramussa.] Nempe Orthodoxi Mileuitanum Episcopatum diuiserant in tres: Mileuitanum, Tuncensem, & Ceramussæ. Ita Seuerianus habebat, & non habebat aduersarium. Portò [Senex] & apud Catholicos, & apud Donatistas erat titulus Primatis. Eadem in collatione Victor Tabbotensis Donatistarum episcopus dixit: [Beatissimus Pater, ac Princeps noster Primianus.] Est palàm titulus supremi Primatis, adeòque Numidiæ Primatem Donatistæ non æquarunt, longè minùs prætulerunt Archiepiscopo Carthaginensi. Præterea Primianus in collatione habuit duos Diaconos, sibi & collationi seruientes: Habetdeum, ac Valentinianum. Ianuarius nullum habuit. Ergo Primatus videtur fuisse penès Primianum. E' contrario inter Africanos Episcopos, qui adfuerunt & subscripserunt Sardicensi Concilio, Nessus subscripsit primo loco, ante Gratum Primatem Carthaginensem. Nessus videtur fuisse Primas Numidiæ. Quare hæc præcedentia, & æqualitas est antiquissima apud ipsos etiã Catholicos, non inducta per Donatistas.

Lib. 1. c. 34.

Cap. 65.

Cap. 201.

Ad primum respondeo Ianuarianum omninò fuisse Primatem Numidiæ. Etenim sanctus Augustinus, & omnis Hipponensium Clerus ipsum disertè inscribit [Episcopum primæ Sedis.] Et in Carthaginensi collatione semper, & vbique stat: sedet, subscribit ante Primianum etiam dato disputaturis episcopis mandato. Hinc certum est Adeodatum non fuisse Primatem Numidiæ. Lucet præfato mandato. Etenim ille fuit vnus ex septem Donatistarum Disputatoribus, ac semper vltimo loco ponitur post Primianũ Carthaginensem, Petilianũ Cõstantinensem, Emeritũ Cæsariænsem, Protasiũ Tubuniensẽ, Montanum Zumensem, ac Gaudentium Thamugadensẽ. At verò Thamugadensis, Constantinensis, ac Tubuniẽsis Episcopi erant Numidæ, ideòque Mileuitanus Adeodatus debet ipsis fuisse consecratione Iunior atque ita nequaquam ipsorum Primas. Nec obest titulus, [Senex] Etenim Saluianus Donatistarum episcopus eumdem in collatione dedit Victoriano Episcopo Abissensi, quem certum est non fuisse Primatem. Etiam Quodunlt Deus, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, sanctum Augustinum, quem omnes scimus nunquam fuisse Primatem, inscribit [sanctum Senem.] Proinde [Senex] apud Afros non solam dignitatem significabat, sed etiam ætatem, præsertim grauem multis virtutibus, & meritis. Hoc modo Adeodatus à suis [dictus est Senex.] Ad secundum respondeo ecclesiam Tabborensem fuisse in Proconsulari prouincia, ideoque Victorem Episcopum ita honorasse suum Primatem. Et possit Numidarum audaciam, ac nouitatem improbasse, ac notasse. Portò Carthaginensis Primas per Bagaiensem Canonem non fuit exutus omni dignitate: Hinc solus Primianus habuit collationi ministrantes Diaconos. Cur Nessus Sardicensi synodo subscribat ante Gratum, fateor me ignorare. Existimo esse mendum. Existimo Nessum fuisse vltimum Gallorum Episcoporum, ac Librariorum incuria irrepsisse in primum locum inter Afros. Nec mireris hoc in Actis synodalibus. Nam etiam in sacræ Apocalypsios libro prima verba decimi tertij capitis migrarunt in finem capitis duodecimi. Franciscus Balduinus ob adducta testimonia censuit Ianuarianum fuisse Primatem Chartaginensem, Successorem Primiani. At lucidum est ipsum grauiter labi. Porrò Petiliani Constantiensis Episcopi præcedentia ante Emeritum Cæsariænsem quibusdam suadet etiam istius prouinciæ priuilegium fuisse spretum à Donatistis. Verùm sine fundamento. Etenim Emeritus non fuit Primas.

Epist. 68.

Cap. 207.

Tertia, omnium sceleratissima Donatistarum nouitas, atque audacia fuit in Romanam Ecclesiam. Etenim in Carthaginensi collatione Felicem, suum Romanum Episcopum, detruserunt in tertium locum, post Ianuarianum, ac Primianum. Istud nomen conturbauit Catholicos Episcopos, ideòque Aurelius Carthaginensium Primas intercessit: [Quia Felix Vrbis Romæ Episcopum se dicit, quare præiudicatur absenti?] Vtique Innocentio vero Romanorum Episcopo, de quo Aurelius pergit: [Abundat nos Innocentium dixisse Vrbis Romæ esse episcopum.] Oportet nouisse originem huius imaginarij apud Romanos Episcopi. De ipso Romana sancti Damasi aduersùm Antipapæ Vrsicini violentias synodus scripsit ad Imperatorem Gratianum: [Per Africam rursùs sacrilegos Rebaptizatores nutu Dei præcepistis expelli. Sed ab expulsis Claudianus est ordinatus, ad perturbandam Vrbem Romam quasi episcopus destinatus. Qui contra scripturæ præcepta diuinæ, contra iura euangelica, vacuos omnes mysteriorum, atque vt eius verbum exprimamus, paganos fuisse, vel præteriti temporis dicit episcopos, vel præsentis. Quem quidem Tranquillitas vestra iussit Roma pulsum patriam repetere propriam, sed contemptis iudicijs, & quidem sæpè constrictus, residet tamen, sollicitans pretio frequenter pauperiores, & redemptos baptizare non veretur.] Exstat epistola apud Iacobum Sirmondum post appendicem Codicis Theodosiani.

Lib. 1. c. 154

Epist. 5.

Circa hanc rem plura scribit in secundo contra Parmenianum libro sanctus Optatus Mileuitanus: [Sed & habere vos in Vrbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus est vestri erroris, protensus de mendacio, non de radice veritatis. Denique Macrobio dicatur, vbi illic sedeat, numquid potest dicere

in Cathedra Petri? Quam nescio, si vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit qnasi Schimaticus contra Apostolum faciens qui ait:] Memorijs Sanctorum communicantes. [Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ Apostolorum: Dicite si ad has ingredi potuit, ita vt obtuleris illic, vbi Sanctorum memorias esse constat: Ergo restat, vt fateatur socius vester Macrobius se ibi sedere, vbi aliquando sedit Encolpius. Si & ipse Encolpius posset interrogari, diceret se ibi sedere, vbi ante sedit Bonifacius Ballitanus. Deinde si & ipse interrogari, potuisset, diceret, vbi sedit Victor Garbiensis, à vestris iam dudnm de Africa ad paucos Erraticos missus. Quid est hoc, quod pars vestra in vrbe Roma Ciuem episcopum habere non potuit? Quid est, quod toti Afri, & peregrini in illa ciuitate sibi successisse noscuntur? Non apparet dolus? Non factio, quæ mater est schismatis? Interea Victor Garbiensis, vt hinc prior mitteretur, non dico vt lapis in fontem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare, sed quia quibusdam Afris placuit vrbica commoratio, vt hinc à vobis profecti videantur, ipsi petierunt vt aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Missus est igitur Victor. Erat ibi filius sine Patre, Tyro sine principe, Discipulus sine Magistro, Inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, Pastor sine Grege, Episcopus sine populo. Non enim grex, aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, Basilicas locum, vbi colligerent, non habebant, sed speluncam quamdam foris à ciuitate gradibus sepserunt vt ipso tempore Conuenticulum habere potuissent. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori successisse videntur, si Victori diceretur, vbi sederit, nec ante se aliquem illic fuisse monstraret, nec Cathedram aliquam nisi pestilentiæ, offenderet.]

Discimus hinc varia. Primò, quod sub Siricij Pontificatu, dum ista Optatus scribebat, Romanus Donatistarum episcopus videatur fuisse Macrobius, quem primò Catholicæ ecclesiæ presbyterum, exinde Apostatam & occultum Donatistarum in Romana vrbe episcopum fuisse scribit in Illustrium virorum catalogo Gennadius Massiliensis, & adiungit: [Scripsit, cum adhuc in ecclesia Dei presbyter esset, ad Confessores, & ad Virgines librum vnum, moralis quidem, sed valde necessariæ doctrinæ, & præcipuè ad custodiendam castitatem, aptissimis valdè sententijs communitum. Claruit inter nostros primùm Africæ, & inter suos, id est, Donatianos, siue Montenses, postea Romæ.] Hic est omninò ille Macrobius, de quo sanctus Optatus: [Si Macrobio dicatur, vbi sedeat, &c.] Quæ verba palàm edicunt tunc vixisse, & apud Romam sedisse. Et hinc quæstio est, quomodo idem Optatus scribat Macrobio Lucianum, Luciano successisse Claudianum? Etenim hic omninò est ille Claudianus, quem Romana synodus affirmat per Roma expulsos Donatistas fuisse ordinatum in Africa, & remissum ad vrbem; & isthic contra regia edicta contumaciter perstitisse. Proinde Imperator Gratianus Lucianum eiecerat, omnemque eius deuium gregem, & in eius defuncti, aut redire recusantis locum ordinatus fuit Claudianus, & quasi episcopus destinatus ad vrbem. Ipsum princeps denuò proscripsit; at ille pertinax spreuit omnia, & permansit. Quin etiam non timuit rebaptizare. Quare hic Optati scribentis tempore erat Romæ Donatistarum episcopus. Quæ videntur non benè cohærere.

Fateor esse grauem difficultatem. Etenim laudata Romanæ Synodi epistola videtur scripta quarti seculi anno octogesimo primo, decimo quinto Damasi Pontificis. Etenim Gratiani rescriptum affirmat Florentium Puteolanum Episcopum, primo anno damnatum à Damaso, iam post quintum decimũ annum grassari in ecclesiam, & agere turbas. Et isto eodem anno Romæ sedebat, ac latitabat Claudianus. Hinc quæritur, quomodò eius ante Lucianum Prædecessor Macrobius sederit sub Pontificatu Siricij? Nec Optati textus possit dici vitiosus, in quo Macrobius debeat locari post Lucianum. & Claudianum. Obstant enim omnia exemplaria. Et præfatus Vincentius, in suo catalogo seruans ordinem temporis, Macrobium locat proximè post Vitellium, quem addit floruisse sub Constante, Filio Constantini Principis. Eum locat ante sanctum Pachomium, qui creditur adolescens militasse sub Imperatore Maxentio, ideòque Vitellio fuisse coæuus. Hæc altè clamant Macrobium non vixisse vsque ad Siricij tempora. Et Romanæ Synodi, affirmantis sub Damasi Pontificatu sedisse Claudianum, attestatio est irrefragabilis. Proindè Macrobius omninò mediat inter Lucianum, & Encolpium. Quare sanctus Optatus per laudata superiùs verba defunctum Macrobium alloquitur, vt viuum. Est figura vsitata Rhetoribus. Porrò contumacem Imperatori Gratiano Claudianum secutus est in ista pestilentiæ cathedra Felix, qui interfuit Carthaginensi Collationi. Aduentus occasionem exposuit Petilianus Cirthensis Episcopus: [Quæ ratio huc Felicem detulerit, nullus ignorat. Nobilitatem omnem hìc esse Romanam, nec ipsi nescitis. Idem igitur turbo, eademque necessitas eum huc detulit.] lib. 1. c. 159.
Nempè Gothica almæ Vrbis captiuitas. Imperatorum Gratiani, ac Valentiani cædes, variaque Imperij turbatio Romanis Donatistis fecit libertatem persistendi apud Romam, ac eligendi nouum episcopum. Felici nemo videtur successisse.

Ex laudatis sancti Optati verbis secundò discimus, quod Macrobius, alijque Romani Donatistarum Episcopi, nec in sancti Petri Cathedra sederint vnquam, immò ipsam nunquam fuerint permissi videre. Item, quod sanctorum Principum Apostolorum memorijs nunquam sint communicare permissi, nec ad ipsas offerre, imò nec ingredi. Per sancti Petri Cathedram sanctus Optatus intelligit eius Episcopalem Thronum, atque ita affirmat sanctum Petrum sedisse Romæ Episcopum, & istiusmodi Thronos esse ipsius Institutum. Item affirmat Romæ tunc fuisse altaria, in ipsis fuisse reconditas sanctorum Apostolorum Reliquias, & ad ipsas oblatum missæ sacrificium. Consecrandis Altaribus sa-

sacras Reliquias semper fuisse necessarias. Porrò Donatistarum Episcopos ab istis omnibus prohibuit, ac interdixit antiquus canon, qui neminem ignotum admittebat ad sacras Basilicas, nisi qui priùs emitteret solemnem professionem Orthodoxæ fidei. Canonem tunc viguisse per omnes ecclesias, est suo loco demonstratum.

Tertiò discimus, quod Victor Garbiensis, primus Donatistarum apud Vrbem Episcopus, fuerit consecratus in Africa, ac indè transmissus ad paucos Romæ Erraticos. Non Romanos, sed Afros, quibus placuerat Vrbica habitatio, & qui isthic nolebant viuere sine suæ factionis episcopo. Hinc eò missus non fuit, vt lapis in fontem, ad perturbandam Catholicæ multitudinis puritatem, sed dumtaxat ad solatium, ac ministerium paucorum suorum Congerronum. Et hinc inter istos sex Pseudoepiscopos nemo fuit Romanus, ideòque cuncti non solummodò ob schisma, & hæresim, sed insuper ob peregrinitatem fuerunt inidonei, ac irregulares. Ita habet antiquus ecclesiæ canon: Hunc sanctus Optatus Donatistis refricat in frontem. Ex eadem regula Parmeniano, Carthaginensi Donatistarum Primati, improperat quod peregrinus, nempè Hispanus esset. ideòque ineptus ad istum episcopatum. Ex ista peregrinorum apud Romam successione addit agnosci hæreticum dolum, & schismaticam factionem. Loquitur ex Tertulliani præscriptionibus:] Hæreticorum ordinationes sunt temerariæ, leues, inconstantes.] Loquitur de primo Donatistarum circa istum episcopum scopo. Quod postea aliud ab ipso sperauerint, infra audiemus à sancto Augustino. Caput 41.

Quartò discimus, quod Romana Vrbs ex tunc haberet vltra quadraginta Basilicas, adeòque & totidem Cardinales presbyteros. Habebat, & quatuordecim Diaconias, ideòque, & tot Cardinales Diaconos. Adeò antiqua sunt istius cleri numerus, & magnificentia. Ex istis Basilicis Donatistæ nullam potuerunt inuadere. Hinc [speluncam quādam foris à ciuitate gradibus sepserunt, vbi ipso tempore conuenticulum habere potuissent. Vnde Montenses appellati sunt.] Innaserunt nescio cuius montis, aut rupis speluncam, isthic latuerunt, vt vespertiliones, & peregerunt sua sacrilega sācra. Hinc ipsos Romanus populus per sarcasmum appellauit Montenses, Rupitanos, aut Rupezitas. Istius Episcopi spectrum appellauit Episcopum Montensem, aut Rupitanum. Istam Cathedram pestilentiæ. Ex quo lucet præfatum Petilianum non esse authorem istius blasphemæ contumeliæ, Donatistæ, ex quo sanctus Papa Melchiades Donatum à Casisnigris, & omnem factionem damnauit, pessimè oderunt Sedem Apostolicam, ipsamque latrarunt esse cathedram pestilentiæ. Præsertim Petilianus. Hic blasphemiam omninò accepit à suis maioribus, studuitque propagare, & imprimere omnium animis. Aduersùs ipsam sanctus Optatus scribit Romæ omnino esse cathedram pestilentiæ: Verùm non in eius Basilicis, sed in Monte, Rupe, ac Spelunca Donatistarum. Sancti Cypriani Episcopatus apud Carthaginem vidit alios Montenses: Factionem felicissimi, sui Diaconi. Est alibi exposita. Et non spectat ad præsentem materiam.

Istorum Montensium Episcoporum frequenter meminit etiam sanctus Augustinus. In literis ad Illustrem Virum Generosum enumerat omnes à sancto Petro Apostolo vsque ad tunc sedentem Anastasium Romanos Pontifices, & pergit: [In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur sed ex transuerso in Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in Vrbe Roma, Montensium, vel Cuzipitarum vocabulum propagauit.] Est mendum. Legendum est: [Rupitarum.] Augustinus ex sancto Optato, aut certè cum ipso affirmat primum istiusmodi episcopum fuisse ordinatum in Africa, & paucis Afris transmissum ad Vrbem, quibus placuerat Vrbica commoratio. Quo tempore id factum fuerit, ignoro. Est res antiqua. Etenim Macrobius, homo vetus, istius intrusionis fuit solummodò quartus. Quare ista transmissio videtur facta in exordio schismatis. Hinc sanctus Augustinus in libro de vnico baptismo exponit laudatum sancti Melchiadis iudicium, & prosequitur: [De quo iudicio cum maiores istorum importunissima peruicacia Constantino Imperatori quererentur, quod non plenè, nec rectè fuerat examinatum, atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione, vel thurificatione dixerunt. Ad cuius audientiam, nec venire vtique debuerant, hoc potiùs, aut suggerentes Imperatori, aut, vt suggereretur instantes, quod apud traditorem Codicem diuinorum, & Idolorum sacrificijs inquinatum causam suam agere non deberent. Cum hoc ergò, nec ante suggesserint, nec posteaquam contra eos pro Ceciliano iudicatum est, saltem victi, & irati obijcendum putarint, quid nunc inanes tam serò connectunt calumnias, quasi, & innocentia Ceciliani, Melchiadis Iudicis decoloratione fuscetur, & ipsa Romana Ecclesia, vbi nec damnare quemquam suo qualicumque iudicio potuerunt, nec aliquem suorum velut in locum surrogare damnati, contra quem paucissimis Afris partis suæ primò Interuentores aduentitios furtim longeque mittebant, quos Petilianum nominatim commemorare non puduit, donec deceptæ plebeculæ proprios episcopos ordinarent.] Epist. 165. Cap. 16.

Scribit plura benè notanda. Primò, quod posteriores Donatistæ ad euacuandum, aut circumscribendum Melchiadis Pontificis de sua factione iudicium cæperint ipsum, vti & sanctum Marcellinum, accusare de lapsu, traditione, ac thurificatione. Et ista calumnia fidem inuenit apud aliquos etiam catholicos, & nobis peperit Sinuessanam Synodum. Secundò Augustinus scribit istam calumniam esse adeò manifestam, vt ipse Donatus à casisnigris Melchiadem postulauerit in Iudicem, ac etiam iam damnatus. adeòque grauissimè offensus non fuerit ausus prorumpere in istam contumeliam. Tertiò, quod eidem primi Donatistæ eumdem Melchiadem, aut quemuis alium Pontificem, nec damnare vnquam præsumpserint de lapsu, nec ab alijs potuerint impetrare damnandū. Quartò, quod nullum suorum potuerint intrudere

trudere in Romanam Cathedram. Quintò, quod tamen Romam miserint Interuentores. Antiqua disciplina viduatæ Ecclesiæ, ac etiam suspenso episcopo dabat visitatorem. Rectorem Vicarium. Vicinum passim episcopum. Afri dederunt etiam clericum. Et istiusmodi Rectorem appellabant interuentorem. Hoc est, Rectorem interregni. Hinc ergo Donatistæ, aut sancto Melchiadi, aut sancto Siluestro, quod sui prædecessoris iudicium confirmasset in Arelatensi Synodo, quem degradare non poterant, abnegarunt communionem, ipsum quasi suspenderunt, & miserunt interuentorem. Erat via ad degradationem. Nam & Ceciliano, antequam degradarent, Interuentorem dederant. Hanc Africanam audaciam ne mireris in Donatistis. Etenim in catholicis etiam præsulibus scribit in Chronico Victor Episcopus Tonnonensis: [Africani Antistites Vigilium Romanum Episcopum, damnatorem trium capitulorum, reseruato ei pœnitentiæ loco, synodaliter à catholica communione recludunt.] Etiam quidam factiosi Symmacho Pontifici, dum fuit deductus in iudicium, extorserunt à Rege Theodorico dari visitatorem. Et liber Pontificalis addit: [Quod canones prohibent.] Etenim Romanum Pontificem nemo potest iudicare, damnare, aut suspendere. Donatistæ igitur patrauerunt eamdem audaciam. Et quidem successiuè miserunt plures Interuentores, quorum omnium nomina Petilianus expressit in suo libro. Sextò Augustinus scribit, quod Donatistæ Romam tandem miserint non dumtaxat Interuentores, sed proprios episcopos. Nempè Victorem Garbiensem, & supra expressos eius successores. Interuentores paucissimis suæ partis Afris, proprios episcopos miserunt deceptæ plebeculæ. Dum nempè paucissimi illi aliquos seduxerant, atque ita euaserant in aliquam plebeculam. Horum Interuentorum memoriam solus nobis conseruauit sanctus Augustinus, ideòque debemus ipsi gratias. Dolendum est, quod ipsorum etiam nomina ad nos non transmiserit.

Eorumdem Montensium Episcoporum meminit in secundo libro contra literas Petiliani. Affirmat, ac demonstrat veram ecclesiam debere esse in omnibus sub cœlo gentibus, & adiungit: [Non est ergo in sola Africa, vel solis Afris, Episcopum Romam paucis Montensibus, & in Hispaniam domui vnius mulieris ex Africa mittentibus.] Et in libro de vnitate Ecclesiæ; [Si sacræ Scripturæ in Africa sola designauerunt ecclesiam, & in paucis Romæ Rupitanis, & Montensibus, & in domo, vel patrimonio vnius Hispanæ mulieris, non tenent ecclesiam, nisi Donatistæ.] Et infra: [Donatistæ ostendant esse prædictum, cæteris gentibus à fide Christi pereuntibus, solam Africam remansuram, & quocumque episcopi ex Africa mitterentur.] Et iterùm: [Nisi fortè hoc restat hominum insaniæ, vt dicant non ex illis ecclesijs, quæ fundatæ sunt per Apostolorum labores, adimpleri prædicationem Euangelij in omnibus gentibus, sed illis pereuntibus, earum reparationem ex Africa futuram per partem Donati, residuarum gentium acquisitionem.] [Et in secundo libro contra Cresconium:

Cap.108.

Cap.15.

Cap.17.

Cap.37.

Cap.63.

Romam ex Africa ordinare paucis vestris soletis episcopum.] Et in tertio libro: [Partem Donati audes præponere] Catholicæ Ecclesiæ, [dicens quod & præter Africam nescio quos habeatis, quibus, tamen non apparentibus, ex Africa vos soli remittere episcopos non negatis, vnum, aut duos, aut vt multum tres, & argumentaris inaniter contra euidentissimam veritatem.] Et infra Cap.55. scribit Donati partem [remanere in Africa, aut ex Africa in paucis latentibus peregrinari.] Et in libro de Hæresibus: [Donatistæ hæretici in Vrbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent episcopum mittere, aut hinc illuc Afri Episcopi eorum pergere, si fortè ibi eum ordinare placuisset.]

Hinc iterum addiscimus varia. Primò, quod Romanus Montensium Episcopus passim in Africa, aliquando Romæ fuerit consecratus. Semper tamen ab Afris. Secundò, quod etiam apud Hispanos Donatistæ habuerint similem episcopum: In domo ac Patrimonio opulentæ mulieris. Nempe sceleratæ Lucillę, quæ prima est Cecilianum calumniata, & fuit inter authores huius Schismatis. Ipsa videtur in calumniæ præmium accepisse Episcopum. atque ita habitasse in Hispania, & in Africa, dum Cecilianum inuasit per calumnias, ob suas possessiones dumtaxat peregrina hæsisse. Ex hac scelerata Para Synagoga videtur prodijsse Parmenianus, tertius in hoc Schismate Archiepiscopus Carthaginensis. Etenim sanctus Optatus affirmat fuisse Hispanum. An pręter hos duos extra Africam Episcopos Donatistæ habuerint tertium, & in quo loco habuerint, quoniam sanctus Augustinus non edixit, ignoramus. Augustinus rectè dicit istorum episcoporum subditos fuisse peregrinantes, latentes, non apparentes. Latebant enim in Romana rupe, aut intra domum Lucillæ. Et maior portio erant peregrini Afri. Inter palmaria Catholicę Ecclesiæ contra istos Turbines argumenta erat, quod vera Christi Domini hæreditas non in sola esset Africa, sed per omnes sub cœlo gentes, ideoque quod essent ecclesiæ apud Donatistas, vti sunt faui apud vespas. Item quod ista hæreditas non subsisteret extra sanctum Petrum Apostolum, eiusque Successorem in Romana Cathedra. Hinc illi studuerunt suam Factionem extendere extra Africam, & imperito populo suadere omnes gentes tandem Donatisticæ acquirendas. Etiam almæ Vrbi obtruserunt ridiculum, & imaginarium episcopum. Et exinde blaterarunt Romanam Sedem, in qua sedebat vera sancti Petri successio, esse Cathedram pestilentiæ. Sui Idoli Rupem blaterarunt esse Cathedram veritatis. Verùm fabula sibi ipsi non cohæsit. Etenim istud Rupitanum Romani episcopi Idolum sibi non fixerunt in caput, sed collocarunt, immò deiecerunt inter Primates suarum Prouinciarum. In Carthaginensi collatione primum Ianuariano, secundum Primiano, tertium locum dederunt Felici Romano Episcopo. Eum æquarunt Primatibus Numidiæ, & Cæsariænsis Mauritaniæ. Hinc in tertio contra Cresconium libro sanctus Augustinus inter cætera, quæ scribit aduersùm Synodales Philippo Politani Conuenticuli literas, hæc adiungit: [Quod hinc Cap.34. maximè credibile est, quod ad Carthaginensem

sem episcopum, Romano prætermisso, numquam Orientalis Ecclesia scriberet. Vbi saltem vester scribi debuit, quem soletis paucis vestris mittere ex Africa.] Epistola ista habet hanc inscriptionem: [Gregorio Alexandriæ, Amphioni Nicomediæ, Donato Carthaginis episcopo, &c.] Ex ipsa Augustinus concludit epistolam non esse ab Orthodoxa Synodo, sed ab Ariana. Quia nempe Orthodoxa, dum ad totam Ecclesiam, aut ad totum Occidentem scribebat, numquam prætermitteret Romanum episcopum, sed poneret primo loco. Et adiungit duo. Primò, quod istam Prærogatiuam Donatistæ debeant suo etiam Romano Idolo. Deinde, quod Philippo Politanus Conuentus istud ignorauerit, ideòque & prætermiserit. Quin ista epistola Donato magno fuerit tradita, lecta per ipsum diligentissimè, ac intellecta, non est dubitandum. Porrò illa euertit euangelicum Romanæ Ecclesiæ primatum: Euangelicam Christianitatis Monarchiam transmutare studet in parem triumPatriarcharum Aristocratiam, ponitque fundamenta Photiani Schismatis. Ex ipsa ergò Donatus didicit Romanam Cathedram spernere, ac redigere in ordinem: Locare inter Africanos Primates. Et quidem didicit cum fœnore. Etenim Eusebiana Factio Romano episcopo reseruauit primum locum: Ei abnuit solam supra alios Patriarchas, ac ipsorum Synodos supremam potestatem. Pro sancto Athanasio ac alijs per Factionem damnatis episcopis data à sancto Iulio Pontifice sententia Philippo Politanum Conuentum, aduersùs Donatum in Casisnigris episcopum, ac eius Asseclas datum à sancto Melchiade iudicium inflammauit Donatum magnum, ac omnes Donatistas, ad ita insaniendum in Romanam Ecclesiam. Hac inaudita audacia tentarunt & sperarunt eius iugum excutere, eius iudicia deinceps non timere.

CAPVT V.

Exponitur potestas sacrarum apud Afros Ordinationum.

DE hac potestate scripsit ad Petrum ac Ioannem, Africanos Episcopos, sanctus Leo nonus:] Carthaginensis Archiepiscopus solus in Africa Pallium ab Apostolica Sede habere solet. Vndè & Episcopos consecrandi Principale, & antiquum ius retinet. [Et Pontifex istud probat ex tertia Carthaginensi Synodo, ad quam dixit Carthaginensium Primas Aurelius:] In hac Ecclesia, ad quam dignata est vestra Sanctitas conuenire, crebrò ac penè per diem Dominicam ordinandos habemus Episcopos. [Et iterùm:] Sermonem meum admittite Fratres. Contingit nonnumquam, vt postulentur ab Ecclesijs, quæ Præpositis egent, vel Episcopi, vel Presbyteri, & tamen memor Statutorum id sequor, vt conueniam Episcopum eius, atque ei inculcem, quod eius Clericus à qualibet Ecclesia postuletur. Sed fortè in hodierno non reluctati sunt. Et nequando contingat, vt reluctentur, cum fuerint à me in hac caussa postulati, quem scitis multarum ecclesiarum & Ordinandorum causam sustinere. Iustum est ergo, vt quemlibet Consacerdotum conueniam cum duobus è consortio nostro, vel tribus testibus. Si ergo indeuotus exstiterit, quid censet Charitas vestra faciendum? Ego enim cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, vt scitis Fratres, sollicitudinem sustineo. [Et Numidius Maxulitanus in Proconsulari Prouincia episcopus reposuit: Semper fuit hæc licentia huic Sedi, vt vnde vellet, de cuiuslibet nomine fuisset conuentus, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ ordinaret episcopum.] Epigonius episcopus adiunxit: [Bonitas sequestrat possibilitatem. Minus enim præsumis Frater. Et cum te bonum & clementem omnibus reddis, habes enim hoc in arbitrio, satis est vt satisfiat personæ vniuscuiusque Episcopi in prima tantummodò conuentione. Si autem quodlibet huic Sedi vindicandum fuerit sibi arbitratus, necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. Vnde tibi non potestatem damus, sed tuam assignamus, vt liceat voluntati tuæ semper & tenere quem voles, vt Præpositos plebibus, vel ecclesijs constituas, qui postulati fuerint: Et vnde voles.]

Cap. 39.

Hosce Canones, seu has Episcoporum interlocutiones respicit in Commentario ad decimum sextum Apostolorum Canonem Theodorus Balsamon: [Præsens Canon segregat episcopum, qui suo clero connumerauit alterius Diœcesis clericum, absque sui episcopi dimissorijs literis. Solus autem episcopus Carthaginensis potest in suum clerum referre alterius etiam Diœcesis clericos, absque dimissorijs literis eorum, qui ipsos ordinauerunt. Etiam Archiepiscopus Constantinopolitanus potest similiter facere]. Etiam in Commentario ad septimum decimum Canonem Trullanum scribit alienum clericum non posse ab episcopis suscipi, & adiungit: [Excipe mihi Constantinopolitanum, & Carthaginensem. Hi enim possunt alienos clericos suscipere præter voluntatem eorum, qui ipsos ordinauerunt]. Quod ipsum latissimè scribit in Commentarium ad sexagesimum Canonem Africani Codicis. Addi debent duo. Primò, quod Carthaginensis episcopus alienos clericos potuerit non dumtaxàt in suam transferre Ecclesiam, sed insupèr in quamuis aliam. Clericos vni Ecclesiæ superfluos transferre in quamuis aliam indigentem. Debebat enim suffulcire omnes Ecclesias. Deindè, quod poterat omnibus per Africam plebibus, quæ id petebant, ordinare presbyteros. Canon principaliter sancit de Electionum, ac Postulationum confirmationibus, ac Electorum, & Postulatorum translationibus: Et Carthaginensi impertit altam auctoritatem. Eamdem tamen etiam omninò donat in eorumdem consecrationem. Presbyteri, alijque clerici omninò poterant, immò, & debebant ordinari à suo episcopo. Etenim Sanctus Augustinus Hipponensi plebi fuit ordinatus ab eius episcopo Valerio. Plurima sunt alia exempla. Est res manifesta. Proindè Carthaginensis huic rei se miscere non poterat, nisi postulatus. Consecrario erat alternatiua: Verùm electio spectabat ad plebem.

Eadem fuit ratio consecrandorum episcoporum. Videtur in eligentis Ecclesiæ, aut etiam

etiam in Electi fuisse arbitrio, vel suę Prouinciæ Primatem accedere, vel Archi-episcopum Carthaginensem. Hinc ille singulis ferè Dominicis consecrabat episcopos. Quod enim Africa habuerit plurimos episcopos, est supra demonstratum. Et sola, cuius ordinatio priuatiuè spectabat ad Carthaginensem. Proconsularis Prouincia habebat vltra centum. Sanctus Possidius in Sancti Augustini vita rem elucidat: [Venerabilis Senex Valerius, sciens se corpore, & ætate infirmissimum, egit secretis literis apud Primatem Episcoporum Carthaginensem, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrans, vt Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur episcopus, qui suæ Cathedræ, non tam succederet, sed Consacerdos accederet, Augustinus. Et quæ optauit, & rogauit, Rescripto impetrauit. Postquam petitionem ad visitandum adueniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidiæ Megalio, Calamensi episcopo, Valerius Antistes episcopis, qui tunc fortè aderant, & clericis omnibus Hipponensibus, & vniuersæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem &c.] Hæc ordinandi episcopi forma videtur fuisse ordinaria, ideòque omnes videntur debuisse ordinari, aut per Carthaginensis episcopi manus, aut ad eius Rescriptum, seu præuiam confirmationem. Hoc enim per Nicænos: ideòque per Apostolicos Canones est Patriarchale ius, cuius hanc partem Carthaginensis Archi-episcopus habuit per vniuersam Africam. Ex auita consuetudine, & Indulto Romanæ Sedis. Et huc respexit in famosis ad Africanas Ecclesias literis Siricius Pontifex: [Extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, nemo audeat ordinare]. Sensus est: Verus Africanæ Diœcesis Primas, seu Patriarcha est Romanus Pontifex, ideòque isthic sine preuia ipsius confirmatione nemo deinceps ordinetur episcopus. Decretum erat longè fundatissimum. Attamen suarum consuetudinum tenacissimi Afri non fuerunt permoti ad executionem, & obedientiam. Temperamentum, quod per rationes à Pontifice supplicarunt, ac per nouas literas obtinuerunt, est ostensum in superioribus, ac expositum.

Cap. 8.

Interim singularum Prouinciarum Primates potuerunt consecrare suos Comprouinciales, ipsorumque consecrationem delegare alijs. Hinc in secunda Carthaginensi synodo Numidius in Proconsulari Prouincia Maxulitanus episcopus dixit: [Alij episcopi vsurpatione quadam existimant, contempto Primate cuiuslibet Prouinciæ, ad desiderium populi episcopum ordinare sine literis ad se primæ Cathedræ manantibus, neque postea acceptis. Quid de hoc statuit Sanctitas vestra]. Et Genethlius Carthaginensis episcopus retulit ad vniuersam synodum: [Quoniam communis est honorificentia, quæ vnicuique seruari oportet, id ipsum Fraternitati vestræ conuenit pronunciare]. Et vniuersi episcopi responderunt: [Placet omnibus, vt inconsulto Primate cuiuslibet prouinciæ, tam facilè nemo præsumat, licèt cum multis episcopis in quocumque loco, sine eius præcepto episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, cum primatis præcepto ordinare debeant episcopum]. Afrorum prouinciæ erant plurimorum episcoporum, & multæ distantiæ. Hinc viciniores episcopi, præsertim numero plures, præsumpserunt ordinare Electos vicinarum Ecclesiarum. Et censuerunt se non impingere in Nicænos Canones: Quod ipsorum prouinciæ haberent non Metropolitam, sed duntaxàt Seniorem. Hunc abusum proscripsit Primas Genethlius. Et iure-merito. Quoniam isti Seniores habebant omnia, & plena iura Metropolitica. Hinc illis permisit arbitrium, quo possent, aut ipsi consecrare, aut consecrationem alijs delegare.

Can. 12.

Eamdem Prouincialium Primatum authoritatem laudat in literis ad Fortunatum, & alios quinque episcopos sanctus Cyprianus: [Cum in Capsensi ciuitate propter ordinationem episcopi essetis]. Capsensis ciuitas est in Byzacio, ideòque tunc spectabat ad prouinciam Numidiæ. Proindè Fortunatus erat isthic Primas, aut ipsius Delegatus. Quod sub Diocletiani Imperio secundus Tigisitanus episcopus, Numidiæ Primas, Cirthensibus ordinauerit episcopum, sanctus Augustinus scribit in pluribus locis. In literis ad Generosum, Nobilem Cirthensem, in tertio libro contra Cresconium, in Carthaginensis Collationis Breuiculo, ac in libro post Collationem. Affirmat Secundum accessisse Cirtham, isthic fecisse synodum, degradasse Paulum episcopum, ac nouum ordinasse. Et de semetipso, ac sancto Alipio Tagastensi episcopo scribit ad quosdam Donatistarum episcopos: [Fortunium, quem apud Tubursicum habetis episcopum per eamdem ciuitatem, quamquam festinantissimè, cum ad Cirthensem Ecclesiam pergeremus, experti sumus. Sed quia ordinandi episcopi necessitas nos inde iam, iamque rapiebat, diutiùs cum illo esse nequiuimus]. Et de noua Fussalensi Ecclesia, ac primo eius episcopo Antonio scribit ad sanctum Cęlestinum Pontificem: [Episcopum ibi ordinandum, constituendumque curaui. Propter quem ordinandum sanctum Senem, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat, de longinquo, vt veniret, rogans literis impetraui]. Et statim infrà: [Dum nolo grauissimum, & sanctissimum Senem, ad nos vtique fatigatum, sine effectu, propter quem venerat, tam longè ad propria remeare, obtuli non petentibus quemdam Antonium &c.] Et in vita sancti Fulgentij Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Archi-Diaconus, Victorem Byzacij Primatem appellat [Prouinciæ Ordinatorem]. Et pergit de promotione sancti Fulgentij: [Nesciente beato Fulgentio, Victor Primas in itinere petitur à Ruspensibus, & vicinis episcopis ordinandi Fulgentium licentia datur]. Et infrà: [Fulgentius ad episcopum, qui admonitus fuerat ordinationem episcopi celebrare perducitur]. Affirmat Fulgentium non ab ipso Primate, sed per eius Rescriptum, ac Delegationem fuisse consecratum. Iuxtà laudatum Canonem secundæ Carthaginensis synodi.

Epist. 53.

Epist. 155. C. 26. 27. L. 3. C. 17.

Epist. 163.

Epist. 261.

Cap. 16. Cap. 17.

Notanda est insignis differentia inter Primatem Carthaginensem, & Primates aliarum Prouinciarum. Hi passim ordinabant in viduatæ plebis ciuitate: Et videntur ad istud fuisse obstricti. Ita suadent omnia adducta exem-

exempla. Hinc in media Gentilium persecutione Fortunatus Capsam, Secundus Primas accessit Cirtham. Et sanctus Augustinus grauissimum senectute Primatem perduxit vsque Fussalam. Et quidem de tam remoto loco. At verò Aurelius semper ordinauit Carthagine. Nempè quotquot ab ipso debebant, aut postulabant ordinari, cogebantur ad eius manus accedere. Summa dignitas, eminens Prærogatiua, eximia portio authoritatis Patriarchalis. Et hinc facilè crediderim, quod alij Primates ordinare non potuerint, nisi ad
Epist. 55. Carthaginensis Rescriptum. Quod ipsum confirmare videtur sancti Cypriani epistola ad sanctum Cornelium Pontificem: [Misi tibi proximè nomina Episcoporum Isthìc constitutorum, qui integri, & sani in Ecclesia Catholica Fratribus præsunt. Proindè Sanctus Cyprianus omnium Africanorum episcoporum catalogum habebat, & conseruabat in Scrinijs suæ Ecclesiæ: Quod nempè nullus isthìc consecraretur episcopus, nisi per eius Rescriptum. Attamen non est penitùs certum. Pro hac Carthaginensis Archiepiscopi dignitate nullum habemus lucidum testimonium, nisi vnius sancti Possidij. Et ipsum non est irrefragabile. Etenim sancti Augustini electio, & consecratio fuerunt extra regulam, ideòque sanctus Valerius ex alio capite non potuit ipsam tentare sine interuentu supremi Primatis. Quidquid sit, laudatum sancti Cypriani testimonium docet Primatem istum fuisse obstrictum ad omnium per totam Diœcesim Episcoporum consecrationes referendas Summo Pontifici, & supplicandam ipsorum confirmationem. Poterat simùl referre consecrationem plurium. Quod præuia Relatio non fuerit necessaria, prouenit ex Indulto Sedis Apostolicæ. Hinc ipsam Siricius ex firmis fundamentis potuit postulare.

Porrò Africani episcopi suorum Collegarum consecrationes celebrarunt solemnissimè. Carthaginensis Primas consecrari consueuit à duodecim. Etenim in tertio contra Cresconium libro sanctus Augustinus disertè scribit de Schismatico Donatistarum episcopo Maximiano: [In Bagaiensi Concilio dam-
Cap. 52. nati sunt cum Maximiano duodecim, quorum præsentium manibus ordinatus est]. Et
Cap. 32. statim infrà: [Quando Maximianus ordinatus est, neque omnes interesse potuerunt, aut ex more debuerunt]. Et edicit singula ipsorum nomina. Quod ipsum reperir in quarto libro. Erant mixti ex varijs Prouincijs. Etenim Beianus Vaianensis ex Numidia, Donatus Sabratensis erat ex Tripoli. Et hoc in puncto fundatur Secundi Tigisitani, & Collegarum aduersùs Ceciliani Carthaginensis Archi-episcopi ordinationem querimonia, de qua in literis ad quosdam Donatistarum episcopos sanctus Augustinus: [Inerat eis nonnullus animi dolor de typo superbiæ veniens, quod non ipsi ordinauerant Carthaginis episcopum]. Eamdem querimoniam Donatistæ fortiter vrserunt in Carthaginensi Collatione. Sanctus Optatus in primo suo libro elucidat. [Botrus, & Celesius], Carthaginensis Ecclesiæ clerici, [apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, vt absentibus Numidis soli vicini episcopi peterentur. Tunc suffragio totius populi Cecilianus eligitur. Et manus imponente Felice Aptungitano episcopo ordinatur]. Audi rationem, aut fucum, ex quo suaserunt aduocari solos vicinos episcopos: [Tempestas persecutionis peracta, ac finita est. Iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianitatis libertas est restituta]. Vtique ad ordinandos nouos episcopos. Propter caducæ libertatis periculum ambitiosi Botrus, & Celesius vrserunt accelerari negotium: Sperarunt se à paucioribus facilliùs eligendos. Et hinc lucet etiam ante redditam à magno Constantino pacem fuisse morem, vt ad Carthaginensis Primatis electionem, & consecrationem peragendam inuitarentur, ac assumerentur episcopi ex omni Prouincia. Sanctus Augustinus in libro post collationem affirmat Felici Aptungitano adstitisse Nouellum Tyzicensem, ac Faustinum Tuburbitanum, episcopos Proconsularis Prouinciæ. An, & alij plures, non possim affirmare. Existimo omninò fuisse duodecim, iuxta auitum honorem, & morem. Totidem fuisse in ordinatione Maiorini, videtur non dubitandum. Etenim ex sola Numidia aderant septuaginta episcopi. Adducta Sancti Augustini verba, quæ affirmant Maximiani ordinationi, nec potuisse, nec debuisse adesse omnes, docent consueuisse adesse solos duodecim.

De aliorum episcoporum consecratione ad tertiam Carthaginensem synodum Honoratus, & Vrbanus episcopi dixerunt: [Et illud nobis mandatum est, vt quia proximè Fratres nostri Numidiæ, duo episcopi ordinare præsumpserunt Pontificem, non nisi à duodecim censeatis episcoporum celebrari ordinationes.] Et Aurelius Primas respondit: [Forma antiqua seruabitur, vt non minùs quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad episcopum ordinandum, propterea quia & in Tripoli, fortè & Arzuge interiacere videntur barbaræ Gentes. Nam in Tripoli, vt asseritur, episcopi sunt quinque tantummodò: Et possunt fortè de ipso numero, vel duo necessitate aliqua occupari. Difficile est enim, vt de quolibet numero omnes possint occurrere. Numquid debet hoc ipsum impedimento, esse ecclesiasticæ vtilitati? Nam & in hac Ecclesia, ad quam dignata est Sanctitas vestra conuenire, crebrò ac pene per Dominicam diem ordinandos habemus. Numquidnam frequenter duodecim, vel decem, vel multò minùs adducere possum episcopos? Sed facilè est mihi duos adiungere meæ paruitati episcopos vicinos. Quare cernit mecum Charitas vestra, hoc ipsum obseruari non posse.]

Hinc discimus plura. Primò, quod Primas Carthaginensis ad ordinandum episcopos passim assumpserit duos assistentes. Propter adductam rationem. Secundò, quod istud ipsum fuerit vsitatum in alijs prouincijs. Hinc enim duo Numidiæ præsumpserunt ordinare. Tertiò, quod frequenter assumpti fuerint etiam plures: Decem, immò & duodecim. Etenim Capsensis episcopus, etiam Gentilibus temporibus fuit ordinatus à sex. Eadem tempestate Secundus Tigisitanus, dum Syluanum ordinauit Cirthensibus, habebat numerosos assistentes. Hinc Honoratus Thabennensis in Numidia, & Vrbanus Sic-

Siccensis in Mauritania episcopi, ac suarum Prouinciarum Legati, à suis synodis habuere mandatum instandi in generali synodo, vt deinceps ad maiorem episcopalis ministerij honorem, semper assumerentur duodecim. Et isto tempore non erat exotica postulatio. Etenim & prima Arelatensis synodus sanxit: [De his qui vsurpant sibi, quod soli debeant episcopos ordinare, placuit vt nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum alijs septem episcopis. Si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare.] Secuti sunt auitam regulam, quam postmodò ad sanctumVictricium Metropolitam Rothomagensem scripsit sanctus Innocentius Primus: [Integrum est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur. Nec vnus episcopus ordinare præsumat episcopum: Ne furtiuum beneficium præstitum videatur.] Ista Arelatensis synodus, vtpotè celebrata propter partem Africanæ Ecclesiæ, placuit Aurelio. Censuit ac sanxit, non vt deinceps assumerentur soli tres, sed vt quæuis prouincia, aut Ecclesia permanerent in sua antiqua consuetudine. Addidit non posse esse pauciores, quàm tres. Non tantùm propter istum Arelatensem, sed etiam propter Nicænum Canonem. Quartò discimus, quod Africana Ecclesia episcopalem consecrationem, attentatam à duobus episcopis, iudicauerit illegitimam, attamen ratam, ac validam.

Capite 20.

Cap. 2.

Aurelius his adiunxit: [Sed illud est statuendum, vt quando ad eligendum episcopum conuenerimus, si qua contradictio fuerit oborta, quia talia tractata sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres iam, sed postulentur ad numerum supra dictorum vnus vel duo, & in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primò personæ contradicentium: Postremò illa etiam, quæ obijciuntur, pertractentur. Et cum purgatus fuerit, sub conspectu publico ita ordinetur. Si hoc cum vestræ Sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ Dignitatis responsione.] Et vniuersi episcopi reposuerunt: "Placet satis." Hinc iterum quædam discimus. Primò, quod vox, "Electio," hìc accipiatur pro consecratione. Etenim apud Afros tres episcopi conueniebant, non ad eligendum collegam, sed solummodò ad consecrandum. Electio fiebat à suo clero & populo, sub præsidentia, ac directione Interuentoris, seu Visitatoris. Et contradictio non poterat aduersùs eligendum fieri, sed dumtaxat contra electum. Secundò discimus, quod electi purgatio fieri debuerit in eius ciuitate. Hinc ipse etiam Carthaginensis Primas hoc in casu debebat eò accedere, & ibidem consecrare. Purgatus enim debebat solemniter consecrari coram suo populo. Nempe ad ipsius consolationem, & confusionem calumniatorum. Quare Aurelius hìc non nihil detraxit iuribus suæ Ecclesiæ, Notanda sunt verba: [Quia talia tractata sunt apud nos.] Videntur respicere sanctum Augustinum, & ipsi illatam iniuriam à Megalio Calamensi episcopo, tunc primate apud Numidias. Sanctissimum Electum, ille diffamauit de nescio cui mulieri propinatis amatorijs poculis, atque ita ipsum studuit proscribere ab episcopatu. Ast Augustinum purgauit numerosa synodus, & Megalium compulit ad eum proprijs manibus consecrandum. Hinc Aurelius sanxit duo. Primò, vt ante omnia discutiantur personæ contradicentium. Sine exceptione. Etiam persona episcopi, immò & Primatis. Quia nempe constabat, primatem fuisse lapsum in calumniam. Deinde Aurelius sanxit, vt ad hanc purgationem non fatigaretur vniuersa, aut numerosa synodus, sed sufficerent quinque, aut quatuor episcopi. Quia nempe electorum accusatio cōsueuit ex æmulantium inuidia procedere, ideòque esse consueta calumnia.

CAPVT XIX.

Exponitur varia authoritas Primatis Carthaginensis.

PRima huius Primatis authoritas fuit consecratio omnium per Africam episcoporum. Est superiùs abundè exposita. Aliquid tamen noui in sua synodo reuelauit Bonifacius Primas: [Placuit vt primates diuersarum prouinciarum nomina episcoporum, siue decedentium, siue etiam in eorum locum succedentium, ad Ecclesiam Carthaginensem mittant.] Prouinciæ primas, circa defunctos suæ iurisdictionis episcopus debebat facere tria: Defuncti mortem statim referre, postmodò referre nouum electum, mittere cleri, ac populi decretum, præuiam consecrandi confirmationem forsan postulare ac exspectare, ac tandem referre etiam illius consecrationem. De hac postrema, ac item de prima relatione agit adductus Canon. Non est Bonifacij constitutio, sed Aurelij. Etenim Bonifacius affirmat à se innouari decimum nonum Aurelij Concilium. Et in huius innouationis capite habent acta synodalia: [Agileius Diaconus recitauit ex libro Canonum temporibus sancti Aurelij.] Et ex ipso laudauit viginti Aurelij Concilia. Et superiùs habent acta: [Agileius Diaconus recitauit ex libro Canonum.] Recitauit Nicænum Canonem, & Canonem ex Carthaginensi synodo Grati primatis. Etiam Bonifacius Primas dixit ad sextum Nicænum Canonem, & varios Canones ex synodis Aurelij.

Ex quibus discimus varia. Primò, quod Africana Ecclesia semper ab antiquo habuerit singularem Canonum Codicem. Secundò, quod primum in illo locum occuparint Nicæni Canones. Tertiò, quod proximè sequerentur canones è Grati synodo, aut synodis. Porrò hic Gratus interfuerat Sardicensi Concilio. Et sic quartò discimus, quod Gratus istos canones non inscripserit in Africanum Codicem. Eorum authoritate est vsus in suis synodis, attamen ipsos non retulit in Codicem suæ ecclesiæ. Rationem ignoro. Et hæc videtur esse vera causa, ex qua eosdem canones Aurelius Primas, cum suis episcopis penitùs ignorauit. Quintò discimus, quod Aurelius omnes omnium suarum synodorum canones inscripserit in istum Codicem. Sextò, quod illæ synodi fuerint omnino

ninò viginti. Et forsitan plures. Quæ omnia hùc vsque ignorauimus. Debemus gratias Illustrissimo Domino Lucæ Holstenio, qui nobis vulgauit istam Bonifacij synodum. Codex ille perijt aut latet. Exstans Africanæ ecclesiæ Codex est priuato, nescio cuius studio, ac scopo compilata farrago. Eius origo, & dignitas suo loco exponetur.

Præfata Carthaginensis Cathedræ prærogatiua nequaquam ducit originem ab Aurelio. Est longè antiquior. Etenim in causa Pseudo-episcopi Fortunati scripsit ad sanctũ Cornelium Pontificem, sanctus Cyprianus: [Quod autem tibi de Fortunato isto Pseudo episcopo, à paucis & inueteratis hæreticis constituto, non statim scripsi, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos statim, quasi magna & metuenda, proferri.] Post quædam exponit etiam Maximi, rebellis sibi presbyteri, & cum Fortunato coniurati, datum à Nouatiani factione episcopatum, & prosequitur: [Nec tamen de hoc tibi scripserim, quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miserim tibi proximè nomina episcoporum istic constitutorum, qui integri, & sani in Ecclesia Catholica Fratribus præsunt.] Affirmat varia. Primò, quod Africana Ecclesia quascumque grauiores causas referre deberet ad Sedem Apostolicam. Secundò, quod ob non relatam Fortunati intrusionem fuerit reprehensus à sancto Cornelio. Tertiò, quod etiam talis rebellium clericorum petulantia non sit inter grauiores causas, ideòque non debuerit referri. Quartò, quod non tales intrusiones, sed solas Catholicorum episcoporum nouas ordinationes referri oportuerit. Quintò, quod has proximè retulerit. Igitur prouinciarum primates omnium suorum episcoporum mortem, eorumque nouos successores debebabt referre Carthaginem, huius autem ciuitatis Antistes ad episcopum Romanorum. Apostolicus canon mandabat omnes illos præuiè confirmari per Pontificem. At ob distantiam erat res molestissima. Hinc Romanæ Ecclesiæ pietas erat contenta, cum ista generali post consecrationem relatione. Quæ omnia lucidè demonstrant Africanam Ecclesiam semper subfuisse Romano Patriarchatui.

Præfata sancti Cypriani verba Iacobus Pamelius commentatur: [Epistola Cypriani, qua transmisit nomina episcoporum, hodie desideratur, nisi fortè intelligat epistolam præcedentem synodi Africanæ.] Respondeo in præcedenti epistola, nulla exprimi episcoporum nomina: Item istam episcoporum relationem non fuisse synodalem, sed opus, ac officium soliùs Primatis. Apparens est, quod omni anno semel, aut fortè bis Primas debuerit referre ista nomina. Etenim Africana ecclesia habebat plurimos episcopos, ideòque quotannis non poterant, non mori aliquot, & succedere. Dolendum est, quod nulla istiusmodi relatio extet. Quidquid sit, lucet quod ipsi prouinciarum Primates, non potuerint consecratos à se episcopos referre Romam: Priuatiuè spectabat ad solum Carthaginensem.

Et hæc est secunda istius sedis prærogatiua. Eam aliqui adeò ampliant, vt censeant etiam prouinciales synodos non potuisse Romam referre, nisi per Primatem Carthaginensem. Nequidem in causa fidei. Probant ex Aurelij primatis, ac sanctorum episcoporum, Alipij Tagastensis, Augustini Hipponensis, Euodij Vzalensis, ac Possidij Calamensis, ad sanctum Innocentium I. Pontificem epistola: [De Concilijs duobus, prouinciæ Carthaginensis, atque Numidiæ, ad tuam Sanctitatem à non paruo episcoporum numero subscriptas literas misimus, contra inimicos gratiæ Christi.] Soli Carthaginensi, non autem Mileuitano Concilio Aurelius adfuerat, & tamen affirmat vtriusque synodales literas à se fuisse transmissas. Quia nempè Syluanus, Summensis episcopus, Numidiæ Primas, suæ Mileuitanæ synodi acta non immediatè Romam, sed Carthaginem miserat, per Aurelium transmittenda ad Papam. Respondeo non esse improbabile. Attamen non constat. Etenim in suo rescripto Innocentius, nullam Aurelij memoriam fecit, sed in capite posuit Syluanum Senem. Et certè inter istos quinque episcopos non solus Aurelius, sed etiam Euodius erat ex proconsulari prouincia, alij tres erant Numidiæ: Hinc rectè dicunt vtriusque synodi acta fuisse à se transmissa. Epist. 95.

Tertia istius Primatis Prærogatiua erat quam per literas ad Messorem Numidiæ Primatem exegit Primas Bonifacius: [Decedontium Episcoporum Matriculam, memores antiquæ consuetudinis, nobis dirigi suademus, vt de multis Prouincijs ad nos venientes, præcipuè illi, qui se prioribus suis anteponere non dubitant, qualiter vnusquisque eorum sedere debeat, sciamus.] Et Messor obediuit, ac rescripsit: matriculam huius Concilij, ne priscorum obliteretur authoritas, demandaui.] Quisque igitur Primas debebat suæ Synodi, seu Prouinciæ catalogum transmittere. Et ita mandabat Priscorum authoritas vetusta consuetudo. Proinde dum de sedendi in Prouinciarum, aut etiam totius Diœceseos Synodis, aut quibusuis alijs congressibus ordine nascebatur quæstio, decisio spectabat non ad Prouinciæ Primatem, sed ad Carthaginensem. Nec mirum. Etenim ex hac victoria dependebat successio in Primatum. Qua propter ista Matriculæ, seu nominum transmissio non soli præfatæ ad Vrbem relationi seruiebat, sed alijs insuper finibus.

Quarta Prærogatiua fuit Iudicium, ac definitio quæstionum circa successionem Primatum. Etiam ipsorum, licèt nulla esset controuersia, confirmatio. Lucet ex precibus, quas Cecilianus, ac Honoratus, Sitifensis Mauritaniæ Legati, dum singularem, ac proprium Primatem habere supplicabant, obtulerunt Carthaginensi Primati Aurelio, ac eius Synodo:] Profitemur in Carthaginensis Ecclesiæ conscientiam proferre, quandocumque voluerimus habere primæ Sedis Episcopum. Ita ut cum primæ Sedis Episcopus de corpore recesserit, qui in eius locum succedit, ad Ecclesiam Carthaginis mittat, & eam instruat, vt fiat primæ Sedis Episcopus.] Et Aurelius reposuit: [Vt Ecclesia Carthaginensis de constituendis primæ Sedis Episcopis consultetur, impedimento nulli esse posse, mecum pariter cognoscit Sanctitas

Vestra.] Affirmat esse rem claram, expertem omnis dubij. Et ista reposuit non ad solos supplicantes Legatos, sed ad omnem Synodum, Hinc & ipsa omnis respondit: [Quandocumque habere voluerit quæcumque Prouincia primæ Sedis episcopum, instruat primitùs Ecclesiam Carthaginensem, & sic quod desiderat faciat.] Defuncto igitur Primate, Prouincia, aut Synodus, vel certè ipse successurus, aut succedere prætendens Episcopus debebat Carthaginensem Ecclesiam instruere: Vtique de successuri iure, idoneitate, alijsque ad causam spectantibus. Et ante Carthaginensis Episcopi Rescriptum, ac assensum inthronizari non poterat, neque vti Primatis nomine.

Agileius, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, iste omnia ad Bonifacij synodum legit ex Hipponensi Concilio Aurelij. Et Megalius, Calamensis Episcopus, Numidiæ Primas, est hic in Sitifensis Mauritaniæ fauorem interlocutus: [Ad compendium venit ista prouisio, vt, & voluntatibus satisfiat, & se Prouinciæ teneant, responsuris tamen primę Sedis Episcopis cunctarum Prouinciarum ad Ecclesiam Carthaginensem, in quocumque vsus exegerit.] Consentit in nouum Primatum. Et erat necesse. Etenim Sitifensis Mauritania ante subfuerat Numidiarum Primati, ideoque abscindi non poterat sine eius Beneplacito. Hæc est omninò magna illa Hipponensis Synodus, ad quam sanctus Augustinus, adhuc Presbyter, disputauit, ac exposuit Apostolicum Symbolum. Facta fuit anno istius sæculi nonagesimo tertio, biennio ante sancti Augustini episcopatum. Exinde igitur Sitifensis Mauritania habuit proprium Primatem. Et retinuit vsque ad nouam Imperatoris Iustiniani dispositionem, factam post eiectos Wandalos.

Quintam Carthaginensis Ecclesiæ Prærogatiuam habemus ab eodem Hipponensi synodo. Etenim Honoratus, & Cecilianus, Sitifensis Prouinciæ Legati, dum proprium primatem postulabant, professi sunt plerasque Carthaginensis Ecclesiæ Prærogatiuas, promiserunt venerari, ac inter ipsas posuerunt & hanc: [Et si qua de eadem Carthaginensi Ecclesia nuntianda sint ad Prouinciam Mauritaniam, causa regulæ & disciplinæ, hoc profitemur episcopum Sitifensem debere conueniri, per quē omnes Episcopi in Mauritania constituti possint informari.] Dum per aliquā Prouinciam, aut aliquam eius ecclesiā quis sacrorum Canonum, aut Christianæ disciplinæ neglectus, correctio spectabat ad Carthaginensem etiam episcopum. Hic Prouinciæ Primatem monebat, Primas episcopum, vel episcopos, in quorum Parochijs disciplina patiebatur. Et hanc Prærogatiuam laudat Liberatus Byzacij Primas, è sua Iucensi Synodo scribens ad Carthaginensem Bonifacium: [Nouimus sapientiam tibi Diuinitùs infusam, qua præcipuè hoc studeas, vt nullus permittatur ecclesiasticorum Canonum aliquatenùs conuellere firmitatem, teq; cunctis formam præbere virtutum, vt terminos Paternis definitionibus constitutos non negligat seruare posteritas.] Affirmat ad ipsum spectare custodiam Canonum.

Sexta Prærogatiua est ius, ac obligatio visitandi omnes Africanas Ecclesias. Etenim Honoratus, & Vrbanus, Sitifensis Prouinciæ Legati, in nescio qua Synodo dixerunt ad Primatem Aurelium: [Et illud nobis verbo mandatum est, vt quia constitutum est synodo Hipponensi, singulas Prouincias tempore Concilij visitandas esse, dignemini etiam, quod hoc anno secundùm ordinem distulistis, vel alio anno Prouinciam Mauritaniam visitare.] Et Aurelius respondit: [Nunc de Prouincia Mauritania, propterea quod in finibus Africæ posita sit, nihil statuimus? Siquidem vicinæ sunt Barbarico. Sed præstet Deus, vt ex abundanti non pollicentes, venire possimus ad vestram Prouinciam. Cogitare enim debetis, quia hoc sibi, & Tripolitani, & Arzugitani Fratres potuerunt exigere, si ratio pateretur exigere.] Igitur & hoc ius fuit stabilitum in Hipponensi Concilio. Immo non ius, sed potiùs obligatio. Etenim vti Metropolitæ suam Prouinciam, ita Patriarchæ, ac Primates obligantur suis temporibus inuisere suas Diœceses. Carthaginensis medio inter duas Synodos tempore debebat visitare vnā Prouinciam. Seruato ordine. Hipponensis Concilij Canones latent, aut perierunt. Non habemus, nisi quorumdam fragmenta, aut memorias. Præsens memoria extat Africano Codice, ac item illa collectione, quæ passim appellatur Africanum Concilium. Cap. 52.

Septima Prærogatiua est, quod Carthaginensis episcopus per omnem Africam potuerit nouos episcopatus erigere. Inter alia Africani Cleri vitia fuit Ambitio, de qua ad Aurelium Primatem, ac eius Synodum dixit Epigonius episcopus: [Plerique tumidi, atq; stolidi aduersùs episcopum suas ceruices erigunt Præsbyteri, vel conuiuijs concinnantes plebem, vel sanè persuasu maligno, vt illicito fauore eosdem velint sibi collocari Rectores.] Quidam Parochialium in Oppidis Ecclesiarum Rectores Presbyteri suas plebes conuiuijs, aut alijs artibus alliciebant, diuertebant ab affectu in episcopum, atque sua seducebant, vt violentèr postularent etiam Oppidanam Parochiam erigi in episcopalem Cathedram, ac suum Presbyterum sibi dari in primum Episcopum. Et quoniam consequi desperabant à Primate, aut Synodo suæ Prouinciæ, passim accedebant Carthaginensem Archiepiscopum. Hinc enim subdit Epigonius: [insigne mentis tuæ tenemus votum, Frater religiose Aurali, qui hæc sæpè oppressisti, non curando tales petitores.] Quæstio est, an ista per omnem Africam Aurelius fecerit, an dumtaxat per suam Proconsularem Prouinciam? Etenim plura exempla suadent, quod soli Prouinciarum Primates citrà Carthaginensis Cathedræ conscientiam diuiserint episcopatus, ac nouos instituerint. Exempla plura habemus in Carthaginensi Collatione: illic & Donatistæ Catholicos, & hi illos frequenter accusant de erectis nouis Cathedris. Etiam sanctus Augustinus, dum Fussalensem Episcopatum erexit, solius sui Primatis authoritatem inuocauit, nequaquam Carthaginensis Aurelij. Ita disertè scribit in literis ad sanctum Cęlestinum Pontificem. Epist. 261.

Respondeo tamen Epigonium omninò fuis-

fuiſſe locutum de cunctis per Africam Prouincijs. Etenim rogat tales epiſcopatuum diuiſiones, ac erectiones deinceps non permitti, niſi de conſenſu epiſcopi, cuius Parochia diuiditur. Et hoc iuxta antiquum non ſolius Africanæ, ſed omnis ſub cęlo Eccleſiæ Canonem: [Multis Concilijs hoc ſtatutum à Cœtu Sacerdotali eſt, vt plebes, quæ ab Epiſcopis in Diœceſibus retinentur, quæ Epiſcopos numquam habuerunt, non niſi cum voluntate eius Epiſcopi, à quo tenentur, proprios recipiant Epiſcopos.] Carthaginenſes Primates etiam inuitis Epiſcopis, quandoque Diæceſes diuiſerant in nouos epiſcopos: Hoc Epigonius ſupplicat deinceps non fieri. Nequaquam ſupplicat non erigi nouos Epiſcopatus, ſed ſolummodò non erigi ſine aſſenſu illius Epiſcopi, qui Diœceſim eſt perditurus. Et hoc per omnem Africam. Hinc enim Aurelius repoſuit: Fratris, & Conſacerdotis noſtri proſecutioni non obſiſto, ſed hoc me & feciſſe, & facturum eſſe profiteor, circa eos ſanè qui fuerint concordes, non ſolùm circa Eccleſiam Carthaginenſem, ſed circa omne Sacerdotale conſortium.] Per omnem Africam.

Notanda ſunt verba: [Circa eos ſanè qui fuerint concordes.] Eſt limitatio circa factam ab Aurelio promiſſionem. Epigonius ſuis precibus addiderat: [Quia nonnulli Dominatu quodam adepto communionem Fratrum abhorrent, vel certè cum deprauati fuerint, quaſi in arce quadam Tyrannica ſibi Dominatum vindicant, plerique tumidi, atque ſtolidi aduersùs Epiſcopum Presbyteri ſuas ceruices erigunt, &c.] Affirmat quoſdam epiſcopos fuiſſe cauſam præfati Presbyteralis ambitùs, ac popularis conſpirationis. Etenim obliti ſancti Petri Apoſtoli Canonem:] Non quaſi dominantes in Clero, ſed forma Gregis facti ex animo.] Hunc, inquam, obliti Canonem agebant Tyrannidem in ſuum Clerum, ac populum: Talem, aut certè ſimilem, qualem à Fuſſalenſi Antonio fuiſſe exercitam Sanctus Auguſtinus deflet in præfatis ad Cœleſtinum Pontificem literis. Ita, & Oppidis, & eorum Presbyteris dabant cauſam cogitandi de nouo Epiſcopatu. Hinc igitur Aurelius ſpondet fore, vt ſimilibus Oppidorum poſtulationibus nunquam annuat: Attamen circa Oppida illorum epiſcoporum, qui concordes fuerint cum ſuis populis, ac ipſos paternè, & epiſcopaliter tractauerint. Circà Tyrannicè excedentes vult permanere in authoritate, qua afflictis populis, & Cleris poſſit per epiſcopatus diuiſionem impartiri ſolatia. Ex quo lucet, quod Carthaginenſis Primas potuerit, etiam inuitis epiſcopis, epiſcopatus per omnem Africam diuidere. An ſolus potuerit, non auſum affirmare. Adducta exempla fortiter ſuadent, quod cuncti Primates etiam potuerint in ſua Prouincia. Et plurimum fauet quadrageſimus ſextus Canon tertiæ Carthaginenſis Synodi. Præfata Epigonij poſtulatio, ac Aurelij reſponſio exſtant in hodierno Codice Africanæ Eccleſiæ.

Hæc omnia plurimùm illuſtrat ſequens Canon: [Vt plebes, quæ numquam habuerunt proprios Epiſcopos, niſi ex Concilio plenario vnuſcuiuſque Prouinciæ, & Primatis, & conſenſu eius, ad cuius Diœceſim eadem eccleſia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant.] Permittit nouos Epiſcopatus erigi. Attamen ſub varijs conditionibus, & conſenſibus. Primò ex conſenſu totius Prouincialis ſynodi. Non alicuius Turmæ, ſed totius ſynodi. Secundò, ex conſenſu Primatis. Proinde aduersùs maiorem totius ſynodi partem ſolus Primas reluctari poterat, & obtinere. Tertiò requirebatur conſenſus etiam proprij Epiſcopi. Cum eadem Prerogatiua. Quæ omnia locum non habebant aduersùs Primatem Chartaginenſem. Hic ſolus, & ſine ſynodo, & ſine Prouinciæ Primate, poterat epiſcopatum ęrigere: Quandoque etiam ſine conſenſu epiſcopi. Proinde eius poteſtas erat veracitèr Primatialis. Canon exſtat in hodierno Afrorum Codice. Cuius ſynodi, aut temporis ſit, ignoratur.

Octauam Prærogatiuam memorauit, & confirmandam retulit ad tertiam Carthanenſem ſynodum ipſe Primas Aurelius: [Contingit nonnunquam, vt poſtulentur ab Eccleſijs, quæ Præpoſitis egent, vel epiſcopis, vel Presbyteris, & tamen memor Statutorum id ſequor, vt conueniam Epiſcopum eius, atque inculcem, quod eius Clericus à qualibet eccleſia poſtuletur. Sed fortè in hodierno non reluctati ſunt. Et nequando contingat, vt reluctentur. cum fuerint à me in hac cauſa poſtulati, quem ſcitis multarum eccleſiarum, & Ordinandorum cauſam ſuſtinere, Iuſtum eſt ergò, vt quemlibet Conſacerdotum conueniam cum duobus è conſortio noſtro, aut tribus teſtibus. Si verò indeuotus exſtiterit, quid cenſet charitas veſtra faciendum? Ego enim cunctarum Eccleſiarum ſollicitudinem ſuſtineo.] Affirmat varia. Primò, quod Africana Diœceſis laboraret inopia Clericorum, ideoque vacantes, & Cathedrales, & Parochiales, Eccleſiæ quandoque non inuenirent in ſuo gremio, quem eligerent in epiſcopum, aut presbyterum. Secundò, quod tales Eccleſiæ eligerent aliquem alienum clericum. Tertiò, quod illum, obtinere deſperantes, non poſtularent ab eius Epiſcopo, ſed à Carthaginenſi, communi omnium Patre. Quartò, quod Carthaginenſis epiſcopus ſemper habuerit poteſtatem admittendæ, ac exequendæ iſtius poſtulationis. Quintò, quod tamen huic poteſtati ſtatutum ſit, vt primas id non faciat, niſi audito, & conſulto epiſcopo, cuius clericum debet eripere, ac transferre. Sextò, quod hac moderatione ſit ſemper vſus. Immò, quod ipſa contentus non fuerit, ſed poſt paſſam in prima conſultatione repulſam proceſſerit ad ſecundam, & quidem adhibens teſtimonium, ac preces duorum, vel trium collegarum. Septimò, quod nullus hucuſquo epiſcopus pertinacitèr recalcitrauerit, ac ſperet fore, vt nemo recalcitret. Addit tamen hoc eſſe poſſibile. Hinc quærit, quid ſynodo placeat in tali caſu: Quomodo, & qualiter velit à Carthaginenſi primate procedendum?

Et Numidius Maxulitanus epiſcopus reſpondit: [Fuit ſemper hæc licentia huic Sedi, vt vnde vellet, & de cuius nomine fuiſſet conuentus, pro deſiderio cuiuſque Eccle-

siæ ordinaret episcopum.] Respondit de sola alieni Clerici postulatione in episcopum. Hinc Epigonius episcopus adiunxit: [Bonitas sequestrat possibilitatem, Minùs enim præsumis, Frater. Et cum te bonum, & clementem omnibus reddis, habes enim hoc in arbitrio, satis est vt satisfiat personæ vniuscuiusque episcopi in prima tantùm conuentione. Si autem quodlibet huic Sedi vindicandum fuerit sibi arbitratus, necesse tu habes omnes sustulcire Ecclesias, Vndè tibi non potestatem damus, sed tuam assignamus, vt liceat voluntati tuæ semper, & tenere, quem voles, vt præpositos plebibus, vel Ecclesijs constituas, qui postulati fuerint: Et vnde voles.] Dicit plura. Primò, quod Carthaginensis Primas tales, non solummodò episcopales, sed etiam presbyterales electiones potuerit confirmare, & exequi. Secundò, quod episcopus, cui eripiendus erat clericus, non pluries, nec cū Collegis conueniri debuerit, sed dumtaxat semel, à solo Carthaginensi. Tertiò, quod refragante episcopo habuerit plenam authoritatem procedendi ex arbitrio. Quartò, quod ab indigenti Ecclesia, etiam citra electionem, postulatus potuerit clericum dare, & quidem ex qua volebat Ecclesia. Etenim ad ipsum spectabat omnes Ecclesias sustulcire. Non solummodò quoad presbyteros, sed quoscumque Clericos. Epigonius addit hanc fuisse perpetuam Carthaginensis cathedræ potestatem.

Posthumianus episcopus vnicum contra hæc adduxit scrupulum: [Qui vnum habuerit, numquid debet ipsi ille vnus presbyter auferri?] Et Aurelius respondit: [Episcopus vnus esse potest, per quem dignatione Diuina presbyteri multi constitui possint; vnus autem episcopus difficilè inuenitur constituendus. Quapropter si necessarium episcopatui quis habet presbyterum, & vnum habuerit, etiam ipsum ad promotionem dare debebit.] Responsio est lucida. Ex ipsa discimus Africanam Ecclesiam fuisse Cleri adeò indigam, vt plures cathedrales Ecclesiæ non haberent, nisi vnicum presbyterum. Hinc Posthumianus perrexit: [Ergo si habet alius abundantes Clericos, debet mihi alia plebs subuenire.] Et Aurelius reposuit: [Sanè. Quomodò Ecclesiæ alterius tu subueneris, persuadebitur illi, qui plures habet Clericos, vt vnum tibi ordinandum largiatur.] Ex quo vides Carthaginensis Primatis in transferendis clericis potestatem fuisse vniuersalem, nullatenùs adstrictam ad electionem in episcopum, aut presbyterum. Hinc item vides fundamentum, ex quo Valerius Hipponensis episcopus circa suum presbyterum Augustinum fecerit, quod in huius vita scribit sanctus Possidius: [Valerius metuere cœpit, ne Augustinus ab alia Ecclesia, Sacerdote priuata, ad episcopatum quæreretur, & sibi auferretur.] Hinc illum sibi adhuc viuo curauit contra Canones superordinari in Cöepiscopum.

Hanc Carthaginensis episcopi potestatem frequenter admiratur, ac laudat Theodorus Balsamon. Affirmat eamdem esse in Pontifice Romano, ac Patriarcha Constantinopolitano, ideòque esse singularem, ac suprem è Patriarchalem. Eius testimonia supra adduximus. Ista tamen potestas, ac per ipsam facta clericorum translatio plures lites causauit in Africa. Quas omnes per introducta monasteria, ac mirificè statim multiplicata, extinxit S. Augustinus. Etenim omnes episcopo, aut clero indigentes Ecclesiæ cœperunt ex istis monasterijs eligere, & accipere. De primo, ac nouello adhuc Hipponensi monasterio scribit laudatus Possidius: [Proficiente doctrina Diuina, sub sancto, & cum S. Augustino in monasterio Deo seruientes, Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde magno desiderio poscere atque accipere episcopos, & clericos pax Ecclesiæ, atque vnitas, & cœpit primò, & postea consecuta est. Nam fermè decem Augustinus diuersis Ecclesijs, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit.] Et infra scribit de morientis Augustini testamento: [Clerum sufficientissimum ecclesiæ dimisit.] Vtique è suis monasterijs.

Nona prærogatiua est, quod Carthaginensium Primas posset generales suæ Gentis synodos indicere, determinare tempus, & locum, eisdem præsidere, ac ibidem habere ius relationis, ac prærogatiuam suffragij. Lucet ex cunctis, hodie extantibus, generalibus synodis istius Diœceseos. Admodùm notabile est, quod ista etiam electus potuerit, ante consecrationem. Hoc patet ex quarta S. Martini Pontificis epistola, qua suæ Lateranensis synodi acta transmisit in Africam. Epistola enim habet hanc Epigraphen: [Electo spirituali consensu catholicæ Carthaginensium ecclesiæ, & omnibus, qui ei subsunt, episcopis, clericis, populisque Christi amantibus.] Electus ille fuit Victor, successor Fortunij. Hic necdum consecratus contra Monothelitas fecerat synodum, & ipsi sanctus Pontifex respondit. Facta synodus lucet ex his epistolæ verbis: [Vos meritò de sincero affectu amplectimur, maximè cum, tanquam perennes lucernas, confessionis vestræ characteres exposueritis Sedi Apostolicæ per synodales literas vestras.] Notanda sunt verba. Etiam præfata epigraphe. Affirmat ex singulari catholicæ fidei zelo Victorem fuisse electum, ex eodem statim fecisse synodum, retulisse Romam, atque ita semetipsum Romanæ Ecclesiæ etiam ante consecrationem commendasse. Erat res extra consuetum cursum. Sanè innuit ea omnia fuisse acta contra Fortunium tunc Carthaginensem Exepiscopum, cum Paulo Patriarcha, Monothelitarum Principe, degentem Constantinopoli. Innuit quod Fortunius non ob ciuilem causam, sed ob Monotheliticam heresim fugerit, aut fuerit eiectus ex Africa, abierit Constantinopolim, ac istic fuerit à Symmysta Paulo honoratus. Videtur fuisse peruersus ab Expatriarcha Pyrrho. Item contra ipsum videntur tunc factæ singularum Prouinciarum synodi. Res non spectat ad præsentem materiam.

Decima prerogatiua à quibusdam putatur, quod nullus episcopus Africanus potuerit vltra mare, nec ad comitatum, immò nec ad Apostolicam Sedem proficisci sine venia, ac Formata Carthaginensis Archiepiscopi. Intra Africam clericus, aut laicus cum sui episcopi, episcopus proficisci, ac peregrinari poterat cum Formata sui prouincialis Prima-

matis; sed ad transeundum mare necessaria erat facultas Archiepiscopi. Hæc prærogatiua non caret suis fundamentis. Attamen si cuncti Canones maturè perpendantur, videtur non subsistere. Transmarina peregrinatio videtur fuisse eiusdem formæ, cum facienda intra Africam. Proindè decima prerogatiua est, quod Carthaginensis episcopus quibuscumque synodalibus literis, ac mandatis solus subscriberet. Vndecima erat, quod omnibus per Africam Ecclesijs diem Paschalem quotannis denuntiaret. Duodecima erat, quod etiam quorumuis Monasteriorum Monachos posset transferre, ac euehere in clerum. Decimatertia erat, quod à quouis Monasterio potuerit eligi in immediatum superiorem. Etiam excluso proprio episcopo. Quæ potestas etiam fuit Romanæ Ecclesiæ. Ita Adrumetinum, in Sancti Augustini scriptis notissimum, Monasterium illi semper immediatè subfuit. Hæc sunt alterius loci.

CAPVT VII.

Exponitur antiquitas Archiepiscopalis Pallij.

SAnctus Leo nonus inter alias Carthaginensis Archiepiscopi pouit dignitates, quod solus in Africana ecclesia habuerit pallium, ipsumque olim acceperit à Sede Apostolica. Hæc exponi non possint, nisi quædam dicamus de origine, & natura istius pallij. Dominus Petrus de Marca etiam hic docet noua, & paradoxa. Audiamus verba:
L. 6. C. 6. [Cum materia isthæc digna sit eruditorum hominum curiositate, dicam primùm, quid ipse sentiam de origine pallij. Tunc aperiam, quo primùm tempore necessitas eius introducta sit. Ac mihi quidem tria præcipuè notatu digna obseruasse videor. Primum, initio pallium alia prorsùs forma compositum fuisse, quàm illud, quod hodiè in vsu habetur. Secundùm, pallium antiquitùs fuisse genus quoddam Imperatorij indumenti, cuius vsum Imperatores permisere Patriarchis, à quibus dein communicatum est cum Metropolitanis.] Describit hodierni pallij formam, & prosequitur: [Priscum verò pallium erat indumentum præclarissimum, & fulgens, quod ad terram dimittebatur. Quod me faciliùs comprobaturum esse confido, si priùs explicauero varia nomina indumenti huius apud Veteres. Apud Latinos quidem pallium constanter appellatum est, apud Grecos verò omophorion, hoc est superhumerale, & phelonion. Omophorij tamen vox ambigua est. Quippe interdum significat vestem quamdam laneam, quam episcopi vt plurimum humeris suis imponebant extra Sacrificij tempora, saltem apud Orientales, aliquo modo similem ei palliolo, quo hodie vtuntur episcopi nostrates. Omophorij huius mentionem facit Isidorus Pelusiotes, qui adnotat illud laneum ideò fuisse, vt ostendatur quantam gregis sibi commissi curam gerere debeant episcopi. Effigiem eius exhibet vetus numisma Imperatoris Theodosij apud Fuluium Vrsinum, in quo beati Apostoli Philippus, & Ioannes habitu episcoporum repræsentantur, capite raso, & cum palliolo illo crucibus ornato, & ad pectus vsque pertingente, posito volumine quodam in manu dextra, & cruce in sinistra.

Dominus Archiepiscopus est semper vnus, & idem: In omni materia seminat nouitates, atque errores. Primus est, quod omophorion, de quo sanctus Isidorus Pelusiotes, sit hodiernum nostratium episcoporum palliolum, siue Mozzetta, quo Græcorum Antistites vtebantur olim extra Sacrificij tempora. Error lucet ex sancti Isidori verbis: [Id autem amiculum, quod sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligenter animum intende. Nam cum ipse verus Pastor per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tunc demùm assurgit, atque imitationis habitum deponit. Hinc nimirum Dominum ipsum, Pastoralis artis Ducem, ac Deum, & Herum adesse significans.] Sanctus Isidorus affirmat varia. Primò, quod istud episcopale amiculum, seu omophorion sit vestis imitationis. Secundò, quod sit ex lana ouina. Tertiò, quod ista lana, episcopalibus humeris imposita, significet ouem perditam, quam Christus Dominus quæsiuit, inuenit, redemit, imposuit humeris, atque ita reportauit ad salutis gregem, ac Paradisi ouile. Quartò, quod istam lanam indutus episcopus repræsentet Christum Dominum, ista oue onustum portatorem. Quintò, quod ad solemnem sancti Euangelij in sacrificio recitationem episcopus deponit istud pallium. Et depositionis ratio est, quod Euangelium sit quasi ipse Christus Dominus, ideoque ipso præsente non sit opus vicaria imagine. Quo ritu Græci etiam hodie vtuntur. Non vtuntur omophorio, nisi intra Sacrificium. Magnus Gregorius in literis ad Ioannem Rauennæ Archiepiscopum affirmat istum esse morem totius sub cœlo ecclesiæ. Ex quibus omnibus lucidissimè patet sanctum Isidorum nullatenus de Mozzetta, sed loqui de sacro episcoporum pallio, ideoque Petrum de Marca insigniter deuiare.

Lib. 1. Epist. 136.

Secundus error est, quod antiquum Græcorum Omophorion fuerit idem cum Phenolio. Etenim Phenolion apud Græcos est duplex. De primo habent Rubricæ ad Liturgiam sancti Ioannis Chrysostomi: [Post hæc Sacerdos accipiens Phenolion, & benedicens exosculatur.] Latinus interpres vertit, [Casulam.] Iacobus Goar in scholijs ad Græcorum Euchologion aduertit istam vocem à quibusdam per dyphtongum, à quibusdam scribi per simplicem literam, & adiungit: [Quoquo modo scribatur, Casulam siue Planetam interpretamur. In vtraque autem ecclesia, & eumdem vsum, & eamdem formam obtinuerunt.] De secunda Phenolij specie habet ritus ordinandi Lectorem, & Cantorem:

rem: [Et Pontifex Phenolio accepto induit illum.] Latinus Interpres denuò vertit, [Casula.] Exponit in libro de sacris ordinationibus Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis: [Lector obtinuit vestem, camisiam vocatam, quæ ad paruæ Casulæ, vel certè Tunicæ modum, è lino conficitur, primamque Sacerdotij delibationem demonstrat. Parua est propterea. Dei protectionem menti repræsentat. Vel purpurea est, propter purpureum Christi indumentum; vel candida propter Sacerdotij puritatem, & lumen, quo resplendet.] Est idem, quod apud nos Alba. Græci non Albam, sed camisiam vocant: quod nempè apud ipsos in ieiuniorum diebus, ac defunctorum officijs fit rubra, seu purpurea. De eodem Phenolio habet ritus ordinandi Subdiaconum: [Ordinandus in Subdiaconum episcopo offertur, Phenolio indutus.] Latinus Interpres vertit, [Tunica.] Goar exponit: [Phenolion, de quo præsens Textus sermonem habet, non est Casula sacerdotalis, sed Lectoris vestis propria Tunica è lino candido, vel certè purpureo colore tincta, quam Simeon Thessalonicensis sæpiùs vocat Camisiam, à qua & quidam Officiales sunt dicti camisati.] Nempe in Subdiaconum Ordinandus procedit, & episcopo offertur in sacro Lectoris habitu, qui est paruum Græcorum Phenolion: nos dicimus Albam. Cur paruum dicatur, exponit landatus Goar: [Ad alterius Phenolij, Casulæ nimirum Sacerdotalis, quæ cæterorum indumentorum finis, & vltimò assumenda, differentiam.] Phenolion itaque est duplex: paruum, & magnum. Initiale, & finale. Finale seu Sacerdotale subdiuiditur in Presbyterale, ac episcopale. Istud est simplex ex lana, hoc est Polystaurion, seu insignitum pluribus crucibus. Ipsi Omophorion superponitur. Quare Dominus Archiepiscopus palàm labitur, dum Phenolion affirmat fuisse aut Mozzettam, aut sacrum Omophorion.

Cap. 5.

Tertium Domini Archiepiscopi errorem aliqui censent esse quod dicat Græcorum Antistites olim fuisse vsos Mozzetta, aut simili laneo Palliolo. Etenim in Lausiaca historia Palladius Helenopolitanus Episcopus scribit sanctum Athanasium fuisse vsum Tunica, exponit in suis Annalibus S. Martyr Theophanes, scribens Athanasium fuisse accusatum, quod gereret vestem lineam. Nos latini hodie appellamus Rochetum. Græcorum episcopi non vtuntur. Sanctus Athanasius haud dubiè sumpserit à latinis, quorum ob plures caussas fuit amicissimus. Quid Græci per Byrrhum intelligant, docemur à synodo Gangrensi: [Si quis vir ob eam, quæ existimatur, pietatis exercitationem vtatur Periboleo, id est amictu Pallij, & velut in hoc iustitiam constituens condemnet eos, qui cum pietate Byrrhis, & alia communi ac solita veste vtuntur, anathema sit.] Pallium est stricta, Byrrhus erat vestis ampla, talaris, & longa. Hinc sanctus Gregorius scribit Neophytos, dum è sacro Fonte adscendunt indui Byrrho albo. Id est, larga sabana. Etiam latinos episcopos olim fuisse vestitos Byrrho, liquet ex sancti Augustini sermonibus de communi vita Clericorum. Episcopalem suum Byrrhum Græci iampridem appellant Mandyam vndulatam. Mozzettæ apud ipsos nulla est memoria. Attamen hæc omnia aliter exponuntur ab alijs. Et tolerabiles opiniones ego nolim censere erroris. Quidquid sit, nemo vnquam Græcorum Mozzettam dixit esse episcopale Omophorion.

Cap. 135.

Can. 12.

Li. 7. ep. 29.

Quare tertius Domini Archiepiscopi error est, quod sacrum hoc Omophorion sit ornamentum Patriarchis permissum ab Imperatoribus. Etenim ad sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum scripsit Theodosius Patriarcha Hierosolymæ: [Poderem, & superhumeralem cum Mitra, Pontificalem stolam sancti Iacobi Apostoli, & Fratris Domini, & primi Archiepiscoporum quam Antecessores mei Patriarchæ circum amicti in Sancta Sanctorum ingrediebantur, Sacerdotio fungentes, tuo desiderabili ac honorando mihi Capiti ex amore, & dilectionis copia transmisi.] Epistola extat in prima actione octauæ synodi. Eadem de re scribit in sancti Ignatij vita Nicetas Paphlago [Ignatius mortalem vitam reliquit. Statim igitur non tam funus, quàm vitam curant, illumque sacro Patriarchæ ornatu domestici ex more vestiunt, & venerandum Iacobi Fratris Domini superhumerale cum veneratione illum induunt, quod ante aliquot annos Hierosolymis sibi missum tanta veneratione prosecutus est, ac si ipsum Iacobum Apostolum, & primum in eo Humerali Pontificem spectaret. Hoc propterea voluit secum sepeliri.] In ipsius Encomio scribit etiam Michael Syncellus: [Ferunt Ignatium, postquam creatus est Patriarcha, diui Iacobi, Fratris Domini, superhumerale nactum, sæpè, dum viueret, eo ornatum, ac sacris in ipso operatum, & post mortem cum eodem sepultum.] Et in Nestorianæ, ac Eutychianæ hæresis breuiario scribit Liberatus Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus. [Consuetudo est Alexandriæ, illum Patriarcham, qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque eius dexteram capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci Pallium, & tunc legitimè sedere. Affirmat istud ipsum, quo sanctus Marcus fuerat vsus, Pallium semper transiuisse de Successore in Successorem. Quæ successio vsque ad Theodosium Patriarcham omninò fuit etiam Hierosolymæ. Sanctum similiter Petrum Apostolum fuisse vsum Pallio demonstrant antiquissimæ Imagines. Quapropter ipsum non est Imperiale beneficium, sed Institutum Apostolicum. Apostoli per ipsum demonstrarunt ac prædicarunt Zelum, quo verus Pastor perditas oues reportat in humeris, debere in episcopis, præsertim Patriarchis ardere. Ex eodem principio Romana olim ecclesiam istam veri Pastoris effigiem sculpsit, ac prædicauit in suis sacris Calicibus. Ita testatur Tertullianus in libro de Pudicitia. Et eamdem, quasi in ipso Pontifice repræsentatam, Parabolam laudat in alio eiusdem libri capite. Eruditi quidam censent ipsum alludere ad Pallium. Quidquid sit, ex iam adductis constat istam repræsentationem fuisse in sanctis Apostolis.

Cap. 20.

Cap. 7.

Cap. 13.

Dominus Petrus de Marca pergit: [Aliàs Omophorion accipitur pro indumento Patriar-

triarcharum, quod Latini Pallium appellant. Hoc autem indumentum vsque ad talos dimittebatur. Descriptionis huius probatio sumitur ex Zonara, qui in vita Constantini Copronymi ait Anastasium, insistentem vestigijs Germani Patriarchæ, Omophorion eius calcasse, vt eum admoneret, ne festinaret. Sanè vox ipsa Pallij euincit illud fuisse indumentum integrum, non autem fasciolas aliquot laneas, vt probatur ex Pelagio, & Gregorio primo, Pontificibus Romanis, qui docent istud fuisse vestem augustam, quæ haud vulgari more ornaret eum, qui ipsa vtebatur. Pelagij enim primi verba hæc sunt ad Sapaudum Arelatensem Episcopum scribentis:] Pallium dirigentes, vt in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris. [Gregorius verò Pallium esse dicit] habitus exterioris clariorem cultum, indumenti munificentiam, [ad Syagrium Augustodunensem scribens, quem statim admonet necesse esse,] vt cultui vestium actionis quoque ornamenta conueniant. [Et scribens ad Marinianum Rauennatensem Episcopum, eadem eum meminisse monet his verbis:] Sic eris alterno inuicem decore conspicuus, si ad huiusmodi corporis habitum mentis quoque bona conueniant. [Quæ loca manifestè probant Pallium fuisse indumentum præclarissimum, non verò fasciolas solùm laneas.

Variè iterum labitur. Primus lapsus est, quod istius descriptionis probatio desumatur ex Omophorio sancti Germani. Etenim ad Ioannem Rauennæ Metropolitam scripsit magnus Gregorius: [Illud tibi non putamus ignotum, quod pęnè de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus vsum Pallij sibi vindicasse.] Affirmat esse constantem, & perpetuam consuetudinem vniuersalis ecclesiæ. Ipsam semper viguisse etiam apud Orientales, in libro de sacris ordinationibus disertè testatur Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis: [A principio Missæ, & in exaltatione Diuini Panis, & in ordinationibus, & in alijs sacris mysterijs episcopus Pallio semper ab humeris in orbem cingitur.] At verò Anastasius Syncellus sancti Germani vestem calcauit extra ecclesiam. Ergo ipsa non fuit Pallium. Audiamus rem à Gregorio Cedreno: [Aliquando Germani, in Regiam euntis, stolæ oram Anastasius calcauit.] Etiam in Græco textu est stola, non Omophorion. At verò stola erat vestis honestissima, manicata, talaris, fluens vsque ad terram. Ea vtuntur etiam hodie Græcorum episcopi. Erat quidem mulieribus propria; quod tamen ista vox virilem vestem aliquando significauerit, lucet ex euangelio, vbi legimus sanctos Angelos apparuisse in stola candida. Et similes stolæ nobis promittuntur in futura vita. Fateor Ioannem Zonaram scribere, quod Anastasius calcauerit sancti Germani Omophorion: vocem largè accipit pro quauis veste humerali: Vnde, & latinus interpres transtulit: [Cum aliquando Germanum à tergo sequeretur Anastasius, & vestem eius pedibus calcasset.] Proinde erat Mandya sancti Germani. Dominus Archiepiscopus videtur asserere id factum, vt Anastasius admoneret Germanum. In quo dupliciter errat. Etenim Germanus admonuit Anastasium. Nec calcatio est facta in istum finem, sed ex eius casuali euentu assumpta est admonendi occasio. Nec sub Constantini Caballini, sed euenerunt sub Imperio Leonis Isauri. Attamen hi errores non spectant ad notitiam Pallij.

Secundus error est, quod ipsa Pallij vox euincat ipsum fuisse indumentum integrum, non autem laneas aliquot fasciolas. Ioannes Morinus in adnotationibus ad sacras Græcorum ordinationes scribit aliquid non absimile; [Antequam enarrare incipiamus, notabit Lector nomine Pallij hìc nihil minùs significari, quàm quod mente priùs concepit Pallium enim vestis oblonga est, humeros & totum corpus, aut maximam illius partem tegens. Sed Pallium ecclesiasticum latinum est fascia lanea, duos aut tres digitos lata.] Num. 19.
Describit, & Latinum, & Græcum Pallium, atque concludit: [Quamquam igitur nihil sit illis cum Pallij ministerijs commune, antiquus tamen vsus obtinuit vt vtrumque pallium diceretur,] Est incongrua doctrina. Etenim ecclesia vocem istam non assumpsit sine fundamento. Ipsum exponit in decimo nono originum libro sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis: [Pallium est quo administrantium scapulæ conteguntur, vt dum ministrant, expeditiùs discurrant.] Et infra: [Dicitur autem pallium à pellibus. Quia priùs superindumenta pellicea veteres induebantur, quasi pellea.] At verò ecclesiasticum pallium contegit administrantium episcoporum scapulas, & esse ouinam pellem audiuimus supra à Sancto Isidoro Pelusiota: Ergo eius significatio non est heteroclita.

Tertius error est, quod Pelagius Pontifex, ac eius Successor magnus Gregorius in suis literis loquantur de alia pallij specie: De veste integra & talari. Est fatua assertio. Omnes, & quidem in magno numero, Gregorij epistolæ clamant oppositum. Clamant Gregorium loqui de ecclesiastico pallio, de modicis fascijs. Loquitur enim de pallio, quod ipse gessit: illud ipsum haud dubiè transmisit omnibus, aut certè pluribus per suum Patriarchatum Metropolitis. Ipsum in eius vita describit Ioannes Diaconus Romanæ Ecclesiæ: [In eo quod pallium eius bysso candente contextum, nullis fuisse cernitur Lib. 4. c. 80.
acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas deuolutum fuisse, non autem confixum dignoscitur, sicut vetustissimis musiuis, vel picturis ostenditur.] Dominus Archiepiscopus laudat hoc testimonium, ideòque mirum est, quod ipsi non aperuerit oculos. Certè magnus Gregorius in litteris ad Syagrium Episcopum Augustodunensem laudat, & transmittit istud ipsum pallium, de quo postea ad Lotharium Imperatorem rescripsit Leo IV. [Mandastis vt priuilegium & pallium Altheo Episcopo concederemus. Vnde poscimus, vt vestra super hoc Magnitudo non non indignetur. Quoniam quod ab ipso sanctissimo Papa Gregorio vsque ad hæc tempora nostra factum minimè recordamur, facere non potuimus. Neque præfixos Patrum terminos immutare. [Altheus erat Augustodunensis Episcopus, ideoque per Imperatorem Lo-

Lotharium tentauit à Leone IV. impetrare istud ipsum pallium, quod eius prædecessor Syagrius obtinuerat à magno Gregorio. Et quis humana mente adeò excidat, vt credat integram, ac Imperialem vestem fuisse ab Altheo postulatam? An Leo postea concesserit ignoro. Interim Augustodunenses Episcopi hodie habent gratiam pallij. Et constanter credunt à se geri istud ipsum, quod Gregorius transmisit Syagrio.

Quartus D. Archiepiscopi error est, quod ex magni Gregorij verbis, affirmantibus Pallium esse eximium episcopi ornatum, concludat ipsum fuisse non laneas fasciolas, sed plenum hominis indumentum. Etenim vti quædam vocabula non propter literas, ex quibus componuntur, sed ob res significatas sunt sacra, vel prophana, honesta, vel inhonesta, ita & quædam vestimenta. At verò episcopalis Pallij significationem supra audiuimus ab Isidoro Pelusiota. Eamdem laudat in rerum ecclesiasticarum Theoria sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus: Humerale, quo Episcopus circumdatur, significat ouis pellem, quam errantem cùm Dominus inuenisset, assumpsit. Habet autem cruces, quia Christus super humeros gestauit ouem suam. Et in libro de sacris ordinationibus Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis: [Pallium manifestè significat Dei Verbi incarnationem, quoniam nos, ouem perditam, inueniens super humeros portat, naturamque humanam integram indutus, eamque sibi coadunatam deificauit, atque id ipsum quod assumpserat, per Crucem & mortem Patri pro nobis obtulit, & suscitans nos exaltauit. Ideò Pallium circumfert cruces, & lana texitur, & collo, ac humeris episcopi imponitur.] Et in libro de Missa, ac templo scribit Pallium esse tantæ dignitatis, vt in splendida magni introitus pompa primum locum teneat, & agat ducem: [Pallium cruce insignitum præcedit.] Et adiungit causam: [Quod signum Iesu sit, & ipsum Iesum de cœlo ostensum iri hominibus præfiguret.] Propter has significationes affirmat Pallium, laneas fasciolas, esse præcipuum, & sanctissimum ornamentum.

Nihilominus D. Archiepiscopus pergit: [Præterea Pallium illud fuisse verè Pallium, hoc est, aliud quàm exiguam fasciam, colligi potest ex ijs, quæ refert Liberatus in capite decimo octauo Breuiarij, scilicet sententiam damnationis à Felice Papa latam aduersùs Acacium Patriarcham Constantinopolitanum, quam is recipere noluerat, Pallio eius alligatam fuisse à quodam monacho, dum Acacius ad celebranda Sacra ingrederetur:] Ita vt cogerentur, inquit, qui eas, idest, Felicis literas aduersùs Acacium, detulerant, per quemdam monachum Acœmetensem ipsam damnationis chartam, dum ingrederetur ad celebranda Sacra, suspendere in eius Pallio, & discedere. [Quibus addi potest locus Ioannis Diaconi ex vita S. Gregorij, cuius auctoritas efficiet, ne temerarius esse videar in hac sententia proferenda, simulque ostendet iam eius æuo discrimen ingens fuisse inter Pallium veterum, & illud quod eius tempore in vsu erat. Affirmat enim B. Gregorium in veteribus picturis videri indutum Pallio ex bysso candenti contexto, & nullis acubus perforato, quod in morem vestis humeros eius operiebat.] Adducit superiùs laudata verba Ioannis.

Respondeo Græcum, & Latinum Pallium in quibusdam conuenire, in quibusdam distingui. Vtrumque est laneum, & crucibus insignitum. Singularem Græci formam compendio describit in Annotationibus ad Græcorum ordinationes Ioannes Morinus: [Græcum Pallium est longa fascia, eiusdem cum latino, aut paulò maioris latitudinis, nempè trium digitorum, primò collum inuoluens, deinde à collo per medium pectus longè infrà genua descendens.] Eodem modo altera eius pars descendit per medium dorsum. Cap. 7.
Disertè hoc scribit Simeon Thessalonicensis: Collo & humeris episcopi imponitur. Circa humeros anterius, & posterius. Et tale Pallium gestauit magnus Gregorius. Et plures Romani Pontifices, ac alij Latinorum episcopi. Quare vtrinsque Pallij vsus videtur olim apud nos fuisse promiscuus. Insuper Latinum Pallium olim fuit longum, descendens vsque ad oras Casulæ. Ita lucet ex antiquis per omnem Latinam Ecclesiam picturis. Romanus Patriarchatus comprehendit plures Græcas Prouincias: Nempè totum Orientale Illyricum. Hinc igitur Romani Pontifices, quoniam & Latinis & Græcis debebant transmittere Pallia, possint vtraque specie fuisse indifferenter vsi.

Quare primus D. Archiepiscopi error est, quod Ioannes Diaconus dicat magni Gregorij Pallium fuisse instar vestis. Etenim Ioannes disertè scribit ipsum fuisse deuolutum circa solas scapulas. Scribit eius nullam à sui temporis Pallio fuisse differentiam, nisi quod esset ex lino contextum, & nullis acubus affixum, sed deuolutum. Hoc est, quod esset non Latinum, sed Græcum. Et ità lucet ex antiqua sancti Gregorij pictura, quam vulgauit Frater Angelus Rocca, episcopus Tagastensis. Ioannes non scribit fuisse Byssinum: Sic enim non potuisset significare ouem perditam. Scribit fuisse ex bysso contextum, idest, intertextum Texturæ fundus erat byssinus. Cuius singularitatis radicem ignoro.

Secundus error est, quod Acœmetensis monachus Felicis Tertij sententiam affixerit episcopali Pallio Acacij. Est res incerta, ideòque sine errore non possit asseuerari. Dubium faciunt hæc verba: Dum ad celebranda Sacra ingrederetur. Dubium est, an agant de solemni processu ex Vestiario ad Altare, an de processu è domo ad ecclesiam. Certè in priori processu Diaconi combinati ducunt agmen, episcopus hinc inde suffulcitur à Diaconis, & presbyteri ipsum subsequuntur. Ita scribit Simeon Thessalonicensis. Quomodo igitur monachus potuisset isthic affigere chartam Pallio Acacij? At verò posterior processio fiebat cum vnico Diacono, ideòque erat aptior affixionem admittere. Porrò tunc Acacius non erat indutus episcopale Omophorion.

Quidquid sit, Græcorum Omophorion fuit semper idem. Lucet ex testimonio sancti Isidori Pelusiotæ. Et ex sexta synodo, quæ aduersùs Macarium Antiochiæ Patriarcham excla-

Act. 8. exclamauit: [Macarius meritò ab episcopatu alienetur. Nudetur circumposito ei Pallio. Et huius Pallij materiam, & formam exposuit in Relatione ad sanctum Agathonem Pontificem: Macarium pastoritia pelle meritò denudauimus.] Etiam de sancto Papa Siluerio, dum degradaretur, scribit liber Pontificalis: [Subdiaconus Regionarius tulit Pallium de collo eius, & duxit eum in cubiculum, & exspolians eum, induit eum monasticam vestem.] Pallium tegebat solum collum. Plenis vestibus non in synodo exutus fuit, sed in cubiculo. Et de sancto Martino Pontifice, dum Constantinopoli degradabatur, scribit authentica incogniti authoris epistola. [Carnifices exterius eius Pallium sacerdotalis stolæ exuerunt, & scindentes alas tunicæ, quæ erat interiùs, à summo vsque deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam eius carnem.] Nempè loco sacerdotalis Pallij. De sancto item Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, dum degradabatur, scribit Nicetas Paphlago: [Procopius Hyppodiaconus, ablato à Patriarcha Pallio, vesteque reliqua sacra, proclamabat.] Pallium erat suprema omnium sacrarum vestium. Erat superpositum Casulæ. Proinde omnia ista Pallia nequaquam fuerunt plena vestimenta, sed pelles pastoritiæ, laneæ fasciæ. Quare & Acacius, dum celebrabat diuina, gerebat istam pellem. Et etiam post dorsum propendebat vsque ad oram Casulæ. Vnde & ad ipsam monachus potuit suam chartam affigere. Est tamen res incerta. Incertum est, an affixio sit facta intra Ecclesiam. Quidquid sit, isti, episcopum plenè vestienti, Imperiali Pallio nulla suffragatur auctoritas, nullum testimonium, nulla antiqua pictura, nullum musiuum. Est hesternum figmentum.

CAPVT VIII.

An sacrum Archiepiscoporum Pallium sit Imperiale Donum, ac Beneficium.

DOminus Archiepiscopus affirmat: [Alterum quod mihi obseruasse videor notatu dignum, nempè Pallium esse genus quoddam Imperatorij indumenti, cuius vsum Imperatores permisere Patriarchis, prima fronte videri posset audaciæ plenum, nisi fideiussores optimos darem. Ecclesia namque Romana ita esse fatetur, quæ Constantini donationem, vbi scriptum est Pallium Romano Pontifici tributum beneficio istius Imperatoris, Decreto Gratiani insertam suscepit. Assentior planè viris eruditis, qui donationem illam falsi arguunt, eo in primis argumento, quod à Constantino esse facta dicitur. Fatendum est nihilominùs vetus esse monimentum illud, & antecedere tempora Caroli Calui, contra quàm visum est ijs, qui antiquitatem ei maximam tribuere existimant; cum iam in rerum natura fuerit æuo Adriani primi, & Caroli magni. Sufficit in præsentiarum, quod donatio illa, cuius auctoritas semper viguit in Romana Ecclesia, donec techna ista detecta est, originem Pallij tribuit Imperatoribus. Id enim probat eam octingentos per annos inualuisse opinionem, & ob hoc ipsum non posse argui nouitatis. Arte tamen quadam, & industria opus est, vt Pallium in hac donatione deprehendi possit. Existimat deprehendi in his verbis: Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, nec non Superhumerale, videlicet Lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum, verùm etiam, & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam.]

Demonstrat per Phrygium, non Pallium, sed Mitram intelligi, & pergit de Superhumerali, seu Loro: [Lora fascias aureas rectè diximus, aut purpureas, aut prætextas, tunicæ cuidam, aut Pallio alligatas, & connexas. Vnde apud Flauium Vopiscum legimus tunicas purpureas, rectas, dilores, & trilores. Id est, tunicas purpureas, quibus duo, aut tria lora prætexta erant alligata. Hinc concludit: Donatio igitur illa duo quædam docet. Constantinum videlicet dedisse Lorum, siue Fascias, quibus indumentum eius ornabatur, & chlamydem, idest, Pallium Imperiale. Vnde colligi non absurdè potest Pallij vocabulum olim fuisse complexum, & Pallium ipsum Regium integrum, & Fascias, siue Lora, quibus illud erat ornatum. Quapropter mirum videri non debet, si Pelagius primus, & sanctus Gregorius tantoperè commendant pulchritudinem, & splendorem huius Pallij, quod ad humum vsque dimittebatur, vt ostendi superiùs. Quia non solùm ex loris constabat, sed etiam ex Pallio Regio, vt notauit Balsamon in meditatione prima:] Vnde fit, vt sanctissimi Patriarchæ, qui sanctarum ecclesiarum Dei Capitis vicem implent, saccos induant, tunicasque fluuijs, ac triangulis, & penulas multis crucibus depictas. [In responsione trigesima septima ad interrogationes Marci Patriarchæ Alexandrini ait indumentum, cui sacco, & polystaurio nomen est, in quo depictæ sunt cruces, indumentum esse, quo Patriarchæ ornantur ad differentiam aliorum episcoporum.]

Audiamus totam fabulam: [Igitur hæc tria, Saccus, Sticharion, & Phenolion non erant eiusdem coloris, & ad varios vsus porrigebantur. Quippe Sticharion, & Phenolion interdùm purpurea erant, non vndis, non crucibus ornata. Et nullo alio in vsu erant, quàm in officijs ieiunij, & funeribus. Aliquando autem candida erat, vndis quoque, & crucibus ornata, eorumque vsus vsurpabatur cum sacco. Porrò saccus necessariò candidus esse debuit. Cui insuper hæc necessitas adstricta erat, vt eo vti Metropolitani non possent, nisi in tribus diebus solemnium Festorum, idest, Paschæ, Pentecostes, & Natalis Domini, vt obseruauit Demetrius Chomatenus, Bulgariæ Archiepiscopus, in responsione ad secundam Interrogationem Cabasilæ. Vnde colligi videtur saccum omnium optimè referre Pallium Latinorum, cùm in solemnibus tantùm festis diebus vsurpari potuerit à Metropolitanis, velut Pallium. Cæterùm quod attinet ad molem, & formam sacci, eam colligere possumus ex verbis Balsa-

ſamonis, qui meditatione prima ait ſaccum ſignificare veſtem opprobrij,quæ Chriſto impoſita eſt. Cùm autem Demetrius Chomatenus nos docuerit eum fuiſſe albi coloris, patet eius deſcriptionem congruere cum ea, quam Ioannes Diaconus exhibet in vita ſancti Gregorij, cùm ait Gregorij Pallium ex byſſo candente contextum fuiſſe in veteribus picturis.]

Eſt integra ſylua errorum. Primus eſt, quod Romana Eccleſia iam ab octingentis annis probauerit famoſum inſtrumentum Conſtantinianæ donationis. Etenim plures eruditi conſtanter docent ipſum non eſſe adeò antiquum. Docent eſſe figmentum Ioannis Cardinalis Diaconi, cognomento Ioannis Digitorum, qui viguit ſub Imperio Otthonis Tertij. Et multæ chartæ, multique libri ambulant per Orbem Chriſtianum, qui licèt tolerentur, non tamen probantur, aut ſuſcipiuntur à Romana Eccleſia. Secundus error eſt, quod Romana eccleſia iſtud inſtrumentum probarit, dum ſuſcepit Decretum Gratiani. Etenim per iſtam ſuſceptionem non probauit Gratiani omnia. Quædam ſolummodò permiſit, aut tolerauit. Eſt eruditis exploratum. Et graues Auctores teſtantur, quod ipſe Gratianus agnouerit iſtud inſtrumentum eſſe ſpurium. Tertius error eſt, quod Romana Eccleſia cenſuerit per iſtud inſtrumentum Romano Pontifici, ac alijs Patriarchis donari Imperiale Pallium. Etenim ipſe Dominus Archiepiſcopus fatetur iſtam Aſſertionem eſſe plenam audacia nouitatem, ideòque per omnes Mundi angulos venatur ipſi Fideiuſſores. Item profitetur opus eſſe arte, atque induſtria, vt iſta donatio in inſtrumento reperiatur. Hinc quartus error eſt, quod Romana Eccleſia laudatum in inſtrumento Imperiale Pallium per octingentos annos crediderit eſſe epiſcopale. Eſt indigniſſima calumnia.

Quintus error eſt, quod epiſcopale Pallium ab inſtrumento ſignificetur per Lorum & Chlamydem: Quod dicat ipſum fuiſſe Chlamydem ornatam Loris. Dominus Archiepiſcopus errat in primis rei veſtiariæ elementis. Omnes enim Romanarum veſtium, vel modicè periti norunt lora, clauos, prætextas, aliaſque iſtiuſmodi Faſcias nequaquam fuiſſe chlamydum ornamenta, ſed ſolarum Tunicarum. Vvaltrinium, virum eruditum, Octauius Ferrarius in libris de re veſtiaria rectè arguit, quod in libris de re militari ſcribat latos, aut auguſtos clauos à Tribunis fuiſſe additos ad ſagum, ſeu chlamydem, quoniam ſolis tunicis indebantur. Et ipſe Dominus Archiepiſcopus rectè aduertit à Flauio Vopiſco laudari non bilores, aut trilores chlamydes, ſed tunicas. Deindè chlamys eſt militare indumentum. Imperialis chlamys erat Principis Paludamentum, quo non vtebatur, niſi inbello, & caſtris. Proinde nequaquam conuenit Romano Pontifici. Quis vnquam Romanum Pontificem, quemuis Patriarcham, aut Metropolitam in libris legit, vel in Imaginibus vidit chlamydatum, aut paludatum? Inſtrumenti confictor neſciuit, quid eſſet antiqua Romanorum chlamys. Eruditiſſimum Archiepiſcopum dedecet inſiſtere talibus veſtigijs.

Sextus error eſt, quod Pelagius Primus ac Gregorius Magnus laudent externam pulchritudinem, & ſplendorem pallij dimiſſi vſque ad terram. Etenim Paludamentum non erat ſplendidum. Erat ex lana. Aurea Paludamenta erant mali commatis. Res barbara. Deinde, Paludamentum Principis, licèt militum ſagis, ac Tribunorum chlamydibus eſſet longiùs, paſſim tamen non extendebatur ad terram. Quidquid ſit, Dominus Archiepiſcopus peſſimè detorquet Pelagium Pontificem, ac Magnum Gregorium. Etenim ambo, vti & Simeon Theſſalonicenſis, & cuncti alij Scriptores, pallij magnificentiam, & ſplendorem non in materia, aut forma collocant, ſed in ſacris eius ſignificationibus. Magnus Gregorius in literis ad Ioannem Rauennæ Metropolitam ſcribit pallium eſſe [graue iugum, atque vinculum ceruicis noſtræ, quod non, pro ſæculari, ſed, pro eccleſiaſtica dignitate] ſit poſtulandum, atque geſtandum, & adiungit: Nihil in epiſcopali ceruice [ſplendidiùs fulget, quàm humilitas.] Palàm affirmat pallium fuiſſe non chlamydem, aut aliud talare veſtimentum, ſed ornatum ſolius ceruicis. Ornatum nullius ponderis. Et tamen addit eſſe graue iugum, atque vinculum. Hoc eſt, ſymbolum grauis iugi, atque vinculi. Eadem ratione eſt ornamentum non pro ſæculari, ſed pro eccleſiaſtica dignitate portandum. Quia nempè gloria eius eſt ab intùs. In ſacris ſignificationibus.

Septimus error eſt, quod Theodorus Balſamon per ſaccos, per tunicas fluuijs, ac triangulis ornatas,& per depictas multis crucibus penulas intelligat epiſcopale pallium. Etenim intelligit tria diuerſa Patriarcharum indumenta, ac ornamenta, diuerſiſſima à pallio. Intelligit ſaccum, Sticharion vndulatum, & Phenolion Polyſtaurion, id eſt, Caſulam ornatam multis crucibus. Saccum deſcribit in libro de Miſſa, & templo Simeon Theſſalonicenſis: [Sacrum Phenolion ſubliniorem, & ſupernè collatam Spiritus Sancti virtutem demonſtrat. In primis ſaccus, quo per ludibrium Saluator indutus eſt. Idcircò & ſacci formam habet. Nec enim in eo ſunt, quæ appellantur, manicæ. Manifeſtiùs hoc confirmat, quod eo veſtiuntur è Pontificibus ſelecti, & primi, ipſaque ſacci appellatio.] Per ſelectos, & primos Pontifices intelligit Patriarchas. Quod ipſis ſolis permitteretur illud ornamentum,disertè docet etiam Theodorus Balſamon in Reſponſis ad Quæſita Marci Patriarchæ Alexandrini. Attamen Georgius Phranzes ſcribit Lacedæmonis Metropolitam fuiſſe ipſo vſum. Idem de Monembaſienſi habemus apud Martinum Cruſium in Turco-Græcia. Videtur fuiſſe ſingulare quorumdam Metropolitarum priuilegium. Etenim ſaccus erat ornamentum, quo ſolemniter etiam Imperator ornabatur. Hinc in libro de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ officijs ſcribit Georgius Codinus: [Quando Imperator fert Stemma, aliud indumentum non geſtat præter ſaccum, & diadema.] Et infra:] Palmarum feſto nihil aliud fert, niſi ſtemma,& ſaccum.] Erat veſtimentum oblongum, & ſtrictum, ſimile ſacco. Omophorion ipſi ſuperimponebatur. Adeò ſaccus non

Quæſt. 37.
Lib. 3. c. 31.
Cap. 6.
Cap. 16.

non erat Omophorion. Eius formam Iacobus Goar nobis exhibet in imagine sancti Patriarchæ Germani.

Cap. 3. Sticharion exponit in libro de sacris ordinationibus Simeon Thessalonicensis, agens de Lectore ordinando in Subdiaconum: [Camision deponit, & Sticharion induit, Pontifice ipsum benedicente. Sed priùs ad Orientem versùs ter Deum adorat, auctorem, & subministratorem illuminationum, velut ad maiorem illuminationem, quæ Stichario significatur, accedens. Porphyream quidem vestem exuit, quæ passionis indicium est, vtpotè vibices adhuc sanguinolentas indicans; sed album Sticharion demonstrat puriores gloriæ Dei radios, amictumque perturbationis expertem.] Et in libro de templo, ac Missa: [Primùm Stichario induitur. Sticharion autem lucidum demonstrat Angelorum amictum.] Et varij Græcorum rituales libri habent de ordinando in Subdiaconum: [Ordinandus adducitur indutus Stichario, & cinctus.] Et sanctus Germanus in libro de sacris ritibus: [Primum Sticharion, cum album sit, Diuinitatis splendorem indicat, & Sacerdotis splendidam conuersationem.] Ipsum omninò laudat in Anastasiæ somnio sanctus Gregorius Nazianzenus: [Ministri in splendidis vestibus adstabant, imagines fulgoris Angelici.] Laudat Diaconos Stichario indutos, affirmatque ipsos fuisse imagines sanctorum Angelorum, apparentium in stolis candidis. Georgius Codinus in præfato libro scribit etiam Imperialis Palatij Archidiaconum gestasse consuetum Sticharion, & adiungit Sticharia per Quadragesimam fuisse purpurea, exceptis tamen Dominicæ Annuntiationis Festo, Palmarum Dominica, & Sabbato sancto. Erant purpurea in omnibus diebus ieiunij, ac in officijs defunctorum. Hinc Constantinus Cabasilas, Dyrrachij Episcopus, nouæ Epiri Metropolita, rogauit Demetrium Chomatenum Archiepiscopum Bulgariæ: [An consentaneum sit in purpureis Pontificum vestimentis poni, quemadmodùm, & in albis, in Stichario quidem flumina, in Phenolio autem cruces?] Et Demetrius respondit: [Consuetudo Ecclesiæ purpurea Pontificum vestimenta vult esse simpla, & sine prædictorum fluminum, & crucium adiectione.] Et adiungit causam: [Purpurea huiusmodi vestimenta sunt luctus insignia. In solis enim ieiunij diebus, & mortuorum memorijs assumuntur.] Græci in Diuinis officijs non habent nigrum, aut violaceum colorem: Eos supplet ruber, seu purpureus. Itaque Sticharion est idem, quod nobis alba. Est commune Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, ac Episcopis. Verùm ista tunica est nobis semper alba, Græcis autem aliquando purpurea. Et Theodorus Balsamon rectè dicit alba Episcoporum Sticharia habere singularia ornamenta: Nempe adsutos, seu intextos fluuios, ac triangulos. Vtique in diebus lætitiæ. Affirmat per ista significari [sanguinis & aquæ riuos, qui ex Diuino Latere distillarunt.] Etiam nostræ solemniores albæ habent sua ornamenta. Et vides, quid sibi velit sancti Athanasij vita, dicens ipsum fuisse amictum Stichario, & Byrrho. Item vides, quàm leuibus fundamentis Dominus Archiepiscopus nitatur, vt nobis persuadeat episcopale pallium olim fuisse splendidam, ac talarem vestem, donumque, ac beneficium Imperatorium.

Tertium, à Theodoro Balsamone laudatum, Patriarcharum ornamentum erat polystaurion, seu phenolion polystaurion. Græcorum phenolion est idem, quod nostra casula, seu Planeta, ideòque Balsamonis translator debebat non [Penulam, sed dicere, Casulam.] Porrò omnis Græcorum casula est ex lana. Hinc auctor Schismatici Tractatus, reperti in Constantinopolitano Patrum Prædicatorum Conuentu, Latinos vti de magno crimine arguit, quod habeant Casulas ex Serico. Presbyterorum Phenolion est simplex, at verò episcopale describit in libro de templo, ac Missa Simeon Thessalonicensis: [Pontifices Casulam crucibus plenam induentes, quæ, & Multicrucium vocâri solet, clarè docent, quoniam Passionis Domini signum est, se illum imitari, qui per Passionem, & Crucem consummauit veram iustitiam.] Theodorus Balsamon in Meditatione de Patriarcharum Priuilegijs disertè docet istud ornamentum competere solis Patriarchis: [Nec enim alij episcopi Saccos, vel Casulas multis insignitas crucibus induunt, nec Tunicas frequenti litera Gamma, triangulisque depictas.] At verò Simeon Thessalonicensis in præfato libro, ac in præfato Rescripto Demetrius Chomatenus affirmant esse commune omnibus episcopis. Quod ipsum demonstrant antiquæ Græcorum Episcoporum picturæ. Nempe Polystaurion singulari iure quadrat Patriarchis. Quidquid sit, denuò lucet labi Dominum Archiepiscopum, dum Episcopale Polystaurion credit esse, aut fuisse episcopale Pallium.

Et certè Theodorus Balsamon in ista Meditatione Omophorion disertè distinguit à Polystaurio, Stichario, Sacco, omnique alio Patriarchali ac Episcopali Ornamento: [Sanctorum Patriarcharum Epimanicia celebrant Domini manicas, quæ volens substinuit ob salutem nostram, dum instar Verberonis ad Caipham duceretur. Collaria, lorum istud, quod vitam ad mortem traxit. Tunicæ flumina habentes, sanguinis, & aquæ riuos, qui ex Diuino Latere distillarunt.] Hęc sunt alba Sticharia. [Genualia sunt documentum illius lintei, quo Dominus Apostolorum pedes tersit. Sacci, Pallium illud contumeliæ, atque opprobrij. Super humeralia, seu Omophoria, Primiciui transitum ab inferis ad cœlos. Insignitæ multis crucibus Casulæ, seu Polystauria Phenolia, venerandæ Crucis vniuersalem gloriam, atque potestatem. Quæ sunt in his triangula, lapidem illum angularem, Christum Deum nostrum, qui disiuncta coniunxit.] Palàm distinguit Omophorion ab omnibus alijs. Et affirmat per episcopale Collare significari lorum, quo Christus Dominus fuit tractus à Iudęis. Istud ipsum Collare existimo esse lorum illud, quod laudat Constantini donatio.

Octauus Domini Archiepiscopi error est, quod Latinorum Pallium dicat esse idem præsertim cum Sacco Græcorum. Deo laus, quod tandem recedat à Polystaurio, & Stichario. Attamen non minùs errat circa Sac-

cum. Fateor hunc semper fuisse album. Item vsui non fuisse, nisi in tribus Domini festiuitatibus. Etenim ad Constantinum Cabasilam disertè rescripsit Demetrius Chomatenus: Ecclesiæ consuetudo Saccum purpureum nequaquam nouit. Quandoquidem Saccus in tribus tantummodò anni Dominicis festis suum vsum præbet. Nimirùm Magno Paschate Domini, Pentecoste, & Natali Christi. Hoc igitur satis plenam fidem facit necesse non esse, vt Saccus sit purpureus. [Nempè pupureus color apud Græcos est tristitiæ, & luctus, ideòque non conuenit istis festiuitatibus. At verò non solùm Græci, sed etiam Latini Episcopi longè frequentiùs otnantur pallio. Et Sacci formam esse à Pallio diuersissimam, est supra demonstratum. Ex quibus omnibus lucet Dominum Archiepiscopum miserabiliter labi.

Nihilominùs pergit: [Sed præter illam Ecclesiæ Romanæ confessionem, quæ octingentis abhinc annis agnouit Pallium, quo Romani Pontifices vtuntur, Imperatorium esse beneficium, suppetunt etiam grauissima huius rei argumenta, quibus contradici non posse existimo.] Quis æquis auribus sustineat tantam Romanæ Ecclesię contumeliam? Est abundè reuicta. Porrò aliud irrefragabile Domini Archiepiscopi argumentum est auctoritas Liberati Diaconi, de Anthimo Patriarcha Constantinopolitanó, per Agapetum Pontificem degradato, in Breuiario scribentis: [Anthimus videns se Sede pulsum, Pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & discessit, quò eum Augusta suo patrocinio tueretur.] Dominus Archiepiscopus commentarur: [Nihil dici potuit apertiùs. Reddere enim ad eum refertur, à quo res quępiam accepta est. Sed ne quis huius argumenti vim eludere se posse putet eo prætextu, quod cum Anthimus Iustiniani, & Theodoræ suffragatione ad hanc Sedem promotus esset, Pallium ob hoc eis reddere voluerit, addam, & argumentum aliud, ex eadem antiquitate petitum.]

Respondeo longè aliter fuisse processum in degradatione Pauli Patriarchę Alexandrini, de qua idem Liberatus: [Imperator Iustinianus misit Pelagium Diaconum, & Apocrisarium primæ Sedis Romanæ, Antiochiam cum Sacris suis, quibus præcepit, vt cum Efremio eiusdem vrbis episcopo, & Petro. Hierosolymitæ, & Hypario Ephesino, venirent Gazam, & Paulo Episcopo Pallium auferrent, eumque deponerent. Pelagius ergo profectus Antiochiam, & inde Hierosolymam, cum memoraris Patriarchis, & aliquant is episcopis venit Gazam. Et auferentes Paulo Pallium deposuerunt eum. Et Ordinauerunt pro eo Zoilum.] Et de sancto Germano Patriarcha Constantinopolitano, per Imperatorem Leonem Isaurum deiecto, scribit Georgius Cedrenus: [Germanum Leo Patriarchæ solio deiecit. Et is SuperHumerale in sacra Mensa magni Templi deponens, resignauit munus suum, atque discessit.] Proinde Anthimi facinus fuit profana hæretici hominis audacia, cuius aliud non exstat exemplum. Et reuerà ille episcopatum à Theodora Augusta per intrusionem acceperat: Hinc eadem, qua intrauerat, porta exiuit.

Audiamus, & aliud Domini Archiepiscopi ex Ecclesiastica antiquitate petitum argumentum: [Episcopus Arelatensis noua quadam, & peculiari dignitatis prerogatiua euectus erat beneficio Zozimi summi Pontificis. Eam deinde auxit, & Symmachus Sedis Apostolicæ Vicariatu per Gallias, & Hispanias. Auxanius ad hanc Cathedram euectus præter Papę Vigilij Vicariatum Pallio etiam insigniri cupijt. Quod Pontifex distulit, donec ab Imperatore Iustiniano probatum foret. Huius autem dilationis hanc reddit causam:] Vt, & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulatis, cum consensu Christianissimi Principis deferuntur, & nos honorem fidei eius seruasse cum competenti reuerentia iudicemur. [Id est, fidem seruasse Imperarori cum debita reuerentia. Et biennio post, cum episcopo illi morem gessisset secundùm desiderium Childeberti Regis, eum hortatur, vt preces ad Deum fundat pro Iustiniano, & Theodora, qui annitente Belisario consenserant, vt Auxanio Vicariatus ille tribueretur, vtque Pallium ad eum mitteretur:] Qui pro his Charitati vestræ mandandis præbuere consensum, [inquit Vigilius Papa in epistola ad Auxanium.] Auxanio verò defuncto, Successorem eius Aurelianum eodem honore prosecutus est Vigilius, vt Regis Childeberti votis obsequeretur, Sed Epistola ad Aurelianum scripta iussit, vt Belisario gratias ageret, qui, & laborem, & sumptus itineris, quod Aureliani Tabellarius ad Iustinianum instituerat, sua cura absuleetat, & consensum Principis obtinuerat pro hoc beneficio. Gregorius tamen primus, & Vicariatum, & Pallij vsum continuauit Virgilio Arelatensi Episcopo, non exspectato consensu Imperatoris. Orientis, sufficere ratus consensum Childeberti Regis Franciæ, quod vsu iam receptum esset, vt Pallium tribueretur Episcopis Arelatensibus. At sequenti anno, dum Regina Brunichildes optasset, vt Syagius Augustodunensis Episcopus Pallio honestaretur, non refragatus est Pontifex, sed tamen non ante concessit, quàm consultus Imperator per Gregorij Diaconum, in Constantinopolitana vrbe commorantem, respondit sibi placere, vt ita fiat.] Syagio, inquit, Pallium dirigere secundùm postulationem vestram volumus. Propter quod, & Serenissimi Domini Imperatoris, quantum nobis Diaconus noster, qui apud eum Responsa Ecclesiæ faciebat, innotuit, prona voluntas est, & concedi hoc omninò desiderat. [Hìc nunc interrogo, quæ tandem ratio excogitari possit, qua ostendatur necessitas consensus Imperatoris, vt Syagio Pallium absque Vicariatu concedi posset, & Auxanio, Aurelianoque cum Vicariatu coniunctum? Sanè nullam aliam reperiri posse arbitror, quàm ius illud, quod sibi Imperatores retinuerant in concessione horum indumentorum, quæ cum Imperialia essent, & summo Pontifici, cæterisque Patriarchis concessa ab Imperatoribus, vulgari non poterant absque eorum consensu. Multò minùs absque eorum consensu tribui poterant Gallicanis Episcopis, qui cum Regis Francorum Imperio subiecti essent, auctoritatem Imperatoris non agnoscebant. Indumen-

dumenta quidem Imperialia cum Rege Lazorum communicata sunt, sed à Iustiniano, vt scribit Procopius. Par igitur erat, vt summus Pontifex Imperatorum consensu non destitueretur, cum Episcopis Gallicanis honorem illum recenter tribuebat. Cæterum necessitas illa consensus Imperatoris, ex dignitate Pallij petita, honorificentior haud dubiè est pro Sede Apostolica, quàm si quis eam arcessat ab insita quibusdam opinione, non licere videlicet summo Pontifici gratificari cuiquàm episcopo absque consensu Imperatoris.]

Oportet etiam Dominum Archiepiscopum quædam interrogari. Primò, vbinam sint authenticæ tabulæ, quibus Romani Imperatores Romanis Pontificibus, ac alijs Patriarchis concesserunt indumenta Imperialia? Quis istarum tabularum meminit? Quis refert aliquod ipsarum fragmentum? Dum simile quid videro, credam emanasse. Et sanè famosum Constantinianæ donationis instrumentum ista ornamenta donat non Patriarchis, sed solis Romanorum Pontificibus. Hinc Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, antequam purpureos Compagos præsumeret, scelerate edixit Papalia priuilegia simul cum Imperialibus demigrasse ex antiqua Roma in nouam. Deinde, quis vnquam Romanus Pontifex, aut quis Patriarcha fuit visus indui ornamentis Imperialibus? Ego nullum scio, nisi vnicum Bonifacium octauum, qui primo sui Iubilei die in Papali, secundo die se in Imperiali ornatu ostendit populo. Ita scribit Supplementum Conradi Abbatis Vspergensis. At ista ostensio, quia præsertim inuasit Galliæ Regnum, apud Gallos est modicæ auctoritatis.

Secundò Dominus Archiepiscopus est interrogandus, si Iustiniani, ac Mauricij Imperatorum tempore Gallicani Episcopi non agnouerint Imperatoris potestatem, cur sine ipsius gratioso consensu non potuerunt obtinere Pallium? Quid opus consensu illius, cui nulla est in nos potestas? Certè Pelagius primus ad Childebertum Francorum Regem scripsit de Iustiniano: [Pater uester Clementissimus Imperator?] Quis Pater sine authoritate in Filium? Et ad Imperatorem Leonem Isaurum, lapsum in Iconoclasticam hæresim, scripsit Gregorius secundus: [Testis est Deus, quascumque misisti ad nos epistolas, auribus, cordibusque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum tibi, ac beneuolentiam conciliantes, teque commendantes, & mirificè efferentes, quomodò, & antea conuersantem intuebamur. Idcircò etiam Laureata tua receperunt, vt Reges à Regibus honore affici conuenit. Idque cùm nondum inceptum hoc, conatumque tuum, quo aduersùm imagines insurrexisti, audiuissent. Cum verò didicerunt, tunc proiecta tua Laureata conculcarunt, & faciem tuam conciderunt.] Quid sit Laureata recipere, exponit præfatio ad vndecimum librum epistolarum sancti Gregorij: [Coronatus est Phocas, & Leontia Augusta, Septimi in Palatio. Venit autem Icona suprascriptorum Phocæ, & Leontiæ Augustorum Romam. Et acclamatum est eis in Lateranis, in Basilica Iulij, ab omni Clero, vel Senatu:] Exaudi Christe. Phocæ Augusto, & Leontiæ Augustæ vita. [Tunc iussit ipsam Iconam Dominus Beatissimus, & Apostolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio sancti Cęsarij Martyris intra palatium.] Quare Laureatorum receptio erat manifesta professio obedientiæ. Et hinc inter palmaria crimina, de quibus Patriarcham suum Dioscorum apud Synodum Chalcedonensem accusarunt quidam Alexandrini, fuit reiectio Laureatorum. Quapropter omnes Occidentales Reges dudùm retinuerunt, & agnouerunt aliquid obedientiæ erga Romanum Imperium. Et iure merito. Etenim aliquam eius partem inuaserant ac detinebant.

Epist. 3. (left margin, beside "scripsit de Iustiniano")

Quod præsertim verum est de Regno Burgundiæ. Hinc enim in literis ad Constantinopolitanum Episcopum sanctus Auitus Archiepiscopus Viennensis Regem suum Sigismundum appellat Patricium, eius Filium. Epist. 7. Epist. 42. [Et in Epigraphe epistolæ ad Vitalianum Senatorem appellat ipsum] Comitem. [Nempè Anastasius Imperator ipsum creauerat Patricium, & Comitem. Et in hac epistola ipse Sigismundus Anastasium appellat] Clementissimum communem Dominum. [Et adiungit:] Insinuate attentiùs obedientiæ famulatum, quem nunc in obsequio, semper habemus in voto. [Et iterùm:] Quoscumque honorum priuilegijs erigitis, Romanos putare debetis. [Proindè Patricius, & Comes non poterat non esse Romanus. Et in alia Epist. 69. epistola scribit:] Dulce est, si hi quos militiæ fascibus, & peculiaris gratiæ pietate sustollitis, quo in extremis terrarum partibus aulæ pollentis contubernio, & veneranda Romani nominis participatione ditatis, specialiter gandia vestræ Perennitatis agnoscant, quæ generaliter cunctis fama concelebrat. Ornat quippè Imperij vestri amplitudinem longinquitas Subditorum, & diffusionem Reipublicę vestræ asserit, quod remotiùs possidemur. [Sub hoc onere Clodouæus acquisiuit Burgundiam, & Childebertus posedit. Hinc de anno 317. ipso scribit Abbas Regino:] Mauritius Imperator Childeberto Regi Francorum quinquaginta millia Solidorum per suos Legatos direxit, petens vt Longobardos de Italia exterminaret. Qui cum Francis Italiam intrat. Longobardi ei munera tribuunt, & pacem cum eo faciunt. Imperator Solidos requirit, sed ille virium suarum potentia fretus pro hac re nec Responsum reddidit. [Et statim infra:] Mauritius Imperator Legationem ad Childebertum Regem dirigit, ei mandans, vt quod priùs non fecerat, nunc adimpleret. Vt Longobardos ab Italia remoueret. Qui exercitum in Italiam direxit, & commissa pugna cum Longobardis Francorum acies grauiter attritæ sunt. [At verò Arelata, & Augustodunum erant in Regno Burgundiæ. Hinc igitur Romani Pontifices sine Augusti Principis licentia non poterant isthic creare Apostolicos Vicarios, nec elargiri Pallia, nec alios impartiri sacros honores. Augustus Princeps volebat esse securus de persona.

Ex eodem principio Hormisdas Pontifex, dum sancto Remigio per Clodouei Regnum commisit vices suas, non agnouit Imperatorem: Quod nempè nec Clodoueus ipsum agnosceret. Præsertim post occisum Syagrium Romanorum Patritium. Eò modo in

in Angliam transmisit sancto etiam Augustino Archiepiscopo Cantuariensi, promittens similiter transmittere futuro Eboracensi. Quod nempè Romani, dum ex Britannia suam extraxere militiam, renunciassent omni in ipsam iuri, ac plenæ libertati reddidissent. Eadem de causa laudatus Gregorius eumdem ornatum sine illa licentia transmisit sancto Leandro Archiepiscopo Hispalensi. Lucet ex eius literis ad Recharedum Regem Hispaniæ: [Reuerendissimo fratri, & Coepiscopo nostro Leandro Pallium à beati Petri Apostoli Sede transmisimus, quod & antiquæ consuetudini, & nostris moribus, & eius bonitati, atque grauitati debebamus. Item Anagnostico ante longum tempus, dulcissima mihi vestra excellentia, Neapolitano quodam iuuene veniente, mandare curauerat, vt Pijssimo Imperatori scriberem, quatenùs pacta in Chartophylacio requireret, quæ dudum inter piæ memoriæ Principem Iustinianum, & iura Regni vestri fuerant emissa, vt ex his colligeret, quid vobis seruare debuisset. Sed ad hoc faciendum duæ res mihi vehementer obstiterunt. Vna, quia Chartophylacion prædicti piæ memoriæ Iustiniani Principis tempore, ita surripiēte subitò flamma incensum est, vt omninò ex eius temporibus pęnè nulla charta remaneret. Alia autem, quia quod nulli dicendum est, ea, quæ contra te sunt, apud temetipsum debes documenta requirere, atque hæc pro me in medium proferre.] Docet plura. Primò, quod Romani Imperatores Hispaniam à Gothis constanter repetierint. Secundò, quod ad euitanda bella, & ad vnicuique seruanda sua iura tandem Imperator Iustinianus cum Gothorum Regibus inierit pacta pacificatoria. Tertiò, quod istorum pactorum quidam Gothis, quidam articuli fauerint Romanis. Quartò, quod horum Romanis fauentium articulorum palmaris fuerit, vt Gothi supra se agnoscerent Romanum Imperium. Hinc Iustinianus se inscripsit Imperatorem etiam Gothicum. Quintò Gregorius docet, quod inter Mauricium Imperatorem, & Recharedum Regem circa ista parcta fuerint quæstiones: Quod Mauricius quædam postularit, quæ Recharedus volebat non debere. Sextò, quod Recharedus hac de causa rogauerit Gregorium, vt ipsum originale instrumentum dignaretur flagitare à Mauritio. Septimò, quod Gregorius iudicauerit istud non expedire. Nempè quod exustum esse Imperiale Chartophylacion, ideòque forsan, & istud instrumentum, atque ita Recharedus iam esset in sua primæua libertate. Etenim Gregorius ex causis diligebat pijssimum Recharedum. Quam pietatem Hispaniarum Reges, ideòque & affectum Romani Pontifices huc vsque continuarunt. Ex ista igitur, quæ forsan, & in pactis fuerat expressa, libertate Gregorius sancto Leandro, inconsulto Mauritio, transmisit Pallium. Sua etiam pacta Burgundionum Reges inierant cum Imperio: Propter ipsa Romani Pontifices ad istorum episcopos sine illius venia non potuerunt istum ornatum transmittere. Nec suas vices delegare. Hæc est vera, & authentica ratio. Istud autem Imperiale pallium, cuius apud antiquos scriptores, aut pictores nulla est penitùs memoria, & merum phantasma, ac nugamentum.

Lib. 7. indict. 2. Epist. 127.

Nihilominùs Dominus Archiepiscopus pergit: [Exstat in hanc sententiam locus singularis apud sanctum Gregorium, qui Imperatorem rogat, aut Athanasius Patriarcha Antiochenus, qui Sede sua pulsus erat, apud Sedem Apostolicam commorari posset, ac dignitatem suam retinere,] concesso vsu Pallij. [Cur autem beneficium hoc ab Imperatore postulet Gregorius, nulla alia ratio esse potest, quàm quod Patriarcha ille Pallium ab Imperatoris munificentia habebat.] Respondeo esse incongruam, & falsam rationem. Etenim quis vnquam Patriarcha, aut Metropolita fuit per Imperatorem inuestitus Episcopali Pallio? Aliquando Græcorum Imperatores, vti & Latinorum Reges, inuestiuerunt per pedum; nunquam per pallium. Huius Inuestituræ nullum est exemplum, nisi forsan prophaniConstantini Patriarchę Constantinopolitani, quem facinorosus ImperatorConstantinus Caballinus in Ecclesiæ Ambonem duxit, & isthìc coram omni Populo vestiuit in Patriarcham. Imposuisse ipsi possit etiam Omophorion. Audiamus verba Gregorij in literis ad Sebastianum Episcopum Rhizinienſem: [Indico suggestionem me apud pijssimos Dominos summis precibus plenam fecisse, vt virum beatissimum Dominum Anastasium Patriarcham, concesso vsu pallij, ad beati Petri Apostolorum Principis limina, mecum celebraturum missarum solemnia, transmittere debuissent, quatenùs si ei ad suam Sedem reuerti minimè liceret, saltem mecum in honore suo viueret. Sed quæ causa contigerit, vt eadem scripta retinerem. Præsentium Lator vobis innotescet. Eiusdem tamen Domini Anastasij animum cognoscite: & quidquid ei de hac re placuerit, vestris mihi epistolis indicare.] Gregorius rem tentare noluit sine Athanasij beneplacito. Ne forsan Vrbica habitatio ipsi non placeret. Lib. 1. Ep. 27

Rem illustrat in Magni Gregorij vita Ioannes Diaconus: [Ab aduersis potestatibus prægrauatos fortissimus Miles Christi Gregorius viriliter defendebat, iniustèque deiectos non solùm inter depositos non habebat, verùm etiam pristinis gradibus authoritatis suæ priuilegio reformabat, Nam Anastasium Antiochenum Patriarcham, qui Ioannem Constantinopolitanum præsulem voce libera reprehendens, Imperatoris Iustiniani iussu detrusus in exilium, ab ipsis Ioannis Papæ temporibus, vsque ad sui Pontificatus tempora permanebat, mox vt summum Sacerdotium meruit, cum inter Patriarchas reputans, talibus scriptis animauit:] Præterea sicut Patriarchis alijs, Paribus vestris, synodicam vobis epistolam direxi. Quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse.] Item eidem in alia epistola post nonnulla scribens: [Fraternitati tuæ indico, quia à Serenissimis Dominis, quantis valui precibus, postulaui, vt vos, honore restituto, ad sancti Petri Apostolorum principis limina venire, & quousque ita Deo placuerit, hic mecum viuere concedant, quatenùs dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium, Lib. 4. c. 15.

dium, de æterna patria inuicem loquendo, releuemus. [Denique studiosissimus Pater Gregorius tamdiu penès Mauricium Imperatorem suggestionibus suis imminuit, donec post multorum annorum curricula Magnus Anastasius proprio Throno redderetur.] Anastasij causam exponit Euagrius Epiphaniensis: [Iustinus Imperator Anastasium Antiochena Sede exturbauit, his illi obiectis criminibus. Primum, quod sacrum Thesaurum extra modum, & in nullum necessarium vsum profunderet. Deindè, quod conuitia in ipsum iecerat. Anastasium enim, cum rogaretur, quid causæ esset, cur sacrum Thesaurum tam effusè consumpsisset, respondisse ferunt:] Ne à Iustino, communi Orbis pernicie, diriperetur. [Quin etiam dicitur Iustinus Anastasio succensuisse, quod postulanti ei pecuniam, cum episcopus esset designatus, Anastasius dare noluit. Haud dubiè primum crimen fuit calumnia. Nam Magnus Gregorius semper Anastasium, nunquam ipsi superordinatum Gregorium agnouit pro Patriarcha. Interim Anastasium, quod Mauricij Augusti antecessorem, & vxoris causa suum offendisset, Gregorius sine istius beneplacito non poterat reponere in Thronum. Hinc priùs honori reddere studuit, deindè Throno. Rogauit Mauricium, vt ipsum in Patriarchali dignitate permitteret secum morari. Hæc verba, [Concesso vsu pallij,] sunt eadem cum his: [Restituto honore.] Quia nempè pallium est episcopalis honoris vltimum complementum. Quapropter non solius pallij, sed totius episcopalis dignitatis vsum permitti Anastasio postulauit Gregorius. Postulauit à principe, non quod essent eius beneficia, sed quod ob ipsum offensum, licèt iniustè, eiectus episcopus sine recepta eius gratia non posset reduci. In varijs exemplis istud ipsum vidit etiam Gallia.

Lib.5. C.5.

Dominus Archiepiscopus tandem concludit: [Hieronymus Rubeus in historia Rauennatum edidit rescriptum quoddam sub nomine Imperatoris Theodosij, quo princeps ille plurimas ciuitates subiecit Metropoli Rauennatensi, pallijque vsum episcopo eius concedit. Verùm rescriptum illud omninò suppositium est, & egregiè refutatum ab Illustrissimo Cardinale Baronio, ipsa latini sermonis spurcitie omnem eius authoritatem eleuante apud eruditos. In eo tamen cogor à Baronio dissentiri, quod enixè contendat pallium episcopo tribui non posse ab Imperatore, eo quod sit indumentum ecclesiasticum. Nam præterea suspicor pallium ætate Theodosij non fuisse in vsu apud ecclesiam. Neque mihi admodùm placet, quod scribit Anastasius, Marcum Papam Episcopo Ostiensi concessisse, vt pallio vti posset in consecratione Summi Pontificis.]

Respondeo Dominum Cardinalem Baronium rectissimè contendere pallium, quoniam est ecclesiasticum vestimentum, tribui non posse ab Imperatore. Eadem enim de causa Romani Pontifices, & omnis latina ecclesia, & Imperatorem, & omnes Reges exclusit ab Antistitum Inuestitura per porrectionem episcopalis pedi. Romani Pontifices pro ista ecclesiæ libertate quantas, & quales sustinuerunt calamitates, & persecutiones? Et existimo, quod istud fictitium diploma solummodò confirmet factam à Romanis Pontificibus gratiam. Verba non cogunt ad aliud. Nec prodijt sub Theodosij, sed sub nomine Valentiniani Tertij. Porrò adducta Domini Archiepiscopi suspicio est non solummodò temeraria, sed palàm falsa. Quod enim pallium sit Apostolicum institutum, confido esse demonstratum. Et sanctus Isidorus Pelusiotes, qui sub Theodosij Imperio floruit, hodiernũ pallium laudat vti rem antiquam. Quod Ostiensis Episcopus gaudeat antiquissimo iure consecrandi Romanũ Pontificem, supra audiuimus à sancto Augustino. An istam ob causam acceperit pallij gratiam à sancto Papa Marco, fateor non esse certissimum. Vnus enim id testatur author libri Pontificalis. Existimo tamen ipsum non scripsisse sine fundamentis.

Quæstio est, & multorum admiratio, quare Dominus Archiepiscopus has inconditas contra episcopale pallium fabulas sparserit per ecclesiam? Respondeo causam ab ipso edici: [Post explicatam priorem Glossæ,] quæ docet plures esse Archiepiscopos, qui à Summo Pontifice non consecrantur, sed solummodò pallium accipiunt, [obseruationem superest, vt ad secundam veniamus. Cum itaque ibi scriptum sit nonnullos esse Metropolitanos, qui non confirmantur à Papa, sed tamen ab eo pallium accipiunt, obseruationes, & ipse meas circa hanc materiam proponam, quæ magni est momenti, & argumenta, quæ indè peti possunt. Optabant sanè olim Summi Pontifices, vt omnes Metropolitani, qui ad eorum patriarchatum pertinebant, aliquod confirmationis genus à Sede Apostolica acciperent. Verùm, quia vbique receptum erat consecrationes fieri posse extra Italiam, absque eorum consensu, vim ei legi palàm adferre noluerunt, sed Metropolitanos rei cuiusdam nouę miraculo velut obstupefecerunt, quæ in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit: Et synodorum prouincialium authoritatem pessumdedit. De pallij vsu loquor, cuius origo cum sit satis vetusta, effectus tamen eius, & cætera quæ nunc vsurpantur, antiquitati prorsùs ignota fuere. Quippè Galliarum Metropolitani statim post ordinationem suam excercebant functiones sui muneris, iuxta canones antiquos. At ius nouum eos prohibet quidquam Pontificalijs officij attingere, donec à Sede Apostolica missum ad eos fuerit pallium, de Corpore beati Petri sumptum.] Dominus Archiepiscopus, vti Romanas appellationes, ita etiam odit Romanas Episcoporum confirmationes, ideòque & episcopale pallium, Symbolum istius confirmationis. Romanum Pontificem studet facere solo honore, & loco primum inter episcopos, exutum omni potestate. Romanas appellationes esse quoddam, & quidem diminutum, Imperialis delegationis; Episcopale pallium vult Imperialis indumenti esse imitamentum, ac beneficium. Et appellationes, & confirmationes vult Pontifici esse non à Christo Domino, sed à laicis principibus. Ita Romanus primatus deijcitur in terram, & intra Almæ Vrbis pomeria circumscribitur.

Addu-

Adductis suis verbis Dominus Archiepiscopus plures iterùm errores inserit. Primus est, quod Romani Pontifices semper optauerint, vt omnes suarum Diœceson Metropolitæ aliquod confirmationis genus ab Apostolica Sede acciperent. Etenim non optarunt, sed sibi per Nicænos atque Apostolicos Canones, immò per Euangelicum Christi Domini beneficium sciuerunt istud ius competere, atque ita opportunis modis, vbi & quando ipsis placuit, miserunt in executionem. Secundus error est, quod episcoporum vbique extra Italiam consecrationes fierent sine ipsorum consensu. Etenim quantumuis sine ipsorum præuia confirmatione fierent, non tamen sine consensu. Fiebant per ipsorum Indultum, gratiosè datum ob locorum distantiam. Tertius error est, quod ista episcopalium consecrationum forma fuerit lex. Erat enim precarium gratiosi Indulti beneficium. Quartus error est, quod Romani Pontifices, dum isti legi nolunt apertam vim facere, Metropolitas nouæ rei miraculo obstupefecerint: Nempe vsu Pallij. Quod eius origo sit quidem antiqua, sed eius effectus antiquitas ignorauerit. Nempe effectum, qui Metropolitas ante acceptum Roma Pallium vetat aliquid Pontificalis officij attingere. Est manifestus error. Etenim Liberatus Carthaginensium Archidiaconus disertè scribit Alexandriæ antiquam esse consuetudinem, vt Patriarcha non nisi post acceptum Pallium legitimè sedeat. Ea est Pallij natura per Apostolicos Canones. Hinc omnis Patriarcha, ac Metropolita per Pallij ablationem degradatur, ideòque deinceps non potest sedere. Quintus error est, quod etiam Romana Pallij transmissio sit noua. Etenim magnus Gregorius frequenter scribit ipsam esse vetustam consuetudinem. Sextus error est, quod ista transmissio sit cuniculus, per quem Romana Ecclesia infregit antiquam Metropolitarum libertatem. Nempe libertatem, qua quandoque nec ante, nec post consecrationem supplicarunt Apostolicam suæ dignitatis confirmationem. Etenim ista libertas, precarium Apostolicæ Sedis beneficium, erat patens porta ad lacerandam Catholicæ ecclesiæ, & Romani præsertim Patriarchatus vnitatem, ideòque meritò fuit ablata. Septimus error est, quod ista transmissio etiam Prouincialium Synodorum vetustam authoritatem pessumdederit. Nempè authoritatem supremam, ac inappellabilem. Hunc errorem reuici in superioribus. Alios, quod præsentem materiam directè non tangant, iudicaui solummodò indicandos. Et sanè ipsos indicasse est expugnasse. Nihilominùs dum Domini Archiepiscopi Symmystis placuerit amplè conuinci ex fundamentis, confido fore, vt Diuina non desit gratia.

CAPVT IX.

An Romani Pontifices Metropolitis, ac alijs Episcopis olim transmiserint Pallia?

RESpondeo transmisisse. Etenim magnus Gregorius transmisit Constantino Mediolanensi Episcopo, Metropolitano Italiæ. Et addidit: Vtendum ex more transmisimus. Voces, Ex more tegunt & participium Vtendum, & verbum, Transmisimus. Ei transmisit, dum confirmauit ipsius episcopatum. Etiam transmisit Ioanni episcopo primæ Iustinianæ, Metropolitano Dardaniæ. Et addidit: Ex more transmisimus. Et ad Virgilium Arelatensem in Gallia Archiepiscopum rescripsit: Iuxta antiquum morem, vsum Pallij, ac vices Sedis Apostolicæ postulasti. Et iterum: Cùm priscam consuetudinem Sedis Apostolicæ Fraternitas vestra repetit, quid aliud quàm bona soboles ad sinum Matris ecclesiæ recurrit? Et ad Childebertum Regem, qui pro Virgilio intercesserat, rescripsit: Virgilio Pallij vsum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus: Et Pallium & Apostolicas vices dedit, dum confirmauit eius episcopatum. In episcopali etiam confirmatione iuxta antiquam consuetudinem transmisit Mariniano Archiepiscopo Rauennati. Et ad Ioannem Corinthi episcopum, Helladis Metropolitam, rescripsit: Pallium direximus, quo ita vos vti necesse est, sicut Prædecessores vestri vsi, concedentibus nostris Prædecessoribus, approbantur. Eodem modo confirmauit episcopatum Andreæ Nicopolitani episcopi, Metropolitæ veteris Epiri, rescribens ad eius Suffraganeos: Andreæ Fratri & Coepiscopo nostro Pallium nos direxisse cognoscite, atque Priuilegia cuncta, quæ Prædecessores nostri eius Prædecessoribus contulere. Etiam Maximo Salonitano episcopo, Dalmatarum Metropolitæ, dum tandem ex singulari gratia confirmauit eius vitiosum episcopatum, transmisit Pallium. Eodem iure contulit Aquileiensi, Dyrrachiensi, Philippensi, Thessalonicensi, Cretensi, Calaritano, & alijs. Etenim assentiri non possum Petro Francisco Chiffletio, qui in opusculo de Scriptis Virgilij Africani episcopi affirmat S. Ambrosij tempore Aquileiam non fuisse ecclesiasticam Metropolim, sed Sedi Mediolanensi Suffraganeam Parochiam. Sanctus Gregorius etiam ad sanctum Leandrum Hispalensem episcopum, Bæticæ Prouinciæ Metropolitam scripsit: Ex benedictione B. Petri Apostolorum Principis, Pallium vobis transmisimus. Transmisit non in episcopatus confirmatione, sed in delegatione vicis Apostolicæ. Et in literis ad Recharedum Regem addidit causam: Fratri nostro Leandro Pallium transmisimus, quod & antiquæ consuetudini, & nostris moribus, & eius bonitati, atque grauitati debemus. Affirmat istam transmissionem esse antiquam Hispaniæ consuetudinem, antiquos mores Romanæ Ecclesiæ. Ex quo non temerè colligitur iste mos, ante hæresis per Gothos ingressum, sub Romano Imperio apud Hispanos viguisse. Apud eumdem Gregorium etiam exstat

Lib. 3. ep. 1.

Lib. 2. Indic. 7. ep. 8.

Lib. 4. Epist. 50.

Epist. 55.

Lib. 5. ep. 7.

Lib. 7. Indict. 11. Epist. 126. Epist. 127.

exstat generalis formula transmittendi Pallij, & in ipsa habetur: Omni conuenire nouimus rationi, vt eos amictu Pallij decoremus, quos in illis ciuitatibus Sacerdotij honor illuminat, in quibus hoc etiam illis, qui præteritis temporibus Pontifices fieri meruerunt, ab Apostolica Sede constat esse indultum. Ideoque Charitati tuæ vsum Pallij, sicut Decessores tui habuisse noscuntur, præsenti authoritate concedimus. Quæ formula non est opus Gregorij. Est enim data imperante Domino Iustino, sub quo Gregorius necdum erat Cardinalis. Et forsan est Iustinus primus. Quidquid sit, formula sub Iustino non est composita, sed iuxta authenticum & antiquum exemplar data. Eiusdem transmissionis antiquitatem demonstrat Synodale Gregorij Constitutum: Antiquam Patrum regulam sequens, nihil vnquam de Ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione Pallij. Hæ enim sordes non solent, nisi pedetentim, in auitos mores irrepere. Quod etiam Pelagius, Vigilius, Symmachus, aliique Pontifices Pallia dederint, mox ostendetur.

Quin immò Gregorius non solis Metropolitis, sed etiam quibusdam Prouincialibus episcopis transmisit Pallium. Etenim Dono, nouello Messanensium, apud Siculos
Lib. 5. Ep 8. episcopo, scripsit: [Pallij vsum præuidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque ordine, quibus Decessorem quoque tuum esse vsum non ambigimus.] Non dicit, Decessores, sed Decessorem: Quare hic videtur in ista Ecclesia primus habuisse Pallium. Eisdem verbis Pallium transmisit Ioanni Syracusano episcopo. Aliter scripsit ad Ioannem Panormitanum episcopum: [Pallij vsum ordine,
Epist. 18. l. 11. ep. 44. præuidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo vt alios quoque in Insula Siciliæ Sacerdotes, vel Decessores tuos esse vsos non ambigis.] Dico fuisse Prouinciales episcopos. Etenim quidquid aliqui dicant, Sicilia vsque ad Leonis Isauri Imperium nullos habuit Metropolitas: Omnes eius episcopi, erant Suffraganei Romanæ Metropolios. Et ex his patet Gregorium non fuisse primum istius transmissionis auctorem. Etenim, & in Galliam rescripsit ad Desiderium episcopum: [Fraternitatis vestræ desiderium Ioannis Regionarij relatione cognouimus. Quod quidem libenter parati sumus implere, si diligenter fuerimus de his, quæ retulit, informati. Inquit autem à vestra sibi relatum dilectione, quod ecclesiæ vestræ olim quædam priuilegia, ab Apostolica Sede concessa sunt, atque vsum Pallij, eius Sacerdotes antiquitus habuisse. Quod quia vobis magnopere poscitis reformari, in ecclesiæ nostro scrinio requiri fecimus, & inueniri nihil potuit. Sed quoniam quantò studiosiùs ista cupitis adipisci, tantò vos arbitramur esse sollicitos, in requirendis chartis ecclesiæ vestræ vigilantiùs curam impendite, & si qua ex inde scripta inueniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ vestræ sit transmittere. Nam qui noua concedimus, vetera libentissimè reparamus.] Gallia isto tempore habuit duos istius nominis episcopos. Desiderium Archiepiscopum Viennensem, quem quarto post hanc epistolam anno ad Brunichildis Reginæ instigationem degradauit Cabilonensis synodus; & Desiderium Thelonensem episcopum, qui ante viginti sex annos quartæ Parisiensi synodo, & cuius postea Legatus subscribit secundæ synodo Matisconensi. Et hic Desiderius videtur à Gregorio postulasse Pallium. Etenim Desiderius Viennensis præfatæ Parisiensi synodo præsidens, sedit & subscripsit ante ornatum Pallio Sapaudum Arelatensem, ideòque oportet, & ipsum fuisse similiter ornatum. Etenim vti Palliatus prouincialis inter omnes comprouinciales, ita palliatus Metropolita, inter omnes collegas, semper habuit primum locum, ideòque non Palliatus Desiderius, nequit Palliatum Sapaudum antecessisse. Non est opus coniecturis. Habemus lucidas literas Ioannis III. Pontificis ad Desiderij Antecessorem Edaldum: [Venerabilis Pallij vsum per sanctum Presbyterum vestrum Fœlicem tibi destinauimus, nolentes priuari antiquo B. Petri munere.] Notanda sunt verba: [Antiquo B. Petri munere.] Haud dubiè non in solam Viennensem, sed etiam in alias Gallicanas Ecclesias. Extat epistola apud Ioannem à Bosco in Bibliotheca Floriacensi. Et ipsa vti legitimam in suis supplementis laudat Dominus Cardinalis Baronius.

Lib. 7. Indict. 11. Epist. 116.

Gregorius docet nos plura. Primò, quod Desiderij prædecessores olim, & antiquitùs habuissent vsum Pallij. Quæ voces longè respiciunt, nequaquam vnum diem, aut annum. Secundò docet, quod Desiderius magnopetè optauerit, hunc honorem sibi reparari. Tertiò, quod Gregorius fuerit pronus ad istud priuilegium libentissimè reparandum. Quartò, quod talia priuilegia, etiam de nouo libens concesserit. Certè concessit Syagrio episcopo Augustodunensi. Audi causam: [Quia in prædicationis opere, quam Lib. 7. Indict. 2.
diu cogitans Anglorum genti per Augustinum, Fratrem, & coepiscopum nostrum, im- Epist. 112.
pendere studui, ita sollicitum, ac deuotum, adiutoremque te in omnibus, vt oportuit, fuisse cognouimus, vt multum me sibi Fraternitas tua hac de re faceret debitorem, tantæ rei consideratione communitus, ne infructuosus erga te videar existere Fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione postponere. Proindè secundùm postulationis tuæ desiderium, Pallij te vsu præuidimus honorandum.]

Isto interim tempore hic honor non deferebatur omnibus Metropolitis. Quod ipsum affirmat Dominus Archiepiscopus: [Nunc examinanda est tertia obseruatio nostra, an omnibus Galliarum Metropolitanis antiquitùs positum in vsu fuerit, vt Pallium à Romana Sede acciperent. Ac primùm quidem quæstio hæc inutilis esse videbitur ei, qui Vigilij Papæ literas legerit, cùm in eis scriptum sit Pallium episcopo Arelatensi Auxanio concessum esse ob vicariatum Sedis Apostolicæ, atque ideò ad illum non pertinuisse iure proprio, eò quod Metropolitanus esset. Quibus addi potest necessarium fuisse, vt de eo ad Principem referretur, vt consensus eius haberi posset. Vnde patet manifestè, datum id extra ordinem, & ex priuilegio, neque tribui potuisse, quin eodem tempore vicariatus tribueretur.] Et quia, [inquit Vi-

 gi-

gilius in epistola prima ad Auxanium,] digna credimus ratione compleri, vt agenti vices nostras Pallij non desit Ornatus. [Id ipsum probatur ex epistola Pelagij primi ad Sapaudum episcopum Arelatensem, qua eum instituit Vicarium:] Pariter etiam Pallium dirigentes, vt in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque amictu decoreris. [Itaque institutum illud Romanorum Pontificum, vt ad neminem Gallicanorum episcoporum mitterent Pallium præterquàm ad Arelatensem, vt ea arte Vicariam eius dignitatem in sublime euehcrent, eumque ab alijs omnibus episcopis distinguerent, durauit vsque ad tempora beati Gregorij Papæ.]

Omninò fateor quibusdã tunc per Galliam Metropolitis non fuisse Ornatum Pallij, Etiam in tota Hibernia non fuisse, vsque ad Eugenium Tertium Pontificem, in vita beati Malachiæ testatur sanctus Bernardus. Nec mirum. Nam & quibusdam olim episcopis non fuit Ornatus Mitræ, ac aliorum indumentorum Pontificalium. Ipsis dudùm caruisse Vltraiectensem episcopum, disertè scribit magnum Belgij Chronicon. Nihilominus etiam in his Domini Archiepiscopi verbis quædam deuiant à vero. Primò, quod Arelatensis episcopus à Symmacho Papa, ac eius successoribus, ob solas Apostolicas vices acceperit Pallium. Aliud suadent Vigilij Pontificis literæ: [Scripta de ordinatione charitatis vestræ, cum animi spiritali gratulatione suscepimus, Domino gratias referentes, quia hoc in Arelatensi Ecclesia factum est, quod & canonibus & decessorum nostrorum Regulis conueniret.] Et infra: [De his verò, quæ charitas vestra, tam de vsu Pallij, quàm de alijs sibi à nobis petijt debere concedi, &c.] Auxianus ergò suam episcopalem creationem ante omnia retulit, ideòque, & supplicauit confirmari: Deinde postulauit & pallium. Et quidem tanquam debitum. Nempè propter Metropoliticam dignitatem. Nam Apostolicæ vices, ipsi non debebantur. Et dum postulauit pallium, ipsas needum habuit. Ipsum igitur postulauit isto iure, quo ipsum habuit Edaldus Viennensis Archiepiscopus, ac eius prædecessores & successores. Nec dubitandum est, quin plures isthic Metropolitæ habuerint istum ornatum. Etenim Desiderius Teloneusis episcopus magno Gregorio constanter scripsit ipsum fuisse suis pridẽ antecessoribus: Proindè ipsum habuerant, etiam Metropolitani, eiusdem prouinciæ. Et primæ Matisconensis synodi quintus canon scribit: [Archiepiscopus sine Pallio Missas dicere non præsumat. Quare alter Domini Archiepiscopi lapsus est, quod vsque ad magni Gregorij tempora dicat apud Gallos soli Arelatensi Antistiti fuisse Pallium.

Antequam laudatum canonem exponam, audiendus est Dominus Archiepiscopus: [Non leuis tamen difficultas aduersùm hæc exurgit petita ex Concilio primo Matisconensi, in quo sancitum est, vt nullus Archiepiscopus præsumat Missam celebrare sine Pallio. Sed animaduertendum est Pallium illud non esse Romanum, non solùm ob eam rationem, quam statim proposui, illud eo tempore nulli alij episcopo communicatum fuisse præter Arelatensem, sed etiam quod Romani vsus non erat licitus, nisi in festis solemnibus, vt constat ex Gregorio, qui hunc etiam fuisse morem Metropolitanorum Orientis docet, At in canone Matisconensi statuitur, vt Archiepiscopi Pallio vtantur, quoties sacrum Missæ Sacrificium celebrant. Indefinita enim hæc locutio eam vim habet, vt vicem suppleat vniuersalis propositionis. Pallium itaque Archiepiscoporum Galliæ diuersum erat à Romano, quantum ad ornamentum, & fastum. Ac fortassis carebat loro, id est, ijs fascijs, quæ in indumentis Imperialibus ornandi causa insuebantur, vt in donatione Constantini legitur:] Lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum. [Indè haud dubiè factum est, vt ego quidem existimo, vt sequentis ætatis Pontifices, cum Pallio ornare Metropolitanos destinassent, Pallium integrum non miserint, sed tantùm fascias illas, quæ nunc vsurpantur. Et illis quidem habitum deinceps honorem, sed Pallium ipsum euiluisse paulatim, atque ob hoc ipsum apud omnes fuisse vulgatum. Forma porrò eius, vt indicare videntur veterum Pontificum imagines, prorsùs referebat indumenta, quæ nunc Cappas, aut Pluuialia vocamus.]

Errores varij. Aut potiùs variæ fabellæ. Prima est, quod Romanum & Gallicanum Pallium olim fuerint diuersa. Etenim huius diuersitatis quæ memoria? Nec in libris, nec in pictoris. Secunda fabella est, quod Gallicanum à Romano diuersum fuerit quoad ornamentum, & fastum: Quod forsitan loris caruerit. Nam & similium Palliorum nulla vllibi memoria, nullum vestigium. Tertia est, quod Constantinianæ donationis diploma asserat lorum fuisse Imperialium vestimentorum ornatrices fascias. Etenim disertè dicit fuisse colli ornamentum, Augustum collare. Quarta est, quod Romani Pontifices, dum omnes Metropolitas voluerunt ornare Pallio, cæperint solas antiqui Pallij fascias transmittere, & ipsas vocitare Pallium. Etenim hæ fasciæ semper fuerunt duntaxat humerales, ideòque solos semper ornarunt humeros, non vestimenta. Et semper laneæ, ideòque ornandis vestimentis inidoneæ. Præsertim vestimentis, quæ Dominus Archiepiscopus comminiscitur fuisse Augusta, ac splendidissima. Quinta fabula est, quod antiqua Pallia fuerint hodiernis Cappis, seu Pluuialibus similia, idque indicari ab imaginibus veterum Pontificum. Dominus Archiepiscopus fabulatur consequenter. Antiqua Pallia, vti supra & simplicibus, & polystaurijs Græcorum Phenolijs æquiparauit, ita nunc confert hodiernis Latinorum Pluuialibus. Rectiùs conferret antiquis Latinorum Casulis. Ipsas enim vidit in antiquis non solorum Pontificum, sed quorumuis episcoporum picturis. Ast valdè miror, quod supra tam Phenolia, quàm Casulas non viderit humerales fascias. Hæ solæ sunt, semper fuerunt, & semper erunt episcopale Pallium. Hoc non super Cappas, aut Pluuialia, sed gestatum semper fuit supra solas Casulas. Dominus Petrus de Marca, dum hæc scripsit, needum erat Archiepiscopus, sed Regij Concilij Laicus Præses; Hinc eius cir-

circa res sacras lapsus sunt venia digni.

Porrò primus ipsius error est, quod magnus Gregorius scribat Orientales etiam Metropolitas non potuisse vti Pallio, nisi in Festis solemnibus. Etenim Gregorius non dumtaxat ex lectione, vel auditu, sed etiam ex proprio visu nouerat contrarium. Viderat non solùm Græcorum Metropolitas, sed generatim cunctos ipsorum episcopos quotidie ad Missam ornari Pallio. Quæstio illi fuit cum Ioanne Rauennatum Archiepiscopo, qui non solùm intra Missarum solemnia, sed insuper in factis extra Ecclesiam Litanijs præsumebat istud ornamentum, affirmans esse antiquam suæ Ecclesiæ consuetudinem. Hac de re scripsit ad Ioannem: [Illud tibi non putamus ignotum, quod penè de nullo Metropolitano in quibuslibet Mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus vsum tibi Pallij vindicasse.] Et in alia ad eumdem epistola: Hac de re iam Diacono nostro Constantinopolim scripsi, vt per omnes Metropolitanos, qui sub se etiam tricenos, & quadragenos Episcopos habent, inquirere debeat. Et sicubi iste est, vt in Litanijs cum pallijs ambulent, absit vt per me Rauennatis Ecclesiæ honor in aliquo imminui videatur.] Gregorius ergo affirmat, non quid Orientales Metropolitæ in solis Festorum solemnitatibus, sed quod in solis Missis, & intra solam Ecclesiam, non verò in Litanijs, seu extra ecclesiam Processionibus vtantur Pallio. Porrò non de Patriarchæ Constantinopolitani, quam viderat, sed de sola aliorum isthìc Metropolitarum consuetudine dubitauit Gregorius. Et quia in suis aduersùs Rauennatum Episcoporum vanitatem Decretis constans permansit, certum est nullum in Oriente Metropolitam extra Ecclesiam fuisse palliatum. Et hinc vides prophani Acacij; & sancti Germani vestem, quam Anastasius Syncellus calcauit, & cui Acæmetensis Monachus Papalis damnationis chartam affixit, non fuisse sacrum Omophorion. Si tamen vti apparet, ista affixio contigerit extra ecclesiam.

Indict. 11. Epist. 54.

Lib. 4. Indict. 13. Epist. 15.

Secundus Domini Archiepiscopi error est, quod Matisconensis Synodus sanciat de nescio quo Gallicano Pallio, non autem de Romano. Etenim Romanum Pallium, tunc non erat ignotum, aut peregrinum in Gallia: Ipsum gerebat Arelatensis episcopus, isti synodo præsentium episcoporum Apostolicus Vicarius. Et istorum episcoporum vnus fuit Syagrius Augustodunensis, qui paucis post annis postulauit, & impetrauit pallium à magno Gregorio. Quare manifestum est de hoc ipso Pallio agere synodum. Et quis credat Syagrium postulasse, aut impetrasse ornamentum, quo eius Metropolita carebat? Hoc certè est paradoxum. Quare eodem ornamento etiam non carebat Metropolita Desiderij Episcopi. Hinc Gregorius Syagrio adiecit hanc conditionem; [Cuius indumenti ne munificentiam nudam videamur quodammodò contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, vt Metropolitæ suo etiam pariter prospeximus concedendum, vt Metropolitæ suo per omnia loco, & honore seruato, ecclesia ciuitatis Augustodunæ, cui Omnipotens Dèus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum, & ordinem ex nostræ authoritatis indulgentiæ vindicare.] Sancit Syagrium esse totius Prouinciæ Protothronum, attamen Metropolitæ suo subiectum per omnia. Nempè Palliati Episcopi ex tunc prætendebant esse exempti à Metropolitico Iugo. Et sanè quomodo Palliati subfuissent. Aut quibus oculis Metropolita non Palliatus adspexisset Palliatum Suffraganeum? Quare certum existimo, & Lugdunensem, & plures tunc in Gallia Metropolitas habuisse Pallium.

Lib. 7. Indict. 2. Epist. 113.

Et per hæc manu ducimur in verum intellectum Canonis Matisconensis. Agit de solemni Missa. Et palam supponit quosdam Archiepiscopos ipsam celebrasse cum Pallio, ideòque agit in solos quosdam alios celebrantes sine ipso. Sancit legem, ideòque facit hunc sensum: Nemo deinceps Archiepiscopus præsumat sine pallio missas dicere. Sensus est omnis deinceps Archiepiscopus à Sede Apostolica postulet Pallium, & ante ipsum acceptum non præsumat solemnem Missam celebrare. Etenim Pallij naturam exponit in Rescripto ad Bulgarorum Consulta Nicolaus primus: [Archiepiscopo decedenti episcopi Successorem eligant, & propter longitudinem itineris non huc consecrandus veniat, sed hunc episcopi simul congregati constituant, sanè interim in Throno non sedentem, & præter Corpus Christi non consecrantem, priusquam Pallium à Sede Romana percipiat, sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum Regionum Archiepiscopi agere comprobantur.] Quæ regula nequaquam ab ipso Nicolao, neque à nostro emanauit Apostolo Bonifacio, sed est antiquissima. Etenim quod etiam Patriarcha Alexandrinus ante impositum Pallium non sederet legitimè supra audiuimus à Liberato Diacono. Iste mihi videtur verus sensus Canonis.

CAPVT X.

An vsque ad Sancti Bonifacij Apostolatum omnes generatim Galliarum Metropolitæ non habuerint Pallium.

HAc de re Dominus Archiepiscopus scribit: [Æuo diui Gregorij inualuerat, vt Romanus Pontifex Pallio ornaret præcipuos Metropolitanos, qui ad eius consecrationem pertinebant, aut eos, quibus vices suas in Prouincijs committebat.] Et inter priores numerat Metropolitas Calaritanum, Salonitanum, & Corinthium; inter posteriores ponit Thessalonicensem, Acridensem, ac Arelatensem. Quasi, & hi non spectauerint ad consecrationem Romani Pontificis. Certè omnes spectabant pari iure. Etenim omnes Pontificem venerabantur vt Patriarchã. Et vti Arelatensis, ac illi Gallicani, ita etiam Calaritanus, Salonitanus, & Corinthius non accedebant ad eius manus. Ex precario Indulto ob loci distantiam. Ita de Acridensi

 statim

statim audiuimus à sancto Papa Nicolao. Quoad Pallium Dominus Archiepiscopus persistit solum inter Galliæ Metropolitas Arelatensem fuisse ipso insignitum, & prosequitur: [Mansere in eo statu Galliarum episcopi quoad Pallium, donec Bonifacius in Galliam, Germaniamque à Zacharia Pontifice missus est. Hinc enim anno septingentesimo quadragesimo secundo synodum coegit, in qua decretum est, vt omnes deinceps viuerent in vnitate, & subiectione Romanæ Ecclesiæ, & Vicarij beati Petri, & vt Metropolitani à Sede Romana Pallium quærerent, & per omnia Canonicè obsequerentur Præceptis sancti Petri.] Probat hæc ex sancti Bonifacij literis ad sanctum Cudbertum Archiepiscopum Cantuariensem; [Decreuimus in nostro Synodali conuentu, & confessi sumus Fidem catholicam, & vnitatem, & subiectionem Romanæ ecclesiæ fine tenus seruare, sancto Petro, & Vicario eius subijci velle, Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere, & per omnia sancti Petri Præcepta Canonicè sequi.] Et pergit: [Huc vsque enim Metropolitani Galliarum pallio tùm Gallicano vsi fuerant. At Bonifacius eos coegit illud à Romana Sede quærere, vt ea ratione illos magis obnoxios esse faceret ei Sedi, ac præcipuo quodam iure Romano episcopo subijceret. At illi quibus vnicus metus erat, ne nouitate illa adigerentur ad insolitam quamdã reuerentiam in Sedem Apostolicam, ac ne insuper exciderent ab ea authoritate, quam canones tribuunt Metropolitanis, in ambiguo fuere, an promissis stare deberent. Certè licèt Bonifacius, cumque eo Princeps Carolomannus, tria pallia à Pontifice Zacharia postulassent pro Archiepiscopis ecclesiarum Rothomagensis, Rhemensis, & Senonensis, ab ea petitione cessauit paulò post. Qua de re apud ipsum conquestus est Zacharias anno septingentesimo quadragesimo quarto. Bonifacius verò ad eum rescripsit Francos in hoc esse, vt propediem Promissorum fidem violent:] De eo quod iam præterito tempore de Archiepiscopis, & de pallijs à Romana ecclesia petendis, iuxta promissa Francorum, Sanctitati vestræ notum feci, indulgentiam Apostolicæ Sedis flagito. Quia quod promiserunt, tardantes non impleuerunt. Et ventilatur & quid inde perficere velint, ignoratur. [Verùm cum ipsis ostensum fuisset pallium non ob aliud Archiepiscopis tribui, quàm vt hoc exteriori signo à Suffraganeis suis distinguantur, & vt eo admoneãtur tenere ad vitam seueriorem, & sanctiorem, & continendos in officio subiectos, amplexi sunt honorem oblatum, vt constat ex Capitularibus Caroli magni: [Dignum est vt Metropolitanus, qui est pallio sublimatus, honoretur. [Pallium autem per illas tempestates eius formæ erat, cuiusmodi nostra tempestate videmus.] Probat hoc ex Alcuino Flacco, & Rabano Mauro, atque prosequitur: [Sapienter itaque Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, artium & temperamentorum Romanæ Curiæ callentissimus, cum ei Nicolaus primus exprobrasset Priuilegia à Benedicto Papa concessa, inter quæ illud inprimis eminebat, vt Pallium deferre posset] ad quotidianum vsum, [respondit priuilegia illa nihil sibi noui iuris tribuere, præter id quod prisci Canones tribuunt Metropolitanis, attamen se noua hæc Decreta expetiisse, eò quod, cum Ecclesia Rhemensis sita esset in confinio duorum Regnorum, ijs priuilegijs indigebat, vt terrorem inijceret quibusdam hominibus carnalibus, & animalibus, apud quos veteres Canonicæ constitutiones euiluerant.

Epist. 105.

Errores iterùm non pauci. Primus est, quod in Gallia vsque ad sancti Bonifacij Apostolatum solus Arelatensium Archiepiscopus habuerit pallium. Etenim oppositum, quod abundè huc vsque demonstratum est, affirmat etiam Adrianus I. Pontifex in literis ad Bertericum Archiepiscopum Viennensem: [Illustris Carolus Francorum Rex, Romam ingressus, Pascha Domini nobiscum egit. Vbi inter alia monuimus eum de Metropolitanorum honore. Et quia iam Archiepiscopalis dignitas per octoginta annos esset à Francis conculcata. Cum hæc, & his similia gloriosus Rex audisset, promisit ante corpus Beati Petri, quod omnia ad ordinationem nostram emendaret.] Spondet ex integro reparare dignitatem Metropoliticam, & pergit: [Nec præiudicium vlla Metropolis patiatur, si alicui Suffraganeorum, aut nos, aut prædecessores nostri, rogantibus pijs Ducibus Francorum, Pallium largiti sumus.] Et tandem concludit: [Authoritate igitur beati Petri Principis Apostolorum singulis Metropolitanis antiquo more potestatem suam reddidimus, & filium nostrum gloriosum Regem ante corpus beati Petri inde rogauimus, vt antiquam potestatem omnes Metropolitani, qui in eius Regno sunt, haberent.] Mediante Pallio. Exstat epistola apud Ioannem à Bosco in Bibliotheca Floriacensi. Et probatur à Domino Cardinali Cæsare Baronio. Est scripta octaui sæculi anno octogesimo septimo, ideoque ista Metropoliticæ dignitatis conculcatio cępit ante Caroli Martelli, & Rangifredi ciuilia bella, sub Regno Childeberti secundi, cui Maior Domus fuit Pippinus, Martelli Pater. Epistola docet Romana Pallia non dumtaxat in Galliæ Metropolitis, sed etiam in Prouincialibus Episcopis esse antiqua. Esse partem Metropoliticæ dignitatis. Ac proindè ipsa à sancto Bonifacio non fuisse inducta in Gallias, sed dumtaxat restituta.

Secundus error est, quod Galliarum Metropolitæ vsque ad Bonifacij Apostolatum fuerint vsi Gallicano Pallio, & quod sanctus Bonifacius ipsos permouerit ad accipiendum Romanum. Proindè Dominus Archiepiscopus recedit à suis Dogmatibus. Anteà enim professus est Arelatensem Archiepiscopũ semper habuisse Romanum Pallium: Et sic præsens eius fabula non subsistit. Et quodnam istud à Romano diuersum Gallicanum pallium? Si Gallicanam pallij vsum à Romano quis distingueret, posset suæ assertioni hinc inde venari fucos; ast ipsa pallia distinguere est arbitrarium figmentum. Alcuinus Flaccus, Rabanus Maurus, alijque post restauratam à sancto Bonifacio Gallicanam Christianitatem proximi Scriptores, cum pallium describunt, nequaquam de noua, sed de antiqua specie clamant se scribere.

re. Etiam apud Hincmarum Rhemensem, cui volupè est Romanam Ecclesiam de nouitate, aut quouis vitio notare, nulla est penitùs memoria istius discriminis. Palam nouit & profitetur se gestare istud ipsum pallium, quod omnes sub cœlo Metropolitæ, ac ipsi Romani Pontifices semper gessissent. Tempus, cuius nemo potest reparare iacturam, non expendamus in res manifestas.

Tertius error est, quod Gallorum sub sancto Bonifacio Metropolitæ fuerint tergiuersati admittere pallia, quoniam timebant per istam nouitatem adigi ad quamdam insolitam reuerentiam Apostolicæ Sedis,& excidere à iure, quod antiqui Canones Metropolitanis tribuunt. Etenim isti episcopi eo vsq; non leuabant oculos. De ipsis ad Austrobertum Viēnensem episcopum verè scripsit Gregorius II.: [Reuerendum Fratrem Bonifacium rudibus gentibus episcopum designauimus]. Etiam episcopi erant rudes. Etenim de ipsis ad Imperatorem Constantinum quartum, qui eruditos episcopos rogauerat mitti ad sextam synodum, rescripsit sanctus Papa Agathon: [Apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa hæsitatione conquirentes, quomodò ad plenum inueniri poterit Scripturarum scientia?]Synodus est celebrata anno octogesimo septimi sæculi: Regnante apud Francos Theodorico, Clodouei secundi Filio. Et tales ex tunc erant episcopi. Aliam ignorantiæ causam aperit sanctus Martinus Pontifex in literis ad sanctum Amandum Traiectensem episcopum: [Suggestum est nobis, eò quod Presbyteri, seu Diaconi, alijque Sacerdotalis Officij,post suas ordinationes in lapsus coinquinantur, & propterea nimio mœrore Fraternitatem tuam adstringi,velleq; Pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere]. Apostolus Bonifacius ad Zachariam Pontificem scripsit esse isthìc Diaconos viuentes in tanta spurcitia, vt cum quatuor, aut quinque concubinis de nocte volutarentur. Addidit ex ipsis creari presbyteros, ac episcopos, qui talem pergerent vitam ducere. Præstat silere vetusta nostræ gentis opprobria. Ista igitur plurium episcoporum vita, atque inscitia fuit vera causa, ex qua episcopalis dignitatis,ac totius Christianitatis reparatio ad Bonifacij votum non succederet. Modica istis fuit cura de Pallij priuilegijs, aut oneribus: Maluerunt in suis delicijs insordescere. Rem succedere tandem ad Adriani Pontificis stimulos fecit Carolus magnus. Omnes Metropolitas coegit ad Pallium. Et vt animales homines fortiùs permoueret ad obediendum, emisit laudatum Capitulum: [Dignum est, vt Metropolitanus, qui est Pallio sublimatus, honoretur].

Quartus error est, quod Pallium Metropolitas adigat ad insolitam quamdam Apostolicæ Sedis reuerentiam, ac faciat excidere ab ea authoritate, quam Canones Metropolitanis tribuunt. Cum magno Gregorio profiteor Pallium esse episcopalis ceruicis graue iugum, ac vinculum: Est enim perdita Ouis, quam in humeris reportant vsque ad gregem. Portare obligantur in supremum IESV CHRISTI Regnum. At quod iugum istud imponat indebitam Apostolicæ Sedis reuerentiam, aut Metropoliticam authoritatem circumscribat, vel mutilet, nemo vnquam censuit episcopus: Nec Latinus, nec Græcus. Pallij onus non malè exposuit in literis ad sanctum Cudbertum Cantuariensem episcopum Apostolus Bonifacius: [Nostri ministerij labor vnius, & eiusdem causæ esse dignoscitur, Et æqualis speculatio in curis Ecclesiarum, siue populorum nobis credita est, siue in docendo, siue in arctando, & monendo, siue in defendendo canonicos gradus, vel plebeos Maior nobis sollicitudo Ecclesiarum, & cura populorum, propter Pallia credita, & recepta, quàm cæteris episcopis, qui proprias tantùm procurant Parochias, incumbit]. Nihil igitur accedit decrementi circa Metropoliticam potestatem, nihil indebitæ in sancti Petri Apostoli Cathedram reuerentiæ.

Quintus error est, quod Benedictus tertius Pontifex Hincmaro Metropolitæ Rhemensi inter alia priuilegia concesserit etiam quotidianum vsum Pallij. Etenim Hincmarus videtur istud apud suos affirmasse,at mentitus fuit, ideòque Nicolaus Pontifex meritò istud ipsi improperauit. Audiamus Nicolai ad Hincmarum literas: [Postremò scire te volumus, nostris auribus intimatum esse, Fraternitatem tuam non certis temporibus, & iuxtà morem alijs Metropolitanis Antistitibus definitis,Pallio à Sede Apostolica concesso vti. Quod valdè displicet, si id à Sanctitate tua fuerit elatè commissum, vt humilitatis oblita cæteris Fratribus suis studeat videri sublimior: Quamuis hoc non ad inanem gloriam, sed ad Ornatum cunctarum virtutum sit gestandum. Cuius vsus si Fraternitati tuæ à Sede Apostolica est omni tempore concessus, licèt sit præter Ecclesiæ consuetudinem perceptus, ideòque rationabiliter admittendus, tamen his nostris admonitus competentèr affatibus, stude ita modestè hoc vti, vt nec elatio mentis inuadat, nec iactantia inflet, nec vana gloria vulneret]. Hæ literæ terruerunt Hincmarum. Sui priuilegij tabulas non potuit exhibere, ideòque Nicolao rescripsit: [De Pallio, à mea præsumptione non certis temporibus, & iuxtà morem alijs Metropolitanis definitis vso, vnde vestræ Sanctitatis auribus intimatum esse Indignitati meæ scripsistis, authoritate vestræ veraciter fateor, quod, & in istis regionibus per alios, si vobis placuerit, rescire valebitis, quia nisi in die Natalis Dominici, & in die sanctæ Resurrectionis eius, vix in toto anno eodem Pallio vtor. Quoniam de illorum numero, peccatis meis exigentibus, factus, de quibus scriptum est, Impedimenta sæculi fecerunt eos miseros, rarò in decretis festiuitatibus quo vti Pallio Metropolitanis conceditur, in Sede mea, propter multas occupationes, & necessitate Ecclesiæ, & Regni, esse mihi permittitur. Et quando in eadem Sede sum, non solùm non toties, sicut mihi concessum est, verùm vix,aut numquam eodem Pallio vtor]. Multis se expurgat de isto excessu, & palàm profitetur sibi non esse singulare priuilegium. Et addit se numquam postulasse: [Pro cuius vsu apud Sedem Apostolicam nihil petij, nisi sicut Decessores, & Prædecessores mei vti solebant]. Verùm his non fidens Nicolaus rem di-

Epist. 60.

Epist. 116.

diligenter inquisiuit. Etiam Successor Adrianus. Et compertam Hincmari audaciam damnari iussit in octaua synodo.

Fateor Hincmarum artium, & temperamentorum fuisse callentissimum. Non dumtaxat ad ipsa exploranda, sed insupèr ad practicanda. Huius peritiæ dedit multa exemdla. Et quod circa istud ipsum, quod à Benedicto reuerà acceperat, priuilegium quædam: [celarit, quædam astutia quadam communi cognitioni negarit], affirmat, & queritur ipse Nicolaus Pontifex in literis ad Carolum Caluum Francorum Regem. Interim numquam deuenit eò audaciæ, vt diceret sibi per antiquos canones licere quotidianum vsum Pallij, ideòque ad ipsum non esse opus priuilegio.

Epist. 61.

Et hic est sextus error, quo Dominus Archiepiscopus dilectum sibi Hincmarum denuò grauat non leui calumnia. Benedictus tertius Hincmaro præsertim duo concesserat. Primò, vt nullus Rhemensis Prouinciæ episcopus, clericus, aut laicus posset, [ipso contempto, aliena expetere, aut exspectare Iudicia, saluo tamen in omnibus iure Apostolicæ Sedis]. Secundò, vt prima circa ipsum Hincmarum, istius Prouinciæ Primatem, instantia spectaret ad Sedem Apostolicam, ideòque omnis in ipsum accusatio deberet istius Sedis audientiæ reseruari. De his solis, nequaquam de quotidiano Pallij vsu Hincmarus scripsit: [Priuilegia Sedis Apostolicæ non ideò petij, vt mihi non sufficeret, quod Sacri Canones, & Decreta Sedis Romanæ Pontificum, cuique Metropoli Sedi concedunt. Et nec alia, vel ampliùs, quàm Ecclesiæ Remorum collatum est ex antiquo, mihi largiri specialiter petij, nec appeto]. Rectissimè hæc scripsit. Etenim sacri Canones, & Apostolicæ Sedis Decreta prohibent peregrina Iudicia, & primam de cunctis per Romanum Patriarchatum Metropolis cognitionem reseruant Tribunali Apostolico. Hincmarus item rectè adiunxit: [Sed quia non solùm Diœcesis, verùm, & Parochia mea inter duo Regna sub duobus Regibus habetur diuisa, & res mihi commissæ Ecclesiæ sub multorum Principum potestate conjacere videntur, de quibus, aut parum, aut nihil vtilitatis Ecclesia nostra potest habere, quia veteres constitutiones iam quasi pro vili apud quosdam habentur, vt his nouis Decretis carnales, & animales homines territi, quid reuerentius contra Ecclesiam Indignitati meæ commissam agerent]. Rhemensis Ecclesia erat vicina Regno Lotharienfi: Et in ipso erant plures Suffraganeæ Cathedræ. Et Hincmaro vix benè conuenit cum istis Regibus. Quare timuit, ne isti Suffraganei iugum excuterent, & Prædecessoris Ebbonis calamitatem tentarent in ipsum deuoluere. His de causis iura illa, quæ habebat per Canones, curauit sibi stabiliri per priuilegium.

CAPVT XI.

Exponitur octaua Synodi Canon de vsu Pallij.

Etiam hunc Canonem Dominus Archiepiscopus interpretatur: [Necessitas tamen obtinendi Pallij decreta est in octaua Synodo œcumenica, quæ Constantinopoli celebrata est sub Adriano secundo. In qua statutum est debere Metropolitanos cõfirmationem à Patriarcha suo accipere, siue per impositionem manuum, siue per concessionem Pallij. Ita vt earum, idest, Sedium Patriarchalium Præsules vniuersorum Metropolitanorum, qui àb ipsis promouentur, & siue per impositionem manus, siue per Pallij dationem, episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt. Canon ille non exstat in editione Græca huius Concilij, sed tantùm in versione Anastasij. Ex ea autem id colligitur consueuisse Patriarchas Orientis Pallium ad Metropolitanos mittere, quemadmodùm à Summo Pontifice fiebat in Occidente. Quare non frustra obseruatum est superiùs authoritate Sancti Gregorij; Metropolitanos Orientis Pallij vsum habuisse. Quod confirmatur ex Responsione Demetrij Chomateni, qui eo vti licitum non esse, ait, nisi in Festis Paschatis, Pentecostes, & Natalis Domini. Cæterùm hęc Demetrij obseruatio lucem adfert Balsamonic scribenti, Saccum, Sticharion, & Phenolion, esse indumenta, quibus vti licet solis Patriarchis. Quod intelligendum est de vsu ordinario, & quotidiano, cum aliàs Metropolitanis non concedatur, nisi ex priuilegio, & pro certis tantùm diebus. In Concilij namque octaui Canone vigesimo septimo prohibetur Metropolitanis, ne quotidiè Pallio vtantur in Sacrificijs, vel in cæteris functionibus Ecclesiasticis]. Omni tempore, [inquit Canon], Diuini officij, vel eius Ecclesiastici Ministerij. [Ex eo tamen colligi non potest non licere Metropolitanis vti Pallio omni tempore Diuini Sacrificij, aut vi horum Canonum adigi ad eius depositionem ante consecrationem. Quod tamen eruditissimo viro hac nostra ætate placuisse video. Illa quidem sententia locum habet quoad Omophorion ordinarium, quod episcopi ferebant, vt cæteras vestes vulgatas æuo Isidori Pelusiotæ, qui docet episcopos illud deponere consueuisse post recitatum Euangelium. Consuetudo autem illa rationi consentanca prorsùs erat. Quia cum Liturgia post Euangelium inchoaretur, sumenda erant vestimenta propria ad celebrandum Sacrificium].

Denuò habemus integram syluam errorum. Primus est, quod etiam Græcorum Patriarchæ olim suis Metropolitis ad Episcopalis consecrationis, & Metropoliticæ dignitatis firmitatem transmitterent Pallium. Plures censent non esse errorem. Etenim ad Ioannem Rauennæ Metropolitam scripsit magnus Gregorius: [Hac de re Diacono nostro Constantinopolim scripsi, vt per omnes Metropolitanos inquirere debeat. Et sicubi iste vsus est, vt in Litanijs cum Pallijs ambulent, L 4 ep 15.

abfit,

absit, vt per me Rauennatis honor Ecclesiæ in aliquo imminui videatur]. Videtur palàm supponere, quod Metropolitæ isthìc haberent, & à Patriarcha acciperent Pallia. Eumdem morem probat Actio secunda octauæ synodi: [Ponentes episcopi libellum super sancta Euangelia, & pretiosa ligna, & rursùs sumentes, eum dederunt Ignatio sanctissimo Patriarchæ Constantinopolis. Et sumens Patriarcha Super-Humeralia, tradidit eis. Primò autem omnium dedit Metropolitæ Cariæ, & dixit ei: Ecce, sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid fiat]. Agit de libello, quem Adrianus Pontifex lapsis in Photij Factionem episcopis ad eamdem eiurandam præscripserat. Hinc omnes isti episcopi ad maiorem firmitatem priùs ipsum ponebant super sacrosancta Euangelica, ac super pretiosa Dominicæ Crucis ligna, deindè legebant in manibus sancti Ignatij, atque ita ipsi profitebantur pœnitentiam, ac obedientiam. Et quoniam per ablata Omophoria degradati erant, ea ipsis reddebat, ac imponebat Ignatius, atque ita reparabat. Et de intruso Photio scribit in sancti Ignatij vita Nicetas Paphlago: [Photius consecratos à sancto Ignatio Episcopos resacrare conatur. Quòd cum non succederet, omnesque indignissimè ferrent, atque execrarentur, ne ita quidem defecit iniquitas. Superhumeralibus, & Orarijs, & alijs status sacerdotalis coemptis insignibus, secretò preces super ea quasdam pronunciabat: Et sic ea singulis, loco muneris, & largitionis, dabat.] Eis transmittebat noua pallia, atque ita faciebat suos. Et in literis ad Imperatorem Basilium Ioannes Octauus Pontifex Photium arguit de varijs excessibus, ac inter ipsos est etiam hic: [Quod Bulgariæ Archiepiscopo, vel episcopis, qui videntur ibidem existere, sacrum pallium, quo inter sacra Missarum solemnia vti Pontificibus solitum est, ipse Patriarcha mittere præsumpsit.] Eumdem morem in omnibus Patriarchis firmare videntur verba decimi septimi Canonis, adducta per Dominum Archiepiscopum.

Respondeo tamen istius apud Græcos transmissionis nullum esse exemplum antiquum, nullum apud Patres testimonium, nullum apud canones vestigium. Omnes isthìc episcopi gerunt sacrum Omophorion: Nec ipsum sibi transmissum à Patriarcha accipiunt, sed vel ab ipso, vel à Metropolita in ipsa consecratione. Disertè hoc scribit in libro de sacris Ordinationibus Simeon Thessalonicensis: [A principio missæ, & in exaltatione Diuini Panis, & in Ordinationibus, & in alijs sacris Mysterijs Episcopus semper pallio ab humeris in orbem cingitur. Quod etiam tunc ordinatus ab Archiepiscopo accipiens, collum induitur.] Quod ipsum confirmant antiqui Græcorum rituales libri. Nec aliud scribit Magnus Gregorius. Quæstio ipsi erat cum Ioanne Rauennatum Metropolita, non an Archiepiscopi deberent pallium à Patriarcha accipere, sed an ipso possent vti extra Missæ sacrificium, præsertim extra ecclesiam in Litanijs. Hoc negabat licere Gregorius, affirmans aduersum consuetudini omnium, etiam Orientalium, sub cœlo ecclesiarum. Et de hac sola consuetudine inquiri per suum Apocrisarium iussit apud Metropolitas Patriarchatus Constantinopolitani. Etiam sancti Ignatij Patriarchæ in octaua synodo opus non est nobis aduersum. Etenim non solos Metropolitas, sed quosuis lapsos episcopos reparauit per reddita Omophoria. Sicut per eorum ablationem quiuis apud Græcos Episcopus degradatur, ita & per redditionem reparatur. Degradatis auferuntur, reparatis redduntur sui ordinis ornamenta. Aliud item episcopis, quos resacrare non permittebatur, non fecit Photius. Eos censuit partim malè Ordinatos, partim degradatos: Hinc ipsis prira abstulit, & reddidit noua Omophoria. Nõ solis Metropolitis, sed cunctis generatim episcopis. Aliud tamen egit in Bulgaria. Eius Archiepiscopo, & paucis singulariter priuilegiatis episcopis transmisit pallia. Romano more. Etenim ista Diœcesis, & antiquo vsque ad Leonis Isauri violentiam obseruato, & nouo per Bulgarorum à latinis episcopis, & monachis factam conuersionem acquisito iure spectabat ad Romanum Patriarchatum. ideòque erat consueta videre transmissionem pallij: Hunc morem dolosus Photius censuit non mutandum. Et ipsum Ioannes Octauus arguit, non quod transmisisset pallia, sed quod transmisisset in Bulgariam: Quod Romani Patriarchatus Diœcesim tentasset inuadere. Dolosus Photius secutus est artem, quam Imperatori Theodosio olim suggesserat eius prædecessor Atticus. Ad huius suggestionem ille, dum Orientale Illyricum transcripsit in Patriarchiam potestatem Constantinopolitani Episcopi, addidit, vt omnia isthìc pergerent iuxta antiquum morem fieri. Nempè ne morum nouitas offenderet populum, atque ita induceret ad retrocedendum.

Etiam decimus septimus octaui Concilij Canon non facit ad propositum. Nec enim agit de transmittendo ad Metropolitas pallio, sed de præstanda per ipsos obedientia Patriarchalibus euocationibus. Affirmat quosdam per Patriarcham consecrari, quosdam Metropolitas solo per ipsum pallio insigniri: Omnes tamen ab ipso, siue hac, siue ista via, accipere sui loci, & honoris firmitatem. Primum passim per Orientem, in Occidente fit apud quasdam Metropoles; secundum autem fit per solum Occidentem. Interim Canon sancit omnes, & singulos propter episcopalis firmitatis acceptam gratiam obstringi ad plenè obediendum legitimis sui Patriarchæ euocationibus. Palàm agit in solemnem Hincmari Rhemensis contumaciam. Quò tamen eius honori parcat, emittit generalem pro cunctis Patriarchis aduersùm quosuis Metropolitas sanctionem. Est supra demonstratum. Ex his liquet, quod rectè dixerim ab Orientalibus Patriarchis pallium non fuisse transmissum ad suos Metropolitas, ideòque istam transmissionem esse primum errorem Domini Archiepiscopi.

Secundus Domini Archiepiscopi error est, quod Demetrius Chomatenus agat de pallio, seù Omophorio. Agit enim de Sacco. Tertius error est, quod Theodorus Balsamon affirmet Saccum, Sticharion, ac Phenolion esse

esse ornamenta solis Patriarchis propria. Etenim Phenolion, omnibus non solùm episcopis, sed insuper presbyteris; Stichation conuenit etiam Subdiaconis. Theodorus ergò Balsamon istud affirmat de vndulato Stichario, ac de Phenolio Polystaurio. Quartus error est, quod Patriarchæ possint quotidiè vti istis ornamentis. Etenim vti non possunt in diebus ieiuniorum, nec in defunctorum officijs. Quintus error est, quod priuilegiati Metropolitæ ipsis vti non possent, nisi in certis diebus anni. Vti poterant omnibus diebus, præter iam dictos. Sextus error est, quod solis Metropolitis daretur priuilegium vtendi vndulato Stichario, & Polystaurio Phenolio. Etenim illis dabatur solum priuilegium vtendi Sacco: Alia duo competebant omnibus episcopis.

Septimus error est in expositione vigesimi septimi canonis, qui Metropolitanis, ac alijs episcopis, ex iure, vel priuilegio habentibus pallij vsum, sancit ne omni tempore Diuini Officij, vel alius ecclesiastici Ministerij, sed certis dumtaxat temporibus, & locis vtantur isto ornatu. Dominus Archiepiscopus commentatur: [Ex eo tamen colligi non potest non licere Metropolitanis pallio vti omni tempore Diuini Sacrificij, aut vi horum Canonum adigi ad eius depositionem ante consecrationem.] Respondeo hæc vera esse in Græcorum non solis Metropolitis, sed quibuscumque episcopis. At verò canon nequaquam de Græcorum Episcopis agit, sed de solis latinis. Agit enim in præfatam audaciam Hincmari Rhemensis. Duo huius Synodi Canones in ipsum agunt. Vigesimus septimus eius excessus circa vsum pallij, decimus septimus frænat, ac damnat eius contumaciam contra Romanas euocationes. Porrò quod vigesimus septimus canon in Græcorum Episcopos, aut mores non statuat, est manifestum ex eius exordio: [Secundùm traditas formas per singulas Prouincias, & Regiones, ac vrbes, in ecclesiasticis promotionibus, & consecrationibus illa, quæ indicia, & signa sunt Ordinis, qui vnicuique inesse videtur, retineri decernimus.] Lucidè affirmat circa pallij gestamen, ac vsum esse varias variarum Regionum consuetudines: Aliam apud Græcos, aliam apud latinos. Et mandat vnicuique suam custodiri. Et prosequitur: [Itaut episcopi, quibus concessum est pallijs vti certis temporibus, &c.] Sancit in solos episcopos, quibus permissum est certis dumtaxat temporibus ornari pallio. Et hi palam sunt soli latini. Quare octauus Domini Archiepiscopi error est, quod canonem statuentem de solis latinis episcopis extendat ad Græcos.

Nonus error est, quod Omophorion Græcis Episcopis olim fuerit vestis vulgata. Etenim omnes ipsorum scriptores, ac rituales libri Omophorion adnumerant Polystaurio, Phenolio vndulato, Epimaneijs, Genualibus, alijsque sacris Episcoporum ornamentis. Decimus error est, quod istud scribat sanctus Isidorus Pelusiotes. Etenim Isidorus disertè scribit Omophorion esse pellem ouinam, ornatam sacrosanctis significationibus. Vndecimus error est, quod Græcorum Episcopi Omophorion deponant post recitatum Euangelium. Etenim deponunt ad istam recitationem. Ratio est adducta superiùs. Duodecimus error est, quod Græcorum Episcopi vulgata sua vestimenta priùs deponant, aut certè ipsis sacra superinduant post recitatum Euangelium. Et quod istud scribat laudatus Isidorus. Sunt indigna refutatu paradoxa. Proindè, & Latina, & Græca ecclesia semper habuit idem pallium, ornatum sacrum, laneas fascias, rem in substantia vilem, significatione Augustam, Sacrosanctam, Diuinam.

Dominus Archiepiscopus prosequitur: [Post deuoratam ab Europæ Metropolitanis accipiendi pallij necessitatem, quæ à Concilio octauo firmata canone, nouas deindè conditiones sibi à Summis Pontificibus impositas coacti sunt amplecti. Primùm enim res eò deuenit, vt coacti sint scripto polliceri subiectionem, & obedientiam Apostolicæ Sedi, & præcepta eius canonicè per omnia sequi. Noui huius iuris receptor fuit Bonifacius Moguntinus in synodo ab eo celebrata, anno septingentesimo quadragesimo secundo, vt discitur ex eius epistola ad Cudbertum. Antea enim Metropolitani nulla alia lege tenebantur, cùm vt fidei suæ professionem emitterent, & obseruationem canonum Comprouincialibus Episcopis pollicerentur in sua consecratione. Nullam porrò obedientiæ sponsionem faciebant. Quam adeò alienam à prisco iure censebat Leo Primus, vt ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scribens de causa Attici Episcopi, à quo Anastasius similem sponsionem exegerat, dixerit in ea signum iniuriæ contineri. At post Bonifacium noua clausula huic professioni addita est, qua videlicet subiectionem, & obedientiam Romano Episcopo promitti inualuit, vt videre est in veteri formula, quæ Caroli Calui ętate in vsu erat:] Beato verò Petro, & Vicario eius debitam subiectionem, & obedientiam, Suffraganeis verò nostris adiutorium me exhibiturum profiteor. [Illa nihilominus obedientia ad obseruationem canonum coercetur, idest, promittunt Metropolitani se Summo Pontifici obedituros iuxta canones. Hoc est, quoties iussa eius canonum statutis innituntur. Hanc enim esse eorum verborum vim docet ipse Zacharias Papa ad Bonifacium scribens: [Nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum, seu canonum statutis inueniantur.] Bonifacius verò, qui sponsionis vim intelligebat, eamdem in propria causa adhibuit clausulam, cum ea sponsionem Zachariæ faceret pro Archiepiscopatu Moguntino: [Sicut prædecessorum vestrorum pro authoritate sancti Petri serui deuoti, & subditi sub iure Canonico.] Inquit ille in epistola ad Zachariam. Epist. 132.

Errores non pauci. Primus est, quod accipiendi pallij necessitas sit res adeò acerba, vt à Metropolitis fuerit deuoranda. Etenim hoc iure dici possit de Metropoliticæ potestatis onere, reuera grauissimo, & humanis viribus impotabili; verùm quo colore istud scribatur de accipiendi pallij necessitate, non video. Est enim merum istius oneris, iam impositi, & acceptati, symbolum. Imò non merum symbolum, sed insuper consolatorium

torium ornamentum. Et video ipsum non solummodò à cunctis Metropolitis, sed insuper à multis suffraganeis episcopis summo semper ambitu fuisse appetitum: Nullum debuisse compelli ad deuorandum. Nisi forsan quosdam Metropolitas, quos in Gallia reperit sanctus Bonifacius. Nempè laxata disciplina ipsos deiecerat ad Barbaros, à quibus nec pallia, nec ipsam Metropoliticam dignitatem fuisse æstimata, testatur in suorum librorum procemio Guilhelmus Neubrigensis. Erant grauissimè, ac fœdissimè infirmi, ideòque panis, suauis sanis, erat illis pœna. Attamen Dominus Archiepiscopus non de ipso forsan pallio ista scribit, sed de solis per sanctum Bonifacium adiectis conditionibus.

Secundus igitur error est, quod sanctus Bonifacius Romanæ pallij acceptioni perperam apposuerit professionem Romanæ subiectionis, & obedientiæ. Quod ista professio sit amara, & deuoranda conditio. Paschali II. Pontifici, quod consuetæ Metropolitarum professioni iuberet superaddi iuramentum, quandoque obstrepuit Archiepiscopus Polonorum: neminem scio, qui murmurarit contra simplicem professionem Papalis obedientiæ. Etenim obedientiæ professio, quam Prouinciales Episcopi in consecratione faciunt suo Metropolitæ, est adeò antiqua, vt Hincmarus Rhemensis ipsā in famoso aduersùs nepotem suum Laudunensem Episcopum libro probet ex literis sancti Leonis. Et certè magnus hic Pontifex ipsam laudat vti antiquam. Quare Dominus Archiepiscopus in alio huius sui libri capite perperam scribit similes [obedientiæ sponsiones] tunc temporis nec dum fuisse in vsu. Cap. 9. Etiam presbyteri in sua consecratione iam pridem profitentur obedientiam, ac reuerentiam suo episcopo. Et Cardinales Diaconi in sua olim creatione spondebant, quod cunctis [pro ecclesiastica vtilitate] Papalibus mandatis fideliter [sine vitio, superbia, ac neglectu,] obedirent. Hanc cautionem roborabant testibus, & corporali super sacrosancta euangelia iuramento confirmabant. Ita nos docet Vigilius Pontifex in diplomate, quo degradauit Rusticum, suum ex fratre nepotem, & eius Collegam Sebastianum, Cardinales Diaconos. Et ad Mauricium Imperatorem scribunt quidam Aquileienses episcopi: [Suggerimus, pie Dominator, quia tempore ordinationis nostræ vnusquisque sacerdos in sancta sede Aquileiensi cautionem scriptis emittimus studiosè de fide ordinatoris nostri, & nos fidem integram sanctæ Reipublicæ seruaturos.] In sua consecratione profitebantur fidem, ac obedientiam Romano Imperio. Erat res extra metas. Et tamen nullus isthìc vidit aliquid acerbi, vel deuorandi. Quia nempe istud debitum tacitè inest omnibus episcopis. Et expressum non operatur aliud, quàm tacitum. Quid igitur acerbi, aut deuorandi Dominus Archiepiscopus videt in decreto, quo sanctus noster Apostolus, ac reparator Bonifacius antiquę Metropolitarum professioni adiecit articulum de subiectione, & obedientia præstanda Romanæ Ecclesiæ?

Noui morbi exquirunt noua medicamenta. Hinc vetustæ episcoporum, aut Clericorum professioni nouos articulos ex causis inserere est antiquissima, & probatissima consuetudo ecclesiæ. Propter Eutychianas contra dogmaticum sancti Leonis Tomum violentias Pontifex antiquæ professioni adiecit istius Tomi acceptationem. Ita in prima sua apud Photij Bibliothecam oratione testatur sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus. Et sanctus Proterius, primus eiusdem Sedis Lib. 230. post Chalcedonensem synodum episcopus, suæ professioni omninò addidit istum articulum. Compulsus fuit etiam adiungere symbolum Constantinopolitanum. Nempè Eutychiani istud symbolum similiter auersabantur. Vtique propter eius ad Nicænum contra Apollinaristas facta additamenta. Hinc omnes episcopi deinceps sunt iussi non solùm antiquo more profiteri Nicænum symbolum, sed plenum Constantinopolitanum. Euphemius Constantinopolitanus Patriarcha Anastasium Imperatorem coronare noluit, nisi antiquæ professioni adderet synodum Chalcedonensem. Et de Acacio, Euphemij Antecessore scribit in libro contra Mocianśi Scholasticum Facundus Episcopus Hermianensis: [Mortuus Acacius per libellos ordinandorum episcoporum vsque nunc damnatur] Antiquæ professioni inserta fuit eius damnatio. Facundus adiungit: [Libellis suis episcopi ordinandi Theodorum Mopsuestenum cum suis dogmatibus, & epistolam Ibæ, & Theodoreti scripta damnarunt.] Lib. 3. ep. 2. Hoc est, tria famosa Chalcedonensis synodi Capitula. De hoc ad antiquam professionem additamento scribit Constantio Mediolanensi Archiepiscopo sanctus Gregorius: [Bonifacius Diaconus mihi nunciauit, quod tres se episcopi à pia fraternitatis vestræ communione separauerint, dicentes vos in damnationem trium capitulorum consensisse, atque cautionem fecisse. Et quidem si quid de tribus capitulis in quocumque, vel verbo vel scripto nominatum est, Fraternitas vestra bene reminiscitur, Quamuis decessor Fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicæ emiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt. inter quos ego quoque vrbanam præturam gerens, pariter subscripsi. Quia postquam talis scissura pro nulla re facta est, iustum fuit, vt Sedes Apostolica curam gereret, quatenus vnitatem vniuersalis ecclesiæ in sacerdotum mentibus per omnia custodiret.] Docet varia. Primò, quod ista ad antiquam ordinandorum episcoporum professionem adiectio fuerit facta etiam in Occidentali ecclesia. Secundò, quod Pelagius Pontifex fuerit istius additamenti adeò zelosus Executor, vt Laurentium Mediolanensis Ecclesiæ Electum compulerit contra morem venire Romam, isthìc solemnissimè coram summis testibus professurum, & consecrandum. Tertiò, quod Gregorius à Successore Constantio videatur istud additamentum ex causis non exegisse. Quartò, quod quidam episcopi contra istam nouitatem tantoperè recalcitrauerint, vt Constantio Metropolitæ, quem additamento consensisse suspicabantur, noluerint communicare. Quintò, quod istud additamentum fuerit legitimum. Quia necessarium [ad vnitatem vniuersalis ecclesiæ in Sacerdotum men-

tibus pe omnia custodiendam.] Eadem ratio Bonifacium permouit ad vetustæ Metropolitarum professioni addendam subiectionem, & obedientiam Romanæ Ecclesiæ. Et qui istius temporis, & tunc viuentium in Gallia episcoporum qualitates nouit, etiam nouit additamenti necessitatem.

Tertius Domini Archiepiscopi error est quod dicat omnem obedientiæ professionem à prisco more esse adeò alienam, vt magnus Leo ad Anastasium Thessalonicensem episcopum scribens de causa Attici episcopi, à quo Anastasius similem sponsionem exegerat, dixerit in ea contineri signum iniuriæ. Respondeo istam exactionem omninò fuisse iniuriosam. Pontifex non tacet rationem: [Legebatur in literis tuis, quod Frater Atticus Thessalonicam venisset, quodque consensum suum etiam scripturæ professione signasset, vt de illo non aliud à nobis posset intelligi, quàm proprij arbitrij & spontaneæ deuorionis fuisse quod venerat, quodque chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat, in cuius tamen chartulæ mentione signum prodebatur iniuriæ. [Atticus non erat talis qualis episcopus; erat enim Metropolita veteris Epiri. Et cum Anastasio nescio quas de Apostolicis vicibus, & ipsarum amplitudine quæstiones habuerat. Interim nouellum Vicarium reueriturus, aduenerat Thessalonicam & ediderat spontaneam professionē obedientiæ. Verùm sola voce non cōtentus Anastasius coegit ad scriptā sponsionem. Et de hac exactione scribit Pontifex: [In cuius tamen chartulæ mentione signum prodebatur iniuriæ.] Et subiungit causam: [Non enim necessarium fuerat, vt obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarij aduentus probabat officio.] Hinc Pontifex affirmat ipsam chartæ mentionem esse manifestum signum iniuriæ. Nec professiones, nec ipsarum additamenta exigi possint siue legitimis rationibus.

Notanda etiam sunt hæc Domini Archiepiscopi verba: [Illa nihilominus obedientia ad obseruationem Canonum coercetur.] Sunt suspecta, & videntur prodire ex officina Hincmari Rhemensis. Etenim Hincmarus pertinaciter docuit à Romana Ecclesia sanciri non posse nouos Canones, sed noua dumtaxat decreta. Et non qualiacumque sed sola hausta, atque deprompta ex generalibus ecclesiæ Canonibus. Quæuis alia censuit ex sancti Petri Apostoli priuilegio non procedere, ideòque nec recipienda. Et ipse, & ab ipso instructus Rex Carolus Caluus istud Dogma sustinuerunt in multis ad Romanos etiam Pontifices epistolis. Et ipsum firmarunt præsertim ex sancti Leonis epistola ad episcopos per Campaniam, Picenum, Thusciam, aliasque Vrbicarias prouincias constitutos: [Omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, custodiri debere mandamus.] Ep. 3. c. 5. Affirmarunt non quæuis Romanorum Pontificum decretalia constituta, sed dumtaxat illa, quæ ex sacrorum Canonum disciplinis fuerint promulgata, esse veneranda, & admittenda. Est Dogma Eusebianum, ac Photianum. Eius Sectatores aliud non crepant, quàm Papam obligari ad Canones, ideoque extra ipsorum metas nihil posse sancire. Blaterant Romanos Pontifices, & omnes ipsi adhærentes latinos, iam pridem per diuersa, immò, & per aduersa decreta esse præuaricatores Canonum, ideoque veram ecclesiam ad se solos decreuisse. An quidam hodie laborent ista scabie, suo loco discutietur.

CAPVT XII.

An Patriarcha, Autocephali Exarchi, ac nominatim Carthaginensis Primas olim acceperint Pallium à Romana Ecclesia?

Rationem dubitandi facit Innocentij III. Canon, editus in generali Concilio Lateranensi: Can. 5. [Antiqua Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, sacra vniuersali synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundùm, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, seruata cuiuslibet propria dignitate, ita quod postquam earum Antistites à Romano Pontifice acceperint pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis Insigne, præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.] Sancit varia bene notanda. Primò, Constantinopolitanum Canonem, quo eiusdem ciuitatis episcopo primus post Romanum Pontificem locus defertur, & quem semper Romana constantissime refutauit ecclesia, tandem admittit, & probat. Quidam existimant istud ipsum fuisse antea sancitum à decimo septimo Canone octaui Concilij. At sine fundamento. Quomodo enim octaua synodus circumduxisset Nicolai primi iudicium summa cum consideratione perscriptum ad Bulgaros? Octauæ igitur synodi Canon vnico contextu inuoluit antiquam, & nouam Romam, & Alexandriam prætermittens, subiungit Antiochiam. Studio ita inuoluit: Ne vetustum Romanæ Ecclesiæ iudicium læderet, & ne Græcos, præsertim Imperatorem Basilium & afflictum Patriarcham Ignatium, offenderet. Innocentius III. possit nouæ suæ sanctionis duas habuisse causas. Quod Constantinopolis tunc teneretur à Latinis: Et quod reliquæ Patriarchales Sedes gemerent sub Saracenis. Secundò Innocentius circumducit Paschalis secundi decretum quod Hierosolymitanum Patriarcham Antiocheno præposuerat: Antiocheno restituit Primæuam dignitatem, & locum. Et rectissimè, atque iustissimè. Tertiò mandat, vt omnes Patriarchæ à Romano Pontifice accipiant pallium, & ipsum tunc transmittant subditis Metropolitis. Hinc quæritur, an ista Papalis transmissio sit antiqua.

Re-

Respondeo non esse. Quod omnes Patriarchæ semper debuerint à Romano Pontifice consecrationis, & dignitatis suæ confirmationem supplicare, & ante ipsam legitimè non potuerint sedere, est longè certissimum. Plurima hoc euincunt exempla, ac testimonia. At quod pallium sibi postulauerint, aut acceperint nullum est testimonium, nullum exemplum. Etenim de Alexandrinæ Ecclesię Patriarchis scribit in Nestorianæ, ac Eutychianæ hæresis Breuiario Liberatus, Archidiaconus Carthaginensis Ecclesiæ: [Consuetudo est Alexandriæ, illum,] Patriarcham, [qui defuncto succedit, excubias agere super defuncti corpus, manumque dextram eius suo capiti imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci pallium, & sic legitimè sedere.] Et adiungit: [Defuncto Timotheo Alexandrino episcopo Theodosius ordinatur. Qui licèt haberet cleri decretum, contradicere volentibus non permisit certamen populi. Monachorum] agmen, [quos non habuit pro Gaiano fuerunt.] Est locus mendosus, simili modo supplendus. [Dum hæc,] nempè Timothei cadauer custodire, tradere terræ, & sancti Marci pallium accipere, Theodosius pertentat, cognouerunt populi, & monasteria, quid esset factum vesperè in Episcopio. Mox Theodosium persecuti sunt, & expulerunt, ne colligeret funus Timothei. Inthronizauerunt autem Gaianum.] Liberatus docet nos varia. Primò, quod defuncto Patriarcha, clerus, & populus statim eligeret nouum. Secundò, quod iste electus statim consecraretur. Tertiò, quod consecratus custodiret tota nocte defuncti corpus, humaret proprijs manibus, sancti Marci pallium detraheret eius humeris, ac transferret in suos. Quartò, quod ante ista peracta, ac præsertim ante acceptum suis humeris pallium, legitimè sedere non posset, ideòque nec inthronizari. Hinc enim Alexandrini Monachi ab ista acceptione violenter impedierunt Theodosium, atque ita reddiderunt Inthronismo inhabilem. Statim elegerunt Gaianum, fecerunt ordinari, admiserunt ad Patriarchalis cadaueris custodiam, & translationem pallij, atque ita inthronizarunt. Liberatus nos sextò docet, quod Patriarchis Alexandrinis esset semper idem pallium, ipsumque de Patriarcha semper transferretur in Patriarcham. Septimò, quod esset ipsum sancti Marci pallium, ideòque non Constantini, aut alterius Imperatoris donum, sed institutum Apostolicum. Octauò, quod vestiret solos humeros, ideòque esset simplex omophorion, non talare ornamentum. Liberatus euertit omnes fabellas Petri de Marca.

Cap. 20.

Eumdem Alexandrinæ Ecclesiæ morem laudat sanctus Epiphanius: [Hæc est Alexandriæ consuetudo, vt post episcopi mortem successor non diutiùs differatur, sed subindè pacis tuendæ gratia subrogetur. Ne alij hunc, alijs illum amplectentibus, iurgia in vulgus, & contentiones existant.] Et in literis ad simplicium Pontificem Acacius episcopus Constantinopolitanus: [Petrus] Mogus, hæreticus, ac intrusus Alexandriæ Patriarcha, [filius noctis existens, & operum diei lucentium alienus apparens, omninò tenebras ad latrocinium peragendum congruas earum cooperator inueniens, media nocte, adhuc iacente cadauere illius, qui paternos Canones subuerterat,] vtique Timothei Æluri, [insepulto, subrepsit in Sedem, sicut ipse arbitratus est, vno & solo præsente, & eo, qui consors illius insistebat insaniæ.] Arguit Petrum Mogum de duobus. Primò, quod fuerit consecratus ab vnico episcopo. Secundò, quod Timotheo necdum sepulto, pallium festinus acceperit, atque ita inthronizatus fuerit, & cœperit sedere. Licèt nec Acacius, nec Epiphanius Pallij acceptionem disertè exprimant, ipsam tamen omninò supponunt. Liberato Diacono, qui istius ritus lucidam notitiam ad nos traduxit, summas debemus gratias. Et ex ipsa lucet, quod Alexandrini Patriarchæ olim non acceperint Roma pallium.

Hæresi. 69. Cap. 11.

Idem traducendi pallij mos olim viguit in Hierosolymitana Ecclesia. Vti Alexandrina pallium sancti Marci, ita Hierosolytana Ecclesia sancti Iacobi omophorion traduxit de Patriarcha in Patriarcham. Quo ritu successor ipsum acceperit, an ex defuncti antecessoris corpore, an ex Altari, an ab episcopo consecrante, ignoro. Interim manifestum est, quod Roma non acceperit. Traductio durauit vsque ad Patriarcham Theodosium, qui istud omophorion donauit sancto Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano. Sanè admirandum est, quod adeò pretiosum Thesaurum alienauerit. An huius alienationis causa inceperint alio modo accipere pallium, etiam ignoratur. Interim ista forma viguit apud Armenios. Etenim ipsorum Exarcho Constantino Pazerpeutensi Gregorius nonus Pontifex misit nouum pallium, eò quod prius esset [nimia vetustate consumptum.] Papalis epistola extat apud Clementem Galanum in prima parte operis de concordia Romanæ Ecclesiæ cum Armenia. Quidam putant istud pallium fuisse à S. Gregorio Armeniorum Apostolo. Labuntur. Fuerat enim Roma missum: A magno Papa Gregorio. Infra exponetur.

Eumdem morem seruauit Constantinopolitana Ecclesia. Etenim de sanctis Metrophane, ac Alexandro, primis Regiæ ciuitatis episcopis, scribunt antiqua ipsorum Acta in Bibliotheca Photij: [Metrophanes post Euangelij lectionem nonnulla ad populum locutus, Alexandrum presbyterum, absentem, Archiepiscopalis Sedis successorem renunciat. Populus verò vno ore cum ipso Imperatore aliquot locis exclamauit:] Dignus est. [Deindè sacræ mensæ Altaris humerale imponit, præcipiens hoc successori seruari.] Et sic defunctus est. Et de sancto Eutychio, in eiusdem ciuitatis Patriarcham promoto: scribit in ipsius vita Eustatius presbyter, [Eutychius precibus, & manu Pontificum consecratur, Sancto Spiritu inungitur, Ouis errantis typum super humeros tollit, in Sedem sublimem adscendit, & in Solio sedet.] Docet plura. Primò, quod pallium fuerit typus Ouis errantis. Videlicet laneæ fasciæ. Secundò, quod gestaretur solis episcopi humeris. Ita & hic Eustatius euertit fabellas Petri de Marca. Tertiò docet, quod ipse Eutychius pallium de Altari sumpserit, ac suis im-

imposuerit humeris. Quartò, quod post ipsum sumptum fuerit inthronizatus, & cœperit sedere. Quintò, quod in ipsa consecratione sua sumpserit. Etiam de sancto Germano Patriarcha, eiecto per Imperatorem Leonem Isaurum, scribit Georgius Cedrenus: [Germanum Leo Patriarchæ solio deiecit. Isque Humerale in sacra mensa magni templi deponens, resignauit munus suum, atque discessit.] Posuit in Altari, resumendum à successore. Inter articulos, de quibus Ioannes, Macarij Magnesiani episcopi Diaconus, accusauit sanctum Ioannem Chrysostomum, hic fuit nonus: [Ioannes, totius cleri habito Conuentu, tres Diaconos citauit, Acacium, Edaphium, & Ioannem, & quasi Humerale eius furati essent, accusauit, quærens vtrùm, & ad quem vsum cepissent.] Est obscurus articulus. Quis enim furari velit laneas fascias? Ast erat non personæ, sed Sedis, à primo forsitan episcopo acceptum, & vsque tunc custoditum Humerale: Hinc eius furtum summi fecit sanctus Ioannes. Præsertim quod suspicaretur sublatum ad superstitiones. Hasce suspiciones Ioannes Diaconus volebat temerarias, ideòque Zeloso episcopo vertebat in crimen.

Cap. 9. Porrò de Constantinopolitani Patriarchæ creatione scribit in libro de sacris ordinationibus Simeon Thessalonicensis: [Si electus, vtique in Patriarcham Constantinopolitanum, sit episcopus, post solemnem declarationem statim est Patriarcha, nulloque alio indiget præter solum Inthronismum; Promotus in Ecclesiam venit, templumque ingressus, & sacrum Altare, Epitrachelion, & pallium sibi circumponit.] At verò electum, qui non est episcopus, affirmat consecrandum à Metropolita Heracleensi, exponit omnem or-

Cap. 11. dinationis ritum, & tandem concludit: Pallium demùm accipiens, vtique consecrator, [& Cruce signans, ordinato circumponit, exclamans:] Dignus. [Quod intra, & extra Sanctuarium clarè, & magnificè ter decantatur.] Proindè recentiores Græci circa hæc aliquid mutarunt. Olim Patriarcha, dum non esset episcopus, in consecratione accipiebat pallium, attamen non à consecrante, sed de Altari sumptum sibi imponebat: Mutationis causam, & tempus ignoro. Quidquid sit, nunquam Roma acceperunt. Eadem est ratio Patriarchæ Antiocheni. Infra ostendetur. De Ephesinæ, adeoque etiam de Heracleensis, & Cæsariænsis ecclesiæ ritu scripsit ad Imperatorem Marcianum, & ad Chalcedonensem synodum dixit Bassianus Ephesiorum episcopus: [Abripientes pallium Sacerdotij mei, in Sede posuerunt quemdam, & in locum meum.] Haud dubiè illi imposuerunt, & pallium. Nam antea inthronizare non poterant. Proinde. & istic viguit eadem forma.

Quædam videntur his obstare. Primò, authoritas Luitprandi Cremonensis episcopi, Apostolici apud Græcos Legati, ad ipsorum Imperatorem Nicephorum Phocam dicentis: [Sed quid commemorem, cum ipsa Constantinopolitana ecclesia nostræ sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Romanæ ecclesiæ meritò sit subiecta? Scimus, immò vidimus Constantinopolitanum Pallio non vti, nisi S. Petri nostri permissu. Verùm cum impijssimus Albericus, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleuerat, Romanam ciuitatem sibi vsurparet, Dominumque Apostolicum quasi seruum proprium in conclaui teneret, Romanus [Græcorum] Imperator, filium suum Theophylactum Eunuchum instituit Patriarcham. Cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis eò muneribus satis magnis effecit, vt ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ mitterentur literæ, quarum authoritate tum ipse, tum alij successores absque Paparum permissu pallijs vterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non solùm Patriarchæ, sed etiam totius Græciæ episcopi pallijs vtantur. Quod quàm sit absurdum, censere opus non est.]

Ioannes Morinus in adnotationibus ad Græcorum ordinationes respondet: [Fabella est id, quod scribit author historiæ Legationis Luitprandi Cremonensis episcopi ad Nicephorum Phocam Orientis Imperatorem.] Arguit præsertim hæc verba: [Ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non solùm Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ pallijs vtantur.] Et adiungit causam: [Nec refutatione eget dictum ab vniuersa, & perpetua praxi tam insolens.] Reuera enim omnes Græcorum episcopi ad omne Sacrificium sunt semper vsi pallio. Est res exploratissima. Attamen Iacobus Goar rectè scribit antiqua Monimenta non esse adeò faciliter proijcienda. Et certè fœda istiusmodi commercia non sunt aliena ab isto infelicissimo tempore. Etenim ad vndecimi sæculi annum vigesimum quartum scribit Glaber Rudolphus: [Constantipolitanus præsul, cum suo Principe Basilio, alijque nonnulli Græcorum, consilium iniere, quatenus cum consensu Romani Pontificis liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Romana est in vniuerso, vniuersalem dici, & haberi. Qui statim miserunt, qui deferrent multa, ac diuersa donorum Xenia Romam, tam Pontifici, quàm cæteris, quos suæ parti fauere conspicerent. Vbi conuenientes, apud Pontificem exposuerunt suæ profectionis querelam. Sed quid non pertentat cęcus amor habendi? Est prouerbium: Aureo pugillo murũ frangere ferreũ. Ac licèt pro tempore Philargyria mundi Regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locauit. Mox namque vt viderunt deferri sibi fulgidas Græcorum opes, versum est cor illorum ad fraudulentiæ diuerticula: Pertentantes, an fortè clanculò concedere quiuerant, quod petebatur.] Addit tentamen fuisse impeditum per clamosa murmura totius Italiæ, ac præsertim per instantia monita venerabilis Guihelmi Abbatis Cluniacensis, atque ita obtinuisse Domini verbum: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.] Post Photij tempora Gręci, licèt per Leonis Sapientis Imperatoris pietatem schisma deposuerint, ac redierint ad obedientiam matris Ecclesiæ, semper tamen studuerunt Romanum iugum excutere. Pedetentim, per particulas, & per cuniculos. Hinc igitur Romanus Imperator obtinere studuit, vt Patriarcha Constantinopolitanus posset sine Papali consensu vti pallio.

lio. Non vt deinceps pallium Roma non peteret, sed vt ipso sine illius consensu posset vti. Nam ipsum Roma nunquam petierat. Attamen sine Romana venia non potuerat ipso vti. Etenim nouus Patriarcha debebat semper ad Pontificem transmittere synodicā, & suę dignitatis confirmationem petere. Sine ipsa firmè non sedebat. Immò, licèt inthronizatus, sedere in throno non poterat. Nec exercere dignitatem, adeòque nec vti Pallio. Imperator igitur Romanus à Ioanne XI. postulauit, vt Regiæ ciuitatis Patriarcha deinceps non indigeret Romana confirmatione. Hanc Luitprandus significauit per vsum Pallij. More Latino, vbi iste vsus est Papalis confirmationis symbolum. Hinc Dominus Cardinalis Cæsar Baronius rectè scripsit: [Hæc conuersa sunt in magnum detrimentum ipsius etiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ista indebita accipientis, & ea occasione se magis abalienantis à sinu Matris.] Istud sęculum fuit ignorantissimum. Et Luitprandus Legatus, vel quiuis alius Scriptor istius historiæ, Græcorum mores non satis calluit. Hinc miscuit falsa veris. Scripsit omnes Græcorum Episcopos ex ista occasione cœpisse vti Pallio. Ex eodem fonte Papalem confirmationem expressit per vsum Pallij.

Obijci etiam possit Constantinopolitana Photij Synodus, in qua Ioannis octaui Pontificis Legatio defert eidem Photio Sacerdotales vestes, & Episcopalia ornamenta, ipsumque etiam Pallium. Et ad Constantinum Pazerpertensem, Armeniorum Exarchum, rescripsit Gregorius nonus: [Quibusdam petitionibus per Nuncios tuos nobis ex parte tua exhibitis, ad gratiam exauditionis admissis, petitum à te Pallium, tuo, quod olim Antecessoribus tuis fuit ab Apostolica Sede concessum, iam quasi præ nimia vetustate consumpto, nec non Mitram, Stolam, & Annulum in signum dilectionis, & gratiæ, ac tuæ deuotionis iudicium, Fraternitati tuæ mittimus:] Et magnus Gregorius Pallium transmisit Andreæ, Nicomedianæ ciuitatis Episcopo, atque ita videtur transmisisse etiam Constantinopolitano. Etenim Nicomediensis Metropolis est in Pontificia Diœcesi, atque ita eius Patriarcha potiori iure debuit Roma accipere Pallium. Respondeo istam Constantinopolitanam Synodum esse versutum figmentum, quo facinorosus Photius toti Mundo demonstrare molitus est se esse in communione Romanæ Ecclesiæ, & bona gratia Ioannis Pontificis. Persuadere tentauit omnia contra se à Nicoalo primo, & Adriano secundo sancita esse per Ioannem circumducta, atque ita istos iniquè iudicasse. Nec finxit transmissum sibi solum Pallium, sed omnia Episcopalia Ornamenta: Non ad Episcopalis dignitatis firmitatem impartiendam, sed in singulare symbolum Apostolicæ beneuolentiæ. Armeniorum Episcopi, contra Græcorum, & aliorum Orientalium morem, vtuntur Mitris, Annulis, alijsque Latinis ornamentis. A tempore magni Papæ Gregorij. Cum Romana tunc Ecclesia inierunt firma Pacta, & eius sacros ritus susceperunt, atque ita optimus Pontifex ipsorum Exarcho transmisit omnia Latina ornamenta, vsque ad Pallium. Non ad accepti Episcopatus firmitatem, quam iuxta vigesimum octauum Chalcedonensem Canonem accipiebant à Patriarcha Constantinopolitano, sed ad testimonium initæ concordiæ, ideoque, & singularis dilectionis, & gratiæ. istud Pallium tempore Gregorij IX. erat vetustate consumptum: Hinc Constantinus Exarchus postulauit nouum, & accepit. Eumdem in finem. Adducta magni Gregorij epistola est vitiata. Legendum est: [Nicopolitanæ ciuitatis Episcopum.] At verò Nicopolis, vtpotè caput veteris Epiri, spectat ad Romanum Patriarchatum. L.5.Ep.7.

Res ita cucurrit vsque ad duodecimi sęculi exordium, quando Godefridus, Lotharingiæ ac Bullonij Dux, & alij Francorum Principes cœperunt suis armis proficere in terra sancta, atque episcopalibus isthìc Cathedris imponere Latinos Antistites. Tunc Latini isti Patriarchæ, immò, & quidam Metropolitæ acceperunt Roma pallium. Plerique Metropolitæ maluerunt à Patriarchis accipere. Omnes interim acceperunt. Etenim isthic plantarunt omnes ritus, omnemque disciplinam Latinæ Ecclesiæ. Guilhelmus Tyriorum Archiepiscopus in suis de sacro Bello libris adducit exempla varia, ex quibus discimus omnem rerum seriem. Audiamus singula exempla. In septimo libro scribit Albarensem in Apamæensi, seu secunda Syria ciuitatem fuisse expugnatam à Raimundo, Comite Tholosano, & Petrum Narbonensem illi datum episcopum, atque prosequitur: Cap.8. Petrus Antiochiam, vt suæ consecrationis munus susciperet, de Mandato Comitis profectus, Pontificalis adeptus est plenitudinem potestatis. Postmodùm verò Antiochena ordinata Ecclesia, per Dominum Bernardum, eiusdem ciuitatis Patriarcham Latinorum Primum, suæ Metropolis in eamdem Ecclesiam transtulit dignitatem, suscepto ab eodem pallij genio, factus Archiepiscopus.] Apamea est antiqua secundæ Syriæ Metropolis: Eius Metropoliticam dignitatem Bernardus Patriarcha transtulit Albaram, atque ita Petro, isthic Episcopo, ac Metropolitano, Latino more transmisit pallium.

In tertio decimo libro Guilhelmus scribit de Guilhelmo Tyriorum primo post captam Vrbem Latino Archiepiscopo, suo Antecessore: [Prædecessor noster Dominus Guilhelmus, suscepto consecrationis suæ munere à Domino Hierosolymitano Patriarcha, vt pallium acciperet, inuito, & retinente eodem suo consecratore, Romam profectus est, vbi à Domino Honorio Papa secundo benignè susceptus, quod petebat obtinuit, cum multa honorificentia remissus ad propria.] Cap.23. Hierosolymæ Patriarcha erat Dominus Garmondus. Inter ipsum, & Guilhielmum orta est quæstio de iure dandi pallium. Garmondus ad Patriarcham, Guilhelmus censuit spectare ad Papam. Nempè dandi pallij ritus antea sub Græcis non fuerat apud istas Ecclesias, ideòque neutra pars allegare poterat manifestum Canonem, aut consuetudinem. Porrò in Latina Ecclesia vigebat tunc rigidissima regula, quæ pallium nulli dabat absenti: Etiam remotissimi Metropolitæ cogebantur Romam accedere, & in Papali Consistorio

storio accipere pallium. Hinc Guilhelmus Romam accessit, fuit gratissimus Honorio secundo, & cum summo decore remissus in Sedem. Placebat Pontifici, vt istud in Orientalium Patriarcharum Metropolitas ius deuolueretur in Romanam Ecclesiam. Guilhielmus historicus subiungit: Quid autem in causa extiterit, quod Guilhelmus à Hierosolymitano Patriarcha consecratus, & ei obediens fuerit, cùm à tempore Apostolorum vsque ad eum diem Tyrensis Ecclesia Antiochenæ Sedi subdita fuisse dignoscatur, competenti loco sequens edocebit Tractatus.]

Defuncto Guilhelmo in Tyriam Cathedram successit Dominus Fulcherius, Engolismensis apud Aquitanos, Canonicus Regularis sancti Augustini, de quo Guilhelmus Historicus in quarto decimo libro scribit: [Fulcherius, post quam à Domino Hierosolymitano Patriarcha Guilhelmo suæ consecrationis munus accepit, exemplo Prædecessoris sui volens ad Romanam Ecclesiam pro obtinendo pallio properare, ab eodem Patriarcha, & eius complicibus est passus insidias, & violentiam, ità vt vix, & cum multa difficultate manus eorum posset effugere, & ad Romanam Ecclesiam pro causa prædicta peruenire, sicut ex tenore literarum Papæ Innocentij manifestè deprehenditur.] Innocentij secundi ad Guilhelmum Patriarcham literæ sic habent: [Parùm tibi visum fuit, quod venerabilem Fratrem nostrum Fulcherium, Tyrensem Archiepiscopum, more Prædecessorum suorum pro susceptione pallij venientem ad Romanam Ecclesiam, disturbare præsumpseras, nisi, & erga eum à nobis redeuntem te inhumanum ac difficilem, & nimis asperum exhiberes.] Innocentius diligebat Fulcherium. Durante enim Petri Leonis schismate, fideliter, & generosè apud Aquitanos se gesserat: A Gerardo Engolismensi Episcopo, Petri Leonis pertinacissimo Fautore vexatus, Abbatiam suam derelinquere, in terram sanctam peregrinus abire, & Isthic in Templi monasterio subditus viuere maluerat, quàm Schismatico Idolo adhærere. Proindè lis inter Patriarcham, & Papam tunc adhuc pendebat: Et Innocentius iudicauit pro suo dilecto Fulcherio, adeòque, & pro Sede Apostolica.

Defuncto Bernardo, primo Antiochenorum Latino Patriarchæ, successit Dominus Radulphus, vir Illustrium Natalium, animo generosus, charus populo, verùm non ita Episcopis, & Clero. Hinc sine horum suffragio fuit electus. Et de ipso scribit Guilhelmus Historicus: [Quod,] vtique factam à Populo electionem, [audientes] Episcopi, [qui ad hoc, vt sibi Patriarcham, Auctore Domino, præficerent, conuenerant, timentes furentis, & vociferantis Populi indiscretos impetus, diuisi sunt ab inuicem, ei, quem non elegerant, obedientiam exhibere recusantes. Ille tamen nihilominùs Palatium, & Ecclesiam occupans, statim sine mora pallium de Altari beati Petri, nulla ad Romanam Ecclesiam habita reuerentia, assumpsit.] Erat enim consecratus Episcopus, Archiepiscopus Mamistranus. Hanc eius præsumptionem Lambertus, Antiochenæ Ecclesiæ Archidiaconus, vehementer accusauit apud Innocentium Pontificem, atque ita Radulphus fuit citatus Romam, & compulsus accedere. Guilhelmus Historicus prosequitur: [Radulphus Romam perueniens, prima facie difficiles habuit ad Dominum papam introitus, tamquam Romanæ persecutor Ecclesiæ, & qui singularem Sedis Apostolicæ Primatum comminuere, & infringere voluerit, Sedem æmulam contra Romanam erigens, & parificans Ecclesiam, tamquam læsæ Maiestatis reus, ab ingressu sacri arcetur Palatij, & à Domini Papæ colloquio suspenditur. Porrò tam Dominus Papa, quàm vniuersa Ecclesia, procliuiores erant ad hoc, vt Dominum Patriarcham qualibet honesta occasione grauarent, eiusque Aduersarijs plurimum exhibebant fauorem. Suspectus enim eis habebatur admodùm, eò quod vir esset diues, & magnificus, & Sedem, cui præerat, Antiochenam videlicet, Romanæ subiacere dedignabatur, sed ei eamdem in omnibus parificare contendebat, dicens vtramque Petri esse Cathedram, eamque quasi primogenitæ insignem Prærogatiua. Vndè multipliciter ad eius grauamen nitebantur. Tandem quorumdam Amicorum vsus officio, interuenientibus tam Domini Papæ, quàm suis familiaribus, & semitas dirigentibus, admissus est ad Domini papæ, & Curiæ solemniter congregatæ præsentiam, & cum multa susceptus est magnificentia.]

Lib 13. Cap. 10.

Guilhelmus rectè scribit ipsum de schismatica aduersùs Romanam Cathedram rebellione fuisse suspectum. Hinc enim omnium animi fuerunt constanter auersi. Attamen suspicio carebat firmis fundamentis. Etenim Radulphus censuit se, licèt Latinum, esse tamen Antiochenæ Ecclesiæ Patriarcham, ideòque se succedere in omnia iura, in omnes mores, & ritus, quibus à sancti Petri Apostoli tempore Catholici eius, inter quos multi sancti, Græci Antecessores fuerant constanter, & perpetuò usi. Et inter istos mores fuerat pallium non Roma petere, sed accipere ab Altari. Nec dubitandum est, quin Radulphus ista adduxerit ad sui purgationem. Hinc Innocentius Pontifex causam suspendit, & Guilhelmus prosequitur: [Verùm cognoscens tota Curia, quod qui ad accusandum prodierant, non erant eatenùs instructi, vt Domino Papæ, & eius Assessoribus plenam de obiectis possent ibi facere fidem, significatur ambabus partibus, quod interim quiescant, quousque Dominus Papa aliquem de Latere suo ad partes dirigat Antiochenas, qui ibi habita testium, & instrumentorum copia, de causa pleniùs possit cognoscere. Intereà resignato pallio, quod idem Patriarcha de Altari Antiochenæ sua sibi sumpserat auctoritate, in iniuriam, vt dicebant, Sedis Apostolicæ, & Cardinalibus tradito, aliud ei, sumptum de corpore beati Petri, more solemni per priorem Diaconum traditur. Sic itaque mora, quantum negotium eius videbatur exigere, Romæ habita, cum plenitudine gratiæ, salua tamen quæstione, sumpta licentia, reuersus est.] Nempè Innocentius Pontifex vidit nullam esse speciem attentati schismatis. Nihilominùs constanter voluit, vt omnes isti Latini Patriarchæ pallium acciperent à Sede Apostolica.

ca. Hinc etiam Hierosolymæ Patriarcha Amalricus ipsum per Fredericum Acconensem Episcopum solemniter petijt, atque
Cap. 20. obtinuit ab Adriano quarto. Ita idem Guilhelmus scribit in libro decimo octauo.

Res ita ambulauit vsque ad Innocentium tertium. Interim Flandri nostri occuparunt etiam Constantinopolim, ipsi imposuerunt Latinum Patriarcham, & plerisque istius Imperij ciuitatibus Latinos etiam dederunt Episcopos. Hinc nouus iste Orientalis Ecclesiæ status est deductus ad Lateranensem laudati Pontificis Synodum. Quæsitum est, an Latini isti Patriarchæ deberent Pallium Roma petere, an accipere ex Altari? Et an subiecti Metropolitæ idem ornamentum deberent à Papa obtinere, an à suo Patriarcha? Innocentius erat peritissimus sacrorum Canonum. Quare respondit Patriarchas à Papa, Metropolitas debere à Patriarcha insigniri. Etenim apud nos Latinos Pallium est episcopalis confirmationis symbolum: At verò iuxtà Nicænos, ideòque & iuxtà Apostolicos Canones Episcopatus sui firmitatem Patriarchæ à Papa, Metropolitæ debent accipere à Patriarcha. Eadem ergo est ratio Pallij. Innocentius sanxit pro solis Latinis: Etenim Græcorum ritus sunt omninò Apostolicum Institutum, ideòque absit vt Lateranensis Synodus ipsos circumduxerit, aut circumscripserit. Quapropter Græci, dum à diuina misericordia excessuum suorum veniam, veram Christianitatem, ac auitam libertatem receperint, viuere poterunt iuxtà Canones suorum Parentum. Romana Ecclesia, vti Afris post eiectos Vvandalos reddidit, ità post eiectos Turcos Græcis libentissimè reddet omnia sua priuilegia.

Sanctus Leo IX. constanter affirmat, quod Carthaginensis Archiepiscopus, & quidem solus, consueuerit in Africa habere ab Apostolica Sede Pallium. Quod solus haberet, est manifestum. Et ratio est in promptu: Quod nempè Metropolitica isthìc potestas esset desultoria, ac de ciuitate migraret in ciuitatem. Etiam Pallium potuisset migrare; verùm Ecclesia iudicauit non expedire. Quod autem Carthaginensis Pallium aliquando ab Apostolica Sede acceperit, Leoni IX. est credendum. An semper fuerit ita obseruatum, non possim affirmare. Hac enim de re nihil reperio, nisi synodicam epistolam, qua Victor Carthaginensis Archiepiscopus suam consecrationem per tres Legatos solemniter refert Theodoro Pontifici, & postulat confirmari: [Significamus Deo placitæ Fraternitati tuæ nostram Humilitatem in sancta Carthaginensis ciuitatis Ecclesia Pontificalis honoris accepisse consecrationem & Stolam. In quo dignitatis fastigio, vt à Deo omnipotente regamur, vestris sanctis nos commendantes orationibus, poscimus.] Sacerdotalis honoris Stolam distinguit ab episcopali consecratione, ideòque per ipsam videtur intelligere Pallium. Et addit se accepisse simul cum consecratione: Haud dubiè à consecrante episcopo. Laudata Victoris synodica exstat in Lateranensi Synodo sancti Martini Pontificis.

CAPVT XIII.

Discutiuntur quædam nouelli Scriptoris Asserta circa Pallium.

NOuellus Scriptor nuperrimè vulgauit Diurnum librum Romanæ Ecclesiæ. Et addidit non solummodò Notas, sed insuper tres Appendices Dissertationes, quarum tertia est de vsu pallij. Plura satis infeliciter. Præfatæ Dissertationis quædam sunt discutienda. Primò, hæc verba: [In sacris ornamentis vox, pallium, ambiguam habet significationem. Sumitur enim aliquando pro Num. 5.
veste sacra, quæ superinduitur: Vt quod pluuiale dicitur, quodque cappa, & casula. Aliquando pro insigni quodam dignitatis eximiæ, quod ipsi etiam cappæ, casulæque imponitur. Atque inde pallij nomen sortitur: Quoniam vel pallio imponitur, sicut pallium reliquis vestibus, vel est pallij ornamentum quoddam & decus. Frustrà enim sunt, qui super ea nominatione anxiè quærenda se cruciant.]

Respondeo tria deuiare. Primum est, quod dicat pluuiale, seu cappam, itemque casulam in rebus sacris quandoque appellari pallium, certè pro ista nomenclatura nullum mihi occurrit testimonium. Prætereà apud Romanos casula, & pallium, vti forma, ita & nomine semper fuerunt diuersissima. Secundum est, quod dicat pallium aliquando superponi cappæ, seu pluuiali. Etenim Romanum Pontificale præscribit longè aliud: [Patriarcha, vel Archiepiscopus vti pallio non potest omni tempore, sed tantùm in Ecclesijs, in Missarum solemnijs. Omninò laudat antiquos mores vniuersalis Ecclesiæ. At verò ista solemnia fieri non possunt cum pluuiali, sed dumtaxat cum casula. Tertium est, quod dicat pallium appellari à superimpositione, vel ornamento pallij, quod est casula. Errat variè. Meliorem Ætymologiam adduxi ex sancto Isidoro Hispalensi. Interim valdè probo hanc præfati Scriptoris regulam: [Frustrà sunt, qui super ea nominatione anxiè quærenda se cruciant.]

Nouellus Scriptor pergit: [Sicut in Orientali Ecclesia nullum designari potest
tempus, quo pallium à Patriarchis geri cœpit, sic neque in Occidentali. Quare perpetuus meritò dici potest vsus in summis Pontificibus, cum sacris operarentur, aut munia sibi propria obirent. Fuit certè vsus ante annum trecentesimum trigesimum sextum, quo anno Marcus Papa Hostiensi Episcopo permisit pallium gerere tunc, cùm electum à Clero Romano in summum Pontificem more maiorum ordinaret.] Respondeo pallij antiquitatem esse longè certiorem, ac manifestiorem in Orientali Ecclesia, quàm in Occidentali. Etenim quod sanctus Marcus, primus Alexandrinorum Patriarcha, pallium gesserit, ac ipsum suis successoribus gerendum tradiderit, ac reliquerit, suprà audiuimus à Liberato diacono. Et eius irrefragabilem authoritatem confirmat in literis ad sanctum Cyrillum, ibidem Patriarcham, san-

ctus

Li. 1. ep. 370. ctus Isidorus Pelusiotes, presbyter eiusdem Ecclesiæ: Filius tuus sum. Quippe qui magni illius Marci speciem, atque habitum præferas. Græcus textus habet, quod magnum illum Marcum schematizes. Hoc est, imiteris, ac repræsentes per eumdem eius habitum. Vtique per episcopale pallium. Æquè firma testimonia adduxi etiam pro pallio sancti Iacobi Apostoli, primi episcopi apud Hierosolymam.

Num. 10. Nouellus Scriptor pergit: [Non recedit procul à vero sententia illorum, qui Linum, Petri successorem, huius ornamenti authorem faciunt. Affirmat Rupertum Abbatem Tuitiensem, ac Augustinum Patritium ita sentire, atque prosequitur. [Mirabile porrò est, quod scribit Rupertus, Maternum, qui ad Treuerensem Ecclesiam fundandam à

Num. 11. beato Petro Apostolo missus est, hæreditatem pallij suis successoribus reliquisse. Id enim si verum sit, fateri oportet sanctum Petrum fuisse vsum pallio, eoque Maternum donasse, atque adeò ab exordio nascentis Ecclesiæ summos Pontifices & gessisse, & concessisse pallium. Verùm vt sine testimonio veterum auctor ille duodecimi dumtaxàt sæculi tam antiquam pallij concessionem facit, ita fidem vix obtinere valet, saltem apud homines non vehementer credulos.]

Respondeo Rupertum omninò adiuuari testimonijs veterum. Irrefragabilibus. Testimonio sancti Marci. Sanctus enim Marcus Alexandrinam Ecclesiam non tam suo, quàm potiùs sancti Apostoli Petri nomine, ac vice fundauit, insedit, ac rexit. Ista Ecclesia est Patriarchalis, ac Apostolica, & quidem secunda totius Christianitatis Sedes, ideòque fundari, ac insideri debuit non per alium, quàm per ipsum Apostolorum Principem Petrum. Loquor rem firmam, & cunctis Christianæ Hierarchiæ Peritis exploratam. Proinde quidquid sacræ disciplinæ sanctus Marcus istic instituit, accepit à sancto Petro. Insigniter hoc docet magnus Leo in literis ad Dioscorum, nouellum Patriarcham istius

Epist. 81. Ecclesiæ: [Vnum nos sentire oportet & agere. Cùm enim beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in eius permaneat Institutis, nefas est credere, quod sanctus Discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, alijs regulis traditionum suarum Decreta formauerit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus Spiritus fuerit Discipuli, & Magistri, nec aliud Ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab Ordinatore suscepit.] At verò quod inter alias sancti Marci traditiones, ac decreta fuerit episcopale pallium, iam audiuimus à Liberato diacono, ac sancto Isidoro. Igitur Marcus istud accepit à sancto Petro.

Quod ipsum confirmatur ex pallio sancti Iacobi Apostoli. Etenim magnus ille, & antiquus aduersùm Montanistas Scriptor, & gloriosus martyr Apollonius [ex veterum traditione refert Dominum Apostolis suis mandasse, ne infra duodecim annos Hieroso-

Lib. 5. c. 17. lymis excederent.] Ita testatur in ecclesiastica historia Cæsariensis Eusebius. Isto igitur tempore Apostoli disposuerunt Ecclesiam, ac eius fundamentales ritus ordinarunt. Quare dubitandum non est, quin ex istis decretis sanctus Iacobus assumpserit pallium. Quod ipsum sanctus Petrus omninò fecit Antiochiæ, ac inde portauit Romam, quod perditæ ouis, ac pastoris ipsam super humeros reportantis Parabola fuerit, & Apostolis, & primis eorum successoribus vsitatissima, demonstrant plurima ipsorum testimonia. Et certè illa nobis prædicat originalem humani generis lapsum, illius reparationem per scandalum Crucis, episcopalem zelum in lucrandis animabus, aliaque non pauca, aut parua mysteria: Hinc illa omnia Apostoli censuerunt esse nobis repræsentanda per episcopale pallium.

Scriptor ille pergit: Par est credere, prioribus temporibus Pallium datum esse solis Occidentalibus à Pontifice. Nullum enim reperitur exemplum dati Orientalibus, ante constitutos in Oriente Patriarchas Latinos. Num. 19.
Nam quod de sancto Cyrillo narrant Theodorus Balsamon & Photius, eum accepisse à sancto Cœlestino cum Vicaria potestate exercendi in Ephesina Synodo Iudicicij de Nestorio Phrygium, quòd interpretantur Pallium, infirmo fundamento innititur. Siquidem nullum de potestate præsidendi Concilio demandata exstat in literis sancti Cœlestini, Actisque Concilij verbum, nullum & de Pallio. Immò creditur à nonnullis hæc fabula à Constantinopolitanis, tunc cum ab Ecclesia Latina se abstraxissent, eo consilio conficta, vt Alexandrinorum dignitatem deprimerent, velut à Romanis profectam, aut certè auctam. Videntur hæc desumpta ex Andrea Saussayo, qui in libello de Sacro Pallio scribit: Obseruandum, extra Occidentem Pallium dictum fuisse Cap. 3.
Phrygium, quod Phrygiorum opere texeretur, crucibusque passim insigniretur. Libellus exstat in eius opere de mysticis Galliæ Scriptoribus.

Respondeo vtrumque manifestè labi. Primò, quod dicant Phrygium, sancto Cyrillo à beato Cœlestino Pontifice datum, fuisse Pallium: Et ita tradi à Theodoro Balsamone ac Photio. Etenim sanctus Cyrillus habebat sancti Marci Pallium, ideòque non indigebat alio. Vacuum fuisset istud beneficium. At verò Græcorum Patriarchæ, ac episcopi olim non gestabant Mitras: Hinc fieri possit, vt ipsam Cœlestinus Cyrillo donauerit. Ad firmandã eius in Ephesina Synodo authoritatẽ. Et istud asserit Theodorus Balsamon. Audiamus eius verba in Commentario ad Photij Tit. 8. c. 1.
Nomocanonem: Huius quoque temporis Patriarcha Alexandrinus ex præsenti Constantinianæ donationis edicto ius habet, vt cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cœlestino, quando coacta est Synodus Ephesina contra Nestorium. Cum non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium, visum est, vt sancto Cyrillo à Cœlestino permitteretur huic Synodo præsidere. Vt itaque constaret eum habere ius, & authoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnauit Nestorium. Ab illo igitur tempore cum eodem Phrygio Sacra celebrant, & procedunt Patriarchæ Alexandrini. Per Phrygium nullatenùs Pallium intelligit, sed Mitram. Nam & istud ibidem appellat Caddenarium, non hu-

humerorum, sed capitis ornamentum. Et Pallium etiam apud Orientales est simplex lana, ideòque remotissima à Phrygio. Et pallium est intra ecclesiam, immò intra sacra Missarum Solemnia circumscriptum: Cum ipso non potest procedi. Et quid opus multis? Niecephorus Callixtus lucidè scribit: Ex quo tempore fama est S. Cyrillum mitrā accepisse, quæ deindè per successionem ad eos etiam peruenerit, quibus forte Ecclesiæ Alexandrinæ Thronus legitimè obuenisset, sacrosepiscopos. Etiā in Græco textu habetur vox, Mitra. Quare non est paraphrasis Latini Interpretis.

Li. 14. c. 34.

Alter istius nouelli Scriptoris error est, quod de Ephesina sancti Cyrilli Præsidentia nullum sit verbum in sancti Celestini literis, Actisque Concilij. Est horrendus error. Etenim Ephesinæ Synodi post Romanorum Legatorum aduentum facta ad Principem relatio laudat istorum Legatorum potestatem, & adiungit: Et hæc quidem etiam antequam Sanctissima hæc Synodus conueniret, Celestinus Sanctissimus magnæ Romæ episcopus per literas suas indicauerat, Cyrilloque Sanctissimo magnæ Alexandrinæ ciuitatis episcopo, vt suas vices subiret, commiserat. Etiam relatio, quæ allatæ per Ioannem sacrarum Largitionum Comitem Sacræ respondit, ac item alia sancti Cyrilli reparationem postulans relatio disertè illum appellant Synodi Præsidem, ac Ioannem Antiochenum de intolerabili audacia arguunt, quod fuerit in ipsum ausus contumeliosi iudicij manus mittere. Et hinc per Romanos Legatos reparatus Cyrillus præsedit cunctis Synodalibus Actionibus: Præsedit etiam ante illos. Scio quod vtraque relatio non solum Cyrillum, sed etiam Memnonem, quem constat non fuisse, appellet Præsidem: Nempè per figuratam Grammaticam, quæ vnius Substantiui idioma trāscribit etiam in aliud, ei in eadē constructione adiunctum.

Porrò Cyrillum per Apostolicas vices præsedisse, disertè testatur prima sancti Gelasij Pontificis Synodus: In sancta Ephesina Synodo Nestorius condemnatus est, consensu beatissimi Celestini Papæ, mediante Cyrillo, Alexandrinæ Sedis Antistite, & Arcadio episcopo ab Italia destinato. Et in libello, quem Anastasij secundi Pontificis ad Anastasium Imperatorem Legatis dederunt, Dioscorus & Chæremon, Apocrisarij Alexandrinæ Ecclesiæ: Si quando contigerit in rebus ambiguis quædam episcoporum Concilia celebrari, Sanctissimus is, qui Romanæ Ecclesiæ præsideret, reuerendissimum Alexandrinæ ciuitatis Archiepiscopum deligebat, vt sui loci curam susciperet. Palam respiciunt sanctum Celestinum, & Cyrillum. Et omnes Græcorum episcopi in professione, quam Chalcedone apud sanctam Euphemiam fecerunt Vigilio Papæ, laudant Ephesinam Synodum, & adiungunt: In qua in Legatis suis, atque Vicarijs, idest, beatissimo Cyrillo, Arcadio & Proiecto episcopis, Philippo Presbytero, Celestinus Papa noscitur præsedisse. Professio exstat in Constituto Vigilij. Etiam Liberatus Diaconus in Breuiario scribit de Ephesina Synodo: Cyrillus habens vices Sedis Apostolicæ. Proindè Cyrillus fuit omnium Legatorum primus, ideòque & primo supra omnes loco semper sedit. Et Mitram accepit à Papa, non Pallium. Niecephorus tamen Galixtus rectè addit: Fama est. Quoniam est incertum.

Cap. 5.

Nihilominùs fateor in hodie exstantibus Celestini Papæ literis expressè non laudari hanc Apostolicam Cyrilli Præsidentiam. Nempe delegans epistola perijt, aut latet. Eius tamen insignem memoriam habemus in rescripto, quod ad varias Cyrilli quæstiones dedit Celestinus: Itàque breuiter responsum tuæ reddimus Sanctitati. Etenim quæris, vtrùm sancta Synodus recipere debeat hominem, videlicet Nestorium, à se Prædicata damnantem, an quia induciarum tempus emensum, sententia dudum lata persistat. Tuæ sit Sanctitatis hoc cum venerando Fratrum Concilio. Cyrillus varias circa Synodalem Processum, ac authoritatem questiones Celestino proposuit, & Pontifex cunctas remisit ad Cyrilli cum futuro Concilio arbitrium, atque ita palam affirmat, ac supponit Cyrilli præsidentiam. Et certè Cyrillus istiusmodi Dubia referre non poterat, nisi ex officio præsidis. Et quidem hoc rescriptum non accepit nisi ab Arcadio, & Proiecto, Legatis episcopis, post damnatum Nestorium. Ex quo lucet delegatorias præsidentiæ literas fuisse priores, & Cyrillo ad manum fuisse in ipso exordio Synodi. Nam sine ipsis nihil Synodale inchoare poterat. Quæ omnia elucescent etiam ex Commonitorio, quod Legatis è suo Latere ad Synodum episcopis Celestinus dedit, & quod suo tempore vulgabitur.

Nouellus Scriptor pergit: [Ex Veterum monimentis nullum reperitur vestigium dati Pallij Africanis vllis, saltem quamdiù Africana Ecclesia retinuit aliquid pristini splendoris. Imò datum omninò non fuisse ratio conuincit. Nam cum Pallio tribuebatur Archiepiscopi nomen, à quo ita abhorrebat Africana Ecclesia, vt in Concilio sanciuerit, ne primæ Sedis Episcopus appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid eiusmodi, idest, Archiepiscopus, sed tantùm primæ Sedis Episcopus] Respondeo Archiepiscopalis Tituli apud Afros vsum esse abundè expositum in superioribus. Interim Carthaginensis Episcopus, licèt ipso dudum vsus non fuerit, erat tamen magnus Metropolita, ac insuper Primas multarum Prouinciarum. Et quod Pallium habuerit, disertè affirmat sanctus Leo nonus. Et rectè affirmat. Etenim Victorem Carthaginensem Episcopum, dum suam consecrationem retulit, & confirmandam supplicauit, supra audiuimus scribentem ad sanctum Theodorum Pontificem: [Significamus tuæ Deo placitæ Sanctitati, nostram Humilitatem, Diuina gratia præueniente, in sancta Carthaginensis ciuitatis Ecclesia Pontificalis honoris accepisse consecrationem, & Stolam :] Epistola exstat in Lateranensi Synodo sancti Martini Pontificis. Per Stolam omnino intelligit Pallium. Est phrasis istius temporis; Etenim authenticus, & insigniter orthodoxus isto tempore Scriptor, qui laudati Martini Martyrium eruditè descripsit, hæc habet: [Suscipientes sanctum Martinum Carnifices exuerunt exteriùs eius Pallium sacerdotalis Stolæ.] Et Theodosius Hierosolymæ Patriarcha S. Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano, dum sancti Iacobi Apostoli transmisit Pallium, scripsit se mittere]

Poderem, & Superhumerale cum mitra, Pontificalem Stolam sancti Iacobi Apostoli.] Hoc est, quæ erant Pontificalis Stola. Quod palmare donum fuerit Superhumerale, disertè testantur Nicetas Paphlago, ac Michael Syncellus. Et ex istis videmus, quod Carthaginensis Antistes Pallium Roma non acciperet, sed à suis Consecratoribus. Attamen sanctus Leo nonus non malè affirmat, quod ipsum acceperit ab Apostolica Sede.

Nouellus Scriptor post varia pergit: [Cum summi Pontifices soliti sint Episcopos, quos pallio donabant, sedulò monere, vt eo inter sola Missarum solemnia vtantur, immò Gregorius magnus Rauennatem Episcopum in Litanijs gerentem grauiter redarguat, quamquam posteà fatigatus importunis precibus id indulsit, quæri non immeritò potest, quæ fuerit tam expresi, tamque instantis Moniti causa.] Adducit varias coniecturas, & adiungit: [Inde verò fit consequens, vt pretiosæ vesti, cuiusmodi sacra Casula, pretiosus olim Ornatus adderetur, non item lanea tænia, & vile quoddam additamentum. Neque obijci potest, quod posterioribus temporibus eadem admonitio perseuerarit, etsi laneum cœperit esse pallium. Nam vel mos antiquus admonendi retentus est, quia retentæ pariter mittendi pallij veteres formulæ.

Respondeo hæc esse friuola, ac insuper falsa. Falsum est, quod sacra Casula olim fuerit pretiosa vestis. Fuit lanea, ad instar pallij. Et talis etiamnùm hodiè est apud Græcos, tenacissimos antiquorum rituum. Etenim clamosus ille Græcus, qui Innocentij Tertij Pontificis tempore varias contra Latinam Ecclesiam vomuit contumelias, scribit inter cætera: [Latinorum Sacerdotes, & Episcopi Sacerdotales Stolas, idest, Casulas non de lana, sed de sericis natura contexentes, eis operantur, diuturnas ipsas præparantes; cum huiusmodi Stola, id est, Casula, vel Planeta, Christi habitum repræsentet, quem habuit, quando exutus fuit vestimentis suis, & indutus Chlamyde Coccinea, quæ de lana contexta erat, qua nos vtimur Quadragesimali tempore. In alijs verò diebus vtimur albis: Eò quod Christus Agnus immolatus dicitur. Et ideò ex vestimentis Ouium nobis Casulas præparamus.] Docet varia. Primò, quod omnis sacra Casula olim fuerit ex lana. Etiam Casula Episcoporum. Nempè Phenolion Polystaurion. Secundò, quod id factum sit ex causa sacræ significationis: Nempè ad repræsentandam laneam Chlamydem, qua Christus Dominus per ludibrium fuit indutus à Pilati militibus. Tertiò, quod fuerit, & alia illius ritus causa: Quia Christus est magna illa Ouis, quæ pro nobis immolatur, idcòque, & immolationis Minister induitur ex lana. Quartò, quod Casula sit quandoque alba, quandoque coccinea: Quia nempe Græci in Diuinis officijs non vtuntur alijs coloribus. Quintò, Latinos graviter arguit, quod istum ritum mutarint, & Sericum admiserint ad Casulas. Est friuola calumnia. Est tamen vera. Etenim à multis sæculis non cœpimus vti serico, ac alijs pretiosis texturis. Ex his interim vides nouellum hunc Scriptorem caduco niti fundamento, vt credat, aut suadeat pallium olim fuisse non ex lana, sed ex pretiosa materia.

Porrò ratio, ob quam Ecclesia noluit episcopos nonnisi intra Missarum solemnia vti pallio, est non modica. Etenim laneum Pallium significat Ouem perditam: Hæc autem reperta, ac redempta non est, nisi per cruentum Crucis Sacrificium. Illic Christus Dominus exspoliauit Principatus, ac Potestates, triumphans illos in semetipso, ac nos ex ipsorum seruitute redimens: Et Decreti, quo nostra captiuitas erat sigillata, chyrographum de medio tollens, & affigens cruci. Eadem igitur de causa episcopi, nostrum Redemptorem, ac Portatorem repræsentantes, non possunt vti nisi in incruento Sacrificio. Eadem de causa Pallium insignitur crucibus. Eadem de causa magnus Gregorius fuit adeò difficilis, ac morosus, vt Rauennatum Metropolitæ eius vsum in Litanijs permitteret. Nam quod, & hoc indultum postmodò circumduxerit, testatur in eius vita Ioannes Diaconus.

Nouellus Scriptor prosequitur: [Ex dictis nonulla potest oriri historica quæstio de materia pallij. Fuitne semper, quæ nunc est, an pretiosior quondam alia? Orientale laneum fuisse quinto sæculo testatur Isidorus Pelusiotes. Nec videtur dubium, quin semper fuerit.] At verò de Occidentali pallio plurimum dubitat, propter Ioannis Diaconi verba de pallio magni Gregorij: [Gregorij pallium bysso candente contextum, nullis cernitur acubus perforatum. Circa scapulas obuolutum, non autem confixum dignoscitur: Sicut vetustissimis musiuis, vel picturis ostenditur.] Multa de istis verbis disputat, ac tandem concludit, [Vsum lanei pallij incæpisse circiter initia noni sæculi, ex Ioanne Diacono non obscurè quis conijciat. Videtur enim fecisse byssini pallij Gregoriani mētionem, & simul antiquitatem viri laudasse, qui tacitè nouitatem suis æqualibus obijceret. Qua enim alia de causa vtrumque præstitisset?] Vrget verba Ioannis Diaconi, quæ asserunt per istam pallij formam repræsentari viri antiquitatem.

Lib. 4. Cap. 7.

Num. 41.

Num. 55.

Respondeo hæc insigniter elucidari à Fratre Angelo Rocca, Tagastensi Episcopo, Præfecto Apostolici Sacrarij. In eruditis ad magni Gregorij imaginem Notis affirmat à Ioanne Diacono laudari, non Latinum, sed Græcum Gregorij pallium, & adiungit:] Ego tametsi in Ædicula sancti Andreæ pallium beati Gregorij more Latino factum reperi, illud tamen more Græco, à Ioanne Diacono conscriptum, incidendum hoc loco putaui. Hunc item in modum non solùm in imaginibus summorum Pontificum typo æneo incisis à Lino Papa vsq; ad Milthiadem, sed in vetustis quoque ecclesiarum musiuis, præsertim verò ad sanctum Petrum, in eorumdem Pontificum imaginibus, quas Formosus Papa pingendas Romæ curauit, in hanc eamdem formam pallium pictum fuisse inueni. Idem videre est ad sanctum Paulum, & multis alijs in locis: In quibus etiam Honorium primum, Ioannem quartum, Theodorum primum, complure sque alios ante Gregorium magnum, & post eius tempora, hac pallij forma, qua nunc Græci vtuntur, decoratos

ratos reperi. Hæc itaque pallij forma tempore beati Gregorij in vsu habebatur, deinde multis post sæculis in desuetudinem deducta est, noua ad maiorem commoditatem inuenta, ac in vsum recepta.]

Affirmat duo. Primò, quod antiqua Romanarum Basilicarum musiua, ac picturę attestentur vtrique summorum Pontificum Pallio. Et Gręco, & Latino. Etiam in eodem Pontifice. Et quidem item in beato Gregorio. Quam diuersitatem non facilè inuenies in picturis aliarum Gentium. Omnes Germanorum, ac Gallicanorum Antistitum vetustæ picturæ eos repræsentant in solo Latino Pallio. Rationem adduxi superiùs. Quia nempè Romani Patriarchatus Diœceses olim erant partim Latinæ partim Græcæ: Et cunctis Romanus Antistes transmittebat pallia. Hinc ipse, quò se communem repræsentaret Patrem, quandoque hoc vtebatur, quandoque isto. Et vtramque formam pictores aliquandò ex causis, aliquando ex artis arbitrio expresserunt. Angelus Rocca secundò affirmat hanc ambidextram formam mansisse vsque ad nonum sæculum: Tunc factam mutationem, & contractionem ad formam Latinam. Et loquitur non sine fundamento. Tunc enim non solus sceleratus Photius, sed etiam Sanctus, & tot, ac tantis Romanæ Ecclesiæ beneficijs cumulatus Constantinopolitanorũ Patriarcha Ignatius stabiliuit rapinas Imperatoris Leonis Isauri, & Orientale Illyricum sine restitutionis spe auulsit ab Apostolica Sede. Tunc igitur etiam Romani Pontifices possint valedixisse Græco pallio, & se ob schismatis detestationem constrinxisse ad solum Latinum.

Et hanc solam mutationem possit respexisse Ioannes Diaconus. Quod tunc enim Pallij materia fuerit mutata, est friuolum, ac insigniter temerarium commentum. Et forsitan ad eamdem classem pertineat Ioannis Diaconi assertio de byssino pallio sancti Gregorij. Etenim ipsum pallij corpus Ioannes non vidit: Iudicauit ex solis Romanarum Basilicarum musiuis, ac picturis. Et quomodo ex ipsis introspexisse possit, an istud esset lana, an linum. Ioannes est Gregorio ad duo sæcula iunior: proinde non ex solis imaginibus loqui debebat, sed ex authenticis testimonijs. Et certè scribit de solo Græco sancti Gregorij pallio: Quod certum est fuisse ex pura lana. Græcorum pallia semper fuisse talia, mox lucidè demonstrabitur. Interim ego nolim ipsius fidem frustrare. Hinc supradicti forsitan Gregoriani pallij fundum fuisse Byssinum. Quod si ita sit, rationem ignoro. Et certè in Græco præsertim pallio fuerit res mira. Quidquid sit, Gregoriani pallij antiquitas, quam laudat Ioannes Diaconus, possit fuisse in sola pallij forma. Quia nempè Gregorius adhuc vteretur Græco pallio. Certè vnicum, posterum, ac infirmum Ioannis Diaconi verbum non possit omnem antiquitatem subuertere.

Nouellus Scriptor adiungit [Gregorium magnum lanæ numquam meminisse, cum de pallio scriberet ad eos, quibus mittebat: Meminisset tamen absque dubio, si per veritatem licuisset. Vt enim erat allegoriarum incredibiliter amans, ex materia Pallij sumpsisset argumentum prædicandæ humilitatis, ad quam tantoperè pallio donatos hortabatur.] Respondeo Gregorium etiam frequentia scripsisse de Mappulis, Tunicis, ac Dalmaticis, & tamen numquam earũ edisseruisse sacras significationes, aut materiã. Quia nempè erant cunctis notissima. Porrò pallium nequaquam est humilitatis symbolũ: est simbolum grauissimi oneris, ac summæ magnificentiæ. Etenim significat Christianum Populum. Apostolus ad Sanctum Titum scribit de Christo Domino: [Vt sibi mundaret Populum acceptabilem.] Græcus textus habet: [Populum circumsubstantialem.] Nempè nos omnes circumhæremus Christo Domino, vt filij ad patrem, vt pulli ad matrem. Eodem modo totius Parochiæ Populus adhæret suo Episcopo: Prouincia Metropolitæ, Diœcesis Patriarchæ, Romano Pontifici vniuersa sub cœlo Ecclesia. Gestant omnem illium Populum, & gestare spondent, ac debent vsque in cæleste Regnum. Proindè sunt magnifica, & splendida figura Christi Domini. Hinc magnus Gregorius assiduè inculcat pallium esse eximium, ac illustre ornamentum. Addit Metropolitam ex ipso non posse inflari, sed portandum esse cum summa humilitate. Quia nempè omnia sunt precaria beneficia Diuinæ gratiæ. Quæ omnes Mysticæ repræsentationes euanescunt, si pallium non fuerit ex lana.

Nouellus Scriptor paria docet de Orientali Ecclesia, & scribit: [Nihilo plus valet quod Græci habent, aut potiùs Græcorum vnus Isidorus Pelusiota, de Pallio Orientalis Ecclesiæ Præsulum: Pro Latinis enim, de quibus agimus, non facit.] Adducit totam sancti Isidori epistolam, & adiungit: [Obseruandum primò totum in eo esse Isidorum, vt rerum sacrarum Mysticas significationes exponat, quo argumento nullum est vanitati coniecturarum opportunius.] Mystica Isidori circa sacrum Diaconale Linteum Sensa refert, ac refutat, & prosequitur: [Nihilo probabilius est, quod Isidorus de Superhumeralis Episcoporũ commentatur si tamen superhumeralis nomine intelligatur id, quod in hac quæstione pallium vocatur.] Inuadit significationem, qua Isidorus affirmat per Pallium, vtpotè laneam fasciam, significari perditam Ouem, & ex his concludit: [Hæc cum ita sint, non video, qua ratione possit perpetuus ille lanei pallij vsus in Latina ecclesia defendi.] Respondeo hæc ita non esse. Esse varios errores. Primus est, quod inter Græcos solus Isidorus Pelusiotes scribat Episcopale pallium esse laneam fasciam, significatiuam perditæ Ouis. Etenim in Apologetico ad Imperatorem Theodosium libro sanctus Cyrillus laudat Ephesinam Synodum, quod Nestorium degradando rapacem Lupum, Ouina pelle detracta, omnibus mortalibus notum reddiderit. Et Chalcedonensis Synodus in relatione ad sanctum Leonem Papam scribit de degradato à se Dioscoro, Alexandriæ Patriarcha: [Lupum Pastorali pelle nudauimus, qua priùs quoque figura tantummodò, seu in speciem conuincebatur obtectus.] Et in libello, quem aduersùs Anthimum, Eutychianum, ac ab Eutychiana Imperatrice Theodora intrusum Patriarcham,

sancto Agapeto Pontifici obtulerunt Martianus, ac alij Regiæ ciuitatis Archimandritæ, hæc habent: [Contra Anthimum insurrexistis, & Lupum, qui conabatur cooperiri per pellem Ouis, & trascendere ostium Ecclesiasticum, Ouina pelle denudastis.] Libellus extat in prima Actione Constantinopolitanæ Synodi sub Patriarcha Menna. Pariforme sextæ synodi de degradato Macario Antiocheno Patriarcha testimonium est adductum in superioribus. Aduersùs Macarium in octaua actione exclamauit vniuersa synodus: [Nouo Apollinario malos annos. Meritò ab episcopatu alienetur, Nudetur circumposito ei Pallio.] Et fuit "denudatus." Et de hac denudatione vniuersa synodus scripsit ad sanctum Agathonem Pontificem: [Macarium Pastoritia veste denudauimus.] Quod item sanctus Eutychius, dum in Patriarcham Constantinopolitanum fuit consecratus, Ouis errantis typum super humeros acceperit, supra audiuimus ab Eustatiho presbytero.

Ex quibus addiscimus plura. Primò, quod episcopale Grecorum Pallium omninò fuerit Ouina pellis. Secundò, quod ista pellis circumponererur ipsorum humeris Tertiò, quod omninò significauerit errantem, ac perditam Ouem. Quartò, quod fuerit non dumtaxat Ouina, sed insuper Pastoritia. Quia nempe episcopum constituebat Pastorem humeris portantem suas Oues. Omnem sibi subiectam Parochiam, Prouinciam, aut Diœcesim. Quare Romanus Pontifex portat magnam Ouem: Vniuersam sub cœlo Christianitatem. Deinde episcopus esse debet non dumtaxat Ouium portator, sed etiam prima, & omnium mundissima Ouis. Hinc praui episcopi, dum Pallium induunt, nec sunt Oues, nec Ouium Pastores, sed rapaces Lupi in veste Ouina. Quintò, quod Alexandrinus, Antiochenus, & Constantinopolitanus, ideòque & omnis omninò Oriētalis episcopus gestauerit tale Pallium. Et quidem Pallium, quo Chalcedonensis synodus denudauit Dioscorum, erat Pallium sancti Marci: ideòque & ipsum fuit ex lana. Ex quo discimus sextò, quod istud sit non solius sancti Marci, sed etiam Institutum sancti Apostoli Petri. Proindè hic laneum Pallium gessit, ac dedit etiam Antiochiæ, & Romæ. Et omni Latinæ, immò toti sub cœlis ecclesiæ. Septimò discimus, quod Græcorum episcopi semper consueuerint degradari per ablationem Pallij. Octauò, quod Anthimo Constantinopolitano Patriarchæ sanctus Papa Agapetus abstulerit Pallium. Ex quo non parùm vacillat fides Liberati Diaconi, scribentis ipsum ab Anthimo fuisse redditum Imperatrici Theodoræ. Nonò, quod hæc non sint commenta, aut speculamina solius Isidori Pelusiotæ, sed perpetua, ac firma traditio totius Orientalis, immò totius sub cęlo ecclesiæ.

Secundus error est, quod hæc non faciant pro Latina Ecclesia. Etenim Græci Pallij auctor omninò est sanctus Petrus: Quod ab ipso & Alexandrinum, & Antiochenum ducat originem, quis possit ambigere? Nec ambigendum est: quinetiam concurrit ad institutionem Hierosolymitanæ disciplinæ. Etiam certum est, quod istic institutum Pallium, secum detulerit Romam. Quare similiter certum est, quod sancti Gregorij Pallium fuerit Pastoritia, & Ouina pellis. Ad istud euertendum nequaquam validus est Ioannes Diaconus. Quid si quis coniecturet textum eius esse mendosum, & legendum: [Quasi ex bysso candenti contextum?] Hanc inquisitionem, & iudicium relinquo me Sapientioribus. Tertiùs error est, quod sanctus Isidorus per Omophorium forsitan non intelligat pallium. Quis non videat istam dubitationem esse manifestum errorem? Quartus error est, quod mystica sacrorum Rituum significatio sit inter omnia argumenta, quàm maximè opportuna vanitati coniecturarum. Certè ego ab infantia didici sacros ecclesiæ mores, & ipsorum vetusta significata humiliter venerari.

Trium Autocephalarum Sedium forma est non nihil elucidanda. Bassianus Ephesinus episcopus, Asiaticus Exarchus, aduersùs suam violentam degradationem, immò latrocinalem eiectionē, scripsit in suo libello ad Imperatorem Martianum: [Quidam eorum, qui Sacerdotio funguntur, nec non & alij vulgares, crudelia in me facere præsumpserunt. Spernentes enim immaculatorum virtutem Mysteriorum, quæ ex humilibus manibus meis susceperant, postquàm à nobis Mysteriorum perfectio celebrata est, repentè apprehendentes me, & abripientes de sancta Ecclesia, plagis afficiebant, ducentes & portantes in forum, aliquandò verò & recludentes, gladijs me subiecerunt. In ijs itaque, dum ipsius vitæ periculum sustinerem, furentes & abripientes pallium Sacerdotij mei, in Sede posuerunt quemdam ex eis, qui & ipse præsumpserat ea, quæ in me incongruè facta sunt, & in meum locum.] Eadem de re Bassianus dixit, ad Chalcedonensem Synodum: [Crastina die Missas celebrauimus omnes simul. Et post Missas, manus inijcientes, incluserunt me, & cum vi abripuerunt pallium Sacerdotij mei, & sumentes vnum ex ipsis, hunc Stephanum, fecerunt episcopum.]

Affirmat varia. Primò, quod in Missarum celebratione gestauerit pallium. Quia nempè Græci ipso vtebantur ad quoduis solemne Sacrificium. Etiam lucet vocem, "missa," esse insigniter antiquam. Non habetur in Græco textu, attamen huius Latinæ translationis author videtur fuisse venerabilis Iulianus, Coensis episcopus, vnus è Patribus Chalcedonensis Concilij. Secundò Bassianus queritur, quod ipsum inimici Pontificalibus indumentis ornatum traxerint extra Ecclesiam, vsque in forum. Videtur non solam barbaram violentiam culpare, sed etiam suo sacro pallio illatam irreuerentiam: Quia ipsum portari non poterat extra Ecclesiam. Tertiò queritur, quod se illo spoliauerint, atque ita extra episcopatum eiecerint. Quartò, quod Stephanum presbyterum statim consecrauerint in episcopum, atque etiam inthronizauerint. Licèt non exprimat, apertè tamen supponit, quod consecrato etiam pallium dederint, aut sanè quod ille sibi ipsi acceperit. Etenim ante acceptum pallium, nec Patriarcha legitimè po-

poterat sedere in Throno, adeòque nec inthronizari. Quare existimo, quod Ephesinus, vti & alij duo Exarchi, pallium, quorumdam Patriarcharum more, de Altari sumpserit. Et ipsum pallium sui Antecessoris. Forsitan illud ipsum, quod sanctus Timotheus acceperat à sancto Paulo. Et ita videtur fuisse factum, vsq; dum sanctus Ioannes Chrysostomus, ac eius in Regiæ ciuitatis Cathedra Successores cœperunt inuadere istas Diœceses, consecrare eorum primates, atque ita Autocephaliam euertere. Et tunc omninò illis imposuerunt etiam pallium. Porrò Bassianus oderat istas rapinas, ideòq; inthronizatus fuerat, sine interuentu sancti Procli. Etiam Stephanus, eius Aduersarius. fuit taliter consecratus. At verò Chalcedonensis synodus, per suum vigesimum octauum canonem probauit rapinam. Quapropter exinde isti Exarchi, vti consecrarionem, ita & pallium debuerunt à Constantinopolitano Patriarcha accipere. Non per transmissionem, sed in ipsa consecratione.

CAPVT XIV.

Exponuntur Africanarum Synodorum variæ species, forma, atque auctoritas.

AFricanæ Synodi fuerunt in sextuplici differentia. Prima species erat illa Synodus, quam cum suæ Parochiæ clero faciebat quisque episcopus. Olim dici poterat Parochialis, nos hodie appellamus synodum Diœcesanam. Est antiquissima. Etenim de Vrsacio, ac Valente, Arianis episcopis, ad Imperatorem Constantium scribit Hosius episcopus Cordubensis: [Vltrò Romam venerunt, & coram episcopo, ac presbyteris ibi præsentibus confessionem suam scripto ediderunt.] Exstat epistola apud sanctum Athanasium in literis ad eius monachos. Et de Iouiniano Hæresiarcha, ac eius Asseclis scribit ad Mediolanensem Ecclesiam Siricius Pontifex: [Facto ergo presbyterio, constitit] ipsorum dogmata [doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi esse contraria, vnde omnium nostrum, tam presbyterorum, quàm etiam totius cleri, vna suscitata sententia est, vt nouæ hæresis Inuentores, Diuina sententia, & nostro iudicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent.] Istam synodum Siricius presbyterium, nos hodiè appellamus Romani Pontificis Consistoriũ. In simili synodo, memorata & exposita per presbyterum Paulum Orosium, Ioannes Hierosolymæ episcopus discussit dogmata Hæresiarchæ Pelagij. Et ex Siricij testimonio patet, quod nouas etiam hæreses, non in generali totius ecclesiæ synodo, sed in solo Romano Consistorio damnare, sit res antiquissima, atque authentica. Talium in Africa synodorum, plura exempla habemus in literis sancti Cypriani. Istiusmodi item fuit synodus, in qua sanctus Augustinus curauit, sibi in successorem eligi presbyterum Eradium.

Attamen rariora, sunt apud Afros exẽpla huiusmodi synodorum. Etenim modicùs erat clerus in multis ecclesijs. Quod plures non nisi vnicum haberent presbyterum. Ad Primatem Aurelium dixit in plena synodo Posthumianus episcopus. Et ipse Cap.54. Aurelius: [Tanta indigentia clericorum est, multæque ecclesiæ ità desertæ sunt, vt ne vnum quidem Diaconum, vel illiteratum habere reperiantur. Nam de cæteris superioribus gradibus, & officijs tacendum arbitor. Quia si Ministerium Diaconi, facilè non invenitur, multò magis superiorum Honorum inueniri non posse, certissimum est. Et quotidiè nos planctus diuersarum, ferè emortuarum plebium iam non sustinemus, quibus nisi fuerit aliquando subuentum, grauis nobis, & inexcusabilis innumerabilium animarum pereuntium causa, apud Deum mansura est.] Hinc in Afrorum synodis quandoque videmus episcopos, ob vnicum puerulum Lectorem grauiter contendentes. Subuenit tandem S. Augustinus per sua apud omnem Africam multiplicata monasteria. Quod ex ipsis abundantem clerum omnis Africa acceperit, testatur in illius vita S. Possidius. Insuper inopes erant Afrorum ecclesiæ, & paucorum prouentuum. Et in nulla, nisi in sola Carthaginensi, lego fuisse Archidiaconum, aut similes dignitates. Non nego fuisse, sed affirmo occurrere rarissimam ipsorum memoriam. Hinc etiam existimo Parochiales synodos apud Afros fuisse rariores. Fuisse forsan celebratas à paucis vicinis inter se episcopis.

Afrorum Codex laudat [plenarium Cap.98. vniuscuiusque prouinciæ Concilium. Alius, qui quinto Carthaginensi Concilio adscribitus, ibidem canon exponit: Placuit, vt quo- Can.76. tiescumque Concilium congregandum est, episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliqua grauiori necessitate impediuntur, competenter, occurrant. Et Primatibus suarum quarumcumque prouinciarum intimetur, vt de vniuersis episcopis, vel duæ, vel tres turmæ fiant, & de singulis turmis viciſſim, quotquot electi fuerint, ad diem Concilij instantissimè occurrant. Quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in Tractoria conscribant. Vel si post Tractoriæ aduentum aliquæ necessitates repentè forsitan ortæ fuerint, nisi rationem impedimenti sui apud Primatem reddiderint, ecclesiæ suæ communione debere esse contentos.] Afrorum Prouinciæ habebant numerosissimos episcopos. In catalogo, quem suis libris indidit Victor Vtirensis episcopus, Numidia habet centum viginti tres. Et non paucas deesse nouit ille, qui plures hinc inde occurrentes diligenter annotare voluerit. Afri seruabant Nicænum canonem, mandantem, vt bis in anno fiat prouinciæ synodus. Hinc ne tot episcopi toties fatigarentur, quasdam in tres, quasdam prouincias sanxerunt diuidi in duas turmas, atque ipsas alternatim conuocari. Diuisio videtur subfuisse Primatis arbitrio, atque ita possit eadem prouincia quandoque trifariàm, quandoque bifariàm fuisse diuisa. Excipe tamen Tripolitanam. Hæc non habebat nisi quinque, aut sex episcopos, ideòque non egebat ista diuisione. Nihilominus quandoque ex gra-

grauioribus causis conueniebant omnes prouinciæ episcopi. Ita ad discutiendos Pelagianæ Hæresis articulos Aurelius omnes proconsularis prouinciç, Syluanus Primas conuocauit omnes episcopos Numidiæ. Et sine talis synodi assensu Carthaginensis Exarchus non poterat nouos episcopatus erigere. Dicebatur plenarium non totius Africanæ Diœcesios, sed totius prouinciæ Concilium. Quare plenarium Concilium apud Afros habuit duas species. Etiam prouinciæ synodus. Non plena est secunda, plena eius synodus est tertia species Africanarum synodorum.

Cap. 3. De Tractoria, seu literis tractorijs scribit in sexto libro Dominus Petrus de Marca: [Legati, siuè Vicarij episcoporum,] à synodo, aut simili conuentu [absentium, exhibebant vicem eorum cum literis tractorijs. Sic illa ætas vocabat literas, quibus episcopi committebant vices suas ijs, quos ad synodos mittebant, vt patet ex hoc loco, & ex formula decima quarta, quæ continet Tractoriam, quam Prudentius Tricassium episcopus per Vicarium suum mittit ad celebrandum electionem episcopi Parisiensis. In collectione tamen canonum Africanorum tractoriæ, siuè tractatoriæ dicuntur literæ, quibus Metropolitanus episcopus Comprouinciales inuitat ad synodum.] Locus ab ipso laudatus est inter antiquas, quas secundo Gallicanarum synodorum Tomo subiecit Iacobus Sirmondus, episcopalium promotionum formulas vndecima, agens de examine Williberti Presbyteri, electi Catalaunensis: [Conuenientibus apud Carisiacum pro examinatione Williberti Presbyteri, qui futurus erat Catalaunensis episcopus, Hincmaro Diœcesis Remensium Archiepiscopo, item Hincmaro Laudunensium episcopo, Odone Belginagorum episcopo, cum Legatis Rothaldi, Erpulni, Hilmeradi, Raginelmi, & Ioannis, eiusdem Diœcesis episcoporum, vices eorumdem Patrum suorum cum tractorijs, sicut Regulæ præcipiunt, exhibentibus.] Porrò laudata quarta decima formula habet hanc epigraphen: [Tractoria Prudentij episcopi Tricassini, quam per Vicarium misit ad ordinationem Ænææ Parisiensis episcopi, cum ipse adesse non posset.] Erat mandatum episcopi, seu episcopalis mandati instrumentum. Dicebatur [tractoria, seu tractoria epistola,] quod per ipsam episcopus suum Legatum, aut Vicarium traheret ad synodum, aut aliud quoduis negotium. Grassabantur tunc in Gallia quæstiones miserabilis Monachi Godeschalci, & Hincmari Metropolitæ Rhemensis de Diuinis auxilijs, atque decretis. Hinc sanctus Prudentius in Ænææ promotionem consentire noluit, nisi ille consuetæ Episcoporum professioni adderet duos articulos. Primum, quo S. Augustini de diuinis auxilijs, ac decretis dogmata profiteretur se admittere. Alterum, quo quatuor famosa præfati Metropolitæ Hincmari Carisiaca Capitula damnaret. Et hoc ante Hincmari oculos. Et Ænæas debuit obedire, Iudicio vnius Prudentij. Quid igitur Dominus Archiepiscopus culpat Sanctissimum suæ gentis Apostolum, ac Restauratorem Bonifacium, quoniam antiquæ Metropolitarum professioni curauit synodaliter adijci articulum de præstanda obedientia Romanæ Ecclesiæ?

Interim Dominus Archiepiscopus labitur, quod sanctus Prudentius suum Vicarium miserit ad celebrandam Ænææ electionem. Etenim misit ad electi examen, & consecrationem. Et constanter dicendum est, tractoria. Quidam hinc inde Codices legunt, tractatoria: At certum est esse Mendosos. Etiam tractoriarum plures fuerunt species. Etenim in literis ad Africæ Vicarium, quibus mandat Africanos episcopos transmitti ad primam Arelatensem synodum, Imperator Constantinus scribit: [Singulis episcopis singulas tractorias tribuas.] Iacobus Sirmondus in suis ad epistolam scholijs exponit: [Tractoriæ dicebantur Diplomata, seu Codicilli, quibus copia fiebat vsurpandi cursus publici.] Desumpsit ex Hieronymo Bignonio, ad vndecimam, quæ de Regiorum Legatorum tractorijs sancit, Marculphi formulam scribente: [Tractoriarum vsum à Romanis mutuatum esse hæc formula indicat. Sunt autem Diplomata, quæ dantur Missis, vel Euocatis à Principe, vt cursu publico vti possint, quem alioquin absque Diplomate vsurpari fas non erat, adscriptis etiam locis, & mansionibus, quibus sumptu publico ali debent. Commeatus enim in itinere præstandus definiri his literis solebat, vt hæc quoque formula exemplo est.] Demonstrat istam vocem non rarò sic vsurpari etiam in antiquis Francorum Regum Capitularibus. Et esse desumptam ex Legibus Romanorum. Et hæc est originalis, & primaria significatio.

Secundam significationem adducit, in literis ad quosdam Donatistarum episcopos sanctus Augustinus, de Excommunicatis, ac alijs per Ecclesiam damnatis scribens: [Missa Tractoria super eorum nomine per totum Orbem terrarum, ab omnibus Ecclesijs eorum communio præcidetur.] Laudat Encyclicas literas, quibus antiqua Ecclesiæ disciplina famosam alicuius damnationem denunciabat, atque ita trahebat per omnes sub cœlo Ecclesias. Tertiam vocis significationem adducit in Commonitorio super Cœlestij nomine Marius Mercator, laudans Encyclicam, atque Dogmaticam epistolam, qua sanctus Papa Zozimus damnauit Pelagianos errores, & quam subscribendam transmisit ad omnes sub cęlo episcopos: [Beatæ memoriæ episcopi Zozimi epistola, quæ tractoria dicitur, qua Cœlestius, Pelagiusque damnati sunt, quæ & Constantinopolim, & per totum Orbem missa, subscriptionibus SS. Patrum est roborata.] Hæc est epistola, cui Iulianus Eclanensis episcopus subscribere noluit, & aduersùs quam appellauit ad generalem totius Ecclesiæ synodum, ideòque solemniter cum suis damnatus, fuit proscriptus ex Italia, atque ita tanquam secundus Cain cœpit vagari toto Orbe Romano. Simili ferè modò vocem accipit sanctus Leo in literis ad sanctum Paschasium, Lilybetanum in Sicilia episcopum, suum in Chalcedonensi synodo Legatum: [Antiochenus episcopus, missis per prouincias suas tractorijs, & vniuersi episcopi epistolæ meæ præbuere consensum.] Laudat Encyclicum programma, quo Maximus Patriarcha Antiochenus dogma-

Marginalia: Epist. 162. — Cap. 5. — Epist 65.

maticum suum tomum publicarat, per omnes suas prouincias, & iusserat ab omnibus episcopis admitti per solemnem professionem, atque subscribi. Istiusmodi literæ & sua obiecta per totum orbem, & subditorum consensum trahebant in ipsas: Hinc meritò dicebantur tractoriæ.

Quarta igitur Tractoriæ species est superioris Antistitis epistola, qua sibi subditos episcopos ille conuocat ad synodum. Hanc Tractoriam laudat adductus Africani Codicis Canon, qui in quinta Carthaginensi synodo est decimus. Eamdem laudat in scripto post Carthaginensem collationem libro sanctus Augustinus, scribens Donatistas fuisse eò euocatos per sui Primatis Tractatoriam. Istius Tractoriæ formam docet nos idem Augustinus in literis ad Victorinum Episcopum: [Tractoria ad me quinto Idus Nouembris venit, iam finito die, & me valdè indispositum inuenit, vt occurrere omninò non possem. Verùmtamen siue imperitiam meam mouerit, siue iustè motus sim, tuæ sanctitatis, & grauitatis est arbitrari. Legi in eadem Tractoria etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas Prouincias scimus suos habere Primates. Quod si, & ex eis ad Numidiam conuocandum esset Concilium, oportuit vtiq; vt aliquorum Maurorum Episcoporum, qui isthìc priores sunt, nomina in Tractorio ponerentur. Quod in ista Tractoria non reperiens, multùm miratus sum. Deinde ad ipsos Numidas ita perturbato, & neglecto ordine scriptum est, vt nomen meum tertio loco inuenerim, qui noui quàm post multos episcopus factus sim. Quæ res, & alijs iniuriosa est satis, & mihi inuidiosa. Præterea venerabilis Frater, & Collega noster Xantippus Tagastensis dicit, quod eum Primatus ipse contingat. Et erga plurimos sic habetur, & tales mittit epistolas. Qui etiam error si facilè inter vestram sanctitatem cognosci, & corrigi potest, non debuit tamen in tractoria, quam venerabilitas tua misit, nomen eius prætermitti. Quod si in medijs locis conscriberetur, & non in primo poneretur, multùm mirarer: Quantò magis mirandum est, quod nulla ibi eius admemoratio facta est, qui maximè ad Concilium venire debuit, vt de ipso Primatus ordine causa omnium Numidarum episcopis ecclesiarum primitùs ageretur. His de causis etiam venire dubitarem, ne forsan falsa esset Tractoria, qua tanta peruersitas appareret.]

Epistola non caret mendis. Etenim pro verbis, [Inter sanctitatem vestram cognosci & corrigi potest,] videtur legendum: [Inter sanctitates vestras cognosci, & corrigi non potest.] ad verba, [Omnium Numidarum Episcopis,] videtur dicendum: [Ab omnium Numidarum Episcopis.] Ad vocem, [Qua tanta peruersitas appareret,] addenda videtur præpositio, [In.] Deinde Xantippus malè scribitur Tagastensis Episcopus. Etenim in Numidia non fuit, nisi vnica Tagasta, & eius tunc episcopus erat sanctus Alipius. Quare legendum puto: [Xantippus Tigisensis.] Quidquid sit, inter Xantippum, & Victorinum fuit lis de primatu Numidiæ. Vterque dixit se seniorem totius Prouinciæ, ideòque, & Primatem. Vterque se intrusit in possessionem, Tractorias mittens per omnem Prouinciam, ac omnes Collegas euocans ad synodum. Quo in loco, & qua ratione fuerit decisa causa ignoro. Interim Xantippus obtinuit victoriam. Etenim in Africanis synodis aliquoties legimus: [Xantippus episcopus primæ Sedis Numidiæ.] Nisi tamen Victor euaserit per mortem Victorini. Porrò Victori Tractoria, licèt ineptissima, per sancti Augustini correctionem docet nos plura. Primò, quod in synodali Tractoria debuerint exprimi nomina omnium Episcoporum, qui ad synodum euocabantur. Quod omnes euocati, licèt diuersarum essent Prouinciarũ, debuerint, poni in eadem Tractoria, nequaquã in diuersis. Hinc enim Augustinus Victorinũ arguit, quod Mauritaniæ Episcopos, quos ad suam synodum etiam euocarat, in directa ad Numidas Tractoria non expressisset. Secundò nos docet, quod omnium, & singulorum episcoporum nomina debuerint inscribi, nullius penitùs prætermitti. Hinc enim Victorinus arguitur, quod Xantippum, licèt suum aduersarium competitorem, non inscripsisset. Agitur de Tractoria ad plenam totius Prouinciæ synodum, non ad illam quæ fiebat per vnicam dumtaxat turmam. Tertiò docemur, quod omnes debuerint inscribi suo ordine. Hinc enim Augustinus affirmat Xantippum debuisse inscribi primum, & grauiter arguit, ac queritur se tertio loco fuisse inscriptum, ante multos seniores. Et hinc sanxit quinta Carthaginensis synodus:] Quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in Tractoria subscribant.] Quapropter Tractoria debuit apud Afros esse largum folium immò integrum volumen: Et inter singulorum episcoporum nomina debuit habere spatium, capax interscribendæ excusationis. Hæc epistola, quoniam episcopos trahebat ad synodum rectè dicebatur Tractoria.

Quarta Africanarum synodorum species fuit [Africana synodus, de qua antiquus Romanæ Ecclesiæ Codex: Quæ in Concilio Africano sunt promulgata, in hoc Carthaginensi Concilio confirmantur.] Distinguit Carthaginense Concilium, & Africanum. Et in literis ad Valentinum, Adrumetini Monasterij Præfectum, sanctus Augustinus laudat, ac distinguit Concilium Prouinciæ Carthaginensis, Concilium Numidiæ, Africanum Conciliũ, & Concilium plenarium totius Africæ, Africanam synodum credo fuisse illã, quæ non ex omnibus, sed tamen fiebat ex pluribus Prouincijs. Istiusmodi fuit synodus Adrumetina, de qua habet Carthaginensis, celebrata sub Arcadi tertio, secundo Honorij Consultatu: [In hoc Concilio Legati directi sunt episcopi Proconsulares ad Concilium Adrumetinum.] Eiusmodi fuit etiam Teleptensis synodus, aut Zellensis in Byzacio. Aderant enim Vincentius Colusitanus, & Fortunatianus Neapolitanus Episcopus, Legati Proconsularis Prouinciæ. Istiusmodi synodum facere volebat etiam Victorinus ad sibi firmandum, quem prætendebat, Primatum Numidiæ. Et illum sanctus Augustinus culpauit, non quod Mauros inuitasset ad synodum, sed solummodò quod ipsos in Tractoria non expressisset: quod omnem, quam volebat, synodum non conuocasset per eamdem

Cap. 1.

Epist. 47.

dem Tractoriam. Ex quo discimus, quod Prouinciarum Primates, dum tractandi negotij grauitas cogeret, ac suaderet, potuerint ad suam synodum inuitare vicinam Prouinciam. Carthaginensis poterat, & cogere.

Can. 2. Quinta earum synodorum species est illa, quam laudat ac dirigit tertia Carthaginensis synodus: [Placuit vt propter causas ecclesiasticas singulis quibusque annis Concilium conuocetur, ad quod omnes Prouinciæ quæ primas Sedes habent, de Concilijs suis ternos Legatos mittant, vt & minùs inuidiosi, minusque hospitibus sumptuosi Conuentus plena possit esse authoritas. De Tripoli autem propter inopiam episcoporum vnus episcopus veniat.] Erat plenaria totius Africanæ Ecclesiæ synodus, habebatque plenam vniuersalis Concilij authoritatem, attamen celebrabatur per solos, & paucos Legatos Prouinciarum. Fiebat ista personarum diminutio, quo annuus iste Conuentus esset minùs sumptuosus, vt minori pateret inuidiæ, vt quotannis non fatigaret omnes episcopos. Etiam Proconsularis Prouincia, licèt intra ipsam ageretur synodus, mittebat Legatos. At plures. Nam in Carthaginensi synodo, quæ cum Apostolicæ Sedis Legatione tractauit quæstiones de Clericalibus ad laudatam Sedem appellationibus, adfuerunt decem Proconsulares Episcopi, & adiungitur [Legati Proconsularis Prouinciæ.] Et in synodo, quæ dicitur tertia Carthaginensis, hæc legimus: [Omnes episcopi, quadraginta quatuor numero, subscripserunt.] Duarum Mauritaniarum, Numidiæ, Byzacij, ac Tripolitanæ Prouinciæ erant in vniuersum tredecim: Non poterant esse plures. Quare ex Proconsulari Prouincia, præter præsidem Aurelium, erant episcopi triginta. Catalogus, quem suis libris inseruit Victor Vticensis Episcopus, affirmat isto tempore in Proconsulari Prouincia fuisse episcopos quinquaginta quatuor. Erant longè plures Sedes. Etenim synodo, quam sub Innocentij Pontificatu celebrauit Aurelius contra Pelagianos, adfuerunt episcopi sexaginta octo. Nec dubitandum est, quin plures abfuerint. Quare existimo istos triginta episcopos fuisse vnam è tribus turmis, & harum vnam istis Carthaginensibus synodis semper adfuisse. Porrò istæ synodi non semper Carthagine, immò non semper in Carthaginensi Prouincia, sed modò fiebant in hac, modò in ista. Hinc existimo Prouinciam, sed in cuius gremio fiebat synodus, habuisse singulare priuilegium, ex quo possent plures episcopi adesse. Ad minùs vna turma: Forsitan tota Prouincia. Etenim quinto Carthaginensi Concilio præter Aurelium Præsidem subscripserunt septuaginta duo Episcopi, adeòque sexaginta, aut quinquaginta nouem Proconsulares. Haud dubiè ipsorum aliqui ex causis abfuerunt, ideòque videtur adfuisse reliquum corpus totius Prouinciæ. erat reuera singulare priuilegium. Etenim apud Ferrandum Diaconum habemus hunc Canonem Thusdritani Concilij: [Episcopus, qui non suscepta Legatione vniuersali Concilio interesse præsumpserit, ab eis episcopis, qui Legationem suscipiunt, ad ipsum Concilium non admittatur.] Canon debet intelligi de Episcopis Prouinciarum, extra quas celebrabatur synodus.

Quapropter hi synodales Legati debebant synodaliter eligi. Hinc in Carthaginensi, quæ sub Theodosij, ac Rumorodio Consulatu celebrata dicitur, synodo ad Præsidem Aurelium dixit sanctus Alipius episcopus Tagastensis: [Nos quidem de Numidia venimus, & sancti Fratres Augustinus, & Possidius, sed de Numidia Legatio mitti non potuit, quod adhuc tumultu Tyronum episcopi proprijs necessitatibus in ciuitatibus suis, aut impediti, aut occupati sint. Nam etiam Tractoriam sanctitatis tuæ cùm ad sanctum Senem Xantippum deferrem, in præsenti tractatu hoc visum fuerat, vt Concilium indiceretur, quo instructa Legatio posset ad Concilium destinari, sed cum posterioribus literis adiungerem de impedimento Tyronum, Rescriptis proprijs excusauit.] Et Aurelius directo ad totam synodum sermone respondit: [Non dubium est, quod prædicti Fratres, & Coepiscopi nostri Numidiæ, cum gesta Concilij acceperint, & suos adhibebunt consensus, & in effectum deducere maturabunt quæcumque in Placitum venerint. Cura ergò istius Sedis, hoc ipsum, vt eis intimetur, necesse est prouideri.] Alipius, Augustinus, ac Possidius videntur à Xantippo Primate transmissi ad synodum. Quod tamen non essent synodaliter electi, non præsumpserunt se ingerere, sed causam, ex qua non esset facta electio, exponentes obtulerunt se iudicio synodi. Et synodus gratiosè, ac dispensatoriè eos admisit. Ob varias causas. Primò, quod intermissæ, quæ eligere debuerat, synodi causa esset peremptoria. Secundò, quod personæ essent omni exceptione maiores, ac plenæ fidei. Tertiò, quod essent ordinarij suæ Prouinciæ Legati ad synodos. Quartò, quod synodi Acta, adeòque, & suam admissionem, sponderent ratificanda, probanda, ac admittenda ab omni sua Prouincia. Quintò, quod istam curam Aurelius diceret spectare ad suam Primitialem Sedem, atque ita in se reciperet. Porrò ista Legatio eligi debuit non à plenaria, sed dumtaxat ab ordinaria Prouinciæ synodo, quæ erat vnius solummodò turmæ.

Eadem in synodo defuerunt Legati Mauritaniæ Cæsariænsis, ac Tripolitanæ Prouinciæ. Hinc quidam episcopi hæsitarunt, utrùm esset aperienda synodus, & in ipsa procedendum. At verò Lucianus, & Syluanus, Sitifensis Mauritaniæ Legati, reposuerunt: [Serò ad Cæsariænses Fratres nostros Tractoria venit. Nam iam & illi venirent. Tamen necesse est, vt veniant. Et confidimus de animis ipsorum, quia si quid in hoc Concilio gestum fuerit, & ipsi sine dubio suos consensus adhibebunt.] Rogant & suadent Legatos istos tantisper exspectari, atque ita differri synodum: Profitentur tamen, si diù morentur, posse procedi. At verò de Tripolitanæ Prouinciæ Legato dixit ad synodum Præses Eurelius: [De Tripolitanis Fratribus nostris hoc potui condiscere, quod Dulcitium Fratrem nostrum destinauerint Legatum. Sed quia non potuit occurrere, hoc asseuerauerunt quidam filij nostri, venientes de supra-

dicta

dicta Prouincia, quod memoratus naui se commiserit, & credendum est, accidisse nonnullam de tempestatibus moram, quæ retardarit eius aduentum. Tamen etiam circa ipsos, si Charitati vestræ placet, hæc forma seruabitur, vt Placita Concilij ad eosdem transmittantur.] Et synodus repofuit: [Hæc, quæ statuit sanctitas vestra, omnibus placent.] Proindè quantumuis maior Legatorum pars, etiam ex causis abesset, synodus poterat pergere, & habebat plenam authoritatem. Quod ipsum confirmat Honorati, & Vrbani, Sitifensium Legatorum, ad Carthaginensem synodum interlocutio: [Iam dudum, cum apud sanctitatem vestram allegaremus scripta, dilati sumus ea contemplatione, quo vsque Fratres nostri aduenire possent de Numidia Legati. Sed quia non pauci dies sunt, quibus exspectati minimè venerunt, vltrà prętermittere, quę nobis mandata sunt à nostris Coepiscopis, non oportet, atque ideò Fratres, suggestionem nostram libenter admittite.] Et synodus admisit, ac processit.

Porrò legati adducere debuerunt varias à suæ Prouinciæ synodo literas. Primò testimoniales suæ legationis literas, siue tractoriam. Et ipsas examinandas, probandas, Gestis inserendas exhibere synodo. Hinc ad suam Carthaginensem, Theodosij, ac Rumorodij consulatu celebratam, synodum præfatur Aurelius: [Ordo rerum deposcit, vt primitùs de fratribus nostris, & Consacerdotibus, qui ad concilium, vel de Byzacio, vel certè de Mauritania conuenerunt, quæramus quemadmodùm huic concilio decreuerint interesse. Et offerentibus Philologio, Geta, Venustiano, & Feliciano, Episcopis Prouinciæ Byzacenæ, Legationis literas, & recitatis; offerentibus etiam Luciano, & Syluano, Legatis Mauritaniæ Sitifensis, Legationis literas, & recitatis; Aurelius Episcopus dixit: Horum scriptorum textus seruabitur Gestis.] Sunt quatuor Byzaceni, duo dumtaxat legati Sitifenses. Contra regulam. Rationem ignoro. Suspicor esse mendum. Vnum Sitifensem scriptorem vitio migrasse ad Byzacenos. Interim ista tractoriæ exhibitio non fuit Afris propria, sed est commune ius totius ecclesiæ. Præter istas literas legati habuerunt sua, quæ egredi non poterant, suæ synodi mandata, ac sua insuper commonitoria. Item quædam solo verbo citra scriptum mandata. Etenim præfati Honoratus, & Vrbanus dicunt ad synodum: [Et illud nobis verbo mandatum est.] Erant enim illustriores suarum Prouinciarum Episcopi, ideòque fide per omnia digni.

Sexta Africanarum Synodorum species est plenissima totius Diœcesios Synodus, non per solos legatos, sed per omnes omnium Prouinciarum Episcopos. Ioannes Garnerius in digressione de Concilijs Africanæ Ecclesiæ aduertit ad plenissimas hascè synodos numquam comparuisse omnes omnium Prouinciarum Episcopos, sed ex quauis vnicam dumtaxat turmam, & dat suæ sententiæ fundamentum: [Vndè intelligere est, quam ob causam nulla Catholicorum Africana Synodus legatur plures episcopos habuisse, quàm ducentos, & viginti ad summum, cum tamen in Africa fuerint plures quingentis Ecclesiæ Episcopales Catholicæ. Scilicet conueniebat ex singulis prouincijs vna tantùm turma; id est, media ferè pars, ex qua tamen aliqui iustas haberent absentiæ causas, Id verò sapienter institutum fuit, ne Pastoribus suis orbatæ ecclesiæ damni quidquam paterentur. Suam enim vicino episcopo remanenti profecturus commendabat. Ea porrò disciplina viguit apud catholicos, sed alijs moribus viuebant Donatistæ.] Obseruatio non est temeraria. Etenim licèt ista prouinciarum in turmas distributio fuerit introducta pro solis prouinciarum synodis, videtur tamen vsu fuisse extensa etiam ad plenissimas totius Africæ. Numerosissima post istud decretum celebrata synodus, si Photij Bibliothecæ credimus, fuit ducentorum viginti quatuor episcoporum. Hinc Ioannes Garnerius non malè infert præfatis synodis adfuisse non totas prouincias, sed vnam solummodò turmam. Errat tamen turmam generaliter fuisse mediam partem. Erat quandoque tertia pars. At verò Aurelij Primatis canones spernebantur à Donatistis. Quare ipsi non habuere turmas, & permanserunt in antiqua, quæ vsque ad schisma per totam gentem fuerat, consuetudine. Hinc in ipsorum Bagaiensi Synodo ex solis Primianistis fuerunt treceuti, & decem episcopi. Lib. 53.

In hac etiam synodo præsertim locum habuit hic canon Africani codicis: [Cum quibusdam peractis, multi episcopi cæterorum peragendorum moras se conquererentur sustinere non posse, & ad proprias ecclesias festinarent, placuit vniuerso concilio, vt ab omnibus eligerentur de singulis quibusque prouincijs, qui propter alia peragenda residerent.] Hos electos synodus appellat Iudices, & addit ex vtraque Mauritania, Numidia, ac Byzacio tres, ac decem proconsularis prouinciæ legatos fuisse electos in istos Iudices. Nullum ex Tripoli. Nempè quod nullus legatus aduenisset. Etiam in Carthaginensi collatione septem ex catholicis, & totidem ex Donatistis fuerunt electi, vt agerent omnia. Erant omnium reliquorum Compromissarij. Attamen tunc id factum est non ad dimittendos reliquos episcopos, sed ad euitandas clamorum in futura collatione turbulentias. Dico istum canonem habuisse locum etiam, ac præsertim in plenissimis Afrorum Synodis. Quoniam licèt in synodo, & pro synodo ex legatis emanauerit, potiori tamen iure locum obtinuit in plenissimis synodis. Can. 127.

Occurrunt aliquot quæstiones. Prima est, Quoties oportuerit celebrare hascè synodos? Respondeo plenariam ex solis legatis synodum multò tempore fuisse celebratam singulis annis. Hinc tertia Carthaginensis Synodus, & Hipponensium Canonum compendium ipsam appellant [Concilium vniuersale anniuersarium.] Et illud compendium adiungit: [Vt per singulos annos Concilium conuocetur.] Exponit in Carthaginensi Synodo Primas Aurelius: [Constitutum fuit in Concilio Hipponensi, vt singulis annis contraheretur Concilium Africæ plenarium.] Exstat in Africano Codice. Videtur ibidem exstare integer Hipponensis Canon: [Confirmandum est in hac synodo, vt secundùm Nicœna statuta, propter causas ecclesiasticas, quæ ad perniciem Plebium sæpè veterascunt, singulis Cap. 7. 8. Cap. 6. Cap. 94. Can. 18.

singulis quibusque annis concilium conuocetur, ad quod omnes prouinciæ, quæ primas Sedes habent, de concilijs suis binos, aut quantos elegerint, episcopos legatos mittant, aut congregato conuentu plena possit esse authoritas.] Primas Aurelius Africanam Ecclesiam inuenit, & accepit valdè deformatam. Ex varijs causis. Vna fuit, quod generalis totius gentis synodus fuisset rarior. Ità & Apostolus noster sanctus Bonifacius scribit apud nos christianitatem fuisse destructam, quod per octoginta annos cessasset celebratio synodorum. Quapropter gentis suæ mores restauraturus Aurelius statim in Hipponensi Synodo sanxit laudatum canonem. Ista enim, in qua & sanctus Augustinus adhuc presbyter coram episcopis disputauit de fide, & Symbolo, est inter omnes Aurelianas prima. Erat isti tempori duriusculus canon. Hinc Aurelius addidit, quod in alia ad ipsum synodo dixerunt Honoratus, & Vrbanus, Legati Sitifenses: [Sanctitati tuæ nos spopondisse iam dudùm meminimus, vt singulis quibusque annis ad tractandum conueniamus.] Aurelius canoni superaddidit spontaneam episcoporum professionem, & pactum. Canonem poliuit tertia, vel quęuis alia Carthaginensis Synodus: [Similiter placuit, vt propter causas ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis quibusque annis concilium conuocetur. Ad quod omnes prouinciæ, quæ primas Sedes habent, de concilijs suis ternos legatos mittant, vt & minùs inuidiosi, minùsque hospitibus sumptuosi conuentus plena possit esse authoritas. De Tripoli autem, propter inopiam episcoporum, vnus episcopus veniat.] Exindè prouinciæ non amplius binos, aut quot vellent, potuerunt legatos mittere, sed fuerunt constrictæ ad mittendos tres. Excepta prouincia Tripolitana. Et iuxta has Aurelij regulas dudum vixit Africana Ecclesia. At verò aliam synodum post laudatas easdem regulas idem Aurelius edixit: [At quia hoc,] vtique quotannis venire ad synodum, laboriosum omnibus fratribus visum est, placuit vt non sit vltra fatigandis fratribus anniuersaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, idest, totius Africæ, vndecumque ad hanc Sedem hac de re datæ literæ fuerint, congregandam esse synodum in ea prouincia, vbi opportunitas persuaserit. Causæ autem, quæ communes non sunt, in suis prouincijs terminentur. [Aliquandò dubitaui de mendo canonis, & forsan debere legi: Vndecumque ab hac Sede datæ literæ fuerint.] Verùm aduersantur, & codicis lectionem confirmant Mileuitana Synodus, & vasta illa, atque confusa Afrorum Canonum collectio.

Cap. 1.

Can. 94 95.

Cap. 9.

Ex his interim aliqua addiscimus. Primò, quod Hipponensis, imò forsan, & tertiæ Carthaginensis Synodi tempore, Mauritania Sitifensis necdùm haberet primam Sedem, nec proprium primatem. Deindè, quod ratio, ex qua quintus Nicœnus Canon iussit quouis anno bis agi prouinciarum synodos, fuerit impedire pendentium causarum veterascentiam. Præsertim veterascentiam iniquarum excommunicationum. Et hinc liquet me supra rectè dixisse eamdem rationem à Sardicensi Synodo, dum excommunicatos clericos sanxit à vicinis etiam episcopis sanandos, fuisse attentam. Plenissimas Carthaginensis Sedis arbitrio, Africanas Synodos canon iste permisit arbitrio prouincialium primatum. Iuxta antiquos mores. An prouinciales synodi iuxta Nicœnum canonem semper bis in anno fuerint factæ apud Afros, est grande dubium: Non possim definire. Certè plures episcopi isthic ignorabant canones, ideòque & negligebant. Hinc tertia Carthaginensis Synodus sanxit: Ordinandis episcopis, vel clericis priùs ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilij fecisse afferant.] Canonis, à quacumque synodo sit, author fuit sanctus Augustinus, qui contra Nicœnum canonem per ignorantiam ordinatus episcopus, quod in se factum doluit, in alijs postmodò fieri noluit. Ita in eius vita testatur sanctus Possidius. Post hunc canonem credo Afrorum Primates bis in quouis anno celebrasse suas synodos. Hac de causa prodijsse videtur canon de episcopis distribuendis in turmas. Quidquid sit, omninò semel in anno agebant synodum. Etenim quotannis debebat legatio destinari ad plenariam synodum: Et ista legatio debebat designari, ac eligi à synodo prouinciæ. Et supra audiuimus ab Alipio, Augustino, ac Possidio Primatem ipsorum Xantippum operosè excusari, quod isto anno propter Tyronum tumultus non celebrasset synodum. Item ab Aurelio, dum anniuersariam plenariæ synodi necessitatem abstulit, audiuimus: [Causæ autem, quæ communes non sunt, in suis prouincijs terminentur.] Vtique singulis annis. More antiquo. Et istud ipsum lucet ex hoc canone: [Dies concilij,] vtique plenarij, & anniuersarij, [idem seruetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, idest, decimo kalendas Septembris. Et scribendum ad singulares quarumcumque prouinciarū primates, vt quando apud se concilīū cōgregant, istum diem non impediant.] Etenim quintus Nicœnus Canon disertè mandat, vt secunda prouinciæ synodus quotannis fiat circa tempus Autumni. Tunc igitur Afrorum etiam primates agebant synodos. Hinc videri possint bis fecisse.

Hinc etiam discimus, quo anni tempore fieret ista plenaria anniuersaria synodus. Nempè decimo kalendas Septembris. Et ita statutum fuit ab eius authore, Hipponensi Synodo. Præfatum canonem, omissis tamen verbis, [qui in Hipponensi Concilio constitutus est,] confusa illa Afrorum Canonum farrago legit in eumdem modum. At verò quinta Carthaginensis Synodus legit longè aliter: [Dies concilij vndecimo kalendarum Nouembris seruetur. [Quæ lectio videtur verior. Ista enim tempestas apud calidas Regiones est episcoporum itineri longè opportunior. Et ipsum fortiter confirmat sancti Augustini rescriptum ad prætensum Primatem Victorinum: [Tractoria ad me quinto Idus Nouembris venit.] Victorinus, quo anniuersariam plenariam synodum non impediret, suam prouincialem indixit ad medium aut finem Nouembris: Quod nempè ista vndecimo kalendas eiusdem mensis

Epist. 217.

mensis fuerat celebranda. Et omninò expediebat prouincialem post plenariam, ac post legatorum reditum fieri: Quo nempè huius decreta possent in ista publicari, & mitti in executionem. Attamen dies ista non ampliùs obtinuit post sublatam anniuersariam necessitatem plenariæ synodi. Exindè hæc agitari cœpit quouis anni tempore: Ad rationabile Beneplacitum Primatis Carthaginensis. Aliquandò bis in anno, aliquandò nunquam. Prout rationes cogerent, aut suaderent. Eiusdem in arbitrio erant dies, ac tempus plenissimæ synodi. Exindè prouincialium synodorum dies etiam rediuit ad beneplacitum Primatum.

Altera quæstio est, quis fuerit locus plenariæ per Legatos synodi? Respondet Primas Aurelius: [Constitutum est in Concilio Hipponensi, vt singulis annis contraheretur Concilium Africæ plenarium, non tantùm hic apud Carthaginem, verùm etiam per diuersas Prouincias suo ordine. Et hoc reseruarum est, vt indiceremus aliquando in Numidia, aliquando in Byzacio.] Et ita fuit omninò factum. Habemus in Byzacio Septimunicensem, Suffetulensem, Macrianensem, Iuncensem, ac Marazanensem, in Numidia Hipponensem, ac Synodum Mileuitanam. Ioannes Garnerius addit: [Nullæ sunt habitæ extra Numidiam, Proconsularem, & Byzacium. Quia reliquæ Prouinciæ minus erant opportunæ propter distantiam, quam prædictæ in media Africa sitæ.] Possit labi. Licèt enim reseruatum fuerit, vt præsertim in Byzacio, ac Numidia istę synodi fierent, possint tamen aliquæ fuisse factæ in alijs prouincijs. Etenim Sitifensis Cellensem, forsitan, & Macrianensem, Cæsariænsis Mauritania forsitan habuit synodum Iuncensem. Dico, [Forsitan.] Alia namque apud Byzacium, alia Macriana fuit apud Sitifenses. Alia item Iunca fuit apud Byzaciũ, alia apud Cæsariænses. An vtraque, an vnica, & quænam habuerit synodum, ignoro. Ferrandus ad nos transmisit sola quorundam Canonum compendia. Interim omnes istæ Synodi fuerunt omninò plenariæ. Africani namque Codicis Collector ad Carthaginensem, sub Honorij septimo, ac tertio Theodosij Consulatu celebratam, Synodum subnotauit: [Gesta huius Concilij Ideò non descripsi, quoniam Prouinciale, non vniuersale celebratum est.] Proinde prouincialium synodorum Canones poterant suam prouinciam, nequaquam dirigere omnem Africam, ideoque nec redigebantur in communem Codicem. Ar verò Ferrandus Diaconus, ac Cresconius Africanus episcopus istarum synodorum Canones congesserunt in suos Codices: Erant igitur plenariæ. Can. 107.

Ad primam synodorum speciem laudaui, & pro exemplo adduxi Hipponensem, in qua sanctus Augustinus Eradium presbyterum curauit sibi eligi in successorem. Addendum est illi adfuisse duos episcopos, Religianum, ac Martianum. Nempè ob negotij grauitatem erant singulariter inuitati. Quæ inuitatio fuit Afris frequens. Similes synodos Augustinus fecit, dum suum Clerum coegit ad vitam communem. In priori solos septem presbyteros, in his posterioribus nominatim enumerat omnes suos Clericos, etiam Diaconos, & Subdiaconos: Et nullam facit mentionem Archipresbyteri, aut Archidiaconi. Ex quibus coniecturo istas dignitates non fuisse in Hipponensi Ecclesia. Et quia ipsa non erat ex ignobilioribus, suspicor præfatas dignitates fuisse in paucis ecclesijs. Certum est fuisse in quibusdam. Etenim quarta Carthaginensis synodus sancit de ordinando in Subdiaconum: [De manu Archidiaconi Vrceolum accipiat,] Insuper tres istic Canones laudant Archidiaconum. Et alius Canon habet: [Episcopus gubernationem viduarum non per semetipsum, sed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat.] At verò in alijs Afrorum monimentis rarissima, aut forsitan nulla est, nisi dum de Carthaginensi Ecclesia agitur, istarum dignitatum memoria. Hinc suspicor in multis non fuisse Ecclesijs. Nec admirandum. Nam, & Emeritensis in Hispania, vbi amplę & largæ erant Ecclesiæ, synodus sanxit, vt quiuis episcopus deinceps habeat Archidiaconum, & Archipresbyterum. Quoniam antea plures non habebant. Sunt alterius loci. Can. 5. Can. 10.

CAPVT XV.

Exponuntur Episcopalia Africanæ Ecclesiæ Iudicia.

ECclesiastica olim iudicia fuerunt passim synodalia. Fuerunt tamen, & personalia à solo episcopo. Etenim nonus Chalcedonensis Canon sanxit: [Si quis Clericus aduersùs Clericum habet negotium, non deserat proprium episcopum, & ad sæcularia percurrat iudicia, sed priùs actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certè consilio eiusdem episcopi, apud quos vtræque partes voluerint, iudicium agitetur. Quod si clericus habet causam aduersùs episcopum proprium vel aduersùs alterum, apud prouinciæ synodum iudicetur.] Proinde solæ aduersùs episcopum causæ erant olim synodales: Aduersùs laicos, & clericos intentatas actiones indicabat solus episcopus. Chalcedonensis synodus suum Canonem hausit ex quinto Nicæno, decimosexto Sardicensi, & constanti ecclesiarum consuetudine. Hinc etiam de S. Augustino scribit sanctus Possidius: [Interpellatus à Christianis B. Augustinus causas audiebat diligenter, ac piè. Et eas aliquando ad horam refectionis, aliquando autem tota die, ieiunans semper tamen, noscebat, & dirimebat.] Loquitur de ciuilibus Laicorum causis. Hanc episcoporum potestatem quinta Carthaginensis synodus appellat [ius Apostolicum.] Fundatur enim in priori S. Pauli ad Corinthios epistola. Augustinus etiam audiebat, ac dirimebat criminales suorum Clericorum causas: Et ipsos quandoque non puniebat solummodò, sed etiam degradabat. Lucet ex eius ad populum verbis in sermone secundo de communi ipsorum vita: [Delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, nauiget contra me, quò voluerit, sit certè vbi potuerit, vt vbi ego episcopus sum, illic Clericus esse non possit.] Ago hic de solis cri- Cap. 19. Cap. 1.

 mi-

minalibus episcoporum, & clericorum iudicijs: Præsertim degradatorijs. Ab his enim maximè solet appellari.

De consueta ipsorum apud Afros forma scribit sanctus Augustinus in litteris ad Xantippum Tigisensem episcopum, Primatem Numidiæ: [Ego sanè presbyterum,] Rusticanæ in Hipponensi Diœcesi Parochiæ Rectorem, qui solemne in Dominici Natalis vigilia ieiunium violare, ac apud infamem mulierem sine Clerico teste prandere, cęnare, ac dormire præsumpserat, [removendum ab officio presbyterij arbitratus sum, timens ei deinceps ecclesiam Dei committere. Quod si fortè iudicibus ecclesiasticis aliud videtur, quia sex episcopi causam presbyteri terminare, Concilio statutum est, committat illi, qui vult, ecclesiam suæ curæ commissam: Ego talibus, fateor, quamlibet curam committere timeo, præsertim quos nulla bona fama defendit, vt hoc eis possit ignosci, ne quid perniciosius, si eruperit, languens imputem mihi.] Respicit vndecimum primæ Carthaginensis synodi Canonem, conditum ad suggestionem Elpidophori, Cuiccalitani in proconsulari provincia episcopi, ac ad relationem Grati Primatis Carthaginensis: [Si quis tumidus, vel contumeliosus extiterit in maiorem natu, vel aliquam causam habuerit, à tribus vicinis episcopis, si Diaconus est, arguatur; Presbyter à sex; si episcopus, à duodecim Consacerdotibus audiatur.] Eumdem Canonem firmauit secunda Carthaginensis synodus, celebrata per Genethlium Primatem: [Etiam hoc adijcio secundùm statuta veterum Conciliorum, vt si quis episcopus in reatum aliquem incurrerit, & fuerit nimia necessitas non posse plurimos congregari, ne in crimine remaneat, à duodecim audiatur. Et à sex presbyter, & à tribus Diaconus, cum proprio Episcopo.] Verba, [Secundùm statuta veterum Conciliorum,] affirmant hunc Canonem esse antiquum, confirmatum sæpiùs, ac innouatum.

Degradatus à sancto Augustino presbyter appellauerat ad Numidiæ primatem Xantippum, affirmans se non à sex episcopis, sed damnatum à solo Augustino, iudicium esse contra Canones sine legitima authoritate attentatum, ideòque euidenter nullum, ac exsufflandum. Et Xantippus videtur voluisse pro presbytero procedere. Hinc sanctus Augustinus potenter intercessit, & adduxit plura. Primò fatetur exstare istiusmodi Canonem. Secundò fatetur ipsum esse in pretio apud Ecclesiasticos iudices, & ab ipsis obseruari. Quos intelligat per Ecclesiasticos iudices, est incertum. Videtur, aut Ecclesiasticos defensores intelligere, aut professores sacrorum Canonum. Nam, & hi tunc non defuerunt Ecclesiæ. Tertiò asserit se nolle ligari isto Canone, ideòque sibi soli esse potestatem degradandi suos presbyteros. Quartò affirmat istius presbyteri, si à Xantippo fiat, reparationem nunquam à se admittendam. Quintò addit ipsam tamen, si pro alia Diœcesi fiat, à se dissimulandam, ac negligendam.

Erat recentior, aut certè non antiquissimus Canon. Vtique conditus, & inductus à Grato Primate. Lucet ex sancti Cypriani ad Rogatianum Nouensem Episcopum, qui criminosum, ac sibi contumacem Diaconum ipsi iudicandum, & castigandum retulerat, Rescripto: [Et tu quidem honorificè circa nos, & pro solita tua humilitate fecisti, vt malles de eo nobis conqueri, cum pro episcopatus vigore, & Cathedræ authoritate haberes potestatem, qua posses de illo vindicari, certus quod Collegæ tui omnes gratum haberemus quodcumque circa Diaconum tuum contumeliosum Sacerdotali potestate fecisses.] Eadem tunc erat ratio presbyterorum. Certè non solum felicissimum Archidiaconum, sed & quinque ipsi coniuratos presbyteros videtur solus Cyprianus damnasse. Et ita fuit vsque ad laudatam Grati Primatis synodum. Et eius Canonem, quod antiquam gentis consuetudinem infringeret, videtur non omnis Africa etiam post Genethlij confirmationem admisisse. Et huic parti adhæsit S. Augustinus.

Vtraque pars nitebatur fundamentis. Gratum Primatem, & ipsi assidentem synodum ad faciendam istam episcopalis authoritatis circumscriptionem permouerunt episcoporum apud Afros numerositas, & à quibusdam in suum Clerum præcipitata per iracundiæ imperum iudicia, sanctum verò Augustinum, ac plures haud dubiè episcopos in contrariam sententiam pertraxerunt antiqua cōsuetudo, ac dilecta episcopalis authoritatis integritas. Interim nouus iste Canon sanxit pro solis Presbyteris, ac Diaconis. Subdiaconos, ac alios inferiores Clericos permisit antiquæ formæ, de qua vigesimus Canon Africani Codicis: [Si presbyteri, vel Diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis cum proprio episcopo legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati, petiuerint, id est, vnà secum in presbyteri nomine sex, in Diaconi tres, ipsorum causam discutiant; reliquorum autem Clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat, & finiat.] At verò quartum Carthaginense Concilium adiunxit: [Episcopus nullius causam audiat absque præsentia Clericorum suorum. Alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum sententia confirmetur.] Existimo per clericos intelligi solos presbyteros. Hi enim soli cum episcopo sedere poterant, ideòque & iudicare. Quibusdam videntur habuisse consultatiuum solummodò suffragium. Canon enim requirit solam ipsorum præsentiam. Verùm isti opinioni palam obstant verba: [Nisi clericorum sententia confirmetur.] Et Ferrandus Diaconus istos Canones redegit in hoc compendium: [Vt Episcopus accusatos presbyteros conuocatis quinque Episcopis, Diaconorum cum tribus, reliquorum verò causam ipse solus discutiat. Vt autem vnus Episcopus cognitionem sibi non vindicet, hoc in alio Carthaginensi Concilio actum est.] Disertè affirmat priorem Canonem fuisse ab hoc posteriori correctum, & constrictum. Et hosce Canones omninò probauit, & subscripsit S. Augustinus. Possunt tamen contra ipsius iudicium emanasse. Porrò Tripolitana Prouincia, quod paucos haberet episcopos, habuit aliquid singulare: [Propter inopiam Prouinciæ Presbyter ibi à quinque audiatur episcopis, & Diaconus à tribus, proprio

Can. 13.

Can. 51. 52.

prio

prio episcopo præsidente.] Hoc est proprio episcopo inter istos quinque, aut tres connumerato. In alijs Prouincijs proprius episcopus debebat esse quartus, aut septimus. Quare Ferrandus Diaconus videtur esse passus vitium sui Breuiarij. Quidquid sit, hæc omnia intelligenda de solis criminalibus Clericorum causis. Eorum ciuiles causas poterat solus episcopus dirimere. Quod ipsum aduertit Theodorus Balsamon in Commentario ad decimum quartum Canonem Africani Codicis. Tertia Carthaginensis synodus addidit: [Sanè si ex consensu partium
Can. 10. iudices electi fuerint, etiam à pauciori numero, quàm constitutum est, non liceat prouocari.] Sancit, aut potiùs supponit arbitrarium, seu electum contra episcopum tribunal non debere conflari ex duodecim episcopis. Eadem est ratio de presbyteris, ac Diaconis. Et causa est cuiuis obuia.

Canon, qui Episcopum nonnisi à duodecim Collegis damnari sanxit, placuit etiã alijs gentibus. Etenim ad minoris Britanniæ
Epist. 2. episcopos scripsit Leo IV. [Nullam damnationem Episcoporum esse vnquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui sit per duodecim Episcopos, aut certè probata sententia per septuaginta duos idoneos testes.] Hoc casu permittit damnari à paucioribus. Attamen nonnisi per Prouinciæ Synodum. Et ad Salomonem, eiusdem Brittanniæ Regem, scripsit Nicolaus I.
Epist. 65. [Episcopi nullam possint sui honoris sustinere iacturam, quos non constat fuisse à duodecim Episcopis, præsente, primamque sententiam Metropolitano Episcopo, cum examinarentur, obtinente, auditos.] Semibarbaros, qui nec Metropolitam habebant, nec duodecim erant numero, & tamen attentabant omnia Synodalia, Britonum Episcopos vterque Pontifex sperauit per istam formam compescendos. Ipsam desumpserunt ex Decretali epistola, quam Isidori Mercatoris collectio adscribit sancto Zephyrino Pontifici; [Duodecim Iudices quilibet accusatus Episcopus, si necesse fuerit, eligat, à quibus eius causa iustè iudicetur.] Eamdem formam placuisse postmodò Græcorum Episcopis docet Theodorus Balsamon in Commentario ad duodecimum Canonem Africani Codicis; [Interrogarit quispiam, cum Canon contineat tunc fieri à duodecim Episcopis, & solis, Episcoporum depositiones, quando fieri omninò non potest, vt multi conueniant, si depositus fuerit episcopus à duodecim Episcopis, idque cum sit facile, vt multi conueniant dissoluetur depositio, an non? Dicunt quidam hoc modo non infirmari sententiam. Cum autem Ioannes Amathuntis Episcopus ab illo Cypri Archiepiscopo Ioanne fuisset depositus, & depositionis edictum in Tribunali Imperatorio lectum esset, quoniam inuenti sunt vndecim episcopi, & Archiepiscopus depositionem fecisse, statuit Sanctissimus ille Patriarcha Dominus Lucas cum assistente Synodo, quin, & adsistens Senatus esse infirmam, & nullius momenti depositionem, quod accersita non fuerit vniuersa Synodus Cypriorum Ecclesiæ, aut saltem maior pars eius; etiamsi magna esset eius cogendi facultas, & quod Archiepiscopus non vltra duodecim episcopos, sed vnà cum illis esset numeratus.] Pergit in Commentario vigesimi tertij Canonis: [Cum duodecimus Canon definiat, à quot episcopis debeant iudicari Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, nunc iubent Patres, vt vltra duodecim, sex, aut tres sit quoque loci Episcopus Iudex competens. Qui autem sunt præter eos, Lectores scilicet, & reliqui, ab vno, & solo competenti episcopo iudicentur.]

Hæc omnia Theodorus transfert in suam gentem. Etenim quod Orientalis ecclesia istos in Canones græcam linguam transtulerit, ac suo codici inseruerit, docet secundus Canon Trullanus. Quod eosdem Gallicana Ecclesia dudùm probauerit, ac visitarit, docet sancti Cæsarij Arelatensis Archiepiscopi sermo, dictus ad Collegas in causa Contumeliosi Episcopi Reiensis. Isidorianæ collectionis author fuit homo Hispanus, ideoque constat istos Canones tunc viguisse etiam in Hispanijs. Attamen cum aliqua vbique differentia. Etenim personatus Zephyrinus priuilegium, quo accusatus Presbyter, ac Diaconus poterant iudicij Collegas ex vicinis ciuitatibus eligere, ac à suo episcopo petere, extendit etiam ad accusatos Episcopos: Quod non videtur fuisse apud Afros. Leo Quartus duodecim episcopos censuit posse suppleri per abundantiam testium. Theodorus Balsamon rectè affirmat episcopos præter Metropolitam debuisse esse duodecim: Item sex, aut tres præter proprium episcopum. Hæc enim omninò videtur fuisse mens Africanorum Canonum. Etiam rectè excipit plenas Synodos istarum Prouinciarum, quæ non habent tot episcopos. Ità studet Africanos Canones conciliare cum Antiochenis. Eamdem exceptionem censet fuisse seruatã in Tripolitana Prouincia. Afrorum episcopi in alijs Prouincijs erat numerosissimi, ideòque criminalia ipsorum Iudicia poterant frequenter occurrere: Hinc noluerunt toties fatigari plenas Synodos, nec crimina occurrentia ad consuetum ipsarum tempus differri. Tertia Carthaginensis Synodus his adiunxit: [Quisquis episcoporum accusatus fuerit, ad Primatem Prouinciæ causam ipsius deferat accusator. Nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, primatis literis euocatus, minimè occurrerit.] Docet nos plura. Primò, quod Prouinciæ primas potuerit solus episcopales accusationes admittere, ac reos citare. Deindè, quod ipse potuerit duodecim episcopos eligere. Tertiò, quod eis præsidere debuerit, aut alicui decimo tertio suas vices delegare. Et istum Canonem antiquo suo Codici inseruit Romana Ecclesia.

Lucidè hæc confirmantur ex causa, & synodali iudicio erga Maurentium, nouæ Germaniciæ in Numidia Episcopum, qui suæ Synodo, ad quam accusatores non comparuerant, supplicauit, & dixit: [Iudices peto sanctum Senem Xantippum,] Primatem Prouinciæ, [Sanctum Augustinum, Florentinum, Theasium, Samsucium, Secundum, & Possidium. Hæc decerni mihi iubeatis.] Et Acta Synodalia perguut: [Sanctum Concilium concessit Iudices postulatos, reliquos autem

autem Indices ad complendum] duodenarium [numerum necessarios, eligentibus ipsis Senioribus à noua Germanicia,] accusatoribus sui episcopi, [Senex Xantippus curauit decernere.] Vtique sex, accusatus episcopus à Synodo, sex à Primate petebat accusator Populus, & ipsis Prouinciæ primas præsidebat decimus tertius. Quæ forma non est antiquissima. Etenim in literis ad sanctum Papam Cornelium scribit sanctus Cyprianus de episcopis, Felicissimo rebelli suo Diacono adhærentibus: [Iouinus & Maximus comites cum Priuato Hæretico adfuerunt, ob ne fanda sacrificia, & crimina in se probata, sententia nouem Episcoporum condemnati, & iterato quoque à pluribus nobis in Concilio anno priore abstenti.] Affirmat tunc fuisse duos damnandi episcopi modos: Per Prouinciæ synodum, & per Conuentum pauciorum episcoporum. Affirmat nouem sufficisse. An fuerint necessarij non possim affirmare. Quidquid sit, duodecim Episcopos postmodò requisiuit per suas Synodos Gratus Archiepiscopus, & omnis Africana Ecclesia tandem admisit, confirmauit, & obseruauit.

Epist. 55.

Dum hæc scribo, prodit in Gallia Libellus Anonymus de antiquis, & maioribus episcoporum caussis, contra Ioannem Dauid Apologus eorum, quæ pro suprema Prouincialium Synodorum authoritate, ac à Romanis appellationibus independentia commentus est Dominus Petrus de Marca. In Præfatione author edicit causam suppressi nominis: [Verumtamen, vt ingenuè fatear, cum Societati Theologorum Parisiensium non paucis abhinc annis nomen dederim, paratumque me esse ad defensionem veritatis vsque ad effusionem sanguinis iurauerim, einsmodi ratio, vt nomen meum occulerem omninò non impulit; sed ne fortasse spes melioris fortunę aliquando delusa me ad quamdam palinodiam turpiter adigeret, qua apud plerosque fama, nomenq; Petri de Marca vehementer laborant.] Innocentius X. Pontifex Petrum de Marca, nisi multorum in suis libris articulorum scripram palinodiam coram omni sub cœlis ecclesia solemniter cantaret, confirmare noluit in Archiepiscopum Tholosanum: Et ista tanti Doctoris constantia solemniter cantauit. Præsens Scriptor etiam sperat meliorem istiusmodi fortunam: Et metuit similem palinodiam, ac similem nominis iacturam. Hinc nomen supprimit. Quapropter quis non temerè existimet veritatem ab ipso nec esse innentam, nec defendi. Etenim [quomodò potestis credere, qui gloriam ab hominibus quæritis?] Et certè Petrus de Marca passus est iusta damna nominis. Etenim veritatem, aut non defendit, aut defensam est præuaricatus. Et præsens Apologus palam affirmat redijsse ad priora. Fuit igitur Vertumnus, habens aliquid Ecembolij, de quo Socrates: [Ecembolius Sophista Constantinopolitanus, se ad Imperatorem ingenia, & naturam conformans dum Constantius regnabat, se ardenter fidem Christianam amplecti simulauit; dum Iulianus potiebatur Imperio, Gentilitatem magnoperè præ se tulit; Iuliano mortuo, Religionem Christianam denuò profiteri induxit in animum. Nam ante portam Ecclesiæ se pronum abijciens, sic vociferatus est:] Me quasi salem insipidum pedibus conculcate. [Ecembolius, sicut antea leuis, & inconstans fuit, sic quoque postea permansit.]

L. 3. c. 11.

Aduersùs præsentem Anonymum respondeo cum Tertulliano in quarto libro contra Marcionem: [Possem hìc gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, & professione debita authoris. Sed per omnia congredi maluimus.] Inter alia argumenta, quæ Ioannes Dauid adducit pro Romanis appellationibus, sunt Canones Sardicenses. Affirmat ipsos esse, ac semper fuisse solemnem ista in re regulam Catholicæ Ecclesiæ. Et benè affirmat. Ad hæc tamen exufflanda Scriptor Anonymus adducit Canonem, quem de Diacono à tribus, de presbytero à sex de episcopo à duodecim episcopis iudicando sanxit in sua Carthaginensi synodo ad Priuati Vegeselitani episcopi suggestionem Gratus Archiepiscopus, atque adiungit: [Hæc disciplina non solùm dissimilitudinem habet cum Decretis Concilij Sardicensis, verùm etiam est prorsùs inaudita, & incognita. Huc vsque Diaconi, & presbyteri Iurisdictioni Episcopi, ac Cleri fuerant obnoxij, Antistites verò Concilij Prouincialis primæ cognitioni. Sed in hoc Concilio Carthaginensi duodecim Episcopis delegatur Iudicium episcopi, sex presbyteri, tribus Diaconi. Ex quibus plenissimè perspectum habemus, quàm sit intolerabilis, & insolens cogitatio Dauidij, hoc Priuati exemplo probantis vsum siue praxim Canonum Sardicensium in caussis Episcoporum.

Cap. 2.

Cap. 16.

Respondeo istum Carthaginensem Canonem fuisse reuerà heteroclytum. Hinc ipsi deferre aliquandò noluit sanctus Augustinus. Et sine dubio habuerit Collegas Nihilominùs ipsum postmodò probauit, atque admisit. Eius condendi, & probandi magna ratio fuit episcoporum in Africanis Prouincijs multitudo. Omnes, excepta Tripoli, habebant ferè centum episcopos: Aliquæ longè plures. Profiteor episcopalium causarum iudicia olim spectasse ad synodum Prouinciæ. Etiam ad illam, quæ dumtaxat quatuor, aut quinque habebat Cathedras. Hinc Gratus primas censuit pro vno iudicando episcopo non esse fatigandam tantam multitudinem, sed cum primate sufficere duodecim. Ex alia parte voluit episcopalia etiam de presbyteris, ac Diaconis iudicia esse matura, & grauia. Hinc inter numerosos adeò Episcopos censuit ipsos non ab vnico, sed à pluribus iudicandos. Et hoc omninò didicerat à Sardicensi synodo. Etenim illic ab Hosio præside audiuerat referri multorum presbyterorum, ac Diaconorum querimonias: [Quod me adhuc mouet, reticere non debeo. Si episcopus quis fortè iracundus, quod esse non debet, citò, & asperè commoueatur aduersùs presbyterum, siue Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem.] Et Hosius prouidit per appellationem ad vicinos episcopos. Palam

lam

iam contra Nicœnos Canones, & priorem consuetudinem. Archiepiscopus Gratus censuit medicinam non sufficere. Censuit expedire non solam sanatricem, sed insuper medicinam præseruatricem. Hinc sanxit Diaconum non nisi à tribus, presbyterum nonnisi à sex episcopis esse damnandum. Ioannes Dauid nec Aduocato indiget, nec adiurore. Ætatem habet: Credo futurum, vt pro se loquatur. Rectè dixit Sardicenses Canones fuisse à Grato deportatos in Africam, & isthic quoad episcopales appellationes semper viguisse. Quod illo etiam tempore, quo fuerunt ignorati apud Afros, ipsorum forma vtpotè Apostolica, isthic viguerit, suo loco demonstrabitur.

Et hæc quidem de primis causarum instantijs. At verò de Clericorum appellationibus sanxit secunda Carthaginensis Synodus: [Si quis presbyter à præposito excommunicatus, vel correptus fuerit, debet vtiq; apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, vel per ipsos suo episcopo reconciliari.] Canon manifestè desumptus est
Cap. 13. ex Sardicensi. Ex quo patet Africam tunc se direxisse secundùm istam Synodum. Et Mileuitana sanxit: [Placuit vt presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de iudicijs episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, definiant, adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum suarum. Ad Transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.] Et quinta Carthaginensis Synodus: [Clericus, qui episcopi circa se districtionem iniustam putat, recurrat ad Synodum.] Proindè clerici poterant tribus modis appellare. Ad suæ Prouinciæ Synodum. Ad eiusdem Primatem. Et ad vicinos episcopos. Attamen non nisi ad probandos, & admittendos à suo episcopo. Alioquin enim potuissent currere ad sui episcopi æmulos, atque ità extorquere iniquum iudicium. Et horum episcoporum iudicium non erat irrefragabile. Ab ipso poterat denuò prouocari ad Synodum, aut Primatem Prouinciæ. Quarè præfatus episcopi consensus non erat compromissum, aut electio Iudicum. Nam ab electis Iudicibus appellari non poterat. Existimo quod etiam à Primate potuerit ad Synodum prouocari. An delatas sibi appellationes Primas potuerit solus dirimere, non possim affirmare. Etiam à Prouinciæ Synodo prouocari poterat ad generalem Synodum totius Diœcesios. Et hic sisti debebat à clericis: ad Transmarina, seù ad Sedem Apostolicam proclamari non poterat. Idque ex antiqua consuetudine, & antiquo Gentis Statuto, quod in lite-
Epist. 55. ris ad sanctum Cornelium Pontificem laudat, & viget etiam sanctus Cyprianus.

Canon. 28. De damnatorum episcoporum appellationibus habet quarta Carthaginensis Synodus: [Irritam esse iniustam episcoporum damnationem, & idcircò à Synodo retractandam.] Vtique à Prouinciæ Synodo. Canon quippè agit de damnato per duodecim collegas episcopo, ac ipsi facit potestatem prouocandi ad Synodum Prouinciæ. Et de euocato ob aliquem reatum ad Primatis iudicium, aut Synodum, & comparere detrectante episcopo sanxit tertia Carthaginensis Synodus: [Si nec ad Concilium vniuersale Cap. 7. anniuersarium occurrere voluerit, vt vel ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis suę sententiam dixisse iudicetur.] Ei potestatem facit, vt vel ad Prouinciæ, vel ad totius Diœcesios anniuersariam ex Prouinciarum Legatis Synodum possit iudicandus occurrere, ideòque longè magis facit facultatem ad plenissimam totius Gentis Synodum. Et ad Quintianum presbyterum scribit sanctus Augustinus: [Plebs Vigesilitana, si episcopum in plenario Africæ Concilio degradatum suscipere noluerit, sano capite faciet. Et nec cogi potest, nec debet. Et quisquis eam violenter coegerit, ostendet qualis sit, & qualis ante fuerit, quando de se nihil mali credi volebat, faciet intelligi. Nullus enim sic proditur, qualem causam habuerit, quàm qui per seculares potestates, vel quaslibet violentias cum perturbatione, & querela conatur recipere honorem, quem perdidit. Non vult enim volenti Christo seruire, sed christianis nolentibus dominari.] Episcopus ille à Prouinciæ synodo damnatus appellarat ad vniuersale totius Africæ Concilium, & isthic fuerat denuò damnatus. Hinc iudicium istud suspendi imperrarat per Augustum Principem, aut aliam supremam Imperij potestatem. Consultus sanctus Augustinus respondit esse acquiescendum synodali iudicio: Attamen ideò non exclusit appellationem ad Sedem Apostolicam.

CAPVT XVI.

Referuntur errores varij circa Afrorum appellationes ad Sedem Apostolicam.

PRimus horum errorum auctor fuit sceleratus Photius, inuasor Constantinopolitanæ Ecclesiæ, & infelix parens miserandi schismatis inter Græcam, & Latinam Ecclesiam. Etenim ab ipso doctus, & consecratus Zacharias Chalcedonensis episcopus in sexta octauæ Synodi Actione tentauit exemplis demonstrare Romanum etiam Pontificem subesse Canonibus, posse limites excedere, errare in suis iudicijs, ideòque singula eius acta non esse authentica, & admittenda. Inter plura exempla adduxit, & hoc: [Lugendum Apiarium, iustificatum à Romanis Præsulibus, Africana Synodus non iustificauit, sed repulit mittens vt propria curaret, & extra fines suos non excederet.] Et venerabilis Metrophanes, Orthodoxus Smyrnensium Metropolita, respondit: [Apiarium, cum esset presbyter Ecclesiæ Siccensis, Africanæ Prouinciæ, propter aliquam causam segregauit proprius Episcopus Vrbanus; posteà verò omnimodis deposuit synodus, quæ ibidem collecta est. Zozimus autem Papa Romanus recurrentem ad se, & semet insontem exhibentem iustificauit, & ad Africanam syno-

synodum mittens cum literis, vt iterùm susciperetur egit, rationem reddente synodo per scripta Bonifacio post Zozimum Papæ Romano de depositione,] quæ facta est in Apiarium, & de iterata, iustificatione: & quia nunc iustificatum arbitramur, indicauimus autem non operari eum, quæ sunt presbyteri in Ecclesia Siccensi, propter scandala, quæ subsecuta sunt. Porrò accipientem literas commendatitias à nobis, in omnibus alijs ecclesijs sacerdotio fungi. [Inuenitur igitur Africana synodus paruisse potiùs iudicio Zozimi Papæ Romani, ac per hoc propriam reprobasse sententiam, & iustificasse Apiarium, non restitisse, vt falsus es, voto Romanorum Pontificum.] Ex impugnata Apiarij presbyteri Romana appellatione schismaticus Zacharias ineptè concludit similes etiam episcoporum appellationes fuisse ab Afris impugnatas, ac refutatas. Etenim soli inferiori Clero isthìc non patebat ista appellatio. Et ista nugamenta Paschasius Quesnellus tentat persuadere Gallicanæ Ecclesiæ.

Eumdem tramitem in Commentario ad trigesimum primum, qui Romanas appellationes inferiori clero interdicit, Africani Codicis Canonem sequitur Theodorus Balsamon: [Nota ex eo, quod frustrà se iactant, qui sunt Romanæ Ecclesiæ, dicentes eamdem debere de omnium ecclesiarum quæstionibus per appellationem decidere. Si enim ei non permittitur appellationes eorum, qui sunt in Africa, examinare, multò magis hoc ius non habent in alias Regiones.] Eiusdem mentis fuit Meletius, schismaticus Patriarcha Alexandrinus, in literis ad Ruthenos: [Incidentes ecclesiæ præsulum controuersias dijudicare non est permissum Papæ Romano. Transmarinas enim appellationes, qui in Africa conuenerunt episcopi, prohibuere, ne Romam transmearent.] Addit has appellationes esse contentionis pomúm, quod Romani semper studuerunt inuadere. Et in suo ad Sardicenses Canones Commentario scribit Ioannes Zonaras: [Huius Canonis Decreto summi Sacerdotes antiquæ Romæ in quacumque causa ab episcopis prouocationem ad ipsos dari iactant, ac eumdem in prima Nicæna Oecumenica Synodo conditum fuisse, falsò affirmant. Quod quidem cum in Carthaginensi Synodo propositum fuisset, minimè cum veritate consentire probatum est.] Etiam ad Florentinam Synodum dixit Marcus Archiepiscopus Ephesiorum: [Nosti apud vos olim, tempore Papæ Zozimi, productos fuisse Nicęnos Patres Carthaginensi Synodo. Scripserat enim Zozimus Papa ad Concilium Carthaginense, Nicænam Synodum per suos Canones statuisse, vt vniuerso orbi liceret appellare ad Papam Romanum: Miserat & Canonem, quo id decernebatur, quasi Nicænæ Synodi. Verùm Canonem illum non agnouit Carthaginense Concilium: Nec facilè illum recepit, sed nihil se tale dixit habere in Canonibus Nicænæ Synodi. Ab Episcopis Orientalibus, scilicet à Cyrillo Alexandrino, & à beato Proclo Constantinopolitano, cum hæc authentica per epistolam ab eis quæsita, & missa essent ab Orientalibus Carthaginensi Concilio, non est inuentus ille Canon, quem Papa protulit. Quocirca scripserunt ei, ne sibi ius illud appellationum postularet, quod non datur à Synodo Oecumenica. Vides à Papa illo prolatum Canonem, quem synodus illa non ediderat, idque scribente ad synodum de re tam graui?] Insigniter errat Nicænos Canones in ista Afrorum contentione fuisse postulatos à sancto Proclo Episcopo Constantinopolitano. Etenim hæc postulatio facta est sub pontificatu Zozimi, ad duodecimum Honorij, Theodosij octauum Consulatum, anno decimo octauo quinti sæculi, quo Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsedit Atticus, quartus ante Proclum.

Verùm Marcus in sua Florentina disputatione non habuit satis validum aduersarium. Etenim Ioannes de Monte Nigro, Prædicatorij Ordinis Prior Prouincialis in Lombardia, respondit: [Protulisti Zozimum Papam, vt quosdam Nicænæ Synodi Canones miserit Carthaginensi Concilio, & vis inferre Zozimum misisse corruptos Canones, adiecto de appellationibus Canone, qui non exstat inter Canones Nicænæ Synodi. Sed nullum nobis fide dignum, & classicum produxisti, quod ità corruperit Canones. Quare decorum sanè foret, si quæ huiusmodi proferre vis, non de tuo dicere, verùm testimonia Doctorum adferre.] Ex fictitijs sanctorum Pontificum, Iulij, Marci, Liberij, ac Fœlicis, nec non ex sancti Athanasij epistolis conatur demonstrare Nicenos Canones fuisse longè plures, quàm viginti. Ex ijsdem testimonijs asserit istos Canones non apud Orientales Ecclesias, sed in solis Romanæ Cathedræ scrinijs exstitisse authenticos, ac incorruptos, & concludit: [Qua ergò ratione dicis corruptum esse à Zozimo Canonem, missumque, cum non exstaret inter Nicænæ Synodi Canones? Dico igitur notum fuisse Carthaginensibus, per totum Orientem corruptos haberi Canones. Et si missi sunt, certè ab Oriente certi missi sunt, quod multis sanctorum Patrum, & longè eruditissimis testimonijs patet. Possumusque proferre libros, qui apud nos sunt.] Ad quæ Ephesius: [Ad ea, quæ primò dicta sunt à te, quod scilicet nullum de Zozimo testimonium protulerimus, hoc volo dicere, vos testimonium non attulisse. Non quod proferre, aut non habeamus, aut non valeamus: Possumus enim id nullo facere negotio, vel ex ipsis vestris Codicibus; quia nos huc paucos attulimus, sed liber est Constantinopoli. Rem indicauimus. Nam vobis etiam nota sunt, quæ diximus.] Et Fratri Ioanni roganti, [Quisnam est liber iste: Ephesius respondit: Liber Canonum, & Synodorum.] Laudat Orientalis Ecclesiæ Codicem, probatum à Trullana Synodo, & Commentarijs illustratum à Theodoro Balsamone: alijsque Græcorum Doctoribus. Et rursùm Frater Ioannes: [Apud Latinos numquam inuenietur facta à Zozimo Papa hęc deprauatio. Sed omittamus hoc: Indiget enim disquisitione.] Et Ephesius acquieuit: [Placet omitti. Non est enim præsentis temporis hæc quæstio.] Rectè omiserunt. Neuter enim penetrauit fundum controuersiæ. Interim vides cunctos Photiani schismatis sectatores fuisse hac Africana contentione abusos ad euertendam auctoritatem Sedis Apostolicæ.

Horum

Horum vestigia secuti sunt Ioannes Caluinus, ac Marcus Antonius de Dominis. Eorum verba adduxi superiùs. Successit nescio quis facinorosus in Gallia Tenebrio, qui pro Serenissima Venerorum Republica aduersùs Paulum quintum Pontificem scripsit sceleratum Tractatum, de libertate Ecclesiastica. Affirmat Romanis appellationibus originem esse à Sardicensi Synodo, addit ipsam non fuisse Oecumenicam, & prosequitur: [Post
Cap. 3. annos circiter septuaginta à Synodo Sardicensi celebrata, induxit in animum Zozimus Papa hoc ipsum, de quo disputamus, appellationum ius ad Romanam Sedem ab Africanis Episcopis impetrare, & vt Decreta Sardicensia super ea re facta vim Legis Ecclesiasticæ in Africa obtinerent, efficere. Eo fine Legatos à Latere, quos iam tunc vocabant, in Africam mittit, amplis Mandatis instructos.] Multa impudenter ac nequiter latrat, & pergit: [Sub idem tempus Pelagius, & Cælestius, hæretici scelestissimi, ab Africanis Episcopis excommunicati, cum ad eumdem Zozimum confugissent, pariter ab eo sunt suscepti. Atque horum occasione vsus est Zozimus, vt ius appellationum ad Papam Romanum in Africa stabiliret. Quod vt efficeret, tres in Africam Legatos misit: Duos Presbyteros, Philippum, & Asellum; item Faustinum, Potentinæ ciuitatis Episcopum.] Pertinaciter blaterat Romanas appellationes ante Zozimi Attentatum non apparuisse in Africa. Et addit insignes errores. Primus est, quod etiam Pelagius fuerit damnatus ab Africana Synodo, ideoque, & ipse Romam prouocauerit. Clarum est solum Cælestium fuisse damnatum, & appellasse. Secundus error est, quod Zozimus appellantem Cælestium admiserit, & absoluerit ad istud appellationis ius suę Sedi inchoandum, & asserendū. Est non dumtaxat error, (quoniam Zozimus non absoluit Cælestium) sed insuper mendacissima coutumelia. Tertius error est, quod ob Cęlestij, aut Pelagij causam Zozimus miserit Legatos in Africam.

Eodem tramite, cum aliqua tamen moderatione, ambulat in libris de Sacerdotij ac
Cap 3. Imperij concordia Petrus de Marca. Etenim in septimo libro scribit: [Ordinationes Episcoporum, & Iudicia Ecclesiastica fiebant à Synodo cuiusque Prouinciæ cum auctoritate Metropolitani, adeò vt non liceret prouocare à iudicio lato in Synodo Prouinciæ.] Ità seruatum olim fuisse in Africa, probare nititur ex sancti Cypriani literis ad sanctum Papam Cornelium, agentibus de causa Fortunati, in Carthaginensem Cathedram superintrusi per Factionem Felicissimi Diaconi, & quinque cum illo rebellium Presbyterorum. Eandem formam viguisse in Hispania suadere tentat ex causa Basilidis, & Martialis, degradatorum Episcoporum, prouocantium ad sanctum Papam Stephanum. Constanter affirmat istam regulam vsque ad Sardicensem Synodum fuisse totius Ecclesiæ. Apud Afros viguisse affirmat etiam post ipsos liberatos à Wandalico iugo, ac per Iustiniani, & Belisarij arma redditos Romano Imperio. Etiam sub Pontificatu Magni Gregorij Magistrum generosè sequitur Stephanus Baluzius in pre-
Cap. 14. fatione ad Gratiani Decretum, emendatum ab Antonio Augustino.

Eadem cum fœnore, & maximo animo tradit Paschasius Quesnellus. In Apologetica pro sancto Hilario Arelatensi Archiepiscopo Dissertatione scribit: [Porrò iam à primordijs seminati intra Regiones nostras Euangelij hoc Antistitum Gallicanorum mentibus inoleuit, quod Africanis semper fuit persuasum totis his quadringentis quiuquaginta, & ampliùs annis, nempè episcopatum esse vnum, atque indiuisum, cuius à singulis in solidum pars tenetur, ac proinde si quem ex portione Gregis Christi adscripta, quam regit Pastor vnusquisque, ac gubernat, in aliquod crimen prolabi contingeret, apud eundem agere causam suam compelli debere, seruato appellanti ad Prouincialem, vel etiam maiorem Synodum iure. Si quis secùs fecisset, & ad extraneos Iudices vellet per appellationis libellum confugere, is episcoporum concordiam cohærentem collidere, vnitatemque scindere meritò putabatur. Auctoritas autem, quæ episcopis quibusque in suos Presbyteros, cæterosque gregis sui alumnos competebat, hæc eadem Metropolitanis vnà cum Prouinciæ Concilio in Comprouinciales Episcopos deferebatur iure quodam naturali, & consuetudine ab omnibus recepta, quam sacrosancta postmodùm Conciliorum firmauit auctoritas.] Palàm affirmat non solis Afrorum Clericis, sed etiam Episcopis Romanam appellationem fuisse vetitam, & clausam. Et adiungit quædam rideri digniora, quàm impugnari. Primum est, quod Metropolitæ ad subditum episcopum damnandum auctoritas sit ius naturale. Hinc enim sequitur omnem ecclesiam, ex quo ista auctoritas fuit Metropolitis adempta, extra ius naturale viuere. Et fabula sibi ipsi non coħæret. Etenim ipsa docet sancti Irenęi ęuo necdùm fuisse Metropoliticam potestatem, & tamen fatetur ecclesiam tunc non vixisse sine aliqua portione iuris naturalis. Alterum ridiculum est, quòd Romana Ecclesia, aut Apostolica Sedes sit alijs Prouincijs Iudex extranea. Præsertim si intelligatur de Prouincijs ad eius Patriarcharum spectantibus. Nec Eusebius Nicomediensis, nec Photius, nec Michael Cerularius sunt prolapsi in tantam audaciam.

Idem Paschasius Quesnellus Magni Leonis ad Cæsariensis Mauritaniæ Antistites epistolam affirmat esse interpolatam, ac vitiatam: Partem illam, quæ tractat de Lupicini Episcopi causa, & Romana appellatione, definit esse spurium additamentum. Et adiungit sui Iudicij rationem: [Quod de Lupicini Episcopi causa ibidem legitur, quam perturbatis persecutionis Africanæ temporibus, quàm illius ecclesiæ moribus, & disciplinæ contrarium est? Norunt enim omnes, quantoperè abhorrebant Africani ab appellationibus transmarinis, qui in Concilio Carthaginensi, quod sextum vocant, & in epistola etiam posterioris Concilij ad Cęlestinum Papam, ignotæ sibi huic disciplinæ subijcere se recusarunt, cuius negotij recens adhuc erat memoria, triginta vix ab illa annis elapsis. Quid quod tum temporis ita omnes illas Prouincias bellorum tumultus, aut persecutionis æstus vastabat, vt nullus, vel in-

 stru en-

struendo Episcopali Iudicio, vel Synodo congregandæ locus esse posset, cum tamen Lupicini causam illic iubeat audiri Auctor epistolæ. Addo hunc Leonem nostrum non esse, vel ex eo persuasum me habere, quod vir sagacissimus, vel ad se causam traxisset Episcopi Romanum Tribunal appellantis, vel saltem aliquem è suis delegasset, qui interesset iudicio, & ex eius auctoritate totum negotium cum illis discurreret. Nec contentus esset scribere, vt illic causa audiretur, nulla, vel loci, vel iudicis, vel Legati mentione facta.]

Respondeo hęc fundamenta esse caduca. Etenim quod Romanæ Episcoporum appellationes semper viguerint in Africa, est exploratissimum, & ad oculos mox demonstrandum. Et isto tempore Cæsariænsis Mauritania adhuc parebat Romano Imperio, habebatque omnes suas Ecclesias, ac Episcopos. Quidni ergo habuerit suas Synodos, ac alios Episcopales Conuentus? Proinde Lupicinus Episcopus damnari isthic potuit, & Romam prouocare. Patent ista ex Victore Vticensi Episcopo: [Gensericus Rex disponens singulas quasque Prouincias, sibi Byzacenam, Abaritanam, atque Getuliam, & partem Numidiæ reseruauit; exercitui verò Zeugitanam, vel Proconsularem funiculo hæreditatis diuisit, Valentiniano adhuc Imperatore reliquas, licèt iam exterminatas, Prouincias defendente. Post cuius mortem totius Africæ ambitum obtinuit.] At verò hæc facta sunt ante mortem Valentiniani. Porrò vir sagacissimus Leo causam hanc ex magnis rationibus non traxit Romam, nec item Legatum misit ad Afros, sed retractatorium Iudicium delegauit Synodo Prouinciæ. Nempè non à plena Synodo, sed à duodecim dumtaxat Episcopis damnatus fuerat Lucipinus, ideoque plurimorum Episcoporum mens erat adhuc indifferens, & integra. Et propter bellicos tumultus plerique Afrorum in Italiam portus tenebantur a Barbaris. Infestæ erant omnes viæ. Hinc neque Lucipinus Romam accedere poterat, neque quis Apostolicus Legatus in Africam. Rectè igitur Leo ex Sardicensi Canone nouum examen delegauit Synodo totius Prouinciæ. Laudes, & gratias veritati, quę à Paschasio Quesnello extorsit, quod Leo appellantem Lupicinum potuisset Romam accersere. Certè iuxta Sardicenses Canones. Quod istis viris solet non placere.

Idem Scriptor ostendit varios à varijs titulos adscribi huic epistolæ, & prosequitur: [Ex quibus intelligis Lector, quàm intemperans fuerit interplorandi libido, quamque impunè in hanc epistolam grassata sit. Primum enim consilium fuit, augendam esse hac ad Africanos epistola Dionysianam collectionem, vt delata in Africam Pontificis Romani Decreta maiorem ex Codice auctoritatem sumerent. Nec aliter recipi posset, siue à Gallicanis, siue ab alijs Ecclesijs Dionysiana collectio, quin simul Romanam circa appellationes, aliaque huiusmodi disciplinæ capita amplecteretur. Sed quia parùm erat Mandata Pontificis illuc transmissa esse, nisi obediendi necessitas, & exemplum appareret, hæc ob eam causam verba supposuerunt initio secundi capitis. [Superest Fratres, vt concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, &c. [Et quorum loco manu scripti Codices habent solummodò:] Concorditer. [Quid postea? Manebat adhuc alta mente repostum Concilij Africani Responsum ad Zozimum, Bonifacium, Cælestinumque, Leonis Prædecessores. quo ex Africa ad Romanum Pontificem causas Ecclesiasticas per libellum appellationis deferri non posse inuictè contenderant: Opus itaque fuit, vt appellatio alicuius Episcopi Africani ad sanctum Leonem Africanos illos Episcopos facti sui pœnitentes, appellationumque iuri succumbentes exhiberet. Hinc adsutus pannus de Lucipini appellatione, cui, & alia quoque adnexa Decreta de illicitis Ordinationibus, deque alijs negotijs, vt & consilium magis tegeretur, & supremum fuisse Romani Pontificis in Ecclesiam Africanam dominium innueretur. [Post plura istiusmodi temeraria, & calumniosa phantasmata tandem concludit:] Et certè valdè Leonis nostri solertiæ ac ingenio consentaneum mihi videtur, vt temporis opportunitatem captauerit ad confirmandam Sedis suæ auctoritatem] in Africanas Ecclesias. Nemo est qui nesciat, quoties, quantisque conatibus id tentauerint Leonis Prædecessores, quantumque Leonis ipsius ætate Bonifacius, & Cælestinus in eam rem laborauerint, Africanis consuetudinem Ecclesiarum suarum inuictè semper propugnantibus. Expectanda enim illis fuerat opportunior occasio: Quæ vt sese Leoni obtulit, eam sibi vir cordatissimus elabi non est passus. [Has in sanctissimum Pontificem pessimas calumnias petulanter exaggerat, & pergit:] Dum hæc scribo, videor mihi hinc Catholicorum nonnullos submurmurantes audire, illinc Sectarios vtraque applaudentes manu, quasi Pontificem Romanum mali ambitus, alienique iuris notare videamur. Vtrisque satisfaciam vnius Casauboni verbis, cui non assentiri nec hæretici audeant, nec debeant hac in re Catholici.] Procopius Cæsariænsis, dum Imperatoris Iustiniani arcanam scripsit Historiam, toto tremebat corpore: Rationes exploratæ. Istud ipsum scribenti hæc Paschasio Quesuello videtur euenisse. Et certè omnium Catholicorum querimonia est longè iustissima. Etenim Scriptor ille istud ipsum imponit magno Leoni, quod Liberio Pontifici ex Eusebianorum suggestione improperauit Imperator Constantius, & propter quod Philippopolitanus Eusebianæ factionis Conuentus damnationis conuicium latrauit in sanctum Pontificem Iulium.

CAPVT XVII.

Demonstratur ex Sancto Cypriano, quod Romanæ Episcoporum Appellationes semper viguerint in Africa.

HOc Apostolicę Sedis apud Afros ius clarissima habet testimonia, atque exempla apud sanctum Cyprianum. Etenim ad ipsum de Priuato, Lambesitano in Numidia Epi-

Epist. 39. Episcopo, damnato, ac degradato, scribit Romanæ, per sancti Fabiani Pontificis martyrium vacantis, Ecclesiæ Clerus: [Quod autem pertinet ad Priuatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nunciare voluisti. Omnes enim nos decet pro corpore totius ecclesiæ excubare. Sed nos etiam ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum antehac quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset Vexillarius Priuati, & furto, ac fraudulenter literas à nobis elicere curaret, nec quis esset latuit, nec literas, quas volebat, accepit.] Ita legit Iacobus Pamelius. Nicolaus Rigaltius legit hoc modo: [Priuati Vexillarius futurus, & fraudulenter, &c.] Placet Pamelij lectio. Etenim dolosa apud Apostolicam Sedem in communionem obreptio est plenissimum furtum. De eodem Priuato sanctus Cyprianus scribit ad sanctum Papam Cornelium: [Per Felicianum significaui tibi, Frater carissime, venisse Carthaginem Priuatum, veterem Hæreticum, in Lambesitana colonia ante multos ferè annos ob multa, & grauia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum, antecessorum etiam nostrorum, quod & vestram conscientiam non latet, Fabiani, & Donati literis seuerissimè notatum, qui cum causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus idibus Maij, quæ proximè fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum sibi Pseudo Episcopum, dignum Collegio suo, fecit.]

Priuatus Lambesitanus episcopus, à nonaginta episcopis, Lambesitanam totius Numidiæ synodum constituentibus, ob grauia, & plura crimina damnatus, prouocauit ad Donatum Carthaginensem episcopum, Primatem totius gentis. Verùm ille confirmauit sententiam, & hominem seuerissimè notauit synodalibus literis. Damnationis Tractoriam transmisit ad omnes Ecclesias. Hinc iste prouocauit Romam, & accessit ad sanctum Fabianum pontificem. Sed, & isthic nactus est eumdem suæ causæ successum. Cap. 2. Franciscus Hallier, episcopus Caballonensis, in quarto libro de Hierarchia Ecclesiastica rectè adiungit; [Ad quid Romani Pontificis iudicio iterùm damnarentur, qui ab Africanis damnati essent, nisi eius sententia potuissent absolui] ? porrò Fabianus per gloriosum Martyrium migrat ad meliorem vitam. Hinc nouus Priuato animus. Causam resumpsit apud Clerum viduatæ Ecclesiæ. Ex suæ nequitiæ cohorte Romam misit nescio quem Vexillarium, qui fraudulentèr curaret circumduci omnia præfata iudicia, & sceleratum hominem reparari in amissi gradus communionem. Hinc Cyprianus clerum instruxit, atque ità omnem irrependi, iam anteà clausum, aditum firmissimè obserauit. At impudens, ac importunus Veterator necdùm siluit. Denuò prouocauit ad sancti Cypriani synodum. Non impetrandi spe, sed animo turbandi. Etenim Felicissimi Carthaginensis Diaconi, & quinque sancto Cypriano rebellium presbyterorum Factioni adiunctus in Ducem, tandem Fortunatum ex quinque istis presbyteris vnum, ordinauit, ac intrusit in Carthaginensem Cathedram, atque ità degradauit sanctum Cyprianum. Omnes suas damnationes sperauit hac via vindicare, consolari, ac reparare. Sub isto nouo episcopo sperabat apparere integer, magnus, & gratiosus. Sanctus Cyprianus adiungit de isto Priuato: [Venerat etiam cum illo Felix quidam, quem ipse extra Ecclesiam in hæresi pseudo. Episcopum olim constiruerat]. Vtique post damnationem. Nempè nulli iudicio voluit acquiescere, atque ita non dumtaxàt assiduis appellationibus, sed etiam Para-Synagogis. Schismatibus, ac sacrilegis Ordinationibus dudùm vexauit Ecclesiam. Hinc circumduxit integram cohortem suæ nequitiæ.

Quandoque bonus dormitat Homerus. Illustrissimus, ac eruditissimus Dominus Lucas Holstenius ex laudato sancti Cypriani loco scribit in annotationibus ad Geographiam sacram Caroli à sancto Paulo: [Ante Cyprianum Carthaginenses episcopi „ sunt Agrippinus, Donatus, Fabianus; post Mensurius, Cecilianus, Lucianus, Rufus, Gratus, Genethlius, Aurelius, Capreolus, Quod-vult-Deus, Deo-Gratias, Eugenius, Bonifacius, Reparatus, Primasius, siue Primosus]. Labitur in duobus, Primò, quod sanctum Fabianum Pontificem transmutet in episcopum Carthaginensem. Existimo fuisse circumscriptum à verbis: [Antecessorum nostrorum Fabiani, & Donati]. Verùm sanctus Cyprianus scribit ad Papam Cornelium, & laudat vtriusque proximum Antecessorem: Suum. Donatum, Cornelij, Fabianum. Deindè vir Illustrissimus labitur, quod omittat sanctum Cyrum, à beato Possidio laudatum in indiculo Operum sancti Augustini, & Thomam, laudatum in primo libro Victoris episcopi Vitensis. Vera itaque Carthaginensium episcoporum successio est hæc: Agrippinus, Donatus, sanctus Cyprianus, Lucianus, sanctus Cyrus, Mensurius, Cecilianus, Gratus, Rufus, Restitutus, Genethlius, Aurelius, Capreolus, Quod-vult-Deus, Deo-Gratias, Thomas, Eugenius, Bonifacius, Reparatus, Primosus, & sic consequenter. An Agrippinus fuerit primus, certò non constat. Videtur non fuisse. Etenim eius presbyter Tertullianus palàm docet Christianitatem suo tempore apud Afros fuisse antiquam. Item ignoratur, an inter Agrippinum, & sanctum Cyprianum solus Donatus medianerit. Item an inter Cyprianum, & Mensurium non fuerit aliquis tertius, aut etiam quartus.

Aliud Romanæ appellationis exemplum profert nobis sanctus Cyprianus, scribens de Nouato, nescio cuius loci apud Afros episcopo, ad sanctum Cornelium: [De Nouato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos vobis debeat Nouatus ostendi, rerum nouarum semper cupidus, auaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia, & stupore tumoris inflatus, semper per isthic episcopus malè cognitus, quasi hæreticus semper, & perfidus omnium Sacerdotum voce damnatus, curiosus semper vt prodat, ad hoc adulatur vt fallat, numquam fidelis vt diligat, fax, & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo, & tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis Aduersarius, pacis inimicus. Denique Nouato illinc à vobis recedente, idest, procella, & turbine recedente, ex parte illic quies facta est. Epist. 49.

 Idem

Idem est Nouatus, qui apud nos primum discordiæ, & schismatis incendium seminauit, qui quosdam isthic ex Fratribus ab episcopo segregauit, qui in ipsa persecutione ad euertendas Fratrum mentes, alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est, qui Felicissimum, Satellitem suum, Diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua Factione, & ambitione constituit: Et cum sua tempestate Romam quoque ad euertendam Ecclesiam nauigans, similia illic, & paria molitus est, à clero portionem plebis auellens, Fraternitatis bene sibi cohærentis, & se inuicem diligentis, concordiam scindens. Planè quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic maiora, & grauiora commisit. Qui isthic aduersùs Ecclesiam Diaconum fecerat, illic episcopum fecit: [Enumerat horrenda eius facinora, & concludit: [Hanc conscientiam criminum iampridem timebat. Propter hoc se non de Presbyterio tantùm excitari, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & vrgentibus Fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa eius ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam euadendæ, & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit, & miscuit, vt qui eijci de Ecclesia, & excludi habebat, iudicium Sacerdotum voluntaria discessione præcederet, quasi euasisse sit pœnam, præuenisse sententiam]. Harum rerum meminit in sancti Fabiani vita etiam liber Pontificalis: [Eodem tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit Nouatianum de Ecclesia, & quosdam Confessores]. Et in vita sancti Cornelij: [Sub huius episcopatu Nouatus Nouatianum extra Ecclesiam ordinauit, & in Africa Nicostratum].

Sanctus Cyprianus fuit è Neophyto ordinatus episcopus. Primus apud Afros. Haud dubiè per Diuinam inspirationem. Et mòx ad eius Tribunal proclamatus fuit Nouatus episcopus, reus criminum. Et iam imminebat per Cyprianum statutus cognitionis, ac synodi dies. At eccè superuenit persecutio, ideòque cessauit ista synodus, & sanctus Cyprianus fuit compulsus secedere. Hanc opportunam suis rebus ansam Nouatus arripuit cum gaudio, & quo sibi plenè consuleret, cœpit sancti Cypriani episcopatum inuadere. Blaterare illum contra Apostolicum canonem esse intrusum ex Neophyto, ideòq; non esse episcopum, sed vacuum episcopatus inuasorem. Et in ipsa Carthaginensi Ecclesia inuenit Asseclas. In inferiori clero nescio quem Felicissimum, aptissimum suo satellitio, & quinque presbyteros, qui electioni Cypriani fuerant ab exordio refragati: Existimo, quod hi ipsum constituerint Ecclesiæ Visitatorem. Sic ille præsumpsit Felicissimum consecrare in Diaconum. Nec hìc stetit Nouati temeritas. Insupèr se purgaturus, vnàque accusaturus sanctum Cyprianum prouocauit ad sanctum Fabianum Pontificem, & Romam transfretauit. At ecce inuenit Pontificem Martyrio ablatum, ac viduatam Ecclesiam. Interim Romæ permansit exspectans Successorem. Successit sanctus Cornelius, habuitque, & ipse Aduersarios: Horum vnus fuit Euaristus, nescio cuius ciuitatis episcopus. Etenim Cornelius in literis ad sanctum Cyprianum affirmat ipsum fuisse authorem schismatis, ideòque à se degradatum, ac Sede eiectum. Epist. 48. An Nouatus causam suam Cornelio exposuerit, & fuerit passus repulsam, ignoro. Quidquid sit, adiunxit se factiosis, piscandum duxit in aqua turbida, & ad Nouatiani intrusionem concurrit adeò potentèr, vt sanctus Cyprianus scribat, quod ipsum constituerit episcopum. Nouæ tunc, ex qua turbidæ suæ ambitionis fundamenta sumpsit, in Lapsos clementiæ Nouatianus ante Cornelij creationem omninò fauerat, & cum alijs Romanæ Ecclesiæ presbyteris subscripserat: Quod Nouatus ipsum à priori sententia, ac Ecclesia seduxerit, probare non possum, nisi ex libro Pontificali. Quin ab illo fuerit pro integro episcopo agnitus, & plenè purgationis sponsionem acceperit, non est dubitandum. His animatus se totum pro Nouatiano expendit. Hinc in Apostolica Sede firmatus Cornelius eius, & apud Afros, & apud almam Vrbem patrata facinora discussit, ac turbulentum hominem damnauit. Et huic, licèt non aduersùs latam, sed dumtaxàt aduersùs imminentem, ac ferendam damnationis sententiam interpositæ appellationi, necnon huic Romana in appellantem Nouatum iudicio Cyprianus plenissimè acquieuit. Quod nempè Nouatus esset episcopus.

Sancti Cypriani verba, [Qui isthic Diaconum fecerat, illic episcopum fecit], videntur omninò importare consecrationem. Affirmant, quod Nouatus Nouatianum eo modo creauerit episcopum, quo Felicissimum creauerat Diaconum: At verò hunc creauerat per consecrationem. Et hinc scribit author libri Pontificalis: [Nouatus Nouatianum extra Ecclesiam ordinauit]. At verò in literis ad Fabium Antiochiæ Patriarcham sanctus Cornelius disertè scribit Nouatianum à tribus rudibus, & agrestibus, per fallacias circumscriptis, & multo vino ad horam diei decimam inebriatis, Italiæ episcopis fuisse[imaginaria quadam, & vana manuum impositione] consecratum. Et adiungit: [Ex quibus episcopis vnus non longè post peccatum flebiliter lamentans, & idem apertè confessus, ad Ecclesiam reuenit. Quem populo vniuerso pro eo rogante, tandem vt laicum in communione recepimus, atque alios, qui in aliorum duorum episcoporum loca succederent, misimus]. L.6. C. 35. Exstat epistola in ecclesiastica historia Eusebij Cæsariensis. Hinc quæritur, Quomodo ista cohæreant? Respondeo nec de sancti Cornelij, nec de sancti Cypriani fide, aut verbis esse dubitandum. Et sanè Romani Pontificis consecratio semper spectauit ad vicinos vrbi, aut certè ad quosuis Pontificis Comprouinciales episcopos, ideòque Nouatianus etiam ab ipsis voluerit consecrari. Et hoc palàm euincit epistola sancti Cornelij. Sanctus Cyprianus vsus est æquiuoco verbo, & tam ad electionem, quàm ad consecrationem significandam ambidextro. Quare ipsum de electione, in qua Nouatus Ducem egerat, est intelligendum. Electioni Cornelij adfuerant Africani episcopi: Hinc etiam Nouatianus gauisus est saltem vnum suæ adfuisse. Isto enim tempore omnes, dum in Alma Vrbe tunc reperirentur, Romani Patriar-

triarchatus episcopi in eligendo Pontifice habebant suffragium. Liber Pontificalis hac in parte est modicæ authoritatis, Nam, & addit à Nouato in Africa fuisse ordinatum Nicostratum. Debebat dicere: [Felicissimum]. Nicostratus enim fuit Romanæ Ecclesiæ, ac sancti Pontificis Fabiani Archi-Diaconus, vnus è Confessoribus, quos Donatus seduxit. Erat vir criminosus. Eius crimina nobis aperit sanctus Cyprianus in præfatis literis ad sanctum Cornelium.

Paschasius Quesnellus nobis opponit eiusdem Cypriani ad eumdem Pontificem verba de præfatis quinque sibi rebellibus presbyteris, ac ipsorum Duce Felicissimo. Eorum facinora Cyprianus enumerat, atque prosequitur: [Post ista adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum. Quæ autem causa veniendi, & Pseudo-episcopum contra episcopos factum nunciandi? Aut enim placet illis, quod fecerunt, & in suo scelere perseuerant; aut si displicet, & recedunt, sciunt quò reuertantur. Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, & iustum, vt vniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, vbi, & accusatores habere, & testes sui criminis possint. Nisi si paucis desperatis, & perditis minor videtur esse authoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conscientiam, multis delictorum laqueis vinctam, iudicij sui nuper grauitate damnarunt. Iam causa eorum cognita est, iam de eis dicta sententia est, nec censuræ congruit Sacerdotum mobilis, atque inconstantis animi leuitate reprehendi, cum Dominus doceat, & dicat] . Sit sermo vester, Est est, Non non: [Si eorum, qui de illis priori anno iudicauerunt, numerus cum Presbyteris, ac Diaconis computetur, plures tunc adfuerunt iudicio, & cognitioni, quàm sunt eidem isti, qui cum Fortunato nunc videntur esse coniuncti].

Respondeo recolenda esse, quæ supra sunt dicta de Nouati episcopi, Felicissimi diaconi, & quinque presbyterorum rebellione contra episcopatum sancti Cypriani. Apud Afros tunc adhuc vigebat antiquus pœnitentialis disciplinæ rigor, lapsis negans sacramentalis reconciliationis pacem etiam in exitu, & ipsos iudicandos reseruans, ac transmittens ad supremum in Dei dextera Pontificem, Dominum nostrum Iesum Christum. Et Ecclesia erat plena lapsorum. Et rigor apud Romanam Ecclesiam mitigari cœperat. Hinc nequam ista Factio se segregauit à Cypriani communione, & nouum Altare, & schismaticam Parasynagogam erexit in nescio quo propè Carthaginem monte, & studuit plebem eò seducere. Et quo pelliceret, omnes Lapsos inuitauit ad communionem, & admisit sine satisfactione, ac pœnitentia. De qua re sanctus Cyprianus grauissimè queritur in varijs epistolis, ac præsertim in sermone de Lapsis. Istiusmodi pacem asseuerat esse falsam, vacuam, delusoriam. Et hinc patet profunda, ac impudens Nouati nequitia. Idem ipse, qui in Africa antiquum pœnitentiæ rigorem sceleratissimè soluerat, Romæ Nouatiano adhærens eumdem contumacissimè, ac hæreticè resuscitauit, ac stabiliuit. Et Factio plurimos Lapsos ad se seduxit. Et hæc est ratio, cur sanctus Cyprianus ad admittendam Romanæ Ecclesiæ in Lapsos clementiam sit factus inclinatior. Factio eò vsque profecit, vt sibi adiunxerit priuatum Lambesitanum episcopum, antiquum Hæreticum, & in Africa & Romæ damnatum, necnon quosdam alios episcopos similis fæcis. Hi venerunt Carthaginem, absentem ex persecutionis causa Cyprianum damnarunt, ac ipsi superordinarunt Fortunatum, vnum ex quinque præfatis presbyteris. Et omnia sua per Legatos retulerunt Romam. Primò intrusionem sancti Cypriani, & eius crudelitatem in Lapsos. Damnari hanc, istam postularunt cassari. Deinde retulerunt promotionem Fortunati, flagitantes confirmari. Et vt fucum facerent, mentiti sunt istam peractam à viginti quinque episcopis. Tertiò retulerunt suam à sancto Cypriano factam damnationem. Dixerunt factam ab intruso, ex vindictæ spiritu, appellarunt contra ipsam, & rogarunt cassari. Legati hæc omnia fucarunt multis astutiæ, ac eloquentiæ coloribus. Et tanta violentia sunt Cornelium aggressi, vt summa desperatione comminarentur, quod si literas, quas attulerant, non accepisset, publicè eas recitarent. Vtique literas, quibus Fortunatus exponebat, & postulabat præfata omnia. Legatorum Princeps erat Felicissimus. Eius Collegæ videntur fuisse quatuor presbyteri. Fortunatus, vti totius Africæ Primas, remanserat Carthagine. Hæc omnia simul iuncta fecerunt Cornelium nonnihil hæsitare.

At verò sanctus Cyprianus ad singula neruosè respondit. Ad primum respondit se diuino Iudicio, populi suffragio, Coepiscoporum consensu, in pace electum, iam per quatuor annos probatum in episcopatu, omnibus Collegis fideliter iunctum, à Domino Deo in persecutione protectum, & non dumtaxàt à Christianis, sed etiam à Gentilibus agnitum pro legitimo episcopo. Vtpotè qui per hos ipsos dies fuerit [adplicito & adiuncto episcopatus nomine proscriptus, & sub eodem elogio, tam in Circo, quàm in Amphitheatro, ab omni Carthaginensi Gentilitate postulatus ad Leonem.] Ità probat se non intrusum contra Apostolicos Canones, sed ex diuina, ac humana ipsorum dispensatione electum legitimè, & consecratum. Porrò sanctus Cyprianus quinquagesimo tertij sæculi anno est creatus episcopus. Proinde Fortunati intrusio, ac eius cum quatuor alijs presbyteris, & Felicissimo diacono synodalis damnatio quinquagesimo tertio, hæc autem Romana appellatio contigit anno quinquagesimo quarto. Cyprianus enim disertè testatur ipsos fuisse damnatos preterito anno.

Ad

Ad secundum respondit à se omninò seruari Romanæ in Lapsos clementiæ decreta. Se esse ipsorum non tantummodò fautorem, & custodem, sed insuper authorem. Quin immò se in Africa à varijs argui de nimia facilitate. Ad tertium reposuit Fortunatum nequaquam à viginti quinque, sed à solis quinque, eisque damnatis, & sordidis, episcopis fuisse intrusum, & consecratum, ideòque exinde nihil dignitatis, aut sanctimoniæ, sed accepisse incrementa criminum, nouamque execrationem, ac damnationem. Et de Priuato Lambesitano, qui videtur fuisse principalis consecrans, adiungit: [Fuit nonaginta episcoporum sententia condemnatus, antecessorum etiam nostrorum, Fabiani, & Donati, literis seuerissimè notatus.] Affirmat in Africa damnatum prouocasse Romam, & eius vinculum à Pontifice Fabiano fuisse confirmatum. Profitetur Africanos Præsules semper potuisse appellare ad Sedem Apostolicam.

Ad quartum de Fortunati, Felicissimi, ac aliorum presbyterorum appellatione caput reponit laudata superiùs verba. Affirmat esse antiquum, idque æquum pariter, ac iustum Statutum, vt inferior Africanæ Ecclesiæ Clerus iudicetur in Africa, ac domesticis iudicijs teneatur acquiescere. Totus contextus est exponendus. Primò notanda sunt hæc verba: Cùm statutum sit omnibus nobis. Non toti Ecclesiæ, sed omnibus nobis Afris. Manifestè laudat non commune totius Ecclesiæ; sed quoddam singulare Statutum. Hinc addit: Æquum sit pariter, ac iustum. Quis de vniuersalium Canonum iustitia possit cespitare? Quomodo talis cespitatio cecidisset in sanctum Cornelium? Proindè Cyprianus purgat aliquod singulare suæ genti edictum. Et ipsum non agit de prima audientia: Quin enim hæc debeat apud Prouinciam institui, nemo vnquam dubitauit. Cyprianus agit de Fortunati, ac Felicissimi appellatione, & affirmat esse æquum, ac iustum, vt clericorum causa isthic audiatur, ac finiatur, vbi fuit crimen admissum. Non asserit esse necessarium; sed æquum, ac iustum. Nempè suæ gentis morem sic purgat, vt communes Canones non notet, nec aliarum gentium consuetudines. Notanda sunt & hæc verba: [Et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.] Affirmant Ecclesiam, licèt vnicam, esse diuisam in varios pastores, vtique Patriarchas, atque Primates, & vnicuique permittendum, vt sui Cleri, ac Populi mores formet ex suæ conscientiæ arbitrio, de quo obstringatur Domino Deo dare rationes. Laudant proprium Africanæ Ecclesiæ Statutum, quo eius inferior Clerus cogitur suorum episcoporum iudicijs non refragari. Et Cyprianus addit Statuti causam: Oportet eos, quibus præsumus, non circumcursare. Hoc est antiquum Africani Cleri vitium: Et ad ipsum præcidendum primitiui isthic episcopi censuerunt Romanas etiam appellationes ipsi auferendas. Sequitur & secunda ratio: [Nec episcoporum concordiam cohærentem subdola, & fallaci temeritate collidere.] Etiam hoc fuisse Africani Cleri vetustum vitium testatur sanctus Augustinus in literis ad Primatem Aurelium. Et ad ipsum exercendum nihil est circumcursatione aptius. Cyprianus pergit: [Nisi si paucis desperatis, & perditis minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum, &c.] Affirmat hoc Africanæ Ecclesiæ Statutum placere, ac probari omnibus, nisi paucis desperatis, ac perditis, omni modo, & via venantibus suæ perditioni, ac desperationi qualiacumque auxilia. Felicissimus, Fortunatus, & omnis ista facinorosa Factio fecit istud ipsum, quod postmodò attentauit presbyter Apiarius: Contra suæ gentis consuetudinem, & singularem legem prouocarunt, & accesserunt ad Romanam Ecclesiam. Et sicut hic inter Zozimum, Bonifacium, & Cœlestinum Pontifices, ac inter Primatem Aurelium suscitauit; ità isti inter Cornelium, & Cyprianum tentarunt suscitare discordias, & cohærentem ipsorum concordiam subdola, & dolosa appellandi temeritate collidere. Appellandi contra suæ gentis consuetudinem, & propriam disciplinam. Hinc istam & consuetudinem, & disciplinam Cyprianus tanta verborum emphasi debuit exponere, atque firmare. Communes Ecclesiæ Canones erant omnibus notissimi, ideòque nec egebant tantis Commentarijs, aut Apologijs. Cyprianus ergo vrget Fortunatum non esse episcopum, sed dumtaxàt presbyterum: Iniectum illi episcopatus fucum non esse nouum gradum, sed nouum crimen, ideòque ipsum esse remittendum ad domesticam synodum. Fortunatum esse à Cornelio tractandum, vti ipse ab alijs episcopis velit tractari Nouatianum. Nempè non vti Papam, sed vti facinorosum presbyterum. Manifestè docet aliam episcoporum, aliam in Africa esse rationem clericorum. Illos posse, hos non posse Romam appellare.

CAPVT XVIII.

Discutiuntur Domini Petri de Marca, & Anonymi Scriptoris Sensa circa adductum locum Sancti Cypriani.

Dominus Petrus de Marca ad laudatum Cypriani locum scribit in septimo libro: [Cyprianus, cùm ex sententia Concilij sui à communione reiecisset quosdam clericos, & quemdam Pseudoepiscopum hæreticorum, irascitur aduersùs Cornelium Episcopum Romanum, quod cùm illi Romam accessissent, hæsitasset aliquantulum Pontifex, an eos in communionem reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud Cornelium apertè edisserit iura episcoporum vniuscuiusque Prouinciæ, quæ in eo versantur, vt ad eos pertineat discussio, iudiciumque causarum, & regimen gregis, rationem administrationis suæ Deo redditurus. Neque licere Romam, aliòue appellare. Neque enim minorem esse auctoritatem episcoporum Africanorum, quàm reliquorum. Damnatos porrò, si ad Cyprianum accedere voluerint, auditurum se

se libenter, & pœnitentiam eorum amplexurum, si crimine vllo fuerint inuoluti.]

Errores iterum varij. Primus est, quod Fortunatus fuerit hæreticorum episcopus. Etenim fuit quidem consecratus ab hæreticis, ideòque multa ipsorum communione contaminatus, attamen sanctus Cyprianus nullibi ipsum arguit de lapsu in hæresim. Ante hunc ambitum semper fuerat orthodoxus, presbyter Carthaginensis Ecclesiæ. Secundus error est, quod Cyprianus ad diuertendum à Fortunati appellatione Cornelium adduxerit communia iura episcoporum vniuscuiusque Prouinciæ. Etenim adduxit proprium, & singulare Statutum Africanæ Ecclesiæ. Ipsum demonstrauit æquum, & iustum, ideòque non proijciendum à Romana Ecclesia. Addidit Fortunatum non esse episcopum, sed imaginarium episcopi spectrum: Esse suum rebellem clericum, ideòque isti Statuto per omnia obnoxium. Tertius error est, quod Cyprianus Cornelio irascatur propter auditum hæreticum episcopum. Etenim si Fortunatus, licèt hæreticus, fuisset verus episcopus, omninò poterat à Pontifice audiri. Nec Cyprianus, qui Priuatum Lambesitanum laudat fuisse auditum à Fabiano, obstrepuisset. Proinde obstrepit ob duas causas. Primò, quod rebellem ab hæretico, ideòque nulliter consecratum, & legitimè iam per annos sedenti episcopo superiutrusum hominem, ac proinde manifestò inanem episcopi fucum, Cornelius hæsitasset admittere ad appellandum, ideòque non vt clericum, sed tractaret vt episcopum. Secundam obstrependi causam edicunt hæc verba: [Satis miratus sum, cùm animaduertissem te minis, atque terroribus eorum aliquantum fuisse commotum. Etenim & ipsi Pontifici violentam suarum literarum recitationem, & Cypriano minati fuerant fustes, lapides, & gladios.] Minati fuerant, nisi à Romana Ecclesia, vt vera Carthaginensis Archiepiscopi Legatio, tractarentur, Cyprianum à se in Africam regressis fustigandum, lapidandum, gladijs trucidandum. Hinc circa ipsos audiendos cespitauit Cornelius. Et istum in ipso metum culpat Cyprianus. Censuit, vti iustitiam, ita æquas, & iustas ecclesiarum consuetudines debere summa constantia per Pontificem defendi.

Domini Archiepiscopi Parisiensis circa hanc epistolam Sensa pertinaciter tuetur Scriptor Anonymus, ideòque est breuiter audiendus: [Petrus de Marca, vt refert Dauidius, hac Cypriani epistola probare contendit primis temporibus episcopos in Concilijs prouincialibus, omni appellatione remota ad Romanum Pontificem, iudicatos fuisse. Ipse vero Dauidius hoc argumentum æstimat imbecillum, nec accommodatè putat adduci posse exemplum Fortunati & Felicissimi, ad probandum episcopos iurisdictioni synodorum prouincialium esse obnoxios, omni iure appellationis ad Romanam Sedem remoto; quippè cum presbyteri simplices fuerint, episcoporum charactere, atque amplitudine vacui. Sed eiusmodi obseruatio nihil attinere videtur. Quã difficile est enim probare ætate S. Cypriani aliam, ac diuersam iudicandi episcopi, & Sacerdotis fuisse rationem, vt ipsomet exemplo Fortunati perspectum est, qui suis rebus non cauet, nec prouidet appellationis arte ad Romanum Pontificem, sed minarum, ac metus, quibus eius animum explet. Nec ei exprobrat Cyprianus vsurpata episcoporum priuilegia ob postulatam disceptationem litis iudicatæ iterandam coram Pontifice Romano. Nec ipsi scripsit Pontifici ad recuperandam iurisdictionem aduersùs presbyteros Africanæ Ecclesiæ vsurpatam, sed vt ab animo Pontificis iniectum terrorem dispelleret, ipsumque impediret, ne familiariter vteretur hominibus, quibus communione interdictum fuerat, ne illos socios, aut comites, siue in conuiuijs, siue in colloquijs haberet. Ipsumque Pontificem in crimen vocare videtur, cuiusdam habiti cum eiusmodi hominum genere commercij. Præterea sanctus Cyprianus causas communes, seu generales profert, quæ æquabili ratione episcopis, & presbyteris conueniunt, vt abducat Cornelius Papa, ab eiusmodi hominum querimonijs aures suas, & perspectum sit omnibus vltimæ cognitionis sententia fuisse in synodo iudicatos.]

Errores varij. Primus est, quod ista diuersa episcopi, ac presbyteri iudicandi ratio non fuerit, aut certè difficulter probetur, tunc fuisse in Africa, ideòque ista obseruatio ad rem non pertineat. Etenim istam diuersam iudicandi rationem, tunc fuisse apud Afros, est lucidissimum. Ipsam, dum cum Zozimo, ac alijs Pontificibus contendit, non induxit Aurelius. Palàm asseruit, & altissimè clamauit se contendere pro antiquissima, ac perpetua Africanarum Ecclesiarum consuetudine. Nec ipsam induxit Cecilianus. Etenim de ipso per secundi Tigisitani episcopi synodum damnato, scribit ad quosdam Donatistarum episcopos sanctus Augustinus: [Neque enim de presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis clericis, sed de Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum iudicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam integram reseruare.] Manifestè laudat auitam consuetudinem, quæ presbyteris, ac alijs clericis denegabat, episcopis verò permittebat appellationem Romanam. Affirmat istam consuetudinem debuisse attendi à Secundo, & non ita faciliter prorumpi in tanti Antistitis damnationem. Nec sanctus item Cyprianus introduxit istam consuetudinem. Ipsam in hac epistola manifestè laudat, & ex ipsa affirmat Fortunatum à Cornelio non potuisse admitti, ad introducendam suam appellationem, longè minùs potuisse procedi ad ipsam retractandam. Insuper scribit in præsenti epistola: [Item Felicissimum Signiferum seditionis recognosceres, qui & ipse in eisdem Coepiscoporum nostrorum factis ad te pridem literis continetur, qui non tantùm isthìc abstentus, sed abs te illic nuper de Ecclesia pulsus est.] Nempè & damnatus à sancto Cypriano, Felicissimus Romam appellauerat, atque accesserat: Et ipsum, quoniam clerus appellare non poterat, Cornelius nec audire sustinuerat, sed eiecerat ex Alma Vrbe. Cyprianus rogat eodem iam modo tractari Fortunatum. Admodùm miror, quod tan-

Epist. 162.

tantus Ecclesiasticæ antiquitatis Doctor episcopum condistinguat contra Sacerdotem. Quis enim ignoret vocem, "Sacerdos," apud antiquos comprehendere, & episcopum, & presbyterum? Proinde episcopus, & presbyter possint condistingui, nequaquam episcopus & Sacerdos.

Secundus error est, quod Fortunatus suis rebus non cauerit appellatione ad summum Pontificem, sed per minas & metus. Etenim de Fortunato, ac Asseclis scribit Cyprianus: [Taceo de fraudibus Ecclesiæ factis, coniurationes & adulteria, & varia delictorum genera prætereo. Vnum illud de eorum facinore puto non esse reticendum, quod à primo statim persecutionis die communicare cum Lapsis, & pœnitentiæ agendæ intercedere non destiterint.] Et infra: [Episcopi iam de illis iudicauerunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij sui grauitate damnarunt.] Et hisce non obstantibus Fortunatus fuit eleuatus in episcopum, sancto Cypriano superordinatus. Hinc per suos Legatos tria postulauit à sancto Cornelio. Dictæ damnationis cassationem, sancti Cypriani eiectionem, & suæ episcopalis consecrationis firmitatem. Et quia ista per canones obtineri non posse nouerat, censuit extorquenda per minas & terrores. Proinde Fortunatus sibi omninò prouidit per Romanæ appellationis artem, ac simul friuolæ appellationis imbecillitatem studuit per minas, & terrores adiuuare. Quod synodalis damnationis solutio Romæ obtineri non possit, nisi per appellationis viam, est nimis manifestum.

Tertius error est, quod sanctus Cyprianus Fortunato, non exprobret vsurpata episcoporum priuilegia, nec à sancto Cornelio recuperare, postulet vsurpatam iurisdictionem in presbyteros Africanæ Ecclesiæ. Etenim per omnem istam epistolam Cyprianus, aliud non clamat, quàm Fortunatum non esse episcopum, sed rebellem, atque adulterum, qui Patris cubile temerare præsumpsit, presbyterum, ideòque eius appellatam causam esse non Romæ, sed in Africa retractandam. Exponit dolosa, & sacrilega factionis in miseros Lapsos facinora, & prosequitur: Post hæc adhuc insuper Pseudo-episcopo, sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem à schismaticis, ac profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.] Et infra: [Scire debes, Frater carissime, Fortunatum posteaquam Pseudo-episcopus ab hæreticis factus est, iam penè ab omnibus esse desertum. Namque ij, quibus in præteritum præstigia obtendebantur, & dabantur verba fallacia, quod simul ad Ecclesiam regressi dicerentur, posteaquam viderunt illic Pseudo-episcopum factum, frustratos & deceptos se esse didicerunt, & remeant quotidie, atque ad Ecclesiam pulsant:] Et rursum: [De istis quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo nauigauerunt, Legati à Fortunato Pseudo-episcopo missi, tam falsas ad te literas afferentes, quàm est & ipse, cuius literas ferunt, falsus?] Sanctus Cyprianus assiduè vrget Fortunatum fuisse consecratum ab hæreticis, ideòque non esse, nisi falsum ac imaginarium episcopum. Etenim non solùm ab hæreticis Baptisma, sed etiam impressos ab ipsis ordines censebat irritos, & nullos. Et istud ipsum censebat Cypriani populus. Etiam Lapsi isti, qui quinque rebellium presbyterorum factioni adhærentes sperarant nouum Carthaginensi ecclesiæ dandum episcopum, à quo gratiosè repararentur, sperarant Catholicum & verum. Hinc vbi viderunt Fortunatum intrudi per hæreticos, subitò deseruerunt hominem, certi ipsum non esse, nisi vanum episcopi spectrum. Sanctus Cyprianus, licèt de his quæstionibus contendere primùm cœperit cum Papa Stephano, semper tamen errorem mente tenuit, edoctus ab Agrippini Successoribus. Hinc clamat Fortunatum non esse episcopum, ideòque ad Petri Cathedram, ac principalem Ecclesiam non potuisse nauigare. Fortunato palàm improperat vsurpata episcoporum priuilegia: Palàm à Cornelio postulat recuperare iurisdictionem in presbyteros Africanæ Ecclesiæ. Hinc iterùm scribit: [Quæ autem causa veniendi, & Pseudo-episcopum contra episcopos factum nunciandi? Aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseuerant; aut si displicet, & recedunt, sciunt quò reuertantur. Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, & iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, &c.] Fortunatum hortatur, vt facti pœnitens, deponat episcopi laruam, agnoscat se clericum, & ad Africanum Tribunal reuertatur. Quoniam statutum est, vt omnium, vtique clericorum, causa audiatur, ac finiatur in Africa. Addit Statutum esse æquum & iustum. Hic est verus sensus sancti Cypriani.

Quartus error est, quod sanctus Cyprianus videatur sanctum Cornelium vocare in crimen, cuiusdam cum isto hominum genere commercij: Vtique [cum hominibus, quibus fuerat communione interdictum.] Anonymus per gyros affirmat sanctum Cyprianum sensisse, ac scripsisse, quod Romanus Pontifex alienis damnatis, non possit sine contagio communicare. Est famosus error Eusebianæ Factionis, ex quo Philippopolitanum Conciliabulum damnauit Iulium Pontificem de præuaricatu quinti Nicæni Canonis. Existimo Anonymum, fuisse permotum his Cypriani verbis: [Declinent de cætero fortiter, & euitent dilectissimi Fratres nostri verba, & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.] Confirmat suas preces ex verbis Apostoli: [Hæreticum hominem post vnam correptionem deuita.] Et prosequitur: Quod quamquam sciam illic Fraternitatem nostram, vestra scilicet prouidentia monitam, sed & sua vigilantia satis cautam, nec capi hæreticorum venenis posse, nec decipi, tamen ex abundanti, vel sollicitudo nostra, vel charitas scribere ad vos ista persuasit.] Non vrget inflictam à se censuram, sed factionis hæresim, aut sanè scabiem ex hæretica communione. Et benè vrget. Nec dubitandum est, quin hisce literis instructus Cornelius Fortunati Legatos tractauerit isto ipso modo, quo ipsius Cypriani, circa Baptis-

prismum postea contendentis, Legatos episcopos fuisse à Stephano Pontifice tractatos, testatur Firmilianus Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopus. Porrò dum Zozimus Pontifex Apiarium presbyterum reparauit, Primas Aurelius, & omnis Africana Synodus improbarunt factum; attamen exufflare non præsumpserunt. Admiserunt decretum Apostolicum, fortissimè dumtaxat intercesserunt, ne deinceps tentarentur talia. Admiserunt reparationem esse validam, at illegitimam, vtpotè factam contra perpetuam, & rationabilem gentis consuetudinem, quam decet non circumscribi à Romana Ecclesia, longè minùs infringi. Eadem fuerunt Sensa sancti Cypriani. Hinc operosè laborat, vt genti suæ Statutum Pontifici persuadeat esse æquum, & iustum.

Quintus error est, quod adductæ per Cyprianum rationes sint æquabili modo cõmunes episcopis, ac presbyteris. Sunt ab Anonymo audiendæ: [Prima causa est, quia omnibus episcopis, & presbyteris statutum, vt vniuscuiusque illic negotium tractetur, vbi crimen commissum. Nam hæc verba sancti Cypriani speciatim notanda sunt:] Vniuscuiusque. [Quippè æqualiter episcopos & presbyteros significantia. Non enim sibi cogitatione fingendum est, ibi sanctum Cyprianum de solitarijs presbyteris episcopali amplitudine vacuis mentionẽ facere, &c. Respondeo istum Cypriani, intellectum non esse figmentum, sed firmissima cogitatione tenendam veritatem. Etenim Cyprianus non de prima instantia agit, sed de retractatorio appellatarum causarum iudicio: Et in hac ipsa epistola Romanas episcoporum appellationes laudat, ac probat, scribens Priuatum Lambesitanum episcopum, nonaginta Collegarum sententia condemnatum, fuisse insuper non solius sui Antecessoris Donati; sed etiam sancti Fabiani Pontificis literis seuerissimè notatum. Nempè à plena Numidiæ synodo Priuatus ad Donatum Primatem, & ab huius etiam iudicio ad Fabianum appellauerat, & sic circa ipsum seruata fuerat forma, quam in literis ad quosdam Donatistarum episcopos laudat sanctus Agustinus: [Romam veniant, ibique obiectis respondeant. Quod si non fecerint, missa tractoria super eorum nomine per totum Orbem terrarum, ab omnibus Ecclesijs eorum communio præcidetur.] Priuatus Romam iuerat: Verùm obiectis non potuerat respondere. Hinc à sancto Fabiano fuit notatus istiusmodi tractoria. Proinde certum est sanctum Cyprianum scribere, & ab ipso laudatum statutum sancire de solis presbyteris, ac alijs clericis. Hæc verba, [Oportet vtique eos, qui præsumus, non circumcursare, &c.] Exponunt rationes, ex quibus istud statutum sit æquum, & iustum.

Anonymus vrget omnes à Cypriano adductas rationes esse communes episcopis. Et dicit verum. Etenim de episcopis Cyprianus scribit in sermone de Lapsis: [Episcopi plurimi, derelicta Cathedra, Plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari.] Hoc plurimorum episcoporum crimen affirmat esse vnam ex causis, ob quas Dominus Deus in Africanam Ecclesiam immiserit duram persecutionem. Proinde Afrorum episcopi, non minùs quàm clerici, erant prompti ad circumcursandum, & efficaciores ad cohærentem collegarum concordiam subdola, ac fallaci temeritate collidendam. Respondeo hæc esse verissima, verumtamen addo aliam episcopalis, longè aliam esse rationem clericalis ad Apostolicam Sedem appellationis. Romana Episcoporum appellatio est ex fundamentalibus Apostolicæ Cathedræ, & Christianæ Monarchiæ articulis. Est ista potestas, de qua ad Petrum Dominus: [Confirma Fratres tuos.] Hinc nulla synodus contra ipsam statuere, nullus Pontifex possit ipsi renunciare. Eusebianæ factionis præcipua iniquitas fuit, quod hanc dignitatem Romano Throno sint machinati auferre. Et quoties post Photianum schisma Latina Ecclesia cum Græcis in pacem redijt, palmaris semper articulus fuit agnoscere, ac profiteri Romanas Episcoporum appellationes. Et Adrianus IV. Pontifex, quod apud Beneuentum captus à Guilhelmo Siculorum Rege, ad recipiendam libertatem Romanis Siculorum episcoporum appellationibus renunciarit, se fecit obnoxium multis querimonijs. Et Romana Ecclesia non quieuit, donec Innocentius III. noua cum Siculorum Regibus inijsset Pacta, & episcoporum appellationes suæ Sedi reddidisset. Attamen & ipse cessit inferioris cleri appellationibus. Istiusmodi omnia nouerant Fundatores Africanæ Ecclesiæ. Hinc adductis per sanctum Cyprianum rationibus, licèt tam in episcopis, quàm in Clericis haberent locum, vti non præsumpserunt, nisi ad Romanas appellationes inferiori clero obserandas. Istius statuti nescimus primum authorem: Hinc sine temeritate dici possit, processisse ab istius Ecclesię Fundatoribus. Ex quibus spero liquere Lapsum Anonymi in his verbis: [Cum è contra perspectum sit episcopos, & presbyteros ęquabili ratione synodorum iudicio fuisse obnoxios, cum præsertim de ijs indiuisim loquatur sanctus Cyprianus, eosque presbyteros Romam, euntes iura episcoporum violasse, sibique eorum priuilegia arrogasse non dicat.

CAPVT XIX.

Eadem Africanæ Ecclesiæ disciplinæ demonstratur ex sancto Optato Mileuitano Episcopo, ac ex sancto Augustino.

ROmanæ appellationis insigne exemplum est Ceciliani Cathaginensis Archiepiscopi causa contra Maiorinum ipsi superintrusum, Donatum in Casis Nigris apud Numidas episcopum, & omnem factionem istius schismatis. Et Ceciliani, & Maiorini Ordinationem, totumque schismatis exordium exponit in primo aduersùs Parmenianum, Maiorini Successorem, libro sanctus Optatus, & prosequitur: [Maiores vestri, Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, & cæteri, Imperatorem Constantinum, harum rerum adhuc ignarum, his

precibus rogauerunt.] Loquitur ad Donatistas. Et adducit preces: [Rogamus te, ô Constantine, optime Imperator, quoniam de genere iusto es, cuius Pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos, & alios episcopos contentiones sunt. Petimus, vt de Gallia nobis iudices dare præcipiat Pietas tua. Datæ à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, & cæteris episcopis partis Donati.] Non magni Carthaginensis episcopi, sed episcopi in Casis Nigris. Etenim in primo retractationum, libro sanctus Augustinus corrigit suum librum contra epistolam Donati, in quo scripserat " Donatum magnum, " cuius [refellebat epistolam, rogasse vt Imperator inter ipsum, & Cecilianum transmarinos episcopos iudices daret.] Et subdit: [Non ipsum, sed alium Donatum, eiusdem tamen schismatis, hoc fecisse, probabiliùs inuenitur. Ille autem non erat Carthaginensis Donatistarum episcopus, sed in Casis Nigris. Qui tamen primus apud Carthaginem ipsum nefarium schisma commisit.] Et inchoauit, & consummauit. Inchoationem exponit sanctus Augustinus in Carthaginensis Collationis Breuiculo: [Donatus à Casis Nigris in præsenti conuictus, adhuc Diacono Ceciliano, schisma fecisse Carthagine.] Ex nescio quibus causis rebellauit Mensurio, tunc Afrorum Primati, discreuit se ab eius communione, & lacerauit Ecclesiam. Huius lacerationis consummationem sanctus Augustinus exponit in libro de Hæresibus: [Donatianæ Hæresis Principem accepimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cecilianum Christianam diuidens Plebem, adiunctis sibi eiusdem factionis episcopis, Maiorinum apud Carthaginem ordinauit episcopum.] Et in secundo libro contra Cresconium: [Maior Donatus à Casis Nigris Altare contra Altare in Carthaginensi ciuitate primus erexit. Primus extra Ecclesiam sacrificauit.] Profanum hoc Sacrificium cucuit, aut dum Ceciliano dederunt Interuentorem, atque ità ab episcopatu suspenderunt, aut certè dum ipsum plenè damnarunt, atque ità viam aperuerunt ad intrudendum Maiorinum. Tunc fidelis Carthaginis clerus, & populus istis turbinibus detractauit communicare, atque ità ipsi erexerunt nouæ communionis Altare, & Donatus in ipso primus sacrificauit. Et tandem intrusit Maiorinum. Ex inde factio dici cœpit & "Donati pars," & " pars Maiorini. " An ab hoc Donato etiam vocitentur Donatistæ, sanctus Augustinus disquirit in laudatis libris contra Cresconium.

Cap 21. | Lib. 3. c. 12. | Cap 69. | Cap. 12.

Verùm hæc omnia Attentata manserunt sine effectu. Ceciliani consecrationem confirmauit Sedes Apostolica, & omnis sub cœlo ecclesia, & Maiorini superintrusionem fuit auersata. Disertè hoc sanctus Augustinus scribit in literis ad quosdam Donatistarum episcopos: [Posteaquam, Donatistæ ipsis rebus experti sunt cum Ceciliano permanere communionem Orbis terrarum, & ad eum à Transmarinis ecclesijs communicatorias literas mitti, non ad illum, Maiorinum, quem sibi scelerate ordinauerant, puduit eos semper tacere.] Aduersùs Ceciliani consecrationem prouocarunt ad alios Iudices. Rei seriem, à sancto Optato expositam, variè elucidat idem Augustinus in literis ad Vincentium, Rogatistarum Cartennensem in Mauritania Episcopum: [Maiores vestri Cecilianum, tunc ecclesiæ Carthaginensis episcopum, cui tamquam criminoso communicare noluerunt, apud Principem Constantinum per Anulinum Proconsulem accusauerunt. Libellus à Maioribus vestris Anulino Proconsuli datus, & Constantino Imperatori mittendus, ita supra scriptus fuit:] Libellus Ecclesiæ Catholicæ, criminum Ceciliani, traditus à parte Maiorini. [Illos magis hinc arguimus, quia ad Imperatorem vltrò Cecilianum accusauerunt, quem priùs apud Collegas transmarinos conuincere debuerunt, Ipso autem Imperatore longè ordinatiùs agente, vt Episcoporum causam, ad se delatam ad Episcopos mitteret, nec victi pacem cum Fratribus habere voluerunt; sed rursus ad eundem Imperatorem venerunt, rursùs non Cecilianum tantùm, verùm etiam datos sibi episcopos Iudices apud terrenum Iudicem accusauerunt. [Et in literis ad Ianuarianum, Donatistarum in Casisnigris episcopum, Primatem Numidiæ:] Ne fortè aut oblita hoc sit Grauitas tua, aut te nosse dissimules, aut forsitan nescias, exemplum Relationis tunc Anulini Proconsulis, quem pars Maiorini tunc interpellauit, vt ea crimina, quę obijciebat Ceciliano, ad Constantinum Imperatorem mitterentur. [Relatio affirmat post super intrusum Ceciliano Maiorinum Diuales literas, Ceciliano, ac eius Clero, inscriptas, venisse in Africam, atque ita Ceciliani Episcopatum etiam à Principe fuisse stabilitum. Princeps plenam pacem dabat ecclesijs, & cunctos ad sincerum Diuinæ Maiestatis obsequium hortabatur. Anulinus affirmat literas fuisse à se cum debitis admonitionibus traditas. Verùm ista res momordit Donatum ac Maiorinum, & Relatio prosequitur:] Post paucos dies exstiterunt quidam, adunata secum Populi multitudine, qui Ceciliano contradicendum putarent, quique fasciculum in aluta signatum, & libellum sine signo obtulerunt Dicationi meæ, atque impendio postularunt, vt ad sacrum & venerabilem Comitatum nominis vestri dirigerem. Quæ manente Ceciliano in statu suo, subiectis eorumdem Actis, quo cuncta Maiestas vestra possit dignoscere, Paruitas mea dirigere curauit.] Optimi Principis pietas turbulentis hominibus dedit ausam accusandi Ceciliani, ac tumultuandi. Sanctus Augustinus. [Transmissi libelli duo. Vnus in aluta, item alius sine sigillo, cohærens eidem alutæ, datus die decimo septimo kalendas Maij, Carthagine, Domino nostro Constantino Augusto tertiùm Consule. Post hanc Relationem ad se missam iussit Imperatorem venire partes ad episcopale Iudicium in Vrbe Roma faciendum, vbi quemadmodum causa dicta, atque finita sit, & Cecilianus innocens iudicatus sit, indicant Gesta Ecclesiastica.] Prioris superscriptionem supra audiuimus ex epistola ad Vincentium Cartennensem. Posterioris libelli substantiam sanctus Augustinus exponit in præfata epistola ad quosdam episcopos Donatistarum: [Aliquantò post Maiorini Ordinatio-

tionem, quem contra Cecilianum nefario scelere leuauerunt, Donatistæ erigentes Altare contra Altare, & vnitatem Christi discordijs furialibus dissipantes, petierunt à Constantino tunc Imperatore Iudices Episcopos, qui de suis quæstionibus, quæ in Africa exortæ pacis vinculum dirimebant, arbitrio medio iudicarent. Quod posteaquam factum est, præsente Ceciliano, & illis, qui aduersùs eum nauigauerant, iudicante Melchiade, tunc Romanæ Vrbis Episcopo, cum Collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Ceciliano nihil probari potuit, ac per hoc illo in episcopatu confirmato, Donatus, qui aduersùs eum tunc aderat, fuit condemnatus.] Donatistarum preces supra audiuimus à sancto Optato. Audiuimus ab illis laudari Constantinum, quod esset de genere iusto, quodque eius Pater non fecisset persecutionem, ideòque Gallia à traditionis crimine esset munda. Inter Diocletiani Augusti Collegas fuerat Constantinus Chlorus, magni Constantini Genitor, qui Collegarum impiam crudelitatem auersatus, licet Gentilismum non deponeret, Christianos non dumtaxat persecutus non fuit, sed insuper dilexit, ac protexit. Imperauit in Gallia, ac omni eius Diœcesi. Porrò Donatistarum contentio originem, ac prætextum traxit ex traditionis crimine, ob duras persecutiones grassato in Africa. Persecutio etiam vexauerat Italiam & Almam Vrbem. Porrò Donatistæ Melchiadem Pontificem, quod Formatarum commercio semper communicasset Ceciliano, adeòque eius episcopatum confirmasset, meritò habuere suspectum. Verùm hanc causam non ausi exprimere, prætexuerunt suspicionem Lapsus, aut Traditionis. Ad retractandam Ceciliani, ac Maiorini causam postularunt Gallicanos Antistites. Sperarunt placiturum Principi, quod Gallicana gens ob Patris memoriam crederetur viuere in eius beneuolentia.

Donatistæ hac in re grauissimè impegerunt in Canones. Hinc enim ad Vincentium Cartennensem scripsit sanctus Augustinus: Donatistæ Cecilianum priùs apud Collegas Transmarinos conuincere debuerunt. Ipse autem Imperator longè ordinatiùs egit.] Vtique causam transmittendo ad Romanum Pontificem, aliosque partim Italos, partim Gallos Episcopos, spectantes ad eius Synodum & Diœceses. Transmarini Iudicij frequentissima est apud Afros memoria. Per ipsum passim intelligunt Tribunal Romanum. Eumdem excessum sanctus Augustinus notat in literis ad Donatistas: [Donatistæ literas ad Imperatorem Constantinum, vt inter Afros Episcopi Transmarini iudicarent, miserunt. Datis Iudicibus, quos postulauerant, & Romæ iudicantibus non obtemperauerunt. [Donatistas arguit, quod solos Gallicanos postularint Episcopos: Laudat Constantinum, quod illis adiunxerit Romanum Pontificem, voluerit que ipsum huic iudicio præsidere. Clariùs hoc scribit in alia ad Donatistas epistola:] Maiores vestri causam Ceciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare, eam discutiendam, atque finiendam Episcopis delegauit. Quod & factum est in Vrbe Roma, præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ, cum multis Collegis suis. [Nempe Constantinus erat tunc Ecclesiæ Catechumenus, eiusque Hierarchiam, & Canones nouerat. Ex tunc apud se habebat eximium Doctorem, Hosium Cordubensem Episcopum. Ex ipso nouerat se non posse Ecclesiasticas iudicare causas, aut incompetentibus Iudicibus delegare. Hinc præsentem causam transmisit sancto Melchiadi, cui debebatur per Apostolicos Canones. Et quo Donatistis impartiret aliquid, Pontifici adiunxit quosdam Gallicanos Episcopos. Ità postmodo ipse scripsit àd Ælasium Africæ Vicarium, & ad Chrestum Episcopum Syracusanum.

Epistola, qua Constantinus causam transmisit Melchiadi, est huius tenoris:] Visum est mihi, vt Cecilianus cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, & decem alijs, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimauerit, Romam nauigio traijciat, & ibi coram vobis, Rheticio etiam. [Augustodunensi,] Materno. [Coloniensi.] & Marino. [Arelatensi, Collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare iusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, vt nostris, postulat.] Nempè Euangelica Dei lex Romanum Episcopum sanxit esse Primatem, ac Iudicem totius ecclesiæ, & Apostolicus Canon addidit ipsum esse, totius Latinæ Christianitatis Patriarcham: Hinc præsens causa aliò deuolui non poterat, quàm ad Sedem Romanam. Hasce leges Constantinus obseruatas voluit, ac nullo in apice violari. Quod Melchiades iudicio præsederit, disertè testatur etiam sanctus Optatus. Et rectè scribit in quarto libro Petrus de Marca: Sententia sub Melchiadis nomine concepta est apud Optatum. Adeò antiqua est ista forma synodalium sententiarum. Confirmat in literis ad quosdam Donatistarum episcopos sanctus Augustinus: Ipsius beati Melchiadis vltima est prolata sententia. Quia nempè Pontifex non solummodò in patriarchalibus suis, sed etiam in œcumenicis synodis habet prærogatiuam suffragij, relationem iudicandæ causæ, & iudicij conclusionem.

Carthaginensis Synodus per Primatem Aurelium, ac ipsi adsidentem sanctum Augustinum sanxit: [Placuit vt quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur; si autem episcopale iudicium ab Imperatore petierit, nihil ei obsit.] Episcopis ac omni Clero permittit, vt causas suas deferant ad Principem, ac ab ipso flagitent ecclesiasticum Iudicium. Erat mos istius temporis. De ipso scribit Dominus Petrus de Marca: [Vsus istius Regiæ auctoritatis manauit à Constantino in causa Ceciliani Carthaginensis Episcopi, qui per summam iniuriam à septuaginta Episcopis, Donati schismate infectis, damnatus ecclesiam retinebat. De qua re conquesti sunt Donatistæ Anulino Proconsuli Africæ, impendio postulantes, vt fasciculum in aluta signatum cum libello sibi oblato ad sacrum Comitatum dirigeret. Constantinus, iuris religiosissimus Princeps, cognitionem criminis ecclesiastici aduersùs episcopum suscipere noluit, sed Donatistis ea de re acriter obiurgatis, & episcopos è Gallia, vbi Princeps tunc morabatur, sibi Iudices dari

dari postulantibus, eò quod Africana Iudicia per contentiones partium suspecta essent, Princeps pacis ecclesiasticæ studiosissimus tres Galliarum episcopos delegauit, qui vnà cum Melchiade Romano Pontifice dijudicarent, Nec enim causa illa generalis, quæ totius Ecclesiæ communionem perturbabat, absque Romano Pontifice ritè definiri poterat.] Errat causam istam tunc fuisse generalem, & perturbatricem totius Ecclesiæ. Licèt postmodò talis euaserit, tunc tamen erat lis paucorum episcoporum. Aliquot præsertim Numidarum. Constantinus ipsam ex isto capite non transtulit in sanctum Melchiadem. Vnica huius transmissionis causa fuit, vel supremum Papale, vel Patriarchicum Romanæ Ecclesiæ ius, cui Africana Diœcesis suberat. Iuris religiosissimus Princeps patriarchalis etiam Apostolicæ Sedis priuilegia noluit lædere. Et tres Gallicani Episcopi erant minima istius synodi portio. Etenim aderant quindecim Itali, electi iudicio Melchiadis. Et istorum Gallorum associatio erat consentanea Canonibus. Etenim & Gallicana Ecclesia pleno semper iure spectauit ad Patriarchalem Synodum Romani Pontificis. Erant tres summi viri: Hinc ipsos Princeps, Donatistis volens largiri aliquid, suasit adiungendos.

Cap 5. Scriptor Anonymus etiam rodit hæc omnia: [Prima fronte falsum est Cecilianum ad Melchiadem Papam appellasse, aut vllo modo posse actionem litis de Ordinatione eius, appellationis nomine significari. Et infrà: Si vera fuit in hac causa ad Sedem Apostolicam prouocatio, aut fuit nomine Ceciliani, aut Donatistarum? Non potest censeri nomine Donatistarum, quoniam litem obtinuerant in Concilio Numidiæ. Non potest etiam dici nomine Ceciliani. Cur enim hanc silentio prætermisisset S. Augustinus?] Respondeo, nec Cecilianum, nec Donatistas appellasse ad Melchiadem. Etenim Cecilianus sedebat firmus in Carthaginensi Throno, & Donatistæ causam contra ipsum obtinuerant, ideòque neutra pars censuit appellandum. At Magnus Constantinus factas sibi Donatistarum preces transmutauit in Retractatorium synodalis contra Cecilianum sententiæ iudicium, ideòque, & in formam appellationis. Donatistæ, licèt Cecilianum damnassent, attamen, nec intra, nec extra

Epist. 162. Africam potuerunt nancisci sui iudicij fructum, & executionem. [Posteaquàm, inquit Augustinus, Donatistæ experti sunt cum Ceciliano permanere communionem Orbis terrarum, & ad eum à Transmarinis Ecclesijs communicatorias literas mitti, non ad illum Maiorinum, quem sibi sceleratè ordinauerant, puduit eos semper tacere.] Hinc à Principe supplicarunt suæ sententiæ executionem. Porrò per Transmarinas Ceciliano communicantes Ecclesias S. Augustinus præsertim intelligit Romanam. Nec dubitandum est, quin Cecilianus ipsi suam consecrationem, adeòque & Maiorini intrusionem retulisset, ac obtinuisset istius firmitatem. Hinc Donatistæ non à Pontifice, sed à Principe postularunt auxilium. Norant suum de Ceciliano iudicium esse multis, & magnis exceptionibus obnoxium, ideòque priùs retractandum, & firmandum, quàm donandum executione. Hinc ipsum postularunt retractari: Attamen non per Romanam Ecclesiam, sed per Episcopos Galliarum. Item norant Gallicanis Episcopis nullam esse istiusmodi facultatem: Hinc refugerunt ad Maiestatem laici Principis. In Occidente primi istam portam aperuerunt. Verùm Christianæ Hierarchiæ gnarus, ac religiosissimus Princeps retractationem trãsmisit Melchiadi, cui debebatur per Canones. Vtramque partem adesse iussit cum accusatoribus, & testibus, alijsque personis necessarijs. Ita Donatistarum preces transmutauit in formam appellationis.

Anonymus pergit: [Quidquid actum est Romæ, referri debet rogationibus Donatistarum, quibus non abnuit Imperator Constantinus. Sed immò eorum instigatione victus, ac sollicitatione, Iudices deputauit, ex quibus fuit Melchiades Episcopus Romæ, ad iterandam disquisitionem litis iam iudicatam in Concilio Numidiæ. Hanc auctoritatem sibi proprio Marte non arrogat Pontifex, nec penès se solum existere putat iterato iudicio finiendi causam iam in Concilio Africæ, Primate Numidiæ Præside, indicatam.] An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum collegis Transmarinis Episcopis illud sibi vsurpare iudicium, quod ab Afris septuaginta, vbi Primas Tigisitanus præsedit, fuerat terminatum? [Quid ad hæc respondit sanctus Augustinus? Dicitne Papam esse supremum Episcoporum Iudicem, & quemlibet in synodo iudicatum habere ius prouocationis ad Tribunal Pontificum? Dicitne Cecilianum episcopum iure potuisse postulare à Sede Apostolica iteratam suæ litis disquisitionem? De his ne verbum quidem profert: Ait tantùm Imperatorem precibus Donatistarum animatum misisse episcopos de hac causa cum Papa iudicaturos, quod nec ipse vsurpauerat.] Hæc sunt Augustini verba: Quid? Quod nec ipse Melchiades vsurpauit. [Rogatus quippè Imperator Iudices misit episcopos, qui cum eo sederent, & de tota illa causa, quod iustum videretur, statuerent. Hoc probamus Donatistarum precibus, & verbis Imperatoris.

Respondeo hæc omnia esse à sancti Augustini sensu alienissima. Melchiadis de suis Maioribus iudicium Donatistę auersabantur, & infamabant ex multis capitibus. Vnum erat, quod ipsi suam causam non per Melchiadem, sed per solos Galliarum Episcopos postulassent retractari. Quod Melchiades in hoc iudicium præuento animo se intrusisset. Huic calumniæ Augustinus respondet, quod Pontifex non vsurpauerit, id est, non se ingesserit in hocce iudicium; sed rogatus à Principe, ideòque nullum sit de ipso perperàm suspicandi fundamentum. Porrò quod potuerit proprio Marte istam auctoritatem assumere, quod ius habeat retractandi iudicatas Afrorum Episcoporum causas, quod sit supremus episcoporum iudex, adeò clarè Augustinus in eadem epistola docet, vt quis non temerariè suspicetur de Anonymo, quod ipse scribit de Ioanne Dauid: [Sed quoniam Dauidius hanc epistolam numquàm legit, quàm fortè citat ex sibi suppeditatis præscriptionibus,

bus, truncis, ac mutilatis, nemini hominum mirùm videri debet, si ex ea prorsùs alienam ab Augustini mente intelligat, & inflatis loquatur buccis.] Profectò si legerit, legit cæcatis, aut certè turbatis oculis per crudele odium in Sedem Apostolicam, ac ecclesiæ vnitatem. Quod Romano Pontifici sit ista potestas, altissimè clamat ipsa hæc Melchiadis synodus, cuius sententia est concepta in eius solius nomen. Ex Apostolico Canone, qui Romano Pontifici in sua Patriarchali synodo permittit omnia. Et ipsum fuisse à Nicæna synodo confirmatum, ac stabilitum affirmat in sua tali synodo Fœlix III.

Absit, vt Melchiades Cecilianum iudicauerit ex auctoritate Imperialis delegationis. Etenim in hac causa Constantinus egit, quomodò posteà circà Clementium Byzacij Primatem egit Imperator Mauritius, de quo ad Ioannem Syracusę Episcopum scripsit magnus Gregorius: [In quodam crimine Byzacenus Primas fuerat accusatus, & pijssimus Imperator eum iuxta Statuta Canonica per nos voluit iudicari. Sed acceptis decem auri libris Theodorus Magister militum obstitit, vt minimè fieret. Tamen pijssimus Imperator admonuit, vt transmitteremus, & quidquid est Canonicum faceremus.] Videtur mendum. Et legendum: [Vt transmitterentur.] Vtique partes Romam ad nostrum iudicium. Quod nempè ista transmissio esset per Canones debita Sedi Apostolicæ. Hinc Mauritius, licèt auri indigus, & amantissimus, nullo ære permisit se transcribi in tantam præuaricationem. Ex eodem itaque Canone Magnus Constantinus Donatistarum quæstiones transmisit ad sanctum Melchiadem. De Imperatore Arcadio, Theophili Patriarchæ Alexandrini causam sibi delegante, sanctus Ioannes Chrysostomus scripsit ad sanctum Pontificem Innocentium: [Nos scientes leges Patrum, viroque honorem habentes, habentes etiam eius super hac re literas, oportere in quibusque Prouincijs sua negotia tractari, & Transmarinos ad nostra iudicia non trahendos, fortiter detrectauimus, ne causam susciperemus iudicandam.] Sanctus Ioannes deleganti Principi respondit Thraciam, & Ægyptum non solummodò apud Rempublicam, sed etiam apud Ecclesiam esse disparatas Diœceses, ideòque istam Delegationem esse præuaricatoriam. Eodem modo, si causa fuisset similis, Constantino respondisset Melchiades. Proinde in præfata epistola sanctus Augustinus non vult aliud, quàm quod Melchiades causam hanc non proprio motu, sed à Principe rogatus ad suũ Tribunal deuocauerit.

L.7. Indic. 2. Epist. 65.

Quod Melchiades iuxtà Canones, & per suæ Sedis auctoritatem egerit, sanctus Augustinus docet etiam in libro de vnitate Ecclesiæ: [Afri inter se Episcopi confligebant. Si finire inter se obortam dissensionem non poterant, vt siue per concordiam compositis, siue degradatis, qui malè contenderent, hi qui bonam causam habebant, in communione Orbis terrarum per vnitatis vinculum permanerent, restabat vtique vt Episcopi Transmarini, quà pars maxima diffundebatur Ecclesiæ Catholicæ, de Afrorum Collegarum dissensionibus iudicarent, illis videlicet instantibus, qui crimen malæ Ordinationis alijs obijciebant.] Per Transmarinos Episcopos intelligit præsertim Romanum, cui soli suberat Africana Ecclesia. Hinc in secunda super trigesimum sextum Psalmum concione Primiani cõtra Maximianistas causam comparat cum causa Cæciliani aduersùm Donatistas, & post multa concludit, sermonem dirigens ad Primianum: [Dignare acceptare Cæcilianum innocentem, qui noluit exire ad Maiores tuos, & sic seruauit causam suam Orbi terrarum, quomodò tu seruasti Concilio Numidarum. Si innocentem te reddidit Sedes Bagaitana, quantò potiùs illum Sedes Apostolica?] Addit huius iudicium fuisse probatum, & firmatum à toto Orbe terrarum. Quia nempè omnes sub cœlo Ecclesiæ supremum Romanæ Sedis Primatum, & omnium vndequaque, præsertim ex Romano Patriarchatu, appellationes semper crediderunt, & docuerunt esse immobile Dogma Euangelij.

Cap. 1.

CAPVT XX.

Hæc omnia largiùs demonstrantur ex alijs Sancti Augustini testimonijs.

SAnctus Augustinus in literis ad quosdam Donatistarum Episcopos exponit à Secundo Tigisitano Episcopo, Numidiæ tunc Primate, attentatam Cæciliani Carthaginensis Archiepiscopi damnationem, atque ità completum schisma, & prosequitur: [Secundus tantò magis timere debuit, ne pax vnitatis violaretur, quantò erat Carthago ciuitas ampla, & illustris, vnde se per totum Africæ corpus malum, quod tibi esset exortum, tamquàm à vertice effunderet. Erat etiam Transmarinis vicina Regionibus, & fama celeberrima nobilis. Vnde non mediocris vtiquè auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vndè ipsum Euangelium ad Africam venit, per communicatorias literas esse coniũctum, vbi paratus esset causam dicere, si aduersarij eius ab eo illas ecclesias alienare conarentur. Quia ergò venire noluit ad hospitium Collegarum, quos à suis inimicis contra veritatem suæ causæ peruersos esse sentiebat, vel suspicabatur, vel, vt ipsi asserunt, simulabat, tantò magis Secundus, si verè pacis custos esse voluisset, cauere debuit, ne damnarentur absentes, qui iudicio eorum omninò interesse noluerunt. Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum iudicio causam suam integram reseruare, vbi contra eos sententiæ datæ in absentes nullo modo aliquid valerent, quando eorum iudicium non primò aditum posteà deseruerunt, sed suspectum semper habitum numquàm adire voluerunt. Hæc res maximè sollicitare debuit Secundum, qui tunc

Epist. 162.

erat

erat Primas, si propterea Concilium regebat, vt paci consuleret. Facilè enim fortasse rabida in absentes ora placata, vel frænata comprimeret, si diceret: Videtis Fratres post tantam stragem persecutionis misericordia Dei à Principibus sæculi pacem esse concessam, non debemus nos Christiani, & Episcopi vnitatem dirumpere christianam, quam iam Paganus non insequitur inimicus. Itàque, aut istas omnes causas, quas clades turbulentissimi temporis inflixit Ecclesiæ, Deo Iudici dimittamus, aut si aliqui in vobis sint, qui certa istorum crimina ità nouerint, vt ea facilè valeant edocere, negantesque conuincere, & talibus communicare formidant, pergant ad fratres, & collegas nostros Transmarinarum Ecclesiarum Episcopos, & ibi priùs de istorum factis, & contumacia conquerantur, quod ad iudicium collegarum Afrorum malè sibi conscij venire noluerunt, vt inde illis denuncietur, vt veniant, ibique obiectis respondeant. Quod si non fecerint, ibi etiam eorum prauitas, & peruersitas innotescet, missaque Tractoria super eorum nomine per totum Orbem terrarum, quacumque iam Christi Ecclesia dilatata est, ab omnibus ecclesijs eorum communio præcidetur, ne aliquis error in Cathedra Ecclesię Carthaginis oriatur. Tum demùm securi episcopum alium Plebi Carthaginis ordinabimus, cum à tota ecclesia isti separati fuerint, ne fortè cum alius modò fuerit ordinatus, non ei communicetur ab Ecclesia Transmarina quia iste ab honore depositus non videbitur, quem iam ordinatum fama celebrauit, & ad eum commeare communicatorias literas fecit, atque ità magnum scandalum schismatis in vnitate Christi iam pacatis temporibus oriatur, dum præproperè nostras volumus præcipitare sententias, & non contra Cæcilianum, sed contra Orbem terrarum, qui ei per ignorantiam communicat, Altare alterum erigere audeamus.]

Sanctus Augustinus affirmat, & docet varia. Primò, quod Carthago habeat non modicæ auctoritatis episcopum. Vtpotè Exarchum totius Africanæ Diœcesios. Secundò, quod ille sit tantæ auctoritatis, vt quamuis Afrorum Antistitum contra se conspirantem multitudinem posset cotemnere. Quia nempè est omnium Primas, ideoque iuxta Apostolicum, Gratiani Imperatoris lege postmodò confirmatum, Canonem non possit ab illis criminaliter iudicari. Tertiò, quod vbicumque iudicatus possit prouocare ad Sedem Apostolicam. Quartò, quod hoc locum habeat non dumtaxat in ipso Carthaginensi Archiepiscopo, sed etiam in cunctis Afrorum Episcopis, quorum aliquos cum Ceciliano Numidica Secundi Synodus damnauerat. Cuncti possint suas criminales causas Apostolicæ Sedi reseruare. Audi causam: Quia non sunt Prebyteri, Diaconi, aut inferiores Clerici, sed Episcopi. Nempè Africana consuetudo solos Presbyteros, ac alios Clericos, nequaquàm episcopos vetat ad Apostolicam Sedem, aut etiam Generalem Ecclesiæ Synodum prouocare. Quintò Augustinus affirmat hosce episcopos non tantummodò post Synodale Iudicium, & acceptam damnationis sententiam, sed etiam ante omnem iudicij ingressum posse ex legitimæ suspectationis causa taliter appellare. Sextò, quod hæc suspectationis causa non potuerit cognosci, ac definiri per ipsos suspectatos episcopos, sed per eos debuerit traduci ad Sedem Apostolicam. Quod suspectantes ante omnia debuerint illic conuinci de friuola, ac illegitima contumacia, & per Apostolicam Sedem tunc remitti, & compelli ad Africanæ Synodi iudicium. Septimò sanctus Augustinus affirmat Africanos Episcopos, dum per Romanum Pontificem iussi nolunt redire ad domesticam Synodum, esse per eundem Pontificem damnandos ex contumacia, & huius sententiæ Tractoriam esse transmittendam ad omnes sub cœlo Ecclesias. Et hoc [ne aliquis error oriatur in Cathedra Ecclesiæ Carthaginis.] Affirmat hoc præsertim seruandum fuisse, & esse in Primatiali Carthaginis Ecclesia. Octauò, tunc tandem securè potuisse consecrari nouum episcopum; Post factam, aut confirmatam prioris damnationem à Romana Ecclesia. Quia videlicet perpetua Africanæ Ecclesiæ consuetudo Romanæ damnatorum à se Episcoporum appellationi semper detulit suspensiui etiam effectus reuerentiam, postmodò confirmatam, & ad omnes Ecclesias extensam per Sardicenses Canones. Quæ omnia Romanas ex Africa appellationes interdicunt inferiori Clero, & patentissimè asseuerant cunctis episcopis.

Eadem in epistola sanctus Augustinus demonstrat Carthaginensem, quæ absentem Cecilianum attentauit damnare, secundi Tigisitani in priuata domo celebratam Synodum non fuisse competentem, ac legitimum Iudicem, atque prosequitur: [Quibus omnibus rebus cum eos,] Secundum, & eius Asseclas, [non veros Iudices, sed inimicos atque corruptos Cecilianus conuenisse cognosceret, quomodò fieri posset, vt vel ipse vellet, vel Populus, cui præsidebat, permitteret, vt relicta Ecclesia iret in domum priuatam, non Collegarum discutiendus examine, sed Factionis cuneo, & odijs muliebribus trucidandus? Cum sibi præsertim videret apud Ecclesiam Transmarinam, à priuatis inimicitijs, & ab vtraque parte dissensionis alienam, incorruptum, & integrum examen causæ suæ remanere. Vbi si nihil aduersarij agere vellent, ipsi se ab innocentissima Orbis terrarum communione præciderent. Si autem illic eum accusare tentassent, tunc innocentiam suam aduersùs eorum machinamenta defenderet, sicut postcà factum esse didicistis. Cum tamen nimis serò illi quæsissent Iudicium Transmarinum iam schismatis rei, iam leuati Altaris horrendo scelere maculati. Primò enim facerent, si veritate niterentur, sed falsis rumoribus temporis diuturnitate firmatis, quasi vetusta fama præiudicante ad iudicium venire noluerunt. Aut quod magis credendum est, damnato priùs, sicut libuit, Ceciliano, quasi securi sibi videbantur, præsidentes numero suo, nec audentes alibi commouere causam tam malam, vbi nulla corruptione operante posset veritas inueniri. Sed posteaquàm ipsis rebus experti sunt cum Ceciliano permanere communionem Orbis terrarum, & ad eum à Transmarinis Ecclesijs communicatorias literas mitti, non ad illum

quem

quem sibi scelerate ordinauerant, puduit eos semper tacere, quia posset eis obijci, cur paterentur ignaram per tot gentes ecclesiam communicare damnatis, & cur ipsi se ab innocentis Orbis terrarum communione præciderent, cum tacendo sinerent episcopo, quem Carthaginensibus ordinassent, à toto Orbe non communicari; elegerunt, sicut dicitur, agere causam cum Ceciliano apud ecclesias Transmarinas, parati ad vtrumque, vt si eum potuissent quacumque versutia falsæ criminationis euincere, satiarent plenissimè cupiditatem suam; si autem non possent, in eadem quidem peruersitate durarent; sed iam tamen quasi haberent quo dicerent, malos Iudices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum Litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati. Quasi non eis ad hoc dici posset, & iustissimè dici: Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.]

S. Augustinus denuò affirmat varia. Primò, quod Cecilianus ante omnem causæ ingressum potuerit Secundi Tigisitani Synodum habere suspectam, & quæstionem suam prouocare ad Transmarinas Ecclesias: Ad Ecclesiam Romanam, caput omnium istarum Ecclesiarum. Secundò, quod etiam Secundus ac omnis illa Factio potuerint, immò debuerint ad idem Tribunal deducere ipsam primam causæ instantiam. Tertiò, quod huic euocationi Cecilianus debuisset parere, ac sibi adesse. Quartò, quod non Cecilianus, sed ipsi Donatistæ appellauerint Transmarinam Ecclesiam, atque ità causa per sacros Canones, ac Imperatorem Constantinum sit traducta ad Iudicium Romanum. Verùm nimis serò. Nempè post completum schisma, ac erectum nouum Altare. Et sanè ipsorum rationes ità cogebant. Nec enim Damnator Iudex appellare consueuit, sed damnatus Reus. Verùm per istos patrata Ceciliani damnatio fuit spreta à Romana, ac omni Catholica Ecclesia: Omnes sub cœlo ecclesiæ perrexerunt communicatorias literas non ad Maiorinum scribere, sed ad solum Cecilianum. Prima, & forsan vnica Transmarinæ Ecclesiæ ad factionem communicatoria epistola fuit Eusebianæ Factionis è sceleratissimo apud Philippopolim Conuenticulo ad Maiorini Successorem Donatum, qua vulpes vulpibus, Ariani Donatistis studuerunt caudas iungere ad depopulandum Catholicam Iesu Christi Vineam. Et plurimi post exortum schisma fluxerant anni. Schisma adeò increuerat, vt plures per Africam Ecclesiæ duos haberent episcopos. Ista igitur necessitate compulsi Donatistæ causam suam traduxerunt ad Transmarinam Ecclesiam. Et ipsam Constantinus traduxit Romam.

Etiam hæc Augustini testimonia inuadit ac peruertere studet Scriptor Anonymus: [Reuerà Augustinus ait Cecilianum, cum nec Diaconus, nec inferioris Ordinis Clericus esset, causæ suæ disceptationem iudicio Collegarum, & Ecclesiarum Apostolicarum potuisse reseruare. Sed hoc nihil speciatim attinet ad Romanum Pontificem. Quippe cum præter Romanam multæ superessent Ecclesiæ Apostolicæ, ad quas hoc iudicium poterat referri. Omnes Orbis Episcopi erant Collegæ Ceciliani. Propterea dum ait sanctus Augustinus potuisse Cecilianum reseruare causæ suæ cognitionem Ecclesijs Apostolicis, & Collegis suis, habita ratione Episcopalis Dignitatis, qua pollebat, non ideò ab obsequio, & obtemperatione Synodi Prouincialis iudicio debita liberat, sed hoc priuilegium ei competere potuisse fortasse existimat propter quamdam episcoporum præ simplicibus Presbyteris aut Diaconis potestatis, atque auctoritatis eminentiam, quæ impedit, ne tam citò indicta causa iudicentur. Ius enim violari poterat aliquandò aduersùs Presbyteros, sed saltem difficiliùs aduersùs episcopos, qui suas lites non difficulter adeò poterant subijcere iudicio Ecclesiarum Apostolicarum; Collegarum opem, & auxilium impetrare. Incredibile enim erat fore, vt indicta causa iudicarent, prauaque istiusmodi iudicia approbarent. Quam ob rem Constantinus constanter asserebat, absente, & Numidiæ Concilium eiurante, Secundum Tigisitanum debuisse intercedere, & condemnationis iudicium cohibere. Hic esse mihi videtur sensus epistolæ S. Augustini, cui explicatio nostra quibusdam fortasse videbitur tenebras & obscuritatem adferre; alijs verò lumen adhibere maximum, qui sincero examine sancti Doctoris mentem eruere conati sunt.]

Reuerà isthæc non explicatio, sed deprauatio Augustinianis literis densissimas offundit tenebras. Nugacissimas fabellas. Prima est, quod S. Augustinus non dicat Cecilianum per episcopalis dignitatis causam fuisse exemptum ab obedientia debita iudicijs Prouincialium Synodorum. Etenim Augustinus dicit ipsum fuisse Carthaginensem non modicæ ciuitatis episcopum, ideoque per eius episcopalem dignitatem intelligit Exarchatum totius Africæ: Hinc causa planè affirmat fuisse exemptum ab illa obedientia erga Numidiæ Synodum. Et quidem talem. Vtique constantem ex coniuratis, inimicis, pecunia emptis, & criminosis episcopis. Numidiæ Synodus nec minimum Proconsularis Prouinciæ Laicum iudicare poterat, longè minùs eius, ac simul totius gentis Primatem. Hæc Augustinus omninò docet in epistola: Attamen non per laudata à me verba. Per ipsa docet Cecilianum, quoniam non Presbyter, aut inferior Clericus sed Episcopus erat, non fuisse obstrictum Domesticis acquiescere iudicijs, sed pleno iure potuisse Romam appellare. Hic est manifestus epistolæ sensus, quem nulla nouorum hodie, Marcum Antonium de Dominis resuscitantium, Dogmatistarum fabella possit obnubilare. Anonymus omninò vidit istud lumen. Ad ipsum tamen obfuscandum fabulatur: [Sed hoc priuilegium ei competere potuisse fortasse existimat,] &c. Nullus hic est locus cuicumque [Fortasse.] Augustinus firmissimè definit: Palam de Romana appellatione. Scribit Africanos Episcopos semper potuisse, Clericos non potuisse Romam prouocare. Acerbum est in res lucidas profundere tem-

tempus, cuius nemo possit reparare iacturam.

Secunda istius Anonymi fabella est, quod sanctus Augustinus affirmet Cecilianum, & quosuis Afrorum Episcopos potuisse quidem appellare ad omnes generatim Apostolicas Ecclesias, seu ad plenam totius Ecclesiæ Synodum, nequaquàm tamen ad solum Tribunal Romanum. Etenim Augustini verba sunt lucidissima: [Carthago erat etiam Transmarinis vicina Regionibus, & fama celeberrima nobilis. Vnde non mediocris vtiquè auctoritatis habebat episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Sedis viguit Principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.] Vbi esset paratus causam suam dicere? Certè non alibi, quàm apud Romanam Ecclesiam, vbi Apostolicæ Sedis semper viguit Principatus. Sanctus Augustinus laudat istas Transmarinas Ecclesias, quæ Cecilianum aut quemlibet alium Africanum Episcopum poterant ob contumaciam aut quoduis aliud crimen damnare, & super damnati nomine ad omnes sub cælo Ecclesias mittere Tractoriam. Hæc autem manifestè est sola Romana. Per Transmarinas Ecclesias, apud quas, & Cecilianus, & Donatistæ debuerunt suam causam primitùs agere, Augustinus intelligit illam, apud quam postmodò causa ista fuit acta. Manifestè Romana.

Et istam solam ecclesiam non duntaxat sanctus Augustinus, sed etiam Africanæ synodi passim intellexerunt per Transmarina, aut Ecclesias Transmarinas. Africanus Codex suo de quibusdam in suo honore recipiendis Donatistarum Episcopis, aut clericis decreto adiungit: [Sed hanc rem placuit non confirmari priùs, quam exindè Transmarina Ecclesia consulatur.] Alius canon
Can. 108. exponit: Literæ mittantur ad fratres, & Coepiscopos nostros, & maximè ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet Venerabilis frater, & collega noster Athanasius. [Item de firmando diuinorum librorum catalogo Africanus Canon habet:] De confirmando illo canone Transmarina Ecclesia consulatur. [Alius canon exponit: Hoc etiam fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio, & alijs earum partium episcopis pro confirmando illo canone innotescat, quià à patribus ista accepimus in ecclesia legenda.] Et Mileuitanus canon sancit de clericis: [Ad Transmarina qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.] Certum, ac manifestum est illic per Transmarina intelligi solam Romanam Ecclesiam. Plurima sunt istiusmodi testimonia. Proindè eadem vocis acceptione sanctus Augustinus vtitur in præsenti epistola. Eximiè se exponit in secunda concione super Psalmum trigesimum sextum, declamans ad Donatistarum principem Primianum: [Dignitate acceptare Cecilianum innocentem, qui noluit exire ad maiores tuos, & sic seruauit causam suam Orbi terrarum, quomodò tu seruasti Concilio Numidarum. Si te innocentem reddidit Sedes Bagaitana, quantò potiùs illum Sedes Apostolica] ?

Attamen sanctus Augustinus, dum de Ceciliani causa, aut communicatorijs ad ipsum literis agit, passim adiungit omnes Apostolicas Ecclesias, omnes collegas, aut totum Orbem terrarum. Nec sine rationibus. Primam edicit Aquileiensis Synodus in literis ad Imperatorem Gratianum, scriptis à sancto Ambrosio: [Totius Orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Fidem Apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit vestra Clementia. Indè enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant.] Romana Ecclesia est radix, ac propago totius Orthodoxæ, & Catholicæ communionis. Cuicumque ipsa, vel quicumque ipsi formatarū commercio communicat, ipsi tota ecclesia, & ipse toti communicat ecclesiæ. Omnibus Apostolicis Ecclesijs, omnibus collegis. Et vnicus Romanæ appellationis fructus est Romanæ Ecclesiæ communionem recipere, aut in ipsa stabiliri. Hinc qui ad Romanam appellat, aut à Romana reparatur Ecclesia, appellat ad omnes, & ab omnibus reparatur ecclesijs, ab omnibus Collegis. Præsertim ab Apostolicis. Ob singularem ipsarum gradum in catholica communione. Hinc de Iuliano Eclanensi Episcopo scribit in commonitorio super Cœlestij nomine Marius Mercator: [Cœlestinus, & Pelagius sunt damnati ab Innocentio, à quo, & Iulianus fuerat Ordinatus, quiquè post illorum damnationem vsque ad prædicti Innocentij Episcopi excessum è vita in eius communione permanens, & perseuerans in sincera sententia, & communicans Damnatori prædictorum, ipse quoque sine dubio pelagium, Cœlestiumque damnauit.] Causa laudatæ communionis. Ac præterea ob susceptam damnationis tractoriam. Cap. 1.

Eadem est ratio factarum reparationum per Romanos Pontifices. Hinc enim sanctus Ioannes Chrysostomus suum Romanæ appellationis instrumentum dirigit ad solum Pontificem Innocentium, & tamen concludit: [Igitur Domini maximè venerandi, & pij, &c.] Conclusionem dirigit ad omnes latinos episcopos. Aut certè ad omnes Italos. Eadem de causa ad Imperatorem Arcadium scripsit collega Honorius: [Erat inter episcopos causa, quæ collato tractatòque consilio deberet absolui. Missis ad Sacerdotes Vrbis æternæ atque Italiæ vtraque ex parte legatis, exspectabatur ex omnium authoritate sententia.] Etiam Imperator Aurelianus, dum de exequenda in Paulum Samosatensem data sententia fuit motum dubium, [præcepit illis dari ecclesiæ domum, quibus christiani Italiæ, & Vrbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent.] Ita habemus apud Eusebium. Et ad Imperatorem Theodosium scripsit Romana sancti Damasij Synodus: [Sanctæ memoriæ Athanasius, & dudùm Petrus, Alexandriæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique, ad Romanæ Ecclesiæ, Italiæ, & totius Occidentis confugerunt iudicium.] Et tamen certum est ipsos ad solum Romanum prouocasse Pontificem, & ab ipso solo fuisse auditos, ac reparatos.

Hinc

Hinc enim Philippopolitanus Eusebianæ factionis conuentus ob patratam sancti Athanasij, & aliorum appellantium reparationem non cunctos Occidentis, aut Italiæ Episcopos, sed solum degradauit Iulium Pontificem. Adiunxit Hosium Cordubensem, & Maximinum Treuirensem, quod Iulium ad istam reparationem instigassent. Epistola est scripta à sancto Ambrosio. Est quarta post appendicem Theodosiani Codicis. Eamdem phrasim vsitat magnus Basilius. Quia nempè omnes latini, imò omnes Orthodoxi sub cœlo Episcopi cum Romano Pontifice semper fuerunt quasi vnica ecclesia, vnicaque familia: [Populus labij vnius, ac sermonum eorumdem.] Italiæ Episcopi insuper erant propria Romani Pontificis Synodus, & in Retractatorijs appellationum Iudicijs Assessores, atque coniudices. Secunda Augustinianæ phrasios ratio est, quod Cecilianus esset paratus non solùm coram Romana Cathedra, sed etiam coram plenaria totius ecclesiæ synodo, imò coram cunctis sub cœlo ecclesijs suam causam tueri.

Anonymus euertit semetipsum. Etenim profitetur Afrorum Episcopis aliquid licuisse, quod clericis non licebat: Nempè appellare ad synodum totius ecclesiæ. Certè hæc appellatio semper licuit aliarum gentium clericis. Etenim ad Imperatorem Theodosium scripsit cum Italiæ Episcopis sanctus Ambrosius: Vnus Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyter, Paulus nomine, intra Achaiam Synodum Orientalium iuxta, atque Occidentalium postulauit. [Epistola exstat post Epist. 4. appendicem Theodosiani Codicis. Et aduersùs Chæremonem, Victorem, & Sophronam, suæ Ciuitatis sterquilinia, scribit ad suos Constantinopoli clericos sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: Nunquam formidauimus peregrinationem suscipere, sed nec illorum accusationibus respondere, si tempus hoc exigat. Potest enim euenire, vt etiam fortè ob vilissimas causas, ad purgandam ecclesiam, iuberi concilium conuocari.] Et nonne Euthyches presbyter à Magni Leonis iudicio prouocauit ad generalem Synodum? Ista appellatio maiores nostros compulit ad secundam Ephesinam, & ad Synodum Chalcedonensem. Ad Chalcedonensem Synodum appellarunt etiam alij clerici, & laici, qui se oppressos affirmabant à suo Patriarcha Dioscoro: Et fuerunt auditi. Cur igitur isto iure caruerunt Afrorum Clerici? Ob singulare gentis statutum, quod sanctus Cyprianus affirmat æquum, & iustum. At Cyprianus non de clericorum ad generalem Synodum, sed de ipsorum ad Romanam Ecclesiam appellatione loquitur. Agnoscant hoc noui Dogmatistæ, & desinant tempus perdere ad lucidæ veritati quærendas tenebras.

Quid sibi volunt hæc Anonymi verba: [Sed hoc nihil speciatim attinet ad Romanum Pontificem. Quippè cum præter Romanam multæ super essent Ecclesiæ Apostolicæ, ad quas hoc iudicium potuit referri. Omnes Orbis Episcopi erant Collegæ Ceciliani.] Affirmant omnes ecclesias, atque Episcopos esse pares, & Romano nihil esse singulare, nisi primum locum. Si quippè ista speciatim non pertineant ad Romanum Episcopum; necesse est alios esse ipsi pares. Porrò; quis vnquam Afer, quis Gallus, quis Hispanus pronocauit ad Thessalonicensem, Corinthiorum, Philippensem, aut aliam Apostolicam Ecclesiam? At verò plurimi ex omni gente frequenter prouocarunt ad Ecclesiam Romanam. Et cum fructu, probato apud omnem Christianitatem. Prima istius fructus impugnatrix fuit Eusebiana Factio. Scire optarim, quas partes sequatur hìc Anonymus. Errorem confirmant eius sequentia verba: [At verò instat Dauidius enixè, & responsum assumit ex eo, quod Augustinus ait nihil fuisse Ceciliano pertimescendum, quamdiù communionis literis cum Ecclesia Romana coniungeretur, in qua semper Sedis Apostolicæ principatus viguit. Nisi plura diceret Augustinus, & alijs ecclesijs prætermissis de sola communione cum Ecclesia Romana mentionem faceret, me victum faterer libentissimè, nihilque Dauidio responderem. Sed prorsùs contrarium dicit. Omnes ecclesias, quibuscum Cecilianus communicauerat, Romanæ exæquat, adiuncto tantùm discrimine Principatus Apostolicæ Sedis, qui semper Romæ viguit, vndè Romanæ Ecclesiæ gloria singularis exsurgit.] Palàm docet omnes ecclesias esse pares Romanæ, & huius principatum esse honorem solius loci. Est error Marci Antonij de Dominis. Theodorus Balsamon affirmant eumdem tradi à quibusdam Sectatoribus Photiani schismatis: Et ipsum damnat, vt fontem plenæ confusionis. Certè quibusuis talia senserit, [bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.]

Anonymus vrget ad Romanam Ecclesiam ab Augustino adiungi cæteras fidelium terras, earumque laudari communicatorias ad Cecilianum literas, & addi: Vbi paratus esset causam suam dicere. [Et commentatur:] Augustinus significat Cecilianum non minus, auxilium sibi comparasse ex alijs ecclesijs quibuscum communicabat, quàm à Romana. [Respondeo hæc esse eiusdem fœtoris, & abundè refutata. Etenim si Augustinus Romanæ Ecclesiæ dumtaxat par, & commune cum alijs adscribit impensum Ceciliano auxilium, cur scribit ipsum à sola Romana Sede fuisse purgatum, ac reparatum? Certè Romano isti iudicio non solus Pontifex adfuit, sed insuper Arelatensis Episcopus, Coloniensis, & Augustodunensis: Et tamen nec hæc, aut ista Sedes, sed sola Romana dicitur Cecilianum reparasse. Item Petrus de Marca profitetur reparatoriam sententiam fuisse conceptam in nomen solius Melchiadis. Et licèt ista synodus non Romæ, sed Coloniæ, aut Augustoduni fieret, Melchiades habuisset eadem Elogia. Et Donatistæ nunquam Maternum, Rheticium, aut Marinum, sed solum ex suis iudicibus Melchiadem accusarunt Thurificationis, & Lapsus. Quæ ratio? Notissima est etiam infimo Christiano. Nempè diuersitas auxilij, quod Melchiades Ceciliano impenderat.

Anonymus prosequitur: [Denique si Pontifex Romanus se Episcoporum supremum Iudicem habuisset, cur post sententiam à se ipso prolatam, iteratam litis cognitionem in Concilio Arelatensi sustinuisset? Cur

de hac causa solitarius Iudex non sedebat, sed imò tot sibi Iudices ab Imperatore adiungi patiebatur? Si ea fuisset mens Augustini, vt contendit Dauidius, cur post Romanum Iudicium toties Donatistis Concilium Arelatense opposuit? Cur denique post supremam Romani Solij decisionem posse adhuc hanc causam in Concilio generali vniuersæ ecclesiæ agitari reposuisset?] Et adducit Augustini verba: [Ecce putemus illos episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari.] Respondeo Anonymum ab istis ipsis Augustini verbis penitùs euerti. Etenim aiunt: [Cum ipsis Iudicibus.] Proindè istiusmodi prouocatio Romanum Pontificem non demutat in Reum, aut Accusatorem, sed permittit Iudicem. Et non talem qualem, sed supremum, ac plenum futuri Concilij Præsidem. Nam & sanctus Siluester fuit inuitatus ad presidendum Arelatensi Concilio. Proindè istiusmodi prouocatio non est appellatio, sed simplex reuisio. Et quod hæc non euertat supremam iudicandi authoritatem, nouerunt non soli Domini Senatores, sed ipsi etiam Procuratores, & Apparitores Curiæ Parisiensis. Porrò Melchiades plures sibi assumpsit Assessores Episcopos ex ea ipsa causa, ex qua sanctus Petrus ad motas à Cerintho quæstiones dirimendas non sedit solus, sed Antiochiam aduocauit omnes Apostolos, & plures episcopos. Et falsum est, quod omnes istos Constantinus adiunxerit. Adiunxit solos tres: Reliquos Melchiades assumpsit. Ad confutandos Eutychianistas omnis Ecclesia non solum, licet sufficientissimum, sancti Leonis Tomum, sed semper adduxit etiam Chalcedonense Concilium: Ex eodem principio sanctus Augustinus ad cõfutandos Donatistas non solo est vsus Melchiadis iudicio, sed insuper Concilio Arelatensi. Anonymus hic est omninò vnus illorum, de quibus Tertullianus: [Firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.] Ab inepto Tenebrione nihil reportabis, nisi tui stomachi commotionem.

CAPVT XXI.

Romana Africanorum Episcoporum appellatio demonstratur ex sancti Augustini Epistola ad sanctum Cælestinum Pontificem.

QVod Africani Episcopi semper potuerint Romam prouocare, sanctus Augustinus insigniter profitetur, ac exemplis demonstrat in literis ad sanctum Cœlestinum Pontificem. Antonius, per sanctum Augustinum euectus in Fussalensem Cathedram, ac primus istius ciuitatis Episcopus, pessimè se gessit: Illius nuperrimè à Donato conuersi Populi egit scandalosissimumTyrannum, ac expilatorem. Hinc sanctus Augustinus ipsum impetrauit Synodaliter frænari. Non degradari quidem, sed tamen authoritate, ac potestate insigniter circumscribi, ac mutilari. Hinc ille sententiam clamauit Canonibus aduersam, & Romam prouocauit ad sanctum Pontificem Bonifacium. Et synodalia Gesta, omnisque causæ instructio fuerunt eò transmissa. Hac igitur de re sanctus Augustinus scripsit ad Bonifacij Successorem Cęlestinum: [In illis multiplicibus gestis, quibus de Antonio nostrum iudicium continetur magis deberem vereri, ne tibi minùs seuerè, quàm oporteret, iudicasse videamur, nisi scirem vos tam propensos ad misericordiam, vt non solùm nobis, quia illi pepercimus, verùm etiam ipsi existimetis esse parcendum. Sed ille, quod à nobis, aut benignè, aut remissè factum in præscriptionem vertere, atque vsurpare conatur. Clamat:] Aut in mea Cathedra sedere debui, aut episcopus esse non debui. [Quasi nunc sedeat nisi in sua. Propter hoc enim loca illi eadem dimissa, atque permissa sunt in quibus, & priùs Episcopus erat, ne aliena Cathedra contra Statuta Patrum translatus illicitè diceretur. Aut verò quisquam ita esse debet siue seueritatis, siue lenitatis exactor, vt qui nonnisi fuerint Episcopatus honore priuandi, nullo modo in eis aliquid vindicetur, aut in quibus aliquid visum fuerit vindicandum, Episcopatus honore priuentur. Extat exemplo, ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliorum iudicante, vel aliorum iudicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus Prouinciæ Cæsariænsis Episcopus:] Aut Primatum locus, sicut cæteris, & mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi manere non debuit. [Clamet alius eiusdem Prouinciæ Victor episcopus: cui relicto in eadem pœna, in qua, & Priscus fuit, nusquam nisi in Diœcesi eius ab alio communicatur Episcopo. Clamet, inquam:] Aut vbique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. [Clamet tertius eiusdem Prouinciæ Laurentius Episcopus, & prorsùs huius vocibus clamet:] Aut in Cathedra, cui ordinatus sum, sedere debui, aut episcopus esse non debui. [Sed quis ita vituperet, nisi qui parùm attendit, nec inulta relinquenda, nec vno modo omnia vindicanda?] Epist. 261.

Sanctus Augustinus affirmat varia. Primò, quod apud Africanas Ecclesias existent plurima Episcopalium appellationum ad Sedem Apostolicam exempla: Et vetusta, & recentia. Secundò, quod exempla antiqua rememorari nolit, & adducere. Ex recentioribus adduxit tria ex sola prouincia Cæsariænsis Mauritaniæ. Tertiò affirmat Synodalia Afrorum Antistitum circa appellatas Collegarum causas iudicia fuisse per Apostolicam Sedem aliquandò reformata, aliquando confirmata. Quartò asserit Synodale de Antonio iudicium nequaquam fuisse insuetum, aut heteroclytum, & esse iustissimum. Hinc supplicat per Cęlestinum stabiliri. Et ad permouendum Pontificem affirmat ista tria Cæsariænsis Prouinciæ exempla fuisse istius formæ. Palàm affirmat Romanas

nas Episcoporum appellationes fuisse apud suam gentem frequentissimas, atque liberrimas. Inter Romanā, & Africanam Ecclesiam fumabat tunc contentio de Romanis appellationibus inferioris Cleri: Et huius seruitutem aliqui, quinto Nicæno Canone abusi, tentabant etiam ad Episcopos extendere. Verùm irrito conatu. Omnes meliores, & doctiores Episcopi perrexerunt sentire cum sancto Augustino.

Et hìc prosequitur de Antonio: [Quam versuta suasione Antonius sanctum Senem Primatem nostrum, grauissimum virum, vt et cuncta crederet, quem velut omni modo inculpatum venerando Papæ Bonifacio commendaret, induxerit, & cætera, quæ à me quid opus est recoli, cum memoratus venerabilis Senex ad tuam Sanctitatem omia retulerit?] Iste Numidiæ Primas fuit Valentinus Vajanensis Episcopus. Videtur enim tunc fuisse adhuc superstes. Et hinc manifestissimè lucet, quod etiam ipse temerarijs Aurelij Archiepicopi aduersùm Romanas Episcoporum appellationes machinamenris non fuerit cooperatus. Sanctus igitur Augustinus hìc iterùm primò affirmat Antonium non sub Cęlestini, sed sub Bonifacij Pontificatu fuisse iudicatum, ac damnatum. Secundò quod ad eumdem Pontificem appellauerit. Tertiò, quod ad ipsum sibi conciliandum fuerit vsus non bonis artibus. Palmaris fuit, quod ipsum suæ Prouinciæ Primatem, ac damnatricis Synodi Præsidem, seduxerit ad impugnandum sui ipsius Synodale Iudicium, & Antonio perhibendum innocentiæ, ac integritatis testimonium. Et ipso fretus Pontifex Antonium absoluit, ac reparauit. Ex quibus lucet non solum Augustinum, nec solum Primatem Valentinum, sed omnes, aut sanè plurimos Numidiæ Episcopos de episcopalium ad Romanam Cathedram prouocationum antiquitate, ac authoritate non cespitasse. Antonij appellationem cuncti sunt venerati. Porrò Antonij absolutio à præuento per mortem Bonifacio non fuit sortita effectum, nec missa in executionem: Hinc ipsam vrgere ille perrexit apud Cęlestinum. Verùm Bonifacii sententia habebat hanc clausulam: [Si Antonius ordinem rerum nobis fideliter indicauit.]

Hinc aduersùs ipsam sanctus Augustinus potenter intercessit, & scripsit ad Cęlestinum:] Accipe nunc quæ post eius sanctæ memoriæ viri,] Pontificis Bonifacij, [in Africa literas gesta sunt, & subueni hominibus, opem tuam in Christi misericordia multò auidiùs, quàm ille poscentibus, à cuius inquietudine desiderant liberari. Iudicia quippe illis, & publicas Potestates, & militares impetus, tamquàm executuros Apostolicæ Sedis sententiam, siue ipse, siue rumores creberrimi comminatur, vt miseri homines christiani catholici grauiora formident à catholico episcopo, quàm cum essent hęretici, à catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non sinas ista fieri, obsecro te: Per Christi sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui christianorum Præpositos Populorum monuit, ne violenter dominentur inter Fratres. Ego Fussalenses catholicos, Filios in Christo meos, & Antonium episcopum, Filium in Christo meum, benignitati charitatis, & Sanctitatis tuæ, quia vtrosque diligo, vtrosque commendo. Neque Fussalensibus succenseo, quia iustam de me querimoniam ingerunt auribus tuis, quod eis hominem, nondùm mihi probatum, nondùm saltem ætate firmatum, à quo sic affligerentur, inflixi. Neque huic noceri volo, cui quantò magis sinceram habeo charitatem, tantò magis prauæ eius cupiditati obsisto. Vtrique misericordiam mereantur: Illi, ne mala patiantur, ille, ne faciat. Illi, ne oderint catholicum, si à catholicis episcopis, maximèque ab ipsa Sede Apostolica, contra catholicum eis non subueniatur episcopum: iste autem, ne se tanto scelere obstringat, vt quos molitur inuitos facere suos, à Christo faciat alienos.]

Fussala ante fuerat Hipponensis Parochiæ oppidum: Ex integro pertinax in parte Donati. Ipsam sanctus Augustinus per missos eò presbyteros, ac multam ipsorum prædicationem, & passionem, Imperialibus aduersùm Donatistas Legibus adiuuantibus, tandem perduxit ad Christum Dominum. Et vt in bono firmaret, ipsam dismembrauit à sua cathedra, & ei dandum curauit nouum episcopum. Verùm electus, dum omnia ad consecrationem sunt parata, & præsentia, ex humilitate, & tanti oneris fuga clandestinè se subtraxit, atque ita S. Augustinus, præsertim ad euitandas senis Primatis defatigationes, fuit compulsus in eius locum sufficere alium. Et tunc ad manum non habuit nisi Antonium, suæ Ecclesiæ, ac Episcopalis Monasterij Clericum, [hominem sibi necdùm probatum,] & [necdum ætate firmatum,] & tamen ipsum curauit consecrari. At ecce hic iuuenis, & primus Neophytorum episcopus memoriæ suæ non infixit canonem, quem ad iuuenem etiam Timotheum scripsit sanctus Paulus: [Iuuenilia desideria fuge.] Cœpit suam plebem vexare, concutere, expoliare, & esse suspectus de alijs. Hinc ipsum Fussalenses detulerunt ad Prouinciæ synodum, & impetrarunt, licèt non degradari, tamen compesci, circumscribi, puniri. Eam nouæ Diœcesis partem, quam maximè vexauerat, synodus ipsi abstulit, & denuò adscripsit cathedræ Hipponensi. Nempe [Castellanos, & illius Regionis homines, qui de intolerabili eius dominatione, de rapinis, & diuersis oppressionibus, & contritionibus] fuerant veraciter conquesti. Noua ista cathedra videtur fuisse sponsa sine dote: Hanc Antonius videtur violenter extorsisse. Quidquid sit, à synodi sententia prouocauit ad Bonifacium Pontificem, & propter Primatis testimonium meruit absolui, purgari, ac reparari. Attamen cum salutari clausula: [Dummodò preces, & testimonium veritate nitantur.] Isto interim Decreto fultus Antonius impetrare studuit publicas potestates, & militares impetus, qui Apostolicam sententiam exequerentur. [Qui inuitos facerent suos.] Hoc est, qui suæ cathedræ ablatos, & Hipponensi redditos castellanos violenter cogerent ad ipsum redire. Talia, aut ipse sparsit in suum populum, aut spargi curauit, vel permisit. Hinc miseri, ac Neophyti Fussalenses iam catholici grauiora formidabant à catholici epi-

episcopi turbulentia, quàm anteà Donatistæ formidarant à pœnalibus catholicorum principum legibus. Hinc apud Cœlestinum Pontificem accusarunt, non solum Antonium, sed & ipsum S. Augustinum, tamquàm horum malorum fontem, qui talem ipsis donasset episcopum. Quæ res senem Augustinum adeò afflixit, vt suum episcopatum voluerit deponere, & semetipsum damnare ad perpetuam pœnitentiam. Ex quibus omnibus discimus, quod non soli Africani episcopi aduersùm suas synodos, sed etiam Africani populi aduersùm suos episcopos consueuerint Romanos Pontifices inuocare. Et Apostolicæ Sedis iudicia erant isthic tanti ponderis, tantæque reuerentiæ, vt ad ipsa exequenda publicę etiam potestates, ac militares impetus essent in promptu.

Hæc sancti Augustini epistola est lucidissimum, atque inconcussum pro Romanis Africanorum episcoporum appellationibus testimonium. Hinc audio in Gallia, aut imprimi, aut proximè imprimendam Dissertationem, quæ ipsam suadeat esse spuriam, & suppotititiam, ideòque straminææ authoritatis. Nescio, quod hominum genus non minori hodie erga Apostolicæ Sedis dignitatem odio æstuat, quàm Martinus Lutherus, aut Ioannes Caluinus erga plures catholicas veritates. Hinc vti hi erga Diuinas, quas in suos errores nullo possint fuco detorquere, literas imitantur Marcionem, aut Manichæum, & nobis auferunt Machabęorum libros, sanctorum Iacobi, & Iudæ epistolas, & quædam alia, ita isti pari impudentia grassantur in certissima sanctorum Patrum Monimenta. Ista namque epistola adeò clarè refert S. Augustini faciem, vt si hodie in nescio quo campo per sortem reperiretur, omnes sancti Augustini stylo, vel leuiter assueti vnanimiter clamarent esse manifestum eius fœtum. Optarim, vt istorum Sapientum aliquis sub Augustini nomine nobis fingat talem epistolam: Erit toti mundo summus vates. Norunt sua nugamenta nunquam persuadenda mundo, nihilominùs censent piscandum, sperantes hinc inde aliquos, aut capere, aut dimittere cum scrupulo.

Exhæredandæ epistolæ præcipuum fundamentum audio esse præsertim hæc verba: [Me sanè, quod confitendum est Beatitudini vestræ, in isto vtrorumque periculo tantus timor, & mœror excruciant, vt ab officio cogitem gerendi episcopatus abscedere, & me lamentis errori meo conuenientibus dedere, si per eum, cuius episcopatui per imprudentiam suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, & quod ipse Deus auertat, etiam cum vastantis perditione perire conspexero.] Apostolicæ dignitatis Osores censent talia verba non cadere in virum constantem, præsertim in S. Augustinum. Respondeo S. Augustinum fuisse delicatæ conscientiæ, ideoque verba hæc eius moribus omninò consonare. Nam similia scribit etiam ad suum Primatem Xantippum, agens de Presbytero illo, quem solus sine sex Collegarum assisten-
Epist. 236. tia damnauerat: [Ne si quid perniciosius eru-
Epist. 224. perit, languens imputem mihi.] Legantur
239. 250. duæ ad Alipium, & alia eiusdem Augustini ad sanctum Paulinum epistolæ, & videbis ipsum fuisse anxiè timoratum. Et certè in creandis episcopis ita mandat Apostolus: [Nemini citò manus imposueris, ne communices peccatis alienis.] Quod omnia indigni episcopi peccata deuoluantur in promotorem, demonstrat S. Isidorus Pelusiotes; Porrò in euehendo Antonio S. Augustinus, licèt ex causis, fuerat præcipitantior. Hinc ipsum, vbi tot illius facinora vidit, acerbissimè momordit conscientia. Et quò morderet, nisi ad deponendum episcopatum, atque ita agendam humilem pœnitentiam? Hanc enim legem sacri Canones imponunt indignorum Promotoribus. Et quod S. Augustinus ad deponendum ex causis episcopatum fuerit paratissimus, eius qualibuscumque lectoribus est exploratissimum. Nec mirandum est, quod noui Dogmatistæ auersentur hanc epistolam. Etenim ipsa demonstrat, & altissimè clamat, quod S. Augustinus, Numidiæ Primas Valentinus, & fermè omnes istius Prouinciæ Episcopi, à Carthaginensi Primate Aurelio, dum Romanas etiam episcoporum appellationes arietare cœpit, retrocesserint, & famosæ illius ad Cœlestinum Pontificem epistolæ sese non miscuerint, immò constanter fuerint refragati. Quare præsens Augustini epistola pari voce clamat istam Aurelij epistolam esse præuaricatoriam, ac infelicem optimi Aurelij Lapsum.

Prætermitti non possit etiam Primosi, Thiganensis apud Cæsariænses Mauros episcopi, Romana appellatio, de qua Africanus Codex: [Protestatos esse præterea Mauros Cæsariænses constat, Primosum per principales ciuitatis Thiganensis conuentum literis eorum fuisse, vt secundùm principalia Scira plenario Concilio sui præsentiam faceret. Et, vt oportuit, requisitus Primosus, repertus non est, sicut Diaconi renunciauerunt. Sed quia poposcerunt eidem Mauri de plenario Concilio oportere literas destinari ad venerabilem Fratrem, Senem Innocentium, has placuit mitti, vt agnoscat Primosum requisitum à Concilio, & minimè fuisse repertum.] Primosus à suo Populo de nescio quibus accusatus apud suæ Prouinciæ synodum, ex quibus nescio causis detrectauit comparere, sed ab Imperatore Honorio supplicauit aliud episcopale iudicium. Hoc enim tolerabat Africana disciplina: Quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem episcopale iudicium ab Imperatore postularit, nihil ei obsit.] Et Princeps Primosum transmiserat ad plenariam totius Africæ Synodum. Rectè: Secundùm Canones. Verùm Primosus nec isthic comparuit. Creditus est Romam prouocasse, & abijsse ad Papam Innocentium. Hinc synodus duxit Pontificem de omnibus instruendum, appellationem tamen plenissimè venerata. Facta hæc sunt ante Pontificatum Zozimi, adeòque ante lites de Apiarij Presbyteri, & omnis inferioris Cleri appellationibus. Vnde nullum, ad quod noui Dogmatistæ iam ridiculè recurrunt, tunc erat [Interim.] Erat pura Africanæ Ecclesiæ consuetudo. Quare eius vigore Primosus appellauit.

CA-

CAPVT XXII.

Discutiuntur Scriptoris Anonymi Sensa circa laudatam Sancti Augustini Epistolam.

HVic epistolæ, cuius tamen Natales infamare non præsumit, interpretandæ etiam se commiscet Scriptor Anonymus. Memorat synodum illam, ex qua Aurelius Primas istam infelicissimam aduersùs Romanas Episcoporum etiam appellationes epistolam scripsit ad sanctum Celestinum, & pergit: [Dauidius ingenuè fatetur veram mentem Episcoporum Africæ in hoc Concilio fuisse omninò condemnare, & abrogare vsum appellationum ad Sedem Apostolicam in Episcoporum, ac Presbyterorum causis. Insuper sibi persuadet in hoc casu hos Episcopos nec bona fide, nec sinceritate caruisse, sed, oratione continenti sic fatur: Equidem credo huic abrogationi in ipsa Africa locum non fuisse. Enimuerò animaduertimus tempore circiter huius abrogationis, sub eodem Pontifice Romano, quo promulgata fuit, celeberrimum non solùm Africæ, verùm etiam vniuersæ Ecclesiæ Episcopum, scilicet sanctum Augustinum, qui huius controuersiæ principio interfuerat, non obstitisse, immò verò annuisse appellationi Antonij, Fussaliorum Episcopi, à iudicio synodis Prouincialis ad Apostolicam Sedem.] Respondeo Dauidium rectè sentire. Etenim sanctus Augustinus, & cum ipso S. Alipius, S. Possidius, Numidiæ Primas Valentinus, plurimique alij sanctiores, & doctiores Afrorum Episcopi, huius controuersiæ principio, quoniam de solis Clericorum appellationibus tractabat, non solummodò adfuerunt, sed insuper causam generosè, ac intrepidè adiuuerunt, scientes à se defendi auitam, ac bonis anchoris nixam suæ gentis consuetudinem. Ast vbi viderunt Aurelium salire extra metas, & contra Apostolicos Canones, itemque contra perpetuam gentis consuetudinem prorumpere ad proscribendas Episcoporum appellationes, retraxerunt manus, & dilectissimum Primatem Aurelium, S. Petro Apostolo postponentes, deseruerunt. S. Augustinus istam Antonij appellationem non solummodò permisit, sed & ipsam appellandi consuetudinem stabiliuit exemplis, & rationibus. Eamdem adiuuit Primas Valentinus.

Attamen Anonymus, ne manifestos veritatis triumphos permittat Ioanni Dauid, tacere non sustinet: [Prima fronte respondere possem, cum Antonius appellauerit, antequam Africani Cœlestino Papæ scripserint, aut literas acceperint ab Attico Constantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino de exemplaribus Græcis Concilij Nicæni, mirum non videri, si sanctus Augustinus, & cæteri Africæ Episcopi huic appellationi non obstiterint. Quippe cum Bonifacio Papæ polliciti essent ex Decreto Concilij Carthaginensis, seruaturos se paulisper hanc appellationum disciplinam, donec intellexerint ex inuentis exemplaribus Nicæni Concilij, an vera esset citatio Canonum Nicenorum in Commonitorio Legatorum Zozimi. At nemo dubitare potest hanc appellationem Antonij Fussalensis Episcopi antecessisse acceptioni literarum Attici, & Cyrilli.] Respondeo esse friuolum effugium. Etenim ista transactio; seu istud [Interim] nequaquàm fuit circa appellationes episcoporum. Circa has nec erat, nec vnquam fuerat vlla controuersia Transactio fuit circa duo. Primò circa seruandam in episcoporum appellationibus formam Sardicensis Canonis, quem Zozimus appellabat Nicænum. Deinde ista transactio fuit circa prouocationes Clericorum. Romana Sedes affirmabat ipsas probari, ac iuberi per Nicænos Canones, & Africana Ecclesia profitebatur se ab istis, vtpotè Spiritu Dei conditis, & totius Mundi reuerentia consecratis, nolle dissonare: Hinc igitur stipulatum est, vt vsque ad repertam veritatem inferior etiam Clerus posset Romam prouocare. Contra priorem consuetudinem. Propter reuerentiam Apostolicæ Sedis, & Nicæni Concilij. Hæc est certa veritas inferiùs demonstranda. Proinde nequaquam in huius transactionis, sed in solam auitæ consuetudinis vim Antonius appellauit: Et episcoporum nullus, vel somniauit intercedere. Aurelij Primatis, & ipsi adhærentium episcoporum intercessio non cœpit, nisi post adductos ex Oriente Nicænos Canones.

Pergit Scriptor Anonymus: [Quamuis hæc solutio adeò certa sit, vt nullum hac de re dubitandi locum relinquat, existimo tamen, accuratiùs perpensa historia huius Antonij Fussalensis, ipsum nunquam Iuridiciali appellatione ad Papam prouocasse, quamuis negare nolim ad ipsum confugisse, & opem eius implorasse. Hanc autem agendi rationem irritam esse ætate sancti Cypriani, ijs omnibus, qui pro factis iudicia timent, & suarum rerum odio mutari omnia student, ostendimus capite primo huius operis. Igitur fatemur Antonium Romam confugisse, non secùs, ac anteà confugerat Basilides, de quo mentionem facit S. Cyprianus. Ad quem, hæc verba,] Pergens Romam, [explicans Rigaltius, hanc notam efformauit: Quo solebant contumaces, vt procul ab his, quibus erant noti, faciliùs fallerent.] Respondeo istius solutionis certitudinem abundè patere ex dictis. Porrò Antonius, si Romam confugerit, & Romanæ Sedis opem implorauerit, quomodò non appellauit? Etenim implorauit opem contra Africanæ Synodi de se iudicium, ipsumque postulauit retractari, & rescindi: Quod quid est aliud, quàm appellare. Deo laus, quod Anonymus propria, & consueta dumtaxat verba neget, rem verò, atque substantiam profiteatur. Laudamus admirandam potentiam veritatis. An Iudiciales appellationis apices Antonius adhibuerit, parùm refert. Certè ipsos in suis Appellationibus nunquam exquisiuit Ecclesia. Et addo istos apices omninò fuisse obseruatos ab Antonio. Lucet ex his S. Augustini verbis: [In illis autem multiplicibus Gestis, quibus de illo nostrum iudicium continetur, &c.] Affirmat ista gesta fuisse transmissa Romam, ideòque Ecclesiasticos apices huic appellationi non defuisse. Eadem est ratio

ratio Basilidis. Quod Romam appellauerit, est ipsa meridiana luce clarius. Petrus de Marca cœpit primus lucidam diem commentis obnubilare. Porrò Nicolaus Rigaltius scribit verum. Etenim omnes nouimus Apostolicam Sedem vafrorum hominum obreptionibus fuisse semper obnoxiam. Attamen idem Scriptor Romanas appellationes, aliasque Romanæ Cathedræ dignitates nequaquam abnuit. Lucet ex illis, quæ in suo commentario scribit ad sexagesimam septimam S. Cypriani epistolam, tractantem de causa Martiani Episcopi Arelatensis.

Antonij Fussalensis causam Scriptor Anonymus largè exponit, & concludit: [Præter hanc Augustini epistolam nihil nobis huiusmodi litis narrationem amplificat, in illa nulla mentio fit Iudicialis appellationis, aut iudicij à Romano Pontifice in hac causa pronunciati. Sed è contrà valdè credibile est Papam hoc negotium in eo reliquisse statu, in quo ab Afris iudicatum fuerat, precesque, ac sollicitationes Antonij, hominis perfidiosi, adspernatum fuisse.] Respondeo ab Anonymo nobis subministrari fundamenta, ex quibus non temerariè suspicemur istam sancti Augustini epistolam ab ipso nunquam fuisse perlectam. Etenim ex adductis iam verbis manifestum est, quod Antonius seruauerit iudicialem formam ecclesiasticæ appellationis. Item manifestum est, quod Bonifacius Pontifex appellationem admiserit, causam retractauerit, ac reformauerit Africanæ synodi iudicium. Sancti Augustini verba sunt lucida: [Antonius iudicia, & publicas potestates, & militares impetus comminatur, tanquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam.] Et adiungit quædam sententiæ verba: [Si ordinem rerum nobis fideliter indicauit.] Verùm aduersùs huius sententiæ executionem Cœlestino Pontifici non solus Augustinus supplicauit, sed etiam Numidiæ Primas, & plures haud dubiè episcopi. [Venerabilis Senex.] inquit Augustinus, [ad tuam Sanctimoniam vniuersa retulit.] Et adiungit: [Et iube tibi quæ directa sunt omnia recitari. Vide episcopatum qualiter gesserit, quemadmodum iudicio nostro vsque adeò consenserit communione priuatus, nisi priùs Fussalensibus omnia redderentur,] Et infra: [In illis multiplicibus Gestis, quibus nostrum de illo iudicium continetur magis deberem vereri, ne tibi minùs seuerè, quàm oporteret, iudicasse videamur, nisi scirem vos tam propensos ad misericordiam, vt non solùm nobis, quia illi pepercimus, verùm etiam ipsi existimetis parcendum.] Rationes sunt lucidæ, nec egent commentarijs. Existimo Cœlestinum ipsis fuisse permotum, censuisse Bonifacij iudicium fuisse Antonij obreptionibus extortum cessasse à promouenda executione, atque ita reliquisse negotium in eo statu, in quo fuerat positum ab Africano Iudicio. Et hæc forsitan est ratio, ex qua Antonius se adiunxerit Aurelio, atque ita episcopale Romanæ appellationis ius, quod antea verbo, & opere constanter defenderat, ac inuocaret, cœperit contumaciter impugnare. Etenim omninò videtur adhæsisse Aurelio.

Scriptor Anonymus pergit: [Iam ergò sincerè discutiamus argumenta, quibus appellatio hæc Antonij ad Sedem Apostolicam comprobari possit. Dicunt sanctum Augustinum Pontifici prodere tria exempla episcoporum Prouinciæ Cæsariænsis, scilicèt Prisci, Victoris, & Laurentij, qui ab Apostolica Sede iudicati fuerant, & aduersùs quos iudicia in synodis Prouincialibus lata, ab eadem Sede fuerant confirmata, ne hunc episcopum in suam Sedem restituat, & iudicia ab Africanis in eum lata vim habeant, seu firma, atque inconcussa stare possent.] Adducit sancti Augustini verba, & prosequitur: [Respondeo ex his non consequi Antonium Fussalensem Iuridicialis appellationis libello prouocasse ad Pontificem Romanum, sed solùm auxilium eius implorasse, ne iudicium contra se latum exequeretur. At si quis instet de his verbis,] Ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliorum iudicata firmante, [dico tres episcopos, Priscum, Victorem, & Laurentium, quorum exemplum sanctus Augustinus prodidit, ad Pontificem confugisse, & ad eum prouocasse medio tempore, quod fluit inter Concilium Carthaginense anni quadringentesimi decimi noni, & Pontificatum Cœlestini sub quo Africani ex literis Attici Constantinopolitani, & Cyrilli Alexandrini, inuenta esse exemplaria Græca Concilij Nicæni, Commonitorio Legatorum minimè congrua, intellexerunt. Quo quidem exiguo tempore Africani se disciplinam appellationum ad mentem Concilij Sardicensis paulisper seruaturos polliciti, & pacti erant. At verò ita se rem habuisse, luce meridiana clarius est. Quippe cum nemini homini dubium subolere, potest, quia sanctus Augustinus hæc, quæ profert, exempla à suis temporibus non remotissima, sed recentia existimat: [Quæ vt à nostris tēporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. [At ex his episcopis negotium Laurentij potissimè necesse est in hoc tempus reijcere. Quoniam constat eum subscripsisse Concilio Carthaginensi anni quadringentesimi decimi noni, & de appellationibus in eo exagitatis suffragium tulisse, ideòque tunc temporis appellasse, non prorsus incredibile videtur. At verò dubitandi locus non relinquitur, qui ante primum annum Pontificatus Cœlestini appellauerint, proindeque negotium in primæ cognitionis sententia iudicatum fuerit, quippe cum eius exemplum adducat sanctus Augustinus hac epistola congratulatoria, quam primo Pontificatus anno ad Cœlestinum misit. Ergò manifestè consequitur appellationē Laurentij medio tempore inter annum quadringentesimum decimum nonum, & annum quadringentesimum vigesimum tertium, quo Africani hanc disciplinam paulisper admiserunt, contigisse. Igitur ex hac Augustini epistola colligere debemus Antonium Fussalensem, & tres alios episcopos, Priscum, Victorem, & Laurentium, ad Romanum Pontificem nullatenùs appellasse, sed eius tantummodò auxilium vehementer implorasse. Vel si eos appellasse tandem aliquandò fateri necesse sit, appellationem contigisse temporibus illis non suspectis, quibus [paulisper] hanc disciplinam Africani sustinere non noluerant. Quamobrem insulsum est cōcludere abrogatio-

tionem appellationum, quam Africanos sincerè, & bona fide promulgasse fatetur Dauidius, vanam, & superuacaneam fuisse in ipsamet Africana Ecclesia, seu executione caruisse.]

Errores varij. Primus est, quod dicat Antonium implorasse solùm Apostolicæ Sedis auxilium, ne iudicium contra se latum exequeretur, ideòque non appellasse. Etenim Antonius implorauit auxilium, quo Bonifacius datum de ipso ab Africana synodo iudicium retractaret, ac reformaret: Vt non quouis modo, sed mediante dicta retractatione, ac reformatione datum contra se iudicium vetaret mitti in executionem. Certè Romanus Pontifex Prouincialium synodorum iudicia alio modo non potest ab executione prohibere aut suspendere: Nisi fortè per gratiam, quæ tunc in vsu non fuit, ex plenitudine potestatis. Etiam libellus, aliјque iudiciales apices non defuerunt. Et tale implorare auxilium, quid est aliud, quàm appellare? Etenim in literis ad sanctum Papam Innocentium scripsit sanctus Ioannes Chrysostomus: [Ad synodum appellauimus, iudicium inquisiuimus.] Et subiunxit: [Ea quę perperam fiunt, non solùm deploranda, sed & corrigenda sunt. Et ideò Charitatem vestram obsecro, vt prouocetur ad condolendum, faciendaque omnia, quo mala hæc sistantur.] Paraphrasticè exponit, quid sit appellare. Ostendit non esse aliud, quàm implorare synodale Romani Pontificis auxilium patienter feramus Anonymum, dummodò rem fateatur, ludere in vocabulis, & ita suam & sui dilecti Petri de Marca calamitatem consolari.

Secundus error est, quod denuo recurrat ad istud temporale Pactum inter Romanam, & Africanam Ecclesiam, atque ita moliatur auitum Africanorum Episcoporum ius subuertere. Etenim istud Pactum solas inferioris Cleri appellationes attigit, nequaquam episcoporum. Et abundè hoc patet, vel ex solis hìc per Anonymum adductis sancti Augustini verbis: [Quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.] Augustinus palàm affirmat esse etiam antiquissima Episcopalium ad Romanam Sedem appellationũ apud Afros exempla, ideòq; ipsas isthìc semper viguisse. Quod ipsũ in superioribus est abundè demonstratum ex alijs Augustini testimonijs. Augustinus hìc laudat antiquissima, ac recentia exempla: Quis dubitet etiam fuisse medij temporis? Et vox, [Recentia,] non importat res hesternas; ideòque tres istæ appellationes videntur contigisse ante Pontificatum Bonifacij. Etenim Augustinus affirmat Africanum, quo Antonius quadam episcopalis dignitatis portione mutilabatur, iudicium non esse nouum, aut insuetum, ideòque à Bonifacio fuisse non rectè circumductum. Insuerum non esse etiam apud Romanam Ecclesiam. Quoniã ipsa circa appellantes ad se Africanos iudicasset talia aut certè Africanarum synodorum iudicata confirmasset. Si inter talium sententiarum authores, vel confirmatores Pontifices fuisset etiam Ipse Bonifacius, quomodo istam formam circa Antonium improbasset? Sanctus Augustinus tria vicina appellationum exempla adducit ex eadem Prouincia: Et supra audiuimus quartum Primosi Thiganensis episcopi. Quare dubitandum non est, quin per omnem Africam fuerint longè pluta. Hęc etiam fortiter suadent memoratum à sancto Augustino Laurentium non fuisse Icositanum Episcopum, Legatum Cæsariensis Mauritaniæ. Etenim ille per Romanam, & Africanam Ecclesiam erat priuatus honore, & facultate solemniter sedendi in suo episcopali Throno, adeòque certum est istiusmodi virum non fuisse synodalem Legatum suæ Prouinciæ.

Tertius error est, quod Anonymus episcopalium appellationum abrogationem adscribat omnibus Africanis Episcopis. Vti eius dilectus Petrus de Marca sceleratas Philippopolitani Conuenticuli literas adscribit toti ecclesiæ Orientali, ita ipse istas infelicissimas literas adscribit toti Africanæ synodo pessimè. Etenim fuerunt à solo Aurelio, & quibusdam ipsi adhærentibus episcopis. Sanctus Augustinus, & cuncti cum ipso meliores, ac doctiores episcopi sancto Apostolo Petro constantissimi adhæserunt. Porrò an Aurelius sincera, & bona fide istam abrogationem tentauerit, ignoro. Videtur ob Zozimi Pontificis in auitam suæ gentis consuetudinem tentamina fuisse lapsus in verbum Apostoli: [Ira viri iustitiam Dei non operatur.] Videtur ex ira cecidisse in tenebras, atque ita in tenebrosa decreta. An tales tenebræ non auferant bonam fidem, permitto alijs iudicandum. Quidquid sit, abrogatio mansit sine effectu, & executione. Etenim proximi successores Aurelij improbarunt audaciam, & circumduxerunt. Hinc Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus, & Cresconius Africanus Episcopus, non remoti ab Aurelij tempore in suis Collectionibus laudant Sardicenses Canones, & Romanas Episcoporum appellationes. Res suo loco exponetur.

CAPVT XXIII.

Examinatur quædam Gallicana circa hanc quæstionem epistola.

DVm hæc scribo, nescio quis in Gallia vir doctus ad alium in Alma vrbe Eruditum scripsit hac de re epistolam. Et continet quædam non spernenda. Hinc ipsam censui discutiendam, & integram apponendam: Qui epistolam ducentesimam sexagesimam primam Augustini ad Cœlestinum impugnant, & eidem contendunt non rectè attribui, hoc præcipuè nituntur argumento; Quod si verè sit Augustini, ergo, & ille cum suo Primate appellationi consensit, quam ad Sedem Apostolicam Cantonius Fussalensis interposuerat. Immò & tres Prouinciæ Cæsariensis Episcopos eamdem Sedem appellasse fatendum erit. Nec etiam antiquiora defuisse eiusmodi prouocationum exempla. Hoc aduersarij cum Africana disciplina omninò pugnare clamant, proindeque cùm Augustino: Cum Africanæ Ecclesiæ Dux Aurelius fuerit, Augustinus ingenium. Nouimus, &

nos,

nos, quantum ab his Transmarinis Iudicijs Africani Patres abhorruerint jam inde à Cypriano. Id Augustini, Aurelijque tempore potissimum enituit. Vix dum etiam huic ecclesiæ pax ab Hilderico reddita fuerat, cum in Concilio generali Carthagine habito legenda, subscribendaque oblata sunt aliquot decreta, Aurelio Præside olim sancita, inter quæ tria sunt, quæ Transmarinas appellationes omnimodis vetant. Et hoc authore Bonifacio Carthaginensi.]

Respondeo Africanam Ecclesiam Romanis non episcoporum, sed solius inferioris Cleri appellationibus olim fuisse aduersatam ideòque hæc omnia Commenta esse inania, & ad rem non facere. Quod ista ecclesia etiam episcoporum appellationes detractauerit, primus sub sole effutijt Ioannes Caluinus,& post ipsum Marcus Antonius de Dominis. Vterque sine fundamento. Et hæc à Romanæ Ecclesiæ Æmulis inuasa S. Augustini epistola est adeò lucidè legitimum eius verbum, vt sola sufficiat omnem toti Mundo eximere scrupulum de istis appellationibus. Est irrefragabile pro ipsis testimonium. Hine nemo miretur ipsam arietari ab isto hominum genere. Ita Marcion sacras literas, quas detorquere non poterat, clamauit spurias, & proscripsit. Et ab auito ecclesiæ suæ sensu, ac more nequaquam recessit Primas Bonifacius. Etenim resuscitati ab ipso,ac innouati Aurelianarum de hac re synodorum Canones sunt hi tres: [Qui in Africa non communicat, si ausus fuerit in Transmarinis, damnetur. Ad Transmarina, qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Vt nullus ad Transmarina audeat appellare.] Sunt Canonum compendia, ideòque, & ipsorum, & Bonifacij Primatis, ac ipsi adsidentis synodi sensus est ex integro originalium Canonū contextu discendus. At verò illi omnes palàm sanciunt aduersùm solas appellationes Clericorum, ac Laicorum.

Primi Canonis contextus in Africano Codice est hic: [Quicumque non communicans in Africa, si in Transmarinis ad communionem obrepserit, iacturam Clericatus accipiat.] Non episcopatus iacturam, sed Clericatus. Quia nempe sancitur in solos Clericos. Est Carthaginensis, octauo decimo istius sæculi anno ad Zozimi Pontificis gratissimam contra Pelagianos Tractoriam publicandam celebrati, Concilij Canon decimus nonus, & integer sic habet: [Placuit vt quicumque non communicat in propria Prouincia, & in alijs Prouincijs, vel Transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis, vel Clericatus accipiat.] Laicus communionis, Clericus iacturam Clericatus. Palàm agit non de episcopis, sed de solis Laicis, & Clericis. Feruebat,& bulliebat tunc appellantis Apiarij quæstio. Hinc synodus, ne directè in Pontificem, ac Romanam Ecclesiam videretur statuere, sic librauit Canonem, vt & Laicorum appellationes comprehenderet. Eadem de causa addidit: [In alijs Prouincijs.] Africani Codicis Compilator, quoniam reuelata facie pugnabat pro Africanis moribus, expunxit istas moderationes, & Canonem contraxit ad solos Alericos. Propter Apiarium. Attamen non præsumpsit ad episcopos extendere. Eadem omnia egit author alterius collectionis, quæ vulgò inscribitur Africanum oncilium.

Tertius Canon in Africano Codice est hic: [Item placuit, vt Presbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de iudicijs episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis episcopi. Quod si, & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad Transmarina iudicia, sed ad Primates suarum Prouinciarum: Sicut, & de episcopis sæpè constitutum est. Ad Transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem suscipiatur. Hæc verba,] Sicut, & de episcopis sæpè constitutum est,] exponunt sola proximè priora: [Sed ad Primates Prouinciarum suarum. [Secundus Canon est idem ipse, hoc solummodò habens discriminis: [Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, & ad Primates Prouinciarum suarum.] Et prætermittit præfatam appendicem: [Sicut de episcopis sæpè constitutum est. Proinde Bonifacius solos legitimos, non præuaricatorios Aurelij Canones reduxit ac innouauit. Quod Aurelij Successor Capreolus ab eius præuaricatione statim recesserit, infra demonstrabitur. Ipsius vestigia secutus est Bonifacius.

Pergit Gallicana epistola: [Sed quiquid sit de appellationum quæstione, hoc certum, nihil inde contra epistolam, quam tuemur, posse confici. Horruere Africani Transmarina Iudicia.Tamen ea se in episcoporum causis toleraturos, anno quadringentesimo decimo nono professi sunt, dum ab Orientalibus Ecclesijs Nicæni Canones haberentur,] in quibus, [inquiunt,] si ea, quæ Faustinus attulit reperta fuerint, à nobis firmabuntur. Nempe in perpetuum obseruanda.] Aut si non inueniantur, collecta synodo de hoc in sequenti tractabimus. [Hæc totius Concilij vox in extrema conclusione, & in epistola ad Bonifacium. Hæc nominatim Alipij, ipsiusque Augustini.]

Respondeo etiam hæc omnia præsertim agere de Clericorum appellationibus. Respondent enim huic intercessioni Nouati Sitifensis episcopi: [Nunc meminimus hæc Commonitorio etiam de Presbyteris,velDiaconis contineri, qualiter audiri ab episcopis suis, vel à finitimis debeant, quod in Nicæno Concilio minimè legimus. Vnde nobis hoc ipsum iubeat Sanctitas vestra recitari. Et Daniel Notarius recitauit Sardicensem Canonem. Et post recitatum S. Augustinus reposuit: [Et hoc nos seruaturos profitemur, salua diligentiori inquisitione Nicæni Concilij. Et post varia Primas Aurelius de omnibus per Zozimi Legatos adductis Capitulis conclusit: [Ea omnia, aut ibidem,] in Nicænis Canonibus, [reperta à nobis firmabuntur, aut si non inueniantur, collecta synodo de hoc in sequenti tractabimus. Palmaris quæstio erat de appellationibus inferioris Cleri. Ob motas turbas per Apiarium. De episcoporum appellationibus, vtporè apud

apud Afros semper vsitatissimis, nulla erat hæsitatio, nisi de deinceps seruanda forma præscripta per Canones Sardicenses, quam vsque tunc Africana Ecclesia, aut ignorarat, aut certè non vsitauerat.

Prosequitur Gallicana epistola: [Nunc id videndum restat, an Africani consensum, quem appellationibus episcoporum dederant, reuocauerint, quonè id tempore. Nam si eo intermedio, quo appellationes tolerauerunt, epistola ducentesima sexagesima prima scribi potuit, nihil vnquam ex toleratis, vel ab Augustino, vel à Cœsariensibus Mauris appellationibus conficitur. Missi à Concilio Carthaginensi in Orientem Legati, eodem anno quadringentesimo decimo nono rediere cum canonibus Nicænis, in quibus nihil de his, quæ Faustinus attulerat. Hique canones continuò relati ad Bonifacium vigesimasexta Nouembris. Hic iam Africanis quid de appellationibus agendum foret, collecta synodo tractandum fuit. An statim id fecerint, fortè est incertum. Hoc certum, nihil de hac re ab vllo veterum prodi. Neq; porrò vllius in Africa Concilij ab anno quadringentesimo decimo nono memoria est vsq; ad illud, cuius ad Cælestinum epistolam habemus. Hàc epistola Africani Patres, reuerenter quidem, sed ita aperte, vt nullo fuco eorum sensus obscurari possit, nullo se modo vltramarinas prouocationes iam toleraturos esse denunciant, An id iam antea, vel ipsi Cœlestino, vel eius Decessori Bonifacio denunciauerint, omninò non dicunt. Nihil indè in Africanis monimentis reperias, vt vix vllus sit dubitandi locus, quin appellationes vsque ad epistolam synodalem Cælestino scriptam fuerint toleratæ. Qui contrarium voluerit asserere, diuinare poterit, non probare. Et tamen non dubia, sed certa illi asserenda sunt, si epistolam ducentesimam sexagesimam primam non esse Augustini velit euincere].

Respondeo de Romanis episcoporum appellationibus nihil vnquam apud Afros fuisse controuersiæ. Præsens omnis quæstio originem duxit ex attentata appellatione Apiarij, & circa ipsam tota hæsit. Nihil intrauit de episcopis, nisi forma Sardicensis. Hanc enim Apostolica Legatio voluit deinceps seruari in Africa, asserens istos canones esse Nicænos. Et quia isti canones, licèt non circa substantiam, sed circa solum modum volebant aliquid noui, suarum consuetudinum tenaces Afri constanter noluerunt admittere, nisi edocti, quod isti canones reuerà essent Nicæni. Hos enim vti Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos omnis semper est venerata Ecclesia. Et hæc quæstio durauit vsque ad memoratas Aurelij, & quorumdam Collegarum ad Cælestinum literas. Plura intermediorum Actorum instrumenta omninò latent, aut perierunt: Dum apparuerint, haud dubiè nos plura docebunt. Interim Aurelius, dum transmissos à Zozimo canones certò vidit non esse Nicænos, horum quintum cœpit rimari diligentiùs, & perscrutari. At conturbato per iram mentis oculo. Hinc non solùm laicos, & clericos, sed ipsos etiam episcopos credidit commissos suis Metropolitanis, ac ipsorum synodis, ideoque & istos non posse Romam prouocare. Audienda sunt epistolæ verba: [Presbyterorum quoque, & sequentium clericorum improba refugia repellat Sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ. Et decreta Nicæna, siue inferioris gradus clericos, siue ipsos episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt]. Affirmant varia. Primò, quod Romana presbyterorum, ac aliorum clericorum appellatio aduersetur avitæ Afrorum consuetudini. Secundò, quod istam consuetudinem nullam Patrum definitio proscripserit, aut circũscripserit. Tertiò, quod istæ proindè appellationes sint improba refugia, ideòque ab Apostolica Sede penitùs repellenda. Quartò, quod quintus Nicænus Canon etiam damnatos episcopos committat suis synodis, ideòq; & ipsos vetet Romam prouocare. Et addunt: [Apertissimè]. Aurelius palàm profitetur canonem hucvsque à se non fuisse plenè intellectum, se iam peruenisse ad lumen, ideòque etiam episcoporum appellationes deinceps à se non tolerandas. Affirmat canonem esse apertissimum. Palàm profitetur esse, ac semper fuisse discrimen inter clericos, ac episcopos; Hos semper, istos numquàm appellasse Romam, deinceps nullos esse appellaturos. Clericos propter auitam, & à nulla synodo abolitam consuetudinem, episcopos propter nouiter animaduersum, & apertissimum Nicænum Canonem. Hic est lucidus epistolæ sensus. An vti apertè, ità & reuerenter sit scripta, permitto Lectori iudicandum. Eius namque irreuerentia est apertissima. Nec est totius Africanæ Ecclesiæ, aut synodi, sed paucorum cum Primate Aurelio episcoporum, inter quos certum est, nec Sanctum Augustinum fuisse, nec sanctum Alipium, nec sanctum Possidium, nec vllum Augustini Discipulum, aut Fidelem. Est imperita, ac præuaricatoria. Quid enim imperitius, quàm credere, & scribere, quod quintus Nicænus canon sanciat pro damnatis, & appellantibus episcopis? Et sibi ipsi non cohæret. Etenim damnatos à suæ Prouinciæ synodo, episcopos profitetur posse prouocare ad synodum Diœcesios. Quidni igitur, & ad Romanum Pontificem? Etenim canon palàm agit de Prouinciæ synodo, ideòque, vel vtramque pronocationem interdicit, vel neutram. Quod Aurelij Successor Capreolus statim ab hac præuaricatione recesserit, infrà est demonstrandum.

Pergit Gallicana epistola: [Porrò hæc epistola præcesseritne, an secuta fuerit eam, quæ ex synodo Africana ad Cœlestinum est scripta, non est ambigendi locus. Causa Fussalensis iam sub Bonifacio incepta, immò finita fuerat, vnumque id restabat, vt Bonifacij sententia executioni mandaretur, vt hinc ad Cælestinum initio statim sui Pontificatus scribendum fuerit: Et sanè id fecit Augustinus, quippè qui Cœlestino pacificum ingressum gratuletur. Nihil simile in illa Concilij epistola, neque vllum verbum de promotione Cœlestini, vt illam scriptam appareat anno quadringentesimo vigesimo tertio, ante eas turbas, quæ post Honorij mortem Italiam ab Africa diuiserunt; hanc anno ferè quadringentesimo vigesimo sexto, eisdem turbis iam sedatis].

An S. Augustini contra Antonium Fussalensem ad S. Papam Cælestinum epistola prævaricatoriam epistolam præcesserit, an secuta fuerit, esse omninò possit ambigendi locus. Adductam tamen, quæ præcessisse suadet, rationem fateor non esse friuolam. Accedit, & alia. Etenim prævaricatoria epistola habet hanc inscriptionem: [Domino Dilectissimo,& Honorabili Fratri Cælestino Aurelius, Palatinus, Antonius], &c. Hic est omninò Fussalensis Antonius, qui huic epistolæ, si Augustini epistolam præcessisset, nunquàm fuerat subscripturus. Qua enim fronte per Romanam Sedem reparatus, non solummodò Reparatricis authoritatem, sed & ipsam sui reparationem arietasset? At verò post scriptam Augustini epistolam, & ab ipsa impetratam factæ per Bonifacium Pontificem reparationis circumductionem, aut certè suspensionem, ita occupauit hominem; atque ita fecit facilem ad se de Cælestino vindicandum. Igitur possit S. Augustini epistola esse prior.

Addo tamen non fuisse scriptam anno istius sæculi vigesimo tertio, primo Cælestini Pontificis. Lucet ex his epistolæ verbis: [Cætera à me quidopus est recoli,cum memoratus Venerabilis Senex], vtique Valentinus Vaianensis episcopus, Numidiæ Primas, [ad tuam Sanctitatem vniuersa retulerit]? Et ex his: [Neque Fussalensibus succenseo, quia iustam de me querimoniam ingerunt auribus tuis]. Item ex his: [Sanctum Senem, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat]. Proindè Augustinus non statim ad nouum Papam Cælestinum hæc scripsit, sed prius retulit ipse Primas Valentinus, ac exindè Fussalæ populus adiunxit suas contra Augustinum querimonias, Nec ille tunc statim se mouit, sed interim Primas ad meliorem vitam transijt, & tunc tandem sanctus Augustinus scripsit, suum in Antonio opus studens apud Papam expurgare. Quæ omnia videntur non potuisse contingere intra vnum, ac eumdem annum. Nec refert, quod Augustinus Cœlestino adgratuletur Pontificatum. Hoc enim fecit non propter huius tunc decurrens initium, sed quod hæc esset eius prima ad Pontificem epistola: Notanda sunt eius verba: [Iudicia quippè illis, & publicas Potestates, & militares impetus, tamquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam, siue ipse, siue rumores creberrimi comminantur]. Fortissimè suadent Africam tunc non fuisse diuisam ab Italia. Diuisionis enim turbidum tempus non permisisset istiusmodi executionem. Epistola igitur videtur scripta post pacatam Rempublicam. An antè, an post præuaricatricem epistolam, ignoro. Est res parui ponderis. Adducta à me coniectura suadet fuisse priorem.

Rursum Gallicana epistola; [Quod de Antonio Fusalensi certum est, id facilè de Prisco, Victore, Laurentio potest æstimari, hos nempè post annum quadringentesimum decimum octauum Romam prouocasse. Immò id de Laurentio certum est, si is est Icositanus ille, qui Concilio anni quadringentesimi noni Cœsariensis Prouinciæ Legatus adfuit. Neque enim nisi integro, atque inculpato Legatio committeretur]. Respondeo hæc deuiare.

Quod Antonius Fussalensis post decimum octauum istius sæculi annum appellauerit, est verum. Appellauit namque d Pontificem Bonifacium, qui istius anni mense Decembris fuit euectus in sedem S.Petri Apostoli. At quod per istum famosum Interim appellauerit, nullo possit fulciri fundamento. Nec facit ad rem. Etenim mota circa appellationes quæstio episcopos non attingebat, sed solos clericos. Longè minùs ostendi istud possit de Prisco, Victore, aut Laurentio, Cœsariensis Mauritaniæ episcopis. Immò clarum est ipsorum appellationes fuisse Bonifacij Pontificatu anteriores. Etenim ipsos S. Augustinus adducit,non in Romanæ appellationis, sed in exempla synodalis Iudicij, quod in Antonium tùlerat Numidiæ synodus, & à quo, tamquam contra,aut præter canones incongruo, ac exotico, Antonius prouocauerat. Memorata synodus Antonium non degradarat, sed ei dumtaxàt episcopalem [potestatem minuerat, ne scilicet eis præesset vlteriùs, cum quibus sic egerat]. Hanc Iudicij formam ille dixit aduersari canonibus. Haud dubiè ex fundamento postmodùm resumpto per vigesimum nonum Chalcedonensem canonem: [Episcopum in presbyteri gradum deducere est sacrilegium. [Si qua autem iusta causa illos ab episcopali actione remouet, nec presbyteri debent locum obtinere. Sin autem absque vllo crimine sint dignitate moti ad episcopalem Dignitatem redibunt]. Eadem ratione Antonius clamabat se, aut ex integro degradandum, aut ex integro relinquendum episcopum. Et ratio etiam mouerat Pontificem Bonifacium. Et S. Augustinus etiam Cælestinum timuit mouendum. Hinc ei scripsit istam Iudicij formam non esse nouam, sed ipsius existere, & recentia, & antiqua exempla apud Africanam Ecclesiam, immò, & apud Romanam, quæ talia Afrorum Iudicia non solummodò confirmauerat, sed ipsa etiam iudicarat. Et ex sola Cœsariensis Mauritaniæ Prouincia adducit tria recentia exempla. Adducit ad purgandum,& firmandum suæ Prouinciæ de Antonio Iudicium. Hinc adduxit alienę Prouinciæ exempla: Quo scilicet demonstraret non in sola Numidia, sed in omni Africana Diœcesi istam formam semper viguisse. Proindè clarum est,quod ista exempla non solam Antonij appellationem præcesserint, sed etiam datum de ipso Africanum Iudicium.

Quæ omnia quàm maximè locum habent in isto, nescio quo Laurentio. Certum est ipsum non esse Icositanum episcopum,qui decimo nono istius sæculi anno fuit ad Carthaginensem Synodum Legatus Cœsariensis Mauritaniæ, Lucet ex ipsis, quam hìc discutimus, epistolæ verbis: [Neque enim nisi integro, atque inculpato Legatio committeretur]. At verò memoratus ab Augustino Laurentius fuit percussus synodali mutilatione, ac vulnere, ex quibus iuxtà Antonij regulam clamare poterat: [Aut in Cathedra, cui ordinatus sum, sedere debui, aut episcopus esse non debui]. Hæc pœna illum fecit non esse integrum episcopum. Et fuit ipsi perpetua. Quapropter illi Legatio committi non potuit, ideoque est omninò alius à Laurentio Icositano. Hæc omnia igitur exempla sunt pa-

palàm anteriora etiam Africano in Antonium Iudicio. Adducuntur vt demonstrent istud non fuisse heteroclyton, sed omninò processisse iuxtà mores, ac regulas non Africanæ dumtaxàt Ecclesiæ, sed etiam Romanæ.

Audiamus prosequentem epistolam: [Instabunt fortè aduersarij, ponere Augustinum, fuisse, & alia remotissima prouocationum exempla. Quæ cum nulla sint, inquiunt, falsò hæc epistola Augustino tribuitur. Mouit & aliquos ingeniosos hæc obiectio. Quamquàm cum Augustinus se remotiora dicit exempla non requirere, quis ex hac locutione eum, tunc aliqua eiusmodi exempla vidisse rectè concludat? Immò sibi requirenda fuisse testatur, si proferre velit, vt facilè videas nulla, tunc ei occurrisse. Quis porrò eum tunc de Africa tantùm cogitasse probet, ac non etiam de Suburbicarijs Prouincijs, quæ Romanæ Sedi vt Metropoli subiacebant, aut de Illyricianis, quas iam indè à Damaso ad suam peculiarem curam trahere nitebantur. Verùm neque illud fortasse satis certum, nullas olim in Africa ad Romanos Pontifices appellationes fuisse. Vetabat id Africana disciplina. Certè. Sed qui tam sancti Canones, quos non aliquandò malorum audacia perrumpat? Fecit hoc, nec semel, miserabilis presbyter, cum id nunquam presbyteris licere voluerint Africani, etiam cum episcopis licuit. Cur non fecerint & episcopi, etiam cum non licebat? Neque enim his appellationibus, si quæ fuerunt, Africanam Ecclesiam consensisse, ex vllis Augustini verbis elicias.]

Respondeo hìc commisceri errores. Primus est, quod sanctus Augustinus ista tria Cæsariensis Mauritaniæ exempla adducat ad firmandas Romanas Afrorum appellationes. Romanas Episcoporum appellationes, in hac epistola omninò profitetur & firmat, attamen in istum finem non adducit exempla. Adducit ad purgandum, & firmandum suæ Prouinciæ de Antonio iudicium. Adiungit Priscum, Victorem, ac Laurentium appellasse Romam: Non tamen vt Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, sed vt stabiliat iudicium suæ Prouinciæ. Affirmat simile Africanum de istis tribus iudicium fuisse Romæ discussum, probatum, & confirmatum.

Secundus error est, quod sanctus Augustinus nulla similium iudiciorum, ac appellationum nouerit antiqua exempla. Eius quippè verba lucidè, & altè clamant ipsum omninò nouisse: [Quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.] Verbum, "Requiram," non importat ignorantiam, aut memoriæ lapsum, sed præteritionem, ac neglectum, hoc sensu: [Nolim antiqua adducere.] Adducta exempla non sunt qualiscumque appellationis, sed sunt exempla appellationis à tali iudicio, quale fuerat latum in Fussalensem Antonium. Et erant talia plura: Vetusta ac recentia. Quare constat qualiumcumque appellationum exempla fuisse plurima.

Tertiùs error est, quod sanctus Augustinus, antiqua, & recentia similium appellationum exempla laudans, non ad solam Africam respexerit, sed etiam ad Suburbicarias Prouincias, quæ Romanæ Sedi subiacebant vt Metropoli. Nempè Scriptor iste censet Romanas appellationes olim licuisse solis Suburbicarijs Prouincijs. Præuaricatur manifestam veritatem, ac semetipsum euertit. Veritatem adeò præuaricatur, vt Eusebianæ Factionis, scelerati Photij, ac turbulenti Michaelis Cerularij transcendat errorem. Hi enim non solis Suburbicarijs, sed cunctis Occidentalis Imperij Prouincijs permittebant Romanum Refugium. Porrò Scriptor iste euertit semetipsum, quia non de clericorum, sed hìc agimus de solis episcoporum appellationibus, quas iste in prouincijs illis & profitetur, & palàm euertit. Etenim Suburbicariarum prouinciarum episcopi, quoniam tunc Romanę Sedi subiacebant vt Metropoli, nullum Metropolitam, nullam habebant prouincialem synodum, nisi in Vrbe Romana. Proindè à nullo in prima instantia, nisi à Pontifice, ac eius Synodo, damnari poterant, ideòque ad ipsum non poterant prouocare. Soli clerici poterant damnari à suis episcopis, ideòque & refugere ad Romanam Sedem.

Error quartus est, quod sanctus Augustinus forsitan cogitarit, etiam de Illyricianis Prouincijs, quàs Romani Pontifices iam indè à Damaso ad suam peculiarem curam nitebantur trahere. Omnes Orthodoxi auersamur Imperatorem Leonem Isaurum, non solummodò ob sacrarum Imaginum blasphemam proscriptionem, sed etiam propter cunctas Illyricianæ Diœcesis Prouincias violenter ereptas Romano Patriarchatui, & transcriptas in Constantinopolitanum. Omnes clamamus ipsum fuisse euersorem Apostolici Canonis. At eccè hic Scriptor ipsum expurgat. Affirmat istas Prouincias non ex apostolico canone, sed ex Damasi Pontificis nisu, ac tractu spectare ad Romanum Patriarchatum, ideòque Apostolicos canones, per Leonem non fuisse læsos, sed potiùs, saltem quoad istarum Prouinciarum subtractionem, restitutos. Proindè sanctus Damasus istas prouincias, nequaquàm ad suam Sedem trahere, sed cœpit in ipsis instituere Apostolicum Vicarium. Istarum Prouinciarum episcopi, cœperant Constantinopolitanas frequentare synodos, & ipsas potiùs, quàm Romam respicere. Quare Damasus non sine fundamento, timuit ipsarum à sua Sede diuortium. Hinc ad istud præcauendum illic posuit Apostolicum Vicarium. Has vices dedit Thessalonicensi episcopo. Hic enim præsertim à Græcis inuitabatur, ac pelliciebatur ad istas synodos. Ipsum Damasus censuit, hoc beneficio obligandum suæ Sedi.

Quintus error est, quod Africani episcopi Romam appellauerint, sed præuaricatoriè contra disciplinam, & consuetudinem suæ Gentis. Quod præuaricatoriè attentauerint, non minùs quàm presbyter Apiarius. Romanæ Afrorum Antistitum appellationes sunt adeò notæ omnibus, vt ipse etiam hic Scriptor erubescat inficiari. Nihilominùs, vt in sui sensus prauitate persistat, adiungit fuisse præuaricatorias. Audi fundamentum: [Neque enim his appellationibus, si quæ fuerunt, Africanam Ecclesiam consensisse, ex vllis Augustini verbis elicias.] Respondeo consensum istum ex Augustini verbis non

solummodò per coniecturas, aut consequentias elici, sed ab ipsis lucidissimè asseri. Etiam à verbis sancti Cypriani, & aliorum testium irrefragabilium. Verba adduxi superiùs. Vnica, quoniam insolita, Apiarij presbyteri Romana appellatio, fecit horrisonos motus per totam Africam; at verò contra appellantes episcopos, quos omninò fuisse meritò fatetur hic scriptor, nullus vnquam fuit obex, nulla contradictio, nulla intercessio. Nempè Africani mores hæc refugia probabant, & permittebant.

Redeamus ad Gallicanam epistolam: [Nihil ergò, quantum arbitror, ex appellationum disciplina concludent vnquàm contra epistolam, quam tuemur. Quidquid porrò aliunde proferunt, audeo dicere, leue est, nihil est vnum si excipias, quod prima fronte validũ, mox diligentiùs intuentibus euanidum, & inutile suæ causæ, immò, nostræ proficuum apparebit. Afferunt enim alteram Augustini ad QuodvultDeum epistolam, vbi Fussalensem presbyterum commendans inquit:] Non possumus necessitates hominum eiusmodi deserere, qui in charitate Christi ad curam petinent nostram. [Ergò inquiunt, si extremis Augustini diebus, anno ferè quadringentesimo vigesimonono, tunc enim hæc epistola scripta est, adhuc ad eius curam Fussalenses pertinebant, nondùm proprium episcopum habere cœperant: Ergò ducentesima sexagesima prima epistola, quæ iam ante Cœlestini initia Fussalensem episcopum ponit, falsa omninò est & exspuenda.]

[Huic difficultati nos aliam opponimus. Si anno quadringentesimo vigesimo nono nondùm Fussala habuit episcopum, habebat autem certè, anno quadringentesimo octuagesimo quarto, quando, quæso te, habere cœpit? An inter Wandalorum bella, & sæuitias, cum Catholicis vix antiquos episcopatus obtinere liceret, hic nouus institutus est? Vix erit cui id probes. Vndè ergò hæ tenebræ lucem accipient? Ex ipsa nempè ducentesima sexagesima prima epistola. Ibi enim sic in Antonium Fussalensem iudicatum habemus,] vt potestate minuta Fussalensibus non præesset, honorem tamen integrum, saluumque episcopatum seruaret, sederet etiam in sua Cathedra, locaque illa eidem dimissa atque permissa sunt, in quibus & priùs episcopus erat, ne in aliena Cathedra contra statuta Patrum translatus illicitè diceretur. Hæc Augustini verba. [Ex quibus id facilè eruas Antonium Fussalæ, vt episcopum remansisse, omni tamen iurisdictione ablata. Quis ergò hanc Ecclesiam gubernabat? Non enim potuit alius ibi episcopus ordinari, ne duo in vna Cathedra sederent. Neque id temporis disciplina patiebatur, vt sub Presbyterorum regimine, quot annis vixisset Antonius, remaneret. Nihil ergò promptius, nihil plausibilius, quàm vt ad antiqui episcopi curam rediret, præsertim cum is esset omnibus amatus Augustinus. Hoc ergò, quod fieri debuisse ex antiqua disciplina conijciebamus, re ipsa factum fuisse hic Augustini locus ad QuodvultDeum non docuit. Neque id tantùm, sed & quoad epistolam ducentesimam sexagesimam primam maximè pertinet, non obtinuisse Antonium, vt suæ Sedi gubernandæ restitueretur. Potuit id efficere ratio temporum, quæ omninò ab anno quadringentesimo vigesimo tertio, si quadringentesimum vigesimum sextum excipias, bellis fuernnt internis, externisque turbata, vt Cœlestinus huic negotio instare nequiuerit. Potuit hoc Africanorum contra Transmarinas appellationes obstinata mens. Sed meliùs id Augustini rationibus, precibusque tribuitur, quibus euictus Pontifex ab Antonio defendendo abstinuerit. Neque id mirum, eum tam sancta, tam pia, tam humili, tam forti, tam Augustino digna epistola motum fuisse, maluisseque Augustinum seruare episcopatui, quàm Antonium. Certè nullam offensionem in eius animo contra Augustinum resedisse constat, cum eum, tam magnificè in Semipelagianorum causa deprędicet.]

Respondeo de hoc Scriptore posse dici: [Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.] Licèt Romanas appellationes oderit, propter ipsas tamen à nescio quibus turbidis ingenijs inuasam sancti Augustini epistolam, videt esse per omnia legitimam & authenticam, ideòque erubescit proscribere. Etiam rectè ostendit Fussalensem episcopatum fuisse erectum à S. Augustino. Porrò locus in Augustiniana ad Quod vultDeum, Carthaginensis Ecclesię tunc Diaconum, epistola locus sic habet: [Cum mihi hæc scribendi offerretur occasio per Fussalensem Presbyterum, quem commendo,] &c. Et infra:] Commendo iterum Perlatorem, & negotium propter quod eò perrexit. Non enim possumus necessitates hominum eiusmodi deserere, qui nostri non Coloni, sed quod maius est fratres sunt, & in charitate Christi ad curam pertinent nostram. [Quæstio est, Quomodò S. Augustinus Fussalensis Ecclesiæ, si proprium tunc habebat episcopum, Presbyterum scribat ad suam curam spectare? Præsens Scriptor conglomerat varia S. Augustini de Antonio, ac de dato in ipsum Iudicio verba, & ex ipsis concludit: [Hæc Augustini verba. Ex quibus id facilè eruas Antonium Fussalæ, vt episcopum remansisse, omni tamen iurisdictione ablata. Quis ergò hanc Ecclesiam gubernabat? Nihil promptius, quàm vt ad antiqui episcopi curam rediret.] Errat. In duobus. Primò in ipsis verbis. Ea alterat, addit, transmutat. Nescio quo priuilegio. Sanctus Augustinus sic habet: [Sententias nostras sic temperauimus, vt saluo episcopatu non tamen omninò impunita relinquerentur, quæ non deberent. Honorem itaque integrum seruauimus iuueni corrigendo, sed corripiendo minuimus potestatem: Ne scilicèt eis præesset vlteriùs, cum quibus sic egerat.] Et infra: [Propter hoc loca illa eidem dimissa, atque permissa sunt, in quibus & priùs episcopus erat, ne in aliena Cathedra contra Statuta Patrum, translatus illicitè diceretur.] Antonius igitur non fuit priuatus omni iurisdictione, sed aliqua eius portione dumtaxat truncatus. Permansit verus episcopus, non vanum ac inane simulacrum episcopalis nominis. Nam postmodò subscripsit synodalibus ad S. Celestinum Pontificem

cem actis & literis, & in istius Synodi consessu habuit suæ ordinationis locum. Quæ omnia non potuisset omni episcopali iurisdictione exutus. Et dumtaxat fuit diminuta. Nec quoad formam, & substantiam, sed solummodò quoad materiam, & loca. Omninò perseuerauit præesse Fussalẽsibus, Quomodò aliàs fuisset Fussalensis episcopus? Rem exponunt laudata Augustini verba: [Honorem integrũ seruauimus, sed minuimus potestatem, ne scilicet eis præesset vlteriùs, cum quibus sic egerat.] Non omnis Diœcesis potestati eius fuit subtracta, sed ista tantummodò loca, in quæ Tyrannum egerat. Loca reliqua sunt illi dimissa, atque permissa, & isto modo mansit in sua Cathedra, & non fuit translatus. Priora loca possint redijsse ad curam sancti Augustini, ac apud ipsum, & eius successorem Eradium, quoad Antonius vixit, permansisse. Etenim Cœlestinus, licèt Bonifacij pro Antonio Iudicium non circumduxerit, tamen propter sancti Augustini rationes, & preces non misit in executionem, atque ita synodalis Numidarum Antistitum in istum sententia perstitit inconcussa in suo robore. Et memoratus presbyter possit fuisse ex subtractis Antonio locis.

Aliud fundamentum, ex quo iste presbyter, cuiuscumque loci fuerit, adhuc spectaret ad sancti Augustini curam, & potestatem, nobis suggerunt Eunomiùs Nicomediensis, & Anastasius Nicænus Episcopus, in Chalcedonẽsi Synodo disceptantes de Metropolitica potestate per Bithyniæ Prouinciam, ac præsertim de potestate super Ecclesiam Basilonopolitanam, extractam ex Nicœna Ecclesia, & per huius episcopum erecta in Cathedralem. Eunomio alleganti, quod Anastasius Basilonopolis clericos excommunicasset, atque ita contra canones inuasisset alienam potestatem, hic constanter reposuit: [Ostendat, quia Basilonopolis sub ipso est, & quia ego clericos ecclesiæ suæ excommunicatos effeci. Hæc duo probet. Ego autem ostendam Basilonopolim sub Nicœa semper fuisse. Nam Regio eius fuit. Id nouit Curia. Et dicat Curia, sub quo fuit Basilonopolis, si non fuit Regio Nicææ. Sicut Tattaius, & Doris Regiones sunt sub Nicæa, sic fuit ante hac Basilonopolis sub Nicæa. Cùm priùs fuisset Regio, postea Ciuitas effecta est. Ex illo perspicuum est ab Episcopo Nicœno ibidem Episcopum fuisse ordinatum: Et semel & secundò. Et sunt epistolæ beati Ioannis Episcopi Constantinopolitani ad Nicœnum Episcopum, vt iret, & emendaret ecclesiam, tamquam sibimet competentem.] Affirmat Nicœno Episcopo super nouam Basilonopolis Ecclesiam remansisse duplicem potestatem: Vti matri super filiam. Nam & parentes etiam in emancipatos filios semper retinent aliquid authoritatis. Affirmat remansisse Ordinationem Episcopi, & ipsius ecclesiæ visitationem, & correctionem. Ecclesiam mansisse adhuc illi competentem. Ex eodem principio Nundinarius Barchinonensis Episcopus, in nescio quo suæ Diœcesis municipio nouum episcopatum instituens, primum eius episcopum Irenæum consecrauit, & eius successores perrexerunt idem ius prætendere. Ita habes in Tarraconensis Prouinciæ relatione ad sanctum Papam Hilarum. Quod etiam sanctus Remigius in Lugdunensem Ecclesiam, quam è sua Rhemensi dismembrarat, singulare ius habuerit, & ad suos successores transmiserit, testatur & vrget in famosa aduersùs Hincmarum Laudunensem Antistitem epistola Hincmarus Metropolita Rhemensis. Eadem de causa Roffensis Episcopus semper fuit quasi Capellanus Archiepiscopi Cantuariensis. Ex eadem forsitan Regula Eusebius Ancyranus Episcopus, primæ Galathiæ Metropolita, in Chalcedonensi Synodo asseruit, atque monstrauit ad se, ac suam Sedem semper spectasse consecrationem Gangrensis Episcopi, Metropolitæ per Paphlagoniam. Quod nempè Gangrensis Ecclesia, non quidem ex Ancyræ Parochia, sed tamen ex eius prouincia duxisset originem. Eadem igitur de causa sanctus Augustinus aliquid potestatis retinuit supra Fussalensem Ecclesiam. Hinc dixit istum presbyterum ad suam curam pertinere. Ex his spero esse manifestum, quod omnia hæc contra laudatam sancti Augustini epistolam, & in ipsa assertas Africanorum Antistitum Romanas appellationes excogitata, atque adducta argumenta sint vana, ac inania commenta.

Action. 13.

CAPVT XXIV.

Discutiuntur nouissima quorumdam ad laudatam sancti Augustini Epistolam Scholia.

NIhil tristius, aut acerbius est, quàm pretiosum, ac irreuocabile tempus in lucidas res expendere. Attamen cuncti immensas gratias debemus Diuinæ Prouidentiæ, quæ dignatur etiam per tale opus exercere nostram patientiam. Nouissimi Augustinianarum epistolarum vulgatores, & Scholiastæ sua ad laudatam epistolam Scholia concludunt in hæc verba: [Notata hæc sint ad conciliandam fidem huic epistolæ, quam eruditis nonnullis in suspicionem venisse intelligimus.] Respondeo duo in hiscè verbis displicere. Primum est, quod de legitimis, ac authenticis epistolæ natalibus quasi dubitent; quod intrepidè non asserant esse veraciter, ac lucidè Augustinianam. Nempè verentur quosdam suæ gentis eruditos: Hoc est, quædam sacra huius sæculi ingenia, quorum vnicus scopus est sacrosanctam Christianæ Religionis Monarchiam circumscribere. Eximiæ Religionis, ac eruditionis viros oportebat imitari istam ipsam sancti Augustini epistolam. Sanctus enim Augustinus per ipsam recessit à deuio sui dilectissimi Primatis iudicio, malens manum, aut oculum perdere, quàm lædere dignitatem sancti Petri Apostoli. Secundum est, quod per ista sua notata sperent epistolæ, licèt non firma fulcimenta, tamen aliquam fidem conciliare, atque ita suauiter sopire illorum, quos eruditos vocant, suspicionem. Etiam notata sunt deuia, & aptissima ad istis suspicionibus danda fomenta.

Ad hæc enim epistolæ verba, [Vt à nostris temporibus remotissima non requiram,

recen-

recentia memorabo,] dant hanc notam: [Ad rem sufficere potuissent superiorum temporum exempla, etiam extra Africam quæsita. Sed præsentissima habeat ea, quæ profert. Si nimirùm, quod verisimile est, episcopi illi, vt ipse quoque Antonius, Apiarij presbyteri facto incitati confugerant pariter ad Romanum Antistitem, vt eius authoritate in integrum restituerentur. [Errores varij. Primus est, quod sanctus Augustinus in istis verbis respexerit non ad sola suæ Africanæ Ecclesiæ, sed etiam ad aliarum gentium superiora exempla. Etenim nequaquam de communi Romanæ appellationis iure, sed palàm agit de certa dumtaxat iudicandi, ac puniendi forma, quæ criminosum episcopum non degradabat, sed solummodò intra certas potestatis metas circumscribebat, præsertim quæ illi claudebat aditum ad adscendendum in Primatum prouinciæ. Quæ forma tunc in nulla Romani Imperij gente viguit, nisi in sola Africa. Augustinus affirmat istiusmodi sententias fuisse in Africa semper vsitatas, ac etiam per Romanam Ecclesiam, dum per appellationem deferebantur ad ipsam, fuisse frequenter confirmatas. Esse plurima Romanæ istiusmodi confirmationis exempla. Et remotissima, & recentia. Et ita affirmat etiam esse tot exempla Romanæ appellationis ex Africa. Et hoc isti Scholiastæ non diffiten tur. Etenim ipsorum verba. Etiam extra Africam,] palàm profitentur similia exempla etiam intra Africam fuisse.

Secundus error est, quod ista tria, quæ sanctus Augustinus dicit recentia, Romanæ appellationis exempla fuerint præsentissima, ac Apiarij presbyteri appellatione posteriora. Etenim in rerum, ac factorum euentibus aliud est recens, aliud præsens: Recens est omninò species præteriti. Proindè ista Romam appellata, & per Apostolicam Sedem confirmata iudicia erant tunc peracta, & pacificè deducta in rem iudicatam. Attamen sanctus Augustinus meritò dicit fuisse tunc recentia. Etenim, & Priscus, & Victor, & Laurentius videntur tunc adhuc vixisse. Hoc innuunt voces: Clamet Priscus prouinciæ Cæsariænsis Episcopus, Clamet Victor Episcopus, Clamet Laurentius, & prorsùs huius vocibus clamet.] Etenim de mortuis commodiùs fuisset dictum: [Potuisset clamare,] &c. Et istud ipsum suadent hæc de Victore verba: [Nusquam nisi in Diœcesi eius ab alio communicatur episcopo.] Est tamen res ambigua. Esse possit figurata locutio.

Tertius error est, quod isti tres episcopi, ac item Fussalensis Antonius Romam appellauerint ex imitatione Apiarij presbyteri. Affirmat nullum Afrum ante Apiarium prouocasse ad Apostolicam Sedem. Est miserandus error. Etenim quis vnquam scripsit, aut legit istam Apiarij imitationem? Quod illius testimonium, aut memoria? Quæ sine fundamento finguntur ex arbitrio, sunt indigna refutatu. Et dum priuatus Lambesitanus Episcopus, dum Carthaginensium Pseudoepiscopus Fortunatus, dum nescio cuius Ciuitatis Episcopus Nouatus, dum alij plures, quorum exempla sanctus Augustinus affirmat fuisse à suis temporibus remotissima, Romam prouocauerunt, vbi tunc erat Apiarius? Nempè isti non presbyteri, aut Diaconi, sed erant, aut esse prætendebant episcopi, quos semper suo iure potuisse Romam appellare audiuimus supra ab ipso Augustino. Et suo illos iure Romana Ecclesia audiebat, ac iudicabat. Et rursùm repeto quæstionem, quam istic Augustinus agitat, non fuisse de appellandi iure, sed de quadam Africana iudicandi Episcopi forma, quæ cadere non poterat in presbyterum, aut alium clericum: Atque ita vanum istic, atque inutile fuit exemplum Apiarij. Quinimmò Apiarius possit ex istorum trium, ad suam gentem spectantium, episcoporum imitatione attentasse. Possit cogitasse, quod Christus Dominus non pro solis episcopis, sed etiam pro clericis dixerit ad sanctum Petrum: [Confirma fratres tuos.] Et sic tentasse apud Zozimum Pontificem, ac sperasse successum. Etenim omnia ista tria exempla Apiarius possit in propria gente vidisse proprijs oculis. Quidquid sit, indubitatum est, quod istorum trium episcoporum appellatio fuerit Apiarij appellatione anterior, ideòque esse non potuerit ipsius imitamentum. Etenim huius appellatio tunc adhuc pendebat sub grauissimis contentionibus, istorum autem appellatio erat tunc decisa, pacifica, res iudicata.

Scholiastæ pergunt, & ad hæc sancti Augustini verba, [Tamquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam,] scribunt: [Hæc idcircò spargebantur in vulgus, quod Africani Patres per id tempus deliberationem habuissent non semel aduersùm appellationes Episcoporum Africæ ad Romanam Sedem.] Errores duo. Primus est, quod Africani Patres tunc non semel deliberassent aduersùm Romanas appellationes episcoporum. Etenim nulla ipsorum de hac re reperitur deliberatio, nisi vnica, relata ad Cęlestinum Pontificem. Secundæ nulla est memoria, nullum vestigium. Omnes aliæ deliberationes, ac Synodi fuerunt de solis clericorum appellationibus. Præfatæ Synodi etiam de Sardicensi circa appellantes Episcopos seruanda forma disceptarunt, nulla tamen inuasit, aut tentauit substantiam istius refugij. Et an ista relatio hanc sancti Augustini epistolam præcesserit, est valdè dubium. Demus præcessisse. Exindè manifestum fit, quod sanctus Augustinus se ab Aurelij lapsu retraxerit, & nec auitam Africanæ Ecclesiæ disciplinam, nec Diuina sancti Petri priuilegia voluerit tangere, longè minus vulnerare.

Secundus error est, quod ista Apostolici iudicij apud Afros militaris executio originem duxerit ex lite circa Romanam appellationem Apiarij. Eius exordium demonstrat in tertij sui libri exordio sanctus Optatus Mileuitanus. Demonstrat ecclesiam ad compescendas Donatistarum violentias fuisse compulsam, vt adiutorium postularet à Principe. Non sola Romana, sed & ipsa Africana Ecclesia. Nam & hæc istud adiutorium, quod sanctus Papa Damasus contra turbidissimam Vrsicini Antipapæ factionem obtinuit ab Imperatore Gratiano, impetrauit ad se extendi. Extensionis diploma exstat in appendice Theodosiani Codicis. Afrorum ingenium

genium fuit ex natura turbidum, & contumax. Hinc Romana Ecclesia non dumtaxat ad hæreticos, sed etiam ad Orthodoxos illic quandoque compescendos, aut cogendos ad officium debuit vti isto auxilio. Et huius vsum forsitan isto tempore ampliauit Aurelij contra Romanas appellationes recalcitratio. Cœlestinus, aut certè antecessor Bonifacius videtur ipso voluisse, vti ad suo gradui, & loco reponendum Apiarium. Ex hoc metu processisse possit deprecatio, quam deuiæ suæ ad sanctum Cęlestinum epistolę Aurelius subnexuit.

De executione, quam aduersùm Fussalenses etiam S. Augustinus fuit deprecatus, Scholiastæ pergunt: [Cæterum Cœlestinus nihil tale est molitus, quale verebatur Augustinus. Siquidem Antonio reddita nunquam apparet Ecclesiæ Fussalensis administratio, quam in se receptam Augustinus gerebat adhuc sub vitæ finem, vti intelligitur ex epistola ad QuodvultDeum, in qua Fusalensem Presbyterum ipsi commendat, eumque ad suam curam pertinere significat. At vita functo Antonio suffectum alium fuisse, par est credere. Certè in notitia Africæ censetur inter Numidas episcopos Melior Fussalensis.] Plures iterum errores. Primus est, quod Antonius fuerit degradatus, aut certè perpetuò suspensus ab omni administratione suæ Ecclesiæ. Etenim longè aliud scribit in hac ipsa epistola S. Augustinus: [Antonius clamat, aut in mea cathedra sedere debui, aut episcopus esse non debui. Quasi nunc sedeat, nisi in sua. Propter hoc enim loca illa eidem dimissa sunt, atque permissa, in quibus & priùs episcopus erat, ne in aliena cathedra contra statuta Patrum translatus illicitè diceretur.] Affirmat plura. Primò, quod Antonius omninò permanserit episcopus. Secundò, quod quædam Fussalensis Diœceseos loca fuerint illi per synodalem sententiam permissa, atque dimissa; quædam sublata. Sublata fuerunt illa, in quibus præsertim patrarat sua facinora, atque flagitia. Tertiò, quod istic permanserit sedens in cathedra, hoc est, habens, atque exercens omnem episcopalem functionem. Quartò, quod cuncta eius pœna fuerit quorumdam locorum subtractio, adeoque similis fuerit illi, quæ non ita pridem fuerat inflicta Prisco, Victori, ac Laurentio, episcopis Cæsariænsis Mauritaniæ. Et hinc inter episcopos, qui deviæ Aurelij synodo adfuerunt, & qui infelicibus eius ad sanctum Cœlestinum literis subscripserunt, fuit etiam iste Antonius. Proindè erat administrans episcopus.

Ex his sequitur, ac patet secundus error, quod Fussalensis Ecclesiæ cuncta administratio redierit ad S. Augustinum. Tertius est, quod istam administrationem S. Augustinus vsque ad vitæ finem gesserit. Quartus est, quod hoc intelligatur ex eius epistola ad QuodvultDeus, tunc Diaconum, postmodò episcopum Carthaginensis Ecclesiæ. Etenim hæc sunt epistolę verba: [Non possumus necessitates hominum eiusmodi deserere, qui nostri Fratres sunt, & in charitate Christi ad curam pertinent nostram.] Notanda sunt verba: [Et in charitate Christi.] Edicunt Presbyterum illum, non ex episcopali officio, sed ex sola communi christiana charitate, & clericali communione spectasse ad Augustini curam. Et certè S. Augustinus, si ad eius spectasset curam, omninò scripsisset: [Per Presbyterum nostrum.] Vox, Fussalensem, fortiter insinuat fuisse alienum. Etiam ad S. Cœlestinum Beatus Augustinus scripsit de Fussalensi Ecclesia: [Fussala dicitur Territorio Hipponensi vicinum Castellum. Antea ibi nunquam fuit episcopus, sed simul cum contigua sibi regione ad Parœciam Hipponensis Ecclesiæ pertinebat.] Disertè affirmat olim pertinuisse, tunc non pertinere. Addit plura de presbyteris, quos istic primùm Missionarios dederat, deinde Titulares sub Antonio fecerat, aut potius faciendos Antonio tradiderat. Erant ex Hipponensi Ecclesia: Horum forsitan vnus ex causis iuit Carthaginem. Hinc illi Augustinus dedit literas, & ipsum Amico Diacono commendauit. Alias rationes adduxi superiùs.

Quod Sardicenses de Romanis appellationibus canones Romano Pontifici tribuant plenissimam appellatæ causæ non dumtaxat delegandæ in partibus, sed etiam ad suum tribunal euocandæ, ac ibidem retractandæ, & definiendæ potestatem, est longè certissimum. Est in superioribus per authentica testimonia, ac exempla abundè, & variè demonstratum. Nuperrimè tamen quis eruditus interrogauit, quare Præses Hosius, & omnis cum illo synodus expresserint solam delegandi, euocandi potestatem silentio presserint? Haud dubiè enim id factum est non sine rationibus. Respondeo rationem nos doceri à S. Athanasio, de quo apud Tyriam synodum agente scribit Socrates: [Athanasius in calumnijs diluendis vsus est exceptionibus, quas leges præscribunt.] Et in antiquis Conciliorum actis frequenter legimus Ecclesiastica Iudicia debere secundùm leges, & Canones procedere: Et ex alterutro defectu proclamari irrita. Et ad Ioannem, primæ Iustinianæ Episcopum, scripsit magnus Gregorius: [Sententia contra leges, & Canones prolata ipso non potest iure subsistere.] Quare hac de re non malè scribit D. Petrus de Marca: [Indè profectum est, vt de ordine iudiciorum nihil ferè constitutum legatur ab antiquis Concilijs, quia legitimum ordinem Episcopi in iudicando sequebantur. Si quid verò Canonicę discussioni accommodatum, & à legibus omissum decernerent, quod eam iudiciorum partem attingeret, in cęteris articulis se leges sequi profitebantur.]

Lib. 1. c. 21.

Lib. 2. Indic. 11. Epist. 6.

Lib. 4. Cap. 20.

Porrò de antiqua iudiciorum forma ad omnes, quos Pretorio Prefectis dederant, Vicarios olim scripserunt Imperatores Dioclerianus, ac Maximianus: [Placet nobis, Pręsides de his causis, in quibus, quod ipsi non possent cognoscere, ante hac Pedaneos iudices dabant, notionis suę examen adhibere, ita tamen, vt si vel propter occupationes publicas, vel propter causarum multitudinem, omnia huiusmodi negotia non potuerint cognoscere, iudices dandi habeant potestatem. Quod nos ita accipi conuenit, vt in his etiam causis, in quibus solebant ex officio suo cognoscere, dandi iudices eis licentia permissa credatur. Quod vsque adeò in Pręsidum cognitione retinendum est, vt eorum iudicia non

non diminuta videantur, dum tamen, & de ingenuitate, super qua poterant etiam ante cognoscere, & de libertinitate Præsides ipsi dijudicent. [Extat lex in Imperatoris Iustiniani Codice, sub titulo de iudicibus Pedaneis. Sancit à Prouinciæ Præside ordinarias non nisi ex graui causa, maiores autem quæstiones nullatenus posse delegari, sed ab ipsomet esse cognoscendas, ac decidendas. Præsertim quæstiones de libertate, ac libertinitate. Et Sanctio videtur obligasse ipsos etiam Prætoriorum Præfectos: Præsertim quoad causas appellatas. At verò in Theodosiano Codice ad titulum de officio Rectoris Prouinciæ extat aduersa lex, ab Imperatore Iuliano scripta ad Secundum, Præfectum Orientalis Prætorij: [Quædam sunt negotia, in quibus superfluum est moderatorem expectari Prouinciæ, ideòque Pedaneos Iudices, hoc est, qui negotia humiliora disceptent, substituendi damus Præsidibus potestatem.] Vulgata Codicis editio legem adscribit Constantino: At esse Iuliani, validè, ac lucidè demonstrat in suis ad ipsam Scholijs Iacobus Gothofredus.

Lib. 3. tit. 2.

Et adiungit insignem Commentarium. Exponit Pedanei Iudicis naturam, & qualitates, ac pergit: [Igitur sciendum, ante eam legem tria causarum genera distingui solita. Vnum causarum humiliorum, in quibus Rectores Prouinciarum Iudices Pedaneos dare cogebantur: Quia inferiores ex causæ videbantur, quàm vt ad has sese Rectores dimitterent. Secundùm genus erat earum, in quibus Rectores ex officio suo cognoscere debebant ipsi, neque Iudices dare poterant. Tertium, in quibus pro arbitrio suo, vel cognoscere ipsi, vel Iudices dare poterant. At enim vbi ad Diocletianum, & Maximianum, Galerium, & Constantium, Tetrarchas, ventum est, à quibus instituti sunt Vicarij Præfectorum Prætorio, Rectorum contra dignitas accisa fuit, atque adeò imposita ijs cognoscendi super omnibus causis necessitas. Iudicumque dandorum facultas penitùs ijs adempta fuit. His tantùm casibus exceptis, puta propter occupationes publicas, in humilioribus causis, vel propter causarum multitudinem. Extra hos casus Rectores Prouinciarum, etiam in humilioribus causis, Iudices dare vetiti fuere. Verùm hac lege Iulianus Imperator in humilioribus causis promiscuè Iudicum dandorum facultatem ijs tribuit. Et rationem assignat: Quia talia sunt negotia ista, vt in his superfluum sit Rectorem Prouinciæ expectari. Id est, causas illas non tanti esse momenti, vt iudiciū Rectoris deposcant: Frustrà denique Rectoris in his expeti cognitionem. Tria igitur tempora, ac proindè, & iura notentur circa humiliores causas. Vnum ante Diocletianum, quo de his Rectores Prouinciæ cognoscere non potuerant. Secundum, quo ipsi cognoscere tenebantur, neque Iudices dare poterant. Tertium ex hac lege, quo pro arbitrio suo, vel cognoscere ipsi, vel Iudices dare potuerunt.]

Porrò Sardicense Concilium fuit inter Diocletiani, ac Iuliani tempora celebratum, adeòque Romanum Imperium tunc regebatur, ac viuebat ista in re secundùm legem Diocletiani. Et Concilium sanxit præsertim de episcoporū degradationibus, & aduersùm ipsas interiectis ad Romanam Ecclesiam appellationibus, quæ sunt longè sublimiores omni quæstione circa cuiuscumque libertatem, aut libertinitatem. Quare non modicum, & non modicè fundatum poterat moueri dubium, an Romanorum Episcopus posset istiusmodi causas delegare. Quin per semetipsum retractare posset, deuocari non poterat in controuersiam. Hoc enim exigit appellationis indoles. At verò Sardicensis Synodus volebat plenam etiam delegandi potestatem, non dare, sed ab Euangelico, ac Apostolico Canone datam confirmare Romanæ Cathedræ. Hinc igitur non illam, vtpotè omnibus exploratissimam, sed solam hanc, quæ à cauillatoribus vexari poterat, Sardicensis Canon expressit.

CAPVT XXV.

Harum appellationum consuetudo demonstratur ex Magno Papa Leone.

SAnctus Leo hæc scripsit ad Episcopos Cæsariensis Mauritaniæ: [Causam quoque Lupicini episcopi illic iubemus audiri, cui multùm, & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam ad nostrum Iudicium prouocasset, immeritò eum, pendente negotio, à communione videbamus esse suspensum. Adiectum etiam illud est, quod huic temerè superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus. aut certè confessus iustæ posset subiacere sententiæ, vt vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur, exciperet.] Affirmat varia. Primò, quod Mauritaniæ synodus Lupicinum degradasset, & eius in Cathedram mox intrusisset alium. Secundò, quod Lupicinus mox prouocasset ad Sedem Apostolicam, & supplicasset se reponi in episcopalem communionem. Asseruit se spoliatum contra Canones, ideòque ante omnem retractatorij Iudicij ingressum postulauit reuestiri. Et Pontifex reposuit, ac reuestiuit: [Quoniam ad eius iudicium prouocasset.] Leo prouocationi adscripsit effectum suspensiuum, & causam iussit retractari. Non apud suam Apostolicam Sedem, nec per Legatos è suo Latere Presbyteros, nec per alterius Prouinciæ Synodum, sed per plenam Synodum propriæ Prouinciæ Cæsariensis. Nempè soli duodecim episcopi Lupicinum damnauerant. Etiam superordinatum episcopum Leo eiecit vsque ad finem retractatorij Iudicij. Quę omnia palàm sanxit ex Canonibus Sardicensibus.

Paschasius Quesnellus hæc omnia grauissimè improbat. Hæc de Lupicino asserta censet esse adsutum Leoni pannum, spurium figmentum. Audi rationes: [Quod de Lupicini causa ibidem legitur, quam perturbatis persecutionis Africanæ temporibus, & disciplinæ contrarium est? Norunt enim omnes, quantoperè abhorrebant Africani ab appellationibus Transmarinis, qui in Concilio Car-

Carthaginensi, quod sextum vocant, & in epistola posterioris etiam Concilij ad Cœlestinum Papam, ignotæ sibi huic disciplinæ subijcere se recusarunt: Cuius negotij recens adhuc erat memoria, trigiuta vix ab illa annis elapsis. Quid quod tunc temporis ita omnes illas Prouincias bellorum tumultus, aut persecutionis æstus vastabat, vt nullus, vel instruendo Episcopali Iudicio, vel synodo congregandę locus esse posset: Cum tamen Lupicini causam isthic iubeat audiri auctor epistolæ. Addo hunc Leonem nostrum non esse, vel ex eo persuasum me habere, quod vir sagacissimus, vel ad se traxisset causam Episcopi Romanum Tribunal appellantis, vel saltem aliquem è suis delegasset, qui interesset iudicio, & ex eius authoritate totum negotium cum alijs discuteret. Nec contentus esset scribere, vt illic causa audiretur, nulla vel loci, vel Iudicis, vel Legati facta mentione.]

Errores varij. Primus est, quod ista Lupicini appellatio fuerit incompatibilis cum perturbatis Africanæ Ecclesiæ temporibus. Etenim quod isto tempore Cœsariensis, ac Sitifensis Mauritania, necnon Numidiæ pars, licèt Barbarorum latrocinijs vexarentur, permauserit sub Romano Imperio, suprà andiuimus à Victore episcopo Vtitensi. At verò Lupicinus erat ex Cœsariensi Mauritania. Secundus error est, quod ista appellatio fuerit contraria moribus Africanis, ac disciplinæ: Quod Africana Ecclesia semper abhorruerit à cunctis generatim ad Romanum Tribunal appellationibus. Est imperitissima fabula, rideri dignior, quàm refutari. Tertius error est, quod isto tempore apud Afros adhuc vigeret temeritas Primatis Aurelij. Etenim ista appellatio videtur facta sub Primatu sancti QuodvultDei, quem exploratum est in omnibus adhęsisse sensibus sancti Augustini, ideòque & penitùs recessisse ab istis Actis Aurelij. Eiusdem mentis non dubito fuisse eius Antecessorem, & proximum Aurelij Successorem Capreolum. Proindè tunc apud Afros nulla supererant istius temeritatis vestigia. Præsertim in Cœsariensi Mauritania, vbi audiuimus tot exempla Romanæ appellationis. Quartus est, quod sagacissimus Pontifex appellantis episcopi causam debuerit euocare ad suum Tribunal, aut ad ipsam transmittere Legatum, & eam nequiuerit credere eidem synodo. Etenim ipsum euertit Leoni dilectissima Sardicensis synodus: Si Romanus Pontifex eiusdem Prouinciæ synodum [sufficere putauerit ad rei cognitionem, & appellantis episcopi sententiam, faciet quòd prudentissimo eius consilio rectè habere videbitur]. Firmæ rationes sagacissimo Pontifici persuaserunt istud expedire. Dionysius Exiguus laudata S. Leonis de Lupicino verba, ac Decreta constanter affirmat esse authentica. Et certè eius fides transcendit omnem exceptionem. Istud ipsum confirmant Manuscripta exemplaria Bibliothecæ Vaticanæ, ac nostræ item Augustinianæ in hac Alma Vrbe.

Bonus vir sibi ipsi non constat, nunc omnem epistolam, nunc quasdam eius solummodò partes studet ad Apocrypha proscribere. Audiamus quid scribat de sagacissimo, immò de sanctissimo Papa Leone: [Certè valdè Leonis nostri solertiæ, & ingenio consentaneum mihi videtur, vt temporis opportunitatem captauerit ad confirmandam Sedis suæ authoritatem in Africanas Ecclesias. Nemo est qui nesciat, quotiès quantisque conatibus id tentauerint Leonis Prædecessores, quantumque Leonis ipsius ætate Bonifacius, & Cęlestinus in eam rem laborauerint, Africanis consuetudinem Ecclesiarum suarum inuictè semper propugnantibus. Exspectanda tum illis fuerat opportunior occasio, quæ vt sese Leoni obtulit, eam vir cordatissimus sibi elabi non est passus. Perierat cum Africana libertate pristinùs ille disciplinæ vigor, quem tum sanctus Cyprianus, tum illarum Regionum Concilia nobis exhibent. Innumeræ iam Ecclesiæ suis orbatæ Pastoribus, & Ministris sub Vvandalica gemebant Tyrannide. Ipsa omnium Africanarum Ecclesiarum Mater, totius Regionis caput, Carthago miseranda strage iacebat prostrata, suo Senatu, suo Clero, suo Pastore destituta. Carthaginensem enim episcopū, nomine QuodvultDeum, cum maxima clericorum turba nauibus fractis impositum, maris fluctibus committi præcepit Geinsericus, quos Deus miseratione bonitatis suæ, prospera nauigatione, Neapolim Campaniæ perducere dignatus est. Et vt nihil deesset, quod Pontificis consilium iuuare posset, ac Leonis nutū Valentinianus Imperator, cuius potestate aduersùm Gallicanarum Ecclesiarum Primatem, quàm pro suis votis vsus fuerat, testatur eiusdem Imperatoris constitutio aduersùs S. Hilarium Arelatensem. His ità se habentibus, pręsidioque Augusti ad Leonis vota semper parato, de Africanarum Ecclesiarum rebus ad Sedis suæ notitiam, & iudicium pertrahendis seriò cogitauit. Non earum quidē Regionum, quæ sub Vvandalico Imperio iacebant oppressæ, sed earum, quæ adhuc Valentiniano parebant, quas inter pręcipua erat Cœsariensis Mauritania]. Scriptor iste plura in hunc suum conatum conglomerat.

Cordatissimam sancti Leonis sagacitatem affirmat vtroque oculo, & cunctis alijs animæ instrumentis fuisse in hoc attentam, vt nouam in liberas, Africanam præsertim, ac Gallicanam, Ecclesias potestatem dolosè, ac violenter inuaderet. Optimum Leonem accusat de isto ipso inuasionis crimine, de quo sanctum Liberium Pontificem accusauit ab Eusebiana Arianorum Factione circumscriptus Imperator Constantius. Tanti Pontificis Sanctimoniam à se adorari fingit, & alio ex latere per calumnias euertit. Deploranda sunt ista in Catholicis Doctoribus, non refutanda. Et sui ipsius miserabiliter obliuiscitur. Hanc Papalem ad Cœsarięnses epistolam adscribit primo sancti Leonis anno, & adiungit Carthaginensem Ecclesiam tunc gemuisse sine Pastore, & sanctum QuodvltDeum à Geinserico Rege fuisse eiectum ex Africa. Hac sanguineis lachrymis deflenda Afrorum calamitate scribit sanctum Leonem fuisse abusum ad amplianda suæ Sedis philacteria. Verùm quis ignoret hanc calamitatem dudùm posteà contigisse? Et quid Gallis cum Afris? Quid Gallicanæ Ecclesiæ cum Africana? Ambæ spectarunt ad Romanum Patriarchatum; attamen in sua varia disciplina nihil

habuerunt commune. Quod Afri sint vnquàm vsi Gallicanis canonibus, certè non memini. Et primus Gallicanus episcopus, quem memini vsum canonibus Africanis, est sanctus Cæsarius Arelatensis in epistola, qua transmissos sibi à Ioanne secundo Pontifice canones vulgauit per Galliam. Agit aduersùs Contumeliosum Reiensem episcopum: Non aduersùs Romanam eius appellationem, sed aduersùs eius fictam innocentiam.

Demonstrare nititur ipsum propter hanc fuisse meritò, ac legitimè degradatum. Et in huius demonstrationis subsidium inuocat Africanos canones. Hæc sunt prima exordia, per quæ isti canones innotuerunt Gallicanis Ecclesijs. Eosdem postmodò Hincmarus Rhemensium Metropolita, Romanarum appellationum, ac euocationum pertinax, ideòque, & ab octaua synodo notatus, atque punitus, Aduersarius eosdem vsurpare cæpit aduersùm istas appellationes. Verùm aduersùs solas appellationes inferioris cleri. Ità docet in literis ad S. Nicolaum Pōtificem, in literis aduersùs Hincmarum Nepotem episcopū Laudunensem, in literis ad Aduentium episcopum Metensem, ac præsertim in literis, ex Caroli Calui Imperatoris nomine scriptis, ad Ioannem octauum Pontificem de iudicijs, ac appellationibus episcoporum, ac presbyterorum. Disertè isthic profitetur omnibus sub cœlo, etiam Afrorum, episcopis esse plenam, ac liberam Romanæ appellationis facultatem, atque adiungit de presbyteris, ac alijs inferioribus clericis: [Sacræ leges, ac regulæ presbyteros, & cæteros inferioris gradus clericos, non alibi, quàm apud suos episcopos præcipiunt accusari, à quibus, sicut Africæ Prouinciæ canones decernunt, eorum causa debet audiri, & sicut sanctus Gregorius constituit, cum presbyteris, vel clericis suæ Parochiæ iudicari. Qui fortè si de iudicijs episcoporum suorum questi fuerint, ad quos eis sit prouocandum, de appellatione presbyterorum, ac Diaconorum ad vicinos, ac finitimos episcopos, Papa Zozimus in commonitorio per Faustinum episcopum, & Philippum, ac Asellum presbyteros directo Carthaginensi Concilio, in Concilio Sardicensi continetur hoc modo]. Africanum morem studuit traducere in Galliam. Hinc ipsum affirmat fundatum in Sardicensi canone, ac probatum à Zozimo Pontifice, itemque à magno Gregorio. Quæ omnia an vera sint, erit alijs in locis discutiendum.

Epist. 17.
Epist. 33.
C. 5. 10. 17.
Epist. 47.
C. 10. 11.

Quæ omnia Hincmarus hausit ex canonum codice, quem Adrianus primus Pontifex dedit Angilramno Metensi episcopo, vel potiùs quem Angilramnus isti Pontifici obtulit examinandum, & confirmandum postulauit: [Prudentissimè, iustissimèque Nicæna, siuè Africana Decreta definierunt quæcumque negotia in suis locis, vbi orta fuerint, finienda. Maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilium suæ Prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare]. Vtique ad vniuersale Concilium Africanæ Ecclesiæ. Canon mandat isthic sisti, nec procedi, vel ad Sedem Apostolicam. Quia nempè agit de inferioribus clericis. Quod enim hic Angilramni codex quibuscumque episcopis Romanam appellationem permittat, est nimis exploratum. An Adrianus Pontifex ipsum confirmauerit, & inferiori Galliæ clero aditum Romanæ appellationis asylum clauserit, aliqui controuertunt. At sine fundamento. Interim Angilramnus non caruit fundamento ad postulandam istam exclusionem. Etenim sanctus Apostolus noster Bonifacius Franciciæ Ecclesiæ clerum inuenit per omnia turpissimum. Et inferior clerus, vti illicò mori non potuit, ità nec statim totus sanari, aut reponi in disciplinam, Inter huius repositionis obices erant friuolæ ad Romanam Sedem prouocationes. Et quorumdam Pontificum nimia clementia. Quare istas prouocationes abscindere studuerunt, & episcopi, & Rex Carolus magnus, & ipsorum vicini Successores. Africanos hac de re canones studuerunt introducere in Galliam. Et vt euincerent, addiderunt ipsis consonare canones Sardicenses. Angilramni codex asserit conuenire etiam Nicænos. Nihilominùs non peruenit ille ad suum scopum. Adrianus codicem numquàm confirmauit. Inferior Galliæ clerus perrexit liberis pedibus Romam prouocare, & ambulare: Quapropter hinc lucet istos hodiè Gallos, qui Africanis etiam episcopis censent Romanas appellationes numquàm licuisse, plurimùm exorbitare, non dumtaxat à veritate, sed etiam à vestigijs suorum Maiorum.

Duo sunt præcipua contra legitimos præsentis epistolæ natales argumenta. Primum est, quod eadem de re respondeat bis, & quidem disparata. Etenim de sacris barbarica violentia oppressis, ideòque Virginalem Florem non animo, sed solo corpore amittentibus, Virginibus sancit: [Neque in viduarum deijciantur gradum, neque in sacrarum, & perseuerantium Virginum numero censeantur]. Et postmodò de ijsdem scribit, ac sancit aliud: Laudabiliores sunt in humilitate, ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare Virginibus: [Non est credibile, quod sanctus Leo hæc simùl congesserit in eamdem epistolam. Aliud argumentum producit Scriptor Anonymus: [De hac Lupicini causa vehementer instare non est animus. Non est enim omni suspicione falsi libera. Quippè cum eius nulla mentio fiat in antiquis editionibus huius epistolæ sancti Leonis, vt patet ex editione Conciliorum, typis Gothicis expressa, cura Theologi Parisiensis Doctoris Merlini, anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto. Quam confirmant antiqui codices manuscripti, quibus ad nouam editionem operum S. Leonis vsus est Reuerendus Pater Quesnellus].

Respondeo in Augustiniana Almæ Vrbis Bibliotheca exstare insignem manuscriptum codicem, in quo magni Leonis ista epistola continet sequentes articulos: De Illicitis Ordinationibus, De Virginibus passis Barbaricam violentiam, ac de appellatione Lupicini. Et subiungitur hæc conclusio: [Si quæ, vel aliæ emerserint causæ, &c. Datum tertio idus Augusti]. Ex indè sequitur, sine titulo tamen, quasi alia epistola, continens hos articulos: De Donato Nouatianensi, De Aggaro, ac Tiberiano, & de violenter oppressis Virginibus. Adiungitur conclusio: [Cum itaque de omnibus, quæ Fratris nostri Poten-

tij relatio continebat], &c. Proindè existimo fuisse duas epistolas: Duo Rescripta ad duas relationes. Priori de sacris Virginibus Sancito, quidam abusi ipsas non quidem deiecerunt ad viduas, excluserunt tamen de statione Virginum. Hinc ipsarum nouæ preces, nouaque ad Papam relatio: Et Leo rescripsit istas fore laudabiliores, quæ tantæ fuerint humilitatis, ac verecundiæ, vt proprio motu se nolint incontaminatis comparari. Eas reliquit proprio iudicio: Inuitas excludi vetuit è classe Virginum. Suum prius Decretum ità fuit rectissimè interpretatus. Has duas Leonis epistolas quidam Antiquarius congessit in vnam. Res non rara apud antiquos.

Aliud argumentum est nullius ponderis. Etenim à centum quinquaginta annis, quot quorumcumque Patrum, ac aliorum Scriptorum editionibus accesserunt libri, epistolæ, additamenta, fragmenta, aliaque id genus? Et ipsa veneramur vt plenè authentica. Item olim multi eiusdem Patris, immò, & eiusdem libri, aut epistolæ non descripserunt omnia: Alter hæc, alter ista. Hinc euenit, vt omnes antiqui Codices non habeant eadem omnia. Porrò præsens sancti Leonis de Lupicino Decretum frequenter laudat, & sua Afferta ex ipso confirmat Hincmarus Rhemensis, atque ita demonstrat nullum de ipso fuisse dubium in Gallicana Ecclesia. Istud ipsum euincit manifestus stylus Leonis. Hæc epistola est summi ponderis. Docet, quod Romanæ Episcoporum appellationes tunc liberrimo pede ambularint in Africa. Post tantas lites. Post horrendum Aurelij Carthaginensis Episcopi, & aliquot cum ipso collegarum errorem, & Lapsum, quo etiam Africanis Episcopis voluerint omnem Romani refugij portam occludere. Factum id fuit sub Cælestino Pontifice antè euersam Africam. Quare hæc epistola docet, quod Wandalicæ captiuitatis tentatio Aurelij successoribus aperuerit oculos, persuaserit valedici tantæ cæcitati, & contumaciæ, ac resumi, & stabiliri auitam Africanæ Ecclesiæ disciplinam, & consuetudinem circa Romanas Episcoporum Appellationes, & Sardicenses Canones comprobari, ac mitti in plenam obseruantiam. Hæc per Excelsi dexteram facta mutatio elucidabitur inferiùs.

Porrò quia Reuerendo Patri Paschasio Quesnello placet Dionysium Exiguum, fidelissimum, ac eruditissimum sacrorum Canonum Collectorem, fide & auctoritate exuere, oportet audire fidissimum, ac irrefragabile Aurelij Cassiodori de ipso testimonium, scribentis in libro de Diuinis lectionibus: [Fuit nostris temporibus Dionysius Monachus, natione Scytha, sed moribus omninò Romanus. Mecum Dialecticam legit, & in exemplo gloriosi Magisterij plurimos annos vitam suam Domino præstante transegit. Pudet me de consorte aliquid dicere, quod in me nequeo reperire. Interueniat pro nobis, qui nobiscum orare consueuerat: Vt cuius hic fuimus oratione suffulti, eius nunc possimus meritis adiuuari. Qui petitus à Stephano Salonitano Episcopo, ex Græcis exemplaribus Canones Ecclesiasticos moribus suis, vt erat planus, atque disertus, magnæ eloquentiæ luce composuit: Quos hodiè vsu celeberrimo

Cap. 23.

Romana Ecclesia complectitur. Cuius nomini aliqua praui homines calumniosè nituntur ingerere, vnde sua videantur errata aliquatenùs excusare.] Adducit eximia eius encomia. Et hinc quem nomen dicit exiguum, omnis Christianitas semper affirmauit fuisse virtutibus, ac meritis maximum. Immò non fuit nomen, sed ex profunda humilitate assumptus titulus. Iuxtà piam consuetudinem istius temporis. Ita in Romana Bonifacij Secundi Pontificis Synodo Stephanus Larissæ Episcopus, Thessaliæ Metropolita, se inscribit [Stephanum Exiguum.] Etiam plures ibidem Episcopi. Quod ipsum passim cum alijs fecit Cardinalis Anastasius, Bibliothecarius Romanæ Ecclesiæ. Et quia noster Dionysius multis produxit, & non paucis ante Cassiodorum annis finiuit hanc vitam, possit vidisse magnum Leonem: Vidisse Lupicini appellationem, ac de illa emanantem præsentem epistolam. Quidquid sit, eius Codicem statim admisit Romana Ecclesia, ac fecit irrefragabilem. Proinde quisquis istam epistolam reuocat in dubium, nititur exhumare iam pridem sepultam calumniam: [Cuius nomini aliqua praui homines calumniosè nituntur ingerere, vnde sua videantur errata aliquatenùs excusare.] Nostrorum temporum Sectarij, dum sacros Scriptores, ac ipsorum libros erubescunt excutere, inficiantur hos esse illorum: Affirmant spurios, & eis indignè assutos pannos. Et ità apud imperitam plebem declinant inuidiam. Nempè non carent omni fuco. De istis namque libris apud quasdam olim Ecclesias fuit etiam aliqua cunctatio. At verò sacros libros, de quibus nemo vmquam cespitauit, hodiè in quæstionem aduocare erubesceret ipse etiam Diabolus. Et qui Platonis, aut Aristotelis libros, aut Virgilij, vel Ouidij versus effutiret esse spurios pannos, nonnè à Populo lapidaretur? Certè magni Leonis, ac superiùs laudata sancti Augustini ad Cælestinum Pontificem epistola, sunt æquè certa Ecclesiæ monimenta. Et quidem Reuerendo Patri Paschasio Quesnello non sufficit illam excutere. Volupè illi est varijs insuper elogijs tantum Pontificem incrustare.

CAPVT XXVI.

Exponitur famosa quæstio circa Romanam appellationem Apiarij Presbyteri Siccensis in Sitifensi Mauritania.

QVæstionem hanc exponit in literis ad Adrianum Secundum Pontificem Duziacensis Synodus: [Sed & quia, & legum, & Canonum constituta non sibi seruari viderunt sancti Patres nostri, ex Africano Concilio scribentes ad Bonifacium Papam pro causa Vrbani Episcopi, & Apiarij prouinciæ Africanæ Presbyteri excommunicati, secundùm definitionem Carthaginensium Canonum, vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui

Episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi. Quod si, & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad Transmarina iudicia, sed ad Primatem suarum Prouinciarum, sicut & de Episcopis sæpè constitutum est. Ad Transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Contra quæ Papa Zozimus, subreptione quadam præuentus, sicut in epistola ipsius Concilij, sapientiæ vestræ notissima, pleniùs recensere potestis, per Faustinum Episcopum, ac Philippum, & Asellum Presbyteros, Africano Concilio direxit capitula Sardicensis Concilij de appellatione Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & ne ad Comitatum Episcopi importunè nauigent, & de tractandis Presbyterorum, ac Diaconorum causis apud finitimos episcopos, si à suis excommunicati perperàm fuerint, & de Vrbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam euocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Quod quartum capitulum ex eo mandatum est, quia Apiarius presbyter excommunicatus ab Vrbano Episcopo, non ad Primatem suæ Prouinciæ secundùm Africanos Canones, sed ad Transmarinum iudicium prouocauit. Quapropter idem Concilium ad Bonifacium, successorem Zozimi, post explicationem Sardicensis capituli de Presbyteris, ac Diaconibus scripsit: Quia si ità, quemadmodùm in ipso capitulo continentur, scilicèt finitimos interpellet episcopos, & causa eius audiatur, & diligentiùs tractetur, & ille episcopus, qui aut iustè, aut iniustè eum deiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, & vt aut probetur, aut emendetur eius sententia, eo ordine in Italia custodirentur, nullo modo ipsi in Africa talia, qualia iam commemorare nolebant, tolerare cogerentur.]

Relatio hæc commiscet vera falsis. Primò affirmat, quod omnis hæc contentio originem duxerit ex Apiarij Siccensis presbyteri, à suo episcopo damnati, appellatione ad Zozimum, ac eius per eumdem Pontificem reparatione in sui gradus communionem. Et hoc est verum. Secundò affirmat Zozimum ad hæc tentanda fuisse subreptione preuentum. Et hoc est falsum. Etenim Zozimus egit ex certa scientia, ex Canonibus Nicænis, ac Sardicensibus, ex generali omnium ecclesiarum consuetudine, apud quas inferior etiam clerus fuit semper permissus Romam prouocare. Et ipsum strenuè animauit, ac stimulauit tunc concurrens Romana Cælestij Hæresiarchæ appellatio, aduersùs quam nullus Afrorum Episcopus intercessit. Ille censuit esse pariformem vtrobique rationem. Quæ omnia attenderunt eius item successores Bonifacius, & Cælestinus; ideòque causam sunt animosè prosecuti. Zozimus in Africam misit quatuor Capitula, tria priora mandans deinceps obseruari. Quartum mandabat Vrbanum Episcopum, nisi Romanam Apiarij reparationem admitteret, ac exequeretur, priuari communione, immò, & Romam ad causam dicendam euocari. Mandati radicem Duziacensis Synodus obscurè exprimit. Radix erat, quod Vrbanus prouocaret ad auitam Africanæ Ecclesiæ consuetudinem, ideòque Papali Decreto refragaretur. Nolebat reparatum Romæ Apiarium in gradum reponere.

Vrbani Siccensis Episcopi frequenter meminit sanctus Augustinus. In literis ad sanctum Comitem, ac Martyrem Marcellinum: [Illæ literæ tuæ, quas Presbyter Vrbanus attulit.] Vtique Presbyter Hipponensis Ecclesiæ, in sancti Augustini Monasterio. In literis ad sanctum Paulinum: [Condiaconus noster Peregrinus, ex quo à me profectus est cum sancto Fratre nostro Vrbano, quando episcopatus sarcinam subire perrexit, nondùm remeauit Hipponem.] Vrbanus igitùr ex Hipponensi Clericorum Monasterio est promotus ad episcopatum. Successit Fortunatiano, ad quem sanctus Augustinus scripsit centesimam vndecimam epistolam. Ex quo lucet Augustinianarum epistolarum ordinem non esse digestum ad rationem temporis. Etenim Fortunatianus erat defunctus, antequàm Augustinus scriberet quinquagesimam nonam epistolam. Eumdem Vrbanum sanctus Pater laudat in epistola ad Darium Comitem: [Vrbanum apud Carthaginem in Hilarensi Oppido, & modò in Siccensi te nosse peruenit.] Etiam in primo suorum sermonum fragmento scribit sanctus Augustinus: [Alia duo,] Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, &, Ne nos inducas in tentationem, [quando Pelagianis objiciuntur, quid eos putatis respondere? Horrui, Fratres mei, quando audiui. Ego quidem non audiui auribus meis, sed sanctus Frater, & Coepiscopus meus Vrbanus noster, qui hìc Presbyter fuit, & modò est Siccensis Episcopus, cum remeasset ab Vrbe Roma, & ibi cum quodam talia sentiente confligeret, vel se conflixisse referret, cum vrgeretur pondere orationis Dominicæ, vrgebat enim eum, & dicebat; Si in nostra potestate est non peccare, & in nostra potestate est omnes peccatorum tentationes solis voluntatis nostræ viribus superare, quare Deo dicimus, [Ne nos inferas in tentationem? [Quid eum putatis respondisse? Rogamus, inquit, Deum,] Ne nos inferas in tentationem, [ne aliquid mali patiamur, quod non habemus in potestate: Ne ruam de equo, & ne frangam pedem, & ne latro me interficiat, & quid huiusmodi. [Eamdem disputationem sanctus Augustinus laudat in libro de dono perseuerantiæ:] In confessionum libris dixi Deo nostro, & sæpè dixi, [Da quod iubes, & iube quoduis.] Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum à quodam Fratre Coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquantò commotiùs, penè cum eo, qui illa commemorauerat, litigauit. [Ioannes Garnerius hanc disputationem scribit contigisse anno quinto, aut sexto quinti seculi. Labitur. Etenim anno vndecimo Fortunatianus Siccensis Episcopus in Carthaginensi Collatione fuit vnus è Catholicæ Ecclesiæ Primatibus, atquè ita Vrbanus longè adhuc aberat ab isto Episcopatu. Facta videntur ista sub Pontificatu Zozimi, à quo Vrbanus, de suis in Apiarium Actis redditurus rationes, fuit Romam euocatus. Quidquid sit, eiusdem Vrbani est honorifica, & frequens men-

Epist. 7.

Epist. 263.

mentio in Africanis Synodis. Passim enim fuit suæ Prouinciæ Legatus ad Synodos plenarias. Et isthic sæpè, ac eruditè fuit interlocutus. Ipse igitur damnando suum Presbyterum Apiarium, & suę gentis consuetudinem acriter defendendo aduersùs Zozimum Pontificem, fuit auctor huius famosæ, ac infelicis controuersiæ. Et ex hac sola nouimus Apiarium. Sine ipsa erat latitaturus in altissima obliuione.

Ista Africanæ Ecclesiæ disciplina vsquè tunc constabat sola consuetudine, nullo Canone. Sanctus quidem Cyprianus laudat Africanum de ista disciplina Statutum, attamen nullum producit Canonem. Hinc illam propter has controuersias munituri Episcopi in plena ducentorum, & septemdecim Collegarum Carthaginensi Synodo ediderunt duos Canones. [Placuit, vt quicumquè non communicat in Prouincia propria, & in alijs Prouincijs, vel Transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis, vel Clericatus accipiat:] Canon omninò agit aduersùs appellationem Romanam. Ipsum namque respicit in secundo sermone de communi Clericorum vita sanctus Augustinus: [Quisquis] meorum Clericorum [inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt indè faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, nauiget contra me, quò voluerit, sit certè vbi potuerit, adiuuabit me Deus, vt vbi ego Episcopus sum; illic Clericus esse non possit.] Agit in communis vitæ osores Clericos, aduersùs istud sanctissimum eius institutum prouocantes ad Romanam Ecclesiam. Aut certè minitantes eò appellare. Nempè Apiarius istam portam aperuerat: Et Romana Ecclesia sustinebat apertam. Porrò Carthaginensis Synodus istam appellationem non sine fundamento appellauit obreptionem. Quod nempè appellantes Clerici supprimerent auitam suæ gentis consuetudinem, suam audaciam palliarent auctoritate Nicænorum Canonum, atquè ita circumscriberent Romanos Pontifices. Attamen Canon non expressit Romanam Ecclesiam. Ex reuerentia. Dixit: [In alijs Prouincijs, vel Transmarinis partibus.] Per Transmarinas Partes omninò intellexit Ecclesiam Romanam. Etenim ad aliam vltra mare Ecclesiam non poterat ab Afris appellari. Cur Canon addiderit, [In alijs Prouincijs,] suo loco exponetur.

Alter Canon est hic: [Placuit vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in suis causis, quas habuerint, si de Iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si, & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Prouinciarum suarum. Ad Transmarina autem, qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.] Africanæ Ecclesię Codex Canonem non modicè variat: [Placuit vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de iudicij Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis episcopi. Quod si, & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad Transmarina Iudicia, sed ad Primates suarum Prouinciarum, aut ad vniuersale Concilium, sicut, & de episcopis sæpè constitutum est. Ad Transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. [Duo sunt capitalia discrimina. Primum est, quod alter textus ad solum Primatem, aut eius Synodum, alter damnatos etiam in secunda instantia Clericos appellare permittit ad plenarium quoquè Concilium totius Diœceseos. Forsitan alternatiuè: vel ad Primatem, aut eius Synodum, vel ad Synodum vniuersalem. Etenim si copulatiuè accipias, debebis eidem actioni permittere quatuor instantias. Secundum discrimen est, quod posterior lectio adiungat eodem modo, & quidem frequenter fuisse constitutum de episcopis. Nempè etiam ipsis Romanam appellationem fuisse interdictam. Vtroquè modo Canonem apud Eruditum Lucam Dacherium in vndecimo Spicilegij Tomo legit antiqua Collectio Canonum pœnitentialium. Neque mirum: Nam, & ipse Africanus Codex habet vtramque lectionem.

Præcipua difficultas est de hoc Canonis additamento: [Sicut, & de episcopis sæpè constitutum est.] De ipso scribit in septimo libro Petrus de Marca: [Digladiantur hic Scriptores. Cardinales enim Baronius, Perronius contenderunt eam clausulam esse delendam, pluribus argumentis. Primum enim aiunt eam non exstare in Canonibus Concilij Mileuitani. Verum id quidem. Addita enim de industria fuit, quo primùm tempore adornata est hæc Collectio. Itaquè spectari debet hic Canon tamquam vigesimus octauus istius Collectionis, nòn autem tamquàm vigesimus secundus concilij Mileuitani. Deindè aiunt eo in primis argumento euinci delendam esse hanc clausulam, quod prohibitio illa nuspiàm exstet in Concilijs Africanis, quod tamen vt rem certam tradit Collector. Grauis sanè accusatio, si extarent Canones omnium conciliorum Africę, nec quidquam simile in eis reperiretur. Verùm caremus multis Concilis Africanis, quibus si exstarent, maior habenda fides esset, quàm ijs, qui eorum scriptioni contradicunt. Nam præterea Concilium Africanum anni quadringentesimi decimi octaui apertè pronunciauit non toleraturos se appellationes ad Sedem Apostolicam, si constiterit ius illud Sedi Romanæ tributum non fuisse à Synodo Nicæna. Prohibitio autem illa antecedit tempora Collectionis Canonum Africanorum, quamuis Concilium Mileuitanum, in quo addita est hæc clausula, sit antiquius illa prohibitione. Constat ergò in ea sententia Afros fuisse, vt existimarent ad Sedem Apostolicam appellari non posse à Iudicibus electis, neque etiam à concilio vniuersali Africæ. [Audienda sunt etiam superiora illius verba. Quod si quis quærat, vtrùm à sententia Iudicum electorum prouocare liceret ad summum Pontificem, huic respondeo non solùm causas Presbyterorum, sed etiam Episcoporum ità in Prouincijs finiendas fuisse, vt

vt appellari ad Transmarina Iudicia licitum non esse existimarent Afri. Hinc factum, vt cum illi mentem suam apertiùs explicare vellent, nondum enim satis explicatam rebantur in epistola Concilij Africani ad Cælestinum, tametsi non admodùm obscurè scripsissent, cum canonum horum Collectionem adornarent, clausulam addiderunt canoni vigesimo secundo Concilij Mileuitani, quæ vetat ne ad Transmarina Iudicia appellent episcopi, nequè etiam Presbyteri:] Sicut, & de episcopis sæpè constitutum est. [Vt inquit canon vigesimus octauus eiusdem Collectionis,]

Errorem, quo affirmat Romanas appellationes Afrorum etiam episcopis numquam licuisse, nolo hìc rememorare. Est in superioribus abundè euersus. eadem est ratio erroris, quo infelices ad Cælestinum Pontificem literas, scriptas à paucis episcopis, applicat toti Africanæ Ecclesiæ. An verò Africani Episcopi potuerint ab electis Iudicibus ad Romanum appellare Pontificem, est alibi discutiendum. Oportet hìc discutere errores alios. Primus est, quod isti ipsi episcopi, eadem ista Synodus, quæ infelices istas literas scripsit, etiam conflauerit Africanum Codicem. Dominus Archiepiscopus rectè vidit, rectèque profitetur, & Codicem, & literas esse eiusdem temporis, ac eiusdem spiritus, ideòque, & eiusdem, id est, nullius auctoritatis. Attamen errat Codicem esse Synodale opus. Est enim personale. Vti Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus, & nescio cuius in Africa Sedis Antistes Cresconius fecerunt suas quorumcumquè canonum collectiones, ità nescio quis alius, aut qui alij conflarunt duas collectiones solorum Africanorum canonum, quarum altera passim dicitur Africanus codex, altera non habet singularem titulum. Quod posterioris collectionis auctor sit priuata persona, lucet ex eius subnotatione ad canonem sexagesimum: [Huius concilij Gesta ideò non ex integro descripsi, quoniam magis ea, quæ in tempore necessaria fuerunt, quàm aliqua generalia constituta sunt; sed ad instructionem Studiosorum eiusdem concilij Breuem digessi.] Palam profitetur se non ad totius generis canonicam disciplinam, & obligatoriam directionem congessisse hoc opus, sed dumtaxàt ad instructionem Studiosorum: Quod manifestè spectat ad singularem Doctorem. Istud ipsum profitetur codicis compilator per similem subnotationem ad canonem centesimum septimum: Gesta huius concilij ideò non descripsi, quoniam Prouinciale, non vniuersale celebratum est.] Quis non videat istiusmodi subnotamen non cadere in Synodum, sed in singularem hominem? Fuit quis ex Aurelij sequacibus, deuius impugnator episcopalium etiam appellationum. Hinc in digerendis Africanis Synodis, & canonibus non seruauit ordinem temporum, sed in operis sui exordio litigiosa circà Apiarij appellationem acta, quæ vulgò dicuntur sexta Carthaginensis Synodus, in fine autem posuit infelices literas ad Cælestinum. Hanc lamentandam litem voluit sui operis esse Alpha, & Omega. Est auctor palam impurus, & palam scripsit sub Cælestino Pontifice. Hinc Conciliorum compilatores opus istud non sub Siricio, sed ponere debebant sub Cælestino. Authenticus Africanæ Ecclesiæ codex suo loco ostendetur.

Secundus error est, quod adducti contra Romanam inferioris Cleri appellationem canones sint concilij Mileuitani. Etenim sunt à magno illo Carthaginensi ducentorum septemdecim Episcoporum concilio, quod post damnatos à Zozimo Pontifice Pelagium, & Cælestium, & transmissam gratissimam, ac sanctissimam istius damnationis Tractoriam Aurelius celebrauit ad ista omnia publicanda per omnem Africam, & confirmanda. Hinc ibidem curauit edi insignia ista fidei Decreta, quæ laudat Auctor capitulorum exstantium post sancti Cælestini Pontificis apologeticas literas pro doctrina sancti Augustini. Disertè affirmat emanasse à Carthaginensi concilio. Nec desunt alia testimonia. Antiquus tamen error ista Decreta adscribit concilio Mileuitano. Et istum errorem secutus est Dominus Archiepiscopus. Pendebat tunc Apiarij causa, ideoque, & lis de Iure clericalium appellationum. Porrò Zozimus per ista sua acta non solam, in qua damnatus Cælestius, Aurelij Carthaginensem Synodum, sed insuper aliam eiusdem contra Cælestij, & Pelagij Dogmata, & similem Numidiæ Mileuitanam Synodum confirmauerat, ideoque lætificauerat totam Africam. Hinc suæ tunc Synodo videtur Aurelius proposuisse, an circa pendentem quæstionem esset cedendum Postulatis Romanæ Ecclesiæ, an auita gentis consuetudo constanter defendenda. Et omnis Synodus censuit hanc defendendam. Hinc edidit præsentes canones. Attamen adiunxit Pontifici aliquid deferendum. Nempe vt inferior clerus non dumtaxat ad suæ Prouinciæ Primates, aut Synodos, sed insuper prouocare posset ad finitimos episcopos. Ea tamen lege, vt propriam prouinciam non excederent. Etenim Limitanei clerici quandoque alienæ Prouinciæ Episcopos habent æquè vicinos, immò, & viciniores. Hinc canon addidit: [In alijs Prouincijs.] Hæc tunc sancita fuerunt sine adiecta conditione, sine appendice.

Tertius error est, quod Africana, quinti sæculi decimo octauo anno celebrata, Synodus apertè pronunciarit non toleraturos se appellationes ad Sedem Apostolicam, si constiterit ius illud Sedi Romanæ tributum non fuisse à Synodo Nicæna. Etenim hæc ab Afris scripta sunt ad Bonifacium Pontificem, qui nonnisi extremo istius anni fine, nempè vigesima octaua die decembris, est Pontificatum ingressus, ideòque isto anno non potuit ab Afris ad ipsum Synodaliter scribi. Scriptum videtur ex sexta Carthaginensi Synodo, quæ facta fuit anno sequenti. Annus decimus octauus apud Carthaginem vidit duas plenarias Africæ synodos. Alteram à S. Prosperi contra Collatorem libro laudatam, ex qua ducenti quatuordecim Episcopi Zozimum instruxerunt de causa, & moribus appellantis Cœlestij, alteram celebratam post Cœlestij damnationem, in qua ducenti septemdecim episcopi ediderunt laudata Decreta, ac præfatos Canones. Et hi palàm admiserunt, vt inferior Clerus etiam ad vicinos, intra suam tamen Prouinciam, posset prouocare episcopos.

pos. At in sequentis anni Synodo videntur recantasse, aut certè adiecisse non modicam conditionem. Ità suadet memorata ipsorum ad Bonifacium epistola: De primo, & tertio, Legatis suis à Zozimo Papa dati commonitorij articulo, [idest, vt Romam liceat episcopis prouocare, & vt clericorum causæ apud suarum Prouinciarum episcopos finiantur, iam priore anno etiam literis nostris ad venerabilis memoriæ Zozimum episcopum datis insinuare curauimus, vt ea seruare sine vlla eius iniuria tantisper sineremus, vsque ad inquisitionem Statutorum Concilij Nicæni.] Tertium Capitulum erat Sardicensis Canon de clericorum prouocatione ad finitimos episcopos. Affirmant se nonnisi per interim de ipso sanxisse.

Attamen Domino Archiepiscopo fauet epistolæ titulus: [Domino beatissimo Bonifacio Aurelius, Valentinus, & cæteri qui præsentes adfuimus, numero ducenti septemdecim ex omni Concilio Africæ,] At verò hęc plenaria Synodus manifestè est anni decimi octaui. Respondeo rem esse claram. Anni decimi octaui Synodus non potuit scribere ad Bonifacium, qui in isto anno nonnisi ad tres dies fuit Pontifex. Etiam clarum est, quod sexta Carthaginensis Synodus non potuerit habere tot episcopos. Etenim fuit celebrata per solos in consueto numero prouinciarum Legatos. Proindè Africani Codicis collector, quo Aurelij causam adiuuaret, pręfata verba dolosè addidit, ac epistolam vitiauit. Eodem scopo subiunxit hæc verba: Subscripserunt quoque Alipius, Augustinus, Possidius. Per ipsorum auctoritatem studuit munire Aurelium, non nego ipsos subscripsisse: Dumtaxàt assero istam subnotationem esse compilatoris, & non carere artificio. Insuper grande est mihi dubium, an Numidiæ Primas Valentinus huic Synodo interfuerit. Etenim Prouinciæ ad huiusmodi Synodos non solebant destinare, nisi tres Legatos. Quidquid sit, istam subnotationem non habet epistola ad Celestinum Pontificem. Quod nempè laudati tres episcopi istis literis non subscripsissent.

Proindè veritatem continent hæc Domini Archiepiscopi verba: [Clausula ista, sicut & de episcopis sæpè constitutum est, addita de industria fuit, quo primum tempore adornata est collectio. Itaque spectari debet hic Canon tamquam vigesimus octauus istius collectionis, non autem tamquam vigesimus secundus Concilij Mileuitani.] At verò istius collectionis auctor non fuit aliqua Synodus, sed nescio quis priuatus, malè olidus. Et licèt esset Synodus, fuisset eiusdem fœtoris. Quisquis fuerit, stabilire voluit temeritatem Aurelij, ideòque adiecit istam clausulam. Nullum adduxit, àut laudauit Canonem, sed simpliciter adscripsit: Sicut & de episcopis sæpè constitutum est. Nempè ex illo tempore, quo post adductos ex Oriente Canones Aurelius cœpit limites transilire. Et hinc clausula docet non vnicam, sed plures tunc sub Aurelio Synodos conuenisse. Quapropter Domini Cardinales Baronius, & Perronius rectissimè iudicarunt istam clausulam esse spuriam, ac destium additamentum, ideòque radendum. Idem auctor possit alias temeritates Africanis ad Bonifacium, & Cœlestinum circa has quæstiones literis intertexuisse.

Apiarij presbyteri crimina Africani episcopi exponunt in literis ad Bonifacium Pontificem: [Apiarius presbyter, de cuius & ordinatione, & excommunicatione fuerat exortum non solùm Siccensi, verùm etiam toti Africanæ Ecclesiæ non leue scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus.] Et in literis ad sanctum Cœlestinum: [Credidimus Apiarium cum Faustino Potentino Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato, ideò missum in Africam, quoniam sicut per eius operam presbyterio antea redditus fuerat, ità nunc posset de tantis criminibus, à Tabracenis obiectis, eo laborante purgari, cuius tanta, ac tam immania flagitia decursum nostri Concilij examen inuenit, vt & memorati patrocinium potiùs, quàm iudicium, ac defensoris magis operam, quàm disceptatoris iustitiam superarent. Et infra: Triduano laboriosissimo agitato Iudicio, cùm diuersa Apiario obiecta afflictissimi quæreremus, vel moras Coepiscopi nostri Faustini, vel tergiuersationes ipsius Apiarij, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus Iudex iustus, fortis & longanimis, magno compendio resecauit. Teteriori quippe, ac putidiori obstinatione compressa, qua tantum libidinum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro conscientiam eius coarctante, & occulta, quæ in illius corde tamquam in volutabro criminum iam damnabat, etiam hominibus publicante, repentè in confessionem cunctorum obiectorum flagitiorum dolosus negator erupit: Et tandem de omnibus incredibilibus opprobrijs vltroneus se ipse conuicit, atque istam quoque nostram spem, qua eum & credebamus, & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, conuertit in gemitus, nisi quoniam istam nostram mœstitiam vno tantùm solatio mitigauit, quod & nos labore diuturnioris quæstionis absoluit, & suis vulneribus qualemcumque medelam, etsi in vita, ac suæ conscientiæ reluctante, confessione prouidit.] Apiarius igitur erat grauiter reus. Primò erat illegitimè ordinatus. Forsan irregularis ex occulto crimine. Deindè in Tabracenam Ecclesiam varia patrarat. Tertiò, erat fœdissimus ex multis flagitijs. Quartum crimen erat dolosa, & pertinax omnium abnegatio. Propter ista igitur Vrbanus Apiarium degradauerat.

CAPVT XXVII.

Exponuntur Acta Zozimi Pontificis circa Apiarium.

DEgradatus Apiarius prouocauit ad Zozimum Pontificem, & Romam accessit. Quid Zozimus circa ipsum egerit, vtcumque colligimus ex præfatis Afrorum Episcoporum literis ad sanctum Bonifacium; [Quoniam Domino placuit, vt de his, quæ nobiscum egerunt sancti Fratres nostri, Coepiscopus Faustinus, & Compresbyteri Philippus, & Ascl-

& Asellus, non beatæ memoriæ Episcopo Zozimo, à quo ad nos mandata, & literas attulerunt, sed tuæ Venerationi, qui in eius locum es diuinitùs constitutus, Humilitas nostra rescriberet, ea breuiter insinuare debemus, quæ vtrorumque concordia terminata sunt, non ea quæ prolixis Gestorum voluminibus continentur, quibus, salua quidem charitate, non tamen sine paruo altercationis labore demorati sumus, ea Gestis deliberantes, quæ nunc ad causam pertinent. Quamquam & ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratiùs, quod videret pacatiùs terminatum. Apiarius presbyter, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus. Prior autem Coepiscopus noster Siccensis Vrbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine vlla dubitatione correxit.]

Zozimus itaque appellantem Apiarium audiuit, & admisit ad retractatorium Iudicium, & in ipso discussum reparauit. Et ad reparationem exequendam Legatos misit in Africam: Faustinum Episcopum Potentinæ Ecclesiæ, ac Philippum, & Asellum, presbyteros Ecclesiæ Romanæ. Addidit mandata, & literas. Vtique quibus mandabat obediri suo iudicio, & reparatum Apiarium reponi in sui gradus communionem. Apiarius non solummodò se purgauerat, sed insuper suum episcopum Vrbanum accusauerat de varijs. Et accusationis articulos Zozimo persuaserat. Hinc & ipsum Pontifex iussit corrigere suas vias, alioquin à Legatis corrigendum. Et Vrbanus his obediuit. Prior quod in eo corrigendum visum est, sine vlla dubitatione correxit. Legatio non dumtaxàt fuit destinata Siccam, sed insuper Carthaginem ad Primatem Aurelium, ac omnem Africanam Ecclesiam. Et ad Pontificis mandata maturè disquirenda Aurelius coegit Synodum. Possit fuisse illa ipsa ducentorum septemdecim episcoporum, conuocata ad publicandam Cœlestianæ, ac Pelagianæ damnationis Tractoriam. Eadem Legatiò possit Tractoriam apportasse. Et hinc forsitan ista Synodus edidit canones, partim spectantes ad Dogma de diuinis auxilijs, partim stabilientes antiquam disciplinam circa appellationes inferioris Cleri. Quidquid sit, de facta tunc Synodo scribunt episcopi ad Bonifacium: Salua quidem charitate, non tamen sine paruo altercationis labore demorati sumus. Et infra: Sanè priusquàm hæc causa isto termino clauderetur, diuturnis disceptationibus versabamus. De alia item circa has quæstiones Synodo Africani Episcopi scripserunt ad Bonifacij successorem Cœlestinum: [Nam primùm, quantum obstiterit Faustinus omni congregationi, diuersas iniurias irrogando, quasi Romanæ Ecclesiæ asserens priuilegia, & volens Apiarium à nobis in communionem suscipi, quem tua Sanctitas credens appellasse, communioni reddiderat. Quod minimè tamen licuit, quod etiam Gestorum meliùs lectione cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato Iudicio, &c.] Dolendum est prolixa Gestorum volumina, perijsse, aut latere. Ex ipsis enim disceremus plurima. Per istas ergo concertationes quædam vtrorumque concordia sunt terminata. Et quidem pacatiùs. Primò, Apiarius, quem cum Legatis Zozimus remiserat ad propria, de omnibus erratis suis veniam petens, est communioni restitutus. Igitur Romana Apiarij reparatio fuit ea lege ab Afris admissa, vt ille ab omni Synodo supplicaret veniam.

Reparatio admissa fuit cum aliquo moderamine. Episcopi enim pergunt ad Bonifacium: [Quia verò paci, & quieti Ecclesiæ non tantùm ad præsens, sed etiam imposterùm prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserant, vt vel similia, vel etiam grauiora deinceps præcaueri oporteret, placuit nobis, vt de Siccensi Ecclesia, licèt retento honore gradus sui, presbyter remoueretur Apiarius, & accepto Epistolio, vbicumque alibi posset, & vellet, presbyteri munere fungeretur. Quod eidem ipsi per proprias literas postulanti sine difficultate concessimus.] Synodus propter Romanæ Ecclesiæ reuerentiam admisit reparationem Apiarij. Verùm cum tribus temperamentis. Primò, citrà consequentiam. Propter pacem, & quietem tam Romanæ, quàm Africanæ Ecclesiæ. Et dat huius temperamenti causam: [Quoniam talia multa præcesserant, vt vel similia, vel etiam grauiora deinceps oporteret præcaueri.] Clericorum plures vtroque oculo vigilabant in huius causæ successum, & ipsi similem appellationem tentaturi.

Secunda conditio iussit Apiarium de omnibus suis erratis supplicare veniam. Hac enim ratione non solùm per Romanam, sed etiam per Africanam Ecclesiam est visus restitui. Tertia conditio fuit, vt in solum presbyteri gradum, non in Siccensem ecclesiam restitueretur. Hodie diceremus: In solum Ordinem, non in Beneficium. Quæ conditio fuit omninò opus sancti Augustini. Nam & ipse in secundo sermone de communi vita Clericorum dixit, & scripsit aduersùm Clericos proprietarios: [Quisquis inuentus fuerit habere proprium, delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, nauiget contra me, quò voluerit, sit certè vbi potuerit, adiuuabit me Deus, vt vbi ego episcopus sum, illic Clericus esse non possit.] Palàm respicit nauigationes ad almam Vrbem. & Romanas suorum Clericorum prouocationes. Constanter asseuerat ipsos licèt Romæ reponantur in gradum, à se tamen nunquam reponendos in tabulam, ac ministerium Hipponensis Ecclesiæ.

Rectè igitur aduersùs Zachariæ Chalcedonensis episcopi intercessionem dixit in octaua synodo Venerabilis Metrophanes, Orthodoxus Metropolita Smyrnensis: [Similiter etiam Apiarium, cum esset presbyter ecclesiæ Siccensis Africanæ Prouinciæ, propter aliquam causam segregauit proprius episcopus Vrbanus, posteà verò deposuit omnimodis synodus, quæ ibidem collecta est. Zozimus autem Papa Romanus recurrentem ad se, & ad Africanam synodum mittens cum literis, vt iterum susciperetur egit, rationem reddente synodo per scripta Bonifacio post Zozimum Papæ Romano de depositione, quæ facta est in Apiarium, & de iterata iustificatione:] Et quia nunc iustificatum eum arbitramur, iudicauimus autem non operari eum, quæ sunt presbyteri, in ecclesia Siccensi, propter scandala, quæ subsecuta sunt. Porrò

acci-

accipientem literas commendatitias à nobis, & omnibus alijs ecclesijs sacerdotio fungi.] Inuenitur igitur Africana synodus paruisse potiùs iudicio Zozimi Papæ Romani, ac per hoc propriam reprobasse sententiam, & iustificasse Apiarium, non restitisse voto Romanorum Pontificum.] Adducta Africanæ ad sanctum Bonifacium epistolæ verba non sunt originalia: Sunt translata ex textu Græco, translato ex originali. Hinc non modicè ab originalibus differunt. Aliæ octauæ synodi acta sic habent: [Eadem ratione Apiarium, Siccensis ecclesiæ, quæ in Africana Prouincia est, presbyterum, loci illius episcopus quamdam ob causam à cœtu fidelium exclusit. Eumdem posteà synodus ibi coacta penitus deposuit. Quem Zozimus Papa Romanus ad se confugientem, suamque causam illi probantem absoluit, & cum literis remissum ad synodum, recipiendum curauit. Rationem verò reddens per Apologeticum scriptum synodus Africana de Apiarij depositi, & rursus iustificati causa apud Bonifacium Papam Romanum, Zozimi Successorem, inquit:] Apiarium etiam hodiè absolutum iudicamus Censuimus tamen ei, propter scandala consecuta, in ecclesia Siccensi presbyteri locum non esse obeundum, at in alijs ecclesijs rem ei Diuinam facere licere. [synodum ergo Africanam Zozimi iudicio potiùs obtemperasse, compertum est.]

Rationem, ex qua Africani Episcopi Romanam Apiarij reparationem admiserint, docet eadem ad Bonifacium Papam synodalis epistola. Affirmat Commonitorio, quod suis ad Afros Legatis dedit Zozimus, insuisse quatuor articulos. Primus de Romanis episcoporum, tertius erat de presbyterorum, ac reliquorum clericorum appellationibus. Pergit epistola: [Quorum omnium de primo, & tertio id est, vt Romam liceat episcopis prouocare, & vt clericorum causæ apud suarum Prouinciarum episcopos finiantur, iam priore anno etiā literis nostris ad venerabilis memoriæ ZozimumEpiscopum datis insinuare curauimus, vt ea seruare sine vlla eius iniuria paulisper sineremus vsque ad inquisitionem statutorum Concilij Nicæni. Et nunc de tua poscimus sanctitate, vt quemadmodum ea apud Nicæam à Patribus acta, & constituta sunt, sic ea nobis facias custodiri, & ibi apud vos ista, quæ commonitorio attulerunt, facias exerceri.] Nempè Canones Sardicenses. Ipsos adducit epistola, ac prosequitur: [Hæc vtique vsque ad aduentum verissimorum exemplariorum Nicæni Concilij inserta Gestis sunt. Quæ si ibi, quemadmodum ipso: quod apud nos Fratres ex Apostolica Sede directi commonitorio allegauerant, continentur, eoque ordine, vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare iam nolumus, vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adiuuante misericordia Domini Dei nostri, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus iam istum typhum passuri, & seruabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non differentibus custodiri debeant, cum fraterna charitate, quæ secundùm sapientiam, atque iustitiam, quam tibi donauit Altissimus, etiam ipse perspicis esse seruanda, si fortè aliter se habent canones Nicæni Concilij. Quamuis enim plurimos Codices legerimus, sed numquam in Nicæno Concilio in Latinis Codicibus legimus, quemadmodum in supradicto commonitorio indè directa sunt, tamen, quia hic in nullo Codice Græco, ea potuimus inuenire, ex Orientalibus Ecclesijs, vbi perhibentur eadem Decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus afferri.]

Africani Antistites, dum Apiarij appellationem audiuerunt admissam à Zozimo, statim intercesserunt, reclamantes ad auitam suæ gentis consuetudinem. Intercessit, & Zozimus, reclamans ad Nicænos Canones. Hi, vtpotè à Spiritu Sancto conditi, apud omnes ecclesias fuerunt semper sacrosancti, ideòque, & Afros terruerunt. Cecilianus Carthaginensis Archiepiscopus adfuerat Nicæno Concilio, & eius canones publicauerat per omnem Africam: Hinc illi scrutati sunt apud omnia ecclesiarum Archiua, apud omnes Bibliothecas. Nec solummodò Latinos Codices, sed etiam Græcos. Et tales canones non inuenerunt. Hinc ipsos sibi transmitti supplicarunt à Zozimo. Hic in retractatorio Apiarij iudicio perrexit, ipsum reparauit, & in Africam destinauit solemnem Legationem, quæ istam reparationem exequeretur, conferret Nicænos canones, & Africanis episcopis demonstraret ius Sedis Apostolicæ. Legauit Faustinum Potentinum Episcopum cum duobus presbyteris suæ ecclesiæ. Et cum ipsis reparatum, ac suo loco reddendum Apiarium. Misit Sardicenses canones; affirmans Nicænos. Admirati sunt Afri: Istos enim canones nec per auditum nouerant. Hinc Pontifici, ob Apostolicæ Sedis reuerentiam, promiserunt seruare istas sanctiones, dummodò tamen non cogerentur ad patiendum illum typhum, qui dicebatur seruari in Italia. Non obstante illa Italorum patientia, nullatenus sustinuerunt se compelli ad talia. Ob eamdem Apostolicæ Sedis reuerentiam admiserunt Zozimi de Apiario iudicium. Sub iam dictis moderaminibus.

Verùm quis est ille typhus, quem Afri protestantur se nulla ratione passuros? Eumdem memorant in synodalibus literis ad Cælestinum Pontificem: [Executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.] Ad eumdem Pontificem in causa Antonij Fussalensis episcopi scripsit S. Augustinus: [Accipe nunc, quæ post eius sanctæ memoriæ viri, Bonifacij Pontificis in Africa literas gesta sunt, & subueni hominibus, opem tuam in Christi misericordia multò auidius, quàm ille poscentibus, à cuius inquietudine desiderant liberari. Iudicia quippè illis, & publicas potestates, & militares impetus, tanquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam, siue ipse Antonius, siue rumores crebertimi comminantur, vt miseri homines christiani catholici grauiora formident à catholico episcopo, quàm cum essent hæretici, à catholicorum Imperatorum legibus formida-

dabant. Non finas ista fieri, obsecro te per Christi Sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui christianorum Præpositos Populorum monuit, ne violenter dominentur inter Fratres. Dum Romana appellatæ causę decisio moras alicubi, aut obices pateretur, victor à Pontifice postulabat executoriales literas, & Executores. Et Papa eò destinabat clericos, qui à publicis Romani Imperij Potestatibus acciperent militares impetus, atque ita Romanum iudicium exequerentur. Hunc contra catholicos morem Africa vsque tunc possit non vidisse: Fieri possit, vt Zozimus Pontifex ipsum ibi studuerit simul cum Sardicensibus canonibus plantare. Verùm Episcopi potentissimè intercesserunt: Clamarunt esse typhum huius sæculi, Romana Ecclesia indignum, ideòque à se nec per Interim admittendum. Et Italorum, aut aliarum gentium patientiam ad se non spectare.

CAPVT XXVIII.

Exponuntur Faustini Potentini Episcopi, ac Philippi, & Aselli Presbyterorum, quos Zozimus Pontifex legauerat, apud Afros Acta.

DVm Legatio hæc venit in Africam, Zozimus non diù superuixit. Etenim Primum Legationis officium erat celebrare, aut potiùs celebrandam curare plenariam Africæ synodum: Et celebrata fuit illa, quam passim dicimus sextam Carthaginensem. Celebratam fuisse sub Bonifacij Pontificatu, est manifestum ex Actis, præsertim ex interlocutione sancti Alipij episcopi Tagastensis. Cap. 4. Celebrata fuit Honorij duodecimo, Theodosij secundi octauo consulatu, octauo kalendas Iunij. Hoc est, quinti sæculi anno decimo nono, die vigesima quinta Maij. Erat Dominica prima post Pentecosten. Isto enim anno Pascha inciderat in diem trigesimam Martij. Zozimus anno præcedenti obijt septimo kalendas Ianuarij: Vigesima sexta Decembris. Bonifacius fuit electus biduo post, in festo sanctorum Innocentium. Eulalij contra ipsum schisma durauit septem mensibus, diebus quindecim. Fuit ille antea compressus. attamen se mouere non desijt, donec tandem, pacis causa, fuit creatus Episcopus Nepesinus. Ad quæstionem dirimendam Imperator Honorius in Idus Iunias indixit Spoletinam synodum, & ad ipsam conuocauit cum Gallicanis etiam Africanos Episcopos, præsertim Primatem Aurelium, sanctum Augustinum, aliosque similium virtutum. Literæ datæ sunt tertio kalendas Aprilis, in vigilia Paschatis. Et episcopi isti se parabant ad iter. Verùm Eulalius damnauit semetipsum, atque ita præuenit synodum. Etenim quinto decimo kalendas Aprilis contra Principis mandatum intrauit Vrbem, ac turbas egit. Hinc tertio nonas Aprilis ipsum omni prætendendi Papatus iure excidisse pronunciauit Honorius, & Bonifacij electionem declarauit legitimam, ac firmam. Septimo Idus Aprilis ad Largum Africæ Proconsulem scripsit Spoletinæ synodi necessitatem euanuisse, ideòque nec sibi necessarios esse Africanos Episcopos. Et hascè literas Largus mox vulgauit. Tunc igitur Aurelius suspensam synodum indixit in diem vigesimam quintam Maij. Hinc intellige eiusdem Aurelij præfationem ad istam synodum: [Post diem præstitutum Concilij, vt recordamini Fratres Charissimi, multa flagitata sunt per exspectantes Fratres nostros, qui nunc ad præsentem synodum Legati aduenerunt, quæ Gestis necesse, est vt consocientur. Qua de re Domino nostro de tantæ congregationis cœtu gratia referimus.] Illi, qui Prouinciarum Legatos exspectarunt, erant Legati Apostolici. Etenim inter Prouinciarum Legatos erant sanctus Augustinus, sanctus Alipius, ac Nouatus Sitifensis episcopus, euocati Spoletum. Apostolici itaque Legati ad primò præstitutam synodi diem venerunt Carthaginem, Spoletinæ synodi euentum, ac Afrorum Episcoporum reditum isthic præstolantes. Et interim ab Aurelio, ac alijs præsentibus episcopis postularunt varia, præparatoria ad synodalem definitionem. Synodi compendium habes ad eius exordium: [In hoc concilio actum est, vt Nicænum concilium ab Episcopis Orientalibus peteretur, cui synodo interfuit Legatio Romanæ Ecclesiæ, Faustinus Episcopus, Philippus, & Asellus presbyteri.] Non sunt verba synodalia, sed compilatoris. Quem etiam ex his verbis constat fuisse hominem priuatum.

De hac synodo scribit in sexto suo libro Petrus de Marca: [Extraordinarium in politia ecclesiastica erat mitti in prouincias legatum, qui Concilijs prouinciarum interesset, quemadmodum ad Cœlestinum Papam scribit Concilium Africanum:] Nam vt aliqui, tamquàm à Sanctitatis tuæ latere, mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum. [Vndè concludunt non toleraturam diutiùs Africam Faustini Episcopi, Sedis Apostolicæ Legati, præsentiam. De illo enim intelligi debet hic locus, non autem de Apiario, vt censuit Illustrissimus Cardinalis Perronius.] Et adducit locum: [Nam de fratre nostro Faustino, amoto iam pro suis nefandis nequitijs Apiario, securi sumus, quod cum probitate, ac moderatione tuæ Sanctitatis, salua fraterna charitate, vlteriùs Africa minimè patiatur:] Rectè affirmat locum hunc non de Apiario, sed agere de vlteriùs non ferendo Faustino. Errat in alijs. Primò, quod tunc in Ecclesiastica Politia extraordinarium esset in prouincias mitti Apostolicum è Papali Latere Legatum, qui prouinciarum interesset synodis. Etenim pluribus, ad Nicœnam præparatorijs, totius Ægyptiacæ Diœcesios Alexandrinis Synodis Hosius Cordubensis Episcopus, sancti Syluestri Legatus non dumtaxat interfuit, sed insuper præsedit. Quod ipsum in Antiochena post Nicœnam Synodo fecerunt Eusebius Vercellensis Episcopus, & Lucifer Calaritanus, Legatio sancti Liberij. Eos magnus Athanasius, ac eius synodus in synodalibus ad istam synodum literis scribunt ante omnes episcopos, ideòque affirmant præsedisse.

Secundus error est, quod Africani Episcopi

ſcopi improbauerint omnem iſtiuſmodi legationem. Etenim improbarunt ſolam iſtam, quæ mitteretur ad retractandas cauſas Romanarum appellationum. Et in eo grauiter deuiarunt. Tertius error eſt, quod Fauſtinum, quà legatum poſtulauerint reuocari. Etenim non ob legationis, ſed ob variæ moleſtiæ, & aliorum exceſſuum cauſam id poſtularunt. Verùm quare Fauſtinus huic ſynodo non præſedit? Quod non ad præſidendum, ſed dumtaxat ad conferendum, ac demonſtrandum eſſet legatus à Zozimo. Locum ceſſit ſolis Aurelio Carthaginenſi, & Valentino Numidiæ Primati: Quod alter toti Diœceſi, adeòque, & ſynodo præſideret, alter ſingularem iſthìc haberet prærogatiuam.

Legationis, & ſynodi ſcopum exponit ſynodalis ad ſanctum Bonifacium epiſtola: [ſanè priuſquam hæc] reparati Apiarij cauſa iſto termino clauderetur, inter alia, quæ diuturnis diſceptationibus verſabamus, quia ratio ipſa poſcebat, vt apud acta eccleſiaſtica à Fratribus noſtris Fauſtino Epiſcopo, & Philippo, ac Aſello compresbyteris quæreremus, vt promerent quidquid eis nobiſcum agendum fuiſſet iniunctum, non nulla quidem ſine vllo ſcripto proſecuti ſunt verbis. Sed cum id potiùs flagitaremus, quod in literis ferrent, commonitorium protulerunt, quod recitatum nobis etiam geſtis, quæ ſecum ad vos deferunt, eſt allegatum. In quo eis quatuor quædam nobiſcum gerenda mandata ſunt. Vnum de appellationibus epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem. Alterum, ne ad Comitatum Epiſcopi importunè nauigent. Tertium de tractandis presbyterorum, & Diaconorum cauſis apud finitimos epiſcopos, ſi à ſuis excommunicati perperam fuerint. Quartum de Vrbano Epiſcopo excommunicando, vel etiam Romam vocando, niſi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret.] Apoſtolici ad generales, aut alias ſynodos legati conſueuerunt habere mandata duplicia, duplices inſtructiones: Secretam, & patentalem. Hinc etiam præſentes legati [nonnulla ſine vllo ſcripto proſecuti ſunt verbis.] Nempè ex ſua ſecreta inſtructione. Et quia iſta videntur non placuiſſe, ſynodus interceſſit: Poſtulauit, vt exhiberent patentalia mandata ſuæ legationis. Et illi exhibuerunt commonitorium, comprehendens quatuor articulos. Quæ omnia, vt plenè videantur, expedit Carthaginenſem Synodum illuſtrare breui ſcholio.

EXORDIVM.

POſt conſulatum glorioſiſſimorum Imperatorum, Honorij duodecimum, & Theodoſij Octauum, Auguſtorum, octauo kalendas Iunij, ſcripta hæc ſunt Carthagine in Secretario Baſilicæ Fauſti. Cùm Aurelius Papa, vnà cum Valentino primę Sedis Numidiæ, & Fauſtino Eccleſiæ Potentinæ, Prouinciæ Italiæ Piceni, Legato Eccleſiæ Romanæ, ſed, & Legatis diuerſarum prouinciarum Africanarum, ideſt, Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Sitifenſis, & Mauritaniæ Cæſarienſis, ſed & Tripolis, & Vincentio Colnſitano, Fortunatiano, & cæteris Epiſcopis prouinciæ proconſularis, ducentis decem, & ſeptem, necnon Philippo, & Aſello presbyteris Romanæ Eccleſiæ, conſediſſent, adſtantibus Diaconibus, Aurelius Epiſcopus dixit.

SCHOLION.

MAnifeſtum eſt hæc nón eſſe verba ſynodalia. Sunt verba neſcio cuius compilatoris: Imperiti, aut maligni. Quoniam clarum eſt huic ſynodo non adfuiſſe ducentos ſeptemdecim epiſcopos. Aderant enim ex cunctis extra proconſularem prouincijs ſolummodò tres legati. Etiam Valentinus, Numidiæ primas videtur non adfuiſſe. Etenim nullibi interloquitur. Et non eſt apparens ipſum fuiſſe legatum. Quæ omnia quidam conſiderantes cenſent hanc ſynodum, ipſam conſecutas literas ad Pontifices Bonifacium, & Cœleſtinum, omniaque circa Apiarium acta eſſe neſcio cuius ſpuria figmenta. Eſt audax graſſatio in antiqua monimenta. Etenim iſta ferè omnia exſtant apud Dionyſium exiguum, cuius authoritas eſt irrefragabilis: Fuit enim optimus Iudex Apocryphorum. Quare vero ſimilius eſt, quod quiſpiam Aurelij Primatis pertinax defenſor legitimis actis commiſcuerit quaſdam paleas.

Quidquid ſit, Synodus dicitur celebrata in Baſilica Fauſti, cuius eſt frequens memoria apud ſanctum Auguſtinum. In ſermone de verbis Apoſtoli: [Dies anniuerſarius Ordinationis Domini Senis Aurelij craſtinus illuceſcet. Rogat, & admonet per humilitatem meam, charitatem veſtram, vt ad Baſilicam Fauſti deuotiſſimè venire dignemini.] Et duodecimus, ac vigeſimus ſecundus poſt centeſimum ſermo de diuerſis habent hanc epigraphen: Habitus in Baſilica Fauſti, Carthagine. [Eiuſdem Baſilicæ eſt valdè frequens mentio in Africanis Concilijs. Eamdem laudat in libris de Wandalica perſecutione Venerabilis Victor Vtitenſis Epiſcopus. Laudat ſanctum Deogratias Carthaginenſem Epiſcopum, quod fouendis infirmis, qui ex capta, & ſpoliata per Geinericum Romana Vrbe venerant in Africam, parauerit] duas Baſilicas, nominatas, & amplas, Fauſti, & Nouarum. [Et inter Diuinas Wandalicæ captiuitatis prænunciationes refert: [Quidam presbyter vidit ipſam Fauſti Eccleſiam refertam turbis innumerabilibus populorum, & poſt paululùm euacuatam, & repletam porcorum multitudine, atque caprarum.] Quod nempè Ariani Vvandali, immundis porcis, & capris ſimiles, eſſent venerandam eccleſiam inuaſuri, ac profanaturi. Et de quodam cæco ſcribit: [Pergit ad Fauſti Baſilicam.] Vbi baptizat ſanctus Eugenius. Et fuit iſthìc illuminatus. Etiam ſcribit de Elpidiphoro Apoſtata: [Fuerat apud nos in eccleſia Fauſti baptizatus.] Et poſt eiectos Vvandalos Africani Epiſcopi ſcripſerunt ad Ioannem ſecundum Pontificem: [Ad vniuerſalem totius Africæ Synodum fideli deuotione conuenimus, in illa Iuſtinianæ Carthaginis Baſilica Congregationis noſtræ primitias Domino conſecrantes, vndè Patres noſtros Tyrannus Hunnericus expulerat.

Hæc Basilica Fausti apud nos dicitur: Multis Martyrum corporibus insignita, quorum Deus exaudiuit orationes, vt daret huius rei fiduciam sacerdotibus.] Addunt adfuisse ducentos septemdecim episcopos. Proinde erat celeberrima Basilica. Aliqui credunt fuisse Cathedralem. Etenim apud ipsam erat Baptisterium. Quòd olim in quauis Ciuitate vnicum videtur fuisse apud solam principalem ecclesiam. Item Hunnericus Rex videtur episcopos nostros eiecisse ex Cathedrali Basilica, & ipsam transcripsisse in suos Arianos. At certum est non fuisse. Cathedralis Ecclesia erat sanctarum Felicitatis, ac Perpetuæ. Quæ postquam à Donatistis redijt ad catholicos, dici cœpit [Restituta.] Faustus ille, à quo Fausti Basilica, videtur fuisse non sanctus Ecclesiæ Patronus, sed pius eius extructor, & fundator. Ignoro veram originem.

CAPITVLVM I.

POst diem præstitutam, vt recordamini Fratres Charissimi, multa flagitata sunt per exspectantes fratres nostros, qui nunc ad præsentem synodum legati aduenerunt. Quæ gestis necesse est consocientur. Qua de re Domino nostro de tantæ Congregationis cœtus gratias referimus. Superest, vt tam exemplaria Niceni Concilij, quæ nunc habemus, & à Patribus constituta sunt, quàm etiam hic à prædecessoribus nostris, eamdem firmantes synodum, vel quæ secundùm eam formam per omnes clericorum gradus, à summo vsque in vltimum, salubriter ordinata sunt, in medium proferantur. Ab vniuerso Concilio dictum est: Proferantur. Daniel Notarius recitauit: Niceni Concilij fidei professio, vel statuta sic se habent.

SCHOLION.

HÆc est præfatio, & allocutio Aurelij Primatis. Quare Africani Codicis compilator rectè adiunxit hæc verba: [Aurelius Episcopus dixit.] Præsentis synodi compilator inconcinnè separauit. Omnis quæstio erat de Nicenis Canonibus: An hi inferiori etiam clero permitterent Romanas appellationes. Africani Antistites affirmabant ipsas prohiberi per perpetuam ecclesiæ suæ consuetudinem; nihilominus se propter Nicenorum Canonum reuerentiam recessuros à sua consuetudine, & Zozimi Papæ mandatis per omnia parituros. Erat summa submissio: Etenim quod generales Canones singularibus, ac rationabilibus, nisi ipsas speciatim exprimant, & consuetudinibus non derogent, est antiqua & fundata regula. Et Niceni Canones Africanam consuetudinem non exprimebant. Eos igitur conquiri per omnem Africam iussit Aurelius: Et inuenti non sunt, nisi famosi viginti, vnàque fidei Decretum, seu Symbolum. Notanda sunt verba: [Exemplaria Niceni Concilij, quæ nunc habemus, & à Patribus constituta sunt.] Edicunt quod etiam tunc Africana Ecclesia ex Niceno Concilio nihil habuerit præter Symbolum, & Canones, adeòque quod Cecilianus ista sola secum Nicæa detulerit. Nulla secum detulit synodalia acta. Quod ipsum fecisse videntur & alij, qui pauci adfuerunt synodo, Latini Episcopi. Quin & ipsi Apostolici legati. Hinc plena acta videtur nunquam vidisse Latina Ecclesia. Imò sanctus Hilarius Pictauiensis Episcopus, tantus Latinorum Doctor, in libro de synodis profitetur ipsum Nicenum Symbolum à se etiam episcopo non fuisse visum, nisi dum in exilio degeret apud Grecos. Hinc ergò ab Aurelio Primate iussus Daniel Notarius recitauit: [Niceni Concilij fidei professio, vel statuta sic se habent.] Recitauit Symbolum, & viginti Canones.

CAPITVLVM II.

ET cum legisset, Faustinus Episcopus Plebis Potentiæ, Prouinciæ Italiæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ, dixit: Iniuncta nobis sunt à Sede Apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis cum vestra Beatitudine tractanda, sicut & gestis superioribus meminimus. Hoc est, de Nicenis Canonibus, vt conseruentur, & constitutio eorum: Et consuetudo. Quia aliqua ordine, & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergò primitùs, si placet Beatitudini vestræ, tractemus: Et postea cetera, quæ acta, vel inchoata sunt, inserta firmabuntur, vt ad Sedem Apostolicam rescriptis vestris intimare possitis, atque nos vos admonuisse apud Venerabilem Papam euidenter pateat, licèt & capitula actionum iam inserta sint gestis. De ipsis ergo, vt dictum est superiùs, quid vestræ Beatitudini placeat, agere debemus. Veniat ergò Commonitorium in medium, vt scire possit vestra Beatitudo, quid in eo contineatur, vt ad singula respondeatur.

SCHOLION.

LEctos per Danielem Canones Faustinus Legatus sibi postulauit exhiberi discutiendos. Et in discussis non habuit quod reprehenderet. Notanda sunt verba eius: [Sicut & Gestis superioribus meminimus.] Et Aurelij in sequenti Capitulo verba: [Quod Fratres nostri in actis nuper allegauerunt.] Demonstrant hanc non fuisse primam Sessionem huius Synodi. In priori Sessione episcopi rogauerunt Faustinum, vt omissis secretis mandatis exhiberet scriptum Commonitorium, ac eius contenta tractaret. Hac in sessione paret, & præfatur palmarem Commonitorij scopum esse, vt deinceps in Africa obseruentur Nicæni Canones. Ac item bonæ consuetudines. Quia quædam ecclesiasticæ disciplinæ capita ex ordine, & canone, quædam ex legitima consuetudine habent originem, & firmitatem. Africana Ecclesia plures habuit singulares consuetudines, difformes generalibus Ecclesiæ Regulis. Eas non improbari, ideòque nec abolendas à Romana Ecclesia Faustinus promittit, dummodò tamen sint rationabiles, & non aduersentur Nicæno Concilio. Huius Canones affirmat

firmat esse Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentia consecratos, ideóque nullam ab ipsis dissonantem consuetudinem posse esse legitimam. Omninò hos suos sermones dirigit in consuetudinem, qua Africana Ecclesia clericos prohibebat à Romanis appellationibus.

CAPITVLVM III.

AVrelius Episcopus dixit: Proferatur commonitorium, quod Fratres & Consacerdotes nostri nuper allegauerunt, & cætera, quæ acta sunt, vel quæ agenda sunt, subsequantur. Daniel Notarius recitauit commonitorium: Fratri Faustino, & filijs Philippo, & Asello Presbyteris, Zozimus episcopus. Vobis commissa negotia non latent. Vos ita vt nostra, immò quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite: Maximè cum, & hoc nostrum possitis habere mandatum, verba Canonum, quæ in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus. Ità enim dixerunt dilectissimi Fratres in Concilio Nicæno, cum de episcopotum appellatione decernerent: Placuit autem, vt si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati episcopi Regionis ipsius, & de gradu suo deiecerint eum, & appellasse episcopus videatur, & confugerit ad Beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & voluerit audiri, & iustum putauerit, vt renouetur examen, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam audiri, deprecatione sua mouerit Romanum episcopum, vt è Latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate episcopi Romani, quid velit, & quid existimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis iudicent, habentes auctoritatem eius, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit sufficere episcopos, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio iudicauerit.

SCHOLION.

IN famosa sua ad sanctum Flauianum Constantinopolitanum Antistitem, epistola sanctus Leo Pontifex Iulium Puteolanum episcopum, ac Renatum sancti Clementis presbyterum, suos ad Ephesinam Synodum Legatos, appellat suos Fratres. Et Paschasius Quesnellus commentatur: [Ità plerique Codices manuscripti, & omnes excusi cum Græca versione. Et congruit illius æui moribus, cum episcopi presbyteros Fratres vocitabant.] Fateor olim fuisse istum morem. Verùm non fuit vniuersalis. Palàm lucet ex præsenti commonitorio. Plura sunt istiusmodi exempla. Ex eodem commonitorio discimus, quod Romanus Pontifex etiam tunc se scriberet simpliciter episcopum sine contractione ad Romanam ciuitatem. Quod nempè sit vniuersalis episcopus. Primum Commonitorij caput erat de Romanis Episcoporum appellationibus. Nulla vnquàm de ipsis fuerat apud Afros quæstio: Attamen Zozimus demonstrare voluit ipsas non in sola fundari consuetudine, sed etiam in Nicænis Canonibus. Ità enim Afris promiserat. Deindè istas Afrorum appellationes deducere voluit ad formam, quam omnis obseruabat Ecclesia. Et ad hosce fines adduxit quintum Canonem Sardicensem. Et adiunxit esse editum in Nicæno Concilio.

CAPITVLVM IV.

ET cum recitaret, Alipius Episcopus Tagastensis, Legatus Prouinciæ Numidiç, dixit: De hoc iam superioribus etiam literis Concilij nostri rescripsimus, & id nos seruaturos profitemur, quod in Nicæno Concilio constitutum est. Adhuc tamen me mouet, quoniam cum inspiceremus Græca exemplaria huius Synodi Nicænæ, ista ibi, nescio qua ratione, minimè inuenimus. Vndè petimus Venerationem tuam, sancte Papa Aureli, vt quia hoc authenticum Concilium Nicænum in Vrbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos cum Scriptis Tuæ Sanctitatis mittere digneris. Et non solùm ad ipsum sanctum Fratrem nostrum Constantinopolitanum episcopum, sed etiam ad Alexandrinum, & Antiochenum venerabiles Sacerdotes, qui hoc nobis Concilium, cum substipulatione literarum suarum dirigant, vt omnis postmodùm ambiguitas auferatur. Quia nos ità, vt Frater Faustinus attulit, minimè inuenimus. Ista nos tamen tantisper seruaturos, vt anteà dixi, donec integra exemplaria veniant, profitemur. Petendus est autem literis nostris, & venerabilis Ecclesiæ Romanæ episcopus Bonifacius, vt ipse quoque dignetur ad memoratas Ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria prædicti Nicæni Concilij, secundùm eius possint scripta proferre. Nunc autem memorati Concilij Nicæni, qualia exemplaria habeamus, his Gestis sociemus.

SCHOLION.

DE admittendis, & obseruandis quoad quasuis appellationes Nicęnis Canonibus Africani Antistites, iam fuerant stipulati cum Zozimo, & ab hac eius Legatone exspectabant istos Canones. Hinc ad præsentem Sardicensem fuerunt admirati. Etenim ipsum, nec inuenerant in suis scrinijs, nec vsquam audiuerant. Interim Religioni duxerunt de Romani Pontificis fide, vel dubitare. Crediderunt sua exemplaria esse mutila, aut mendosa. Authentica reperiri in Patriarchalibus Græcorum Bibliothecis. Præsertim in Constantinopolitana. Hinc sanctus Alipius Aurelium Primatem monit, vt non solummodò ab Africana, sed etiam à Romana Ecclesia, solemnis ad istas Ecclesias destinaretur Legatio, postulatura, & allatura veros Nicænos Canones. Et adiunxit: [Nos tamen ista tantisper seruaturos profitemur.] Vtique propter Apostolicæ Sedis reuerentiã. Ex hoc loco nouarum hodie rerum dilectores edu-

educunt Romanas appellationes, etiam Afrorum episcopis nunquàm licuisse. Etenim Africani hîc episcopi nequaquam stipulantur de Clericorum, sed de solis episcoporum appellationibus. Et istud ipsum confirmatur ex istorum episcoporum literis ad Papam Bonifacium: " De Primo " Commonitorij articulo, [id est, vt Romam liceat episcopis prouocare, iam priore anno insinuare curauimus.]

Respondeo hoc interim, siue pactum non de episcopalis appellationis fuisse substantia, sed de sola, Afris ignota, forma Sardicensi. Quod enim de ista substantia nunquàm dubitauerint, est abundè demonstratum. Quod de sola ista forma fuerit ambiguitas, ostendunt istorum episcoporum, tam ad Bonifacium, quàm ad Cœlestinum Pontificem literæ, presertim hęc verba: [Nam vt aliqui tanquam à Tuæ Sanctitatis Latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum.] Qui nempè per Pontificem delegatæ ad retractandam causam Synodo præsideant, & in Synodali opere habeant Prærogatiuam atque Primatum. Tales Apostolicæ Sedis Legatos Afri nunquàm viderant: At ignorabant probari per Canones. Nihilominus stipulati sunt omnem Canonem per interim obseruare. Vti hodiè noui Dogmatistæ, censent retractatorium appellationum episcopalium iudicium non posse Romam euocari, aut exerceri per ipsum Pontificem, sed eum obligari ad istud delegandum in partibus; ità tunc Africani episcopi credebant istud iudicium spectare ad personalia sancti Petri, & Successorum priuilegia, ideòque non posse delegari. Opinandi fundamenta adduxi superiùs. Ad istam igitur, omnemque aliam Sardicensem formam in Africa plantandam Zozimus trãsmisit, etiam Canonem de episcoporum appellationibus.

Nec aliud Afri scripserunt ad Papam Bonifacium. Etenim adductis suis verbis mox adiungunt: [Et tunc de tua poscimus Sanctitate, vt quemadmodùm ea apud Nicæam à Patribus acta, vel constituta sunt, sic ea à nobis facias custodiri, & ibi apud vos ista, quæ in Commonitorio attulerunt, facias exerceri, id est, si episcopus accusatus fuerit,] &c. Adducunt totum Sardicensem Canonem. Et concludunt: [Hæc vtique vsque ad aduentum verissimorum exemplarium Nicæni Concilij inserta sunt Gestis. Quę si ibi, quemadmodùm ipso, quod apud nos Fratres ex Apostolica Sede directi allegauerunt, Commonitorio continentur, eoque ordine, vel apud vos in Italia custodiantur, nullo modo nos talia, qualia commemorata iam nolumus, vel tolerare cogemur, sed credimus adiuuante misericordia Domini Dei nostri, quod tua Sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non simus iam typhum istum passuri.] Zozimus ab Afris postulauerat duo. Primò, vt episcoporum appellationes deinceps fierent iuxta formam Sardicẽsem. Deinde vt retractati per Romanam Ecclesiam iudicij executio fieret, eo modo in Africa, quo fiebat in Italia. Nempè dum prompta non sequebatur obedientia, fieret per violentam compulsionem, quam Afri dicebant esse [typhum sæculi.] Et primum vsque ad Nicænorum Canonum aduentum seruare spoponderunt, secundum articulum sunt omni modo auersati. Quæ omnia altè clamant hoc „ Interim „ fuisse non de episcopalis appellationis substantia, sed dumtaxat de ordine, & modo.

CAPITVLVM V.

FAustinus Episcopus, Legatus Ecclesiæ Romanæ, dixit: Nec vestra Sanctitas prædicat Ecclesiæ Romanæ, siue de hoc Capitulo, siue de alijs, quia dicere dignatus est Frater noster, & Coepiscopus Alipius dubios esse Canones. Sed hæc ipsa ad Sanctum, & Beatissimum Papam nostrum scribere dignemini, vt & ipse integros Canones inquirens, cum vestra Sanctitate de omnibus Constitutis tractare possit. Sufficit autem, vt ipse Beatissimus Episcopus Vrbis Romæ, sicut vestra Sãctitas apud se tractat, ita ipse inquirat, ne contentio inter Ecclesias nasci videatur, sed magis charitate fraterna deliberare possitis, ipso rescribente, quid melius obseruari debeat. Aurelius episcopus dixit: Præter ista, quæ promisimus actis, necesse est vt etiam nostræ Paruitatis literis, Sancto Fratri & Consacerdoti nostro Bonifacio singula, quæ tractamus, plenissimè intimemus. Ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condiscamus. Vniuersum Concilium dixit: Placet.

SCHOLION.

ADuersùs sancti Alipij intercessionem Faustinus Legatus, nihil duxit opponendum. Afrorum de adducto Canone hæsitationem vidit esse fundatam, ideòque & dixit: [Vestra Sanctitas non præiudicat Romanæ Ecclesiæ. Attamen Legationem ad Orientales Ecclesias censuit non expedire, sed verorum Canonum inquisitionem esse faciendam, apud solam Romanam, & Africanam Ecclesias. Et adiunxit rationem: [Ne contentio inter Ecclesias nasci videatur, sed magis charitate fraterna deliberare possitis, ipso] Pontifice Bonifacio [rescribente, quid melius obseruari debeat.] Postulatam ab Alipio Legationem non penitùs improbauit.] sed suasit non à Romana simul, & Africana Ecclesia faciendam, sed pemittendam Pontificis arbitrio, & si facienda iudicetur, ab ipso solo faciendam. Duplex enim & diuisa Legatio, altè apud Græcos clamaret esse contentiones inter istas Ecclesias. Et Primas Aurelius probauit consilium. Et omnis Synodus acclamauit: " Placet. " Tanta erat Afrorum reuerentia in Romanam Cathedrã.

CAPITVLVM VI.

NOuatus Episcopus, Legatus Mauritaniæ Sitifensis, dixit: meminimus in hoc præsenti Commonitorio lecto etiam de Presbyteris, siue Diaconibus contineri, qualiter ab Episcopis suis, vel à finitimis audiri debeant, quod in Nicæno Concilio mini-

nimè legimus. Vnde hoc ipsum iubeat Sanctitas Vestra nobis recitari. Aurelius Episcopus dixit: recitetur ad locum etiam hoc, quod deposcitur. Daniel Notarius recitauit: De appellationibus autem Clericorum, id est, minoris loci, restat ipsius Synodi certa responsio. De qua re quid acturi sitis, credimus inserendum, quod taliter dictum est ex Concilio. Hosius Episcopus dixit: Quid me adhuc moueat, reticere non debeo. Si Episcopus fortè iracundus, quod esse non debet, citò aut asperè conmoueatur aduersùs Presbyterum, siuè Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideò habeat potestatem eiectus, vt finitimos interpellet Episcopos, vt causam suam audiant, & diligenter tractent, quia non oportet negari audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui aut iustè, aut iniustè eum eiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, & aut probetur eius, aut emendetur sententia, &c.

SCHOLION.

Nouatus Sitifensis Episcopus, ac istius Mauritaniæ Legatus à primo Commonitorij articulo perrexit ad tertium, & palmarem, qui erat de inferioris Cleri appellationibus. Etiam pro ipsis adductum à Zozimo Canonem dixit non esse Nicænum, aut certè non reperiri inter Decreta Nicæni Concilij. Quæstio est, quo fundamento, aut quo colore Zozimus ad Romanas appellationes inferiori Afrorum Clero impartiendas adduxerit istum Sardicensem Canonem? Dominus Petrus de Marca respondet: [Huius Canonis præiudicio, quem Legatus Faustinus tamquàm Canonem Nicænæ Synodi protulerat, Zozimus firmare conatus est cognitionem à se habitam de causa tunc Apiarij presbyteri Africani, à proprio Episcopo deiecti, existimans videlicèt eum esse Canonis illius sensum, vt Presbyteri excommunicati arbitrio relinquat querelam deferendi ad quos voluerit Episcopos modò prouinciæ vicini essent, cuiusmodi esse Roma videbatur, habita ratione Prouinciarum Maritimarum Africæ.

Respondeo hæc esse paradoxa. Quomodò enim Romanus Antistes Siccensi intra Sitifensem Mauritaniam Clerico possit dici finitimus? Interiacent Numidia, atquè Byzacium. Quis credat, quod Zozimus Apostolicam Sedem computarit inter finitimos vbicumque damnatorum Clericorum Episcopos, & ex hoc solo titulo adscripserit ipsi ius admittendæ appellationis? Fundauit istud ius in Primatu suæ Sedis. Proindè Zozimus, dum Afris canonem misit direxit suos oculos haud dubiè ad scopum Apiarij. Quin Apiarius plurima de impotenti Afrorum Episcoporum in suum Clerum dominatu instillauerit auribus Zozimi, non est dubitandum. Nec sine fundamentis. Istius enim dominatus insolentia Gratum Primatem permouit ad datam ipsis per Apostolicos Canones potestatem circumscribendam, ac Synodaliter sanciendum, vt Episcopus non queat solus damnare, aut iudicialiter frænare suum Presbyterum, aut Diaconum, nisi cum assistentia sex, aut trium Collegarum. Proindè Zozimus Africanum Clerum censuit liberandum ab isto dominatu, & vidit Sardicensem Canonem esse isti fini aptissimum, & propter ipsum emanasse. Hinc prudentissimè transmisit in Africam. Per ipsum demonstrauit Clerum non adstringi ad Retractatorium suæ Prouincialis Synodi Iudicium: Esse adeò liberum, vt ipsa neglecta possit confugere ad vicinos episcopos. Quocircà Dominus Petrus de Marca manifestè labitur, quod Zozimus hunc Canonem adduxerit pro Romanis inferioris Cleri appellationibus. Etenim lucidum est istum esse scopum, aut sensum Canonis. Sardicensis de Romanis appellationibus Canon, licèt solos Episcopos exprimat, omninò tamen sancit etiam de Clericis. Et quod omnis sub cœlo Ecclesia ipsum sic semper intellexerit, huc vsque ostensum est per authentica, ac plura exempla, ac testimonia. Proindè omnis Zozimi per Canonem scopus fuit dignoscere, an Paterna Sardicensis Synodi in Clerum prouidentia, & super quintum Nicænum Canonem adiecta clementia locum haberet in Africa, atque ita Clerus non opprimeretur per Episcopos. Possit in huius canonis transmissione Zozimus oculos direxisse etiam in Romanas inferioris Cleri appellationes, & à minori ad maius duxisse argumentum, hoc sensu: Nicæni Canones inferiorem Clerum adeò non adstringunt appellare ad solam suæ Prouinciæ synodum, vt permittant appellare etiam ad finitimos Episcopos; quanto igitur magis ad Episcopum Romanorum? ita aliqui existimant. Non malè.

CAPITVLVM VII.

Cumque recitarentur, Augustinus Ecclesiæ Hipponis Regiensis, Legatus Prouinciæ Numidiæ, dixit: Et hoc nos seruaturos profitemur, salua diligentiori inquisitione Concilij Nicæni. Aurelius Episcopus dixit: Si hoc etiam omnium vestræ Charitati placet, responsione firmate. Vniuersum Concilium dixit: Omnia, quæ in Niceno Concilio statuta sunt, nobis omnibus placent. Iucundus Episcopus Episcopus Ecclesiæ Suffetulæ, Legatus Prouinciæ Byzacenæ, dixit: Quod constitutum est in Nicæno Concilio, violari à quoquam nullatenùs potest.

SCHOLION.

Etiam hæc sancti Augustini interlocutio demonstrat summam Africanæ Ecclesiæ reuerentiam, & in sancti Petri Sedem, & in Nicænos Canones. Ex priori reuerentia transmissos à Zozimo Sardicenses Canones omnis ista Ecclesia vsque ad lucidam veritatis manifestationem venerari perrexit tanquam Nicænos; ex posteriori fuit parata valedicere suæ antiquæ consuetudini, & inferiori etiam Clero Romanas appellationes permittere. Non soli duo Prouinciarum Legati,

gati, sed omnis Synodus vna voce exclamauit: [Omnia, quæ in Nicæno Concilio statuta sunt, nobis omnibus placent.] Omnibus placuit Iocundi Suffutulensis Episcopi interlocutio: [Quod constitutum est in Nicæno Concilio, violari à quoquam nullatenùs potest.] Locuti sunt ex regula, ex qua & magnus Leo posteà scripsit Nicænos Canones esse [Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentia consecratos.] Ex ista reuerentia Apiarij Presbyteri factam à Zozimo reparationem admiserunt. Non vsque ad repertam Nicænorum Canonum veritatem neque ad quamuis aliam reincidentiæ conditionem, sed absolutè, ac in perpetuum, Attamen sub præfatis moderationibus.

CAPITVLVM VIII.

FAustinus Episcopus, Legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: Adhuc secundùm professionem Sanctitatis vestræ, tàm sancti Alipij, quàm, & Fratris nostri Iocundi, aliqua infirmari credo, aliqua firmari debeant, cum iam in dubium ipsi Canones venerint. Ergò, vt placet, & nobis, & Beatitudini vestræ, ad sanctum, & venerabilem Ecclesiæ Romanæ Bonifacium Episcopum vestra scribere dignetur Sanctitas, vt & ipse, quod sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, vtrum nàm, & hoc concedendum sit, an reticendum, hoc est de appellationibus inferioris gradus. Si ergò adhuc indubium venit, de hoc Capitulo iustum est vt Beatissimæ Romanæ Sedis Episcopus informari debeat. Si tamen in approbatis Canonibus hoc reperiri possit.

SCHOLION.

CAnon est manifestè mendosus. Forsan emendari possit hoc modo: [Aliqua infirmari credo, quæ firmari debeant.] Infirmari est non penitùs cohærere. Etenim sanctus Alipius de episcopalibus, sanctus Augustinus de clericalibus appellationibus dixerant: [Hoc nos seruaturos profitemur, salua diligentiori inquisitione Concilij Nicæni.] At verò Iocundus Episcopus dixerat: [Quod constitutum est in Nicæno Concilio, violari à quoquam nullatenùs potest.] Hæc Faustinus Legatus censuit non ex integro cohærere. Nonnihil recessit à priori sua interlocutione: [Vestra Sanctitas non præiudicat Ecclesiæ Romanæ.] Hæsitauit, an hæc de transmissorum à Zozimo Canonum legitima authoritate diffidentia non præiudicaret, Hinc omnia censuit referenda ad Pontificem Bonifacium. Præsertim sancti Augustini interlocutionem. Etenim ex ipsa videbat nutare reparationem Apiarij. Quoniam repertæ Canonum veritas poterat ipsam exsufflare.

CAPITVLVM IX.

AVrelius Episcopus dixit: Etiam, quæ dudum vestræ Charitati intimauimus, nunc patimini exemplaria Statutorum Nicæni Concilij, sed & quæ hic salubriter à nostris Decessoribus secundùm eiusdem Concilij normam formata sunt, vel quæ nunc ordinata sunt à nobis recitari, & Gestis inseri. Omne Concilium dixit: Exemplaria fidei, & statuta Nicænæ Synodi, quæ ad nostrum Concilium per beatæ recordationis olim Prædecessorem tuæ Sanctitatis qui interfuit, Cecilianum Episcopum allata sunt, sed, & quæ Patres, ea exemplaria sequentes, hic constituerunt, vel nunc communi Tractatu statuimus, his Gestis Ecclesiasticis inserta manebunt, ità vt, quemadmodùm superiùs dictum est, venerabilibus viris Antiochenæ, & Alexandrinæ, sed, & Constantinopolitanæ Ecclesiarum Episcopis scribere vestra Beatitudo dignetur, vt exemplaria verissima Concilij Nicæni sub adstipulatione literarum suarum dirigant: Quò declarata veritate, ea Capitula, quæ in Commonitorio præsens Frater, & Coepiscopus noster Faustinus, & Compresbyteri Philippus, & Asellus secum attulerunt, aut ibidem reperta à nobis firmabuntur, aut si non inueniuntur, collecta Synodo de hoc in sequenti tractabimus. Daniel Notarius Nicæni Concilij professionem fidei, vel eius Statuta recitauit in Concilio Africano.

SCHOLION.

HIs omnibus auditis Primas Aurelius perstitit in suo priori, & quorumdam Collegarum iudicio, censentium esse necessariam perquisitionem verorum Canonum. Et omnis Synodus fuit adstipulata. Dixit & aslatos in Africam à Ceciliano Cartaginensi Primate, qui Synodo interfuerat, Nicænos Canones, & omnia ex eius Codice transcripta exemplaria comprehendere solos viginti, & à Zozimo transmissos non esse in illis, idcoque necessariam esse Legationem ad Alexandrinam, Antiochenam, & Constantinopolitanam Ecclesiam, quæ ab illis authentica exemplaria adduceret. Ad sanctum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum Innocentius Presbyter, ad Atticum Antistitem Constantinopolitanum missus est Marcellus Subdiaconus. Existimo pro Marcello legendum esse Marcellinum: Nempè illum Carthaginensis Ecclesiæ Subdiaconum, qui Afrorum circa Cęlestij causam Rescripta deportauit ad Papam Zozimum. An Bonifacius Pontifex similem Legationem, aut certè literas miserit, non possim affirmare, Istius rei nulla est memoria. Quin tamen Africana Synodus legauerit etiam ad Ecclesiam Antiochenam, videtur non dubitandum. Istam Patriarchalem Cathedram videtur tunc insedisse venerabilis Theodotus, & ante Legationis aduentum obijsse: Successor Ioannes videtur non respondisse. Aut sanè eius Rescriptum latet, aut perijt.

Et

Et hæc omnia sua Acta Synodus retulit ad sanctum Papam Bonifacium. Apiarij reparationem, suum iudicium de Zozimi Commonitorio, & contentis in ipso Canonibus, ac præsertim suam Legationem ad Orientales Ecclesias. Hæc est relatio: [Quamuis plures Codices legeremus, sed nusquam in Nicæno Concilio, in Latinis Codicibus legimus, quemadmodùm in supradicto commonitorio inde directa sunt. Tamen quia hìc in nullo Codice Græco ea potuimus inuenire: ex Orientalibus Ecclesijs, vbi perhibentur eadem Decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus adferri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, vt scribere etiam ipse digneris ad illarum partium Sacerdotes, hoc est, ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Constantinopolitanæ. Et si alijs etiam placuerit tuæ Sanctitati. Vt inde ad nos eidem canones apud Nicæam ciuitatem à Patribus constituti veniant, te piissimum hoc beneficium cunctis occidentalibus Ecclesijs in Domini adiutorio conferente. Quis enim dubitet exemplaria esse verissima Concilij Nicæni in Græcia congregati, quæ de diuersis locis, & de nobilibus Græcis Ecclesijs allata, & comparata concordant? Quod donec fiat, hæc, quæ in commonitorio supradicto allegata sunt, de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem, & de Clericorum caussis apud suarum Prouinciarum Episcopos terminandis, nos vsque ad prolationem seruaturos esse profitemur, & Beatitudinem tuam ad hoc nos adiuturam in Dei voluntate confidimus. Cætera verò, quæ in nostra Synodo gesta, & confirmata sunt, quoniam supradicti Fratres nostri, Faustinus Coepiscopus, Philippus & Asellus Presbyteri secum ferunt, si dignatus fuerit, tuæ nota facient Sanctitati.]

Plura hinc discimus. Primò, quod Faustinus Legatus, ac eius Collegæ post hanc Synodum redierint ad almam Vrbem. Secundò, quod Philippum, & Asellum, Cardinales Presbyteros, quos Zozimus dixerat filios hæc Synodus inscribat Fratres. Nempè aliter Romanus Pontifex, aliter inferiores Episcopi fuerunt semper consueti inscribere titulos. Etiam Innocentium Præsbyterum, sibi alienum, Legatum huius synodi, sanctus Cyrillus inscripsit filium. Forsitan quia Patriarcha Alexandrinus fuit semper consuetus in cunctis imitari Romanum Pontificem. Tertiò discimus, quod hæc synodus decretam à se Legationem retulerit Bonifacio, sed tamen eius executionem non distulerit vsque ad eius Rescriptum. Quartò, quod Bonifacio supplicarit, vt & ipse similem Legationem decerneret. Quare omninò possit decreuisse. Quintò discimus, quod hæc de Nicænis Canonibus quæstio posterioribus sæculis forsan præbuerit ansam litigandi de eorumdem numero, & fingendi uarias de ipsis epistolas, contentas in Codice Isidori Mercatoris. Africani Episcopi plurimum fiduciæ habebant apud sanctum Bonifacium. Quippè ab Imperatore Honorio fuerant in Italiam vocati ad discutiendam eius causam contra Antipapam Eulalium: Et se ad iter adcinxerant, ipsum adiuturi. Hinc ab eius sapientia, atque iustitia supplicarunt & sperarunt se liberandos à supra exposito Romanæ executionis modo, quem appellabant [typhum sæculi. Idque etiamsi fortè aliter se haberent Nicæni Canones. [Censebant aduersari Christianæ modestiæ.

CAPVT XXIX.

Exponitur alia de his rebus Carthaginensis Synodus, habita sub Pontificatu Sancti Cælestini.

QVo tempore Innocentius Carthaginensis Ecclesiæ Presbyter, & Marcellinus eiusdem Ecclesiæ Subdiaconus, ex Oriente rediuerint, non constat. Etenim ad Sanctos Alipium, & Augustinum scribit Sanctus Hieronymus: [Sanctus Innocentius Presbyter, qui huius sermonis est portitor, anno præterito, quasi nequaquàm in Africam reuersurus mea ad Dignationem vestram Scripta non sumpsit] : Hic Innocentius omninò videtur esse ille ipse Synodalis Legatus. Cum synodalibus literis Carthagine Alexandriam ad sanctum Cyrillum, cum alijs sanctorum Alipij, & Augustini literis Alexandria profectus est Hierosolymam ad sanctum Hieronymum. Etenim Alipius, & Augustinus fuerant magna pars istius synodi, ideòque eius Legato addiderunt suas de Pelagiana hæresi literas ad suum in isto bello strenuissimum Commilitonem Hieronymum. Ansam scribendi præbuit Cælestius, qui sua ad Zozimum Pontificem appellatione Africanam insigniter vexauerat, Romanam autem Ecclesiam fœdissimè, ac nuperrimè deluserat. An Innocentius solus, an simùl cum Marcellino iuerit Hierosolymam, ignoro. Videtur iuisse solus. Nam principales ipsorum termini fuerunt nimiùm disparati. Quidquid sit, ambo retulerunt Nicænos canones cum sancti Cyrilli, & Attici literis, inscriptis ad Aurelium, ac eius synodũ. Sancti Cyrilli epistola scripta est anno istius sæculi vigesimo tertio, quarto post istam synodum. Etenim proximũ post epistolam Pascha erat futurum decimo septimo kalẽdas Maias, idest, die decima quinta Aprilis: Quod factum est anno istius sæculi vigesimo tertio. Et Paschalis dies per Alexandriæ Patriarcham non solebat denunciari Ecclesijs, nisi ad Festum Dominicæ Epiphaniæ. Bonifacius Pontifex erat tunc adhuc superstes. Est enim isto anno defunctus octauo kalendas Nouembris. In Africano codice ad sancti Cyrilli, & Attici epistolas habemus hanc annotationem: [Sanctus Cyrillus Authentica Concilij Nicæni, translata de Græco, per Innocentium Presbyterum transmittit. Quæ, & etiam aliæ epistolæ, cum eodem Concilio Nicæno per memoratum presbyterum Innocentium, & Marcellum Subdiaconum Ecclesiæ Carthaginensis, sancto Bonifacio Episcopo, Romanæ Ecclesiæ sub die sexto kalendas Decembris sunt directa]. Proindè circa Festum Epiphaniæ Innocentius Alexandria redijt in Africam. Exindè episcopi transmissos canones discusserunt, ac de suis rebus deliberarunt. Haud dubiè synodaliter. Sexto Kalendas De-

 cem-

cembris eosdem Legatos cum Nicænis Canonibus, ac suo circa hæc omnia iudicio miserunt ad sanctum Bonifacium, haud dubiè supplicantes suam sibi circa inferioris cleri appellationes consuetudinem confirmari, ac deinceps non infringi, aut impeti. Verùm tunc vltra mensem defunctus erat Bonifacius, ac Cælestinus Successor ferè per mensem sederat. Africana Ecclesia vsque tunc ista ignorabat. Ex his lucet labi Ioannem Garnerium, vbi in Pelagiana historia asserit Innocentium presbyterum ad conquirendos Nicænos canones fuisse missum anno istius sæculi decimo octauo, & nono decimo rediisse. Rectè tamen dubitat, an hic Legatus sit idem cum laudato per sanctum Hieronymum Innocentio, Etenim de suo Innocentio scribit sanctus Hieronymus: [Quasi nequaquàm in Africam reuersurus]. Attamen hoc non euincit. Poterat enim tunc non velle, aut ex Superiorum Mandato non posse reuerti.

His cognitis Africani episcopi denuò fecerunt aliam synodum. Eius, vti & istius prioris, Acta perierunt, aut latent. Vtcumque tamen disci possint ex huius posterioris relatione ad sanctum Cælestinum. Eius verba, licèt superiùs adducta, sunt repetenda, [Optaremus, si quemadmodùm Sanctitas tua de Apiarij aduentu lætatos vos fuisse, missis per Compresbyterum nostrum Leonem literis intimauit, ita nos quoque de eius purgatione hæc Scripta cum lætitia mitteremus. Esset profectò, & nostra, & vestra modò alacritas certior: Nec festinata, nec præpopeà videretur, quæ adhùc tam de audiendo, quàm de audito præcesserat. Adueniente sanè ad nos sancto Fratre, & Coepiscopo nostro Faustino, Concilium congregauimus, & credidimus ideò cum illo missum, quoniam sicut per eius operam Presbyterio ante redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus, à Tabracenis obiectis, eo laborante purgari. Cuius tanta, & tam immania flagitia decursum nostri Concilij examen inuenit, vt memorati patrocinium potiùs, quàm iudicium, ac defensoris magis operam, quàm disceptatoris iustitiam superarent. Nam primùm, quantum obstiterit omni Congregationi diuersas iniurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens priuilegia, & volens eum à nobis in communionem suscipi, quem tua Sanctitas, credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderat, quod minimè tamen licuit. Quod etiam Gestorum ex lectione meliùs cognosces. Triduano tamen laboriosissimo agitato iudicio, cum diuersa eidem obiecta afflictissimi quæreremus, vel moras Coepiscopi nostri Faustini, vel tergiuersationes ipsius Apiarij, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus Iudex fortis, iustus, & longanimis, magno compendio resecauit. Tetriore quippè, ac putidiore obstinatione compressa, qua tantum libidinum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro eius conscientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde, tanquàm in volutabro criminum iam damnabat, etiam hominibus publicante, repentè in confessionem cunctorum obiectorum flagitiorum dolosus negator erupit. Et tandem de omnibus incredibilibus opprobrijs vltroneus se ipse conuicit, atque ipsam quoque nostram spem, qua eum, & credebamus, & optabamus de tam pudendis maculis posse purgari, conuertit in gemitus: Nisi quoniam istam nostram mœstitiam vno tantùm mitigauit, quod & nos labore diuturnioris quæstionis absoluit, & suis vulneribus qualemcumque medelam, etsi inuita, ac suæ conscientiæ reluctante, confessione prouidit].

Hæc epistola non est Afrorum Antistitum prima ad sanctum Cælestinum. Nec enim ipsi ex more gratulantur Pontificatum, nec circa ipsum fausta precatur. Solummodò habet in sui medio: Præfato debitæ salutationis officio]. Est scripta ex impetu, ideòque oblita consuetam præfationis reuerentiam locare in exordio. Ex ipsa interim colligimus plura. Primò, quod in adductis ex Oriente Nicænis canonibus missos à Zozimo canones non videntes Africani episcopi censuerint se fundatos aduersùs Romanam Ecclesiam, ideòque reparati Apiarij causam iudicauerint retractandam. Et omninò retractarunt. Quin, & reparationem exufflarunt. Ipsam anteà admiserant sub certis moderationibus, attamen absolutè, sine dependentia à quouis successu circa Nicænos canones. Et ecce nunc omnia circumducunt. Attamen ex alio principio. Adduxerunt enim noua eius crimina, nouasque probationes: Et de istis conuictum, & confessum denuò deiecerunt. Immò non deiecerunt, sed à Cælestino Pontifice deijciendum denuò transmiserunt ad almam Vrbem. Appositis Apostolicæ Sedis manibus detulerunt antiquam reuerentiam. Et Cœlestinus ipsum accepit cum gaudio, eius reparationem innouauit, & firmauit, & cum Faustino episcopo reponendum remisit in Africam. Quæ omnia apud Afros sunt acta synodaliter. Et ex his patet tam Faustinum, quàm Apiarium frequenter iisse, & rediisse.

Ad Faustini reditum Africani episcopi denuò adunarunt synodum. Et in ipsa Faustinus Apiarij Aduocatum potiùs egit, quàm Iudicem. Et ante omnia potenter obstitit omni Congregationi, diuersasque ei ingessit iniurias, asserens Romanæ Ecclesiæ priuilegia. Nempè Africanos episcopos durè increpauit, quod Apiarij factam à Zozimo, ac Bonifacio reparationem fuissent ausi retractare, atque ità patenter impingere in priuilegia Romanæ Ecclesiæ. Asseuerauit, quod insupèr nouissimæ eius appellationi fuisset defendum. Etenim hæc verba, [Credens appellasse, quòd probare non potuit], manifestè laudant non primam ad Zozimum, sed longè posteriorem Apiarij appellationem ad Cœlestinum. Nempè dum Africani episcopi ipsum voluerunt denuò degradare, ille nouam interposuit appellationem. Et hæc videtur fuisse causa, cur eum ipsi damnare non præsumpserint, sed damnandum transmiserint Pontifici. Et ipsam insupèr negarunt, dicentes ab Apiario non posse probari. Quin, & constanter adiecerunt: [Quod minimè tamen licuit]. Hoc est, quantumuis Apiarius appellasset, vestra tamen Sanctitas nequit appellationem admittere, longè minùs ipsum reddere communioni. Nempè ob antiquam Africanæ Ecclesiæ consuetudinem, quam adducti Nicæni canones non infirmabant.

Per-

Pergit Synodalis ad Cœlestinum Pontificem epistola: [Præfato itàque debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittas, nec à nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere. Quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum, facilè aduertet Venerabilitas tua, Nam etsi de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi præcaueri, quantò magis hoc de episcopis voluit obseruari, ne in sua Prouincia communione suspensi, à tua Sanctitate, vel festinatò, vel præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui, Presbyterorum quoque, & sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua: Quia, & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, siue inferioris gradus clericos, siue ipsos episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, iustissimèque prouiderunt quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda: Nec vnicuique Prouinciæ gratiam Spiritus Sancti defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur. Maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare. Nisi fortè quisquàm est, qui credat vnicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodò ipsum Transmarinum Iudicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis alijs intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? Nam vt aliqui à tuæ Sanctitatis Latere mittantur, nulla inuenimus Patrum synodo constitutum, Quia illud, quod pridem per Coepiscopum nostrum Faustinum, tamquàm ex parte Nicæni Concilij, transmisistis, in Concilijs verioribus, quæ accipiuntur Nicæni à sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio episcopo, Prædecessori vestro, à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire].

Infelix, deuia, ac præuaricatoria epistola. Ante omnia rogat, vt Romanus Pontifex nullam deinceps ex Africa appellationem admittat: Neque laici, neque clerici, neque item episcopi. Vt nullum ab Africana Ecclesia excommunicatum reddat communioni. Idque quia ità sancitur à Nicænis Canonibus. Epistola affirmat Romanas appellationes, adeò non firmari per istos canones, vt etiam episcopis per istos interdicantur. Putatur respicere quintum canonem. Verùm ille nimiùm manifestè sancit de solis clericis inferioribus: Nec video fucum, quo possit extendi ad episcopos. Quare existimo Afros respexisse etiam ad quartum, ac præsertim ad sextum canonem, per quos Metropolitis datur non modica potestas in creandis episcopis. Afri videntur ipsam extendisse ad iudicia. Quidquid sit, epistola singulariter rogat deinceps non admitti prouocationes presbyterorum, ac aliorum clericorum. Ipsas appellat [Improba refugia]. Nempè vetita per antiquam Africanæ Ecclesiæ consuetudinem. Et adiungit isti cõsuetudini per nullam Patrum definitionem esse, vel in minimo derogatum. Ex quo discimus singulares Ecclesiarum consuetudines posse aboleri per generales synodos: Istud tamen non censeri factum, nisi disertè exprimatur. Hæc regula est adeò antiqua.

Et suæ consequentiæ, qua Nicænum Decretum extendit à Clericis ad episcopos, epistola dat varias rationes. Primò, quia quæuis negotia in suis, vbi orta sunt, locis oportet audiri, & finiri. Deinde, quod Prouinciarum Synodis speranda sit non deesse Spiritus sancti gratia, qua causarum iustitia videatur, ac teneatur. Tertiò, quod damnatis per duodecim collegas episcopis, immò & per pauciores damnatis Clericis non denegetur appellatio. Appellare & ipsi possint ad plenam Prouinciæ Synodum, immò & ad vniuersale Concilium totius Diœcesios. Et hoc videtur esse nouellum Clericorum priuilegium, datum ex occasione appellantis Apiarij: Quo tolleretur omnis ansa inuocandi Romanam Ecclesiam. Quarta ratio est, quod Dominus Deus non sit credendus vnicuilibet potiùs inspirare examinis, ac iudicij iustitiam, quàm innumerabilibus synodaliter congregatis episcopis. Est contumeliosa ratio. Appellatas causas Romanus Pontifex etiam tunc iudicabat cum solo suo Cardinalium episcoporum, ac presbyterorum Consistorio. Et eius solius iudicium isthìc præualebat omnium suffragijs. At verò Afrorum Prouinciæ, ac Synodi habebant numerosissimos episcopos: Præsertim plena Diœcesios Synodus. Hinc adducta ratio affirmat credendum, quod Dominus Deus tanto potiùs numero inspiret veritatem, quàm vni Episcopo Romano. Quinta ratio est, quod Transmarinum, seu Romanum Iudicium nequeat esse ratum, ac firmum: Quoniam ad ipsum adduci non valent testes, aliæque personæ necessariæ. Reponi poterat appellatæ causæ retractationem posse per Pontificem delegari in partibus, & isti synodali iudicio posse præfici, ac præsidere Romanum è Papali Latere Legatum, coram quo omnes necessariæ sistantur personæ, & qui ex ipsarum testimonijs, aut professionibus causam iudicet, aut certè instruat Pontifici referendam. Et istam potestatem in Pontifice agnouit, & confirmauit Sardicensis Synodus. Ad hoc igitur argumentum epistola occurrit, ac respondet: [Nam vt aliqui tamquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum, quia illud, quod pridem tanquam ex parte Nicæni Concilij exinde transmisistis, in Concilijs verioribus non potuimus reperire.

Hæc sunt fundamenta, ex quibus ista Africana Synodus censuit non solis Clericis, sed etiam Episcopis Romanas appellationes interdici per Nicænos Canones, & pariter omnes committi suis Metropolitanis. Hoc est, inconcussis, ac inappellabilibus Metropolitarum Synodis. Per Metropolitas intel-

ligit non solos Prouinciarum Præfectos, sed etiam Diœcesion Primates, Exarchos, ac Patriarchas. Fuit horrenda audacia. Africani namque Episcopi vsque tunc Romam semper appellauerant, ac postea etiam perrexerunt appellare: Et ecce ista Synodus, dum de Apiarij facta per Zozimum reparatione se vindicare studet, tentat euertere ista omnia. Et Canones Nicænos intellexit pessimè. Quod enim hi Romanas appellationes non circumscribant, est nimis exploratum. Etiam semetipsam euertit ista Synodus. Africana namque Ecclesia est Romani Patriarchatus Diœcesis, ideòque Romanus Pontifex est eius Patriarcha, ac supremus Metropolitanus. Proindè ad ipsum appellatio ex nullo colore potuit Episcopis interdici.

Præfata epistola affirmat, Nicænos Canones fuisse in Africam transmissos à solo Cyrillo Alexandrino, soloque Attico Episcopo Constantinopolitano. Antiocheni nullam facit memoriam. Rationem adduxi superiùs. Aurelius Primas in sexta Carthaginensi Synodo, & eiusdem Synodi ad sanctum Bonifacium Pontificem relatio Antiochenam Ecclesiam præponunt Alexandrinæ. Possit euenisse casu. Possint etiam attendisse Antiochiam fuisse primam sancti Petri Apostoli, non per Vicarium discipulum, sed in propria persona Cathedram. Insuper Afrorum isto tempore episcopi habuerunt modicam similium rerum notitiam. Infelix epistola addit, quod Innocentius presbyter, ac Marcellus Subdiaconus Nicænos Canones, quos ex Oriente detulerant in Africam, etiam detulerint Romam ad Papam Bonifacium. Ex quo colligitur, quod sanctus Bonifacius ipsos noluerit postulare è Græcia. Porrò Atticus Constantinopolitanus Episcopus obijt quinti sæculi anno vigesimo quinto, sexto Idus Octobris. Erat annus secundus Cœlestini Pontificis. Infelix ista epistola videtur iunior. Etenim illa, quæ circa Apiarium, & omnem hanc litem Cœlestinus egit, videntur exegisse moras longioris temporis. Quod ipsum firmant sequentia epistolę verba: [Nam de Fratre nostro Faustino, amoto iam pro suis nefandis nequitijs de Ecclesia Christi dolendo Apiario, securi sumus, quod eum, probitate, ac moderatione tuæ Sanctitatis, salua fraterna charitate, vlteriùs Africa minimè sustinere patiatur.] Affirmant Apiarij degradationem fuisse tandem probatam, & confirmatam à sancto Cœlestino, & Faustinum Legatum aut redijsse Romam, aut fuisse reuocatum. Et Afri supplicant deinceps non inquietari eius disputationibus de priuilegijs Romanæ Ecclesiæ. Manifestum est hæc omnia non potuisse peragi modico tempore.

Hæc epistola etiam memorat Legatos à Latere. Eosdem laudat in literis ad Faustum, Martinum, & alios Regiæ ciuitatis Archimandritas Magnus Leo Pontifex: [Propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentauit, de Latere meo misi, qui defensioni veritatis adsisterent.] Laudat Iulium Puteolanum Episcopum, Renatum sancti Clementis Cardinalem presbyterum, ac Hilarum Cardinalem diaconum, suos ad secundum Ephesinum Concilium Legatos. Eos (Epist. 28.)

exprimit, & laudat in literis ad Iulianum Coensem Episcopum, atque adiungit: Quos è Latere meo vice mea misi. Tituli origo est à Concilio Sardicensi, sanciente varios modos, quibus Romanus Pontifex appellatas causas possit retractare: E' proprio Latere presbyteros mittat. Est titulus mutuatus è Romano Imperio, & cum multis alijs eiusdem formulis translatus in Ecclesiam. Hinc de pœnalium in Donatistas legum executione scribit in sancti Augustini vita beatus Possidius: [Propter quod perficiendum Honorius è Latere suo Tribunum, & Notarium Marcellinum ad Africam Iudicem miserat.] Et in Francorum historia sanctus Gregorius Episcopus Turonensis: Misit Rex Innacharium, & Scaptarium, primos de Latere suo. Et Marculfus monachus in formulis: Præsente Misso nostro, Illustri viro illo, quem ex nostro Latere illuc pro hoc direximus. Plura istiusmodi testimonia adducit in suis Scholijs Hieronymus Bignonius: Phrasis ab Imperio, vti ad Ecclesiam, ità quoque deuenit ad Regna. Eius virtutem exponit in quadragesimi septimi Psalmi enarratione sanctus Augustinus: [Quicumque alicui cohærent, Latera ipsius dicuntur. Nam & de aliquibus hominibus solemus ità loqui: Bonus homo est, sed mala Latera habet. Id est, ipse quidem bonitate præstat, sed maligni sunt, qui ei sunt coniuncti. Eumdem in sensum secunda Matisconensis Synodus reprehendit quosdam, qui Lateri Regis adhærent.] Ioannes Morinus de Papalibus è Latere Legatis scribit: [E' Latere mitti est velut è familia Pontificis, ex Officialibus, & Procuratoribus domesticis in opus aliquod eligi, & deputari.] Non benè. Etenim Iulius Puteolanus episcopus nequijt fuisse è sancti Leonis familia, nec eius domesticus Procurator, aut Officialis. Paschasius Quesnellus scribit: [Mysterio, mea quidem sententia, vacant hæc verba, saltem quod ad præsentem locum attinet, nec aliud significant, quàm, Hinc. Idest, ex hac vrbe, ex his partibus.] Et probat ex Græca epistolarum translatione, verosimiliter facta per Iulianum Coensem episcopum, qui istius phrasios Romanum mysterium non possit ignorasse. Pro istis vocibus ille duntaxàt posuit, Hinc. Respondeo voces nec apud Romanum Imperium, nec item apud laceratа ex ipso Regna vacasse mysterio, ideòque nec apud Ecclesiam. Et istud mysterium sanctus Augustinus abundè exposuit. Quapropter esse inter Pontificis Romani Latera est esse inter eius in Romanæ Prouinciæ Synodo, aut Romanæ Ecclesiæ Consistorio adsessores. Et hi erant eius Comprouinciales episcopi, & Cardinales presbyteri. Item Romanæ Ecclesiæ Archi-Diaconus. Quam dignitatem Hilarus gessit sub sancto Leone. Hinc Dulcitius Notarius non mittebatur è Latere. Nec item Cardinales diaconi. Quia Pontifici in sacro Tribunali, Consistorio, aut Synodo tunc non assidebant. Hodiè adsident: Et quidem ante episcopos. Item hodiè Romanus Pontifex vix adunat Synodum suæ Prouinciæ: Pleraque agit in Consistorio. Et isthic ei adsident omnes, & soli Cardinales. Hinc hodiè illi omnes,

(Epist. 31.; Cap. 13.; Lib. 4. c. 13.; Lib. 1. c. 40.)

omnes, & soli possint esse Legati à Latere. Proindè Papale Latus hodiè est eius adsessio in Consistorio. Eodem modo exponi debent Latera Laicorum Principum.

CAPVT XXX.

An hæc omnia per & circa Apiarum Gesta sint authentica?

MArcus Antonius Capellus edidit insigniter eruditum de Romanis Afrorum appellationibus opusculum, in quo rectè docet, ac lucidè demonstrat Africanis Episcopis semper, Africanis autem Clericis numquam licuisse prouocare ad Sedem Apostolicam, ideòque sextam Carthaginensem synodum, synodales ad sanctum Bonifacium, & Cœlestinum literas, omniaque circa Apiarium acta esse spuria figmenta. Fateor ipsum non loqui sine fundamentis. Ego tamen non ausim ista probare. Etenim istam synodum, istas epistolas, ista Gesta, tanquam legitima, & authentica, laudant Dionysius exiguus, antiquus Africanæ Ecclesiæ Codex, alia antiqua Africanorum canonum collectio, plures Gallicanæ synodi, Trullana synodus, synodus octaua, Hincmarus Rhemensium Metropolita, alijque plures collectores canonum. Attamen eruditi istius viri argumenta non sunt friuola, ideòque audienda. Primum est: [Baronius de hac controuersia scribens, dicere coactus est acta sextæ synodi non exstare hoc argumento. Quod in Concilio inducuntur Legati cum Commonitorio Pontificis Zozimi, à Patribus petentes, vt decernerent quod presbyteri, & cæteri inferiores Clerici, damnati ab ordinarijs suis, prouocare possent ad episcopos vicinos, antequam adirent Concilia Prouincialia, Patresque id facere detrectasse, nisi sub conditione; tamen constat, quod Mileui ante aliquot annos, & Carthagine anno superiori omninò ita fieri ipsimet constituerant.] Adducit istos canoones & prosequitur; [Et nihilominus sextæ synodi acta indicunt Patres ita loquentes, ac si canonem istum neque constituissent, neque constitui vellent, neque de eo vlla vnquam mentio facta fuisset. Mihi certè hoc argumentum magni ponderis est, plus probat. quàm putauit Baronius. Neque enim scio componere acta ista cum canone, sed vt fert mea opinio, vel canon acta, vel acta canonem tollunt.] Respondeo hæc facilè conciliari. Etenim canon non ante aliquot annos à Mileuitana, sed priori dumtaxat anno prodijt à Carthaginensi synodo.] Idque ob reuerentiam Apostolici commonirorij. Prodijt ab illa synodo quæ celebrata est post adductam Zozimi Tractatoriam contra errores, ac personas Pelagij, atque Cœlestij. Tum Pontifici placere satagentes Africani episcopi, Tractatoriam confirmarunt per plura decreta de Diuinæ gratiæ auxilijs: Ac item in commonitorij gratiam ediderunt canonem, permittentem clero prouocare ad vicinos episcopos. Eumdem confirmarunt anno sequenti in sexta synodo. Verùm tunc addiderunt aliquod temperamentum, seu aliquod interim. Res infra elucidabitur. Eruditus vir labitur in communem errorem, qui iam laudatos Carthaginensis concilij canones transcribit in nescio quod Mileuitanum.

Secundùm eiusdem Doctoris argumentum est hoc: [Dicebamus inter hæreticorum obiectiones ex actis, & epistolis de hac controuersia isthæc haberi. Primò, Legatos à Zozimo cum canonibus Sardicensibus nomine Nicænorum missos in Africam. Secundò errore à Patribus detecto, illos scripsisse ad Zozimum, placere quidem sibi, vt ex Africa Romana Sedes appellaretur, quousque authentica canonum Nicænorum reperirentur. Ea tamen se perquirere velle, quia in exemplaribus Nicænis, quæ erant in Africa, canones illi desiderabantur. Tertiò, anno sequenti, octauo kalendas Iunij, causa repetita, ex originali Ceciliani Episcopi Carthaginensis commonitorium Zozimi fuisse falsi conuictum. sed Legatis pro eo pugnantibus, communi consensu decretam Legationem ad ecclesias Alexandriæ, Antiochiæ, & Constantinopolis, quæsitum vera exemplaria Nicæna. Quartò, ea directa ad Bonifacium Zozimi Successorem hoc anno, qui fuit post consulatum Honorij duodecimum, & Theodosij octauum, sexto kalendas Decembris, cum literis Cyrilli Alexandrini, & Attici Episcopi Constantinopolitani, quæ illic referuntur.]

Notandi hìc sunt aliqui Lapsus. Primus est, quod Africani Patres post detectum errorem Zozimo scripserint sibi placere, vt vsque ad reperta, ac sibi demonstrata Nicænorum canonum exemplaria Romanæ Afrorum appellationes procederent. Etenim ista scripserunt non post detectum errorem: sed post obortum circa canones dubium. Verba sextæ synodi sunt clara: [Frater noster Alipius dicere dignatus est dubios esse canones. Cum iam in dubium canones venerint.] Post detectum errorem episcopi isti, vel potiùs istorum episcoporum aliqui Romanas etiam episcoporum appellationes penitùs excusserunt. Secundus Lapsus est, quod Zozimi commonitorium fuerit ex originali Ceciliani Codice falsi conuictum. Fuit dumtaxat vocatum in dubium. Si fuisset conuictum, molestissima Legatio erat superuacanea. Tertius Lapsus est, quod Legati pro commonitorij veritate pugnauerint. Etenim Faustinus episcopus palam admisit ipsum esse dubium. Et omninò nouerat canones istos esse Sardicenses, non Nicænos. Quartus Lapsus est, quod ista Legatio fuerit decreta communi consensu. Etenim Faustinus Legatus censebat rem referendam Sedi Apostolicæ, & sine eius beneplacito nihil esse tentandum. Quintus lapsus est, quod ista exemplaria fuerint ad sanctum Bonifacium transmissa post duodecimum Honorij, & octauum Consulatum Theodosij. Etenim isto tempore Africani Antistites istos canones nondum viderant, ideoque nec miserant ad Pontificem. Sanctus Cyrillus eos non misit in Africam, nisi anno vigesimo tertio quinti sæculi.

Audiamus nunc reliquum argumenti: [Verùm totam hanc narrationem esse commentitiam, & fabulosam, multa conuincunt Primùm in Codice Africano, qui lectus fuit in

in hoc postremo Carthaginensi concilio, relata fuere omnia Concilia plenaria, quæ sub Aurelio Episcopo eius vrbis habita fuerant à consulatu Theodosij tertio, & Abundantij. qui incidi in annum Christi trecentesimum nonagesimum tertium, vsque ad diem octauum kalendas Iunij anni quadringentesimi decimi noni. In eo tamen non istius concilij sub Zozimo celebrati, non Legationis ab eo ad Africanos decretæ, non controuersiæ de appellationibus agitatæ, non literarum, quæ inde ad Zozimum scriptæ fuerant, apparet vestigium vllum. Hæc tamen in primis, & scribenda, & legenda erant, si facta fuissent maximè cum minima quæque suo tempore, & loco ibi recensita videantur.] Respondeo in isto Codice, licèt non habebatur sexta Carthaginensis synodus, haberi tamen eius synodales ad sanctum Bonifacium literas, in quibus est totius synodi compendium. Habetur & posterioris synodi ad Cœlestinum epistola. Quis fuerit Codicis author, infra disquiretur. Quisquis fuerit, ad canonem centesimum septimum habet hanc subnotationem: [Gesta huius concilij ideò non descripsi, quoniam Prouinciale, non vniuersale celebratum est.] Eadem de causa prætermisit inserere sextam synodum. Etiam acta synodi, quæ ad Cœlestinum dedit denias literas. Has solas, vnà cum alijs ad Bonifacium censuit sufficere ad instructionem, immò ad destructionem Africanæ Ecclesiæ. Quare hic Codex nequaquam fuit lectus ad sextam synodum. Est enim ipsa manifestè posterior. Res suo loco discutietur.

Marcus Antonius pergit in isto argumento: [Deinde cum concilium plenarium contra Pelagianos habitum fuerit anno quadringentesimo decimo octauo, mense Maio, & in eo actum non sit de hac controuersia, si eius gratia Zozimus aliud plenarium anno illo celebrari voluit, ante autumnum facere id non potuit. Neque post. Enim verò Patres Africani de rebus à se Carthagine decretis scribere ad eum non potuissent, quia anno illo exeunte è viuis excessit. Scripsisse tamen ad eum adhuc viuentem, testatur epistola, quæ ad Bonifacium eius Successorem data asseritur anno sequenti. Tantùm verò abest, vt autumno illo Zozimus Tractorijs sui Patres Africanos ad Concilium plenarium Carthaginem conuocarit: vt eo ipso tempore plerosque illorum aliò abire compulerit, quemadmodum Augustinus fidem facit epistola ad Optatum.] Adducit huius epistolæ necnon, & sancti Possidij testimonium ex quibus constat sanctum Augustinum vnà cum sancto Alipio, & laudato Possidio fuisse tunc à sancto Zozimo Legatum in Cæsariænsem Mauritaniam. In ista Legatione sanctus Augustinus Cæsareæ disputauit cum Emerito Donatistarum isthic Episcopo, & acta affirmant isto anno id contigisse duodecimo kalendas Octobris. Hinc vir eruditus prosequitur: [Quomodo ergo concilium plenarium Carthaginem autumno illo Zozimus contraxit, si episcopos Mauritanos, & Numidas mensibus illis Cæsaream ablegauit? Et inter cæteros Alipium, Augustinum, & Possidium, quos in causa appellationum Legatos Prouinciæ Numidiæ Carthagine acta illa constituunt.] Respondeo hæc fuisse acta in synodo adunata contra Pelagianos. Isthic enim tractatum fuit de Romana appellatione Cœlestij, atque ex ea occasione de cunctis ad Apostolicam Sedem appellationibus. Et circa clericorum appellationem prodierunt duo canones, quos communis error adscribit synodo Mileuitanæ. Porrò eruditus ille vir labitur hic in duobus. Primò, quod dicat non solos Numidas. sed etiam Mauritanos Episcopos tunc à Zozimo fuisse Legatos Cæsaream. Legati enim fuerunt soli tres laudati Numidæ. Alter Lapsus est, quod supponat plenarias Afrorum synodos tunc fuisse conuocatas per Tractoriam Romani Pontificis Nullum est istiusmodi exemplum. Conuocatæ semper fuerunt per Tractatoriam Carthaginensis Archiepiscopi.

Audiamus, & tertium argumentum: [Grauius est, quod tam actorum, quàm epistolarum doctrina pugnet cum doctrina Africæ Catholica, quæ tum omnium Catholicorum ore contra Donatistas prædicabatur. Immò aufert Pontifici Romano eam potestatem, quam illo tempore Donatistæ ipsi vt legitimam, & Canonicam agnoscebant, sacrilegium arbitrantes eam, vel facto, vel dicto violatum ire. Epistolæ enim ad vtrumque Pontificem scriptæ, & acta illa sumere videntur eos aliam potestatem non habere, nisi quæ illis in Concilio Nicæno concessa fuisset, maximè in appellationibus episcoporum. Quare Patres illi eas tantùm se admissuros esse dicunt, quousque authentica Nicæna reperiantur, ad quorum amussim totam potestatem Papæ collimari volunt. Catholici tamen non à Concilio Nicæno, sed ante Concilium Nicænum Africam subiectam fuisse Romanæ Sedi profitebantur, & appellationes episcoporum ad Transmarina longè antiquiores decantabant.] Hunc fuisse, & Catholicorum, & Donatistarum perpetuum sensum demonstrat ex S. Augustino, & prosequitur: [Adeò temerarium, & sacrilegum putauit Augustinus negare Apostolicæ Sedi ius cognoscendi de iudicijs Ecclesiæ Africanæ, etiam ante Nicænum Concilium, vt ne Donatistas quidem id ausuros, compertum haberet. Et ipse tunc, datis huiusmodi literis cum vniuersa Africa hoc crimine se obstrinxerit? Donatistæ autem, veriti negare potestatem Romani Pontificis in Africana iudicia, ad calumnias conuersi aliquid aliud causari cœperunt, vt constat ex collatione tertiæ diei contra Donatistas.] Tunc Donatistæ, [inquit Augustinus,] ipsum Melchiadem cœperunt crimine traditionis arguere, & dicere Maiores suos propterea illius iudicium refugisse, quod Traditor fuisset. [Si verò adeò planum fuisset, quod Africa tunc Iurisdictioni Papæ subiecta non esset; vt nunc dicunt hæretici, quis sibi persuadeat Donatistas non potiùs hoc in puluere gradum fixuros, quàm in lubrico illo, vnde è vestigio turpiter deiecti fuere?] Respondeo his argumentis firmè concludi, ac demonstrari, quod Romanæ Episcoporum appellationes semper viguerint in Africa: Quod ipsas professi sint etiam Donatistæ. Ac proindè scripta ad Cœlestinum epistola palàm euertit perpetuam, constantem fidem Catholicam.

Aure-

Aurelius enim per iracundiam turbato mentis oculo putauit se videre in Nicænis Canonibus, quod minimè videbat. Alia est ratio epistolæ ad Bonifacium. Hæc enim manifestè agit non de episcopalium appellationum substantia, sed de sola forma Sardicensi. Agit de substantia solarum appellationum Clericalium.

Ad formandum quartum argumentum Marcus Antonius Capellus adducit S. Augustini verba ex laudata superiùs ad quosdam Donatistarum Antistites epistola, & concludit: [Augustinus, & ore Augustini Africa tota, vitio vertebat Secundo Episcopo Tigisitano, quod adhortatus non fuisset Episcopos synodi suæ, vt Romam Cecilianum, & alios Catholicos accusatum irent. Quod passus esset eos excommunicatos declarari antequam iudicio Ecclesiæ Transmarinæ à corpore Ecclesiæ vniuersalis abscinderentur. Exprobrabat Donatistis, quod innocentiæ Catholicorum conscij, ausi non fuerint adire Romanum Tribunal, vti debebant.] Et hęc omnia sunt longè verissima: Per Petrum de Marca, Paschasium Quesnellum, & Scriptorem Anonymum numquam subuertenda. Eruditus vir pergit ad infelicem epistolam: [Et erit qui credat homines ista dicentes, ista scribentes, detractasse tunc subire Romana Iudicia? Ad sola Decreta Nicæna omnem potestatem Romani Pontificis retulisse? Illi vitio vertisse, quod excommunicatos in Africa Romæ ad communionem restituerit? Quod causas finiri non pateretur in Prouincijs, in quibus ortæ essent? Non erat Africa tunc, & si fuisset Africa, non erat Augustinus tam versatilis, & adeò vel prodigus verecundiæ, vel inops prudentiæ, vt eadem hinc arguere, hinc laudare, hinc asserere, inde euertere posset, & fidem Christi antiqua pœnorum fide tractare.] Adducit laudatas sancti Augustini ad sanctum Cęlestinum de Fussalensi Antonio literas, vrget scriptas isto ipso tempore, & ex ipsis concludit esse impossibile, vt Augustinus tunc scripserit, aut subscripserit præsentes infelicissimas literas ad eumdem Pontificem. Respondeo hæc esse verissima, & ex isto argumento, vt ipse has, ita Petri de Marca Sectatores student istas literas proscribere ad spuria, ac straminea figmenta. At certum est ambas esse authenticas. Nempè Augustinus, Alipius, Possidius, ac alij meliores Afrorum Episcopi retraxerunt manus ex istius litigij tabula, & infelicissimis literis noluerunt subscribere.

Eruditus interim vir neruosè demonstrat istam Aurelij epistolam esse infelicissimam, & scatere erroribus. Primus est in his verbis de quinto Nicæno Canone: [Nam etsi ad inferioribus Clericis, vel Laicis videtur præcaueri, quantò magis hoc de Episcopis voluit obseruari?] Est argumentum à minori de maius. Marcus Antonius Capellus rectè respondet esse [vanissimum, quod ex diametro pugnet cum primis principijs Patrum Africanorum.] Et demonstrat ex laudata sancti Augustini epistola ad quosdam Donatistarum Episcopos: [Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum, & præsertim Apostolicarum Ecclesiarum iudicio causam suam integram reseruare.] Et commentatur. [Quare Patrum Africanorum asserta erant, de iudicijs Transmarinis licere Episcopis, quod non licebat Presbyteris; prohiberi presbyteris, quod non prohibebatur Episcopis. Author verò epistolarum hoc illis argumentum appingit: Si non licet Presbyteris, quantò minus Episcopis? Si prohibetur Presbyteris, quantò magis Episcopis?] Est reuera ineptissimum argumentum. Nempè ira viri, vti Dei iustitiam, ita & veritatem non operatur.

Secundus epistolæ error est in his verbis: [Quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, siue inferioris gradus Clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt.] Marcus Antonius Capellus rectè scribit: [Epistolarum author paulò ante non apertissimè, sed per consequentiam inferebat, quod Episcoporum iudicia ex Decretis Nicænis in suis quibusque Prouincijs finiri deberent, quia scilicet de Presbyterorum, & Laicorum causis Nicææ ita Decretum erat. Nunc autem oblitus sui non ampliùs per consequentiam, sed apertissimè id ibi decretum dicit. Ego autem dico: Neque apertissimè, neque per consequentiam.] Adducit quintum Nicęnum Canonem, & prosequitur: [Hic est Canon ille de iudicijs, in cuius visceribus author iste apertissimè vidit potestatem Metropolitanorum in iudicandis Episcopis. At ego video quidem in illo potestatem, quam habent Episcopi, excommunicandi Clericos, & Laicos suę curę subiectos. Video Clericos, & Laicos excommunicatos in vna Prouincia, in alia ad communionem admitti non debere. Video Clericorum, & Laicorum causas subsidiaria per appellationem actione subiectas esse iudicijs synodorum Prouincialium. Video sic excommunicatos post confirmatam Episcopi sententiam à synodo Prouinciali, vt verè excommunicatos ab omnibus debuisse vitari, vsquequò restituerentur, vel ab Ordinario, vel à Synodo Prouinciali. Et video demùm Concilia Prouincialia bis quotannis ob huiusmodi causas conuocari debuisse. At quod Episcoporum causæ, & eorum iudicia Metropolitanis deferantur, hîc nullo modo video.] Longè minùs in isto Canone ego video, quod Episcopi Metropolitanorum, aut etiam Prouincialium synodorum iudicijs debeant acquiescere, neque valeant vlteriùs prouocare. Quod tamen epistolæ author fuerit sui oblitus, non ausim dicere. Circumflexit se in omne latus, vt errori reperiret adiutoria, & fomenta.

Eruditus ille vir etiam Zozimi Pontificis ad Afros Legationem, & omnem Apiarij Presbyteri seriem censet esse fabulam. Audi rationem: [Nihil esse solet tam absurdum, & incredibile, quod non aliqua verisimilitudine possit suaderi. Hoc tamen quod fingitur de Canone Sardicensi à Zozimo in Africam misso est adeò absurdum, vt quidquid huic stabiliendo excogitari, & confingi potest, id omne ad primum mentis obtutum quasi fumus diffluat, & euanescat. Si enim, vt vidimus, Africa tota pacificè admittebat

appel-

appellationes suas ad Romanam Sedem, vt semper admiserat, si ipsamet hanc potestatem Papæ, tanquàm rem omninò certam, & sanctam, Donatistarum defectioni publicè tunc obiectabat, certè non erat vndè Zozimus moueretur ad mittendum Canonem in Africam, vt ibi Romanam potestatem assertum iret.] Respondeo nullum apud Afros, vsque ad Aurelij lapsum fuisse dubium de Romanis Episcoporum appellationibus. Et vsque ad Zozimum Pontificem nulla fuit dubitatio de prouocationibus Clericorum. Has lites excitauit audacia Apiarij Presbyteri. Et hac occasione Zozimus etiam Episcoporum appellationes voluit formare ad normam Sardicensem. Porrò hæc omnia ad fabulas proscribere est non tentanda audacia. Superiùs adduxi rationes.

Quæstio est. Quo fundamento S. Augustinus dicatur non concurrisse ad istam infelicem epistolam? Etenim etiam ipsa continetur in Africano Codice, ipsamque suo Codici item inseruit Dionysius Exiguus: At verò Africanus Codex est synodale opus, ad quod S. Augustinus non possit non concurrisse. Respondeo non esse synodale opus. Vti Dionysius Exiguus, Theodoretus, Ioannes Scholasticus, Ferrandus Diaconus, Cresconius Episcopus, alijque plures priuato studio compilarunt suos Codices, ita etiam prodijt codex Africanus. Lucet ex superiùs adducta subnotatione ad canonem centesimum septimum: [Gesta huius Concilij ideò non descripsi, quoniam Prouinciale, non vniuersale celebratum est.] Quis non videat huiusmodi subnotationem non processisse à synodali dignitate? Collector videtur fuisse quis Aurelij aduersùm Romanas etiam Episcoporum appellationes assecla. Hinc synodalia sub Zozimo Pontifice de his verbis acta, quæ suo loco, & ordine poni expediebat, posuit in capite: Et in codicis fine infelicem epistolam ad Cœlestinum Pontificem. Quo infelix hæc contentio esset codicis alpha, & omega. An hic compilator sit idem cum compilatore alterius istius collectionis, ignoro. Interim ambo habuerunt eumdem scopum, quem posterior exponit ad sexagesimum canonem: [Huius Concilij gesta ideò non ex integro descripsi, quoniam magis ea, quæ in tempore necessaria fuerunt, quàm generalia constituta sunt. Sed ad instructionem studiosorum eiusdem Concilij breuem digessi.] Disertè profitetur se compilasse ad solam vtilitatem studentium. Verus Africanæ Ecclesiæ codex suo loco ostendetur.

Porrò S. Augustinum isti infelici epistolæ non adsensisse, est supra ostensum. Et hoc ipsum euincit epistolæ inscriptio: [Cœlestino Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus, &c.] Palatinus est omninò ille Bosetensis, vel cuiusuis alterius Sedis Episcopus, qui adfuit Carthaginensi Proconsularis Prouinciæ synodo aduersùm Pelagianos. Nec legendum est, [Valentinus.] Quod enim tantæ grassationis fundamentum? Hæc subscriptio demonstrat Valentinum, Vaialensem Episcopum, Numidiæ Primatem, si fuerit adhuc superstes, hiscè Aurelij ausibus non adfuisse. Quod ipsum patet ex adductis S. Augustini ad Cęlestinum Pontificem literis. Isthic Valentinus Primas Romanam Antonij Fussalensis Episcopi appellationem adiuuat apud Bonifacium Pontificem, ideòque certum est ipsum sub Cęlestino successore non recantasse. Et planè apparens est omnem Numidię synodum fuisse eiusdem mentis. Omnis enim Antonij appellationem fuit venerata. Et Augustinus erat illi mens, os, & lingua. Quare plerique episcopi fuerint secuti eius iudicium. Proinde præsens Antonius non est ille, qui adfuit laudatæ Carthaginensi synodo. Est aut Fussalensis, aut ille nescio cuius Sedis alius, qui adfuit Mileuitanæ Numidarum synodo contra Pelagianos. Quisquis fuerit, Alipius, Augustinus, & Possidius erant seniores, & debebant vtrumque præcedere, ideòque certum est ipsos non adfuisse. Vterque Antonius erat ex iunioribus Afrorum Episcopis, atque inde discimus solos iuuenes Aurelio adhæsisse. Sanctus Papa Innocentius solebat Aurelio familiariter, ac frequenter scribere: At verò nec Zozimus id fecit, nec Bonifacius, nec Cœlestinus. Insuper Aurelius, licèt laudatissimus quoad cætera Episcopus, non apparet in Romanis sanctorum tabulis. Nempè ob hunc finalem lapsum. Si ad ipsum Augustinus, Alipius, & Possidius fuissent cooperati, etiam ipsi essent exclusi. Nequaquam ad Gallicanos episcopos scripsisset Cœlestinus Pontifex: [Augustinum, sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam anteà meis decessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt: Vtpotè qui cunctis, & amori fuerit, & honori.] Non solummodò ob rectam de Diuinis auxilijs doctrinam, sed etiam propter sanctam, & ab omni etiam suspicione immaculatam vitam, aliaque merita: Vtique circa Romanas appellationes. Propter hæc cunctis Romanis Pontificibus fuit, & amori, & honori.

CAPVT XXXI.

An inferior Africanæ Ecclesiæ Clerus in nullo nunquam casu potuerit Romam appellare?

RESpondeo potuisse. Etenim de hęresiarcha Cœlestio scribit in suo super ipsius nomen Commonitorio Marius Mercator: [Cœlestius quidam, Eunuchus matris vtero editus, discipulus, & auditor Pelagij, ante viginti plus minùs annos egressos ex Vrbe Romana, Carthaginem Africæ totius Metropolim venit, ibique de infrascriptis capitulis apud Aurelium Episcopum memoratæ vrbis per libellum à quodam Paulino, Diacono sanctæ memoriæ Ambrosij Mediolanensis Episcopi, est accusatus, sicut gestorum confectio se habet, quibus idem libellus insertus est, tamquàm ipse hoc non solùm doceret, sed & per Prouincias conspirantes sibi diuersos, qui hæc per populos disseminarent, misisset.]

fiſſet.] Enumerat hæreticos Cœleſtij articulos, & pergit: [De quibus omnibus capitulis Patres, & Epiſcopi regionis illius reſtiterunt Cœleſtino, & iuſſerunt vt eadem condemnaret, quia eſſent hæretici ſenſus. Sed Cęleſtius nullo modo acquieſcens, quin immò reſiſtens actis eiſdem, Eccleſiaſtica communione priuatus eſt. A qua ſententia ad Romani Epiſcopi examen credidit appellandum. Qui mox idem, appellatione negleɛta, Epheſum Aſiæ vrbem contendit, ibique auſus eſt per obreptionem locum Presbyterij petere.

Eiuſdem appellationis meminit Zozimus Pontifex in literis ad Aurelium Primatem, ac alios Afrorum Epiſcopos: [Pariter vobiſcum voluimus habere Tractatum de illo, qui apud vos, ſicut ipſi per literas dicitis, fuerat accuſatus, & ad noſtram, qui ſe aſſereret innocentem, non refugiens iudicium ex appellatione priſtina, venerit Sedem, accuſatores ſuos vltrò depoſcens, & quæ in ſe crimina per rumorem falsò dicebat illata condemnans.] Et Cæleſtij accuſator Paulinus in directo ad Zozimum Pontificem libello. [Apud Sedem Apoſtolicam nihil agere potui, quia is, qui ad eam prouocauerat, defuit, quem oportuerat vtique ſuæ appellationis merita proſequi, maximè cum nihil agente appellatore, ſecundùm etiam humanas leges, ſuperior ſit ſemper ille, qui vicit.] Et Facundus Hermianenſis in Byzacena apud Afros Prouincia Epiſcopus: [Inuenient beatum Zozimum, Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, contra ſancti Innocentij Deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnauit, fidem ipſius Pelagij, eiuſque complicis Cæleſtij, quem in Eccleſia Carthaginenſi conuictum, atque appellantem Apoſtolicam Sedem, & ipſe geſtis diſcuſſerat, tamquàm veram, & catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem epiſcopos, quod ab illis hæretici crederentur, cum necdum ipſi Africanis Epiſcopis dolos eorum multò manifeſtiùs detegentibus memoratos Pelagium, & Cæleſtium putaret Orthodoxos.]

Lib. 3. c. 7.

Laudata Carthaginenſis Synodus fuit habita anno duodecimo quinti ſæculi. Marius Mercator affirmat adfuiſſe Patres, & Epiſcopos iſtius regionis. Videtur intelligere ſolam Proconſularem Prouinciam. Etenim ſanctus Auguſtinus, ordinarius Numidiæ ad generales ſynodos Legatus, in libro de Geſtis Pelagij diſertè ſcribit de hac ſynodo: [Vbi quidem ipſe non fui.] Eodem in libello ſcribit: [Cæleſtius ad iudicium Carthaginenſis Eccleſiæ perductus, Epiſcoporum ſententia condemnatus eſt.] Appellat Carthaginenſis Eccleſiæ iudicium, atque ita indicat fuiſſe ſolum presbyterium iſtius Eccleſiæ, habens tamen adiunctos quoſdam epiſcopos. Nam & talem Conuentum ſanctus Auguſtinus pro electione ſui ſucceſſoris Eradij, & pro Pelagij cauſa celebrauit Ioannes Epiſcopus Hieroſolymæ. Attamen in apologetico Paulus Oroſius ſcribit Cæleſtium iſthic [plurimis iudicantibus epiſcopis] fuiſſe proditum, auditum, conuictum, atque confeſſum. Et ab eccleſia deteſtatum aufugiſſe ex Africa. Si tamen opus iſtud ſit verè Pauli Oroſij. Interim præfatum Hieroſolymæ conuentum fuiſſe

Cap. 11.

ſolius presbyterij, diſertè ſcribit ſanctus Auguſtinus in laudato libro de Geſtis Pelagij. Verùm an liber iſte ſit Pauli Oroſij, eſt alia quæſtio. Et plura, ſuo tempore adducenda, ſuadent, atque perſuadent non eſſe. Attamen non abnuo, quin iſta fuerit prouincialis ſynodus. Quidquid ſit, Cæleſtius non ad generalem iſtius gentis ſynodum, ſed proximè appellauit ad Sedem Apoſtolicam. Et neque Aurelius, neque quis alius epiſcopus, licèt tunc Apiarij appellatio acerrimè diſceptaretur, interceſſit.

De Venerabili Paulino Diacono ſcribit imperitus Iacobi Sirmondi Prædeſtinatus: [Dum Cæleſtius apud Carthaginem doceret poſſe homines ſine peccato eſſe, ſibi natura ſufficiente ſola humana, reſtitit ei quidam Paulinus Diaconus, defenſor, & procurator Eccleſiæ Mediolanenſis.] Eumdem errorem fuiſſe apud Carthaginem à Cæleſtio defenſum ſcribit iſte libellus Pauli Oroſij. At verò Marius Mercator affirmat contrarium. Adducit omnes Cæleſtij iſthìc diſcuſſos articulos: Omnes ſunt de ſolo originis peccato, nullus de natura, aut gratia. Quod ipſum in libro de originali peccato confirmat ſanctus Auguſtinus. Et hoc eſt vnum ex argumentis, quæ ſuadent iſtum libellum non eſſe Pauli Oroſij. An Paulinus Diaconus aliquandò fuerit Mediolanenſis Eccleſiæ defenſor, & procurator, eſt incertum. Poſſit fuiſſe. Etenim Marius Mercator affirmat fuiſſe Diaconum ſancti Ambroſij. Ex quo diſcimus eſſe illum ipſum, qui ad ſancti Auguſtini preces ſcripſit vitam laudati Patris. Præſentis ſynodi tempore erat Diaconus, & forſitan Archidiaconus Carthaginenſis Eccleſiæ: Propter clericorum inopiam eò miſſus à ſancto Simpliciano, aut ſancto Venerio. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus in Eccleſiaſticorum Scriptorum catalogo ſcripſit fuiſſe Presbyterum. Nec eſt facilè reprehendendus, aut emendandus. Poteſt enim ille poſteà in Presbyterum profeciſſe.

Laudata Zozimi verba affirmant deſertam appellationem fuiſſe à Cæleſtio reſumptam, & ipſum eiuſdem cauſa ad Vrbem rediſſe. Virtute [priſtinæ appellationis.] Pontifex addit in alia ad eoſdem Africanos Antiſtites epiſtola: [Poſtquàm nobis Cæleſtius Presbyter auditus eſt, & quid de fide ſentiret, euidenter expreſſit, eademque, quæ in libello contulerat, repetitis crebrò profeſſionibus roborauit, de eius nomine pleniùs ad dilectionem veſtram ſcripta dreximus.] Titulus, [Presbyter,] demonſtrat Eunuchum ab Epheſina eccleſia non ſolummodò poſtulaſſe Presbyteratum, ſed etiam impetraſſe. Marius Mercator omnia hæc exponit: [Indè,] ex Epheſina ciuitate, [Cæleſtius ſub ſanctæ memoriæ Attico epiſcopo Vrbem Conſtantinopolitanam petijt, vbi in ſimilibus detectus, magno ſtudio ſancti illius viri ex prædicta Alma Vrbe detruſus eſt, literis ſuper eius nomine, & in Aſiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem ad Epiſcopos miſſis.] Atticus ſuam ſuper Cæleſtij nomine Tractoriam miſit in Aſiam, quod iſtius Diœceſios à ſancto Ioanne Chryſoſtomo inchoatam inuaſionem ipſe continuaret. Theſſalonicam miſit, quod iſti inuaſioni adieciſſet rapinam

Orientalis Illyrici, adiutus per diploma Imperatoris Theodosij. Romana Ecclesia mox impetrauit circumduci. Transmisit, & Carthaginem, quò Africanis episcopis gratificaretur.

Marius Mercator prosequitur: [Prædictus tamen Cælestius, etiam hinc eiectus, ad Vrbem Romanam sub sanctæ memoriæ Zozimo episcopo tota festinatione perrexit. Vbi actis, quorum exemplaria habemus, interrogatus, cum ab illo cognitore aliquatenùs terreretur, crebris responsionibus, & prosecutionibus suis spem præseminauit, condemnare se illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens. Id enim & instantiùs iubebatur, atque ob hoc ipsum nonnulla illius sancti Sacerdotis humanitate dignus est habitus: & sic epistolam benignitatis plenam ad Afros episcopos meruit, qua ille abusus est, vel adhuc abutitur ad multorum ignorantium deceptionem.] Quod fuerit Epheso eiectus, testatur etiam S. Prosper in carmine de Ingratis. Et confirmat hic Marius Mercator, dicens fuisse eiectum etiam Constantinopoli. Vox, [Etiam,] supponit priorem eiectionem. Carthaginensis Synodus facta est istius sæculi anno duodecimo. Et Cælestius Romam redijt anno decimo septimo. Tunc enim Zozimus adscendit Thronum sancti Petri. Medio tempore vagatus Ephesi, Constantinopoli, & alibi. Suis vbique disputationibus commouit omnia, & vbique damnatus est tamquam hæreticus, atque eiectus. Et desperatus redijt Romam. Haud dubiè Innocentij Pontificis mors, & natiua Zozimi clementia hominem animarunt ad resumendam appellationem.

Redijt Romam, se innocentem asserens, Apostolicæ Sedis iudicium ex pristina appellatione non refugiens, seriò protestans se, nec refugere, nec vnquàm refugisse, ideòque nec vnquàm renunciasse appellationi: Sparsa de se crimina, vtique hæreticos errores condemnauit, vltrò deposcens suos accusatores euocari ad causæ retractationem. Pontifex hæc largiùs scribit in alia epistola ad episcopos Africanos: [Cælestius presbyter nostro se ingessit examini expetens ea, quæ de se Apostolicæ Sedi aliter quàm oportuit essent inculcata, purgari. Et licèt multæ occupationes maioribus vinculis ecclesiasticorum negotiorum curam nostram, sollicitudinemque distraherent, tamen ne Fraternitatis vestræ de aduentu, & discussione prædicti diutiùs penderet exspectatio, posthabitis omnibus, die cognitionis resedimus in sancti Clementis Basilica: Scilicèt, vt ad salutiferam castigationem tanti Sacerdotis auctoritas præsenti cognitioni esset exemplo. Omnia igitur, quæ priùs fuerant acta, discussimus. Intromisso Cælestio, libellum eius, quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc contenti: vtrùm hæc, quæ scripsisset, corde loqueretur, an labijs, sæpenumero explorauimus.] Pontifex affirmat varia. Primò, quod resumptam Cælestij appellationem admiserit. Secundò, quod eius accusatorem, aliosque aduersarios noluerit ex Africa euocare, nisi priùs cognouisset esse verisimile viri corrigendi fundamentum. Tertiò, quod ad hoc inuestigandum indixisset conuentum in ecclesia sancti Clementis. Quartò, quod in hoc conuentu ante omnia discusserit Carthaginensia acta aduersùs Cælestium. Quintò, quod tunc intromiserit Cælestium, & multifariè examinauerit. Sextò, quod ex maturo examine iudicauerit ipsum esse catholicum, & ex obreptione condemnatum. Cælestium mirè adiuuit Praylij, qui isto ipso anno ante paucas hebdomadas Ioanni successerat in Hierosolymæ Cathedram, epistola ad Pontificem, qua causæ Pelagij enixiùs adstipulabatur. Haud dubiè fuerit synodica epistola, qua Praylius suam consecrationem referebat, & supplicabat eius firmitatem. Exindè enim Hierosolymitani Episcopi cœperant cristas erigere, & se ostentare Patriarchas. Nec minùs adiuuit Pelagij ad Innocentium epistola, qua Orthodoxam professus fidem, protestabatur se per omnia Orthodoxum. Epistola inuenit defunctum Innocentium, ideòque tradita fuit Zozimo successori. His omnibus ille circumscriptus, & permotus aliquot pro Cælestio, & Pelagio ad Africanos Antistites scripsit epistolas, illos pronuncians Orthodoxos, & hos arguens de præcipitatis iudicijs. Et adiunxit: [Vnde in præsenti causa nihil præcox, immaturumque censuimus, sed voluimus innotescere sanctitati vestræ super absoluta Cælestij fide nostrum examen, cui etiam prior libellus, ab eo intra Africam datus, testimonio apud vos esse debuisset, ne inexplicatis, famaque iactatis, tam facilè crederetur. Quare intra secundum mensem, aut veniant, qui redarguant aliter sentire, quàm libellis, & confessione contexuit, aut nihil post hæc tam aperta, & manifesta, quæ protulit, dubij sanctitas vestra resedisse cognoscat.] Hæc sunt Zozimi circa Cælestium acta, & scripta, ex quibus Facundus Hermianensis episcopus rectè scripsit ipsum fuisse deceptum. Nempè circa personam, non circa dogma. Ex ijsdem sanctus Possidius in sancti Augustini vita scribit Pelagianos fuisse dolosos, & vafros, omnibusque neruis incubuisse, vt Sedem Apostolicam circumscriberent in suos errores.

Certè Zozimus non temerè processit. Etenim Cælestius ipsi exhibuit suæ fidei libellum, quem ex varijs per sancti Augustini opera sparsis partibus eruditè congessit, & nobis integrum exhibuit Ioannes Garnerius. De originali peccato pessimè loquitur. Attamen versipellis Eunuchus adiunxit se existimare, quod ista spectarent ad ecclesiasticas quæstiones: Quod essent quæstiones recenter natæ se non esse ipsarum auctorem, se nihil de ipsis definire, & paratum parere iudicio Sedis Apostolicæ. Hæc professio Zozimo placuit. Hinc Cælestium, & omnem etiam synodum obtestatus est, vt grassantibus tunc quæstionum tendiculis, & ineptis certaminibus abstinerent, quoniam in ipsis magni etiam viri fuerint periclitati, & lapsi. Et hoc libello non contentus, in examinando Cælestio adiunxit, quæ in suo ad ipsum libello scripsit pro gratiarum actione Paulinus Diaconus: [Beatitudo tua Cælestio, cum à Sede Apostolica audiretur, inter cætera præcepit his verbis;] Damnas ergò illa omnia quæ in libello Paulini continentur, hoc est, de quæstionibus? Et in alio loco: Cognouisti, quales

les literas dederit Sedes Apostolica ad Fratres, & Coepiscopos Africanæ Prouinciæ? Et adie ctum: Damnas illa omnia, quæ damnauimus, & tenes quæ tenemus? [Et iterùm:] Illa omnia damnas, quæ iactata sunt de nomine tuo? [Et iterùm:] Vel ea quæ in libello suo exposuit Paulinus? [Et cum me diceret posse ex his, quæ illi obiecta sunt, hæreticum approbari, sancto repletus Spiritu, Apostolica auctoritate respuisti insanientis, & calumniantis verba, huiusmodi proferendo sententiam, qua ipse catholicus approbarer, illum, si sanari vellet, curares. Quæ huiusmodi est:] Nolo nos circuitu ducas. Damnas ea omnia, quæ tibi obiecta à Paulino, siue per famam iactata sunt? [Cui non sufficit ista sententia? Quis hanc tam salutarem, tam amplectibilem, tam piam respuerit alius, nisi qui à fide deuius est? Et ille qui superiùs professus fuerat se quæcumque illi obiecta fuerant, si contra fidem vindicares, esse damnaturum, audit: Damna. Et non solùm non damnat, sed ad iniuriam tantæ Sedis contendit. Vnde non ignorat iam Romana Ecclesia reum suum, qui tam audaci spiritu ausus est contradicere, & non damnare, quæ beatitudo tua damnari decreuit.]

Notanda sunt verba: [Damnas illa omnia, quæ in libello Paulini continentur, hoc est de quæstionibus.] Clarè affirmant, quod Pontifex noluerit peccati originalis fidem inter Ecclesiasticas computari quæstiones, & Celestium iusserit ab isto errore recedere. Idque ex libello, & iuxta libellum Paulini. Vtique accusatorium Celestij libellum. In ipso Paulinus Celestij articulos non solummodò enumerauerat, & accusarat, sed insuper ex firmis Catholicæ fidei fundamentis demonstrauerat hæreticos. Præsertim demonstrarat peccati originalis fidem esse immobilem Euangelij dogma, non agitabilem quæstionem. Quod ipsum in libro de peccato originali demonstrat sanctus Augustinus. Dolendum est istum Paulini libellum perijsse. Celestius igitur est assensus istis omnibus, & quæcumque damnanda censeret Pontifex, promisit damnare. Eius contumacia, quam Paulinus adiungit, contigit postmodò, dum ille fugit ex Vrbe.

His eius Promissis animatus Pontifex scripsit ad Africanos Episcopos. [Nihil præcox, immaturumque censuimus.] Affirmat Celestij fidem in hoc examine apparuisse absolutam, & adiunxit: [Cum etiam prior libellus, ab eo intra Africam datus, testimonio apud vos esse debuisset.] Ex quo discimus similem fidei libellum fuisse à Cęlestio exhibitum etiam Carthaginensi Synodo, & ipsum ab illo, quem Romæ exhibuit, si non sententia, tamen verbis fuisse diuersum. An ille, quem produxit Ioannes Garnerius, sit purus Romanus, an ex vtroque mixtus, est inquisitu dignum. Interim Romanum Celestij libellum Papa misit ad Afros. Et post paucos menses. Praylij literis animatus, etiam Pelagij libellum misit, atque adiunxit: [Ecce Pelagius, Cælestiusque in suis litteris, & confessionibus Apostolicæ Sedi præstò sunt.] Pelagius per literas, Cælestius per personalem præsentiam: Ambo per confessiones, seu libellos fidei. His omnibus Pontifex adiunxit citationem Paulini accusatoris. Et transmisit per Basiliscum, Romanæ Ecclesiæ subDiaconum citatorię epistolę. Data est in manuscriptis codicibus exesa à tempore. Haud dubiè fuit data in ęxordio Pontificatus, quod contigit die decima nona Augusti. Nam sequens Epistola, qua Zozimus Pelagij transmisit libellum, fuit data vndecimo Kalendas Octobris. Et Basiliscus citationem Paulino apud Carthaginem insinuauit secunda Nouembris. Notanda sunt hæc Paulini verba:] Basiliscus me conuenit, aut adessem ad Apostolicam Sedem, & tuæ Iudicio Sanctitatis, ad quam, me fugisse, suggestum est, nec defuturum fore promitterem, si aduersùm me, vel pro me fuisset lata sententia. [Cælestius, vt Paulinum redderet suspectum, & suam causam fucaret, mentitus est, & Romæ sparsit ipsum adeò metuere suam hanc Romanam appellationem, vt Carthagine aufugisset. Hinc Pontifex illum duxit ista promissione adstringendum.

Marius Mercator prosequitur: [Episcopis verò ex Africa rescribentibus, omnemque causam, quæ apud eos facta fuerat, exponentibus, missis etiam Gestis ex inde, quæ fuerant tunc cum illo, vel de illo confecta, vocatus ad audientiam pleniorem, vt quæ promiserat, festinaret implere, id est, vt damnatis prædictis Capitulis, sententia Afrorum Pontificum, qua fuerat communione priuatus, absolueretur, non solùm non adfuit, sed etiam ex memorata Vrbe profugit, atquè ob hoc à beatæ memoriæ prædicto Zozimo Episcopo Scriptis amplissimis, vel longissimis perdamnatus est. In quibus, & ipsa capitula, de quibus accusatus fuerat, continentur, & omnis causa, tam de Cælestio supradicto, quàm de Pelagio Magistro eius prauiori, videtur esse narrata, quorum Scriptorum, & nos hìc habemus exemplaria, & ad Orientales Ecclesias, Ægypti Diœcesim, & Constantinopolim, & Thessalonicam, & Hierosolymam, similia, eademque Scripta ad Episcopos esse transmissa suggerimus.]

Hæc omnia largiùs exponit sanctus Augustinus in secundo libro ad Zozimi Successorem sanctum Bonifacium. Totum tertium caput est describendum. [Quin etiam Romanos Clericos arguunt, scribentes] eos iussionis terrore perculsos non erubuisse præuaricationis crimen admittere, vt contra priorem sententiam suam, qua Gestis catholico dogmati adfuerant, posteà pronunciarent malam hominum esse naturam. [Immò verò Pelagiani spe falsa putauerant nouum, & execrabile dogma Pelagianum, vel Cęlestianum persuaderi quorumdam Romanorum catholicis mentibus posse, quando illa ingenia, quamuis nefando errore peruersa, non tamen contemptibilia, cum studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquantò lenius, quàm seuerior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt. Tot enim, & tantis inter Apostolicam Sedem, & Afros Episcopos currentibus, & recurrentibus Scriptis Ecclesiasticis, etiam Gestis de hac causa apud illam Sedem, Celestio præsente, & respondente, confectis, quænam tandem, epistola venerandæ memoriæ Papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, vbi præceperit credi opor-

oportere sine vllo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsùs hoc dixit, nusquàm omninò conscripsit. Sed cum hoc Cælestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenij, qui profectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationi, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus eius catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respuere. Non enim hæreticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, vbi ait:] Quotquot ergò perfecti, hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, id quoquè Deus vobis reuelabit. [Hoc in illo factum esse putabatur, quando se literis B. memoriæ Papæ Innocentij, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit. Et hoc vt pleniùs, & manifestiùs in illo fieret, exspectabatur venturis ex Africa literis, in qua Prouincia eius aliquando calliditas euidentiùs innotuerat. Quæ Romam literæ posteaquàm venerunt, id continentes non sufficere hominibus tardioribus, & solicitioribus, quod se generaliter Innocentij Episcopi literis consentire fatebatur, sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello praua posuerat, ne si id non fecisset, multi parùm intelligentes magis in libello eius illa fidei venena à Sede Apostolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat eum libellum esse catholicum, quàm emendata propter illud, quod se Papæ Innocentij literis consentire ipse responderat. Tunc ergò cum eius præsentia posceretur, vt certis, ac dilucidis responsionibus, vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit, & negauit examini. Nec differendum iam fuerat, sicut factum fuit, quod alijs prodesset, si nimirùm peruersorum pertinaciæ, dementiæque non posset. Sed si, quod absit, ità tunc fuisset de Cælestio, vel Pelagio in Romana Ecclesia iudicatum, vt illa eorum dogmata, quæ in ipsis, & cum ipsis Papa Innocentius damnauerat, approbanda, & tenenda pronunciarentur, ex hoc potiùs esset præuaricationis nota Romanis Clericis inurenda. Nunc verò cum primitùs Beatissimi Papæ Innocentij literæ, Episcoporum literis respondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnauerint, Successor quoque eius Papa Zozimus hoc tenendum esse, quod isti de Paruulis sentiunt, numquàm dixerit, numquam scripserit, insuper etiam Cælestium, se purgare molientem, ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicę literis crebra interlocutione constrinxerit, profectò quidquid intereà leniùs actum est cum Cælestio, seruata dumtaxat antiquissimæ, & robustissimæ fidei firmitate, correptionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima prauitatis. Et quod ab eodem Sacerdote posteà Cælestius, & Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululùm intermissæ, iam necessariò proferendæ ratio seueritatis fuit, non preuaricatio priùs cognitæ, vel noua cognitio veritatis.]

Sanctus Augustinus agit aduersùs Iulianum Eclanensem Episcopum, calumniosè scribentem de clericis Romanæ Ecclesiæ: Eos iussionis terrore perculsos non erubuisse præuaricationis crimen admittere, vt contra priorem sententiam suam, qua Gestis catholico dogmati adsuerant, postea pronunciarent malam hominum esse naturam. [Post damnatum, qui ex Vrbe fugerat, Celestium Zozimus edidit istam celeberrimam ad omnes sub cœlo Ecclesias Tractoriam, qua non solum Celestium denuò, ac ipsum item Pelagium, eorumque damnauit dogmata, sed insuper singulos, quos isti impugnauerant, de originali peccato, ac Diuinæ gratiæ auxilijs articulos Apostolicè confirmauit. Et omnes sub cœlo episcopos iussit his litteris subscribere. Quisquis recusasset, futurus erat non dumtaxat suspectus, sed professus Pelagianus. Et quo plenam obtineret obedientiam, suum & Constitutum, & Mandatum curauit muniri Augusta lege Imperatoris Honorij, scripta ad Palladium, Præfectum Prætorio. Ea est prima contra Pelagianos Diualis Constitutio primùm vulgata per Magdeburgenses Centuriatores. Porrò Zozimus, & suis Decretis, & laudatæ legi primos obedire iussit suos clericos. Tunc Sixtus, Romanæ Ecclesiæ Presbyter, postmodò summus Pontifex, qui Pelagio, & Cælestio videbatur non nihil fauisse, atquè ita multos contristauerat, fecit quod ad ipsum cum pleno gratulationis gaudio scripsit sanctus Augustinus: [Vt tristitia de nostris cordibus tergeretur, te priorem Anathema eis, Pelagio, & Celestio,] in Populo frequentissimo pronunciasse, fama non tacuit. [Porrò Eclanensis Iulianus, qui vsque ad Innocentij Pontificis mortem catholicus manserat, aut manere simulauerat, laudatis Zozimi Decretis subscribere iussus se aperuit: Detrectauit pertinacissimè. Cum aliquot alijs episcopis edidit solemnem fidei libellum ad Romanam Ecclesiam, & à Zozimi Decretis appellauit ad generale Concilium. Et quo hæc omnia fucaret, ac stabiliret, latrauit Zozimum esse præuaricatorem. Vtpotè, qui Celestij de originali peccato dogma approbasset primùm, deinde damnasset. Latrauit Apostolicæ Sedis iudicium non esse irrefragabile. Eadem de re scripsit ad Thessalonicensem, ac alias ecclesias, plenis maledicentiæ buccis clamans Zozimum non dumtaxat semetipsum, sed præcipitasse suos etiam clericos per terrores Regiæ iussionis. Ipsos insuper clericos arguit, quod isto terrore perculsi non erubuerint præuaricationis crimen admittere: Contra priorem suam sententiam, qua Gestis catholico dogmati adsuerant, pronunciare malam hominum esse naturam. Hoc est, originale peccatum, quod antea etiam per Gesta proscripserant, posteà stabilire, ac propter Regios terrores solemniter profiteri. Ista enim calumniosa phrasi Iulianus exprimere consueuit originale peccatum. Adiunxit in istius præuaricationis pœnam, defuncto Zozimo successisse schisma Eulalianum.

Per adductum sui libri caput Sanctus Augustinus respondit hisce contumeliosis furibundi Turbinis clamoribus. Et docet varia, alioquin ignoranda. Primò, quod Zozimus Pontifex, & omnis Romana Ecclesia natu-

naturales Cælestij dotes fuerint commiserati, ideòque ipsum corrigere sperantes noluerint Africanæ damnationis statim confirmare sententiam, & mitiùs tractauerint, quàm postularet seuerior Ecclesiæ disciplina. Secundò, quod super Cælestij appellatione, & causa cucurrerint plura Scripta, ac Rescripta inter Romanam, & Africanam Ecclesiam. Et quod plura apud Apostolicam Sedem, præsente, ac respondente Cælestio, confecta fuerint Gesta. Tertiò, quod inter tot Zozimi epistolas, ac interlocutiones, nec verbum reperiatur, quod inficitur originale peccatum: Quartò, quod Cælestius in suo, quem Zozimo exhibuit, fidei libello posuerit verba originale peccatum euertentia. Nempè hæc: [In remissionem autem peccatorum baptizandos Infantes non idcircò dicimus, vt peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à catholico sensu alienum est. Quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodò exercetur ab homine: Quia non naturæ delictum est, sed voluntatis esse demonstratur.] Quintò, quod Cœlestius errorem hunc non penitùs assertiuè scripserit, sed vti rem dubiam, de qua vellet instrui. Etenim libello dederat hunc finem: [Si quæ verò præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus inter plerosque esset contentio, non ego quasi auctor alicuius dogmatis definita hoc auctoritate statui, sed ea, quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatus offerimus probanda iudicio, vt si fortè vt hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur.] Sextò, quod erronea ista libelli verba Zozimus, præclarum Cœlestij ingenium miseratus, noluerit statim ex abrupto damnare. Septimò, quod idcircò ipsa non probauerit. Etenim non falsitatem dogmatis, sed solam emendationis voluntatem probauit, ideòque ad tempus, hominem deuium ad rectas studens reducere vias, dispensatoria pietate dissimulauit. Octauò, quod istum, licèt fœdo errore scabiosum, libellum Zozimus rectè dixerit catholicum. Quia nempè non corrigi paratus error, sed sola pertinacia facit hæreticum. Nonò, quod Apostolicis Innocentij ad Carthaginensem, ac Mileuitanam Synodos Rescriptis Cælestius, se assentiri responderit in suo examine, ac promiserit ipsa solemniter profiteri. Decimò, quod ex hac responsione creditus fuerit esse plenè conuersus. Ista namque Rescripta manifestissimè profitentur originale peccatum. Vndecimò, quod Zozimus à Cœlestio circumscribi, ac deludi timens, istam eius solemnem fidei professionem noluerit præcipitare. Primò de eius moribus instrui per Africanos episcopos voluit, & adesse Paulinum Accusatorem. Duodecimò, quod Africani episcopi vafrum hominis ingenium exposuerint Pontifici, ideòque ad ipsi credendum suggesserint non suffecturam qualemcumque professionem, qua profiteatur se consentire laudatis Rescriptis; sed quod insuper præfata sui libelli verba debeat disertè anathematizare, atque ita auferre omnem ansam suspicionis, aut scandali. Decimo tertiò, quod ista Afrorum postulatio fuerit fundata, ac iusta. Etenim nisi istud fieret, erroneum Cælestij libellum, quem Apostolica Sedes esse catholicum scripserat in Africam, simplex Populus crederet approbatum potiùs, quàm emendatum, aut reprobatum. Decimo quartò, quod Zozimus sanis Africanæ Ecclesiæ consilijs acquieuerit, atque ità constituerit certum diem, in quo exactè examinatus Cælestius cogeretur ad lucidas responsiones, ad disertè eiuranda sui erroris verba, ac rectam fidem lucidè profitendam. Debebat [Secundùm Africana rescripta, ipsa omninò de hac quæstione verba commemorare, & anathematizare, quæ in libello suo posuit.] Can. 4. Decimo quintò, quod adueniente isto die Cælestius non comparuerit. Aufugerat enim ex alma vrbe, nolens talia profiteri, aut anathematizare. Delusit Pontificem, atque ità eius vafrities, & hæresis omnibus manifestò apparuerunt. Decimo sextò, quod hæc videns Zozimus censuerit procedendum ad definitiuam sententiam. Et rectè. Etenim abundè tunc patebat dolosa hominum peruersitas, ac pertinacia, ideòque non amplius ipsorum infirmitati, & correctioni; sed orthodoxæ veritati, & fidelibus Christi Domini Populis erat prospiciendum. Tunc ergò Zozimus condidit, ac edidit solemnem istam, ac veraciter Apostolicam Tractoriam, qua Pelagij & Cælestij damnauit errores, atque personas: Quam confirmari curauit Imperiali lege, quam subscribi solemniter iussit, primùm à suo clero, deinde ab omnibus sub cælo episcopis. Grandi Christianæ eruditionis damno latet, aut perijt ista epistola: Habemus tamen quædam illius hinc inde fragmenta. Decimo septimò Augustinus docet, quod in cunctis his circa Cælestium Gestis, & Scriptis Zozimus, nec antecessoris sui constituta, nec proprias interlocutiones aut acta, nec apostolicam veritatem fuerit præuaricatus. Et insigniter ista demonstrat. Decimo octauò docet eamdem esse rationem Romani Cleri: Vtpotè qui se episcopo per omnia conformauerit, ideòque sit plenè purus à præuaricatione. Ità aduersùm Iuliani calumnias demonstrat Apostolicam Sedem, non fuisse lapsam in Zozimo, sed circà fidem esse infallibilem, ac inseparabilem. Hinc aduersùs Iulianum concludit: [Adhuc insuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam.] Lib. I. c. 24. Cum Sarcasmo affirmat Iuliani appellationem esse friuolam, & ab omnibus contemnendam. Etiam in alijs locis constantissimè, ac lucidissimè docet istam Apostolicæ Sedis infallibilitatem. Hinc admirandum est, quod quidam se eius profiteantur fideles discipulos, & non vereantur aduersùs, istam Romanæ Ecclesiæ dignitatem vana disputare.

Marius Mercator non sine causa scribit, quod Zozimus suam tractoriam, vnàque Imperialem legem miserit, etiam ad Orientales Ecclesias, hoc est, ad Orientalem Diœcesim, seu Patriarchatum Antiochenum, & nominatim ad Ecclesiam Hierosolymitanã. Nempè propter Praylium, qui sui antecessoris Ioannis vestigia sequens, totus fauebat Pelagio. Fauebant & plures alij. Porrò Pontificis cura non caruit fructu. Eius Tractoria, & Praylio, & Theodoro Patriarchæ Antiocheno ostendit, ac persuasit, quod sanctus

ctus Hieronymus non sine rationibus scripsisset Synodum Diospolitanam fuisse miserabilem. Ambo fecerunt, quod in tertio sui Commonitorij capite scribit Marius Mercator: [Pelagius postmodùm euidenter deprehensus, insistentibus accusatoribus, à posteriori Synodo, cui sanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præsedit episcopus, atque detectus, à sanctis quoque, & venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus. Quod eiusdem sancti Theodoti ad Reuerēdissimum Vrbis Romæ Episcopum, & sanctæ recordationis Praylij Hierosolymorum episcopi missa scripta testantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.] Dolendum est, quod Marius Mercator cuncta ista exemplaria non adiunxerit suis Commonitorijs. Sic illa magno damno non fuissent perdita. Isto tempore Theodoretus Cyrensis episcopus frequenter agebat, & concionabatur Antiochiæ. Hinc certum fit istos hæreticos, etiam ab ipso fuisse damnatos. Hinc illi desperati perrexerunt Constantinopolim ad fidum sui Magistri Theodori Mopsuestiensis episcopi discipulum, Patriarcham Nestorium. Et inuenerunt suo patello aptissimum coopertorium.

Africani Episcopi Zozimo rescripserunt non pauca. Lucet ex Papali ad ipsos rescripto: [Missæ per Marcellinum Subdiaconum vestrum epistolæ omne volumen voluimus, quo aliquando perlecto,] &c. Marcellinum hunc fuisse Carthaginensis Ecclesiæ Subdiaconum, testatur in suo ad Pontificem libello Paulinus Diaconus. Addit se Papale Romanæ euocationis mandatum accepisse quarto Nonas, idest, secunda die Nouembris, & concludit: [Hunc autem libellum direxi Beatitudini tuæ per Marcellinum Ecclesiæ Carthaginensis Subdiaconum. Datum sexto Idus Nouembris.] Hoc est, die octaua. Quare aut ista ipsa die, aut paulò post Marcellinus cum Basilisco nauigauit. Notandum est, quod Paulinus in eodem libello exprimat, & diem factæ sibi insinuationis, & diem sui responsi. Eodem modo Papale ad Africanos episcopos Rescriptum habet hanc subnotationem: [Datum duodecimo kalendas Apriles, Honorio Augusto duodecies Consule. Acceptum tertio kalendas Maias.] Hanc posteriorē partem omninò adiecerunt Afrorum episcopi, atque ita subnotatam epistolam remiserunt Romam. Nempè agebatur de retractatorio appellatæ causæ iudicio, & de Papali Afrorum ad ipsum euocatione. De negotio tunc acerrimè controuerso inter vtramque Ecclesiam. Hinc Zozimus istos iudiciales apices voluit per omnia obseruari. Ità insuper eos clausit Scriptori Anonymo.

Afrorum literæ perierunt, aut latent. Eorum aliquod contentum colligi possit ex Rescripto Pontificis: [Quamuis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper regulasque seruauerit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomini, à quo ipsa quoque descendit, reuerentiam exsoluat, tantam enim huic Apostolo Canonica antiquitas super sententias omnium voluit esse potentiam, & ipsa quoque Christi Dei nostri promissio, vt & ligata solueret, & soluta vinciret, par potestatis data conditio in eos, qui Sedis hæreditatem Ipso annuente meruissent. Habet enim cum omnium Ecclesiarum, tum huius maximè, vbi sedit, curam, nec patitur aliquid amittere priuilegij, aut aliqua titubare aura sententiæ, cui vi ipsa sui nominis firma, & nullis hactenùs acta motibus constituit fundamenta, & quæ sine suo periculo temerè nullus incesset. Cum ergò tantæ auctoritatis Petrus caput sit, & sequentia omnium Maiorum studia seruauerint, vt tam humanis, diuinisque legibus, & disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere, & potestatem nominis obtinere, non latet vos, sed nostis Fratres charissimi, & quemadmodùm Sacerdotes scire debetis, Tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, vt nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris vltrò literis referremus, dantes hæc Fraternitati, vt in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid quod contra vtilitatem Ecclesiæ veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo, qui apud nos, sicut ipsi per literas dicitis, fuerit accusatus, & ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens iudicium ex appellatione pristina, venerit Sedem, Accusatores suos vltrò deposcens, & quæ in se crimina per rumorem falsò dicebat illata, condemnans.] Affirmat sibi ex Africa transmissum fuisse integrum literarum volumen, & pergit; [Quo perlecto, ita totum literarum comprehendistis textum, quasi nos Celestio commodauerimus in omnibus fidem, verbisque eius non discussis ad omnem, vt ita dicam, syllabam præbuerimus assensum. Numquàm temerè, quæ sunt diù tractanda, finiuntur: Nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari iudicio. Idcircò nouerit vestra Fraternitas nihil nos post illas, quas vel superiùs, vel nunc accepimus, literas vestras immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudùm fuerant, cum hoc nostris literis vestræ indicauimus Sanctitati, vt illa, quæ à vobis ad nos missa erat, obtestatio remaneret.] Docet plura, spectantia ad præsentem materiam. Primò, quòd nullus Apostolicæ Sedis Iudicium possit sine temerario ausu retractare, immò nec de ipso disceptare. Auctoritatem hanc affirmat stabiliti per Canones, per Patrum traditionem, per perpetuam consuetudinem, inchoatam à primo Romanorum episcopo, sancto Petro Apostolo, qui ipsam à Christo Domino accepit. Addit hanc dignitatem sciri, aut certè sciri debere ab Africanis: Vtpotè qui sunt episcopi, ideòque non permittantur talia ignorare. Nempè Africani episcopi post, & propter Zozimi circa Cœlestium acta, & scripta coegerant Synodum, & licèt non retractassent, tamen disceptarānt. Suspicati fuerant Pontificem, vti in Apiarij causa, ità in hoc longè maioris ponderis negotio limites excedere. Et istam fiduciam Zozimus in ipsis notat, ac arguit. Secundò affirmat tantam sancto Petro, ideòque & eius Successoribus esse non solummodò per Canonicam anti-

tiquitatem, sed insuper à Christo Domino super omnium gentium Synodales sententias potentiam, vt omnium ligata soluere, omnium soluta valeat vincire. Quorumcumque ad Apostolicam Sedem appellationes asseuerat esse Diuini Iuris. Addit sanctum Petrum omnium suorum priuilegiorum esse adeo strenuum Zelatorem, vt ipsorum nihil patiatur amitti, nihil titubare, nihil temerè incessi. Et ipsis esse firma, multisque hactenùs impetita motibus, & tamen inconcussa semper, fundamenta. Porrò aduersùs hanc Cælestij appellationem, quod in Dogmatica esset materia, nemo Afrorum obstrepuit. Nullum exstat, vel minimæ intercessionis vestigium. Quinimmò Paulinus Diaconus, qui tunc non ex Italicis, sed ex Africanis viuebat regulis, in suo ad Papam libello appellationem Cœlestini est omni modo veneratus. Proindè Pontifex studio hæc intertexuit aduersùs Afrorum contentionem de causa Apiarij. Tertiò affirmat nullam Afris fuisse causam disceptandi de suis actis circa Celestium: Quoniam peritus sit sui Papalis Officij, ideòque nihil egerit contra vtilitatem Ecclesiæ, aut quod possit alicui displicere. Nempè Afri talia scripserant, aut certè apud suos mussitarant. Quartò affirmat, quod Cęlestius potuerit dormientem appellationem resumere, & suos accusatores ad retractatorium in alma vrbe Iudicium postulare. Quintò, quod hac in re voluerit Afris deferre singularem reuerentiam, Quod ipsos non vt Reos, aut accusatores audire voluerit, sed simul cum ipsis causam retractare. Ipsos in retractatorio Iudicio admittere ad omnem synodalem honorem. Sextò, quod ipsos dignatus sit, & alia gratia, nempè quod post elapsos duos citationis menses non processerit in causa, sed vsque huc omnia in priori statu reliquerit, gratiosè deferens ipsorum obtestationi. Insinuatio fuerat facta anno decimo septimo istius sæculi, die secunda Nouembris; at verò hęc epistola anno sequenti fuit data die vigesimaprima Martij, tradita die vigesima nona Aprilis. Afri adesse debuerant secunda die Ianuarij.

Notanda est ista Afrorum obtestatio. Etenim Romanam Cęlestij appellationem omninò comprobauit, aliud non postulans, quàm vt Pontifex non nisi post plenam instructionem dignaretur ad definitionem procedere. Eamdem appellationem confirmauit Paulinus Diaconus, Cęlestium deferens de nouo crimine: Nempè quod ab Africana Synodo de hæresi damnatus ante purgationem, ac reparationem præsumpsisset consecrari in presbyterum. A' Romano tamen accessu se excusauit: [Vbi tunc nihil agere potui, quia is, qui ad Sedem Apostolicam prouocauerat, defuit, quem oportuerat vtique merita suæ appellationis adstruere, maximè cum nihil agente appellatore, secundùm etiam humanas leges, superior est semper ille qui vicit.] Affirmat se perfunctum omni accusatoris officio, ideòque causam deinceps ad se non spectare. Fuisse perfunctum, & solutum, dum Cęlestius appellationem deseruit. Interim Pontificem de peccati originalis fide, ac de dolosis Cęlestij artibus abundè instruxit. Quod ipsum synodaliter fecerunt Africani Antistites. Coegerunt ducentorum, & quatuordecim episcoporum synodum, & ex ipsa ad Zozimum scripsere: [Constituimus in Pelagium, atque Cęlestium per Venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam Iustitiam nos per actus singulos adiuuari, itaut sine illa nihil veræ, sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.] Hac in synodo fuisse tot episcopos, & istud Zozimo fuisse rescriptum, testatur sanctus Prosper in libro contra Collatorem. Et istud consilium probans Zozimus perrexit ad causam finiendam: Cap. 10. At Cęlestius aufugit. Hinc prodijt solemnissima Pelagianæ damnationis tractoria. Et ipsam promulgaturi celebrarunt famosam dennò synodum ducentorum septemdecim episcoporum, in qua ediderunt insignes istos Canones de originis peccato, & de adiutorio Diuinæ gratiæ. Vulgata Conciliorum editio ipsos adscribit Mileuitanæ Synodo. Et certum est ipsos esse à Carthaginensi. Et esse approbatos, & confirmatos per Sedem Apostolicam. Disertè vtrumque asseuerat septimus articulus istorum, qui passim subnectuntur post sancti Cęlestini Pontificis Apostolicam epistolam pro doctrina sancti Augustini. Eadem à synodo prodijt Canon Romanam appellationem interdicens soli inferiori Clero. Nempè suprema Africanæ Ecclesiæ in suum inferiorem Clerum potestas vsque tunc constabat sola consuetudine. Et ipsam Romana Ecclesia per Zozimum Pontificem potenter arietabat. Hinc ista numerosa synodus statuit stabiliendam Canone, atquè ita perpetuò contra alios forsitan insultus armandam. Ediderunt Canonem aduersùs nuperam epistolam, qua Zozimus scripserat: [Tantam Petro Apostolo Canonica antiquitas super sententias omnium voluit esse potentiam, & ipsa quoque Christi Dei nostri promissio, vt & ligata solueret, & soluta vinciret.] Affirmarunt etiam à se inintelligi Euangelium. Ipsum Africanæ consuetudini non contraire. Nec iota, aut apicem protulerunt de episcoporum appellationibus. Quod nempè illæ liberis semper ambulassent passibus, & salua ecclesiæ vnitate non possent tangi. Sola item hæc synodus aliquid sanxit de fide. Nempè Africani Episcopi norant regulam, quam postmodò ad Faustinum Magistrum scripsit Gelasius Pontifex: [Quantùm ad Religionem pertinet, non nisi Apostolicæ Sedi, iuxta Canones, debetur totius summa iudicij.] Hinc ista synodus aliud non fecit, quàm confirmare decreta Zozimi. Eadem de causa Afri semper permiserunt inferiorem etiam Clerum in fidei materia Romam prouocare.

CAPVT XXXII.

Exponitur Africana controuersia circa Sardicenses Canones.

PRima quæstio est, Ex quo factum sit, quod Afrorum Antistites ignorauerint Canones Sardicenses? Quod ipsos harum quæstionum tempore penitùs ignorauerint, ex supradictis est manifestum. Quod ipsum patet ex literis sancti Augustini ad Eleusium, & Glorium, Episcopos Donatistas: [Fortunius,] Tuburficensis Donatistarum Episcopus, [pro- Epist. 163. tulit quoddam volumen, vbi volebat ostendere Sardicense Concilium ad Episcopos Afros, qui erant communionis Donati, dedisse literas. Quòd cum legeretur, audiuimus Donati nomen inter cæteros episcopos, quibus illi scripserant. Itaque flagitare cœpimus, vt doceretur, vtrùm ipse esset Donatus, de cuius parte illi cognominantur: Fieri enim potuisse, vt alicui Donato alterius hæresis episcopo scripserint, cum maximè in illis nominibus, nec Africæ mentio facta fuerit. Quomodò ergo posset probare Donatum patris Donati episcopum nomine illo accipiendum esse, quando ne id quidem probare posset, vtrùm ad Africanarum specialiter ecclesiarum episcopos illæ literæ missæ fuerint. Quamquam enim Donati nomen Afrum esse soleat, non tamen repugnaret à verò, vt vel partium illarum aliquis vocaretur nomine Afro, vel aliquis Afer in illis partibus constitueretur episcopus. Neque enim in eis, vel diem, vel Consulem inuenimus, vt saltem consideratis temporibus certi aliquid eluceret. Sanè quoniam nescio quando audieramus Arianos, cum à communione catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse, ad autem mihi hoc ipsum Frater Alipius suggessit. Tunc accepto ipso volumine, eiusdem Concilij statuta considerans, legi Athanasium Episcopum Alexandrinum catholicum, cuius maximè aduersùm Arianos acerrimarum disputationum conflictus eminuit, & Iulium Romanæ Ecclesiæ Episcopum, nihilominùs catholicum, illo Concilio Sardicensi fuisse improbatos; vndè apud nos constitit Arianorum fuisse Concilium, quibus isti episcopi catholici vehementissimè resistebant. Itaque ad diligentiorem etiam temporum discussionem voluimus ipsum volumen accipere, atque auferre nobiscum. Qui noluit dare, dicens ibi nos habere illud, quando aliquid in eo considerare vellemus. Rogaui etiam, vt manu mea notari permitteret, fateor, timens ne mihi fortè causa exigente, cum petendum esset, pro illo aliud proferretur. Neque hoc voluit.]

Istud Sardicense Concilium erat manifestè synodalis epistola Philippopolitani Conuenticuli. Et ex istis sancti Augustini, qui suam, & Collegæ Alipij cum præfato Fortunio disputationem describit, verbis discimus plura. Primò, quod iste Fortunij Codex fuerit mutilus. Etenim non habebat episcoporum, ad quos epistola dirigebatur, adscriptas ciuitates. At verò nos hodie habemus: Gregorio Alexandriæ Episcopo, Amphioni Nicomediæ Episcopo, Donato Carthaginis Episcopo, [&c. Secundò, quod ista epistola videatur nunquam habuisse adscriptū diem, & Consulem. Etenim vri Fortunij Codex istis caruit, ita carent, & omnes nostri. Tertiò, quod] Donatus [esset nomen Afris familiare, & proprium. Existimo processisse ex sancto Donato, proximo antecessore sancti Cypriani. Quartò, quod sanctus Augustinus nullam tunc haberet notitiam, aut Sardicensis Concilij, aut etiam Philippopolitani Conuenticuli. His de rebus nihil nouerat, nisi quod incerto rumore aliquandò audisset, quod Ariani, cum à catholica communione se palàm segregassent, tentassent suæ factioni adiungere Donatistas. Et rectè audierat. Etenim vsque ad istud Philoppopolitanum schisma Eusebiana factio episcopis catholicis communicauerat, & ambo fuerant vtcumque vnum. Ista secessio ipsos discreuit in aduersas communiones. Quintò discimus, quod sanctus item Alipius circa istas synodos nihil tunc nouisset, nisi istam eamdem ex auditu memoriam. Porrò istud Eusebianæ Factionis tētamen non caruit omni effectu. Etenim de ipso sanctus Augustinus scribit ad Comitem Bonifacium: [Vt breuiter insinuem di- Epist. 50. lectioni tuæ, inter Arianorum, & Donatistarum quid intersit errorem, Ariani Patris, & Filij, & Spiritus sancti diuersas substantias esse dicunt; Donatistæ autem hoc non dicunt, sed vnam Trinitatis substantiam confitentur.] Etsi [aliqui ipsorum minorem Filium esse dixerint, quam Pater est, eiusdem tamen substantiæ non negarunt.] Loquitur de antiquis temporibus. Nempè de tempore Philippopolitani Conuenticuli. Affirmat quosdam Donatistas cum Arianis quidem fuisse locutos, non tamen sensisse. Et nonnisi aliquos. Nempè sunt artes hæreticorum. Et Augustinus non ampliùs dubitanter, sed definitè loquitur. Quia nempè hæc epistola est ista alia longè posterior, atque ità Augustinus erat tunc instructior.

Eadem de re sanctus Augustinus scribit in tertio libro contra Cresconium Donati- Cap. 34. stam: [Sed Orientales, quos modò nostros esse concedis, non latuisse hoc facinus dicis. Atque vt hoc probes, inseris principium epistolæ Concilij Sardicensis, vbi Donati Carthaginis Episcopi vestri nomen inuenitur adscriptum. Quod ideò factum putas, & affirmas, quod videlicèt Orientalibus, qui de Concilio suo hæc scripta miserunt, facinus displicuerit traditorum, & ab eorum se communione retraxerint, & propterea Donato vestro communicabant. Disce ergò quod nescis: Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod notum est iamdiù, vt habemus in manibus, contractum maximè contra Athanasium, Episcopum Alexandrinum catholicum, qui eorum errorem, ex ipsa Ciuitate ortum, præ cæteris acriter arguebat, & refellebat. Non igitur mirum, si illi hæretici Donatum sibi adsciscere tentauerint, quos per totum Orbem catholica damnabat ecclesia. Quamquam nos sine Ciuitatum nominibus Episcopos, ad quos hæ literæ datæ sunt, habeamus. Aut ergò aliquis Donatus fuit non in Africa Episcopus, cuius nomini Carthago à ve-

à vestris est addita, aut, vt dixi; Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentauit adiungere. Quod hinc maximè credibile est, quod ad Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis catholica scriberet.] Et in quarto libro: [Inseris principium Sardicensis Concilij; vndè probare conaris, quod Orientales Episcopi, cognito crimine traditorum, parti Donati communicauerint, hoc vno, magno scilicet, documento, quod inter episcopos, quibus scribunt, Donati nomen inuentum est. Nec tamen ibi legitur aliquid eos de Afris traditoribus cognouisse. Quod quidem Concilium, ne te lateat, Arianorum est, quos iam tu inter alios hæreticos nominasti. Nec additis Ciuitatum nominibus legi solet. Quia nec ipse mos est ecclesiasticus, quando episcopi episcopis scribunt epistolam; vndè nescio quis ille Donatus, miror si non in vestris literis Carthaginensis factus est. Omitto enim dicere, quod fortassè Orientales hæreticis aliquo modo se sociare tentauerint.]

Cap. 44.

Hinc iterùm discimus varia. Primò, quod etiam Cresconius habuerit exemplar Philippopolitani Conuenticuli. Secundò, quod eius exemplar à Fortunij exemplari fuerit non modicè diuersum. Etenim ad episcoporum nomina vnum habebat, aliud non habebat adscripta nomina ciuitatum. Quæ diuersitas refundi debet in varios Descriptores. Quidam ciuitatum nomina, aut spernebant nosse, aut ipsorum adscriptionem censebant aduersam consuetudini ecclesiasticæ. Quia nempè talis consuetudo non vigebat in Africa. Passim omnes laboramus ista philautia Patriarum consuetudinum. Hinc & sanctus Augustinus Fortunij Codicem censebat fideliorem, Et haud dubiè ipsum sibi curauerat describi. Ex eodem principio non ampliùs dubitanter, sed definitè asserit Sardicensem Synodum fuisse Arianorum. Tertiò discimus, quod isto adhuc tempore sanctus Augustinus, adeòque & cæteri Afrorum episcopi ignorauerint discrimen inter Sardicensem Synodum, & Conuentum Philippopolitanum. Discimus, quod sola istius Conuentus acta, immò sola synodalis epistola esset in Africa apud Donatistas, veræ autem Sardicensis Synodi acta, aut perierant apud omnes Africanas Ecclesias, aut latebant in alta obliuione. Et ex ista ignorantia sanctus Augustinus sibi persuadere non poterat, quod Philippopolitanus Conuentus scripsisset ad Donatum: Fuit magis propensus, vt crederet esse Donatum alium, à Donatistarum vafritie transmutatum in Carthaginensem. Quartò discimus, quod Donatistæ istius Conuenticuli literas, solius Eusebianæ Factionis facinus, transcripserint in totam Orientalem Ecclesiam. Quod ipsum hoc nostro sæculo fecit Petrus de Marca. Isti, vt suam Factionem per totius istius Ecclesiæ communionem, & auctoritatem firmarent; hic vt Romanæ Ecclesiæ dignitates per eamdem auctoritatem mutilaret. Quintò discimus, quod Catholica Orientalis Ecclesia olim ad Carthaginensem, aut alios Occidentis episcopos numquam scriberet prætermisso Romano. Nempè synodales literas. Est regula benè notanda. Ex eadem, dum ad Papam scriberent, passim addebant eius Synodum, omnes Italiæ episcopos, aut etiam totius Occidentis. Quod nempè Papa esset isthic omnia. Quod Papæ Iudicium non posset non esse omnium. Eadem de causa Orientales episcopi, dum ad Papam appellabant, quandoque addebant eosdem episcopos.

Epist. 52.

Secunda quæstio est, quomodò in Africam peruenerit ista ignorantia Canonum, & Actorum Sardicensium? Est res admiranda. Etenim non solus Africanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Gratus, sed insuper plures istius gentis episcopi adfuerant, & subscripserant Sardicensi Concilio. Nec est dubitandum, quin cuncta synodalia acta, nominatim Canones, secum deportarint. Quin immò idem Gratus ad suam, cui etiam Numidiæ, ac Byzacij aderant episcopi, Carthaginensem Synodum dixit: Hæc obseruantia pacem custodit. Nam & memini à sanctissimo Sardicensi Concilio similiter statutum, &c. Deinde Hosius Cordubensis episcopus, Sardicensis Concilij Præses fuit Afris insigniter familiaris, ideòque non est dubitandum, quin istam ipsis Synodum commendauerit. Respondeo hæc omnia esse verissima. Interim certum etiam est hanc Synodum postmodò fuisse isthic penitùs ignotam. Immò nullum penitùs exemplar fuit inuentum in omni Africa. Etenim episcopi, dum cum Zozimo Pontifice contendebant, lustrarunt omnes Bibliothecas, omniaque Ecclesiarum scrinia: Et nullos repererunt Sardicenses Canones, sed solos viginti Nicænos. Quare Gratus, & alij episcopi videntur istos secum non detulisse. Hinc forsan ille dixit: Memini à Concilio Sardicensi statutum. Insinuat codicem non fuisse ad manum, sed se loqui ex sola memoria. Accessit Donatistarum in Africanam Ecclesiam rabies. Etenim etiam tunc non destiterant episcopis, presbyteris, ac diaconis Catholicis violenter inijcere manus pœnitentiæ, atque ità reddere irreparabiliter irregulares. Hinc isthic nata est summa clericorum inopia, ac ignorantia. Præsertim ignorantia sacrorum Canonum. Nam & sanctus Valerius, dum sanctum Augustinum promouit sibi in collegam, ignorabat Nicænos Canones, vetantes eidem ciuitati esse duos simul episcopos. Et ad vitium curandum postmodò prodijt hic Canon: [Ordinatis episcopis, vel clericis priùs ab Ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra Statuta concilij fecisse pœniteat.] Canonis auctor fuit S. Augustinus, qui in alijs fieri noluit, quod in se factum doluit.

Cap. 51.

Cap. 34.

Quæstio tertia est, qua ratione Zozimus Canones Sardicenses scripserit esse Nicænos? An studuerit Africanos Episcopos circumscribere? Hoc enim censent non hæretici soli, sed & quidam hodiè Catholici. Respondeo Zozimum rectissimè, & simplicissimè scripsisse ex more suorum antecessorum. Scripsit ex Codice Romanæ Ecclesiæ, in quo primum caput habet hunc titulum: Canones Nicæni Concilij sub titulis quadraginta sex. Et continet Nicænos, & Sardicenses Canones: Sub eadem consequentia. Et ipsos distribuit in quadraginta sex numeros. Proindè codicis auctor vtriusque Synodi Canones ap-

appellauit Nicænos. Nec sine fundamento. Etenim Constantinopolitanum Symbolum Ecclesia semper dixit Nicænum. Etiam eius auctrix Constantinopolitana Synodus dedit ipsi hunc titulum in primo suo canone: [Trecentorum decem, & octo Patrum, qui Nicææ conuenerunt, fidem non abrogari, sed firmam, ac stabilem manere oportere, &c.] Ipsam confirmauit, & auxit quibusdam vocibus, quibus grassantes tunc hæreses euertebantur. Hinc edixit suum ità adauctum Symbolum esse, ac permanere Nicænum. Rectissimè. Eodem modo Sardicenses Canones non sunt aliud, quàm Nicænorum expositio, & confirmatio aduersùm schismaticas nouitates Eusebianæ Factionis. Non sunt aliud, quàm quædam ad Nicænos additamenta. Hinc ipsos pro Nicænis semper habuit Romana Ecclesia. Et istud iudicium secutus est Auctor codicis. Auctor insigniter antiquus. Et enim codex à modico incepit, & paulatim per assidua incrementa peruenit ad plenitudinem. Itaque Zozimus ex ipso scripsit, ideòque ab omni dolo, aut arte est purissimus. Nemo hæc meliùs nouit, quàm Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus, qui codicem, magnum ecclesiasticæ eruditionis thesaurum, è tenebris produxit in lucem.

Quæstio quarta est, an Zozimus Pontifex sit primus auctor istius tituli, aut phrasios? Hoc enim ipsi passim imponitur à nouis Dogmatistis. Respondeo non esse. Etenim in libello, quem aduersùs Hincmarum Laudunensem Duziacensi Synodo exhibuit, Hincmarus Rhemensis episcopus laudat verba Innocentij primi Pontificis in literis ad sanctum Victricium episcopum Rothomagensem: Si maiores causæ in medio fuerint deuolutæ, sicut Synodus statuit, post episcopale Iudicium referantur. Et subiungit: De quibus canonibus Innocentius hoc dicat, manifestissimè claret, scilicet de Sardicensibus. Certum est, quod Innocentius laudet Nicænam Synodum, & tamen adducit Sardicensem Canonem: quod nempè vtraque Synodus haberetur pro eadem, & indifferenter appellaretur Nicæna. Idem Hincmarus alio in loco scriptum istud Victricio Capitulum affirmat esse partim ex Nicænis, partim haustum ex Sardicensibus Canonibus, & tamen ab ipso appellari Nicænum. Vtique ex eodem principio. Hæc manifesta veritas olim fuit professio constantissima totius Gallicanæ Ecclesiæ. Quod eamdem in prima sui operis parte profiteatur Petrus de Marca, est ostensum in superioribus. Vnde igitur nunc docet aliud, & se præbet Ducem inconditæ nouitatis? Idem Innocentius in literis ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clerum, ac Populum grauissimè damnat Theophili Alexandrini Synodum, quod sancto Ioanni Chrysostomo appellanti superordinasset alium episcopum, & adiungit causam: [Numquam sanè Patres nostros talia ausos fuisse, sed potiùs vetuisse cognouimus, ne cui in locum viuentis alium per consecrationem substituendi sit potestas. Hæc contra canonum obseruationem sunt. Canonibus porrò obsequendum scribimus, qui Nicææ sunt decreti. Quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & iuxtà eos iudicare.] At verò quis canon appellanti episcopo vetat superordinari alium? Certè nullus, nisi Sardicensis. Et ecce ipsum Innocentius disertè inscribit Nicænum. Et statim infrà appellat etiam Sardicensem. Eiusdem Synodi Canones manifestè laudat in literis, quibus Theophilum, redditurum sui Iudicij rationes, mandat proficisci ad Synodum Thessalonicensem, & disertè affirmat esse Nicænos. Eadem phrasi vtitur Palladius Helenopolitanus episcopus in Dialogo, quem de sancti Ioannis Chrysostomi persecutionibus habuit cum Theodoro diacono Romanæ Ecclesiæ. Quin & plena Constantinopolitana Synodus scribit de suo secundo canone: [De administrationibus singularum Ecclesiarum tum vetus lex obtineat, tum sanctorum Patrum in Concilio Nicæno decisio, vt videlicet singularum Prouinciarum Antistites vnà cum finitimis, modò ipsis ità visum fuerit, episcopis ad Ecclesiarum commodum habeant ordinationes.] Laudat quartum, & sextum Nicænum Canonem. Verùm nec hic, nec iste permittit, aut mandat vllo in casu inuitari episcopos vicinæ Prouinciæ. Facit id quintus Sardicensis. Proinde laudata Synodus suam ex vtriusque concilij canonibus mixturam affirmat esse conflamen Nicænum. Nempè in relatione ad Romanam Ecclesiam loquitur Romano more, atque ità constat istam loquendi speciem non esse inchoatam à Zozimo, sed apud omnes Ecclesias fuisse multò antiquiorem. Ex quibus lucet insigniter exorbitare hæc verba Petri de Marca: Nondùm recepti erant Canones Sardicenses tempore Innocentij Primi. Lib. 7. c. 12.

Epist. 19.

Longè peiùs exorbitant hæc: [Primus omnium Zozimus Papa Canones Sardicenses protulit, contenditque, vt in Occidente vim legis obtinerent. Arbitror autem eum id consilium cœpisse, quod Honorius, & Arcadius Imperatores paulò ante abiecissent ius concedendi Rescripta pro retractando iudicio episcoporum depositorum, quemadmodùm suprà ostendi capite secundo, adductis verbis legis. Existimauit itaque Zozimus gratum episcopis futurum, si reuisiones non omninò abolerentur, sed contra decernerentur auctoritate Sedis Apostolicæ. Tentatum id in Africanis ingenijs voluit Pontifex.] Laudatæ legis, in secundo capite adductæ, verba sunt hæc: [Quicumque residentibus Sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus, & nomine, si aliquid vel contra sententiam, vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursùsque Sacerdotium petere, à quo videtur exclusus, procul ab omni vrbe, quam indignus infecit, secundùm legem diuæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat. Et infrà: Sit huiusmodi personis tenore præsentis legis illicitum sacra nostra adire Secreta, & impetrare Rescripta. Omnia deiectis per culpam Sacerdotio personis, quę impetrata sunt, infecta permaneant.]

Error, quo Petrus de Marca affirmat Sardicenses Canones à Zozimo fuisse primùm prolatos, est abundè reuictus. In adductis verbis sunt, & alij. Primus est, quod Romani Imperatores aliquandò habuerint ius dandi Rescripta ad retractanda iudicia degradatorum episcoporum. Etenim erat mera, per Do-

Donatistas intrusa in Mundum, Regia vsurpatio, quam iuxtà canones agentem tolerabat, ab ipsis autem deuiantem constanter repudiabat Ecclesia. De hisce ad Bonifacium diaconum, suum Apocrisarium apud Imperatorem Phocam, scripsit magnus Gregorius: [Dilectio tua pietati clementissimi Domini Imperatoris cuncta diligenter insinuet, atque constanter adstruat hoc omninò illicitum, omninò prauum, omninò iniustum, & sacris esse canonibus valdè inimicum. Et ideò huiusmodi peccatum temporibus suis introduci in Ecclesiæ præiudicium non permittat.] Antiquum de cunctis istis sacris Rescriptis, Delegationibus, ac iussionibus Ecclesiæ sensum exponit idem Gregorius in literis ad Anatolium, Diaconum Constantinopolitanæ Ecclesiæ: [Quod Imperator fecerit, si canonicum est, sequimur, hoc est, patienter obedimus; si verò canonicum non est, quantum sine peccato nostro valemus, portamus.] Plurima sunt istiusmodi testimonia, & eiusdem Gregorij, & aliorum Patrum, Latinorum, & Græcorum. Proindè nullum fuit Principi ius: Fuit mera conniuentia.

Li. 12. ep. 3.

Li. 8. ep. 41.

Secundus error est, quod Arcadius, & Honorius istam consuetudinem abiecerint. Etenim contrarium lucet ex adductis S. Gregorij testimonijs. Consuetudo hæc sub istis Imperatoribus adeò inualuit, vt Africana Ecclesia ipsorum tempore emiserit hunc Canonem: [Quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit honore proprio priuetur; si autem episcopale iudicium ab Imperatore postularit, non ei obsit.] Durauit vsque ad finem, & lapsum Romani Imperij. Quin immò Petrus Archiepiscopus contendit istud sacrū ius ab Imperio transijsse ad Reges Christianissimos. Vnde plurimùm miror, quomodò hic sui oblitus scribat fuisse abiectum ab Arcadio, & Honorio? Quando igitur, & quomodo mos iste exoleuerit, docet Anastasius, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, in præfatione ad octauum Concilium: [Græcorum Imperatores, Occidentis amisso Imperio, Romanis Pontificibus, quibus iubere nequeunt, suadere nituntur.] Et Leo tertius Carolum Magnum dum Occidentis donauit Imperio, compulit ad cunctis istiusmodi violentijs renunciandum. Porrò Arcadius, & Honorius per memoratam legem, qua similem Gratiani Imperatoris aduersùm solos Vrsicini Antipapæ schismaticos Fautores, eorumdemque Degradatorum turbulentias datam constitutionem extendunt ad omnes legitimè Degradatos, ac aduersùs istud iudicium tumultuantes episcopos, nequaquam abijciunt istam consuetudinem, sed solummodo cogunt ad meliorem vsum, ac sacris Canonibus viciniores terminos. Sanciunt, vt ista sacrarum Delegationum rescripta deinceps non dentur istiusmodi turbinibus. Et omnia iam data circumducunt. Sanciunt turbines relegandos ad centum millia ab ista ciuitate, quam malè gesto episcopatu fœdauerant.

Lib. 7. c. 11.

Tertius error est, quod istas ab Arcadio & Honorio in compita proiectas sordes Zozimus, vti dilectas gemmas, collectas leuauerit, & ipsis studuerit ornare Sedem Apostolicam. O' miserabilem sancti Petri Cathedram, quæ indiguit fucari fœdis istiusmodi pigmentis. Petrus Archiepiscopus in superioribus docuit, quod ante Sardicensem synodum Romana Sedes in canonica Prouincialium synodorum iudicia nihil potuerit per appellationem, aut retractationem, coacta esse contenta solis relationibus. Docuit quod tunc iniquè damnati episcopi nequiuerint perfugere ad Romanos Antistites, sed ab Imperatore supplicare iudices episcopos, qui causam retractarent. Docuit quod primus in Sardicensi synodo Hosius studuerit honorare memoriam sancti Petri Apostoli, atque ita Imperialem delegandi retractaturos Iudices authoritatem communicauerit Romanis Pontificibus. Nempè pauper S. Petrus supra Prouinciarum synodos nihil potestatis acceperat à Christo Domino, atque ita per Hosij industriam debuit aliquid mendicare ab Imperatoribus. Hic verò Petrus Parisiensium Archiepiscopus docet, quod Arcadius, & Honorius istud suum ius proiecerint, atque ita rebus suis attentus Zozimus ipsum collegerit, [existimans gratum episcopis futurum si reuisiones non omninò abolerentur, sed contra decernerentur authoritate Sedis Apostolicæ.] Nempè nisi Zozimus istas fæces collegisset, miserandi episcopi, dum iniquè à suis synodis degradabantur, nec ad Principem, nec ad Papam potuissent confugere. Quare Zozimus credidit à se agi non suam rem, sed episcoporum. An hæc Dogmata sapiant Euangelium, iudicent alij sapientiores. Certè Zozimus in superiùs adducta ad Africanam Ecclesiam epistola affirmat Romanam suscipiendarum appellationum authoritatem, & supremam super quascumque synodos potentiam esse à canonica antiquitate, à traditione Patrum, à sancto Petro Apostolo, ac ab ipso Christo Domino, qui Petro dedit potestatem ligandi, ac soluendi omnia.

Quartus error est, quod primum huius suæ nouæ potestatis experimentum Zozimus tentare voluerit apud ingenia Afrorum. O' imprudentem Pontificem, qui istud tentamen non inchoauerit apud Gallos. Certè ipsorum aures, & mentes reperisset longè faciliores ad credendas istiusmodi fabellas. Saniora sunt hæc eiusdem Archiepiscopi verba: [Quæri potest, quamnam ob causam Zozimus protulerit canones Sardicenses sub nomine Concilij Nicæni? Quæstio hæc acriter, & animosè tractatur à Nouatoribus, qui Zozimum arguunt falsitatis, & imposturæ. Contra nostri id ex eo profectum aiunt, quod ea tempestate canones Nicæni, & Sardicenses in eodem volumine descripti essent, nullo discrimine adhibito, sub titulo canonum Nicænorum. Probabilis quidem coniectura, si vetusti Codicis authoritate nitetur, qui nondum emersit è tenebris.] At verò iam emersit. Ipsum cum summo Ecclesiasticæ eruditionis fructu, & gaudio produxit Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus. Proindè iam cesset omnis ista contentio. Adhæreamus Romanæ Ecclesiæ, quæ istam nomenclaturam etiam post Africanas lites constanter retinuit. Etenim magnus Leo, dum ab Imperatore Theodosio ad S. Flauiani Constantinopolitani Episcopi, qui ab Ephesini Latrocinij iudicio appellaret, retractandam cau-

Cap. 16.

sam postulauit nouam synodum, suis literis adiecit: [Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitatorum decreta testantur quæ subter adnexa sunt.] Et adnexuit canonem Sardicensem. Quod etiam Gelasius, Gregorius, alijque Pontifices istam phrasim vsitauerint, varijs in locis demonstrat Hincmarus Rhemensis. Ep.40.c.3.

CAPVT XXXIII.

An hæ Africanæ quæstiones inter Romanam, & Africanam Ecclesiam causauerint schisma durans vsque ad Pontificatum Bonifacij secundi?

AFfirmat famosa Bonifacij II. Pontificis ad Eulalium Alexandriæ Patriarcham epistola: [Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ olim episcopus, cum collegis suis, instigante Diabolo, superbire temporibus Antecessorum nostrorum Bonifacij, atque Cœlestini contra Romanam Ecclesiam cœpit: sed videns se modò peccatis Aurelij Eulalius à Romanæ Ecclesiæ cõmunione segregatum humilians recognouit se peccasse pacem, & cõmunionem Romanæ Ecclesiæ petens, subscribendo cũ collegis suis damnauit Apostolica auctoritate omnes scripturas, quæ aduersùs Romanæ Ecclesiæ priuilegia quoquo ingenio factæ fuerant.] Et confirmare videtur liber Pontificalis in vita eiusdem Pontificis Bonifacij: [Eodem tempore venit relatio ab episcopis Afris de constitutione, & vt cum Consulto Sedis Apostolicæ omnia Carthaginensis Episcopus faceret.]

Respondeo epistolam esse imperitam, ac manifestè spuriam. Etenim nec Alexandrina, nec Carthaginensis Ecclesia inter suos episcopos vnquàm habuit aliquem Eulalium. Isto tempore apud Carthaginem sedebat Reparatus. Et quod ob memoratas Aurelij lites nulla vnquàm inter Romanam, ac Africanam Ecclesiam fuerit communionis dissociatio, est exploratissimum. Etenim proximus Aurelij Successor fuit Capreolus, de quo Liberatus, Cartahaginensis Ecclesiæ Archidiaconus: Cap.5. [Capreolus Archiepiscopus, propter impetus Vvandalorum Africanas Regiones obsidentium, vniuersale non valens congregare Concilium, Bessulam Diaconum suum misit Ephesum ad Concilium Legatum.] Erat non solius Capreoli, sed etiam totius Africanæ Synodi Legatus: Attamen non per expressum, sed per implicitum, ac præsumptum Mandatum. Nam & eo tempore, quo Tyrones tumultuabantur in Africa, atque ità impediebant Legatos electurã Numidiæ Synodum tàliter plenarium Carthaginis concilium accesserant Alipius, Augustinus, ac Possidius. Et vti tunc ipsos Aurelius, ità Bessulam Ephesi admisit Præses Cyrillus. Ei Capreolus addiderat insignes literas continentes suum, ac suæ Synodi suffragium. Et de ipsis ad Ephesinam synodum dixit Petrus, Alexandriæ Ecclesiæ Presbyter, ac synodalium Notariorum Primicerius: [Reuerendissimus, ac pijssimus Metropolitanus, & Episcopus Carthaginis Capreolus per Bessulam Diaconum ad sacram hanc Synodum epistolam scripsit. Si vestra Pietas iusserit, recitabo.] Et post recitatam dixit Synodi Præses sanctus Cyrillus: [Hæc Reuerendissimi, ac pijssimi Carthaginis Episcopi Capreoli, quæ lecta est epistola, cum dilucidam sententiam in se contineat, fidei Gestorum inseratur. Vult enim antiqua fidei Dogmata confirmari; noua verò, & absurdè excogitata, & impiè divulgata reprobari, ac proscribi.] Et omnes Episcopi simul exclamarunt: [Hæ omnium voces, hæc omnes asserimus, hoc omnium est votum.] Quæ omnia altissimè clamant Capreolum fuisse integerrimum, Catholicæ communionis, & magnæ apud omnem ecclesiam authoritatis episcopum. Hinc ista omnia suo secundo Commonitorio inseruit Vincentius Lerinensis. Et certè Capreolus ab Imperatore Theodosio, tanquam magnus Orthodoxæ fidei Doctor, ac Defensor, fuerat ad Synodum inuitatus.

De eius Successore QuodvultDeus scribit in primo libro de Vvandalica persecutione Victor Vtitensis Episcopus: [Geinsericus Carthaginis Episcopum, Deo, & hominibus manifestum, nomine Quodvult Deum, & maximam turbam Clericorum, nauibus fractis impositam, nudos atquè exspoliatos expelli præcepit. Quos Deus miseratione bonitatis suæ, prospera nauigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus est ciuitatem.] Victor Vtitensis omninò fuit Orthodoxus Episcopus. Creditur enim esse ille Byzacenæ Prouinciæ Primas, ad cuius Mandatum Ferrandus Diaconus scribit sanctum Fulgentium fuisse consecratum in Episcopum Ruspensem. Et eius testimonium in suis Sanctorum tabulis confirmat Romana Ecclesia: [Quodvult Deus Episcopus Carthaginensis, vnà cum Clero à Geinserico Rege Ariano in nauibus fractis, absque remigijs, & velis impositus, præter spem Neapolim appulit, ibique in exilio positus, Confessor occubuit.] Et istorum Clericorum vnus creditur fuisse sanctus Gelasius, qui Romanæ Ecclesiæ Clero Incardinatus, per assidua virtutum incrementa profecit in summum Pontificem, & grande lumen totius Ecclesiæ. In eodem Sanctissimorum Confessorum consortio fuit sanctus Gaudiosus Abitunensis Episcopus, de quo ad Nicolaum Secundum Pontificem scripsit S. Petrus Damiani: [Gaudiosus Abituensis Episcopus, Vvandalis Africam deuastantibus, cum sancto QuoduultDeus, & cæteris Præsulibus fugit, & in Parthenope ciuitate Monasterium condidit.] Non fugit, sed fuit eiectus. Et ista sunt prima Augustiniani Ordinis extra Africam exordia. Quodvult Deo Episcopo sanctus Deogratias, huic S. Thomas, Thomæ S. Eugenius, Eugenio Bonifacius, Bonifacio successit Reparatus, quos omnes constat fuisse insigniter sanctos, & Romanæ Ecclesiæ cum plena obedientia communicasse. Octob. 26. L.1. ep.9.

Quod vult Deus, ac Deo gratias, dum Carthaginensis Ecclesiæ adhuc erant Diaconi, erant viri Doctissimi, & familiarissimè vniti cum S. Augustino. Lucet ex epistolis, & libris, quos ipsorum rogatu scripsit, & ipso-

ipsorum nomini S. Augustinus inscripsit. Eadem est ratio Capreoli. Duas eius habemus aduersùs Nestorium epistolas: Alteram ad Ephesinum Concilium, alteram ad Vitalem, & Constantinum, Hispaniæ Monachos, scriptam post laudatam Synodum. Ambas sanctissimas, ac eruditissimas. Prior insuper S. Augustinum, nuperrimè tunc defunctum, eximiè laudat, atquè ità demonstrat Capreolum fuisse insignem illius Veneratorem. Et omnes isti tres Episcopi optimè nouerant auitas Africanæ Ecclesiæ consuetudines. Hinc defuncti Aurelij Lapsum, ac temeritatem improbarunt, Romanas Episcoporum appellationes permiserunt ambulare per antiquas vias, atquè ità non redierunt, sed semper sine interpolatione permanserunt in consueta gratia, ac beneuolentia Sedis Apostolicæ. Ista ex causa Lupicinus Episcopus è Cæsariænsi Mauritania appellauit ad S. Leonem: Et nemo intercessit. Et de sanctis Monachis Martiniano, ac Saturiano, qui Gentilem, ac Barbaram Prouinciam conuerterant ad Christum Dominum, scribit laudatus Victor Vitensis:] Tunc deinde cogitatur quid fieret, vt ager iam cultus, & ingraminatus vomere prædicationis, Euangelicum susciperet semen, & imbre sacri Baptismatis rigaretur.] Etenim ambo isti Prædicatores erant Laici, ideoque non poterant solemniter baptizare.] Mittunt Legatos per venitur tandem ad ciuitatem. Rogatur Episcopus, vt Presbyterum, ac Ministros credenti Populo destinaret. Explet cum gaudio, quod petebatur Pontifex Dei. Construitur Ecclesia, baptizatur multitudo maxima Barbarorum, & de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum.] Tanta tunc erat Afrorum cum Romana Sede communio, vt suis Neophytis maluerint ab ipsa, quàm à suis episcopis postulare ministros. Tanta illic erat istius Sedis authoritas, vt etiam contra istud ipsius opus nemo præsumpserit intercedere.

Octob. 16.

Eodem tempore in Africa floruit Fulgentius Ferrandus, Archidiaconus Carthaginensis ecclesiæ. Ipse est, qui sancto Fulgentio retulit quæstiones de Æthiopis Baptismo, & ad cuius instructionem sanctus Fulgentius scripsit istum eruditissimum libellum. Ipse item scripsit vitam S. Fulgentij. Creditur esse author Breuiarij Canonum, in quo habet sequentia: [Vt adiudicatus episcopus ad Apostolicam Sedem, si voluerit appellet. Vt si appellauerit, alius in Cathedra ipsius non ordinetur.] Et disertè adiungit hos esse Canones Sardicenses. Laudat, & adducit plures Canones istius Synodi. Et istud Breuiarium haud dubiè scripsit ad instructionem Africanæ Ecclesiæ. Forsitan ad abolendum, & proscribendum priorem istius ecclesiæ Codicem, in quo litigiosa, ac deuia Acta erant alpha, & omega. Quidquid sit, ex Breuiario lucet, & Romanas episcoporum appellationes, ac item Sardicenses de ipsis canones fuisse tunc in Africa notissimos, ac firmissimos. Eorum vnus est ille ipse, quem suorum Legatorum Commonitorio Zozimus Pontifex inseruerat. Nempè venerabilis Capreolus, ac eius Successores non solam Aurelij circa Romanas episcoporum appellationes temeritatem circumduxerat, sed insuper probauerant, ac in Africanæ Ecclesiæ vsum admiserant Canones Sardicenses. Attamen Ferrandus de Romanis Clericorum appellationibus non loquitur: Nec pro ipsis, nec contra ipsas adducit vllum canonem. Nempè Capreolus, omnem istam litem cupiens euulsam supra adductos de ista re Carthaginenses Canones circumduxerat, & vigere iusserat solam antiquam consuetudinem. Ita quidam opinantur. Verùm ipsis obsistit Cresconius Episcopus, qui Carthaginensem contra istas appellationes Canonem inseruit suo Codici. Quare verius est, quod venerandus Capreolus non solam auitam consuetudinem, sed retentos voluerit istos etiam canones. Interim idem Cresconius suo codici præter alios plures Sardicenses canones inseruit etiam illos, qui firmant Romanas appellationes episcoporum. Quod nempè laudatum Capreoli Decretum, aut Mandatum esset solemne per omnem Africam. Et istum contra Romanas inferioris Cleri appellationes canonem affirmat esse non Mileuitanum, sed Carthaginensem. Nempè quinti sæculi anno decimo octauo editum in superiùs laudata Synodo.

Cap. 59. 60.

Lib. ep. 8.

Hæc omnia palam colliguntur etiam ex relatione, ac Legatione, quàm post eiectos ab Imperatore Iustiniano Vvandalos, atque ità auitæ libertati redditam Africanam Ecclesiam, ad Ioannem Secundum Pontificem misit Reparatus Archiepiscopus Carthaginensis. Ad restaurandam Africanæ Ecclesiæ disciplinam coegit ducentorum, ac septemdecim episcoporum synodum, & Romam ex ipsa legauit Caium, ac Petrum Episcopos, ac Liberatum Ecclesiæ suæ Archidiaconum. Retulit tria. Primò, An ad ecclesiam redeuntes Arianorum Episcopi possent admitti in suo honore? Secundò, An apud ipsos in infantia baptizati possent euehi ad clerum? Tertia relatio fuit hæc: [Petimus, vt quicumque forsitan episcopus, aut Presbyter, siue Diaconus, aut cuiuslibet inferioris Ordinis clericus, sine nostra epistola venerit, & non approbauerit se pro vtilitate sanctarum ecclesiarum fuisse directum, similis hæretico iudicetur. Neque vestra communione dignus existat. Et in omnibus, & per omnia Beatitudinis vestræ disciplina laudetur.] Est secundus præfati commonitorij articulus. De primo, & tertio, nempè de Romanis episcoporum, aut clericorum appellationibus Reparatus nec verbum fecit: Quod nempè isti articuli altissima in pace conquiescerent. At ecce dum Legatio procedit, & ob longiorem istius anni hyemem hæret in portu, exspectans nauigandi opportunitatem, Ioannes Pontifex obijt, ac eius in locum consecratur Agapetus. Hinc nouas literas Reparatus adiecit, quibus nouo Pontifici ex more gratulatus est, & supplicauit confirmari omnia suæ Sedis, & Gentis priuilegia, lapsa, aut læsa à barbaris temporibus, & calamitatibus. Et Agapetus ad tertium relationis articulum respondit: [Illud quod catholicos, qui præsunt, aut militant ecclesiæ sine Sacerdotum suorum literis suscipi à nobis minimè debere mandatis, & canonibus est congruum, & disciplinæ prodesse iudicamus.

camus.] Notanda sunt verba: [Est congruum canonibus.] Edicunt nihil, quod non sit congruum, à Romana Ecclesia permitendum. Possit Pontifex Romanas inferioris Cleri appellationes respicere. Etiam respondit ad Reparati preces: [Vniuersa, quæ inimicorum peruersitas inuaserat, Charitati Tuæ Metropolitana iura reparantes hortamur, vt ea quæ tuo, vel aliorum nomine rescripsimus, vniuersis debeas innotescere.] Innouat, & confirmat non quæcumque, sed illa sola Carthaginensis Ecclesiæ Priuilegia, quæ Barbarorum peruersitas mutilarat. Inter quæ non est inferioris Cleri prohibitio à Romanis appellationibus. Etiam Bonifacius Primas in suis Synodis innouauit solos Aurelij Canones contra appellationes Clericales: Episcopales permisit liberè ambulare.

CAPVT XXXIV.

Demonstratur, quod Magni Gregorij tempore non soli Afrorum Episcopi, sed etiam inferior Clerus Romam liberè appellauerit.

QVod Afrorum episcopi tunc Romam liberrimè appellauerint, demonstrant plura exempla. Primum S. Gregorius exponit in literis ad Columbum Numidiæ episco-
Lib. 5. ep. 36. pum: [Indicamus Sanctitati vestræ, venisse ad nos quemdam hominem, Petrum nomine, qui se asserit fuisse episcopum, atque causæ suæ à nobis remedium postulasse. Et priùs quidem retulit, quæ digna esse miseratione potuissent: Sed requirentes, posteà multò aliter, quàm indicauit, inuenimus, & vehementer nos eius actio contristauit. Sed quia causæ ipsius interna subtiliter nequaquam addiscere tam longo itineris interuallo disiuncti potuimus, eam, incerti quippè, definire nequiuimus. Nunc verò quoniam remeans Rogatianus Diaconus secum eum relaxari poposcit, & ipse ad vos se petit debere transmitti, scientes Sanctitatem vestram zelum, sicut decet, fidei, & amorem habere iustitiæ, nobis gratum fuit, & ea, quæ petiuerunt concessimus. Quia ergo præsentes causam subtiliùs potestis scire, hortamur vt eidem Petro ita seruare quidquid iustum, Canonicumque fuerit debeatis, quatenùs & rectitudinis vigor à vobis in omnibus impleatur, & causa ipsius secundùm Dei timorem, & Ecclesiæ videatur regulas iudicata. Si quis verò conscius, vel particeps præfato Petro in his, quibus accusatur, dicitur extitisse, subtiliter requirendum est, & veritate cognita similiter Canonicè iudicandum.] Res est lucida, nec indiget commentario.

Lib. 5. ep. 62. 63. Lib. 6. ep. 2. Secundum exemplum est Paulus episcopus, quem Gregorius euocauit, & per Gennadium Africæ Patritium iussit transmitti. De ipso scripsit ad præfatum episcopum Columbum: [Epistolam fraternitatis vestræ suscepimus, in qua nobis de persona Pauli episcopi, quæ apud vos acta sunt, indicastis. Quod tam serò factum est, vt persona ipsa hic iam valuisset minimè reperiri. Nam, & vir excellentissimus filius noster Gennadius Patritius suum ad nos pro eadem causa Cancellarium destinauit. Sed dum fecissemus inquiri, vtrùm cum eo nobis coram positis vellet inire conflictum, respondit ad hæc se minimè fuisse transmissum, sed solummodò tres quosdam huc de eius Ecclesia deduxisse, qui contra eum plurima dicere debuissent. Dum ergo neque illum ad inferendas actiones paratum inuenimus, neque personarum illarum nos qualitas mouit, quod in accusatione Episcopi valuissent idonei reperiri, Paulo episcopo ad vrbem se Regiam relaxari debuisse precibus speranti, non potuimus contradictionis moras afferre, sed mox eum secundùm petitionem suam cum alijs duobus secum deductis Episcopis ambulare permisimus. Si quæ ergo fuere, quæ contra eum dici rationabiliter poterant, mox eo huc veniente vestra debuit, quod nunc fecit, Fraternitas cuncta fideliter indicare.]

Causæ fundum Gregorius aperit in literis ad Imperatorem Mauricium: [Qualiter Pietatis vestræ Serenitas contra Donatistarum flagitiosissimam prauitatem consideratione iustitiæ, & sincerissimæ religionis zelo commota sit, directarum lucidissimè tenor insinuat iussionum. Sed venientes viri Reuerendissimi ex Africana Prouincia episcopi asserunt ita esse incauta dissimulatione postpositas, vt nec Dei illic iudicium haberetur in metu, nec principales hactenùs iussiones sortirentur effectum. Hoc etiam subiungentes, quod in præfata Prouincia, Donatistarum præmijs præualentibus, fides Catholica publicè venumderur. At contra gloriosus vir Gennadius de vno eorum similia questus est, qui talia querebatur. Cui etiam duo alij certi in eadem re testimonium ferebant. Sed quia causa ipsa sæcularis iudicis intererat, eosdem Episcopos ad Pietatis vestræ existimaui esse vestigia dirigendos, vt per semetipsos Serenissimis auribus suggerant, quæ fatentur pro fide Catholica pertulisse.] Lib. 5. ep. 63.

Paulus Episcopus, & duo cum ipso alij Collegæ Gennadium Patritium, ac eius præsertim Cancellarium accusarunt, quod Donatistarum auro corrupti pęnales Mauricij leges suspenderent, omnem istis permitterent libertatem, atque ita venderent Catholicam fidem. Et è contrario Gennadius eiusdem criminis accusauit Paulum Episcopum, & in testes adduxit duos nescio, quos ex eius Ecclesia. Actio inchoata fuit in Numidię synodo: At Gennadium ista metuens non administrauit iustitiam. Immò videtur afflixisse Paulum, aut certè eius afflictionem permisisse. Hinc ille prouocauit ad Romanam Ecclesiam. Sed ecce Gennadius obstitit, & ipsum non permisit Africa excedere. Hinc Gregorius seuerè iussit Romanum permitti accessum, & impetrauit. Quare Gennadius contra Paulum transmisit suum Cancellarium, & cum ipso tres testes ex Pauli Parochia. Columbus Episcopus transmisit etiam synodalia Afrorum Acta, sed serò. Nihilominùs Gregorius perrexit in causa. At ecce Cancellarius noluit accusatorem agere, & adducti in testes non habebant qualitates idoneas ad accusandum Episcopum. Nempè Cancellarius premebatur à conscientia, ideoque me-

metuebat tribunal Gregorij. Hinc Paulus, & cum ipso præfati duo Episcopi postularunt Principem accedere, istic acturi non solummodò contra Cancellarium, sed etiam contra Patritium. Et propter adductas rationes Gregorius permisit. Gregoriana ad Columbum epistola debebat præcedere epistolam ad Mauritium. Etiam alia euincunt in alijs similiter epistolis non seruari ordinem temporis, ideòque opus esse reuisione, & correctione.

Li. 7. ep. 10. Eadem de re Gregorius scripsit in alia ad præfatum Columbum epistola: [Frater, & Coepiscopus noster Paulus, præsentium portitor, quantis illic fluctibus, quantisque aduersitatibus quatiatur, Sanctitatem vestram memorat non latere. Qui quoniam querelas, quas de eo ad vos peruenisse signastis, non veras esse, sed instigatione aduersantium contra se asserit excitari, & omnia se fidit, patrocinante veritate, vobis cognoscentibus, authore posse Domino superare, hortamur, dilectissime Frater, vt ei, in quibus fuerit iustitiæ ratio manifesta, manum decenter præbere solatij, atque Sacerdotali eum debeas compassione adiuuare. Nulla ergo vos res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum, sed præceptis Dominicis innitens, omnia, quæ sunt rectitudini aduersa, contemne. In defendendis partibus iustitiæ constanter insiste. Odia pro veritate, si qua sint, sustinere non renuas: Vt tantò maiorem in aduentu Redemptoris nostri fructum mercedis inuenias, quantò eius mandata non negligens, in fauorem iustitiæ, & defensionem impenderis.]

Hæc epistola deberet omnium circa hanc materiam esse prima. Est enim scripta statim post factam à Gennadio accusationem, ante Africanam synodum. Et docet plura. Primò, quod Paulus fuerit quassatus multis aduersitatum fluctibus. Vtique ob accusationem Gennadij Patritij. Actiuam, & passiuam. Secundò, quod aduersarij Paulum accusauerint apud Columbum, quem tunc quidam credunt fuisse Primatem Numidiæ. Verùm ipsos falli, infrà docebimur. Videtur igitur à Gregorio habuisse aliquid vicis Apostolicæ. Hinc epistola docet tertiò, quod Paulus, Columbo cognoscente, & veritate patrocinante, sperauerit superare omnes calumnias. Hinc Pontifex Columbum hortatur ad constantem in iudicio Iustitiam: Ad nullius personę metiendam potentiam. Quod nempe Pauli accusator esset ipse Præfectus Prætorio Africæ. Hinc Papa scripsit etiam ad Adeodatum, & Maurentium, Episcopos

Epist. 14. Numidiæ: [Paulum Fratrem, & Coepiscopum nostrum fraternitati vestrę commendantes hortamur, vt idoneè charitatem vestram debeat experiri, quam prædicat.] Nempe Paulus etiam istis episcopis rogarat per Pontificem commendari pro iustitia constantiam. Verùm hæc virtus non fuit reperta apud omnem synodum, ideoque Paulus ante iudicij finem fuit compulsus Romam prouocare.

Tertium exemplum est in literis ad Victorem, & Columbum, Numidiæ episcopos:

Epist. 15. [Præsentium Portitoris Cresconij Fratris, & Coepiscopi nostri querela ad nos insinuante peruenit, quod nulla exigente culpa, vel Concilij definiente sententia, Ecclesiæ eius Parochiæ antiquitùs deputatæ à Valentione Fratre, & Coepiscopo nostro ante quindecim ferè annos sint irrationabiliter occupatæ, atque cum insuper res decessoris ipsius ad suum, quod dici graue est, arbitrium abstulisse. Quod si ita veritas se habet, quam peruersum, quamque execrandum sit, præsertim Religioso Præposito, dicere non valemus. Hac igitur in re quia nec lenitas, nec aliqua debet esse dilatio, fraternitatem vestram præsenti epistola commonemus, vt sollicitiùs requiratis. Et si querela eius manifesta esse constiterit, ablatarum rerum, & occupatarum Parochiarum restitutione dilectio vestra sine mora succurri prouideat, & ita omnia, vobis solatiantibus, cessante excusatione, iustitia fauente recipiat, vt nec hunc labor obseruationis afficiat, nec de eius damno aliquid lucri inuasor acquirat. Valentio quasdam Cresconij Parochias affirmabat ad suam spectare Diœcesim, ideòque vacante Sede ipsas inuasit. Etiam res defuncti Episcopi. Quas nempè acquisierat, vel habuerat in istis Parochijs. Etenim defuncti Episcopi supellex per antiquos Canones spectat ad successorem. Valentio ista violenter ex arbitrio, sine authoritate synodi fecerat, ideòque manifestè impegerat in centesimum vigesimum Canonem Africani Codicis. Hinc Cresconius confugit ad Gregorium, & obtinuit iustitiam. Confugit in prima instantia. Proindè potiori iure poterat appellare. Notanda sunt verba: [Nulla exigente culpa.] Demonstrant Afris fuisse morem, vt Episcopi ob culpam suis Parochijs truncarentur. Nam & ita truncatus fuit Antonius Fussalensis.

Quartum exemplum est Clementius Byzacenæ Prouinciæ Primas, de quo Gregorius in literis ad Ioannem Syracusæ Episcopum:

[In quodam crimine Byzacenus Primas fuerat accusatus, & pijssimus Imperator eum L. 7. Indic. 2. Epist. 65.
iuxta Statuta Canonica per nos voluit iudicari. Sed acceptis decem auri libris tunc Theodorus magister militum obstitit, vt minimè fieret. Tamen pijssimus Imperator admonuit, vt transmitteretur, & quidquid esset Canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, eamdem causam inire noluimus. Nunc autem idem Primas aliqua de Concilio suo loquitur, & valdè dubium est, vtrùm purè, an certè quia à Coepiscopis suis impetitur, modò talia loquatur. Nam quod se dicit Sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cum verò culpa non exigit, omnes secundùm humilitatis rationem æquales sunt.] Eadem de re Gregorius scripsit ad omnes Episcopos Byzacenę Lib. 10. Epist. 36.
Prouinciæ: [Ante multum temporis quędam ad nos de fratre nostro Clementio, Primate vestro, perlata sunt, quæ cor nostrum non modico mœrore transfigerent. Sed prementibus diuersis tribulationibus, & maximè circumsæuientibus hostibus, ea nobis non fuit spatium requirendi. Et quoniam ita sunt grauia, vt transire indiscussa nullo modo debeant, fraternitatem vestram his hortamur affatibus, vt cum omni sollicitudine, ac viuacitate veritatis indagare substantiam debeatis, vt aut, si ita sint, vt audita sunt, vltione

tione Canonica resecentur; aut si falsa, fratris nostri innocentia diù sub nefandæ opinionis dilaceratione non iaceat.]

Clementius apud suæ synodi Episcopos laborauit mala fama, ideòque ab ipsis deferri timuit ad Primatem Carthaginensem. Hinc iuxtà Africanos Canones ab Imperatore Mauricio supplicauit alios Ecclesiasticos iudices. Et Princeps ipsum iuxtà Canones vniuersales transmisit ad Gregorium. Africani enim Primates erant veri Metropolitæ, ideòque iuxta Imperatoris Gratiani legem, & confirmatum ab ipsa Apostolicum Canonem, illorum prima instantia spectabat ad Papam. Sed nec istud Tribunal Clementio placuit: Quare ad ipsum euadendum seduxit, & auro corrupit Theodorum Magistrum Africanæ militiæ. Verùm Mauricius perstitit, & iussit Clementium transmitti ad vrbem. Hinc ille quæsiuit aliud effugium. Protestatus est se subiectum Sedi Apostolicæ, at prætexuit alias contrarietates. Opinor prætexuisse primam de Africanis Primatibus instantiam spectare ad Carthaginensem Archiepiscopum, adeòque non debere vsurpari à Papa. Longobardi tunc grassabantur, & sæuiebant circumcirca vrbem, & ipsam affligebant multis tribulationibus, atque ita Gregorium distraxerunt ad alia: Hinc ille noluit inire causam. Verùm Clementius non se correxit: Et sinistra eius fama non decreuit. Hinc Gregorius resumpsit causam, curauit se instrui à Byzacenis Episcopis, & haud dubiè definiuit.

Circa hoc exemplum scribit Petrus de Marca: [Id vnum ad conseruandam authoritatem suam contendit Gregorius, vt Clementinus Primas Prouinciæ Byzacenæ Romam veniret, responsurus de quodam crimine ei obiecto. Quoniam verò eius Imperium detrectabat Clementius, Gregorius rescriptum impetrauit à Principe. Sed quoniam Theodorus Magister militum, id est, Gubernator Africæ, acceptis decem auri libris, executioni huius rescripti supersederi iusserat, aliud dein impetrauit Gregorius. Posteà Primas ille Pontifici significat velle se subijci Sedi Apostolicæ, adeoque illum permulsit, vt tandem obtinuerit causam suam iudicari à Concilio Prouinciali, iuxtà præceptum Pontificis.] Horum plura non sunt firma. Primum est, quod Papalis euocationis præceptum Clementius detrectarit, ideoque Pontifex impetrauit rescriptum. Etenim in Papalibus literis nullus est apex, qui insinuet Clementium fuisse Romæ accusatum, aut delatum. Et nullatenùs apparet, quod primam instantiam, de qua palam agitur. Gregorius suo motu inchoasset. Quare mea assertio est longè verisimilior. Secundum est, quod Gregorius contra sordidam Theodori Magistri violentiam impetrauerit secundum rescriptum. Etenim ad se transmissi, & præsentis Clementij contrarietatibus, seu intercessionibus permotus noluit inire causam, nequaquam ita acturus, si ipsam per duo rescripta ambijsset. Tertium est, quod Clementij blandimentis permulsus Pontifex noluerit causam inire. Ex ipsius Pontificis verbis iam audiuimus longè aliud. Etenim & ista subiectionis professio non in primo est facta congressu, sed in secundo. Quartum est, quod permulsus Gregorius causam synodo delegauerit. Etenim contrarium disertè aiunt eius verba ad episcopos Byzacij: Eis delegat solam veritatis inquisitionem, & causæ instructionem, nullatenùs definitionem. Quidquid sit; Clementius Romæ comparuerat, secundùm statuta Canonica. Et Gregorius poterat denuò euocare. Si non fecerit, fuit dispensatoria commiseratio.

Quod Romanæ etiam Clericorum appellationes tunc apud Afros liberè ambularint, similiter docent plura exempla. Primum est in literis ad Hilarium Monachum: [Felicissimus atque Vincentius, Diacones Ecclesiæ Lamighensis, suggesserunt ab Argentio eiusdem ciuitatis episcopo grauem se iniuriam pertulisse, & accepto præmio Donatistas in Ecclesijs fuisse præpositos, eumque inter alia non leue aliud facinus, quod dici nefas est, commisisse commemorant. Proptereà experientiæ tuæ præsentis paginæ Præcepto duximus iniungendum, quatenùs præfatum episcopum idoneæ satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in illis locis fiat ex more Concilium, & omnia secundùm oblatæ petitionis textum Canonicè coram positis partibus subtili indagatione perquirantur. Et quæcumque eorum iudicio fuerint terminata, te exequente modis omnibus compleantur.] Petrus de Marca vult ab episcopi iudicio semper fuisse Clericis appellandum, non ad Pontificem, sed ad synodum Prouinciæ: At ecce hìc aliud exemplum. Argentius episcopus Donatistarum Clericos admiserat in suo honore, & pretio corruptus dederat locum ante seniores, & semper Orthodoxos Clericos: Contra Apostolicum canonem. Hinc illi detulerunt ad Gregorium. Quare videtur fuisse prima instantia. Etenim Argentius videtur sine sententia patrasse istam iniuriam. Etiam accusatio de nescio quo nefando crimine fuit prima actio. Et tamen Gregorius admisit, ac delegauit synodo. Non qualicumque, sed indicendæ, celebrandæ, ac exequendæ, per Legatum Hilarium. Et nemo intercessit. Lib. I. ep. 12.

Secundum exemplum est in literis ad Columbum episcopum: [Porrecta petitione insinuauerunt nobis præsentium latores, Constantius, & Mustellus, Ecclesiæ Pudentianæ Diacones, in Numidia Prouincia constitutæ, Maximianum eiusdem Ecclesiæ Antistitem in loco, quo degit, corruptum præmio Donatistarum episcopum noua licentia fieri permisisse, cum etsi hoc anterior vsus permitteret, manere, atque persistere fides catholica prohiberet. Ob hoc ergo fraternitatem tuam scriptis præsentibus necessariò duximus adhortandam, vt veniente ad te Hilario Carthulario nostro, adiuncto episcoporum vniuersali concilio, habito præ oculis terrore venturi Iudicis, causa eadem subtili, ac solerti debeat indagatione perquiri. Et si capitulum hoc à præsentium latoribus prædicto episcopo fuerit documentis idoneis approbatum, à dignitate officioque, quo fungitur, omnimodis degradetur.] Plures Afrorum Ecclesiæ etiam tunc habebant duos episcopos: Orthodoxum, & Donatistam. Et hocce apud Pudentianam Ecclesiam defuncto Maximianus pecunia corruptus permiserat ordinari L. 2. ep. 33.

suc-

successorem. Huius criminis primam sibi delatam cognitionem Gregorius delegauit simili Concilio. Et rursùs nemo intercessit.

Lib. 10. Epist. 32. Tertium exemplum est in literis ad eumdem Columbum: [Qualiter fratrem nostrum Paulinum, Regensis ciuitatis episcopum, clerus suus, vel hi, qui in sacro sunt ordine constituti, in se perhibeant corporaliter excessisse, audire non indiges. Quippe quia priusquàm hæc ad nos querela pertingeret, tibi iam factum est, sicut eis asserentibus didicimus, manifestum. Et quoniam Præpositos in subiectorum pœnam fas esse non debet sæuiendi, Victori fratri, & Coepiscopo nostro, qui Primatis inter vos locum tenet, curauimus scribendum, vt vnà cum tua fraternitate, vel cum alijs fratribus, & Coepiscopis nostris, quos adhibere perspexeritis, inter memoratum fratrem nostrum, & Clerum ipsius causa subtili debeat inuestigatione cognosci. Et ideò dilectio tua immineat, atque sollicitudinem gerat, vt ea, quæ ad nos perlata sunt, inaudita non transeant, ne discordia in Ecclesia, vndè magnoperè pellenda, nutriatur, & si quidem contra eum clericorum suorum querela est vera, culpam suam, quam emendare despexit, in Ecclesiastici vigoris definitione cognoscat, vt & de præsenti sentiat, quàm sit graue quod fecit, & discat de futuro nihil se plus agere posse, quàm licèt.] Eadem Gregorius scribit ad Victorem Primatem, atque adiungit: [Nec loci tui, sicut dicitur, à Paulino postponi ordinem patiaris, ne illi despectus tuus ad periculum, & tibi fiat ad culpam. Nam ad personam in priori loco positam respicit, quidquid à minori committitur, nisi sollicitè corrigatur.] Ex his literis discimus non Columbum, sed Victorem tunc fuisse Primatem Numidiæ. Quare mendosa est posterioris epistolę epigraphe, Victorem appellans episcopum Panormitanum. Et hæc quidem tria sunt exempla primæ clericalis instantiæ. Euincunt etiam clericales appellationes licuisse.

Epist. 33.

Et non caremus talis appellationis exẽplo. Extat in alia ad eumdem Columbum epistola: [Quàm grauis, & auditu ipso intolerabilis Donadei Latoris præsentium, qui se asserit fuisse Diaconum, sit querela, ab eo data petitio, quæ tenetur in subditis, fraternitati vestræ faciet manifestum. Sed quia peruenit ad nos, quod pro corporali peccato fuisset depositus, dilectio vestra subtili hoc inquisitione perquirat. Et si ita est, in pœnitentia retrudatur, vt commissi flagitij vinculum lachrymis possit absoluere. Si verò insons ab huiusmodi perpetratione claruerit, vnà cum Primate Concilij, vel alijs fratribus Coepiscopisque nostris omnia, quæ petitio eius continet, diligenti à vobis examinatione quærenda sunt. Et si querela eius veritate fulcitur, & in episcopo eius Victore, qui contra Deum, & sacerdotale propositum committere tantum nefas non metuit, Canonici vigoris ita districtio teneatur, vt ex definitione vestra, quàm sit iniquum quod fecit, intelligat, & hic suo Ordini reformetur: Quia satis peruersum, & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, vt frustrà pro quorumdam voluntatibus quis priuetur, quem sua culpa, vel facinus ab officij, quo fungitur, gradu non deijcit.] Donadei ab episcopali in se iudicio non ad Prouinciæ synodum, sed immediatè prouocauit ad Papam. Et nemo intercessit. Et videtur non dubitandum, quin isto tempore fuerint insuper alia Clericalium appellationum exempla. Porrò tantæ mutationis originem, tempus, causam ignoro. Forsitan cœperit sub Bonifacio secundo, ad quem ex Africa venit relatio, vt deinceps Carthaginensis episcopus omnia ageret cum beneplacito Sedis Apostolicæ. Quidquid sit, Africanam Ecclesiam, dum per Diuinam clementiam reparari contigerit, isto iure oportebit viuere. Ista olim gloriosa, nunc miseranda Ecclesia summos, & plurimos protulit Doctores, Martyres, plurima omnis sanctimoniæ exempla, ac ornamenta: Omnes pro eius reparatione altis animę gemitibus clamemus ad Dominum. Ex his interim abundè liquet, quàm infeliciter quorumdam hodie imperitia, aut malitia abutatur antiquis istius Ecclesiæ moribus.



DISSERTATIO TERTIA.

De Romana Hæresiarchæ Eutychetis Appellatione.

CAPVT PRIMVM.

An Eutyches appellauerit ad sanctum Leonem Pontificem?

Ei series est compendio exponenda. Sanctus Flauianus Constantinopolitanus episcopus, sectatus vestigia sancti Ioannis Chrysostomi, retinuit & exercuit Patriarchalem potestatem in Asiaticam, immò in tres olim Autocephalas Diœceses. Hinc ad iudicandam causam inter Florentium Sardensem episcopum, Lydiæ Metropolitam, & Comprouinciales Suffraganeos induxit Synodum ex aduenis episcopis. Erant numero triginta duo, & plures Archimandritæ. Quidam episcopi magnarum virtutum. Aderant enim S. Seleucus, Amasenus episcopus, Helenoponti Metropolita, Basilius Seleuciensis episcopus, Metropolita Isauriæ, & alij non dispares. Eodem tempore in Regia ciuitate erat venerabilis Eusebius, Dorylæi in salutari Phrygia episcopus, zelosissimus vindex Catholicæ fidei. Etenim ipse primus, dum omnes ob metum conticescerent, reuelata facie accusauit Patriarcham Nestorium. Et ex ista forsitan occasione inierat cum Eutychete amicitiam. Et quidem Eutyches erat vir ætate, & Religiosa vita famosus, ac apud omnes in magna reuerentia. Erat enim opulenti, ac numerosi Cœnobij Archimandrita, & Chrysaphium Eunuchum, qui in aula poterat, & agebat omnia, ex sacro Fonte susceperat. Interim horum nihil timens Eusebius ipsum accusauit apud præfatam Synodum, exhibuit accusatorios libellos, inscripsit se ad talionem, demonstrauit ab ipso resumi Apollinarij, aut Valentini, vel nescio quam similem Hæresim, atque ita impetrauit hanc Synodalem sententiam: [Lachrymantes, & gemẽtes perfectam Eutychetis perditionem, decreuimus per Dominum Nostrum Iesum Christum, ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio Sacerdotali, & à nostra communione, & à Primatu Monasterij.] Et ab ista sententia Eutyches appellauit.

Attamen appellandi modus non fuit per omnia legitimus. Hinc circa ipsam in subsecuta Synodalium actorum reuisione, est inter Patres orta non modica contentio. Etenim Constantinus, Eutychetis Monachus, Diaconus, ac Legatus, constanter dixit ad plenam Synodum: [Eutyches, dum legeretur damnatio, appellauit sanctum Concilium sanctissimi Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis.] Et dum omnes ad hæc stuperent, Magnificentissimus Patritius Florentius, qui ex Imperatoris Theodosij iussu interfuerat Synodo, respondit: [Turba facta, & dissoluto Conuentu, Eutyches dixit ad me silenter, appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens esse, latere hoc Sanctissimum & Reuerendissimum Archiepiscopum Flauianum, abscedens dixi ei.] Et S. Flauianus est ipsum confessus: [Non audiui ego ab illo,] Eutychete, [sed à viro magnificentissimo, & gloriosissimo Exconsule & Patritio, adscendente me in superiora domus, post solutam Synodum.] Hinc Magnificentissimus Florentius adiunxit: [Si cognouerint appellantem virum Religiosum Monachum cæteri Sanctissimi Episcopi, dicant.] Et Iulianus Coensis episcopus statim respondit: [Coram Deo dico, nihil tale ab Eutychete Monacho audiui in consessu.] Et S. Seleucus, Amasenus episcopus, Helenoponti Metropolita: [Dum esset Concilium, & inquisitio proueniret, nihil tale cognouimus dictum ab Archimandrita Eutychete de appellatione.] Et reliqui omnes episcopi confirmarunt:] Et nos eadem confitemur.] Basilius Seleuciensis episcopus, Isauriæ Metropolita, addidit: [Iam in veritate dico, adhuc ipso in conuentu sedente, & proponente hoc sancta Synodo, vt diceret iste duas naturas inseparabiles, & inconfusas in vno Domino, & post adunationem, scio quia dixit Religiosus Archimandrita Eutyches;] Si præceperint mihi Patres, Romanus, & Alexandrinus, dico ipsum. Hoc autem non quasi appellans dixit, sed dicens: Non sum ausus dicere propter Patres.]

Hac contentione non obstante, Eutyches est suam appellationem generosè prosecutus. Non Thessalonicæ apud Anastasium, nec Hierosolymis apud Iuuenalem, nec Alexandriæ apud Dioscorum Patriarcham, sed Romæ apud S. Pontificem Leonem. Lucet ex Papalibus literis ad S. Flauianum: [Cum Christianissimus, & Clementissimus Imperator, sancta & laudabili fide pro Ecclesiæ Catholicæ pace sollicitus, ad nos Scripta transmiserit de his, quæ apud vos perturbationis strepitum Epist. 20.

pitum

pitum commouerunt, miramur Fraternitatem tuam, quid illud scandali fuit, nobis silere potuisse, & non potiùs procurasse, vt primitùs nos insinuatio tuæ relationis instrueret, ne de rerum gestarum fide possemus ambigere. Accepimus enim libellum Eutychetis Presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio, immeritò communione priuatum: Maximè cum se vocatum adfuisse testetur, nec suam præsentiam denegasse, adeò vt in ipso iudicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum. Qua ratione compulsus sit, vt contestatorios libellos in Constantinopolitana vrbe proponeret. Quibus rebus intercedentibus, nec dum agnoscimus, qua iustitia fuerit à communione separatus. Sed respicientes ad causam, Facti tui nosse volumus rationem, & vsque ad nostram notitiam cuncta deferri. Quoniam nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus incognitis rebus, in cuiusquam Partis præiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Et ideò Fraternitas tua per idoneam maximè, aptamque personam plenissima nobis relatione significet, quid contra antiquam fidem nouitatis emerserit, quod seueriori sententia dignum fuerit vindicari. Nam & ecclesiastica moderatio, & Religiosi Principis fides multam nobis sollicitudinem Christianæ pacis indicunt: Vt amputatis dissensionibus fides Catholica inuiolata seruetur, & his, qui praua defendunt, ab errore reuocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur. Nec aliqua potuit ex hac parte difficultas adferri, cum memoratus Presbyter libello proprio sit professus se paratum esse ad corrigendum, si quid in se inuentum fuerit, quod reprehensione sit dignum; Decet enim in talibus causis hoc maximè prouideri, vt sine strepitu concertationum, & charitas custodiatur, & veritas defendatur. Et ideò quia Dilectio tua de tanta causa nos videt necessariò esse sollicitos, quàm plenissimè, & lucidè nobis vniuersa, quod ante facere debuit, indicare festinet, ne inter assertiones Partium aliqua ambiguitate fallamur, & dissensio, & quæ in suis initijs abolenda est, nutriatur: Cùm in corde nostro ea obseruantia, Deo inspirante, permaneat, ne Constitutiones venerabilium Patrum Diuinitùs roboratæ, & ad soliditatem fidei pertinentes, praua cuiusquam interpretatione violentur.]

Eadem de re Pontifex rescripsit ad Imperatorem Theodosium: [Quantum præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in fide Clementiæ vestræ præpararit, his etiam literis, quas ad me misistis, ostenditur, vt vobis non solùm Regium, sed etiam Sacerdotalem animum inesse gaudeamus. Siquidem præter Imperiales, & publicas curas, pijssimam sollicitudinem Christianæ Religionis habetis, ne scilicèt in Populo Dei, aut schismata, aut hæreses, aut vlla scandala conualescant. Quid autem in Constantinopolitana Ecclesia perturbationis accidere, quòd ità Fratrem, & Coepiscopum nostrum Flauianum potuerit commouere, vt Eutychem Presbyterum communione priuaret, nondùm potuimus euidenter cognoscere. Quamuis prædictus Presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit, breuiter tamen aliqua prælibauit, asserens se Nicænæ Synodi Constituta seruantem, frustra in fidei diuersitate culpatum. Eusebij autem episcopi, accusatoris eius, libellus, cuius exemplaria ad nos prædictus Presbyter misit, de obiectionum euidentia nihil habebat. Et cum Presbytero Hæresios crimen intenderet, quem tamen in eo sensum argueret, non euidenter expressit: Quàmuis & ipse episcopus Nicænæ fidei profiteatur se inhærere Decretis. Propter quod non habuimus, vnde aliquid diceremus. Et quia causæ meritum, fidei ratio, & laudabilis sollicitudo vestræ Pietatis exigit, necesse est iam locum subreptionibus non patere, sed priùs de quibus cum æstimat arguendum, instrui nos oportet, vt possit de benè cognitis iudicari. Ad prædictum autem episcopum literas dedi, quibus mihi displicere cognosceret, quod ea, quæ in tanta causa gesta fuerant, etiam nunc silentio detineret, cum studere debuerit primitùs nobis cuncta referare. Quem credimus, vel post admonitionem omnia ad nostram notitiam relaturum, vt in lucem deductis, his quæ adhuc videntur occulta, id quod Euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ conuenit, iudicetur.]

Epist. 21.

Ex his discimus varia. Primò, quod Eutyches Magno Leoni in suis literis composuerit duo splendida mendacia. Nempè scribens, quod vocatus adfuisset sancti Flauiani Iudicio, & suam non denegasset præsentiam: Et quod in ipso Iudicio obtulisset libellum appellationis. Secundò discimus, quod è Iudicibus episcopis quidam videantur appellationem, quam ille Florentij Patricij auribus statim post iudicium secretò insusurrauit, licèt improbarent, tamen fuisse reueriti, & censuisse ipsi deferendum. Etenim dum ipsam vrgeret Constantinus Monachus, & sanctus Seleucus, & Basilius Seleuciensis, & ipse Magnificentissimus Florentius Eutychem cœperunt appellare [Religiosum Archimandritam, Religiosum virum, Archimandritam.] Tractarunt vt Abbatem, non vt degradatum. Tertiò discimus, quod istud ipsum prætenderit Eutyches. Etenim permansit in Præfectura sui Monasterij. Nempè clamans se appellasse, ideoque per Sardicenses Canones in suspenso manere omnia. Quartò diximus, quod S. Flauianus ista omnia contempserit, volueritque ad executionem procedere. De sui Iudicij iustitia fuit adeò securus, vt nec Romam statim retulerit. Quintò discimus, quod à sancti Flauiani constantia executionem timens Eutyches proposuerit libellos contestatorios. Per propositos publicè libellos solemniter ad omnem Regiam ciuitatē protestatus est se, & appellasse, & adhuc appellare Romam, appellationi suæ deberi suspensiuum effectum, ideòque se adhuc esse Presbyterum, atque Archimandritam, & Flauianum violenter in se agere contra regulas. Sextò discimus, quod Eutyches inter hæc innouauerit suam Romanam appellationem, & eius libellum seu instrumentū transmiserit ad Pontificem. Vnà transmisit accusatorium Eusebij libellum, aliaque omnia necessaria ad retractatorium Iudicij. Et

in suo appellationis libello [adiunxit] se paratum ad corrigendum, si quid in se inuentum fuerit, quod reprehensione sit dignum.] Suas etiam literas adiunxit Imperator Theodosius, querens per hæc litigia turbatam esse omnem Regiam Ciuitatem, & culpam manifestè referens in sanctum Flauianum. Eunuchus enim Chrysaphius plenè, & palàm studebat Eutycheti. E' contrario sanctus Flauianus tacuit, & non retulit. Hinc anxius Pontifex hæsitauit, & egit sequentia. Primò, Flauiani negligentiam grauiter arguit, & iussit quàm primùm plenissimè, ac lucidè referri. Secundò, vsque ad factam relationem iussit suspendi omnia, admisit appellationem, & cuncta disposuit ad retractatorium Iudicium. Lucet ex his verbis: [Respicientes ad causam, facti tui nosse volumus rationem, & vsque ad nostram notitiam cuncta deferri. Quoniam nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiusquam partis præiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus.] Hinc tertiò iussit sibi transmitti non synodalia dumtaxat acta, sed insuper idoneam, ac aptam personam, quæ in retractatorio iudicio sustineret Flauiani personam.

Proindè Magnus Leo, vsque tunc propendebat in Eutycheten. Erat enim vir senex, honorabilis, [humilitatis Proposito,] idest, regulari vita laudabilis, vtpotè Archimandrita trecentorum Monachorum. Et anno elapso Pontificem monuerat, quod Nestoriana hæresis quorumdam rursùm studijs, [in Regia etiam Ciuitate] pullularet. [Hæc Pontifex timuit. Nec sine fundamento. Etenim Antiochena Ecclesia, ex quo per Paulum Samosatensem fuerat infecta, ista pessima scabie nunquam caruit. A Paulo in Lucianũ, à Luciano in Diodorum, à Diodoro in Theodorum, à Theodoro descendit in Nestorium. Nestorius Antiochia scabiem traduxerat Constantinopolim: Hinc eius propaginem Leo timuit. Et quia non solus Nestorius sanctum Cyrillum, sed etiam Diodorus, ac Theodorus veritatis Sectatores de Apollinario accusauerant, Papa hæsitauit, an istud ipsum forsitan cecidisset in Flauianum. Imperatoris Theodosij literæ plurimùm auxerunt suspicionem. Hinc Leo scripsit ad Flauianum: [Docet in talibus causis hoc maximè prouideri, vt sine strepitu concertationis, & charitas custodiatur, & veritas defendatur.] Timebat nè fortè fuisset amara concertatio, ideòque suasit pacificè componi per charitarem.

At Flauianus Apostolicis literis statim respondit, ac retulit. Omnem Eutychetis errorem, omniaq; e suæ synodi acta exposuit, atque adiunxit: [Eutyches passus iustam, & Canonicam damnationem, cùm debuisset secundis saluare priora, & per pœnitentiam placare Deum, non solùm hoc non fecit, sed etiam per omnia conturbare sanctam, quæ apud nos est, Ecclesiam festinauit, propositiones iniuriarum publicè ponens, & maledictionibus plenas. Super hæc & preces offerens pijssimo, & Christi amantissimo nostro Imperatori, & easdem arrogantia, & petulantia plenas, per omnia Diuinas regulas conculcare conatus. Sed his ità gestis, literæ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilem Comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia, atque calliditate, dicens iudicij tempore libellos se dedisse appellationis, & nobis & hic conuenienti S. Concilio, & appellasse vestram sanctitatem: Quod nequaquam ab eo factum est. Sed etiam in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacij subrepere sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque, sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea, quæ in nos, & sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundùm quod sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & sanctam Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersùs eum regulariter factam, & per propria scripta dignare, confortare autem, & pijssimi, & Christi amantissimi nostri Imperatoris fidem. Causa eget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas literas. Remouebitur autem, & Concilium, quod fieri diuulgatur: Quatenùs nequaquam sanctissimæ vbique turbentur Ecclesiæ.]

Etiam hæc epistola nos docet varia. Primò, quod Contestatorius Eutycheris libellus fuerit plenus iniurijs, ac maledictionibus. Vtique in sanctum Flauianum. Hoc enim edicunt hæc verba: [Quæ in eos facta sunt, atque fiunt.] Non est dubitandum, quin ipsum proclamauerit Nestorianum. Secundò docemur, quod Eutyches suum contestatorium libellum, suamque Romanam appellationem adiuuerit amico sibi brachio Principis: Nempè Diuali iussione, quæ mandabat eius appellationi deferri effectum suspensiuum. Et hoc ipsum Theodosius haud dubiè scripsit ad Pontificem. Tertiò discimus, quod Leo suas ad sanctum Flauianum literas non proximè ad ipsum, sed direxerit ad Imperatorem Theodosium, qui ipsas per Comitem Pansophium curauit tradi in manus proprias. Haud dubiè ex præfata suspicione, quam & ipse Eutyches, ac præsertim Princeps Pontifici contra Flauianum impresserant. Quartò discimus profundam sancti Flauiani reuerentiam in Apostolicam Sedem. Etenim S. Leonem non fratrem appellat ex more istius temporis, sed sanctissimum Patrem. Ab eius nutu profitetur pendere hæc omnia: Etiam voluntatem principis. Aureis literis merentur scribi hæc verba: [Causa eget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas literas.] Profitetur omnem hanc controuersiam solius Apostolicæ Sedis iudicio posse, ac debere finiri: Nempè per sacratissimas literas, quæ dignentur decernere factam ab ipso synodaliter Eutychetis damnationem esse fa-

se factam regulariter. Hoc est, quæ dignentur eius synodale iudicium confirmare. Hanc confirmationem humillimè supplicat. Et adiungit rem maximi ponderis: Remouebitur autem, & concilium, quod fieri diuulgatur. Nempè Chrysaphij Eunuchi fauore, & eiusdem in sanctum Flauianum odio accensus, & tumidus Eutyches palàm iactabat à se, si Flauiani iudicium non circumduceretur à Romana Ecclesia, postulandam generalem Synodum, & à Principe omninò concedendam. Quinimmò iam dicebatur concessa. Hinc in synodalium sub sancto Flauiano actorum reuisione Meliphtongus, Iulopolitanus in Arabia Episcopus, dixit: [Quia Imperator vniuersalem præcepit fieri synodum, necesse est maiores causas in illud reseruare concilium.] Et Eusebius Dorylæensis Episcopus: [Coniuro vos per S. Trinitatem, futuro concilio vniuersali, secundùm sanctionem Christi amicorum principum, hoc negotium reseruari.] An Regia Sanctio ex tunc emanasset, non possim affirmare. Quidquid sit, ista fama volitabat per omnem Constantinopolim, imò per omnem Orientem. Et Flauianus affirmat etiam ipsam per sacratissimas Apostolicæ confirmationis literas esse penitùs suffocandam. Profitetur ad Eutychianæ hæresis plenam damnationem sufficere Apostolicam Sedem, nec esse opus generali Concilio. Tanta tunc apud Orientales Ecclesias erat authoritas istius Sedis.

Sanctus Flauianus rectè scripsit ad Pontificem: [Quæ in nos facta sunt, atque fiunt.] Etenim Eutyches optimum Episcopum apud Imperatoris Theodosij à callidissimo Eunucho circumobsessam simplicitatem reddidit adeò suspectum de Nestoriana lue, vt sacra Iussione compulsus fuerit ad solemnem in scriptis fidei professionem, & quasi ad Contestatorios etiam libellos. In isto fidei libello profitetur se esse verùm Nicœnæ fidei, & omnium in Ephesina Synodo decretorum custodem, ac veneratorem, atque adiungit: [Et vnam quidem Verbi Dei naturam, incarnatam tamen, & inhumanatam, dicere non negamus, eo quod ex ambabus vnus sit, atque idem Dominus noster Iesus Christus. Eos, verò qui aut duos filios, aut duas hypostases, aut duas personas annunciant, & non vnum, & eumdem Dominum Iesum Christum Filium Dei viui prædicant, anathematizamus, & alienos esse ab ecclesia iudicamus. Et ante omnes Nestorium.] Nempè Eutyches sanctissimum Episcopum de his omnibus apud Principem reddiderat suspectissimum. Hinc ille fuerat iussus libellum propria manu subscribere. Et sanctissimus Antistes subscripsit hoc modo:] Domine Christe adiuua nos Deus. [Et infra:] Hæc scripsi mea manu ad satisfactionem vestræ pietatis, & vt confundantur calumniam facientes nostræ bonæ, & simplici in Christo conuersationi. [Quæ omnia euincunt, quod Theodosius Romanæ Eutychetis appellationi iusserit adscribi suspensiuum effectum. Hinc enim in Chalcedonensi Concilio Orientales Episcopi clamauerunt:] Flauianus, vt damnatus ingressus est. [Hoc est, tamquam Reus ad dandas rationes de suo in Eutychetem Iudicio. Itá ingredi compulsus fuit in Ephesino Latrocinio. Nihilominùs constans Flauianus, sciens episcopalis Iudicij suspensionem non ad laicum principem, sed ad solum spectare Pontificem, intrepidè stetit pro authoritate suæ Synodi. Etenim in laudatis suis ad Papam literis scripsit:] Ab Eutychete Monacho. Iste Eutyches. Idem Eutyches. [Et in alia ad Papam epistola:] Eutyches quondam presbyter, & Archimandrita. [Hæresiarcham constanter tractauit, vt legitimè degradatum. Et vt sua hac quasi contumacia principem non offenderet, suo fidei ad ipsum libello indidit laudem etiam Constantinopolitanæ Synodi, scribens non solam Nicœnam, ac Ephesinam, sed insuper istam, idest, illius ad Nicœnum Symbolum additamenta religiosè à se seruari. Rationem in Chalcedonensi Synodo adduxit Diogenes, Cyzici Episcopus, Hellesponti Metropolita:] Eutyches dolosè præposuit Synodum sanctorum Patrum, qui in Nicœa facta est. Accepit enim additamenta à sanctis Patribus, propter peruersum intellectum Apollinaris, & Valentini, & Macedonij, & qui eis similes sunt. Hæc prætermisit Eutyches, sicut Apollinarista. Nam etiam Apollinaris suscipit sanctam Synodum, quæ in Nicæa facta est, secundùm propriam peruersitatem intelligẽs verba.] Hoc ipsum compendio allegauit in suo libello sanctus Flauianus. Allegauit non sufficere ad rectam fidem, quod Eutyches Nicœnam, & Ephesinam Synodos, & sancti Cyrilli capitula iactaret, sed insuper necessum esse, vt profiteatur etiam Constantinopolitana ad Nicænum Symbolum additamenta. Hoc enim semper refutauit Eutyches, ideòque se demonstrauit scabiosum ex Apollinario.

Interim tota Hæresiarchæ spes erat in Romana Ecclesia: in sua ad ipsam prouocatione. Ipsam sperauit authoritate Principis inclinandam ad sua desideria. Deuium hominem animabant etiam benignæ literæ, quas nuperrimè nescio, quos haud dubiè etiam sanctum Flauianum, de resuscitata Nestorij lepra accusans, à sancto Leone acceperat: [Non ambigimus Authorem catholicæ fidei Dominum tibi in omnibus adfuturum. Nos autem cum pleniùs, quorum hoc improbitate fiat, potuerimus agnoscere, necesse est auxiliante Domino prouidere; quatenùs nefandum virus, dudùmque damnatum, radicitùs possit extingui. Deus te custodiat incolumem, Dilectissime Fili.] Non est dubitandum, quin hasce literas vbique buccinauerit, & forsan annexuerit suis libellis Contestatorijs. Item dubitandum non est, quin Flauianum violentiùs accusauerit apud Pontificem, quàm apud principem. Literæ omnes, si exstarent, nos plura docerent. Rauennatem Ecclesiam, imò omnem christianitatem tunc illustrabat sanctus Petrus Chrysologus, apud Leonem Pontificem potens opere, & sermone. Quare & hunc Eutyches est aggressus. Etiam isthic sanctum Flauianum diffamauit de Origene, de Nestorio, de neglecto iudicio, de prauè intellecto symbolo Nicœno. Haud dubiè rogarit suam causam per ipsum adiuuari apud Sedem Apostolicam. Verùm prudentissimus Antistes hominem remisit ad Pontificem, & adiunxit:

xit: [Hæc breuiter respondi, Frater, literis tuis, plura rescripturus, si ad me Frater, & Coepiscopus meus Flauianus aliqua de hac causa scripta misisset.]

Sanctus Flauianus insuper aliam relationem fecit ad Pontificem, scribens inter cætera: [Sunt quidam veste sua oues significantes, interiùs autem lupi rapaces, quos ex fructibus eorum debemus agnoscere.] Notat Monasticam Eutychetis professionem, cuius reuerà primum fundamentum est simplicitas, atque integritas orthodoxæ fidei. Et prosequitur: [Talis inter nos Eutyches, quondam Presbyter, & Archimandrites, qui quasi nostræ Religionis sectam sapiebat, & hanc præferebat, Nestorij autem impietatem confirmabat, & succingebatur pro Nestorio militare in pugna, quæ contra Nestorium parabatur. Trecentorum autem decem, & octo Patrum de fide expositionem factam, & sanctæ memoriæ Cyrilli epistolam scriptam ad Nestorium, eiusdemque pariter ad Orientales, quibus omnes assenserunt, tentauit euellere, antiquam impij Valentini, & Apollinaris reparans Sectam.] Enumerat omnia capita, de quibus ab Eutychete accusabatur. Primò, de Nestoriana hæresi. Secundò, de inflicta damnatione in Professorem Nicænæ fidei. Tertiò, de refutatis duodecim Capitulis S. Cyrilli. Quartò, de abiecta item epistola, qua S. Cyrillus pacem inijt cum Orientalibus Ecclesijs. Et certè accusatio non carebat fuco, & colore. Reuerà enim sanctus Flauianus auersabatur sancti Cyrilli capitula. Hinc enim non de istis, sed de sola Cyrilli secunda ad Nestorium, & de pacificatoria ad Orientales epistola dicit: [Quibus omnes assenserunt.] Et hasce solas, non verò duodecim capitulorum epistolam fecerat legi ad suam synodum. Contra istas igitur Eutychetis calumnias Flauianus Pontificem instruit, exponit eius manifestas hæreses, repetit suæ synodi de ipso sententiam, & supplicat confirmari, & publicari. Nempè post confirmatam istam sententiam, & damnatum etiam à Pontifice Eutychetem, est facta isthæc relatio.

Sola igitur prior relatio, & adiuncta ipsi alia documenta Pontificem instruxerunt, ideòque ab ipso meruerunt hoc rescriptum: [Lectis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuisse tam seras, & Gestorum episcopalium ordine recensito, tamdem quid apud vos scandali contra integritatem fidei exortum fuisset, agnouimus. Et quæ primò videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt. Quibus Eutyches, qui presbyteri nomine honorabilis videbatur, multùm imprudens, & nimis imperitus ostenditur, vt etiam de ipso dictum sit à Propheta:] Noluit intelligere, vt benè ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo.] Quid autem iniquius, quàm impia sapere, & sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Et ideò Magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere. Quam enim eruditionem de sacris noui, & veteris Testamenti paginis acquisiuit, qui ne ipsius quidem symboli initia comprehendit? Et quod per totum Mundum omnium regenerandorum ore depromitur, istius adhuc senis corde non capitur.] S. Leo affirmat ab homine, licèt sene, & Doctorem ostentante, nec ipsum, quod etiam pueri intelligunt, Apostolicum capi Symbolum, ideòque longè minùs, quod semper buccinabat, Nicænum: Longè minùs sacras literas.] Esse senem imprudentem, imperitum, cerebrosum, insipientem. Omnem sancti Flauiani de ipsius errore, ac persona sententiam confirmauit.

Hac de re eleganter in Chronico scribit Victor Episcopus Tonnonensis:] Eutyches Presbyter, & Archimandrita cuiusdam Monasterij Constantinopolitani apparuit, qui sui nominis hæresim condidit. Hic enim Dominum nostrum Iesum Christum sic asserebat natum ex Maria semper Virgine Matre, vt nihil in eo confiteretur humanæ naturæ. Qui synodali inuitatus colloquio Constantinopoli congregato, cui sanctus præfuit Flauianus, eiusdem ciuitatis Episcopus, dum nollet Christum in duabus confiteri naturis post natiuitatem ex Virgine, & nobis secundùm carnem esse consubstantialem, damnationem cum errore proprio suscepit, quam sanctus Leo Romanus Antistes Apostolica auctoritate firmauit.] Proindè Eutyches, & appellauit, & non appellauit ad solum sanctum Papam Leonem. Non appellauit in ipso synodali iudicio, nec item post ipsum ad aures Magnificentissimi Patritij. Appellauit autem postmodò per literas. Et quidem per formales libellos. De hisce scribit in Chronico Idatius Lemicensis Episcopus: [De Gallijs epistolę deferuntur Flauiani Episcopi ad Leonem Episcopum, missæ cum scriptis Cyrilli Episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopolitanum, de Eutychete Ebionita hæretico, & Leonis episcopi ad eumdem Responsa. Quæ cum aliorum episcoporum, & gestis, & scriptis per ecclesias diriguntur.] Quæ hæc gesta, & scripta? Certè non alia, quàm de causa, & Romana appellatione, Romanaque damnatione Eutychetis. Tantæ tunc certitudinis, & auctoritatis erant hæc in omni Gallia, vt per ecclesias dirigerentur. Existimo hæc facta ex Magni Leonis mandato post Ephesinum Latrocinium: Vt nempè Gallicana Ecclesia in antiqua fide contra istius Latrocinij auctoritatem armaretur.

Compendio hæc omnia refert in Nestorianæ, ac Eutychianæ hæresis Breuiario Liberatus, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus. Exponit Constantinopolitanam sancti Flauiani Synodum, ac pergit: [Quibus gestis iungens epistolam suam venerabilis Flauianus Leoni Papæ direxit, & quid in Concilio gestum fuerat, allegauit fideliter. Et Eutyches de sua damnatione Papę Leoni scribens, posuit edicta apud Constantinopolim, & iniustitiam se fuisse passum, Populum contestatus est. Leo verò direxit Flauiano Tomum, sanam Incarnationis Christi doctrinam continentem, & mirificè perimentem Eutychetis assertiones. Eutyches verò obtulit preces Imperatori, questus de falsitate gestorum, quasi aliqua à Notarijs superaddita fuissent, aliqua

verò

verò dicta, nec gestis inserta. Et postulauit, vt sub præsentia Thalassij, Cæsariænsis in Cappadocia Episcopi, & Florentij Patritij rursùs in Palatio, Flauiano occurrente, ipsum congregaretur Concilium, & ex interrogatione personarum veritas panderetur.] Exponit hoc examen, & pergit: [Posteà expetiuit Imperator à Flauiano fidei eius confessionem, manu eius scriptam, & subscriptam. Scripsit ergò Flauianus fidem suam manu propria, & Imperatori in hoc themate direxit.] Adducit Flauiani libellum, & adiungit: [Postquàm ergò nihil probatum est Notarijs de falsitate gestorum, Eutyches petit Dioscorum Alexandrinum Episcopum, vt quæreret quæ de illo acta sunt, & causam examinaret. Agebat apud Principem vniuersalem fieri synodum, vt probaretur iudicium Flauiani. Scripsit ergò Dioscorus Theodosio Imperatori, quia aliam fieri synodum generalem oportet. Et vt fieret, persuasit Eutyches. Annuit Imperator. Et dirigens Sacram Dioscoro in Alexandriam, præcepit vt cum decem Metropolitanis Episcopis, quos voluisset ipse eligere, veniret Ephesum, & congregato vniuersali Concilio, Eutychetis causam discuteret.]

Non seruat rerum ordinem. Etenim post sancti Flauiani synodum Eutyches ipsam ante omnia falsare studuit, ideòque postulauit, ac impetrauit memoratam reuisionem. Et quoniam res non succedebat ad votum, se appellasse est protestatus, atque ità conatus est suspendere iudicium. Ast probare non potuit, ideòque, nec inuenit fidem. Hinc nouam formauit appellationem, non ad omnes Patriarchas, sed ad solum Papam Leonem. Et mox transmisit appellationis libellum, accusatorium libellum Eusebij Dorylæensis episcopi, & plura instrumenta. Et Imperator Theodosius ipsum potenter adiuuit suis ad Papam literis. Verùm nec huic appellationi Flauianus detulit, asserens sententiam transijsse in rem iudicatam, & plura alia. Hinc Eutyches proposuit libellos Contestatorios. Et denuò cum literis transmisit ad Pontificem. Et à Theodosio obtinuit suæ appellationi suspensiuum effectum. His motus, & anxius Pontifex solatus est Eutychetem per ambigua, & ad ipsum, & ad Principem rescripta, & sanctum Flauianum arguit de neglectu relationis. Hinc Flauianus statim retulit. Et huius rei conscius Eutyches non quieuit. Flauianum apud Principem traduxit de Nestorio, & adeò impressit, vt optimus Antistes sacra iussione compulsus fuerit propria manu scribere libellum fidei, atque ità se de Nestorio purgare. Dubitandum non est, quin hæc omnia retulerit ad Sedem Apostolicam. Quæ cœpit rem capere, & nouum Hæresiarcham auersari. Quod ipsum resciuit Eutyches. Hinc statuit etiam à Papa appellandum ad Generale Concilium. Et de hoc momentoso negotio consulturus abijt Alexandriam ad sibi fidelissimum Dioscorum. Quod ipsum apud Franciscum Combesis scribit antiqua narratio de rebus Armeniæ: [Eutyches à sancto Flauiano damnatus, adit Dioscorum, rogans vt petat ab Imperatore synodum celebrari Ephesi, qua Flauianus condemnetur, ipse autem Eutyches iudicio absoluatur. Dioscorus autem, atque Eutyches immani odio occupantur, haud secùs, atque coruus in nemore, & nycticorax in petrinis, ac ruderibus.] Duæ hæ pessimæ viperę ibi conceperunt etiam Leonem Papam accusandum de Nestorio, ab ipso appellandum ad generalem Synodum, sistendum ab ipso iam cœptum impetum, eius agendis capistrum inijciendum à Principe, ipsum excludendum à Præsidentia futuræ synodi, & hanc deuoluendam in Dioscorum. Et omnia per Chrysaphium Eunuchum à simplici Theodosio obtinuerunt.

De Romana Eutychetis appellatione dixit in synodalium sub sancto Flauiano actorum reuisione sanctus Seleucus, Amasenus episcopus, Heleno Ponti Metropolita: [Anticipans Reuerendus Diaconus Eleusinius dixit libellum obtulisse sancto Conuentui Reuerendissimum Archimandritam, in quo dicebat expositionem fidei contineri. Quoniam verò ante paucos dies literæ sanctissimi Archiepiscopi Romanorum insinuatæ sunt nobis, continentes quia questus est Reuerendissimus Archimandrita Eutyches, & appellauit in tempore examinationis nostram audientiam per dationem libelli. Et ideò post damnationem eum Archimandritam renominauerunt. Quomodò nunc instans, & dicens de fide esse libellum, apud sanctissimum Episcopum Romanorum recusationem in synodo appellationem nominauit? Et hinc doceri debetis, quoniam non in eisdem permanet Reuerendissimus Archimandrita. Et postulo epistolam prolatam relegi.]

Discimus hinc varia. Primò, quod ante inchoatam hanc reuisionem Eutyches Romam appellarit; affirmans se in ipsa etiam synodo appellasse. Et quidem per datos libellos. Se appellasse audientiam Romani Pontificis. Secundò, quod questus fuerit istum libellum fuisse reiectum à sancto Flauiano, ideòque ipsum grauiter accusarit. Tertiò, quod sanctus Leo hac de re scripserit non ad solum Flauianum, sed etiam ad omnem eius synodum. Hæ literæ perierunt. Quartò, quòd Pontifex videatur appellationem admisisse, & ipsi adscripsisse suspensiuum effectum. Hoc innuunt ista verba: [Et ideò post damnationem eum Archimandritam renominauerunt.] Vtique Romani. Quintò addiscimus, quod istum ipsum libellum, quem Eleusinius, Eutychetis Monachus, & Legatus, iam dicebat fuisse fidei, continentem Nicænum, ac Ephesinum de fide Decretum, ipse Eutyches in literis ad sanctum Leonem scripserit fuisse appellationis. Libelli huius, quoniam à sancto Flauiano, nec admissus, nec lectus fuerat, nesciebantur contenta: Hinc Eutyches apud Pontificem poterat securè mentiri. At ecce eius Monachus in reuisione per imprudentem loquacitatem prodidit mendacium. Quarè sanctus Seleucus meritò dixit ad omnem hunc Conuentum: [Hinc doceri debetis, quoniam non in eisdem permanet Reuerendissimus Archimandrita Eutyches.] Et postulauit proferri epistolam, ac legi. An Eutychetis ad Leonem, an Leonis epistolam ad synodum, est ambiguum: Forsitan vtramque. Vtraque est perdita: Hinc plura ignoramus. Interim

sextò

sextò discimus fundamentum, ex quo Eutyches Pontifici scripserit se ad ipsum in ipsa synodo per libellum appellasse. Etenim sine fuco mentiri fuisset in tanto Archimandrita nimis impudens. Septimò discimus, quod hæc Romana appellatio aliquem temporis tractum habuerit, & varias vltrò citròque transmiserit literas: Harum carentia facit, vt istius originem, & decursum distinctè, ac plenè non sciamus.

Certè oportet Eutychetem fuisse hominem insigniter impudentem. Etenim in suæ, ad Ephesinum latrocinium factæ, appellationis libello hæc posuit: [Ego timens præuaricari prolatam definitionem à sancta synodo, quæ hìc Dei voluntate priùs congregata est, & ea, quæ definita erant de fide à sanctis Patribus, qui in Nicæa conuenerunt, rogabam innotescere sacro vestro Concilio, vt his, quæ à vobis approbarentur, acquiescerem, paratus in his permanere. Et hoc dicenti, subitò contra me, longè ante scripta, damnatio legebatur, nullum verbum faciente de appellatione mea ad vestram sanctitatem Reuerendissimo Episcopo Flauiano, neque meos erubescente canos, &c.] Eam ipsam appellationem, quàm ad & contra sententiæ prolationem sancto Leoni scripserat à se factam, ad Sedem Apostolicam, hìc dicit factam ad futurum generale Concilium. Vtrobique impudenter mentitus. Audacia stupenda. At magis stupenda episcoporum ignauia. Etenim libellum hunc legi audierunt omnes illi episcopi, qui in nupera synodalium sub sancto Flauiano Actorum reuisione fuerant vno ore contestati se istius appellationis nihil prorsùs audiuisse: & in Ephesino Latrocinio nullus ad tanta mendacia, vel verbulo intercessit. Eutyches in suo ad Latrocinium libello addidit aduersùs sanctum Flauianum: [In diuersis Oratorijs, memorijsque Sanctorum, post appellationem fecit in me prolatam legi sententiam. Et anathematizabat me, & eos, qui conueniebant ad me, & colloquebantur mecum.] Credo ita fuisse. Etenim sanctus Flauianus nouerat appellationem esse mendacem, ac manifestè friuolam, ideòque, & spernebat. Præsertim post acceptam, quam à Victore Tonnonensi episcopo laudari audiuimus, Apostolicæ Sedis confirmationem.

CAPVT II.

Expediuntur aliquot quæstiones circa Romanam Eutychetis appellationem.

PRima quæstio est, An Eutyches ad Generalem Synodum appellauerit aduersùs, & post confirmatorium sancti Leonis indicium, an ante illud? Respondeo prouocasse ante ipsum. Etenim famosus, quem Leontius Scholasticus Byzantinus in libro de Sectis rectè affirmat esse istud confirmatorium iudicium, magni Leonis Tomus est datus quinti sæculi anno quadragesimo nono, idibus Iunij, id est, die decima tertia; at verò eiusdem Pontificis, eodem anno die vigesima quinta Maij scripta ad Imperatorem Theodosium, epistola habet inter cætera: [Quod à me, atquè ab omnibus catholicis Sacerdotibus Euangelicæ fidei pietas defendatur, satis plenè, ac lucidè literis meis, quas ad clementiam vestram iam dudùm per famulum vestrum Epiphanium Tribunum, qui pro hac causa missus est, arbitror accepisse, reseratum est. Nec ambigi potest, hoc nos purissimè credere, hoc constanter asserere, quod etiam venerandi Patres, quondam apud Nicæam congregati, secundùm fidem symboli credendum, & confitendum sacratissima auctoritate sanxerunt. Nos enim, venerabilis Imperator, sicut Nestorij dogma peruersum meritò anathematizauimus, ità iustè etiam horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino Iesu Christo susceptam esse, damnamus, Gloriosissime. Vnde si pietas vestra suggestioni, & supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam haberi iubeatis episcopale Concilium, citò auxiliante Domino poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius ecclesiæ sunt commota, resecari, vt per vniuersum Regnum vestrum Catholicæ fidei integritate seruata, & pacem Christi manere, & vestram apud Deum gloriam crescere gaudeamus.] Facinorosus Eutyches statim à sua ad magnū Leonem interiecta appellatione iactauit generalem Synodum: Eam, si Pontifex Flauiani iudicium non circumduceret, est comminatus. Nec ignorabat Flauiani ad Leonem verba: [Causa eget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Remouebitur, & Concilium, quod fieri diuulgatur.] Nouerat verba niti firmis anchoris. Hinc vbi audiuit Leonis animum auersum à suo dogmate, etiam aduersùs ipsum interiecit appellationem, sperans isto obice sententiam sistere. Sperans illi istud ipsum suspensiui effectus capistrum per Principis auctoritatem inijcere, quod violenter iniecerat S. Flauiano. Quin immò sperauit ipsum ab appellatæ Synodi Præsidentia excludere, atquè ità ipsam deuoluere in Dioscorum. Et obtinuit. Etenim Apostolici Legati in Ephesino Latrocinio sunt passi istam iniuriam, atquè Dioscorus isthìc egit omnia. Illæ ipsæ artes, quæ aduersùs Flauianum, hæc obtinuerunt aduersùs Leonem. Facinorosus Turbo etiam Pontificem accusauit de Nestorio, & de nescio quo aduersùs fidem Nicænam. Notanda sunt Pontificis verba: [Venerandi Patres secundùm fidem symboli sanxerunt.] Vtique Apostolici Symboli. Ipsum aduersùs delirum hunc senem scribens Pontifex frequenter laudat. Orientalis Ecclesia post Nicænam Synodum desijt suis Competentibus Apostolicum, & cœpit tradere Symbolum Nicænum. At verò Romana Ecclesia ex causis permansit firma in sua priori consuetudine. Hoc videtur notasse Eutyches: Simplici Theodosio impressisse, quod Romana Ecclesia non veneraretur Nicænum Symbolum, ideòque eius dogma auersaretur. Hinc magnus Leo ad eumdem Principem scribit, quod Nicæna Synodus credendum sanxerit iuxtà Apostolicum Symbolum; Quod suum ex Apostolico formarit. Quidquid

Act.4. Epist.23.

quid sit, & semetipsum, & Romanam Ecclesiam purgare debuit de Nestorio, & scribere: [Nos, venerabilis Imperator, Nestorij dogma peruersum meritò anathematizauimus.] Vtique non ab heri, aut biduo, sed ab exordio semper. Et supplicat iam addictam Eutycheti Synodum fieri in Italia. Non supplicat non fieri, sed fieri intra Italiam. Quod nempè addictio esset firmissima. Supplicat in Italia fieri ex varijs causis. Ipsarum vna fuit, quod isthìc à præsidendi auctoritate non posset excludi. Leo enim ex tunc nouerat artes Dioscori, atque huius Veteratoris. Et nullatenùs fuit exauditus. Hinc in data idibus Iunijs epistola, qua S.Flauiani Synodum plenè confirmauit, ad finem hæc ponit: [Ad omnem causam piè, & fideliter exequendam Fratres nostros. Iulium Episcopum, & Renatum Presbyterum Tituli S.Clementis, sed & filium meum Hilarum Diaconum, vice nostra direximus.] Ad Ephesinam Synodum. Ep.24.c.6.

Quæstio secunda est, Quomodò S.Leo post interiectam ab Eutychete, & generalis Synodi indictione stabilitam à Principe, appellationem potuerit, vel ausus fuerit procedere ad confirmandam S.Flauiani Synodum, & ad damnandum Eutychetem? Ad damnandam non solummodò doctrinam, sed & personam? Respondeo Romani Pontificis auctoritatem per interiectas ad generale Concilium appellationes nullatenùs suspendi. Causa dumtaxat deuoluitur. Immò nec deuoluitur, nisi ex Beneplacito Pontificis. Quare in ista Synodo ipsi permanent ius præsidendi, relatio, suffragij Prærogatiua, aliaque omnia. Etenim Arelatensi Synodo, quæ datum à Melchiade Pontifice in Donatistas iudicium retractabat, pleno iure præsedit Legatio S.Syluestri. Et Sardicensi Concilio, quod retractabat S Athanasij, & aliorum Orientalium Episcoporum factas à Iulio Pontifice reuestitiones, præsedit Hosius Episcopus, Legatus eiusdem Iulij. Etiam Ephesina Synodus fuit retractatoria datæ à Cælestino Pontifice in Nestorium damnationis: Etenim, & ipse ab isto iudicio appellauerat. Et tamen præsedit per eiusdem Pontificis vices S.Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Et primus articulus, quem discussit, & castigauit Chalcedonensis Synodus, fuit Ephesina Dioscori audacia in Legatos S.Leonis. Et ipsi præsederunt magno huic Concilio, & illum ex inuaso Iudicij Throno deiecerunt ad reos. Porrò magnus Leo, dum Eutychetis appellationem, & sacras Imperatoris Theodosij iussiones nihil moratus, constanter processit in eius dogma, ac personam, secutus est regulam, ex qua postmodò magnus Gregorius, de Maximi Archiepiscopi Salonitani causa agens, scripsit ad Imperatricem Constantinam: [Priusquàm hæc cognoscantur, Serenissimus Dominus discurrente iussione præcepit, vt Maximum venientem cum honore suscipiam. Valdè graue est, vt vir, de quo tanta, & talia nunciantur, cum ante requiri, ac discuti debeat, honoretur. Et si episcoporum causæ mihi commissorum apud pijssimos Dominos aliorum patrocinijs disponuntur, infelix ego, in ecclesia ista quid facio? Sed vt episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad sæculares Iudices habeant; omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantùm exspecto, & si ad me venire diù distulerit, in eo exercere districtionem Canonicam nullo modo cessabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam Pijssimis Dominis vitam tribuet, & nobis sub manu vestra non secundùm peccata nostra, sed secundùm gratiæ suæ dona disponet.] Magnus Leo censuit non crastinandum, sed Canonicam districtionem statim exercuit. Et eius Factum Chalcedonensis Synodus plenè comprobauit. L.4.ep.34.

Quæstio tertia est, Quomodò S.Flauianus in secunda ad S.Leonem epistola scribat Eutychetem in sua contra Nestorium pugna militasse pro Nestorio, ac eius impietatem confirmasse? Etenim Nestorius, & Eutyches aduersantur non minùs capitaliter, quàm Sabellius, & Arius. Respondeo S.Flauianum scripsisse rectissima. Etenim palmare Eutychetis fundamentum fuit, quod natura, & hypostasis essent vnum, & idem. Subiunxit Dominum nostrum Iesum Christum esse vnicam hypostasim, ac inde conclusit esse similiter vnicam naturam. At verò istud ipsum fuit palmare fundamentum Nestorij. Etenim hic subiunxit Christum Dominum esse duas naturas, ac inde conclusit esse duas, sola auctoritatis, ac dignitatis communione coniunctas, hypostases, seu personas. Quapropter Eutyches contra Nestorium malè pugnando fortissimè pro ipso militauit. Quod ipsum Nestorius malè contra Apollinarium pugnando fecit pro Apollinario, ideoque, & pro Eutychete. Eodem in luto hæsit Paulus Samosatensis, etiam Sabellius, atque Arius. Ex isto deuio principio alter in Diuina Maiestate finxit tres naturas, alter abnegauit tres personas. Vnde etiam ipsi, & inuicem hostilissimè inuadunt, & inuicem fortissimè stabiliunt. Proindè vnicum deuium principium nobis peperit quatuor pessimas hæreses, inuicem pugnantes, & inuicem adiuuantes. Videantur S.Anastasius Sinaita in erudito opere contra Nestorianos, & Eutychianos, Rusticus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Leontius Scholasticus Byzantinus, & alij antiqui istarum hæresion Impugnatores.

Quæstio quarta est, Cur Eutyches in sua, quam ad Florentij Patritij aures fecit, appellatione, exprimens Thessalonicensem Episcopum, omiserit Patriarcham Antiochenum? Etenim Thessalonicensis Episcopus non erat Patriarcha. Immò nec Exarchus. Respondeo istius omissionis causas rectè exponi à R. Patre Paschasio Quesnello. Palmarem rationem addiscimus à Facundo Hermianensi Episcopo: [Venerabilis Domnus Antiochenus, sui Decessoris Ioannis, aliorumque precedentium Collegarum sententiam tenens, Eutychi Apollinaris Hęresiarchę impietatem renouare tentanti, & ob hoc Diodorum, atque Theodorum anathematizare præsumenti, primus restitit, ad Imperatorem Theodosium scribens.] Domnus id fecit Synodaliter. Synodalem epistolam nobis custodiuit idem Facundus: [Vestram docere cogimur Pietatem, quoniam Apollinaris Hæresiarchæ impietatem Eutyches Presbyter renouare pertentat, & Apostolicas labefactare doctrinas, L.12.c.5. L.8.c.5.

Mysterij Incarnationis dogma corrumpens, & Diuinitatem Vnigeniti, ac humanitatem vocans vnam naturam, commixtionemque, & confusionem asserens factam, & salutarem passionem ipsi incommutabili Deitati adnectens, & hos, qui columnæ veritatis, & propugnatores pietatis fuerunt, & aduersùs omnem hæresim clarè virtutem exercuerunt, Diodorum, & Theodorum anathematizare præsumit, & in hoc Apollinaris similis vanitati.]

Discordia videtur exordium duxisse ex Theodoreto Cyrensi Episcopo, qui Antiochiæ sub Ioanne Patriarcha, ac eius nepote, & Successore Domno egit omnia. Etiam S. Cyrillo post initam Ecclesiarum pacem, imò, & post eius mortem est hostiliter aduersatus. Præsertim postquàm apparere cœperunt prima Eutychianæ blasphemiæ exordia. Apparuerunt ex perperàm intellectis S.Cyrilli Capitulis. Præsertim ex malè intellecta famosa eius propositione: Christus Dominus est vna natura Dei verbi incarnata. [Porrò Orientales Episcopi, dum cum S.Cyrillo, ac eius Diœcesi pacem inierunt, nullatenùs probarunt eius Capitula, quin immò sunt semper auersati. Præsertim Theodoretus perpetuum, ac apertum etiam tunc indixit illis bellum, & pertinaciter accusauit de hæresi. Quidam existimant, quod suos Dialogos aduersùm illa scripserit, & quod per Eranisten intelligat S.Cyrillum. Quidquid sit, illa damnauit, ac insuper Domnum Patriarcham permouit ad eadem Synodaliter damnanda. Eumdem, vti & eius auunculum, ac Præcessorem Ioannem, induxit ad celebrandas assiduè Synodos, & in ipsis comprobanda opera Diodori Tarsensis in prima Cilicia Archiepiscopi, ac Theodori in secunda Cicilia episcopi Mopsuestiensis. Quæ omnia acerbissimè momorderunt non solùm Eutychetem, sed etiam Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, & omnes ipsorum asseclas. Hi enim S. Cyrilli Capitula venerabantur, vt Spiritus sancti Dictamina; & Diodorum, ac Theodorum adversabantur, vt Nestorianæ hæresis fontes. Et certè Diodorus Theodorum, Theodorus docuerat Nestorium.

Hæ igitur discordiæ excitarunt tragœdiam, de qua Theodoretus scribit ad Eusebium Ancyræ Episcopum, Metropolitam primæ Galatiæ: [Sperabam me crebras hoc tempore Sanctitatis tuæ literas accepturum. Manifestissimam quippè calumniam cum passi essemus, Fraterna egebamus consolatione. Etenim qui Marcionis, & Valentini, & Manetis, aliorumque Docitarum hæresim hac nostra tempestate renouant, ægrè ferentes hæresim à me suam apertè confutari, Imperatoris aures circumuenire conati sunt, hæreticos nos appellantes, & vnicum Dominum nostrum Iesum Christum, Incarnatum Deum Verbum, in duos filios diuidere calumniantes.] Et infra: [Isti, & Alexandriam contra nos concitarunt, omnium auribus per dignos ipsis ministros ingerentes, nos pro vno duos filios prædicare.] Palàm agit in Factionem Eutychetis. Hæc omnes Orientales Episcopos, præsertim Theodoretum, oderat, ideòque, & Constantinopoli apud Imperatorem Theodosium, & Alexandriæ apud Dioscorum Patriarcham clamabat illos Nestorianos. Et quidem apud Principem [verbis suis, vt sperabant, non [statim] persuaserunt. [Nihilominùs Theodoretum censuerunt quouis modo separandum à suo Patriarcha Domno. Hinc ipsum accusarunt turbulentiæ:] Eum Synodos frequenter apud Antiochiam conuocare, & ea re offendi nonnullos. [Eum impetrarunt circumscripto intra suam Cyrensem ciuitatem exilio ligari. Ante damnationem Eutychetis. Hinc ille pergit:] Omnium Moderator non obscurè ostendit, quantam oppressorum etiam in hac vita curam gerat. Nam cum quieti ageremus Patriæ finibus circumscripti, atque Orientales omnes mœrerent, & in acerbo luctu essent, sed silere ob iniectum metum cogerentur, Dominus ipse de cœlo prospexit, & calumniæ Auctorum calumniam redarguit, atque impiam illorum mentem patefecit.] Per calumniæ auctores omninò intelligit Eutychetem, & gratulatur illum nuperrimè fuisse detectum ab Eusebio episcopo, & à sancto Flauiano damnatum. Proindè Eutyches per Dioscorum, ac Chrysaphium Eunuchum fuit auctor istius in Theodoretum tragediæ.

Epist. 82.

Eutyches non fuit solus. Etenim Theodoretus scripsit etiam ad Patriarcham Dioscorum: [Hæc vt scriberem, coactus sum, cum Sanctitatis Tuæ literas legissem ad Dei amantissimum, sanctissimumque Archiepiscopum Dominum Domnum scriptas. Hoc in illis enim contiuebatur inter cætera, quosdam ad maximam Vrbem, quæ à Sanctitate Tua regitur, cum venissent, accusasse nos quasi in duos filios diuideremus vnum Dominum Nostrum Iesum Christum. Idquè cum apud Antiochiam dissereremus, vbi multæ myriades Auditorum ad concionem conueniunt.] Dioscorus asseruit Theodoretum fecisse istud ipsum coram Domno, quod Dorotheus Martianopolitanus Episcopus Constantinopoli fecerat coram Nestorio. Et quidem in solemni adeò Populi conuentu, vt adessent multæ myriades Auditorum. Quare rogauit compesci, alioquin passurum quod passus fuerat Dorotheus. Etenim Dorotheus fuerat exclusus à pace inita inter Patriarchas Cyrillum, ac Ioannem. Dioscorus minatus est etiam Theodoretum ab ipsa iam facta, vti eius præuaricatorem, extrudendum. Hinc Theodoretus fuit compulsus facere, quod scribit ad sanctum Flauianum Episcopum Constantinopolitanum: [Rati nos adiutorem, & socium ad ea, quæ contra fidem Apostolicam mouentur, habituros Deo carissimum Alexandriæ episcopum Dominum Dioscorum, misimus vnum ex Religiosissimis presbyteris, prudentia insignem, cum literis synodicis, pietati eius suggerentes, nos in fœdere, quod sub beatæ memoriæ Cyrillo initum est, permanere, scriptamque ab eo epistolam amplecti. Notanda sunt verba: [Cum literis synodicis]. Demonstrant non solùm Theodoretum, nec solum Patriarcham Domnum, sed omnem Orientalem synodum legisse, & ista scripsisse ad Dioscorum. Theodoretus pergit ad Flauianum: [Verùm abiens hinc quidam illorum, qui contraria sentiunt, & tumultus istos cient, cum aliquos ibi decepisset, & sexcentas contrà nos calumnias

Epist. 83.

Epist. 86.

texuis-

texuisset, nefandas contra nos vociferationes suscitauit. Deo autem carissimus episcopus Dioscorus epistolam ad nos scripsit, quam ab eo scriptam non decuit, qui ab vniuersorum Deo didicerat mendacij vocem non suscipere. Fidem enim ijs habens, quæ contra nos dicta fuerant, quasi accuratè singula examinasset, ac veritatem per tormenta expressisset, ita nos condemnauit. Sed nos calumniam forti animo pertulimus, eiq; blandis literis rescripsimus,& pietati eius ostendimus falsa esse hæc omnia, nullumq; Deo carissimorum Orientis episcoporum ab Apostolicis dogmatibus dissentire. Quod, & Religiosissimis, qui ab eo venerant, clericis ipsa rerum experientia demonstratum est. At ille omnibus valere iussis, & calumniantibus aures tradens, rem aggressus est, quæ credi nullatenùs queat, nisi testem haberet Ecclesiam. Tulit enim illos, qui nobis anathema dicebant, surgensque, & acclamans eorum voces confirmauit. Prima mali radix fuit Diodori, ac Theodori causa. Eam Domnus, sui Antecessoris iudicium secutus, cum Theodoreto, ac omni sua Diœcesi defendebat, Dioscorus verò, ac Eutyches, non dumtaxàt Rabbulæ Edesseni, & Melitinensis Acacij, sed etiam S. Cyrilli, ac S. Procli tenentes vestigia, atrociter anathematizabant. Cunctos eorum Patronos proclamabant Nestorianos. Dioscorus eòusque suæ iræ laxauit habenas, vt per nescio quos Orientis transfugas iusserit in plena sua Synaxi cunctis istius Diœcesios episcopis inclamari anathema, & ipse acclamans confirmauerit. Eadem de re Theodoretus in suo Romanæ appellationis libello scripsit ad magnum Leonem: [Alexandrinus Antistes anno etiam superiore, cum eò profecti essent duo viri Apollinaris morbo infecti, & calumnias in nos texuissent,consurgens in Ecclesia nos anathemate confixit]. Dioscorus eos accusauit, quod violassent sancti Cyrilli pacem, ac resuscitassent Nestorium, Vtique ex tunc habebat clandestinâ pacta cum Eutychete. Et coniuncti hi turbines Domnum, ac omnem eius Patriarchatum fecerunt adeò fœtere etiam apud Principem, vt ad Antiochum Præfectum scribat Teodoretus: [Magnos in Ecclesijs fluctus excitarunt, qui cõtra nos calumnias commenti sunt. Qua de causa, & Deo, carissimi episcopi, & itinerum longitudine, & virium infirmitate, & senili ætate contempta, Gregibusque suis sine Pastore destitutis, longam istam peregrinationem susceperunt, conflatum in nos mendacium refellere properantes]. In literis ad Celerinam Diaconam addit, quod etiam [hyemis asperitatem contempserint]. Nempè à Domno Patriarcha Legati Constantinopolim. Verùm dolosus Eutyches omnes illis obserauit non solùm portas Palatij, sed & rimas. Hæc Dioscori in Domnum, Theodoretum, ac alios Orientis episcopos inimicitia continet plura spectantia ad ecclesiasticam eruditionem, ideòque digna est suo tempore, & loco enucleari. Hæc pauca demonstrant causam, ex qua Eutyches noluit ad Domnum, ac eius Concilium prouocare.

Epist. 13.

Epist. 95.

Epist. 101.

In laudata ad S. Flauianum epistola Theodoretus adducit, & aliam amaram radicem, quæ Dioscorum momordit, ac impulit aduersùs Domnum: [In Regia Vrbe congregati beati Patres, cum eis, qui apud Nicæam conuenerant conspiratores, Diœceses distinxerunt, & sua vnicuique Diœcesi adsignarunt, apertè interdicentes ex altera quemquam Diœcesim alteram inuadere, sed Alexandriæ episcopum tantummodò res administrare Ægypti, & suas singulas Diœceses. Dioscorus verò legibus istis non vult acquiescere, sed sursùm, ac deorsùm Beati Marci Sedem obtendit. Idque cum manifestò intelligat Megalopolim Antiochiam Beati Petri Sedem habere, qui Beati Marci Magister erat, ac Apostolorum Chori Princeps, & Coryphæus. Verùm nos Sedis sublimitatem nouimus, nos verò ipsos agnoscimus, & metimur. Humilitatem enim Apostolicam à principio didicimus. Tuam porrò Sanctitatem obsecramus, vt neque sanctos canones proculcatos despiciat, & sanctæ fidei defensionem alacri animo suscipiat. In hac namque positam habemus spem salutis, & per eam nos veniam adepturos confidimus. Vt autem hoc quoque Sanctitas tua non ignoret, scito Domine, hanc illum aduersùm nos pusillanimitatem gerere, ex quo synodicis vestris sub beatæ memoriæ Proclo factis, sanctorum Patrum regulis inhærentes, adhæsimus. Ac de hoc nos semèl, atque iterùm increpasse, quasi & Antiochenorum, vt ait, & Alexandrinorum iura prodiderimus. Horum memor, tempusque, vt ei visum est, nactus, inimicitias patefacit].

Cõstantinopolitana synodus per suũ secũdùm canonem episcopo Constantinopolitano dedit secundum in Ecclesia locum. Verũ nulla fuit facta executio: Nec sub Nectario, nec sub S. Ioanne Chrysostomo, nec sub alijs vsque ad S. Proclum Successoribus. Hic ergò executionem obtinuit ab Imperatore Theodosio, atq; ità synodicam suam misit, & Alexandriam,& Antiochiam, mandans admitti canonem, & obseruari. S. Flauianus fuerat sancti Procli presbyter, ideòque omninò cooperatus. Et Domnus Antiochenus,sub quibusdam tamen conditionibus, & pactis, admisit. Eiusque synodus comprobauit, Theodoretus iam dedit causam: [Sedis sublimitatem nouimus, nos verò ipsos cognouimus, & metimur: Humilitatem enim Apostolicam à principio didicimus]. At verò Dioscorus constantissimè noluit acquiescere, sed [sursùm, ac deorsùm Beati Marci Sedem obtendit]. Clamans ipsam, nec per Constantinopolitanam synodum, nec per sacram Principis iussionem potuisse, aut posse humiliari. Et Domnum semèl, atque iterùm increpuit, quod non solius Antiochenæ, sed etiam Alexandrinæ Cathedræ iura prodidisset. Hinc in ipsum, ac item in S. Flauianum concepit odium, dicens apud semetipsum: [Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo], Hoc autem tempus aduenit, dum Domnus cæpit S. Cyrilli damnare Capitula, & Diodori, ac Theodori dogmata, & Scripta Synodaliter commendare. Omninò ante Eutychetis damnationem. Tunc ergò Dioscorus Domnum, ac omnes eius episcopos damnauit de Nestorio, ac solemniter anathematizauit.

Hinc intelliges Acta Chalcedonensis Concilij. Dioscorus in Ephesino Latrocinio

Bbb 2 pri-

primum inuasit locum, secundum Iuliano Coensi episcopo, S. Leonis Papæ Legato, tertium Iuuenali Hierosolymæ episcopo, quartum Domno Antiocheno, quintum detulit S. Flauiano. Dum ergò hæc Calcedone legerentur, Orientales episcopi intercesserunt, & clamarunt: [Flauianus in proprio loco quare non sedit? Constantinopolitanum episcopum quare quintum posuerunt]. Nempè Dioscorus, & Constantinopolitanum canonem, & Principis iussionem, & Procli cum Domno pacta spreuit: Obtinere voluit antiquam Ecclesiæ Hierarchiam. Et aduersùs istam eius fiduciam Orientales episcopi, quoniam pacta ista probauerant, consurrexerunt. Et Sanctus Paschasinus, Lilybeti episcopus, Chalcedonensis synodi Apostolicus Præses, illis fauit: [Ecce nos, Deo volente, Dominum Anatolium primum habemus, hi quintum posuerunt Beatum Flauianum]. Est admiranda interlocutio. Quoniam certum est Paschasinum à S. Leone habuisse alia mandata. Etiam Theodoretus non scripsit ex fide. Etenim Constantinopolitani canonis non secundam, quam solam abiecit Dioscorus, sed primam tantummodò adduxit partem, Dioscorum accusans, quasi se non contineret intra limites Ægyptiacæ Diœcesios. Deindè scripsit canonem, quem impugnabat Dioscorus, fuisse conformem Nicæno. Quæ omnia sunt manifestò deuia. Vnde, & magnus Leo ista Domni, ac Procli pacta, licèt per Chalcedonensem synodum confirmata, circumduxit potentissimè, ac penitùs aboleuit. Et eius iudicium Romana Ecclesia defendit, & custodiuit per multa sæcula.

Porrò S. Flauianum Dioscorus, & Eutyches oderant etiam ex alia causa, quam edicit in ecclesiastica historia Cardinalis Anastasius, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius: [Penès Alexandriam] promotus ad episcopatum [Dioscorus confestim Cyrilli cognatos in primordijs suis deuastat, & horum patrimonia deprædatur, filium autem fratris eius Athanasium presbyterum sine culpa deposuit. Hæc autem faciebat rectę Cyrilli fidei aduersatus, cum esset hæreticus, & ex mollibus vngulis ea, quæ sunt Origenis sentiret. Irascebatur autem, & Flauiano, eò quod modicum quid opis beati conferret Cyrilli cognatis. Cum autem Chrysaphius, Theodosij Imperatoris Eunuchus, esset impius, videre non ferens Ecclesiarum concordiam, operam dabat, vt conturbaret eas, & diuersis modis agebat, vt Flauianum ab episcopatu depelleret, volens Eutychem quemdam, sui sensus Archimandritam, ad episcopatum eius prouehere]. Porrò Flauianum oderat, quod ei ob delatum, cui apud Principem cooperatus fuerat, episcopatum Xenia postulanti noluisset impartiri pecuniam. Hæ igitur hominum inimicitiæ pepererunt Ecclesiæ fœdissimam hæresim, deuastatricem totius Orientalis Ecclesiæ. Propter ipsas Eutyches, Dioscorus, Domnus, & plures alij sese mutuò accusarunt de hæresi, & hæresis tandem erupit. Hac igitur de causa Eutyches numquàm voluit ad Domnum prouocare.

Quæstio quinta est, quare Eutyches in S. Flauiani synodo, dum circa fidem discuteretur, dixerit: [Si præceperint mihi Patres, Romanus, & Alexandrinus, dico hoc ipsum]? Cur Dioscorum inuocauerit pro suo dogmate, est manifestum ex iam dictis. Quæstio est, cur etiam inuocauerit S. Leonem? Deindè cur in sua, quam Florentio Patritio ad aures dixit, appellatione adiunxerit Hierosolymitanum episcopum, aut Thessalonicensem? Respondeo Romanum fuisse inuocatum, quod Hæresiarcha sciret circa christianam fidem nihil posse stabiliri sine episcopo Romanorum. Hominem insupèr animabant humanissimæ, ac nuperrimæ Pontificis ad ipsum literæ, Hierosolymitanum credo inuocatum ex arte. Etenim Iuuenalis, tunc episcopus, in Ephesina synodo, dum suam aliquot Prouinciarum, Antiocheno Patriarchatui ablatarum, rapinam firmare studuit, grauiter offenderat Antiochenam Ecclesiam: Et licèt isthìc fuisset reiectus, permanebat in rapina. Hinc Eutyches eius animum sperauit aduersum à Domno, ideòque sibi facilè inclinandum. An Anastasium Thessalonicensem inuocauerit, est incertum. Etiam in hoc articulo videtur per suum Monachum fuisse mentitus. Hoc fortiter suadent adducta superiùs Magnificentissimi Florentij: [Turba facta, & dissoluto conuentu, Eutyches dixit ad me silenter, appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium]. Quare, aut Eutyches non adiunxit Thessalonicensem, aut Florentius ista verba non audiuit. Certè audita non tacuisset.

CAPVT III.

Discutiuntur Asserta Petri de Marca circa Romanam Eutychetis appellationem.

Petrus de Marca in septimo libro, licèt Romanas appellationes circa disciplinæ quæstiones tentet auferre, volens talia Prouincialium synodorum iudicia esse suprema, attamen ipsas admittit circa dogmaticas fidei quæstiones, & adiungit causam: [Quoniam conseruatio veræ Religionis spectabat ad Sedē Apostolicā Romæ, hinc factū vt quoties Orientales Episcopi literas episcopi Romani in Orientē deferrent, in quibus cōtineretur eos in communionem fuisse receptos, Sedibus suis restituerentur ab episcopis Catholicis, cuius rei exstant exempla valdè illustria, Non loquor de Athanasio, alijsque Orientis Episcopis, quorum supra mentionem feci, quoniam causa eorum examinata fuit tanquam ad disciplinam pertineret, tametsi fatendum est habitam quoque fuisse ab Occidentalibus rationem oppressionis, quam episcopi illi patiebantur ob causam fidei. De Eustatio Sebasteno Episcopo loquor, Flauiano, & Theodoreto.] Hos profitetur ad Apostolicam appellasse Sedem, & secundùm canones potuisse appellare. Certè Theodoretus affirmat etiam Iulium Pontificem, dum sancti Athanasij, & aliorum Orientalium Episcoporum appellationem admisit, & executus est, egisse secundùm canones. Cap. 6.

Interim præfatus Archiepiscopus pergit: [Locum inter appellationes ad episcopum Ro-

Romanum non tribuo ei, quæ sub nomine Eutychetis circumfertur post damnationem eius à Flauiano Episcopo Constantinopolitano peractam, tametsi ea vulgò obtrudatur quoties controuersiæ de causa religionis agitantur. Nolim tamen negare, quin Pontificem Romanum appellauerit, sed tamen contendo non ad solùm Romanum Pontificem prouocasse. Exemplum hoc varijs in locis replicæ suæ laudat Illustrissimus Cardinalis Perronius, & appellationem illam Eutychetis probare se putat authoritate epistolæ S. Leonis ad Flauianum.] Adducit epistolæ verba, & prosequitur: [Verùm quia appellatio illa non dicitur facta esse ad Apostolicam Sedem, vt probationem impleat Perronius, addit authoritatem Flauiani, Leoni respondentis.] Adducit superiùs item laudata S. Flauiani verba, & pergit: [Sed ex verbis illis colligi non potest appellatas non fuisse reliquas Sedes. Sanè dissimulanda] non est veritas. Appellauit enim Eutyches synodos, Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Thessalonicensem, sed clanculùm, & in aurem Patritij Florentij, post iudicium factum, & post solutam synodum. Vnde colliguntur duæ egregiæ regulæ. Prima, causam fidei, cum communis sit, & generalis, iudicandam esse à synodis Ecclesiæ vniuersæ, præcipuè verò à Romana, quæ omnium prima est. Tum depositionem hæretici, quæ sequitur ex decisione fidei, definitiuo decreto iudicandam esse ab omnibus, si noua sit hæresis, neque hactenus damnata fuerit ab ecclesia. Secunda verò regula hæc est, appellationes factas ad Patriarchas censeri etiam factas ad eorum synodos, vt constat ex formula appellationis Eutychetis. Non appellauit autem ad synodos Orientis, quod Patriarcha Antiochenus subscripsisset sententiæ Flauiani: Et quod plures Metropolitani Diœceseon, Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ, adessent in concilio Constantinopolitano.

An Eutyches ad solum Leonem Pontificem appellauerit, aut non appellauerit, nihil facit ad dignitatem Sedis Apostolicæ. Satis est quod Petrus Archiepiscopus confiteatur ipsum secundùm canones potuisse appellare. Attamen quædam intermiscet, quæ prætermitti non possint sine examine. Intermiscet, errores. Primus est, quod Illustrissimus Cardinalis Perronius Romanam Eutychetis appellationem non rectè probet ex magni Leonis epistola ad sanctum Flauianum. Etenim Leonis verba sunt lucidissima: [Accepimus libellum Eutychetis Presbyteri, qui se queritur immeritò communione priuatum.] Quem libellum, nisi appellatorium? Et per ipsum Eutyches omninò postulabat retractatorium iudicium, ideòque & sibi restitui sui gradus communionem. Hinc Pontifici misit etiam libellum Eusebij accusatoris, aliaque documenta ad retractationem necessaria. Eadem de causa S. Flauiano mandauit Pontifex, vt synodalia acta referret, vnàque transmitteret aptam, & idoneam personam.

Secundus error est, quod laudatus Cardinalis istam appellationem non rectè etiam probet ex S. Flauiani relatione, & rescripto ad Pontificem. Etenim S. Flauianus per ea ipsa verba, quibus Eutychetem appellasse negat, appellasse confirmat. Quæstio erat de duplici appellatione. Eutyches se, & quidem per libellũ, affirmabat appellasse tempore Constantinopolitani concilij, statim àdata sẽtẽtia, & iã denuò appellabat, & denuò mittebat libellũ, aliaque necessaria. Primus articulus erat splendidum mendacium: Secundus autem erat clara veritas, patens ad oculos. Proinde hanc posteriorem appellationem nequaquam negauit Flauianus, sed studuit euertere. Per tria principia. Primò per suæ sententiæ transitum in rem iudicatam. Secundò per caducum ipsius appellationis fundamentum. Eutyches enim non quasi nouam inchoabat appellationem, sed asserebat se facere prosecutionem, & introductionem illius, quàm in ipsa Flauiani synodo præsens per libellum fecerat, atque ita mendacio destruebat semetipsum. Tertiò per euidentem caducitatem causæ. Flauianus asserebat dogma Eutychetis esse manifestam Apollinarij, aut Valentini in ipso etiam Ephesino concilio nuperrimè damnatam hæresim, ideòque ipsi pœnitendum esse, non appellandum.

Ex quibus lucet, quod S. Flauianus, licèt contra Factum meritò contenderit, omninò tamen agnouerit Ius Romanæ appellationis. Nec enim scripsit istam refugij portam nemini patere, sed duntaxat quod eam sibi ipsi clausisset Eutyches. Euangelicam istam portam est adeò veneratus, vt etiam ipse postmodò in Ephesino Latrocinio fuerit ingressus, à Dioscori, & omnis istius Factionis violentia appellans ad Romanam Ecclesiam. Porrò Eutyches ad Florentij Patritij aures fecit istud ipsum aduersùs iustissimam sententiam, quod aduersùs Theophili Alexandrini violentias fecit S. Ioannes Chrysostomus, [contestans paratum se ad diluenda crimina, & ad innocentiam declarandam coram centum, vel mille episcopis.] Ita ipse scripsit ad S. Innocentium Pontificem. Omni homini familiare est, dum manifestam accipit iniuriam, prouocare ad totum Mundum, vel ad totã ecclesiam. Ita igitur, & Eutyches, sancti Flauiani, cui se æmulum nouerat, ideòque, & ipsum sibi talem suspicabatur, sententia percussus, per subitum impetum appellauit ad generalem totius ecclesiæ synodum, excludens tamen Patriarcham Domnum. Isthæc appellandi forma operabatur illum ipsum effectum, quem hodie operatur appellatio ad quemuis competẽtem iudicem. Faciebat potestatem eligendi quoduis Tribunal competens. At verò mille episcopos, aut quamuis generalem synodum impetrare, aut adunare fuit semper summi moliminis: Porrò Romanæ Ecclesiæ portus omnibus semper patuit. Hinc Sanctus Ioannes Chrysostomus suam appellationem coram ista sola Sede introduxit, & apud ipsam solam est prosecutus Istud ipsum fecit Eutyches, atque ita manifestum est, quod Romam appellauerit. Et forsan ex imitatione S. Ioannis. Nam omnem istam tragædiam proprijs oculis conspexerat.

Tertius Petri de Marca error est, quod causa fidei, dum noua est hæresis, iudicanda, ac definienda sit à synodis vniuersæ ecclesię. Et quod ab eisdem decernenda sit depo-

positio noui hæretici. Etenim Pauli Samosatensis, Montani, Nouatiani, Apollinaris, Iouiniani, Heluidij, Priscilliani, Pelagij, & plurium aliorum nouos errores, ac personas damnauit sola Romana ecclesia, & omnis Christianitas vsque hodie omni cum veneratione acquieuit. Quartus error est, quod Eutychetis hæresis fuerit noua. Etenim S. Flauianus disertè scripsit ab ipso resuscitari Appollinaris hæresim, aut Valentini. Alij crediderunt innouari errorem Manichæi. Delirus enim senex nesciebat quid diceret. Pertinaciter negabat duas naturas, ideòque cogebatur labi in aliquam vetustam hæresim. Eius Sensa inquirere non est huius loci. Quintus error est, quod ad Patriarcham facta appellatio censeatur facta ad eiusdem synodum. Etenim cuncti Patriarchæ plurimas appellatas causas retractarunt, ac definierunt in synodo solius suæ Prouinciæ. Sunt plurima exempla, Nam, & ad retractandam Eutychetis appellationem magnus Leo, ne vel cogitauit conuocare omnem Occidentis Ecclesiam. Quis vnquam Pontifex ad talem caussam euocauit Africanos Episcopos, aut Illyricianos? Quin tales causas quandoque deciderunt in suo Presbyterio. Sextus error est, quod duæ istæ regulæ rectè statuantur ex facto Eutychetis. Etenim Eutyches fuit imperitus Monachus, obnoxius parœmiæ: [Imperitia est mater audaciæ.] Hinc eius facta fuerunt inepta ad statuendas regulas. Septimus error est, quod Eutyches non appellauerit ad Orientales synodos, quoniam Patriarcha Antiochenus subscripsisset sententiæ Flauiani Etenim Domnus isti sententiæ nunquam subscripsit. Nescio quis codex possit circumscripsisse Parisiensem Archiepiscopum. Octauus error est, quod Asiatica, Pontica, ac Thracica Diœceses tunc spectarent, aut nunquam spectauerint ad synodos Orientis. Olim fuerunt Autocephalæ. Porrò ad ipsas non prouocauit Eutyches, quod eas tunc subiugasset Constantinopolitanus Episcopus, & compulisset ad suam synodum.

CAPVT IV.

Discutiuntur quædam Asserta Reuerendi Patris Paschasij Quesnelli.

PAschasius Quesnellus in Dissertatione de causa Eutychetis ad vigesimam primam sancti Leonis epistolam agit Apologum sui dilectissimi Petri de Marca aduersùs Ioannem Dauid. Profitetur Romanas Orientalium Episcoporum, & Clericorum appellationes esse excellentem Apostolicæ Sedis Prærogatiuam, & adiungit: [Absit vt ego inuideam, cuius potiùs auctoritatem, Eminentiamque, sacrosanctis firmatam canonibus, toto animo tueri, ac propugnare velim. Verùm vt immota, & inconcussa manent fundamenta vera, quibus Apostolici Primatus moles incumbit, sic per se ruere necesse est infirma illa, & fucata argumenta, quibus præpostero quorumdam studio fulciri solet; quorum inanitatem quisquis retegere satagit is profectò non minimam à Sede Apostolica gratiam inierit.] Zelosus Apostolicæ Sedis Dilector per Galliam, per Hispaniam, per Africam, per omnem Orientem quærit Romanæ appellationis, adeòque, & Romani Primatus exempla, ac fundamenta, & non inuenit, nisi infirma, & fucata: Præpostera quorumdam studia, inania fulcimenta. Permittat vti verbis sancti Cyrilli ad Patriarcham Nestorium: [Ecquid nunc, obsecro, consilij capiam? Namque à tua pietate consilium petere compellor.] Certè opinabor, quod Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus istum Primatum non credat.

Hinc enim pergit: [Hoc igitur censeo nihil ex hac vtraque Leonis epistola haberi, quo validè comprobetur Romanum Pontificem seorsim, ac separatim ab alijs Patriarchis, Maiorumque Diœcesion episcopis, ab Eutychete fuisse appellatum.] Istud probat ex supra adductis Iuliani Coensis, & aliorum episcoporum testimonijs, atque adiungit: [Etsi autem falsum sit Eutychetem appellasse dum legeretur damnatio, veri tamen aliquid ex eius mendacio elicimus. Dum enim suggerit Constantino Monacho verba, quæ appellationis suæ formulam continerent, non alia suggessisse credendus est vir sagacissimus, quàm quibus appellatio concipi solita erat.] Confirmat Petrum de Marca, qui ex clandestina, ac præcipitata Eutychetis appellatione vult colligi duas egregias totius ecclesiæ directiuas regulas. Insuper vt Romanam Ecclesiam spoliet, Eutychetem transformat in virum sagacissimum. Verùm longè alijs coloribus hominem exhibet S. Leo. In dogmaticis ad S. Flauianum literis scribit esse [multum imprudentem, nimis imperitum,] lapsum in insipientiâ. In literis ad Anastasium Thessalonicensem episcopum appellat [imperitissimum senem.] in literis ad S. Paschasinum Lilybeti episcopum scribit esse [dementem, & hominem stultissimum.] Et ecce, vt Romanæ Ecclesiæ Primatum arietare adiuuet, fucatur in virum sagacissimum. Porrò Eutychetis appellatio fuit duplex, aut certè iterata. Quidquid fuerit, imperitus senex omnem, & hæresi, & mendacio reddidit friuolam, atque inutilem. Ep. 24. c. 1. Ep. 43. c. 1. Epist. 68. Cap. 1. 2.

De ipsa, post variè percussum Ioannem Dauid, Paschasius Quesnellus pergit: [Iam verò, quod ad S. Flauiani verba attinet, & quæ verbis Constantini opponuntur, & in quibus præter vnum Leonem nullus alius nominatur, ad quem Eutyches appellarit, non est operosum respondere. Id enim non aliam ob causam factum est, quàm quod solum Leonem tunc alloqueretur, eumdemque solùm nominaret Hæresiarcha, cum ad eum scriberet,] tanquam per falsitatem mendacij subrepere se sanctis Leonis auribus putans, [vt scribit ipse Flauianus ad S. Leonem. Et quia inter Patriarchas, ac Metropolitanos, ad quorum Concilium appellatum esse prædicabat, eminebat sine controuersia, idque iure multiplici S. Leo: Vt qui, & Primatum in ecclesia tenebat, & totius, ad quam appellabatur, synodi caput erat.]

Respondeo dandam esse rationem, ex qua Eutyches appellationem suam, quam ad tres Patriarchas interiecerat, introduxerit coram solo Papa Leone. Nec enim tunc po-

stulauit generalem Synodum, sed cum omnibus suæ appellationis solemnibus processit ad solum Papam. Etiam sanctus Flauianus nec de generalis Synodi necessitate, nec de inuocatis pluribus Patriarchis, sed intercessit, & excepit de Eutychetis, qui se in ipsa Synodo per libellum prouocasse allegarat, dumtaxàt mendacio, & manifesta hæresi. Ex his solis principijs prætendit suum synodale Iudicium esse firmum, & non posse concuti. Similiter ipse magnus Leo, post interiectam à suo etiam Tribunali appellationem, assiduè ad Imperatorem Theodosium, ad Dominam Pulcheriam, & ad alios Imperij Primates clamauit huic quæstioni non esse necessariam Oecumenicam Synodum, ideòque suam Sedem sufficere. Et ante istam appellationem sanctus Flauianus ad ipsum scripserat: [Sanctissime Pater, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundùm quod Sacerdotio competit. Decernere damnationem aduersùs eum regulariter factam per propria Scripta dignare. Et confortare nostri Imperatoris fidem. Causa eget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic hæresis, & turbæ facillimè destruentur per vestras sacratissimas literas. Remouebitur & Concilium, quod fieri diuulgatur.] Adeò Flauianus credebat Leoni ad istius causæ retractationem non esse opus Oecumenica Synodo. Profitetur sufficere solum Leonis Sacerdotium. Ab illo supplicabat decerni suum iudicium fuisse regulariter factum. Hoc est, confirmari. Certè talia ad vllum Patriarcham nec scripsit, nec scribere potuit. Proindè hæc omnia fundantur non in Eutychetis ad solum Leonem alloquio, sed in Leonis Sacerdotio: In eius Romano Primatu.

Redeo ad Eutychetem. Cur ipse appellationem, quam ad tres Patriarchas interiecerat, coram solo Leone studuit introducere? Cur, dum Alexandriam accessit, non postulauit causam suam retractari à Dioscoro, ac sibi per ipsum reddi communionem? Quare Dioscorus istud non attentauit? Quia nouerat acta sui Decessoris Cyrilli, qui grassante Nestorio, & per Dorotheum Martianopolitanum episcopum, coram se in plena Synaxi dicentem, [Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit,] anathematizante omnem Ecclesiam, Constantinopolim scripserat ad nescio quem amicum: [Quid vetabat & nos quoque vocibus illius contraria scribere, & dicere anathema, Si quis Mariam Deiparam esse negauerit? Verùm id hactenùs propter illum facere nolui, ne sint, qui episcopum Alexandrinum, Ægyptiamue Synodum anathematis sententiam in Nestorium tulisse dicant.] Quod nempè Alexandrinus Patriarcha nihil potestatis habeat in Thracicam Diœcesim. Exstat epistola in prima parte Ephesini Concilij. Dioscorus item nouerat acta sui Prædecessoris Theophili, qui ad sanctum Ioannem Chrysostomum, suæ causæ cognoscendæ delegatum ab Imperatore Arcadio, scripsit: [Arbitror te non ignorare, quid præcipiant Nicæni Canones, sancientes episcopum non iudicare causam citrà terminos suos. Si autem ignoras, disce: Et libellos contra me suscipere desine.] Et sanctus Ioannes acquieuit. Et eadem exceptione postmodò vsus fuit aduersùs Theophili attentata in Synodo ad Quercum. Ista epistola exstat in Dialogo Palladij Helenopolitani episcopi cum Theodoro Diacono Romanæ Ecclesiæ. Similiter Eutyches nouerat, & suis oculis viderat, quod laudatus Ioannes suam ad mille episcopos interiectam appellationem postmodò introduxerit coram solo Papa Innocentio. Etiam nouerat, & viderat Patriarcham Nestorium fuisse damnatum à solo Papa Cœlestino. Et damnatos ab ipso clericos ad hunc solum prouocasse, & fuisse solemniter, ac plenè reparatos. Nouerat Primatum Romanæ Ecclesiæ. Nouerat & auersissimum Leonis à Nestorio animum. Ad eius enim, Archidiaconi tunc Romanæ Ecclesiæ, iussum Ioannes Cassianus, Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ sub sancto Ioanne Chrysostomo presbyter, composuerat septem eruditissimos libros contra Nestorium: Et propter ipsos Leo illum, à Semipelagianis auulsum, reddiderat plenæ gratiæ Romanorum Pontificum. Eutyches item non dubitabat de sancti Leonis in se beneuolentia. Propter nuperas ad se literas. Etiam nouerat generalem Synodum esse rem magni molimінis: Faciliorem inuocari, quàm impetrari. Hæ igitur sunt rationes, ob quas Eutyches debuit, ac maluit suam appellationem introducere ad Tribunal solius Leonis. Sperabat & se, & Flauianum ab ipso tractandos, quomodo & Nestorium, & damnatos ab ipso clericos tractari viderat à sancto Cœlestino. Porrò Romanum Primatum profiteri oportet non verbo, & lingua, sed opere & veritate. Quid sibi volunt hæc verba? [Leo eminebat sine controuersia. Idque iure multiplici. Tenebat Primatum Ecclesiæ. Erat caput totius Synodi.] Etenim si à Synodis ad Papam appellari non possit, & ipse super eas non habeat potentiam, est Primas, & Caput sine auctoritate: Primas, & Caput solo loco, & honore. Et hoc est Dogma Eusebianæ Factionis, Photiani schismatis, & Marci Antonij de Dominis.

Paschasius Quesnellus prosequitur: [Licèt idem Pontifex totam ad se causam [illegible] traxisse videatur, cum & de singulis i[illegible] postulat, & de Flauiani silentio conque[illegible] non ità tamen est re ipsa. Similiter e[illegible] aliorum episcoporum quilibet, ad cuius sententiam per appellationis libellum prouocaretur, & de negotio instrui postularet, & de silentio querelas moueret. Meritò ergo & potiori iure totius Facti rationem, ac notitiam volebat sibi Leo deferri. Et quidem primitùs: Vtpotè Primati, cui de eo cum cæteris, ac præ cæteris decernendum erat, si appellationi locus dabatur.] Quoniam, inquit ipse Pontifex ad Flauianum, nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiusquam partis præiudicium definire, priusquam vniuersa, quæ gesta sunt, veraciter audiamus. [Hæc verba sunt hominis non sibi vni ius ferendæ sententiæ arrogantis, sed prudentis, oculati, æquissimique Iudicis, qui suum, causa incognita, temerè nolit conferre suffragium. Sed quid soluendis huiusmodi argumen-

Cap. 13.

mentis ex ipso Leone petitis tempus terimus? Non quærimus in hac præsenti causa, an Leo sibi prærogatiuam illam vindicarit, sed vtrum de facto Eutyches appellarit? Et vtrùm ad solum Romanum Pontificem? Quod quidem si egisset, vt actum esse ab eo existimauit sanctus Leo ex eius callido, mendacique libello, non esset quod miraremur Eutychetem Romanam Sedem appellantem à Romano Pontifice vltrò esse susceptum: Præsertim cùm de Nicæna fide agi videretur, cui tam Eutyches ipse, quàm eius accusator, se indiuulsè profitebatur inhærere. Romani enim Præsulis, tamquam Capitis episcopalis Coronæ, hæ sunt præcipuæ partes, vt è prima Cathedra, tamquam è specula, confirmationi Canonum inuigilet, fideique Catholicæ custodem agat.]

Errores varij. Primus est, quod S. Leo totam causam ad se non pertraxerit. Etenim appellatorio Eutychetis, & accusatorio Eusebij libello, alijsque per Eutychetem adiunctis causæ documentis non contentus Flauianum arguit de non facta relatione, ipsamque iussit mox fieri, & simul transmitti idoneam personam. Vtique responsalem in retractatorio iudicio. Secundus error est, quod etiam alij episcopi potuerint ab Eutychete per appellationis libellum inuocari. Etenim doceri velim exemplum, in quo damnatus à sua Synodo episcopus prouocarit non ad Papam sed ad alium Metropolitam, aut Patriarcham. Exemplum, in quo quis Patriarcha alieni Diœcesani appellationem admiserit, retractarit, definiuerit. Tertius error est, quod aliorum episcoporum quilibet, dum per appellationem inuocatur, possit postulare instructionem causæ, ac de relationis silentio mouere querelas. Palàm hoc demonstrat ipse hæresiarcha Nestorius, quem Iulianus Eclanensis, alijque istius fæcis per Romanam Ecclesiam degradati, ac extrà Italiam proscripti episcopi inuocabant assiduis gemitibus, ac fletibus, iurantes se temporibus Christianis pati persecutionem, atque iniuriam. Erat Regiæ ciuitatis episcopus, ideòque ex officio debebat omnem aduenam episcopum introducere ad Principem, & ante introductionem discutere personam, & causam. Proindè habebat aliquid iuris, ex quo postularet de Iuliano, & asseclis instrui. Et tamen literis, per quas à Cœlestino Pontifice doceri supplicabat, adiunxit: Rebus ostendimus, quia fraterno amore negotium eorum nosse cupimus, non desiderio curiositatis importunæ. Et in alia epistola: Considera quid pati necesse sit Regiæ ciuitatis episcopum, [si negotium prædictorum virorum nesciat, timeatque nimis, ne additamentum hæreticorum per ignorantiam faciat. Vnde rogo, vt vndique studiosum sit sanctæ animæ tuæ donare notitiam prædictorum virorum, maximè cùm literarum sequester Valerius Cubicularius possit Beatitudini tuæ per se exponere eorum molestias.] Non iubet, non expostulat, sed humillimè supplicat, altèque clamat nullam sibi posse de relationis silentio esse querelam. Insuper studiosè se purgat de curiositate. Quæ omnia longè fortiori iure cadunt in aliarum, etiam Patriarchalium, Ecclesiarum episcopos. Etenim Apostolica traditio ad nullam Ecclesiam ab omnibus sub cœlo alijs referri iussit, nisi ad solam Romanam. Aliam Hierarchiam in Christi Ecclesia vsque huc non vidimus. Isthæc fabella, nisi mea peccata faciant me mente cœcum, omnes episcopos palàm facit æquales, & nos cogit ad Marcum Antonium de Dominis.

Quartus error est, quod sanctus Leo non solus, sed cum cæteris Patriarchis, ac Episcopis debuerit hanc causam retractare, ac definire. Etenim hesterna tunc, quæ omnis sub cœlo comprobauit Ecclesia, sancti Cœlestini Pontificis aduersùs Nestorium acta demonstrant, & clamant oppositum. Post acceptas Hæresiarchæ Exegeses, eiusdemquo, ac item sancti Cyrilli de ipso literas, laudatus Pontifex Cyrillo rescripsit: [Quamobrem nostræ Sedis auctoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque requisita seueritate sententiam exequeris. Nempè vt nisi decem dierum interuallo, ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, illicò Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.] Vtique procedendo ad creationem noui episcopi. Notanda sunt verba: Nostræ Sedis auctoritate. Nostra vice, & loco cum potestate. Cœlestinus ista fecit ad has synodales preces S. Cyrilli: [Non priùs Nestorij communionem palàm, apertèque deseruimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hinc sentias perscribere. Quò liquidò nobis constet, an communicare nos cum illo oporteat, an verò ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet, ac prædicat. Porrò tuæ Integritatis mens, & super hac re sententia pijssimis, ac Deo deuotissimis Macedoniæ episcopis, necnon totius Orientis antistitibus perspicuè per literas exponi debet. Vt omnes vno animo in vna sententia persistant, rectæque fidei, quæ iam impugnatur, opem ferant.] Non agit de iudiciali damnatione, sed de sola desertione communionis: Et tam ipse, quàm eius Synodus tantam Apostolicæ Sedi deferunt reuerentiam, vt nec hanc inchoare præsumpserint, aut præsumant, nisi ex Iudicio. Et spondent non solùm sese, sed insuper Macedoniæ episcopos, ac omnem Orientis Patriarchatum isti Iudicio promptè parituros. Hinc suis literis Papa subiunxit: [Eadem hæc ad sanctos quoque Fratres, & Coepiscopos nostros, Ioannem Antiochenum, Rufum Thessalonicensem, Iuuenalem Hierosolymitanum, & Flauianum Philippensem, perscripsimus, quo nostra, immò Domini nostri Iesu Christi sententia pluribus de eo sit manifesta.] Epistola insuper habet hanc subnotationem: [Hæc epistola in Synodo Ephesina lecta est post depositiones contra epistolam Nestorij factas. Quæ & relata est in Commentarios.] Vtpotè probata per omnem Synodum. Ex quibus patentissimè lucet, quod omnis tunc sub cœlo ecclesia firmissimè crediderit, ac docuerit Apostolicæ Sedi esse plenam auctoritatem, ex qua possit sola sine generali Synodo damnare nouas hæreses, & ipsarum Auctores, licèt Patriarchas, degradare. Etiam in prima instantia. Quantò magis in retractatorio Iudicio? Quarè

rè

rè notanda sunt hæc Paschasij Quesnelli verba: [Si appellationi locus dabatur.] Videntur edicere, quod Magnus Leo ne quidem appellationis merita solus discutere, & ipsam admittere potuerit, longè minùs retractare, ac definire. Verùm longè aliud sensit Magnus Leo. Discussit, ac definiuit omnia per suum Dogmaticum tomum, quem veneratur omnis sub cœlo Ecclesia. Et quis dicat laudata eius ad Flauianum verba esse hominis sibi soli non adscribentis ius ferendæ sententiæ? Certè oporteret de istiusmodi nugamentis pudefieri. Porrò libenter fateor parùm referre, an Eutyches Romam appellauerit. Paschasius Quesnellus candidè profiteatur istam Romanæ Ecclesiæ dignitatem, & libens tacuero de Eutychete.

Non libet inania verba describere. Adducam sola detegendis erroribus necessaria. Paschasius itaq; Quesnellus de facta tandē per sanctum Flauianum ad Pontificem relatione, & transmissis Synodalibus, circa Eutychetem actis plurima loquitur, & quærit: [Sed quo fine, quo consilio? An vt relationis necessariæ debitum persolueret? Hoc ex eius verbis non elucet. Et quidem etsi hoc in maioribus causis, qualis est causa Hæresiarchę, nouum errorem per Ecclesiam spargentis, præstari solitum esset ab episcopis, necesse tamen non erat, cum de aliquo, seu Laico, seu Clerico, non nouę hæresis Auctore, sed antiquæ, iamque proscriptæ Propagatore agebatur, qualis tunc existimabatur Eutyches, & postmodùm etiam à Leone appellatus est.] Affirmat Flauianum non debuisse referre, ideoque immeritò fuisse à Pontifice reprehensum de negligentia. Eò quod Eutychetis hæresis esset, aut certè tunc crederetur esse antiqua, per Constantinopolitanam Synodum damnata in Apollinario.

Respondeo Apostolicam, à Sardicensi Synodo stabilitam, Romanæ relationis consuetudinem fuisse semper longè aliter intellectam ob omni Ecclesia. Etenim de S. Theodoto Patriarcha Antiocheno, Pelagianam hæresim iam sæpiùs damnatam denuò damnante, scribit in Commonitorio super Celestij nomine Marius Mercator: [Pelagius postmodùm euidenter deprehensus, insistentibus Accusatoribus, à posteriori Synodo, cui sanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præsedit episcopus, atque detectus, à sanctis quoque & Venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus. Quod eiusdem sancti Theodoti ad Reuerendissimum Vrbis Romæ episcopū, & sanctæ recordationis Praylij Hierosolymitani episcopi missa scripta testantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.] De eodem Pelagio, ac eius præsertim discipulo Cęlestio, ad Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum, qui de ipsorum causa rogauerat instrui, rescripsit sanctus Papa Cælestinus: [Cur ea, quæ in hos tunc sunt acta, quæruntur, cum certum sit illinc ad nos à Catholico, tunc Antistite Attico Gesta directa?] Pelagiana hæresis erat tunc omninò damnata. Exstat epistola in prima parte Ephesini Concilij. In literis ad Orientales episcopos sanctus Papa Gelasius multis demonstrat omnes episcoporum, etiā ob antiquam, ac damnatam hæresim damnationes debere, ac semper debuisse referri Romam, & adiungit: [Quos si à fide integra, communioneque Catholica putaretis errare, ad Apostolicam Sedem, secundùm Scita Maiorum, & sicut semper factū est, referre debuistis, sicut de Petro Alexandrino, vel de Antiocheno Petro, de Ioanne, & Paulo, fecisse mōstratur Acacius] Cōstantinopolitanus episcopus, qui adhuc Orthodoxus Petri Mogi, & Petri Cnaphei, aliorumq; ob iam pridem à Chalcedonensi Synodo damnatam hęresim episcoporum damnationem retulerat ad Sedē Apostolicam. Secundùm Scita Maiorum. Et sicut semper fuerat factū. Et in literis ad Dardanię episcopos laudat, quod idem Catholicus adhuc Acacius omnia Imperatoris Basilisci pro Eutychiana hæresi tentamina Sedi Apostolicæ retulisset. Et affirmat sic oportuisse. In prioribus literis adiungit rationem: [Cum nouę causę, & noua rerum facies apparerent.] Prior post Theodosiani Codicis appēdicem, posterior epistola exstat in antiquo Canonum Codice Romanæ Ecclesiæ.

At verò quis nesciat, quod Eutyches Apollinarij erroribus dederit nouam faciem? Quin immò eructauit noua additamenta, quæ vicinam quidem, diuersam tamen fecerunt hæresim ab erroribus Apollinarij. Homo imperitus nesciuit quid garriret. Non ipse, sed eius Sectatores quid simile fecerunt circà Apollinarium, quale quid fecit Nestorius circà Paulum Samosatenum. Eusebius Scholasticus, qui postmodò fuit Dorylæi episcopus, aduersùs Nestorium, aperta iam facie insanientem, Constantinopoli posuit Contestatorium libellum, in quo asseruit, ac demonstrare studuit ipsum per omnia errare cum præfato Paulo. Quod ipsum senserunt plures alij. At verò de Romana S. Cœlestini aduersùs Nestorium Synodo scribit ad Ioannem Antiochiæ Patriarcham S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: [Synodus palàm asseruit Nestorium nouam, eamque peruersissimam, & à nullo veterum hæreticorum anteà vnquàm excogitatam hæresim esse molitum.] Epistola exstat in prima parte Ephesini Concilij. At verò longè maior est distantia inter Apollinarium & Eutychetem, quàm sit inter Paulum & Nestorium. Cap. 21.

Quidquid sit, non soli nouarum hæresion Auctores, sed etiam vetustarum, iam extinctarum, resuscitatores sunt omninò, etiam secundùm istam Paschasij Quesnelli caducam regulam, referendi ad Sedem Apostolicam. Porrò de Apollinarij Secta scribit in ecclesiastica Historia Theodoretus: [Antiochiæ Domino Alexandro,] qui Eustatianum, id est, ex Ariana contrà sanctum Patriarcham Eustatium rebellione natum schisma extinxerat, [vita defuncto, Theodotus, continentiæ velut margarita, ecclesiæ præsulatum obtinuit. Vir mansuetudine insignis, & accurata vitæ institutione egregiè exornatus. Qui Sectam Apollinarem, oratam, vt se cum reliquo Christi grege iungeret, cæteris ecclesiæ ouibus aggregauit.] Eutyches igitur, licèt nouam forsitan non excitarit, tamen antiquam, plenè sepultam, ac redactam in cineres, resuscitauit, ac reformauit hæresim, idcòque ipsum omnis semper Ecclesia numerauit inter Hæresiarchas. Et Lib. 5. c. 36.

vix vlla hæresis ità turbauit, & maculauit ecclesias. S. Anastasius Sinaita rectè affirmat fuisse bestiam decicornem, cuius vnumquodque caput fuit venenosissima hydra.

Quid opus multis? Licèt Imperator Theodosius fuerit scientia modicus, eius tamen Secretarij, & publicarum rerum Gestores fuerunt peritissimi. Non solarum legum, sed etiam sacrorum Canonum. Et hi iudicarunt Eutychetis causam referendam Sedi Apostolicæ: Et Dominum suum permouerunt ad referendum. Et ipse S. Leo Flauiano non supplicauit, nec se excusauit de curiositate, vti de Pelagianorum actis instructionem postulans fecit apud Cœlestinum Nestorius, sed ex sancti Petri Apostoli priuilegio, ac sui Primatus auctoritate scripsit: [Facti tui nosse volumus rationem, & vsque ad nostram notitiam cuncta deferri.] Et iterùm: [Fraternis tua per idoneam maximè, aptamque personam nobis Relatione significet, quid contrà antiquam fidem nouitatis emerserit, quod seueriori sententia dignum fuerit vindicari.] Et rursùs: [Quia dilectio tua de tanta causa, nos videt necessariò esse sollicitos, quàm plenissimè, & lucidè vniuersa nobis, quod anteà facere debuit, indicare festinet.] Et in literis ad Imperatorē Theodosium: Ad Fratrem Flauianū Episcopū literas dedi, quibus mihi displicere cognosceret, quod ea, quę in tanta causa gesta fuerant, etiā nunc silentio reticeret, cum studiosè debuerit primitùs nobis cuncta reserare.] Primitùs: Statim post Episcopale Iudicium. Non dumtaxat ante Principem, sed etiam ante appellantem Eutychetem. Iuxtà Canones Sardicenses. Quis non videat hæc esse verba Exarchi ad Subditum? Quis dubitare possit ab eis vrgeri relationis debitum, ac rigidissimam obligationem? Audi causam: [Quoniam nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, in cuiusquàm partis præiudicium definire, priusquàm vniuersa, quæ gesta sunt, audiamus.] Paschasius Quesnellus commentatur: [Hæc verba sunt hominis non sibi vni ius omne ferendæ sententiæ arrogantis, sed prudentis, oculati, æquissimique Iudicis, qui suum, causa incognita, temerè nolit conferre suffragium.] Nugamenta. Pontifex palàm dicit se solum velle audire, iudicare, ac definire. Nec enim ad generalem Synodum, in qua relationem cum suffragij prærogatiua Pontifex habet, sed ad solam Apostolicam Sedem Eutyches tunc appellabat, ideòque Pontifex in solo suo Presbyterio, aut certè in sola suæ Prouinciæ Synodo poterat causam audire, & definire.

P. Quesnellus pergit: [Fortè scripsit ad Leonem Flauianus, eique acta aduersùs Eutychem transmisit, vt ab eo confirmationis robur acciperent? At de hoc ne apex quidem conspicitur.] Et supra: [Censuitnè Flauianus Concilij sui de Eutyche sentētiam ad Leonem mittendam, necessumnè esse, vt si ab eo comprobaretur, maneret; si reprobaretur, euanesceret? Nihil certè tale apparet in vtraque eius epistola. Nihil ab eodem actum legitur, quod huic opinioni, vel minimùm suffragetur.] Et probat hæc ex sancti Flauiani epistola: [Gesta, quæ dudùm de Eutyche confecta sunt, misimus ad vestram Beatitudinem, in quibus eum de talibus conuictum, & à Presbyterio, & à monasterij administratione, & à communione nostra abiecimus, vt Sanctitas vestra cognoscens, quæ circà illum acta sunt, omnibus episcopis sub Beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem. Ne nescientes aliqui, quid ille senserit, & de quibus conuictus, quasi cum consorte fidei, vel per literas, vel per aliquod aliud commercium agere videantur.] Et concludit: [Res plana est, nec Interprete indigens. Decretoriam quippè nouerat Concilij Constantinopolitani, cui præfuerat, sententiam, nec operosa inquisitione opus esse, cùm declarandum tantùm esset, homuncionem istum, impia Apollinaris, & Valentini dogmata, & in Oecumenica iam dudùm Synodo damnata renouantem, à communione ecclesiæ, & ministerio esse segregatum.]

Respondeo dolendum esse, quod Reu. Pater Paschasius Quesnellus in tanti momenti articulo non agat ex fide, sed Lectoris simplicitatē studeat circumscribere. Etenim habemus duas S. Flauiani ad Magnum Leonem epistolas: Et vtraq; est suo tempori assignāda. Posterior, cuius hìc verba laudantur, scripta est post retractatum, & confirmatū S. Flauiani à Pontifice iudicium, ideòq; confirmationem non supplicat, sed executionem. Supplicat super Eutychetis nomine, & super suo circà ipsum iam confirmato iudicio fieri tractoriam, & dirigi ad omnes Ecclesias Romani Patriarchatus. Prior epistola, seu relatio omninò supplicauit confirmationem. Verba sunt plana, & non indigentia Interprete: [Commotus itaque, Sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab Eutyche præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos, & sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt, pro consueta fiducia age fiducialiter, secundùm quod Sacerdotio competit, propriamque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersùs eum regulariter factam, & per propria Scripta dignare. Confortare autem, & pijssimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim indiget solummodò vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante, per vestras sacratissimas literas. Remouebitur autem, & Concilium, quod fieri diuulgatur.] Quid est communem causam facere propriā, & per propria Scripta decernere Eutychetis damnationem esse factam regulariter? Certè non est aliud, quàm Flauiani Synodum confirmare. Hoc est ex consueta fiducia agere, secundùm quod competit Romano Sacerdotio. Hoc est Apostolicæ Sedis solatium, atque defensio. Istas sacratissimas Apostolicæ confirmationis literas Flauianus spondet fore tantæ auctoritatis, vt Imperatoris, Eutycheti palàm fauentis, fidem confortent, & ab Hæresiarcha diuertant; vt Constantinopolitanæ Ecclesiæ reddant priorem tranquillitatem, & pacem; vt hæresim & eius turbas destruant; vt remoueant Generale Conciliū,

quod Hæresiarchæ ferebatur à Principe esse promissum. Et quod sanctus Leo postulatam confirmationem dederit, demonstrant dogmaticus eius tomus, & authenticum testimonium Victoris episcopi Tonnonensis. Accedit authenticum testimonium Leontij Scholastici Byzantini in libro de Sectis: [Eutyche ab officio remoto, Flauianus ad Leonem Romanum Episcopum de huius depositione perscribit. Respondet Leo ritè depositionem illam esse factam. Quæ quidem epistola tomus Leonis appellari solet.]

Act. 4.

Imperitus Eutyches per mendacem suam Romanam appellationem sperauerat sanctum Flauianum, & se ab ipso degradatum, tractandos à sancto Leone, quomodò Nestorium, ac damnatos ab ipso, ac Ciuitate eiectos clericos, tractari viderat à S.Pontifice Cęlestino, adeòque sperauerat rescribi ad Flauianum, quod ad Nestorium Cęlestinus rescripserat: [Audio vim maximam sustinere clericos catholicè sentientes, quibus nos communicamus. Lętamur eos prēmium confessionis acquirere, sed dolemus quod episcopo persequente.] At eius spes lapsa est in contrarium latus. Hinc, & ipse vela vertit. Nestorium imitatus prouocauit ad generale Concilium, & suo Dioscoro impetrare studuit istud ipsum, de quo etiam per Nestorium tentato scripsit ad suos in Regia Ciuitate diuersantes clericos S.Cyrillus: [Neque tamen miser ille, licèt complures, & graues viri eius opera nos accusaturi essent, rerum nostrarum Iudicem fore se speret, quamuis Iure Amphictyonum hoc sibi demandari faciat. Nos enim istuc venientes ab eius iudicio prouocabimus, etsi Deo placuerit, ipse de suis blasphemijs in iudicio respondere cogetur. [Facinorosus Eutyches non solummodò S.Flauianum, sed etiam Pontificem Leonem per complures, & graues viros apud Imperatoris Theodosij ignauiam curauit accusari, atque ità per Amphictyonum artes extorsit tantum Pontificem excludi à futuræ synodi præsidentia, ac ipsam deuolui in suum Dioscorum. Quæ omnia videns Leo, pro sua consueta fiducia, secundùm quod competebat Romanæ Sedis Sacerdotio, fiducialiter egit, & non obstante hæretici appellatione, Flauiani iudicium confirmauit. Et hac fiducia animatus Flauianus expostulauit aliam: Nempè vt Pontifex pro communi iam iudicio formaret tractoriam, & transmitteret per omnem suum Patriarchatum. Verùm hæc consilia non placuere Pontifici. Haud dubiè ob reuerentiam Principis. Ne praui ministri ipsum arietarent ad sæuiendum in Flauianum, sicut antea pro Nestorio circumscriptus sæuierat in S.Cyrillum. Leo itaque Flauiano rescripsit rem esse lucidam, ipsum animauit ad aliquid patientiæ, & conclusit. [Si hi, qui in senectute carnis suæ sunt mente paruuli, deposita imperitiæ suæ vanitate resipiscunt, omnique errore damnato fidem veram, singularemque suscipiunt, misericordiæ eisdem beneuolentia non negetur, mansuro iudicio, quod præcessit, si impietas meritò condemnata in sua prauitate perstiterit.] Postulatam à Flauiano executionem censuit suspendendam, vsque ad euentum Synodi. Notanda sunt verba: [Mansuro iudicio, quod præcessit. Impietas meritò condemnata.] Palàm laudant Flauiani iudicium, & ipsum denuò confirmant. Hic est verus causæ decursus, vera Sensa Leonis, ac Flauiani.

Paschasij Quesnelli fabula sibi ipsi non cohæret. Lucet ex his eius verbis: [Iam verò monitus à Leone Flauianus quid extrema epistolæ suæ parte responderit, operæ pretium est contemplari. Intellexit ex eius verbis ipsum, Eutychetis appellatione cognita, nouo se examini, iudicioque accingere. Quod omninò superfluum cum agnosceret, hoc ipsum, & persuadere satagit Romano Pontifici.] Disertè profitetur, quod magnus Leo ad retractatorium appellationis examen, ac Iudicium se accinxerit. Aut igitur istud ex suæ Sedis priuilegio potuit, aut non potuit. Si potuerit, S.Petrus obtinet causam; si non potuerit, necesse est, vt Paschasius Quesnellus cum Marco Antonio de Dominis denuò scribat tantum Pontificem fuisse alieni iuris peruasorem. Certè S.Flauiano nihil tale cecidit in cogitatum. Et ipse Eutyches, iterùm repeto, ea ipsa spe inuocauit Magnum Leonem, ex qua degradati per Nestorium clerici nuperrimè inuocauerant S.Cœlestinum. Ex spe obtinendi à S. Petri priuilegio solutionem iniectorum vinculorum.

Paschasius Quesnellus prosequitur: [Flauianus ergò Leonem monet primò, ne se hominis callidissimi technis, & fraudibus circumueniri sinat. Tùm innuit non minùs ardenti zelo adlaborandum esse Romano Pontifici, vt sententia Orientalium Episcoporum plenum sortiatur effectum, quàm si eam ipse tulisset. Cum enim Ecclesiæ, quæ vna est, Episcopatus quoque sit vnus, qui vni quoque fidei vbique inuigilet, omnium longè latèque positarum iudicia ecclesiarum sua facere quemque episcopum debere, probè intelligebat, si nimirùm nihil contra regulam, rece postulat Canones perpetratum est. Tertiò postulat, vt damnationem Eutychetis omnibus notam faciat suarum partium Sacerdotibus. Quartò, cum ea regulariter, & canonicè facta sit, retractationi, seu iterato examini locum non esse, causamque egere non noua disceptatione, nouoque iudicio, sed Pontificis solummodò apud Imperatorem sollicitudine, & cohortatione, ne ecclesiarum pax turbaretur, aut aliquod crearetur ab eo contra fidem præiudicium, si Eutychis patrocinium, Aulicorum quorumdam impulsu, incautus susciperet.] Adducit superiùs à me laudata è prioribus S.Flauiani literis verba, & commentatur: [Postulat ergò Flauianus Leonis non iudicium, sed solatium; non sententiam sed literas; defensionem, non confirmationem; propria scripta, non synodalia Decreta. Quia intorto semel in Eutychem anathemate per episcopale iudicium, finita causa erat, nisi vniuersale Concilium huius cognitionem ad se vellet pertrahere, vel ad Occidentale vltrò deferretur; Quod remouendum in hac occasione rectissimè censebat Constantinopolitanus Antistes.]

Errores varij. Primus est, quod S.Flauianus affirmet Orientalium Episcoporum iudicijs debere eumdem effectum, qui debetur iudicijs Romani Pontificis. Etenim supplicat, vt Leo hanc communem ecclesiæ, ac

fidei causam faciat suam, decernendo Eutychetis damnationem esse factam regulariter, hoc est, ipsam confirmando. Hac enim via synodales aliorum sententias Romana Ecclesia facit suas. Secundus est, quod per omnem, quæ vna est, ecclesiam episcopatus sit vnus, ideòque quisque episcopus omnium synodorum iudicia debeat facere sua, si nimirùm nihil contra ecclesiasticam Regulam, receptosque Canones sit perpetratum. Est dolosus articulus. Et possit esse verus. In sensu, quem magnus Gregorius tradit in literis ad Ioannem Syracusæ Episcopum: [Quod Clementius,] Byzacenæ Prouinciæ Primas, se dicit Sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in episcopis inuenitur, nescio quis ei episcopus subiectus non sit; cum verò culpa non exigit, omnes secundùm humilitatis rationem æquales sunt. [Eadem est ratio synodorum. Dum nihil contra ecclesiasticam regulam perpetrant, sunt inconcussæ; dum autem de vero, aut dubio accusantur excessu, opus est retractatorio examine, quod per Diuinas, ac humanas leges ipsa natura dictat non faciendum, nisi à superiori authoritate. Hanc Christus Dominus non in sola generali Synodo posuit, sed præsertim in Ecclesia Romana. Apostoli posuerunt etiam in Patriarchis. Quoad proprias ipsorum Diœceses. Quare Paschasius Quesnellus, dum prouinciarum Synodos vult esse supremas, non solam Papalem, sed inuadit Patriarchalem etiam potestatem. Excedit Eusebium Nicomediensem, ac facinorosum Photium, & se transfert ad Marcum Antonium de Dominis.

Lib. 7. Indict. 2. Epist. 65.

Ad rauim inclamat, ac inculcat S. Cyprianum, scribentem in libro de vnitate Ecclesiæ: [Beatus Apostolus Paulus Sacramentum vnitatis ostendit dicens;] Vnum corpus, & vnus Spiritus, vna spes vocationis nostræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. [Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in ecclesia præsidemus, vt episcopatum quoque ipsum vnum, atque indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.] Audienda sunt verba: [Nemo Fraternitatem mendacio fallat,] Vtique mendacio prauæ interpretationis. Etenim Cyprianus adiungit: [Loquitur Dominus ad Petrum,] Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.] Et iterùm eidem post resurrectionem dicit: [Pasce oues meas.] Super illum vnum ædificat ecclesiam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam tribuat parem potestatem, & dicat, [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,] tamen vt vnitatem manifestaret, vnicam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur. [Et infra:] Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quomodò solis multi radij, sed lumen vnum. Et rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescit. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per Orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos expandit, vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa.] Omnes episcopatus, omnes episcopales Cathedras, omnesque ecclesias affirmat esse vnum vnitate originis, ac radicis: Ad modum radiorum, ramorum, ac riuorum. Et istam originem, atque radicem esse episcopatum, Cathedram, atque Ecclesiam Sancti Apostoli Petri. Ipsam profitetur in omnes episcopatus, Cathedras, atque ecclesias influere ad istum modum, quo Sol in radios, radix in ramos, fons influit in riuos. Tradit regulam, quam in funebri Fratris sui Satyri encomio laudat S. Ambrosius: [Qui Romanæ Ecclesiæ non communicat, non est catholicus.] Eamdem regulam S. Gregorius septimus inseruit suo Dictarui. Hanc doctrinam sanctus Cyprianus tradit in pluribus locis.

Tertius error est, quod S. Flauianus statim à S. Leone postulauerit, vt damnationem Eutychetis notam faceret omnibus suarum partium Sacerdotibus. Etenim istud non postulauit, nisi post factam damnationis retractationem, & datam confirmationem. Omnia confundere non est leuis error. Quartus est, quod S. Flauianus, S. Leoni scripserit suum de Eutyche iudicium fuisse regulariter factum, ideòque locum non esse retractationi, nouæ disceptationi, aut nouo iudicio. Etenim Flauianus rogauit Pontificem, vt factam à se damnationem dignaretur per propria scripta, & sacratissimas literas decernere factam esse regulariter, quod Leo præstare non poterat sine retractatione, nouaque disceptatione, ac nouo iudicio. Quintus est, quod per Pontificem Princeps esset hortandus, ne Eutychetis Patrocinium incautus susciperet. Etenim Princeps iam istud susceperat, & scriptis ad Pontificem literis iam adiuuerat mendacem Hæresiarchæ appellationem. Longè igitur aliud Flauianus scribit. Rogat confirmari suum synodale Iudicium, & spondet fore, vt ista confirmatio Principem ab Hæresiarcha diuertat, ac separet. Sextus est, quod laudata Flauiani verba pessimè interpretetur, scribens illum postulasse non Iudicium, sed solatium; non sententiam, sed literas; defensionem, non confirmationem; propria scripta; non synodalia Decreta. Etenim Flauianus postulabat non suæ personæ, sed ecclesiasticæ

causæ

causæ solatium, ac defensionem, qua Pontifex omnia per suæ Sedis authoritatem perduceret ad tranquillitatem, ac pacem. Postulabat sacratissimas literas, quarum authoritas, & nouam hæresim, & factas ob eam turbas destrueret. Postulabat scripta, quibus Pontifex dignaretur decernere Eutychetis damnationem esse factam regulariter. Scripta, quorum pondere remoueretur etiam iactatum Concilium. Et impetrauit Dogmaticum Magni Leonis Tomum. Dixi satis. Quis non videat ista omnia esse facta Synodi confirmationem?

Septimus error est, quod quoduis episcopale iudicium finiant controuersam fidei causam, nisi vniuersale Concilium velit illius cognitionem ad se pertrahere: Etenim Carthaginensis sub S. Cypriano, Iconiensis sub S. Firmiliano, & plurium aliarum de hæreticorum Baptismo synodorum cognitionem nulla ad se retraxit generalis synodus, & tamen illæ non finierunt causam: Propter intercessionem solius Sedis Apostolicæ. Eadem est ratio Ephesinæ synodi, quam circa Paschalis festiuitatis diem celebrauit Asiaticę Ecclesiæ Exarchus Polycrates. Quinimmò Carthaginensem Primatis Agrippini synodum, nec Apostolica Sedes cognoscendam voluit, sed transijt sine vllo obice. Et tamen absit, vt causam finierit. Plurima sunt istiusmodi exempla. Et ad tales synodorum excessus frænandos Apostolicus canon sanxit, omnia quorumuis conciliorum sancita referri ad sedem Apostolicam. Quocirca hic error euertit fundamentalem Ecclesiæ disciplinam, quæ etiam Patriarchales synodos vetat sine tali relatione circa fidem definire. Ex ipsa ad Eutychem rescripsit S. Petrus Chrysologus, Metropolita Rauennæ: [In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, vt his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio fidei, & pacis, extra consensum Romanæ ciuitatis episcopi, causas fidei audire non possumus]. Non Flauianum, aut eius Synodum, sed solùm mandat audiri Leonem. Nempè, quod Flauiani, Romana Eutychetis appellatione excussum, iudicium confirmasset S. Leo, & suum fecisset. Petrus Chrysologus fuerat S. Flauiano responsurus eadem, si is in Paschasij Quesnelli vias declinasset.

Octauus error est in his verbis: [Vel ad Occidentale vltro deferretur]. Affirmat Prouincialia, vt quæuis alia Orientalium, synodorum Iudicia potuisse per vltroneam submissionem deferri ad Romanum Tribunal, sed per canones non debuisse. Ne quidem ad iudicium totius Occidentis. Est ipsissima Eusebianæ Factionis schismatica contumacia. Etenim apud Philippo-Politanum Conuenticulum hæc fuit S. Iulij Pontificis, & Occidentalium cum ipso episcoporum præuaricatio: [Nouam legem introducere putauerunt, vt Orientales episcopi ab Occidentalibus iudicarentur]. At longè aliud sensit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Etenim de S. Cœlestini pontificis, qui Hæresiarcham Nestorium, nisi intra decem dies solemnem in pleno Ecclesiæ Conuentu cantaret erroris palinodiam, communione, & gradu priuauerat, synodali ex solis aduenis episcopis iudicio scripsit ad Ioannem Patriarcham Antiochenum: [Sancta Romana Synodus disertam in illum sententiam tulit. Qua de re, & ad tuam quoque pietatem perscripsit. Horum proindè Decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint. Scripserunt namque expositæ sententiæ exempla, cum ad Rufum pijssimum Thessalonicæ episcopum, tum ad alios quoque nonnullos Religiosissimos Macedoniæ episcopos, qui ab illius, Romani Pontificis, sententia numquàm discedere solent. Scripserunt nihilo seciùs, & ad Iuuenalem quoque pijssimum Hierosolymorum episcopum. Iam tuæ pietatis fuerit, quid in rem futurum sit, diligenter expendere. Nos enim sequemur, quæ illi iudicauerunt. Veremur namque, ne à tantorum communione excidamus]. Nestorius fuerat Ioannis presbyter, ac dilectus filius, ac eius Ecclesia euocatus ad Cathedram Constantinopolitanam. Hinc sinistri aliquid Cyrillus ab ipso metuebat. At sine euentu. Etenim Ioannes Romanæ sententiæ promptissimus obediuit, & Nestorium potenter vrsit ad obediendum. Etiam Iuuenalis Hierosolymæ episcopus, omnisque eius Patriarchatus. Hæc est antiqua, & Apostolica circà Romanæ Cathedræ Primatum fides, à nemine vnquam excussa, nisi à damnatis Erronibus.

CAPVT V.

Discutiuntur alia Asserta Paschasii Quesnelli.

PAschasius Quesnellus pertinaciter persistit Eutychetem numquàm ad S.Leonem, sed prouocasse ad plenam generalem synodum, & conatur euincere: [De congreganda tamen huiusmodi synodo iam tunc cogitabatur. Vnde certissimè euincitur Orientales de Occidentalium ore tunc temporis non pependisse. Vel enim ante monitum, consultumque Leonem de Eutychis damnatione istud consilij fuit initum: Et sic perspicuum est ad eius sententiam reuocatum non fuisse Flauiani Iudicium, cum omisso illius Tribunali, aliud superius pararetur. Vel post datas ad eum literas, receptumque eius consensum, conceptum est vniuersalis synodi consilium: Quod euidentiùs adhuc ostendit etiam post Leonis consensum necessariam synodum existimatam esse, vt priorum iudiciorum sententia recenseretur, ac, si opus esset, reformaretur. Vel denique decernendæ synodo ex solius appellationis Eutychis libello, seu vero, seu mendaci, color quæsitus est: Quod euincit certum apud Orientales fuisse, Eutychis appellationem non ad vnum Romæ episcopum esse deuolutam, sed ad cæteros quoque Patriarchas, eorumque synodos in vniuersale concilium conuocandas].

Respōdeo verū esse, quod Eutyches statim à sua Romana appellatione cogitauerit de generali synodo. Et forsitan ante ipsam. Etenim ante inchoatam synodalium sub S. Flauiano Acto-

Actorum reuisionem iam impetrauerat talem à Principe synodum. Superbus, ac delirus senex fuit imitatus Nestorium, de quo S. Cyrillus ad præfatum Patriarcham Ioannem: [Consulueram Nestorio per literas, vt prauis illis, peruersisque quæstionibus dimissis, sanctorum Patrum fidem sectaretur. Verùm ratus hæc me ex odio scripsisse tantùm abfuit, vt vllam omninò illius rationem habuerit, qui hæc ex charitate ad pietatem eius perscripserat, vt ita sentiens, & ità dicens, in Romanorum quoque aures insinuare se posse, easque præoccupare speraret. Etenim prolixa epistola quædam absurda dogmata complexus, eaque ad Dominum meum Celestinum, pijssimum Romanæ Ecclesiæ episcopum missa, inter cætera aduersùm illos, qui ab eo dissentiunt, hæc quoque adiecit], &c. Statim ac audijt Cyrillum in sua dogmata agere, suas Exegeses cum epistolis misit ad Sedem Apostolicam, quasi certus ea placitura, & conquerens Cyrillum aduersùs ea ex odio agere. Rei series habetur in exordio Ephesini Concilij. Eodem modo Eutyches clamauit Flauianum moueri ex odio, & ad S. Leonem appellando, & Sanctissimum suum Episcopum accusando, sperauit Apostolicas aures præoccupare. Insupèr tamen minatus est, si Romanum tentamen non succederet, prouocare ad Generalem Synodum, & ipsam ab amico sibi Principe postulare. Immò videtur vtrumque simùl egisse. Ità non obscurè colligitur ex præfata reuisione Constantinopolitanæ contra ipsum Synodi. Hinc statim post appellationem abijt Alexandriam, consultaturus cum suo fideli Dioscoro. Hinc item S. Flauianus in prima sua ad S. Leonem relatione scripsit iam diuulgatam esse famam de futuro Concilio.

Huic veritati Paschasius Quesnellus admiscet varios errores, Primus est, quod ex sparsa futuri Concilij fama certissimè euincatur Orientales, tunc non pependisse ab ore Occidentalium. Etenim contrarium certissimè euincit totius Orientis plenissima reuerentia erga sententiam, quam sanctus Cœlestinus Pontifex ex sola suæ Sedis authoritate pronunciauit, & per omnes Orientis Ecclesias publicari iussit in Hæresiarcham Nestorium. Aliam sententiam insupèr, quam pro damnatis à Nestorio, & ciuitate eiectis, ac suam sedem appellantibus, clericis, & episcopis tuletat, ipse Pontifex laudat in literis ad clerum, & populum Constantinopolitanum: [Ne tamen ad tempus Nestorij videatur valere sententia, qui in se iam Diuinam sententiam prouocarat, apertè sedis nostræ sanxit authoritas nullum, siue episcopum, siue clericum, siue professione aliqua christianum, qui à Nestorio, vel eius similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo, vel communione deiecti sunt, vel deiectum, vel excommunicatum videri, sed hi omnes in nostra communione, & fuerunt, & hucusque perdurant. Quia neminem, vel deijcere, vel remouere poterat, qui prædicans talia titubabat]. Et supra: [Habetis vos, quicumque Ecclesia estis eiecti, penè nostrorum temporum Beatæ recordationis Athanasij, Alexandrinæ Ecclesiæ prudentissimi Sacerdotis, exemplum. [Compendio enumerat S. Athanasij calamitates, & pergit: [Fugatus illinc, & in nostris partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus est status, & in hac sede quietem communionis inuenit, à qua semper catholicis subuenitur]. Et hanc etiam Cœlestini sententiam totus Oriens est cum summa obedientia veneratus. Quare Paschasius Quesnellus certissimè non solùm errat, sed etiam Orientalem Ecclesiam horrendè calumniatur. Ei Eusebianum schisma calumniosè affricat, sperans ipsum ità intrudere etiam in Gallicanam Ecclesiam. Non ista dumtaxàt omnia, sed etiam validos Romanæ Ecclesiæ pro Thessalonicensi œcumenica synodo ad S. Ioannem Chrysostomum reparandum conatus, & motus, necnon eius iam defuncti plenissimam à sede Apostolica peractam reparationem Eutyches viderat proprijs oculis, ideòque nouerat Sancti Petri Apostoli dignitates, & priuilegium Romanæ Ecclesiæ: Viderat, & nouerat Orientales pendere ab ore Occidentalium. Hinc istud priuilegium ante omnia censuit appellatione tentandum.

Tertius error est in his verbis:] Vel enim ante monitum, consultumque Leonem], &c. Etenim bicorne enthymema non habet adæquata membra, & ex ipsorum neutro sequitur intentum. Eutychetis ad generalem synodum prouocatio, nec ante monitum, & consultum de illius damnatione Pontificem fuit acta, nec post datas ad eum literas, & receptum eius consensum: Facta fuit statim post Romanam eiusdem Hæresiarchæ appellationem, dum impius senex audiuit, aut timuit nutare Pontificem, & propendere in stabilitam à Flauiani synodo veritatem. Duxit non exspectandam Romanam suæ damnationis confirmationem, sed vlteriori potiùs appellatione præueniendam. Et hoc nequaquam, [ostendit etiam post Leonis consensum fuisse existimatam necessariam synodum]. Etenim consensus Papæ semper quidem ostendit synodum esse vtilem, non tamen semper necessariam. Quinimmò in synodum, quam neq; necessariam, neque vtilem iudicat, possit Pontifex ex causis consentire. Non cogor extranea exempla quærere: Magnus Leo in Ephesinam synodum, quam Imperator Theodosius ad Eutychetis gratiam fieri iubebat, consensit inuitus, proclamans, nec necessariam esse, nec profuturam. Et euentus demonstrauit protestationis veritatem. Attamen non nego generalium synodorum necessitatem. Profiteor quibusdam casibus non solummodò expedire, sed insupèr necessarias. Dumtaxàt affirmo per ipsarum necessitatem non euerti, aut mutilari dignitatem sedis Apostolicæ. Porrò si ante S. Leonem monitum, & inuocatum Eutyches inuocasset generalem synodum, perspicuum est, quod causa ad ipsum non fuisset deuoluta. Potuisset tamen Eutyches ab ista appellatione recedere, & conuerti ad solam Romanam Ecclesiam. Et quidem si ad Florentij Patritij aures generalem synodum inuocarit, ità omninò fecit. Et à Pontifice rursùs se conuertit ad synodum. Arista omni vento agitata.

Quartus error est in his verbis:[Vel deniq; decernendæ synodo ex solius appellationis Eutychis libello], &c. Etenim factam ad Florentij Patritij aures appellationem Eutyches

non

non coràm generali synodo, sed coràm solo Papa Leone studuit introducere, ideòq; huius virtute non potuit generalē synodum prętendere. Proindè Ephesini Lattrocinij originem suprà audiuimus à Liberato Diacono. Exponit Romanam Eutychetis appellationem, eiusdem libellos contestatorios Sancti Flauiani à Principe compulsionem ad se purgandum de Nestorio, atque prosequitur: [Eutyches petit Dioscorum Alexandrinum episcopum, vt quæras quæ de illo acta sunt, & causam examinaret. Agebat apud Principem vniuersalem synodum fieri, vt probaretur,] id est, discuterentur, [iudicium Flauiani. Scripsit ergò Dioscorus Theodosio Imperatori, quia aliam fieri Synodum Generalem oportet. Et vt fieret, persuasit Eutyches.] Confirmat Prosper Tyro: [Eutyches, fidens amicitia Regia, & Aulicorum fauore. ab vniuersali Synodo se poposcit audiri, annuente Imperatore Theodosio, qui ob huius causæ retractationem omnes Episcopos iussit Ephesum conuenire.] Eadem scribunt Sanctus Theophanes, ac Anastasius Bibliothecarius. Leontius Scholasticus Byzantinus in libro de Sectis loquitur lucidiùs: [Eutyche ab officio remoto, Flauianus ad Leonem Romanum episcopum de hominis depositione perscribit. Respondet Leo ritè depositionem illam esse factam. Quæ quidem epistola Tomus Leonis appellari solet. Eutyches autem ab officio remotus Imperatorem adire crebrò, sibique factam à Flauiano iniuriam dicere. Quapropter Imperator Theodosius Generale Concilium Ephesi coire iubet, in quo cognosceretur, rectène Flauianus Eutychetem deposuisset, an non. Vniuersam verò causæ cognitionem Dioscoro Episcopo Alexandrino mandat.] Itaque Eutyches, videns Romanam appellationem non succedere, sed Leonem in aduersa inclinari, ad Dioscorum abijt, & communi isthic consilio conclusum est deseri appellationem istam, & vrgeri aliam ad Generale Concilium.

Cap. 12.

Act. 4.

Nec ibi stetit istorum, qui iam pridem cornua coniunxerant, taurorum iniquitas. Etiam magnum Leonem sanxerunt infamandum de Nestorianæ Hæresis Patrocinio, atq; ita excludendum à postulandæ Synodi Præsidentia, quæ tunc suo iure cadebat in Patriarcham Alexandriæ. Et ipsorum rationes cogebant ad istam temeritatem. Etenim aduersùm Romani Episcopi iudicia, aut sanctiones interiecta appellatio deuoluit solummodò, nec ipsum excludit à retractatorij examinis Præsidentia: Hinc quò excluderetur, omninò erat accusandus de hæresi. Et consilium successit. Omnia Postulata fuerunt impetrata. Leontius videtur asserere, quod Eutyches non nisi post S.Flauiani confirmatam à S. Leone Synodum appellauerit ad Generale Concilium. Compendio loquitur, ideòque est benignè intelligendus. Etenim magnus Leo in ipso suo Dogmatico Tomo, quo istam confirmat Synodum, laudat suos ad Ephesinum Concilium Legatos, & affirmat iam directos. Proinde clarum est Eutychem ante datam, & aduersùs dandam confirmationem appellasse, at magni Leonis constantia spreuit ista terriculamenta. Hæc est radix, & modus Eutychianæ prouocationis ad Generale Concilium.

Quintus error est in his verbis: [Quod euincit certum apud Orientales fuisse, &c.] Continent duplicem errorem. Primus est, quod Orientales Episcopi Ephesinum Latrocinium crediderint prouenisse ex clandestina Eutychetis appellatione ad aures Patritij Florentij. Etenim istud Hæresiarchæ tentamen omnes habuerunt pro fuco nullius ponderis. Istorum Patrum de hoc articulo sensum suprà exposui. Alter in adductis verbis error est, quod Orientales Episcopi ad finiendas Eutychetis lites crediderint necessariam Generalem Synodum. Etenim de hac Ephesina Synodo ad Irenęum Tyri Archiepiscopum scripsit Theodoretus Episcopus Cyrensis: [Non est, vt apparet, quod boni quidquam exspectemus. Non modò enim non sedatur ecclesiæ procella, sed fastigiatur, vt ità dicam, & in cacumen attollitur. Venerunt autem, & qui Synodum conuocarunt, & euocarunt, & euocatorias literas tum alijs quibusdam Metropolitanis, tum nostro reddiderunt. Literarum porrò exemplar ad te misi, vt cognoscas malum malo, quod ait Poeta, confirmatum esse, solaque nobis opus esse diuina bonitate, vt sedet tempestatem. Facile namque hoc illi est, sed nos tranquillitate sumùs indigni.] Eadem de Synodo Theodoretus scripsit ad Domnum Antiochiæ Patriarcham: [Cessasse tristia sperauimus, cum indicassent nobis quidam extinctam esse victoris Imperatoris pusillanimitatem, factamque inter ipsum & Deo carissimum episcopum reconciliationem, ac Synodi quidem conuocationem desijsse, Ecclesiarum verò pacem redijsse. Sed quæ modò à sanctitate Tua scripta sunt, grauiter nos contristarunt. Nihil enim boni ex iactata Synodo exspectare licet, nisi misericors Dominus, solita vtens prouidentia, turbulentorum Dęmonum machinas destruat. Per turbulentos Dæmones omninò intelligit Dioscorum, & Eutychetem, qui sanctum Flauianum de varijs præsertim de Nestoriana hæresi, accusando, Imperatoris Theodosij animum ab ipso diuulserant, atque ità impetrauerant Ephesinam Synodum, quæ grauissima vulnera toti Ecclesiæ minabatur. Et non ex sui solius, sed etiam ex Domini sui Patriarchæ, ac omnium Orientalium Collegarum iudicio Theodoretus ista scripsit. Ad damnandam, ac sepeliendam Eutychetis impietatem cuncti censebant sufficere S.Flauiani Synodum, confirmatam à Romana Ecclesia. Sufficere Tomum sancti Leonis. Hoc postmodò omnes non solius Orientis, sed totius ecclesiæ episcopi solemnissimè fuerunt professi in Chalcedonensi synodo, ad lectum Tomum vna voce exclamantes: [Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ità credimus. Orthodoxi ità credunt. Anathema ei, qui non ità credit. Petrus per Leonem ità locutus est. Apostoli ità docuerunt. Piè, & verè Leo docuit. Cyrillus ità docuit. Leo, & Cyrillus similiter docuerunt. Anathema ei, qui sic non credit. Hæc vera fides. Catholici ità sapimus. Hæc Patrum fides. Hæc in Epheso cur lecta non sunt? Hæc Dioscorus occul-

Epist. 16.

Epist. 112.

occultauit.] Lucidè professi sunt ad damnandas Eutychetis blasphemias, nec Ephesinum Latrocinium, nec Chalcedonense Concilium fuisse necessarium, sed solum Leonis Tomum per omnia sufficisse. Quod ipsum omnis Oriens nuperrimè aduersùs Nestorium senserat circa literas, & Decreta S.Pontificis Cælestini.

Paschasius Quesnellus prosequitur: [Ex consensu autem Leonis requisito ne quis cauillandi ausam arripiat, nemo est qui nesciat à summo etiam Pontifice aliorum Episcoporum consensum requiri solitum fuisse similibus in causis. Sicut ab ipso Leone factum est post Ephesinum Latrocinium, literis ob eam rationem in vniuersum penè Orbē directis.] Est obscurus sermo. Videtur persistere in errore, qui Eutychianæ blasphemiæ quæstiones censet non à solo Pontifice potuisse, sed debuisse definiri à Generali Synodo. Videtur ipsum stabilire ex quorumdam Romanorum Pontificum exemplo, qui ad similes definitiones postularunt consensum, ac instructionem ab alijs Episcopis. Affirmat istud ipsum factum à magno Leone in Eutychetis causa, ideoque etiam ipsum fuisse confessum suæ Sedi non esse istam authoritatem.

Est manifestus error. Etenim Pontifices isti non definiendi consensum, aut facultatem petierunt, sed fecerunt quod à S.Bonifacio Pontifice circà Pelagianas controuersias fuisse factum scribit in libro contrà Collatorem

Cap. 41. S.Prosper: [Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius, cum esset doctissimus, aduersùm libros tamen Pelagianorum Beati Augustini episcopi responsa poscebat.] Romanus Pontifex, vti hodiè suos Theologos adhibet, & qualificatores, ità olim dogmaticas quæstiones decisurus consulebat doctiores Synodos, aut clariores episcopos. Attamen Bonifacius non ad definiendum, sed ad factas à suis Antecessoribus definitiones contra noua Pelagianorum machinamenta, & argumenta defendendas postulauit. Responsa sancti Augustini. Hoc ipsum fecit magnus Leo. Dogmaticum suum Tomum, quo S.Flauiani synodum, ac eius de Eutychete iudicium confirmauit, miserat Ephesum, ipsum illhìc esse volens Prærogatiuam sui suffragij. At ipsum nec audiri vel legi sustinuit Dioscorus, & omnis Eutychiana factio non desijt ipsum de Nestorio infamare. Leo interim firmus erat se in ipso non recessisse à confessione sanctorum Patrum. Hinc ipsum denuò voluit in Chalcedonensi Synodo esse suum suffragium. Porrò suam Patriarchalem Synodum congregare non permittebat ratio temporum. Quare consulendas duxit principales sui Patriarchatus synodos: præsertim viciniores, Mediolanensem, & Gallicanam. Eis transmisit suum Tomum, & iussit examinari. Tunc etiam ab ipso factum putatur, quod in Prato spi-

Cap. 147. rituali scribit sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus: [Habetur scriptum in Ecclesia Romana de Sanctissimo, ac Beatissimo Leone Pontifice, quod cum scripsisset epistolam ad sanctum Flauianum Constantinopolitanum episcopum contra impios Eutychen, ac Nestorium, posuerit eam super tumulum Principis Apostolorum Petri, & orationibus, ac vigilijs, & ieiunijs vacans, orauerit ipsum summum Apostolum, dicens; si quid, vt homo, vel minùs cautè posui, vel etiam omisi, tu, cui à Domino Deo Saluatore nostro Iesu Christo & sedes hæc, & ecclesia commissa est, emenda. Post quadraginta verò dies apparuit ei Apostolus oranti, & dixit ei: Legi, & emendaui. Sumensque epistolam de sepulchro Beati Petri aperuit eam, & inuenit Apostolica manu emendatam.] Alij tamen malunt factum, antequàm ipsam Leo publicaret, & trasmitteret sancto Flauiano. Quidquid sit, magnus Leo per hæc nequaquam fassus est suæ sedi non esse definiendi potestatem, sed exercuit, & suos Successores docuit auitum, ac legitimum procedendi modum in formandis, ac emittendis fidei definitionibus.

Et hanc Apostolicæ Sedis dignitatem amplissimè tunc professa est omnis Gallicana ecclesia. Etenim venerabilis Rauennius, Metropolita Arelatensis, adunauit quadraginta quatuor episcoporum Synodum, cum ipsa discussit laudatum Tomum, & Pontifici rescripsit: [Exultauimus, Christo propitio, lectis Beatitudinis tuæ literis, & omni instructione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus, dolentes pariter pro his vobiscum, qui fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt. Quæ Apostolatus vestri scripta, ità vt Symbolum fidei, quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendauit. Multi itaque in ea gaudentes pariter, & exultantes recognouerunt fidei suæ sensum, & ità se semper ex Traditione Patrum tenuisse, vt vester Apostolatus exposuit, iure lætantur. Nonnulli sollicitiores facti Beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè, ac fiducialiter, suffragante etiam Sedis Apostolicæ authoritate eloquatur, & asserat vnusquisque, quod credit. Quis autem Apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quod non solùm Gallias, sed totum Mundum velut quibusdam pretiosissimis gemmis ornauit, dignas æstimet gratias posse persolui? Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque fidelis, vt constanter teneat, quod credebat: Debet etiam infidelis, vt à perfidia sua, agnita veritate, decedat, & Apostolicæ Institutionis luce perfusus erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur & credat, quod per os vestrum Dominus noster Iesus Christus de Sacramento Incarnationis suæ docet, quàm id teneat, quod Diabolus humanæ salutis, ac veritatis inimicus instillat. Leonis Tomum in eodem authoritatis gradu locant, quo & Apostolicum Symbolum. Affirmant dictarum à Christo Domino. Palàm profitentur infallibilem Apostolicæ Sedis in dirimendis fidei quæstionibus firmitatem.

Eiusdem pietatis, ac sententiæ fuerunt Ceretius, Salonius, ac Veranus, Gallicani Episcopi: [Beatissime Pater, & Apostolica Sede dignissime Papa, magna prætereà, & ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione succrescimus, quod illa specialis doctrinæ vestræ pagina ità per omnium Ecclesiarum

siarum Conuenticula celebratur, vt verè consona omnium sententia declaretur, meritò illic Principatum Sedis Apostolicæ constitutum, vnde adhuc Apostolici Spiritus Oracula referentur. Idcircò, si dignanter admittitis, deprecamur, vt opus, & præsentibus, & futuris temporibus profuturum, quod nos adseruandi studio folijs mandare curauimus, Sanctitas vestra percurrere, & si quid Librarij errore defuerit, emendare dignetur; vel si salutarem lecturis omnibus paginam aliquo studij vestri accumulastis augmento, id ipsum addi libello huic sollicita pietate iubeatis: Vt non solùm plures S. Episcopi Fratres nostri per Gallias, verùm etiam multi ex Laicis Filij vestri, qui epistolam istam magnópere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, & sancta manu vestra emendatam transcribere, legere, & tenere mereantur.] Hæ haud dubiè sunt epistolæ, quas vnà cum S. Leonis, & S. Flauiani Scriptis è Gallia in Hispaniam fuisse missas, & omnibus in ecclesijs celebratas, scribit Idatius Episcopus Lemicensis.

Cap. 41. Eamdem veritatem disertissimè docet in laudato contra Collatorem libro vir Gallus, sanctus Prosper: [Venerabilis memoriæ Pontifex Cœlestinus, cui ad Ecclesiæ Catholicæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen iudicij, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi. Adeò & prædecessorum suorum statuta, & decreta synodalia inuiolabiliter seruanda censebat, vt quod semèl meruerat abscindi, nequaquàm admitteret retractari.] Cælestinus tantam reuerentiam, atque auctoritatem esse voluit rescriptis, quibus Innocentius synodalia Africanorum Antistitum contrà Pelagium decreta confirmauerat, & solemnissimæ Zozimi contrà eosdem Tractoriæ. Porrò laudata verba habet in literis ad hæresiarcham Nestorium, qui Pelagianos suam appellationem ad generalem synodum Constantinopoli prosequentes apud Imperatorem Theodosium, commendauerat Pontifici, & omni fomento adiuuabat: [Defleant infelices se spe hominum fuisse deceptos, quibus iàm potuit propter communionem sola pœnitentia subuenire.]

Lib. 1. c. 24. Ipsa mutuatus est à sancto Augustino, scribente ad Pontificem Bonifacium, quod isti ipsi Pelagiani præsumerent adhùc postulare audientiam, cum damnati deberent agere pœnitentiam. Nestorius Cœlestino commendauerat solos ex-episcopos, Iulianum, Florum, Orontium, & Fabium; adductum sancti Prosperi testimonium demonstrat adfuisse etiam Cœlestium. Demonstrat Apostolicæ Sedis de dogmaticis quæstionibus iudicium tunc apud omnes fuisse infallibile, ac definitiuum, & aduersùs ipsum interiectas ad generalem synodum appellationes fuisse friuolas, spernendas ab omnibus, & cogendas ad pœnitentiam. Et huic suæ Sedis auctoritati non detraxerunt ipse Cœlestinus, aut noster magnus Leo, dùm ille in Nestorij, hic in talem Eutychetis audaciam condescendit. Fuit res dispensatoria; ob regiam violentiam circumscripti Theodosij. Ista sunt antiqua, & recta Sensa Gallicanæ Ecclesiæ. Oranda est Diuina Clementia, vt corda patrum reducat in filios.

Sancti Cœlestini memoria persuadet redire ad Nestorij caussam, quæ penitùs euertit fabellas Pascasij Quesnelli. Igitùr in suæ hæresis exordio Patriarcha Nestorius per Comitem Antiochum scripsit ad sanctum Cœlestinum: [Et nos non modicam corruptionem Orthodoxiæ apud quosdam hìc reperientes, & ira, & lenitate circà ægros quotidiè angimur. Est enim ægritudo non parua, sed affinis putredini Apollinaris, & Arij.] Eadem scripsit per Valerium Cubicularium. Agit in suos Orthodoxos clericos, & laicos, quos ob Dominicæ Incarnationis mysteriū rectè creditum, atque prædicatum, Diodorum, ac Theodorum æmulatus, arguebat de Apollinario, atque Ario, & quos eadem de caussa degradatos ciuitate eiecerat. Degradationis causam distinctè exponit in suis ad Imperatorem Theodosium precibus Archi-Mandrita Dalmatius: [Hoc ipso tempore,] quo Nestorius palàm in Ecclesia cœpit insanire, [quidam è Reuerendissimorum Sacerdotum numero illum in publico consessu coram non infrequenter corripuerunt, & ab eiusdem communione desciuerunt, & in hodiernum diem vsque desciscunt. Nonnulli clanculùm ab illius consortio se subduxerunt. Alij ex religiosissimis Presbyteris, quoniàm in hac sancta Ecclesia Irenæ maritima contra repullulans prauum dogma inuehebantur, dicendi facultate priuati sunt.] Suum ergò de ipsis synodale iudiciū Nestorius retulit Sedi Apostolicæ. Huius relationis etiam in scripta ad ipsum duodecim Capitulorum epistola meminit sanctus Cyrillus. Nestorius, licèt ab istis Presbyteris non nouam procudi, sed solummodò vetustam, & iàm damnatam hæresim iudicaret resumi, suum tamen de ipsis iudicium censuit Apostolicæ Sedi omninò referendum. Quare Paschasius Quesnellus, dùm sancti Flauiani negligentiam affirmat non deuiasse ab ecclesiastico Canone, palàm errat.

Sanctus Cyrillus in eadem epistola adiungit: [Itaque cum omnibus, tùm clericis, tùm laicis quoque, quos tu propter fidem excommunicasti, vel Ordine mouisti, omnes communicauimus. Haud enim par erat eos, qui rectam fidem tenere maluerunt, ob iniquam tuam sententiam pati aliquod detrimentū.] Eis omnes communicauerunt, quod sanctus Cœlestinus per suæ Sedis auctoritatem cassasset synodale Nestorij iudicium, & istos communioni, & gradui reddidisset. Nō erat opus generali synodo: quod nempè sanctus Petrus plenissimam auctoritatem, qua eius successores qualiacumque synodorum iudicia firmare, vel infirmare possint, in sua Romana Cathedra reliquisset. Et istud sciens, qui hæc omnia proprijs oculis viderat, Eutyches appellauit ad sanctum Leonem. Sanctus Cyrillus prosequitur: [Ad epistolas porrò, quod attinet, quas Alexandrina Ecclesia ad te misit, eas cum à sacra Romana synodo, tùm à nobis omnibus quoque, ab omni errore, & vitio immunes iudicatas esse scias. Hiscè autem literis nostris vtraque subiunximus: Et ea, quæ te oportet sapere, & docere; & ea rur-

sùm, à quibus te conuenit abstinere. Hæc enim est Catholicæ, ac Apostolicæ Ecclesiæ fides, in qua vniuersi Occidentis, & Orientis Orthodoxi episcopi consentiunt. Propter auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, quæ istas epistolas confirmauerat. Proindè totus Oriens, totusque Occidens tunc credebat ad definitiuè dirimendas euangelici dogmatis controuersias nequaquàm esse opus generali synodo, sed sufficere iudicium Romanæ Sedis.

Audiamus quid de eiusdem Sedis auctoritate in synodalibus ad eumdem Nestorium literis censuerit Ioannes Patriarcha Antiochenus. Sanctus Cælestinus Nestorij exegeses, atque epistolas, & tradita in ipsis dogmata definitiuè damnarat, & ipsum, nisi intrà decem dies solemniter recantaret, degradandum iusserat, & degradationem noui episcopi inthronizatione confirmandam. His decretis, vt pareat, ipsum acriter vrget præfatus Ioannes, & prosequitur: [Nàm Occidens, & Ægyptus, & ipsa forsitan Macedonia, ab ea omninò vnione se abrumpere decreuerunt, quam singularis Dei beneficentia per multos SS. Patrum, celebriumque Episcoporum, & præcipuè per Sanctissimi, magnique Patris Acacij sudores, atque molestias communi Ecclesiæ vtilitati impartiuit.] Respicit lamentabilem communionis dissociationem, qua Antiochenam Ecclesiam, ac omnem eius Patriarchatum Romana Ecclesia afflixerat propter schisma Eustatianum, præsertim post periuram promotionem Patriarchæ Flauiani. Fuerat res reuerà lamentabilis. Remedium dederant profectò magni magnorum Episcoporum labores, præsertim Acacij Berrhæensis episcopi, qui ætate, & auctoritate grauis isto tempore per omnem Orientem erat quasi pater omnium episcoporum. Eamdem calamitatem nuperrimè propter iniquam sancti Ioannis Chrysostomi degradationem sustinuerant Alexandrina, atque Constantinopolitana Ecclesia. Et liberari non potuerant, nisi per præstitam Romanis mandatis plenam obedientiam. Excommunicatio, quam sanctus Papa Victor Polycrati Ephesiorum Exarcho, & omni Asiaticæ diœcesi ob contumaciam circa Paschalem festiuitatem inflixerat, non rectè cessit. Hinc ab isto supremo in totas gentes, præsertim in totum Orientem, fulmine Romana Ecclesia meritò censuit deinceps abstinendum. Futuros Patriarcharum, aut magnarum Ecclesiarum excessus censuit simplici communionis dissociatione frangendos. Et istam pœnam Cœlestinus Pontifex omnibus Orientalibus Ecclesijs, quæ sua contrà Nestorij errorem, & personam decreta non venerarentur, atque exequerentur, fuit comminatus. Suprà audiuimus sanctum Cyrillum de sua Ægyptiaca diœcesi scribentem ad Ioannem Antiochiæ Patriarcham: [Nos sequemur, quæ illi iudicauerunt. Veremur namque, ne à tantorum communione excidamus.] Et adiunxit causam; [Qui non ob aliud, neque ob parui momenti res commoti sunt, eamque sententiam tulerunt, sed propter ipsam fidem, vniuersasque Orbis terrarum turbatas Ecclesias, & communem populi ædificationem.] Loquitur de Cœlestino Pontifice, & eius prouinciali synodo, Affirmat ipsius sententiam esse fundatissimam. Quare hæc omnia cum sua synodo maturè perpendens Ioannes Patriarcha, reuelata facie Nestorium vrsit ad promptè obediendum, edicens alioquin fore, vt ipsum deserat, & saluet suam Ecclesiam. Nolebat esse contumax Apostolicæ Sedi, & sua contumacia omnem suum Patriarchatum præcipitare in antiquas miserias, in antiqua pericula, immò in ruinam animarum. Quæ omnia lucidissimè demonstrant Orientalem Ecclesiam tunc promptissimam pependisse ab ore Occidentalis. Demonstrant nouorum hodiè dogmatistarum fabulas eò tendere, vt Eusebianum schisma suscitetur ex Inferno, & plantetur in latina Ecclesia.

Isto tempore nullus Orientalis episcopus vel somniauit de Nestorio aduersùs Cœlestini Sancita adiuuando per appellationem ad generale Concilium. Audaciam istam præsumpsit, à Iuliano Eclanensi episcopo, alijsque Pelagianis inductus, ac seductus, vnicus ipse hæresiarcha, Per eius artes circumscriptus Imperator Theodosius scripsit ad sanctum Cyrillum: [Oportet Sacerdotes certò secùm statuere, vniuscuiusque rei naturam, præsertim verò incorruptæ pietatis doctrinam, disquisitione potiùs, quàm pertinaci animorum contentione inueniri. Etenim iàm indè à primis vsque temporibus non imperantis cuiusquàm, aut certè Imperium vsurpantis interminationes, aut proteruiæ, sed sanctorum Patrum, & sacræ synodi decreta eam nobis constituerunt. Nàm Religionem intelligentia magis, quàm iussione firmari, nulli, opinor, dubium esse potest. Nunc igitur tua pietas exponat, quid ità nobis, quibus Religionem tantoperè curæ esse non ignorabas, & Sacerdotibus, quotquot circumquaque degunt, quos vtique in vnum locum congregatos natam de Religione controuersiam discutere, ac dirimere par erat, despectis, hascè turbas, ac discordias inter Ecclesias, quantum in te est, concitaris. Quasi verò impetus temerarij pietatis doctrinam magis, quàm sedula, ac diligens veritatis inquisitio decere videantur: Plùs apud nos valeat audacia, quàm adhibita industria; aut perplexa nos magis huiusmodi rerum tractatio, quàm simplicitas oblectet.]

Affirmat varia. Primò, quod Orthodoxa Christianæ fidei veritas non contentione, sed disquisitione inueniatur. Secundò, quod ista disquisitio non per vnius imperantis, aut Imperium vsurpantis interminationes, aut proteruiam, sed per generalem Ecclesiæ synodum sit facienda. Quod ista sit perpetua forma, & consuetudo Catholicæ Ecclesiæ. Cœlestinum Pontificem, qui hascè quæstiones solus definierat, & Nestorium ad sibi obediendum per seueras degradationes interminationes compulerat, de imperioso in Ecclesiam dominatu, ac inuasa generalis synodi auctoritate; sanctum Cyrillum, qui ista decreta generosè publicauerat, arguit de proteruia. Tertiò, eumdem Cyrillum, ac etiam Cœlestinum arguit de contemptu sui Imperij, de temerario impetu, & de varia turbulentia. Hæc ipsa, quæ hodie Paschasius Quesnellus suadet toti Ecclesiæ, turbida dogmata facinorosus Nestorius impressit simplici Theodosio. Verùm sine fructu. Et cum suo rubore. Etenim de ista syno-

synodo statim scripsit ad Pontificem: [Placuit pijssimis Imperatoribus, Domino adiuuante, etiam synodum inexcusabiliter totius Orbis terrarum indicere propter inquisitionem aliarum rerum ecclesiasticarum. Nàm dubitationem verborum non æstimo habituram inquisitionem difficilem, nec impedimento esse futuram ad tractatum Diuinitatis Domini Iesu.] Erubescit de sua appellatione, & synodum mentitur indictam ad alias causas. Eam tamen censuit intimandam Pontifici, quo eius in se sancita sisteret, & ob Principis reuerentiam obtineret suspendi.

Sed nihil penitùs obtinuit. Etenim euenit, quod ad ipsum nuperrimè scripserat Ioannes Patriarcha Antiochenus: [Cogita, si priusquàm vllæ omninò literæ missæ forent, multi contra nos exstitere infrænes, penèque intolerabiles, tanta ex allatis literis subministrata fiducia, quales futuri sint, qualique in posterùm aduersùs nos audacia sint vsuri:] Ioannes est vera vaticinatus. Etenim Papalibus literis animatus populus non solummodò in ipsum Nestorium, sed insuper in Imperatorem declamare cœpit: [Regem habemus, non habemus Episcopum.] Hoc est, habemus regem, sed qui non faciat esse nobis episcopum. Populus solemniter comminatus est Nestorium præcipitare in mare. Et vice versa ipse cœpit in Populum, & Clerum tyrannicè, ac hostiliter sæuire. Hæc omnia in suis ad Principem precibus amplè exponit Archi-Mandrita Dalmatius, & adiungit: [Vestra proindè Maiestas efficiet, vt sacra & Oecumenica synodus primo, quoque tempore hìc coeat, quò hac præsente Christus ecclesiam vniat, Populumque in vnum reducat, ac sacerdotes sinceræ fidei Prædicatores, priusquàm impia illa doctrina latiùs serpat, loco suo restituat. Illud etiam obnixè precamur, ac petimus, quandoquidem Nestorius comminationibus, insectationibus, exilijs, callidis, & prauis machinationibus perterrefacere molitur; & quò suam insaniam, suamque impietatem confirmatiorem reddat, quæcumque excogitari possunt, sine discrimine aggreditur; non Deum timet, nullum hominem veretur, nullum episcopum veneratur, nullum sacerdotem, aut clericum, aut sanctum Monachum, aut religiosum, Laicum honorat; nullam pœnam iniquis decretam formidat, nullam denique legem Ministrorum iræ Diuinæ in eius Prouocatores; sed superbia, qua omnes parui pendit, elatus, pecunijsque, & quorumdam corruptorum hominum potentia fretus, & vt liberè quod res est dicamus, vestra quoque dominatione fretus hæc facit: Petimus, inquàm, ne quidquàm deinceps illi liceat, nisi primùm Orthodoxæ fidei veritas enucleetur, ne quod enixiùs studet, hac penitus dissipata, ac euersa, suam paulatim introducat.]

Hæc verba, [vestra dominatione fretus] palàm euincunt hunc libellum, ac in ipso expressa Nestorij tyrannidem prodijsse post eius appellationem. Ipsa, & ei per Theodosium violenter impartito suspensiuo effectu fretus Nestorius nullum curauit episcopum: Ne quidem Romanum. Hinc errores reuocare noluit, sed maiori cum impetu perrexit prædicare. Degradatos à se presbyteros, quos Pontifex repararet, loco suo noluit reponere. Hinc Dalmatius supplicat duo. Primò, vt ipsi promissa synodus quàmprimum fiat. Deindè, vsque ad ipsam non sola Romana in Nestorium decreta, sed etiam ipsius in clerum, & populum tyrannica attentata sint suspensa: Et præsertim, vt à suæ hæresios prædicatione cogatur cessare. Et conclusit: [Nos de Oecumenica synodo cogenda vos rogamus, quæ aptissimè possit constabilire, & erigere titubantia, siue etiam confracta. Quamquàm per Dei gratiam, eiusdemque tutelam, quæ in vobis operatur inferorum portæ, quæ sunt hæreticorum ora, aduersùs fidem numquàm præualebunt, aut euertere illam poterunt.] Expostulat iam addictam synodum non solummodò pro Nestorio fieri, sed & contra ipsum. Non admitti hæresiarchæ fastum, quo sperabat, & minabatur synodo aduersùs S. Cyrillum, ideòque & aduersùs Cœlestinum Pontificem præsidere. Et istud Theodosius non potuit non admittere. Adductis per Dalmatium rationibus permotus Pontifex etiam consensit in synodum. Etenim dum hæresiarchæ furor sustinetur, ac fouetur, ideòque nec Deum reuereetur, aut homines, generalis synodus est non solummodò vtilis, sed & necessaria. Easdem ob causas synodi postulator Nestorius ipsam adeò extimuit, vt de ipso post peractam synodum Pontifex scripserit ad Constantinopolitanam Ecclesiam: [Quis petitorem synodi crederet synodo absuturum? Campum ad certamen exposcit; Sacerdotale postulat, cui non erat adfuturus, examen.] Et synodus nihil egit, nisi Cœlestini in ipsum sancita probare, stabilire, confirmare. Demonstrauit se non ad definiendam fidem, sed dumtaxat ad superandas hæresiarchæ violentias fuisse necessariam. Et hinc eius acta, tandem meliora edoctus, Imperator Theodosius amplissimè confirmauit. Et huc omninò alludit in datis ad ipsum, dum similem hæresiarchæ Eutychetis appellationem denuò circumscriptus admisit, literis magnus Leo: [Nos venerabilis Imperator, sicut Nestorij dogma peruersum meritò anathematizauimus, ita iustè horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino nostro IesuChristo susceptam esse damnamus. Hoc est, sicut nuper Celestinus rectè damnauit Nestorium, ita & ego rectè nunc damno Eutychetem, ideòque sicut tunc non fuit, ita neque nunc Eutyches est contra Apostolicam Sedem defendendus. Hæc breuiter dicta sint, quò Paschasius Quesnellus demonstretur circa S. Petri priuilegia plurimùm deuiare. Epist. 23.

CAPVT VI.

Discutiuntur Reuerendi Patris Paschasij Quesnelli Asserta contra nescio quem eximiæ eruditionis Virum.

HÆc sunt Paschasij Quesnelli verba: [Quod autem ab eximiæ eruditionis viro suggeritur, lectis scilicèt Constantino-

politanæ synodi Gestis aduersùs Eutychen, omnia sic à sancto Leone fuisse probata, & confirmata, vt ab indicenda synodo generali abstineri debere censuerit tam sanctus Flauianus, quàm sanctus Leo, pace optimi viri dixerim, longissimè à vero abest. Remouendum quidem existimauit Flauianus concilium, quod fieri diuulgabatur, vt scribit ad Leonem, sed quam ob causam? An quia, vt iam laudato Viro videtur, accepta Pontificis Romani confirmatione finita erat causa? At tantùm abest, vt sanctum Leonem approbantem, aut confirmantem tunc haberet Flauianus, vt potiùs penè iratum experiretur, propterea quod Eutychen seueriori sententia, vt putabat, perculerat, qui Statutis Nicænæ synodi inhærere videbatur. Cum enim hæc scribebat de Concilio Constantinopolitanus Antistes Gestorum contra Eutychen exemplaria nondum acceperat sanctus Leo, aut saltem nondum esse à se accepta, & approbata, vel reprobata rescripserat, sed solæ Eutychis literæ ei fuerant redditæ.]

Hic eximiæ eruditionis vir rectè affirmat Eutychetis causam accepta Romani Pontificis ad sancti Flauiani synodum confirmatione fuisse finitam. Etenim loquitur cum S. Augustino, qui post Carthaginensem, ac Mileuitanum contra Pelagiana dogmata celebratas, & ab Innocentio I. Pontifice confirmatas synodos in sermone secundo de verbis Apostoli declamauit ad suum Populum: [Roma rescripta venerunt, causa finita est.] Propter eadem rescripta, simulque propter famosam Zozimi Pontificis Tractoriam in primo ad sanctum Papam Bonifacium libro scripsit eisdem Pelagianis non esse sperandam aut postulandam Generalis synodi audientiam, sed solam restare pœnitentiam. Porrò an eximius ille vir asserat, quod S. Flauianus dum S. Leoni priorem relationem fecit, habuerit approbantem, aut confirmantem Pontificem, ignoro. Si asserat, est lapsus. Interim etiã Reuerendi Patris Paschasij Quesnelli Asserta non carent erroribus. Primus est, quod S. Flauianus non censuerit per Papalẽ suæ synodi confirmationem posse, aut debere abstineri à Generali synodo. Etenim verba eius sunt lucida: [Causa eget solummodò vestro solatio, atque defensione. Sic remouebitur, & concilium, quod fieri diuulgatur.] Sanctus Flauianus viderat omnem Nestorij tragediam. Et fortè fuerat vnus Presbyterorum, quos ille ob rectam in maritima sanctæ Irenes ecclesia prædicationem degradatos ciuitate eiecerat. Sperabat Imperatorem Theodosium, qui tunc admittenda aduersùs Romanam definitionem appellatione doluerat se deceptum, non permissurum, vt etiam à simili Eutychetis audacia circumscriberetur. Hinc cum fiducia scripsit ad S. Leonem: [Sic remouebitur, & concilium.] Secundus error est, quod etiam S. Leo istud ipsum censuerit. Etenim aliud demonstrant frequentes eius ad Theodosium literæ, quibus assiduè scripsit nullam esse necessitatem futuræ synodi, immò nec vtilitatem. Et quod nuperum in Nestorij causa lapsum ipsi ad nares cum reuerentia, & constantia fricuerit, est suprà ostensum. Tertius error est, quod magnus Leo synodale S. Flauiani iudicium non confirmauerit. Etenim confirmatio est lucida. Et licèt non pateret ad oculum, esset potiùs Leontio apud Byzantinos Scholastico, & Victori Tonnonensi episcopo credendum, quàm Reuerendo Patri Paschasio Quesnello.

Interim ille prosequitur: [De confirmatione igitur Gestorum à se habitorum aduersùs Eutychem ne per somnium quidem cogitabat Flauianus, dum de remouendo concilio, quod parabatur, sermonem ad Leonem habebat. Hoc vnum pro sacerdotali sollicitudine verebatur, ne euocatis ad Oecumenicam synodum episcopis,] Sanctissimæ vbique turbarentur ecclesiæ. [Ipsissima enim eius verba sunt in prima epistolarum, quas ad Leonem scripsit. Et illam quidem minimè necessariam synodum existimabat, quia quidquid impij dogmatis Eutyches euomuerat, in antiquis hæreticis, Apollinari, Valentino, & alijs iam pridem damnatum fuerat, atque proscriptum præcedentium Conciliorum, vel episcoporum sententijs: Et ea etiam proferebat, quæ sancti, & vniuersalis Concilij Ephesini doctrinæ aduersabantur. Ac proinde eiusdem anathemati, sententiæque obnoxium se faciebat. Cui pœnæ declarandæ quid opus erat, vt vniuersi Christiani Orbis episcopi suis Sedibus mouerentur in synodum coituri.] Probat hæc auctoritate S. Papæ Felicis III. [Facta semel synodus abiecti cuiuslibet erroris cunctos sequaces consequenter inuoluit.] Subsumit ex Gelasij epistola ad Faustum Magistrum: [Non solùm Præsuli Apostolico hoc facere licet, sed cuicumque Pontifici, vt quoslibet & quemlibet secundùm Regulã ipsius hæresios ante dãnatæ à Catholica communione discernant.] Hinc cõcludit etiam contra Eutychetem non fuisse necessariam synodum.

Errores varij. Primus est, quod ad magnum Leonem scribens Flauianus de Apostolica suorum synodalium Gestorum confirmatione nec per somnium cogitauerit. Etenim licèt non cogitarit de confirmatione data; plurimùm tamen cogitauit de danda. Ipsam expostulauit omnibus suæ eloquentiæ viribus. Secundus est, quod ad remouendum Generale Concilium adduxerit hanc vnicam rationem: [Ne sanctissimæ vbique turbentur ecclesiæ.] Etenim adduxit duas rationes. Vnam, liceat cum Philosopho, loqui, à priori alteram à posteriori. A posteriori est iam dicta. Etenim omnium ecclesiarum turbatio est sequela Generalis Concilij, ideoque istud sine grauissima totius ecclesiæ necessitate non est postulandũ, aut concedendum. Rationem à priori Flauianus expressit his sæpè laudatis verbis: [Per propria scripta dignare decernere damnationem regulariter factam. Causa enim eget solummodò vestro solatio, atque defensione. Sic per vestras sacratissimas literas hæresis, & turbæ destruentur. Remouebitur, & Concilium.] Tertius error est, quod S. Flauianus scripserit synodum non esse necessariam, eò quod Eutyches iam damnatam Valentini, aut Apollinaris hæresim resumeret, ac palàm impingeret in Sancita Ephesina. Etenim licèt sint verissima, non tamen ita fuerunt adducta à Flauiano. Flauianus ea adduxit, quo demonstraret suum synodale iudicium fuisse regulariter factum, ideòque omni-

omninò esse Apostolica auctoritate confirmandum. Et vt Papam fortiùs impelleret, addidit ista eius confirmatione etiam remouendum Generale Concilium, quod fieri iactabatur.

Gaudeo, & gratulor Reuerendum Patrem Paschasium Quesnellum firmare sua Asserta per sancti Gelasij Pontificis epistolam ad Faustum Magistrum. Hinc enim mihi spem facio, quod omnem veneretur epistolam, ac profiteatur. Confido ipsum non impingere in regulā, ex qua aduersùm Manichæos scripsit S. Augustinus: [Manichæi, qui in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis nō creditis, non Euangelio, sed vobis creditis.] At verò S. Gelasius in laudata epistola scribit aduersùm Sectatores Acaciani schismatis: [Nobis opponunt canones, dum nesciunt, quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi sana, rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi enim sunt canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad huius Sedis examen voluere deferri; ab ipsa verò numquàm appellari debere sanxerunt; Ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potiùs decreta sequenda mandarunt.] Hæc Reuerendus Pater Paschasius ex animo profiteatur, & nos ipsum ex animo reuerebimur.

Audiamus sequentia: [Hæc erat genuina ratio, quæ Flauiani animum à cogenda Synodo deterrebat. Cui planè annuit S. Leo, cum literis, Gestisque Flauiani acceptis, de qua re ageretur intellexit, Et infra:Ità sensit Pontifex abstinendum à celebranda Synodo, cùm totius negotij seriem benè perspectam habuit. Superfluam enim Synodum arguit, vt liquidò apparet, non ex approbatione, aut confirmatione Sedis Apostolicæ, sed ex inutilitate, ex causæ, quæ ventilanda erat, certitudine, ex quæstionis ipsius euidentia, quam in dubium reuocare nefas ducebat.] Respondeo fabulam sibi ipsi iterùm non cohærere. Etenim hæc verba, ita sensit Pontifex abstinendum à celebranda Synodo, cùm totius negotij seriem benè perspectam habuit, profitentur Flauiani synodale Iudicium fuisse omninò à Pontifice examinandùm, ac retractandum, & ex perspecta eius legitimitate procedendum ad recusandam generalem Synodum. Profitentur Flauiani iudicium fuisse à Pontifice examinatum, ac retractatum, & ex perspecta eius legitimitate recusatam generalem Synodum. At verò per examen, & retractationem perspecta legitimitas, & propter ipsam facta generalis Synodi recusatio, quid est nisi confirmatio? Est istud ipsum, quod laudat quintus Nicænus Canon: [Inquiratur autem, ne simultate, aut contentione, aut aliqua alia molestia episcopi sint excommunicati. Et si qui manifestè offenderint episcopum, iustè excommunicati] ab omnibus esse videantur. Idest, hæc excommunicatio, quoniam iusta, ab omnibus confirmetur. Hæc enim confirmatio est scopus, & fructus examinis, ac retractationis. Proinde Reu. Pater Paschasius Quesnellus, licèt Apostolicæ confirmationis rem abijcere non possit, delectatur tamen consueta abijcere vocabula, atque ità suæ erga sanctum Petrum pusillanimitati istud saltem solatium impartiri. Datam à se fuisse confirmationem Pontifex disertè affirmat etiam in literis ad Faustum, Martinum, & alios Constantinopolitanæ Ecclesiæ Archimandritas: [Sensum Eutychis, qui sicut Gestorum lectione cognouimus, meritò reprobatus est, etiam nos detestandum esse decernimus, ità vt si asserror insipiens in sua prauitate voluerit permanere, habeat cum his consortium, quorum est secutus errorem.] S. Flauianus Pontifici supplicarat, vt dignaretur per propria Scripta decernere Eutychetis damnationem esse factam regulariter. Et Leo hic disertè scribit se decreuisse: Ex Gestorum synodalium lectione. Hoc est, ex retractatione confirmasse.

Adducenda sunt & sequentia verba: [Sed antequam ea omnia nota essent Pontifici, & postquàm etiam de rei totius serie à Flauiano instructus esset, non modò è rei Catholicæ vtilitate synodalem Conuentum esse existimauit, sed & pro eo impetrando supplices ad Imperatorem dedit literas.] Adducit vigesimam tertiam Magni Leonis epistolam, & concludit: [Ex quibus, & ex sequentium aliquot epistolarum verbis elucet Leonem persuasum tunc habuisse, maximam vtilitatem allaturam esse Synodum, idque multiplices ob causas.] Vt euincat Romanæ Ecclesiæ non esse auctoritatem definiendi dogmaticas controuersias, affirmat generalem contra Eutychianos errores Synodum etiam per Magnum Leonem fuisse à Principe postulatam. Respondeo virum denuò circumscribi, aut velle circumscribere. Etenim omnes per ipsum hic laudatæ Leonis epistolæ, si vel leuiter inspiciantur, demonstrant illius animum fuisse à Synodo penitùs auersum. At quoniam per Dioscorum, & Eutychetem seductus Princeps persistebat, institit, vt Synodus saltem in Italia fieret. Ex momentosissimis rationibus. At neque istud obtinuit. Quare errorem continent etiam hæc verba: [Verùm dum hæc sanctus Leo in ancipiti positus meditatur, modò ad congregandam Synodum propensior, modò ad remouendam, Theodosius Augustus eam apud Ephesum conuocandam indixit, inscio Romano Pontifice.] Etenim clarum est Leonem à Synodo semper, & constanter fuisse auersum. Ad damnandam hanc hæresim censebat suum Tomum sufficere.

Reuerendus P. Paschasius Quesnellus post varia, quæ ad rem non faciunt, concludit: [Quatuor huiusmodi libelli in primis distinguendi sunt, ne cuiusque vis, & energia alteri tribuatur, vnde & totum hoc negotium consequenter obscuretur. Fuit igitur primus libellus appellatorius ad Concilium. Secundus Contestatorius ad Constantinopolitanum Populum. Tertius Querimonialis, seu querelæ ad sanctum Leonem. Quartus libellus supplex ad Imperatorem. Primus commentitius erat, nec reverà datus; alij tres verè oblati. Quorum omnium libellorum mentionem facit sanctus Flauianus in epistola prima ad sanctum Leonem.] Querimonialem libellum exponit per verba Iurisconsulti: [De pa-

paternis iniurijs conquerentem filium audiri iustum est, & vsitatum; eum ipsum accusantem vix quisquam ferat.] Respondeo fabulam denuò non cohærere. Etenim Eutyches de Flauiano non dumtaxàt conquestus est, sed insuper accusauit. Etiam de Nestoriana hæresi. Nec apud solum Pontificem, sed etiam Principem; Accusauit adeò crudeliter, vt Theodosius sanctissimum virum coegerit ad solemnem, propria manu scriptam, & subscriptam, fidei professionem. Nec his contentus Eutyches suis Contestatorijs libellis indidit grauissimas in optimum antistitem contumelias. Quæ certè non sunt filialia. Et ad Leonem Papam transmisit libellum; quo synodale Flauiani Iudicium postulabat retractari, & circumduci. Addidit eumdem, aut similem libellum à se exhibitum in ipsa Synodo: Et asseruit fuisse libellum appellationis. Proindè Paschasius Quesnellus denuò, quia rem abnegare non valet, ludit in voculis, atque ità deuias suas cogitationes studet consolari.

Etiam mei dignatus est facere memoriam: [Nihil igitur contra antiquum Canonem, & morem agebat Flauianus, qui eo nomine arguitur à Christiano Lupo, cum Synodi suæ acta Romam non retulit.] Quod eum Magnus Leo arguerit, est manifestum. Et spero me non delinquere, si tanto potiùs Pontifici credam, quàm hodiernis Commentis. Esse Commenta, est supra demonstratum; & in Scholijs ad Dictatum sancti Gregorij septimi. Fateor plures Prouinciarum Synodos quandoque non retulisse. At non quid fecerint, sed quid ab ipsis fieri oportuerit, est attendendum. Quid Gallicana olim Ecclesia actitarit, demonstrat S. Innocentij primi Pontificis Rescriptum ad sanctum Victricium Metropolitam Rothomagensem. Et ad Viennensis Prouinciæ episcopos scripsit Magnus noster Leo: [Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reuerentia, à vestræ etiam prouinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam:] Loquitur non de vniuersa Gallia, sed de sola Narbonensi Prouincia. Ex ipsa sola affirmat in Romanis scrinijs reperiri exemplaria innumerarum relationum. De tanti Pontificis fide Gallicana olim Ecclesia non dubitauit.

DIS

DISSERTATIO QVARTA.

De Romana Appellatione Sancti Flauiani Episcopi Constantinopolitani, degradati per Ephesinum Latrocinium.

CAPVT PRIMVM.

An S. Flauianus appellauerit ad aliud Generale Concilium, an verò ad solam Romanam Ecclesiam?

DE hac re scribit Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus: [Appellationem, quæ ad Sedem Apostolicam delatæ dicuntur primis Ecclesiæ sæculis, omnium celeberrima ea est, quæ data est à sancto Flauiano Constantinopolitano Episcopo post latam aduersùm se à Dioscoro sententiam. Non enim tunc, inquiunt, à Prouinciali, vel Diœcesana Synodo, sed ab ea, quæ Oecumenicæ Synodi nomine gaudebat, ex omnibus videlicet episcopis collecta, & cui tres præcipui Ecclesiæ Primates, & Patriarchæ, Occidentales per Legatos, Orientales per se ipsi intererant.] Non malè. Proinde hoc exemplo magnificè demonstratur etiam à generali Synodo posse prouocari ad solum Romanorum Episcopum, adeòque ipsum ista Synodo esse omninò superiorem. Quoniam ab ipso non solummodò supplicatur synodalis iudicij reuisio, sed proprijssimè ad ipsum appellatur. Etenim non solus Dioscorus Alexandrinus, sed etiam Iuuenalis Hierosolymitanus, Thalassius Cæsariensis in Cappadocia, Basilius Seleuciensis, & cæteri Primates, immò omnes Latrocinali Iudicio cooperati episcopi, in retractatoria apud Chalcedonem Synodo fuerunt demutari in reos, compulsi ad suorum operum rationes, & solemnem pœnitentiam. Excipe solos illos, qui per humilem pœnitentiam antea à Magno Leone supplicauerant veniam, ac impetrauerant. Quorumdam hodiernæ in Apostolicam Sedem contumeliæ interim nos cogunt in res lucidas tempus expendere. Quare nolim per easdem assiduè lineas serram ducere: Discutere volo sola necessaria, aut vtilia. Rei series est compendio exponenda.

Dum Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, ac synodalis Præsidentiæ apud Ephesum inuasor, in sanctum Flauianum pronuntiauit latrocinalem sententiam, optimus Episcopus reposuit: [Appello à te. Et Hilarus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, ac sancti Leonis Pontificis Legatus, adiunxit. Contradicitur.] Ita habent acta synodalia. Eadem de re scribit Eutychianę hęresis Breuiculus, seu acta super nomine Acacij episcopi Constantinopolitani: Flauianus deijcitur, contradicentibus Vicarijs Romanis. Reuerà enim non solus Hilarus contradixit, sed etiam eius in Legatione collega, Renatus Romanæ Ecclesiæ ad sanctum Clementis titulum Cardinalis presbyter. Lucet ex datis postmodò ad ipsum literis Theodoreti Cyrensis episcopi: [Cognouimus ardentem, iustumque zelum pietatis tuæ, & iustissimam, ac legitimam libertatem, qua vsus es, cum ea, quæ apud Ephesum temerè, ac licenter acta sunt, reprehenderes. Nec soli nos ista didicimus, sed in omnem terram rectæ mentis tuę sonus exiuit, & omnes iustitiam, zelum, libertatem, & aduersùs iniquitatem iniectas à te minas decantant. Et hæc quidem egit pietas tua, cùm vnicam cædem conspexisset.] Nempè cædem sancti Flauiani, quem sceleratus, & episcopi nomine indignus Dioscorus coram se genuflexum inuasit calcibus in conspectu totius Synodi, & inflixit lethalia vulnera, ex quibus paucos post dies nouus iste Abel migrauit ad Dominum. Renatus igitur non dumtaxàt latrocinali Iudicio contradixit, sed insuper est minatus Dioscoro: Et quidem cum zelo, ac libertate. Haud dubiè protestatus est ista omnia, quoniam sine Apostolicæ Sedis auctoritate, immò contra eius sacrosanctas Iussiones, & per inuasum eius priuilegium acta, esse latrocinalia Attentata: Et Dioscoro minatus est talionem. Quare mendosa sunt hæc laudati Breuiculi de Romanis Legatis Ephesum proficiscentibus verba presbyter Renatus in Delo Insula morte præuentus est. Iulius Puteolanus episcopus, Legatorum Primas, quoniam nec in Synodo, nec post ipsam reperitur vlla eius memoria, videtur isthic obijsse. Quidquid sit, non vnum, sed plures Romanæ Ecclesiæ Legatos isti iudicio contradixisse, testatur Victor episcopus Tonnonensis. Eiusdem contradictionis meminit in Chronico Prosper Tyro: [In Ephesino Concilio Dioscorus Alexandrinus episcopus, Primatum sibi vindi-

dicans, absoluto Eutyche, in Flauianum episcopum Constantinopolitanum damnationis sententiam tulit, reclamante Hilaro, diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice sancti Leonis Papæ cum Iulio episcopo Puteolano à Sede Apostolica fuerat destinatus. Nam cùm omnes episcopi in Concilio constituti, vti & metu Comitum, vel militum, quos Dioscoro Alexandrinæ vrbis episcopo attribuerat Imperator, compellerentur huic hæresi accommodare consensum, memoratus diaconus, inter tot vitæ pericula constitutus, voce contradictionis emissa, cum in eius propterea perniciem sæuiretur, relictis illic omnibus suis, latenter abscessit, vt præfato Papæ, vel cæteris Italiæ sacerdotibus, qualiter ibi Catholica fides fuerat violata, sua delatione promeret.] Omnes suos Legatos contradixisse scribit in literis ad Imperatorem Theodosium, ac ad eius sororem Pulcheriam etiam Magnus Leo, singulariter tamen laudans Hilarum diaconum. Porrò appellans Flauianus non expressit inuocatum à se Iudicem. Hinc quæstio est, an ad solum Pontificem appellauerit, an verò ad aliam generalem Synodum? Hoc enim placet Reuerendo Patri Paschasio Quesnello. Petrus de Marca hìc deseritur à suis Symmistis.

Ep. 40. 41.

Respondeo sanctum Flauianum appellasse ad solum Pontificem Leonem. Lucet ex eiusdem Magni Leonis testimonio in literis ad Imperatorem Theodosium: [Quia Dominicæ Incarnationis Sacramento impiè nunc à paucis imprudentibus obuiatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes Mansuetudini vestræ cum gemitibus, & lachrymis supplicant sacerdotes, vt quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus episcopus dedit, generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ità aut repellat, aut mitiget, ne vltra aliquid sit, vel in fide dubium, vel in charitate diuisum. Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta testantur. Eadem verba Leo repetit in alia ad eumdem Principem epistola, & adiungit de Nicænis Canonibus:] Quæ subter adnexa sunt. Et subter adnexuit Sardicensem Canonem de Romanis appellationibus damnatorum episcoporum. Per quam adnexionem altè clamauit sanctum Flauianum appellasse ad suam Sedem. Affirmauit enim ipsum appellasse ista appellatione, quam laudant, & stabiliunt, & cuius prosequendæ, ac exequendæ modum præscribunt isti Canones. At verò istorum fundamentalis vox est: Sancti Petri memoriam honoremus. Palàm laudant, ac stabiliunt appellationes Romanas. Alia ipsorum palmaris vox est de inuocato per appellantem Romano Episcopo: Faciet quod sapientissimo consilio iudicauerit. Leo permansit constans in suo, quod ante Ephesinum Latrocinium placuerat, consilio. Vti tunc censuerat retractatorium Eutychianæ appellationis Iudicium debere fieri in generali intra Italiam Synodo, ità nunc istud ipsum censet de appellata causa sancti Flauiani. Addit has suas preces esse fundatas in Nicænis, seu Sardicensibus Canonibus, ideòque sibi non posse de-

Ep. 29. c. 3.

Ep. 40. c. 3.

negari. Quod nempè ad se esset facta appellatio, ideòque in suo, quod isti Canones sapientissimum prædicant, Beneplacito haberet omnia. Sanè non ad eius Sedem, sed ad generalem Synodum interiecta appellatio ei non faciebat istam expostulandi fiduciam.

Assertio lucet etiam ex his verbis: [Eisdem libellum appellationis Flauianus episcopus dedit.] Proinde non sola voce appellauit Flauianus, sed etiam per libellum. Vtique post Latrocinale iudicium, antequam conijceretur in carcerem, vel certè antequam in exilium propelleretur. In ipso iudicio appellauit voce, postmodò appellationem redegit in libellum, & tradidit Legatis Apostolicis. Nempè portandum, & tradendum Pontifici, & ab ipso discutiendum in retractatorio Iudicio. Quin Leo Pontifex, & Apostolica sancti Petri Sedes fuerint in ipso expressa, non est dubitandum: Attamen quia sacrum istud instrumentum est à nobis perditum, per ipsum non possumus obstruere os loquentium iniqua. Ipsum obstruit magnus Leo in literis ad Imperatricem Pulcheriam: Scripsimus de hac re, [Actis Ephesini latrocinij, & appellatione sancti Flauiani ad gloriosissimum Principem, vt fidem, in qua nenatus per Dei gratiam regnat, nulla sinat nouitate corrumpi, quoniam Flauianus episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc, quod factum est sine consideratione iustitiæ, & contra omnem Canonum disciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit, & quia dissensionis scandalum non abstulisset Ephesina Synodus, sed auxisset, habendo intra Italiam Concilio, & locus constitueretur & tempus, omnibus querelis & præiudicijs partis vtrinsque suspensis, quò diligentius vniuersa, quæ offensionem generauerunt, retractentur.] Admittit sancti Flauiani appellationem, ipsum reuestit episcopatu, firmat in episcopali ad omnes Ecclesias communione, eius appellationi dat effectum suspensiuum, ad retractatorium sine latrocinali violentia peragendum examen postulat concedi Synodum in Italia, ei præfigi tempus & locum, & hæc omnia per Theodosium ratificari. Hæc omnia postulat virtute Canonum Sardicensium. Omnia sunt vana, & friuola, immò & violenta Attentata, si Romana Sedes à Flauiano non fuit inuocata.

Epist. 41.

Hæc eadem lucent ex literis ad Clerum, & populum Constantinopolitanum. Affirmat Flauianum fuisse à Dioscoro, & eius Latrocinio iniquè damnatum, & prosequitur: [Sed hos ausus confidimus Christianissimo Principi minimè placituros. Nunc quia Ecclesiam vestram hac ratione cognouimus dissipatam, consolandos, & adhortandos vos esse credidimus nostris epistolis, vt pro Catholicæ fidei defensione perfidorum nequitiæ resistatis. Nolumus enim dilectionem vestram hoc mœrore percelli, cum maior gloria vestram sit subsecutura constantiam, si à probabili Sacerdote vestro nullæ vos minæ, nulla formido diuulserit. Quisquis enim incolumi, atque superstite Flauiano Episcopo vestro fuerit ausus Sacerdotium inuadere, nunquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari. Nos enim sicut Nestorium in sua peruersitate anathe-

Epist. 45.

matizauimus, ita eos qui veritatem carnis nostræ in Domino Iesu Christo denegant, pari execratione damnamus.] Epistola videtur scripta ante confirmatum ab Imperatore Theodosio Latrocinium. Ante Ecclesiæ Constantinopolitanæ ordinatum Anatolium. Saltem scripta est, antequàm Leo ista sciret. Interim nouerat machinas Dioscori, qui degradato Flauiano studebat statim superintrudere suum Archidiaconum Anatolium, in Regia ciuitate suum nuperrimè Apocrisarium. Tentabat agere aduersùs Flauianum, quomodò eius Prædecessor Theophilus egerat aduersùs S. Ioannem Chrysostomum: Qui eiecto statim superordinauerat Arsacium. Contra has machinas magnus Leo potentissimè intercedit: Clerum, & Populum ex pectore animat ad constantiam, qua neminem viuo Flauiano permittant superordinari, addens ipsum, qui se intrudi permiserit, à se irreparabiliter degradandum, & habendum indispensabiliter irregularem. Et perstitit firmus in suo verbo. Etenim Anatolium, licèt nonnisi post Flauiani mortem videatur ordinatus, agnoscere non voluit, nisi post multam pœnitentiam ad instantissimas preces optimi Imperatoris Martiani. Leo hæc omnia egit iuxta Sardicenses Canones. Et omnia sunt vana, si Flauianus ad ipsum non prouocauerit.

Epist. 42. Eadem veritas liquet ex Pontificis rescripto ad S. Flauianum: [Quæ, & quanta dilectio tua pro Catholicæ fidei defensione patiatur, per Diaconum, qui ab Epheso furtim est elapsus, agnouimus. Et licèt magnificemus Deum, qui te gratiæ suæ virtute confortat, necesse est tamen nos dolere eorum ruinas, per quos veritas impugnatur, & ipsa totius Ecclesiæ fundamenta quatiuntur. Quia verò prouidentia Dei semper suis necessarium præstat auxilium, scire debet fraternitas tua nos à communi causa nihil eorum, quæ agenda sunt, præterire: Vt primitùs ad ea, quæ vniuersitati fidelium prosint, peruenire mereamur. Superest, vt fortiter interim dilectio tua toleret, quæ sibi ad æternam gloriam non dubitet profutura. Perlator sanè breuis huius epistolæ fideli sermone poterit enarrare, quidquid illud est, ad quod, adiuuante Domino, studio fidei, & charitatis intendimus.] Breuis hæc epistola est omninò Papale rescriptum ad appellationis instrumentum, quod Flauianus destinauerat per Hilarum Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum. Affirmat varia. Primò, quod Pontifex omnem tragediam abundè intellexerit ex laudato suo Diacono. Secundò, quod S. Flauiani calamitatibus ex animo compatiatur. Tertiò, quod Catholicæ fidei, quæ est causa totius Ecclesiæ, debeat ante omnia prouidere. Quartò, quod exinde statim intendet rebus singularibus Flauiani. Ei promittit seriam causæ retractationem, interim admittens eius appellationem, ipsum reuestiens, & omnia suspendens. Hæc sunt, quæ epistolæ Perlator ei debebat fideli enarrare sermone. Etenim, & breuis hæc epistola, & epistola ad Imperatorem Theodosium, & epistola ad Imperatricem Pulcheriam, per quas Papa Flauianum reuestit, & ad retractandam eius causam postulat in Italia synodum, datæ sunt eodem die, tertiò Idus Octobris. Hinc pluribus ad Principes, paucis ad Flauianum scripsit, plura illi exponi mandans per Tabellarium. Eadem die scripsit ad Iulianum Coënsem, & ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum: Forsan, & ad alios. Hinc breuiter ad Flauianum. Interim hæc omnia simul iuncta lucidè demonstrant S. Flauianum appellasse ad solum Pontificem.

Quid opus multis? Valentiniani III. Imperatoris ad Collegam Theodosium epistola est lucidissima: [Cum aduenissem in Vrbem Romam ad Diuinitatem placandam, sequenti die ad Basilicam Apostoli Petri processi, & illic post venerabilem noctem diei Apostoli, & à Romano Episcopo, & ab alijs cum eo ex diuersis Prouincijs congregatis, rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ cum sit conseruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata, quam nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare: Quatenùs Beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare, Domine Sanctissime Pater, & Venerabilis Imperator. Huius enim rei gratia, secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem, quæ orta est de fide. Huic itaque postulanti, & coniuranti salutem nostram communem, annuere non negaui, quatenùs ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, vt prædictus Sacerdos, congregatis ex omni Orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præiudicio submoto, à principio omnem causam, quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides, & ratio veræ Diuinitatis exposcit.

Affirmat varia. Primò, quod Romanæ ciuitatis Episcopo Sacerdotij super omnes Principatum antiquitas contulerit. Secundò, quod ex huius Principatus causa ad ipsum spectet de fide, & omnibus Episcopis iudicare. Tertiò, quod hæc non dumtaxat in antiquitate, seu antiqua consuetudine fundentur, sed etiam in solemnitate Canonum. Quartò, quod ex istis fundamentis Constantinopolitanus Antistes, vtique S. Flauianus, ad ipsum per libellos appellauerit. Non sola voce in ipso latrocinali iudicio, sed etiam post ipsum per libellos. Non ad totius Ecclesiæ, aut totius Occidentis Synodum, sed ad solum Episcopum Romanorum. Quintò, quod totius Mundi Episcopos in Generalem Synodum congregare spectet ad eumdem Pontificem. Sextò, quod in ista Synodo etiam ad ipsum spectet omnem causam à principio retractare, & definitiuam ferre sententiam. A prauis ministris circumscriptus Theodosius in literis, quibus palàm fauit Nestorio, & sanctum Cyrillum per duras minas coegit ad Ephesinam Synodum, sanctum Cœlestinum Pontificem tacito nomine reprehendit, quod istas quæstiones definijsset solus, adiungens ista ex maiorum more spectare ad Oecumenicam synodum. Haud dubiè similia scripserat

etiam pro Eutychete. Hunc eius errorem notat Valentinianus, asseuerans omne de fide ac Episcopis, etiam in generali synodo, iudicium spectare ad Episcopum ciuitatis Romanæ.

Eadem omnia confirmat in literis ad eumdem Theodosium Galla Placidia Augusta, Constantij Imperatoris vidua, Mater Valentiniani: [Non enim modicum detrimentum est ex his,quæ gesta sunt, vt fides,quę tantis temporibus regulariter custodita est à sacratissimo Patre nostro Constantino, qui primus Imperio splenduit Christianus, perturbata sit ad arbitrium vnius hominis, qui in Synodo Ephesinæ ciuitatis odium, & contentiones potiùs exercuisse narratur, militum præsentia, & metu impetens Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum Flauianum, eò quod libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium, per eos qui directi fuerant ad Concilium à Reuerendissimo Episcopo Romæ, qui secundùm definitiones Nicæni Concilij sunt consueti interesse, Domine Sacratissime Fili, venerabilis Imperator. Hac itaque gratia tua mansuetudo, tantis turbis resistens, veritatem fidei Catholicæ Religionis immaculatam seruari præcipiat, vt secundùm formam, & definitionem Apostolicæ Sedis, quam & nos tanquàm præcellentem similiter veneramur, in statu Sacerdotij illæso manente per omnia Flauiano, ad Concilium Apostolicæ Sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claues fuit dignus accipere,Principatum Episcopatus ordinauit, quando scilicet decet nos huic maximè ciuitati,quæ Domina omnium est ciuitatum, in omnibus reuerentiam conseruare.] Disertè affirmat Flauianum appellasse ad Leonem. Et eius appellationi rogat donari suspensiuum effectum: Secundùm Canones. Insuper postulat retractatorium iudicium transmitti ad Concilium Sedis Apostolicæ. Non ad Oecumenicam Synodum; sed ad Synodum solius Romanæ Prouinciæ. Hanc iudicat sufficere. Quod nempè ista Synodus essent Episcopi harum partium, ad quos Flauianus appellauerat. Si tamen appellauerit. Etenim penitùs existimo, quod ipsis potiùs exposuerit suam causam, commendandam S. Leoni. Interim res cadit in idem. Quidquid fuerit, Galla Placidia istud ipsum postulauit à sancta Imperatrice Pulcheria: [Clementia tua secundùm Catholicam fidem conspirare dignetur, vt quidquid illo tumultuoso, miserrimoque Concilio constitutum est, omni virtute remoueatur, vt omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ Sedis iudicium, in qua primus Apostolorum beatus Petrus Sacerdotij Principatum tenuit,Episcoporum causa mittatur.]

Eadem omnia in literis ad Pulcheriam Augustam insigniter exponit Hilarus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus. Exponit Latrocinale Dioscori de Flauiano iudicium, suam contra illud generosam protestationem, suumque per multa pericula reditum ad Romanam ciuitatem, & prosequitur: [Vestra itaque veneranda clementia cognoscat à S. Leone Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra Canones per tumultus, & odia sæcularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt, & nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, & præiudicio sanctissimi viri,innoxijque Flauiani commissa sunt. Quæ verò constanti, ac forti authoritate pro fide à me nunciata sunt, superfluum credo narrare. Nam hæc ex literis BB. Papæ poteritis agnoscere.] Per reducem Hilarium de appellatione instructus Leo mox coegit suæ, ac vicinarum Prouinciarum Synodum, & decreuit omnia superiora. Latrocinalem Synodum cassauit, & circumduxit; admisit S. Flauiani appellationem; ipsum reuestiuit, & firmauit in plena Episcopali apud omnes Ecclesias communione; ipsius appellationi adscripsit effectum suspensiuum, ipsi quemcumque superordinari rigidissimè vetuit; retractatorium iudicium voluit fieri in celebranda intra Italiam synodo: Et hæc omnia per varias literas scripsit ad Theodosium, ad Pulcheriam, ad Iulianum Coensem Episcopum, ad S. Flauianum, & ad alios. Omnis Occidens admisit promptissimè: Etiam ante datum auxilium ab Imperatore Valentiniano. Etenim omnes istæ literæ sunt scriptæ tertio Idus Octobris, & Valentinianus Romam non venit, nisi ad sequens Festum Principis Apostolorum. At circumscriptus in Eutychetis patrocinium, ac in S. Flauiani odium Theodosius obedire non permittebat Orientalem Ecclesiam: Hinc ipsi per varios modos, ac mediatores supplicauit Pontifex. Et licèt non exaudiretur, vti non desijt Principatu sui Romani Sacerdotij.

Etenim omnes Orientales episcopos,qui latrocinali in sanctum Flauianum iudicio adfuerant, & consenserant, suspendit à suæ Sedis, ac totius Orientalis Ecclesiæ communione. Romana Ecclesia Orientales Episcopos, dum ob Regiam præsentis Imperatoris violentiam aliter non poterat, sic olim fuit consueta punire, & frænare. Lucent ista ex S. Leonis literis ad Anatolium, propter Regias Martiani, & Pulcheriæ preces iam confirmatum in episcopatu Constantinopolitano: [De Fratribus verò, quos & epistolis Epist. 60. tuis, & Legatorum nostrorum relatione, communionis nostræ cupidos esse cognouimus, eòquod doleant se contra potentiam, contraque terrores, non tenuisse constantiã, sed alieno sceleri præbuisse consensum, cum nos ita formido turbasset, vt in damnationem Catholici, atque Innocentis Antistitis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio, illud quidem quod præsentibus, & agentibus nostris constitutum est approbamus, vt suarum interim ecclesiarum essent communione contenti, sed cum Legatis nostris, quos misimus, participata tecum sollicitudine volumus disponatur, quatenùs hi, qui plenis satisfactionibus malè gesta condemnant, & accusare se magis eligunt quàm tueri, pacis & communionis nostræ vnitate lætentur, ità vt digno priùs anathemate, quæ contra fidem Catholicam sunt recepta, damnentur.]

Affirmat, & docet varia. Primò, quod omnes latrocinali Iudicio cooperatos Orientis episcopos remouerit à sua communione. Nempè in ista post Hilari Diaconi reditum Syno-

Synodo, qua Flauiani appellationem admisit, ac ipsum reuestiuit. Processit ex antiqua Ecclesiæ regula, laudata, ac stabilita per Africanum Canonem: [Placuit vt à quibuscumque iudicibus ecclesiasticis, ad alios Iudices ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate, vel gratia deprauari.] Isti episcopi, licèt non inimico animo, tamen cupiditate, & gratia deprauati iudicauerant, ideòque Magnus Leo ipsos meritò castigauit. Secundò discimus, quod isti episcopi, dum vixit Imperator Theodosius, in patientia, ac penitentia siluerint. Etenim ille confirmarat Ephesinum latrocinium, & aduersùs ipsum, nec preces, nec instructiones dignabatur admittere. At verò post eius mortem Imperio admotus Martianus exaudiuit Magnum Leonem, omniaque eius Decreta, ac Postulata veneratus est, & confirmauit. Tunc igitur istorum episcoporum plurimi agnouerunt errorem, & primò ad Iulianum Coensem episcopum, Leonis isthìc Legatum, deinde recurrerunt ad ipsum Pontificem, & suæ infirmitati, ac lapsui indulgentiam supplicarunt, recipere communionem cum Romana, adeòque & cum omni Orthodoxa Ecclesia. Et Leo per gradus processit. Primò ratam habuit factam eis à suis legatis gratiam. Apostolicam communionem citra solam cuiusque Ecclesiam. Deindè ipsis, dummodò Eutychianæ perfidiæ solemniter dicerent anathema, restituit plenam communionem.

Pontifex pergit in sua epistola: [De nominibus autem Dioscori] Patriarchæ Alexandrini, "Iuuenalis" Hierosolymitani," & Eustatij" Berytensis in prima Phœnicia episcopi, [ad Sacrum Altare non recitandis dilectionem tuam, hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse duxerint, quodque honorandæ Sancti Flauiani memoriæ non repugnet, & à gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est, atque incongruum, eos, qui innocentes & Catholicos sua persecutione vexarunt, Sanctorum nominibus sine discretione misceri, cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua prauitate condemnent: Quos conuenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.] Dioscorus palam ex inimico animo in sanctum Flauianum processerat, Iuuenalis autem, & Eustatius, qui ex officio debuerant compescere, singulariter adiuuerant: Hinc ipsos Pontifex censuit singulariter castigandos. Eos nec communione, nec gradu priuauit. Etenim omnes tres Chalcedone comparuerunt, vt episcopi: Et in prima Actione Dioscorus assedit, vt Patriarcha. Discedere, & exire compulsus fuit, non quia degradatus, aut excommunicatus, sed quia ex Iudice demutatus in Reum. Per sancti Flauiani appellationem. Hanc igitur pœnam Pontifex in istos tres valere voluit: Et insuper ipsorum nomina non recitari ad Sacrificium. Ipsos suspendit à celebratione Missarum, immò ab omni perceptione Sacrosanctæ Eucharistiæ. Nam quorum nomina recitari, seu Domino Deo ad Altare offerri non poterant, communicabant sine Oblatione. Erant Consistentes, exclusi à perfectione.

Et ex his addiscimus plura. Primò, quod Orientalis Ecclesia tunc plenè dependeret ab Occidentali. Etiam à sola Romana. Secundò, quod Sancti Flauiani appellationem, & omnes eius appendices solus Leo administrauerit, citrà omnem dependentiam à generali Concilio. Hinc enim lapsi apud Ephesum episcopi suam reparationem non distulerunt, vsque ad futuram Synodum, sed ipsam à solo Leone supplicaruut, ac impetrarunt. Et istam reparationem probauit omnis Ecclesia. Omnes enim isti episcopi fuerunt tanquàm integri admissi ad Synodum Chalcedonensem. Tertiò addiscimus, quod Magnus Leo, Sancti Flauiani appellationem in alia generali Synodo retractatam volens, non ex Canonum necessitate, sed ex spontaneo iuxta Canones Beneplacito voluerit. Ob rationes. Potuerat solus retractare, ac definire. Sardicenses enim Canones sapientissimo eius beneplacito permittunt, & credunt omnia. Nempe super Sancti Petri Cathedram nihil ausi constituere, scientes illi omnia concessa à Domino. Quartò discimus, quod hæc omnia sciuerit, & professa fuerit Galla Placidia, Theodosium rogans, vt omnem Flauiani causam transmitteret [ad Concilium Sedis Apostolicæ.] Eius Secretarij erant peritissimi legum, & Canonum. Quintò, quod Pontifex possit sibi reseruare varia, & Patriarcharum etiam manus constringere. Etenim lapsos apud Ephesum Episcopos à se solo voluit reparari. Sextò, quod istam reseruationem, ac reparationem possit ante ipsos Patriarcharum oculos per suos etiam Legatos exercere. Septimò, quod Magnus Leo ista in re noluerit Patriarchas ex integro mutilare. Hinc addit: [Participata tecum sollicitudine.] Octauò, quod Pontifex sit manifestè superior generali Concilio. Etenim appellatio non fit, nisi ad Superiorem.

Quod Sanctus Flauianus non ad generalem Synodum, sed solam Apostolicam Sedem appellauerit, disertè etiam testatur in Nestorianæ, ac Eutychianæ hæresis Breuiario Liberatus, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus: "Hæc ergo "secunda Ephesina [Synodo decernente, & restituente Eutychi Presbyterij dignitatem, ac Ministerij Præsulatum, Flauianus quidem, & Eusebius,] Dorylæensis episcopus, carceri mancipantur. Cap. 12. Porrò locum obtinentes Papæ Leonis omnibus, quæ gesta] sunt, contradixerunt: Flauianus autem, contra se [prolata sententia, per eius Legatos Sedem Apostolicam appellauit libello.] Apostolicam Sedem in suis Legatis veneratus est, ideòque ipsis tradidit suæ appellationis libellum. Liberatus disertè scribit non solum Hilarum, sed Apostolicos Legatos Latrocinali Iudicio contradixisse. Eidem debemus gratias, quod nos doceat Flauianum, ac Eusebium fuisse apud Ephesum à Dioscoro carceratos: Comes Marcellinus addit S. Flauianum fuisse relegatum Hypepam Asiæ. Et Prosper Tyro: [Sanctus Flauianus inter manus eorum, à quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transiuit.] Etenim à Dioscoro fuerat impetitus calcibus, & grauiter læsus,

sus. Cæsus Flauianus, & multis iniurijs affectus, dolore plagarum migrauit ad Dominum.] Sunt verba Liberati. Hæc est causa, cur Magnus Leo Sanctissimum episcopum non reposuerit in suam Sedem. Prosper subiungit: [Martiani Augusti edictis, Apostolicæ Sedis auctoritatem securis, Synodus Ephesina damnatur.] Non per aliam Synodum, sed per solam auctoritatem Magni Leonis.

CAPVT II.

Discutiuntur quædam Commenta Reuerendi Patris Paschasij Quesnelli.

Paschasius Quesnellus laudat Magni Leonis ad Imperatorem Theodosium literas, & commentatur: [Ex descriptis epistolæ verbis aliud nobis validissimum adest argumentum, quo à Flauiano Synodum appellatam esse constat, ac deinde Leonem, quasi Synodi Caput. Cum enim Leo ex appellatione illius episcopi congregandæ Synodi Oecumenicæ necessitatem arcessat, Sole clarius est appellatam esse Synodum, nec alterius auctoritatem pulsatam esse appellationis libello, vt de Ephesini Latrocinij sententia iudicium fieret.] Quam autem, "inquit," post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur. [Si enim ad vnum ex Occidentalibus episcopum cum Prouinciali, vel Diœcesana Synodo prouocatum est, quidni solus cum suis Comprouincialibus iudicium adornat? Vt quid omnium Ecclesiarum Sacerdotes è suis Sedibus demouentur, si vnius iudicio possit causa finiri? Cur] necessariò [postulata Synodus Oecumenica, quando non Oecumenica Synodus appellata est? Si Sedes Primaria libello adita est, Sedi suæ Pontifex litigantes sistat, rem discutiat, Coepiscoporum sententiam postulet, iudicium decernat: Et causa finita est. Sed ideò] necessariò [postulari generalem Synodum] post appellationem interpositam [censuit Leo, quia illam à Flauiano postulatam ex ipsius libello, atque ex consuetudine ecclesiastica intellexit. Nec suę prouidentię, iudicioque existimauit esse permissum, an Synodo cogendæ supersederetur, an instaretur, sed ex necessitate, & officij sui debito esse duxit pro ea imperranda etiam] cùm gemitibus, ac lachrymis, "vt ipse ait, "& genibus prouolutum deprecari, "vt scribit Liberatus."

Epist. 40.

Errores varij. Primus est, quod Flauianus non solam Apostolicam Sedem, sed generalem Synodum innocauerit. Etenim disertè contrarium iam audiuimus ab Imperatore Valentiniano, ab eius Augusta Matre Galla Placidia, & à Liberato, doctissimo Carthaginensium Archidiacono. Secundus est, quod S. Leo ex S. Flauiani appellatione arcessat necessitatem conuocandæ generalis Synodi. Etenim Pontifex, ex ista appellatione arcessit necessitatem, non qua ipse istam Synodum obligetur postulare, & celebrare, sed qua Theodosius ipsam à Pontifice postulatam obligetur concedere. Affirmat omnem huius appellationis administrationem ad se, ac suam Sedem spectare per Nicænos, aut Sardicenses Canones. Subsumit se iudicare Oecumenicam Synodum huic plenè auferendo scandalo esse necessariam, aut sanè expedientissimam: Hinc concludit Theodosio esse necessitatem, seu obligationem illius concedendæ. Hunc esse Papalium verborum sensum est omni luce clarius. Tertius error est, quod solus cum suæ Prouinciæ Synodo Pontifex non potuerit hoc iudicium adornare. Etenim ipsum ad hoc faciendum adhortata fuit Galla Placidia, ac istud ipsum suadentes Imperatori Theodosio disertissimis verbis supplicauit, omne iudicium transmitti ad solum [Concilium Sedis Apostolicæ.] Istud ipsum professus est Imperator Valentinianus: "Prædictus Sacerdos," Magnus Leo; [congregatis ex omni Orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, à principio omnem causam sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat.] Verba sunt altiùs consideranda. Magno Leoni non solam suffragij Prærogatiuam, sed ipsi soli adscribunt omne istud iudicium. Ipsi soli decisiuum suffragium. Non quod in omni Oecumenica Synodo sit Romano episcopo ista potestas: Nullo modo. Sed quod ipsa illi sit in Oecumenicis Synodis, quas eius arbitratu conuocari contigerit ad retractandas Romanas appellationes. Hæc appellatio recusato, aut improbato Iudici ligat omnes manus, & causam pleno iure deuoluit ad solum Pontificem. Canones Sardicenses ipsi tradunt, aut potiùs declarant, ac stabiliunt traditam ipsi à Christo Domino facultatem, qua retractatorium iudicium possit, vel per semetipsum solus agitare, ac definire, vel etiam delegare eidem Synodo, vicinæ Prouinciæ, toti Diœcesi, vel etiam toti Ecclesiæ in Oecumenico Concilio. Prout Sapientissimo suo arbitrio iudicauerit expedire. Quicumq; autem, aut qualiscumque Delegatus iudicat ex sola auctoritate Delegantis, atque ità in ipso solo est, & ex ipso solo procedit omnis auctoritas decidendi. Hic est sensus Imperatoris Valentiniani.

Quod sine generali Synodo solus Magnus Leo ad Sancti Flauiani appellationem retractandam, ac definiendam suffecerit, euidenter censuit vniuersa Chalcedonensis Synodus. Etenim ad ipsam omnes quatuor Apostolicæ Sedis Legati vno ore dixerunt: "Synodus," Latrocinalis Ephesina, proferri non potest, in qua illa nefaria delicta relecta sunt. Si ergo & à Beatissimo, & Apostolico Romanæ Vrbis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita, claret quia, & beatissimus Episcopus Antiochenæ ciuitatis extra hæc est, quem post hæc beatissimus Episcopus in propria communione suscepit.] Et Anatolius Constantinopolitanus Episcopus confirmauit: [Definimus nihil horum valere, quæ in illa, quæ dicitur synodus, sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum, magnæ Antiochenæ ciuitatis episcopum. Quoniam & sanctissimus Leo, Romanus Archiepiscopus, eum in communionem recipiens, præesse Antiochensium iudicauit ecAdio 10.

cle-

clesiæ. Quam formam sequens, & approbaui, & præsens sanctum Concilium.] Et omnes episcopi istud ipsum vnanimi suffragio comprobarunt. Stephanus Ephesiorum Exarchus adiunxit: [Et ego iudico, vt quæ contra Canones in Ephesina Metropoli facta sunt, infringantur. Exceptis his, quæ gesta sunt aduersùs Domnum Antiochenæ ciuitatis episcopum, ob hoc quia Ordinatio Dei amantissimi episcopi Maximi, facta pro eo canonicè in Antiochena Metropoli, à sanctissimo Archiepiscopo Leone, & hoc præsente sancto, & vniuersali Concilio est suscepta.]

Quod Dioscorus Patriarcha Alexandrinus Domnum Antiochiæ Patriarcham semper oderit, est demonstratum in superioribus. Interim in Ephesino Latrocinio simulauit cum ipso redire in gratiam, atque ità circumscripsit, & seduxit ad cooperandum, & suffragandum in damnationem sancti Flauiani. Infelix Domnus, vt suam pellem à Dioscori furore redimeret, condemnauit non solummodò innocentissimum, sed insuper sibi amicissimum Antistitem. Manifestè contra conscientiam. Diuina, atque humana præuaricatus. Isto obtentu, Dioscorus laruam deposuit, resumpsit odia, & ipsum etiam Domnum, quod duodecim sancti Cyrilli capitula nuperrimè damnasset, degradauit. Et eius in Sedem intrusit, aut intrudi curauit Maximum, Diaconum, & Archimandritam, fidelem amicum sancti Cyrilli. Quare Domnus, vtpotè ex vna causa, & contra omnem Canonum consequentiam degradatus, cum alijs eamdem iniuriam passis episcopis inuocauit Magnum Leonem. Verùm iustus ille Pontifex Ephesina Acta cassauit omnia, omnes degradatos, ac ipsum inuocantes episcopos reuestiuit, excepto vnico Domno: Eius damnationem stabiliuit, & tandem etiam Maximi creationem confirmauit. Domni damnationem nequaquam propter damnata Cyrilli capitula, sed propter adiutam sancti Flauiani damnationem stabiliuit, atque ita hominem quasi de nouo damnauit. Solus hanc causam retractauit, ac definiuit. Et omnis Orientalis Ecclesia comprobauit. Eodem igitur suæ Sedis Priuilegio solus poterat retractare, ac definire causam sancti Flauiani.

Collat 6. Eiusdem rei meminit quinta Synodus: [Chalcedonensis sancta Synodus Domnum Antiochiæ Episcopum, eò quod scripsit debere taceri duodecim capitula sanctæ memoriæ Cyrilli, & post mortem condemnauit, cum confirmasset condemnationem eius, & suscepisset Maximi Ordinationem.] Miscet vera falsis. Etenim falsum est, quod Chalcedonensis Synodus Domni damnationem confirmauerit propter damnata capitula. Ipsam confirmauit propter auctoritatem magni Leonis. Et certum est, quod magnus Leo ad solam Flauiani damnationem, non ad damnata capitula reflexerit oculos, atque ideò Domni damnationem confirmauerit. Notanda sunt verba: [Et post mortem condemnauit.] Firmant Paschasij Quesnelli opinionem, quæ censet Domnum Chalcedonensis Synodi tempore fuisse defunctum, ideòque habitam isthìc de illo actionem esse spurium additamentum. Græcus textus non reperitur, ideòque videtur esse additamentum Latini hominis. Ex quibus iterùm discimus Apostolicæ Sedis auctoritatem in Generales Synodos. Tanta est, vt possit, quæ voluerit ex rationibus, & infirmare, & confirmare, etiam perperam gesta. Supplendo causas, & defectus. Quis enim dubitet Domni damnationem, prout à Dioscoro acta est, fuisse iniquam, atque inualidam? Videatur sancti Gelasij Pontificis Tomus de Anathematismo.

Laudata Apostolicæ Sedis circa Flauiani causam auctoritas lucet etiam ex Magni Leonis epistola ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum: [De vestræ deuotionis pietate gaudemus, & in sanctæ Plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla delata sunt, omnium vestrorum probamus affectum, quia viuit, ac permanet apud bonos filios optimi patris iusta dilectio.] Magni Leonis Decretum, quo appellantem ad se Flauianum reuestiuerat, Constantinopoli lectum, & publicatum, omnis Regia ciuitas fuit adeò venerata, vt vno ore Pontifici fausta acclamauerit. Acclamauit Flauianum semper à se, vt episcopum habendum, & honorandum. Ex eadem reuerentia Imperator Martianus fecit, quod Augusta Pulcheria scripsit ad Pontificem: [Sciat tua Sanctitas, quoniam præcepto nostri Domini, & tranquillissimi Principis mei Coniugis, in gloriosam ciuitatem Constantinopolim sanctæ memoriæ Episcopi Flauiani corpus allatum est, & in Basilica Apostolorum, in qua consueuerunt prædecessores episcopi sepeliri, competenter est positum.] Imperator Martianus reuestitum à Magno Leone Flauianum habuit pro integro & canonico episcopo: Eius interlocutionem habuit pro definitione. Flauianum honorauit vt plenè reparatum. Imitatus est Theodosium, qui parentum peccata cognoscens, eodem modo honorauit, & sanctum Ioannem Chrysostomum, & sanctum Pontificem Innocentium. Ab hoc factam illius reuestitionem habuit pro plena reparatione: Sancti Ioannis cadauer, antequàm humaretur, episcopali throno imposuit, & vti integrum episcopum iussit ab omnibus adorari. Ep.46.c.1.

Quartus error est in his Paschasij Quesnelli verbis: [Vt quid omnium Ecclesiarum Sacerdotes è suis sedibus dimouentur, si vnius iudicio possit causa finiri? Cur necessariò postulata Oecumenica Synodus, quando non Oecumenica est appellata?] Censet Oecumenicæ Synodi necessitatem cum sancti Flauiani ad solam Romanam Sedem appellatione, itemque cum istius Sedis sufficienti in istam appellationem auctoritate non cohærere. Errat dupliciter. Primò, quod affirmet istam synodi necessitatem à Magno Leone asseri. Etenim iam ostendi Pontificem velle longè aliud. Secundò errat, quod à synodi necessitate censeat euerti supremam, ac sufficientem auctoritatem Sedis Apostolicæ. Etenim Generalium Synodorum necessitas non ab istius auctoritatis insufficientia oritur, sed ex difficultate executionis ob grassantis erroris potentiam, & contumaciam. Eadem de causa factas ad se appellationes Apostolica Sedes quandoque censuit retractandas in Oecumenica Synodo. Nempè ob

par-

partis violentas vires ex patrocinio circumscripti Principis. Ità Innocentius I. sancti Joannis Chrysostomi causam retractari voluit in Synodo Thessalonicensi. Iuxtà Sardicenses Canones, submittentes hæc omnia sapientissimo Beneplacito episcopi Romani. Hic manifestè est sensus laudati Innocentij, de retractanda Ioannis causa scribentis ad Clerum, & Populum Regiæ ciuitatis: [Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit synodalis cognitio. Ea quippè sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere potest.] Non ob Apostolicæ auctoritatis, quæ defunctum Ioannem sola reparauit, & cuius iudicium omnis etiam Oriens est veneratus, insufficientiam, sed ob violentas refragationes circumscriptorum Principum. At verò post sancti viri mortem cessauit inuidia, & violenta contradictio. Innocentius addit se ab Imperatore postulasse synodum, & disertè profitetur se agere secundùm Canones Sardicenses. Proinde istam epistolam vanè pro se adducit Paschasius Quesnellus.

Adducit etiam hæc sancti Leonis verba ad Imperatorem Theodosium: [Omnes partium nostrarum ecclesiæ, omnes supplicant sacerdotes, vt quia, & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flauianus episcopus dedit, Generalem Synodum iubeatis intra Italiam celebrari. Et commentatur: Ex quo consequi necessariò mihi videntur duo maximi momenti. Alterum quidem, quod superiùs discussimus, non ad vnum Pontificem aliquem, sed ad omnes Occidentis saltèm episcopos deuolutam esse Flauiani appellationem. Alterum, Legatos Sedis Apostolicę non Romani solummodò Pontificis nomine Ephesinæ Synodo secundæ interfuisse, nec aliàs interesse consueuisse Oecumenicis Concilijs in Oriente congregatis, sed & omnium totius Occidentis episcoporum vice, quorum procurationem gerebant, cum per se interesse eidem non poterant. Hoc enim solemne erat Romano Episcopo, vt cum primùm synodus vniuersalis indicta erat, omnes sui Patriarchatus episcopos ea de re admoneret, cogeretque ipse Romæ Synodum, ad quam inuitati Occidentales confluerent, vt in commune de negotio illic tractando dissererent, deligerentque Legatos absentium vicem impleturos. Nimirum qui ex illa Romana Synodo Legati mittebantur, non solius Pontificis Legati erant, nec ab ipso solo mitti dicebātur, sed ab vniuersa synodo missi erant. Eiusdem agebant vicem, tametsi Legatorum Sedis Apostolicæ nomen semper retinerent: Quia Occidentalium omnium Coryphæus erat Pontifex. Hoc clarissimum euadit ex tertia Synodo Oecumenica Ephesina, vbi Cyrillus Legatorum Apostolicæ Sedis sententiam resumens, sic loquitur: [Deposuerunt supplentes locum Sedis Apostolicæ, totiusque Synodi sanctissimorum, Deoque dilectissimorum Occidentalium Episcoporum.] Idem manifestum est ex Concilij sexti Actis, vbi Episcopi, Portuensis, Paternensis & Regitanus, locum tenere dicuntur Concilij antiquæ Romæ.]

Plures denuò errores. Primus est, quod laudatæ omnium Occidentalium Episcoporum ad Theodosium preces affirment, aut euincant S.Flauiani appellationem non ad solum Leonem fuisse deuolutam, sed ad omnes saltem Occidentis Episcopos. Etenim Imperator Valentinianus, Galla Placidia Augusta, ac Liberatus Diaconus disertè scribunt ipsum prouocasse ad solum Leonem. Certè non video, quomodo tantæ auctoritatis testimonia per istas plurium episcoporum preces euertantur. Earum scopus fuit non Flauiani appellationem huc, aut istuc deuoluere, sed Theodosij animum, à Flauiano durè auersum, ad iustitiam per multiplicatos Intercessores reducere. Et per verba, [Omnes partium nostrarum ecclesiæ,] Leo videtur non omnes Occidentales, sed solas Italiæ Ecclesias intelligere. Cur Paschasius Quesnellus, qui tanto anteà impetu asseuerauit Flauianum ad Oecumenicam appellasse Synodum, iam ista vela contrahit ad solum Occidentem? Error non stat in firmo fundo.

Secundus error est, quod Romani Legati Ephesino Latrocinio adfuerint non solius Pontificis, sed insuper nomine, & vice totius Occidentalis Concilij. Etenim Magnus Leo disertè, ac frequenter testatur oppositum. In Dogmatico ad S.Flauianum scripto, & ad ipsum Latrocinium directo Tomo: [Iulium Episcopum, & Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum vice nostra direximus.] In literis ad Imperatorem Theodosium: [Iulium Episcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum misi, qui ad vicem præsentiæ meæ sufficerent.] Et in literis ad ipsam Ephesinam Synodum: [Iulium Episcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum misi, qui vice mea intersint.] Consonat Prosper Tyro: [Hilarus Diaconus Romanæ Ecclesiæ, qui vice S.Leonis Papę cum Iulio Puteolano Episcopo à Sede Apostolica fuerat destinatus.] Eosdem Legatos laudat Liberatus Diaconus, & adiungit: [Locum obtinentes Papæ Leonis.] Etiam de Iuliano Coensi Episcopo habent Acta Synodalia. [Iulianus Episcopus, tenens locum Leonis S.Episcopi Romanæ Ecclesiæ.] Videtur fuisse suffectus in locum defuncti Iulij. Et certè ante Ephesinum Concilium Magnus Leo nullam celebrauit Synodum, nisi solius suæ Prouinciæ, ideòque certum, & manifestum est laudatos Legatos fuisse ipsius solius Vicarios. Ità euanescit omnis ansa, ex qua Paschasius Quesnellus suadet S. Flauianum non ad solum Leonem, sed ad omnes Episcopos prouocasse.

Tertius error est, quod indicto œcumenico Concilio Romanus Pontifex olim consueuit suam Patriarchalem Synodum congregare, & illic Legatos ad istud deligere. Etenim talis synodus, talisque electio, nec ad Nicænam, nec ad Ephesinam primam, aut secundam, nec ad septimam fuit facta, nec ad octauam, nec ad quintam, nec ad Chalcedonensem. Cœlestinus Pontifex ista fecit durante Ephesina synodo, ob natum isthic scandalum horrendi schismatis. Et videtur conuocasse episcopos solius Italiæ. Etenim Africani propter Barbaros non poterant Romam accedere, & Ephesi habebant suum singularem Legatum. Etiam Hispani, & Gallorum plures tenebantur à Barbaris. Ante Chalcedonensem

Ep.40. c.3.

Ep.94 c.6.

Epist.26.

Ep.29.c.2.

sem synodum Leo facere ista voluit, sed per causas fuit impeditus. Facta non sunt, nisi à sancto Agathone ante sextum Concilium. Quare grauis error est scribere istum fuisse solemnem morem Romanæ Ecclesiæ.

Quartus error est, quod Sedis Apostolicæ Legati œcumenicis in Oriente Concilijs interesse consueuerint non solius Romani Pontificis nomine, sed episcoporum totius Occidentis. Etenim nulli Concilio adfuit talis Legatio, ne quidem Ephesino. Adfuit sexto Concilio, sed diuisa in alias, & alias personas. Et dum in personis vniretur, nihilominùs discerneretur authoritate, atque officio. Primus locus, Relatio, & suffragij Prærogatiua communibus Legatis non competerent, nisi ex Priuilegio, ac Delegatione solius Pontificis. Libenter tamen admiserim hæc Paschasij Quesnelli verba: [Eiusdem] totius Occidentalis synodi, [agebant vicem, tametsi Legatorum Sedis Apostolicæ nomen semper retinerent. Quia Occidentalium omnium Coryphæus erat Pontifex]. Reuerà Coryphæus. Etenim ad suam Romanam synodum dixit Felix tertius: [Quotiès intrà Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipuè fidei colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, vt Successor Præsulum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui Caput est omnium]. Papa isthic solus decidit. Alij non possunt, nisi solo consilio suffragari. Eamdem authoritatem habet non in sola Primatiali Italiæ, sed etiam in Patriarchali synodo totius Occidentis. Hoc sensu admitti possit Romanos ad Generalia intra Orientem Concilia Legatos esse Vicarios totius Occidentalis Ecclesiæ. Reliqua per Paschasium Quesnellum adducta sunt, aut refutata, aut ad rem non faciunt, ideòque non expedit in ipsa tempus expendere.

CAPVT III.

Auita Romanorum appellationum authoritas demonstratur ex Orientalium Episcoporum ad Xixtum tertium Pontificem appellatione aduersùs sacrosanctum Ephesinum Concilium.

SAncti Flauiani appellationem confessus, & professus sum esse sublime, ac eximium Romanæ appellationis exemplum. Etenim non aduersùs alicuius Orientalis Prouinciæ, immò nec aduersùs cuiuspiàm Patriarchalis Diœcesios Iudicium, sed aduersùs generalem totius Ecclesiæ synodum fuit interiecta, atque ità S. Flauianus professus est etiam œcumenicas synodos esse sub Romano Pontifice, & posse per ipsum retractari, iudicari, circumduci. Quod ipsum professa est omnis Chalcedonensis synodus, probans, & firmans omnia Magni Leonis Acta, & Iudicata, & pro Sancto Flauiano, & aduersùs istud Latrocinium. Ista, inquam, appellatio fuit interiecta aduersùs synodum, quæ iuxta Conuocantium intentionem debebat esse œcumenica, & quam Dioscori Patriarchæ Alexandrini rabida violentia transmutauit in particulare Latrocinium. Petrus de Marca istam metamorphosim vult per præuaricatoriam, ac apostaticam Eusebianæ Factionis fugam euenisse etiam Sardicensi Concilio, atque ità ipsum, necnon ab ipso firmatam Romanarum appellationum authoritatem esse modici ponderis. Malè. Sine fundamento. Istam tamen eclypsim passa est secunda Ephesina synodus. Isthìc enim violenta, ac lucida Dioscori turbulentia pro arbitrio non solùm exclusit, vel ad iniqua coegit episcopos, sed etiam fecit istud vsque tunc sub cœlo inauditum facinus, de quo ad Chalcedonensem synodum dixit venerabilis Lucentius, Esculanus in Apulia episcopus, Legatus, ac Vicarius Magni Leonis: [Dioscorus, cum iudicandi personam non haberet, præsumpsit, & synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod numquàm licuit, numquàm factum est]. A synodi Præsidentia violenter extrusit Apostolicæ Sedis Legatos, & ipsam in se transtulit. Istiusmodi facinora inducunt eclypsim, & synodum ex œcumenica transfuerunt in particulare, immò, & in Latrocinale Conuenticulum. Nihilominùs hocce Conuenticulum fuit grande, & numerosum: Quin, & per Imperatorem Theodosium fuit donatum authoritate synodi. Et licèt Theodosij Decretum fuerit ab Imperatore Martiano, Magno Leone, ac Calcedonensi synodo circumductum, nihilominùs in Constantinopolitana cum Seuerianis episcopis collatione Hypatius, Orthodoxus Ephesiorum Metropolita, istum qualemcumque Conuentum appellauit vniuersale Concilium. Hinc S. Flauiani appellatio demonstrat magnam, & sublimem authoritatem Romanæ Ecclesiæ.

Christus Dominus noster est fidelissimus Adimpletor, & Executor sui Promissi: [Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi]. Romana hodie Ecclesia violentos patitur insultus. Romanas appellationes, palmarem Sedis Apostolicæ Dignitatem, quidam machinantur euertere. Clamant antiquæ Ecclesiæ episcopos, non ad Romanum Antistitem prouocasse, sed ad generales duntaxàt synodos. Nec sunt hæretici, aut homunculi, sed sublimia nomina: [Pastores, & Doctores]. Deo laus, Catholicæ Matris Archiua habent authentica documenta, quibus redarguantur, & ex quibus dicamus: [Tace, & obmutesce]. Et talia hucusque studui adducere. Christus Dominus, sui promissi memor, subministrauit, & alia. Eminentissimus, ac Reuerendissimus Dominus Hieronymus Casanate, S.R.Ecclesiæ Cardinalis, Ecclesiasticæ Antiquitatis, ac totius christiani dogmatis peritissimus, mihi benignissimè communicauit antiquum Cassinensis Monasterij Codicem, in quo reperi vltra ducentas Orientalium episcoporum literas, plurimùm illustrantes Acta Ephesini Concilij, & Chalcedonensis. Præsertim contentiones, & pacem, quæ post Ephesinum Concilium intercesserunt inter Ecclesias, ac episcopos Ægypti, ac Orientis. Istas cum suis Scholijs epistolas suo tempore publica lux videbit. Hic interim do Helladij Tharsensis episcopi, per pri-

Primam Ciliciam Metropolitæ, & Eutherij Thyanensis episcopi, Metropolitæ per secundam Cappadociam, literas ad Xixtum tertium Pontificem, Magni Leonis proximum Antecessorem, quibus illi suo, & multorum Collegarum nomine ad hunc appellant aduersùs omnia Acta Ephesini Concilij, tunc ab ipsis improbati adhuc, & impugnati. Hæc epistola, licèt circa materiam deuia, est pro Diuino Romanæ Sedis priuilegio sermo longè firmior omni appellatione S. Flauiani. Clara, & alta voce clamat non ad generale Concilium, sed aduersùs ipsum ad solum Papam Xixtum, atque ità demonstrat nobis duo: Orientales olim episcopos prouocasse ad solum Romanum Pontificem, & prouocasse etiam aduersùm Acta generalium Conciliorum. Cassinensis itaque Codex habet sequentia.

Epistola Deo Amicissimi Euterij Thyanensis Episcopi, & Helladij Tharsensis, scripta ad magni nominis Romam Episcopum Xixtum.

MVltam prouidentiam per singula tempora faciens Dominus Christus, alio tempore alia Luminaria præparauit ad eorum Ducatum, qui bonæ sunt voluntatis, conuictionemque contrariorum. Et mendacij quidem destructionem, veritatis autem confirmationem. Sicut etiam sub illo maiori Pharaone Beatum Moysen contrà Iamnes; & Mambre, & sicut super Simonem Magum Petrum benè vincentem, sic & contra eos, qui nunc insurrexerunt, inimicos tuam protulit Sanctitatem, per quam bonæ spei sumus, & nos, quod Orbis terrarum ab Ægyptio liberetur errore, qui Moyses nouus existens omnem quidem Ægyptium Hæreticum percuties, saluabis verò omnem Israelitam Orthodoxum. Igitur contra veritatem multis millibus gestis, & mundissima Orthodoxiæ Margarita multas excipiente inimicitias, & quantas nulla vnquàm tradit historia, ab his, qui harum vocum nouitatem contra Paternam fidem Apostolicam pepererunt, nostrum quidem est, qui triplices, multiplicesque patimur tempestates, & penè in Pyratas incidimus, ad eum clamare, qui à Deo productus est Gubernator, eumque pro amore veritatis quanta possibile est edocere; tuæ autem gratiæ, sapientiæque est non despicere, neque otiosè transcurrere huiusmodi quæstionem, tantamque causam. Sed & perscrutari cum dilectione boni laboris, & imponere emendationem cum tota constantia, & Deo dilecta fiducia.

Et olim siquidem sæpiùs iam ex Alexandria huiusmodi hæreticis Zizanijs insurgentibus, suffecit vestra Apostolica Sedes per vniuersum tempus illud ad mendacium conuincendum, impietatemque reprimenda, & corrigenda quæ necessarium fuit, muniendumque Orbem terrarum ad gloriam Christi, tam sub illo ter beato, & inter sanctos habendo episcopo Damaso, quàm sub pluribus alijs, gloriosis, atque admirabilibus. Cuius rei gratia, & nos præsumimus has supplicationes offerre, vt adiuuetis Orbem terrarum: Et in illa parte, quæ errat, & in illa, quæ Tyrannidem sustinet. Quæque adhoc impugnatur, vt ad ea, quæ non conueniunt, assensum præbeat: Eò quod nec velit, nec expedire iudicet, vt Ægyptiorum Capitulorum varias vocum nouitates excipiat.

Scribens enim Cyrillus Alexandrinus blasphemam vocum nouitatem per bis-sena Capitula, vniuersæ Diuinitùs inspiratæ Scripturæ contrariam, & anathematizantem legitimas, & antiquas Sanctorum Patrum Traditiones, & maximè illorum, qui excelsa quidem Christi Diuinitati adscribunt, humilia verò humanitati eiusdem, nusquàm vnitione eius intercedenda, proposuit ei, qui tunc sanctam Sedem regebat magni nominis vrbis, qui fuit à principio probatus, & notus circa fidem, circa vitam, circa doctrinam verbi, & circa vniuersa, Nestorio, vt aut consentiret Capitulis eius, atque subscriberet ea, & permaneret episcopus, aut certè periclitaretur in gradu, & à sancta Ecclesia pelleretur. Ille autem propositioni nequam Dei timore prælato, elegit potiùs multis millibus periculis sibi iniustè inferendis tradere semetipsum, quàm dolis hæreticis præbere consensum, & confirmare totius Orbis errorem. Ad hæc synodus conuenit in Epheso: & in nullo correptus, neque rationem reddere expetitus, antequàm conuenirent, qui sustinebantur vniuersi, exactus est vltionem, dum illorum Capitulorum blasphemiæ obniauerit, & omni crudelitate ei, quæ dicitur damnationi, & alijs aliquibus subiectus est. Dum certè Cyrillus authoritatem Iudicis non haberet, sed eius, qui iudicandus est ordinem, eò quod contra inuicem mouerint quæstiones. Et erat præsidens reus: Et sentiat Princeps, qui sustinebatur multis sententijs supponendus.

His gestis, alijs quidem cuncta, quæ acta sunt lachrymis digna, alijs verò ridicula videbantur, ità vt & ille, qui Antiochenam tenebat Ecclesiam Dei, post hæc veniens Cyrillum quidem, & Memnonem damnationi subijceret, communi Decreto Deo Amicissimorum, Sanctissimorumque Episcoporum vsque ad viginti duorum Metropolitanorum, cæterorumque, qui pariter aderant, qui illos hæresios, ac seditionis Principes iudicarunt, & ecclesiasticarum Æmulos sanctionum. Cæteros verò, qui eis ad omnia incongrua complices exstiterant; alienos à communione fecerunt. Sed illi egregij contra veritatem simul, & regulas sibimetipsis indulgentiam relaxantes, terribillium Mysteriorum communionem irreuerenter sibi continuò præsumpserunt. Alios verò communicare sibi periculosè fecerunt. Ita vt omnes Diuinæ Regulæ Decreto subiaceant, quæ eos qui ita regunt, omninò perdamnat. Hæc addiscens Deo amicissimus, & bonus Victor Princeps continuò definiuit vacare, quæ sic inordinatè, inconsequenterque sunt gesta contra eum, qui in nullo conuictus est, abruptè verò, & furiosè addictus: Denuò autem de Dogmate cum veritatis amore fieri quæstionem, per interrogationem, & responsionem, & demonstrationem, quæ omnibus suaderet, non quæ authoritate Tyrannica imperaret.

Illi verò ad solutionem Canonum id quoque adiecerunt, vt nec his pijs literis obedirent. Et nihil de fide dicere, vel audire acquiescentes vlteriùs, se ad solam vniuersi pertinaciam contulerunt: Ad consensum cœperunt trahere iniqui iudicij, alios quidem fraude, alios violentia, alios præmijs. Constudentes super his nos per multum tempus rogabamus, obtestabamur cum omni fiducia, prouocabamus, vt nihil irrationabiliter fieret, aut teneretur, sed de quæstione quidem Dogmatum, & de Cyrilli Capitulis communis proponeretur Tractatus, atque Concilij: Et quod omnibus placuisset, vna sententia firmaretur. De eo verò, qui Tyrannidem sic apertè pertulerat, iudicium verax fieret, atque legitimum, vt conuictus quidem de corruptione veritatis adiudicationem consonè sustineret ab omnibus; si verò ex toto innoxius probaretur, in scripto abdicare illa nobiscum, quæcumque incongrua, quidam vel ex eius persona, vel ex aliorum nomine, ex suspicione, aut accusatione iactauerant.

Sed ista quidem displicebant his, qui ex sola authoritate deuincere, non autem vel suadere, vel suaderi volebant. Præcipiebant verò vniuersis, vt abruptè anathematizarent, & damnationi subscriberent. Quicumque autem se integriori deliberationi seruasset, damnabatur, ordinabatur ab eis, subijciebatur calumnijs, malæ doctrinæ vocabatur. Ordinabantur pro talibus alteri, quia consentire nolebant. Laudare quidem damnatione digna Capitula, damnare verò eum, qui, quantùm nos conscij sumus, nihil aliud dixit, nisi ea, quæ à sanctis Prophetis, & Euangelistis, & Apostolis per Spiritum Sanctum manifestè sunt tradita. Volebant enim, & Apostolos criminari, dum superuacuè adiudicant illum, qui ea, quæ ipsorum sunt, prædicabat. Talem namque, & eorum, quæ dicuntur Gestorum fecerunt actionem, vt inconsona, & incerta aduersùs illum virum proferrent, & plerumquè irreprehensibilia reprehenderent. *Cur*, inquiunt, *Nestorius dixit, quod passio non Deitatem, sed humanitatem Christi attigerit?* Interdùm verò falsa scriberent, ponendo. quod ab ipso dicta fuissent verba, quæ nec quicumque infidelium, immò nec agrestium Dæmonum dicere præsumpsisset. Id est, quod Christus esset Christi Dominus, sicut Saul, sicut Dauid, sicut infidelis Cyrus. In quibus facile est conuincere volenti calumniam.

Ea verò, quæ de Antiocheno Ioanne sunt, si esset possibile, tacere velimus. Sic irrationabilis apud nos eius mutabilitas facta est, & manifesta transgressio, & proditio veritatis, quæ ex improuiso completa est, siue peracta. Ille enim, quia antequàm veniremus ad Ephesum, hæreticam Capitulorum reperit fraudem, pluribus per literas indicauit. Per primam Cappadociam, secundamque, & per diuersos locos, vt ab eis se obseruarent, admonuit, quasi Eunomio, & Ario, & Apollinario consonarent. Et qui acutè, ac feruidè in Cyrilli damnationem prosiliuit, & ad hoc omnes hortatus est: Quippe adijt, & ipsam Regiam ciuitatem, vt huic impietati resisteret. Et idem nobis scripsit adhuc Ephesi constitutis, priùs quidem dicens, Quia illum, id est Nestorium dimissum cognoscentes ab Epheso, valdè doluerunt animæ nostræ: Eò quod illa, quæ sine iudicio, & iniquè sunt gesta, videantur interim roborari. Deinde, Quia etsi illa blasphema capitula Cyrillus abiecerit, eum ne tunc quidem suscipere per sacramenta promisimus: Eo quod Princeps ipse sit factus iniquæ hæresis. Vnde alterum cor accipiens ignoramus, omnibus motibus suis est aduersatus, & Cyrilli communicator effectus, non repellentis, quæ malè conscripserat, qui eum numquàm suscepturum, vel si ea refutasset in Scripto, iurauerat. Et solus vinculum soluit, quod cum tantis Cyrillo, & Memnoni noxijs consequenter intulerat. Et nullam securitatem his, qui pro pietate fuerant offensi, procurans, ipse quidē reconciliatus est ei, quem quidem sic amarè notauerat. Permisit verò Ecclesias perturbari, & Præsules quosdam quidem manere depulsos, alios autem adhuc multipliciter exturbari. Sed etiam literas mirabiles fecit, in quibus ait damnatum se habere Nestorium, & anathematizare quidquid impiè dixit, aut sapuit. Sic, & accusatione, ac demonstratione defecit, vt nec diceret: *Illam, vel illam, siue illam anathematizo sententiam*. Sed ait: *Quidquid ab eo impiè dictum est*. Dum certè apertè dicere debuisset, vt ab eo sensu quisque cautior redderetur: Sicut clarè abominamur nos Cyrilli Capitula, & quæsumus vniuersos, vt se ab insita illius malignitate custodiant, præconuincentes eas, quæ in ipsis sunt, blasphemias, & eas clarè omnibus publicantes.

Hæc pauca de plurimis cum multa abbreuiatione conscripsimus, scientes quod horum malorum nimietas non solùm Hieremiæ lamentationibus digna sit, sed & vniuersam Tragœdiam superauerit. Rogamus verò, & sanctis tuæ Religiositatis prouoluimur pedibus, vt manum porrigas salutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquisitionem iubeas fieri, & his illicitis cœlestem superduci correctionem: Vt reuocentur, quidem S. Pastores, qui iniustè sunt à suis Ouibus effugati, & reddatur Gregibus pristinis ordo, & antiqua concordia. Et vt non vltra lamentatus, & mugitus pro votis offerantur, & Psalmis: Dum multi dispersi sunt. Et ne quiquàm periclitentur circa ea, quæ præcipua sunt, dum vitant ab hæreticis, vel Lauacrum Regenerationis, vel Mysticam Communionem accipere, quæ ab Orthodoxis sumere ad salutem minimè permittuntur.

Quæ ex parte quidem videntes, ex parte verò audientes olim cucurrissemus ad sanctitatem tuam nos, qui è diuersis Regionibus sumus. Id est, ex Euphratesia, ex vtraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bithynia, Thessalia, & Mœsia. Vt & fontes effunderemus lachrymarum, & publicè defleremus peregrina, & insueta huius vitæ mala, nisi detineret nos Luporum terror, insidiantium Gregibus ad rapinam, & ad errorem, omnemque aduersitatem. vnde coacti sumus nostra vice dirigere Religiosissimos Clericos & Monachos, qui impleant locum nostrum. Quæsumus

igitur, vt absque dilatione exsurgatis, & feruido zelo magnum victoriæ Trophæum contra Æmulorum cuneos erigatis, ante oculos habentes boni Pastoris diligentiam, simul, & studium circa Ouem, quæ errauerat. Et non absque periculo deputetis, si quid fastidiosè circa tot Pastores, & Oues agatur: Dum illæ quidem errent, illi verò Tyrranicam sustineant violentiam.

Imitamini potiùs, & magnum pietatis Præconem Paulum, oculum Mundi, quem nos, vt pignus familiaritatis nostræ habere erga vestram credimus Sanctitatem. Ciuis enim noster existens, errore totius Orbis extincto, illius Apostolicæ sedis factus est ornamentum, vt appareret ab vtrisque æquam subtilitatem dogmatum custodiri, Etiam quæsumus, ne despiciamur à vobis nos, quos tot mala circumdant. Non enim de pecunijs, vel gloria, aut quolibet alio temporalium decertamus, sed pro pietatis possessione communi, pro Paterno fidei thesauro, pro spe communi fidelium, pro bona confessione Apostolorum, pro immortali certamine Martyrum, & maximè pro aduentu, clementiaque Dominica, cuius virtutem inuincibilem inuocãtes sine cessatione clamamus: *Parce Domine Populo tuo, & ne dederis hæreditatem tuam in opprobrium.*

Eutherius Episcopus Metropolis Thyanensium subscripsi. Et quæso, vt me ores incolumem, Deo Amicissime, & Sanctissime Pater.

Helladius Episcopus Metropolis Tharsi subscripsi. Et rogo vt me ores incolumem, Amicissime, & SS. Pater.

Ista est authentica ad Xixtum Tertium Pontificem epistola. Ducit exordium à Propheta Moyse, & ipsi Xixtum Pontificem cõparat, quod agatur aduersùs S. Cyrillũ, Ægyptiacæ Diœcesis Patriarcham. Hunc Eutherius, & Helladius, ipsisque consentiens Orientalium Episcoporum Factio, censebant non solummodò hæreticum, sed & Hæresiarcham, ideòque secundum, ac minorem Pharaonem. Codex manuscriptus habet: [Sub illo Amore Pharaone.] Correxi, & posui: [Sub illo maiore Pharaone.] Quod nempe Factio Cyrillum blateraret esse Pharaonem Iuniorem, ac minorem. Forsitan oporteat legi: [Sub illo Achori Pharaone.] Ita enim iuxta quosdam appellabatur Pharao persecutor Hebraici Populi. Quidquid sit Factio Cyrillum comparat cum Iamnes, & Mambre, & cum Simone Mago; Xixtum autem cum Moysi, & Petro Apostolo. Non per nouam synodum, sed per hunc solum profitetur, ac asseuerat omnia posse, ac debere discuti, iudicari, puniri, reparari, componi. Ioannes Patriarcha Antiochenus, cum S. Cyrillo, ac eius episcopis pacem composuerat, atque ita studuerat pacificare ecclesiam. Quàm atrox discordia fuerit, vel sola docet famosa epistola Ibæ, Edesseni Metropolitæ ad Marim Episcopum Persidis. Longè plura te docebunt hæ Cassinensis Codicis literæ, dum prodierint in publicum. Pax habuit tres præsertim conditiones: Admittere Ephesinæ fidei Decretum, & anathematizare dogma Nestorij; probare, ac firmare eius ab eadem synodo factam degradationem; & admittere factam ab eiusdem synodi episcopis ordinationem Successoris Maximiani. Has omnes conditiones S. Cyrillus petijt, ac impetrauit. Vice versa Ioannes inter cætera postulauit, vt Cyrillus damnaret sua duodecim capitula, aut certè ipsis valediceret. At non obtinuit. Capitula permanserunt Capitula Nec Ioannes ipsa probare, nec Cyrillus voluit abolere, immò nec circumscribere. Etiam omnes, qui Ioanni adhæserant, episcopi fuerunt soluti ab Ephesini Concilij sententijs, & admissi ad pacem. Ad plenam sui episcopalis gradus communionem. Exceptis quatuor: Dorotheo Martianopolitano, Himerio Nicomediensi, Eutherio Thyanensi, ac Helladio Metropolita Tharsensi. Ita habes in literis S. Cyrilli ad Donatum Nicopolitanum episcopum, Metropolitam veteris Epyri.

Hæc omnia isti quatuor summa cum indignatione fuerunt admirati. Præsertim digerere nequierunt versatile sui Patriarcæ Ioannis ingenium, qui omnia sua aduersùs Cyrilli Capitula, & Aduersùs Ephesinam Synodum, & pro Nestorio pertinacissima Acta, & scripta recantauerat. Clamarunt Præuaricatorem, & se separarunt ab eius communione, & prouocarunt ad Xixtum Pontificem: non solummodò aduersùs pacem, sed etiam aduersùs Acta Ephesini Concilij. Omnia rogarunt exsufflari, omnes apud Ephesum degradatos, ac proscriptos episcopos reuestiri, & omnem causam Romæ apud solum Sedis Apostolicæ Tribunal retractari. Repetenda est ipsorum conclusio: [Rogamus verò, & sanctis tuæ Religiositatis prouoluimur pedibus, vt manum porrigas salutarem, & auferas Mundi naufragium, omniumque horum inquisitionem iubeas fieri, & his illicitis cœlestem superduci correctionem. Vt reuocentur quidem sancti Pastores, qui iniustè sunt à suis Ouibus effugati, & reddatur Gregibus pristinis ordo, & antiqua concordia.

Repetendum quoque epistolę exordium: [Nostrum quidem est, qui triplices, multiplicesque patimur tempestates, & pœne in Pyratas incidimus, ad eum clamare, qui à Deo productus est Gubernator, eumque pro amore veritatis quantum possibile est edocere,] &c. Notanda sunt, & verba: [Adiuuetis Orbem terrarum.] Omnis epistola est emphaticà: Et lucida. Et se fundat in exemplo sancti Damasi Pontificis, qui etiam exsurgentia ex Ægypto Zizania correxit, atque euulsit. Laudat Romanam S. Petri Alexandrini Episcopi appellationem, quem ab Arianis eiectum reparauit Damasus. Laudare possit, & Maximi Cynici, etiam ex Ægypto enati turbinis, Romanam appellationem, quem primò quidem audiuit, & adiuuit, postmodò tamen compescuit idem Damasus. Et epistola adiungit: Sub pluribus alijs, gloriosis, atque admirabilibus. [Respicit sanctum Papam Iulium, qui ab Eusebiana Factione eiectos, & ad se appellantes plures Orientalium Episcopos reuestiuit, & per Sardicensem Synodum iussit plenè reparari. Notanda item sunt hæc verba: Sufficit vera Apostolica Sedes.] Disertè profitentur ad hæc omnia retractanda, & finienda, ad adiuuandum totum

totum Orbem non requiri generalem Synodum, sed sufficere, ac sufficisse Apostolicam Sedem. Hanc esse perpetuam consuetudinem, ac fiduciam ecclesiarum. Scio epistolam decertare pro mala causa: Ipsa tamen nos docet, quid circa Apostolicæ Sedis authoritatem, & circa Romanæ appellationis morem olim senserit, ac egerit Orientalis Ecclesia. Et omninò iuxta ipsum ad proximum Sixti tertij successorem, magnum Papam Leonem, appellauit etiam sanctus Flauianus.

Porrò ista appellatio non fuit solius Helladij, ac Eutherij. Ei se adiunxerunt Alexander Hierapolitanus Episcopus, Euphratesiæ Prouinciæ Metropolita, Theodoretus ibidem Cyrensis Episcopus, & omnes ipsorum Comprouinciales. Plures item aliæ Prouinciæ. Et quia ob grauia impedimenta non poterant Romam accedere, legauerunt clericos, & monachos, ad retractatorium iudicium instructos suis vicibus. Iuxta Sardicenses Canones. Ex quo lucet ipsos tunc fuisse in plena obseruantia Orientalis Ecclesiæ. Item lucet appellationem, quam aduersùs suam ab Ephesino latrocinio factam degradationem idem Theodoretus fecit ad magnum Papam Leonem, non fuisse eius primam: Interim etiam hanc fecit iuxta Sardicensem disciplinam. Porrò præsens appellatio non fuit sine fructu. Etenim Xixtus III. licèt nec Ephesinam Synodum, nec factam ecclesiarum pacem circumducere voluerit, hanc tamen non modicè circumscripsit. Eius rescriptum latet, aut perijt: interim illius substantiam compendio habemus in Papalibus literis ad S. Cyrillum: Non est, sicut Fratri, & Coepiscopo nostro Maximiano sæpè iam scripsimus, etiam ipse,] vtique Ioannes Patriarcha Antiochenus, [redeuntibus difficilis aperire ianuam, vt verè nisi perditionis filius sit perditus, sitque ei maior causa lugendi, quod meruit solus excludi.]

Maximianus Constantinopolitanus Episcopus præfatos quatuor Metropolitas, Orientalis Factionis Coryphæos, in sua synodo singulariter damnauerat, Ephesinæ ipsorum damnationi addiderat nouum robur, & eamdem validè studuerat in executionem mittere. Et ipsam S. Cyrillus confirmauerat, eosdem quatuor constanter excludens ab omni pacis beneficio. Hinc Romanam illorum appellationem audiens Maximianus Xixto Pontifici frequenter supplicauit non solui, aut circumduci suum, ac S. Cyrilli iudicium. At non fuit exauditus. Pontifex ipsum soluit, & à pace nullum pœnitentem excludi voluit, nisi solum perditionis filium, hoc est, Hæresiarcham Nestorium. Et adiunxit: [Sit ei maior causa lugendi, quod solus meruit excludi.] Eos ad pacem admitti, & in suo episcopali gradu, ac Throno stabiliri, aut reparari voluit per solam rectæ fidei, ac pacis professionem, citra omne vulnus boni nominis. Et fuit planè obeditum. Etenim Helladius valedixit schismati, admisit pacem, rediuit in Ioannis Patriarchæ communionem, & gratiam, & permansit episcopus. Quę omnia amplissimè patebunt ex Cassinensis Codicis epistolis, quæ breui apparebunt in publico.

Simile exordium Ioannes VI. Patriarcha Constantinopolitanus dedit suis ad Constantinum Pontificem in simili negotio literis. Imperator Philippicus, antiquus Monothelita, vtpotè Pseudomonachi Stephani, qui Macarium Antiochiæ Patriarcham seduxerat, pertinax discipulus, eiecto Patriarcha Cyro intrusit istum Ioannem, compulit ad damnandam sextam synodum, ac denuò turbandam omnem Orientalem Ecclesiam. Ioannes ex violentia contra conscientiam egerat, ideòque eiecto per Orthodoxum Imperatorem Anastasium Philippico redijt ad mentem, egit pœnitentiam per literas apud Constantinum Papam, supplicauit per dispensatoriam gratiam permanere episcopus. In harum igitur literarum exordio demonstrauit caput in homine esse Principem, ac Rectorem totius corporis, atque adiunxit: [His Apostolicam vestram præsidentiam, ac Pontificium comparare habemus, vosque Sacerdotij Christi canonicè Caput reputantes, per vos quærimus, vt solatium aliquod à mæstitia, ac animi languore, qui nostro huic Ecclesiæ corpori ex pestifera, ac animabus exitiosa tyrannica potestate accidit, reportemus. Planè siquidem vos quoque ea capitis proprietate inconsultò, ac nihil volentes, laborantes nos haudquaquam despexeritis, aut à vestra mansuetudine repuleritis.] Supplicat sibi fieri istam gratiam, quam lapsis in Ephesino Latrocinio Episcopis fecit per Chalcedonensem Synodum Magnus Leo: Et alia istiusmodi. Profitetur Romanum Episcopum esse supremum, ac vniuersalem Medicum totius ecclesiæ, & omnia, quæ Orientalis etiam ecclesia in synodalibus iudicijs, vel alijs actibus peccauerit, per Romanum esse Pontificem circumducenda, restauranda. Profitetur hæc non per generalem debere synodum, sed omninò posse fieri per solum Pontificem. Addit generalem synodum hęc non nisi per Pontificis auctoritatem agere, & tandem concludit: [Vos itaque, ò sacrum Caput, perspicaci illa in vobis virtute Spiritus, blandæ in nos inclinationis extendentes manum, leui contactu reciprocæ per literas gratiæ, iuxta ecclesiæ legem, idest, missis vicissim synodicis, dilectionis remedium adhibentes, quod in nobis dolorem facit, ac subtus pulsat, festinate curare. Nulla siquidem animæ remissio est, nec somnus oculis, aut requies temporibus, vel palpebris dormitatio à qua insederit, donec iterum vniuersam Dei Ecclesiam videre liceat seruantem vnitatem Spiritus in vinculo pacis.] Donandam per auctoritatem, ac Mandata Apostolicæ Sedis. Plurima sunt similia Græcorum Patrum testimonia. Et ecce quidam hodiè latini declamant ista omnia olim non fuisse facta, nec fieri posse, nisi per generalem Synodum. Res lamentanda.

Quod duplices Romanæ Ecclesiæ Legatos, alios solius Cœlestini Pontificis, ac Apostolicæ Sedis, alios totius Occidentalis Concilij Vicarios, Ephesina Synodus habuerit, vno verbo sum supra inficiatus: Et rectè. Oppositum est penitùs à vero deuium. Vti S. Cyrillus, ità etiam Arcadius, ac Proiectus episcopi, necnon & Philippus ad SS. Apostolos Cardinalis presbyter fuerunt Vicarij, ac Legati solius Papalis personæ, & Cathedræ.

 Acta

Acta synodalia hoc demonstrant lucidè, & variè. Secundæ actionis exordium habet: Ingressis, & considentibus, qui ex Occidente venerant, Arcadio, & Proiecto, pijssimis Episcopis, & Legatis, necnon Dei amantissimo Philippo, Apostolicæ Sedis presbytero, & Legato. [Et statim post:] Philippus Apostolicæ Sedis presbyter, & Legatus. Arcadius Episcopus, Proiectus Episcopus, & Romanæ Ecclesiæ Legatus. [Et in literis, quas vti Apostolicam sui suffragij prærogatiuam transmisit per ipsos Cælestinus ad Synodum:] Probatissimos viros, Arcadium, & Proiectum Episcopos, & Philippum presbyterum nostrum, qui eis,] quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt, [exequantur.] Non quę ab omni Occidentis Synodo, sed quæ à solis nobis, seu à sola Apostolica Sede sunt statuta. Actio III. habet: [Philippus presbyter, & Legatus Apostolicæ Sedis, Arcadius Episcopus, & Legatus Apostolicæ Sedis.] Et Memnon Ephesiorum Episcopus adiunxit: [Nihil prohibet, quò minus ex postulatis sanctissimorum Episcoporum Arcadij, & Proiecti, & Deo amabilissimi presbyteri Philippi, Legatum Apostolicæ Sedis Magnæ Romæ, iterùm legantur acta in depositione Nestorij.] Et rursùm acta: Arcadius Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus dixit. [Et iterùm:] Philippus presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus. Arcadius Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus. Proiectus Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus. [Et istius actionis ad Princeps relatio:] Cælestinus misit literas per Arcadium, & Proiectum Episcopos, & Philippum presbyterum Magnæ Romæ, qui Cælestini sanctissimi Episcopi præsentiam supplent. [Et ad quintam actionem dixit S. Cyrillus:] Præsentibus Legatis à magna Roma missis, videlicet sanctissimi Episcopi Cęlestini locum tenentibus. [Et eiusdem actionis ad eumdem Pontificem relatio: Fuerunt in consessu nostro, & illi quoque, qui à sanctitate tua missi sunt, pijssimi Episcopi Arcadius, & Proiectus, & cum ipsis Reuerendissimus Presbyter Philippus, qui sua præsentia tuam nobis exhibuerunt, Apostolicæque Sedis locum suppleuerunt.] Et Mandatum, quod plena Synodus suis apud Constantinopolim aduersùs Ioannis Patriarchæ Antiocheni Factionem Legatis dedit, habet hanc Epigraphen: [Philippo presbytero Cælestini Episcopi Apostolicæ Sedis maximæ Romæ locumtenenti.] Quod ipsum synodus repetit in missis per istos Legatos literis ad Augustum Theodosium.

Attamen quædam eiusdem Synodi acta videntur affirmare aliud. Etenim ad tertiam actionem dixit S. Cyrillus: [Arcadius, & Proiectus Episcopi, necnon Philippus Romanæ Ecclesię Presbyter, supplentes locum Sedis Apostolicæ, totiúsque Synodi sanctissimorum Occidentalium Episcoporum.] Et quintæ actionis ad Principes relatio affirmat synodo adfuisse ducentos, ac decem episcopos, & adiungit: [Quibus, & vniuersa Occidentalium Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus terrarum Orbis consentit.] Certè ista multitudo non adfuit, nisi per hos suos Legatos. Et plena synodus in laudatis, quas per suos contra Ioannis Antiocheni factionem Legatos misit, literis scripsit ad Principem Theodosium: [Sanctæ Synodi consessui adest, & Cælestinus sanctissimus magnæ vestræ Romæ Archiepiscopus, & vniuersa Occidentalis Synodus per sanctissimos Episcopos, quos ad nos misit, totaque Africa, ac Illyricum.] Respondeo hæc non concludere. Et insigniter exponi à tertię actionis relatione ad Principes: [Vestrum erga pietatem studium Deus gratum habens, etiam sanctorum Occidentalium Episcoporum animos zelo excitauit. Nam licèt maximi itineris spatium vniuersam illam sanctissimorum Episcoporum multitudinem ad nos peruenire prohibuerit, attamen illic simul congregati, Cælestino sanctissimo Episcopo etiam præsente, & nunc nostram de fide sententiam magno consensu prædicarunt, eosque, qui diuersa sentiunt, ab omni prorsùs Sacerdotij sorte alienos esse definierunt. Et hæc quidem etiam antequam sanctissima hæc Synodus conueniret, Cælestinus Episcopus per literas suas iudicauerat, & Cyrillo Episcopo, vt suas vices subiret, commiserat. Sed & nunc denuò alijs etiam literis sanctæ Synodo hæc significauit. Misit autem has literas per Arcadium, & Proiectum Episcopos, & Philippum presbyterum, qui Cęlestini Episcopi prędsentiam supplent.] Relatio affirmat duo. Primò, quod data in Nestorium sententia non sit solorum synodo præsentium Orientalium Episcoporum, sed etiam omnium Occidentalium. Licèt enim horum multitudo ad synodum non venerit, attamen eius iudicium omninò prædicauit, ac præformauit. Et quidem synodaliter. Et nequaquam in Ephesinæ synodi gratiam: Quia ante ipsam. Nempè in ista Romana Synodo, in qua Cælestinus Nestorium, nisi intra decem dies suas Exegeses, & alia recantaret, damnauit, ac degradauit, & istius iudicij executionem delegauit sancto Cyrillo. Acta hæc sunt antequam quis, vel cogitaret de Ephesina, aut alia generali Synodo, ideòque nulla isthic facta est Synodalium Legatorum deputatio. Hinc relatio secundò dicit, quod Cœlestinus istud suum synodale iudicium, vti antea sancto Cyrillo, ità nunc Ephesinæ synodo significauerit, ac demandauerit exequendum, idque per Arcadiũ, & Proiectum episcopos, ac Philippum Presbyterum, qui eius præsentiam supplebant Ephesi. Non istius Romanæ synodi, seu solius Cælestini præsentiam. Synodus enim, quoniàm futuri Ephesini Conuentus ignara, nullos Legatos creauerat. Proindè hi Legati istius quidem synodi deferebant iudicium, & ipsius firmandi, ac exequendi habebant Apostolicum mandatum, attamen soliùs Cælestini gerebant vices, ac supplebant præsentiam. Hinc quinta actio rectè dixit, quod vniuersa Occidentalium episcoporum multitudo consentiret synodo. Vnica sancti Cyrilli interlocutio videtur in speciem fauere Paschasio Quesnello. Et alijs testimonijs, à quibus certum est non discedere, conquadranda. Est res parùm conferens præsenti quæstioni. Censui tamen elucidandam. Ad plenè exsufflanda superiora Commenta eiusdem Paschasij.

CAPVT IV.

Sancti Damasi circa Romanas appellationes Acta elucidantur.

Lib 6. c 25. ISTorum pleraque Damasus peregit in collecta ex vicinis, & aduenis episcopis synodo, de qua Hermias Sozomenus: [Apollinarij hæresim ad multos serpere Damasus episcopus Romanus, & Petrus Alexandrinus episcopus certiores facti, primi omnium Concilio Romæ conuocato eam alienam ab Ecclesia Catholica pronunciarunt.] Famosa, & efficax fuit ista Synodus. De ipsa etiam ipse Ioannes Patriarcha Antiochenus cum præfato Himerio, Theodoreto Cyrensi. & reliquis suæ factionis Episcopis scripsit ad Rufum Archiepiscopum Thessalonicensem: [Beatissimus Damasus Apollinarium, Vitalem, ac Timotheum hæreticos gradu mouit.] Epistola extat in tertia parte Ephesini Concilij. Vitalis Antiochenus, Apollinarius Laodicensis, Timotheus in ista factione erat Berytensis episcopus. Hoc in quarto contra Nestorianos, ac Eutychianos libro scribit Leontius Scholasticus Byzantinus. In tertio libro addit rem memorabilem. Adducit Appollinarij, de sua familiari cum magno Athanasio literaria communione gloriantis, literas ad nescio, quos apud Néo-Cæsaream congregatos episcopos, affirmat quosdam eius discipulos adeò blasphemasse, vt Domini carnem crederent Deo Verbo consubstantialem, & concludit: [Videtur quidem Timotheus esse, cui magis, quàm alijs, & fidentiùs arcana illius impietatis, & fraudulentiæ committerentur. Hac enim de causa potuit à beato Athanasio literas accipere commendatitias ad Occidentales, tanquàm contra Arij impietatem pugnans, & ab illis rursùm literas tanquàm ad episcopum missas adferre. Sed non perpetuò latuit hæc illius insidiosa simulatio. Iterùm enim post Athanasij obitum missus Romam depositus est ipse, & qui eum miserat Apollinarius.] Leontius nos docet plura. Primò, quod Apollinarius, quoniam Arianos impugnabat, sancto Athanasio placuerit, fueritque ei familiaris etiam per literarium commercium. Secundò, quod insuper ab illo commendatitias literas acceperit ad Occidentis episcopos, præsertim ad Romanos Pontifices, nempè Iulium, ac Liberium. Tertiò, quod cum hisce commendatitijs fidelem suum discipulum Timotheum legauerit Romam, furaturus communionem Sedis Apostolicæ. Quartò, quod fraus successerit, ac Timotheus communicatorias Apostolicæ Sedis literas ad Magistrum retulerit, vti ad Orthodoxum Episcopum. Quintò, quod fraus radices non egerit. Etenim post Athanasij mortem rediens Romam Timotheus fuit detectus, & vnà cum Apollinario damnatus, atque depositus. Nempe per sanctum Damasum in laudata Synodo.

Epist. 77. Apollinanistarum, quorum auctor in exordio non fuit Episcopus, Episcoporum originem, ac traducem exponit in literis ad illustrem virum Olympium sanctus Gregorius Nazianzenus: [Præter alia omnia eò etiam audaciæ proruperunt mali homines, vt episcopos etiam quosdam, quibus dignitas ab vniuersali Orientalium, & Occidentalium Concilio abrogata fuerat, accersentes, aut transeuntibus abutentes, cuidam impio sui gregis episcopi nomen imposuerint.] De damnante ipsos Damaso idem Gregorius scribit in secunda epistola ad Cleodonium presbyterum Iconiensis Ecclesiæ: [Ne autem nos hoc nomine accusent, quod Vitalij, viri nobis charissimi, fidem, quam ità postulante à Damaso, Romæ episcopo, literis consignatam edidit, priùs quidem probauerimus, nunc verò repudiemus, de hac quoque re pauca disseram. Demonstrat Apollinaristas fuisse versutos in ouina lana lupos, qui ambidextris vsi vocibus aliud apud suos, aliud apud nostros intelligerent, & prosequitur: [Quoniàm igitur eædem voces, si rectè intelligantur, cum pietate coniunctæ sunt, si perperam exponantur, impietate non carent, quid mirùm si Vitalij quoque verba nos quidem, ità suadente voluntate, in pium sensum] accepimus, alij autem ad eorum, quæ scripta sunt mentem exasperantur, & inflammantur? Quod etiam in causa fuisse reor, cur ipse quoque Damasus, cum posteà rectiùs fuisset edoctus, simùlque in pristinis eos expositionibus perstare audijsset, eos ab Ecclesiæ Cœtu abdicarit, fideique libellum cum anathematismo deleuerit: Tùm etiam, quod fraudem, in quam per simplicitatem inciderat, permolestè ferret.] Eadem de re scribit ipse Damasus ad Paulinum Antiochiæ Patriarcham, communicantem Romanæ Ecclesiæ: [Per filium meum Vitalem ad te rescripta direxeram, tuæ voluntati, & tuo iudicio omnia derelinquens, & per Petronium presbyterum breuiter indicaueram me in articulo iàm profectionis eius aliqua ex parte commotum. Vndè ne aut tibi scrupulus resideret, & volentes forsitan Ecclesiæ copulari tua cautio probanda differret, fidem nostram misimus, non tàm tibi, qui nobis fidei communione sociaris, quàm his, qui in ea subscribentes tibi, id est, nobis per te voluerint sociari.]

Vitalis, licèt à nulla damnatus synodo, tamen à multis defamatus, & accusatus de hæresi, accessit Damasum, & suos aduersarios prouocauit ad tribunal Apostolicæ Sedis. Obtulit fidei libellum, ipsum Romæ est solemniter professus, & supplicauit ab infamia solui, ac in Episcopatu, & Romana Communione stabiliri. Supplicauit non quidem absolui ab aliquo synodali iudicio, sed aduersùm illa, quæ metuebat, Romana auctoritate muniri. Eum Gregorius Nazianzenus appellat virum sibi olim charissimum, quem fide crediderit orthodoxum, ideòque dedisse possit Romæ inuocandæ consilium. Forsitan, & commendatitias, ac testimoniales literas. Vti Apollinarius Athanasium, ità Vitalis decepit Gregorium, & circumscripsit in ista sibi adiutoria. Hinc Damasus admisit causam, & iudicauit tria. Primò, Vitalem Antiocheno episcopatu exuit, aut sanè induxit ad deponendum. Etenim erat

Pau-

Paulino, & Meletio superordinatus tertius, ideòque episcopi fucus, non verus episcopus. Hinc ipsum Pontifex appellat Filium, non Fratrem. Secundò, eius libellum iudicauit catholicum, ideòque ipsum absoluit ab omni infamia. Tertiò, ipsum tamen Catholicæ Communioni noluit reddere, sed delegauit Patriarchæ Paulino, eius voluntati, ac iudicio permittens omnia. Ob duas præsertim causas. Primò, quod Paulinus isthic præsens omnia Vitalis nosset penitiùs, ideòque esset à circumscriptione securior. Secundò, quod cum suis sequacibus Vitalem nollet in Meletij, sed in solius Paulini communionem adiungi, ideòque per hunc voluit admitti, & reconciliari. Et hæc omnia peregit solus Damasus. Et contrà istud iudicium nemo vnquàm Græcus excepit ob defectum auctoritatis.

Interim Damasus fuit circumscriptus. Neque mirùm. Etenim per Vitalem oblatus fidei libellus in proprio verborum sensu erat plenè orthodoxus. Adeò orthodoxus, vt ipsum, licèt tunc plenè detectum, sanctus Cyrillus in libro ad Reginas adduxerit inter authentica sanctorum Patrum testimonia, destruentia Nestorianas blasphemias. Ei dedit hunc titulum: [Vitalis Episcopi, ex sermone de fide.] Cyrillo debemus gratias, quod libellum nobis custodiuerit. Ex ipso Nestorius sumpsit materiam, & ansam calumniæ. Etenim mox post degradationem suam, adhùc existens Ephesi, ad regij cubiculi Præfectum Eunuchum scripsit prolixam querimoniam, Cyrillum accusans, quod ad confirmanda sua dogmata adduxerit Basilij Ancyrani, Ariani hominis testimonia, tanquàm verba magni Basilij, & Vitalis hæretici scripta pro verbis Catholici Vitalis: Abusus æquiuoca similitudine nominum. Extat epistola in Cassinensi codice. Porrò Damasus non fuit circumscriptus ex integro. Etenim sub ipsum Vitalis ex Vrbe regressum concepit scrupulos: Et propter ipsos voluit ab eius in Ecclesiam redituris sequacibus exigi non solius ab ipso oblati libelli professionem, sed aliorum insuper articulorum, quos habes in laudatis ad Paulinum literis. Fraus paulatim se plenè aperuit.

Et tunc Damasus expleuit, quod iàm audiuimus à Nazianzeno Gregorio, & quod ipse Pontifex scribit ad Orientales episcopos: [Sciatis velim nos Timotheum illum prophanum Apollinarij discipulum cum impio suo dogmate iàm pridem abdicasse.] Et exindè contentus non fuit doloso Vitalis libello, nec factis ad ipsum additamentis, sed singularem, in qua omnes, & singuli ipsorum errores damnarentur, professionem ipse composuit, & Paulino transmisit, mandans sine ipsa nullum deinceps admitti in Ecclesiam. Similem ex eius Imperio libellum confecit etiam sanctus Hieronymus. An sit ille ipse, est quæstio alterius loci. Quidquid sit, de hac re scribit antiquus synodorum cathalogus: [Petrus, Alexandriæ Patriarcha, eiectus ab Arianis, Romam contendit. Eoque recepto Damasus Romæ Diuinam, & S. Synodum conuocauit, quæ amentem illū Apollinarium, Stephanumque eius discipulum, & Latronem Lucium, Alexandrinæ Sedis Arianum inuasorem, anathemate notauit.] Est tertia Romana Damasi synodus, celebrata anno sexagesimo nono quarti seculi. Et non solùm Vitalem, ac Timotheum, ipsumque etiam Apollinarium, sed & Lucium damnauit, contrà cuius violentias Petrus prouocauerat. Non damnatus ab aliqua synodo, sed per Arianos violenter eiectus. Ex quo vides ipsos etiam tunc Patriarchas non solummodò aduersum synodalia iudicia, sed insuper aduersùs quasuis violentias, atque calumnias sanctum Petrum inuocasse. Hinc Dorotheus Thessalonicensium Archiepiscopus ad Hormisdam Pontificem scripsit Romanam Cathedram esse [firmum omnium ad ipsam festinantium Portum.] Sanctus Gelasius dixit: [Portum omnium fluctuantium.] Est phrasis desumpta ex sancto Hieronymo.

Quod ipsum cum omni sua Pontica Diœcesi, immò cum omni Orientali Ecclesia disertè professus fuit magnus Basilius. Etenim de Eustatio Sebasteno episcopo, primæ intrà suam diœcesim Armeniæ Metropolita. viro heteroclyto, & vertumno, ac damnato per plures synodos, ideòque prouocante ad Papam Liberium, ac per ipsum reuestito, scripsit ad Occidentales episcopos: [Eustatius episcopatu eiectus, propterea quod in Melitinensi synodo depositus esset, viam sibi ipse, per quam restitueretur, excogitauit, eam videlicèt, vt ad vos proficisceretur. Quæ verò sint illi à beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clàm est, nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur. Eam vbi Thyanensi synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. Iste itàque iam fidem eam, in quam receptus est, depopulatur, cumque illis facit, qui Homousion anathemate percellunt. Deindè & hæresi patrocinatur eorum, qui Spiritum Sanctum Diuinitate spoliant. Quoniàm igitur isthinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ impietatis suæ fiducia, quam vos vidistis, ad subuersionem multorum vsus est, necesse est, vt isthinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesijs, quibus quidem conditionibus sit ad communionem susceptus. Simùl verò adijciatur, quomodò iàm mutata sententia gratiam à Patribus, qui tunc erant, acceptam reddat irritam.]

Affirmat varia. Primò, quod à Melitinensi Synodo damnatus Eustatius non ad Cæsariænsem suæ Diœcesis Exarchum, sed proximè Romam ad Liberium Papam appellauerit, atque accesserit. Secundò. quod non per generalem totius Ecclesiæ, aut etiam totius Occidentis synodum, sed per solum Pontificem fuerit restitutus. Tertiò, quod non temerè sit assecutus hanc sententiam, sed ad professionem Orthodoxæ fidei, variarumque insuper conditionum, Quartò, quod Liberius Eustatio dederit restitutionis literas, & ipsum cum eis securum remiserit ad propria. Quintò, quod Eustatius hascè literas exhibuerit Thyanensi intrà Cappadociam Synodo, & per ipsas postularit agnosci in integrum Episcopum, ac reponi in suum thronum. Sextò, quod Synodus, Apostolicas literas reuerita, ipsum reposuerit. Certè fuit non modica reuerentia. Etenim Basilius Liberium arguit, quod Eustatio solas restitutionis

tionis literas tradiderit, non adiungens fidei libellum, aliasque ab ipso professas conditiones. Et non sine fundamento. Cæsariensis namque Exarchus, cuius erat Eustatium throno, ac populo reddere, poterat ista omnia expostulare, cogniturus, an versatilis Vertumnus per obreptiones, & circumscriptiones non esset furatus gratiosam sententiam. Basilius exhibuit plenam fidem Papalibus de sola restitutione literis, supposuit omnia ritè exacta, & sine causæ cognitione est executus Apostolicum iudicium. Ast dignitati redditus homo rediјt ad ingenium, ac vomitum, & fidelium multos subuertit. Et ecce hìc maiorem Basilij reuerentiam in Apostolicam Sedem. Non præsumpsit eius, licèt iàm patenter emortuum, iudicium, immò nec relapsum hæreticum attingere, sed omnia retulit, atque remisit ad suum principium. Propter appositam Apostolicam manum: Adeò antiquum est istud vinculum.

Auitum Gallicanæ Ecclesiæ de hac Apostolici Throni auctoritate testimonium nobis tradit sanctus Alcimus Auitus Viennensis Archiepiscopus in literis, per quas ab Hormisda Pontifice rogauit nosse successum primæ Legationis, pro extinguendo Acaciano schismate transmissæ ad Imperatorem Anastasium, ac omnem Orientalem Ecclesiam: [Eutychetem, & Nestorium jàm dudum per beatissimos prædecessores vestræ Sedis damnauit auctoritas.] Et Nestorius, & Eutyches à Romanæ Sedis iudicio ad generalem Synodum appellauerant. & hunc Chalcedonensis, illum damnauerat Ephesina Synodus: Et tamen sanctus Auitus constanter affirmat vtrumque fuisse damnatum per auctoritatem Sedis Apostolicæ, Damnatum ab illa ipsa Sede, & ab isto illius Sedis Pontifice, aduersùs quem vterque prouocauerat. Eutychem per Leonem, à Cœlestino Nestorium. Nempè Chalcedonensis non tam ad Eutychetis aduersùs Leonem, quàm ad sancti Flauiani ad ipsum factam appellationem retractandam fuit indicta: Etiam Ephesina Synodus non ad solam Nestorij, sed præsertim ad degradatorum ab ipso Clericorum prouocationem discutiendam conuenit. Porrò Sardicenses Canones istarum retractationum formam, ac modum credunt sapientissimo iudicio Romani Episcopi: Et laudati Pontifices eas delegarunt præfatis Synodis. Hinc hæ egerunt ex illorum auctoritate, atque ità ipsorum auctoritas prostrauit vtrumque Hæresiarcham: Potuerant & ipsi vel in suo Presbyterio, vel retractare in suæ Prouinciæ Synodo, atque ità generales istæ Synodi ad ista retractandi munia fuerunt ex sapientissimo eorum beneplacito assumptæ, non necessariæ. Hæc est antiqua fides Gallicanæ Ecclesiæ.

CAPVT V.

Eadem Romanæ Ecclesiæ Auctoritas demonstratur ex Romana appellatione Ioannis Patriarchæ Alexandrini.

HAc de re scribit Petrus de Marca: Lib. 7. c. 10. [Magni etiam momenti est appellatio Ioannis Patriarchæ Alexandrini, quem Petrus Mogus hæreticus, iubente Imperatore Zenone, & consentiente Acacio Constantinopolitano Episcopatu deturbauit. Implorauit deiectus ille Calendionis Patriarchæ Antiocheni auxilium, ex cuius, & synodi Orientis sententia Papam Simplicium appellauit, vt scribit Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthagiensis in capite decimo octauo Breuiarij.] Ioannes ingressus est ad Calendionem Patriarcham, & sumptis ab eo intercessionis synodicis literis Romanum Pontificem appellauit, sicut fecit, & beatus Athanasius. Et suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano; [Non solùm autem summi Pontifices cognoscebant de appellationibus Episcoporum, & Patriarcharum Orientis, quando agebatur de fide, sed etiam primam causæ cognitionem ad se trahebant, si fortè in hæresim incidisset. Nàm quia materia fidei est causa communis, & generalis, quæ ad vniuersam Ecclesiam pertinet, necesse est, vt hæresis ab omnibus Episcopis damnetur, præcipuè verò à Romano, qui caput est vnitatis, & qui cum primam Sedem obtineat, ferre debet primam sententiam. Cuius debet esse prima sententia, vt loquitur Facundus Hermianensis. At si iàm hæresis in Synodo damnata fuisset, quemadmodùm Eutychiana in Concilio Chalcedonensi, tùm Patriarchæ, si communionem hæreticorum amplectebantur, deponi poterant à summo Pontifice, & synodo Romana, neque necessaria erat synodus Oecumenica. Eo enim casu Papa se tantùm præstat executorem sententiæ latæ aduersùs auctores hæresios, & eorum complices. Ei fundamento innixus Gelasius Papa Acacij Patriarchæ Constantinopolitani, qui à Felice Papa deiectus fuerat in synodo Romana, depositionem tuetur aduersùs exceptionem Euphemij Patriarchæ Constantinopolitani, qui aiebat decessorem suum non potuisse damnari ab vno, id est, à summo Pontifice, absque congregatione Synodali.]

Affirmat varia. Primò, Orientales Episcopos, ipsosque Patriarchas in causa fidei potuisse vocari ad Tribunal Apostolicæ Sedis, non dumtaxàt in retractatorio iudicio, sed etiam in prima instantia. Proindè censet primam istiusmodi instantiam extrà fidei materiam non licuisse. Et quidem quoad Episcopos, etiam Metropolitas, habet aliquid fundamenti; quoad Patriarchas autem manifestè labitur. Quod eorum circa quamcumque materiam prima accusatio semper spectauerit ad Romanam Sedem, est suprà demonstratum. Secundò affirmat eosdem Episcopos, & Patriarchas etiam in fidei materia non potuisse à solo Romano Pontifice dam-

damnati, nisi dùm ipsorum scabies fuisset antè damnata per aliquam generalem Synodum. Tunc enim necessaria est sola executio: Et hanc solam permittit Sedi Apostolicæ. Proindè ipsi nihil permittit, nisi quod quadret omnibus generatim Episcopis. Etenim ipsis omnibus istam denunciandi, & exequendi auctoritatem competere, disertè asseuerat laudatus à Petro de Marca Gelasius. Suæ Sedi adscribit, ac demonstrat longè sublimiora. Plenam auctoritatem, qua Pontifex possit, etiam sine Synodo solus, damnare, ac deijcere Patriarchas.

Hæc omnia sunt alterius loci. Et ipsa omnia non faciunt ad rem Ioannis Alexandrini. Etenim vt facerent, Ioannes debebat fuisse accusatus de hæresi, ac de lapsu in articulum iàm damnatum ab aliqua generali synodo. Aut certè debebat Petrum Mogum, per Chalcedonensem Synodum damnatæ Eutychianæ perfidiæ sectatorem appellasse ad Sedem Apostolicam. At horum nihil substitit. Ioannes ne quidem de Ecclesiastico, sed de solo ciuili crimine accusatus fuit, & non aduersùs aliquam Synodum, sed aduersùs solam Augusti Zenonis violentiam prouocauit: Et quidem ad solam Sedem Apostolicã. Et ibidem Acacium Constantinopolitanum episcopum nequaquàm de præfatæ damnatæ hæresis communione accusauit, sed solummodò de incensa, & adiuta Augusti Principis violentia. Quare hoc exemplum, vti & Liberati Archidiaconi testimonium, penitùs euertit cogitationes Petri de Marca. Vtrumque demonstrat Orientales olim episcopos etiam ob causas canonicas prouocasse ad Sedem Apostolicam. Etenim Liberatus disertè affirmat Ioannem appellasse Romam, [sicut fecit, & beatus Athanasius.] At verò exploratum est Athanasium, & à Tyria, & ab Antiochena Synodo fuisse damnatum ob solas causas canonicas. Affirmat Ioannem appellasse ad solùm Romanum Pontificem, ideòque & ad ipsum solùm prouocasse beatum Athanasium. Affirmat Ioãnem prouocasse ex consilio Calendionis Antiocheni Patriarchæ, ac eius Patriarchalis Synodi: [Sumptis ab eo intercessionis Synodicis literis.] Affirmat huiusmodi Romanas appellationes tunc fuisse constantem sensum totius Orientalis Ecclesiæ.

Cap. 17. Quod Ioannes ob causam canonicam appellauerit, est demonstrandum. Veram & eiectionis, & appellationis causam exponit Liberatus diaconus: [Ioannes Thalaia de Ordinatione sua neglexit suas synodicas literas Acacio Constantinopolitano Episcopo destinare. Habens enim amicum Ellum Magistrum, & quidem de sua Ordinatione scripsit: Scribens etiam Principi, quatenùs per Ellum Magistrum omnis eius causa disponeretur, putans eum Constantinopoli manere. Mandauit ergò Magistriano literas Synodicas, delegans ei omnia cum illius facere voluntate. Contigit autem tunc Ellum Magistrum ab Imperatore Zenone mitti Antiochiam, vt teneret Leontium, qui illic ab Exercitu cum voto Verinæ Augustæ fuerat ordinatus. Cumque Magistrianus, qui fuerat à Ioanne missus, non inuenisset Ellum Magistrum, neque Acacio, neque Imperatori literas obtulit, sed perrexit Antiochiam.

Post hæc Acacius audiens de Ordinatione Ioannis; & contristatus, quia synodicas epistolas non direxisset, & vnà faciens cùm Gennadio,] maioris Hermopolis episcopo, [Parente beati Timothei,] Salophacioli, ac Ioannis aduersario, [volentes ei nocere, detrahebant apud Zenonem, & accusabant eum, habentes adiutores Patronos Petri Mogi, quasi opportunus Episcopatui nõ esset Ioannes.] Hęc inuidię scintilla impulit Acaciũ ad eijciendum Ioannem, ad intrudendũ Petrum Mogum, ad suscitandam flammam, quæ horrendo schismate dudum afflixit Ecclesiam.

Verùm ratio ista erat fœda, ideòque allegari non poterat apud Sedem Apostolicam. Hinc allegatæ sunt præsertim duæ aliæ. Primam adducit in Commonitorio, quod Fausto Officiorum Magistro dedit, S. Papa Gelasius: [An qui homini mentitus dicitur Imperatori, & qui Imperatorem læsisse perhibetur, depelli debuerunt, & in Deum, qui summus, & verus est Imperator, Acacium delinquentem, sinceramque communionem Diuini Sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundùm Synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat excludi?] Mendacium Ioannem, læsa Principis Maiestas Calendionem Antiochenum, damnatum à priori Chalcedonensi Synodo crimen tangit Acacium, ideòque Gelasius palàm affirmat Ioannem fuisse immunem à tali crimine. Acacianam Factionem, quæ damnatum ex tali crimine Acacium clamitabat non debuisse damnari sine Synodo, & Ioannem ob nouum crimen, immò ob noui criminis calumniam sola eiecerat, affirmat sibi ipsi non cohærere. Vnicum præfari mendacij crimen fuisse Ioanni impositum, idem Pontifex scribit in literis ad Dardaniæ episcopos, & in literis ad episcopos Orientales. Criminis seriem exponit Euagrius Epiphaniensis: [Ioannes Presbyter quorumdam impulsus consilio Constantinopolim venit, Imperatorem precaturus, vt si fortè episcopus Alexandriæ migraret è vita, sibi liceret Antistitem, quem vellet, ciuibus illius ciuitatis nominare. Qui quidem, vt Zacharias memorat, episcopatum pro se ambire ab Imperatore deprehensus est. Et cum se iureiurando obstrinxisset se nunquàm Sedem Episcopalem Alexandrinam petiturum, domum reuertitur. Quapropter Zeno eum post mortem Timothei decreuit creãdum episcopum, quem Clerus, & Laicorum multitudo diligerent. Non longo tempore post, mortuo Timotheo, Ioannes data pecuniæ summa, quemadmodùm ab eodem Zacharia traditum est, & iureiurando, quod Imperatori dederat, neglecto Alexandrinorum deligitur episcopus. Qua re cognita Imperator illum Alexandria exigendum mandat.] Eum accusat de ambitu, periurio, ac Simonia. Sunt profani Zachariæ mendacia, quæ Euagrius nimia temeritate sequitur. Quod enim Ioannes non quorumdam impulsus consilio, sed à Timotheo suo episcopo iussus Constantinopolim accesserit; quod non à se nominandi, sed Canonicè eligendi Catholici episcopi facultatem postulauerit; & quod tale iuramentum non præstiterit, exploratum est, & possit facilè demonstrari. Nam & ipsa accusatrix

Epist. 4.
Epist. 13.
Epist. 15.
Lib. 3. c. 12.

fatrix factio de ambitu & Simonia plenè tacuit apud Sedem Apostolicam, & declamauit solum mendacium.

Aliud Ioanni impactum crimen adducit Liberatus: [Quod viuente Timotheo Catholico Ioannes tractasset exire de Ecclesia, & ab ipso suasus fuisset idem Timotheus suscipere Dioscorum in Dypticbis.] Et reuera Timotheus Salophaciolus fuerat nimiùm indulgens, ac flaccidus: Et ex Eutychianorum metu rasum damnati Dioscori nomen rescripserat in sacras tabulas. Liberatus pergit: [Imperator putans quod Ioannes episcopus non rectè saperet de Chalcedonensi Concilio, sed omnia simulatè ageret, consilio Acacij, scripsit literas Pergamio Duci, & Apollonio Augustali, vt pellerent quidem Ioannem Thalaiam, Petrum autem Mogum inthronizarent.] Hoc crimen tangit fidem: Spectat ad Eutychianam perfidiam, damnatam à Chalcedonensi Synodo. Etiam de ipso Acaciana factio, studuit Ioannem infamare. At erat manifesta calumnia, ideòque per semetipsam defecit, & euanuit. Nec in Papalibus literis, nec in Acacianorum actis, aut scriptis reperitur vlla eius memoria. Etiam Zacharias erubuit ipsam producere. Accusatio perstitit ad solum mendacium, ac periurium. Proinde Romana Ioannis appellatio non processit ob Catholicam fidem, aut hæresim, sed ob solam causam Canonicam, immò ciuilem.

Omnem rei seriem accuratissimè exposuit antiquus Eutychianæ historiæ Breuiculus. Exponit contumax, ac triennale Acacij contra Simplicij Pontificis Apostolica mandata silentium, & prosequitur: [Post omnia Ioannem Presbyterum, Oeconomum suum, Timotheus] Salophaciolus, Orthodoxus Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcha, [ad Principem misit, rogans, vt si quid humanitùs sibi fortè contingeret, iuberet pietas eius Catholicum à Catholicis ordinari. Ad cuius petita responsum est, & tam ipsi, quàm Clericis scriptum. Atque in eisdem Sacris Ioannes Oeconomus multis laudibus prædicatur, vt iam penè omnibus Alexandrinis episcopalis putaretur Officij Candidatus. Defuncto isto Timotheo episcopo, Ioannes Oeconomus Catholicus à Catholicis ordinatur episcopus. Qui cum de consuetudine maiorum ad Apostolicam Sedem synodica per Isidorum Presbyterum, & Petrum Diaconum scripta misisset, superueniente Vranio Subadiuua, & contra Ioannem iam episcopum sacra Principis deferente, ab episcopatus illius confirmatione Papa suspensus est. Et quia in eisdem Sacris de restituendo Petro] Mogo, [quem ipse damnauit, fecerat mentionem, hæc pars omninò est abnegata. Vnde videtur Clementissimus Imperator offensus. Cum ergò sanctæ memoriæ Papæ Simplicij, nihil toties ad Acacium directa propter Alexandrinæ Ecclesiæ quietem, & Catholicæ fidei integritatem scripta proficerent, superuenit idem sanctus Ioannes episcopus, qui sicut decebat, ab Apostolica Sede susceptus est. Nam & Priores eius similiter Romanæ Ecclesiæ suffragium tempore persecutionis poposcerant.] Breuiculus exponit Acacij facinora, & prosequitur: [Postquàm ergò non solùm nihil profecisse literas decessoris sui sanctus Fælix Papa cognouit, & ludibria quædam in euersionem totius ecclesiasticæ disciplinæ ab Acacio fieri, electis Vitale episcopo Troentinate ex Picena Regione, & Miseno Cumanæ Ecclesiæ episcopo ex Regione Campaniæ, sub hac instructione direxit, vt Petrus de Alexandrina pelleretur Ecclesia, & vt libello sancti Ioannis episcopi Alexandrini responderet Acacius, vtque ipsi denunciaretur Acacio, vt anathema diceret Petro. Qui quamuis, hostili more detrusi in custodiam, chartas amiserint, tamen perfidis hæreticis, atque damnatis accommodare non debuerunt, quæ sola negari potuit, voluntatem. Non solùm ergò non egerunt quæ iussa sunt, aut quæ expedire poterant, sed etiam hęreticis communicauerunt, confirmationemque Petri Episcopatus, ad quem pellendum missi fuerant, deferentes, atque contumelias in episcopum Ioannem Acacio dirigente portantes. Quibus rebus, habita synodo, commotus Beatissimus Papa, Vitalem, & Misenum ab officio, & communione suspendit, Acaciumque damnauit.]

Diximus omnem causæ seriem, ac insuper varia spectantia ad dignitatem Sedis Apostolicæ. Primò, quod Imperator Zeno Ioannem Thalaia, adhuc Presbyterum, & ad se Legatum, dum cum suis sacris ad Timotheum episcopum, & Alexandriæ Clerum responsis remisit, in istis ipsis literis adeò prædicauerit, vt redux, post eas lectas, ab omnibus haberetur Episcopalis Dignitatis iam Candidatus. Proindè suprà memoratum periurium est manifesta calumnia. Secundò diximus, quod Alexandrini Patriarchæ suam consecrationem debuerint statim referre Romano Pontifici, eius confirmationem postulare, ac obtinere. Et hoc ex more Maiorum. Nempè ex Apostolico Canone, confirmato per sextum Nicænum. Hinc Imperator Zeno Ioannis exufflari, Petri autem Mogi, consecrationem supplicauit à Simplicio Papa confirmari. At huius constantia neutrum concessit. Petrum, vtpotè sceleratum Monachum, qui in ipso etiam Ephesino Latrocinio turbas cum Eutychete egerat, penitùs abiecit, Ioannis verò confirmationem suspendit in plenius examen, vel in gratiam Principis. Et his offensus Zeno Pergamio Duci & Apollonio Augustali scripsit, vt Ioannem eijcerent, & Petrum inthronizarent. Et ita eiectus Ioannes abijt Antiochiam, & ex Calendionis consilio inde Romam appellauit, ac venit. Et de eius, dum in vrbem peruenit, reuestitione Liberatus tacet. Quia nempe Ioannes ob pendentem confirmationem necdùm ex integro vestitus fuerat, ideòque nec ex integro spoliari potuerat, nec poterat reuestiri. Nec per synodalem, aut episcopalem, sed per solam Laicam violentiam erat exutus, ideòque nec per Apostolicam auctoritatem videbatur reuestiendus.

Simplicius circa ipsum videtur, nihil egisse iudicialiter. Studuit eum sine strepitu reponere in Principis, & Acacij gratiam. Hinc Fœlix Pontifex in literis, quibus per Vitalem, & Misenum euocauit Acacium ad suum Tribunal, habet inter cætera: [Superue-

ueniens Frater, & Coepiscopus noster Ioannes, fugatus ab hereticis Peruasoribus Sedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem sanctæ memoriæ Prædecessori meo parauerat porrigendum, ingessit. Quem morem Maioris sui beatæ memoriæ Athanasij exemplo, & Priorum nostrorum non potuimus refutare.] Primus igitur Fęlix iudicij postulatorium libellum suscepit à Ioanne, atque ita est exorsus iudicium. An ipsum cum Acacio certaturum solemniter reuestiuerit iuxta Sardicenses Canones, ignoro. Certè non fuit necessarium. Iudicij processus fuit longus, & multifarius. Eius finis fuit, quod Fęlix Vitalem, & Misenum episcopali gradu, Acacium autem insuper communione exuerit, ac ipso etiam Christiano nomine. Quid circa Ioannem egerit, exponit Liberatus: [Ioannes Thalaia habens episcopi dignitatem remansit Romæ, cui Papa Nolanam dedit Ecclesiam, quæ est in Regione Campaniæ, in qua plurimos residens annos in pace defunctus est.] Liber Pontificalis in sancti Gelasij vita adiungit: [Eodem tempore fugiens Ioannes Alexandrinus episcopus catholicus venit Romam ad Sedem Apostolicam. Quem B. Gelasius suscepit cum gloria. Cui etiam, & secundam Sedem præbuit.] Possit errare in persona: Et Fęlicis opus transcribere in Gelasium. Proinde Fœlix Ioannem plenè reddidit Alexandrino episcopatui, & vti verum Alexandriæ Patriarcham gloriosè tractauit in omnibus: Ei in sua Romana synodo dedit secundam Sedem. At quoniam schismata Principis violentia ipsum non permittebat reponi in Thronum, ei Fęlix dedit Nolensem Ecclesiam. Videtur dumtaxat commendasse. Quidquid sit, Ioannes semper retinuit Patriarchæ dignitatem, & titulum, & honorem secundæ Sedis. Etiam Fœlix addit, hæc omnia à Ioanne ad sancti Athanasij, à se agi ad exempla suorum antecessorum. Et eius opus constanter approbauit omnis semper Orthodoxus Oriens, & ipsa etiam Acaciana factio tandem acquieuit, Acacium legitimè damnatum profitens, & eius nomen radens è sacris tabulis. Etiam nomen Zenonis Imperatoris.

Hanc appellationē strenuè laudat, & eius occasione antiquas Ecclesiæ Regulas, ac mores exponit sanctus Gelasius in Commonitorio ad Faustum, sub Theodorico Italiæ Rege Magistrum Officiorum, ac eiusdem Principis Legatum ad Imperatorem Anastasium: [Græci nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi, sana, rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potiùs decreta sequenda mandarunt.] Et infrà: [Nobis ausi sunt facere Canonum mentionem, contra quos semper ambitionibus illicitis fecisse monstrantur. Qua ipsi synodo, vel secundùm cuius synodi formam Alexandrinum Ioannem de Ecclesia, cui ordinatus fuerat, expulerunt? Qui nullis euidentibus nec ante conuinci, nec posteà prouocans etiam in iudicio competenti potuit acusari.] Et tandem: [Qua traditione Maiorum Sedem Apostolicam in iudicium vocant?] Acacianæ factionis Sectatores, auctoris sui iam defuncti nomen detrectantes radere è sacris tabulis, blaterabant ipsum à Fœlice Tertio, non rectè damnatum: Quod Regiæ ciuitatis episcopus non à solo Papa, sed à generali synodo fuisset damnandus. Et prouocabant ad canones, necnon ad mores Maiorum. Et Gelasius reponit illos garrire inania, & nescire quid loquantur. Nullos esse authenticos istiusmodi Canones, nullam talem Maiorum consuetudinem. Notat Canones Antiochenos, Eusebianæ commenta, & Acacianæ factionis fundamenta: Et eis opponit Canones Sardicenses. Iuxta hosce, adeòque & iuxta confirmatam ab illis Maiorum consuetudinem affirmat egisse Fęlicem. Hi enim Canones omnium ex toto Mundo appellationum retractatorium iudicium deferunt Romano Pontifici.

Eadem omnia amplissimè repetit, ac illustrat Gelasius in literis ad Dardaniæ Episcopos, & post plura adiungit: [Sed nec ista præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter more maiorum, etiam sine vlla synodo præcedente, & absoluendi, quos synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memorię quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit S. memoriæ nihilominùs Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemque Sanctę memoriæ Flauianum, Pontificum Congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit, potiùsque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem sua authoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo sola submouit, ac pro veritate, vt Chalcedonensis Synodus fieret, sola decreuit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominùs sua authoritate prostrauit, quam Congregatio, quæ illic pro reparanda veritate congregata fuerat, est secuta: Quoniam sicut id, quod prima Sedes non probauerat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia suscepit.]

Petrus de Marca, alijque Symmystæ nobis suadent sanctum Athanasium, sanctum Ioannem Chrysostomum, ac S. Flauianum non ad Romanum Pontificem, aut eius Sedem, sed prouocasse ad totius Ecclesiæ, aut certè ad Synodum totius Occidentis: Et ita oportuisse. Per Canones non licuisse aliud. At verò S. Gelasius constanter hoc loco scribit ipsos appellasse ad Sedem Apostolicam. Et non de vno, sed de omnibus tribus disertè adiungit: [Sola Sedes Apostolica.] Videtur in istos Nouatores præscripsisse. Cui credendum? Certè Gallicana olim Ecclesia credidit

S.Ge-

S. Gelasio ? Et S. Athanasij, itemque S. Ioannis Chrysostomi appellatio hærebat in solis causis canonicis. Scio Dioscorum, ac in eius perfidia, aut factione permanentes Episcopos fuisse damnatos à Chalcedonensi synodo: Item S. Flauianum, & plures cum ipso ab Ephesino latrocinio damnatos Antistites fuisse reparatos à laudata synodo. Cur igitur Gelasius scribit: [Sola Sedes Apostolica absoluit, sola sua authoritate prostrauit?] Ob duas rationes. Primam edicit ipse Pontifex: [Quam congregatio secuta est.] Hoc est, quia omnis synodus aliud non fecit, quàm sequi, & firmare prærogatiuam Apostolici suffragij. Altera ratio est in his verbis eiusdem Pontificis: [Vt Chalcedonensis synodus fieret, sola decreuit.] Hoc est, ad definitiuè retractandum Ephesini latrocinij iudicium sola Apostolica Sedes suo sapientissimo arbitrio iuxta Sardicenses Canones fieri iussit Chalcedonensem synodum, ideoque quidquid isthic circa præfatas appellationes actum est, processit ex authoritate, ac delegatione laudatæ Sedis. Et hunc loquendi modum vsitauit etiam S. Auitus Archiepiscopus Viennensis. Ex sensu Gallicanæ Ecclesiæ. Nec mirum. Etenim Gelasius rectè affirmat omnia hæc fuisse acta, & à se scribi iuxta Canones, & iuxta perpetuam consuetudinem maiorum.

Hoc ipsum lucidè testatur in literis ad Rufum Thessalonicensem episcopum, & cunctos eius in Illyrico Collegas S. Bonifacius primus Pontifex. Alexandrinæ, Antiochenæ, alijsque per Orientem Primatialibus Cathedris profitetur, ac firmat suas dignitates, & adiungit: [Sed quia res postulat, approbandum documentis est, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotijs, in quibus opus esset disceptatione maiori, Sedem semper consuluisse Romanam, & quoties vsus exegit, eius auxilium postulasse. S. memoriæ Athanasius, & Petrus Alexandrinæ Sacerdotes Ecclesiæ, huius Sedis auxilium postularunt. Cum Antiochena Ecclesia per multum temporis laboraret, ita vt fierent illinc propter hoc ipsum sæpe discursus, primò sub Meletio, postea sub Flauiano, Apostolicam Sedem manifestum est esse consultam: Ad cuius authoritatem post multa, quæ ab Ecclesia nostra gesta sunt, nemini dubium est Flauianum communionis gratiam recepisse, quam in perpetuum caruerat, nisi hinc super hoc scripta manassent. Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarij Ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum episcopis, formatam huic à Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ eius Sacerdotium roboraret. Ante breue tempus, id est, sub Prædecessore meo B. recordationis Innocentio, Orientalium Ecclesiarum Pontifices, dolentes se à B. Petri communione seiunctos, per legatos pacem poposcerunt. Quo tempore Apostolica Sedes non difficulter omnia indulsit.] Affirmat S. Athanasium, ac eius successorem Petrum, Alexandrinos Patriarchas, S. Meletium, ac eius competitorem Flauianum, Patriarchas Antiochenos, Nectarium, ac eius successorem S. Ioannem Chrysostomum, Episcopos Constantinopolitanos, non ad generalem synodum, sed prouocasse ad solam Apostolicam Sedem, & ab ipsa sola fuisse per causæ definitionem adiutos. Nectarij causa omninò spectabat ad Romanam appellationem Maximi Cynici. Epistola extat in Romana synodo Bonifacij secundi Pontificis. Epist. 10.

Consonat in literis ad Clerum, ac Populum Constantinopolitanum S. Cœlestinus Pontifex, agens de Clericis per Patriarcham Nestorium degradatis, ac relegatis: [Habetis vos, quicumque Ecclesia estis eiecti, penè nostrorum temporum B. recordationis Athanasij, Alexandrinæ Ecclesiæ prudentissimi Sacerdotis, exemplum. Fugatus illinc, & in nostris partibus roboratus est. Denique hìc ei redintegratus est status, & in hac Sede quietem communionis inuenit, à qua semper Catholicis subuenitur.] Epistola extat in prima parte Ephesini Concilij. Cap. 9. Hoc ipsum in suo constituto constantissimè affirmat Vigilius Pontifex: [Hanc regulam, & in sanctorum, Ioannis Constantinopolitani episcopi, quem Chrysostomum vocant, atque Flauiani, eiusdem ciuitatis episcopi, veneranda memoria constat esse seruatum, qui licèt violenter exclusi essent, non tamen pro damnatis sunt habiti, eò quod semper inuiolatam eorum communionem Romani Pontifices seruauerunt. Nec abscindi ab ecclesia dici potuerunt, vel poterunt, quos sibi inconuulsè vnitos Apostolica iudicauit authoritas.] Constitutum istud est scriptum ad Imperatorem Iustinianum, & ad omnes Orientales episcopos: Et ipsorum nullus vnquam, vel somniauit huic articulo contradicere. Quin immò præfatus Imperator in suo aduersùm tria capitula edicto illum lucidè confirmat: [Quantum ad insipientiam dicentium, non oportere anathematizari post mortem eos, qui in sua impietate mortui sunt, oportebat nec eos, iniustè condemnati sunt, Patres post mortem reuocari, quale contigit in Ioanne S. recordationis episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis, ab vniuersali Ecclesia post mortem reuocato, ac in Flauiano S. memoriæ, & ipso episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis, iniustè quidem in vita condemnato, iustè autem post mortem reuocato, tam à S. memoriæ Papa Leone, quàm à S. Chalcedonensi Concilio.] Nempè S. Leo reuestiti à se Flauiani retractatorium iudicium iuxta Sardicenses Canones delegarat Chalcedonensi synodo, atque ita etiam hæc Flauianum reuocauit. Consonat, & Liberatus Diaconus: [Flauianus, contra se prolata sententia, per Legatos eius Sedem Apostolicam appellauit libello.] Nulla Nouatorum turma hanc lucidissimam veritatem, tot, ac tantis stipatam testibus, possit obnubilare.

CAPVT VI.

Adducitur Instrumentum Appellationis, quod Hæresiarcha Eutyches misit ad S. Papam Leonem.

QVod Eutyches ad S. Leonem, ac eius Apostolicam Sedem appellauerit, & appellationis libellos transmiserit, est supra ex laudati Pontificis epistolis, alijsque authenticis documentis abundè demonstratum. Epistolæ libellos disertè memorant. Huc vsque credidimus perditos, & non potuimus producere. Deo laus, eos nobis custodiuit præfatus Codex Cassinensis. Appellationis libellus habet hunc titulum:

Epistola Eutychetis Hæretici, vbi scribens ad Papam vrbis Romæ Leonem negat in Christo duas esse naturas, id est, Diuinitatis, & humanitatis.

Est titulus appositus à compilatore, aut descriptore. Hic est Contextus.

DE mea in Dominum, & Deum omnium Christum spe confidens ante omnia quidem, Testis Deus Verbum est, in sensibus huiusmodi dignoscens veritatis probationem, inuoco autem vestram Sanctitatem in testimonio cordis mei, & rationes sensuum meorum, atque verborum. Sed pessimus Diabolus fascinauit tale studium nostrum, & propositum, à quibus vires eius destrui oportuit. His stimulans omnem domesticam sibi vim, contra me mouens Eusebium Episcopum Oppidi Doryleensis, libellum dantem S. Episcopo Constantinopolitanæ Ecclesiæ Flauiano, & quibusdam alijs inuentis in eadem vrbe, qui propter diuersas causas suas euenerant, quomodò hæreticum compellauit, non veritate accusationem mihi, sed perniciem mihi machinans, & perturbationem Ecclesijs Dei. Vocabat ad responsionem accusationis ab ipsorum Sanctitate, sed graui ægritudine super ipsam senectutem retentus: Occurri ad purgationem, non ignorans compositam factionem contra salutem meam. Et quidem libellis statim, subscriptione mea his addita, obtuli scripta, ostendens de Sancta Fide professionem meam. Sancto autem Flauiano Archiepiscopo, neque libellum suscipiente, neque vt legeretur iubente, audiente tamen, & respondente me ipsis verbis eam fidem, quæ Nicææ exposita est à sancta Synodo, confirmata verò apud Ephesum, expetebar duas naturas fateri, & anathematizare eos, qui hoc negant. Ego autem metuens definitionem à Synodo, nec adimere, nec addere verbum contra expositam fidem à sancta synodo Nicæna, sciens verò Sanctos, & Beatos Patres nostros, Iulium, Felicem, Athanasium, Gregorium, SS. Episcopos, refutantes duarum naturarum vocabulum, & non audens tractare de natura Dei Verbi, qui in carnem venit vltimis diebus in Vterum S. Virginis Mariæ immutabiliter, quomodò voluit, & scit, in veritate, non in phantasmate hominem factũ, aut anathematizare supradictos Patres nostros, rogabam, vt innotescerent ista Sanctitati vestræ, & quod vobis videretur indicaretis, omnibus modis me secuturum, quæ probassetis: Sed nullo eorum, quæ à me dicebantur audito, abrupta Synodo publicauerunt deiectionis sententiam, quam aduersùs me calumniæ factione instruebant, vt & salutis meæ discrimen incumberet, nisi citò opera Dei, orationibus Sanctitatis tuæ, militaris manus me ab incursione rapuisset. Tunc duces aliorum Monasteriorum cogere cœperunt in deiectionem meam subscribere, quod nunquam nec in eos, qui se hæreticos professi sunt, vel aduersùs ipsum Nestorium factum est. In tantum cum ad satisfaciendum plebi proponerem fidei mei confessiones, non solùm, & arcerent eas audiri, verùm & arriperent hi, qui contra me supradictam factionem meditabantur, vt exinde tanquam hæreticus apud omnes haberer. Ad vos igitur Religionis defensores, & huiusmodi factiones execrantes confugio, nihil & nunc nouum inducens contra fidem iam indè nobis ab initio traditam, sed anathematizans Apollinarium, Valentinum, Manem, & Nestorium, & eos, qui dicunt Carnem Domini Nostri Iesu Christi Saluatoris è cœlo descendisse, & non Spiritu è Sancto, & Sancta Virgine Maria: Et omnes hæreses vsque ad Magnum Simonem. Et nihilominùs tanquàm Hæreticus de vita periclitor. Et obsecro, nullo mihi præiudicio facto ex his, quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit super fidem proferre sententiam, & nullam deinceps permittere à factiosis contra me calumniam procedere, & non excuti, & eximi de numero Orthodoxorum eum, qui in continentia, & omni castitate septuaginta annos vitam peregit, ita vt in ipso exitu vitæ naufragium patiatur. Subiunxi autem his literis meis vtrumque libellum: Et eum, qui ab accusatore meo oblatus est Synodo, & qui à me gestus quidem est, non tamen susceptus. Et editionem fidei meæ. Necnon & ea, quæ de duabus naturis à sanctis Patribus nostris decreta sunt.

Notanda sunt verba: [Inuoco Vestram Sanctitatem. Rogabam, vt innotescerent ista Sanctitati Vestræ, & quod vobis videretur indicaretis, omnibus modis me secuturum, quæ probassetis. Ad vos igitur Religionis Defensores, & huiusmodi Factiones execrantes confugio. Et obsecro, nullo mihi præiudicio facto ex his, quæ per insidias contra me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit super fidem proferre sententiam, & nullam deinceps permittere à Factiosis contra me calumniam procedere, & non excuti, & eximi de numero Orthodoxorum eum, qui in continentia, & omni castitate septuaginta annos vitam peregit.] Sunt manifesta appellantis verba. Insuper disertè affirmant Eutychetem in ipso sancti Flauiani iudicio ad Papam prouocasse. Possint tamen esse mendacia. Rationes suo loco exposui. Præfata verba etiam conqueruntur appellationi non datum effectum suspensiuum, ideòque violatos fuisse Sardicenses Canones. Omnis libellus nihil penitùs habet, quod per omnia non consonet Synodalibus Actis sancti Flauiani. Proinde hic est omninò libellus, de quo magnus Leo scripsit ad laudatum Flauianum: [Accepimus libellum Eutychis Presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio episcopo, immeritò communione priuatum. Maximè cum vocatum se adfuisse testatur, nec suam præsentiam denegas-

negasse, adeò vt in ipso iudicio libellum appellationis suæ se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum. Qua ratione compulsus sit, vt contestatorios libellos in Constantinopolitana Vrbe proponeret. Et infra: Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas afferri, cum memoratus Presbyter libello proprio sit professus paratum se esse ad corrigendum, si quid in se inuentum fuerit, quod reprehensione sit dignum.] Et in literis ad Imperatorem Theodosium: [Quid in Constantinopolitana ecclesia perturbationis acciderit, quod ita Fratrem, & Coepiscopum nostrum Flauianum potuerit commouere, vt Eutychen Presbyterum communione priuaret, nondùm potuimus euidenter cognoscere. Quamuis enim prędictus Presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit, breuiter tamen aliqua prælibauit, asserens se Nicænæ Synodi Constituta seruantem frustrà in fidei diuersitate culpatum. Eusebij autem episcopi accusatoris eius libellus, cuius exemplaria ad nos prædictus presbyter misit, de obiectionum euidentia nihil habebat.] Hæc Leo rescripsit Principi, qui Eutychetis libellum laudauerat, & fuerat comitatus suis sacris literis.

Cap. 2.

Epist. 21. Cap. 1. & 2.

Cassinensis Codex nobis custodiuit, & aliud Eutychetis instrumentum, quod existimo esse contestatorium illius libellum, transmissum etiam Leoni Pontifici. Codex dat ei hunc titulum: [Item verba Eutychetis.] Contextus eius est hic:

Testor vos coram Deo, qui cuncta viuificat, & Christo Iesu, qui sub Pontio Pilato testificatus est optimam illam Confessionem, ne quid ad gratiam faciatis. Ego enim iam à Maioribus meis ita sensi, & à pueritia mea ita illuminatus sum, quemadmodùm sancta, & ex vniuerso Orbe terrarum apud Nicæam habita Synodus trecentorum decem & octo Beatissimorum Episcoporum fidem constituit, & quam conseruauit, ac definiuit denuò obtinere solam sanctus Synodus Ephesi collecta. Et numquam aliter sensi, quàm quemadmodùm præcepit recta, & sola vera fides Orthodoxa. Et cunctis, quæcumque sunt circa eamdem fidem à sancta eadem Synodo constituta Ephesi, adsentior. Cuius Synodi Dux, & Princeps fuit beatæ, ac sanctæ recordationis Episcopus Cyrillus Alexandrinorum, & prædicationis, ac fidei Sanctorum, & Electorum Dei, Gregorij maioris, & item Gregorij, Basilij, Athanasij, Attici, Procli socius, & particeps. Eum & omnes eos Orthodoxos, & fideles habui, & honoraui tamquàm sanctos, & Magistros meos existimaui. Anathema autem dico Nestorio, & Apollinari, & omnibus Hæreticis vsque ad Simonem, & qui dicunt carnem Domini nostri Iesu Christi de cælo descendisse. Ipse enim, qui est Verbum Dei, descendit de cælo sine Carne, & factus est Caro in vtero S.Virginis, ex ipsa Carne Virginis, incommutabiliter, & inconuertibiliter, sicut ipse nouit, & voluit. Et factus est, qui est semper Deus perfectus ante sæcula, idem & homo perfectus in extremo dierum propter nos & nostram salutem. Hanc igitur meam plenam professionem Sanctitas Vestra, &c.

Eutyches Presbyter, & Archimandrites huic libello subscripsi manu mea.

Etiam hic libellus per omnia consonat Actis laudatæ Synodi.

Præfatus Codex adiungit, & fragmentum ex nescio quibus sancti Pontificis Iulij literis, & ipsis præfigit hunc titulum: [Exemplar Iulij Episcopi Vrbis Romæ, vt asserunt Eutychis scripta, ad Dionysium Episcopum, cuius sensu ductus ipse Eutyches decidit in errorem.] Hæc Eutychis scripta omninò sunt adductus appellationis libellus, in quo habetur. [Sciens verò sanctos, & beatos Patres nostros, Iulium, Fœlicem, Athanasium, Gregorium, sanctos Episcopos, refutantes duarum naturarum vocabulum, &c.] Hoc igitur fragmentum Eutyches vnà cum suæ appellationis libello transmisit Leoni Pontifici, quo se demonstraret non recedere à fide, & doctrina Romanæ Ecclesiæ. Fragmenti contextus est:

Miror audiens quosdam confitentes quidem in Carne Dominum nostrum, incurrentes verò diuisionem malè à Paulianistis introductam. Illi enim Paulum Samosatenum sequentes, alium quidem intelligunt eum, qui ex cælo descendit, Deum confitentes; alium verò terrenum hominem esse dicunt. Et illum quidem infabricabilem. Hunc Dominum, alium seruum. Impium, seu venerentur eum, quem seruum appellant, & fabricatum, seu non colant eum, qui nos Sanguine suo redemit. Hi verò, qui Deum descendisse de cælo confitentur, & Carnem factum ex Virgine, & vnum esse cum Carne, frustrà conturbantur, excedentes in verba impietatis illorum. Dicunt enim, & ipsi, sicut audio, duas naturas. *Ad quod S. Ioannes euidenter probat vnum Dominum nostrum, cum dicat:* Verbum Caro factum est. *Et Paulus Apostolus, cum dicat:* Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. *Si enim natus ex Virgine* Iesus *nominatur, & ipse est, per quem vniuersa facta sunt, vna scilicet natura facta est, quoniam & vna Persona, non in duo diuisa, cum nec propria natura corporis est, & propria natura Deitas sit secundùm Carnem. Sed sicut homo vna natura est, ita & is, qui ad similitudinem hominis est factus Christus. Quod si non agnoscunt id, quod per adunationem vnum est, possunt & vnum in plura partire, & plurimas dicere naturas: Quoniam multiplex corpus, quod ex ossibus, neruis, & venis, carne, & cute, sanguine, & spiritu constet, quæ omnia diuersa quidem inter se sunt, vna tamen est eorum natura. Vnde & Deitatis natura cum corpore vnum est. Et hæc in duas naturas diuiditur? Nec enim poterat totum filius hominis appellari, qui descendisset de cælis, & rursùm Filius Dei, qui natus ex fœmina est, si duarum naturarum caperet diuisionem, sed id quidem quod descendisset de cælis vocaretur Filius hominis, non Filius Dei. Et hoc Paulianæ diuisionis est. Nos autem Diuinæ Scripturæ docent tamquàm de vno Domino nostro sentire, & cum descendisset de cælis, & cum in terra natus est. Qui igitur sic sentiunt, non excedunt ab inconsona contraria sentientibus, vt cum mente Diuinis Præceptis consentiant, sermonibus discrepent. Necesse est enim eos, cum duas naturas intelligant, alteram colere, alteram non adorare: Et in Diuinam quidem baptizari, in humanam verò non baptizari. Si autem in mortem baptizamur Domini, vnam profitemur naturam, & im-*

& impassionabilis Deitatis, & passionabilis Carnis, vt per hoc sit Baptisma nostrum, & in Deum, & in mortem Domini perceptum. Nec enim veremur Calumniatores, qui diuidunt in duas Personas Dominum. Nec cum nos vnitatem Euangelicam, atque Apostolicam prædicemus, lacerent nos tamquàm dicentes, Carnem esse cœlestem: Cum nos è contra Diuinas Scripturas legamus dicentes Filium esse non ex cœlo. Nec enim cum dicimus Filium Dei creatum ex muliere, possumus reprehendi tamquàm Verbum ex terra dicentes, & non ex cœlo. Dicimus enim vtrumque: Et ex cęlo totum propter Deitatem, & ex muliere totum propter Carnem, ignorantes diuisionem vnius Personæ.

An hæc sit integra epistola, ignoro. Interim grande hoc fragmentum hucusque latuit. Apud Leontium Byzantinum habuimus dumtaxat pauca ipsius verba.

Palmare Eutychetis Dogma volebat Christum Dominum esse non vnicam solummodò Personam, sed & vnicam compositam naturam. Et ipsam in adducta Iulij epistola censebat esse fundatissimam. Et in hoc sui auctoris sensu Eutychiani omnes dudùm pertinacissimè naufragarunt. Porrò de hac epistola Gennadius, Massiliensis ecclesię Presbyter, ab isto errore plenè immunis, in Illustrium virorum Catalogo scripsit: [Iulius vrbis Romæ episcopus scripsit ad Dionysium quemdam de Incarnatione Domini epistolam vnam, quę illo quidem tempore vtilis visa est aduersùm eos, qui ità duas per incarnationem asserebant in Christo personas, sicut, & naturas; nunc autem perniciosa probatur. Fomentum enim est Eutychianæ, ac Timotheanæ impietatis.] Affirmat epistolam esse reuerà Iulij Pontificis. Quod eius Iudicium à quibusdam grauissimè reprehenditur. Alijs tamen videtur scripsisse ex sensu plurium tunc in Gallicana Ecclesia. Quidquid sit, certum est labi, ac deuiare. Cap. 2.

Etenim in primo ad Imperatorem Iustinianum libro Facundus Hermianensis episcopus duas in Christo Domino fuisse naturas, & ipsas in vnam non coijsse, nec coire potuisse, sed duas semper permansisse, vario SS. Patrum testimonio demonstrat, & rectè prosequitur: [Quid autem Eutychianos contra hæc euidentissima Patrum testimonia iuuare poterit, quod in vanissimi sui assertionem erroris dicunt Iulium Romanum Episcopum nescio vbi rescripsisse, quod vna sit Christi natura? Cum in S. Ephesina Synodo hoc solùm ipsius B. Iulij contra Nestorium recitatum fuerit ex epistola ad Prosdocium.] Adducit laudatum ab Ephesina Synodo testimonium, & pergit: [Non aliud præter hanc ad Prosdocium epistolam ex Dictis Iulij in illa Synodo prolatum est, si qua forsitan alia scripsit, neque ex hac epistola aliquid ampliùs. Cur igitur non illud potiùs, quod de vna Christi natura isti circumferunt tamquàm ab ipso B. Iulio scriptum, vel quæque similia, quæ scripsisse autumant alios venerabiles Patres, in Synodo recitata sunt contra Nestorium? Nam ipsa magis eius dogmati contraria viderentur. Quid enim iam controuersiæ remansisset, quod vna esset illius Dei, Hominis subsistentia siue Persona, si probarentur Patres, quod etiam vnam prædicauerint eius esse naturam? Igitur, vt omnis auferatur quæstio, si non postea epistola illa confecta est, aut B. Iulij eam non esse, sicut magis credendum est, Synodus iudicauit, aut etiam si eius esse credidit, quod ego non dico, vt alia magis, quàm ipsam eiusdem S. Iulij contra Nestorium proferret, non ex eo, quod incautè dictum est, contrarium errorem iudicauit esse vincendum.] Cap. 5.

Eutycheti, ac omnibus Eutychianis familiarissimum, & constantissimum fuit proclamare ad Nicænum Symbolum, & Acta Ephesini Concilij. Porrò hoc Concilium inter alia Patrum testimonia, ex quibus Nestorianam reuicit perfidiam, adduxit Iulij Romani Pontificis epistolam ad Docimum, siue Prosdocium: Ex inde Errones isti concluserunt omnia eiusdem Pontificis Scripta esse probata per istam Synodum, ideòque, & eius epistolam ad nescio quem Dionysium. Et ipsam plenis buccis, & buccinis vbique prædicarunt. Magnus Leo ad sibi transmissum ipsius ab Eutychete fragmentum videtur tacuisse. In eius epistolis nulla est ipsius memoria. Et hinc apud Errones increuit epistolæ fides, atque auctoritas. Quare eorum clamoribus fatigati Doctores Orthodoxi cœperunt rem disquirere. Et Facundus dicit varia. Primò dubitat, an epistola non sit conficta post Ephesinum Concilium. Censet ipsam, vtpotè validissimè peremptoriam Nestoriani dogmatis, si anteà exstitisset, & reuerà fuisset Iulij, à Synodo non fuisse prætermittendam. Secundò asserit ipsam, licèt forsitan sit Iulij, non sine rationibus fuisse prætermissam à Synodo, & productam solam epistolam ad Docimum. Quia nempe non expedit per verbum à Iulio incautè prolatum impugnari, ac euerti Nestorianam blasphemiam. Pelagianis quædam S. Ioannis Chrysostomi verba aduersùs originale peccatum obiectantibus S. Augustinus reposuit: [Vobis necdùm litigantibus Patres securiùs loquebantur.] Hoc ipsum Facundus affirmat de Iulio Pontifice, scribente ante lites Eutychianas. Rectè adiungit incautum Pontificis verbum non fuisse congruum fundamenmentum, cui Oecumenica Synodus suam definitionem superstrueret. Tertiò asserit magis credendum, quod epistola non sit Iulij, sed nescio cuius sub eius nomine figmentum. Etiam se ignorare fatetur, quid Ephesina Synodus de ipsa censuerit. Ad hæc verba, [Si eius esse credidit,] adiungit: [Quod ego non dico.] Igitur Facundus epistolam credidit esse fictam, aut sanè incautam.

Eiusdem ferè sententiæ in suis apud Photij Bibliothecam libris fuit S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus: [Sed enim testi- Lib. 230. monium, quod Eutychiana hæresis adfert ex epistola Iulij Romani ad Dionysium, haud dubiè non genuinum. Etenim S. Cyrillus in Synodo Ephesina epistola ad Docimum adducens, eius vsum non dignatus est in memoriam huius venire.] Infra tamen suam assertionem modificat. Si verò quis contendat Iulium in Christo vnicam naturam dicere, primùm quidem numquàm clarum, si genuinus hic sermo. Secundò par est cognoscere, vt posterius Iulio apud Romanos nomen na-

turæ,

turæ, & Hypostasios studiosè indicauit, & frustra hęretica zizania semen ibidem student suffocare. Iniudicatis enim vocibus manentibus,non obuiam iuit impietas,potiùs valdè consequens pro hypostasios voce naturæ vti. Sed illud de Iulio licet dicere. [Est obscura translatio. Eulogius affirmat duo. Primò, quod epistola sit ambiguorum natalium,proindeque ex ipsa nihil possit definiri. Secundò, si legitima sit, quod Iulio euenerit istud ipsum, quod postmodò euenit alijs Latinis circa quæstionem de vocibus] Vsia [&] Hypostasis. [Et Latini, & Græci concordabant in sensu, verùm Latini propter suæ linguæ inopiam cespitabant circa syllabas. Rei seriem exponit in funebri elogio magni Athanasij S.Gregorius Nazianzenus, & in varijs literis S. Hieronymus. Istud emplastrum Græci apposuerunt multis vulneribus. Nam Acacius Berrheensis episcopus ipso studuit purgare, & sanare etiam Nestorium. Ita habes in eius ad S. Cyrillum literis, extantibus in prima parte Ephesini Concilij. Ipsum ergò Eulogius apponere conatur etiam prætensæ epistolæ S. Iulij. Censet ipsam si verè sit Iulij, recta sensisse, sed non fuisse vsam aptis vocabulis. Eiusdem mentis in sua ad Eutychianos Orientis Monachos oratione fuit S.Ephremius Patriarcha Antiochenus. Affirmat Iulium, dum vnam naturam scripsit, scripsisse contra Paulum Samosatensem,
Lib.229. ex alijs eius Scriptis demonstrat recta sensisse, & concludit: [Quibus perspicuè patet, quomodò S. Iulius duas naturas fateatur. Nam naturam prædictis verbis pro hypostasi accepit.] Orationis compendium exstat in præfata Bibliotheca Photij. Verùm infrà ex Leontio Byzantino audiemus originalem epistolæ textum non esse Latinum, sed Græcum, ideoque nequaquam à Iulio. Etenim Romani olim Pontifices ad Gręcos nunquam scripserunt Græcè, sed semper Latinè. Immò suas Latinas literas, nec Romæ permiserunt transferri in Græcum: Constanter voluerunt id fieri ab ipsis Græcis. Hinc S.Ephremius, affirmans Iulium vocem [Natura] accepisse pro hypostasi, caret fundamento. Hoc enim fecerunt quidam Græcorum Patres, nemo vnquàm Latinus.

Hinc plura in Constantinopolitana Orthodoxorum, & Eutychianorum Episcoporum coram Imperatore Iustiniano habita collatione dixit Hypatius Ephesiorum Episcopus, de quo omnes isthic Catholici Collegæ: [Reuerendissimus Archiepiscopus Hypatius os nostrum factus est.] Eutychianis igitur inter vnius naturæ Assertores etiam Iulium Pontificem in præfata epistola adducentibus Hypatius respondit: [In tantum falsæ sunt epistolę,siue testificationes illę,quas dicitis, vt neque vnam ex illis B. Cyrillus voluerit recordari.] Affirmat quod S.Cyrillus ad probandos, & firmandos hos suos articulos, [Sacra Virgo est Deipara,Deus est carnepassus,] Iulij ad Docimum literas adduxerit in Ephesina Synodo,& adiungit: [Si ergò Cyrillus sciebat de vna natura quemquàm ex his dixisse, illic maximè proferre habuit, vbi tantum erat, & tale vniuersale Concilium. Si autem illic non sunt prolatæ, quemadmodum nunc à vobis proferantur, satis admiror.] Affirmat vnicas Iulij ad Docimum datas, & apud Ephesum lectas, ac probatas literas esse veras, quasuis alias esse spurias: confictas, aut falsatas ab Apollinaristis.

Leontius Scholasticus Byzantinus scripsit singularem librum [in eos, qui proferunt nobis quædam Apollinarij,falso inscripta nomine SS.Patrum,] & ipsi dat hoc exordium: [Quidam ex Heresi Apollinarij,vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent suam hæresim confirmare, quasdam Apollinarij orationes Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Iulio inscripserunt, vt simpliciores fallerent, quod quidem perfecerunt. Auctoritate enim huiusmodi Personarū fide digna multos Ecclesiæ Catholicæ capere potuerunt. Et apud multos ex rectè credentibus reperire poteris librum Apollinarij, cui titulus,] Fides particularis, [inscriptum Gregorio, & quasdam eius epistolas inscriptas Iulio, & alias eius de Incarnatione orationes, vel expositiones Athanasio inscriptas. [Adducit varia similia, in quibus sunt, & hæc:] Domini Apollinarij ex epistola ad Dionysium, cuius principium est, [Mihi argumentum amicitiæ,&c.] Ex alia epistola ad eundem,cuius principium: [Admiror, &c. Et rursùs ex eadem epistola.] Hæc posterior est ista, cuius fragmentum Eutyches transmisit Magno Leoni. Et post plura Leontius pergit: [Sufficiunt hæc eis, qui non sunt nimiùm rudes, & tardi, ad ostendendum Apollinarij esse epistolas, quæ nomine Iulij feruntur, præter eas epistolas Apollinarij, de quibus Athanasius. Discipuli enim Apollinarij antiquiores sunt omnibus,qui his vsi sunt, quas, vt verisimile est, qui à Iulio per schisma discesserunt, inscripsere. Neque solum hoc,sed sunt ex Orthodoxis, qui inscriptione decepti rectas eas esse intelligere, & dicere perseuerabant, propter Personæ auctoritatem fide dignam. Alioquin magis omnium Orthodoxorum est agnoscere illos sermones esse proprij Doctoris. Ne autem ex solo testimonio Discipulorum sermones ipsius Apollinarij agnoscamus,quamuis aliqui eos Iulio, quamuis Gregorio, quamuis falsò inscribant Athanasio, sed etiam ex eodem genere sermonis, & stylo, age præter auctoritates, quas Discipuli eius protulerunt, integros, & totos eius sermones in medium producamus,vt qui studio veritatis cognoscendæ legerint, certissimum habeant hæc, & illa falsò inscripta esse eadem.] Assertionem suam firmat tribus argumentis. Primum est, quod licèt ex Apollinarij Discipulis aliqui epistolas istas adscribant Iulio, alij tamen profiteantur esse Apollinarij. Et adducit horum Discipulorum testimonia. Secundum argumentum est idem istarum epistolarum stylus cum reliquis Scriptis Apollinarij. Tertium est Codex continens omnia Apollinarij Scripta, in quo, & istæ epistolæ. Et tandem concludit: Arbitror eum, qui non fuerit nimis contentiosus, non posse his cum ratione adversari, & contradicere, quin potiùs futurum esse, vt continuò, & vt ita dicam, non violenter veritati assentiatur, & omnibus suffragijs fateatur Apollinarij esse epistolas, vel sermones de Incarnatione, quæ Iulij, Gregorij, & Athanasij falsò esse feruntur.]

Eadem Leontius, quidem cum aliquo augu-

augmento, tradit in libro de Sectis: [Eutychiani auferunt aliud quoque Dictum, velut à B.Iulio profectum, quod existat in epistola scripta ad Dionysium Corinthi Episcopum, cuius initium est;] Miror de quibusdam audiens. [Est quid dictum huiusmodi:] Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, vnam adorare, alteram non adorare. Ac in Diuinam quidem baptizari, at in humanam non baptizari. Aliaque plura isthæc epistola continet. Sed nos argumentis pluribus conuincimus non illam epistolam esse B. illius Iulij, sed Apollinaris. Primùm ex eo quod si quis eam subtiliter consideret, nihil Iuliano dignum nomine habeat. Quin, & septem illę epistolæ, quas eius esse dicunt, Apollinaris sunt. [Probat hæc pluribus argumentis, & prosequitur:] Prætereà de hoc quoque epistola non B.Iulij, sed Apollinaris esse redarguitur, quod Nyssenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem apertè multa recitet, quæ hac epistola continentur, eaque tamquàm praua refutet. [Quod argumentum est penitùs irrefragabile, ac peremptorium. Leontius concludit:] Potest, & aliundè conuinci quod epistola B.Iulij non sit. [Est longè verissimum.

DIS-

DISSERTATIO QVINTA.

De Romana Appellatione Theodoreti, Cyrensis Episcopi.

CAPVT PRIMVM.

An Theodoretus ad solum Papam Leonem, an ad aliam Generalem Synodum appellauerit?

INter degradatos ab Ephesino Latrocinio Episcopos fuit etiam Theodoretus: Degradatus est absens, ac inauditus. Ab Imperatore Theodosio erat ligatus circumscripto intra suam ciuitatem exilio, ac vetitus Ephesum accedere. Hinc & ipse statim prouocauit ab ista Latrocinali sententia. Et certum, ac exploratum est appellasse ad solum Leonem. Exstat ipsum appellationis instrumentum, lucidum, ac manifestum. Laudat Romanæ Sedis Primatum super omnes ecclesias, prædicat Dogmaticum S.Leonis Tomum, demonstrat se esse, ac semper fuisse Orthodoxum, lamentatur se ab Ephesino Latrocinio absentem, ac inauditum esse degradatum, & prosequitur ad Pontificem. [Nolite obsecro supplices meas preces respuere, nec miseram meam canitiem, post multos labores contumeliosè tractatam, despicere. Ante omnia vt à vobis docear oro, an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non? Vestram enim sententiam exspecto. Quod si in iudicatis manere me iusseritis, manebo: Neque vlli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei, & Saluatoris nostri iudicium exspectabo. Me quidem, testis est Dominus Deus, honoris, & gloriæ cura non tangit, sed scandali, quod iniectum est. Quia multi è simplicioribus, atque ij maximè, qui ex diuersis hæresibus emerserunt, sedem illorum, qui condemnarunt, attendentes, hæreticos non esse fortasse existimabunt, cum dogmatis perfectionem perspicere non possint. Hæc per Reuerendissimos, ac Deo Carissimos Presbyteros, Hypatium, Abrahamium, ac Alipium, sanctitati vestræ suggessi, quandoquidem ne ad vos contenderem, Regiarum literarum vincula retinuerunt.] Vtique vincula, quibus eum Theodosius circumscripserat intra Cyrensem ciuitatem. Hinc Romam accedere non poterat, propositurus suam appellationem, ac prosecuturus.

Epist. 113.

Eadem de re scribit ad Renatum Romanæ Ecclesiæ in S. Clementis titulo Presbyterum Cardinalem, ac Magni Leonis in Ephesino Latrocinio Legatum: [Oro Sanctitatem tuam, Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo persuadeat, vt Apostolica auctoritate vtatur, & ad Concilium vestrum aduolare præcipiat.] Non obstante violento Mandato Imperatoris Theodosij. Ad quod Concilium? Non ad generale totius ecclesiæ, neque ad totius Occidentis Patriarchale, sed ad synodum solius Romanæ Prouinciæ. Hinc Theodoretus prosequitur: [Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto Orbe sunt, Principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab hæretica tabe immunis mansit, nec vllus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conseruauit. Quæ à vobis fuerint iudicata, in his, qualiacumque ea erant iudicij vestri æquitati confidentes, acquiescemus. Et rogamus, vt iudicium ex scriptis constituatur. Suscipite, quæso, preces meas, & iniuria oppressum ne despicite.] Verba sunt lucida: Lucidiora omni commentario.

Eadem omnia Theodoretus allegat in literis ad Anatolium Patritium, & adiungit: [Magnitudinem tuam obtestor, hanc à Victore Augusto gratiam petat, vt in Occidentem veniam, ibique à Deo Carissimis, ac Sanctissimis episcopis iudicer. Et si vel minimùm à fidei regula deflectere videar; deijciar in medium profundum maris. Quod si his precibus vestris non cedat, habitare me saltem iubeat in Monasterio nostro, quod quidem àCyrensi ciuitate abest millibus centum, & viginti.] Supplicat vnum è duobus Aut solui circumscriptum exilium, licèt non plenè, saltem quoad Romanum accessum, & Romanæ appellationis prosecutionem; aut certè iuxta Imperatoris Gratiani, ab ipso Theodosio confirmatam, de degradatis episcopis legem, relegari à Cyro ad centum millia: Habitare, ac latitare in suæ professionis Monasterio. Supplicat hanc saltem sibi fieri gratiam.

Et non aliqua synodus, sed solus suæ Sedis auctoritate Magnus Leo appellantem Theodoretum exaudiuit, ac restituit. Lucet ex actis Chalcedonensis synodi. Etenim in prima statim eius actione gloriosissimi Iudices edixerunt: [Ingrediatur, & Reuerendissimus

simus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps synodi, quia & restituit ei episcopatum SS. Archiepiscopus Leo.] Ad quod edictum & præsertim ad eius vigore subsecutum Theodoreti ingressum facta est inter episcopos dura contentio. Etenim Ægyptij, Illyriciani, ac Palestini clamauerunt: [Misereminii, fides perit. Istum canones eijciunt. Hunc foras mittite. Magistrum Nestorij foras mittite:] At verò Orientales, Pontici, Asiatici, & Thraces clamarunt in contrarium: [Nos in pura charta subscripsimus. Cæsi sumus, & ita subscripsimus. Manichæos foras mittite, inimicos Flauiani foras mittite. Aduersarios fidei foras mittite. Clamarunt se in Theodoreti, ac aliorum episcoporum damnationem non consensisse, sed fustibus ad pura in charta subscribendum fuisse compulsos, ideòque damnationem fuisse nullius ponderis. Postularunt non Theodoretum, sed eijci Eutychianos, vtpotè nouos Manichæos contentionis radicem aperit in Breuiario Liberatus: [Soluto Ephesino Concilio, & ad suas Sedes reuersis episcopis, scissio facta est inter eos, qualis anteà nunquàm contigerat. Ægyptij, Thraces, & Palestini episcopi Dioscorum sequebantur; Orientales, Pontici, & Asiani S. Memoriæ Flauianum.] Post multam igitur contentionem gloriosi Iudices perstiterunt in suo edicto: [Theodoretus Reuerendissimus Episcopus, proprium recipiens locum à SS. Episcopo inclytæ vrbis Romæ, in locum nunc Accusatoris ingressus est. Vnde patiamini ea, quæ inchoata sunt, finiri, ne aliqua confusio auditorio fiat. Præiudicium enim ex persona Reuerendissimi Episcopi Theodoreti nulli generabitur: Reseruata videlicèt post hæc omni accusatione, & vobis, & illi, & quæ inuicem exercere volueritis. Quia rectam tenet fidem.] Affirmant illum non ex plena causæ retractatione fuisse à Magno Leone integrè reparatum, sed summaria cognitione dumtaxat reuestitum: Retractatorium examen, ac definitum iudicium esse è Pontifice remissa ad synodum, & suo loco, ac tempore explenda. Omnes audiendos. Interim verò parendum esse decretis Romani episcopi. Et fuit obeditum. Theodoretus fuit admissus ad consessum. Et Orientales eius Collegæ ex cordis abundantia iterum exclamarunt: [Dignus, Dignus.] Quæ voces excitarunt inuidiam, nouasque contentiones, vel exclamationes inuicem. Quare gloriosissimi Iudices iterum edixerunt: [Acclamationes istæ populares neque episcopos decent, neque partes iuuant. Patiamini ergo fieri electionem.] Et rursum: [Magis acquiescite secundùm Deum audientiam fieri, & permittite omnia secundùm ordinem recenseri.] Et tunc tandem Romano iudicio omnes plenè acquieuerunt.

Cap. 12.

Hoc reuestitorium iudicium an Leo in suo presbyterio fecerit, an in aliqua suæ Prouinciæ synodo, non possim demonstrare. Certè fecit in alterutro. Forsitan in synodo, qua circumduxit Latrocinij acta, & qua reuestiuit S. Flauianum. Quidquid sit, iudicium rescripto transmisit ad Theodoretum. Et licèt rescriptum perierit, sui tamen iudicij Pontifex meminit in alijs ad Theodoretum literis, iam plenè reparatum per synodum Chalcedonensem: [Benedictus Deus noster, cuius inuincibilis veritas ab omni heresios macula mundum te, secundùm Sedis Apostolicæ iudicium, demonstrauit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probauimus, & probamus, pro vniuersalis ecclesiæ defensione seruaueris. Nam quod Deus omnium calumniosorum fallacias soluit, maximam Beatissimi Petri curam pro cunctis nobis agnoscimus, qui postquam suæ Sedis iudicium in fidei definitione firmauit, nec circa cuiusquàm vestrum, qui nobiscum pro Catholica fide laborastis, personam quidquam reprobum videri permisit. Quia nec poterat, Spiritu Sancto iudicante, quisquam ex eis non Victor exire, quorum iam vicerat fides.] Docet plura. Primò, quod Apostolica Sedes Theodoretum probarit, ac iudicarit mundum ab omni macula hæresios. Nempè per interlocutoriam sententiam, qua spoliatum restituit, ac de episcopatu reuestiuit. Secundò, quod Apostolica Sedes ipsum omninò reuestiuerit. Et quidem per magnos labores. Nempè ob contradicentium potentiam, & contumaciam. Tertiò, quod istud fecerit per iudicium. Nempè per interlocutoriam sententiam admittendo eius appellationem, illi dando suspensiuum effectum, ac appellantem, quo armatus in retractatorio iudicio congredi posset, in episcopalis dignitatis locum restituendo. Quartò, quod Chalcedonensis synodus appellatam Theodoreti causam plenè retractauerit, ac interlocutorium Apostolicæ Sedis iudicium confirmauerit, ac traduxerit in definitiuum. Quintò, quod laudata synodus istud fecerit non circa solùm Theodoretum, sed etiam circa alios.

Epist. 93. cap. 5.

Definitiuam Chalcedonensis synodi sententiam conceperunt Paschasinus Lilybetanus, Lucentius Esculanus, ac Iulianus Coensis Episcopus, nec non Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Legati Magni Leonis, & pronunciarunt hoc tenore: Sanctissimum, ac venerabilem episcopum [Theodoretum Sanctissimus, ac Beatissimus vniuersæ ecclesiæ, episcopus vrbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit ità, sicut literæ ab eo ad nostram humilitatem directæ testantur. Si igitur fidem Catholicam, sicut promittit, & secundùm prædictum B. Episcopum subscriptionem in proprio libello dixerit, & nostræ insuper humilitati alio dato libello monstrauit, quoniam, & Nestorium, & Eutychen non solùm scripto, sed & sub præsentia totius consessus ore proprio anathematizauit, hoc iudicio Sanctissima, ac venerandissima synodus, insuper verò, & nostra humilitas reddi ei ecclesiam propriam definiuit.] Maximus Antiochiæ Patriarcha suo suffragio addidit: [Dudum, & à principio Reuerendissimum episcopum Theodoretum noui Catholicum, audiens doctrinam eius in SS. Ecclesia.] Antiochena. Illic enim Theodoretus sub tribus successiuè Patriarchis, Theodoro, Ioanne, ac Domno, frequentissimè fuerat concionatus, & à Maximo, tunc Abbate, aut Monacho, auditus. Et Maximi testimonium erat summi ponderis: Semper enim ille fuerat acerrimus Aduersarius Nestorianorum. Theodoretus nunquàm dixerat duos filios. Erant

con-

confutæ in ipsum calumniæ per factionem Dioscori, ac Entychetis. Hinc istud Apostolicorum legatorum iudicium singulari suffragio confirmarunt omnes synodi Primates, & omnes tandem episcopi exclamarunt: Hoc iustum iudicium, hæc iusta sententia, hoc Christi iudicium. His & nos consentimus. Hæc omnes dicimus.] Et gloriosissimi iudices miserunt in executionem: [Theodoretus SS. Episcopus Ecclesiam ciuitatis Cyri recipiat.] Compendio hæc illustrat in Breuiario Liberatus Diaconus: [Celebrata est actio, in qua Theodoretus Episcopus Cyri, quem Dioscorus expulerat, Orthodoxus iudicatus est, & dignus Sede sua.]

Apostolicæ legationis suffragium docet nos varia. Primò, quod S. Leo Theodoretum dudum ante Chalcedonensem synodum recepisset in sui gradus communionem, seu de episcopatu reuestisset. Forsitan in prima sua post legatorum ex Ephesino latrocinio reditum celebrata synodo. Secundò, quod Leo Chalcedonem ad suos legatos transmiserit mandatum, ac instructionem, iuxta quæ volebat fieri retractatorium Theodoreti iudicium. Tertiò, quod Chalcedonensis synodus hanc causam non retractauerit, nisi ex Delegatione, & mandato Leonis. Tota enim causæ administratio priuatiuè spectabat ad ipsum. Et ipse eam suo sapientissimo Beneplacito duxit delegandam Chalcedonensi, quod tunc instabat, Concilio. Iuxta canones Sardicenses. Quartò, quod Theodoretus per omnia obediens processerit secundùm prædictum B. Episcopum. Secundùm beneplacita, & mandata Magni Leonis. Quintò, quod S. Leo, adeòque, & omnis Pontifex sit non solius Romæ Episcopus, sed vniuersæ insuper ecclesiæ. In antiquis synodorum actis Pontifex passim inscribitur [Episcopus Catholicæ Ecclesiæ vrbis Romæ. Quidam censent intelligi solam vrbis ecclesiam. Et suo intellectu abutuntur. Quidquid sit, Leo hic inscribitur, & Romanæ vrbis episcopus & vniuersæ ecclesiæ. Eadem in synodo appellatur [Episcopus vniuersalis.] Verùm, quod recusauerit inuidiæ obnoxium vocabulum, testatur Magnus Gregorius.

Porrò inter alios ab Ephesino Latrocinio degradatos episcopos, quos ad se appellasse, à se reuestitos, ac à Chalcedonensi synodo fuisse ex integro reparatos scripsit ad Theodoretum Magnus Leo, fuit Eutychetis accusator Eusebius Dorylæensis. De ipso idem Pontifex scripsit ad S. Imperatricem Pulcheriam. [Quia nouimus, quantum piæ sollicitudinis Catholicis Sacerdotibus mansuetudo vestra dignetur impendere indicandum esse curauimus Fratrem, & Coepiscopum meum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse consortem, cuius commendamus ecclesiam, quam dicitur vastare, qui illi iniustè asseritur subrogatus.] De eodem scripsit ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum: [Illud quoque dilectionem tuam nosse volumus, fratrem, & Coepiscopum nostrum Eusebium, qui caussa fidei multa discrimina, laboresque tolerauit, nobiscum interim demorari, & in nostra nunc communione persistere, cuius ecclesiam tua sollicitudine volumus esse defensam, vt nihil eo absente depereat, nullus ei in aliquo præiudicare præsumat, donec cum literarum nostrarum ad vos prosecutione perueniat.] Affirmat primò, quod Eusebius Romanam Ecclesiam non solummodò appellauerit, sed etiam personaliter accesserit. Et quidem per multa pericula, ac labores. Vtpotè elapsus ex carcere. Secundò, quod Leo ipsum reuestierit, & reuestitum apud se detinuerit. Tertiò, quod ipsius causam voluerit per semetipsum retractare, atque ità gloriosum cum suis reparatorijs literis remittere in Orientem. Et Leo istud omninò fecit. Etenim Eusebius Chalcedonensi synodo adfuit vt plenè canonicus episcopus, de retractanda eius causa nullus factus est sermo, nulla memoria. Quod nempè Pontifex ipsam plenè retractasset, ac definijsset. Quare hoc ipsum potuerat facere circa Theodoretum, & Flauianum. Rationes sapientissimo eius arbitrio aliud persuaserunt. Notanda sunt verba: [Qui illi iniustè asseritur subrogatus. Etenim de degradatis ab Ephesino Latrocinio episcopis scribit Liberatus Diaconus: Ordinatus est pro Flauiano Anatolius Diaconus, pro Domno Maximus, pro Iba Edesseno Nonnus, pro Sabiniano, Parthensi, Athanasius, pro Theodoreto autem, & Eusebio nullus ordinatus est. Eusebius istud nesciens videtur aliud Leoni ex metu suggessisse. Hinc Leo scripsit: Asseritur.]

Ep. 60. c. 4.

Cap. 12.

CAPVT II.

Discutiuntur Commenta Reuerendi Patris Paschasij Quesnelli.

PAschasius Quesnellus adducit superiùs laudata S. Leonis ad Theodoretum à Chalcedonensi synodo plenè restitutum verba, & commentatur: [Quale fuerit illud.] Apostolicæ Sedis iudicium, [à multis ad quæsitum iniquè hactenus, varias itum est sententias. Nonnulli aliquod, vel in synodo vel extra synodum à Sancto Leone de restitutione Theodoreti decretum conditum fuisse autumant, postquam ad eum causam suam per libellum appellationis detulisset. Verùm cum de huiusmodi decreto ne apex quidem vllus apareat, siue in actis Chalcedonensibus, siue in alijs rerum tunc gestarum monimentis, tam facilè refellitur, quàm profertur. Alij eadem synodali, ac iudiciali sententia Theodoretum restitutum aiunt, qua Pseudosynodus Ephesina in irritum missa fuerat: In illo videlicet episcoporum Conuentu, quorum cinctus agmine Romanus Pontifex apud S. Petrum venisse in occursum Valentiniani Augusti, Augustarumque legitur in epistolis ea de re scriptis ad Theodosium Imperatorem de actorum huius Conciliabuli rescissione. Apud me verò certum est de Theodoreti causa nullam intercessisse sententiam, siue quæ à solo Leone, siue quæ à synodo sit missa, sed illud solummodò iudicium à Leone commemorari, quod communionis literis continebatur. Dum enim querelas Theodoreti vltrò suscepit Pontifex, eidemque suam communionem impartiuit, consequens fuit, vt eumdem ab omni hære-

sios macula mundum iudicauerit, deputaueritque inter aduersariorum calumnias, quidquid obtruserant, vt eum velut suspectum de fide à synodo arcerent, vel etiam quasi de hæresi conuictum deponerent in synodo.]

Errores iterum varij. Primus est, quod de isto reuestitorio Theodoreti decreto nulla sit mentio in actis Chalcedonensibus. Etenim gloriosissimorum iudicum ad plenam istam synodum verba sunt lucida: [Ingrediatur Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps synodi, quia ei restituit episcopatum SS. Archiepiscopus Leo. Et iterum: Theodoretus Reuerendissimus episcopus proprium recepit locum à SS. Episcopo vrbis Romæ.] Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus omninò legit acta Chalcedonensia: Quare oportet ipsum, dum superiora scripsit, esse lapsum memoria. Ægyptij, Illyriciani, ac Palestini episcopi, qui Dioscoro apud Ephesum fauerant, Chalcedone aduersùs Theodoretum vrserunt istud ipsum, quod Sardicæ aduersùs S. Athanasium, aliosque Orientales per Iulium Pontificem reuestitos episcopos prætendit Eusebiana factio: Noluerunt ipsum ante expletam totius causæ retractationem, ac definitionem esse synodi participem. Verùm vti isthìc Hosius Cordubensis episcopus, & Apostolicus synodi Præses, ità hìc gloriosissimi iudices, haud dubiè moti per Legatos Apostolicos, voluerunt deferri plenam reuerentiam, atque obedientiam reuestitorijs decretis Romani Pontificis. Et vtrobique obtinuerunt. Et istud Apostolicum Romanæ appellationis, & Romani Pontificis ius Sardicenses canones stabilierunt. Porrò an S. Leo Theodoretum in sua, qua Ephesini Latrocinij acta circumduxit, Romana synodo, an per singulare decretum reuestiuerit, est digna inquisitu quæstio. Eius resolutio rei præsenti non est necessaria. Quidquid sit, certum, ac manifestum est ipsum fuisse reuestitum, ideòque Chalcedone admissum ad synodi participium. Quare secundus, & insignis error est in his verbis: [Apud me certum est de Theodoreti causa nullam intercessisse sententiam, siue quæ à solo Leone, siue quæ à synodo sit emissa.]

Tertius error est in his verbis: Sed illud solummodò iudicium à Leone commemorari, quod communionis literis continebatur. Iterùm rem profitetur Reuerendus ille Pater, & voces negat. Etenim communionis literæ non sunt aliud, quàm literæ reuestitionis, quæ fieri non potest sine examine, & iudicio. Lucet ex Apostolicorum Legatorum suffragio, quo Theodoreti causam Chalcedone definierunt, ac ipsum plenè repararunt: SS Episcopum Theodoretum beatissimus episcopus Leo in communionem suscepit. Dicunt istud ipsum, quod in prima Actione dixerant gloriosi Iudices: Ei restituit episcopatum. Etenim magnus Leo non laicam, aut clericalem, sed episcopalem ei communionem restituit, quæ est episcopatus. Loquor rem exploratam apud omnes, vel leuiter imbutos ecclesiasticæ Antiquitatis peritia. Videri possint antiquæ obseruationes Gabrielis Albaspinæi, episcopi Aurelianensis. Notanda sunt & hæc Romanorum Legatorum verba: Sicut literæ ab eo ad nostram Humilitatem directæ testantur. Laudant literas, quas de Theodoreti reuestitione, ac reparatione magnus Leo ad suos Legatos scripserat, ideòque hæ literæ non sunt ex illis, de quibus possit dici: Tam facilè refellitur, quàm profertur. Et fabula iterùm sibi ipsi non cohæret. Lucet ex his verbis: Consequens fuit, vt eumdem ab omni hæresios macula mundum iudicauerit. Certè Pontifex iudicare non potuit, nisi per iudicium.

Paschasius Quesnellus compendio exponit Theodoreti aduersitates, eiusque ab Ephesino Latrocinio degradationem, & prosequitur: [Hoc vbi resciuit Theodoretus, doluit ipse vicem suam, quidque caperet consilij in tanta rerum perturbatione apud se cogitans, circumspiciensque omnes Orientalis Ecclesiæ Episcopos, aut etiam sæculi Potestates, neminem inuenit quem adire, vel cui suas querelas deferre posset. Chrysaphius enim, cuius consilio agebatur Imperator, Eutychis patrocinium palàm, & publicè susceperat. Augustus ipse hæreticorum arte delusus Pseudosynodi sententiam auctoritate sua tuebatur. Dioscorus totius illius tempestatis erat auctor, & artifex præcipuus. Domnus similem cum Theodoreto depositionis sententiam exceperat. Constantinopolitanus episcopus per Eutychianorum scelus, & immanitatem supremum diem obierat. Quid restabat Theodoreto agendum, Orientalibus penè omnibus, vel furentibus, vel oppressis, vel ne hiscere quidem audentibus, nisi vt ad Occidentales sese converteret, eorumque fidem, ac Religionem sollicitaret? Dedit igitur literas ad Leonem, tamquam Occidentalium Patriarcham, omnium episcoporum caput, ac communem totius Ecclesiæ Patrem. Eius, omniumque pariter Occidentis episcoporum opem implorans.] Et adiungit verba Liberati diaconi: [Theodoretus episcopus Papæ suggessit, quanta mala pertulerit ex insidijs Dioscori, rogans, vt celeriùs tali causæ subueniretur per alium Conuentum episcoporum.] Ex ipsis, quoniam Romanæ appellationis nō meminerunt, concludit Theodoretum non ad solum Pontificem, sed ad generalem Synodum pronocasse.

Respondeo Theodoretum ab inflicta degradationis iniuria, nec per Dioscorum, nec per Domnum, nec per Flauianum, nec per vllum Orientalem Episcopum, nec item per imperij potestates, sed iuuari potuisse per solam Romanam Ecclesiam. Quis vnquam Patriarcha damnatum à generali Synodo episcopum reuestiuit, aut reparauit? Adducatur authenticum exemplum. Et ista omnia Theodoretus optimè nouerat. Etenim de S. Pontifice Iulio, sancti Athanasij appellationem admittente, ac ipsum reuestiente, scripsit in ecclesiastica Historia: [Iulius ecclesiasticam sequens regulam, & ipsos Romam venire iussit, & diuino Athanasio ad iudicium diem dixit. Ex eadem regula Theodoretus, dum solo circumscripto per Principem exilio ligabatur, perfugium fecit ad omnes Imperij Ministros, & notos, & ignotos; at verò vbi accepit synodale degradationis vinculum, ad solam confugit Romanam Ecc-

clesiam. Quidquid ad alios scripsit eo fine, vt Romam permitteretur accedere. Nempè claues, quibus synodalia possint solui vincula, Christus Dominus posuit in ista sola Cathedra. Porrò Liberatus diaconus adductis per Paschasium Quesnellum verbis adiungit: [Ne hæretica Eutychetis dogmata permanerent à Dioscoro confirmata.] Horum nihil Theodoretus habet in illa,quæ nobis superest, ad Leonem epistola. Proinde plures scripsit ad Pontificem literas. Per alias suam appellationem ab ipso solo, per alias supplicauit fidei causam retractari ab alia Synodo. Dedit prudentissimum consilium. Hinc Liberatus prosequitur: [Fortissimus Leo, audiens Legatorum suorum suggestionem, & Theodoreti querelas suscipiens, literis suis Theodosium Imperatorem, & Pulcheriam Augustam petit, vt fieret intra Italiam generale Concilium, & aboleretur error fidei per violentiam Dioscori factus. Valentinianum autem Imperatorem, & Eudoxiam vxorem deprecatus est, vt Imperatorem Theodosium hortarentur aliam fieri Synodum ad retractanda illa, quæ à Dioscoro malè acta, & perpetrata fuerant in damnatione Flauiani episcopi, & Orthodoxorum depositione.] Rogauit fieri Synodum non ad Flauianum, ac alios degradatos episcopos reuestiendos, sed ad ipsorum causam retractandam, & præsertim ad abolendum errorem fidei. Rogauit motus à Legatorum suggestione, & Theodoreti querimonijs. At verò Legatorum suggestionem audiuit in sua Romana Synodo: Proinde isthìc audiuisse videtur etiam Theodoreti querimonias, ac ipsum reuestisse.

Paschasius Quesnellus pergit: [Sed ipsum Theodoretum audiamus, ità Leonem nostrum pro se alloquentem:] Ego autem, inquit, [Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi inuocanti iustum vestrum, & rectum iudicium opem ferat, & iubeat ad vos venire, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem.] Quibus verbis duo mihi postulare videtur Theodoretus. Primùm quidem ex S. Leonis sententia, & consilio, tamqnam prudentissimi, pijssimique Præsulis, doceri cupit, an iudicio Dioscori ipsum stare satius sit pro ecclesiæ pace, quàm aliarum synodorum Tribunal pulsare, quod quidem nouarum fortè turbarum occasio esse poterat. Et hic quidem est primorum verborum sensus: [Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam.] Quam interpretationem non ex nostro, sed ex ipsius Theodoreti natam ingenio verba sequentia comprobant. [Nempè hæc verba:] Ante omnia autem rogo, vt sciam à vobis, an in iniusta hac depositione me oporteat acquiescere, an non. Vestram enim exspecto sententiam. Et si iudicatis me stare iusseritis, stabo; nec vlli deinceps homini molestiam exhibebo, sed quod flecti non potest, Dei, & Saluatoris nostri iudicium exspectabo. [Respondeo hæc verba,] Apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam,[exponi ab immediatè sequentibus:] Supplico, & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi inuocanti iustum vestrum, & rectum Iudicium opem ferat.] Palàm expostulat non rere solemne erat, non esset sententiæ nostræ adiungit: [Et iubeat ad vos venire, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem.] Ostendere in retractatorio iudicio. Proindè Theodoretus toto contextu supplicat è duobus vnum: Aut causam suam iudicialiter retractari, aut certè se, si aliud videatur, Paternè doceri, quò possit se recipere ad suæ professionis Monasterium, atque illic in silentio exspectare sententiam supremi Iudicis. Hiscè etiam Paternis monitis spondet acquiescere, & deinceps non cogitare de humano auxilio. Quod ad suæ professionis Cœnobium redire cogitarit, demonstrant eius literæ ad Anatolium Patritium. Hic est verus literarum sensus.

Paschasius Quesnellus pergit in suo istius epistolæ Commentario: Alterum quod sciscitatur Theodoretus, hoc est, vt si iudicaret S. Leo standum non esse Dioscori sententiæ, aliud Concilium in Occidente Apostolica authoritate haberetur, ad quod ipse conuolare posset, ab iniusta sententia absoluendus. Is est superiùs descriptorum verborum sensus. [Nempè horum verborum:] Obsecro vestram sanctitatem, vt mihi inuocanti iustum vestrum, & rectum Iudicium opem ferat,& iubeat ad vos accurrere. [Hunc sensum affirmat perspicuè elici ex literis ad Renatum presbyterum Romanæ Ecclesiæ: Tuam oro sanctitatem, vt persuadeas SS. Archiepiscopo, vt Apostolica vtatur authoritate, & præcipiat ad vestrum conuolare Concilium.] Et ex epistola ad Anatolium Patritium: [Hanc gratiam ab Imperatore obtineas, vt ad Occidentem accedam, & ab illis SS. Episcopis iudicer.] Respondeo in datis ad Pontificem literis nullam penitùs fieri memoriam Synodi. Theodoretus inuocat iustum, & rectum Iudicium solius Leonis. Vtique suæ appellationis retractatorium. Et ad ipsum subeundum supplicat euocari ad vrbem. Supplicat solui à Regio circumscripti exillij vinculo. Et vt ad istam solutionem Pontifex vtatur Apostolica authoritate. Ex quo palàm discimus Papalem authoritatem etiam tunc omnibus istiusmodi Regijs in Episcoporum personas, & causas violentijs præualuisse. Attamen fateor has Theodoreti literas cum alijs ad Renatum presbyterum, & Anatolium Patritium datis nullatenùs pugnare. Etenim non qualecumque, sed Romano Presbytero scribens laudat [Vestrum Concilium.] Et in literis ad Anatolium rogat ab illius episcopis iudicari. Palàm laudat Concilium Romanæ Prouinciæ, in quo Pontifex consueuit istiusmodi causas retractare. Pontifex isthic est omnia. Hinc ad Chalcedonensem Synodum, & gloriosissimi Iudices, & Apostolici Legati dixerunt Theodoreto esse à solo Leone redditum episcopatum, ac episcopalem communionem.

Paschasius Quesnellus pergit in suo Commentario: [Siue autem Concilium istud, quod adire optat Theodoretus, ex solis Italici tractus Episcopis componi velit, siue ex omnibus Occidentalium partium præsulibus, perinde est mihi. Etsi enim illorum solummodò Episcoporum Concilium postulatum esse concesserim, quibus ex proximis Prouincijs ad Romanum Pontificem concur-

con-

consiliarem, sed Iudicialem sententiam. Hinc aduersum. Quoniam manifestum est tale Concilium à Theodoreto non ex iuris necessitate esse postulatum, sed ex ipsius litigantis arbitrio, cui liberum fuit iuxta Ecclesiæ Africanæ morem, & Carthaginensis Concilij Decretum, iudicium sibi deligere apud Occidentalium Episcoporum Synodum, ea lege, vt quæcumque à delectis sponte propria Iudicibus emitteretur sententia, tia, ei sese irretractabiliter submitteret. Ex spontaneo igitur delectu, non ex necessitate Romani Pontificis Synodum conuenisse dicendus erit Theodoretus, si ad eam solam prouocauit. Si enim ad hoc iure teneretur, vt quid verebatur, ne preces suæ à Pontifice non admitterentur, nec suum effectum recursus sortiretur? Cur Renati presbyteri gratiam captat, vt ipso agente, ac suadente ad Concilium Occidentis conuolare ipsi permitteretur? Cur hortatur Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, vt S. Leonis zelum accendat? Quam denique ob causam se ipsius iudicio, qualecumque esset, assensurum atque adhæsurum spondet? Talem enim sponsionem nemo est, qui non rideat, si de Iudice agatur, quem adire, & cui obtemperare necessitas fuerit. Tunc enim, velit nolit is, qui appellat, nec licet ei iudicium declinare, nec sententiæ obedientiam detractare. Non incongruè autem talis sponsio permittitur, cum iudicium à delectis ipsius litigantis arbitrio Iudicibus postulatur, ne isti iudicandi onus à se remouerent. Quamquàm hæc dicimus de Romana Synodo, probabilius tamen existimamus de vniuersaliori Occidentis Concilio cogitasse Theodoretum, cum absolutè ad Occidentem accedere, & ab Occidentis episcopis iudicari exoptet.]

Reuerendus ille Pater renouat, & confirmat suam doctrinam, qua supra dixit Orientalem Ecclesiam isto tempore non pependisse ab ore Occidentalis, ideòque illius iudicia ad huius retractatorium Tribunal non potuisse deuocari, nisi dum [vltrò deferrentur.] Cum Eusebiana Factione, & eius Philippopolitano Conuenticulo palàm lacerat vnitatem catholicæ ecclesiæ. Etenim membra ab inuicem independentia non possint vnum corpus componere. Requiritur vnum caput, quod communi influxu omnia membra vniat. Et vt errori fucum addat, fingit Orientalem Ecclesiam vixisse iuxta Canones Africanos. Quin & ipsis abusus euertit sua nugamenta. Etenim Africani Episcopi nequibant suarum causarum Iudices deligere extra Diœcesim, & forsitan, nec extra Prouinciam. Præterea electio debebat ex mutuo consensu fieri. At verò Theodoretus, nec intra Orientalem Diœcesim, imò nec intra omnem Orientalem Ecclesiam, nec item de Ephesini, cum quo contendebat, Latrocinij consensu elegit, ideòque nulla hìc est species electi iudicij. Eligendi Leonis fundamentum non est quærendum per coniecturas. Ipsum lucidissimis verbis Theodoretus edicit in suis ad Leonem literis, quæ videntur esse ipsum appellationis instrumentum: [Si Paulus Præco veritatis, tuba Spiritus sancti, ad Magnum Petrum se contulit, vt ijs, qui Antiochiæ de legali conuersatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multò magis nos humiles, & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, vt ecclesiarum remedia à vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere conuenit. Multis siquidem prærogatiuis ornatur Sedes vestra. Etenim alias vrbes ornat, vel magnitudo, vel pulchritudo, vel habitatorum frequentia. Nonnullas etiam quæ his carent, spiritualia quædam dona illustrant. Vestræ verò bonorum affluentiam omnium largitor dedit.] Loquitur cum sancto Bonifacio Pontifice, scribente Nicœnam Synodum nihil fuisse ausam constituere supra S. Petri Cathedram, quoniam sciebat ipsi à Domino concessa esse omnia. An Theodoretus epistolam viderit, ignoro: Interim eodem modo loquitur. Hunc Primatum varijs encomijs illustrat, & disertis verbis exprimit in epistola ad Renatum presbyterum: [Habet SS. illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto Orbe sunt, Principatum multis nominibus. Atque hoc ante omnia, quod ab hæretica tabe immunis mansit, nec vllus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conseruauit.] Affirmat nobiliorem Romani Primatus portionem esse plenam, ac perpetuam in dirimendis fidei controuersijs infallibilitatem. Proindè appellandi Leonis fundamentum non fuit libera Theodoreti electio, sed suprema Romanæ Ecclesiæ authoritas, in qua semper viguit Apostolicæ Sedis Principatus. Sensa sua abundè exposuit in ecclesiastica Historia, enarrans Romanam appellationem S. Athanasij, & aliorum Orientalium Episcoporum.

Epist. 116.

Quæ Paschasius Quesnellus adducit pro suis commentis, sunt nugamenta. Primum est in his verbis: [Si ad hoc Iure teneretur, vt quid verebatur, ne preces suæ à Pontifice non admitterentur? &c.] Respondeo Theodoretum Iure non fuisse obligatum ad appellandum: Poterat enim iuri suo cedere, & dare locum Latrocinalibus furoribus Dioscori. Attamen dum appellare voluit, non potuit, nisi ad Apostolicam Sedem, aut ad generalem Synodum. Verùm hæc erat remotissima. Etenim latrocinalia acta Imperator Theodosius pleno impetu sustinebat, & forsitan tunc confirmauerat. Nullis precibus, aut rationibus se permittebat ab ista iniquitate dimoueri. Lucet ex eius rescriptis ad Imperatorem Valentinianum, ad Gallam Placidiam, & ad alios. Hinc prudentissimè Theodoretus se conuertit ad Sedem Apostolicam. Et quò eius appellatio admitteretur, rectissimè adiunxit preces apud Pontificem, & varios Intercessores. Quod nempe eius causa esset suspecta, atque difficilis. Erat non solummodò degradatus ab Ephesino latrocinio, sed insuper per seuera, & latrocinio anteriora Imperatoris decreta ligatus intra propriam Ciuitatem: Suspectus, & de Nestoriana hæresi, & de multa turbulentia. Et suspicio non erat temeraria. Ei Theodoretus fundamenta, ac fomenta dederat per variam petulantiam in S. Cyrilli non sola capitula, sed insuper personam. Etiam post initam ecclesiarum pacem, & post S. Cyrilli mortem. Accedebant eius impetus pro libris Diodori, ac Theodori, quos constabat Nestorio fuisse fontes perfidiæ. Quare meritò timebat sibi eue-

euenire, quod euenit eius Patriarchę Domno. Ne Magnus Leo degradationem duceret ratam, atque ità eius appellationem abijceret. Hinc non sine rationibus preces admouit, ac Intercessores. Notanda sunt precum verba: [Apostolicę vestrę Sedis exspecto sententiam. Iustum vestrum iudicium inuocanti opem ferat. Iubeat ad vos venire, ne ad vos contenderem, Regiarum literarum vincula retinuerunt. Apostolica Potestate vtatur. Ad Concilium vestrum aduolare præcipiat.] Ista omnia nullatenùs cadunt in electum Iudicem. Hinc quippe non est suæ Sedis authoritate, sed operatur ex solo consensu partium. Et quomodò hic consensus, qui tamen hic non adfuit, poterat Leoni dare potestatem soluendi vinculi, quo Princeps Theodoretum ligauerat? Priuatiuè id spectat ad S. Petri priuilegium.

Alterum nugamentum est in his verbis: [Quam denique ob causam se ipsius iudicio, qualecumque esset, assensurum, atque adhæsurum spondet], &c. Respondeo id spopondisse ob præfatam suspicionem de inquietudine, ac turbulentia. Etenim in prima apud Ephesum synodo Theodoretus in famosa Ioannis Patriarchæ Antiocheni aduersùs sanctum Cyrillum, & synodalia Acta rebellione fuerat omnia. Ioannes erat tunc nouellus episcopus, ideòque eminentem scientia Theodoretum audiebat, & sequebatur in omnibus. Theodoretus igitur apud Ephesum nullius iudicio acquiescere voluerat: Nec Synodi, nec Principis, nec Pontificis. Et factam postmodò Ecclesiarum pacem quomodò obseruauerit, docet ipsi inflictum à Principe exilium. Idem demonstrant eius Scripta, ac Declamata in defunctum S. Cyrillum. Quare apud Romanam Ecclesiam poterat meritò esse suspectus, ne suum Nestorium imitatus sperneret eius iudicium, & ab ipso prouocaret ad Generalem Synodum. Hinc in literis ad Renatum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum seriò spondet, se qualicumque Leonis sententiæ acquieturum, ac deinceps non cogitaturum de alijs humanis Iudicijs. Hæc Paschasij Quesnelli nugamenta Romanum Pontificem palàm redigunt in ordinem. Eius Primatum contrahunt ad solum honorem nominis, & loci. Etiam intra proprium Patriarchatum. Sunt non dumtaxàt aduersùs Papale, sed etiam aduersùs Patriarchale Priuilegium. Attentata manifestò schismatica, ideòque per Romanam Ecclesiam, non solis Apostolicis, sed etiam Regijs Edictis damnanda, ac opprimenda.

Redeamus ad præfatum Reuerendum Patrem: [Acceptis porrò Theodoreti, & aliorum literis, auditaque Hilari Relatione, quid Theodoreto rescripserit S. Leo, ignoramus; quid egerit, inquirimus. Intellexit statim Pontifex post Ephesinum Latrocinium opus esse Concilio, eoque Generali, vt ex eius literis ea de re ad Augustum scriptis clarum est. Verùm pro restituendo Theodoreto, neque Prouincialem, neque Generalem Synodum necessariam esse duxit: Quoniam pro deposito habēdus ille non erat, in quem non Concilium, sed Latrocinium, non episcopus, sed Prædo improbus depositionis sententiam ferre conatus fuerat. Quod ità apud omnes certum erat, vt quidquid in illo miserando Ephesi Conuentu factum erat, pro infecto ab omnibus passim Catholicis haberetur. Vnde Leo monet Constantinopolitanos, ne à Sacerdote suo, qui similem cum Theodoreto exceperat depositionis sententiam, vlla eos formido diuellat. Hoc ipsum, quod ab Imperatore Theodosio poscebat Leo noster, cum rogabat eum, vt omnia in eo statu esse iuberet, in quo fuerant ante omne Iudicium, donec maior ex toto Orbe Sacerdotum numerus congregaretur. Cui postulationi annuit pro Theodosio Martianus, cum in eius mortui locum suffectus est: Qui, & maiorem reuerà ex toto Orbe Episcoporum synodum congregauit, & eidem iussit interesse Theodoretum].

Errores varij. Primus est, quod Magnus Leo pro restituendo Theodoreto, neque Prouincialem, neque Generalem synodum duxerit esse necessariam. Quod nullam duxerit necessariam, & ego profiteor: Verùm ex alia radice. Ego enim profiteor Romani episcopi potestatem, qui appellantes ad se episcopos possit etiam in suo Presbyterio reuestire, ac ex integro reparare: at verò Paschasius Quesnellus censet Theodoretum tali reuestimento non indiguisse, ideòque nec eius appellationem in vlla Leonis synodo fuisse auditam, aut admissam. Est manifestus error. Etenim Hilarius Romanorum Archidiaconus disertè scripsit ad S. Imperatricem Pulcheriam: [Vestra veneranda Clementia cognoscat à Reuerendissimo Papa Leone cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra Canones, per tumultus, & odia sæcularia à Dioscoro episcopo gesta sunt, & nulla ratione hæc in his partibus posse suscipi]. Disertè affirmat Latrocinalium Actorum Apostolicam reprobationem esse decretam in Occidētis Concilio. Vti Domni damnationem Leo synodaliter confirmauit, ita aliorum episcoporum damnationem exsufflauit, aut potiùs suspendit. Iuxtà Sardicenses Canones. Et huius sui synodalis Iudicij executionem postulauit ab Imperatore Theodosio, sed impetrare non potuit.

Hinc secundus error est, quod Theodoretus, & alij ab Ephesino Latrocinio damnati episcopi essent citrà omne Romanæ Ecclesiæ iudicium habendi pro non damnatis. Etenim longè aliud in prima apud Ephesum synodo censuit S. Cyrillus. Eum facinorosa Ioannis Antiocheni Patriarchæ Factio degradauerat. Et cum ipso Memnonem Exarchum Ephesiorum. Erat manifestè attentata sententia. Etenim Cyrillus erat non solummodò secundæ sedis episcopus, in quem tertia sedes nihil omninò poterat, sed insupèr erat primæ sedis Legatus, ac Præses synodi. Et hinc Acacius Melitinensis episcopus, secundæ Armeniæ doctissimus Metropolita, censuit sententiam illam esse non episcopale iudicium, sed hostile conuicium, ideòque spernendum ab omnibus, ac exsufflandum. Eiusdem opinionis fuit tota synodus. Etenim omnes eius episcopi inflictam sibi ab eadem Factione excommunicationem constanter spreuerunt: Perrexerunt, & sibi mutuò, & S. Cyrillo in omnibus Diuinis, atque humanis communicare. Ità lucet ex præfati Ioannis literis ad istos episcopos. At verò S. Cyrillus, nec ad syno-

synodi præsidentiam; nec ad episcopi ministerium resumenda induci potuit, nisi causa retractata, ac iudicata per nouos Legatos Pontificis Cœlestini. Ista omnia Theodoretus viderat: Vtpotè Patriarchæ Ioannis non solummodò adiutor ad istas turbas, sed, & incentor, & forsitan primus author. Hinc postmodò in eamdem, in quam S. Cyrillum iniquissimè coniecerat, iniuriæ, & calamitatis foueam à Dioscoro coniectus agnouit nullum esse emergendi auxilium, nisi ab Ecclesia Romana. Nouerat vetustam totius Ecclesiæ Regulam, quæ sancit iniqua etiam anathemata esse metuenda, ac veneranda. Et ipse singulares causas habuit istius timoris. Etenim propter multam in S. Cyrilli Capitula petulantiam hærebat in eodem luto cum suo Patriarcha Domno. Immò in fœdiori. Quoniam Author fuerat omnis istius petulantiæ. Hinc non vanè metuebat, ne, & sua damnatio à Magno Leone confirmaretur. Sanè solum Domni exemplum abundè euincit Latrocinale Dioscori Iudicium non potuisse sperni sine Romana authoritate.

Tertius error est, quod istud Latrocinale Iudicium ab omnibus passim Catholicis haberetur pro infecto. Etenim Imperator Theodosius ipsum pro infecto adeò non habuit, vt suis legibus confirmauerit, & iusserit sanctissimè obseruandum. Antiochenam, Edessenam, Parthensem, ac Dorylæensem Ecclesias quis dubitet fuisse Catholicas? Et tamen pro suis apud Ephesum degradatis episcopis alios ordinarunt. Antiochena pro Domno Maximum, Edessena pro Iba Nonnum, Parthensis pro Sabiniano Athanasium. Fama volabat, quod etiam Dorylæensis superordinasset. Et quidem Nonnus, ac Athanasius vsque ad Chalcedonensem synodum pacificè sederunt. Quod nempè Ibas, & Sabinianus non inuocassent Sedem Apostolicam. Et Nonnus à Chalcedonensi Synodo non fuit tractatus vti intrusus. Etenim Edessena Ecclesia, ac in ipsam restitutus Ibas fuerunt obligati ad ei præstandas pensiones. Quod nempè, Iba non appellante, eius consecratio non impegisset in Sardicenses Canones. Et in Calcedonensi Concilio plures episcopi Romam Theodoreti reuestitionem censuerunt obreptitiam, ideòque aduersùs ipsam potentissimè intercesserunt. Proindè eius degradationem non habuerunt pro infecta. Hinc Hilarus Romanorum Archidiaconus scripsit ad S. Imperatricem Pulcheriam: [Nulla ratione hæc], vtique Ephesina Acta, [in his partibus suscipi possunt]. Quod nempè illa apud Oriétem susciperentur. Occidens suscipere noluit propter Magni Leonis synodum, quæ omnia cassauerat. Omnia ad ipsam delata. Quare non cassauit damnationem præfatorum Ibæ, ac Sabiniani. Quod nempè non inuocassent Sedem Apostolicam. Quinimmò Domni degradatio fuit isthìc confirmata.

Quartus error est, quod Imperator Martianus Theodoretum sua authoritate citrà præuium Magni Leonis Iudicium iusserit adesse Chalcedonensi Concilio.] Etenim gloriosissimi Iudices disertè ad plenissimam synodum dixerunt contrarium: [Ingrediatur, & Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps synodi, quia & restituit ei Episcopatum SS. Leo, & sacratissimus Imperator sanxit eum adesse S. Synodo]. Sanxit exequens iudicium Magni Leonis: Non definitiuum, sed reuestitorium. Et hinc discimus rationem, [ex qua nec Ibas, nec Sophronius, nec Sabinianus, nec alij apud Ephesum degradati episcopi fuerint participes Chalcedonensis synodi. Quinimmò Nonnus, & Athanasius habuerunt illic consessum, & suffragium. Nempè, quod isti non inuocassent Sedem Apostolicam, ideòque per Magnum Leonem non fuissent reuestiti. Eadem ratione idem Pontifex Constantinopolitanæ ciuitatis clerum, ac populum obtestatus est, ne Flauiani communionem desererent, aut ipsi viuo permitterent superordinari: Quod nempè appellantem Flauianum reuestijsset. Et omnes ante Theodosij oculos obedierunt. Plus absenti Pontifici detulerunt, quàm præsenti Imperatori. Quid opus multis? Gloriosissimi Iudices post plenè retractatam Theodoreti causam denuò dixerunt ad synodum: [Omnis iam dubitatio de Theodoreto, Reuerendissimo Episcopo, est soluta. Quippè, & Nestorium coram nobis anathematizauit, & à SS. Archiepiscopo senioris Romæ Leone susceptus est, & definitionem fidei à Religiositate vestra prolatam libenter suscepit, & insuper epistolæ memorati Sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur, vt sententia proferatur à Reuerentia vestra, vt Ecclesiam suam recipiat, sicut, & Sanctissimus Leo Archiepiscopus iudicauit]. Omnia in reuestitorio Leonis Decreto fundant, nihil in Edicto Martiani.

Paschasius Quesnellus verba multiplicat, & prosequitur: [Ex dictis manifestum est Leonem nostrum nullum habuisse iudicium ad causam Theodoreti ventilandam, sed eidem communione non interrupta fuisse coniunctum, eiusque literis rescripsisse, nec standum esse iudicatis, nec exspectandum ei esse aliud iudicium, vt Ecclesiam suam solito more gubernaret. Quoniam quæ gesta erant Ephesi] per vnius hominis impudentiam, nulla Catholicæ fidei ratio rata esse permittebat. [Eo libentiùs autem sententiam aduersùs Theodoretum latam pro nulla habuit, quod de eiusdem fidei integritate nouum ex Oriente testimonium ad ipsum fuit delatum. Ex literis enim Anatolij Constantinopolitani Episcopi Theodoretum Encyclicæ ad Flauianum epistolæ vltrò scripsisse, nec Nestoriana, Eutychianaque solùm dogmata damnasse, sed ipsis etiam Nestorio, & Eutychi anathema dixisse. Istud enim præstitum esse ab omnibus episcopis, qui Antiocheno suberant, quorum vnus erat Theodoretus discimus, ex epistola Leonis nostri ad Paschasinum Lilybetanum, quam nunc primùm in lucem emittimus. Ex huiusmodi subscriptione, vel etiam ex epistola, quam ad Leonem scripserat Theodoretus, intellexit Romanus Pontifex, iudicauitque ipsum ab omni hæresis macula immunem, nihilque hac ex parte obstare, quominùs suam suam ei communionem more solito impartiret, & ille suam Ecclesiam cum pace ecclesiastica retineret. Tale est] Sedis Apostolicæ iudicium, [vt ego quidem reor, de quo in hac epistola, quam commentamur, mentio facta est, quod quidem non demonstrat restitutam

esse

esse Iudiciali Pontificis sententia suam Theodoreto Sedem, sed amotam solùm nonnullam erroris suspicionem, quæ ei fortè, vel ex antiquis cum Cyrillo concertationibus inhæserat.]

Iterùm errores varij. Primus est, quod magnus Leo nullo habito iudicio Theodoretum reparauerit, ac iusserit solito more gubernare Ecclesiam. Eruditissimum, ac sanctissimum Pontificem infamat de horrenda prævaricatione. Etenim de Ebbonis Rhemensis exepiscopi causa ad tertiam Suessionensem synodum rectè scripsit Nicolaus I. Pontifex: Porrò si quispiàm Sedem Apostolicam, per Sergium sanctæ memoriæ Papam, Ebbonem quondam Archiepiscopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, nouerit quoniam talem Sedes Apostolica debuit Ebbonem, donec synodali eius examine causa discuteretur, habere, qualem ab alijs habitum non ignorabat. Statutum quippè in magna, & veneranda Nicæna Synodo legerat:] Vt de his qui communione priuantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, episcoporum per vnamquamque Prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet episcopi vitio videatur à Congregatione seclusus. [Donec igitur auctoritate sua de huiusmodi pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio examinatio, vel dijudicatio proueniret, Sedes Apostolica nihil agere debuit, nisi quod egit. Videlicèt vt ab alijs abiectum ipsa nequaquam indiscussè susciperet. Præcipuè cum prædictus Ebbo non quasi pro depositione queritans, & restitui legitimè volens examine præcedente, Sedem Apostolicam appellauerit, sed à contumacibus suasus, & his iunctus, repentè, & reconciliari ab ea, & Pallio decorari quærens, & quasi episcopus inter episcopos, nulla suæ causæ discussione præueniente, poscens, ad eamdem summam Sedem accesserit, à qua reprobatus ab alijs meritò debuit reprobari, donec supplex ab ea Sede posceret canonicè adiuuari.] Hunc turbidum, ac facinorosum procedendi modũ Paschasius Quesnellus impingit magno Leoni. Sanè si tali via Theodoretus fuisset in episcopalem cõmunionem, ac reuestitionem intrusus, in Chalcedonensi Synodo Ægyptij, ac alij Episcopi, qui ipsum pessimè auersabantur, istud vitium in suis iteratis intercessionibus nequaquam tacuissent. Profectò Theodoretus non violenter, quomodo Ebbo, reuestiri voluit, sed inuocauit iustum, & rectum Leonis Tribunal, exspectauit Sedis Apostolicæ sententiam, rogauit iudicium ex scriptis ab ipso libris constitui: Et magnus Leo taliter omninò fecit. Lucet ex gloriosissimorum iudicum ad Chalcedonensem Synodum interlocutione, qua postularunt definitiuam pro Theodoreto sententiam: [Sententia proferatur, vt ecclesiam suam recipiat, sicut & Sanctissimus Leo Archiepiscopus iudicauit.] Nisi forsan Paschasius Quesnellus censeat iudicium istud fuisse non Synodale, aut Episcopale, sed Doctorale: Quale hodie faciunt Magistri nostri, dum de alicuius excommunicationis valore consulti respondent. Et hunc esse ipsius sensum, qui Apostolicæ Sedis dignitatem manifestè euertit, multa suadent.

Secundus error est, quod magnus Leo ex Anatolij Constantinopolitani literis, Maximi Patriarchæ Antiocheni Tractoriam laudantibus, fuerit permotus ad Theodoretum reuestiendum. Etenim Anatolius non fuit à magno Leone in Regiæ ciuitatis episcopum confirmatus, ideòque nec ipsi per literas communicauit, nisi post Theodosij mortem, & Imperio admotum Martianum. At verò Theodoretus palàm appellauit, ac reuestitus fuit viuente Theodosio. Lucet ex eius verbis: Quandoquidem ne ad vos contenderem, Regiarum literarum vincula retinuerunt, quemadmodùm & alios.] Istud vinculum Martianus, nec ad vnam horam continuauit. Lucet ex sanctæ Imperatricis Pulcheriæ ad magnum Leonem literis, scriptis statim post suum cum Martiano virginale coniugium: [Super hæc autem sciat tua sanctitas, quoniam præcepto nostri Domini, & tranquillissimi Principis mei coniugis, in gloriosam ciuitatem Constantinopolim sanctæ memoriæ episcopi Flauiani corpus allatum est, & in Basilica Apostolorum, in qua consueuerunt prædecessores episcopi sepeliri, competenter est positum. Et hos similiter episcopos, qui propter eamdem causam, quoniam cum sanctissimo Flauiano ad concordiam Catholicæ fidei concurrerant, exilio deputati sunt, reuerti debere, robore pragmatici sui præcepit, quatenùs per approbationem synodi, atque sententiam omnium episcoporum conuenientium, episcopatum, & ecclesias proprias recipere mereantur.] Hoc Martiani pragmaticũ laudarunt in Chalcedonensi Synodo gloriosissimi Iudices: [Ingrediatur, & Reuerendissimus episcopus Theodoretus, vt sit particeps synodi, quia & restituit ei episcopatum SS. Archiepiscopus Leo, & sacratissimus Imperator sanxit eum adesse sanctę synodo. Et infrà: Præiudicium ex persona Reuerendissimi Theodoreti episcopi non generabitur, reseruata videlicèt post hæc omni accusatione, & vobis, & illi, & quæ inuicem exercere volueritis.] Nempè magnus Leo Theodoretum non plenè reparauerat, sed dumtaxat reuestiuerat, retractatorium definiendæ causæ iudicium reseruans, ac transmittens ad futuram synodum. Et hoc eius iudicium Martianus plenè confirmauerat per pragmaticum. Hinc Gloriosi Iudices vtuntur verbo, Sanxit: Est correspondens Pragmatico. Etiam Maximus Antiochenus non emisit laudatam Tractoriam, nisi iam per Leonem in episcopatu confirmatus. Proindè ista omnia sunt Theodoreti reuestitione posteriora, ideòque magnum nostrum Pontificem non potuerunt permouere ad illum reuestiendum. Insuper Maximi Tractoria dirigi non potuit ad sanctum Flauianum, Etenim Maximus fuit consecratus ab Anatolio, quem Paschasius Quesnellus rectè scribit non fuisse ordinatum, nisi post mortem sancti Flauiani. Et hic est tertius, ad rem tamen præsentem non pertinens, istius viri error.

Interim pergit nos fatigare multis verbis: [Enim verò si eam ob rem restitutum à Sede Apostolica Theodoretum contendas, quia eum communionis suæ sinu complexus

est, quidni à cæteris quoque episcopis restitutum eum pronuncies, cum & Maximus Antiochenus, eius Primas, & Anatolius Constantinopolitanus, & alij plurimi Antistites Orientalium partium, communionis cum eo nexum, vel abruperint numquàm, vel mox religauerint. Quamquam Romani Pontificis votum, eiusque communionis suffragium præ cæteris habitum esse quis velit diffiteri, vtpote Primariæ omnium Sedis episcopi, viri insuper sanctissimi, doctissimique, & in hac præsertim causa Catholicæ fidei strenui Defensoris? Rem tamen totam ex Leonis facto finitam esse, asserere non possumus, cum eam rursùs ad incudem vocatam à Patribus Chalcedonensibus, notum sit cuilibet huius Synodi Acta recensenti. Idque factum est ex ipsius sancti Leonis mente. Cum enim post Ephesinam Pseudosynodum poposcisset sanctus Leo, vt omnibus à Dioscoro decretis supersederetur, [& omnia in eodem statu essent, in quo fuerant ante omne iudicium, donec maior ex toto Orbe Sacerdotum numerus congregaretur, [hoc procul dubio Pontificis erat consilium, vt maioris huiusmodi episcoporum numeri iudicio, & examini omnia de nouo quasi iniudicata subijcerentur, vbi primùm congregatus esset. Nec est quod quis Theodoreti causam ab ista lege eximendam existimet, cum potiùs hæc præ cæteris vna synodi examen postularet. Alij enim plerique episcopi, quos Pseudosynodus Ephesina Sedibus suis deiecerat, ante Latrocinium in suspicionem erroris non venerant, ac proptereà rescissis Pseudosynodi Actis, res illis sua integra erat: Theodoretus autem longè ante Ephesinum Conuentum suspectæ fidei notatus fuerat à Catholicæ sententiæ propugnatoribus, Nestorio visus erat patrocinari, & ex erroris suspicione ansam atripuerat Imperator eum à synodo remouendi. Quare etsi & à Leone in communionem receptus, & ad Chalcedonense Concilium accersitus esset Imperatoris edicto, non hoc tamen vno diluebantur antiquæ suspiciones, sed futuro iudicio via parabatur, cui & eius fides discutienda, & Aduersariorum accusationes examinandæ seruabantur. Inde est, quod Iudicibus Laicis introduci eumdem in synodum postulantibus iuxta Imperatoris edictum, non pauci aliqui episcopi, vt videtur nonnullis, sed longè plurimi, Ægyptij videlicet, Palestini, & Illyriciani clamauerunt. Hos inter episcopos Illyriciani Ducem habebant Thessalonicensem episcopum, qui cum vices Romani Episcopi gereret in Illyrico, ab eius nutu pendebat, nec tamen Apostolicæ Sedis iudicium, quo Theodoretus ab omni hæresis macula mundus pronunciatus fuerat, obstare credidit, quominùs ille à synodo tamquàm de fide ex antiquo suspectus remoueretur. Rursùm verò instantibus Iudicibus eum recipi, vix tandem acquieuerunt dicti episcopi, quasi ex indulgentia, ac dispensatione: Non priùs tamen quàm Maximi Antiocheni Primatis sui testimonio nulla hæretici sensus peste esse infectus Theodoretus probaretur, & insuper pollicerentur Iudices nullum ex præsentia illius preiudicium creandum esse, causamque integram futuro examini esse reseruandam. His impositis conditionibus tandem admissus est Theodoretus.]

Commenta varia. Primum est, quod Theodoretum dicamus à Sede Apostolica restitutum, quia ipsum Leo suæ communionis sinu fuit amplexus. Etenim aliquem sua communione amplecti est ambiguum: Cadit & in integrum episcopum, & in degradatum. Proinde Theodoretum dicimus à Sede Apostolica restitutum, quia magnus Leo suæ Sedis auctoritate ei reddidit episcopatum, episcopalem locum, seu episcopalem communionem. Secundum est in his verbis: [Quidni à cæteris quoque episcopis restitutum eum pronuncies?] Videntur asserere, quod pari iure Theodoretus potuerit ab ipsis restitui. Pessimè. Etenim quo iure Orientalis Diocesis Episcopus potuerit restitui à Constantinopolitano? Sed neque ab Antiocheno potuit. Quod neque iste aliquid virium haberet in Sancita Generalis Concilij.

Tertium est, quod Anatolius, Maximus, alijque plurimi Orientalium episcopi communionis cum Theodoreto nexum, vel numquàm abruperint, vel mox religauerint. Etenim Anatolius, & Maximus, licèt in Ephesino Latrocinio consecrati non fuerint, videntur tamen in ipso fuisse electi. Quidquid sit, Anatolius Dioscori Diaconus, & Apocrisarius, Maximus erat fidelis amicus: Vterque per Latrocinij auctoritatem fuit, & electus, & consecratus. Hinc certum est, quod suam à Theodoreto communionem abruperint. Istud ipsum fecerunt, & plurimi alij Orientalium episcopi. Etenim ipsum degradauerant, & non statim egerunt pœnitentiam sui facinoris. Dissociatio permansit, donec Anatolius, & Maximus sui vitiosi episcopatus sanationem, & firmitatem; reliqui verò episcopi à magno Leone obtinuerunt sui lapsus veniam, & communionem Romanæ Ecclesiæ. Hanc Theodoretus ante omnes istos obtinuerat, atque ità isti sanati statim cœperunt Theodoreto communicare. Omnia per auctoritatem Romanæ Cathedræ.

Quartum Commentum est in his verbis: [Quamquam Romani Pontificis votum, &c.] Quod votum, quod suffragium? Nec enim hæc in Chalcedonensi synodo, sed ante ipsam facta sunt per solam, Primariæ Sedis, auctoritatem. Gloriosissimorum Iudicum ad laudatam synodum verba sunt lucida: [Leo ei restituit episcopatum.] Verùm Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus Romanam Sedem non plena super omnes auctoritate, sed solius loci dignitate vult esse primariam, ideòque Leonem sine alijs Patriarchis, atque Episcopis nihil, aut parùm circa Theodoretum valuisse. Et hic Primatus est apud ipsum parui ponderis. Etenim Leonis suffragium censet fuisse præ cæteris æstimandum, quod esset vir sanctissimus, doctissimus, & strenuus Defensor Catholicæ fidei. Potiùs propter personæ merita, quàm propter priuilegia Sedis.

Quintum commentum est in his verbis: [Rem tamen totam ex Leonis facto finitam esse, &c.] Theodoreti reuestitionem appellat Leonis non iudicium, sed factum. Quod nempè istam iudicialem potestatem non agnoscat in Romana Cathedra. Interim, &

nos

nos Orthodoxi profitemur ex isto Leonis iudicio causam non fuisse finitam. Erat enim dumtaxat reuestitorium, non retractatæ ex integro causæ definitiuum. Etiam S. Iulius reuestiti à se Athanasij causam in Sardicensi, sanctus Damasus reuestiti à se Maximi Cynici Actionem in futura plenaria, sanctus Innocentius reuestiti à se Ioannis Chrysostomi appellationem retractari, ac definiri voluit in synodo Thessalonicensi, Et postmodò Adrianus II. sancti Patriarchæ Ignatij quæstiones examinari ab exordio, & definiri permisit in octauo Concilio. Eadem igitur ratione magnus Leo Theodoreti causam non definiuit, sed ipsum solummodò reuestiuit in episcopum, totius causæ retractationem, ac definitionem delegans Chalcedonensi Synodo. Hinc enim ad synodi Patres dixerunt Gloriosissimi Iudices: [Præiudicium ex persona Reuerendiss. Theodoreti Episcopi nulli generabitur, reseruata videlicèt post hæc omni accusatione, & vobis, & illi, & quæ inuicem exercere volueritis.] Et hæc omnia sunt omninò facta ex mente sancti Leonis. Hinc enim post retractatam Theodoreti causam Apostolici Legati dixerunt ad synodum: [Theodoretum Leo in communionem suscepit ità, &c.] Hoc est, eà lege vt se purgaret de varijs. Et huius purgationis examen, ac definitionem Pontifex delegauit synodo.

Sextum Commentum est, quod Illyriciani Episcopi suæ contra Theodoretum refragationis Ducem habuerint suum Apostolicæ Sedis Vicarium, Anastasium Episcopum Thessalonicensem. Etenim Anastasius non adfuit synodo, sed eius vices egit Quintillus Heracleensis in Macedonia episcopus. Etiam Ephesino Latrocinio non adfuit, eâque de absentia gratulatus est ei Pontifex, rogans vt reuestiti à se Flauiani communionem non desereret. Certum est, quod omnia Leonis contra Latrocinium decreta, adeòque, & Theodoreti reuestitionem fuerit plenissimè veneratus. Etenim ad Ioannem Antiochiæ Patriarcham de sancti Celestini in Nestorium decretis scripsit sanctus Cyrillus: [Macedoniæ episcopi à Romani Pontificis sententia numquàm decedere solent.] Exstat epistola in prima parte Ephesini Concilij. At cur igitur quidam Illyriciani Antistites Chalcedone noluerunt Theodoretum admittere? Quod ipsum crederent non dumtaxat reuestitum, sed integrè reparatum. Credebant ipsum Pontifici per circumscriptiones obrepsisse. Hinc ipsum voluerunt discuti, & causam retractari. Lucet ex laudata Gloriosissimorum Iudicum interlocutione: [Reseruata post hæc omni accusatione.] Dixerunt ipsum solummodò reuestitum à Pontifice, plenam retractationem esse transmissam ad synodum. Et tunc episcopi isti acquieuerunt.

Septimum commentum est in his verbis: [Inde est quod Iudicibus laicis introduci eumdem, &c.] Nullam faciunt Apostolicæ reuestitionis memoriam. Quod nempè ipsam censeant parui, aut nullius ponderis. Lucet ex verbis inferioribus, quæ affirmant Theodoretum [quasi ex indulgentia, ac dispensatione] fuisse admissum. Et fabula iterum sibi non cohæret. Etenim adiungit hæc verba: [Nec tamen Apostolicæ Sedis Iudicium, quo Theodoretus ab omni hæresis macula mundus pronunciatus fuerat, &c.] Omnipotens veritas etiam ab inuitis extorquet sui professionem. Reuerendus Pater Paschasius Quesnellus quædam adiungit de suprema synodorum auctoritate, de Episcoporum in ipsis decisiuo suffragio, ac de Papali omnium Chalcedonensium Actorum confirmatione. Non spectant ad præsentem materiam, ideòque sunt alibi discutienda. Eruditus vir dignetur his acquiescere. Etenim existimo me in ipsis à Sanctorum Patrum confessione, ac perpetuo Ecclesiæ sensu non recessisse.

Quod magnus Leo retractatorium reuestiti à se Theodoreti iudicium Chalcedonensi Synodo delegauerit, etiam Vigilius Pontifex disertè testatur in suo Constituto de tribus Capitulis: [Ne quis forsitan arbitretur ambiguum, quod Legatis, atque Vicarijs Sedis Apostolicæ à Beatissimo Papa Leone tantùm fidei causa, & non etiam de depositorum incompetenter episcoporum, fuerit reuocatione mandatum, nouerit Beatissimum Papam Leonem sanctæ Chalcedonensi Synodo hæc inter cætera scripsisse dicendo: Quia verò non ignoramus per prauas æmulationes statum multarum ecclesiarum fuisse turbatum, plurimosque episcopos, qui hæresim non reciperent, Sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos, his primitùs vulneribus adhibenda est medicina iustitiæ, ne quisquam careat proprijs, vel alter vtatur alienis.] Quæ omnia, & per Pontificem, & per synodum sunt manifestò facta iuxtà disciplinam Sardicensem. Iterùm repeto hanc Romanam Appellationem non fuisse Theodoreto primam. Etenim non dumtaxat aduersùs sancti Cyrilli Alexandrini, & sui Antiocheni Patriarchæ Ioannis pacificatoria acta, sed etiam aduersùs omnia sacrosancti Ephesini Concilij gesta appellauerat ad Sixtum Tertium. Nec solus, sed vnà cum suo Metropolita Alexandro, cum Helladio Tharsensi, cum Eutherio Thyanensi, cum pluribus alijs Episcoporum Prouincijs. Nec ad totius Ecclesiæ, aut totius Occidentis Synodum, sed ad solum Pontificem, ad solam Apostolicam Sedem. Nec sine fructu. Eadem igitur ratione nunc aduersùs Ephesinum Latrocinium innocauit solùm Papam Leonem. Insuper Chalcedonensis Synodus cuncta sua de Theodoreto acta ad Leonem retulit, & Leo confirmauit. Ita testatur idem Vigilius. Nempè synodus ex Vicaria dumtaxat delegatione ista egerat, ideòque firmari non poterant, nisi per delegantis Pontificis auctoritatem. Generales Synodi, quas iuxtà Sardicenses Canones Papa conuocat, omninò tantam ab ipso habent dependentiam. Quarumcumque Generalium Synodorum non est eadem natura, species, auctoritas.

Quod periculosa nouissimorum dierum tempora immineant, plura vix sinunt nos dubitare. Eorum characterem nobis iam pridem prædixit Apostolus: [Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, parentibus non obedientes.] Illi præferrim parenti, quem omnis sub cœlo Ecclesia semper appellauit Patrem Patrum. De Diabolo verissimè scripsit in libris de Ciuitate Dei Sanctus Lib. 18. c. 51.

ctus Augustinus: [Videns Diabolus templa Dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, Hæreticos mouit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ, quasi possent indifferenter sine vlla correptione haberi in Ciuitate Dei, sicut ciuitas confusionis indifferenter habuit Philosophos, inter se diuersa, & aduersa sentientes.] Etenim Diuinæ Maiestatis essentiam per sceleratissimos Gnosticos, Diuinarum personarum proprietates per Praxeam, ac Sabellium, Diuinæ Naturæ vnitatem per Arium, ac Macedonium, sacrosanctam Dominicæ Incarnationis integritatem per Apollinarium, ac Eutychetem, eius Hypostaticam vnitatem per Paulum Samosatensem, ac Nestorium, sacras Iesu Christi Imagines per Leonem Isaurum, eius benedicta Sacramenta per Ioannem Wicleffum, humanæ Iustificationis Arcanum per Martinum Lutherum, ac Ioannem Caluinum, alia nostræ salutis dogmata varijs temporibus arietauit per alios. Vbique victus, ac vincendus. Hinc postremus eius insultus erit in illam Romanæ Cathedræ Petram, supra quàm Christus Dominus fundauit Ecclesiam. Tentabit Anarchiam inducere, ideòque Arcis, in qua sola saluamur, fundamentum suffodere. Apparere nunc videntur prima huius moliminis exordia. Absit, vt circa eminentes in Ecclesia viros indulgeam istiusmodi iudicijs, aut suspicionibus. Absit à me tanta temeritas. Attamen anxia Euangelici Depositi custodia cunctos iubet formidare, ac vigilare. Nequaquam per meas, vtpotè nullas, sed per tuas, Gloriosissime Apostolorum Princeps Petre, vires ego nitor occurrere. Per validissimas vires, quas tibi dederunt sublimia Dei-Hominis verba: *Confirma fratres tuos*.

EIVS-



EIVSDEM AVCTORIS.
DICTATVS
S. GREGORII VII.
PONTIFICIS.



A Clemente secundo inchoatam, & ab eius Successoribus needum perfectam Latinæ Ecclesiæ reformationem plenè cōpleturus Gregorius septimus, varia ipsorum aduersùs coniugatos, & Simoniacos Episcopos, & Clericos, necnon varios Laicorum excessus Decreta confirmauit, & extendit, per omnia Regna, quin, & Henricum quartum Imperatorem, variosque hinc inde episcopos gradu deiecit, affirmans, ac demonstrans se agere ex sancti Petri priuilegio, de quo in populari de Apostolorum Principibus sermone declamat sanctus Leo Magnus: [Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque fertur ex ipsius æquitate iudicium.] Ad quę verba ex Caroli Calui FrancorumRegis persona scripsit olim Hincmarus Metropolita Rhemensis: [Qua sententia constat, quia non manet Petri priuilegium, vbi ex eius æquitate non fertur iudicium.] Et in secunda Trecensi Synodo professus fuit, [quos Apostolica Sedes per Dominum Papam priuilegio sancti Petri damnarit, & quod in omnibus secundùm Scripturarum tramitem, sacrorumque Canonum Decreta Sedes Romana tenet,] se in omnibus, & prosequi, & venerari. Sancti Petri priuilegium dixit in æquitate, Diuinarumque literarum, & sacrorum canonum consequentia fundari, adeoq; quidquid ab illis alienum Pontifex decreuerit, aut egerit, non procedere ex isto priuilegio, ac proindè esse irritum, & nullum. Henrici quarti Imperatoris, ac fœdorum Sacerdotum aduersùs laudatum Gregorium nostrum defensores non solummodò resumpserunt hoc principium, sed & sancti Petri priuilegium deuocarunt ad examen, & multis iniurijs affecerunt. Eos refutat hic Dictatus.

Serm. 2. c. 2.

Ep. 14. 42.

CANON I.

Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.

SCHOLION.

Canon hic agit aduersùs Cunibertum, Bambergensis Ecclesiæ Clericum, de quo sub Gregorij nostri Papatu celebrata, & apud Bertholdum Presbyterum Constantiensem exstans, Synodus Quintelburgensis: [Quidam Bambergensis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliundè concessum hæreditasse, videlicèt, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio subiaceant. Qui cùm apertè à tota Synodo confutaretur, præcipuè tamen à quodam Laico conuictus est per illud Euangelicum: non est Discipulus supra Magistrum. C. 10. Cùm enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis Ordinibus obseruandum deputetur, ne Maior à minore iudicetur, quis hoc Vicario sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino, & Magistro venerantur?] Ab eodem fundamento inchoatam fuisse Martini Lutheri prædicationem testatur in Citizensis Ecclesiæ Chronico Paulus Langius: [Martinus Lutherus asserit, & probat Romanam Ecclesiam non esse iure diuino primam, & caput omnium. Quamobrem ipse Papa, & Cardinales, omnesque Romanenses, mirum in modum contra illum, & fremere, & excandescere cœperunt, & ceu A. 1517. alterum Athanasium persequi, potissimum quòd disputauerit Romanam Ecclesiam non esse Diuino iure primam, & caput Ecclesiarum orbis. Ejus palmare principium fuit friuolum somnium Marsilij Paduani, de quo

in

in Catholica concordantia Nicolaus Cardinalis Cusanus: [Quidam Marsilius Paduanus dicere videtur per canonem Bibliæ probari non posse, Petrum Episcopum Romanum, imò aut Romæ fuisse. Quod ex prima Petri epistola falsum est, & non est vsque ad hæc tempora quisquam Doctorum sanctorum inuentus, qui hoc vmquam negauerit. Imò
L. 2. c. 34. Alypius, Augustinus, Optatus Mileuitanus, sanctus Hieronymus, ac omnes alij, qui Romanorum Pontificum Catalogū suis scriptis inseruerūnt, à Petro incipiunt.] Vrget Marsilius hæc Apostolicæ epistolæ verba. [Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone.] Romam enim, quòd tunc idololatricæ confusionis plena esset, per Babylonem à sancto Petro hîc intelligi existimant sanctus Hieronymus, & quidam alij Patres. Alij tamen Assyriorum Babylonem intelligi, atque illic scriptam esse istam Epistolam volunt, quod illic hæreditarius, à quo omnes per Cappadociā, Bithyniam, Pontum atque Galathiam Synagogæ pendebant, primæ iudaicæ dispersionis Patriarcha degeret: Ista de causa volunt Petrum Apostolum illic Antiochia accessisse. Quidquid sit, Petrum Romæ non tantùm fuisse, sed & illic sedisse primum Episcopum, vnanimi voce clamant sanctus Iræneus, Tertullianus, sanctus Cyprianus, Sanctus Firmilianus, Eusebius Cæsariænsis, Patres omninò omnes, Latini, & Græci. Et hinc Romanæ Cathedræ Primatum euersurus Marcus Antonius de Dominis, alias sibi struxit phantasmatum machinas: Fatetur Petrum Romæ vixisse, & obijsse prædicasse illic, & exercuisse actus Episcopales, ast negat Cardinalem seu proprium istic fuisse episcopum, negat fuisse Apostolorum caput, & Principem, atque ità vult Papam, nec esse eius successorē; nec ex eius successione sequi totius Ecclesiæ Primatū. Nempè adeò manifesta est suprema Romani throni Maiestas, vt non nisi per ista horrenda manifestissimorum mendaciorum monstra possit, vel impugnari.

Et omnia ista euertens noster Canon omninò haustus est ex auito ecclesiæ sensu. Etenim ad Rufum Thessalonicensem Archiepiscopum, ac suum in Illyricana Diœcesi Vicarium olim, vti rem manifestam scripsit Bonifacius primus: [Beato Apostolo Petro
Epist. 6. arx Sacerdotij Dominica voce concessa est. Et infrà: Eius consulis, Romanæ vtique, Sedis arcanum, quam constat dignatione Petræ spiritalis, videlicèt Christi Domini nostri, illatam. Et in literis ad Thessaliæ Episcopos Romanæ Cathedræ Primatum affirmat à nascentis ecclesiæ fuisse exordio, & prosequitur: [Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeò vt non aliquid super eam ausa sit
Epist. 9. constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa. Hanc ergo Ecclesijs toto orbe diffusis velut caput certum est horum esse membrorum.] laudat sextum Nicenum canonem, qui Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis figit certas Episcopalium consecrationum, & iudiciorum leges, additque de Romano: [Quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Et Metropolitarum, & Prouincialium episcoporum consecratio ex Apostolico Instituto spectat ad Patriarchas. Verùm aliqui plures, & largas Diœceses habent, ideoque remotarum Prouinciarum Antistites permiserunt ab inuicem ad suas litteras consecrari. Quin, & quosdam fine suis litteris. Variarum Prouinciarum Antistites permiserunt ab inuicē ad suas literas consecrari. Quin, & quosdam sine suis literis Variarum Prouinciarum fuit varia consuetudo. Hinc de Alexandrina, Antiochena, & alia quauis ecclesia statuit laudatus Canon cuique seruari sua priuilegia, & antiquam de ipsis consuetudinem firmat in scriptam legem. At verò Romanæ Ecclesiæ morem solummodò laudat, nihil ausus constituere, sciens illi omnia concessa à Domino, ideòque eius Episcopum ex fide, & arbitrio agere, ac soli Deo teneri ad rationes. Et Arabici, licèt non Nicœni, tamen antiquissimi Orientalium Canones Romanum Episcopum, non minùs quàm Apostolum Petrum, affirmant esse [Christi Domini Vicarium super cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam.] Et in prima sua ad Iulium Pontificem epistola Sardicense Concilium profitetur omnium ecclesiarum [caput esse Petri Apostoli Sedem, ad quam de singulis quibusque Prouincijs Domini referunt Sacerdotes.] Et ad plenam Ephesinam Synodum dixit Philippus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, ac Legatus: [Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quod sanctus, ac beatissimus Petrus Apostolorum Princeps, & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino nostro Iesu Christo claues Regni cœlestis accepit, qui ad hoc vsque tempus, & semper Act. 3. in successoribus viuit, & iudicium exercet.] Et ad sanctū Leonem Pontificem scripsit magna synodus Chalcedonensis: [Tibi vineæ custodia à Domino commissa est.] Et ad sanctum Leonem secundum Constantinus quar- Act. 2. tus Imperator, & omnis sexta synodus: Romana Cathedra est ea Petra, super quam Dominus fundauit Ecclesiam, ac prædixit numquam fore, vt portæ inferi, hoc est, hæreticæ insidiæ, aduersùs eam præualerent.] Et in sua ad Nicolaum primum appellatione Act. 18. clamat sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus: Catholicæ Ecclesiæ vnum, & singularem, præcellentem, atque Catholicissimum medicum ipse Princeps summus, & fortissimus Sermo, & ordinator, & curator, & solus ex toto Magister Deus omnium produxit, videlicèt tuam Fraternam Sanctitatem.] Cuncta, quibus Sermo Deus exaltauit sanctum Petrum Apostolum, testimonia producit, & adiungit: [Tales beatas voces non secundùm quamdam vtique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit, & definiuit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi summi Pastores, & Pontifices senioris Romæ, transmisit.] Quæ omnia probauit, & suis actis inseruit synodus octaua.

Sanctum Petrum fuisse Romanorum Episcopum, eiusque Primatum, & claues ex Diuina ordinatione, & perpetuo Christianitatis more transijsse in successores, in literis ante Calcedonensem Synodum exstantibus scribunt non tantùm sanctus Leo Papa, sed etiam Theodosius, ac Valentinianus

nus Imperatores, necnon Augustæ Licinia Eudoxia, & Galla Placidia. Et in Codice Theodosiano extat eorumdem Principum ad Ætium vtriusque militiæ in Gallia Magistrum lex, asseuerans Sedis Apostolicæ Primatum, non tantùm in Romanæ vrbis dignitate, & auctoritate Nicænæ synodi, sed etiam ex sancti Petri meritis fundari, & processisse. Et in literis ad laudatum Leonem, Theodoretus, Cyri in Euphratesia Prouincia episcopus scribit Apostolicam Sedem esse Sedem sancti Petri, tenere in omnibus Primatum, ornari multis prærogatiuis, idque ex dono largitoris omnium bonorum. Et in tractatu de Acaciano schismate sanctus Papa Gelasius adfirmat omnes Apostolos fuisse pares, & adiungit: [Cùm omnes ęqualiter ęqualiterq; spirituali luce fulgerent, vnum tamen principem esse ex illis Christus voluit, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, vt in præcipua Vrbe, vel prima primum, & præcipuum dirigeret Petrum, ibiq; sicut doctrinę virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit, præstās Sedi, quam ipse benedixit, vt à portis inferi numquam pro Domini promissione vincatur, omniumq; sit fluctuantium tutissimus portus.] Disertè adfirmat S. Petrū non ex propriç electionis arbitrio, sed ex Dominicæ auctoritatis Diuino iussu migrasse Antiochia Romā, & illic cum pleno in vniuersalem Apostolatum successionis iure sedisse episcopum. Exstat Tractatus apud Iacobum Sirmondum post appendicem Codicis Theodosiani. Et ad Bonifacium Secundùm in Romana, per Dominum Lucam Holstenium publicata, synodo dixit Stephanus Larissenus episcopus, Thessaliæ Metropolita: [Nullus ecclesiasticus ordo illam vestram, quæ à Saluatore omnium, & primo Pastore vobis est collata, potest præcellere potestatem.] Et iterùm: [Auctoritas Sedis Apostolicæ, qua à Deo, & Saluatore nostro summo Apostolorum data est, omnibus sanctorum ecclesiarum priuilegijs antecellit. Hanc veritatem sola olim Photiani schismatis. præformatrix Eusebiana Arianorum factio fuit arietare ausa, abundè damnata, per laudatam synodum Sardicensem. Amplissima est hæc materia, & innumera ipsam firmant authentica omnium sæculorum testimonia: Ad elucidandum præsentem canonem sufficiunt hęc pauca.

Epist. 25. 26. 28.

Epist. 8.

Omittere nolim Thesim in catholica concordantia, propositam à Nicolao Cardinali Cusano: [Non posse Romanum Pontificem perpetuum Principem Ecclesiæ probari, satis etiam ex hoc manifestum est. Nam non legitur, etiamsi Petrus illū Principatum omnium habuit, propterea Romanum Pontificem eius successorem, aut Antiochenum, vel Hierosolymitanum, cum eiusdem sint successores, habuisse, aut habere debere, ex sacris literis, nisi concurrat communis Ecclesiæ consensus, sicut Apostolorum in Petro. Vndè etsi Romanus Pontifex, aut ex loco, & Sede Petri, aut Principatu Ciuitatis, inter cæteros mundi episcopos in Primatu, vt præcipuus, & honorabilissimus Præses tantę Ciuitatis, & sedens in tanta Petri Sede, aut Principatus Ciuitatis veneraretur, tamen nisi subiectiuè ex consensu concurreret electio per eos, qui aliorum omnium vices gerunt. non crederem ipsum Præsidem aliorum omnium, & Principem, siue Iudicem esse. Quare si per possibile Treuerensis Archiepiscopus, per Ecclesiam congregatam pro Pręside, & Capite eligeretur, ille propriè plus successor sancti Petri in principatu foret, quàm Romanus Episcopus. Licèt credendum sit Romanum Pontificem, sicut locum Petri, ita & principatum numquam perditurum. Non enim successio in loco arguit successionem in principatu, vt de Antiochia, & Hierosolymis dictum est. Nec cessaret ille principatus in Ecclesia, etiamsi Romanæ Vrbis Sedes episcopalis deficeret.] Distinguit Papalis potestatis substantiam, ac eius affixionem ad Episcopatum Romanum: Illam fatetur esse à Deo, hanc vult venisse ab Apostolis; & Ecclesia, ideòque per generalem synodum posse transferri Treuirim, aut ad aliam quamuis Ciuitatem. Quin imò potestatem istam addit, nec ipsi Apostolo Petro datam à Christo Domino, nisi ad electionem, & suffragia Apostolorum. Multis hæc firmare conatur, & concludit: [Nihil tamen de meis conceptibus adeò firmum assero, quin peritioribus potiùs dicam acquiescendum.] Romanum Primatum vult esse à Deo partim, partim ab homine: [Licèt induxerim multa, tamen in hoc resedi, quòd licèt secundum plura sanctorum scripta potestas Romani Pontificis à Deo sit, & secundùm alia ab homine, & Concilijs generalibus, tamen videtur in veritate medium concordantiæ, per Scripturas inuestigabile ad hoc demum tendere, quod ipsius Pontificis Romani potestas, quoad considerationem præeminentię Prioratus, & Principatus, sit à Deo per medium hominis, & Conciliorum, scilicet mediante consensu electiuo.

Lib. 2. c. 34.

Respondeo Cardinalem Cusanum nimio in synodum Basileensem affectu, nimiaque Eugenij quarti Pontificis degradandi libidine incensum cecidisse in huiusmodi somnia. Et à quo didicit sanctum Petrum vnquam fuisse episcopum Hierosolymitanum? Paradoxum id est, & à nemine vmquam, vel somniatum. Et quis vmquam tradidit Petrum Apostolico Collegio, ex Fratrum electione fuisse Prælatum? Dico igitur Papalis Primatus non dumtaxat substantiam, sed etiam in Romana Cathedra affixionem esse omninò iuris diuini, ideòque immutabilem. Etenim Photij Patriarchæ Constantinopolitani, Papalia priuilegia blaterantis Constantinopolim migrasse cum Imperialibus, nugas derisit, & damnauit octaua generalis synodus, & omnis semper Othodoxa Ecclesia. Eam migrationem, aut translationem censuit impossibilem, & omni humana potestate superiorem. Sanctus Apostolus Petrus non ex humano spiritu, sed ex diuino instinctu migrauit Antiochia Romam, ibidem non pro tempore, sed firmè vsque ad mortem sedit Cardinalis Episcopus, & de Antiocheno Patriarchatu ad Patriarcham Alexandrum scribit Innocentius Primus Pontifex: [Aduertimus non tam pro Ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, " quàm " quod prima primi Apostoli sedes esse

Epist. 18. cap. 1.

esse monstretur. Quæ vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, susceptum apud se consummatumque gauderet. Nempe sancti Petri Episcopatum. Longa est hæc res suo loco latiùs elucidanda.

CANON II.

Quod solus Romanus Pontifex iure dicatur vniuersalis.

SCHOLION.

Cap. 17. ANatolium Chalcedonensis Concilij tempore episcopum Constantinopolitanũ, quod se "Vniuersalem" episcopum titulare cœperit, accusat, & ita in sancti Leonis Papæ literis reperiri affirmat in opusculo contra Hincmarum Laudunensem episcopum, Hincmarus Metropolita Rhemensis. Consonat repertus Constantinopoli apud Patres Prædicatores aduersùm Græcos tractatus, assiduas Constantinopolitanorum Antistitum rapinas enumerans, atque adiungens: [Processu temporis cresente Græcorum malitia, & potentia inualescente, Patres, qui conuenerunt in quarto Concilio, suasu Principis Martiani, quædam priuilegia Romanę Sedis similia, & hoc nomen,] Oecumenicus Patriarcha, "quod sonat" orbicularis, seu Vniuersalis Patriarcha, [Constantinopolitano episcopo, contradicentibus Sedis Apostolicę Legatis, contulerunt.] Verùm vterque est memoria lapsus. Etenim vigesimi octaui Chalcedonensis Canonis conditores de isto titulo nec cogitarunt. Alexandrini dumtaxat, & Antiocheni Patriarcharum, & trium Autocephalorum Primatum, nequaquam Romanæ Cathedræ priuilegia læserunt, transcribentes ista in Constantinopolitanum episcopum. De isto excessu Anatolium nullus vnquam accusauit. Isto tamen tempore Olympius Enazorum in Asia episcopus Ephesino latrocinio subscripsit in hunc modum: [Sanctissimus Pater noster, & vniuersalis Archiepiscopus Dioscorus magnæ Alexandrinæ Ciuitatis, &c.] Sed istam tantæ adulationis stultitiam nemo est secutus. Et quod eius proscribendæ causa, Chalcedonensis synodus titulum istum sancto Leoni detulerit, est in eius scholijs abundè ostensum.

Istum ergò superbiæ fucum primus sibi circumposuit Ioannes Cappadox, istius nominis secundus Patriarcha Constantinopolitanus, de quo in præfatione ad arcanam Procopij Cæsariensis historiam scribit eruditus Nicolaus Alemannus: [Imperator Iustinianus sic Constantinopolitanorum Patriarcharum fastui, & supercilio blanditus est, vt Ioannes Scholasticus Cappadox Iustiniano, à quo plurimùm diligebatur, Rempublicam administrante, primus sibi "Oecumenici" nomen arrogarit, ibidemque ratum, & gratum primus omnium Orientis Imperatorum habuerit, atque suis constitutionibus Iustinianus inscripserit. Quamobrem Epiphanius, qui Ioanni successit, quidquid in Romanos Pontifices ausus, & ipse foret, vtique sibi facilem Iustinianum futurum, ab eoque adeò sibi nihil fore timendum intelligebat, vt Ioanni Romanæ Ecclesiæ pontifici, Byzantium appellenti, loco cedere noluerit, vixque tandem, vt Marcellinus Iustiniani Cancellarius refert, ac Theophanes explicat, dextrum Ecclesiæ solium Pontifici Romano ægrè concesserit.] De Ioanne Patriarcha, hæc Procopius in Arcana historia: [Iustinianus Amantium Eunuchorum aulæ principem nonnullis cum alijs interfecit, in crimen illum ea tantùm re ducens, quod nescio quam vocem petulantiùs iactasset in Ioannem Vrbis Antistitem.] Et Alemanus commentatur: [Quod Ioannem Iustinianus plurimùm amabat,] Oecumenici [nomen tunc primùm sibi arrogantem nõ cõpescuit.] Pergit Procopius: [Sacerdotibus in vicinos fidenter sanè peccantibus indulgebat Iustinianus, & finitimorum bona occupantibus gratulabatur, sic ratus aduersùs Deum colere pietatem.] Et laudatus Nicolaus: [Non solùm aliena occupantibus, sed etiam Constantinopolitanis Patriarchis" Oecumenici" nomen per summam Romanorum Pontificum iniuriam occupantibus. Quod enim primus Ioannes Cappadox ausus, ipse qui tum Iustino auunculo superstite Rempublicam administrabat, æquo animo tulit, deindè Imperium adeptus, ratum gratumque habuit suisque legibus perniciosum nomen inscripsit. Quare Iurisconsulti multis parcant interpretationibus, cum "Oecumenici" nomen in Iustiniani constitutionibus offendunt.

Cap. 6.

Cap. 13.

Quod Ioannes Cappadox adsumpserit hunc titulum, lucet ex Constantinopolitana synodo sub eius successore Menna. Illic enim variæ variorum ad illum preces habent hanc Epigraphen: [Sanctissimo, & beatissimo Archiepiscopo, Oecumenico Patriarchæ Ioanni.] Eodem modo titulatur ab actis synodalibus. Et fastum continuauit eius successor Epiphanius: Huius item successor dictus Mennas. De Menna lucet ex præfatis actis, assiduè repetentibus: [Præsidente Sanctissimo Domino nostro Oecumenico, & Patriarcha Menna.] Et Iustinianus omninò confirmauit. Eius enim tertia Nouella lex habet hunc titulum: [Imperator Iustinianus sanctissimo Archiepiscopo Regiæ Ciuitatis, & vniuersali Patriarchæ Epiphanio.] Eamdem inscriptionem habent lex sexta, quinta, & aliæ plures. Sexta decima habet hanc: [Imperator Iustinianus sanctissimo Anthemio, Archiepiscopo Constantinopolitano, & vniuersali Patriarchæ.] Hic est ille Epiphanij successor Anthymus, translatus ex Trapezuntis Cathedra, quem propter Eutychianam hæresim degradauit Agapetus Pontifex, & in eius locum ordinauit Mennam. Et lex quadragesima secunda: [Imperator Iustinianus Mennæ sanctissimo Archiepiscopo, & vniuersali Patriarchæ.] Nona lex habet hanc Epigraphen: [Imperator Iustinianus Ioanni viro beatissimo, & sanctissimo Archiepiscopo, & Patriarchæ veteris Romæ.] Ioannem Secundum Pontificem non dignatur isto titulo. Adeò Iustinianus excessit. Constantinopolitanis tamen episcopis nequaquam hæreticè, aut schismaticè adscripsit generalem omnium sub cœlo eccle-

ecclesiarum sollicitudinem, aut vniuersalem totius Christianitatis præfecturam. Lucet ex quinquagesima septima, & sexagesima septima legibus, quarum hæc est Epigraphe: [Imperator Iustinianus Mennæ sanctissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, & vniuersi eius tractus Patriarchæ]. Mennam per solas suas Diœceses affirmat vniuersalem. Fuit non hæreseos, aut schismatis, sed solius superbæ vanitatis fumosus titulus.

Et hinc Chalcedonensis Canon, licèt vanitatem non induxerit, illi tamen dedit nascendi occasionem. Etenim res autocephalos exarchos exuit suis Diœcesibus, Byzantij in Constantinopolim, ac Regiam Vrbem euecti. quod ex Apostolico Canone non nisi Heracleensis per Europæ Prouinciam Metropolitę suffraganeam constat esse Parochiam, episcopis istas adscripsit, atque ità alicui vniuersalitati dedit originem. Quam vt augeret, iam pridem suppressam, atque sepultam antecessoris Attici rapinam resumpsit Epiphanius Episcopus, Orientale Illyricum inuasit, & per Romanam Bonifacij secundi Synodum vix potuit compesci. Et isti etiam violentiæ Iustinianus fuit suffragatus. Etenim infœlicem Theodosij secundi legem, quam non solummodò à Romana Ecclesia, sed & ab ipso suo auctore nouerat circumductam, vigori reddidit, & suo inseruit Codici. Legem, qua Orientale Illyricum Theodosius auferebat Romanæ Cathedræ, & transcribebat in Patriarchalem potestatem Episcopi Constantinopolitani. A' Romana item Ecclesia damnatum, quod sextum Nicęnum manifestè euerteret, Chalcedonensem Canonem sustinuit, legis authoritate donauit, & tot Romanorum Pontificum aduersùs illum edicta profano Augustæ potestatis abusu fecit dormire. Mennæ in Patriarchatum successit sanctus Eutychius, Eutychio ob constantem aduersùs Eutychianos de incorruptibili Christi Domini corpore errores defensam catholicam veritatem per istorum patronum Iustinianũ degradato, ac relegato Ioannes tertius, Ioanni defuncto iterùm Autychius, & huic defuncto Ioannes quartus, cognomento Ieiunator. An Eutychius, & tertius Ioannes superbum titulum vsurpare perrexerint, ignoro.

Quidquid sit, ipsum resumpsit, & synodaliter firmari sibi fecit Ioannes quartus, acerrimè impugnatus, & redargutus à Pelagio secundo, Gregorio Magno, & pluribus successiuè Romanis Pontificibus. Fumum enim deponere numquam voluerunt Regiæ Ciuitatis Patriarchæ. Non quòd se totius sub Cœlo Ecclesiæ, sed solius suæ Diœceseos assererent vniuersales. Ita in septimæ synodi ad Ioannem octauum Pontificem præfatione affirmat, & tolerari supplicat Anastasius Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Bibliothecarius. Theophylactus Simocata historiæ suæ præmisit fictum sui cum Philosophia Dialogum, in quo Sergium Patriarcham Constantinopolitanum laudat, & titulat Oecumenicum Episcopum: Quæ verba Iacobus Pontanus nimis imperitè transtulit in hæc latina, [Totius orbis Præsulem, & Antistitem.] Simocata enim cum Ioanne Patriarcha, ac eius fautore Mauritio Imperatore locutus est, & solius Diœcesis vniuersalitatem intellexit. Eodem postea sensu omnes Patriarchæ dicti sunt Episcopi vniuersales. Hinc enim apud sanctum Theophanem Paulus Patriarcha Constantinopolitanus lamentatur suam ecclesiam ob Ichonoclasticam hæresim esse ab alijs vniuersalibus Sedibus adscissam, & damnatam. Easdem Sedes esse catholicos thronos scribit etiam Georgius Cedrenus. Persidis item, Æthiopiæ, Armeniæ, & aliarum in Oriente Gentium, aut Sectarum Primates, vocarunt se catholicos, seu Antistites vniuersales. Ita Prouinciarum suarum rationales Romana respublica appellauit catholicos: Non quòd cunctis ibi rebus, sed quòd cunctis dumtaxat illic ad suum Principem spectantibus pecunijs præsiderent. Ita fuit vsque ad intrusionem, & Schisma Photij: Hic enim blaterare cœpit non sola Imperialia, sed & Papalia simul priuilegia migrasse Roma Constantinopolim, ideòque se esse vniuersalem Patriarcham totius mundi.

Eius successores deseruerunt errorem, non tamen superbiæ titulum, qui erat erroris fomentum. Quòd enim ad Domini annum millesimum vigesimum quartum Eustatius Patriarcha, & Basilius Imperator à Ioanne vigesimo Pontifice postularint, [Quatenus liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in vniuerso, vniuersalem dici, & haberi,] refert Galber Rudolphus. L.4.cap.1. Auaritia, & Simonia tunc Romæ grassabantur, idcòque indultum hoc ferè extorserant: Verùm impediuit Venerabilis Guilielmus Abbas sancti Benigni Diuionensis. Eustatio post Alexium successit in Patriarchatum Michael Cerularius, contra quem scribit S. Leo nonus: [Noua ambitione Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas, antiqua sua dignitate priuare contendens, contra omne fas, & ius tuo dominio subiugare conaris.] Epist.6. Et statim infra: [Qualis, & quàm detestabilis, atque lamentabilis est illa sacrilega vsurpatio, qua te vniuersalem Patriarcham iactas vbique, & scripto, & verbo, cùm omnis Dei amicus huiusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo?] Et in rerum à se Constantinopoli gestarum breuiculo Cardinalis Humbertus: [Michael Patriarcha contra Romanam Ecclesiam se scribit Oecumenicum Patriarcham.] Nempè Photij Michael errorem resumpsit, & auxit. Et aduersùs ipsum Gregorius septimus dictauit præsentem Canonem.

Et hinc oritur quæstio, Quomodo præuaricatus non sit hæc laudata Leonis verba: [Omnis Dei amicus huiusmodi hactenus horruit honorari vocabulo?] Nomen istud laudatus Leo, sanctum Gregorium imitatus, acerrimè insequitur, eius causa Ioannem Constantinopolitanum Episcopum affirmat à Pelagio secundo, & laudato Gregorio anathematizatum; omnem eius vsurpatorem scribit esse paranymphum, ac lenonem Antichristi. Et adiungit de sancto Leone Magno: [Certè nomen istud à sanctis Patribus in Chalcedonensi Synodo ob reuerentiam sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, sanctissimo Decessori nostrò Leoni Papæ, & præclarissimo Doctori, ipsiusque successoribus fuit oblatum, sed nec ab illo, nec ab vllo successorum ipsius constat hactenus receptum. Eos

dicit imitatos fuisse sanctum Petrum Apostolum, qui numquam titulatus fuit, a ut titulari voluit Apostolus Vniuersalis. Quæ omnia in varijs epistolis affirmat etiam magnus Gregorius, titulum istum adeò auersatus, vt & sibi, & suis in perpetuum successoribus assumpserit hunc oppositum: [Seruus Seruorum Dei.] Et hinc in catholica concordantia Nicolaus Cardinalis Cusanus constanter defendit hunc articulum: [Papa non
L.2.c.13. est vniuersalis episcopus, sed super omnes
L.4.c.7. primus.] Quod ipsum acriter agit Marcus Antonius de Dominis.

Respondeo titulum istum non assumi à Gregorio Septimo, sed dumtaxat definiri, quod soli Romano Pontifici de iure debeatur. Quod est omninò verissimum. Lucet ex laudata Chalcedonensi Synodo, in qua Theodorus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus suos ad Leonem Pontificem libellos sic inscripsit:
Act.3. [Sanctissimo, & Dei amantissimo, & vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni. Eodem modo suos inscripserunt Ischyrion Diaconus, & Sophronius laicus Alexandrinus. Et Lucentius Esculanus Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus dixit ad plenam synodum: [Apostolicus vir
Act.16. vniuersalis ecclesiæ Papa Leo. Et plena synodus Beatissimus, atque Apostolicus vir
Act.4. vniuersalis ecclesiæ Papa Leo.] Et in ipsa, quam ex plenæ Synodi consensu pronunciauit, Dioscori Patriarchæ Alexandrini damnatrice sententia sanctus Paschasinus Lylibeti in Sicilia Episcopus, ac Apostolicæ Sedis Primarius Legatus, lucidiùs, ac efficaciùs est locutus: [Sanctus, ac Beatissimus Papa, Caput vniuersalis ecclesiæ, Leo per nos, & Legatos suos, &c.] Voces has, [Caput vniuersalis ecclesiæ,] scio abesse à textu Græco: Habentur tamen in sententiæ exemplari, quod suis ad Gallicanos Episcopos de synodi successu literis annexuit sanctus Leo. Nempè Paschasius fuerat illic latinè locutus. Quare Marcus Antonius de Dominis asserens hunc titulum non exstare in actis synodalibus palàm hallucinatur. Et in Constantinopolitana Mennæ Patriarchæ synodo Græcorum Archimandritæ suos ad Agapetum Pontificem libellos inscripserunt in hunc
Act.12. modum: [Domino nostro sanctissimo, & beatissimo Archiepiscopo antiquæ Romæ, & Oecumenico Patriarchæ Agapeto.] Et sexta cum Synodo Constantinus Quartus Imperator: [Leoni Secundo, sanctissimo, & beatissimo Archiepiscopo Veteris Romæ, & Oecumenico Papæ. Quod ipsum in literis ad Ioannem Pontificem repetit Iustinianus Secundus. Et primitiuæ ecclesiæ Doctor Tertullianus in libro de pudicitia Romanum Antistitem vocat [Pontificem Maximum,
C.1. & episcopum episcoporum:] Quod est idem cum episcopo vniuersali. Fateor id per derisum, ac ironiam dici ab homine tunc Montanista: Hinc interim authenticè lucet, quid de Romano Episcopo senserit antiqua christianitas, & quomodo tunc illum titularit. Huc etiam spectat sancti Cypriani ad errantem suam synodum præfatio: [Neque quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit.] Norat sanctum Stephanum Pontificem, tamquam tanto titulo, & dignitate abusum. Et de Dei domo, in qua Timotheum rectè conuersari docet prima Apostoli ad ipsum epistola, scribit Ambrosiaster, seu Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: [Domus Dei Ecclesia dicitur, cuius hodiè Rector,] vtique vniuersalis, [est Damasus.] Etiam Sigismundus, Burgundionum Rex, in scriptis per sanctum Auitum Epist.27.
Viennensem Archiepiscopum literis Symmachum Papam vocat Præsulem ecclesiæ vniuersalis. Cardinalis Cusanus loquitur in sensu sancti Gregorij: Aliud non vult, quàm quod Romanus Papa non sit proprius, & Cardinalis Episcopus omnium sub Cœlo ecclesiarum.

Quæstio est, Quomodo sanctus Gregorius Magnus, & sanctus Leo nonus affirmet hunc titulum, nec à sancto Leone Magno, nec ab vllo ipsius Successore fuisse vsurpatum? Etenim quinquagesima quarta sancti Leonis epistola habet hanc epigraphen: [Leo Episcopus Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Martiano Augusto.] Eamdem habet sexagesima quinta. Sexagesima secunda habet hanc: [Leo catholicæ ecclesiæ episcopus.] Et ipsius tituli acerrimus damnator sanctus Gregorius titulauit se [Seruum seruorum Dei,] vtique episcopalis Ministerij seruitute: Quod quid est aliud, quàm esse episcopum vniuersalem? Et à Phoca Imperatore aduersùs Cyriacum Constantinopolitanum Patriarcham, proximum Ioannis Ieiunatoris successorem impetrauit Bonifacius tertius, vt solus Romanus Episcopus diceretur Oecumenicus. [Bonifacius,] inquit liber Pontificalis, [obtinuit apud Phocam Principem, vt Sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scribebat.] Non totius ecclesiæ primatum, sed primatui huic debitum [Vniuersalis episcopi] titulum vsurpabat sibi Constantinopolitanus Episcopus. Ipsum Phocas sacra iussione declarauit competere soli episcopo Romano. Et cunctis post millesimum Domini annum Pontificibus hic titulus, [Catholicæ ecclesiæ episcopus,] cæpit esse familiaris. Quin, & primorum sæculorum Pontifices vsos fuisse hoc titulo, [Episcopus episcoporum,] demonstrant adducta testimonia Tertulliani, & sancti Cypriani.

Respondeo adductas Epigraphas non esse sancti Leonis, sed à posterioribus, seu Typographis, seu Descriptoribus adscriptas. Non malè id in sua ad Franciscum Bonum epistola ostendit Ioannes Launoius. Quomodo sanctus Leo titulum, quem ab ipso reiectum testatur constantissimè magnus Gregorius, suis literis apposuisset? Et de ipso ad Chalcedonensem Synodum dixit eius Legatus sanctus Paschasinus: [Beatissimus, atque Act.4.
Apostolicus vniuersalis Ecclesiæ Papa Vrbis Romæ Leo.] Et cum ipso eius Collegæ Lucentius Esculanus, & Iulianus episcopus Coensis: [Sanctissimus, ac beatissimus Catholicæ Ecclesiæ episcopus Vrbis Romæ Leo.] Et in Romana sua Synodo Hilarus Pontifex scripsit de semetipso: [Hilarus episcopus Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ.] Et in sua Synodo Fœlix tertius: [Fœlix episcopus Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ.] Et

sanctus

sanctus Gregorius magnus: [Gregorius episcopus sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ.] Eiusmodi plura testimonia adducit memoratus Launius. Existimat fuisse titulum omni tunc episcopo communem. Hinc enim in literis ad Anulinum Africæ Proconsulem Imperator Constantinus Carthaginensem Ecclesiam vocat [Ecclesiam Catholicam, cui Cæcilianus præest.] Et in literis ad Alexandrinam Ecclesiam Nicæna Synodus laudat Catholicas, & Apostolicas Ecclesias, quæ sunt sub Patriarcha Alexandro. Et in Carthaginensi Catholicorum cum Donatistis Collatione frequenter habes: [Aurelius, Fortunatianus, vel Augustinus episcopus Catholicæ Ecclesiæ.] Vtique quæ est Carthagine, vel in quauis alia ciuitate.

Quo titulo vsi sunt etiam mediorum sæculorum Pontifices. Etenim Romanæ suæ Synodo, qua Anastasium sancti Marcelli Cardinalem presbyterum damnauit, Leo quartus subscripsit in hunc modum: [Leo sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ quartus episcopus.] Et suæ aduersus Photium Synodo Adrianus II.: [Adrianus episcopus sanctæ Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ.] Et Tricassinæ Synodo Ioannes Octauus: [Ioannes Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, primæ Sedis, episcopus.] Et antiqua Romani Pontificis professio habet: [Episcopus sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ.] Ita per mille annos Romani Pontifices semetipsos titularunt. At verò Ioannes monachus Besuensis in sui Cœnobij Chronico refert Stephano Abbati datum priuilegium, cui Paschalis Secundus ità subscripsit: [Ego Paschalis episcopus Catholicæ Ecclesiæ.] Et Berardus Casauriensis monachus refert sui Cœnobij priuilegium cum hac subscriptione Callixti secundi: [Callixtus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.] Et aliud cum eadem subscriptione Adriani quarti. Similes Eugenij tertij, & Anastasij quarti subscriptiones habes in diplomatibus, quæ ex Sarlatensis Ecclesiæ Archiuo protulit, & ad Petri de Marca opus adiunxit Stephanus Baluzius. Quis ipsarum sit primus auctor, & an is sit Gregorio septimo anterior, ignoro. Quidquid sit, eas legitimo iure posse fieri laudatus Gregorius hìc definit.

Ann. 1108.

Lib. 8. c. 17.

Et meritò, ac rectè. Etenim licèt antiqui Pontifices numquam disertè voluerint semetipsos titulare vniuersales episcopos, frequentissimè tamen sine vrbis, aut Ecclesiæ addito titularũt se absolutè episcopos. Quod quid est aliud, quàm titulari episcopum totius Ecclesiæ Catholicæ, seu vniuersalis? Fatetur id Marcus Antonius de Dominis: [Nostri iam monarchico spiritu toti inflati Pontifices Romani in suis inscriptionibus nominari ampliùs noluerunt, sed vel se Catholicæ Ecclesiæ episcopos inscripserunt, vel demùm posteriores, adeòque semper deteriores, miro cum artificio, nec minoris superbiæ typho, sub simplicioris, & humilioris tituli specie se tantùm episcopos vocauerunt, vt iam ordinaria Paparum inscriptio sit: Paulus episcopus, Seruus seruorum Dei. Episcopus nimirùm absolutè totius mundi, & non soli Romanæ Sedi alligatus, cui tamen prisci se alligatos esse, & sciebant, & profitebantur.] Romanæ, à qua tamen fuit ex infima populi fæce exaltatus, Ecclesiæ deprimendæ cupiditas hominem excæcauit. Etenim in sexta decima Chalcedonensis synodi actione, vbi Latinus sanctum Leonem vniuersalis Ecclesiæ Papam, Græcus textus absolutè titulat Ecclesiæ Papam. Et Romano suo concilio Gregorius magnus subscripsit: [Gregorius Dei gratia episcopus.] Et Liberij Pontificis pleræque epistolæ habent hanc epigraphen: [Liberius episcopus.] Eadem vtuntur Damasus, Zozimus, Leo, & alij antiqui.

Lib. 4. c. 2.

Præterea, licèt vniuersalis episcopi titulum numquam sibi adscribere voluerint Romani olim Pontifices, ipsum tamen sibi ab alijs adscriptum nullus ipsorum, præter magnum Gregorium, radi iussit, aut circumduci. Adeò illud non iussit magnus Leo, vt Chalcedonensis synodi, cui istum titulum inseruerat sanctus Paschasinus, de Dioscoro sententiam sine vlla rasura, aut circumductione adnexuerit suis literis ad episcopos Gallicanos. Et Hormisdas Pontifex ab Imperatoris Iustini Comite Pompeio passus est se titulari Apostolicum Patrem, & Archiepiscopum vniuersalis Ecclesiæ. Et vniuersi orbis terræ Patriarcham à monachis secundæ Syriæ. In Mennæ Patriarchæ Constantinopolitana synodo sic titulari se permisit & Papa Agapetus. In sua item Romana synodo Bonifacius secundus. Et Mauri Cesenatis episcopi, quæ ipsum toto orbe Apostolicum, & vniuersalem Pontificem titulabant, literas integrè legi in sua Lateranensi synodo permisit Martinus primus. Etiam literas, quibus Theodorum Papam ità titularat Sergius Patriarcha Constantinopolitanus. Obedientiæ libellus, quem in octaua synodo profiteri coacti fuerunt Photianæ factionis episcopi, & clerici, fuit Romæ compositus: Et tamen in ipso Adrianus secundus titulatur, Summus Pontifex, & Papa vniuersalis. Eumdem Adrianum in laudatæ synodi præfatione vniuersalem episcopum, vocat Anastasius Cardinalis Bibliothecarius. Et in sexti concilij subscriptionibus omnes tres Apostolici Legati dederunt sibi hunc titulum: [Locum gerens Agathonis beatissimi, & vniuersalis Papæ vrbis Romæ.] Et in Pontigonensi synodo Ioannes Thuscanensis episcopus: Legatus sanctæ Sedis Apostolicæ, & Domini Ioannis summi Pontificis, & vniuersalis Papæ. Et sancti Benigni Diuionensis Chronicon refert Diploma Sergij primi, in quo hic quidem se titulat Pontificem Romanum, verum Ioannes Bibliothecarius adiungit: Anno Pontificatus Domini Sergij, Papæ vniuersalis decimo. Nempè licèt vitandum numquam duxerint hunc titulum, iure tamen sibi deberi Romani Pontifices semper senserunt. Ita primis Ecclesiæ sæculis nullus se scripsit episcopum episcoporum, aut Pontificem maximum, quod tamen omnes essent eiusmodi, lucet ex adductis testimonijs Tertulliani, ac sancti Cypriani.

Post ep. 40. rel. 2.

Post ep. 21. rel. 2.

Quæstio est, an inter has inscriptiones, [Clemens episcopus Catholicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ, & Clemens episcopus Catholicæ Ecclesiæ,] sit largum discrimen? Quidquid obloquatur Marcus Antonius de Dominis, respondeo non esse. Etenim hæ voces, Vrbis Ro-

Romæ, possint habere subintellectas hasce alias, quas in sua ad Trecensem synodum subscriptione expressit Ioannes octauus, primæ Sedis, quæ vtique est, & vniuersalis. Voces, Vrbis Romæ, possint olim fuisse adiunctæ, non ad limitandum, sed ad ampliandum, hoc sensu; Episcopus Vrbis Romæ, quæ Catholica, seu vniuersalis Ecclesia est, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ Metropolis & caput vniuersale. Lucet hoc ex disputatione Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani cum Innocentio tertio Pontifice, exhortante ipsum redire ad vniuersalem Romanam Ecclesiam. Reposuit Ioannes: [Quod mihi in tuæ Sanctitatis scripto non modicam superinduxit ambiguitatem, non abscondam. Nam & pro miro habeo, quomodo vnam, & vniuersalem vocasti Romanam Ecclesiam, vt quasi diuisam in species quasdam specialissimas. Ad quæ Innocentius: Ecclesia duabus de causis vniuersalis vocatur. Dicitur vniuersalis Ecclesia, quæ de vniuersis constat Ecclesijs: Et secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ, prima videlicet, & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Et dicitur vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ sub se continet vniuersas. Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia vniuersalis nuncupatur.] Eodem modo Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ est idem, quod Episcopus istius Cathedræ, quæ est Caput, & Mater omnium Ecclesiarum. Proinde hæ inscriptiones, Clemens Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ, & Aurelius episcopus Catholicæ Ecclesiæ Vrbis Carthaginis, possint habere grande discrimen: Romæ enim ampliat, alterius vrbis adiectum nomen humiliat episcopi dignitatem.

Pro vtraque & subscriptione, & inscriptione multa testimonia conglomerat memoratus Ioannes Launoius, priorem esse antiquam, posteriorem demonstrat nouam, atque hinc infert tria. Primum est: [Vt ergo Petrus, ita & Romanus Episcopus Petri successor primum membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est, sed nihilominus membrum, semper in membris Ecclesiæ constitutus, atque eam ob causam Ecclesiæ, quæ Domini corpus est, necessariò postponendus. Secundum est: Hæc omnia eò spectant, vt qui N. ab anno Christi millesimo se Catholicæ Ecclesiæ Episcopum, vel inscripsit, vel subscripsit, se Catholicæ, atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, vel quod idem est, se Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ Vrbis Romæ, vel inscripsisse, vel subscripsisse intelligas. Sic recta, & plana erunt omnia, quæ obliqua, & aspera suspicacis animi homines esse existimabant. Tertium est: Cæterùm si Caietanus, si Bellarminus, si similes alij Curiæ Theologi nouissent, qua ratione intelligenda sit inscriptio, vel subscriptio, hanc à simplici, & vero tot Romanorum Antistitum sensu ad nouas, & falsas opiniones non deflexissent, nec adeò leuiter contra Sedis Apostolicæ traditionem dixissent Romanum Episcopum supra vniuersam Ecclesiam esse.] Et pro his stabiliendis ad supra laudatum, quo Dominicæ domus, seu Ecclesiæ Rectorem suo tempore fuisse Damasum Pontificem dixit Ambrosiaster, testimonium apponit hoc Scholion: [Quasi verò qui Commentaria hæc subiecit Ambrosio, Damasi meminisse, aut librarius aliquis inserere commentarijs, cuius hodiè Rector est Damasus, non potuerit? Qua fraude maiorem illis fidem conciliaret, & faciliùs imponeret lectoribus, vt re ipsa multis imposuit, & ijs, qui piè decipi volunt, adhuc imponet.]

Fol. 14.

Fol. 16.

Respondeo primum, & tertium illatum coincidere. Porrò an Romanus episcopus generali concilio, & an extra ipsum subsit vniuersali ecclesiæ, sunt quæstiones plurimùm disparatæ. de prima Theologi moderni certant, & adhuc sub iudice lis est. Dico, moderni; constat enim Patres non certasse de hac re, sed pro Pontifice nec hæsitasse. Suo loco id ostendere conatus sum, & pluribus adhuc conabor. De secunda quæstione, dum aduersùs Ioannem Ieiunatorem, Mauritium Augustum, & omnem Constantinopolitanam Ecclesiam toto mentis suæ impetu ob vniuersalis episcopi titulum depugnaret magnus Gregorius, scripsit ad Ioannem Syracusæ episcopum: [De Constantinopolitana Ecclesia, quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicę esse subiectam? Quod, & pijssimus Dominus Imperator, & Frater noster Ioannes eiusdem ciuitatis episcopus assiduè profitentur.] Quod ipsum hodierna die profitetur Parisiensis, & alia quæuis in Gallijs ecclesia; & Christianissimus Rex aliam professionem non sustineret. Nonne enim quod Domini vinea sit commissa Romano Episcopo, supra audiuimus profitentem synodum Chalcedonensem? Cur non potiùs hanc, & similes plurimas tam synodorum, quàm Patrum professiones ad spuria additamenta proscribit Launoius? Certè pari iure, quo in Ambrosiastrum, posset, & in ipsas grassari. Aggreditur debile Romanæ sedis propugnaculum, Ambrosiaster enim est Hilarus Romanæ Ecclesiæ olim sanctus, & magnus, verùm posteà ad Luciferi Calaritani Episcopi schisma delapsus Diaconus, quem ab omnibus episcopis, ac presbyteris desertum, quod solus totam ecclesiam rebaptizare vellet, sanctus Hieronymus lepidè vocat orbis Deucalionem: Eius tempore omninò sedit Damasus: Et homo, licèt schismaticus, Romanæ cathedræ maiestatem, nec voluit, nec potuit obtenebrare. Quæ Christianæ aures ferant Romanum Episcopum non esse totius ecclesiæ Rectorem? Nulla ecclesia, nullus episcopus, nullus Christianus possit à sancti Petri Apostolatu esse exemptus. Circa secundùm illatum, vt quis priores cum posterioribus Pontifices inter se committat, nulla est necessitas, nulla occasio, nullum periculum. Nam & in laudata Chalcedonensi synodo Apostolici legati magnum Leonem quandoque vniuersalem, seu vniuersalis ecclesiæ, quandoque ecclesiæ, cum addito vrbis Romæ, titularunt Papam, aut episcopum: Et vbique idem senserunt. Diuersa verba eumdem habuere sensum. Hæc attendamus, & cogitationes nostras componamus.

L. 7. Trid. 2. epist. 64.

In epistola ad Fœlicem Philippæum Bros-

Brossum Ioannes Launoius resumit eamdem thesim; & firmat duobus præsertim argumentis. Primum sunt Siricio Pontifici per Capuanam in Bonosi Macedonis episcopi causa synodum fixæ leges, & Iacobi Almaini longa de ipsis disceptatio aduersùs Thomam Cardinalem Caietanum. Alterum fundamentum est hæc Augustiniani Enchyridij circa Apostolici symboli ordinem regula: [Spiritus sanctus si creatura, non Creator esset; summa creatura esset, & ideò in regula fidei non poneretur ante ecclesiam, quia, & ipse ad ecclesiam pertineret in illa eius parte, quæ in cœlis est.] At verò in Parasceuè, in Sabbatho sancto, in Litanijs, in Romano Missali, in cunctis generatim publicis precibus, necnon informata per Pium quartum fidei professione, ecclesia semper ponitur ante Pontificem: Atque ita lucet non hunc, sed illam esse maiorem, atque præesse. Respondeo omnes nos orare pro ecclesia, & Romano episcopo ad istum modum, quo veri Franci orant pro sua Republica. Prius orant pro Regno, deinde pro Domino suo Rege Christianissimo. Nec ideò Regem Regno subesse profitentur. Istiusmodi enim oratio esset illa, de qua scriptum est; [Et oratio eius fiat in peccatum.] Et quidem in peccatum læsæ maiestatis. Nempè Regnum quandoque pro toto, quod membra, & caput continet, corpore accipitur, quandoque pro solis contra caput condistinctis membris. Et hoc sensu dicitur totum Regnum Regi supplicare, seruire, tributa pendere, ac etiam rebellare, adeòque non præesse, sed subesse. Verùm dum pro ipso oramus Diuinam Maiestatem, absit vt excludamus Regem. Priori tunc sensu accipitur, ideòque, & ante Regem bono iure celebratur. Eadem est ratio vniuersalis ecclesiæ, ac episcopi Romani. Capuanæ synodi decretum tangit quæstionem, an Romanorum episcopus subsit generali concilio: Non facit ad præsentem vniuersalis episcopi titulum, ideòque est alibi elucidandum.

Cap. 57.

CANON III.

Quod ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare.

SCHOLION.

Canon hic habere possit duos sensus. Primus est hic: Nullus possit episcopos deponere, aut reconciliare, nisi solus Papa. Alter est hic: Ad deponendos, vel reconciliandos episcopos papa opus non habet assistentia synodi, sed solus id potest. Hic sensus spectat ad canonem vigesimum quintum, ideòque prior ad hunc præsentem. Quod cuiusque Prouinciæ synodus potuerit olim episcopos deponere, ac reconciliare, & canones docent, & vniuersalis omnium Ecclesiarum consuetudo, & innumera exempla. Etenim quintus Nicænus canon: [De his qui communione priuantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab episcopis per vnamquamque Prouinciam, sententia regularis obtineat, vt hi qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur: voces, ex Clero,] comprehendunt etiam episcopos. Lucet ex rescripto Innocentij primi Pontificis ad Victricium Episcopum Rothomagensem: [Si quæ causæ, vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, secundùm Nicænam synodum congregatis eiusdem Prouinciæ episcopis iurgium terminetur. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium episcopale referatur.] Sub laudatis synodi vocibus non solùm inferiorem, sed etiam superiorem Clerum comprehendi palàm asserit, definitiuum etiam de ipso iudicium adscribit Prouinciæ synodo, ac Apostolicæ Sedi aliud non defert, quàm probandæ, vel improbandæ definitionis relationem. Relationem hanc disertè non expressit Nicæna synodus, ideòque Hincmarus Metropolita Rhemensis vult hic ab Innocentio non ipsam laudari, sed synodum Sardicensem. Verùm sine fundamento. Hæc enim longè minùs meminit istius Apostolici iuris. Rectè addidit Pontifex: [Et beata consuetudo exigit.] Vtique inducta per Apostolos, de qua sextus Nicænus canon: [Suis priuilegia seruentur ecclesijs.] Quæ tamen consuetudo apud omnes gentes videtur non fuisse in pleno semper vsu. Africana enim ecclesia non singulorum episcoporum degradationes, sed solum communicantium catalogum suo tempore referebat per Primatem Carthaginensem. Ita lucet ex epistolis sancti Cypriani. Episcoporum degradationem à Prouinciarum synodis posse definiri, lucidè agnoscunt etiam Canones Sardicenses.

Cap. 3.

Nec solos Prouinciales episcopos degradabant olim synodi, sed & proprium Metropolitam. Quod nempè Prouinciæ synodus sit Metropolita superior. Exempla possint adduci plurima. Ita fuit vsque ad Romanam Damasi Pontificis synodum, à Gratiano Imperatore confirmatam in hæc verba: [Volumus vt quicumque iudicio Damasi, quod ille cum consilio quinque, vel septem habuerit; vel eorum qui Catholici sunt, iudicio; vel concilio condemnatus fuerit, si iniustè voluerit ecclesiam retentare, vt qui euocatus ad sacerdotale iudicium per contumaciam non iuisset, aut ab Illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, siue à Proconsulibus, vel Vicarijs, auctoritate adhibita, ad episcopale iudicium remittatur, vt ad vrbem Romam sub prosecutione perueniat. Aut si in longinquioribus partibus alicuius ferocitas talis emersit, omnis eius causæ dictio ad Metropolitæ in eadem Prouincia episcopi deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos quos Romanus Episcopus Iudices dederit, sine dilatione contendat.] Schismatica Vrsicini nequitia sanctum Damasum pessimis calumnijs incrustatat, reddiderat suspectum de publicis criminibus, & pendente de ipsis iudicio quasi suspensum ab executione Papalis officij, atque ita fecerat esse neminem, qui de lapsis ad

Vrsi-

Vrsicinum, aut per ipsum factiosis episcopatus inuasoribus posset iudicare. Romanæ Cathedræ Vrsicinus irrogarat ferè istud ipsum, quod Alexandrinæ olim Meletius. Hinc illam ad Romanæ synodi preces reparat Gratianus: Prouinciales episcopos Metropolitis permittit antiquo more, Metropolitas autem reseruat soli Patriarchali iudicio Romani Episcopi. Quæ constitutio fuit longè æquissima, ideòque ipsam de solo Romano statuentem extendit ad omnem Patriarcham, ac Primatem Chalcedonensis synodus, mandans Clericum apud proprium episcopum, episcopum apud Prouinciæ synodum, Metropolitam apud Diœceseos Primatem accusari, ac iudicari. Loquitur de solis tribus Autocephalis Diœcesibus, Regiæ ciuitatis episcopo in ipsarum Metropolitas dans alternatiuam cum Primatibus potestatem, adeoque laudatum Patriarcharum ius videtur illic etiam antea viguisse. Possit esse canon Apostolicus. Quidquid sit, sancti Damasi Constitutum respexit sanctus Leo Magnus, Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium, durè arguens, quod Atticum Nicopolitanum Episcopum, veteris Epiri Metropolitam, in contumaciam degradasset;
Epist. 84. c. 1. [Etiamsi tale aliquid mereretur Atticus, exspectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberemus. Et infrà: Etiamsi quid graue, intolerandumque gessisset, nostra erat exspectanda censura, vt nihil prius ipse decerneres, quamquid nobis placeret agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus Charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.] Metropolitarum degradationes Sedi Apostolicæ affirmat reseruatas adeò priuatiuè, vt etiam à tanto eiusdem Sedis Vicario non possint attentari. Sardiniæ Metropoli-
L. 7. indict. 2. Epist. 8. tam non nisi apud Sedem Apostolicam accusari posse, lucidè ad eiusdem Prouinciæ episcopos scribit etiam Gregorius Magnus. Et longo isti, ac magno Maximi Salonitani Metropolitæ iudicio neminem nisi sese, etiam ad Mauritij Augusti sacras iussiones, aut preces, passus est misceri.

Epist. 22. c. 5. Quæ tamen disciplina dudum non obtinuit in Hispania. Etenim Gregorium Emeritensem Metropolitam Innocentius primus iudicari permisit à synodo Toletana. Et Gothorum ibidem decima synodus Potamiū
C. 8. Bracharensem, sexta decima degradauit Sisbertum Metropolitam Toletanum. Et hinc Roderico Archiepiscopo Toletano, ecclesiæ suæ data ab antiquis Pontificibus priuilegia confirmari, atque innouari postulanti, inter
L. 1. epist. 5. cætera rescripsit Innocentius tertius: [Personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes, censemus, vt solius Romani Pontificis iudicio eius causa, si qua fuerit, decidatur.] A se innouari dicit datas ab Vrbano secundo, & eius successoribus gratias: Quia nempè vsque ad Vrbani tempora laudatum Damasi constitutum non fuerat istic in vsu.

Idem mos viguit in Gallia. Etenim Hilarium Arelatensem Metropolitam, licèt Armentarium Ebredunensem, & Chelidonium Vesontionensem Metropolitas degradasset, de laudati Constituti præuaricatione non arguit sanctus Leo. Et Prætextatum Rothomagensem, ac Ægidium Rhemensem Metropolitam fuisse à suis synodis damnatos habes apud sanctum Gregorium Turonensem. Quod ipsum de sancto Desiderio Viennensium Metropolita scribit Fredegarius. Lapsum cum extranea muliere Metropolitam à L. 2. c. 14. 32. C. 4. proprijs Prouincialibus iudicari, & deponi mandat tertia synodus Aurelianensis. Aduersùs quem morem reclamare primus cœpit Rhemensium Metropolita Turpinus. Adriano primo conquerens antecessorem suum sanctum Rigobertum fuisse nuper sine Apostolicæ Sedis interrogatione, & consensu deiectum, postulansque deinceps seruari Canones. Et obtinuit postulata. Verùm cum hac appendice, & cauda: [Si Rhemensis Episcopus ad Sedem Romanam appellauerit in ipso iudicio. Ipsum vel à sua Synodo, vel à Romano Pontifice iudicari reliquit eius electioni, faciendæ, ac declarandæ in ipso statim iudicij ingressu. Hoc est, si dixerit, & protestatus fuerit se velle non à synodo, sed à Pontifice iudicari. Adriani Pontificis epistola Lib. 2. c. 17. extat apud Flodoardum in historia Rhemensis Ecclesiæ. Et hinc Turpini post Wlfarium successor Ebbo fuit degradatus à synodo: Quod nempè, vti in literis apud Trecensem synodum extantibus scribit ad Nicolaum I. Pontificem Rex Carolus Caluus, consensisset in istud Tribunal, & Sedem Apostolicam non implorasset. Addit tamen à Patre suo Ludouico Gregorium quartum rogatum fuisse iudicij confirmationem, & vero similiter non dedisse. Quidquid sit, Sergius secundus ipsum habuit ratum. Et hinc sibi, ac successoribus suis plenè prospectum volens Ebbonis successor Hincmarus, à Benedicto III. ac Nicolao I. aduersùs Lotharij Imperatoris inimicas machinas impetrauit priuilegium, quo nullus deinceps Rhemensis Archiepiscopus posset, nisi per Apostolicam Sedem iudicari. Et hinc ab Hugone Rege ob perduellionis crimen postulatus ad degradationem Metropolita Arnulphus nulli synodo subesse, aut adesse voluit, ideoque, & per Regem, & per synodum fuit Sedi Apostolicæ permissus. Posteà consensit in arbitros, fuitque per ipsos degradatus; & omne tamen iudicium exsufflauit Syluester II. Quod nempè suo quidem valeat, verùm Apostolicæ Sedis iuri reus Episcopus non possit renunciare. Extant hæc latè in ista Rhemensi synodo. Eius priuilegij adeò tenax fuit Manasses Archiepiscopus, vt etiam Hugonis Diensis Episcopi, Apostolici per Gallias Legati, iudicio, ac synodo sisti recusauerit, asseuerans se iudicari non posse, nisi ab ipso Papa, aut certè Legato Romano, id est, Roma misso à latere Pontificis, & qui esset Episcopus, aut Clericus Ecclesiæ Romanæ. Sed ipsum de excessu priuilegij arguit Gregorius VII. Ab Hincmari igitur tempore Lib. 6. ep. 1. omnes Gallicani Metropolitæ spectauerunt ad solum Romanæ Ecclesiæ iudicium. Quod eorum negotia esse de maioribus Ecclesiæ causis admitteret tunc omnis Gallicana synodus, habes ex literis Nicolai primi. Quod ipsum lucidè profitetur Hincmarus. Et octaua synodus statuit nullum deinceps Metropolitam iudicari à vicinis Metropolitis, sed à solo

Epist. 47. Epist. 17. Cap. 26. à solo Patriarcha. Vetustum Latinorum Canonem mandat deinceps vbique seruari, atque extendit etiam ad Ecclesias Orientales.

Quocirca Apostolicus Canon solos Patriarchas, & Autocephalos Primates vetuit sine Romani Episcopi præuio consensu degradari. Ad ipsum spectabat prima instantia. Quod enim S. Dionysium Alexandrinum, suum Patriarcham de hæresi suspectum Pentapolitani Episcopi Romam detulerint ad Dionysium Pontificem, disertè in opere de eius sententia testatur S. Athanasius. Et factionem Eusebianam, quod sine suo consensu in Tyria synodo degradasset laudatum Athanasium durè arguit Iulius Pontifex, & exprimit causam: Cur de Alexandrina ciuitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc esse consuetudinem, vt primùm nobis scribatur, vt hinc quod iustum est definiti possit?] Hoc esse dicit sanctorum Petri, & Pauli Institutum. Quod ipsum nouit homo gentilis Ammianus Marcellinus, iteratam sancti Athanasij à Mediolanensi synodo damnationem referens, & adiungens:
Lib. 15 c. 18. [Constantius Imperator, Athanasio semper infestus, licèt damnationis iudicium sciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Episcopi, firmari, desiderio nitebatur ingenti. Addit Liberium Papam ob negatum hunc consensum fuisse eiectum Sede, & deportatum. Et Ephesina synodus Ioannem Patriarcham Antiochenum, ac eius factionem, quòd sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham degradassent sine Apostolicæ Sedis consensu, communione priuauit. Alexandrinum à solo Pontifice iudicari posse affirmat in literis ad Dardaniæ Episcopos
Epist. 13. sanctus Gelasius primus. Quod ipsum confirmat in Tractatu de Acaciano schismate: [Numquam docebitur, numquam monstrabitur, numquam omninò probabitur Petri Mogi Alexandrini Patriarchæ purgationem fuisse legitimam, quæ non est competentibus regulis celebrata. Secundæ enim Sedis Antistitem, nec expellere quisquam, nec reuocare, sine primæ Sedis adsensu, vel potuit, vel debuit. Nisi fortè confuso iam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec secunda, nec tertia debeat obseruari, vel suscipi secundùm antiqua statuta maiorum, & sublato capite, vt videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine, fiatque illud, quod de populo scriptum est Israel: *In illo tempore non erat Dux in Israel. Vnusquisque, quod erat placitum in oculis suis faciebat.* Qua enim ratione, vel consequentia alijs Sedibus defendendum est, si primæ beatissimi Petri Sedi antiqua, & vetusta reuerentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata, atque firmata, trecentorumque decem, & octo Patres inuicto, & singulari iudicio vetustissimus iudicatus est honor? Et in epistola ad omnes Orientales Episcopos: Cum Acacius nullo priuilegio fulciretur, vt de secunda Sede posset ferre iudicium, iure non potuit quemquam eius episcopum damnare. Simili modo, nisi primæ Sedis auctoritate percepta, nec examinandi Petri ius habuit, nec recipiendi penitùs potestatem. Et iterùm: Acacius, qui præsumpsit non seruato ordine Petrum suscipere, nec examinatum eum, nec cognoscitur recepisse purgatum. Et ideò præter Sedis Apostolicæ notitiam, non legitimam eius receptionem sibi vsurpare voluisse. Sicut ante non priùs damnauit, quàm & referret, & posceret Apostolica potestate damnandum; sic, & in recipiendo modum seruare debuisset, vt priusquam se ei communione misceret, per Sedem Apostolicam posceret examinari eum, & legitima ratione purgari, cùm nec examinandi, nec recipiendi eum haberet ipse Pontificium, & non nisi per illius Sedis auctoritatem, atque consensum hoc posset implere, sine cuius auctoritate non potuerat ipse damnare, & cuius principali diligentia, & discuti potuit & purgari, & in communionem conuenienter admitti. Dum Timothei Æluri in Alexandrinam Cathedram intrusus successor Petrus pro Eutychete, ac Dioscoro aduersùs Chalcedonensem synodum cieret turbas, Acacius Constantinopolitanus Episcopus strenuè exequebatur officium: Hinc illum iuxta Apostolicos Canones, ac perpetuum morem retulit Sedi Apostolicæ, ac postulauit per Simplicium Papam compesci, aut damnari. Norat omne de secunda Sede iudicium spectare ad primam. At versatile ingenium non permisit ipsum esse constantem. Etenim postea cum eodem Petro pacta inijt, quasi pœnitenti communionem reddidit, ac Episcopatum, atque ita est horrendè præuaricatus. Quòd soluendi potestatem non haberet altissimè clamabat prior eius ad Simplicium facta relatio: Item perpetua Ecclesiæ consuetudo, antiquissima statuta maiorum, ac ipsa Nicæna synodus, quæ sanxit sua priuilegia seruanda omnibus Ecclesijs, præsertim Romanæ. Gelasius addidit ex horum præuaricatione induci totius Christianitatis confusionem, atque acephaliam. Qui damnatum sine potestate soluit, non illum abluit, sed ipsius sibi affricat scabiem. Et hanc pertinax Acacius in omnem sibi communicantem Orientem traduxit. Hæc est vera origo Acaciani schismatis, quod tandem composuit Hormisda Pontifex, adiutus ab Imperatore Iustino. Laudata Gelasij testimonia extant apud Iacobum Sirmondum, post appendicem Codicis Theodosiani. Etiam Arcadio Augusto, Alexandrini Patriarchæ Theophili causam deleganti, obedire noluit ex eadem regula sanctus Ioannes Chrysostomus, adfirmans id repugnare Nicænis Canonibus.

Et in Ephesina synodo dixit Iuuenalis Act. 3. Hierosolymæ Episcopus: [Mos est ex Apostolico ordine, & traditione, vt Sedes Antiochena apud Apostolicam Sedem Magnæ Romæ iudicetur.] Et de memorato Ioannis excessu ad Cœlestinum Pontificem scripsit ipsa plena synodus: [Etiamsi Ioannes degradationis sententiam iustissimè, legitimèque subiuisset, pietatis tuæ iudicio hoc reseruauimus. Eum præsentium Apostolicorum legatorum auctoritate excommunicauit, verùm sine speciali Pontificis mandato non fuit ausa degradare. Etiam Paulini, Meletij, Euagrij, ac Flauiani de Antiocheno Patriarchatu litem sola semper iudicauit Romana Sedes. Et quotquot accusarunt Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, accusarunt apud sanctum Leonem. Eidem episcopum suum Constantinopo-

nopolitanum, Patriarchæ iure tunc vtentem, sanctum Flauianum detulit hæresiarcha Eutyches. Eius item successor Anatolius, ipsiusque illegitima promotio non habuit alium iudicem. Plura sunt huiusmodi exempla.

Obijci possit Pauli Samosatensis Patriarchæ Antiocheni degradatio, sine præuio Romanæ Sedis consensu facta per synodum Antiochenam, quæ peractum suum iudicium dumtaxat retulit Dionysio Pontifici, vti lucet ex synodalibus literis extantibus in Ecclesiastica historia Eusebij Cæsariænsis. Quin & episcopum suum Cosmam, ac Seuerianum Arethusæ Antistitem, quod sine synodo soli Seuerum eiusdem Antiochiæ Patriarcham abdicauerint, & abdicationis libellum ipsi solemniter miserint, laudat Euagrius Epiphaniensis. Lib. 3. c. 34. Respondeo cum laudatis synodalibus literis, manifestam lapsi, ac relapsi Pauli hæresim, ac scandalosissimos mores exponentibus, & concludentibus: [Istum igitur tam Deo aduersarium, tamque contumacem, Lib. 7. c. 36. eramus coacti ecclesia, & congregatione fidelium interdicere, atque excludere, & alium Episcopum in eius locum substituere. Aiunt manifestam Pauli hæresim non sustinuisse moras præuiæ relationis. Aliud fundamentum in Agrippinensi synodo, aduersùs eiusdem ciuitatis Metropolitam Euphratem pronuncians, adducit Valerianus episcopus Antissiodorensis: [Etsi non omnes conseniores conuenissemus, suffecerat à quinque episcopis Euphratem blasphemum pro meritis suis sententiari eodem iure esse depositum.] Et ad Romanam suam, à generali octaua probatam, synodum dixit Adrianus secundus: [Propter solam hæresim licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistere, vel prauos sensus liberè respuere. Hæreticus Act. 7. proprio iudicio se damnat, & lata in ipsum synodi sententia declarat potiùs, quàm definit, ideoque & à plena synodo, ac etiam à paribus, imò & ab inferioribus inferri potest in superiorem.

Suffraganeos igitur episcopos iudicare, ac degradare Prouinciales Synodi, vsque ad octauum Domini sæculum omninò potuerunt. In Gallia tunc, ac Germania per Francos, in Hispania per Saracenos, in Italia, ac Illyrico per Longobardos, & Græcos admodum vexata, ac depressa erat Apostolicæ Sedis Maiestas, & omnis Ecclesiastica iurisdictio, ideoque ad ipsas sublenandas nescio quis pius fidelis finxit sub antiquorum Romanorum Pontificum nomine decretales istas epistolas, quas passim vocamus collectionem Isidori Mercatoris. Hic enim ipsas cum alijs mercibus ex Hispania deportauit in Gallias, Riculphus post sanctum Bonifacium tertius Moguntinus Archiepiscopus lectas, & probatas sparsit per omnem Franciam, admisitque etiam Ecclesia Romana. Ex eis enim plura, Angilramno Metensi Episcopo data, capitula desumpsit Adrianus primus, & nominatim tertium, quod mandat nullum Episcopum super quibuslibet criminibus citari, aut iudicari, nisi in synodo conuocata per Apostolicam auctoritatem. Easdem acerrimè defendit, ac in praxim redegit Nicolaus primus, sine præuio suo consensu nullum, licèt Sedem Romanam non appellaret, deponi deinceps permittens episcopum; ideoque grauiter inuectus in Hincmarum Metropolitam Rhemensem, qui ex vetusta synodorũ auctoritate degradarat Rothaldũ episcopum Suessionensem. Episcoporum degradationem asseruit esse de maioribus Ecclesiæ causis, ideoque iuxta vetustam Ecclesiæ legem non posse sine præuia ad Sedem Romanam relatione attentari. Ad minores causas vsque tunc spectasse reposuit Hincmarus, modicè æstimauit dictas epistolas, & Metropoliticam suam in degradandis episcopis potestatem cum pluribus in Gallia Collegis strenuè defendit. Verùm sibi ipsi non constitit. Etenim in scriptis ex tertiæ Suessionensis Synodi nomine literis apud laudatum Pontificem accusat Britonum Episcopos tamquam Barbaros, & semichristianos, quod non solùm sine Synodo, sed, & sine Apostolicæ Sedis notitia Episcopos exauctorarent. Alij tem Francorum episcopi non erant concordes. Etenim Hincmari nepos Hincmarus Laudunensis episcopus dictas epistolas constanter defendebat vti legitimas, & authenticas, coegitque suum patruum ad omnia aduersùm ipsas dicta, & gesta in Trecensi Synodo coram Ioanne octauo Pontifice solemniter recantanda. Ita habes in historia Rhemensis ecclesię apud Flodoardum.

Ex illo tempore ad maiores Ecclesiæ causas spectare cœpit episcopi degradatio, & quinis etiam in Gallia episcopus adeò non potuit deponi sine præuio Pontificis consensu, vt ad Henricum primum Francorum Regem, qui Hæresiarcham Berengarium, ac eius manifestum sectatores Brunonem Andegauensem Episcopum volebat degradatos à Regni sui Synodo, scripserit. Theoduinus Episcopus Leodiensis: [Desperamus id fieri posse, cùm Bruno existat episcopus. Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam præter Apostolicam auctoritatem.] Et infrà: [Maiestatem vestram omnes exoratam vellemus, vt interim illorum impiam, sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis, donec accepta Romanæ Sedis audientia damnandi potestatem haberetis.] Nec ob hæresim episcopus sine præuio Pontificis consensu poterat tunc damnari. Et ad Poloniæ Archiepiscopum, cuius Antecessor episcopum sine tali consensu damnauerat, scripsit Paschalis secundus: [Quibus hoc Canonibus, quibus Concilijs legitur esse permissum?] Quam Regulam Epist. 6. frequenter supponit etiam sanctus Iuo episcopus Carnotensis. Et ad Gerardum Engolismensem Episcopum, Sedis Apostolicæ in Aquitania Legatum, scribit Goffredus Abbas Vindocinensis: [Quod me præsente etiam coram Laicis prædicastis, vos videlicet episcopos deponendi habere potestatem, nouum genus præsumptionis putauimus, quia nulla ratione Legatis Apostolicæ Sedis conceditur, quod ad solius Romani Pontificis pertinet dignitatem. Sed si ita est, vt à vobis publicè prędicatum agnoscitur, quasi alterum Papam vos fecistis. Nos tamen credebamus Mediocritatem vestram habere legationem Sedis Apostolicæ, non Apostolicam Sedem esse, & à Domino Papa partem suscepisse sollicitudi- Lib. 1. ep. 11. nis, quam solummodò cæteri Legati suscipiunt,

piunt, non plenitudinem exercere potestatis.] Et hocce Sedis suæ priuilegium Gregorius septimus hìc confirmat. Innocentius tertius, quem audacem iurisperitum vocat Matthæus Parisiensis, iu literis ad Decanum, & Capitulum Andegauense, exstantibus apud Gregorium nonum, dixit longè amplius: [Non humana, sed potiùs Diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cùm per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, episcopus ab Ecclesia remouetur. Et ideò tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione Canonica, quàm institutione Diuina, soli sunt Romano Pontifici reseruata.] Vtitur argumento à carnali, quod non nisi per Deum solui potest, coniugio ad spirituale.

Lib. 1. Tit. 7. c. 2.

Quæstio est, An Nicolai primi Pontificis Decretum fuerit alienum à Canonibus antiquis? Quidquid aliqui dicant in oppositum, respondeo non fuisse. Quidam probant ex causa Marciani Arelatensis Episcopi, qui aduersùs sanctorum Pontificum Cornelij, & Lucij de lapsis post legitimam pœnitentiam recipiendis Decreta pertinax adhæsit duritiæ Nouatianensi, plurimos pœnitentes sine pacis, ac reconciliationis viatico permisit excedere, omnem inquietauit Galliam, ideoque à Faustino Lugdunensium Metropolita motus S. Cyprianus scripsit ad sanctum Stephanum Papam: [Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelatæ consistentem à te literæ, quibus abstento Martiano alius in locum eius substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.] Cur ipsum non degradauit, sed degradandum à Pontifice postulauit Prouinciæ Synodus? Respondent aliqui, Quoniam sine Pontificis consensu non poterat. Verùm ratio non est firma. Quod enim tunc, & Hispani, & Afri, & Galli in suis Synodis sine præuia ad Pontificem relatione degradarent episcopos, lucet ex varijs epistolis eiusdem Cypriani. Martiani igitur causa erat dubia: Similis causæ istorum episcoporum in Africa, à quibus Zephyrini Pontificis de recipiendis mœchis Decretum vsque ad sua tempora non fuisse receptum, sed etiam in fine negatum Sacramentalis Reconciliationis Viaticum testatur idem Cyprianus in literis ad Episcopum Antonianum. Quod non ex negatæ potestatis errore, sed ex retinendæ disciplinæ zelo refutarent Decretum, non erant Hæretici aut Ecclesiæ turbatores, ideoque nec ipsos Cyprianus attentauit damnare. Nam etiam post Nicænum, qui omni penitus peccato impartiri iussit extremum Reconciliationis Viaticum, Canonem multi hinc inde episcopi in priori duritia perseuerarunt. Eadem de causa Martianum damnare non ausi sunt Galliarum episcopi, sed quod turbulentè agens excederet modum, per sanctum Cyprianum, Corneliani Decreti acerrimum defensorem, supplicarunt damnari ab Ecclesia Romana. Et hinc ad adducta sancti Cypriani verba rectè scribit Nicolaus Rigaltius: [Licuisse iam olim Pontificibus Romanis Episcopos iustis de causis excommunicare, imò destituere, & nouos in eorum locum substituere, perspicuum facit hoc loco Cyprianus de Gallis. Quod mirum in modum auctoritatem commendat, & Primatum.]

Epist. 67.

Quocirca meam assertionem probo ex Innocentij primi Pontificis ad Alexandrum Antiochiæ Patriarcham literis, asseuerantibus nullum etiam prouincialem episcopum à quouis Metropolita posse sine præuia ad Patriarcham relatione, & obtenta ipsius confirmatione consecrari: Quod ius omnibus tribus Patriarchis commune est, ac indubiè ab Apostolis institutum. At verò per easdem causas quævis res & fit, & destruitur, ideòque sicut episcopus sine Patriarchæ præuio assensu creari non potest, ità nec degradari. Et hinc intelliges canones vigesimum sextum octauæ synodi: [Episcopos appellantes concurrere ad patriarchale caput decernimus, qui à Metropolitis suis, damnationis sententiam se pertulisse fatentur. Insuper etiam nullo modo quisquis Metropolitanorum, vel Episcoporum à vicinis Metropolitis, vel Episcopis Prouinciæ suæ iudicetur, sed à solo Patriarcha.] Degradatos à Metropolitis Episcopos mandat ad Patriarcham appellare, & eosdem à suæ Prouinciæ synodo damnari vetat canon, adeòque videtur in semetipsum pugnare. Verùm non pugnat. Prior enim pars de degradatis vsque tunc Episcopis, posterior agit de deinceps degradandis. Permissam vsque tunc Synodis in Episcopos potestatem reuocat, & Patriarchis confirmat istud ius, quod nuper sibi adiudicarat Nicolaus primus. Romanus Patriarchatus vastissimas habet Diœceses, ideòque sicut liberam Episcoporum sine sua præuia confirmatione consecrationem, ità & liberam ipsorum sine præuia ad se relatione degradationem Metropolitis dudum permiserunt Romani Pontifices: Quod ipsum indulserant, & alij Patriarchæ. Et hoc reformarunt, ac potestatem istam Patriarchis reseruarunt Nicolaus primus, & octaua synodus. Quod enim de Metropolitis sibi reseruauit sanctus Damasus, de Prouincialibus etiam Episcopis reseruare potuit Pontifex Nicolaus.

Ep. 18. c. 2.

CANON IV.

Quod Papæ Legatus omnibus Episcopis præsit in Concilijs, etiam inferioris gradus, & aduersùs eos sententiam depositionis possit dare.

SCHOLION.

Ità seruatum fuit in omni semper generali synodo. Etenim Nicenæ synodo Romanos presbyteros adfuisse testatur Iulius Pontifex in literis ad factionem Eusebianam. Adfuisse Romani Episcopi directos, atque ab ipsis confectum Concilium, scribit in publicatis nuper à domino Luca Holstenio literis ad Orientalem Episcopum sancti Damasi Pontificis Synodus Romana. Et de Hosio Cordubensi episcopo habet in sua ad Constantium Imperatorem Apologia magnus

Athanasius: [In qua synodo non ille Dux, & Antesignanus fuit? Quem non ille recta tuendo in sententiam suam pertraxit? Quæ Ecclesia non illius præsidentiæ pulcherrima monumenta retinet?] Et in epistola ad Solitarios: [Hic Princeps est Synodorum, & si quid scribit, vbique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna synodo concepiet,& Arianos vbique pro hæreticis traduxit.] Et in Ecclesiastica historia Sulpitius Seuerus: [Nicena Synodus auctore Hosio confecta habetur.] In suis notis Georgius Hornius per vocem, Auctore, suasum dumtaxàt, & consilium importari existimat, & hac in synodo Hosium non egisse aliud præ alijs Episcopis, quàm quod Imperatori Constantino fuerit impulsor ipsius indicendæ. Romanæ Legationis præsidentium homo Caluinianus ità conatur euacuare. Nempè à Romana Republica ad Ecclesiasticam Hierarchiam translatæ vocis non capit virtutem, de qua in libro apologetico Tertullianus: [Vetus erat apud Romanos decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus. Tiberius ergo, cuius temporibus nomen Christianum in sæculum intrauit, adnunciatum sibi ex Syria Palestina detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, respuit.] Relatio erat rei per Senatum tractandæ, & sanciendæ propositio, suffragij prærogatiua fuit primum cum Augusta auctoritate suffragium: Ægrè tulit Senatus ipsum à Tiberio in re excepta vsurpari. Postmodùm tamen illud in omni Senatus-consulto Imperator habuit, ideòque hocce fieri dicebatur ipso auctore. Immò & tertiæ, & quartæ, & quintæ relationis ius sibi posteà assumpsit, id est, potestatem quatuor, vel quinque negotia, & quidem cum suffragij prærogatiua proponendi: [Magno assensu, inquit in Annalium libris Cornelius Tacitus, celebrata Pæti Thraseæ sententia, non tamen Senatus-consultum fieri potuit, abnuentibus Consulibus ea de re relatum. Mox auctore Principe sanxerunt.] Nempè rem iustam Princeps cum suffragij prærogatiua mox retulit, atque ità fuit auctor Senatus-consulti. Pergit in alio loco

Lib. 15. c. 38. idem Scriptor: [Considius Æquus, & Cælius Cursor, Equites Romani, auctore Principe, & decreto Senatus puniti.] Eodem ibi sensu scribit Pompeium: [Consulem legum suarum, & auctorem fuisse, & subuersorem.] Et de seipso Consule dixit in Oratione pro Cornelio Balbo Marcus Tullius: [Harum ego sententiarum Princeps, & auctor fui.] Et de

Lib. 3. c. 37. Antonino Augusto Vlpianus: [Oratione habita, auctor fuit Senatui censendi.] Consu-

Cap. 8. libus primùm competijt suprema hæc potestas, & postmodo ab illis ad Principem transijt, aut certè vtrisque mansit communis. Quidquid sit, eamdem in generalibus synodis habuit Romanus Episcopus, ideòque ad sanctum Leonem Magnum de conuocandis ex toto Orbe ad Chalcedonensem synodum Patribus scripsit Pulcheria Augusta: [De Catholica confessione, & lapsis in Ephesino latrocinio episcopis, sicut fides, & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.]

[illegible] ep. 35. Exponit in suis ad eumdem literis Imperator Martianus: [Sicut sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definiuerit, seu cum sui suffragij prærogatiua, atque auctoritate proposuerit, sua dispositione declarent, seu suo etiam suffragio confirment.] Hinc pergit in alia epistola: [Per celebrandam synodum te auctore.] Hinc item Ephesino Latrocinio non sanctum Leonem Pontificem, sed Dioscorum Alexandriæ Patriarcham cum relationis, & suffragij prærogatiua præsidere volens Theodosius Augustus, ità ad hunc scripsit: [Auctoritatem, & Primatum tuæ præbemus Beatitudini.] Eodem modo loquitur Sulpitius Seuerus, vultque Hosium non suasorem fuisse Nicæni Concilij, sed Præsidem. Quæ omnia insigniter intellexit, & in Catholica sua concordantia exposuit Nicolaus Cardinalis Cusanus. Hosio adiuncti fuerunt Vincentius, & Vitus Romanæ Ecclesiæ presbyteri. Et hoc in adductis locis omninò laudant Iulius, ac Damasus Pontifices. Et hac de causa antè omnes Patriarchas, & alios Primates Episcopos subscripserunt Synodo, adeòque & antè ipsos sederunt. Eodem modo actum fuisse in Sardicensi, Ephesina, Chalcedonensi, ac omni legitima generali Synodo, est suis locis abundè ostensum. Et hac de re nullus vmquàm dubitauit germanè Catholicus, neque pro ipsa videtur Gregorius septimus hunc Canonem dictasse. Epist. 34. Epist. 33.

Dictauit pro Apostolicorum Legatorum in Prouincialibus Synodis Præsidentia, de qua Lambertus Schafnaburgensis: [Episcopus Hostiensis, Episcopus Prænestinus, Episcopus Curiensis, & Episcopus Cumensis missi sunt à Romano Pontifice, vtique Gregorio septimo, componere vacillantem statum Galliarum. Itaque petierunt verbis Romani Pontificis, vt Synodum tenere intrà Gallias Episcoporum pace finerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Episcopi, tamquàm inusitatum, & à suis rationibus longè alienum, nec se huius auctoritatis priuilegium vlli alij, præterquam ipsi Romano Pontifici, vmquam delaturos affirmarunt.] Et aduersùs Lietmarum Bremensem Archiepiscopum scribit ipse Gregorius: [Legatos nostros pro viribus impedisti. Ad hæc, vt Concilium fieret, prohibuisti.] Quod ipsum in alijs literis grauiter queritur de Galliarum Metropolitis, recusantibus comparere ad synodos Hugonis Diensis episcopi, sui ibidem Legati. Et tunc crimen hoc fucare conatus Manasses Rhemensis Arciepiscopus inter assumptos è Gallia, & inter Roma missos à Pontificis latere Legatos distinxit, asserens se iuxtà antiquum Ecclesiæ suæ priuilegium posse ab hisce solis iudicari. Apud Petrum Bibliothecarium in nostri Gregorij vita dictus Lietmarus allegat Apostolicas vices, & sibi, & Moguntino episcopo fuisse antiquis priuilegijs concessas, ideòque neutri vllum Legatum posse præesse. Nempè eius antecessori Adelberto istas vices dederat Alexander secundus. Et exceptio habuit aliquid coloris. Hinc enim reposuere Legati vices istas per concedentis mortem expirasse. Etiam tali colore orbatos Saxoniæ episcopos noluisse comparere ad Legati Apostolici Altheimensem sub Conradi primi Imperio celebratam synodum, lucet ex eius fragmentis in decreto sancti Iuonis episcopi Carnutensis. Et à Ann. 1174. Lib. 2. c. 28. Par. 5. c. 162.

Ioan-

Ioanne Cardinali, Honorij secundi Legato, quòd in Vuestmonasteriensi Synodo Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni Nobilibus præsideret, fuisse grauiter offensam omnem Angliam, in Cantuariensium Pontificum Actis testatur Geruasius eiusdem Ecclesiæ Monachus. Adduci possint plura istiusmodi exempla. Rationem dat in apologeticis aduersus Paschalis secundi excommunicationem literis Clerus Leodiensis: [Illos Legatos à latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omninò refutamus, sicut temporibus Zozymi, Cœlestini, Bonifacij, Concilia Africana probauerunt.] Aiunt se cum suo Metropolita facere Synodos, & Romam nequidem referre, nisi grauiora negotia, de quibus non inuenitur in scripturis sanctis auctoritas.

In Sacerdotij, ac Imperij concordia consonat Parisiensium Archiepiscopus Dominus Petrus de Marca, ad Brunichildis Reginæ, quæ Regni Synodo præfuturos Legatos postularat à sancto Gregorio Magno, factum hæc scribens: [Extraordinarium erat in Politia Ecclesiastica mitti in Prouincias Legatum, qui Concilijs Prouinciarum interesset, quemadmodum ad Cœlestinum Papam scribit Concilium Africanum.] Nàm vt aliqui tamquàm à sanctitatis tuæ latere mittantur, nulla inuenimus Patrum Synodo constitutum. [Vndè concludunt non toleraturum diutiùs Africam Faustini episcopi Sedis Apostolicæ Legati præsentiam. De illo enim intelligi debet hic locus, non autem de Apiario, vt censuit illustrissimus Cardinalis Peronius. Afrorum episcopi de Faustino addiderunt: Securi sumus, quod eum, probitate, & moderatione sanctitatis tuæ, salua fraternitate, vlteriùs Africa minimè patietur.] Hinc dominus Archiepiscopus Apostolicorum Legatorum in Prouinciarum Synodis Præsidentiam dicit ad appellatas degradatorum Episcoporum causas retractandas esse introductam à Sardicensi Synodo, ideòque ab hanc ignorantibus Afrorum Episcopis fuisse in Synodalibus ad Zozymum, Bonifacium, & Cœlestinum Romanos Pontifices literis refutatam. Et adiungit: [Africanorum regula certa manet, nisi si casus euenerit in Sardicensi Concilio notatus. Vndè sequitur necessarium esse, vt si ea tempora incidant, vt necesse sit hanc disciplinæ Canonicæ regulam transgredi, suprema protectionis Canonum auctoritas, quæ pænès Reges est, conueniat cum suprema executionis auctoritate, quæ ad Summos Pontifices pertinet. Atque adeò Legatos non posse mitti in Prouincias, nisi Principes consentiant ob causam aliquam, quæ ad statum Ecclesiæ Gallicanæ pertineret.

Lib. 6. c. 31.

Aduersùs omnem hanc doctrinam dictauit præsentem Canonem Gregorius septimus. Et iure meritò. Etenim ad Flauium Philagrium, & alios Imperij Præfectos scribunt Regionis Mareoticæ Clerici: [Collutho, non vero, sed imaginario Episcopo, in generali Concilio ab Hosio, & à cæteris episcopis iussum fuit, vt se pro Presbytero haberet.] Et in literis ad Synodum Alexandrinam: [Colluthus, cum Episcopi sibi titulum vendicasset, in Alexandrina Synodo in præsentia patris nostri Hosij depositus est.] Ecce non in sola vniuersali Nicæna, sed etiam in nationali Ægyptiacæ diœceseos, non ad appellatam degradati Episcopi causam retractandam, sed ad Arij, Meletij, & Colluthi hæreses, & factiones componendas adunata Synodo Hosius Cordubensis episcopus, Syluestri Pontificis Legatus, tamquàm Pater præsedit dudum antè Concilium Sardicense. Et datæ Thessalonicensi episcopo per Illyrici diœcesim Apostolicæ vices, quid aliud fuerunt, quàm Apostolica Legatio? Ei tamen ad quasuis causas fuit data Synodi potestas à sancto Damaso, & eius successoribus, quos absit, vt suspicemur fuisse Canonum præuaricatores. Eadem potestas intrà Gallias fuit Vicario Arelatensi. Et Regina Brunichildes, quando Gallicanæ Synodo Præsidem postulauit à latere S. Gregorij, nequaquàm postulauit Canonum præuaricationē. Etiam Hilarium Monachū, qui Afrorum præsideret Synodis, legauit idem Gregorius. Et quis nobis, & Francis omnibus lapsam reparauit fidem, & disciplinam, nisi sanctus Bonifacius Legatus Romanus? Eum quippè tunc nullius sedis fuisse Cardinalem Episcopum fatetur etiam Hincmarus. Francofordiensi item synodo Apostolica Legatio præsedit. Et sancti Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi antiqua est in libro de dispensatione querela: Sunt qui Gallicanos Canones, aut aliarum Regionum putent non esse recipiendos, eo quod Legati Romani in eorum constitutione non interfuerint. Legatorum in Prouinciarum Synodis Præsidentia tanti tunc erat ponderis, vt sine ipsa factis quidam condendorum Canonum abrogarent potestatem. Nec sine fundamentis. Et Canonum peritissimus Agobardus ipsam Canonibus aduersari adeò nec dixit, nec cogitauit, vt aliud non conetur, quàm ostendere etiam sine ipsa fieri, licèt non tantæ auctoritatis, legitimas tamen Synodos. Etiam sub Carolo Caluo, & Lothario Regibus, ipsorumque è Caroli Magni sanguine Successoribus semper viguit Synodalis Legatorum Præsidentia: Tempus deficeret volentem singulas synodos enumerare.

Cap. 20.

Et Afrorum Episcoporum apud memoratos Romanos Pontifices intercessio non facit ad rem. Nec enim aduersùs Legatorum in suis synodis Præsidentiam, sed aduersùm inferioris sui Cleri Romanas appellationes intercesserunt. Africanæ Ecclesiæ Clerus inferior ex vetusto gentis more Romam appellare numquam potuit, sed sui Prouincialis, aut certè Carthaginensis Primatis Synodali iudicio debuit acquiescere, & semper acquieuit, vsque ad Apiarium Siccensis in Mauritania Ecclesia Presbyterum, qui ab Episcopi sui Vrbani degradatoria sententia non ad hunc, aut istum Primatem, sed ad Zozymum appellauit Pontificem, Romam accessit, fuitque per ipsum gradui restitutus. Hanc nouitatem grauiter impugnarunt Africani Episcopi, ideoque Faustinus Potentinus Episcopus cum Agellio, & Philippo Presbyteris ad ipsos à Zozymo legatus est, demonstratu-

rus Apiarij, appellationem, & restitutionem fuisse factam iuxta Nicænos canones. Verùm non Nicęnos, sed Sardicenses detulit canones, quos quia ignorabant Afri, de Romanæ Ecclesiæ priuilegio multa cum ipsis altercatus est, & in quibusdam offendit. Accessit & alia, quam in litteris ad Cœlestinum Pontificem deplorat sanctus Augustinus, offensio commissa in restitutione Antonij Episcopi Fussalensis. Hinc, & Nicęnorum canonum literæ pertinaciter adhærentes Afri Romanas suorum etiam Episcoporum appellationes suspenderunt, Faustinum Legatum auersati sunt, & à laudato Cœlestino supplicarunt in Italiam reuocari. Nec istos à Papali latere Legatos, qui Romanas appellationes retractarent in Prouincijs, dixerunt laudari à Nicæna synodo, ideoque ab ipsorum molestijs se deinceps contra perpetuum gentis morem non grauandos. Non ergo quoscumque Legatos, sed illos dumtaxat qui Romanas inferioris præsertim cleri appellationes vellent traducere in Africam, Afri Episcopi refutarunt. Et quidem pessimè. Verùm longa est hæc quæstio, suo loco enodanda. Etiam Regius consensus non facit ad propositum. Si enim Legatorum in Synodis præsidentia aduersetur Canonibus, quomodo Laici Principis Placitum valeat hanc scabiem defricare?

Epist. 261.

Obijci possint varia. Etenim Claudianus, & Vitus Presbyteri, & Eugenius, atque Cyprianus Diaconi, à Syluestro Pontifice Legati ad primam Arelatensem Synodum, nequaquam præsederunt, sed sederunt inter Italiæ Episcopos. Primum locum habuit Chrestus Episcopus Syracusæ. Et synodi Sardicensis subscriptio sic habet: [Hosius ab Hispania, Iulius Romæ per Archidamum, & Philoxenum Presbyteros.] Hosius à quibusdam existimatur per sacram Constantij, & Constãtis Augustorum iussionem præsedisse. Nam & per similem iunioris Theodosij iussionem Dioscorus Alexandrinæ Episcopus præsedit Ephesino Latrocinio. Et hinc Hilarus Romanæ ecclesiæ Diaconus, ac sancti Leonis Pontificis Legatus, vltimo istic post omnes episcopos loco sedit & subscripsit. Et in Ephesino concilio, licèt Arcadius Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus sederit, ac subscripserit proximè post sanctum Cyrillum, eius tamen Collega Proiectus episcopus post Iuuenalem Hierosolymitanum, Philippus autem Presbyter sedit, ac subscripsit etiam post Flauianum episcopum Philippensem. Iulianus item Coensis episcopus, laudati Leonis Legatus, in Chalcedonensi synodo sedit inter alios episcopos, & quidem cum hoc titulo: [Iulianus Ciuitatis Coensis episcopus, tenens, & ipse locum Apostolicæ Sedis senioris Romæ Leonis.] Et iterum: [Iulianus minimus episcopus, Legatus Sedis Apostolicæ.] Et sexta Synodus habet has subscriptiones. [Ioannes episcopus Thessalonicensis, & Apostolicæ Sedis Romæ Legatus. Ioannes episcopus Portuensis, Legatus totius concilij sanctæ Sedis Apostolicæ vrbis Romæ, & Stephanus Episcopus Corinthi, & Legatus Apostolicæ Sedis antiquę Romæ.] Eodem modo subscripsit Ioannes Rhegiensis episcopus. Omnes in ordine episcoporum. Et in ipsa sexta Carthaginensi Synodo præsedit, ac primus loqui cæpit, non Faustinus Zozymi Legatus, sed Aurelius Primas Carthaginensis. Et Synodo Pontigonensi Ioannes Aretinus episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus, subscripsit post Ansegisum Metropolitam Sennonensem. Et talia exempla habemus plura.

Respondeo Sedem Apostolicam hìc non vti iure singulari. Lucet ex septimo canone Trullano: Statuimus vt Diaconus, etiamsi in quouis officio sit ecclesiastico, ante Presbyterum non sedeat præterquam si proprij Patriarchæ, vel Metropolitæ vicem gerens adsit in alia ciuitate super aliquo capite. Tunc enim vt locum illius implens honorabitur.] Et ita in omni semper generali Synodo fuit seruatum. Etenim in Chalcedonensi synodo Quintillus Heracleæ in Illyrico Prouincialis episcopus adsedit proximus Iuuenali Hierosolymitano ante Cæsariensem Ponticæ Diœceseos Primatem, quod teneret locum Anastasij Archiepiscopi Thessalonicensis. Lucianus Byzæ in Europa Episcopus adsedit Stephano Ephesino, vtpotè Vicarius Cyriaci Primatis sui Heracleensis. Et Meletius Larissæ in secunda Syria Prouincialis episcopus sedit inter Metropolitas, quia Metropolitæ sui Domni Legatus. Istiusmodi plura exempla habes in quinto Concilio. In sexta Synodo Petrus Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter, & Georgius Presbyter Hierosolymitanus sederunt in loco suorum Patriarcharum. Et quidem Georgius non ipsius Patriarchæ, sed dumtaxat Theodori Presbyteri, qui huius seruabat locum, vices gerebat. Erat solummodò Subdelegatus. Etiam in Chalcedonensi Synodo Eusebius, & Constantius Presbyteri sederunt inter Metropolitas, quod essent Legati, & Tenentes locum Anastasij sui Metropolitę Nicæni. Item Photius Diaconus agens vices Theoctisti, in secunda Galatia Metropolitæ Pessinuntis. Plura eiusmodi exempla reperies in Synodo septima, & octaua. Et Socrate, ac Hermia Zozomeno testibus Imperator Constantius idem fieri iussit in Synodo Seleuciensi. Scio Bessulam, Capreoli Carthaginensis Archiepiscopi Legatum, Ephesi sedisse post omnes Episcopos: Quod nempè non Locumtenens, sed merus esset excusatoriarum literarum Baiulus. Ita laudatus Capreolus in hisce litteris disertè testatur. Etiam Ferrariæ Gregorium Monachum, Alexandrini Patriarchæ Legatum, ante Ephesiorum Metropolitam Marcum, licèt Legatum Patriarchæ Antiocheni sedisse, ac sedere debuisse affirmat in Florentinæ Synodi Historia Syluester Sguropulus. Lib. 4. c. 32.

Quem morem fuisse seruatum etiam in Prouincialibus, ac Patriarchalibus Romanæ Ecclesiæ Synodis, lucet ex Adriani secundi contra Photium Synodo: Ibi enim Ioannes Diaconus, Vrbinatis Episcopi Legatus, sedit inter Episcopos. Quod, & Græci seruauerint, ostendunt Synodales, exstantes apud Socratem, Meletij Patriarchæ Antiocheni litteræ ad Iouinianum Augustum. Et omni semper Prouinciali, ad nouum Episcopum

Lib. 5. c. 15.
Lib. 3. c. 21.

pum eligendum adunatæ, synodo præsidere Metropolitæ Legatum Carthophylacem scribit in libro de sacris Ordinationibus Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis. Cur hocce priuilegium Simeon, Trullano Canoni contrarius, adserat soli Charthophylaci, edicit in Canonum Epitome, ac in dicti Canonis Scholio Constantinus Harmenopolus: [Sciendum, soli maioris Ecclesiæ Charthophylaci concessum esse, tum ex longa consuetudine, tum Scripto iussu Imperatoris, Domini Michaelis, vt in exteris Synodis etiam ante Pontifices sedeat. Quod ipsum in Meditato de Charthophylacis, ac magni Defensoris officio scribit Theodorus Balsamon, adducitque, & auream Bullam, qua Imperator Alexius Comnenus istam prærogatiuam Charthophylaci aduersùs quorumdam Episcoporum murmura confirmauit. In Canonicis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham Responsis addit Abbatis Legatum Monachum, licèt dumtaxat Lectorem, in alijs Cœnobijs etiam locandum ante Presbyteros. Lit. 4. Qu 61.

Aliud tamen seruauit Gallicana Ecclesia. Etenim Reiensi Concilio Vincentius Presbyter, Constantini Episcopi Legatus, sedit vltimo loco, & subscripsit. Idem fecit Superuentor, Claudij Episcopi Legatus in prima Synodo Arausicana. In Synodo Agathensi Leo Diaconus, licèt Veri Turonensis Archiepiscopi Legatus, sedit, & subscripsit non solùm post varios episcoporum Legatos presbyteros, sed etiam post Optimum Diaconum, Legatum Leonici Prouincialis dumtaxat episcopi Gabalensis. Quòd nempè Optimus esset consecratione senior. Gallicana Ecclesia Presbyteris, ac Diaconis Legatis non ex legantium Episcoporum dignitate, sed ex ipsorum ordinationis tempore dabat in Synodis locum. Hinc omnes Daconi omnibus Presbyteris semper postponebantur. Ita factum fuit in secunda Lugdunensi Synodo. Præponebantur tamen Titularibus, seu Sedem: & populum non habentibus episcopis. Ita vides ex subscriptionibus secundæ Synodi Matisconensis. Eadem lege etiam Hispaniā vixisse docent subscriptiones quarti Concilij Toletani. Addit Synodus Emeritensis: [A tergo Episcoporum inter Presbyteros sedeat. Vtique Legatus Diaconus. Non ergo cum Episcopis, sed retro ipsos inter Ecclesiæ illius, in qua agebatur Synodus, Presbyteros. Haud dubiè iuxta ætatem suæ ordinationis. Diaconos coram episcopo, aut inter Presbyteros sedere, rigidè vetat antiquus Patrum Canon, ideoque magnus ipsis erat iste honor. Hinc illum incongruum iudicans laudata synodus statuit, vt nullus deinceps Diaconus, sed solus Archipresbyter, aut ipso impedito quis insignior Presbyter ab impeditis Episcopis ad Synodos legaretur. Quæ omnia numquam ligarunt Legatos Ecclesiæ Romanæ. Nam Claudianum, & Vitum Presbyteros, ac Eugenium, & Cyriacum Diaconos, Syluestri Pontificis Legatos, ad consedendum inter Episcopos admisit prima Synodus Arelatensis.

Et hinc redit obiectum supra argumentum, cur isti synodo non præsederint? Respondeo id factum ex dissimulatione, & conniuentia sancti Syluestri. Etenim ad Antecessoris sui Melchiadis de Donato in casis nigris, & Cæciliano Carthaginensi Episcopo, à quo Donatistæ prouocarant, retractandum iudicium indicta, & adunata fuit ista synodus, ideoque Legatos suos, ne per potentiam videretur in appellantes agere, passus est Pontifex non præsidere. Quòd ipsis deberetur præsidentia: docent synodus Sardicensis, Ephesina, & Chalcedonensis: Ad retractandam Eusebianorum, Nestorij, ac Eutychetis à Papali iudicio prouocationem adunatæ Apostolicos Legatos permiserunt sibi præsidere. Et hic est lapsus Ephesini Latrocinij. Ab Eutychete per Chrysaphium Eunuchum circumscriptus Imperator Theodosius, dicti Eutychetis ita prouocatam causam retractaturæ synodo non Romanos Legatos, sed Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, secundæ in tota Ecclesia Sedis Episcopum, iussit præsidere. Legati erant Iulius Puteolanus Episcopus, Renatus Presbyter, ac Hilarius Diaconus, quorum primum ob Sedis Apostolicæ reuerentiam sibi proximum assidere iussit Dioscorus, duos alios postposuit omnibus episcopis. Episcoporum enim Legatos Presbyteros, ac Diaconos episcopis non permiscuit, sed iuxta gradus sui ordinem, & ordinationis ætatem sedere fecit, quomodo iam consuetum dixi apud Gallos, atque Hispanos. Ita laudatus Hilarus, vir Dioscoro ob Apostolici pectoris constantiā metuendus, retrusus est in vltimum locum. Quòd quare contra perpetuam generalium synodorum, & totius Orientalis Ecclesiæ Regulam, & consuetudinem attentarit homo Ægyptius, nolim hìc examinare. Quidquid causæ fuerit, rectè scribit in Breuiario Liberatus Carthaginensis ecclesiæ Archidiaconus: [Ecclesiæ Romanæ Diaconi, vices habentes Papæ Leonis, assidere passi non sunt, eo quòd non fuerit data præsessio sanctæ Sedi eorum. Et infrà: Omnibus, quæ sunt gesta, contradixerunt.] Et in ipso statim Chalcedonensis synodi ingressu proclamauit Apostolica Legatio: [Dioscorus, cùm iudicandi, seu præsidendi personam non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate, seu præsidentiā Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est. Quod dictum omnis Synodus comprobauit. Cap. 12.

Hosium Iulij Pontificis vice præsedisse Sardicensi Synodo abundè est suo loco ostensum. Neque refert quòd in subscriptione non fecerit suæ Legationis memoriam. Etenim etiam sanctus Cyrillus Alexandriæ Patriarcha, licèt sancti Cælestini Pontificis Legatus, Ephesino Concilio hunc simplicem in modum subscripsit: [Cyrillus Episcopus Alexandriæ.] Etiam Flauianus Philippensium Metropolita, licet Rufi Thessalonicensis Archiepiscopi, & totius Illyricianæ Diœceseos Legatus, simpliciter subscripsit: Flauianus episcopus Philippensium. Verùm in sui exordio longè aliter habent Acta Synodalia: [Cyrillus Alexandriæ episcopus, qui, & Cœlestini quoque, sanctissimi, & sacratissimi Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat. Flauianus Philippensium episcopus, qui Rufi quoque Reuerendissimi Thessalonicensium epi-

episcopi locum gerebat.] Ante Synodi ingressum Legati legationis suæ debebant exhibere literas, potestatis suæ amplitudinem, modum, ac limitem ostendere, itemque titulum, ex quo hunc, vel istum occuparent locum: Hinc in primo consessu legationem suam semper exprimebant. Verùm non ita semper in finali subscriptione. Præsertim Legati episcopi. Quod enim suo iure spectarent ad synodum, admissum iam, & notorium Legati titulum quandoque omittebant. At verò presbyteri, aut Diaconi Legati, quòd solùm episcoporum sit synodus, legationem suam, ex qua sola sedere, & suffragari inter episcopos poterant, debuerunt semper exprimere. Præterea Papalem legationem ab Hosio subscribente fuisse omissam, nullo modo constat. Sardicensis quippè synodi plena acta perierunt, & sola ipsorum compendia habemus à sancto Athanasio, cui suffecit meram suæ istic peractæ causæ substantiam retulisse.

Arcadius, & Proiectus episcopi, & Philippus Presbyter, non ad omnia Ephesinæ synodi deinceps agenda, sed ad solam Ioannis Antiocheni, cum Cyrillo Alexandriæ Patriarcha, Apostolicæ Sedis tenente vices, qui sese mutuò degradarant, atque ita turbarant omnia, quæstionem cognoscendam, & iudicandam fuerant à Cęlestino Pontifice Legati. Omni huic iudicio præsederunt. Porrò ab attentato per Ioannem conuitio absolutum Cyrillum non tantùm in episcopatus, sed etiam in Apostolicæ legationis, ac synodalis præsidentiæ reposuerunt gradum, atque ita illi locum cesserunt, sessuri inter sui Ordinis Collegas. Notanda est synodalis per Eutychem Diaconum ad Imperatorem Theodosium transmissa relatio: [Cœlestinus sanctissimus magnæ Romæ Episcopus misit literas per Arcadium, & Proiectum sanctissimos episcopos, & Philippum Religiosissimum Presbyterum magnæ Romæ, qui Cœlestini sanctissimi Episcopi præsentiam supplent. Quia ergo viri illi, qui venerunt, totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic sanctæ Synodo per literas exposuerunt, &c.] Habuerunt legationem duplicem: Et Cœlestini Pontificis, & totius Patriarchalis Romanæ Synodi. Primæ præsidentia, secundæ legationi debebatur locus honoratior: Hinc post illam depositam Arcadius Cyrillo, Proiectus Iuuenali, Philippus Flauiano assedit proximus ante omnes Metropolitas, ac Autocephalos Primates. Posterior enim legatio erat firma, vsque ad synodi finem. Ex quo lucet falli, qui duplicem hanc Romanæ legationis speciem existimant, vsque ad sextum Concilium fuisse ignotam. Ad sextam tamen synodum sanctus Papa Agatho eas non solo officio, sed etiam personis distinxit: Suæ personæ Theodoro, ac Georgio Presbyteris, ac Ioanni Diacono, suæ autem synodi vices dedit Ioanni Portuensi, Basilio Gortynensi, Abundantio Tempsano, ac Ioanni Rhegiensi episcopis, qui proindè non primum, sed honoratiorem dumtaxat locum meritò habuerunt. Porrò Ioannes Thessalonicensis episcopus non ad synodum, sed per Illyrici Diœcesim fuit Apostolicæ Sedis Legatus, seu Vicarius. Etiam Stephanus Corinthi episcopus, Metropolita Achaiæ. Hic enim Thessalonicensi parere recusans, Apostolicas vices habebat in sua Prouincia, aut sibi arrogabat. Tanti semper ponderis apud Primates, etiam episcopos fuerunt Romanæ vices.

Cur Legationis suę causa Iulianus Coensis episcopus Chalcedonensi synodo non prę-sederit cum alijs legatis, edicit sanctus Leo Magnus in literis ad Imperatricem Pulcheriam: [Fratri, & Coepiscopo meo Iuliano sollicitudinem meam causa fidei delegaui.] Et in literis ad ipsum Iulianum: [Specularí de Constantinopolitanæ vrbis opportunitate non desinas.] Audi rationem: [Quia in Anatolio episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est.] Non ergò ad synodum, sed ad solam in Orientali, Constantinopolitana præsertim, Ecclesia per Nestorium, ac Eutychetem vulneratæ fidei custodiam, & de ipsa faciendas Pontifici relationes erat Legatus, ideòque ad præsidentiam, aut præcedentiam nihil habebat iuris. Eadem est ratio Faustini Potentini Episcopi in synodo Carthaginensi: Non ad præsidendum, aut celebrandam synodum, sed ad Apiarij presbyteri factam à Pontifice restitutionem exsequendam, & Afris demonstrandum Romanæ appellationis ius erat Legatus, ideòque non præsedit. Ansegisus Senonum Metropolita à Ioanne Octauo factus erat per omnem Galliam, ac Germaniam Apostolicus Vicarius, & quasi alter Papa: Hinc Ioannes Aretinus episcopus ei cessit locum. Et videtur solius Romanæ synodi fuisse Legatus. Quidquid sit, eius Collega Ioannes Tuscanensis episcopus sedit ante Ansegisum. *Epist. 56.*

Apostolicorum, Prouincialibus aut etiã Diœcesanis synodis præsidentium, Legatorum auctoritatem exponit in literis ad Anastasium Thessalonicæ episcopum, ac suum in Illyrico Vicarium, sanctus Leo Magnus: [Si in eo, quod cum fratribus tractandum, definiendumque credideris, diuersa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur.] Vnicum Legati suffragium totius synodi æquiualebat suffragio, atque ita suffragiorum numero numquam poterat vinci. Omnis tunc quæstio referebatur ad Papam, eius arbitrio decidenda. Hinc quibus tantum auctoritatis dederat tantus Pontifex, deponendorum etiam episcoporum potestatem alij Pontifices, & quidem post Nicolai Primi tempora, frequenter dederunt. Etenim de Gregorio nostro Septimo, adhuc Hildebrando Romæ Ecclesię dumtaxat Subdiacono, ad Nicolaum Secundùm Pontificem scribit sanctus Petrus Damiani: [A Victore Papa Apocrisarius in Gallias destinatus Hildebrandus synodum congregauit, in qua sex episcopos ex Apostolicæ Sedis auctoritate deposuit. Et ab ipso Gregorio Legatos, qui omnes simoniacè promotos episcopos degradarent, fuisse in Germaniam destinatos testatur Lambertus Schafnaburgensis. Etiam Stigandum Cantuariensem Archiepiscopum in Vintoniensi synodo fuisse ab Alexandri Secundi legatis degradatum, habes apud Rogerum Houedensem. Et in Mariani Scoti *Epist. 84. cap. 11.* *Lib. 1. Ep. 9.* *Anno. 1074.*

ti appendice habet Abbas Dodechinus: [Halberstadiensis episcopus, à suis Romæ iniquè accusatus, à Legato Papę deponitur. Henricus Virdunensis episcopus à Matthæo Albanensi, Legato Apostolico, deponitur.] Plurima sunt eiusmodi exempla. Hanc ergo summam potestatem Legatis, licèt episcopi non sint, legitimè committi, præsenti Dictatu Gregorius confirmat. Debebat esse speciale mandatum. Gerardum enim Engolismensem episcopum, quod solo suæ legationis citra tale mandatum titulo deijceret episcopos, suprà audiuimus, grauiter redargui à Goffredo Abbate Vindocinensi. Etiam Cremonensem episcopum, & Archiepiscopum Moguntiuum, Sedis suæ legatos, quod sine tali mandato, licèt ob notoria crimina, illud ipsum fecissent, arguit Innocentius Tertius. Lib. 3. Epist. 137. 224.

CANON V.

Quòd absentes Papa possit deponere.

SCHOLION.

AVitam ecclesiasticæ accusationis, cognitionis, ac iudicij Regulam edicit in sancti Athanasij ad Monachos epistola synodus Mediolanensis, Imperatori Constantio per Augustam auctoritatem dicenti, [Ego sum Athanasij accusator, meo nomine credite, respondens: Quonam modo accusator esse possis non præsente reo? Esto vt accusator sis absentia tamen rei facit, vt in causa iudicare non liceat. Non enim de re Romana iudicium est, quo tibi vt Imperatori fides habeatur, sed de episcopo agitur, & in hoc iudicio oportet pari iure cum reo, & accusatore agi. Quomodo autem accusabis eum, qui ob longinquitatem loci adesse non potuit? Quod si quæ objicis, ex auditu habes, æquum est vt ijs, quæ pro se dicit Athanasius, fidem quoque habeas.] Eidem Principi respondit in eadem synodo etiam Liberius Pontifex: [Iudicia ecclesiastica summa cum æquitate fieri debent. Quare, si placet pietati tuę, iudicium constitui iube, & si condemnationem commeruisse videbitur Athanasius, tum in illum iuxta ecclesiastici ordinis formam sententia proferetur. Alexandriam conuenientes omnes, vbi & accusatus, & accusatores sunt, & defensor eorum, examinata causa sententiam proferamus.] Etiam sanctus Iuo Carnutensis episcopus Decreto suo inseruit hanc regulam: [Nullus absens accusari potest, aut accusare.] Et quarta Carthaginensis synodus statuit: [Caueant Iudices ecclesiæ, ne absente reo, cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit. Imò & causam in synodo profectò dabunt.] Et Ioanni Defensori, ad peractum de Ianuario Malacitano episcopo iudicium inquirendum proficiscenti in Hispanias, mandauit Magnus Gregorius: [Quærendum est, si patribus præsentibus sententia recitata est. Quod si fortè hæc solemniter acta non sunt, in ecclesiam suam Ianuarius modis omnibus reuocetur.] Quod nempè irrita sit istiusmodi sententia. Absentem, nisi ex contumacia, episcopum iudicari criminaliter non permittunt etiam capitula, quæ Angilramno Metensi episcopo dedit Adrianus Primus. Etiam nouellus Bonifacij Octaui Canon habet: [Sententia, quam à iudice litigatoribus non recitari contingit, nullius penitus est momenti. Et hæc est vna è rationibus, ob quas plurimi olim censuerunt defunctum in catholica pace episcopum non posse damnari post mortem: Quod neque exordio accusandus, neque litis termino accusatus possit adesse. Hisce ergo Canonibus non ligari Romanum Pontificem dictat Gregorius Septimus. Eius mentem exponit apud Gregorium Nonum Innocentius Tertius. [In causis, quæ Summi Pontificis iudicio deciduntur, & ordo iuris, & vigor æquitatis est subtiliter obseruandus, cùm in similibus casibus cæteri teneantur similiter iudicare, nisi fortè cùm aliquid, causa necessitatis, & vtilitatis inspecta, dispensatiuè duxerit statuendum.] Deformata, ac turbulenta Gregorij nostri tempora, ac in ipsis grassantia episcoporum pessima vitia postulabant in adductis Canonibus frequenter dispensari.

Part. 6. cap. 320. — Cap. 30. — Lib. 11. Epist. 52. — Can. 5. — Lib. 2. Tit. 14. cap. 5. — Lib. 2. Tit. 27. cap. 29.

CANON VI.

Quod cum excommunicatis à Papa, inter cætera, nec eadem domo debemus manere.

SCHOLION.

ADuersùs Andronicum Beronicensem, Pentapolitanæ Prouinciæ Tyrannum potiùs, quàm præfectum, à se, ac sua ecclesia excommunicatum, ad omnes Ægyptiacæ Diœcesis Antistites scribit sanctus Synesius, Ptolemaidis episcopus, ac præfatæ prouinciæ Metropolita: [Si quisquam velut exiguæ vrbis ecclesiam nostram contempserit, & ab eadem damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necesse sit, nouerit scissam à se Ecclesiam esse, quam esse vnam vult Christus. Atque hic, siue Leuita, siue Sacerdos sit, siue episcopus, apud nos eodem, atque Andronicus, loco censebitur.] Ex Apostolico enim per Nicænam synodum stabilito Canone inflicta per quemuis episcopum excommunicatio tamquam lepra adhæret, aut pessimi contagij scabies: Quisquis excommunicato communicat, eodem mox vinculo est innodatus. Tanta est etiam pauperrimi episcopi, aut minimæ ecclesiæ virtus, adeòque longè validior est Cathedra Romana. Pergit sanctus Synesius: [Priuatos omnes, & Magistratus hortor, vt nec eiusdem cum Andronico tecti participes esse velint.] Et prima Toletana synodus statuit: [Si quis Laicus abstinetur, ad hunc, vel eius domum nullus, vel Clericorum, vel Religiosorum accedat.] Et Romanis fidelibus, ne errantis Cypriani Legatos Episcopos, sub sua tecta admitterent, à sancto Stephano Papa fuisse mandatum scribit sanctus Firmilianus in Cappadocia Archiepiscopus Cæsariensis. Et Sigbertum, pijssimum Anglorum Regem, in excommunicati Comitis domo, quam contra ex-

Epist. 58. — Cap. 15.

excommunicantis episcopi vetitum intrauerat, Diuinitus fuisse permissum trucidari à germanis fratribus, affirmat in ecclesiastica Anglorum historia Venerabilis Beda. Et in suo Capitulari sanxit Beatus Theodulphus
Lib 3. c.22. Aurelianensis episcopus: [Excommunicatum nullus in suam domum recipiat.] Et de Luitardo Papiensi episcopo, eiusque ciuibus scribit in Nicolai Primi Pontificis vita Ana-
Cap.26. 37. stasius Bibliothecarius:[Cùm audissent,quod] ciuitatem ingressus Ioannes Rauennæ [Archiepiscopus esset à Summo Pontifice excommunicatus, in tanta se custodiæ circumspectione dediderunt, vt nec in suis domibus eum reciperent, nec hominibus eius paterentur aliquid venumdari, ne per tale commercium saltem locutionis eorum viderentur esse participes, ac per hoc excomunicationis notam incurrerent.] Excommunicatam Bosonis vxorem Ingeltrudem nullo intra omne Lothariense Regnum hospitio donari præcepit rigidissimè laudatus Papa Nicolaus. Et de excommunicato Francorum Rege Roberto scribit ad Desiderium Abbatem Cassinensem sanctus Petrus Damiani: [Sacerdotalis edicti tantus omnem vndique populum terror inuasit, vt ab eius societate vniuersi recederent, nec præter duos sibi ad necessarij victus obsequium remanerent, qui tamen & ipsi omnia vasa, in quibus Rex edebat, percepto cibo abominabilia iudicantes, pa-
Lib.2.Ep.13 bulum ignibus exhibebant.] Reliqui ad sustentandam Regis vitam iudicarunt se superfluos, ideòque nec idem cum ipso tectum retinere præsumpserunt. Et de excommunicato Comite Gaufredo habet Geruasius Monachus Cantuariensis: [Cùm in exitu syluæ, pausandi gratia, calorisque vitandi, in gramine recubaret, herba viridissima sub ipso emarcuit, vt eo surgente quasi præmortua videretur, nec toto ferè anno viriditatis suæ vires recuperauit. Vndè datur intelligi, quàm detestandum sit consortium excommunicatorum:] Et de nescio quo excommunicato prædone Baldricus Tornacensis episcopus: [Terra, qua sepulturæ eius locus ambiebatur, tribus per circuitum cubitis ab imo ita exarsit, vt ab occultis meatibus incendio emisso fatisceret. Et per triennium in agro illo ros, aut pluuia non cecidit, nec grami-
Lib.1. c.46. na pauit.] Istum ergò antiquum Canonem in Romanæ præsertim ecclesiæ excommunicatos seruandum Gregorius noster rectè dictauit.

Verùm his obesse videtur regula, quam ad Laurentium in charitatis, apud Antisiodorenses Cœnobio Monachum, scripsit sanctus Iuo Carnutensis Episcopus: [De excommunicato hospitio recepto sufficere videtur, si hospes, qui eum suscepit, conti-
Epist. 186. neat se à mensa excommunicati, & osculo.] Et ad Francos Crucesignatos scripsit Innocentius Tertius: [Est cautum in iure, quod si quisquam per terram Hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessaria emere, ac recipere poterit ab ijsdem.] Exstat epistola in eius vita. Quid autem peregrino magis necessarium, quàm hospitij tectum? Ista ex Regula Pontifex probat laudatos Francos in excommunicatorum Venetorum nauibus potuisse vehi in Terram sanctam. Et antiqui passim Canones solius colloquij, salutationis, osculi, aut similis fraternæ amicitiæ, nequaquam eiusdem tecti communionem nobis interdicunt.

Respondeo rem hanc esse implexam. Quod enim quidam antiqui canones, ac fidelium gentium mores etiam hospitio vetent excommunicatum suscipi, lucet ex huc vsque dictis. Et Petrus Abbas Byzacenus, à Primate suo Liberato excommunicatus, in suis apud Carthaginensem Bonifacij Primatis synodum querelis insigniter confirmat: [Cur etiam hospitalis, quam semper exhibuimus, denegatur?] Et hinc olim Maiores nostri cum excommunicatis Venetis, nec ad terram sanctam fuerunt ausi in eadem naui nauigare. Quòd nempè nauis per mare peregrinantibus sit domus, & tectum. Verùm quòd maiorem, quàm Veneti nolebant reddere, soluisset sui nauli partem, ad Innocentij Tertij iudiciũ pro suæ conscientiæ securitate habuerunt refugium. Et ipsi etiam Pontifici hæsit aqua. Tandem vt ipsos seruaret indemnes, permisit cum istis nauigare, ea tamen lege, vt non nisi in necessarijs, & quidem cum dolore, & amaritudine cordis, & sub pœnitentiæ, ac veniæ spe, communicarent. Et ad hoc indulgendum non sola superiùs laudata Regula fuit vsus, sed & ista subtilitate, qua Nauarchum dixit esse quasi Patremfamilias, cui excommunicato potest familia omninò communicare. Excommunicati sunt homines, & fratres nostri, non bruta, aut lapides: Hinc illis hospitij tectum denegare multis visum est acerbum, & durum. Et hanc Regulam secutus est etiam sanctus Iuo. Gregorius item noster possit peregrinos non comprehendisse.

CANON VII.

Quòd Papæ soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere, nouas Plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contra, diuitem Episcopatum diuidere, & inopes vnire.

SCHOLION.

IN concordantia Catholica scribit Nicolaus Cardinalis Cusanus: [Romanus Pon- Lib.1. c.12.
tifex in condendis Statutis generalibus non eam habet potestatem, quam quidam adulatores ei contribuunt, scilicet quod ipse tantùm statuere habeat, alijs consulentibus.] Istorum adulatorum vnus fuit ad quinti decimi sæculi finem Ioannes Angelus per hunc à sacra Parisiensi facultate meritò damnatum articulum: [Papa posset totum ius Canonicum destruere, & nouum construere.] Et ad eiusdem sæculi exordium Ioannes Saracenus per hunc articulum: [Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem Statutis, in solo residet summo Pontifice.] Cardinalis Cusanus distinguit totius Ecclesiæ vniuersales Canones ab Apostolicæ Sedis Decretis, asseuerans illos à sola generali Synodo posse condi, & hæc omnia ex istis debere hauriri. Aliud hac

in re Pontificem non posse, quàm generales Regulas ad singulares factorum, aut faciendorum species applicare. Ex Africanę Ecclesię praxi distinguit, & duplicem totius Ecclesiæ Synodum: Aliam per præsentes episcopos, aliam per solos Diœcesion, seu Nationum Legatos. Basileense Concilium sanxit Romanæ Ecclesiæ deinceps esse solos viginti quatuor Cardinales, eosque assumptos ex singulis fidelium nationibus: Ipsos esse voluit istarum repræsentatiuos Legatos, atque ita totam in ipsis Ecclesiam, & quasi generalem Synodum Romano Pontifici semper adesse. Sine talis Synodi non solùm consilio, sed etiam assensu Cusanus vult nullam pro tota Ecclesia legem posse condi. Eiusdem sententiæ in famosa aduersùs nepotem suum epistola fuit Hincmarus Metropolita Rhemensis, fundans se in prima sancti Leonis epistola, rigidè mandante à cunctis Italicarum Prouinciarum episcopis seruari, & sua, & suorum Antecessorum Decretalia Constituta, quæ de Canonum sunt ordinata, seu hausta disciplinis. Omnia Gregorij Magni, & aliorum sanctorum Pontificum Decreta affirmat ex ipsis hausta, cunctaque illis aduersantia, seu ex ipsis non hausta esse nullius ponderis, nec recipienda. Quod ipsum in varijs, tam suo quam Caroli Calui Regis nomine scriptis, epistolis constanter inculcat. Et hinc de ipso scribit in Rhemensis Ecclesię Historia Presbyter Flodoardus: [Hincmarus scripsit Apologeticum contra Obtrectatores suos, qui calumniabantur, quod nollet auctoritatem recipere Decretorum Pontificum Sedis Romanæ, ad quæ respondit refellens hos, & se Decretalia Pontificum Romanorum à sanctis Concilijs recepta, & approbata recipere, & sequi discretè, prout sunt sequenda, depromens.] Hoc est, à se recipi omnia è generalium Synodorum Canonibus hausta. Hinc etiam Ansegisi Senonensis Metropolitæ Apostolicas per Galliam, ac Germaniam vices Pontigonensis Synodus recipere noluit, nisi sub hac forma: [Secundùm sacros Canones, & Decreta Sedis Romanæ Pontificum ex eisdem sacris Canonibus promulgata.] Et Adelbertus Morinensium electus suo Metropolitæ præfato Hincmaro fecit hanc professionem: [A' sacris Canonibus, & Regularibus Decretis Apostolicę Sedis me non deuiaturum profiteor.] Exstat apud Iacobum Sirmondum in formulis episcopalium promotionum. Porrò Regularia Apostolicę Sedis Decreta sunt Decreta hausta ex generalibus Ecclesiæ Regulis. Consonat in literis ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum Gerbertus, qui posteà fuit Syluester secundus Pontifex, Metropolita Rhemensis: [Sit lex communis Ecclesiæ Catholicæ, Euangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei constituti, & totius mundi reuerentia consecrati, & Decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.] Vnde, & in alia epistola, de Apostolicis sancti Dionysij Monasterio datis priuilegijs disceptans, constanter professus est à se non recipi Ecclesiarum, aut Monasteriorum priuilegia, nisi promulgata auctoritate Canonum, seu quæ ex generalibus Ecclesiæ Canonibus sint hausta, ac ipsis non aduersentur. Etiam ad vndecimi sæculi annum vigesimum quintum celebrata Ansensis Synodus per Odilonem Abbatem producta Cluniacensis Monasterij priuilegia exufflauit, [quod Canonicis non solùm non concordarent, sed etiam contrairent sententijs.] Decretum è Matisconensis Ecclesiæ Tabulario produxit, ac suis de Sacerdotij, & Imperij concordia libris inseruit Dominus Petrus de Marca. Quod ipsum posteà docuit Geruasius Rhemensis Archiepiscopus, & alij plures. Nam, & laudato sancti Dionysij Monasterio, Corbeiensi, & pluribus alijs Landericus Parisiensis, Bertefridus Ambianensis, ac aliarum Ecclesiarum episcopi non qualemcumque olim dederunt libertatem, sed secundùm Canones, & Synodum Bonifacij Primatis Carthaginensis. Etiam Facundus Hermianensis Episcopus scribit ad imperatorem Iustinianum: [Nouos constituere Canones non nisi multis, & in vnum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus licet.] Et in sui Nomocanonis præfatione Photius Constantinopolitanus: [Non ignoro Magnos illos viros, Basilium, & Gregorium Nyssenum, in ea esse sententia, vt existiment Canones Ecclesiasticos eos esse dicendos, & habendos, quos non modò seorsùm, & priuatim aliquis, sed plures sancti Patres in vnum conuenientes, de communi sententia, cum accurata, ac sollicita perquisitione decreuissent.] Et in ipso Nomocanone: [Quod non ab vno episcopo, sed à communi episcoporum cœtu Canones promulgentur, Basilij Canon quadragesimus septimus circa finem, Gregorij Nysseni Canon sextus circa medium, vtique docent.] Sancti Basilij, ac aliorum Patrum Canones affirmat non esse veros Canones, sed dumtaxat Metropolitica ex veris Canonibus deprompta Responsa.

Et ad Hugonem Primatem Lugdunensem scribit sanctus Iuo Carnutensis episcopus: [Non dico quòd contra nouos excessus non liceat noua promulgare mandata, sed hoc dico, quod dicit Papa Zozimus Narbonensibus; contra Statuta Patrum concedere aliquid, vel immutare nec huius quidem Sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, Cui Patrum Decreta sanxere reuerentiam.] Aduersùm nouos excessus affirmat à Romano Pontifice condi posse non nouos Canones, sed noua dumtaxat mandata, hausta vtique ex antiquis Canonibus, quibus nec ipsius Sedis Apostolicæ auctoritas possit derogare. Pluribus Romanorum Pontificum testimonijs id confirmat. Et de Nicænis Canonibus, quorum sexto per suum vigesimum octauum derogarat Chalcedonensis Synodus, ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scribit sanctus Leo Magnus: [Tanto diuinitus priuilegio Nicæna Synodus est consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.] Eius Canones dicit esse spiritu Dei conditos, ac totius mundi reuerentia consecratos, ideòque nec à generali Synodo posse abrogari, sed vsque ad sæculi finem in plena auctoritate mansuros. Plura eius de hoc puncto testimonia suo loco adduxi. Et hinc generalem, qui in gene-

Cap. 5.
Cap. 11.
Lib. 1. ep. 32.
Lib. 4. c. 8.
Lib. 12. c. 3.
Epist. 60.
Ep. 53. c. 2.

generalium Canonum obseruantia consistit; Ecclesiæ statum à Papa non posse mutari edixit Synodus Basileensis. Et palmare, ex quo nos præuaricatores, & Schismaticos Græci asseuerant, principium est, quod Ephesinum de non faciendo ad Symbolum additamento Canonem sola Papali auctoritate transmutauerimus. Et hæc quidem sunt non contemnenda fundamenta, ex quibus videatur Pontifex non posse nouos condere Canones. Et sanctissima Gregorij septimi aduersùm Simoniacos, & coniugatos Clericos Decreta eodem telo fuisse à quibusdam impugnata, affirmat eorumdem licèt Anonymus, eruditus tamen Defensor.

Lib. 2. ep. 67. Et aduersùm illos ipse Pontifex scripsit ad sanctum Annonem Coloniensem Archiepiscopum: [Nouit Fraternitas tua, quia præcepta hæc non de nostro sensu exsculpimus, sed antiquorum Patrum sanctiones, Spiritu sancto prædicante prolatas, officij nostri necessitate in medium propalamus. Quamquam huic sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit, semperque licebit contra nouiter increscentes excessus noua quoque Decreta, atque remedia procurare, quæ rationis, & auctoritatis edita iudicio, nulli hominum sit fas, vt irrita refutare.] Et hanc doctrinam aduersùm Simoniacos, ac impudicos blaterones præsenti Dictatu confirmat, & facit authenticam. Et iuremerito. Ipsam enim omnis iam pridem Ecclesia probauit, damnans hunc,
Anno 1389. ab Henrico Knygthono relatum, sollardorum articulum: [Papa non potest condere Canones Decretales, seu constitutiones, & si quos condiderit, nullus tenetur eos obseruare.] Et Stephanus Tornacensium Episcopus scribit: [Solus Pontifex potestatem habet, & condendi nouos Canones, & exponendi veteres.] Et ad Rudolphum Bituricensem Archiepiscopum, ac eius suffraganeos Nico-
Epist. 40. laus primus: [Sedi Apostolicæ facultas est in tota Christi Ecclesia leges speciali prærogatiua ponere, ac Decreta statuere, atque sententias promulgare.] Addit hæc non esse sua commenta, sed Dei Instituta, quæ non ignoret, sed in suis Archiuis recondita possideat Ecclesia Gallicana. Et in literis ad Valchelinum Vintoniensem Episcopum Arnulphus Episcopus Roffensis: [Numquid Decreta, & Canones vniuersi Christianæ fidei Confessores, aut defensores vno spiritu, eodemque sensu decreuere? Pleraque enim ab vno, Romano vtique Pontifice, nonnulla à pluribus sunt definita, quæ tamen ab omnibus gratanter sunt accepta, à nemine contempta.] Exstat epistola apud Lucam Dacherium. Et in nouella ad Ætium vtriusque militiæ in Gallia Magistrum lege Theodosius secundus, ac Valentinianus tertius Imperatores: [Gallicanis Episcopis, omnibusque pro lege sit quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas.] Exstat in Codice Theodosiano. Condendi Canonis potestatem nequaquam conferunt Romano Episcopo, sed auitum morem, & Euangelicum Institutum declarant, ac firmant. Et ad omnes vbique Orthodoxos scribit Magnus Athanasius: [Non nupera, aut nouitia res est Canonum Ecclesiasticorum institutio, sed à primis vsque Patribus per manus tradita est, & fundata in Ecclesijs.] Etenim rigidum illum, & in omnibus olim sub Cœlo Ecclesijs obseruatum, qui tribus grauioribus peccatis Sacramentalis reconciliationis Viaticum, etiam morituris negauit, Canonem Montanistæ, ac Nouatianenses malè asseruerunt esse Diuinum Institutum: Nequidem fuisse Apostolicum, ostendi in Scholijs ad Canones Nicænos. Erat Canon Romanæ Ecclesiæ. Eius item pro mœchia circumductionem, seu mitigationem fuisse Zephyrini Pontificis Edictum testatur in libro de Pudicitia Tertullianus. Et ipsum ab omni sub Cœlo Ecclesia fuisse receptum, lucet ex sancti Cypriani literis ad Episcopum Antonianum. Pauci, qui non recipiendum duxerant, episcopi adduxerunt excusatorias rationes. Eumdem Canonem pro Thurificatis, Libellatis, aut alia quauis idololatria pollutis circumducendum, ac mitigandum vacantis Romanæ Ecclesiæ Clero suasit laudatus Cyprianus, circumduxit autem, ac mitigauit, variasque dandæ illis pacis regulas fixit sanctus Cornelius Papa. Et omnis Ecclesia recepit. Celebrandum vbique in Dominico die Pascha sanxit item Pius Pontifex, & eius Successor Victor validè confirmauit. Nec aduersùs ipsorum auctoritatem, sed aduersùm solas rationes Asiatici episcopi intercesserunt. Nec desunt alia similia exempla.

In famoso aduersùs nepotem suum Laudunẽsem Episcopum opusculo respõdet Hincmarus Metropolita Rhemensis: [Animaduertenda est discretio inter synodalia Concilia, & Apostolicorum virorum epistolas, quas ante Concilia celebrata diuersis temporibus dederunt]. Primitiuam Ecclesiam Apostolicis Decretis, seu Rescriptis fatetur fuisse gubernatam, [Donec per sacra Concilia Patres nostri in vnum conuenientes, mansuras vsque ad finem sæculi leges condiderunt]. Hisce solis vult iam pridem regi Ecclesiam, ipsas à Romano Pontifice non posse aboleri, nec addi alias, nisi ex ipsis desumptas. Varia id sancti præsertim Gelasij Pontificis, ac sancti Augustini auctoritate conatur stabilire. Duas miscet quæstiones. Prima est, An legitimos generalium synodorum canones Romanus episcopus abrogare possit, aut mutilare? Altera est, An ipsis possit alios addere, licèt ex eis non depromptos? Prima quæstio ad præsentem locum non spectat, ad alteram constanter respondendum est affirmatiuè. Etenim omnium generalium synodorum prima, & Princeps est Nicæna, quæ suprà sancti Petri Romanam Cathedram nihil fuit ausa constituere, sciens illi omnia commissa à Domino: Ita ad Thessaliæ episcopos scripsit Bonifacius primus. Longè ergò minus voluerit, aut potuerit laudata Synodus, laudatam Cathedram auita condendorum Canonum auctoritate exuere, aut hanc circumscribere ad certos fines, & modos Gallicanarum, aliarumque Prouincialium synodorum Canones non esse paris cum Nicænis, aut Chalcedonensibus ponderis rectè fatetur in opusculo contra Barbaram Burgundionum de duellis legem Agobardus Metropolita Lugdunensis, rectèque adiungit: [Congrua veneratione pro causis necessarijs, quarum definitiones in generalibus non inueniuntur, fides est Gallicanis

Cap. 25. Cap. 11. 12.

canisCanonibus adhibenda religione debita, & melius est vnicuique eorum sequi auctoritatem, quàm proprium sensum.] Quod ipsum pluribus confirmat in opusculo, De Rerum Ecclesiasticarum Dispensatione. Vt non decisis per generales synodos quæstionibus darentur regulæ, bis per annum fieri in quauis Prouincia synodum Patres sanxerunt. Qua potestate per omnem Ecclesiam fungi etiam Romanos Pontifices quis inficietur? Eam statim post Nicænam synodum exercuerunt Syluester, ac eius Successores, initi ante Sacrum Ordinem coniugij vsum, quem illa ob Paphnutij episcopi intercessionem non damnarat, damnantes pro omni Latina Ecclesia, ac rigidissimè proscribentes. Sabbathi item ieiunium, & variam aliam Ecclesiæ disciplinam promanasse à laudato Syluestro, cunctis Ecclesiasticarum rerum peritis est manifestum. Etiam matrimonij vltra secundum gradum impedimenta induxit solus Gregorius secundus. Nec desunt alia sine numero exempla.

Cap.20.

Et aliud non docent Magnus Basilius, aut eius frater Gregorius. Basilius enim non de condendi noui, sed de antiqui, datum, vel acceptum in hæresi baptisma exufflari vetantis, Canonis exponendi potestate agit, aitque quæstionis huius pondus ob Romanæ Ecclesiæ aduersantem sibi auctoritatem esse tantùm, vt à se vno decidi non possit, sed synodo sit omninò opus. Etiam Gregorius sese dumtaxàt dicit ad condendorum circa omissos à Patribus casus Canonum potestatem non esse fide dignum, seu aptum: Quod nempè non Romanorum esset supremus Pontifex, sed Prouincialis solummodò episcopus modicæ in Cappadocia Nyssæ. Symboli additamentum inuoluit Ephesini Canonis derogationem, ideòque an à solo Pontifice fieri potuerit, est inuoluta quæstio, nec spectat ad hunc Dictatum. Quidquid sit, præsentem veritatem amplexus tandem est Hincmarus, cum alijs Pontigonensis Concilij episcopis sanciens hunc Canonem: [Vt honor Domno, & spirituali Patri nostro Ioanni, Summo Pontifici, & venerabili vniuersali Papæ, ab omnibus conseruetur, & quæ secundùm sacrum suum Monasterium auctoritate Apostolica decreuerit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia ab omnibus conseruetur.

Quæstio est, An hæ voces, Papæ soli, non dumtaxàt generalem totius Ecclesiæ, sed etiam Occidentalis Patriarchatus, aut certè Romanæ Prouinciæ particularem synodum, ac item Dominorum Cardinalium Collegium excludant? An condendorum Canonum auctoritatem adscribant soli Pontificis personæ? Partem affirmatiuam suadet Cardinalis Bennonis in nostrum septimum Gregorium Inuectiua: [Gregorij, eiectis à consilio, & custodia eius Cardinalibus, vita, & fides, & doctrina sine testibus fuit, cum sacri Canones præcipiant, vt in omni loco tres Cardinales Presbyteri, & duo Diaconi Papam non deserant, propter testimonium Ecclesiasticum, & propter stylum veritatis]. Addit ab ipso etiam Henricum Cæsarem præter voluntatem, & consilium Cardinalium, ideòque citra canonicum iudicandi ordinem, fuisse excommunicatum. Videtur ergò Gregorius omnia solus egisse. Respondeo Cardinalem Bennonem insigniter calumniari. Omnia enim sua Decreta, & Edicta, & quæuis maiora negotia, non solùm cum Cardinalibus, sed etiam cum sua quandoque Patriarchali, quandoq; Prouinciali, quandoque ex solis vicinis, aut aduenis episcopis collecta synodo egit Gregorius: More Maiorum. Olim enim non tantùm Romanorum Pontificum, sed omnium etiam Patriarcharum, aut Metropolitarum Decretales epistolæ semper fuerunt synodales. Quocircà præfatæ voces excludunt solam generalem synodum. Plures Iustiniani Imperatoris leges habent hâc finalem additionem: Recitata septies. Legendum est, Septimi. Septimum enim fuit Constantinopolitanæ Vrbi vicinum Palatium, in quo frequens fiebat adunatio Senatus, adeòque, & illic per Principem, aut eius sanctius consilium conceptæ leges recitabantur. Lex enim non erat lex, nisi priùs per Notariorum Primicerium in Senatu recitata, & probata. Romani Pontificis Senatus est aliqua eius synodus, ac eius noui Canones, per hanc olim fuerunt semper probati. Verùm Dominorum Cardinalium auctoritas paulatim excreuit, & sacri istius Senatus amplitudo tandem ad ipsos solos contracta est, ac solus ipsorum consensus nouos Canones iam pridem firmauit. [Dominorum Cardinalium, inquit Ioannes de Turrecremata, [consilio, & assensu Summus Pontifex regit, disponit, atque gubernat vniuersalem Ecclesiam]. Quem morem cum antiqua forma cōciliare conati Cardinalis Cusanus, atque Basileense Concilium, sanxerunt Cardinales assumi è diuersis nationibus, ipsos apud Pontificem esse suæ nationis Vicarios, & Legatos, atque ita ex ipsis sine quouis alio episcopo componi synodum totius Occidentis. Huc etiam respicit Cardinalis Hostiensis, dicens, [Cardinales loco vniuersalis Ecclesiæ suum habere officium]. Et tales synodos olim omninò habuit Africana Ecclesia. In condendis hodie Canonibus Romani Pontifices solo vtuntur Cardinalium consilio, non exquirunt consensum.

In christianis terris, proprios episcopos habentibus, sine Ordinarij, cuius Parochia dismembranda est, consensu non posse erigi nouos Episcopatus affirmat in suo ad sexagesimum Carthaginensem Canonem Commentario Theodorus Balsamon, & adiungit: [Fieri episcopos de nouo in Parochijs, quæ sunt alijs episcopis subiectæ, sine Regio mandato non permittitur, etiamsi millies consenserit, qui eam habet episcopus. Synodicè enim constitutum est, vt nec ipsa magna synodus sine iussu Regio possit nouare episcopos]. Et quidem episcopi, qui aliqua Diœcesis suæ parte spoliandus venit, assensū requirit etiam secunda Carthaginensis synodus: [Diœceses, quæ numquam habuerunt episcopos, non habeant. Et si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desiderauit proprium habere Rectorem, eius voluntate, in cuius potestate Diœcesis est constituta, habeat episcopum]. Quem Canonem ad Epigonij episcopi querimonias, & preces tertia etiam synodus innouauit, & confirmauit. Est & alius in vaga illa collectione Africanus Cap.5.

 Ca-

Canon: [Plebes, quæ numquam habuerunt
Cap.65. proprios episcopos, nisi ex Concilio plenario vniuscuiusque Prouinciæ, & Primatis, atque consensu eius, ad cuius Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, minimè accipiant]. Et Syluanum Calaguritanum episcopum, non solùm quod sine Metropolitica auctoritate, sed etiam sine Cæsar-Augustani episcopi consensu nouum in eius Diœcesi Episcopatum erexisset, apud Hilarum Pontificem grauiter accusauit Ascanius Metropolita Tarraconensis. Et de quibusdam, quos ad Vvambæ Regis violentiam sine Ordinariorum assensu erexerat, nouis Episcopatibus Stephanus Emeritensis Metropolita à duodecima Toletana Synodo veniam suppliciter rogans, impetrauit cassari suum factum, ac deinceps seruari laudatos Africanos Canones. Eamdem esse Nicænorum, Sardicensium, Laodicensium, ac Taurinensium Canonum sententiam laudata synodus ostendit. Et Dunensem Episcopatum, quem de Sigeberti Regis consensu erexerat in Carnutensi Diœcesi sine Pappoli episcopi licentia Ægidius Metropolita Rhemensis. ad eiusdem Pappoli intercessionem exstinxit quarta Synodus Parisiensis. Rei succes-
Lib. 7. c.17. sum multis exponit in Francorum Historia sanctus Gregorius Episcopus Turonensis. Addit etiam Arisitensem, ab eodem Rege erectum, Episcopatum fuisse exstinctum ad preces Dalmatij Episcopi Ruthenensis. Venta-
L. 5. cap. 5. næ item ciuitatis Episcopatum, quem inuito Agilberto Dorcincano episcopo erexerat
L. 3. c.7. Cenvvalch Occidentalium in Anglia Saxonum Rex, à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo fuisse synodaliter cassatum affirmat in Anglorum Historia Venerabilis Beda. Quomodo sanctus Imperator Henricus Bambergensem Episcopatum sine Henrici Herbipolensis episcopi assensu, nec erexerit, nec erigere potuerit, multis refert eius vita publicata per Iacobum Gretzerum. Quam perti-
C.14. 15. naciter episcopus restiterit, & quanta humilitate Princeps illum tandem inflexerit, vi-
Lib. 6. dere possis apud Ditmarum episcopum Merseburgensem. Apud eumdem, necnon, & apud Vvuitichindum Monachum videre possis Magdeburgensis Archiepiscopatus, & aliquot Suffraganearum sedium, & Ottonis primi Imperatoris preces decretam à Romano Pontifice, & Archiepiscopo Moguntino, erectionem fuisse dudum impeditam, & suspensam à solo Bernardo episcopo Halberstadiensi. Eius tandem Successor Hilduardus inflexus laudatas ciuitates à suæ subiectionis, & obedientiæ vinculo solemniter absoluit, atque ita in erectionis executionē etiam Ioannes decimus tertius Pontifex, ac eius apud Rauennam celebrata synodus consensit. Plurima adduci possint similia exempla.

Regium consensum mirè in suis ad centesimum secundum Carthaginensem Canonem Scholijs exaltat Theodorus Balsamon, dicens sine Metropolitæ, Parochiæ suæ parte priuandi episcopi, ac totius synodi assensu non posse nouum Episcopatum erigi, & adiungens: [Prouinciæ decernet synodus, nisi Rex pro sibi data à superis potestate aliquid aliud voluerit]. Et ad Canonem sexagesimum: [Et de eo in alijs Canonibus scriptum est]. Ad Canonem sextum decimum dicit ita statutum esse per synodum Chalcedonensem, & Trullanam. Etenim duodecimus Chalcedonensis Canon mandat, vt nouæ, quam per Prouinciæ alicuius sectionem Princeps erexerit, Metropolis Cathedra Episcopalis etiam Metropolitica fiat, licèt non re, ac potestate, tamen nomine, & honore. Octauus autem, & trigesimus Trullanus canon omnem ciuitatis dignitate à Principe donatum locum donari mandat etiam Cathedra Episcopali. Et Ecclesiasticam Hierarchiam ciuili Romanorum Monarchiæ per omnia conquadrarunt etiam Apostoli, & ipsum à suis posteris iusserunt faciendum. Et hinc sanctum Basilium, omnemque eius synodum, quod sine Principis auctoritate nouos in prima Cappadocia creassent Episcopatus, in læsæ Maiestatis, & violatorum Canonum reatum vocauit Demosthenes Prouinciæ Præfectus. Etiam sanctum Gregorium Nazianzenum, quod vnum ex illis Zazymorum Episcopatum acceptasset. Episcopatuum Epist. 385. erectionem spectare ad solos Laicos Principes multis demonstrare conatur Marcus Antonius de Dominis. L.6. c.

Respondeo Theodorum Balsamonem loqui ex friuola Schismaticorum Græcorum Theologia, quæ Augusti Principis Regiam vnctionem asserit esse noui Testamenti Sacramentum, eminentius & ad quasuis sacras functiones efficacius ipsa etiam Episcopali consecratione. Nullus olim Imperator attentauit quid eiusmodi, ne quidem Valens, homo Arianus. Quo sanctum Basilium vexaret, Cappadociam ille secuit, atque ita Thyanam, nouam secundæ Metropolim, vnà cum suffraganeis Ecclesijs Cæsariensi Cathedræ subtraxit, sanctus autem Archiepiscopus istam suæ synodi iacturam reparaturus, nouos in varijs locis Episcopatus erexit: Nequaquam tamen de læsa Maiestate, sed de violato dumtaxat Canone fuit vocatus in culpam, quod quidam in pagis, & viculis dicerentur erecti. Et reuera Zazyma fuit Vicus adeò miser, vt laudatus Gregorius illic nec residere vmquam voluerit, nec offerre. Et antiquum morem, seu Canonem, qui ad Ciuilis Prouinciæ diuisionem diuidebat etiam Ecclesiasticam, nullo modo probauit Chalcedonensis Synodus, sed extinxit. Neque mos iste à diuidente Principe, sed ad eius opus à Patriarcha, aut Primate erigi iubebat nouam Metropolim, aut certè in Principis reuerentiam ipse Canon erigebat. Eodemque sensu loquitur synodus Trullana. Attamen non in solo, sed dumtaxat in omni ciuitatis ius habente loco mandat erigi sedem episcopalem. Etiam in alijs, dummodò insignibus, ac populosis, erigi nullus vnquam Canon interdixit. Lucet ex iam laudato facto sancti Basilij. Et in Fussalensi oppido id ipsum faciendum à Numidiæ Primate impetrauit sanctus Augustinus. Et generatim ad nouo episcopatui dandam originem, non ciuilem ciuitatis dignitatem, sed solius populi multiplicationem requisierunt secunda, ac tertia Synodus Carthaginensis. Quod ipsum probauit sextus Sardicensis Canon, dumtaxat vetans in pago, aut paruo loco, cui vnicus sufficiat presbyter, erigi Cathedras Pontificales. Ciuitatis dignitatem nullo modo requirit.

quirit. Plures sunt eiusmodi Canones, plura exempla.

Huic igitur negotio primùm se miscere cœperunt Romani Imperij laceratores Reges Barbari: Gothi, Wandali, Franci, Burgundi, Angli, Longobardi. Ex Episcopis, Abbatibus, ac Proceribus mixtam instituerunt Regnorum suorum Curiam, seu Synodum, ideoque vti sine suo consensu nullum consecrari nouum Episcopum, ita multò magis nullum permiserunt erigi nouum Episcopatum. Ipsos instituere adeò non fuerunt permissi, vt illos, quos ad violentas Wambæ Regis iussiones instituerat Stephanus Metropolita Emeritensis, suprà audiuerimus fuisse cassatos à duodecima synodo Toletana. Et ad Childebertum Francorum Regem, parantem Meloduni in Senonensi Diœcesi nouum episcopatum erigere, scripsit eiusdem sedis Metropolita Leo: [Illa debent vestris fieri temporibus, vnde & pax inter Sacerdotes esse possit, & plebs non permittatur à Pastoris proprij custodia per nouam, & illicitam ordinationem diuelli. Custodite, quæso, statuta Patrum, & Canonum seueritate constricti non patiamini ad petitionem eius plebis, superstite proprio Sacerdote, alterum episcopum ordinari. Ostendit attentatum hoc esse pessimam nouitatem, & concludit: Gloria vestra optimè debet, & credere, & scire, quia si contra statuta Canonum quicumque episcoporum sine consensu nostro Meloduni episcopum voluerit ordinare, vsque ad Papæ notitiam, vel synodalem audientiam, tam hi, qui ordinauerunt, quam qui ordinatus fuerit, à nostra erunt communione seiuncti.] Quin & malè extinctum Merseburgensem episcopatum restituere sine episcopali auctoritate sanctus Imperator Henricus non præsumpsit. Ita habes in eius vita.

Regij tamen consensus necessitatem episcopi passim admiserunt. Hinc enim Childebertum Regem arguit laudatus Leo, non solùm, quod sine sua Metropolitica potestate, sed etiam quod sine Theodoberti Regis, in cuius Regno erat Melodunum, aut certè Senonensis ciuitas, licentia episcopatum erigere attentasset. Etiam Dunensis episcopatus de Sigeberti Regis licentia fuit erectus. Et Apostolum nostrum sanctum Bonifacium, quod cum assensu Ottilonis Ducis tres nouos episcopatus creasset in Bauaria, laudauit Gregorius tertius. Olomucensem in Morauia

Epist. 7. episcopatum Adrianus II. episcopatum Nitrensem erexit Ioannes VIII. aliorum erectionem relinquens gentis Apostolo sancto Methodio, ac Duci. Quod Regium ius quidam

Ep. 194. 24. volunt adeò firmum semper fuisse in Gallia, vt primus illud infringere tentarit Bonifacius octauus Pontifex, de quo Thomas Vvalsingamensis: [Vrbs Apamea hoc anno proprium

Ann. 1297. accepit Episcopum, à Tholosano episcopatu per Papam Bonifacium separata, sed citò post Ludouicus filius Regis Siciliæ episcopus factus episcopatum tenuit reunitum.] Etenim Francorum Rex Philippus Pulcher Papale factum circumduxit, coactusque fuit Bonifacius Regium consensum expostulare.

Ast longè aliud clamat Primatus Ecclesiæ Lugdunensis. Adeò enim ipsum sine Regio assensu instituit Gregorius VII. vt ad Calixtum II. pro Senonensi, Primatum illum constãter refutante, Archiepiscopo scripserit Rex Ludouicus VI. [De sententia in Metropolitanum Senonensem pro nostro honore relaxata animum nostrum ex parte mitigastis. Sed quoniam ad tempus est relaxata, suspensum vehementer, & dubium reddidistis. Videtur enim aliquam adhuc spem habere Lugdunensis Archiepiscopus super illa, quàm quærit, subiectione. Sed vt verum fatear, sustinerem potiùs Regni nostri totius incendium, capitis etiam nostri periculum, quàm bonis subiectionis, & abiectionis opprobrium. Videtur enim ad nostrum respicere contemptum, contra nos hoc modo fieri, quod numquam extiterat factum.] Germanico Imperio tunc suberat Lugdunensium ciuitas, ideoque eius episcopum suorum Metropolitanorum esse Primatem, Francorum Reges detestabantur. Regni sui in Apostolicam Sedem merita, & præstita aduersùm nuperas Henrici V. Imperatoris violentias adiutoria extulit omni eloquentiæ conatu laudatus Rex, & tamẽ istius Primatus extinctionem à Callixto non potuit impetrare. Nec enim solum Gregorij VII. factum, sed & præsentem eius, Laicæ huius seruitutis excussorem, Dictatum censuit Pontifex esse constanter sustinendum. Eumdem insigniter sustinuit sanctus Iuo Carnutensis episcopus, Paschali secundo, ne Tornacensem à Nouiomensi, cui per quadringentos fermè annos fuerat adiunctus, episcopatum contra eiusdem Ludouici Regis voluntatem separaret dehortans, atque adiungens: [Nec in hoc resistimus, quin possit Epist. 238.
sedes Apostolica Parochiarum amplitudinem minorare, aut breuitatem dilatare, si vtilitas populi Dei ita exigat, & nullum indè schisma contingat. Quia ergo Rex Francorum, vtpotè homo simplicis naturæ, erga Ecclesiam est deuotus, & Sedi Apostolicæ beneuolus, petimus, & consulimus, vt à beneuolentia eius nulla vos subreptio subtrahat, nulla persuasio disiungat.] Palàm fatetur Regio consensu non egere Pontificem, verùm istius episcopatus restaurationem non conuenire ostendit multis, ideoque supplicat amicum Regem non offendi, & Germanicum Sacerdotij, ac Regni schisma in Gallias nõ induci. Et persuasit. Verùm addit in appendice ad Sigebertum Gemblacensem Robertus Abbas Montensis: [Ecclesia Tornacensis, quæ per annos circiter sexcentos, à tempore Beati Medardi, sub episcopo Nouiomensi sine proprio fuerat Sacerdote, hoc anno proprium Ann. 1146.
episcopum cœpit habere, Anselmo Abbate sancti Vincentij Laudunensis à Papa Eugenio Romæ consecrato, & eidem ciuitati in episcopum destinato.] Acta hæc sunt auctore sancto Bernardo, scribente ad Mediolanenses: [Plenitudo potestatis super vniuersas orbis Ecclesias Apostolicæ Sedi donata est. Potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare episcopatus, vbi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio dictauerit, ita vt de episcopis Archiepiscopos creare liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit. Acta sunt sine assensu Regis Ludouici septimi. Hinc enim Epist. 131.

An-

Anselmum Abbatem, Romæ casu repertum, ne fortè Rhemēsis Metropolita sine Regis venia non fuisset ausus, proprijs manibus Eugenius Pontifex consecrauit. Literas, quibus Clerum, & populum Tornacensem à Nouiomensis Ecclesiæ obedientia absoluit, ac ad Anselmo deinceps obediendum adstringit, & quibus Ludouicum Regem ad suis hisce nouis dispositionibus non aduersandum adhortatur, nuper publicauit eruditus vir Lucas Dachetius. Eadem de causa Lambertum, primum restitutæ Atrebatensis Ecclesię Electum, consecrauit Vrbanus II. Quod nempè episcopatum illum, Cameracensi iampridem vnitum, non solùm Henrico IV. Imperatore, sed etiam Philippo Francorum Rege, & Flandrensium Comite Roberto repugnantibus restituisset, ideoque laudatum Electum Rainaldus Rhemensium Archiepiscopus non auderet consecrare. Dura, & longa fuit hæc tragedia: Vrbano tamen Pontifici sanctus Petrus Apostolus donauit victoriam, exponendam latiùs in Scholijs ad synodum Claromontanam.

Tom. 5.

Et Rex Philippus Pulcher videtur his non obuiasse. Etenim opulentæ, ad quam Apameense spectabat oppidum, apud sanctum Antoninum Abbatiæ perpetuam protectionem, seu aduocatiam, & certam exindè reddituum portionem Ludouico sancto Regi dederat Clemens IV. Pontifex, atque ita illius iam dictus nepos, & successor sibi substituit Rogerium Comitem Fuxiensem, Abbatiæ aduersarium, de quo in Bonifacij VIII. Apologia Ioannes Rubeus: [Fidem & iuramentum mox exegit à Clientibus Monasterij, & quæ hostilis sunt detentionis exercens, enormia, & grauia commisit.] Hinc Abbatiam aduersùs talem protectionem protecturus laudatus Bonifacius, ipsam erexit in Cathedram, ac eius Abbatem prouexit in primum episcopum, secutus hunc Rhemensem Eugenij tertij Canonem: [Subaduocatos, & exactores eorum modis omnibus ab Ecclesiarum infestationibus remoueri præcipimus. Quod si quis contra hanc sententiam de cætero attentare præsumpserit, Christianorum careat sepultura.] Censebat Regem aduocatiæ iuribus excidisse, ideoque ad extinguendum monasterium non esse opus eius assensu. Verùm integra sibi esse auita iura prætendebat Philippus, ideoque extinctionem istam sine se non potuisse attentari, nec à se permitti. Aduocatus enim aliud non est, quàm Monasterij aduersùs quamuis iniuriam, extinctionem præsertim, constans, ac intrepidus defensor. Non ergo de Regis, sed de Apostolici aduocati iure fuit hæc quæstio, Quidquid sit, Philippi Pulchri in octauum Bonifacium insolentia nequit ponere legem. Etiam Anglorum Reges, ac Germanorum Augusti dudum recalcitrarunt aduersùs præsentem Gregorij Dictatum, tandem tamen vicit Apostolica potestas, & iam pridem vbique viget.

Lib. 1. c. 16.

Cap. 6.

Etiam episcopi, à cuius Parochia decidendus est nouus episcopatus, consensum extinguens Gregorius, antiquo, ac generali Patrum Canoni non est aduersatus. Etenim nouis episcopatibus erigendis modum præscribens Sardicensis Canon, nec apicem habet de episcopi consensu. Et Syluanum Calaguritanum episcopum arguit Hilarus Pontifex, non quod sine Cæsaraugustani episcopi assensu, sed solùmmodo quod sine Ascanij Tarraconensis Metropolitæ auctoritate nouam in illius Parochia Cathedram fixisset. Et magnus Basilius de reformanda Isaurorum Ecclesia scripsit ad S. Amphilochium Metropolitam Iconiensem: [In primis id agamus, vt exiguæ ciuitates, & tenuiores viculi, quibus olim episcopi præsidebant, præpositos suos nanciscantur. Tum episcopum profectò Vrbis excitabimus, ne qui constituetur sit impedimento nobis aliquo ad consequentem rerum dispensationem, neue bellum domesticum exordiamur gerere propter illam pluribus imperandi cupiditatem. Postremò, ne nolit suffragio suo ratas facere episcoporum ordinationes.] Isaurorum Ecclesia, olim diuisa in plures, tunc contra consuetum Prouinciarum morem contracta erat ad vnicum episcopum, & antiquam formam Basilius iudicabat omninò reponendam. Faciendum id suadet vacante Sede, ne forsan sese opponat episcopus, moueatque bellum intestinum. Eius ita dissensum, vtpote ex pluribus imperandi cupiditate consuetum enasci, censuit contemnendum. Et Augustus olim Princeps, vt oppidum, vel castrum in ciuitatem eueheret, adeoque Patriarcham ad inducendam isthic nouam Cathedram cogeret, nullo indigebat assensu episcopi: Cur ergo indigeat ipse Patriarcha? Et dum Gregorius secundus, ac Zacharias Pontifices in Francia, ac Bauaria nouos episcopatus fundarunt per Legatum suum sanctum Bonifacium, nullum Ordinarij assensum leguntur exquisiuisse. Nempè nullus generalis Ecclesiæ Canon, sed solus pacis amor, & quarumdam gentium mos, quo ligari numquam voluit Apostolica Sedes, sustinuit istam necessitatem.

Epist. 406.

Voces, [Quod soli Papæ licet, possint habere duplicem sensum. Primus est: Soli Papæ sine Regis, aut Episcopi consensu licet nouos episcopatus erigere. Et hunc iam exposui. Alter est: Nemo præter Papam potest deinceps erigere, exstinguere, diuidere, aut vnire episcopatus.] Et quæstio est, an etiam hunc Gregorius noster intenderit? Respondeo affirmatiuè. Hanc in Ecclesia Latina potestatem Sedi suæ deinceps reseruauit. Et hinc Tornacenses, ac Atrebatenses exstinctam sibi reparari Cathedram, non à suo Metropolita, aut eius synodo, sed ab Vrbano secundo, Paschali secundo, ac Eugenio tertio postularunt, atque impetrarunt. Nullus præter Papam exinde legitur episcopatus erexisse. Anglorum quidem, & Hibernorum Pontificales, passim in vilibus contra Canones locis fixas Cathedras, ante hunc Dictatum cœpit ad digniores ciuitates suæ synodi auctoritate transferre sanctus Lanfrancus, verùm ipso posterior sanctus Anselmus sine papali assensu non perfecit. Aduersùs nimiam episcopatuum erectionem statuit Africana Ecclesia: [Plebes quæ numquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex Concilio plenario vniuscuiusque Prouinciæ & Primatis, atque consensu eius, ad cuius Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant. Erectionem hanc à tot conditionibus suspendit. Cur ergo eam-

Cap. 65.

eamdem Apostolica Sedes non possit sibi reseruare? Solis Patriarchis, ac Autocephalis Primatibus competere ex antiquo Canone, & quibusdam hinc inde Metropolitis fuisse sola dissimulatione indultam, insigniter lucet ex facto sancti Athanasij Patriarchæ Alexandrini. Palebisca, Erythrensis in Pentapolitana Prouincia Ecclesiæ oppidum, ob Orionis episcopi senectutem, & nimiam facilitatem elegerat sibi proprium episcopum, ipsumque consecrauerat laudabilis quidem vitæ vir, sed in rebus agendis audacior, Philon episcopus Cyrenensis, atque hac de re ad Theophilum Patriarcham scribit sanctus Synesius Ptolemaidis episcopus, dictæ Prouinciæ Metropolita: [Formidolosis Valentis
Epist. 67. Ariani Imperatoris temporibus summum ius prætermitti necesse est. Ideò magnus ille Athanasius id tempori dedit.] Palàm dicit sine Athanasij auctoritate fieri non potuisse. Alexandrini Patriarchæ suorum iurium fuerunt semper tenacissimi. Hinc nullus ibi vnquam Metropolita, aut prouincialis synodus legitur episcopatum erexisse. [Mos est,
L. 68. inquit in Panario sanctus Epiphanius, Alexandrinorum Archiepiscoporum, vt per totam Ægyptum, Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, & Pentapolim, ecclesiastica negotia administrent.] Et in literis aduersùs venerabilem Frumentium Auxumios episcopum Imperator Constantius: Georgius, Alexandriæ episcopus, in creandis, ac dijudicandis episcopis summam auctoritatem habet. Et Hypselitarum episcopus Arsenius è Meletij schismate accedens ad vnitatem Catholicam, inter varia professus est sancto Athanasio [sc. citra eius sententiam nullum de episcopis, aut alio dogmate communi, & ecclesiastico editurum esse decretum, sed cessurum Canonibus ante susceptis, ad exemplar, & modum Ammoniani, & Tyranni Metropolitæ Pelusiani, & aliorum episcoporum.] Qui Canon adeò strinxit cunctos istius Diœcesis episcopos, vt omnes simul in Chalcedonensi synodo sint protestati esse sibi antiquissimum morem, & consuetudinem, ex qua etiam generalium synodorum dogmaticis definitionibus non possint subscribere sine sententia, & iussione sui Patriarchæ. Et laudata synodus protestationi tandem acquieuit. Supremam illam, quam in suos suburbicarios episcopos semper habuit Romanus Pontifex, potestatem Alexandrinus semper habuit in omnem suam Diœcesim: Præter ipsum nullus potuit illic vllum consecrare episcopum, multò minus erigere nouum episcopatum. Hoc ergo commune patriarchicum ius sibi Gregorius septimus per omnes Romani Patriarchatus Diœceses restaurauit. Dico, per Romani Patriarchatus Diœceses: Etenim solos suos Metropolitas, & ipsorum synodos indulta huc vsque potestate, nequaquam Patriarchas auito suo iure mutilauit. Et hinc non tantùm Græci Constantinopolitani, sed etiam Latini Antiocheni, & Hierosolymitani Patriarchę perrexerunt episcopatus vnire, diuidere, exstinguere, erigere, nullusque vnquam Pontifex ipsis contradixit.

CANON VIII.

Quòd solus Papa possit vti Imperialibus insignijs.

SCHOLION.

Respicit Gregorius ad famosum Constantinianæ donationis instrumentum, ex quo ad Henrici quarti Aduocatum dixit in synodali disceptatione etiam sanctus Petrus Damiani: [Constantinus Syluestro, eiusque successoribus obtulit, vt regali more, & aurea corona plecterentur in capite, & cæteras regij cultus infulas vsurparent. Verùm beatus Syluester ornamenta, quæ sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios vsus assumpsit, coronam verò, vel cætera quæ magis ambitiosa, quàm mystica videbantur, omisit. Et ex hoc fonte etiam processit, quod de Bonifacio octauo scribit Conradi Abbatis Vspergensis supplementum: Bonifacius penès se vtriusque gladij potestatem esse affirmabat, quod ipso apparatu in Iubilæo, qui tum Romæ agebatur, solemniter ostentauit. Primò quidem solemni die in pontificalibus apparens populo, Apostolicam illis benedictionem impartitur. Postera die, Imperiali habitu, infula Cæsarea insignis, gladium nudatum ante se iussit deferri. Et se- An. 1294.
dens alta voce restatur: Ecce duo gladij hìc.] Plurium Iurisconsultorum, qui non solam Romanam Vrbem, sed omne cum spectantibus ad ipsum Regnis Occidentale Imperium fuisse à Constantino datum Syluestro tunc passim docebant, sententiam Bonifacius sequebatur. Et quidem istud donationis instrumentum à cunctis tunc adeò credebatur authenticum, vt ipsum admiserit etiam Henrici Regis Aduocatus.

Esse spurium, & fictitium nemo eruditus hodiè dubitat, eius tamen à nostro hìc Gregorio respectus articulus non caret omni fundamento. Etenim in opusculo aduersùs Gerardum Engolismensem episcopum scribit Arnulphus episcopus Lexouiensis: [Quibus vestibus induatur Pontifex, iam non ex ipsius pendet arbitrio, sed sanctorum Patrum Cap 4.
antiqua constitutione decretum est. Et de Constantino Papa, Regiam Vrbem ingrediente, Anastasius Bibliothecarius: Pontifex, & eius Primates cum Sellaribus Imperialibus, sellis, & frœnis inauratis, simul & mappulis ingressi sunt ciuitatem. Apostolicus Pontifex cum Camelaugo, vt solitus est Romę procedere, à palatio egressus in Placidias vsque properauit.] Et de schismatica Vrsicini aduersùs sanctum Damasum electione, & eam ob causam Romæ patratis in Ecclesia motibus, & cædibus scribit homo gentilis Ammianus Marcellinus: [Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans Vrbanarum, huius rei cupidos, ob impetrandum, quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere, cùm id adepri futuri sint ita securi vt ditentur oblationibus Matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas,

adeò

adeò vt eorum conuiuia Regales superent mensas, Qui esse poterant reuerà beati, si magnitudine vrbis despecta, quam vitijs opponunt, ad imitationem Antistitum quorumdam prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi, porandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo Numini, verisque eius cultoriqus, vt puros commendant, & venerandos. Ex tunc ergo Pontifex habuit splendidum ornatum, distinctum à veste cæterorum episcoporum.

Notanda sunt verba: Securi vt direntur oblationibus matronarum. Edicunt papales opes tunc non è Romanæ Vrbis, aut vicinarum Prouinciarum prouentibus, sed è solis fidelium oblationibus processisse, ideòque aduersùs Constantini donationem suggerunt validum argumentum. Notanda sunt item hæc verba: [Eorum conuiuia regales superant mensas.] Ipsorum vestitum dicit non Regium, sed dumtaxàt circumspectum, ideòque regalia Pontificum indumenta videntur tunc necdum apparuisse. Regiam coronam, seu coronatam tiaram Hormisda Pontifex primus accepit à Clodoueo Francorum Rege, de quo liber Pontificalis: [Eodem tempore venit regium donum cum gemmis pretiosis à Rege Francorum Clodoueo Christiano, beato Petro Apostolo. Exponit in Rhemensis Ecclesiæ Historia Flodoardus: Rex Ludouicus, exhortante sancto Remigio, Regnum, hoc est, Coronam cum gemmis pretiosis auream, donum beato Petro Apostolo misit.] Nulla est antiquior regni memoria, ideòque videtur non esse donum Constantini. Quòmodo suam ex aureis filis contextam stolam ad celebrandum baptismatis Sacramentum, & honorandam Hierosolymæ Ecclesiam, Macario episcopo dederit laudatus Constantinus, lucidè enarrant antiqui Ecclesiæ Scriptores: De plena regij ornatus in Romanum Pontificem communione quomodo tacuissent? Hormisdæ missum regnum fuisse istud ipsum, quod vnà cum bractea tunica in collati per codicillos Consulatus ornamentum Clodoueo Regi transmiserat Anastasius Imperator, insinuat Sigebertus Gemblacensis.

Quidquid sit, prætensa Constantini donatio sic habet: [Tradidimus sanctis Apostolis, beatis Dominis meis Petro, & Paulo, ac post illos beato Syluestro, Patri nostro, magno episcopo, & Catholico Papæ Vrbis Romæ, omnibusque successoribus eius, Imperatorium nostrum palatium Lateranense, quod superat, atque vincit omnia mundi palatia. Præterea etiam diadema, siue coronam capitis nostri. Tum lorum quoque & humerale, quod Imperatoriæ Maiestatis collum cingit. Simul etiam purpuream chlamydem, & tunicam coccineam, omniaque Imperatoria indumenta, necnon Imperatoriorum iumentorum insignia. Et iterùm: Sancimus ad hæc, vt & ipse pius Pater noster Syluester, magnus episcopus, & omnes episcopi successores eius, gestarent diadema, siue coronam ex puro auro, & inæstimabilibus margaritis confectam, quam ipsi ex capite nostro tradidimus. Verùm ipse beatissimus Papa Syluester super coronam, siue Papalethram, quam ad gloriam Dei, & sancti Petri habebat, nolebat portare coronam meam, vel margaritarum plenam: Nos verò propterea sancto ipsius capiti radiantissimum lorum, sacrosanctam Resurrectionem denotans, nostris manibus imposuimus. Ità suis ad Photij Nomocanonem Commentarijs inseruit in vtraque lingua Theodorus Balsamon. Pro Papalethram legendum videtur papalem mitram. Tit. 8. Vulgaris lectio non nihil differt: Diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, idest, Mitram, necnon & Superhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet caput. Et infrà: Ipse verò beatissimus Papa, quia super coronam clericalem, quam gerit ad gloriam sancti Petri, omninò ipsa ex auro non est passus vti corona, nos Phrygium quoque candidi nitoris, splendidam Resurrectionem Dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus.

Errat in ipso capite. Etenim Lateranense palatium possedit Melchiades Pontifex, & in ipso synodaliter damnauit Donatum episcopum in Casis nigris, & alios Donatistas, ideòque ipsum Constantinus non dedit sancto Syluestro. Nec verum est ipsum fuisse eminentissimum cunctorum in toto mundo palatiorum. Erat enim Plautij Laterani domus, de qua in literis ad Oceanum sanctus Hieronymus: In Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio. Fuerat à Nerone Augusto percussus, ideòque ipsius in Fiscum redactas ædes, vel Constantinus coniugi suæ, vel filiæ suæ Faustæ dedit Herculeus Maximinus, atque ita ipsas sanctus Optatus Mileuitanus episcopus vocat ædes Faustæ in Laterano. Lib. 1. Addit sanctus Hieronymus ad Chronici sui annum trecentesimum trigesimum primum: Constantinus vxorem suam Faustam interficit. Fuit is septimus decimus Syluestri annus, adeòque non Constantinus, sed ipsa Fausta videtur suas ædes donasse Melchiadi. Hinc ipsas Romani Pontifices in beneficij memoriam perrexerunt titulare ædes Faustæ. Constantinus adiunxit hodiernam Basilicam, quę sola vocata semper fuit Constantiniana. Verùm hæc non spectant ad rem præsentem.

Primùm igitur regium ornamentum, quod post recusatam coronam Syluester accepit, fuit Phrygium, idest, mitra. Per Phrygium quidam patriarchale, laneum, ac crucibus insignitum, pallium malè intellexerunt. Esse episcopalem mitram, seu tiaram affirmat etiam Theodorus Balsamon, & adiungit: [Huius quoque temporis Patriarcha Alexandrinus ex præsenti edicto ius habet, vt cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cœlestino, quando coacta est Synodus Ephesina aduersùs Nestorium. Cùm non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium, visum est, vt sancto Cyrillo à Cœlestino permitteretur huic synodo præsidere. Vt itaque constaret eum habere ius, & auctoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnauit Nestorium.] Et de apparente sancto Petro Apostolo scribit ad nescio quem Archiepiscopum sanctus Petrus Damiani: Li. 3. ep. 10. Phrygium suscepit in capite. Ipsum esse impe-

perialis galeri instar, aureo circulo concinnatum, & à Papa geri consuetum ornamentum scribit etiam in Ludoulci Grossi Francorum Regis vita Sugerius Abbas sancti Dionysij. Et in sermone de sancto Syluestro Innocentius tertius: Syluester pro diademate regio vtitur auriphrygio circulari. Idest, mitra, cui aureus circulus Phrygij operis arte est circumiectus. Episcopalem mitram esse Apostolicum institutum est ostensum alibi. Quare non ipsam, sed solùm Phrygium, seu aureum eius circulum dedisse Syluestro asseritur ab isto edicto Augustus Constantinus. A' solo circulo tota mitra obtinuit Phrygij nomen. Debet esse alba: Quomodo enim eius candor Christi Domini Resurrectionem, & gloriam repræsentet, exponit in animæ Gemma Honorius Augustodunensis.

Cap. 9. — Li. 1. c. 214.

Aliud Imperiale ornamentum, quod Romanis Episcopis indulsisse dicitur Constantinus, est regium lorum, de quo Theodorus Balsamon: [Papæ in omnibus, quæ vbique fiunt, processionibus, & diuinis earum mysterijs caput regio loro tegitur.] Existimat lorum esse capitis ornamentum. De Imperatore Aureliano, quod primus paragaudas vestes militibus dederit, affirmat Flauius Vopiscus: [Et quidem alijs Monolores, alijs Dilores, Trilores alijs, & vsque ad Pentalores, quales hodie lineæ sunt.] Et infra adducit eiusdem Principis ad Gallonium Auitum Thraciæ Legatum literas, quibus Bonosi Tribuni sponsæ donari mandat duas dilores interulas, quæ matronæ conueniant. Vocem Paragauda quidam Parthicam, quidam affirmant Syriacam: Quidquid sit, significat fimbriam, seu segmentum aureum, ideòque vnius, aut pluris lori tunica fuit tunica habens vnicum, aut plura istiusmodi segmenta. Hinc quidam in præsenti edicto credunt lorum esse idem cum Phrygio, seu aureo Papalis Mitræ circulo. Et ita sensisse omninò videtur Theodorus Balsamon. Et fauet edicti contextus: [Nos sancto ipsius capiti radiantissimum lorum imposuimus. Verùm obstat alius edicti contextus: Lorum, & humerale, quod Imperatoriæ Maiestatis collum cingit. Et textus vulgatus: Superhumerale, videlicet Lorum, quòd Imperiale circumdare assolet collum. Hinc alij volunt lorum esse famosum, olim solorum Patriarcharum, nunc omnium, in Occidente præsertim, Metropolitarum laneum pallium, quod est omninò aliquod lorum, seu segmentum. Et hinc in Græco habetur, [Homophorion,] vox isti pallio apud omnes Ecclesias proprijssima. Verùm non collo, sed solis humeris ipsum imponitur: Neque est Imperiale, & aureum, sed laneum, atque ecclesiasticum.

Cap. 46.

Respondeo rem hanc esse perplexam. Textus Græcus distinguit duplex lorum: Aliud capitis, aliud colli. Primum est omninò ipsum aureum phrygium, à Clodoueo Rege transmissum Pontifici Hormisdæ. Instrumenti istius fictorem Otto Tertius Imperator in Diplomate, quo Syluestri secundi Pontificis confirmauit electionem, scribit esse Ioannem Romanæ Ecclesiæ Diaconum: Vtique Ioannem cognomento digitorum, quod esset digitis mutilatus, qui sub Ottone vixit sæculo decimo. Alij volunt esse Ioannem, qui scripsit vitam sancti Gregorij, & floruit sub Pontificatu Ioannis octaui. Sunt qui fictum putent temporibus Pippini. Quidquid sit, vnicum Phrygium lorum, seù coronam habebat tunc Papale Regnum, atque ita Clodouei donum scriptor iste transtulit in Constantinum. Secundam coronam ad designandum in Pontifice vtrumque gladium addidit dudum post Bonifacius octauus. Tertiam tandem Vrbanus quintus. [Reges Persarum,] inquit Pomponius Lætus, [Tiaram, qua vtebantur, tribus coronis exornabant.] Asserebant se Reges Regum. Omnium Regum, licèt non quoad temporalia, certè quoad spiritualia, reuera Rex est Romanus Episcopus. Cur igitur assumpsisse non possit similem Tiaram? Quid per colli lorum intelligat iste Scriptor, videtur posse colligi ex libro Tertulliani de idololatria: [Purpura, & aurum, ceruicis ornamentum, insignia erant dignitatum.] Laudat aureas torques, quibus Danielem Prophetam, & Patriarcham Ioseph ornauerunt Reges Pharao, & Balthazar. Torques, inquit in Ætimologijs sanctus Isidorus, [circuli aurei à collo ad pectus dependentes, à viris geruntur. Et Poeta in quinto libro Æneidos: [In pectore summo flexilis obtorti per collum circulus auri.] Hoc ergò possit esse colli lorum, quod dicitur datum à Constantino. Omnem quippè, ex collo pendere solitum, aureum, vel argenteum funiculum dici lorum aduertit etiam Ambrosius Calepinus. Memoratus Scriptor intellexisse possit etiam Regium illum limbum, de quo in Regina Zenobia Trebellius Pollio: [Zenobia ad conciones galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per vltimam fimbriam. Vti laticlauus quandoque pro ornato laticlauis vestimento, ita hìc limbus accipi passim censetur pro veste habente istiusmodi collarem limbum, qui dependentium, & per humeros fluitantium gemmarum causa rectè possit dici superhumerale. Anonymus iste scriptor nos cogit pro rebus inutilibus tempus expendere, cuius nemo possit reparare iacturam.

C. 18. — Lib. 9. c. 31. — C. 31.

Tertium hìc memoratum Imperiale ornamentum est purpurea chlamys, & tunica coccinea. In Græco habetur vox, Chiton, de qua in erudito opere de antiqua re vestiaria Octauius Ferrarius: [Tunica Græcis Chiton dicitur, vestimentum scilicet interius, cui toga, aut pallium, aut alia superior vestis superinijceretur. Et hinc pallium auferre volenti suasit Dominus dandam, & tunicam: Discipulis suis duas item tunicas interdixit. Quòd nempè soli diuites duplici vterentur: Linea vna, interula, seu indusio; lanea altera, aduersùm frigus.] Exponit in literis ad Cratonem Monachum Isidorus Pelusiotes: [Quod vestitus mollities, & subtilitas, colorque elegans, religiosæ, ac Deo gratæ exercitationis regulam minimè seruant, Theologum Ioannem interroga, describentem Domini tunicam. Tibi dicet: Erat autem tunica eius inconsutilis, desuper contexta per totum. Quis autem vestis illius vilitatem ignoret? Vt qua Galilæorum pauperes vtantur, apud quos etiam maximè huiusmodi vestis genus fieri solet, arte quadam, vt pectoralia,

Lib. 1. epist. 74.

ralia, retractim consutum.] Et in Panario sanctus Epiphanius: [Iacobus frater Domini tunicam alteram numquam induit, sed lineo palliolo dumtaxat vsus est, quemadmodum testatur Euangelium. Fugit, inquit, adolescens relicta sindone, qua erat amictus: Erat amictus sindone, seu linea tunica super nudo. Et Dominus ipse, & plerique Apostoli fuerunt pauperes Galilæi, ideòque ipsis omnibus ille voluit vilem hunc amictum esse communem. Et hinc moderni quidam Euangeliorum Interpretes, volentes non duas simultaneas, sed dumtaxat mutatorias tunicas fuisse Apostolis interdictas, grauiter errant. Iacobus Domini frater in nullam fuit missus Prouinciam, sed Hierosolymis mansit semper episcopus, ideòque etiam post Domini mortem retinuit istam vestem. Hinc Hierosolymorum etiam Patriarchæ, vt ipsum, si non humilitate, saltem qualicumque qualitate imitarentur, solo semper lino fuerunt amicti. Porrò de tunica scribit Quintilianus: [Cui laticlaui ius non est, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paululum, posterioribus ad medios poplites, vsque perueniant. Nam infra mulierum est, supra Centurionum.] De talaribus tunicis scribit in libris de doctrina Christiana sanctus Augustinus: [Talares, & manitatas habere tunicas, olim apud Romanos erat flagitium.] Quod ipsum vario Romanorum scriptorum possit firmari testimonio. Porrò chlamys, vti & toga, erat vestimentum consuetum superimponi tunicæ: Verùm hæc pacis, illa belli tempore gestabatur. Erat varia: Puerilis, muliebris, virilis. Et hæc duplex: Vulgaris, dicta Sagum; ac Imperatoria, dicta Paludamentum. Cuius formæ, & materiæ fuerit, & an ipsam olim episcopi, & clerici gestauerint in spiritualis suę militię tesseram, est alterius quæstionis. Sanè videntur potiùs togam, idem cum casula, ac planeta vestimentum, aut etiam pallium gestasse. Præsentis Edicti auctor videtur vetustam Romanorum rem vestiariam non plenè calluisse, atque ita tunicam, & chlamydem pro ordinario clericorum duplici vestimento accepisse. Quidquid sit, solùm hìc Augustarum vestium quęrimus colorem, de quo apud Iulium Capitolinum scribit ad Clodium Albinum in literis, quibus ipsum creat Cæsarem, Commodus Augustus: [Sanè vt tibi insigne aliquod Imperialis Maiestatis accedat, habebis vtendi coccinei pallij facultatem me præsente, & cum mecum fueris, habiturus, & purpuram, sed sine auro, quia & proauus meus verus, qui puer vita functus est, ab Adriano, qui eum adoptauit, accepit.] Pallium largissimè accipit pro omni genere vestimenti. Romanorum alij album, alij galbium, alij gestauerunt colorem russum, verùm purpureus fuit Imperialis dignitatis tessera adeò distinctiua, vt in cuiuscumque olim domo repertus istiusmodi pannus ipsum redderet grauissimè suspectum perduellionis, & affectatæ Tyrannidis. Hinc quidam æmuli sui de isto crimine apud Iulianum Augustum delator interrogatus; [Quibus indicijs ad hæc peruenisti?] respondit: [Purpureum sibi indumentum ex serico pallio parat.] Philosophum agebat, atque ita eiusmodi suspiciones ridebat Iulianus, ideòque hoc eius sacrarum largitionum Comiti datum præceptum laudat Ammianus Marcellinus. [Iube periculoso garritori pedum tegmina dari purpurea ad aduersarium perferenda, quem, vt datur intelligi, chlamydem huius coloris memorat sibi consarcinasse, vt sciri possit, quid sine viribus maximis panniuli proficiant leues.] Et in prioris ad Corinthios epistolæ commentarijs scribit sanctus Ioannes Chrysostomus: [Si vestes quidem sint aureæ, & calcei, aliquo etiam alio indumento opus habemus, vt discamus Regem]. Sed si purpuram viderimus, & diadema, & nullum aliud videre quærimus Regni signum. Solam purpuram affirmat esse incommunicabilem characterem supremæ Maiestatis. Hunc igitur, & in tunica, & in chlamyde, idest, in omni veste colorem Romanis Pontificibus dicitur Constantinus indulsisse.

Lib. 78. c. 13.

C. 11.

Lib. 3.

C. 22.

Quidquid sit de Constantini Indulto, ornatum istum iam pridem gerit Romanus Episcopus, & quidem ex Holoserico, de quo in Aureliani Imperatoris vita scribit Flauius Vopiscus: [Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri vtendam dedit. Et cùm ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo vteretur, ille respondit; Absit vt auro fila pensentur. Libra enim auri tunc libra serici fuit.] Et de Alexandro Imperatore Ælius Lampridius: [Vestes sericas ipse raras habuit, Holosericas numquam, subsericas numquam donauit.] Sericas, & subsericas, idest, ex sericorum, ac laneorum, seu lineorum filorum mixtura contextas confundit. Primum Holosericæ vestis gestatorem fuisse Heliogabalum, & antea solam subsericam fuisse in vsu, Ælius Spartianus obseruat. Quare hæc Dionis de Caligula Imperatore verba, [Vt plurimùm in serico vestitu versabatur,] de subserico sunt accipienda. Ex serico non togas, sed vela confici, & ipsas esse vitreas togas scribunt Cicero, & Varro: Quod nempè vti vela leuissimo etiam vento raperentur, & tamquam vitra perlucerent, non plenè tegerent corpus, ideòque meretricibus, non honestis personis conuenirent. Verùm paulatim decreuit pretium, & solidi etiam serici textura reperta est, atque ita serica vestis, & frequens facta est, & casta. Donationis edictum eius non meminit: Quòd nempè numquam fuerit propria soli Imperatori. Quando ipsam gestare cœperit Romanus Pontifex, ignoro. Porrò episcopalem dignitatem esse quid inter Diuinam, & humanam naturam medium scribit ad Hermogenem Episcopum Isidorus Pelusiota. Et ad Theodosium episcopum: [Sacerdotium Regno præstantius est. Quod ipsum in multis alijs epistolis affirmat. Et ex hoc principio Michael Cerularius Constantinopolitanus Patriarcha fecit quod scribit Ioannes Schylitza:] Michael aggressus est etiam cocco tincta induere calceamenta, antiqui Sacerdotij morem hunc asserens, & oportere his vti nouum quoque Archiepiscopum, nam inter Sacerdotium, & Regnum nihil interesse, vel admodum parum, & in rebus pretiosioribus ampliùs forrasse, & magis colendum Sacerdotium. Quod ipsum scribit Michael Glycas. Videtur Cerularius respexisse ad prę-sens

Cap. 45.

Lib. 59.

Lib. 3. Epist. 20.

Ep. 127.

Fol. 808.

sens edictum, & Romani Episcopi iura in se transcripsisse. Et hunc eius fastum possit Dictatus compescere. Quidquid sit, Isidori dicta præsertim locum habent in Romano Episcopo, atque ita iure merito quadrat ipsi Regius ornatus. Quocirca ista Constantini donatio, licèt spuria sit, nihil deuij hìc asseuerat.

CANON IX.

Quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculantur.

SCHOLION.

AVstralis nauigatio Iacobi le Maire, anno huius sæculi decimo nono edita Lugduni Batauorum, hæc scribit de Indis: [Qui intrabant nauem nostram, in genua procidentes, pedibus nostris oscula figebant.] Et infra de ipso illorum Rege: [Comites illius pedes nostros exosculabantur, acceptosque eos in manibus suis capiti imponebant ad demissionem, subiectionemque demonstrandam.] Quod confœderati Belgij Legatus Turcici Imperatoris vestem fuerit flexis genibus osculatus anno præsentis sæculi duodecimo, affirmat Ecclesiasticopolitica Chronologia addita tomo octauo Chronici Chronicorum. Quod ipsum à Gerlachio Prædicante Lutherano factum Martinus Crusius affirmat in Turcogræcia. Euangelicus iste vir omninò fecit, quod à Baiazete Adrianopoleos præfecto, & alijs Turcorum proceribus fuisse factum Mustaphæ, Turcici Imperij aduersùs fratrem Amurathem secundum inuasori, scribit Laonicus Chalcocondylas: [Cum Mustaphas agmine composito accederet, Turci confestim omnes ad illum transitionem faciunt, eumque vt Regem adorant.] Pergit Laonicus de Mahomete secundo: [Cum Mahometes iter per Cappadociam ageret, filius eius natu maximus, qui Amasæam imperio moderabatur, accedebat, munera maxima Patri offerens, eumque in terram procumbens, vt mos est gentis, adorauit]. Etiam de primo post captam Vrbem Patriarcha Gennadio, ac eius ecclesiam visitante dicto Mahomete scribit Politica apud Turco Græciam historia: [Quòd cum Patriarcha didicisset, è sua habitatione descendit, ac Sultanum salutans adorauit. Et de Patriarcha, dum à Solimano secundo Patriarchatus inuestituram accepit, Iosepho quarto habet Patriarchalis per Emmanuelem Malaxum descripta historia.] Manum Sultani osculatus, insigne potestatis accepit. Videlicet Patriarchale Pedum. Et de inuestito per eumdem Regem Hieremia secundo: [Hieremias manum Regis deosculatus est, concessu, & beneficio, quod habent Patriarchæ iam inde à tempore Sultani Mahometis, qui vrbem cepit, quo licèt quicumque Patriarcha factus fuerit, Regem deosculari.] Et de eodem, dum Solimanni filio, & successori Amurathæ tertio Pescesium soluit, Hieremia: [Hieremias more Patriarchico manum Regis est deosculatus.] Regiæ manus osculum scriptor iste appellat morem Patriarchicum, datumque à secundo Mahomete beneficium: Quod nempè alij omnes oscularentur Regis pedem. Quin ipsum etiam laudatus Gennadius fuerit osculatus, vix est ambigendum. Verùm quod vir orthodoxus esset & sanctus, Diuina bonitas dedit ei gratiam in Barbari oculis, atque ita & illud etiam pro successoribus priuilegium. Nec tantùm de ipso Sultano, sed etiam de Christiano Constantinopoleos populo, & Ebraimo Bassa scribit eadem historia: Accurens populus deosculabatur pedes Bassæ. Et de nescio quo Pseudouatis Mahometis consanguineo, quem vti Patriarcham, & Prophetam venerabatur cœca superstitio, scribit in Constantinopolitanæ per Amurathem secundùm obsidionis historia Ioannes Cananus: [Tamquam Angelum de cœlo Turci proni admittunt, neque manus illius, & pedes solùmmodo deosculantur, sed & mulæ, qua vehebatur, fræna, & pedes.] Verùm huic Thrazoni superstitiosa stultitia, isti Bassæ indebita, vtpotè soli Regi competens, reuerentia fuit impensa. Et quin ipsam etiam Gerlachius Prædicans impenderit, non est quod dubitemus: Quin fuerit osculatus Regis pedem. Nempè Fratres isti euangelici, & Magno Turcæ honorem istum impendere, & suis Nautis impensum admittere possunt sine omni crimine, verùm Summo Pontifici à nobis impensus damnatur de Idololatria. Reuixit apud ipsos antiqua Donatistarum regula. Quod volumus sanctum est.

Pedum ergo osculandorum mos est longè antiquissimus, ac de eius apud Romanos exordio scribit in Tiberio Cæsare Suetonius Tranquillus; [Priusquam triumphaturus in Capitolium flecteret, descendit è curu, seque præsidenti Patri ad genua misit. Et infrà: Tiberius, iam factus Imperator, adulationes adeò auersatus est, vt Consularem satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugerit, vt caderet supinus. Et de Nerone Augusto: Tyridatem Armeniæ Regem admisit ad genua, alleuatumque dextra exosculatus est. Et in Adriano Augusto Ælius Spartianus: Superuenit quædam mulier, quæ diceret somnio se monitam, vt Adriani genua oscularetur, receptura visum, si id fecisset quod insomnium, cum impleffet, oculos recepit. Et de Maximino secundo Iulius Capitolinus: In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnumquam etiam pedes. Quod numquam passus est Senior Maximinus, qui dicebat: Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat. Et de Alexandro Augusto Ælius Lampridius: Salutabatur nomine, hoc est, Aue Alexander. Si quis caput flexisset aut blandiùs aliquid dixisset, vti adulator, vel abijciebatur, vel ridebatur ingenti cachinno. Adeò pedis osculum optimus Princeps non patiebatur. Primus ipsum exegit Diocletianus, de quo Eusebij Cæsariensis Episcopi Chronicon: Primus Diocletianus, adorari se vt Deum iussit, & gemmas vestibus calceamentisque inseri, cum ante eum omnes Imperatores in modum iudicum salutarentur; & clamyde tantùm purpurea à priuato plus haberent.

Lib. 5. Lib. 9. Fol. 156. Cap. 20. Cap. 27. Cap. 25. Cap. 2. Cap. 18. An. 296.

Quod ipsum Aurelius Victor, Eutropius, ac alij restantur. Exponit Pomponius Lætus: Diocletianus, Romanorum Principum victoriosissimus, Diuinos honores Imperatoribus Augustis habendos præcepit. Nam cum priores vt Consules salutarentur, primus ipse voluit adorari, velut in eo esset cælestis Maiestas. Persarum iste mos, quorum Princeps Rex Regum appellatur, & adoratur, fratrem Solis, ac Lunæ se nuncupans. Imperatores antea manus exosculandas Nobilibus præbebant, post suis manibus subleuabant ad oris osculum. Vulgus genua exosculabatur. Diocletianus edicto sanxit, vt omnes sine generis discrimine prostrati pedes exoscularentur. Quibus etiam venerationem quandam exibuit, exornans calceeamenta auro, gemmis, & margaritis, quod fecisse ante Caium Caligulam memorant. Consonant sanctus Martyr Theophanes: Secundò fortunæ successu Diocletianus elatus, à Senatoriæ dignitatis viris se adorari, nec vt priùs salutari, vel consueto habitu procedere expetijt, verùm auro, margaritis, & pretiosis lapidibus calceamentem exornauit. Vtique quo pedum oscula osculantibus minùs displicerent. Etiã de Decedalo Dacorum Rege habemus in historicis Fragmentis Petri Patricij, & Magistri: Decebalus in conspectu Imperatoris Traiani arma proiecit, & in terram cadens eum adorauit, & ad eius pedes prostratus iacuit. Et ad Carporum Legatos dicit ibidem Tullius Melophilus, Præfectus Moesiæ: Si Imperatoris, Marci Aurelij, gratificatione indigetis, accedite ad eum. & ad eius pedes procumbite, & ei supplicate.] Quapropter hæc oscula non induxit Diocletianus, sed dumtaxat reparauit, ac Senatoriæ etiam dignitati imposuit. Cap. 21.

An Constantinus, & alij Christiani Imperatores morem plenè retinuerint, non possim adfirmare. Fuisse dimissum censere videtur in Arcana historia Procopius Cæsaræensis, de accedentibus ad Augustam Augusti Iustiniani vxorem Theodoram summis etiam Imperij Primoribus scribens: [Ad illam ingressi, perpauidi statim se subducebant, eam venerati dumtaxat, summisque labijs vtrumque pedem osculati. Degenerauerat in seruilem hanc adulationem Senatus Theodora Magistra, Romanumque Imperium deformabatur, partim leuitate Tyranni, partim difficili Theodoræ proteruia. Et iterùm; Cæterum ex ijs, quæ Iustinianus, atque Theodora nouarunt, hæc sunt etiam. Senatoribus olim Imperatorem adeuntibus ita libebat salutare. Quisque Ordinis Patricij Imperatorem ad dexteram mammam venerabatur, illumque recedentem osculo Cæsar impartiebat in capite. Reliqui ad vnum omnes dextro subnixi genu discedebant. Ast Augustæ adorandæ nullus mos fuit. Verùm cùm in conspectum Iustiniani, & Theodoræ venirent, tum alij, tum qui Patritiæ dignitatis essent, statim in faciẽ procumbebant, ac manibus pedibusque tensis, vtrumque Principis pedem osculo prosequebantur, & tum abscedebant. Neque hunc honorem respuit Theodora, quæ & Persarum, ac aliorum Barbarorum Legatos quod nunquam post hominum recordationem vsurpatum est, admitteret, eisque lautia præberet, tamquam penès illam esset Romani summa Imperij.] Nec solùm suos Patricios, sed & aliarum gentium Reges Iustinianus coegit ad istam reuerentiam. Etenim de capto per Belisarium, & Constantinopolim ad Iustiniani conspectum perducto Wandalorum apud Afros Rege Gilimere scribit in ecclesiastica historia Anastasius Bibliothecarius: [Pertingentem Gilimerem iuxta Imperatoris Tribunal, purpura eius ablata pronum cadere, & adorare Imperatorem coegerunt.] Nempè Iustiniano adstantes Proceres. Cap. 15. Cap. 30.

Et successores sunt morem zelosè prosecuti. Etenim de proximo Iustiniani successore, & nepote Iustino scribit Poeta Corippus Et poplite flexo, plurima diuinis supplex dabat oscula plantis. Et de Sebochte Persici Regis ad eumdem Iustinum Legato scribit Menander Protector: Simul atque ingressus est, Fol. 116.
Imperatorem, vt moris est, venerans, ad pedes eius procubuit. Et de Tzatho Lazorũ Rege Iustinus ipse scripsit ad Cabadem Persarum Regem: Tzathus ad Regiam nostram profectus est, & pedibus nostris aduolutus. Ita Fol. 144.
habes apud sanctum Martyrem Theophanem. Quo more etiam Imperatorem Mauritium fuisse vsum, in non vno loco ostendit Theophylactus Simocata. Et de Turcorum Principe, dum ad ipsum Imperator Heraclius accederet, scribit in historico Breuiario sanctus Nicephorus Patiarcha Constantinopolitanus: [Princeps adesse Imperatorem audiens cum magna Turcorum manu obuiam processit, & ex equo desiliens, humi se coram illo prostrauit. Idem & vniuersi eius comites fecerunt. Pergit de Imperatore Iustiniano secundo: Bulgarorum Principem Terbelium, extra Blachernarum mænia stationem habentem omni munificentia, ac honore prosecutus Iustinianus, demùm ad eum veniens, Imperatoriam vestem circumdedit, & Cæsarem appellauit. Neque his contentus, sed ad consessum insuper admittens, adorari secum à populo voluit.] Vtique per pedum oscula. An hunc, quem vti vetustum laudare videtur Menander, morem primus è Christianis Imperatoribus reduxerit Iustinianus, dubitare me faciunt hæc Felicis tertij Pontificis ad Zenonem Augustum pro exstinguendo Acaciano schismate verba: [Putasne me, venerabilis Imperator, non cum lacrimis ista profundere, & velut præsentem ad tuæ Pietatis vestigia? Nec enim piget in tali maximè causa Imperialibus inclinari officijs, cum se Apostolus omnium factum dicat esse peripsema.] Exstat epistola apud Iacobum Sirmondum in appendice Codicis Theodosiani. Cap. 11. Cap. 18. Epist. 4.

Ex eisdem verbis oritur alia quæstio. An etiam episcopi, ac ipsi Romani Pontifices sint consueti Regios pedes osculari, & an id Iustinianus item iusserit? Etenim in precibus Iustiniano exhibitis dicunt apud Mennæ Patriarchæ synodum Orientales Episcopi, & Monachi: [Archiepiscopus veteris Romæ Agapetus, qui ad piorum vestrorum vestigia pedum admissus est. Vtique veneranda, & osculanda. Et ad Constantinum quartum scripsit sanctus Agathon Pontifex: Tamquam præsentialiter prostratus, & vestris vestigijs prouolutus, quæso. Et ad Imperatorem Anastasium dixit sanctus Archimandrita Sabbas:

bas: Vestræ Pietatis vestigia adoraturus veni. Et ad Imperatorem Martianum Eustatius Tyriorum Metropolita: Oro ad vestrorum pedum vestigia prouolutus. Et de Leontio Tripolitano apud Lydos Episcopo sub Imperio Constantij habet Suidas: Leontius animo fuit ingenuo aduersùm omnes, & ore libero. Et quodam tempore Concilio indicto, cum Eusebia Constantis vxor superbia elata, ab episcopis adoraretur, solus eam adulationem adspernatus, domi mansit. At illa irritata, & animo inflammata, ad eum mittit expostulatum, pollicitationibus etiam hominem alliciens, ecclesiam illi maximam exstructuram se esse, & affatim pecuniæ præbituram, si se conueniret.] Solus ergo ex episcopis Leontius per singularem libertatem videtur tunc Augustos Principes, vtique per pedum oscula, non adorasse.

Respondeò Suidam pergere de isto Leontio: [Hunc regulam ecclesiæ vocabant. Quare audiendum est ab ipso datum Augustæ Eusebiæ responsum: Istorum quidem si quid Imperatrix exsequi volueris, non tam mihi te scito, quàm animæ tuæ gratum facturam. Si me verò ad te venire volueris, debita episcopis reuerentia conseruata, & ego quidem ingrediar, tu autem de sublimi isto solio statim descendens, reuerenter mihi obuiam procedas, & caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura. Ac deinde ego sedeam, tu verecundè adstes, cum iussero dato signo, sessura. Si hæ tibi conditiones placuerint, veniam ad te. Sin alio modo, non tam multa dabis tam magna non poteris vt nos honore episcopis conuenienti neglecto, Diuinum Sacerdotij Institutum violemus Eusebiæ iram aduersùm Leontium, duras apud maritum querimonias, & vindictæ expostulationem exponit Suidas, atque prosequitur: Constantius ingenuum Leonij animum magis laudat placataque ira vxorem in gynecæum ablegat. Quod nempè nosset ex Canone, ac inducto per patrem suum Constantinum more locutum esse, ac egisse Leontium. Quantam enim reuerentiam Constantinus Episcopis exhibuerit, & sanxerit, est omnibus notum. Quod etiam Turcorum Sultanus, ac Constantinopolitanæ vrbis expugnator Mahometes Constantinopolitanos Patriarchas exemerit à pedum osculo, & ad manus osculum admiserit lege perpetua, suprà audiuimus à Patriarchali per Emmanuelem Malaxum descripta historia. Honores quos Gennadio secundo, primo post captam vrbem Patriarchæ, exhibuit victor Mahometes latè exponit Georgius Phranzes, atque prosequitur: [Mahometes dedit etiam literas Patriarchæ cum subscriptione auctoritatis Regię quibus illi à vexationibus cauit, rebellari vetuit, & quidquam tributi nomine ab eo exigi, vim à quopiam aduersario, inimico adferri interdixit, & vt à vectigalibus, & publicis contributionibus ipse, omnesque Successores, subiectique episcopi in perpetuum vacarent, mandauit.] Etiam vt Patriarcha, non aliorum more pedes, sed Principis manum deoscularetur. Quod priuilegium an etiam ad omnes Episcopos fuerit extensum, non possim adfirmare. Certè, quod vllus vmquàm Episcopus sit Sultano osculatus pedes, vsque huc non legi. Quidquid sit, Christianorum Imperatorum ergà Patriarchas, Episcopos, & omnes Clericos, reuerentiam imitari, & ità ipsos sibi deuincere voluit, aut simulauit Mahometes, ideòque lucet, quod Episcopi Christianis Imperatoribus pedes numquàm fuerint deosculati. Et adducta in contrarium testimonia non euincunt, Aliud non sunt, quàm verbalis apud Augustam Maiestatem humilitas, consueta præsertim apud Græcos, eiusmodi adulationibus semper delectatos. Quæ omnia in opere de Diuinis Ecclesiæ, & Aulæ Constantinopolitanæ officijs insigniter confirmat Georgius Codinus. Demonstrat, quod in Paschali officio omnes Proceres Imperatori pedem osculentur; & adiungit de Clericis: [Patriarcha accedens benedicit, & osculatur Imperatorem in ore, eodemque modo fert ipse osculum ab Imperatore. Posteà stat vicinus Imperatori. Episcopi porrò duo accedentes osculantur, & ipsi Imperatorem: Primò quidem manum, deindè genam. Deindè idem faciunt omnes Ecclesiæ Proceres. Archimandritæ etiam, ac Monasteriorum Præfecti.] Omnes genam osculantur, & manum. Et hoc priuilegium videtur Mahometes cunctis istis reddidisse.

Lib. 3. c. 10. — Cap. 14.

Et istius reuerentiæ posteriores Græcorum Imperatores fuerunt constanter tenacissimi. Lucet ex Georgio Codino, ex ponente laudatum Paschale officium: [Proceres omnes, vsque ad nouissimum, ingressi osculantur, primò pedem Imperatoris, deindè dexteram manum, posteà dexteram genam. Si eo loco, in quo versatur Imperator, sit quoque Genuensium Potestatus, seu Præfectus, ingreditur, osculaturque, & ipse cum suo comitatu Imperatorem, quemadmodùm & Proceres, nempè pedem, manum, & genam eius. Veneti verò ad osculum non veniunt. Causa est ista. Imperator Michael primus Paleologorum perpetuum cum Genuensibus fœdus pepigit, in quo etiam de honore Imperatori exhibendo constitutum est, quando nimirum Potestas ex Genua appellit, initio, & tunc solùm, ad venerationem Imperatoris ingressus, genua bis flectit, semèl statim, ac triclinij ianuam intrat, & rursùs in medio eius, quo facto accedit, & osculatur pedem, & manum Imperatoris sedentis in throno. Similiter & alij Genuensium Proceres peregrè reuersi, cum veneratione osculantur Imperatoris pedem, & manum.] Bella aduersùm Venetos fouit Michael Paleologus, ideò ipsos ad hoc solemne non admisit osculum: Erat enim honor atque priuilegium. Imperator Constantinus Paleologus suum Protouestiarium, ac in arduis negotijs consuetum Legatum Georgium Phranzen euehere ad altiora dudum voluit, verùm aulica quorumdam in ipsum inuidia persuasit differri. Audiamus rei finem ab ipso Phranze, jàm ad Cypriam Legationem abituriente: [Præstolor aliquantùm, cum ecce Imperator prodiens, Tu ex hoc, inquit, magnus Legotheta esto. Hoc solùm tibi mando, vt propter temporis euenta, & varias Procerum voluntates, & alias ob causas, in sacris festorum dierum solemnijs, pro more officij tui, ne me adores.] Nouam dignitatem, ne nimium

Lib. 3. cap. 6

mium inflammaret inuidos, occultatam ad tempus Princeps voluit, & Phranzen ab isto solemni pedum osculo, officij sui parte, suspensum. Hinc ergò & Venetos, quod fidi non essent amici, ab ista solemni adoratione exclusit Michael Paleologus. At verò de Imperatore, dùm ad Florentinam Synodum transiret per Venetias, Ioanne secundo Paleologo, & obuiante Venetorum Duce adiungit Phranzes: [Dux cum Proceribus suis, & Senatus adest, Imperatorem sedentem adorat.] Et iterùm: [Dux ad Imperatoriam nauim cum Senatu accedit, surgensque Imperatorem in throno sedentem adorat.] Nempe aliud est in publica Diuinorum Officiorum solemnitate, aliud in simplici congressu adorare Principem: Hoc est omnium debitum, istud erat Genuense priuilegium. — Lib. 2. c. 14

Cap. 18. Etiam de creandi Despotæ ritibus scribit Codinus: [Despota, vtique statim à sui creatione, pedem Imperatoris osculatur.] Licèt sit Imperatoris filius. Et istud ipsum facere debebat etiam extrà creationis ritum. Etenim de agente apud Venetos Imperatore Ioanne primo Paleologo, & ipsum accedente filio, ac Thessalonicensium Despota Manuele scribit Georgius Phranzes: [Manuel in Italiam ad Patrem cucurrit, ipsumque venerabundè cum osculis manuum, & pedum salutauit.] Et de Andronico Comneno, Augusti sanguinis viro, ac de Augusti Manuelis filio, & successore Alexio habet Nicetas Choniates: [Andronicus Imperatore submissè adorato, pedes eius amplectitur.] Et de Saisan Iconiensi Turcorum Sultano, ac patre suo Imperatore Alexio scribit Anna Comnena: [Sultanus, vt factus est vicinior, equo desilijt, pedemque Augusti est deosculatus.] Et Antiochiæ Latinus Princeps Boadmundus, componendę pacis causa ad eumdem Alexium ingressurus, postulauit ab eius Proceribus, ac Legatis: [Volo spondeatis Imperatorem arrepturum manum meam, & ad caput sui Reclinatorij daturum mihi locum, bonique consulturum, vt ego ad eum cum duabus chlamydibus ingrediens, nec genu flectam venerandi causa, nec collum inclinem.] Postulabat à pedum osculo eximi, aut excusari. At non fuisse exauditum affirmat eadem Anna. Et hinc de Balduino primo Hierosolymæ Rege, pacem stipulante cum Manuele Comneno, scribit Ioannes Cinnamus: [Balduinus ad genua concidere Legatos iussit.] Vtique Legatos Renaldi Principis Antiocheni. Solus Rex fuit ab ista humilitate exemptus. Et de Latino Achaiæ Principe, post ereptam Latinis Constantinopolim accedente Michaelē Paleologum, scribit Georgius Pachymeres: [Princeps adfirmauit se jàm minimè dubitaturum procidere ad pedes Michaelis, eique se subijcere, vt iusto Imperatori.] Vsque ad receptam Vrbem non agnouerat ipsum pro Imperatore. Plurima sunt istiusmodi exempla, quæ demonstrant solos à Constantinopolitano Imperio exemptos Reges fuisse etiam ab isto osculo exemptos. Etenim etiam Tzarhum Lazorum Regem, quod esset Imperio subditus, Iustini secundi pedibus fuisse, vtique cum osculo, prouolutum, suprà nobis dixit Martyr Theophanes.

Lib. 1. c. 17. · Cap. 13. · Lib. 15. · Lib. 13. · Lib. 1. · Lib. 1. c. 13. · Fol. 144.

Eadem omnia insigniter elucidat Imperator Ioannes Cantacuzenus, scribens de Imperatore Andronico secundo Paleologo, ac eius auo Andronico primo: [Andronicus ad terram procumbebat, aui pedem osculaturus, quem ille humeris eius obuitens abstinebat, ac voce item prohibebat, tandemque ampliùs instantem capillis retinebat. Cum etiam sic, sibimet non parcens, vi summa pergeret, metuens auus, ne illa violentia crines à capite abstraherentur, terram petere, & pedi osculum figere permisit, surgentemque capite apprehendens, oculos eius deosculatus est.] Et infrà: [More Romanis Imperatoribus receptum erat, cum quisquam consanguineorum, aut aliquis gratia apud eos florentium, secundùm adorationem pedem Imperatoris osculo contigisset, vt Imperator vicissim eius faciem deoscularetur. Cum itaque tunc nepos aui pedem osculatus fuisset, ille, ne inexpiabili odio flagrare crederetur, si nec ijs nepotem, ac Imperatorem dignaretur, quæ priuatis tribuerentur, faciem eius contra, & ipse osculo libauit.] Hi enim duo Andronici exercuere durissimas inimicitias, & Othomannicis Turcis lacerandi Imperij dederunt prima fundamenta. De eisdem istis sibi occurrētibus pergit Cantacuzenus: [Cum mutuò appropinquassent, nepos ab equo desiliuit, vt humi stans, tamquàm seruus, Imperatorem salutaret. Ille conuersus, habens retrocedere. Qua ambage insinuabat decere Imperatorem, vti nepos erat, non humi stantem, sed in equo sublimem salutatione fungi. Vetus enim consuetudo apud Romanos Imperatores vigebat, vt cum alter alteri obuiam fieret, qui vtrumque sequerentur, à iumentis descendentes pedibus ambularēt, ipsi in equis manentes congrederentur, & iunior aperto priùs capite, eoque inclinato, senioris dexteram cum osculo arriperet, indèque suspicientem pater vicissim oscularetur. Tùm itaque non inscitia moris huius, sed vt auo maximum, & plùs quàm debitum, consuetumque obsequium, ac reuerentiam tribueret, nepos Imperator ex equo descendit. Cum pedibus obfirmatus sequeretur, senior coactus substitit, & propè accedens iunior pedem illius in omnium cōspectu complexus osculo contingit.] Pergit idem Scriptor in alio libro: [Protostrator adiens Imperatoris pedem est osculatus. Idem & cæteri ordine præstiterunt. Imperator, & ipse prono capite Protostratorem ex equo salutauit, alios autem, dùm proueheretur, salute impartijt.] Et iterùm: [Valedicebant Proceres, & Imperatoris pedem osculantes recedebāt.] Pergit de Thoma Triballorum Principe: [Accedit Imperatorem, pedem osculatus.] Et de eorumdem Principe Libero: [Imperatorem adorat, pedem osculatus.] Quod etiam Triballorum Crales, & Cralena, id est, Rex, & Regina idem facerent, multis ostendit in alio capite. Addit de pleno Turcorum exercitu: [Circumfusi Imperatorem adorarunt, eique pedes osculati sunt. Quocircà & Despota, & Cæsar, & Protosebastus, & omnes generatim Proceres, vtpotè subditi, obstringebantur ad istud osculum, solus iunior Imperator, quia seniori æqualis, fuit exemptus.

Lib. 1. c. 16. · Cap. 34. · Lib. 3. · Cap. 40. · Cap. 42. · Cap. 49. · Cap. 43. · Lib. 4. c. 10.

Porrò

Porrò sicut citrà debitum ex superabundanti affectu iunior Imperator Andronicus Andronico auo illud officium impendit, ità & alij frequenter fecerunt. Insigne exemplum adducit in Arcana historia Procopius Cæsariænsis. Patricium, & Ducem Belisarium ostendit Augustis Iustiniano, ac Theodoræ fuisse reconciliatum, & honoribus restitutum per vxorem Antoninam, & prosequitur: [Hæc, Theodoræ in literis, perlegit Belisarius, gestire prælætitia vehementer cæpit, suique animi testem Quadratum, qui literas apportarat, præsentem sibi parare cupiens, repente ad coniugis pedes effusus, manibus tibias prehensat, modò hunc, modò illum pedem osculatur, illam salutis appellans auctorem, se non maritum, immò mancipium fidele in posterum ait censendū fore.] Plura similia exempla adducta sunt in superioribus, possintque & alia adduci. Cap 4.

Regiorum pedum osculum Pomponius Lætus rectè affirmat esse morem Persicum. Hinc enim in libro Hester de denegata Ammano Persici Palatij Præfecto adoratione dixit ad Dominū Deum Mardochæus Iudæus: [Tu cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum. Libentèr enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem, sed timui, ne honorem Dei mei transferrem in hominem, & neque quemquam adorarem excepto Deo meo.] Pedum oscula erant Regius apud Persis honor: Et non solummodò ad hunc, sed etiam ad terræ impressa per Amanis vestigia deosculanda profitetur se paratum, dummodò Aman istud vti humanum honorem exegisset. Diuini quidpiam gentilem in morem sibi arrogabat. Etiam de Canone Atheniensium Duce scribit Iustinus: [Canon ad Artaxerxem Persarum Regem pergit, cuius aspectu, & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum, vtique per pedum oscula, nollet adorare.] Et de euecto ad Persarum Regnum Alexandro Magno: [Quod primo ex Persico superbiæ Regiæ more distulerat, ne omnia pariter inuidiosa essent, non salutari, sed adorari se Alexander iubet. Acerrimus inter recusantes Calisthenes fuit. Quæ res & illi, & multis Principibus Macedonum exitio fuit. Siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti sunt. Retentus tamen est à Macedonibus mos salutandi Regis, explosa adoratione.] Calisthenes erat philosophus, ideòque humanorum pedum oscula aduersabatur. At iniuriam tanti fecit Alexander, vt ipsum non dumtaxàt tamquàm perduellem trucidarit, sed priùs naso, auribus, ac labijs mutilauit, istudque deforme, ac miserandum spectaculum, cum cane in cauea clausum, ad cæterorum terrorem iusserit circumferri. Etiam de sancto Simeone, Seleuciensi apud Persas archiepiscopo, per Saporem Regem vocato ad Tribunal, & Iesu Christi Martyrium, habet Hermias Zozomenus: [Simeon, cùm Sapores eum, vt daretur in quæstionem, intromitti iussisset, neque veritus est quidquam, neque Regem adorauit. Quare grauiter commotus Rex sciscitatur quid sit causæ, cur jàm ipsum neutiquam adoret, cùm antè id fecisset? Cui Simeon: Non antè deductus eram ad verum Deum perdendum, & proptereà non recusabam debitos honores Regi præstare. At iàm idem ipsum facere fas non est. Nàm iàm pro pietate, & nostra Religione decertaturus venio.] Regij, quantumuis Pagani, pedis osculum esse indifferentem honorem iudicauit Simeon. Verùm, quòd Martyr cum Tyranno, non vti cum Rege, aut Iudice suo, sed vti cum Dei sui hoste tunc tractaret, censuit non posse, aut certè non debere impendi. Etiam de Dargan Ægypti Soldano scribit in sacri belli historia Guilielmus Tyri archiepiscopus: [Soldanus de more consuetam Calyphæ exhibens reuerentiam, semèl, & secundo humi prostratus quoddam adorationis genus cæpit supplex impendere. Tertiò iterùm prostratus ad terram, gladium de collo deposuit. Tunc accedens cum omni reuerentia, sedentis pedibus osculum humiliter impressit.] Soldanus est idem, quòd Regni Procurator. De Ægyptio autem, seu potiùs Persa Saracenorum Calypha pergit laudatus Guilielmus: [Princeps Ægyptius apud suos duobus appellatur nominibus. Dicitur enim Calypha, quod est successor, vel hæres. Et quod summi eorum Prophetæ Mahomet vicem, & successionem iure hæreditario teneat. Dicitur & Mulene; Quod interpretatur Dominus noster.] Et in alio loco: [Calypham Ægyptij pro Summo Numine colere solent, & venerari.] Erat ergò non tantùm Ægypti, & vicinarum ditionum Rex, sed & totius Agarenæ superstitionis supremus Antistes, in quem proindè impostor Mahomet transcripsit varias Summi nostri Pontificis dignitates, & iura. Ex his quidam volunt fuisse pedis osculum, ideòque ipsum non vt Regi, sed vt sacrilegorum Sacrorum Præfecto fuisse impensum. Quidquid sit, honoris istud genus à Persis traductum est ad Romanos. An etiam apud Assyrios viguerit, ignoro.

Cap.13. Lib. 6. Lib.22. c.7. Lib.15. c.7. Lib.2. c.8. Lib.19. c.18 Cap 19. Lib.18.

Nec ipsum soli Romani Gentiles, immò nec soli Christiani Græcorum Augusti, sed etiam Latini, Franci, & Germani exegerunt. Etenim de Rollone Nortmannorum Principe, Galliæ partem accipiente à Carolo Caluo Imperatore, scribit Guilielmus Malmesburiensis: [Vbi considerari potuit ingenita, & effrœnis viri barbaries. Siquidem cum dono concesso adstantes suggererent, vt pedem largitoris oscularetur, dedignatus genibus advolui, apprehensum Regis pedem ad os suum stans attraxit. Illo resupinato, secutus risus Nortmannorum. Francis reprehendentibus factum, Rollo excusat impudentiam, allegans Prouinciæ suæ morem. Nec Carolus Magnus, nec Ludouicus Pius leguntur exegisse istud reuerentiæ genus: Quod Græci Imperij fastum primus ad nos traduxerit Carolus Caluus, notant antiqui Francorum scriptores. Etiam de Ludouico quarto Imperatore, & Eduardo tertio Anglorum Rege scribit Thomas Vvalsinghamensis: [Iuxtà Coloniam cum maximo apparatu, & gloria se inuicem salutarunt. Quidam autem scribunt, quod Bauarus indignè ferebat, quod Rex Angliæ non se submisit ad oscula pedum suorum. Cui responsum fuit, quod Rex Angliæ Rex erat inunctus, & habet vitam, Fol. 47. Anno 1338.

tam, & membra in potestate sua, & idcirco non debet se submittere tantum, sicut Rex alius non inunctus.] Et de aducto in terram sanctam Friderico secundo Imperatore
A. 1228. Matthæus Parisiensis: [Templarij, & Hospitalarij flexis genibus adorauerunt eum, genua eius deosculantes.] Principis enim adoratio iuxta variam adorantium qualitatem est varia: Alij pedem, alij genu, alij manum, alij pectus, alij genam osculantur. Et hinc de Conrado tertio Imperatore, in via ad Terram sanctam perducto Constantinopolim, scribit Arnoldus Abbas Lubecensis: [Est quædam detestabilis consuetudo Regi Græcorum, vt osculum salutationis nulli offerat, sed quicumque faciem eius videre meretur, incuruatus genua eius osculatur. Quod Conradus Rex ob honorem Romani Imperij omninò detestabatur. Cumque Rex Græcorum in hoc consensisset, vt osculum ei porrigeret, ipso tamen sedente nec hoc Conrado Regi placuit. Tandem sapientiores ex vtraque parte hoc consilium dederunt, vt in equis se viderent, & ita ex parilitate conuenientes, sedendo se, & osculando salutarent.] Occidentale Francorũ Imperium Græcorũ Augusti numquam sustinuerunt agnoscere, sed voluerunt esse sibi subiectũ dumtaxat Regnum: Hinc nõ vti ab æquali per genæ, sed vti à subdito per genu osculũ Manuel Comnenus prætendit à Conrado salutari. Eum quasi de gratia excusauit à pedis osculo. Ast occidentalis Imperij dignitatem agnouit tandem, & Conradum admisit salutandi speciem, quam Imperatori ab Imperatore impendi nobis iam dixit Ioannes Cantacuzenus.

Et in hunc finem compagos, seu auro, & gemmis ornatos calceos fuisse à Diocletiano Imperatore assumptos, rectè affirmat Pomponius Letus. Eosdem in prioris ad Corinthios Apostolicæ Epistolæ Commentarijs
Hom. 30. laudat sanctus Ioannes Chrysostomus, affirmans aureas vestes, aureos calceos, purpuram, ac diadema esse signa Regiæ Maiestatis. Et de Carino Imperatore scribit Flauius
Cap. 17. Vopiscus: [Habuit gemmas in calceis. Nisi gemmata fibula vsus non est.] Et de Gallie-
Cap. 16. no seniore Trebellius Pollio: [Caligas gemmatas adnexuit, cum compagos reticulos
Cap. 2. appellaret.] Et de seniore Maximino Iulius Capitolinus: [Calceamentum eius, id est, compagum Regium constat pede maius fuisse hominis vestigio.] Adeò enim procerus fuit hic Princeps, vt longi, ac inepti homines passim dicerentur caliga Maximini. Et de Antonino Heliogabalo Ælius Spartianus: Habuit, & in calceamentis gemmas, & quidem sculptas. Quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobiliũ artificũ videri
Cap. 4. in gemmis, quæ pedibus adhærebant. Et de Alexandro Ælius Lampridius: Gemmas de calceamentis, & vestibus tulit, quibus vsus fuerat Heliogabalus.] Ornatum igitur auro, & gemmis compagum gestarunt & illi Principes, qui pedis osculum non exegerunt. Non ipsum induxit Diocletianus, sed osculandi pedis causa dumtaxat restituit, & sanxit esse deinceps necessariam partem Regij vestimenti.

Et hinc mirum est, cur Constantini Diplomatis fabricator non dixerit etiam compagos Syluestro fuisse à Constantino concessos. Eos interim iam pridem in solemni Missa gestant omnes Latini episcopi, & Romanus Pontifex etiam in vsu quotidiano. Etenim in Stephani quarti vita ritus, quibus Pseudo-Papa Constantinus fuit degradatus, describens Anastasius Bibliothecarius dicit de Mauriano Romanæ Ecclesiæ subdiacono: [Compagos Constantini abscidit.] Et de Constantis Augusti in sanctum Martinum violentijs Beatus Anastasius: [Excubitor corrigijm compagorum eius inscidit. Et Romæ in sanctæ Agnetis Basilica extat opere musiuo expressus Honorius primus, habens compagum cruce signatum. Et in sancti ibidem Martini Monasterio ostenditur compagus sancti Syluestri, viridis, holosericus, ornatus texturis serici, & auri. De hoc quidquid sit, antiquissimæ & authenticæ Romanorum imagines etiam sanctum Gregorium exhibent cum compagis. Si compagus sit osculandi etiam Pontificij pedis testimonium, certi hinc sumus etiam hoc esse antiquissimum. Et omninò est. Etenim de aducto Constantinopolim Constantino Pontifice, & Iustiniano secundo Imperatore scribit laudatus Bibliothecarius: [Augustus Christianissimus cum Regno in capite se prostrauit, pedes osculans Pontificis.] Quod etiam Theodorus Calliopas, Constantis Augusti impius Satelles, de Martino primo, dum capere volebat, ad primos Cleri mentitus fuerit, [Volumus eum adorare,] asserit lau- Epist. 15.
datus Pontifex in literis ad Eliterum. Magnum item Gregorium à Ioanne Persidis Abbate, prostrato in terram, fuisse in publica Platea adoratum testantur in eius vita Ioannes Diaconus, & in Prato spirituali sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus.
Ioannes erat vir sanctissimus: Hinc illum C. 151.
præuenit humillimus Pontifex, & primus se prostrauit. Quem admirabilem actum vterque Scriptor meritò transmisit ad posteros. Et de Agapeto Pontifice, & Iustiniano primo Imperatore habet liber Pontificalis: [Pijssimus Augustus Iustinianus humiliauit se Sedi Apostolicæ, & adorauit Beatissimum Agapetum Papam.] Et de Ioanne primo, ac Iustino primo: [Iustinus Augustus dans honorem Deo, humiliauit se pronus in terram, & adorauit Beatissimum Ioannem Papam.] Et hanc Theodorici Regis in ipsum fuisse primam inuidiam testatur Eutropius. Reuerentia hæc aliquid fundamenti habet à sancto Euangelista Matthæo, scribente de vnguentiferis mulieribus resuscitatum Dominum ve- C. 28.
nerantibus: [Accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.] Exponit in oratione de Dominica resurrectione Ioannes Archiepiscopus Thessalonicensis: [Defixæ in oscula, amplexatę sunt pretiosos, & intemeratos pedes. Licèt non eamdem adorationem, eamdem tamen reuerentiam supremo Domini in terris Vicario exhibendam fide- Tom. 1.
les non malè censuerunt. Exstat oratio apud f. 810.
Franciscum Combefis in Additamentis ad Bibliothecam Patrum.

Quinimò de aducto Hierosolymam sancto Epiphanio scribit ad Ioannem Hierosolymæ Episcopum sanctus Hieronymus:
[Nonne ad eum omnis ætatis, & sexus tur- Epist. 61. c. 4
ba confluebat, pedes deosculans?] Olim enim non

non soli Romano Pontifici, sed omni episcopo fideles pedem osculabantur. Episcopatus enim est Regno superior, ideoque illi Regium meritò deferebant honorem. De Anastasio nescio cuius in Cappadocia pagi Presbytero, & eius pagum visitante sancto Basilio scribit in huius vita sanctus Amphilochius, vel quis alius istius operis antiquus
C.11. auctor: [Venientibus nobis in domum Presbyteri, ipse obuiam factus honorabiles Basilij pedes est deosculatus. Ita de sancto Ambrosio, & Theodosio Imperatore scribit in illius vita Paulinus Presbyter: [Christianissimus Imperator, prouolutus pedibus Sacerdotis, testabatur meritis, & orationibus eius se esse seruatum.] Etiam gloriosum Ducem Mascezil affirmat id ipsum fecisse. Et de Eudoxia Imperatrice, pro Seueriano Gabalorum in Syria episcopo apud sanctum Ioannem Chrysostomum deprecante, scribit So-
L.6.c. 10. crates:[Imperatrix filium suum Theodosium, iam tunc Imperij statum, quamquam admodum adolescens esset, fœliciter gubernantem, ad genua Ioannis abiecit. Et de Abrahame Carrarum in Mesopotamia episcopo religio-
C.17. sa Theodoreti historia: [Reginarum chorus, & manus eius prehendebat, & genua.] Hi sunt honores, de quibus ad Eusebium Presby-
L.5. Epist. 89. terum scribit Isidorus Pelusiota: [Nimius episcopis per Regum pietatem exhibitus honos euertat eos, deliciarumque, & epularum materiam suppeditat.] Episcopalium pedum oscula etiam apud Latinos olim fuerunt adeò familiaria, & non soli Romano Pontifici, sed omnibus Romanæ Ecclesię ritum sequentibus Ecclesijs scriptus octauo sæculo Ordo
Fol 3. Romanus de cantaturo in solemni Missa Euangelium Diacono statuat:[Osculatur pedes Pontificis. Idem mos etiam extra Missam durabat adhuc sæculo decimo. Etenim inter rationes, ex quibus Veronenses Ratherium Episcopum suum dicerent episcopatu indignum, fuit, & hæc: [Pedem si vult aliquis osculari illius, cum magno eum repellit clamore. Ità scribit ipse apud Lucam Dacherium in opusculo titulato, [Qualitatis Coniectura.] Noster ergò septimus Gregorius ex laudato Isidori iudicio honorem hunc vetat impendi Episcopis, reseruatque soli Pontifici Romano.

Omittere hìc nolim longam litem, quam aduersùs Eugenium quartum, pedum suorum oscula exigentem, Ferrariæ ante Synodi ingressum mouit cum suis Episcopis Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus. Eugenij Legatis hæc respondit: [Dicite, vndè Papa hoc sibi arroget? Quæ antiquorum Patrum Synodus, quis Canon hunc morem ei indulsit? Monstrate mihi, vbi reperitur ista concessio? In quo codice scripta permanet, memorate. Et si se successorem Diui Petri Papa venditet, quid ni, & nos à reliquis Apostolis descendisse asseueremus? Num reliqui Apostoli ad sancti Petri pedes osculandos in genua procubuerunt? Quis hoc vmquam audiuit? Legatis ad vetustam multorum sæculorum, quibus & episcopi, & cum Regibus Imperatores officium istud non recusarunt, consuetudinem prouocantibus denuò reposuit: [Nouitia est consuetudo, qua me imbui numquam patiar. Quod si cupiat Papa, vt sicut fratres fraterno more in mutuos ruamus amplexus, quemadmodum apud nos ab æterno inualuit consuetudo, libentissimè ad eum accedam; sin vltra quid postulare perseueret oro me excusatum habeat, reuertar vndè veni. Etiam Antonius Heracleensis, & Dositheus Metropolita Monembasiensis pedem osculari, imò, & genua coram Eugenio flectere constanter recusarunt. Et ipsum facientibus duobus Bis Consulibus sunt grauiter indignati.

Quibus sibi relatis, perstitit in proposito Eugenius, atque ita ad eius Legatos iterùm perrexit Iosephus: [Nisi Papa remiserit mihi, meisque Archiepiscopis, & Crucigeris Proceribus hanc vsitatam exosculandi consuetudinem, immotum mihi hærebit numquam ex hac Scapha in terram descendere. Percipio enim hæc omnia à nobis aduerso Numine tentari, & Græcos ad Synodum in Latiale solum, dogmatumque euentilationem irato Deo coijsse, qui ideò hoc sufflamen nobis injecit, ne in infinitam inuidentiam, & contemptum rota nostra procurreret. Actutum igitur volo me ad reditum accingere, dum adhuc in ipso portu, ac prima arena consisto, priusquam dedecore grauiori, aut maioribus malis obruar.] Quibus permotus Eugenius omnem Patriarchæ addixit honorem, permittens, [vt quo velit modo ad ipsum accedat.] Rogauit tamen in clauso palatio coram solis id fieri Cardinalibus, ne ob tanta Papalis honoris spontaneè admissa detrimenta Latinus orbis offenderetur. Et hinc factum est quod in Proœmialibus Florentinæ Synodi Actis scribit quis Græcus Metropolita: [In Palatium Fol. 310. Papæ adscendimus, & Patriarcha quidem stantis Papæ genam osculatus est, nos autem sedentis dexteram, & genam cum Officialibus, reliqui, verò, aut dexteram tantùm deosculati sunt, aut profunda veneratione dumtaxat contenti fuerunt.] Quæ omnia L.4.c.18.19. 20.21.22. in Synodi historia latiùs narrat Syluester Sguropulus.

Græci igitur Papalis pedis osculum nequaquam damnarunt, sed dumtaxat ab episcopis, Metropolitis præsertim, & ipso maximè Patriarcha noluerunt impendi. Lucet ex actis laudatæ Synodi: [Vt cognouit Pontifex Græcorum Imperatorem portæ esse vicinum, surgens deambulabat, quo factum est vt Imperator stantem illum reperiret. Volentem ergo genu flectere non permisit Papa, sed sinu suo illum excepit, cumque porrexisset manum, quam deosculatus est Imperator asidere illum sibi ad sinistram voluit. Cardinales verò ad pedes eorum, salutationem in Christo peregerunt.] Grecorum Eepiscopi cunctos episcopos dixerunt fratres, & Apostolici Collegij Successores, ideoque tantam humilitatem alteri ab altero non deberi. Dixerunt esse nouitiæ adulationis abusum. Respondeo tamen omninò reperiri antiqua istiusmodi exempla. Etenim de suis in Ephesino, cui Dioscorus Alexandriæ Patriarcha præfuit, Latrocinio Actis dixit ad Chalcedonensem synodum Onesiphorus Iconij Episcopus, Metropolita Lycaoniæ: [Tollens ego alios episcopos surrexi, & tenui genua Dioscori, & dixi,; Noli damnare Flauianum

Constantinopolitanum Episcopum, per vestigia Reuerentiæ vestræ. Nihil dignum damnatione egit.] Et Marinianus Synnadensis episcopus, Metropolita Phrygiæ Pacatianæ: Dum Dioscorus vellet proferre sententiam, surrexi ego, & Domnus Onesiphorus, & Domnus Nunnechius Laodicensis, & alij, & tenuimus pedes eius, dicentes, Quia, [& tu Presbyteros habes, non debet propter Presbyterum damnari Domnus Episcopus. Et de Leonis quarti Electoribus scribit Anastasius Bibliothecarius: [Morem conseruantes antiquum, omnes osculati sunt pedes.] Hos inter Electores quis nesciat fuisse etiam Episcopos? Nouitium igitur esse morem hunc errauit Patriarcha Iosephus. Vniendarum verò Ecclesiarum amore, optimè Eugenius Pontifex cessit suis iuribus.

Quod ista Græcorum tergiuersatio caruerit omni fundamento, insuper euincit antiquus mos, quo & ipsorum omnes cum supremis etiam Proceribus, atque Metropolitis episcopi sunt consueti osculari pedes Patriarchæ Constantinopolitani. Lucet hoc ex sancti Martyris Theophanis Supplemento, vbi Imperator Leo Armenius Iconoclasticam resumit hæresim, eijcit sanctum Patriarcham Nicephorum, & nescio quem Pancratij filium Ioannem tentat intrudere, atque adiungitur: [A' Patricijs tamen in hunc modum mouentibus prohibitus est. Iuuenis est, inquiebant, & ignobilis: Neque decet nos senes eum venerari, & coram eo procidere. Quin potius ex ingenuis, & illustri familia natis, ac ætate prouectis, Patriarcha promoueatur. Lucidè profitentur etiam se Patricios obligari ad coram Patriarcha procidendum, Vtique ob pedis osculum. Etenim de Augusti sanguinis viro, & statim post Imperatore, Andronico Comneno, nec non de Patriarcha Theodosio scribit in Alexio Manuelis Commeni filio Nicetas Choniates: [Omnibus ad Andronicum, vti ad Imperatorem, nauigantibus, postremus omnium etiam Patriarcha Theodosius traiecit cum Primarijs Sacerdotibus. Qui cum Pontificem ad suum tentorium accedere audiuisset, statim ei obuiam procedit, & quantus erat, se ad equi vngulas prosternit. Paulò post adsurgit, & Patriarchæ plantas deosculatur. Et de calumniosè accusato, ac euidenter purgato Patriarcha Dionysio habet Patriarchalis per Emmanuelem Malaxum descripta Historia: Tunc confertim Synodus accurrens, deosculata est pedes eius.] Addit Historia synodo adfuisse frequentissimos, non tantùm episcopos, aut Archiepiscopos, sed etiam Metropolitas. Quod ergo hi fecerunt Patriarchæ Dionysio, cur ipsorum Antecessores facere detrectarunt Papæ Eugenio? Attamen de Patriarcha: ex Hierosolymitana pietate ad Constantinopolitanum suburbium, & aurei fontis Templum reuerso, Hieremia secundo pergit eadem Historia: [Hoc vbi populus resciuit, concurrit, idque tanta frequentia, vt triduum in osculanda sancta eius manu absumpserit. Quæ omnia inter se collata suadent Patriarchis pedis osculum fuisse potiùs liberum, quàm necessarium. Quidquid sit, esse Romano Pontifici debitum omnis iam pridem Ecclesia profitetur. Nam de Imperatore, dum Ferrariæ accessit Eugenium quartum, Ioanne secundo palealogo scribit etiam Gregorius Pranzes: [Imperator cum in genua vellet procumbere, non id Papa permisit, sed eum complexus, porrectaque dextera osculatus est, & ad sinistram suam collocauit. Cardinales ad pedes eorum se incuruantes, salutationem in Christo peregerunt.] Quare Metropolitæ, & Proceres à sui Principis humilitate fuerunt valdè alieni.

F.441. C.12. L.2. c.15.

CANON X.

Quod Papæ solius nomen in Ecclesijs recitetur.

SCHOLION.

PRo Regibus, Episcopis, alijsque huius mundi Potestatibus, orare etiam in sacrificio nostro, est antiquissima omnium Ecclesiarum consuetudo. & mandatum Apostolicum, in epistola ad Timotheum. Hinc parentes olim nostros pro Gentilium Imperatorum, etiam sese persequentium, æterna, ac temporali salute in dies Domino supplicasse affirmant in Apologijs Iustinus Martyr, Athenagoras, Tertullianus. Verùm aliud est simplex oratio, aliud oratio cum recitatione, & expressione nominis, quam sanctus Cyprianus passim intitulat nominis oblationem. Et hinc ipsa impendi non potuit, nisi cum oblatione communicantibus, id est, habentibus non solam [consistentiam, sed communionis perfectionem, seu ius percipiendæ Eucharistiæ. Energumeni nomen inquit Eliberina Synodus, ad Altare cum oblatione non est recitandum.] Quod nempè Hispani Energumenis non crederent Eucharistiam. Et de sancto Dionysio Patriarcha Alexandrino scribit sanctus Athanasius: [Eius memoria hactenùs cum Patribus hucusque celebrata est, & in catalogum relata.] Exindè probat ipsum dogmate fuisse orthodoxum, ac in perfecta Ecclesiæ communione defunctum. Hoc in cardine penderunt grauissimæ inter Romanam, & alias Ecclesias de Eustatij Antiocheni sancti Ioannis Chysostomi, Cæciliani Chartaginensis, Acacij Constantinopolitani, ac aliorum defunctorum Episcoporum recitandis, ac offerendis nominibus lites alij ipsos extra, alij intra plenam ecclesiæ pacem, & communionem asseuerabant è viuis excessisse. Hæc enim recitatio fiebat è Dyptichis, seu duplicibus, quarum altera viuorum, altera defunctorum nomina continebat, tabulis, de quibus in literis post Chalcedonensem Synodum exstãtibus scripsit ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum Ægyptiaca synodus: [Venerabile Dyptichon, in quo piæ memoriæ transitum ad celos habentium Episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum Mysteriorum secundùm sanctas Regulas releguntur.

Cap.19. Ep.23.

Dum faciendam cum nobis Latinis vnionem Constantinopolitanę Ecclesię Clero suasit, de admittenda Papalis nominis recitatione dixit Imperator Michael Paleologus: [Quid

[Quid porrò habet Canonibus aduersùm prolatio nominis Papæ publicè in ecclesia pronuntiati? Vtique cum multos, qui Papæ non sunt, nos obtineat, & ex vsu inducta necessitas impartiendi tali genere communionis nominatim exprimendo illos, dum præsentes in ecclesiæ conuentu adsunt celebrante Sacerdote, ac Trinitatis gratiam omnibus dante communiter.] Ita habes apud Gregorium
Lib 5. c.12. Pachymerem. Faciendæ vnioni hostiliter aduersabatur Clerus, ideoque hunc inter tres illius articulos præcipuum diminuebat prudens Princeps, suauiter, & fortiter conatus inducere ad ipsum acceptandum. Verùm longè alia fuit Cleri sententia. De ipso enim in varias opiniones diffecto pergit Pachyme-
C. 18. res: [Erant nonnulli, qui duo priora capita, Papæ Primatum, & Prouocationem ad ipsum sine magno damno relaxari posse dicerent; quippè quorum neutrum vltra nomen, & speciem ad factum procederet, sed sub obtentu vanæ subiectionis, ostentatæ, non exhibitæ reipsa, integram, nec vllo interuptam vsu, Græcis seruaret iuris hactenùs vsurpati possessionem. Longè ab his diuersum videri tertium de commemoratione Papæ in Sacro. Per id enim induci ius in vsum, & verba facto sanciri.] Censuerunt hunc esse fundamentalem, & capitalem articulum, ideòque nullatenùs admittendum.

Et omninò conformiter ad rationes sui schismatis. Hæc enim commemoratio est suprema, & honoratissima communionis species, adeò vt de Iosepho primo Patriarcha Constantinopolitano scribat idem Pachyme-
Cap. 17. res: [Iosephus Patriarchali Palatio egressus, diuersabatur in Periblepti Monasterio, saluis ei prouentibus, & honore consueto commemorationis in Sacro.] Faciendam cum Latinis vnionem pessimè oderat Iosephus, ideòque dignitatem deponere maluit, quàm nobis communicare. Deposuit non totam, sed commemorationis honorem retinuit, sciens hunc esse magnam istius portionem. Et de Alexio Melisseno Cæsare, qui nobis Flandris eripuit, & Imperatori Michaeli Paleologo
Lib. 1. c. 5. reddidit Constantinopolim, scribit Georgius Phranzes: [Imperator, omnes Prouinciæ, Patriarcha, vniuersa Ecclesia in ore habebant, & cœlo laudibus æquabant Cæsarem. In Diuinis præatereà, ac sacris liturgijs, in omnibus item ritibus, & officio sacrarum ecclesiarum, clara voce eius mentio fiebat. Insuper ornamenta, siue insignia Cæsaris gestabat quotidie, quauis hora, & loco, donec vita suppeteret.] Hæc clausula, Donec vita suppeteret, tangit sola ornamenta Cæsarea, nequaquam nominis commemorationem. Lucet ex Nicephoro Gregora, qui refert eadem
Lib. 4. omnia, & adiungit: [Imperator præatereà mandauit, vt nomen Cæsaris per integrum annum vnà cum Imperatorum in omnibus Romanis Prouincijs, Hymnis, alijsque Laudibus celebraretur.

3 Vniuersalis quippè, & perpetua nominis recitatio est priuatiuus, & incommunicabilis character Augustæ Maiestatis. Hinc Ioannes Cantacuzenus, dum se Imperatorem ostentaret, & Pheræorum obsideret ciuitatem, illis liberationem, & varia priuilegia obtulit sub hac vnica conditione: [Vt tantummodò Anna Imperatrice, & eius filio Imperatore nominatis, se quoque eadem honoris appellatione cum illis dignarentur, perindèque sui in solemnibus sacrificijs meminissent.] Verùm, & ciuitatis Episcopus, & Constantinus Paleologus eiusdem Præfectus constantissimè refutarunt. Omnes enim tres norant istam commemorationem esse vnam è supremis Augustæ Maiestatis dignitatibus, & ita commemoratum agnosci in Imperato-
rem. Habes hæc apud præfatum Cantacuzenum. De fractis longa tandem obsidione Lib. 3. c. 55.
Pheræis idem Scriptor pergit: [Cantacuzeno, vt Imperatori fa[illegible]tum adclamarunt, & eius in Sacris meminerunt.] Et de semetipso Bizyensium ciuitatem occupante prosequitur: [Vbi ad portas fuit, primùm quidem Annæ Imperatrici, deindè filio eius Imperatori, postremò sibi, & Irenæ vxori suæ fau- Cap. 19.
stum adclamari iussit. Eodem modo per alias vrbes fieri, & inter sacrificandum similiter Imperatorum memoriam celebrari voluit.] Etiam de exaltato in Imperatorem filio suo Matthæo scribit: [Matthæi pedibus inductę Lib. 4. c. 31.
crepidæ purpureæ, & tiara lapillis, & margaritis ornata pro more capiti eius imposita, faustæ acclamationes insonuerunt, & in sacris eius, vt reliquorum Imperatorum frequentari cæpta memoria. Ioannis autem nomen in acclamando, atque inter Sacra Socer taceri iussit, & Annæ Imperatrici, ac nepoti Andronico adclamari vt priùs, & in Missæ sacrificio eosdem nominari.] Quanto zelo Romani, & gentiles, & Christiani, Imperatores semper voluerint purpuram esse penitùs incommunicabilem, vnanimiter clamant omnes Romanarum Rerum scriptores. Apud quemcumque vel vetustum purpuræ segmentum reperiebatur, erat suspectus de adfectato imperio, & læsa Maiestate. Similis dignitatis apud Christianos Imperatores fuit ista nominis commemoratio. Et hinc Imperator Ioannes Cantacuzenus volens cunctis demonstrare collegam suum Ioannem Paleologum iam esse in sua mente degradatum, eius nomen iussit taceri. Et hæc est omninò prima radix nati inter ipsos belli.

Eamdem normam hodie sequuntur Francorum Proceres, & episcopi. Lucet ex Stephani Baluzij ad S. Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum Scholio, cuius volo integrum textum adducere. Augusti nominis ad Sacra recitationem Agobarbus in litteris ad Ludouicum Pium Imperatorem de Iudaicis superstitionibus appellat solitam pro Principe intercessionem, & Baluzius commentatur: [Solebant Principis nomen recitare inter mysteria. Tertullianus capite trigesimo Apologetici:] Nos enim pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternum. Infrà: Oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt. [Et paulò post, istud Pręceptum esse Christianis docet auctoritate be[illegible]i Pauli in epistola prima ad Timotheum. Neque tum videbatur necessarium, vt nomen Imperatoris inter mysteria proferretur, quod vni tantùm pareret orbis vniuersus, adhucque in Ecclesia perseuoraret sancta

illa veterum Christianorum simplicitas. At posteaquam diuidi orbis cæpit, proque innocentia, & simplicitate fraus, & dolus irrepere cæperunt inter Christianos, dubiumque ob eas causas esse potuit pro quonam Rege Sacerdos oraret, si nomen Principis taceretur, verbisque tantùm generalibus pro eo oraret Ecclesia, tum verò necessarium visum est, vt nomen Principis recitaretur, quo fraudibus iretur obuiam; intelligerentque populi eam esse mentem Ecclesiæ, ex Diuino Præcepto, & Apostolica traditione descendentem, vt illi Regi, qui tum imperitaret, fidem suam sanctam illibatamque seruarent, vitamque ei prolixam, imperium securum, domum tutam, & cætera quæcumque hominis, & Regis vota sunt, precarentur. Itaque in libro Sacramentorum, qui Gregorio magno tribui solet, disertè præcipitur, vt nomen Regis pronuntietur inter mysteria:] Vnà cum famulo tuo Papa nostro illo, & Rege nostro illo, omnibus Orthodoxis atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus. Et proferri quidem possunt varia exempla huius moris. Sed, omissis cæteris, ab ætate nostra sumemus exemplum. Cùm ante hos viginti annos Catalaui se instis, ijsque necessarijs de causis in fidem, & clientelam Ludouici decimi tertij Francorum Regis contulissent, eiusque se dominio volentes, lubentesque subiecissent, manebat tamen adhuc in quorumdam pectoribus insitum in Gallos odium, & occulta in Hispanos inclinatio. Horum ergò affectibus vtebantur Hispani ad turbandum Cataloniæ statum. Sed opportunum in primis, valdèque vtile visum est abuti Monachorum virtutibus, ad quos tum in ijs Regionibus delapsa erat omnis ferè cura Sacrarum Concionum, quod id genus hominum plurimùm auctoritatis habeat apud plebem, præcipuè verò apud Catelanos, gentem religiosissimam. Ea tempestate vir illustrissimus Petrus de Marca, qui Tholosatium, dein Parisiensium Archiepiscopus fuit, in Cataloniam missus est cum amplissima potestate, vt Prouinciam recenter ad nos versam prudentia, & sapientia, & cæteris bonis artibus, quibus plurimùm valebat, Regi Christianissimo teneret, Imperioque Francico parere adsuefaceret. Hic ergò cùm Barcinonem peruenisset, deque his rebus fuisset admonitus, Rectores illius Vrbis, quos Prouinciales, aut Superiores vocant, in suas ædes euocauit Idibus Iulij, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti, habitaque ad illos Latina oratione de meritis Ludouici decimi tertij Regis, eiusque filij tunc regnantis in Cataloniam, deque fide, quæ Principi debetur, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, quatuor eis capita proposuit, ab vniuersis per Prouinciam Monachis obseruanda, quorum vnum fuit istud:] Tertium, quod à vobis exigo, illud est, vt inter Missarum solemnia, iuxta Diui Pauli Præceptum, antiquorum Patrum traditionem iam à Tertulliano testatam, ipsiusque Romani Missalis contextum, Regis Christianissimi specialis, & expressa ab omnibus Sacerdotibus fiat commemoratio; ita vt non tantùm Regis mentio generaliter injiciatur, sed Ludouici nomen disertè exprimatur, quemadmodum exigit vsus Ecclesiæ quotidianus; ne alioquin suspicio indè nascatur, aliud animo geri, aliud verbis simulari. [Postremo loco admonuit non defuturis officio suo Magistratus Regios, si quid in hoc peccarent Monachi. Sed ne pœnæ viderentur constitutæ tantùm aduersùs Monachos, ac si de eis solis suspicio esset, literas deindè ad vniuscuiusque Diœcesis Vicarios Generales dedit, in quibus eadem mandata continebantur. Exstat autem epistola eius ad Generales Vicarios Diœcesis Helenensis, in qua sic scriptum est: [In orationibus quoque, quæ pro salute Regis inter Missarum solemnia recitantur, Ludouici nomen disertè, & specialiter exprimatur. [Cæterùm aduersùs hanc orationem Marcæ, puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidit Fr. Petrus Moliner, Trinitarius Magister, Theologiæ Doctor, ac vespertinus Cathedraticus in Ilerdensi Licæo. His enim se titulis ornauit homo, opinione sua doctus, & eloquens, sed quantum ex ipsius declamatiuncula colligi potest, Musis non tam inuisus, quàm ignotus.]

Errores varij. Primus est, quod Principis nomen suo tempore Apostolus recitari iusserit, aut Tertulliani tempore Ecclesia recitarit. Etenim Romanorum Augusti erant tunc Pagani, & Pagana nomina fuisse recitari iussa ab Apostolis, aut vnquam recitata ab Ecclesijs, nec D. Petrus de Marca, nec Stephanus Baluzius possint demonstrare. Quod hęc recitatio solis cum oblatione communicantibus, seu solis perfectis Christianis possit impendi, ideòque à Paganis sit alienissima, apud omnes auitæ disciplinæ peritos est plusquam manifestum. Neque obest, quod sancti Marci Liturgia pro Rege, & eius conseruanda iustitia, sancti autem Petri Missa oret pro Religiosissimis Augustis, & ipsorum victoria. Quis enim non videat hæc esse posteriora, Christianis temporibus facta, additamenta? Nec desunt, qui exindè istas Liturgias velint spurias, ac suppositicias. Et hinc Stephanus Baluzius non sine fundamento scribit Fr. Petrum Moliner fuisse Musis non tam inuisum, quàm ignotum. Etenim si antiquos Ecclesiæ Canones, & mores ille nouisset, potuerat Petri de Marca, & Latinam Orationem, & literas, non puerili, sed insigniter virili intercessione subuertere, ac exsufflare.

Secundus error est, quod Romani, cui totus parebat orbis, Imperij temporibus facta non fuerit Regij nominis expressio, & dumtaxat cæperit post istud in varios Barbarorum Reges laceratum. Etenim in laudata epistola longè aliud censuit sanctus Agobardus, de Imperatore Theodosio, qui à Christianis euersam Iudæorum Synagogam reparari ab eisdem iusserat, & de offenso ob istam iussionem sancto Ambrosio scribens: [Ambrosius Theodosium præuaricatorem iudicauit, tam iniusta contra Ecclesiam perpetrantem, & nisi sibi locum audientiæ reseruasset, solitam pro eo intercessionem se intermissurum testatus. Solita intercessio non est aliud, quàm Augusti nominis in Sacrificijs recitatio. Et de Orientalibus, Acacianum schisma, ac eius fautorem Augustum Zenonem detestantibus, episcopis scripsit ad omnem Orien-

talem

talem Ecclesiam Papa Felix tertius: [Numquid omnes Imperatoris nomen ex Dyptichis abstulerunt?] Exstat epistola apud Iacobum Sirmondum in Appendice Codicis Theodosiani. Et de Calendione Antiocheno Patriarcha scripsit ad Dardaniæ Episcopos sanctus Gelasius: [Esto, Calendion Imperatoris nomen abstulerit.] Et ad Hormisdam Pontificem Dioscorus eiusdem Diaconus, & apud Imperatorem Iustinum Legatus: [Deleta sunt de Dyptichis Zenonis, & Anastasij nomina. Et hoc non solùm in ipsa sola Ecclesia, in qua Episcopus manet, verùm etiam per omnes Ecclesias cum magna diligentia.] Ex quo lucet Imperiale nomen non tantùm in Cathedralibus, sed in omnibus vbique Ecclesijs fuisse semper recitatum.

Epist. 9.

Epist. 13.

Rel. 6. post Ep. 40.

Nominum recitatio est omninò institutum Apostolicum: Hinc certum est Imperialis nominis recitationem statim à Constantini Baptismo cœpisse. [Plinthon, inquit Georgius Cedrenus, Græci vocãt laterem coctum. Erat autem Plinthus quædam publica, in qua Senatorum, ac Legionum nomina inscribebantur. Quadrata figura in muro Plinthus erat]. Loquitur cum Cornelio Tacito in libris Annalium: [Aurelius Cotta Consul nomen Pisonis radendum fastis censuit]. Vtique è fastis Consulum. Nec solas Consulum, aut Senatorum, sed etiam Imperatorum fuisse tabulas, testatur in Aureliani Imperatoris vita Flauius Vopiscus: [Ab Augusto in Diocletianum, Maximianumque Principes, quæ series Imperatorum sit, index publicus tenet.] Et ex hisce tabulis Domitianum, Cõmodum, Heliogabalum, aliosque malè functos Imperatores fuisse solemniter rasos, testantur Romani Scriptores. Hasce ergo tabulas, vti & plures Romanæ Reipublicæ mores, cum Constantini Baptismo adsumpsit etiam Ecclesia, cæpitque non solos suos episcopos, sed insuper, & viuos, & defunctos Imperatores religiosè, ac solemniter ad sacrificium commemorare. Et hinc regnantis præsertim Imperatoris nomen continent omnes Latinorum, & Græcorum Liturgiæ.

Fol. 169.

L. 3. C. 17.

Cap. 41.

Et ita seruatum omninò fuit etiam in laceratis per barbaros Prouincijs. Non barbari Regis, sed solius Romani Imperatoris nomen perrexerunt episcopi Deo commendare. Hinc enim sanctus Cuthbertus Cantuariensis Archiepiscopus, sancto Apostolo nostro Bonifacio coætaneus, in sua Cloveshoensi synodo statuit: [Vt pro Regibus, & Principibus publicè oretur]. Quod nempè vsque tunc non fuisset ita oratum. Exstat synodus apud Guilielmum Malmesberiensem. Quæ antiqua forma omninò fuit seruata etiam in Francia. Sicuti Francorum Reges Romanorum Imperatorum Laureata semper admiserunt, ita & episcopi constanter perrexerunt recitare ipsorum nomen. Et hinc Rex Dagobertus multa Ecclesijs legauit eo pacto, vt eius nomen scriberent in librum vitæ, & omnibus Dominicis diebus, & magnis festiuitatibus recitarent. Ita habes in eius vita apud Franciscum du Chesne. Clarum igitur est eius nomen vsque tunc non fuisse recitatum: Tunc recitari cæpisse, non vt Regis, sed vt benefactoris. De recitando Regio nomine etiam Apostolus noster Bonifacius nullam in suis synodis fecit memoriam. Prima memoria est apud Iacobum Sirmondum in Episcoporum Capitulari: [Vt cuncti Sacerdotes precibus adsiduis pro vita, & Imperio Domini Imperatoris, & filiorum, ac filiarum salute orent]. Quod ipsum posteà firmarunt sexta Arelatensis, secunda Rhemensis, tertia Turonensis, & secunda synodus Cabilonensis. Arelatensis addit id statutum ad preces Imperatoris. Notandum est semper agi de Domno Imperatore. Nempe magnus Carolus, quousque Francorum, aut Longobardorum dumtaxàt Rex fuit, nec cogitauit de isto honore: Primùm cogitauit per Leonem tertium Pontificem euectus in Imperatorem, sciens hanc esse vnam ex Imperialibus dignitatibus. Quapropter forma illa, quam Catelanis prædicauit Petrus de Marca, nullum in antiqua Gallicanæ Ecclesiæ disciplina habuit fundamentum.

Cap. 40.

Cap. 1.

Tertius Stephani Baluzij error adserit Regij nominis recitandi necessitatem esse à Magno Gregorio, ac eius libro Missali. Verùm quod magnus ille Papa ritum istum suo Missali non inseruerit, euincit eius ad Anglos Legatus Augustinus, à quo Reges non fuisse recitatos est iam ostensum. Et quidem sui Sacrificij ritum partim è Romano, partim è Gallicanis Missalibus collegit ille, atque ita hinc etiam constat à Gallicana tunc Ecclesia Regem non fuisse recitatum. Et Imperatori Mauritio, quem scimus suæ dignitatis fuisse zelosissimum, pleno iure parebat tunc Roma: Quomodo igitur Regum, quos omnes sibi subesse censebat ille, nomina Gregorius suo Missali miscuisset? Et isto Missali sola tunc Romanæ Cathedræ Metropolitica Prouincia vtebatur. Et Missale istud etiamnum hodiè nullum habet nomen Regis. Et in sancta Parasceue, ac in Paschalis Cerei benedictione recitat nomen solius Imperatoris. Quocirca Occidentalis Imperij infirmitas istis nominibus viam in Missale aperuit. Cuncta ferè Occidentis Regna se pedetentim subtraxerunt ab Imperij obedientia, atque ita, & clerus, & populus non amplius Imperatoris, sed sui Regis nomen cæpit recitare.

Verùm in solo Missæ Canone. Et ita omninò oportet. Vt post collectas, vel Regis, vel Imperatoris, vel etiam Domni Papæ nomen semper recitetur, est non tantùm præter, sed, & contra Rubricales Romanæ Ecclesiæ regulas. Scio ita passim fieri à multis, & tolerari à Romana Ecclesia: Vtique dispensatoriè ob Regum reuerentiam. Et hinc à Stephano Baluzio velim discere, qua auctoritate D. Petrus de Marca Catelanis Monachis, & clericis imposuerit istud recitationis onus? Certè illic non episcopus erat, sed dumtaxàt Regius Præfectus, ideòque sacri ritus non spectabant ad ipsum. Et quomodo allegauit Romani Missalis contextum? Genuina enim Romana Missalia, nec in Canone habent Regis nomen, Et quomodo hac in parte delinquentes Monachos, aut clericos edixit à Regijs Magistratibus puniendos? Ecclesiastica, præsertim in Diuino Sacramentorum Ministerio commissa, Sacerdotum delicta, non per Regios Magistratus, sed per solos episcoscopos esse iudicanda, & punienda semper credidit Gallicana Ecclesia. Nolim addere

Ca-

Catelano tunc legitimo, & catholico suo Regi fuisse rebelles, & apostatas, adeòque, & regularem, & sæcularem clerum compulsum ad hanc rebellionem, & apostasiam in ipso etiam tremendo Sacrificio firmandam, & profitendam. Verùm hæc non spectant ad præsens Scholion. Regij nominis recitationem fateor esse professionem obedientiæ. Etenim in Missæ expositione scribit Theodorus Andidorum episcopus: [Postea adclamatio, In primis recordare Domine Archiepiscopi nostri. Qua insinuatur subiectio ad Superiores. Et commemorato Pontifici communicat, qui offert in fide]. Et incognitus Scriptor Græcus de vitandis hæreticis: [Ab antiquo tempore accepit Dei Ecclesia commemorationem Pontificis in adytis esse perfectam communionem. Scriptum siquidem est in expositione Diuinæ Missæ: Commemorat celebrans Pontificis nomen, ostendens ad id, quod superius est, subiectionem, & communionem mutuam in fide cum eo, & in Diuinis Mysterijs successionem]. Fateor hanc obedientiæ professionem legitimè fieri in Missa, etiam extra Canonem: At morem hunc Latina Ecclesia iam pridem omisit. Ex causis varijs, quarum vna esse possit multus Græcorum circa ipsum abusus.

Insignem abusum continet in Imperatorem Michaelem Paleologum, qui innocentem puerum, & legitimum Imperij heredem Ioannem Lascarim barbaricè excæcarat, per Arsenium Patriarcham Constantinopolitanum data, & per Nicephorum Gregoram memorata sententia: [Patriarcha Sacris interdixit Imperatori, mentionem tamen eius in Psalmodijs non sustulit, veritus ne ille per iracundiam grauius aliquid in Ecclesiam consuleret, nevè fumum fugiens incidere in ignem cogeretur]. Ne plenè degradare videretur, dispensatoriè permisit eius nomen recitari. Erat paradoxa dispensatio. Quis enim vnquam audiuit excommunicatum nomen recitari ad Altare, & Sacrificium? Interim expurgare nititur Georgius Pachymeres: [Fuit in modo, & circumstantia quadam huius facti, quod iure quis reprehenderet. Sed nec defuit, quod ad excusationem contra vicissim allegaretur pro sic agentibus, quod aliter vix possent. Inconsequens videri potuit, excommunicato nominatim Imperatore, permittere, que madmodum fecit, clericis, vt consuetas pro eo preces palàm in Choro pronuntiarent. Nam hoc erat ipsos cum eo in Sacris communicare, quia communione abscissus fuerat. Tum præterea Patriarcham ipsum per se operari rei Diuinæ, in qua sciebat honorificè memorandum eum, quem diri anathematis vinculis irretiisset. Verùm ad hæc dici potest, meritò visum sufficere debere in tali persona seueritatem animaduersionis, quæ aliquid è summo rigore remitteret. Periculum enim fuisse, ne si vel pauxillum plus acerbitatis admisceretur negoti oper se odioso, cuncta statim modico momẽto in perniciem præcipitara confunderentur, quemadmodum Empedocleo contingebat globo, quem ventis compressis, & sopitis fœtum, siquis imprudentiùs contrectaret, ex eo repentè procellæ immanes, cuncta latè conquassantes, erumpebant]. Respondeo, Arsenium longè abfuisse

Lib. 4.

Lib. 3. c. 14.

à sancti Ambrosij constantia in excommunicatum Theodosium, Michaele Paleologo longè potentiorem. Ista sanè dispensatio fuit horrenda dissipatio indispensabilis Nicæni Canonis. Arsenius Michaelis nomen debebat radere, aut ipsum non excommunicare. Canones æquauit aranearum telis, quæ muscas capere solent, à scarabæis lacerari.

Etiam Imperatori Andronico primo Paleologo, qui sui Nepotis, & Collegæ Andronici secundi nomen in Palatina Capella raserat, ac etiam in Patriarchali, & omnibus vbique Basilicis radi mandabat, Patriarcha Esaias malè respondit Augustum nomen radi non posse, nisi ob hæresim. Ita latè habes apud Ioannem Cantacuzenum. Rebelles nepotis in auum insolentias, & aui de ipsis apud Synodum querimonias exponit etiam Nicephorus Gregoras, & adiungit: [His auditis Pontifices prudentia, & eruditione ornati, adsenserunt, & nepotis nomen in omnibus Ecclesijs tacendum esse, donec corrigeretur, censuerunt]. Etiam Patriarchæ Esaiæ cum nepote conspirationes exponit, & prosequitur: [Patriarcha sacris tintinnabulis pulsatis, coactoque magnæ circumforaneæ turbæ numero, sacris interdictum esse omnibus promulgauit, qui iunioris Imperatoris nomen tacerent, & omnem Imperatori debitum honorem illi habere recusarent]. Quod nempè hoc summo honore Imperator priuari non posset, nisi ob hæresim. Verùm erat inepta sententia, per meliores episcopos meritò damnata. Etenim hæc nominis recitatio non est ex qualiscumque, sed ex plenæ, quam antiqui Canones titulant Perfectionem, communionis honoribus, & characteribus, ideòque non solùm hæreticis, & schismaticis, nec solis Flentibus, & Substratis, sed etiam Consistentibus non possit impendi. Est solorum cum oblatione communicantium, seu Perfectorum. Ita Græcos, qui Latinis Canonum præuaricationem assiduè obijciunt, schisma docuit Canones præuaricari.

Lib. 1. c. 44.

Lib. 9.

Istius commemorationis dignitas insigniter etiam lucet ex elogio, quo Francorum Rex Dagobertus istas Ecclesiæ tabulas suprà titulauit librum vitæ. Est antiquissima phrasis. Etenim de radendo Presbyteri Bonifacij suspecto nomine dixit ad suum populum sanctus Augustinus: [Si vobis placet, vt nomen eius non recitetur, ne ijs, qui ad Ecclesiam accedere nolunt, demus occasionem quærentibus occasionem, non erit nostrum hoc factum, sed eorum, quorum causa fuerit factum. Quid enim obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viuorum non delet eum iniqua conscientia]. Palàm adfirmat istas tabulas esse imaginem libri vitæ. Et certè sicut soli Perfecti intrant vitam æternam, ita, & hi soli olim recitabantur ex istis tabulis, & Diuinæ Bonitati, tamquam ista vita digni, offerebantur. Restantes enim peccatorum reliquiæ consistentem, licèt non à Dei gratia, pro tempore tamen adhuc excludunt à vita æterna. Quæ omnia firmantur à laudatis Augustini verbis. Etenim de pessimo crimine non conuictus, sed dumtaxàt à complice accusatus erat Presbyter Bonifacius: Et quod humana in quamuis partem probatio deficeret.

Ep. 137.

ret, ad Diuinum à sancti Felicis corpore iudicium prouocarat. Nihilominùs sufficienter suspectum censebant è populo varij, eius nomini nolebant communicare. ideòque nec frequentare Ecclesiam, quousque ad ipsum non suspenderetur. Quod nempè ista suspicio illum excluderet à communione Perfectorum. Et Augustinus, licèt à tam terribili appellatione satis purgatum opinaretur, obediuit. Et hinc item lucet non solius Episcopi, sed etiam omnium Presbyterorum nomina tunc apud Afros fuisse recitata. Etiam quosdam hospites fuisse isto honore impartitos audiuimus suprà ab Imperatore Michaele Paleologo. Nempè hospites episcopos. Vti illos ad publicum sacrificium, ac verbum inuitauit, ita & isto honore adfecit auita disciplina. Quod ipsum etiam Abbatibus, & grauioribus Monachis aduenis fuisse delatū à monasterijs, testatur Theodorus Balsamon, in Responsis ad Marcum Patriarcham Alexandrinum. Fundatoris nomen in fundata per ipsum Ecclesia quotidie recitari, scribit in Homilijs super Apostolica acta sanctus Ioannes Chrysostomus. Recens Regeneratorum, ac plenè reconciliatorum nomina fuisse recitata, est omnibus notum.

Qu. 61.

Hom. 18.

Quinti generalis Concilij actis inserta est Mopsuestena synodus, à qua Ioannes istius Ecclesiæ Presbyter, & sacrorum Vasorum custos omnia sua Dypticha proferre iussus respondit: [Habeo & alios duos membranaceos quaterniones veteriores illis, qui nunc sunt, & recitantur. Quos & ipsos protuli, sicut videtis.] Et acta synodalia: [Et recitati sunt, & habent sic, pro quiescentibus episcopis Protogene, Zozymo, Olympio, &c.] Continebant nomina omnium Mopsuestienstum episcoporum à primo vsque ad vltimum defunctum. Et quia istic pro expuncto Theodori nomine insertum erat sancti Cyrilli Alexandrini nomen, ille iudicatus est statim à sua morte malè oluisse. Etiam Theodorum illum, quo cùm per literas frequens communicauit sanctus Gregorius Nazianzenus, non fuisse Mopsuestiensem, sed suum Prædecessorem, è suæ ecclesiæ eiicit Dyptichis Euphrantus Tyranensis episcopus, secundæ Cappadociæ Metropolita. Et de Acacij, Flauitæ, Euphemij, Macedonij, ac Timothei episcoporum, nec non Zenonis, & Anastasij Imperatorū nominibus ex ecclesiæ Constantinopolitanæ Dypticho erasi scripsit ad Hormisdam Pontificē Dioscorus, eius Diaconus, ac pro exstinguēdo Acaciano schismate ad Orientalem Ecclesiam Legatus: [Non solùm hoc in ipsa sola Ecclesia, in qua episcopus manet, verùm etiam per omnes Ecclesias fuit factum.] Quod item Donatistæ suorum Principū nomina recitarent ad altare, scribit in libris contra Parmenianum S. Augustinus. Et in libro post Carthaginensem collationem ad Donatistas scripto dicit ex persona Catholicæ Ecclesiæ: [Ego inter spiritus olim requiescentium recito Cæcilianum.] Et aduersùs hanc recitationem intercedenti Grammatico Crescenio respondet: [Vide qua consideratione nolis in communione nostra eorum mortuorum memoriam fieri, quorum facta non nouimus, quorum etiam bonam

Cap. 4.

Lib. 4. c. 45.

inter suos formam posteritatis successione didicimus.] Alia ergò defunctos episcopos, alia defunctos Imperatores continebat tabula: Ambas habebat non solùm Cathedralis Ecclesia, sed & quæuis Parochialis, imò & quoduis oratorium monachorum.

De viuorum tabulis statuit Canon Arabicus: [Sabbatho, & diebus festis, quando sunt Sancta super Altare posita, Diaconus memoriam faciat nominatim, primùm Patriarchæ, deindè Archiepiscopi, episcopi, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi. Quia isti sunt Gubernatores Ecclesiæ. Idcircò nominandi sunt ad Altare in Ecclesia, quandoquidem per eos omnia ecclesiastica administrantur, & ipsi sunt in Ecclesia Superiores. Patriarchæ, Metropolitæ, ac proprij episcopi recitationem mandant, etiam sancti Basilij, sancti Ioannis Chrysostomi, & aliorum Patrum antiquę liturgiæ. Et hinc vt nullus sui necdum synodaliter damnati Patriarchæ, Metropolitæ, aut episcopi nomen præsumat ad Altare non recitare, rigidissimè mandat octaua synodus. Hinc item Cæciliani, quem nulla synodus damnarat, nomen omitti non posse dixit ad Cresconium sanctus Augustinus. Iam pridem addidit secunda Vasensis synodus: [Et nobis iustum visum est, vt nomen Domini Papæ, quicumque Sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris ecclesijs recitetur.] Papa enim in omni Ecclesia est superior, omnem gubernat ecclesiam, & omnia vbique ecclesiastica negotia per ipsum administrantur. Et hinc istum apud quosdam ecclesiæ Gallicanæ episcopos lapsum Canonem reparari per Ludouicum Pium Imperatorem, multis in epistola de ecclesiastici, ac Politici regiminis comparatione suadet, & Pelagij primi Pontificis auctoritate confirmat sanctus Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis. Etenim de Præsidiariorum militum Presbytero scripsit laudatus Pelagius ad Laurentium episcopum Centumcellensem: [Caueat sibi Presbyter ille sine nostri, & tui nominis recitatione sacra Mysteria celebrare.] Et ad Gallicanæ iterùm ecclesiæ in Tricassina synodo adunatos episcopos scripsit & Adrianus Secundus: [Apostolicę recordationis Papam Nicolaum in Codicibus, vel Dyptichis ecclesiarum vestrarum scribit, & nomen eius inter sacra Missarum solemnia impræternissè celebrari faciatis, ita vt alijs quoque fratribus, & Diœcesium vestrarum Sacerdotibus id ipsum agere præcipiatis.] Grecorum Photiana, Nicolaum Pontificem ausa damnare, factio Gallicanos, quorum quosdam castigare compulsus fuerat laudatus Pontifex, episcopos tentabat suo schismati adiungere: Ne adiungantur, & Nicolai tamquam damnati nomen omittere præsumant, hortatur & mandat successor Adrianus. Et hinc lucet non solùm viuum, sed omnes defunctos Pontifices mansisse olim in tabulis, & ad Missarum solemnia fuisse suo loco, & tempore recitatos. Ita semper fecit non sola Occidentalis Ecclesia, sed omnis etiam Orientalis. Etenim Honorium Primum Pontificem in suum errorem seducere conatus olim fuit hac sui commendatione Sergius Patriarcha Constātinopolitanus: [Tam apud Alexandrinam ma-

Cap. 64.

Epist. 1.

magnam ciuitatem, quàm per vniuersas sub ipsa Prouincias, quæ nullo tempore, vsque nunc acquieuerant nomen saltem simplex Diuini, atque laudabilis Patris nostri Leonis "laudare," nunc præclara & magna voce
Act. 12. in Diuinis Missarum Arcanis prædicauit.] Exstat epistola in sexta synodo. A Cyro Patriarcha Alexandrino initam cum Theodosianis, ac alijs Eutychianis concordiam laudat, inueteratam totius Ægyptiacæ Diœceseos in sancti Leonis nomen præuaricationem, & odium gloriatur ab ipso esse correcta, ideòque dictam concordiam à Romana Ecclesia ex nullo fundamento posse refutari. Quotiescumque enim Romana Sedes cum Orientali Ecclesia post exstinctum schisma init pacem, prima conditio fuit, vt Pontificis nomen rescriberetur in sacras Tabulas, & ad Altare solemniter recitaretur. Ita pro exstinguendo Acaciano schismate ad Ioannem Patiarcham suum publicè exclamauit populus Constantinopolitanus: [Leonem Episcopum Romanum Dyptichis.] Omnium item Archimandritarũ, & Monachorum ad ipsum libellus habuit: [Addatur in sacris libris, & venerabile nomen Leonis Romanorum Archiepiscopi, quod omnium maximum est, eo quod omnes ad rectam fidem excitauit.] Et synodalis ad eumdem Ioannē relatio: [Quartum capitulum in petitione Venerabilium Monachorum continebatur, vt nomen sanctæ memoriæ Præsulis Romanorum Leonis in sacris libris prædicetur, iuxta quod exclamationes populi suprà, & sedulò factæ sunt.]
Act. 5. Exstant hæc in Synodo Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani. Et pro impetranda sexta Synodo scripsit ad Domum Pontificem Constantinus quartus Imperator: [Multam nobis instantiam fecerunt, tam sanctissimus, ac beatissimus Regiæ ciuitatis Patriarcha Theodoretus, quàm Macarius sanctissimus Patriarcha Theopolis, vt eijceretur Vitalianus beatissimus de Dyptichis, asserentes Honorium memorari propter honorem Apostolicæ Sedis antiquæ nostræ Romæ. Nam non acquiescere, vt memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio, & satisfactio proueniat verborum, de quibus contenditur inter vtrasque sedes, & ita vestra Beatitudo consequenter memoretur. Sed hoc nos non acquieuimus, idest, vt eijceretur idem Vitalianus de Dyptichis.] Theodorus, & Macarius erant Monothelicticæ factionis Principes, Vitalianum, ac alios Romanos Pontifices sibi senserant grauiter aduersòs, Honorium autem iactabant sibi fauisse, ideòque ipsum solum cum Antecessoribus, nullum autem Successorem volebant in Dyptichis retentum. Ex quibus lucet non solius viuentis, sed omnium etiam defunctorum Pontificum nomina viguisse, & recitata fuisse in Dyptichis Constantinopolitanis. Porrò licèt ipsa eijci non permiserit ad tempus, tandem tamen compulsus permisit laudatus Imperator, ideòque pro inchoanda Ecclesiarum pace ad ipsum in sexta Synodo dixit Theo-
Act. 8. dori Successor Georgius: [A Deo coronate Domine, iubete mitti in Dypticis sanctarum Ecclesiarum nomen sanctæ memoriæ Vitaliani Papæ Romæ.] Et Princeps reposuit: [Quod postulatum est à sanctissimo Georgio Patriarcha huius à Deo seruatæ nostræ Regiæ ciuitatis, fiat.] Quod Edictum omnis Synodus solenni acclamatione confirmauit. Dum item Imperator Michael Paleologus vniuit Ecclesias, Papalis nominis recitationem fuisse primum ab Apostolica Sede postulatum articulum testantur Nicephorus Gregoras, Georgius Phranzes, & Li. 5. cap. 2.
Georgius Pachymeres. Et de facta per Florentinum Concilium vnione scribit Syluester Sguropulus: [Dominica proxima vnionem Lib. 10.
insequenti, voluit Imperator Papæ nomen cap. 12.
Dypticis insertum commemorari, quamuis nihil ea de re retulisset ad suam Synodum, nec Papa poposcisset.] Et ipsam oblationem addit Eugenio Pontifice fuisse contemptam. Nempe recitatio ista tunc apud nos Latinos desierat esse in vsu. At morem antiquum sciens Princeps nomen istud inscribi iussit Constantinopolitanæ Ecclesiæ tabulis, ac etiã in suæ Capellæ Sacris solemniter recitari. Quin & de Eugenio ad eumdem Imperatorem scripserunt post Synodum Philotheus Alexandrinus, Dorotheus Antiochenus, & Ioachimus Patriarcha Hierosolymitanus: [Accepimus tres à Papa Eugenio de Ecclesiæ vnione literas, vt ipsam amplecteremur, faceremusque Papæ commemorationem.] Exstat epistola apud Leonem Allatium in Lib. 3. c. 4.
opere de concordia Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ. Nempè Eugenius accommodauit se ad morem Orientalem. Reuera erat res summi ponderis, & factæ vnionis character fundamentalis, ad cuius admissionem, vt eos, qui domi remanserant, schismaticos suauiter induceret redux Imperator, esse dixit simplicem, à Diacono dumtaxat fieri consuetam, dictionem: Omni modo conatus est ritus dignitatem diminuere. Verùm quantos illi aduersùs ipsum concitauerint motus, videre possis apud memoratum Syluestrum. Excitarunt tantos, quantos olim aduersùs sancti Ioannis Chrysostomi nomen factio Theophili Alexandrini Patriarchę, aut aduersùs Acacij Constantinopolitani memoriam Ecclesia Romana. Et certè scabiosi nominis recitatio est omninò præuaricatio quinti Nicæni Canonis. Papale nomen sine grauissima iniuria, ac rebellione, nec intra secretum Canonem possit taceri, aut omitti. Insigniter hoc tradit in opere aduersùs Guibertinum schisma Cardinalis Deusdedit, scribens de Nicolao secundo Pontifice, & sectatoribus istius schismatis: [Cum Nicolaus Coloniensem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisset, grauiter tulere, eumque huius rei gratia, quantum in se erat, à Papatu deposuere, nomenque eiusdem in Canone Consecrationis nominari vetuere, ideòque Decretum eiusdem, "vtique factum in ipsorum gratiam," irritum esse debebit, qui cum à toto orbe Papa haberetur, iuxtà eorumdem sententiam eisdem Papa non fuit, quasi non ex Dei, sed ex eorum tantùm penderet voluntate, quempiam quodlibet esse, vel non esse; Romanus enim Pontifex, vt Sapientes norunt, non modò deponi non potest, sed etiam Christiano iure à quolibet non potest iudicari.] Papale nomen radere est Papam degradare.

Du-

Duplex hìc occurrit quæstio. Prima est, An solorum Superiorum, id est, Papæ, Patriarchæ, Metropolitæ, ac episcopi nomina consueuerint olim inscribi Dypticis, & ad sacrificium recitari? Respondet Anonymus, eruditus tamen, Gregorij Septimi Apologus: Consuetudo erat "sancti Gregorij" tempore, vt quilibet in aliqua Patriarchalium sedium nouiter ordinatus se quatuor generales Synodos custodire reliquis sedibus transmissa epistola profiteretur, antequam nomen eius apud reliquas sedes in Dypticis describi mereretur. Nomen videlicet prædecessoris eius, licèt defuncti, reliquæ sedes computabant inter viuentes, donec ipsius nouiter inthronizati præsulis Synodicā reciperent epistolam. Et hunc morem laudare videtur in rescripto ad Ephesinam Synodum sanctus Cœlestinus Pontifex, agens de Nestorij, qui Sisinnio successerat, Successore: [Talem successorem quærebat sanctæ memoriæ Sisinnij beata simplicitas, vt locum eius nonnisi sui similis obtineret. Etenim melius agimus, si abstinentes iam ab illius sacrilegi nomine, sedem vacasse dicamus.] Exstat
Ep.20. epistola post laudatam synodum. Omnes igitur Patriarchales ecclesiæ non solius proprij, sed omnium quinque Patriarcharum nomina habebant in tabulis, & ad sacrificium recitabant. Hinc de sancto Ephremio Patriarcha Antiocheno ad sextam synodum dixit Theophanes Abbas Monasterij apud Baias: [Ephremius erat Patriarcha Antiochiæ, & recensetur in sacris Dypticis sanctæ quæ hìc est ecclesiæ.] Vtique Constantinopolitanæ. Et de sancto Sophronio Patriarcha
Act.10. Hierosolymitano ipsa plena synodus: [Nomen Sophronij inseri sanctis Dypticis sanctarum] Patriarchalium [Ecclesiarum, iu-
Act.13. stum esse iudicauimus.] Et Anatolium Constantinopolitanum episcopum, quod Dioscori Alexandrini, & Iuuenalis Patriarchæ Hierosolymitani suspensa nomina recitare pergeret, durè increpauit sanctus Leo Magnus. Ob Ephesini latrocinij acta ipsos suæ solius
Epist.40.45. ecclesiæ communione, vsque ad nouam synodum esse contentos iusserat Pontifex, ideòque in sola propria, in nulla aliena ecclesia poterant ipsorum nomina salutari. Et longum Antiochenæ Ecclesiæ schisma exstincturus Innocentius primus, Alexandrum Patriarcham confirmauit ea lege, vt non solùm Antecessoris sui Euagrij, sed & sancti Ioannis Chrysostomi nomen reciperet in sacras defunctorum episcoporum tabulas. Laudati
Epist.14.17. Ioannis nomen in omnibus Patriarchalibus ecclesijs fuisse scriptum, ac recitatum, lucet ex sancti Cyrilli, & Attici Constantinopolitani Episcopi mutuis epistolis, quarum fragmenta facundus Hermianensis episcopus, in-
Lib.4 c.1. tegrum autem contextum adducit Nicepho-
Lib.14. cap.26. rus Calixtus. Quod etiam Petri Mogi, Pseudopatriarchæ Alexandrini, damnatum nomen fuerit primùm occultè, deinde palàm recitatum Constantinopoli, affirmat Euagrius Epiphaniensis. Quinque Patriarchæ sunt quin-
Lib.3. c.20. que totius sub cœlo ecclesiæ Principes, ipsorum vnitas est vnitas totius Christianitatis, ideòque ipsam dictæ recitationis, ac salutationis mutuo honore foueri, & subiectis vbique populis solemniter prædicari in ecclesia, omninò conuenit. Fiebat in solis ecclesijs Patriarchalibus. Hinc enim Mopsuestena ecclesia è suis Dypticis rasit suum episcopum Theodorum, ac eius in locum scripsit sanctum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum. Ita apud quintam synodum habes in relata istic Synodo Mopsuestena. Sanè si illic Alexandrini Patriarchæ habuissent tabulam sibi propriam, sanctus Cyrillus insertus non fuisset in locum Theodori.

Insertus fuit ob magna sua in istam, & in omnem ecclesiam merita. Etenim in Ephesino Concilio non solius Nestorij, sed & Theodori, licèt suppresso nomine, errores Apostolicè expugnauit. Alienos non solùm Patriarchas, sed etiam Metropolitas, imò & Prouinciales episcopos, ob eximia merita, aut fraternam amicitiam recipere in Dypticha, fuit mos antiquæ christianitatis. Hinc enim non solos Dioscorum, ac Iuuenalem Patriarchas, sed & Eustatium Berytensem in prima Phœnicia episcopum recitabat correptus à sancto Leone Anatolius Constantinopolitanus. Nempè Anatolij Promotori Dioscoro Eustatius strenuè adstiterat in Ephesino Latrocinio. Quod sanctus Epiphanius Salaminensis episcopus, ac Cypriorum Metropolita recitaret Ioannem Hierosolymæ episcopum, demonstrat illius ad hunc epistola. Et C.2.
ad Constantium Mediolanensem Archiepiscopum scribit sanctus Gregorius Magnus: [Quod scripsisti, quia scandalizantur plurimi, quia fratrem, & Coepiscopum nostrum Ioannem Rauennatis ecclesiæ inter missarum solemnia nominatis, requirenda vobis consuetudo antiqua est. Et si consuetudo fuit, modò à stultis hominibus reprehendenda non est. Si verò consuetudo non fuit, fieri non debet, vndè quibusdam scandalum moueri possit. Tamen sollicitè perquirere stude, si idem Ioannes, Frater, & Coepiscopus noster, vos ad Altare nominet. Quod minimè dicunt fieri. Et si ille vestri nominis
memoriam non facit, quæ necessitas cogat Lib.3 epist. 37.
ignoro, vt vos illius faciatis. Quod quidem si sine aliquorum scandalo fieri non potest, vos tale aliquid facere valde laudabile est, quia charitatem, quam erga fratres vestros habetis, ostenditis. A Græcis Italiæ Exarchis inflati Rauennatum episcopi Autocephaliam, & nescio quem Primatum somniare ex tunc cœperant, ideòque ad recitatum Ioannis nomen offensus, & scandalizatus fuit populus Mediolanensis. Putabat recitationem istam ab ipso non vti ab amico, & Collega, sed dolosè ad fundanda sui istic Primatus exordia ambiri. Et eò etiam omninò respicit sancti Gregorij responsum. Recitationem istam non vult fieri, nisi vltro citroque: Fundari vult, non in vnius præeminentia, sed in vtriusque ecclesiæ sororia germanitate. Nam, & Treuirensem, & Rhemensem Belgarum Metropoles fuisse sorores frequenter inculcat Hincmarus Metropolita Remensis. Ista ecclesiarum germanitatis fuit olim vsitata. Erat singularis quædam communio Sanctorum.

Altera quæstio est, Quomodo Gregorius septimus hic edicat solius Romani Pontificis nomen posse in ecclesijs recitari? An fortè auitam illam, quæ omnium Patriarcharum

nomina semper recitauit in omnibus Patriarchalibus Ecclesijs, consuetudinem damnat, aut proscribit? Respondeo consuetudinem hanc, nec damnari, nec proscribi. Edicti sensum disces ex rescripto sancti Leonis noni ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum: [Scripsisti nobis, quoniam si vna Ecclesia

Epist. 6. Romana per nos haberet nomen tuum, omnes Ecclesiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen nostrum. A' schismate recessurus Michael petijt nomen suum inscribi Romanis tabulis, spopouditque Pontificis nomen omnium suarum ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo noluit annuere. Mutua enim Patriarchalium nominum recitatio, viguit in solis æqualibus, & consororibus orientalium Patriarcharum sedibus, numquam in Romana. Hæc enim Orientalium non tantùm soror, sed etiam caput est, & mater, ideòque nullius, nisi sui solius episcopi, nomen vmquam recitauit. Quomodo nullus Metropolita suos Prouinciales, nullusque vmquam Primas, aut Patriarcha subiectos sibi Metropolitas, ità Papa, aut Romana Ecclesia nullum vmquam recitauit Patriarcham. Præsens itaque edictum procedit in memoratum præfati Michaelis inauditum fastum, habetque hunc sensum: Solius Pontificis nomen debet, ac potest in omnibus vbique, Romana præsertim, ac alijs ad eius Patriarchicam potestatem spectantibus, ecclesijs recitari.

Obijci possit Theodorus Balsamon in Meditato de Patriarcharum iuribus: [Statutum est, vt in quauis ecclesia Dei, siue ad Eufratem, siuè ad Tigrim, siuè ad ipsum pertingat Oceanum, coniunctim Patriarcharum nomina referantur.] Et infra in eodem opere: [Sanctissimi Patriarchæ pariter in omnibus ecclesijs. nominatim referuntur.] Et in Canonicis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham responsis affirmat omnem cum Papa Latinam ecclesiam apostatasse, & prosequitur: [Quam ob causam Papa in Diuinis sanctificationibus communi Patriarchalium

Quæst. 28. nominum relatione dignus non habetur. Lucidè adfirmat non solius Papæ, sed omnium quinque Patriarcharum nomina in omnibus, etiam ad Oceanum sitis, idest, in latinis ecclesijs esse recitanda. Respondeo hæc non cohærere cum adsertionibus Georgij Pachymere, apud quem Imperator Michael Paleologus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clero suadens vnionem cum latinis, affirmat ad ipsam à nobis requiri tres dumtaxat articulos, nempè Papæ Primatum, commemorationem, & appellationem ad ipsum,

Lib. 5. c. 18. atque pergit de commemoratione: [Memorari Papam in nostro primario, & Patriarchali templo, in altero item, illo vestro magno sacris operante Patriarcha, quid vtique à recto exorbitans videri sapienter æstimantibus queat?] Adfirmat Papam non semper, & vbique, sed semper dumtaxat in Palatino, & Patriarchali, in alijs autem templis, non nisi dum Patriarcha illic Diuina celebrarit, esse commemorandum. Quocirca etiam in istis solis ecclesijs recitabantur nomina aliorum Patriarcharum. Quæ forma an generatim in alijs quoque Ciuitatibus fuerit obseruata, ignoro. Quidquid sit, Orientalium Patriarcharum nomina nunquam recitauit Romana, imò nec vlla latina ecclesia: Nullo id possit ostendi testimonio, vel exemplo. Et hinc ad sanctum Leonem nonum Pontificem scripsit Patriarcha Michael Cerularius: [Si vna Ecclesia Romana per te habeat nomen meum, omnes ecclesiæ in toto orbe terrarum habebunt per me nomen tuum.] Magna spopondit, quod sciret à se postulari conditionem, & nouitatem impossibilem. Quare & Theodorus Balsamon, aut iuxta istius Michaelis ambitum loquitur, aut ex latinorum rituum, vti Græci Schismatici frequenter, errore.

Recitationis ordinem, & modum exponit in literis ad decentium Eugubinum Episcopum sanctus Innocentius Primus. Antequam preces Sacerdos faciat, affirmat non recitanda nomina, & priùs oblationes, quàm offerentium nomina esse Deo commendanda, atque adiungit: [Priùs oblationes sunt commendandæ, quam eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, vt inter sacra Mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, vt ipsis Mysterijs viam futuris precibus aperiamus.] Romanum missæ Canonem hinc lucet esse antiquissimum. Ad hæc eius verba, [Et omnium circumstantium,] scribit in libro de ecclesiasticis officijs apud Alcuinum Flaccum probatus, & antiquus Auctor: [Manifestum est, quod quasi quidam locus sit, vbi aliquibus specialiter nominatis, etiam cæterorum, qui assistunt in ecclesia, commemoratio adiungatur. In quo loco liberum est Sacerdoti, quos desiderauerit, peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare. Aut certè illud ab antiquis est obseruatum, vt ibi offerentium nomina recitarentur. Priùs ergo oblationes sunt commendandæ, & tunc eorum nomina, quorum sunt, edicenda, vt inter sacra Mysteria nominentur.] Prima ergò Canonis pars oblata, seu oblationes, altera Summi Pontificis, proprij episcopi, Regnantis Principis, alia solemnia viuorum, ac singula denique offerentium nomina Diuinæ Maiestati semper commendauit. Vti olim consecranda elementa omnes, aut plerique præsentes offerebant, ita & omnium offerentium nomina Diaconus recitabat è tabulis, & post completam recitationem pergebat sacerdos: [Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.] Viuorum igitur recitatio fiebat ante consecrationem. Pergit laudatus scriptor de recitatione defunctorum: [Post illa verba, quibus dicitur,] In somno pacis, [vsus fuit antiquorum, sicut etiam vsque hodiè Romana agit Ecclesia, vt statim recitarentur è Dyptichis nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subiungerentur verba sequentia: Ipsis & cæteris omnibus in Christo quiescentibus indulgeas locum refrigerij, & pacis. Hæc recitatio erat consecratione posterior. Auctori huic antiquus, prout modò exstat, Romanus ordo est, & coetaneus, & consentaneus. Etenim ad missæ, quam pro primo baptizandorum scrutinio celebrat ecclesia,

Epist. 1. c. 2. C. 40.

hæc

hæc verba, [Memento Domine famulorum tuorum,] ſic ſtatuit: [Recitantur nomina virorum, ac mulierum, qui ipſos ſuſcepturi ſunt infantes.] Et ad hæc verba, [Quam tibi offerimus pro famulis tuis,] pergit: [Hoc expleto, recitantur nomina electorum]. Quæ omnia etiam apud Græcos fuiſſe ſeruata, lucet ex ipſorum Liturgijs. Et hinc dicunt acta ſynodalia ſub Menna Patriarcha Conſtantinopolitano: [Poſt lectionem ſancti
Act. 5. Euangelij, ex more ſacra miſſa finita, & ianuis clauſis, & ſancta lectione iuxta conſuetudinem lecta, tempore Dyptichorum, cucurrit omnis multitudo cum magno ſilentio circumcirca Altare, & audiebat. Dyptichorum itaque tempus erat poſt Euangelium, poſt dimiſſos Catechumenos, poſt clauſas ianuas, poſt ſanctam lectionem, ideſt, poſt commendata per Canonem oblata ante conſecrationem.

Dico iſtius de eccleſiaſticis officijs libri auctorem non fuiſſe ipſum beatum Alcuinum, ſed quempiam illo iuniorem. Etenim in Palmarum Dominica ſcribit ſolemniter cantari verſum hunc, [Gloria, laus, & honor tibi ſit Rex Chriſte Redemptor,] Quem à Theodulpho Aurelianenſi epiſcopo eſſe compoſitum, lucet ex ſancti Lupi Ferrarienſis Ab-
Epiſt. 20. batis epiſtola ad Alcuinum. Iſtius ergò Scriptoris tempore laudatus verſus non ſolummodo exſtabat, ſed inſuper in ſolemnem ritum ab omni, ſaltem Gallicana, eccleſia erat receptus. Quod eſſe non potuit, niſi ſub Regno Caroli Calui, quod palàm eſt ab Alcuino non fuiſſe viſum. Præterea vtitur voce, Ca-
Cap.36. nonicus Regularis, quam non, aut vix inuenias ante celebratam ſub Formoſi Pontificatu Synodum Triburienſem. Et in ſuis ad Theo-
C.13. 15. dulphum notis ſcribit vir eruditus Iacobus Sirmondus: [Librum illum de Diuinis officijs non eſſe Alcuini, iam alij obſeruarunt.] Cuiuſcumque ſit, notanda ſunt hæc eius verba: [Illud ab antiquis eſt obſeruatum. Et hæc: Vſus fuit antiquorum.] Edicunt Dyptichorum recitationem tunc pridem deſijſſe in omni Latina Eccleſia præter vnicam, antiquitatis ſemper obſeruantiſſimam, Romanam. Quod an planè verum ſit, ignoro. Etenim lapſam Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam reparans Carolus Magnus ſtatuit in ſuo
Cap.54. Capitulari Aquiſgranenſi: [Vt nomina publicè non recitentur ante preces Sacerdotales. Confirmat iſtud ex laudata, quam verbo tenus adducit, epiſtola Innocentij primi ad Decentium epiſcopum Eugubinum. Etiam Françofordienſis Synodus habet hunc Canonem: [De non recitandis nominibus ante-
Cap.51. quam oblatio offeratur.] Videtur eò vſque viguiſſe publica recitatio, ſed non ſuo loco: Hunc ſolum videntur Carolus, & Synodus ipſi reſtituiſſe. Et de peierantibus ſtatuit ſe-
Cap.3. cunda ſub Caroli Calui Regno celebrata Tullenſis Synodus: [Neque oblatio eorum in Sacris, neque nomen inter fideles recitatum habeatur.] Et Ebbonis Rhemenſis epiſcopi, ac eius Anteceſſorum nomina conſueuiſſe eodem tempore recitari ſolemniter in ſua
Epiſt. 17. Eccleſia, teſtatur Succeſſor Hincmarus. Attamen Amalarius Fortunatus, Vvalafridus Strabo, ac Rabanus Maurus, qui eodem ferè tempore docuerunt Gallicanam Eccleſiam,

iſtus ritus nullam faciunt mentionem. Nec item ſeptimo noſtro Gregorio contemporalis Stephanus Eduenſis epiſcopus, ad Canonis verba, [Memento Domine famulorum tuorum,] hæc ſcribens: [Quos chariores habe- Cap.13.
mus, hoc loco nominare ſolemus. Eiuſdem Eccleſiæ Monachus Honorius Auguſtodunenſis in animæ Gemma exponit: [Hic poteris quoſuis nominare, ſed non in Dominica die. Nomina viuorum in libro ſcribebantur, quæ ad Altare infra Canonem recitabantur. Et hic liber viuentium vocabatur. Similiter nomina defunctorum de libro recitabantur, ſed hoc Dominicis diebus intermittebatur, quia à quibuſdam animæ requiem ob Reſurrectionem Dominicam tunc habere credebantur.] Lib.1.c.107.
Ambo palàm affirmant ſolemnem recitationem ceſſaſſe ſuo tempore, & ſolam ſuperfuiſſe ſecretam, quàm ſolus apud ſemetipſum faciebat Sacerdos. Porrò in Lobbienſis Cœnobij ſui Chronico ſcribit, qui floruit decimo ſæculo, Abbas Folcuinus: [Dixit Adalbero Rhemenſis epiſcopus prædeceſſorum ſuorum vſque ad ſe ductam conſuetudinem, vt inter miſſarum ſolemnia in ea ſpeciali commemoratione defunctorum, quæ ſupra Dypticha dicitur, & in conſecratione Dominici corporis ſolemniter agitur, quotidie in aurem Preſbyteri recitante ſilenter Subdiacono, omnium ipſius ſedis nomina ſcripto viritim recitentur Epiſcoporum.] Exiſtimo Gallicanam ſub Carolini generis Regno Eccleſia vbique non fuiſſe vniformem, ideòque ipſius Scriptores variare. Antiqui ritus tenaciſſima ſemper fuit Rhemenſis Eccleſia: Hinc ſolemnis per Diaconum fieri conſueta ad populum recitatio in hanc ſecretam ad ſolas Sacerdotis aures ſuggeſtionem eſt pedetentim iſthic tranſmutata. Iſtas ſaltem antiquitatis reliquias voluit apud ſe permanere.

Quis, & qualis Scriptor fuerit Micrologus, diſputatur. Reſpondeo plures exſtare libellos Micrologos. Etenim exſtat Guidonis Aretini Monachi ad Theobaldum eiuſdem ciuitatis epiſcopum epiſtola, cui ſubiungitur liber Micrologus cum hac ſubnotatione: [Explicit Micrologus Guidonis, ſuæ ætatis anno trigeſimo quarto, Ioanne vigeſimo Romanam gubernante Eccleſiam.] Hic eſt ille Monachus, de quo ſcribit ad vndecimi ſæculi annum vigeſimum ſecundum Cardinalis Baronius: [Guido, maxima omnium admiratione, nouam addiſcendæ muſicæ rationem inuenit, adeò vt puer paucis menſibus addiſceret, quod pluribus annis vix homo quilibet pollens ingenio addiſcere potuiſſet, magnoque miraculo accidere videretur, vt pueri ſenum, & magiſtrorum magiſtri euaderent.] Erat res adeò mira, vt Benedictus octauus Pontifex Guidonem, vti de mala arte delatum, Romam euocarit, eius diſciplinam diſcuſſerit, ac tandem probarit. Quod ipſum fecit Pompoſiani Cœnobij Abbas, ſuadens à Monacho Monaſteria eſſe Epiſcopatibus præferenda. Quod nempè Pontifex Guidoni obtuliſſet epiſcopatum. Et iſtum libellum Guido titulauit Micrologum, ſeu compendium. Idem poſteà ſub Gregorij ſeptimi Papatu edidit Eccleſiaſticorum Rituum compendium, ipſumque item titulauit Micrologum. Fuit tunc ſenex octogenarius. Etenim

sub Ioanne vigesimo, qui istius sæculi vigesimo quarto anno insedit Apostolicam Cathedram, testatur se fuisse annorum triginta quatuor.

Et de Romano sui temporis ordine sic scribit: [Ordo, vbi dicitur,] Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, [nobis concedit, vt omnium viuorum commemoremus nomina, quoscumque voluerimus.] Et infrà: [Sciendum est, quod Romana auctoritas viuorum fidelium nomina intern numerare permittit, vbi dicitur,] Memento Domine famulorum. [Similiter, & defunctorum.] Et in alio capite: [Nomina viuorum commemorentur, si volueris, sed non in Dominica.] Et ad memento pro defunctis: [Nomina recitentur.] Quæ duo posteriora repetit antiqua, in Pattum Bibliotheca exstans, Missæ expositio, cuius Auctor Romanum etiam describit ritum, & videtur Micrologo fuisse contemporalis. Affirmant morem istum adhuc viguisse apud Romanos, verùm sine præcepto ad arbitrium Sacerdotis. Quod olim solis ferialibus diebus fieret recitatio, est falsum: Quod purgandæ animæ diebus Dominicis habeant requiem, caret fundamento. Ad eadem verò Canonis verba Innocentius tertius in libris de Missæ sacrificio adducit laudata apud Alcuinum verba, omissis tamen his: [Illud ab antiquis est obseruatum, vt ibi offerentium nomina recitarentur.] Etiam de defunctorum recitatione nullam facit memoriam, ideòque illa tunc omninò cessarat in Romana Ecclesia. Et hinc de sibi à Græcis oblata sui nominis recitatione parum, aut nihil curauit Eugenius quartus. Hinc item Constantinopolim redux è Florentina Synodo, & ob Papalis nominis inscriptionem, ac recitationem summos à schismaticis obices patiens Imperator Ioannes Paleologus, dixit apud Siluestrum Sguropulum: [Vtinam hæc nobis præuisa fuissent ante constitutum iter in Italiam. Dypticha omninò è Lithurgijs missa fecissemus.] Ea apud Latinos penitùs abrogata viderat, ideòq; doluit Constantinopoli adhuc vigere, & factæ Ecclesiarum vnioni tantopere obesse. Pergit Sguropulus: [Patriarcha inchoat.] Memento Domine omnium Inspectorum gregis tui, & Episcoporum Orthodoxorum, qui rectè verba veritatis tuæ diuidunt. [Adeò vt Patriarcha primùm precetur pro rectè diuidentibus. Cui statim succedens Diaconus elata voce enuntiat, qui sint hic rectè diuidentes, & nostrum Patriarcham recenset, & aliquos Orientis.] Iste fuit ritus Græcæ recitationis, cuius caput non Patriarcha Constantinopolitanus, sed Papa debebat esse Romanus. Latini recitabant singula offerentium nomina, ideòque cessasse videtur recitatio, dum cessare cœpit consecrandorum Elementorum per populum oblatio. Suo loco id exponetur.

Cap. 13. Cap. 23. Lib. 3. c. 6. Lib. 12. c. 8.

Omittere hìc nolim verba Petri Blesensis. In exhortatorio ad nescio quam Synodum sermone asserit in Canone orandum pro Romano Pontifice, eiusque exprimendum nomen, & adiungit: [Quod verò quidam addunt de Rege, & Antistite suo, noua est traditio.] In Gallicana, Anglicana, Sicula, ac omni Italica Ecclesia ab Alexandro tertio vsque ad tertium Innocentium floruit Blesensis, adeòque nominum recitatio tunc vbique adeò exoleuerat, vt solus passim recitaretur Romanus Pontifex, & paucæ hinc inde, quæ proprium addebant cum Rege Episcopum, Ecclesiæ à viro doctissimo culpentur de nouitate. At sine fundamento. Etenim non solius Papæ, sed & proprij Episcopi nomen recitandum, disertè ad centum Cellarum Episcopum scribit Pelagius primus. Quod ipsum suo Episcoporum Capitulari, dum lapsam Gallicanæ Ecclesiæ reparauit disciplinam, inseruit Carolus Magnus. Laudatus apud Alcuinum auctor mandat illud Papali nomini statim adiungendum. Etiam Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo, Stephanus, ac Honorius Eduenses. Exprimendum Imperatoris nomen palàm iubent laudatum Capitulare, sexta Arelatensis Synodus, secunda Rhemensis, tertia Turonensis, & secunda Cabilonensis. Exempti Græcorum Monachi, dum in suis exemptis Ecclesijs celebrant, omittunt sui Episcopi nomen, recitantque solum Patriarcham. Et hinc in iure Græco Romano Michael Lymnensis Episcopus proposuit hanc quæstionem: [Mansiones quædam, & Oratoria condita sunt ab initio sub Stauropegijs Patriarchalibus. Et ad ea pertinent possessiones quædam immobiles, sitæ in Episcopatus Sanctitatis meæ territorio. Et qui habitant ad ea Sacerdotes, nomen meum non referunt, cum sacra peraguntur. Et Georgius Xiphilinus Patriarcha Constantinopolitanus dedit hoc Synodale Responsum: [Licèt ipsæ possessiones immobiles sub aliorum Pontificum dominio sint, tamen eos, qui domicilium in eis habeant, sub Prouinciæ Pontificis, veluti qui Pastoris ius habeat, gubernatione positos esse. Propterea videri Canonicæ subtilitati consentaneum, vt nominis eius Pontificis, qui Prouinciæ præest, relatio ab eis peragatur, qui in ipsius territorio domicilium habent.] Non ab exemptis Monachis, sed à solis spectantium ad ipsos Pagorum presbyteris recitari suum nomen postulauit Michael: Et ab his solis oportere fieri Patriarcha respondit. Et pro causa adduxit: Quod ita obligentur etiam presbyteri pagorum spectantium ad alium Episcopum. Quod ipsum quidam etiam apud nos Latinos agunt exempti Clerici, & Monachi. Existimo quod malè: Episcopis enim, licèt non obedientiam, & subiectionem, debemus tamen reuerentiam, atque auxilia precum.

Serm. 46. Cap. 2. Cap. 1. Cap. 2. Cap. 4. c. 1. 116. Lib. 2. Fol. 284.

CANON XI.

Quod Papa est vnicum nomen in mundo.

SCHOLION.

Esse dumtaxat tres legitimos Patriarchas, videlicet Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, in animæ Gemma rectè docet Honorius Augustodunensis, & adiungit: [Postquam Nicæna Synodus Romano Pontifici hoc contulit priuilegium, vt sicut Augustus præ Regibus, ita & ipse præ omnibus Epi-

Episcopis haberetur, & Papa vocaretur, Ius
L. 1. c. 187. Patriarchatus ad Constantinopolitanam Vrbem, scilicet secundam Romam, est translatum.] Quod ipsum eisdem verbis tradit in
Lib. 1. c. 42. libris de Sacramentis Hugo de sancto Victore. Quod non ille ex hoc, sed hic ex illo verba transcripserit, suadent multa, atque ita lucet Honorium esse Hugone seniorem. Quod ipsum in Meditato de Patriarcharum priuilegijs docet Theodorus Balsamon: [Quoniam verosimile est, quempiam interrogare, quæ vocabuli Papæ significatio sit, quæ Patriarchæ, quæ Archiepiscopi, & quamobrem horum quinque Capitum facultas atque priuilegia sint eadem, cùm eorumdem nomina sint diuersa, necessariò putauimus horum quoque velut apicem tangendum. Apud Latinos Papa dicitur Pater. Et apud Iudæos Patriarcha dicitur Princeps, seu Patriarcha Patriarum. Similiter Archiepiscopus erit Episcoporum Pater. Licèt ergò Papæ, Patriarchæ, & Archiepiscopi significata ratione linguæ diuersa sint, nullo tamen modo potestate differunt. Quamobrem omnes etiam communi nomine Patriarchæ dicuntur. Sanctus quidem ille Siluester, qui primus Romæ Pontificatum obtinuit, & qui primus Antiochiæ Pontifex fuit Euodius, non abs re Patres fuerunt appellati. Quippè necdum erant Patriarchæ, qui à Patribus instituuntur.

Insigniter, ac variè nugatur. Primò, garrit Patriarchas, ac Patriarchalem potestatem non a Christo Domino, aut Apostolis, sed esse à Synodis, ac Imperatoribus, ideoque non fuisse ante Nicænum Concilium. Secundò, garrit primum Romæ sanctum Siluestrum, primum verò Antiochiæ Patriarcham fuisse sanctum Euodium. Et sic semetipsum lucidè euertit. Etenim Euodius in Antiochenam Cathedram proximus successit sancto Petro Apostolo: Si Patriarcha fuerit, quomodo illa potestas non fuit ante Nicænum Concilium? Tertiò, Balsamon garrit, & Siluestrum, & Euodium fuisse titulatum Patrem, seu Papam. Asserit titulum istum Antiochenis ab ipso Apostolorum tempore, Romanis autem Episcopis competijsse dumtaxat à sæculo Synodi Nicænæ. Et hic item sibi ipsi aduersatur. Etenim eodem in opusculo asserit solùm cum Alexandrino Romanum titulari Papam, Antiochenum verò appellari Patriarcham.

Verùm quidquid sit de istius Schismatici Nugonis sensu, Romanus Primatus iste nequaquam à Nicæna, vel alia quauis Synodo, sed ab ipso Iesu Christo est, & Papæ titulus Romanis Episcopis dudum antea fuit attributus. Testem adduco Tertullianum, in libro de pudicitia scribentem de sancto Ze-
Cap. 13. phyrino Pontifice: [Bonus Pastor, & Benedictus Papa.] Et ex hoc auito more, non ex Nicæno Statuto in Chalcedonensi Synodo sanctus Paschasinus Lilybeti Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus sanctum Leonem vocauit virum beatissimum, Papam vrbis Romę. Quo titulo ipsum donarunt Legati item, ac Episcopi alij, & ipsa plena Synodus in sermone acclamatorio ad Imperatorem Martianum. Alijs Patriarchis datur Archiepiscopi, aut Exarchi titulus, nullus titulatur Papa. Quin immo in septima Synodo dixit Basilius Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita: Adrianus sanctissimus Papa, & Tharasius beatissimus Constantinopoleos Patriarcha. Et in sua ad Romanam Ecclesiam appellatione sanctus Patriarcha Ignatius se ipsum Archiepiscopum, Nicolaum Pontificem appellat Papam. Exstat in Synodo octaua. Attamen sexta Synodus, licèt Regiæ Ciuitatis Episcopos titulet tantummodo Patriarchas, non solùm Agathonem Pontificem, sed etiam Cyrum Alexandriæ Patriarcham appellat Papam. Rationem dat Nicephorus Calixtus, sancti Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Apostolicam in Ephesina Synodo Præsidentiam laudans, atque adiungens: [Ex quo tempore fama est Mitram illum, & Papæ Lib. 8. c. 9.
appellationem accepisse. Quæ deindè per successionem ad eos etiam peruenerunt, quibus forte Alexandrinæ Ecclesiæ Thronus legitimè obuenisset, Sacros Episcopos.] Idem scribit in adducto Meditato Theodorus Balsamon: [Alexandrinus propterea vocatus fuit Papa, quòd sanctus ille Cyrillus in tertia Synodo priuilegia Papæ Romani, Cælestini scilicet, acceperit.] Verùm longè aliter scribit Orientale Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon: [Heraclas primus fuit, qui Papa cognominatus est.] Etiam sanctum Dionysium Patriarcham Georgius Cedrenus Fol. 250.
titulat Papam. Sanctus item Epiphanius, sanctus Hieronymus, alijque antiqui magnum Athanasium assiduè vocant Papam Alexandrinum. Sanctus tamen Cælestinus possit sancto Cyrillo titulum confirmasse. Eumdem titulum laudatus Hieronymus impartit Chromatio Aquileiensi, sancto Augustino, & cunctis Episcopis. Et ad Castorem Aptensem Episcopum, cui suarum Institutionum libros inscribit, præfatur Ioannes Cassianus: [Beatissime Papa Castor.] Vox Papas apud Grecos est parentibus dulcissima infantum, ac puellorum lingua, ideoque L. b. 1. ep. 17.
Papissare apud Comicos est innoxio eorumdem more abblandiri parentibus. Hinc in literis ad Alexandrum secundum Pontifi- Lib. 7. ep. 125.
cem, & in literis ad Godefridum Lotharingiæ Ducem, etiam sanctus Petrus Damiani Regij pueri Pædagogum appellat Papam, seu Pappatem. Primi fideles Episcopis suis tamquam infantes parentibus suberant, ideoque ipsos appellabant Papas. Plus dicit in libro de rebus Ecclesiasticis Walafridus Strabo: [Papa cuiusdam paternitatis nomen est, & Cap. 7.
Clericorum congruit dignitati. Hinc inter Constantinopolitanæ Ecclesiæ apud Georgium Codinū officia, & dignitates est etiam Proto Papa, quem nos Latini alia voce Grȩca vocamus Archipresbyterum. Græcorum Euchologion, & nouellæ posteriorum Principum leges laudant etiam paruos, seu simplices Papas, præscribuntque ritum ipsorum creandorum, id est modum faciendi Clerici, seu dandæ primæ tonsuræ. Quando Episcopus, inquit Isaacius Comnenus Imperator, facit simplicem Papam, siue Lectorem. In literis ad Archiepiscopum Thebanum etiam Innocentius tertius Parochiales Grȩcorum Ecclesias vocat Papatus. Item in Con- Lib. 3. ep. 60.
stantinopolitana sancti Flauiani Synodo Hȩresiarcha Eutyches Archimandritam, & Presbyterum Abrahamum titulauit Papam.

Nobi-

Nobilis vir Florentius ibidem dixit de memorato Hæresiarcha, ac Presbytero: Papa Eutyches.] Et de Monacho, ac Presbytero Isidoro Syluester Sguropulus: [Venerabilis Papa Isidorus.] Apud Græcos ergo omnis, & Sæcularis, & Regularis, Clericus appellatur Papa. Vocem tamen istam, dum Romanum Pontificem, & dum quemuis significat Clericum, aliter, & aliter à Græcis scribi adnotat Iacobus Goar in eruditis Scholijs ad Euchologion. Lib. 2. c. 26

Et hinc manet quæstio, An non simplicem omni Clerico communem, sed singularem, & proprijs sibi literis scriptum Papæ titulum sanctus Cælestinus donauerit, aut certè confirmauerit sancto Cyrillo, ac eius Successoribus? Partem negatiuam suadet Theodori Balsamonis de hac re silentium. Etenim in suis ad Constantini donationem scholijs donatum Cyrillo Phrygium, seu mitræ vsum extollit, de Papæ titulo totus silet. Partem verò affirmatiuam suadet in literis ad Patriarchā Gradensem Petrus Patriarcha Antiochenus: [Quinque in vniuerso orbe à Diuina gratia dispositum est esse Patriarchas, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, sed neque ex his omnes propriè Patriarchæ nuncupantur, sed impropriè. Præsul namque Romanus Papa dicitur, Constantinopolitanus Archiepiscopus, Alexandrinus Papa, Hierosolymitanus Archiepiscopus, solus verò Antiochenus propriè sortitus est Patriarcha audire, dicique. Et hoc tua charitas, si diligenter perquisierit, inueniet per omnes Scripturas confirmari. Et Nilus Doxopatrius: Ex vsu antiquo id obtinuit, Romanum peculiariter dici Papam, similiter & Alexandrinum, Antiochenum Patriarcham. Et iterum: Manserunt hæc quatuor ingentia capita, Romanus, Alexandrinus, Papa vterque dictus, postmodum Antiochenus, & Hierosolymitanus, ambo Patriarchæ nuncupati. Anteà tamen Hierosolymitanum, vti & Constantinopolitanum, dixerat non Patriarcham titulari, sed Archiepiscopum. Et in meditationibus Theodorus Balsamon: [Sacræ literæ, Patrumque traditiones episcopum Romanum appellant Papam, itidemque Alexandrinum, & ipsum quoque Constantinopolitanum, ac Hierosolymitanum Archiepiscopos, solum verò Antiochenum Patriarcham. Omnes quinque affirmant esse, & vocari posse Papas, & Patriarchas, & Archiepiscopos, sed non propriè, vti dixit Petrus Antiochenus.

Cur Constantinopolitanus, ac Hierosolymitanus dicantur propriè Archiepiscopi, edicit ibidem memoratus Balsamon: [A sanctis Patribus est sancitum, vt eæ Diœceses, quæ multas habent vrbes sub episcoporum gubernatione constitutas, à Metropolitanis administrentur, quos etiam ipsi Canones appellant Primos, quæ verò sub se non habent vrbes aliquas episcoporum regimini subditas, Archiepiscopos habent Pontifices, vt inferiores hæ quidem sint Metropolibus, at episcopatibus superiores.] Distinguit veras, pluribus comprouincialibus cathedris præfectas Metropoles, & Metropoles solo honore, & nomine, nullius Prouinciæ capita, nullis Suffraganeis præsidentes: Harum episcopos dicit tantum Archiepiscopos, istarum verò Antistites titulari Metropolitas. Porrò Constantinopolitanus, dum Patriarchatum ambire cœpit, Prouinciam Europam non diuisit in duas, nec Heracleensi suo Metropolitæ subtraxit vllas subditas cathedras, sed solus per se dumtaxat stetit tamquam episcopus exemptus. Etiam ab illo tamquam à Prouinciæ Metropolita consecrari semper perrexit, vtpotè non habens suffraganeos, à quibus Patriarchali more consecraretur. Eodem modo Hierosolymitanus diuisit se à suo Metropolita Cæsariensi. Hinc eos Græci dicunt sic esse Patriarchas, vt tamen dumtaxat sint Archiepiscopi, non Metropolitæ. Cur ipsis solus Antiochenus sit Patriarcha, & cur Alexandrinus sit etiam Papa, vsque huc ignoro. Posterioris videtur non esse alia ratio, quàm antiquus vsus, aut certè laudatum sancti Celestini priuilegium.

Respondeo hæc omnia esse recentiores Græcorum subtilitates. Olim enim Archiepiscopi titulum titulo Metropolitæ fuisse digniorem, & omnes Patriarchas habuisse, & Papæ, & Archiepiscopi titulum, est nimis manifestum. Quod etiam Latina ecclesia, & Constantinopolitanum, & Hierosolymitanum Patriarchas olim titulauerit Papas, lucet ex literis magni viri, sancti Auiti Archiepiscopi Viennensis. Epist. 7. 23. Alexandrinam ecclesiam per Marcum filium fundauit, & rexit Sanctus Petrus Apostolus, ideoque illa Romanam, vti filia matrem, in ritibus, & moribus fuit semper imitata. Eius Patriarcham in Antistitum consecrationibus, & cætero suæ Diœcesis regimine conformari ad Romani Episcopi consuetudinem iussit etiam sextus Canon Nicenus. Hinc forsan etiam fuerit à suis titulatus Papa. Quidquid sit, de præsenti Gregorij septimi edicto scribit in suis ad Romanum Martyrologium notis Cardinalis Cæsar Baronius: [Quod ad Papæ nomen pertinet, cum futuris temporibus obtinuisset communis vsus, vt tantummodo Romano tribueretur Pontifici, & schismatici illud sibi in odium eiusdem Romani Præsulis fastu superbo vindicarent, aliaque non concessa præsumerent, Gregorius septimus habuit Romæ synodum aduersùs schismaticos, vbi statuit inter alia plura, vt Papæ nomen vnicum esset in vniuerso orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum, vel alium eo nomine appellare.] 10. Ian. Supremum, ac vniuersalem Romanæ Ecclesiæ Primatum prima arietauit Eusebiana Arianorum factio, affirmans vniuersalis ecclesiæ regimen non Monarchicum esse, sed Aristocraticum, à Christo Domino diuisum æquo iure in tres, qui tunc soli erant, Patriarchas: Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum. Eorum quemque in sua Diœcesi esse supremum. Constantinopolitanæ ecclesiæ adulter Photius est aliam ingressus viam: Ecclesiæ Primatum, non à sancti Petri meritis, aut in eius episcopalem thronum successione, sed à Regia Romani Imperij ciuitate pendere voluit, ideoque cum Imperialibus priuilegijs etiam Papalia priuilegia iampridem Roma Constantinopolim migrasse. Hinc se dixit Patriarcham vniuersalem non quouis sensu, sed caput, & principem omnium Patriarcharum. Quod

ipsum

ipsum Nilus Doxopatrius, Michael Anchialus, Anna Comnena, alijque istius schismatis fautores probant, & firmare conantur. Alij tamen in capta per Gothos vrbe, alij in Imperatoris Augustali morte, alij alio tempore dixerunt migrationem istam euenisse. Eamdem audaciam nuper resuscitarat Patriarcha Michael Cerularius, asserens omnes Patriarchas sibi esse subiectos. Error etiamnum durabat hoc tempore, ideoque aduersùs ipsum edixit Gregorius VII. Papale nomen esse vnicum in mundo, nec posse esse aliud, quàm Romanum. Pacis, quam Michael Ducas Imperator instanter vrgebat, hoc esse voluit primum fundamentum. Quare per Papæ nomen non tam titulum intelligi existimo, quàm virtutem, & potestatem.

CANON XII.

Quod Papæ liceat Imperatores deponere.

SCHOLION.

Scabiosa est quæstio, orta, aut veriùs resuscitata ex facto Gregorij septimi, qui Henricum quartum Germaniæ Regem, ac electum Imperatorem, excommunicarat, ac in excommunicatione, & contumacia fetentem tandem degradarat. Non solùm Germanicum Imperium, sed omnis Occidentalis Ecclesia fuit hinc diuisa in partes, & quidam Gregorij actum adeò improbarunt, vt Henrici throno super impositum Rudolphum Sueuiæ Ducem ironicè vocitarent [Regem Clericorum.] Eorum vnus fuit Venericus Vercellensis Episcopus, in edito de conseruanda Ecclesiæ vnitate libro exclamans: [Quærit nunc aliquis Pontificum deponere populorum Principem, quod est excitare quasi incendium ad destructionem Ecclesiarum.] Asseuerat esse inauditam nouitatem: Reges esse Diuino iudicio reseruatos, ideoque nec ob manifestam hæresim posse degradari. Etenim Zenonem, Anastasium, Leonem Isaurum, aliosque Ecclesiam, & fidem Orthodoxam hostilissimè persequentes Imperatores deijcere, antiquis Pontificibus ne vel venit in mentem. Constanter vult Regiam potestatem esse immediatè à Deo, ideoque Reges ipsi soli subesse, & Regna ab ipso solo posse transferri. Esse hanc affirmat non tantùm Apostolicam doctrinam, sed & Euangelicam. Vti enim Apostoli Regem honorificandum, & pro ipso in Ecclesijs orandum, ita & Dominus præcepit reddenda Cæsari quæ sunt Cæsaris. Præsertim reddendum fidelitatis, & obedientiæ Sacramentum, quod nulla humana potestate possit solui. Domini ad Apostolos verbum, *Quodcumque solueritis erit solutum*, asserit de solis peccatorum reatibus, non de Sacramentis, aut professionibus accipiendum, & semper ab Ecclesia fuisse acceptum.

Fol. 5.

Factum suum Gregorius stabiliuerat varia auctoritate: Auctoritate Innocentij primi, qui Arcadium Imperatorem ob commissas in sanctum Ioannem Chrysostomum violentias non Ecclesiastica tantùm communione spoliauit, sed etiam nomine Christiano. Epistola hæc apud Nicephorum Calixtum, humile Principis rescriptum extat apud Michaelem Glycam. Etiam auctoritate Magni Gregorij, qui Suessionensi ad sanctum Medardum monasterio datum priuilegium ita conclusit: [Si quis Regum huius Apostolicæ auctoritatis Decreta violauerit, honore suo priuetur.] Et auctoritate Zachariæ Pontificis, qui Hildericum Francorum Regem degradauit vti inutilem, degradatumque in monasterio totondit, & clausit. Et exemplo Constantini Pontificis, à quo Philippicus Græcorum Imperator scribitur fuisse deiectus. Hæc omnia Venericus asserit esse partim falsa, partim ficta, & spuria, ideoque nullius ponderis. Et re vera adductæ Innocentij, & Arcadij literæ, ac etiam sancti Medardi priuilegium, habent aliquid dubij, & caducitatis, ideoque nec ego adduxerim ipsorum auctoritatem. Hildericum non à Pontifice, sed à Regni proceribus asserit degradatum. Pontificem illis dumtaxat rogatum consensisse.

Eiusdem ferè mentis fuit ille, qui Henrici quarti aduersùs Gregorium septimum composuit Apologeticas Epistolas. Etenim ad hunc, quem non Papam Apostolicum, sed Apostaticum monachum assiduè vocat, ex illius scribit nomine: [Tu humilitatem nostram timori fore intellexisti, ideoque in ipsam Regiam potestatem, nobis à Deo concessam, exurgere non timuisti, quam à nobis auferre ausus es minari, quasi nos à te regnum acceperimus, quasi in tua, non in Dei manu sit Regnum, vel Imperium. Quia Dominus noster Iesus Christus nos ad Regnum, te autem vocauit ad Sacerdotium. Et infrà: Me, licèt indignus inter Christianos sim ad regnum vocatus, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi à fide, quod absit, exorbitauerit, deponendum asseruit, cum etiam Iulianum Apostatam prudentia sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit.] Regnum, & Sacerdotium ait esse duas ad mundi regimen à Deo ordinatas potestates, neutram alteri subesse, ideoque mutua inuasione, aut degradatione non posse confundi. Vrget verbum sancti Petri Apostoli: [Regem honorificate.] Nullam inhonorationem dicit posse esse maiorem degradatione. Quæ omnia confirmat in literis ad S. Annonem Archiepiscopum Coloniensem. Fatetur tamen se ob hæresim, aut aliam quamuis à fide Apostasiam posse per Ecclesiam degradari. Quinimò ab Henrico filio postmodum crudeliter afflictus Romanam appellauit Ecclesiam, eius per omnia iudicio spondens parere. In alijs item, per Lucam Dacherium nuper publicatis, ad Hugonem Cluniacensem Abbatem literis scripsit: [Cum videremus nobis violentiam, & præiudicium fieri, tunc prouoluti ad pedes eorum cœpimus suppliciter implorare, cùm pro Deo, tum pro suo honore, vt huiusmodi quæstiones, & obiectiones differrent vsque ad Apostolicam Sedem, concessa interim nobis dignitate propriæ libertatis, vsque ad locum præfatæ sedis, vbi præsenti Romano Clero, & populo, remoto odio, & inuidia, & cæteris

Epist. 3.

ris quæ iustitiæ sunt contraria, liceret de obiectis vel iustè purgare, vel humiliter satisfacere.] Agit de Conuentu Moguntino, vbi à Germaniæ Episcopis, & proceribus adiuta Papalis Legatio Gregorij nostri sententiam executa, Imperium transtulit in filium Henricum quintum: Suæ ad Sedem Apostolicam appellationi, & promissæ obedientiæ lamentatur etiam hic non fuisse delatum. Etiam laudatum Cluniaci Abbatem supplicauerat sibi dari in iudicem. Quam duri in humiliatum tandem, ac verè contritum Principem fuerint, non solùm Romanus Pontifex, sed & ipsi Germanorum Episcopi, ostendit & aggerat in Sclauorum Chronico Presbyter Hemboldus. Nempè Wormatiensis Conuentus, in quo Gregorium horrendis calumnijs incrustatum degradare attentarat, apud omnes pios mansit alta mente repostus. Ex conuentu isto miserat quasdam contumeliæ literas, de quibus scribit in libro de bello Saxonico Bruno Merseburgensis: [Quæ literæ cum Domino Papæ, in Basilica Lateranensi sanctæ synodo præsidenti fuissent allatæ, & coram synodo palam recitatæ, tanta fit in Ecclesia commotio, vt Legatus, nisi inter Apostolici pedes defensionem inuenisset, membratim laniatus interijsset miserabiliter.] Neque mireris hoc: Quales enim, & quanti aduersùm similes Eusebianæ factionis, Romanam appellationem, & Monarchiam impugnantis, literas fuerint Episcoporum motus in Lateranensi item Synodo, discere potes ex literis Iulij Pontificis.

Henrici causam strenuè tutatus est etiam Vvaltramus Magdeburgensis Archiepiscopus, apud Dodechinum Abbatem in Mariani Scoti Appendice hæc scribens ad Ludouicum Comitem: [Vas electionis Apostolus Paulus, Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed amici nostri inter mulierculas, & simplex vulgus somniant, Regiæ potestati subdi non oportere. Falsum ergo, quod omnem animam subdi oporteat.] Vrget Apostolicam distributionem, [Omnem animam:] Ea etiam Episcopalem, & Papalem vult comprehendi, ideoque Principis degradatorem Gregorium fuisse Diuinæ ordinationis transuersorem. Aliud à nemine asseuerat somniari, nisi à mulierculis, & simplici vulgo. Addit sibi suffragari Diuinum etiam testimonium: [Hildebrandum enim, & Rudolphum, & innumeros Principes, qui Dei ordinationi in Henrico restiterant, adfirmat malè perijsse. Hildebrandus seu Papa Gregorius obijt exul apud Salernum, Rudolphi autem per ipsum superimpositi Imperatoris mortem exponit in sacri Belli Historia Guilielmus Tyriorum Archiepiscopus, dicens illum à Godefrido Lotharingiæ Duce, postmodum primo Hierosolymorum Rege, Henrici summo vindice, fuisse occisum Etiam ipse Henrico videtur palàm patrocinari. De eodem Principe scribit laudatus Hemboldus: [Cum Henrico fuit sanctissimus ille Dux Godefridus, qui posteà liberauit Hierusalem, multique potentum.

An. 1090. Lib. 9. cap. 8. Lib. 1. c. 29.

Godefridum Gibbosum, suum auunculum, & in Ducatu antecessorem, quem ob huius factionis tutelam Antuerpiæ malè perijsse affirmat laudatus Bruno Merseburgensis, secutus fuerat Hierosolymæ victor, tunc adhuc iuuenis: Ambo interim fuerunt Principes prudentissimi, ideoque & ipsorum iudicium Henrico multos conciliauit. Conciliauit non solum Sigebertum, doctissimum Gemblacensis Cœnobij Monachum, sed omnem etiam vastissimam tunc Lotharingiam, ac præsertim Ecclesiam Leodiensem, cuius ad Paschalem secundum Epistola sic habet: [Dicetis nos ideò haberi excommunicatos, quia fauemus Episcopo nostro Oberto, fauenti partibus Domini sui Imperatoris. In hac re sunt initia dolorum. Quia Sathanas solutus terram perambulans iam diuisit Regnum, & Sacerdotium. Et infrà: Hildebrandus Papa auctor est huius nouelli schismatis, & primus leuauit Sacerdotalem lanceam contra diadema Regni. Regiam degradationem affirmant esse nouellas Hildebrandi traditiones, aduersas naturalibus, ac Euangelicis legibus, mandantibus non peierari, reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Regem honorificari. Delinquentes Reges affirmant monendos, arguendos, & increpandos, verùm nullam esse ipsorum damnandorum potestatem: Quia quos Christus Rex Regum in terris vice sua constituit, damnandos, & soluendos suo iudicio reliquit.] Henricum Regem constanter affirmant innocentem, falsòque accusatum ab Hildebrando, & adiungunt: [Nihil modò pro Imperatore nostro dicimus, sed hoc dicimus, quod etiamsi talis esset, tamen eum principari nobis pateremur. Quia vt talis nobis principetur, peccando meremur. Esto, concedimus vobis, illum talem esse, qualem dicitis. Nec talis à nobis repellendus esset armis contra eum sumptis, sed precibus ad Deum fusis.] Bonos in prœmium, ac solatium, prauos Reges dicunt populis dari in pœnam, ipsos contumaciter non esse degradandos, sed patienter tolerandos. Regi Henrico aduersùs Romanam Ecclesiam adhæserunt adeò firmiter, vt Obertus Episcopus fuerit ab ipso etiam inuestitus. Etiam Guiberto Antipapæ, quem septimo Gregorio Henricus superintruserat, Obertus fuit fidelis. Eiusdem sententiæ fuit Cameracensis Ecclesia: Hinc enim Atrebatensi, cui proprium Episcopum dedit, ciuitate ipsam priuauit Vrbanus secundus. Paschalis secundus vsus est potentiori medicina: Et in Cameracenses, & in Leodienses immisit Robertum Flandriæ Comitem, ipsius armis conatus illos ad obedientiam reuocare.

Easdem partes secutus fuit Vvaltramus Naumburgensis, seu Nurenbergensis Episcopus, ad quem sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis scripsit hanc Epistolam: [Si certus essem Prudentiam vestram non fauere successori Iulij Cæsaris, & Neronis, & Iuliani Apostatæ, contra Successorem, & Vicarium Petri Apostoli, libentissimè vos, vt amantissimum, & reuerendum episcopum salutarem]. Henricum Imperatorem non Constantini, Valentiniani, aut Theodosij, sed Iulij Cœsaris, Neronis, ac Iuliani vocat successorem, quòd nempè ille non istorum pietatem, sed horum impietatem æmularetur. Extat epistola in appendice Abbatis Dodechini

ni ad Chronicon Mariani Scoti. Exstat, & eiusdem Vvaltrami de laica Episcoporum Inuestitura libellus, quo Gregorij septimi aduersùs istam etiam seruitutem sanctissima decreta hostiliter impugnat. Verùm Diuina gratia tandem eius mentem transmutauit. Exstat enim eius ad laudatum Anselmum Responsoria de varijs Ecclesiæ ritibus Epistola cum hoc Epilogo: [Glorificat Deum in me Catholica Ecclesia, quoniam in nostra mutatione Diuinæ bonitatis apparet gratia. Gratia Dei sum id quod sum: Ex Saulo Paulus, ex Romanæ Ecclesiæ aduersario intimus Paschali Papæ, acceptissimus Cardinalium Consecretarius, & in omnibus in hac parte prosperos spero successus]. Exstat, & epistola, qua illi de tanta mutatione sanctus Anselmus gratulatur.

Henrici causam tutatus est etiam quidam Cunibertus, Bambergensis Ecclesiæ clericus, de quo Quintelburgensis Synodus: [Quidam Bambergensis Clericus, nomine Cunibertus, Romani Pontificis Primatui derogare volens, in mediam synodum se contulit, asserens Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliundè concessum hæreditasse, videlicèt vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio subiaceant. Primatum hunc esse dixit iuris dumtaxàt humani, ideòque in supremos Reges nihil posse. Errorem latiùs exponit in suo Chronico Bertoldus Presbyter Cōstantiensis. Nec sōlùm Cunibertum istum, sed insupèr Vvecilonem Moguntinum, Sigifridum Augustensem, & Norbertum Curiensem Episcopum, Simoniacos, ac intrusos degradati Henrici defensores laudata synodus damnauit. Hic est ille Vvecilo, qui in Moguntino Conuentu præsidens, & Henricum defendere, & Apostolicæ Sedi adhærentes quindecim Orthodoxos Germaniæ Episcopos præsumpsit damnare de hæresi. Fundauit se in hoc sancti Augustini loco, desumpto ex libris de Ciuitate Dei: [Deus vnus, & verus, quando voluit, & quantum voluit, Romanis Regnum dedit. Qui Mario, ipse Caio Cæsari, qui Augusto, ipse, & Neroni, qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suauissimis Imperatoribus, ipse, & Domitiano crudelissimo, qui Constantino Christiano, ipse dedit Apostatæ Iuliano]. Omne Regnum esse Dei ordinationem, & donum Vvecilo asseruit, ideòque Henrici degradationem sine hæresi, ac in Deum rebellione non potuisse attentari. Synodalia Acta perierunt, ipsorum tamen sensus manet apud Venericum Episcopum Vercellensem: [Magna hæresis Dei ordinationi resistere, quod constat quindecim Pseudo-Episcopos fecisse, dum destruere nitebantur Regnum Henrici Regis, ei à Deo collatum]. Rectè sancti Patres affirmant schisma esse hæresis exordium: Nam, & hìc vides Cunibertum istum à schismate in hæresim profecisse.

Lib. 5. c. 21.

Omnium præcipuus, ac Gregorio hostilissimè infensus Henrici Regis defensor fuit Cardinalis Benno: [Gregorius præter voluntatem, & consilium Cardinalium, extra ordinem iuris sacris canonibus determinatum, Imperatorem in nulla synodo canonicè accusatum præcipitanter excommunicauit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium subscripsit]. Non quòd degradarit, sed quòd non seruato iuris ordine id fecerit, accusat Pontificem, adeòque à iam adductis defensoribus discordans admittit istam in Ecclesia potestatem. Et pergit: [Vt primùm ad excommunicandum Cæsarem de Sede Gregorius surrexit, Sedes ipsa nouiter lignis fortissimis composita subitò Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes. Vult diuino hoc ostento Gregorij factum fuisse improbatum. Verùm nemo alius meminit ostenti, ideòque cæteris Bennonis mendacijs est annumerandum. Brunonis Merseburgensis clerici fides est authentica, ostenditque Vdonem Treuirensem, Epponem Citizensem, Guilielmum Vltraiectensem Episcopum, necnon varios Germaniæ Proceres, dum Gregorij iudicio aduersantur, malè perijsse. Et quidem Guilielmus [in ipso loco, in quo Romano Pontifici derogabat, eiusque potestatem verbosus adnihilare laborabat], lethali fuit morbo correptus: Publicè in Ecclesia, vbi cunctis magnæ suæ eloquentiæ viribus factam à Gregorio degradationem deridebat. Et ex mortis lecto Henrico Ex-Regi misit hanc salutem: [Hoc eo mitto mandatum, quod ipse, & ego, & omnes eius iniquitati fauentes, damnati sumus in perpetuum]. Et clericis ipsum ad meliora hortantibus respondit: [Quid aliud loquar, nisi quod verū esse visibiliter intueor? Ecce enim Dæmones lectum meum circumstant, quatenus mox, vt exspirauero, me rapiant. Itaque cùm fuero de corpore eductus, rogo vos, & omnes fideles, ne se fatigent pro me faciendo supplicationes]. Et ista est defunctus. Et ex Sedis Apostolicæ mandato sine commendationibus sepultus. Etiam Abbati Cluniacensi postmodum apparuit, & dixit: [Non sum viuus, sed verè defunctus, & in inferno sepultus]. Quæ omnia confirmant etiam Bertholdus Constantiensis, & Lambertus Schafnaburgensis. A. 1076.

Henrico item, seu Imperiali potiùs Maiestati, vtcumque fauit in opere de Gestis Federici primi Imperatoris Otto Frisingēsis Episcopus, [Cuius rei, Gregorianæ in Henricum sententiæ, nouitate eo vehementiori indignatione motum suscepit Imperium, quod numquam ante hæc tempora huiusmodi sententiam in Principem Romanorum promulgatam cognouerat]. Et in vniuersali historia: [Lego, & relego Romanorum Regum, & Imperatorum Gesta, & numquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum, nisi fortè quis pro Anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo inter Pœnitentes collocatus, & Theodosius à Beato Ambrosio propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sit sequestratus]. In septimi libri Prologo Romani Imperij diminutionem, & humilitatem deplorat admodum, & pergit: [Regnorum mutationes, & ad vltimum imminutiones quis fructus sequatur, quia sine graui scandalo dicere non possumus, Deo relinquamus. Non desunt tamen qui dicant Deum ad hoc Regnum imminui voluisse, vt Ecclesiam exaltaret. Regni quippè viribus, ac Regum beneficentia exaltatam, & ditatam nemo ambigit Ecclesiam,

L. 1. cap. 2.

L. 6. cap. 35.

constatque non priùs eam in tantum humiliare Regnum potuisse, quàm ipso ob Sacerdotij amorem euiscerato, ac viribus exhausto, non eius tantùm, idest, spirituali, sed suo proprio, materiali scilicèt, gladio percussum destrueretur. Quod iudicare, vel discutere, supra vires nostras est. Videntur tamen culpandi Sacerdotes per omnia, qui Regnum suo gladio, quem ipsi ex Regum habent gratia, ferire conantur: Nisi fortè Dauid imitari cogitent, qui Philistæum primo virtute Dei strauit, postmodùm proprio gladio iugulauit]. Spiritualem degradandi Imperatoris potestatem videtur Ecclesiæ concedere, verùm quæ sine materialis ab Imperio donati gladij adiutorio sit inefficax: Hinc Pontifices illos, qui per Imperij dona impugnant Imperium, censet grauiter culpandos. Dubia est eius mens. De euecto tamen per Henricum
L.6.cap.36. quartum nostrò Gregorio adiungit: [Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur, Dilexi iustitiam, & odiui iniquitatem, propterea morior in exilio]. Eum inter omnes Romanos Pontifices affirmat fuisse [præcipui zeli, & auctoritatis]. Loquitur cum Romano Martyrologio: [Salerni depositio beati Gregorij Papæ septimi, Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris, ac defensoris acerrimi.] Quare insigne mendacium continent hæc Augustensis Chronici verba: [In Saxonia Clericus quidam, vt putabatur, defunctus, raptus ad inferos, post triduum reuersus, sententiam,
A. 1090. quam de tormentis Gregorij septimi Papæ, Regulorumque Rudolphi, & Hermanni, multorumque prætulerat, mortis suæ præsagio, aliarumque rerum indicijs affirmabat]. Quàm piè Gregorius fuerit mortuus, authenticis documentis demonstrat Hugo Flauiniacensis.

Quod verò sine Cardinalium consilio atque suffragio Gregorius istam degradationem attentauerit, est aliud mendacium Cardinalis Bennonis. Longè aliter scribit Presbyter Hemboldus. Henrici publicam coram omni Romana, quò euocatus tamdem ierat metuens degradari ob contumaciam, Ciuitate pœnitentiam describit. & prosequitur: [Videntes Cardinales, & ij, qui de Curia sunt, quia præ timore Sedis Apostolicæ contremiscunt Potestates, & curuantur ij, qui portant orbem, suggerunt Apostolico, vt transferat Regnum ad alium virum, dicentes indignum esse, vt talis regnet, qui de publicis conuictus est facinoribus]. Non solummodò Episcoporum, atque Doctorum scholasticis discordijs, sed etiam armatis Principum pugnis, & horrendis populorum stragibus occasionem dedit hæc degradatio, adeoùt Gregorius etiam à fidis Ecclesiæ, & Apostolicæ dignitatis Zelatoribus fuerit præcipitij, ac imprudentiæ redargutus. Potestatem illi agnouerunt, sed eius exercitium improbarunt vti importunum. Placet Hemboldi iudicium: [Disputauerint de his, qui sciuerint, vel ausi fuerint. Vnum hoc scire licet, quia Romana Sedes adhuc hodiè luit factum illud. A tempore enim illo, quotquot regnant de stirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Ecclesias, ne resumant vires consurgendi aduersùm Reges, nec inferre, quæ intulerunt Patribus eorum]. Qualiter Henricus quintus proximos Gregorij successores Vrbanum, Paschalem, & Gelasium vexauerit, tandemque cum Calixto talem qualem pacem fecerit, suo loco ostendetur. L.1.cap.33.

Eius vestigia secutus est etiam Fredericus primus, de quo Alexandri tertij Pontificis, exstantia apud Cardinalem Baronium, Acta: [Cùm beatus Alexander Papa Imperatorem benignè, ac frequenter admonitum à sua perfidia non posset vllatenus reuocare, cum Episcopis, & Cardinalibus in Cœna A. 1160. Domini apud Anagniam ipsum, tamquam principalem] schismatis, & intrusi Anti-papæ Octauiani fautorem, [ac Ecclesiæ persecutorem, excommunicationis vinculo solemniter innodauit, & omnes, qui cum eo fidelitatis iuramento tenebantur adstricti, secundùm antiquam prędecessorum Patrum consuetudinem, ab ipso iuramento absoluit]. Actum hoc fuit duodecimi sæculi anno sexagesimo; at verò de Lateranensis, post octo annos celebratæ per eumdem Pontificem, Synodi Actis scribit ad Ioannem Cantuariensis Ecclesiæ Suppriorem Ioannes Saresberiensis: [Reflorescit status vniuersalis Ecclesiæ. Cùm enim Romanus Pontifex Theutonicum Tyrannum per patientiam diutiùs expectasset, vt vel si prouocaretur ad pœnitentiam; & schismaticus abutens patientia eius peccata peccatis adderet iugiter, vt error in amentiam verteretur, Vicarius Petri, à Domino constitutus super gentes, & super Regna, Italos, & omnes, qui ei ex causa Imperij religione iurisiurandi tenebantur adstricti, à fidelitate eius absoluit, & Italiam ferè totam à facie furentis, & præsentis tanta fœlicitate, & celeritate excussit, vt in ea nihil habere videatur, nisi tortores, quos euitat interdum, & angustiarum, quas euitare non potest, iuge supplicium. Abstulit ei etiam Regiam dignitatem, ipsumque anathemate condemnauit, & inhibuit auctoritate Dei, ne vires vllas amodo in bellicis congressionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut vllibi quiete, & pace gaudeat, donec condignos pœnitentiæ fructus operetur. Anti-papam ab omni Imperio admitti edixerat sub lædendæ Maiestatis reatu Fredericus, ideòque ipsum Augustis, & supremis, quibus Ecclesiam oportet defendi, armis Alexander censuit exuendum. Eum Hæresiarcham, Teutonicum Tyrannum, ac Ex-Augustum passim vocat laudatus Ioannes, & adiungit de Pontifice Alexandro: [Secutus est exemplum Gregorij septimi Antecessoris sui, qui nostra ætate Henricum Imperatorem, Ecclesiæ priuilegia conuellentem, deponens in Concilio Romano, simili sententia condemnauit.

Etenim etiam Henricum priùs excommunicarat, nec nisi in excommunicatione sordescentem censuit degradandum. Secutus hanc Regulam, quam apud Lambertum Schafnaburgensem laudant Saxonum Episcopi, & Proceres: [Quod si Henricus ante diem anniuersarium excommunicationis suæ, suo A. 1076. præsertim vitio, excommunicatione non absoluatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec legibus deinceps Regnum repetere possit, quod legibus vltra administrate, annuam passus excommunicationem,

non

non possit. Quam legem agnouit, & ipse Henricus. Hinc enim de ipso per asperrimæ hyemis medium ad obtinendam tempestiuè absolutionis gratiam transalpinante scribit præfatus Lambertus: [Dies anniuersarius, quo Rex in excommunicationem deuenerat, è vicino imminens nullas accelerandi itineris moras patiebatur. Quia nisi ante eam
Ann. 1097. diem anathemate absolueretur, decretum nouerat communi Principum sententia, vt, & causa in perpetuum cecidisset, & Regnum sine vllo deinceps restitutionis remedio amisisset.] Eruditus vir Lucas Dacherius nuper publicauit Belluacensem Synodum, in qua Conon Prænestinus Episcopus, ac Paschalis secundi per Galliam Cardinalis Legatus, publicauit hoc antiquum fragmentum Gre-
Tom. 2. gorij quarti. [Prædecessorum nostrorum statuta sequentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento adstricti sunt, Apostolica auctoritate à Sacramento absoluimus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant, & ne eis antea fidelitatem obseruent, prohibemus.] Est reuera antiquissimus Ecclesiæ Canon. Etenim de Ioanne Patriarcha Antiocheno, & alijs cum ipso excommunicatis Episcopis scripsit ad omnes sub Cœlo Ecclesias
Act. 1. Synodus Ephesina; [Synodus omnem Sacerdotij efficaciam illis ademit per quam aliquibus, vel nocere, vel prodesse poterant.] Ita, & percussis Regibus non Regnum, sed solam, qua nocere, aut prodesse possint, Regiæ Potestatis efficaciam eripit excommunicatio, adeoque professam subditorum fidem omninò etiam suspendit. At per totum annum producta insordescentia est solemnis, qua ipse Rex Ecclesiam, tamquam filius matrem, reuereri, & aduersùs quosuis rebelles adiuuare corporaliter iuratus promisit, professionis contumacissima præuaricatio, ideoque Regia dignitate reddit patenter indignum. Hinc eamdem sine restitutionis spe olim auferebat. Et ista lege, licèt proprium eius fontem nequeā producere, viuebat olim Romanum Imperium, ideoque Romani Pontifices, antequam ad Augusti Principis procederent exauctorationem, excommunicationem præmittebant.

Et Alexandri factum à nullo tunc lego, nisi à quibusdam Germaniæ, ac Longobardiæ episcopis, ipsum pro Antipapa habentibus, fuisse notatum, aut reprehensum. Episcopi isti sequebantur Pseudosynodum Papiensem, quæ Alexandri promotionem damnauit etiam ex hoc capite, quod ipse adhuc Cardinalis Rolandus Adriano quarto Pontifici, eumdem Fredericum degradare deliberanti, adhæsisset aduersùm alios Cardinales. Doctrinam istam iudicabant peruersam, ac discordiæ suscitatiuam inter Sacerdotium, ac Imperium, atque ita etiam in vero Pontifice potestatem istam dicta Pseudosynodus non agnouit. Pluribus hæc in
Lib. 2. c. 69. 70. 71. Ottonis episcopi sui supplemento refert Radeuicus presbyter Frisingensis. Verùm doctrinam istam adeò constanter prosecuta est Romana Ecclesia, vt etiam Vrbanus tertius eumdem à laudato Alexandro reparatum Principem denuò ob alias causas deijcere paratus, at partim per Germanorum Episcoporum, ac Procerum, partim per Veronensis Ciuitatis preces, ac tandem per mortem fuerit impeditus. At nihil aduersùs potestatem, sed multa dumtaxàt aduersùs causæ insufficientiam allegasse Fredericum videre possis in Sclauorum Chronico apud Arnoldum Abbatem Lubecensem. Et certè Vrbanus erat ciuis Mediolanensis, in sua familia nuper multa passus à Frederici exercitu, ideòque aliquo animi vlcere in illum omninò laborabat. Filij sui Henrici sexti coronationem, neque à laudato Vrbano, neque ab eius Antecessore Lucio tertio, impetrare poterat idem Princeps. Et de Cœlestino tertio scribit Henricus Cnyghtonus: [Dominus Papa in Cathedra sedens, coronam Imperialem pedibus inclinato capiti Imperiali demisit, quam statim pedibus in terram excussit. Designans per hoc, quod ipse Papa habet potestatem creare Imperatorem si meruerit, & deijciendi si demeruerit. Cardinales verò adstantes coronam sic excussam capiti reposuerunt.] Apostolicam istam potestatem adeò tunc ipsi etiam coronandi Augusti agnoscebant. Lib. 3. c. 16. 17. 18. Lib. 2. An. 1189.

Eamdem, aduersùs quam per octodecim annos contumacissimè rebellarat, in Innocentio tertio potestatem in lecto tandem mortis agnouit Otto quartus. Testem adduco Godefridum sancti Pantaleonis monachum. [Ingrauescente morbo, vbi sibi diem mortis imminere cognouit Otto, episcopum de Hildesheim, & alios Religiosos, & sapientes viros, scilicet Abbates, & Sacerdotes conuocat, & cum gemitu, & lachrymis quid sibi agendum foret, vel qualiter à nodo excommunicationis absolui posset, consulit. Ad An. 1218.
quorum consilium cum mandato Apostolico parere iurasset, ab Episcopo absoluitur. Et ita cum magna cordis contritione est defunctus. Quod ipsum scribit Chronicon Ecclesiæ Augustensis. Et magnum Belgij Chronicon: Innocentius Papa excommunicauit Ottonem, & posteà omnes subditos ab ipsius fidelitate sub excommunicatione prohibuit. An. 1219.
Et ita recesserunt ab eo Lantgrauius Thuringiæ, Moguntinus, & Treuirensis Archiepiscopi, Dux Zeringiæ, Dux Bauariæ, Rex Bohemiæ, & multi alij, tam sæculares, quàm ecclesiasticæ personæ.] Ex quo vides omni tunc Fol. 218.
Germanico Imperio istum fuisse sensum. Hinc dum etiam Adolphum Nassouium Imperatorem exeutiendum decreuerant Principes Electores, factas illi professiones priùs solui rogarunt à Bonifacio octauo, & nonnisi ex eius auctoritate ad Alberti Austriaci electionem attentarunt procedere. Et quia factum suum posteà inficiatus fuit Bonifacius, omnis Imperij populus de Alberto redijt ad Adolphum. Ità in suo Chronico scribunt Patres An. 1298.
Prædicatores Colmarienses. Etiam Wenceslai Augusti destituendi auctoritatem dicti Electores postularunt à Romana Ecclesia. Lucet ex data in ipsum sententia.

Omnium famosissima fuit per Gregorium nonum inchoata, ac tandem per Innocentium quartum, & Lugdunense Concilium completa Frederici secundi degradatio: Aduersùs quam non solùm omnes Imperij sui vires, sed & omnes Christiani orbis Potestates ille mouit, vti latè habes apud Matthæum Parisiensem. Attamen citatus comparuit

per Procuratores, synodali iudicio stetit, respondit, à sententia appellauit ad maius Concilium, atque ità Ecclesiæ potestatem agnouit. Et quidem hanc Synodum, & afflictam à Frederico Romanam Ecclesiam strenuè adiuuit sanctus Galliæ Rex Ludouicus, de memorata tamen degradatione addit in
Lib. 4. c. 9. Cœnobij sui Chronico Richerius monachus Senonensis: [Hoc Rex Franciæ approbare noluit, quia Fredericus quondam iuratus suus exstiterat.] Eiusdem sententiæ fuit Henricus tertius Rex Anglorum. De Ecclesiæ tamen potestate nequaquam dubitarunt, sed Fredericum crediderunt innoxium, & aut Innocentio, aut eius Synodo aliquid humani euenisse. Verùm vbi istius facinorosas ad omnem Christianum populum viderunt literas, mutarunt mentem. Scribitque de ipsis laudatus Matthæus: [Reges memorati, quia
An. 1245. muliebre videretur, & inhonestum, statim infestare, quem priùs protexerant, non sine murmure siluerunt adhuc dissimulantes. Ac per hoc Domini Papæ conditio meliorata respirauit. Frederico tandem facti sunt capitales aduersarij. Ecclesiæ potestatem adeò agnouerunt.

Frederici tamen partem fouere non destiterunt alij, de quibus scribit Supplementum Conradi Abbatis Vspergensis: [Hoc tempore fuerant in Sueuia Prædicatores, qui in Pontificem Romanum, & Cardinales magna dicendi libertate os aperirent, Frederici secundi, & Conradi filij eius causam iustificantes. Ausi dicere, apud summum Pontificem, Cardinales, & Episcopos nullam residere auctoritatem, quoniam omnes vna labe Simoniæ maculati essent, nec quidquam à Christo tenere potestatis. Et quòd Sacerdotes in mortali constituti peccato neque ligarent, neque soluerent, neque consecrarent. Quòd nemo in orbe Christiano interdicere
An. 1246. posset diuinis Officijs, quodque sine discrimine ea audirentur, & celebrarentur impunè. Et in fine suæ prædicationis, indulgentiam, inquiunt, quam annuntiamus, non à Papa confectam, non à Prælatis compositam, sed ex Deo Omnipotenti vobis annuntiamus. Nempè degradandi Imperatoris papalem potestatem tunc vbique omnes adeò confitebantur, vt fœdi etiam isti blaterones ipsam Innocentio abiudicare non præsumpserint, nisi ex turbulentis Donati, & Circumcellionum principijs, garrientibus criminosum Papam, aut Episcopum non esse Episcopum, aut Papam. Non potestatem, sed eius duntaxàt personam sunt inficiati. Errorum originem, ac Ducem prodit Chronicon Ecclesię Augustanæ. [Tunc superuenit quidam pauper rusticellus, asserens se in nocte præterita festiua Michaelis raptum, & ductum ad Tribunal Iudicis cuiusdam, vbi audisset, & vidis-
An. 1253. set, quod ad querimoniam Sanctorum sententia mortis esset data in Ottonem Ducem, & cæteros Principes pacis turbatores, & Ecclesiarum, ac pauperum vexatores.] Otto Bauariæ Dux Frederici partes acerrimè tutabatur, ideòque ipsum, & eius sequaces, nec non & Innocentium Pontificem, datæque per ipsum sententiæ defensores, auctor iste vocat turbatores pacis, atque adiungit: [Cuius visionis efficaciam Otto Dux, Innocentius Papa, Conradus Rex, & alij Principes per mortem insperatam sunt experti.] Hæreticis his Blatronibus, & Circumcellionibus Innocentius opposuit Fratres Mendicantes, primò tunc diuini Spiritus feruore plenos, præsertim Prædicatores, ac Minores, de quibus scribit Albertus Argentinensis: [Post Fredericum creuit potentia, & superbia Sedis Apostolicæ, ac Minorum, & Prædicatorum, qui Fredericum, & suos detestabantur. Tunc ipsa Sedes præ cunctis Ordinibus illos priuilegijs exaltauit in tantum, quod nunc ipsa Sedes, & Clerus vix defendantur ab illis.] An. 1247.
Et huc respexit Germanus ille, qui gentis suę aduersùs Romanam Ecclesiam grauamina cum remedijs congessit ad Maximilianum primum Imperatorem: [Prouideat Cæsarea Maiestas, ne Fratres Mendicantes contra ipsam prædicent, qui Sedi Apostolicæ libenter deseruiunt, timentes perdere priuilegia sua. Miscent vera falsis, & Apostolicam Sedem, eiusque fidos defensores consuetis calumnijs infestant.

Verùm in Ludouici quarti, per Ioannem vigesimum secundum degradati, causa Fratres Mendicantes non fuisse concordes scribit Supplementum Abbatis Vspergensis: Sub Ludouico, cuius à laudato Ioanne cœptam degradationem Clemens sextus nuper in Cœna Domini confirmarat, [In ciuitatibus liberis, & Imperialibus inter Sacerdotes erant graues dissensiones. Nam cùm ciuitates Ludouicum agnoscerent, Sacerdotum quidam volebant Pontificijs literis obedire, & interdicto vti, nec canere, nec legere: Itaùt monachi Argentorati, maximè Augustiniauæ familiæ, & in alijs vrbibus, septemdecim annis sine cantu prorsùs essent. Minores, & Prędicatores multis annis cantauerunt, tandem & ipsi cessant. Tunc illis dicebant Ciues, vt canendo pergerent, aut solùm verterent.] Quàm constanter Ludouico, dum Ioannem Pontificem degradare, & Petrum de Corbario intrudere attentaret, Fratres Augustinenses Romani restiterint vsque ad Barbarica tormenta, docet manuscripta apud Angelicam Bibliothecam historia Ægidij Cardinalis Viterbiensis, Nec tamen Ludouico fuerunt aduersati. Quòd enim Frater Vlricus Curiensis Episcopus, Moguntinæ Synodi ad Benedictum duodecimum Legatus, damnati Principis causam fideliter, ac strenuè perorauerit, in vita sancti Bertholdi Constantiensis Episcopi ostendit eiusdem Ecclesiæ presbyter Bertholdus: Et dictum Supplementum: Hi Moguntinæ Synodi Patres [rursùs mittunt Legatos, insignes viros, Gerlacum Comitem de Nassau, & Episcopum Curiensem. Eis Papa Benedictus benignissimè acceptis respondit se fauere Ludouico, & quasi flens conquestus est se non posse absoluere Imperatorem metu Regis Franciæ, cùm Bonifacij octaui exemplo deterreretur.] Profunda enim, & humillimè supplex Ludouici de iuuenilibus suis insolentijs pœnitentia omninò merebatur veniam. Quomodo ipsam & apud laudatum Benedictum, & apud Clementem sextum violenter impedierint Francorum Reges, videre possis apud Albertum Argentinensem. Ludouicus fuit adeò humilis, vt aduersùs Pontificem Ioannem, accusantem de hæ-

hæresi, se purgaturus, publicè in Ecclesia Apostolicum Symbolum recitarit. Ita testatur magnum Belgij Chronicon. Et hæc forsan fuit vna ex causis, ob quas Guilielmus Ocham per octo de dignitate, & potestate papali quæstiones, amplumque de eadem materia Dialogum, Marsilius Patauinus defensionem pacis, alijque alios vulgauerunt libros, quibus Ludouicum, tamquam à tribus successiuè Pontificibus oppressum, non tantùm aduersùs ipsorum personas, & Acta personalia, sed etiam aduersùs Sedem, & potestatem scandalosè, atque erroneè defenderunt. Eos nuper nouis typis donauit Melchior Goldastus, & ex tabida ipsorum medulla nouum monstrum protulit Ioannes Barclaius. Verùm sanctus Petrus Apostolus semper vicit. Quod enim etiam Ludouicus in contumaciæ suæ mercedem malè perierit in venatione, & quod eius hæredes, ciuitates Imperiales, Germanici Imperij Proceres, & Episcopi, contumaciam illius secuti, Sedi Apostolicæ tandem se submiserint, & censurarum, ac aliorum ecclesiasticorum vinculorum absolutionem supplices impetrauerint, testatur, & exponit in suis Annalibus Henricus monachus Rebdorffiensis. Et de Rudolpho Constantiensi Episcopo scribit eiusdem Ecclesiæ Chronicon: [Rudolphus cum Ludouico excommunicato, ob id quod Regalia ab eo acceperat, adhæsit decem annis, in maxima summi Pontificis ingratitudine perstitit. Quare dum iam senio, & corporis imbecillitate molestaretur, mirum in modum de eo doluit. Nec abs re. Quia ob eam causam, quamuis tunc tredecim annis præsedisset, & vita functus esset, in terram inconsecratam sepultus est. Tandem autem cùm iam viginti circiter annos illic quieuisset, suorum consanguineorum, & aliorum bene-
Epist. 53. factorum coram sancta Sede Apostolica intercessione, absolutione obtenta, exhumatur, & Catholicæ traditur sepulturæ.] Nec desunt alia eiusmodi exempla.

Etiam Philippum Pulchrum fuisse à Bonifacio octauo Pontifice degradatum affirmat Supplementum Abbatis Vspergensis: [Bonifacius Regem Galliæ excommunicauit,
An.1294. & titulum Regni Gallici Alberto Imperatori Germanico dedit, itaùt Germaniam, & Galliam committeret. Audi causam: Alberti augustam electionem comprobauit Bonifacius eo pacto, si Regem Franciæ impugnans, se Regem gereret, & Romanorum, & Francorum. Implacabiliter enim Rex Franciæ Pontificem offenderat, quod Pragmaticam sanciens, Apostolicæ Sedi suum per Franciam diminuit honorem.] Regem suum acriter defendit Ioannes de Parisijs, Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus, in libro de Papali, & Regia potestate secutus sententiam mediam: [Quod dicitur octauò, quod Papa deponit Imperatorem, respondeo, verum est illum, quem ipse posuit, qui ab ipso accepit feudum, & ex causa rationabili. Quod verò
C. 16. dicitur, quod Papa transtulit Imperium, posset solui sicut priùs. Potest nihilominus dici, quod Constantinus numquam dedit Imperium Ecclesiæ simpliciter, sed dedit vrbem, & quasdam Prouincias Occidentales, & signa Imperialia, vt de ipsis Prouincijs disponeret.] Constantini donationem existimat veram, verùm de sola vrbe, & Italia: Huius Prouincias vult esse Romanę Ecclesiæ in Germanicos Imperatores feudale beneficium, ideòque ipsos his per Pontificem posse priuari. Eamdem donationem etiam laudat inferiùs, & pro suo Rege adiungit: [Ex qui- C. 22.
bus suppositis apparet, quod ex dicta donatione, & Imperij à Græcis in Carolum Magnum translatione Papa nihil potest supra Regem Franciæ propter quatuor. Primò quidem, quia dicta donatio non fuit nisi de portione determinata, in qua Francia non includebatur.] Addit donationem ex vario capite fuisse irritam, & nullam, Francosque numquam subfuisse Romano Imperio, & prosequitur: [Ex dicta donatione, dato quod valuerit, & de toto Imperio fuerit facta, & dato quod Franci fuissent Imperio subiecti, quod non dicimus, adhuc Papa nihil potest super Regem Franciæ, cùm non sit Imperator.] Reges Imperio subiectos, non à Papa, sed à solo Imperatore vult posse deponi. Excipit Romanæ Ecclesiæ feudales beneficiarios, quales sunt Reges Angliæ, Hungariæ, ac vtriusque Siciliæ. Ecclesiasticam potestatem asseuerat esse merè spiritualem, limitatam ad sola spiritualia crimina, & pœnas, eius supremum flagellum excommunicationem, adeò vt Papa nec pecuniarias multas possit infligere. [Vltrà excommunicationem, C. 14.
inquit, non potest aliquid facere, nisi per accidens, quia si Rex esset hæreticus, incorrigibilis, & contemptor ecclesiasticæ Censuræ, posset Papa aliquid facere in populo, vnde priuaretur ille honore sæculari, & deponeretur à populo. Et infrà: Vbi Rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Ecclesiam non pertinet, tunc Papa non habet ipsum corrigere primò, sed Barones & Pares de Regno, qui si non possint, vel non audeant, possunt inuocare auxilium Ecclesiæ, quæ requisita à Paribus in iuris subsidium potest monere Principem, & procedere contra ipsum modo prædicto.] Existimat Papam aliud non posse in degradatione Regis, quàm quod in Papæ degradatione possit Rex, cuius aliud non est munus, quàm ad istum deponendum monere, & mouere Dominos Cardinales.

Eadem sententia Ioannem Angliæ Regem, ab Innocentio tertio excommunicatum, & papalis Censuræ obseruatores Clericos, & Monachos horrendè persequentem, tutari olim tentauerat Alexander Cœmentarius, de quo Matthæus Parisiensis: [Ingessit se Con- An. 1209.
silijs regijs Pseudotheologus quidam, magister Alexander dictus Cœmentarius, qui suis iniquis prædicationibus Regem non mediocriter ad crudelitatem commouit. Inter varios errores affirmauit ad Papam non pertinere de Regum, siue quorumlibet Potentum laica possessione, vel subditorum regimine. Et verisimilibus quibusdam probauit argumentis. Cùm præcipuè Principi Apostolorum Petro nihil à Domino, nisi Ecclesiæ tantùm, ac rerum ecclesiasticarum sit collata potestas. His, & similibus fallacijs fauorem Regis adeò promeruit, vt plurima à viris Religiosis beneficia per eiusdem Regis violentiam obtineret. Sed tandem ipsius peruersitas cùm ad summi Pontificis aures peruolasset,

set, ipso Papa procurante, bonis ac beneficijs omnibus spoliatus, ad tantam demùm miseriam perductus est, vt in habitu pauperrimo, & cultu, necessitate compulsus sit panem suum cum dolore ostiatim mendicare. Quem videndo multi subsannando dixerunt: Ecce homo, qui non posuit Dominum adiutorem suum.] Cunctas Iudæ proditoris maledictiones in ipsum congesserunt. Et hinc tandem Innocentius à Ioannis excommunicatione processit ad degradationem, Angliamq; dedit Ludouico filio Regis Francorũ.

Memoratam inter Germanicum Imperium, & alia suprema Regna differentiam alij etiam Doctores probarunt. Et reuerà est aliquid differentiæ. Germanicum quippè Imperium à Romano Pontifice Leone tertio datum fuit Carolo Magno, huius item successoribus suo dudum arbitrio dederunt alij Pontifices, principes Electores instituit Gregorius quintus, & electi, ac electionis confirmationem Apostolica Sedes etiamnum obtinet, alia verò suprema Regna sine eius adiutorio intrarunt in mundum. Et hinc de sola sua in Imperatores, vtique Germanicos, potestate noster septimus Gregorius dictauit. Dixi, [Regna suprema.] Quin enim feudali iure subditos sibi Reges exauthorare possit Apostolica Cathedra, à nullo existimem dubitari. Isti debito omninò subiacebat Anglia, ideòque Innocentij tertij in Alexandrum Cœmentarium vindicta fuit longè iustissima. Scabrosa, atque odiosa est hæc quæstio: Ego neque ecclesiasticam potestatem adulando ampliare, neque supremam fidelium Regum Maiestatem arrodere volens, auitum Christiani dogmatis sensum producere sine fuco, & dolo conabor.

Ante omnia laudandum, ac omnibus episcopis strenuè inculcandum est laudati nostri Gregorij ad Hugonem Diensem episcopum, suum in Gallia Legatum, qui Guilielmum primum Angliæ Regem ob quosdam in Normandia excessus tractarat duriùs, L. 9. epist. 5. saluberrimum rescriptum: [Præfatum Regem in talibus vlterius sine assensu nostro non exasperet. Videtur enim nobis multò melius, atque facilius, lenitatis dulcedine, ac rationis ostensione, quàm austeritate, vel rigore iustitiæ, illum Deo lucrari, & ad perpetuum beati Petri amorem posse prouocari.] Eamdem regulam Daimberto Senonensi Episcopo suo Metropolitæ, commendat sanctus Iuo Carnutensis Episcopus. [Quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt, & fundamentum populi, & caput existunt, si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt à nobis grauiter exasperandi, sed vbi Sacerdotum admonitionibus Epist. non acquieuerint, Diuino Iudicio sunt reseruandi, vbi tantò districtiùs sunt puniendi, quantò minùs fuerint diuinis admonitionitionibus obnoxij.] Orationibus potiùs quàm excommunicationibus in ipsos agendum docet item sanctus Hildebertus Archiepiscopus Epist. 67, 68, 75. Turonensis, & adiungit: [Deus est, in cuius manu regum corda sunt cerea. Quòcumque sibi placet, ea solus inclinat: Alterat in quam vult formam.] Et Alexandro tertio, ne Henricum secundum Angliæ Regem, de quibusdam ecclesiasticæ libertatis quæstionibus contendentem cum sancto Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, interdicat, aut ab ecclesia separet, instantissimè per literas apud Matthæum Parisiensem exstantes supplicat Gilbertus Londinensis Episcopus, & adiungit: [Ne ecclesias innumeras subuerti miserè An. 1168. doleatis, & tam regem ipsum, quàm innumeros cum eo populos à vestra obedientia irreuocabiliter auertatis. Sanguis Regius tum se demum permittit vinci, cum vicerit: Nec verecundatur cedere, cum superauit.] Antisiodorensem, ac Aurelianensem Episcopos, cum Philippo Augusto Francorum rege contendentes, ad pacificam transactionem exhortatus est etiam Innocentius tertius Pontifex, & adiecit causam: Reges, & Principes L. 3. ep. 107. melius nonnunquam vincuntur mansuetudine, quàm rigore. Reges interioris hominis infirmitatem non plenè mortificatam, & sanatam habent, ideòq; ecclesiarum Præfecti multam illis debent charitatẽ, & dispensationem.

Porrò hæsitatio illa, qua de ecclesiæ ad reges excommunicandos potestate, eiusque ante Gregorium septimum exercitio fluctuat Otto Frisingensis Episcopus, caret fundamento. Ipsam didicit à nescio quibus Henrici quarti Imperatoris Palponibus, aduersùm quos ad Herimannum Netensem Episcopum scripsit laudatus Gregorius. [Eis qui dicunt regem non debere excommunicari, L. 4. epist. 2. L. 8. ep. 21. licèt pro magna fatuitate nec respondere debeamus, tamen ne impatienter illorum insipientiam præterire videamur, ad Sanctorum Patrum dicta, vel facta illos mittimus, vt eos ad sanam doctrinam reuocemus. Fideles reges affirmat esse Christi Domini oues, ac Matris Ecclesiæ ex Deo Patre Filios, ideòque ab illius potestate non posse esse exemptos. Loquitur ex sancti Ambrosij de tradendis Basilicis sermone: [Quid honorificentius, quàm vt Imperator ecclesiæ filius esse dicatur? Imperator enim bonus intra ecclesiam, non supra ecclesiam est. Bonus Imperator quærit auxilium ecclesiæ, non refutat. Facundus Hermianensis Episcopus elucidat: Si Prin- Lib. 12. c. 5. cipes non alieni sunt à populo Dei, & pro ipsis quoque offertur sacrificium, Sacerdotes etiam ipsorum peccata portent necesse est. Et ideò nec temeritati, nec arrogantiæ deputetur, si Sacerdos etiam Principem peccare prohibeat. Facundissimè doctrinam hanc demonstrat, & concludit: Si Princeps quoque pro suis peccatis castigatorem ferre non dedignetur, vt pro ipso intercedens possit audiri.] Quod ipsum in literis ad Dardaniæ Episcopos docet sanctus Papa Gelasius confirmans exemplis Theodosij magni, Theodosij secundi, Anthemij, Zenonis, ac Basilisci, Romanorum Imperatorum, necnon Hunnerici Vvandalorum in Africa, & Odoacri Herulorum in Italia regis, quos à sancto Leone, sancto Hilario, sancto Simplicio, ac etiam à se, necnon à sancto Eugenio Carthaginensi episcopo demonstrat fuisse correptos, compressos, ac etiam excommunicatos. Et in litteris ad Imperatorem Anastasium docet Sacerdotium, ac Imperium esse Epist. 13. duas in Ecclesia supremas potestates, ita tamen vt hæc illi subsit, ac debeat colla submittere. Et huiusmodi Patrum testimonia possint adduci plurima.

Nec

Nec desunt exempla. Etenim Magnum Theodosium fuisse à S. Ambrosio non publica tantùm pœnitentia, sed & excommunicatione punitum, disertè in illius vita Paulinus presbyter, in laudatis ad Dardaniæ Episcopos literis sanctus Gelasius, & in trium Capitulorum Apologeticis libris docet Facundus Hermianensis. Summi Principis, & de Reipublicæ hostibus triumphos, & hanc humilitatem insigniter deprædicat, hanc istis præfert, & adiungit: [Piè admodum credidit, & sapienter intellexit Theodosius, quod non ex temporali potestate, qua fuerat etiam Sacerdotibus Dei præpositus, sed ex eo peruenire posse ad vitam, quod illis erat ipse subiectus. Et infrà: Non tale aliquid petimus corrigi quale fuit quod excommunicatione vlciscebatur Ambrosius. Illud enim, quamuis fuerit malè gestum, creditum tamen erat Theodosij potestati.] Affirmat Theodosium non ob Christianæ legis Ecclesiasticum, sed ob Augusti officij ciuilem excessum fuisse ab Ambrosio excommunicatum, adeòque non solummodò Imperatorem Sacerdoti, sed & ipsum Augustum Imperium Sacerdotio, etiam coactiuè, subesse. Et hinc ad Comites suos vt ab laudati Ambrosij persecutione cessans procederet ad Ecclesiam, obsecrantes respondit Valentinianus secundus: [Si vobis iusserit Ambrosius, vinctum me tradetis.] Et hanc non solius Ambrosij reuerentiam, sed omnibus Episcopis esse authenticam, & communem potestatem, ostendit laudatus Facundus: Credendum est; si nunc Deus aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodosius non deesset. Sed cum minor est exigendi fiducia, minor est reddendi deuotio.

Lib. 12. c. 5.

De eodem Ambrosio pergit laudatus Presbyter Paulinus: Maximum, Gratiani Augusti trucidatorem, atque inuasorem Imperij, [à communionis consortio segregauit admonens, vt effusi sanguinis Domini sui, & quod est grauius, innocentis, ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum pœnitentiam declinat superbo spiritu, non solùm futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, Regnumque, quod malè arripuerat, fœmineo quodam timore deposuit, vt procuratorem se Reipublicæ nomine præfuisse confiteretur.] Etiam hic vides Augustum Principem ob ciuilem excessum fuisse excommunicatum. Quod item Calendion Patriarcha Antiochenus Zenonis Augusti, in Chalcedonensem synodum præuaricantis, nomen è sacris Dypthichis raserit, atque ita excommunicauerit, laudatus Gelasius in laudatis ad Dardaniæ Episcopos literis affirmat. Etiam illius Successori Anastasio, se à Fœlice tertio Pontifice, ac omni Latina Ecclesia damnatum conquerenti, respondent in commonitorio ad Faustum Magistrum idem Gelasius, & in Apologetica epistola Symmachus Pontifex ipsum à nullo penitus, à varijs successiuè Pontificibus damnatum fuisse Acacium Constantinopolitanum Episcopum, cum ille communicando excommunicarit semetipsum: Quisquis enim excommunicato communicabat olim, incurrebat contagium eiusdem per omnia excommunicationis. Ex quo vides Augustum Principem non solùm ab homine, sed etiam à Canone posse excommunicari. Et est penitùs necesse. Alioquin Patrum Canones, quod suo tempore questus est sanctus Thomas Cantuariensis Episcopus, erunt similes aranearum telis, quæ solas muscas capiunt, ab auibus disrumpuntur. Si orbis totius Princeps Augustus ita possit ab Ecclesia percuti, quidni possint, & priuatarum gentium Reges? Et quidem Augustum Principem non à solo Romano Pontifice, sed etiã ab Antiocheno, Mediolanensi, ac alijs etiam Episcopis vides olim fuisse punitum. Antiqua enim Regula ipsum illius, in quo degebat pro tempore, loci Episcopo subijciebat. Quæ regula dudum etiam in regnis viguit. Adeò viguit olim in Gallicana Ecclesia, vt ad Alexandri tertij Pontificis Rescriptum, quo Henricum secundùm Angliæ Regem vetuerat excommunicari per laudatum Thomam Cantuariensem, & ab eius potestate ad tempus exemerat, Ludouicus septimus Francorum Rex fuerit grauiter scandalizatus. Aiebat sanctum virum sua potestate non fuisse sine culpa mutilandum. Exstant authentica horum Acta apud Cæsarem Cardinalem Baronium. Posteà tamen cuncti Latinæ Ecclesiæ Reges priuilegia, per quæ nonnisi à Romano Pontifice possint excommunicari, ab Apostolica Sede obtinuerunt. Ea suo loco producentur.

Omnis quæstio est, An Romani Imperij, ac aliorum à feudali, vel quouis quoad erectionem, vel electionem alio Ecclesiæ iure independentium Regnorum, Augustos, ac supremos Principes possint Romani Pontifices; vel alij Episcopi etiam degradare? Distinguenda est duplex degradatio: Directa, ac indirecta. Directa est superioris in inferiorem per iudiciale examen sententia; Et huius Ecclesia nullam habet potestatem. Rectè enim in suorum aduersùs Petrum Mogum Pseudopatriarcham Alexandrinum actorum Apologetico libro, ac in literis ad Imperatorem Anastasium sanctus Pontifex Gelasius affirmat solum Christum Dominum, ac eius quosdam in antiquo Dei populo gerentes prænunciam figuram, fuisse Reges simul, ac Sacerdotes, in nouo autem testamento diuisas penitùs, ac disparatas esse istas potestates, inuicem vltrò citròque, & exemptas, & subiectas. Quantùm, inquit ad dictum Principem, [ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ.] Quod ipsum in literis ad Solitarios sanctus Athanasius, & in epistola aduersùs Andronicum suæ Prouinciæ Præfectum sanctus Synesius Ptolemaidis in Pentapoli Episcopus, ac in varijs locis tradit Isidorus Pelusiotes. Romanum Imperatorem ex temporali potestate esse Dei Sacerdotibus præpositum scribit etiam Facundus Episcopus Hermianensis. Et in literis ad Leonem Isaurum Imperatorem Gregorius secundus Pontifex: [Ecclesijs præpositi sunt Pontifices à Reipublicæ negotijs abstinentes. Et Imperatores ergò similiter ab Ecclesiasticis abstineant. Et in sequenti epistola: Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium pote-

Epist. 57.

Lib 12. c. 5.

Epist. 2.

te-

testatem non habet, ac dignitates Regias conferendi, sic neque Imperator Ecclesias introspiciendi, & electiones in clero peragendi Supremum ergo Regem nequit Ecclesia euocare ad directum super Regiæ potestatis vsu iudicium, aut directè degradare.

Degradatio indirecta fit per iniectionem pœnæ, aut pœnitentiæ alicuius Ecclesiasticę, cuius humilitas inducat incapacitatem ad Regnum. Qua via possint etiam Clerici & Episcopi degradari. Plerisque enim olim Orthodoxis Africæ Episcopis fuisse à Donato in Casisnigris Episcopo, alijsque Donatistis impositam pænitentialem manum, atque ita illos factos esse irreparabiliter irregulares, ac exauctoratos, testatur, & queritur sanctus Optatus Episcopus Mileuitanus. Pœnitentialis manus tanta erat humilitas, vt etiam lapsis, ac degradari dignis Sacerdotibus, ac Diaconis imponi non posset ob Hierarchici Sacramenti reuerentiam. Et quisquis ipsam etiam innoxius, ac per violentiam acceperat, deinceps per nullam dispensationis gratiam poterat esse Hierarcha. Præfatus Donatus, nullius Prouinciæ Primas, sed modici in Numidia Oppidi episcopus, licèt non indirecto iudicio, ista tamen indirecta via potuit Collegas degradare. Potuit validè, sed non legitimè: quod humilem istam manum non solùm integris, sed etiam lapsis Hierarchis imponi Apostolica traditio non permittat. Et hinc ipsum, quod lapsis licèt Episcopis eam à se impositam confiteretur, Melchiades Pontifex synodaliter damnauit. Percussos ab Episcopo ille lapsos, & traditores, alij adfirmabant fuisse stantes, & integros: Varij facti operosam quæstionem discutere, & tempus absumere Pontifex noluit, sed turbulentum hominem ex dicta confessione damnauit.

Eiusmodi indirectam Imperatorum, ac Regum degradandorum viam mater Ecclesia habet non solummodò validam, sed, & legitimam. Ea apud Lambertum Schafnaburgensem adduxerunt Saxoniæ Episcopi, &
An. 1073. asserentes Henricum quartum Imperatorem tanta facinora patrasse, quæ si secundùm ecclesiasticas leges iudicarentur, & coniugium, & militiæ cingulum, & omnem prorsus sæculi vsum, quantò magis Regnum abdicare censeretur. Locuti sunt ex Siricio Pontifici qui Himerio Tarraconensi Episcopo rescripsit militiæ cingulum post actam publicam pœnitentiam nullatenus posse resumi, resumptionem esse repulsam, ideoque resumptoribus secundam pœnitentiam non esse credendam. Et ex literis sancti Leonis Magni ad Rusticum Metropolitam Narbonensem:
Cap. 12. Contrarium omninò est Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem. Et de nescio quo ad publicam pœnitentiam damnato Vvimaro scripsit ad Riuoladrum Episcopum Nicolaus primus Pontifex: Arma, vtique post peractam pœnitentiam, non ferat, nisi contra Paganos.
Epist. 5. Exceptio ista erat gratiosa dispensatio: Quod nempe auitus Ecclesiasticæ disciplinæ rigor tunc solui cœpisset. Hinc & Rudolpho Bituricensi Archiepiscopo, de talibus, quos non nisi cum grauioris lapsus, & desperationis periculo poterat compescere, militiæ resumptoribus consulenti, idem Pontifex respondit crimina esse varia varias personarum, Epist. 39. cap. 4.
& locorum circumstantias, indulgetque facultatem dissimulandi. Cuius pietatis quasdam adhuc reliquias superfuisse nostri septimi Gregorij tempore, lucet ex epistola ad Li. 7. ep. 10.
Britonum Episcopos, proceres, ex eiusdem quinta Romana synodo, & ex Melphitana Vrbani secundi. Publica pœnitentia erat sanctioris deinceps vitæ professio solemnis, item publicum in cilicio saccum, puluerem, geniculationem ad fratrum pedes, aliamque multam publicam humilitatem includebat, ac proinde à coniugio, negotiatione, publicis iudicijs, quauis militia, alijsque peccati pericula comportantibus functionibus iubebat cessare, & militaris balthei dignitate reddebat indignum. Hæc dignitas præsertim residet in Regio diademate, ideòque longè magis ipso humilitas ista priuabat. Ita in chartula, quam Imperatori Lothario porrexit in Compendiensi Conuentu, docet etiam sanctus Agobardus Metropolita Lugdunensis. Erudita charta est videnda. Idipsum demonstrat duodecima Toletana synodus: Hac de causa Wambam Regem iussit Cap. 1.
Regno cedere, & Eringij exaltationem comprobauit.

Adducta Nicolai Pontificis, & Agobardi testimonia ostendunt hanc disciplinam viguisse etiam in Gallicana Ecclesia. Agit namque Agobardus de ista synodo, in qua & ipse, & Ebbo Rhemensis, & alij Galliarum Episcopi Ludouicum Pium Imperatorem, ac Regem coegerunt ad publicam pœnitentiam armis, & baltheo discinxerunt, atque ita degradarunt. Et quidem non ob causam Ecclesiasticam, sed ob varios in Regni administratione excessus, & Iudithæ Imperatricis cum Bernardo Tholosano Comite suspectam consuetudinem, de qua apud Sthephani Baluzij in Agobardum notas scribit Odo Aribertus: [Filius Bernardi vulgò credebatur Carolus Caluus, Francorum Rex, & os eius mirè ferebat, natura adulterium maternum prodente.] Quam infamiam exstinguere sperans Carolus Bernardum propria manu dolosè contra datam fidem Tholosæ obtruncauit. Alijs etiam excessibus Bernardus fœdabat Palatium. Ludouici crimen erat, quòd nimiùm mollis ista non crederet, aut certè dissimularet, & istis sordibus non expurgaret Regiam domum. Hinc eius ex priori thoro filij Lotharius, ac Ludouicus detulerunt ad Episcopos, hi ipsum, ac simul adulteram tractauerunt iam dicto modo, & hanc in sanctę Radegundis Pictauiensi, illum in sancti Medardi Suessionensi Monasterio ad perpetuam pœnitentiam clauserunt. Largè hæc videre possis apud varios Franciarum rerum Scriptores. De dictis filijs & conspirantibus Episcopis scribit Ludouici Astrologus: [Dam- An. 833.
natum & inauditum, neque confitentem, neque conuictum, ante corpus sancti Medardi Confessoris arma deponere cogunt, pullaque veste indutum adhibita magna custodia, sub tectum quoddam detrudunt.] Vtique ad perpetuam, ac irreuocabilem pœnitentiam. Episcopale exauctorationis Decretum sic habet: [Post criminum confessionem, chartulam suorum reatuum, & confessionis, ob futu-

turam memoriam, Sacerdotibus Ludouicus tradidit, quem ipsi super Altare posuerunt, ac deinde cingulum militiæ deposuit, & super Altare collocauit, & habitu sæculi se exuens, habitum Pœnitentis per impositionem manuum Episcoporum suscepit, vt post tantam talemque pœnitentiam nemo vltra ad militiam sæcularem redeat. Istos Episcopos nullus vmquam notauit, quod sibi potestatem vsurpassent, sed dumtaxat, quod ipsam sine legitima causa exercuissent in innoxium. Ludouicus enim de cunctis suis excessibus egerat secretam pœnitentiam, ideòque ad publicam non poterat cogi: [Quoniam Forenses leges contra vnam culpam bis non inuehunt, & nostra lex habet bis non iudicari delictum.] Et ad Nicolaum Pontificem de Lothario, ac Ludouico filijs scripsit Tricassina synodus: [Vt populo credibile posset fieri, quod meritò fuerat à Regno expulsus, in Imperatorem quædam crimina conficta fuerunt,] atque ita ad publicam pœnitentiam fuit addictus. Iniquissimæ sententiæ etiam ipse Ludouicus fuit adeò reuerens, vt Regni Proceribus, ipsam non Episcopale iudicium sed latrocinale conuicium asseuerantibus, ideòque armorum, ac diadematis resumptionem suadentibus, acquiescere non præsumpserit.
An. 834. [Imperator, inquit laudatus Apologus, quamquam modo dicto Ecclesiæ communione eiectus esset, tamen præproperæ acquiescere sententiæ, & in Ecclesia Episcopali Ministerio reconciliari, & ab Episcopis rursum armis accingi voluit.] Et materiæ, & formæ causa iniquam, atque nullam sententiam ab ipsis istis Episcopis, aut certè à maiori synodo cassari voluit, atque ita cum sua tandem vxore reparari in Regnum. Et ità omninò fuit reparatus. De cassanda iusta sententia nemo vel cogitasset.

Cæsariem, cincinnos, & cirros alere, atque ornate cuncti plerarumq; olim gentium nobiles præsertim, ac milites consueuerunt. Hinc in Canticorum Cantico, etiam sponsus laudat suos cincinnos. Et de summa Hanonis Regis Ammonitarum in sancti Regis Dauid Legatos iniuria habet primus liber
Cap. 20. Paralipomenon: [Hanon pueros Dauid decaluauit, & rasit.] Et de Assyriorum Rege Sennacherib: [Reuersus est cum ignominia in terram suam.] Exponunt Hebraicæ apud
Cap. 32. sanctum Hieronymum traditiones: [Tradunt Hebræi illi caput, & barbam rasam ab Angelo in ignominiam.] Et in libro de velãdis Virginibus Tertullianus memorat Germanorum cirros, de quibus in libello de ipsorum moribus, etiam Cornelius Tacitus:
C. 10. [Insigne gentis est obliquare crinem, nodoque substringere.] Cirri enim sunt cincinni in nodum torti. Et in Ezechielis Prophetæ Commentarijs sanctus Hieronymus scribit rasa capita Isidis, ac Serapidis Sacerdotibus, dimissam verò comam esse propriam militantibus, Barbaris, atque luxuriosis. Et in alio
C. 44. ibidem loco: [Caluitium capitis luctus est
C. 7. signnm, quandò perdit decorem cæsaries, & pulchritudinem comarum amittimus.] Et hinc gentis suæ captiuitatem prænuncians, ac deplorans Propheta ait, in vniuersis capitibus futurum caluitium. Eadem de causa clamat Ieremias Propheta: Tonde capillum tuum. Exponit laudatus Hieronymus: C. 7.
[Apud veteres hæc erat omnium consuetudo lugentium, tondere cæsariem.] Hinc & percussus à Domino Propheta Iob seipsum totondit. Quod comam circumtotonderit, affirmat in Encomiasticis eius sermonibus sanctus Ioannes Chrysostomus, & adiungit: [Nunc inter nos multi flentes nutriunt comam, ille autem abscidit. Quare? Id nimirum est propositum ei, qui flet, vt contrariam Serm. 3.
in formam constituat habitum. Vbi honoratur coma, signum est fletus tonderi. Vbi verò tondetur, fletus signum est non tonderi.] Quod ipsum in laudato sancti Ieremiæ Commentario adiungit S. Hieronymus. Respiciunt ad datum Corinthijs ab Apostolo Canonem: [Vir si comam nutriat, ignominia est illi.] Exponit in suorum ad istam C. 11.
epistolam Commentariorum præfatione laudatus Chrysostomus: [Multi inter Corinthios circumibant, & vagabantur comati, quos iubet Apostolus tonderi.] Et in vigesima sexta Homilia: [Viri comam alebant, vt qui versarentur in Philosophia, quod quidem erat legis Grecorum.] Et infra: [Etiamsi tunc contendebant Corinthij, nunc vniuersùs orbis terræ hanc legem admisit, & custodit. Tanta est potentia Crucifixi.] Orbis admisit ab Apostolo prædicatum Iudaicorũ Sacerdotum morem, de quo Propheta Ezechiel: [Caput suum non radent, neque co- C. 44.
mam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua.] Ex eadem lege sanctus Synesius Ep. 104.
laudat hunc versum: [Nullus capillum, quin Cinædus sit, fouet.] Et de sancto Abbate Apollo scribit in Lausiaca historia Palladius Episcopus Helenopolitanus: [Multum reprehendebat eos, qui comam nutriebant.] C. 52.
Et hinc vides Apostolicam legem in Antiocheno, vbi sanctus Ioannes Chrysostomus docuit, Patriarchatu fuisse quidem receptam, non tamen in alijs vbique regionibus. Et in suis super Apostolicam ad Galathas epistolam commentarijs scribit sanctus Hierony- Præf. l. 2.
mus: [Corinthios notat Apostolus, quod viri comam nutriant. Hoc ex parte vsque hodie permanere, non potest dubitare, qui L. 80. 81.
Achaiam viderit.] Quem morem etiam in Mesopotamiæ Monachis permansisse notat in Panario sanctus Epiphanius, & in libro de Monachorum Opere sanctus Augustinus. Quin & sanctus Iacobus Domini frater numquam fuit ferro detonsus.

Auitum morem Pagani pertinacissimè retinuerunt. Etenim in quæstionibus supra Leuitici librum scribit Theodoretus: [Mo- Quæst. 23.
ris est apud Græcos capita puerorum non attondere, sed sinere capillos promitti, & hos posteà Dæmonibus dedicare.] Et Diodorum Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyterum, quod puerorum cirros liberiùs detonderet, fuisse à Gentilibus crudelissimè trucidatum testatur Ammianus Marcellinus. Et raró sese, contra fidelium Antiochenorum morem, tonderi affirmat etiam in Misopogone Iulianus Augustus. Et Persas, cùm exploraturi, atque incogniti intrarent Romani Imperij fines, caput totondisse scribit sanctus Ioannes Chrysostomus. Vt nempè Romani viderentur. Et in libro de velandis Virginibus Tertullianus: [Sęculum, ęmulum Dei, ita Virgini C. 7.

cæsum capillum decori mentitur, quemadmodum & puero permissum.] Vetè Dei æmulum: Nam iuxta Dei Apostolum permissus capillus Virginem, puerum decet cæsus. Et
C. 9. hinc Saracenos hac periphrasi expressit Propheta Ieremias: [Attonsi sunt in comam.] Quod contra omnium Orientalium morem attonderent cæsariem. Hinc item in luctus, diminuti capitis, damnationis, aut alterius ignominiæ characterem comati Gentiles se ipsos, suos seruos, capitales reos, aliasque viles personas, aut decaluabant, aut detondebant. Nostros ad metalla damnatos Confessores, ac Martyres frequenter ita tractarunt. Plures enim habemus epistolas, quibus sanctus Cyprianus, & Patres alij ipsos ad patienter sufferendam semitonsi capitis ignominiam strenuè hortantur. Eam primus fuisse passus dicitur sanctus Petrus Apostolus, atque ita ipsam esse vnam ex causis, & originibus Clericalis tonsuræ.

Permissi capilli morem constantissimè retinuerunt etiam Christiani Francorum Proceres, ac præsertim Reges. Et de Clodomiro Rege per Burgundiones occiso scribit Agathias Smyrnensis: [Eo cadente, mox Burgundiones, animaduersa coma profusiore, quæ illi ad tergum protendebatur, senserunt hostium Ducem se occidisse. Neque enim fas erat Francorum Imperatoribus comam tondere, sed à puero intonsi manent, atque adeò vt à tergo his defluant crines. Nam à fronte discriminati vtcumque feruntur. Nec sanè Turcarum more Barbatorumque impexi, & squallidi, sordidioresque capilli his sunt, vel aliàs calamistrati, & indecenter perplexi, sed varia his superinfundunt vnguenta, & diligenter pectendo expoliunt. Idque perindè præcipuum, ac Regium decus constitutum est, solis vt Regibus permittatur.
Lib. 1. Nam subditi circumtonsi sunt omnes, nec prolixior his coma conceditur.] Quod ipsum
Lib. 2. c. 9. tradit sanctus Gregorius Turonensis episcopus, asserens Francis esse Reges crinitos. Et hinc apud ipsum de Clodonco Childerici Regis filio, in Matronam flumen demerso,
Lib. 8. c. 10. dicit homo plebeius, fortuitus illius Piscator:
Lib. 6. c. 24. [Cùm ignorarem quisnam esset, à prolixa cæsarie cognoui esse Clodoueum.] Quòd nempè soli Regij pueri gestarent cæsariem. Etiam de Gundebaldo adolescente, ac eius patre Rege Clotario, ipsum supposititium asserente, scribit laudatus Gregorius: [Viso Gundebaldo, Clotarius iussit tonderi comam capitis eius, dicens, Hunc ego non generaui.] Cæsariem fuisse Regium ornamentum affirmat, item in Magni Caroli vita Eginardus. Res clarior est, quàm vt demonstretur. Eius auctorem alij Pharamondum ipsum, alij asseuerant fuisse Regem Clodionem.

Quòd tamen soli Reges gestarent ornamentum istud, Agathias omninò errat. Etenim non soli Theodorico Regi, sed etiam eius domus Maiori Ebronio fuisse detonsam cæsariem, atque ita vtrumque recipiendæ suæ dignitatis factum inhabilem, sancti Leodegarij Augustodunensis Episcopi vita, aliique Francorum Scriptores antiqui testantur. Et de Droctulpho, Regiorum filiorum Præ-
Lib. 9. c. 38. fecto, scribit laudatus Gregorius: [Childebertus Rex Droctulphum, incisis capillis & auribus, ad vineam excolendam delegauit.] Anno 788.
Etiam Thassilonem Bauariæ Ducem à Carolo Magno fuisse cæsarie mulctarum norunt Anno 831.
omnes Francicarum rerum periti. Quod capillis vitam redemerit, testatur in Annalibus Eginardus. Et à Ludouici Pij filijs non solùm Patrem, & Nouercam Indith am, sed etiam huius fratres Conradum, & Rudolphum fuisse detonsos, habes apud Annalistam Astrologum, ac Marianum Scotum. De restituto Ludouico, & in ipsum conspiratoribus ille addit: [Imperator Laicos præcepit locis opportunis attonderi, Clericos verò in conuenientibus Monasterijs custodiri.] Isti Laici erant varij Francorum Proceres. Et Childebertus, atque Clotarius Francorum Reges, duos nepotes suos Regno ineptos reddituri, de modo consultant apud laudatum Gregorium, ipsorumque auiæ, suæ matri, Reginæ Crothildi dant hanc optio- Lib. 3. c. 8.
nem: [Vtrùm incisa cæsarie, vt reliqua plebs habeantur, an certè his interfectis Regnum Germani nostri inter nosmetipsos æqualitate habita diuidatur.] Verba ista, [Vt reliqua plebs,] demonstrat cæsariem soli plebi fuisse interdictam.

Istius Barbariei administer fuit nescio quis Arcadius, altera enaginatum gladium, altera manu portans forcipem, respondítque præfata Crothildis: [Satius mihi est, si ad Regnum non eriguntur, mortuos eos videre, quàm tonsos.] Tonsura quippè reddebat Regni incapacem. Etiam de Godefrido Lotharingiæ Duce, in Conradum secundum Imperatorem rebellante, scribit Lambertus Schafnaburgensis: [Post modicum facti eum Anno 1048.
in tantum pœnituit, vt publicè se verberari faceret, & capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret, sumptus ad reædificandam,] quam exusserat, Virdunensem [Ecclesiam daret, & in opere cœmentario per seipsum plerumque, vilis mancipij ministerio functus, deseruiret.] Nempè neque publica fustigatio, neque cœmentaria humilitas, sed sola tonsura reddebat inhabilem ad retinendum Ducatum. Et Hildericum, vltimum è Merouingia familia Regem, ne ad Regnum respirare posset, quis nesciat fuisse detonsum? Fuisse in Audomarensi Cœnobio C. 13.
detonsum affirmat Chronicon Monasterij Fontanellensis. Et de vltimo Longobardorum Rege Desiderio, ac eius triumphatore Carolo Magno habet magnum Belgij Chronicon: [Carolus Desiderium in Franciam misit, eumque iussit in Ecclesia sancti Dio- Fol. 38.
nysij tonderi.] Et de Ludouico Pio Imperatore, Pippinum filium suum per Drogonem Metensem Episcopum parante tonderi, scri- Anno 853.
bit Abbas Regino: [Paternis votis Lotharius, frater eiusdem pueri, nequaquam permisit eum attonderi, sed abstraxit de manu patris. Erat enim puer ingentis pulchritudinis.] Hinc ipsum noluit fieri Regno ineptum. Et tribus suis filijs Regna diuidens Carolus Magnus, nepotes à patruis non solùm occidi, aut mutilari, sed etiam tonderi vetuerat, nisi ex iudiciali ordine. Imò nec filios à patre. Innumera sunt huiusmodi apud antiquos Francorum Annales exempla.

Etiam apud Gothos, quorum factiosa plebs

plebs Regem frequenter inuasit, ac violenter totondit, viguit hæc disciplina. Quare abusum istum fuisse Gothicæ gentis grauissimum morbum, rectè aduertit Appendix sancti Gregorij Turonensis. Apud Longobardos item, Burgundos, Anglos, aliosque Barbaros idem mos fuit grassatus. Etiam in Imperio Constantinopolitano: Byzantina historia est plenissima exemplorum. Ipsum hausit ex Romano Imperio. Etenim de Imperatore Iuliano, adhuc adolescente, & affectati Imperij apud Constantium consobrinum suspecto, scribit Socrates: [Iulianus, quo suspicionem vitaret, abrasa cuta vitam Monasticam simulauit.] Alij volunt ipsum Constantij iussu fuisse detonsum in Clericum Ecclesiæ Nicomediensis. Et de Basilisco Cęsare, Armati Ducis filio sub Imperio Zenonis, in Photij Bibliotheca habet Candidus Historicus: [Puer ex Cæsare inter Lectores profiteri cœpit.] Vtique post Patris crimen & cædem ita profiteri iussus à Principe. Et de Martiano Tyranno, Anthemij Imperatoris filio: [Martianus ordinatus est Presbyter.] Quæ latiùs exponit Euagnus Epiphaniensis. Deiectos & captos, ac vita gratiosè donatos Imperij inuasores, quoad Maiestatem nulla ipsis deinceps vel rimahiaret, Augusti Principes, quandoque simpliciter decaluari, quandoque in Monachos, quandoque in Clericos, aut episcopos iubebant detonderi. Et posterior hæc tonsura erat honorifica, & singularis gratia, non seruilis, aut ignominiosa. Qui mos à Constantini Imperio, & Christiana pietate videtur exortus. Et de ipso in suis ad Canonicas sancti Basilij epistolas Commentarijs scribit Theodorus Balsamon: [Qui Imperatoria auctoritate tondentur, transformari non possunt, aut habitum mutare, sed erunt necessariò Monachi, etiamsi vi tonsi fuerunt.] Violenter iniectum huiusmodi Monachatum, aut Clericatum non nisi ex synodalis iudicij auctoritate posse excuti, pluribus ostendit in Commentario tertij Canonis Ancyrani. Vti pœnitentialis manus ad Clerum, ita hæc, licèt violenta, tonsura ad laicum Principatum reddebat ineptum. Regiæ in Francia domus præfectus Ebroinus ob ipsam proprio motu excussam passim titulatur alter Iulianus Apostata.

C. 81.

L. b 3. c 1.

Lib. 79.

C. 49.

Porrò, & monastica, & clericalis tonsura sunt palàm pœna ecclesiastica, ideòque à Regibus, ac populis peti quidem consueuit, infligi tamen numquam potuit, nisi per auctoritatem, ac manum episcopalem. Quòd Francorum Rex Hildericus per Apostolicam Zachariæ potestatem detonsus fuerit, Regino Abbas in Annalibus, in Caroli Magni vita Eginardus, alijque Francorum Annales testantur. Et de Pippino Aquitaniæ Rege, Ludouici Pij nepote ex Pippino filio, Regnum malè administrante, habet secunda Synodus Suessionensis: [Concilio Reuerendissimorum Episcoporum, & Procerum attonsus, & in habitu Monastico ad sancti Medardi Monasterium custodiendus, & docendus deductus est. Ad preces patrui Caroli Calui Regis. Et iuxta Magni Caroli decretum, qui nepotes suos non nisi seruato iudiciali ordine sanxerat tondendos. Eiusdem Pippini patrem Pippinum à patre Ludouico Pio tondendum fuisse traditum Drogeni Metensi Episcopo, & à Lothario fratre liberatum, supra audiuimus ab Abbate Reginone. Et Michaeli Augusto, matrem Theodoram, & sorores tonderi iubenti, apud Nicetam Paphlagonem respondit sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus: [Hoc à me fieri nefas est. Nam ecclesiæ gubernacula, sacramque Sedem cùm susciperem, fidem iureiurando meam per scriptum adstruxi, numquam me Imperio vestro positurum insidias, vel consilium eiusmodi agitaturum. Et verò nunc quod Reginarum est facinus, quæque in illis causa, vt Maiestas vestra aduersùm eas talia machinetur?] Hinc primum, ex quo miseranda Photiani schismatis calamitas tandem erupit, Bardæ Cæsaris in sanctum Ignatium fuisse natum odium, testantur laudatus Nicetas, Michael monachus, atque Syncellus, & ipse Ignatius in sua appellatione ad sanctum Pontificem Nicolaum. Errant enim qui episcopos quoad tonsuram hanc existimant fuisse datæ per Principem sententiæ meros executores: Erant ipsi Iudices, & cum plena causæ notitia dabant sententiam. Hinc eamdem tonsuram non potuisse sine synodali iudicio excuti dixit Theodorus Balsamon: Quod nempè episcopale iudicium non nisi per synodum possit solui. Igitur hac etiam via episcopi supremos Reges, ac Imperatores frequenter degradarunt.

A. 749.

C. 5.

Verùm, & tonsura hæc, & publica item pœnitentia iam pridem abierunt in dissuetudinem, atque ità oritur quæstio, An ista episcoporum potestas sit cum ipsis exstincta? Respondeo non esse. Publica enim pœnitentia aliud non fuit, quàm aggregatum variarum Canonicarum pęnarum, quæ vti olim coniunctim, ità hodiè diuisim omninò possint enormibus præsertim criminibus infligi. Laxata disciplina Matrem Ecclesiam sua potestate non spoliauit. Ita post interpolatam publicam pęnitentiam fędiores quidam incęstuosi dudum adhuc fuerunt priuati omni iure ineundi matrimonij. Et quidam rapaces iure negotiandi. Et nostri septimi Gregorij tempore vigebat regula, quæ Regem anno integro in Papali excommunicatione sordescentem exuebat omni iure Regni. Nemo tunc christianus de ipsa dubitabat. Et etiamnum in Gallia vigere legem, quæ nullum Hæreticum regnare permittat, adfirmat Iacobus Augustus Thuanus. Ex hac Henricus quartus nuper non nisi facta solemni fidei professione admissus fuit ad Regnum. Et de Imperatore, Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, cunctisque alijs laicis potestatibus, duellis in sua terra locum permittentibus, statuit Sacrosancta Tridentina Synodus: [Eò ipso sint excommunicati, & iurisdictione, ac dominio Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab ecclesia obtinent, priuati intelligantur, etsi feudalia sint, directis dominis statim acquirantur.] Et de ipsis duellantibus, ac eorum patrinis: [Excommunicationis, ac omnium suorum bonorum proscriptionis, & perpetuæ infamiæ pęnam incurrant. Non minorem in Sess. 25. c. 19

totum Regnum, quàm in vnam eius Ciuitatem, non item minorem in directum, quàm in vtile ipsorum dominium ecclesia habet potestatem: Vti ergò vtili, ac feudali, ita directo vnius Ciuitatis, adeòque, & totius Regni dominio potest omninò priuare. Hinc enim vtroque ipsos, si quidem Reges forent, exuit cum suis patrinis duellantes. Generalis est enim iste Canon, adeòque non solam plebem, sed & ipsos Reges comprehendit: Nisi quis dicat ipsum similem aranearum telis, solas muscas capientibus, & per aues consuetas lacerari. Attamen non de Regibus, sed de solo Germanico Imperatore Gregorius noster dictauit.

CANON XIII.

Quòd Papæ liceat de Sede ad Sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.

SCHOLION.

EPiscoporum non solam transmigrationem, sed & translationem, vti & Apostolicis Canonibus aduersam, rigidissimè olim damnauit Nicena Synodus. Damnauit aduersùm Arianos, Patriarchales omnes, atque alias eminentiores Cathedras hac arte conatos inuadere. Eamdem ab Eusebiana ipsorum factione non derelictam, variaque fraude fucatam laica communione etiam in fine priuauit Synodus Sardicensis. Nec sine fundamento. Episcopi enim sine competenti causa translatio est spirituale adulterium, nequaquam minus carnali, cui eamdem pœnam antiqua ecclesiæ disciplina inflixit. A vitio isto alienissima semper fuit omnis olim latina ecclesia, præsertim Romana. Et hinc Imperator Basilius, quò octauam synodum, à Venerabili Marino Romanæ Ecclesiæ Diacono, Adriani secundi Pontificis Legato, ac eius postea successore, celebratam, ac rigidissimè confirmatam exufflaret, dixit laudatum Marinum fuisse translatum, ideòque illegitimum Pontificem, atque intrusum. Respondit verò Stephanus sextus Pontifex: [Qui dicunt Marinum antea fuisse episcopum, ideòque ad aliam Sedem non potuisse transferri, ostendant hoc.] Et in literis ad laudatum Stephanum Stylianus Neocæsareæ Metropolita: [Illa, quæ contra integerrimum, ac reuerà sanctissimum Papam Marinum confinxit Photius, quo loco ponis? Quæ te non ignorare certò scimus, quemadmodum, & literæ tuæ ad Basilium Imperatorem nostrum declarant.] Affirmat translationem ex causis posse fieri, attamen Marinum nullatenus fuisse translatum. Photij id esse figmentum. Primus enim translatus Pontifex fuit Formosus, Portuensis antea episcopus, istaque nouitas tot horrendis scandalis dedit ansam. Palmare defuncto Formoso à Sergio tertio impositum crimen audi à Luitprando Diacono Ticinensi [Cùm Portuensis esses episcopus, cum ambitionis spiritu Romanam vniuersalem Sedem occupasti. Quin, & illum adhuc viuum ob attentatum istum — Lib. 1. cap. 8 ambitum damnarat in sua Romana Synodo Ioannes Octauus. Et Sergius tertius, & Stephanus septimus voluerunt omnem translationem esse adulterinam, atque damnatam intrusionem: Et in Romana sua Synodo statuit Ioannes nonus: [Quia necessitatis causa de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem prouectus est, statuimus, & omninò decernimus, vt id in exemplum nullus assumat, præsertim cùm Sacri Canones hoc penitus interdicant, & præsumentes tanta feriant vltione, vt etiam in fine laicam eis prohibeant communionem.] Laudat Canonem Sardicensem. Etiam Ioannis decimi, ac Ioannis decimi tertij translationem notant grauissimi Scriptores. Maculosos Pontifices per laicam Principum violentiam sustinuit tunc Apostolica Sedes, ideòque, & increuit istud malum. Nam & Clemens secundus, ad ipsam repurgandam datus ab Henrico Tertio Imperatore, antea fuerat Suigderus Episcopus Bambergensis. Ipse interim ad Ioannem Pestanum Episcopum Salernitanæ Metropoli incardinandum potuit ægerrimè induci, nullamque deinceps translationem voluit fieri, nisi ob causam necessariam, [ex qua oriatur maior vtilitas, sicut maior assumitur Sedes.] Attamen eius vsque ad septimum Gregorium plerique successores fuerunt translati, atque ita malum adeò creuit, vt quasi non potuerit eradicari. Gregorius potestate ista est parcissimè vsus: Nullum vnquam transtulisse legitur, nisi Hugonem suum in Gallia Legatum ex Diensi Ecclesia ad Lugdunensem. Nequidem à Cardinali Bennone fuit hac in parte notatus. Quare videns morem auferri non posse, reduxit ad antiquos Canones, sanciens posse fieri, verùm ex sola necessitate, & per solam Apostolicam Sedem. Et hinc Henrico primo Anglorum Regi, volenti Heruęum Bancorensem Episcopum transferri ad Ecclesiam Lexouiensem, respondit sanctus Anselmus: [Hoc facilè fieri non intelligo.] Ait opus esse magna causa, vtriusque Metropolitæ, & omnium Prouinciarum assensu, & Apostolica auctoritate. Faciles nimiùm, licèt ad preces Regias, Polonorum translationes grauiter arguit item Paschalis secundus. Etiam Guitberto Antipapæ fuit inter alia obiectum, quod antea fuisset Rauennatum Episcopus. Translationes grauiter apud Othonem Frisingensem Episcopum arguit etiam Eugenius tertius, asseuerans fieri non posse sine grauissimis causis, & suo assensu. Lib. 3. epist. 126. Epist. 6. Lib. 2. c. 6. 9.

Quocirca Papalis consensus necessitatem esse nouum ab Innocentio tertio inductum ius, malè scripsit Parisiensium Archiepiscopus Dominus Petrus de Marca. Non solùm laudato Innocentio, sed etiam nostro Gregorio ius istud est longè antiquius: Ambo ipsum aduersùs Metropolitarum attentata dumtaxat innouarunt. Etenim Ebbonem Rhemensem Archiepiscopum fuisse à Gregorio quarto translatum ad Hildeshemensem Ecclesiam, testatur in literis ad Nicolaum primum Pontificem Synodus Tricassina. Quis nesciat durissimos obices, quos passa est sancti Arctari Namnetensis Episcopi translatio ad Metropolim Turonensem? Eam tentare nequaquam præsumpsit Gallicana Syno- Lib. 6. c. 8. Epist. 45.

Synodus, sed faciendam supplicauit, tandemque per Regias preces impetrauit ab Adriano secundo. Causa erat Namnetensis Ciuitatis per paganos Nortmannos occupatio, atque destructio: Eam tamen, vt minùs sufficientem acerrimè impugnauit Hincmarus Metropolita Rhemensis. Pares obices passa fuit Frotharij Burdigalensis Episcopi translatio ad Bituricensem Cathedram: Eam à Ioanne octauo fieri, & à Marino primo confirmari obtinuit laudata Synodus, & tamen postmodum ob causas excussit Stephanus sextus. Habes hæc apud Flodoardum in historia Ecclesiæ Rhemensis. Vt Herilandum, à dictis Nortmannis euersæ Morinensis Ciuitatis Episcopum, ad aliam Sedem transferre possit, Formoso Pontifici ibidem supplicat sanctus Fulco Archiepiscopus Rhemēsis. Nempè Gallicana Ecclesia iam à Riculphi Moguntini Episcopi temporibus admiserat famosas antiquorum Pontificum decretales epistolas, in quibus sanctus Euaristus disertè affirmat episcoporum translationes fieri non posse sine necessitate ineuitabili, ac Apostolica authoritate. Assertionem hanc, vti & Innocentius tertius, fundat in spirituali inter episcopum, atque ecclesiam matrimonio, quòd Diuini sit iuris, ideòque non nisi Diuina potestate possit solui. Lib.4. c.1. Epist.2.

Suppositæ sunt istæ decretales epistolæ, hac tamen in parte non deuitiant à Canone antiquo. Etenim Euphronio, olim Coloniensi apud Armenios Episcopo, ad Nicopolitanam Ecclesiam transferendo sola non sufficit Prouinciæ Synodus, sed accedere debuit auctoritas magni Basilij Cæsariensis Episcopi, ac per Ponticam Diœcesim Primatis. Ita habes ex eius literis ad Senatum, & Clerum Coloniensem. Et Siderium Palebiscæ Episcopum in Pentapoli fuisse, non Synodi, sed sancti Athanasij Patriarchæ Alexandrini auctoritate translatum ad Sedem Metropolitanam, adfirmat in literis ad Theophilum Patriarcham sanctus Synesius Ptolemaidis Episcopus, dictæ Prouinciæ Metropolita. Sine præuia Patriarchæ confirmatione nullus per omnem Ægyptum poterat creari episcopus, longè minùs transferri. Et Syluanum Tarsensem Episcopum, primæ Ciliciæ Metropolitam, quod Theophilum Eleutheropolitanum in Palestina Episcopum transtulisset ad Castabalensem suæ gentis ecclesiam, hoc est, quod Antiocheni Patriarchæ ius vsurpasset, apud Hermiam Zozomenum damnauit Synodus Seleuciensis. Et Acacium Constantinopolitanum Episcopum ob dolosè translatos Orthodoxos Episcopos damnauit Fœlicis tertij Pontificis secunda Romana Synodus. Nempè trium olim Autocephalarum Diœcesium Patriarchatum vsurpabat tunc Regiæ Ciuitatis Antistes, adeòque, & in ipsis solus episcopos transferebat. Et de sancto Proclo è Cyzicena Metropoli ad Constantinopolitanam Ecclesiam translato scribit Socrates: [Huic negotio suffragabantur epistolæ Cœlestini Romani Episcopi, quas ad Cyrillum Episcopum Alexandriæ, & ad Ioannem Episcopum Antiochiæ, & ad Rufum Thessalonicæ Episcopum misit, quo eos doceret nihil obstare, quo minùs qui vnius iam ciuitatis, vel nominatus fuisset, vel iam esset episcopus, ad alteram ciuitatem transferretur.] Bis tentata fuit Procli translatio. Primò post Nestorij degradationem: Et tunc per obiectum decimum octauum Antiochenum Canonem fuit impedita, promotusque fuit Maximianus. Post huius mortem Cœlestinus Pontifex fauit Proclo, atque ita translatio successit. Latiùs hæc refert Nicephorus Calixtus, multis ostendens translationem ex legitima auctoritate, & causa omninò licere. Eius porrò legitima auctoritas est auctoritas Patriarchalis: Vti sine eius præuio assensu, nullus etiam Prouincialis Episcopus potest ordinari, ita longè minus transferri. Aliquo enim Canonis vulnere hic fuit opus. Patriarchæ omnes, & dignitatis suæ firmitatem, & cunctam de ipsa dispensatoriam gratiam accipere semper debuerunt à Sede Apostolica: Hinc sine sancti Cœlestini consensu sanctus Proclus nequijt in Regiæ Ciuitatis Cathedram transportari. Vti item quidam, per Romanum præsertim, ac Antiochenum Patriarchatum, Metropolitæ præuiæ confirmationis ius sibi frequenter arrogauerunt, ità & ius faciendæ translationis. Et hoc per præsentem dictatum Gregorius Septimus Sedi suæ reparauit. Dictauit pro solo Romano Patriarchatu: Alijs Patriarchis in nullo voluit præiudicatum. Epist.290. 292. Epist.67. Lib.4. c.23. Lib.7. c.39. Lib.14. cap. 37. 39.

Notanda sunt eius verba, [Necessitate cogente.] Ab ipso etiam Pontifice faciendam translationem non solùm ad vtilem, sed etiam ad necessariam causam adstringunt. Qua in re excedere cepit Bonifacius nonus, de quo Theodoricus à Niem: [Bonifacius prætextu structurarum, quas fecit fieri, & gentium armigerarum, quas tenuit, vt multas pecunias posset exigere, plerosque Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios Ecclesiasticos Prælatos, præsentes in eius Curia, vel absentes, inscios, & inuitos, vel simpliciter absoluit à Prælaturis suis, & aliquando ad titulares ecclesias transtulit, seù promouit, dummodo pactæ essent pecuniarum summæ, quantùm volebat. Quod ipsum queritur Thomas Vvalsingamensis, addens Ioannem, quem inuitum Lincolnia Cestram transtulerat, maluisse Cantuariæ Monachum viuere, & mori, quàm ita fieri Episcopum Cestrensem. Et hinc inter varia, quæ Pisano Concilio spopondit Alexander quintus, fuit & hic articulus: [Dominus noster, Sacro approbante Concilio, disponit non facere translationes de inuitis, nisi parte vocata, & audita, & de consensu maioris partis Cardinalium. Nisi ex causis iustis, & rationabilibus.] Excedere rursùm cępit Ioannes vigesimus tertius, in quem Ioannes de Scribanis Constantiensis Synodi Promotor produxit hunc decimum octauum articulum: [Ioannes Papa plerosque inuitos de suis ecclesijs transtulit, vt viduatas cariùs vendere posset.] Et hinc laudata Synodus edidit insignem Canonem, cui hæc Epigraphe: [Ne Prælati transferantur inuiti.] Et hoc decretum laudauit in Mantuana Synodo Pius secundus Pontifex, Regis Christianissimi Legatis respondens: [Commendastis nobis nobilem populum Ianuæ, qui commendatissimus nobis erit, & suis meritis, & Regia commendatione. Petiuistis Archiprælulem eius vrbis, Lib 1. c.14. Anno 1398. Sess.39.

tam-

tamquam læsæ Maiestatis reum, ad aliam ecclesiam transferri. Obstant desiderio vestro decreta Summorum Pontificum, quæ Prælatos inuitos non cognita causa transferri prohibent: Quòd etiam in Constantiensi Concilio exstitit repetitum. Placeat tamen vobis requirentibus causam aduersùs eum committere, & iuxta Canonicas Sanctiones procedere. Exstant hæc apud Lucam Dacherium. (Tom.8. fol. 296.) Quod sanctissimum Decretum confirmauit Synodus Basileensis. Et certè inuiti episcopi translatio rigidissimè damnata est per Fęlicis tertij Romanam Synodum. (Sess.23.) Translationes omnes aboleri, aut certè intra necessariam causam iuxta præsentem dictatum circumscribi vrserunt apud Tridentinam Synodum per literas etiam sanctus Thomas de Villanoua, Valentinus apud Hispanos Archiepiscopus, & viua voce Hieronymus Seripandus, Archiepiscopus Salernitanus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & dictę Synodo Præsidens Legatus. Verùm illius disciplinæ tempus necdum aduenerat.

Quàm Græci etiam schismatici Episcoporum translationes fuerint auersati, lucet ex Constantino Harmenopulo, qui ipsas vetantem Antiochenum Canonem inseruit suo Codici, & addidit hoc Scholion: (Tit. 4.) [Synodica Michaelis Patriarchæ sententia permittit translationes Episcoporum fieri ex iudicio illius, qui Primas inter eos est, vsu sic poscente ad maiorem fructum. Requirit duas conditiones: Maiorem Ecclesiæ fructum, & adsensum Primatis, seu Patriarchæ. Et supponit vsque ad istum, vtique Cerularium Michaelem, nec ex istis causis licuisse. Et Constantinus Cabasilus Dyrrachiensium in vetere Epiro Metropolitanus in iure Græco-Romano proposuit hanc quęstionem: (L.5. p.317.) [An oportet eum, qui electus est, & suscepit dignitatem, amplexusque est, transferri? Consecratum transferri non posse habet pro certo, ambigitque de solo Electo, qui electionem admiserit. Qui enim ipsam non admisit, non est Electus. Et Demetrius Chomatenus Bulgarorũ Archiepiscopus respondit: Hoc Canonicum quidem non est, neque scriptæ, aut non scriptæ Ecclesiasticæ traditionis. Fit autem sæpè iubente Principe, per aliquam dispensationem publicè conducentem. Et factum est tempore inclyti Imperatoris Domini Manuelis Comneni Porphyrogeniti. Cùm enim sapientissimus ille Eustatius, magnæ Ecclesiæ Diaconus, & Rhetorum Magister, in Ecclesiam Lyciorum Myrorum electus esset, & electionem admisisset, amplexatusque fuisset, iamque ad ordinationem paratus iussio beati Principis illius ad Synodum prodijt qua præcipiebatur, Eustatius ad inclytam Thessalonicensium Metropolim, quam suscipere recusabat, accederet, vtpote tunc vacantem. Sola igitur Imperatoria iussio mutandi hæc, innouandiq; potestatem habet. Imperator enim, vt communis Ecclesiarum Epistemonarches existens & nominatus, Synodalibus præest sententijs, & robur tribuit. Sacra, & profana omnia ponit in Laici Principis arbitrio: Hisce enim schismaticis Augustus Princeps est plus quàm Papa. Hinc etiam Electi translationem adfirmat non posse fieri, nisi ex dispensatorio illius consensu, & non nisi ob publicam vtilitatem. Et sic ab Imperatore Andronico secundo Paleologo, qui Ioannis Cantacuzeni domesticum Presbyterum primò fecit dolosè eligi in Thessalonicensem Episcopum, Electumque statim transtulit in Patriarchalem Sedem, fuisse actum perperam, episcopi non sine fundamento sunt conquesti. Ita habes apud dictum Cantacuzenum. & de Imperatore Isaacio Angelo, Dositheum Hierosolymæ Patriarcham conante transferre Constantinopolim, scribit Nicetas Choniates: (L.2. c.21.) [Quod cùm Canones non permittere sciret Isaacius, Theodorum Balsamonem, magnæ Antiochiæ Episcopum, virum ea ætate Iuris consultissimum astu circumuenit. (L.3. c.4.)] Regiæ ciuitatis Patriarchatum promisit Theodoro, atque ita in suam cupiditatem circumscripsit. [At primarij Sacerdotes, cæterique facundia insignes, qui se Canonibus temerè violatis deceptos videbant, obstupefacti] mouerunt populum, Dositheum eiecerunt, atque ita promotus fuit Georgius Xiphilinus. Et de Patriarcha Germano tertio, ac per eius Antecessorem Arsenium excommunicato Imperatore Michaele Paleologo habet Georgius Pachymeres: (L.4. c.17.) [Cogitationum Imperatoris summa in id conferebatur, vt curandum existimaret solui sese ab anathematis vinculo per Patriarcham, & per Synodum. De Patriarcha verebatur, ne parùm eo exorando proficeret: Ipso quidem libenter adsensuro, sed quoniam exigua eius apud populum, & gratia erat, & auctoritas, timendum videretur, ne auctoris inuidia actum infirmaret, & talem absolutionem pro nulla plerique, irritaque haberent tamquam latam ab homine, cuius auctoritati parum fiderent, & de quo an legitimè promotus esset, propter vetitam de throno in thronum translationem, ambigeretur.] Germanus enim ex Adrionopolitana Metropoli erant translatus in Patriarchatum. Et istam translationem omnis Clerus, & populus adeò detestabatur, vt manifestam & nullo titulo, vel coloratam intrusionem adsereret, ideoque omnia Germani Acta censeret inania Attentata. Translationem istam vnicus ex Episcopis probauit Iacobus Chalatza, Sardensium in Lydia Metropolitanus. (C.20.) Verùm ex proprij commodi libidine. Etenim ipse per Nicephorum, ex Ephesina Cathedra translatum Patriarcham, consecratus fuerat, ideoque ab Arsenio Patriarcha damnatus. Et hinc infamiter degradari, & durè puniri metuens Germanus, propria sponte Patriarchatum deposuit, successitque Iosephus primus, Galesij Abbas, & Pneumaticus Imperatoris. Rem hanc aliter narrat Georgius Pranzes: (L.1. c.6.) In Arsenij locum, qui Sedem reliquerat, Germanus Adrianopolis Archiepiscopus est surrogatus. Rursùm Germanus auditione accipiens se maledictis conscindi, vt qui Arsenio etiamnum viuo thronum eius inuolasset, eum volentibus reliquit. Successit Iosephus. Non translationis, sed super ordinationis causa censet Germanum fuisse intrusum. Nempè loquitur iuxta mores sui temporis, quo inualuerat translationis nimia licentia, præsertim in Patriarchis Constantinopolitanis. Etenim adfirmat etiam Iosephum secundum,

dum; qui in Florentina Synodo sanctissimè obijt, fuisse Epheso translatum. Addit eius in locum fuisse electum Cardinalem Bessarionem, Archiepiscopum Nicænum in Bithynia, ac illo Romam, & Latinos nolente deserere, suffectum fuisse Metrophanem, Cyzici Episcopum, Metropolitam Hellesponti. Quod ipsum in eiusdem Synodi historia scribit Syluester Sguropolus. Proindè qui Iosepho secundo proximè successisse putant eius Proto-Syncellum Gregorium Melissenum, lucidè falluntur. Et post Turcicam captiuitatem omnes ferè Patriarchæ fuerunt translati.

L. 1. c. 9.

CANON XIV.

Quòd Papa de omni Ecclesia, quacumque voluerit, Clericum valeat ordinare.

SCHOLION.

HVgo Lugdunensis Ecclesiæ Canonicus, & Camerarius, quod à grassantibus tunc in Gallia Simoniacis Episcopis nollet ordinari, dudum permansit primæ tonsuræ Clericus, ideoque, & in Diensem Episcopum electus Romam accessit, estque illic omnibus Ecclesiasticis ordinibus per nostrum Gregorium initiatus. Et in Virdunensi Chronico scribit Hugo Abbas Flauiniacensis. [Hoc aliqui calumniabantur Romanorum, & promebant morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, neminem licèt electum Antistitem à Papa ordinandum, nisi in eadem deseruiret Ecclesia. Quod tamen in ipso Domnus Papa authentica sua potestate fecit: Complacuerat enim sibi in illo anima eius.] Papalis manus impositionem valebant esse singulare priuilegium, ideoque nulli extraneo impendendum. Item aduersus nostrum Gregorium, ac eius successorem Vrbanum secundum scribit in libro de ecclesiæ vnitate Venericus Vercellensis Episcopus: [Furatus est Ecclesiarum priuilegia, ordinationes faciens in alienis Parochijs, contra sanctorum Canonum Decreta.] Est ex Glabro Rudolpho mutuata ab Henricianis calumnia, quam præsenti Dictatu Gregorius meritò damnat, & proscribit.

A. 1074.

Etenim de Vigilio Pontifice, proficiscente Constantinopolim, scribit liber Pontificalis: [Ingressus Siciliam, in ciuitatem Catanensem, permissus est facere ordinationes per mensem Decembrem, Presbyteros, & Diaconos. Non ex gratia, sed ex suo iure fuit permissus. Hinc Ruffinum Monachum, quem ad regendam S. Laurentij, in suo Sanitatis Diœcesis fundo exstructam, Parochialem Ecclesiam elegerat, non à Bono Episcopo, sed à Pelagio II. Pontifice consecrari postulauit nobilis vir Theodorus: Et ipsum à dicto Episcopo consecrari Diaconum iussit laudatus Pontifex, spondens tunc in Presbyterum promouere. Exstat epistola apud Gratianum. Et antiquus ille antiquarum Decretalium epistolarum confictor Iulij primi Pontificis ad Orientales Antistites literis inseruit hunc Canonem: [Nullus Episcopus

16. Qu. 1. c. 31.

alterius Parochianum præsumat ordinare absque Episcopi voluntate, salua tamen in omnibus Apostolica auctoritate.] Et Epiphanium, Isauriæ in Antiocheno Patriarchatu Monachum, ad Eliæ Abbatis preces in Diaconum consecrauit Magnus Gregorius. Sancti Martini primi tempore omnis fermè Antiochenus, ac Hierosolymitanus Patriarchatus gemebat sub Saracenorum Tyrannide, miseraque laborabat Episcoporum, & Clericorum inopia: Hinc Ioanni Philadelphiæ apud Arabes episcopo suas istic vices delegauit laudatus Pontifex, fecitque plenam potestatem non solùm Clericos, sed & episcopos vbique ordinandi. Istam sibi auctoritatem ex Apostolico sancti Petri priuilegio competere, multis aduersùm quosdam aduersantes ostendit. Et de Constantino Pontifice Constantinopolim profecto, scribit item liber Pontificalis; [Hic fecit ordinationes episcoporum in eundo, & redeundo: per diuersa loca episcopos duodecim.] Eodem iure potuit, & Clericos ordinare. Et Decreto suo sanctus Iuo Carnutensis episcopus inseruit Epistolam, qua Vvalberto Patriarchæ Aquileiensi, vt Cumanæ Ecclesiæ Episcopum ordinet, mandat Stephanus quartus, & adiungit: [Nolumus alicuius Ecclesiæ priuilegium infringere, licèt Apostolica Prærogatiua possimus de qualibet Ecclesia Clericum ordinare. Et trigesimus octauus Arabum Canon habet: [Nullus episcoporum in Paræcia alterius ordinationis Presbyterorum, vel Diaconorum faciat, exceptis Patriarcha, & Archiepiscopo in locis, quæ sub potestate, eorum sunt. Vbi per Archiepiscopum non quiuis Metropolita intelligitur, sed solus Autocephalus Primas; Ea enim est antiqua istius vocis significatio. Quinimò in tertia Carthaginensi Synodo ad Aurelium, licèt nequaquam Autocephalum, suum Primatem dixit Numidicus episcopus; [Fuit semper hæc licentia Sedi Cartaginensi, vnde vellet, & de cuius nomine fuisset conuentus, pro desiderio cuiuscumque ecclesiæ ordinare episcopum.] Hoc est, non dumtaxat Clericos, sed etiam episcopos. Ita lucet ex totius istius collationis contextu. Et infrà: [Non tibi potestatem damus, sed tuum assignamus.] Ex quo aliqui volunt amplam istam ordinandorum vbique Clericorum facultatem esse communem omni Patriarchæ, omnique Autocephalo Primati. Ita ad sextum decimum, & trigesimum primum Apostolicum Canonem docere videtur Theodorus Balsamon. Verùm ad decimum octauum Trullanum, & ad octogesimum tertium Africanum affirmat id licere soli Constantinopolitano. Antiocheno, ac Hierosolymitano disertè negat hanc potestatem. Longa est hæc quæstio; Romano Pontifici potestatem istam esse per omnem ecclesiam, non est dubitandum.

L. 4. Epist. 30.

Ep. 5. 9. 11.

Part. 5. c. 13.

C. 45.

CA-

CANON XV.

Quòd à Papa ordinatus alij Ecclesiæ præesse potest, sed non militare: Et quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

SCHOLION.

Dictatum hunc Gregorius noster desumpsit ex Magni Gregorij literis ad Eliā in Isauria Presbyterum, & Abbatem: [Filium nostrum Epiphanium mandastis, vt ad sacrum Ordinem prouehere deberemus, vobisque retransmittere. Sed in vno vos audiuimus, in alio autem audire minimè potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac ecclesia ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex ea vlteriùs licentiam non habet.] Et infrà: [Dilectissimum filium meum Epiphanium Diaconum, quia huic Ecclesiæ Diaconatu interueniente ligauimus, Sanctitatem tuam non debet contristare. Notanda sunt repetita verba, Sacrum ordinem.] Etenim ad Petrum Corsicæ Episcopum scribit idem Gregorius: [Latorem præsentium per intercessionem sanctitatis vestræ Acolythum fecimus. quem ac obsequia vestra transmisimus, vt si in lucrandis animabus amplius seruierit, proficere ampliùs possit.] Hinc aliqui volunt præsentem Dictatus Regulam de solis sacris Ordinibus sancire. Firmior ratio est antiqua, ac per Chalcedonensem Synodum innouata lex, mandans nullum absolutè, sed ad certum cuiuspiam ecclesiæ, vel monasterij titulum ordinari, atque ita de aliarum ecclesiarum titulis disponere nolens Pontifex, nonnisi ad Romanæ Ecclesiæ matriculam passim ordinabat. Hinc ex illis, quos Catanæ ordinauerat, Presbyteris, ac Diaconibus etiam Vigilius Pontifex ampliatum Presbyterum retransmisit Romam, reliquos ad suum Ministerium videtur secum duxisse Constantinopolim: Quia nempè omnes ordinauerat ad tabulam Romanæ Ecclesiæ. Hinc item ex eiusmodi ordinatis nullus poterat ab alio Episcopo promoueri ad altiorem gradum: Quia nempè alieni cardinis Clerico nemo potest manum imponere.

L.4. Epist. 30.

L.7. Epist. 2.

Quod adeò verùm est, vt eiusmodi Romanos ordinatos nullus Metropolita, licèt Canonicè electos, possit in cuiusuis Ecclesiæ Episcopos consecrare. Quin, & eligi non possunt, sed dumtaxat postulari quomodo illustrem adolescentem Guidonem, à Rauennate Ecclesia electum Episcopum, etiam Frederici primi Augusti precibus denegauerit Adrianus quartus, videre possis apud Radeuicum Frisingensem. Romanorum Clericorū ad aliarum Ecclesiarum Præfecturas electionem esse omni modo cōmendandam rectè ex præsenti Dictatu asseuerabat Princeps, perstitit tamen Pontifex, atque ita nouis, & longis inter Sacerdotium, ac Imperium contentionibus ianuam patefecit. Eius fundamentum exponit in literis ad Cyprianum Diaconum, Apostolici in Sicilia Patrimonij Rectorem, de Ioanne Cathanensis Ecclesiæ Archidiacono in Syracusanum Episcopum eligendo agens, sanctus Gregorius: [Quod si factum fuerit, etiam Frater, & Coepiscopus noster Leo ei cessionem præstare debebit, vt liber ad ordinandum possit inueniri. Et in literis ad Ioannem nescio cuius ciuitatis Episcopum: Florentio Diacono Rauennati, & Anconitanæ Ecclesiæ Electo, si nullum crimen est, quod obsistat, apud Episcopum eius agi necesse est, vt ei debeat cessionem concedere, non tamen ex nostro mandato vel edicto, ne contra suam voluntatem eum cedere videatur.] Quicumque Clericus in alienæ Ecclesiæ Episcopum electus postulari debebat à suo Episcopo, & sine eius consensu, atque donatione consentire nequibat in electionem, longè minùs consecrari. Donatio, seu cessio debebat esse plenè libera: Hinc ipsam ex suo nomine postulari nolebat Gregorius. Isto semper iure Romana Ecclesia est singulariter gauisa.

Lib. 2. c. 15. 16. 17.

Li. 4 ep. 10. Lib. 12. c. 6.

Aliam antiquæ disciplinæ regulam habes in eiusdem Gregorij literis ad Ioannem Episcopum Syracusanum. Cosmam Monachum à sancto Maximiano Syracusæ Episcopo extractum è Monasterio, factumque Cathedralis Ecclesiæ Subdiaconum, successor Ioannes ordinauerat Presbyterum Ecclesiæ in possessione Iuliana. Hoc est, ex Cathedralis Ecclesię Canonico fecerat rusticanum Parochū, atque ita virum adeò afflixerat, vt vitam sibi existimaret pœnam. Hinc ille Gregorio questus est, meruitque has ad suum Episcopum literas: [Quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nobis, si subiecti fuissemus nostros volueramus esse Præpositos, magnæ benignitatis est, si eum in Ecclesiam, vbi Subdiaconi est functus officio Sanctitas vestra reducere, atque illic Presbyterum voluerit constituere Cardinalem. Quod & facere, quantùm arbitramur, debetis, si tamen nihil est, quod iustè contra ipsum animos vestros exasperet. Exponit in laudati Pontificis vita Ioannes Diaconus: Cardinales, seu Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, violenter in Parochijs ordinatos Forensibus, in pristinum gradum Gregorius reuocabat.] Neminem sub honoris fuco permittebat inuitum quasi degradari. Hinc sanctum Leonem imitatus, etiam nullum Archidiaconum permittebat inuitum promoueri in Presbyterum: Archidiaconatus enim, licèt gradu, & consecratione esset inferior, honore tamen, administratione superabat Presbyteratum. Porrò Romana Ecclesia est omnium Ecclesiarum Mater, & caput, & ad eius splendorem nulla etiam Patriarchalis Ecclesia possit vel adspicere: Hinc ex eius matricula nemo possit ad aliam transferri, nisi degradatus. Quinimmò de Gregorio pergit Ioannes Diaconus: Cum Gregorius, percepta occasione, Ecclesiæ suæ Cardinales, seu Romano Cardini inscriptos Clericos, [Si tamen consentirent, satis voluntariè prouheret, neminem prorsùs, quantacumque necessitate coactus, violenter promouere certabat, ne sub eiusmodi occasione quemquam eliminan-

L. 12. ep. 36.

Lib. 3. c. 8.

nando deponere videretur.] Plures enim malebant Romæ esse Clerici, quàm in alia Ciuitate Episcopi, & per talem etiam promotionem existimabant se mitti in exilium, ac degradari. Quem sensum esse antiquissimum lucet ex prima synodo Arelatensi, Hilaro Diacono in quæstionibus noui Testamenti, sancti Hieronymi ad Euagrium literis, arguentibus Romani Cleri fastum ob Ecclesiæ splendorem. Ab illo etiam Tertullianus nescio quam passus iniuriam, præ impatientia defecit ad Montanum. Hinc igitur Romanæ Ecclesiæ numquam militare potuit, aut voluit, sed dumtaxat præesse. Et hinc dum per Donatistas deuastaræ, ac ad miserandam Cleri inopiam redactæ Africanæ Ecclesiæ subsidia transmisit rogata Italia, nullus fuisse transmissus legitur Clericus Romanus.

Quæst.101.

Quæ omnia locum non habent in illis, quos non ad suæ Ecclesiæ Cardinem, sed solius honoris causa Romanus Pontifex proprijs manibus ordinarit. Attamen & hi habent suas prærogatiuas. Etenim ad Mutinensem Episcopum scribit apud Gregorium nonum Innocentius tertius: [Meminimus à nobis fuisse suppliciter postulatũ, vt quia Clericus ille erat Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus mandaremus ipsum per Bononiensem Episcopum promoueri. Voces, erat Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, euincunt illum fuisse Romano Cardini inscriptum, verùm Capituli Epigraphe facit sensum ampliorem: Ordinatus à Papa sine licentia Papæ ad superiores ordines non promouetur. Glossa dat rationẽ. Hoc speciale est propter excellentiã Superioris, qui manum imposuit. Et confirmat auctoritate, & exemplo huius Canonis Antisiodorensis: In Altari in quo Episcopus Missam cantauit, presbyter eadem die aliam celebrare non præsumat. Et ex hac regula Ruffinum Monachum, quem presbyterum consecrare promittebat, in Diaconum, ac alios inferiores gradus consecrari iussit à Bono eius Episcopo Pelagius secundus: Quod nempè à Papa initiatus ab alio posteà Episcopo non potuisset perfici, atque ita vacans Ecclesia non accipiendi presbyteri periculum subijsset.

Lib.1.tit.11. c.12.

De istiusmodi à Papa ordinatorum alia prærogatiua scribit laudatus Innocentius ad Florentinum Episcopum: Postulasti per Sedis Apostolicæ oraculum edoceri, vtrùm quis per ordinem Subdiaconatus à Romano Pontifice susceptum à debita tibi reuerentia subtrahatur. Ad quod breuiter respondemus, quod etsi decens sit, vt illis quantum conuenit, à te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas Apostolica collatione ipsius ordinis honorauit, per eam tamen ab obedientia, quàm aliàs tibi debent, minimè absoluuntur.] Glossa de Subdiaconis ad Romanam Ecclesiam ordinatis, ac à Florentino Episcopo beneficium habentibus intelligit: Verùm Papa palàm loquitur de ordinatis ad Ecclesiam Florentinam. Exempti volebant hi esse à potestate sui Episcopi, Papa autem respondet esse dumtaxat competenter honorandos. Glossa adfirmat primum illis inter eiusdem ordinis collegas locum attribuendum.

Lib.1.tit.33. c.7.

CANON XVI.

Quod nulla synodus absque Papæ præcepto debet generalis vocari.

SCHOLION.

Rhemensium Metropolita Hincmarus distinguit duplex generale Concilium: Aliud Conuentu, aliud obiecto. Omne istud, quod vniuersalem Ecclesiæ fidem tractat, & firmat, licèt paucis duarum dumtaxat, aut trium Prouinciarum Episcopis constet, vult posteriori, ac vero modo esse generale. Quam doctrinam in libris de Concordantia Catholica probat etiam Nicolaus Cardinalis Cusanus. Verùm & antiquis, & modernis hæreticis, Ecclesiam non à plena per omnem mundum diffusione, sed à solo verò dogmate vniuersalem dici volentibus, nimiùm fauet iste loquendi modus. Nec vllus Ecclesiæ Pater ipso vmquam est vsus. Quocirca vera, quam totius Christianitatis repræsentationem rectè vocat in libro de ieiunijs Tertullianus, generalis synodus requirit duas conditiones, quas in octauæ synodi ad Adrianum secundum Pontificem præfatione laudat Anastasius Cardinalis Bibliothecarius: [Vniuersalis est octaua synodus, primò quia Catholica fides in ea, & sanctæ leges, quæ non solùm à Sacerdotibus, sed & ab vniuersis Christianis coli debent, & venerari, contra hostes eorum consona voce defenduntur. Deindè quia cùm Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cuiusque mortalis corpore sensu locauerit, profectò nihil generalitatis deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes vnius fuerint voluntatis: Sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ, communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet Sedes quia Romana præcellit, non immeritò visui cõparatur, qui profectò cũctis sẽsibus præeminet, acutior illis existens, & communionem sicut nullus eorum, cum omnibus habens. Quod ipsum ad Photianos Episcopos in laudata octaua synodo dixit Imperator Basilius: Nostis quia quinque Patriarchę orbis terrarum recta sentiunt, & non est læsio fidei, & ideò quidquid iudicant, necessariò debetis recipere.] Octauam synodum affirmant ob duas causas esse generalem: Primò, quòd fidem, ac alias vniuersales Ecclesiæ causas tractauerit, ac firmauerit; deinde quod quinque Patriarchæ cum subiectis sibi Episcopis adessent, præsertim Romanus. Omnem enim sub cælo Ecclesiam Apostoli in tres, posteriores Patres diuiserunt in quinque Patriarchas, ac Patriarchales Diœceses: Horum omnium ad vniuersalem Ecclesiæ causam legitima congregatio est synodus generalis. Hinc ad Photianos Episcopos dixit etiam Magnificentissimus Patritius Bahanes. [Hodie quatuor Patriarchę, immò quinque condemnatione condemnant vos, quid vobis videtur ad hæc? Est qui adiuuet vos, dicite. Hoc est præsens synodus est plenè generalis ideòque vobis nullus superest appellandi locus. Et rursùm Imperator Basilius: Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchijs, & defini-

Epist. 33. c.20.
Lib.2.c.1.
C. 11.
Act. 6.
Act. 7.

finiuit in Euangelijs suis, vt numquam aliquando penitus decidant, eo quod sunt capita Ecclesiæ. Etenim illud, quod dicitur, Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, hoc denunciant. Quando duo ceciderint, currunt ad tria, cum tria ceciderint, currunt ad duo, cùm verò quatuor fortè ceciderint, vnum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, reuocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ. Alexandrinus, Antiochenus, ac Hierosolymitanus Patriarchatus gemebant tunc sub Saracenis, plurimæque ipsorum Cathedræ carebant Episcopis. Hinc ait Basilius omnia, & tota quinque Patriarchia non posse perire, & Ecclesiam saluari posse non solùm in tribus, aut duobus, sed etiam in vnico, vtique principali Romano. Et quia generalis synodus est Christianæ Ecclesiæ supremum, ac necessarium Tribunal, ideò & ipsa in vnico Romano Patriarchatu potest seruari. Etenim aduersùs Constantinopolitanum, quod se septimam generalem synodum titulabat, Iconoclastarum conciliabulum legit in vera septima synodo Ioannes Diaconus: [Quomodo magna & vniuersalis synodus, quam neque receperunt, neque concordauerunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non enim habuit adiutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios eius, neque per Encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum. Sed nec consentientes sibi Orientis Patriarchas, Alexandriæ scilicet, & Antiochiæ, ac sanctæ Ciuitatis, vel Comministros, & Summos Sacerdotes, qui cum ipsis existunt.] Eruditissimæ, ac numquam satis laudandæ refutationis istis auctorem, à multis seriò quæsitum, fuisse Stephanum in sancti Auxentij Monte Monachum, ac Martyrem, insigni encomio prædicatum à sancto Ioanne Damasceno asserere videtur in Florentina synodo Andreas Rhodiorum Latinus Episcopus, dicens ad Græcos: [Doctor vester Stephanus, quem & nouum Martyrem vocatis, Patres Constantinopoli congregatos incusauit, quod à Romano Episcopo non conuocati synodum attentarent. Cumque vellent Hæretici synodum celebrare, prodijt in medium ille dicens, quomodo vos synodum conuocare audetis, & illegitimum vestrum habere conuentum non præsente Romanorum Summo Pontifice, aut alio quopiam illius vicem agente?] Etiam tunc Alexandrina, Antiochena, ac Hierosolymitana Ecclesiæ gemebant sub Saracenis, & ne vel vnum poterant ad Synodum mittere episcopum, legauerunt tamen Ioannem Presbyterum cum hisce literis: [Si volueritis celebrare Synodum, ne molesta vobis appareat trium Apostolicarum Sedium Summorum Patriarcharum, & Sanctissimorum, qui sub ipsis degunt episcoporum absentia, non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex tenentium, seu dominantium illis terribilibus nimis, & mortiferis pœnis.] Eis Synodi accessum Saraceni sub mortis reatu interdixerant. Addunt eamdem ex eadem causa absentiam contigisse sextæ Synodo, & concludunt: [Nullum ex hoc sanctæ Synodo adhæsit præiudicium, neque vires habuit prohibitio statuendi aliqua, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipuè cùm sanctissimus, & Apostolicus Papa Romanus concordauerit, & in ea inuentus fuerit per Apocrisarios suos. Omnium quinque Patriarcharum præsentiam affirmant Synodo necessariam, ipsorum tamen ex causa absentiam non officere, dummodo adsit Romanus: Et huiusmodi Synodo esse plenam quælibet definiendi potestatem.

Act. 6.

Sess. 9.

Act. 3.

Verùm sextæ, septimæ, atque octauæ Synodis, licèt quorumdam Patriarcharum personæ defuerint, adfuerunt tamen Legati, atque dogmaticæ epistolæ, quibus se & suas Patriarchales Synodos omnibus actis, & agendis communicare, & consentire profitebantur. Et quidem sextæ Synodo adfuit etiam Patriarcha Antiochenus. Et Vigilio Pontifici, quòd latinos suos episcopos secum non haberet in competẽti numero, quintam Synodum accedere recusanti, responderunt Græcorum Patriarchæ: [Nec in sanctis quatuor Synodis multitudo Occidentalium Episcoporum inuenta est numquam, sed duo, vel tres episcopi, & certi clerici.] Vt enim Patriarcha, & omnis eius Diœcesis censeatur adesse Synodo, satis est adesse ipsorum literas, & Legatos. At verò nunc adeò excreuerunt iniquitates nostrę, vt quatuor Patriarchatus, non solùm sub Turcica seruitute, sed etiam sub schismate, & varijs erroribus gemant, adeòque iam sint Ecclesiæ apud ipsos, sicut faui apud vespas. Restat nobis Romanus Patriarchatus, & quidem etiam laceratus in varias hæreses. Sacrosancto Tridentino Concilio nullus adfuit Patriarcha, nullus Græcus Episcopus, nisi pauci ex Illyriciana Diœcesi, spectante ad Romanum Patriarchatum. Proindè ipsum videtur non generale fuisse, aut Oecumenicum, sed dumtaxat Patriarchale.

Eamdem quęstionem mouet in libris de Concordantia catholica Nicolaus Cardinalis Cusanus: [Hodiè quia vniuersalis Ecclesia, heu, ad solum Patriarchatum Romanum redacta est, & quod quondam patriarchale generale tantùm, & subiectum Romano Pontifici fuit, hodiè est Concilium vniuersale, vniuersalem Ecclesiam repræsentans. Hinc cùm hoc nouum sit, dubitatio exorta est. Quare hoc Sacrum Basileense Concilium, Lib. 2. c. 20. absque passione cum summa mansuetudine se habere debet in ordine ad Romanum Pontificem. Non se ex priuilegio vniuersalis Concilij in tantum erigat, de quo potiùs dolendum esset, quod obliuiscatur subiectionis Patriarchalis, in qua semper fuit, secundùm quam in Papam fidelem nihil possit.] Totius Ecclesiæ vniuersale, ac Patriarchale Concilium distinguit. Et hoc dicit quandoque esse, quandoue non esse generale. Romanus enim Patriarchatus plures non dumtaxat prouincias, sed etiam vastissimas Diœceses habet, quarum quandoque omnium, quandoque dumtaxat vnius, aut aliquarum episcopos Papa euocat ad suam Synodum: Et hæc est patriarchalis non generalis. Totiùs ecclesiæ vniuersale, seu ex quinque Patriarchatibus adunatum, Concilium, docet esse supra Papam, & hunc ab illo iudicari posse,

ac etiam deponi; Patriarchale autem, etiam generale, fatetur Pontifici subesse. Et de hac posteriori veritate, nemo vmquam dubitauit. Et quia vniuersalis Ecclesia ad vnicum Patriarchatum, ac Oecumenica illius Synodus ad vnicum Patriarchale Concilium iam contracta sunt, famosam de vniuersalis Concilij supra Papam superioritate quæstionem laudatus Cardinalis rectè adfirmat iam cessare. Vniuersale quippè Concilium, iam aliud non est quàm generale patriarchale, supra quod auita sua potestate Pontifex propter reliquorum Patriarcharum hæreticam, aut schismaticam Apostasiam non potest esse exutus, nec à quopiam spoliari. Hinc Basileensem Synodum adfirmat palàm subesse Pontifici, eiusque in Eugenium Quartum, ac Apostolicam Sedem varia definitionum, ac iudiciorum Attentata improbat optimo iure, atque damnat.

Eadem lamentanda Ecclesię contractio firmat præsentem nostri Gregorij Dictatum. Etenim Patriarchalem, generalem præsertim, Synodum sine Patriarchæ Præcepto fieri non posse, nemo vnquam vocauit in dubium. Quare nec de hodierna nostra vniuersali possit dubitari. Verùm non de hac sola, sed etiam de plenè ex quinque Patriarchatibus vniuersali Synodo Gregorius dictauit. Dictauit ex Lucentio Esculano Episcopo, sancti Leonis Papæ ad Chalcedonensem Synodum Legato, aduersùs Dioscorum Patriarcham Alexandrinum pronunciante: [Iudicij sui necesse est Dioscorum dare rationem. Quia cùm iudicandi personam non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est.] Secundam Ephesinam Synodum ad sacras Theodosij Augusti iussiones fieri quidem consenserat, atque indixerat sanctus Leo, verùm eius exordijs contradixerant, ac Papalem consensum subtraxerant eius Legati: Perrexit autem cum Domno Antiocheno, & Iuuenali Patriarcha Hierosolymitano Dioscorus, atque hoc est ipsius attentatum facinus, quo legitima Synodi primordia transformauit in acephalum latrocinium. Etiam prima Constantinopolitana Synodus, quod nec Apostolicæ Sedis præcepto coijsset, nec eius legationem habuisset præsidentem, Oecumenica non fuit, aut authentica, nisi postquam eius Symbolum, ac in ipso facta aduersùs Macedonium, atque Apollinarium additamenta probauit Romana Ecclesia, atque ita ipsam ex causis dispensatoriè legitimauit, ac fecit vniuersalem, Et ad quintam Synodum se inuitantibus Græcorum Patriarchis, atque Episcopis omnem Synodalem progressum rigidissimè interdixit Vigilius Pontifex: [Nostrum debent definitum de tribus capitulis sustinere responsum, antiquum, & Regularem custodientes ordinem, ne ante nostræ, hoc est, Sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent, vndè scandali posset oriri occasio.] Asserit Romano Pontifici in vniuersali Synodo competere relationem, seu propositionem omnium tractandorum, necnon primum cum prærogatiua suffragium, ideòque sine eius

Act. 1.

assensu nullam posse fieri istiusmodi Synodum, imò nec inchoari. Hunc esse ordinem antiquum, & regularem. Ipsum enim in Chalcedonensi Synodo laudauit, etiam sanctus Paschasinus, sancti Leonis Pontificis Legatus. Et dicta quinta Synodus, quousque suppletis, & dispensatis eius omnibus, quorum vnum erat Papalis absentia, & contradictio, vitijs confirmaretur à Vigilio Pontifice, nullius ponderis æstimata fuit ab ipsis etiam Græcis: Hinc ipsum ad istam suppletionem per multorum annorum exilium, & multas in illo calamitates compulit Imperator Iustinianus. Et aduersùs Ioannem IV. Constantinopolitanum Patriarcham, qui assumpto vniuersalis episcopi nomine, etiam totius Orientis generalem Synodum conuocare præsumpserat, scripsit ad conuocatos episcopos Pelagius Secundus: [Relatum est ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum episcopum, vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm generalium Synodorum conuocandi auctoritas sit Apostolicæ Sedi Beati Petri tradita.] Nequaquam totius sub cęlo Ecclesiæ, sed Orientalium dumtaxat Patriarchatuum, ac Illyricianæ Diœcesis episcopos ad Gregorij Patriarchæ Antiocheni criminalem causam iudicandam conuocauerat, atque etiam tale Concilium Pelagius dixit sine Apostolicæ Sedis assensu non licere. Et adiunxit: [Multis Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur Regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.] Epist. 8.

Et istarum Regularum authentica nobis non desunt testimonia. Etenim post Antiochenam Encæniorum Synodum non solùm sanctus Athanasius istic damnatus, sed & ipsa damnatrix Eusebiana factio suos ad Iulium Pontificē destinauere Legatos cū mandatis, vt si causam suam coram ipso, ac eius Synodo non possent euincere, postularent Synodum generalē "Martyrius" factionis Legatus, inquit in suis ad ipsam literis laudatus Iulius cum Collegis suis vbique, ab Athanasij Legatis [profligabatur, ac proindè Concilium generale postulauit.] Postulationis causam edicit Socrates: [Iulius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quemquam, qui eius locum suppleret, eò misit. Idque cum Canon ecclesiasticus iubeat non oportere absque sententia Romani Episcopi decreta Ecclesiæ sācire.] Agit de dicta Antiochena Synodo, ac de Iulij ad eius relationem & literas Responso pergit: [Iulius docuit eos contra Ecclesiæ Canones egisse, quòd ipsum ad Concilium non vocassent. Quippè cùm canon ecclesiasticus vetet, ne Decreta absque sententia Romani Episcopi Ecclesijs sanciantur.] Et Hermias Zozomenus: [Ad illos, qui Antiochiæ conuenerant, scripsit Iulius, quod contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocassent. Nam legem esse spectantem ad Sacerdotij dignitatem, quæ pronunciat acta illa esse irrita, quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur.] Omnem Orientalem Ecclesiam traxerat Antiochiam, res ad vniuersalem Ecclesiam spectantes attentarat, atque ita Iulium Ponti- Lib. 1. c. 5. C. 13.

ficem meritò offensum iri praeuiderat memorata factio: Hinc suis iniunxit Legatis, vt si illum ad actorum suorum confirmationem non possent inducere, nouam illa retractaturam Synodum ab eius gratia secundùm Canones postularent. Nisi manifestus, & Apostolicus fuisset istiusmodi Canon, Eusebiana superbia numquam ita, licèt solo verbo tenus, sese humiliasset. Et hinc in laudatis indictae à se istius Synodi Apologetici literis Iulius assiduè protestatur se in omnibus secundùm Apostolicos Canones egisse. Ita egisse affirmat etiam in ecclesiastica historia Theodoretus.

Lib. 2. c 4.

Etiam aduersùs Ariminense Concilium scripit ad Illyricianae Dioecesis Episcopos Romana S. Damasi Pontificis Synodus: [Neque praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum conuenerunt, cum constet Romanum Episcopum, cuius ante omnes fuit expetenda sententia, huiusmodi Statutis consensum aliquem non accomodasse. Exstat epistola apud Theodoretum, & Hermiam Zozomenum, ipsamque originalem, & correctam nuper ex Romanis Archiuis publicauit Illustrissimus Lucas Holstenius. Affirmat epistola in cunctis istius synodi statutis fuisse ante omnia expetendam Romani Episcopi sententiam. Quod Romanus Episcopus in generali Synodo habeat ius relationis, ac suffragij praerogatiuam, Theodoretus, Socrates, ac Zozomenus sententiam istam vocant, *gnomin*, id est, sententiam auctoritatiuam, cui nullus sine grauissimis fundamentis possit refragari. Sine ipsa affirmant non posse condi vniuersales Ecclesiae Canones, & irrita esse quaeuis generalium synodorum acta. Hinc enim vigesimum octauum Chalcedonensem Canonem sanctus Leo Pontifex nec audire voluit: Quòd nempè Legatis eius absentibus, & posteà reclamantibus fuisset formatus, adeòque non solùm Alexandrinae, ac Antiochenae, sed etiam Romanae Ecclesiae insignem iniuriam intulisset. Quod insigniter professus fuit Macedonius Secundus Episcopus Constantinopolitanus. Etenim Imperatori Anastasio, Chalcedonensem Synodum retractari, & damnari iubenti, respondit [absque vniuersali Synodo, quae Praesulem haberet Romanum Episcopum, impossibile fore hoc se facere.] Ita testatur in ecclesiastica historia Anastasius Romanae Ecclesiae Bibliothecarius. Consonat sanctus Martyr Theophanes: [Imperator Macedonium Constantinopolitanum Episcopum, habitam olim Chalcedone Synodum reprobare cogebat. Ad haec Macedonius: Citra vniuersalem Synodum, cui primus adsideret Romanus Episcopus, id se exsequi non posse referebat.] Ambo loquuntur ex Collectaneis Theodoti Lectoris: [Macedonius sine vniuersali Synodo, cui magnae Romae praesideret episcopus, nihil se facturum dixit.] Pergit de eodem Imperatore idem Bibliothecarius: [Vitalianus addidit, vt Macedonius, & Flauianus, qui nequiter pulsi fuerant, suos reciperent thronos. Similiter & reliqui episcopi. Et ita celebraretur Synodus, Romano, & cunctis Episcopis conuenientibus, & communi iudicio probarentur, quae aduersùm Orthodoxos sunt praesumpta.]

Fol. 51.

Fol. 130.

Lib. 2.

Fol. 54.

Quod ipsum eisdem ferè verbis scribunt Martyr Theophanes, ac Georgius Cedrenus. Haereticum Orthodoxorum Episcoporum persecutorem Vitalianus Comes mota rebellione compescuit, compulitque ad postulandam, & concedendam, quae pacaret omnia, generalem Synodum: Et prima huius conditio fuit, vt adesset Episcopus Romanus. Et Hormisda Pontifex consensit in Synodum Heracleensem. At ipsam impediuit, & frustrauit dolosum Principis ingenium. Ex ipsa interim tandem processit quinta Synodus. Et vt huic adesset, ac praeesset Vigilius Pontifex, quantas machinas adhibuit Imperator Iustinianus? Et ad ipsam probandam, & subscriptione firmandam compulit Barbaricis persecutionibus. Nempè norat sine Romano Episcopo Synodum non esse Synodum. Nàm & prima, sine Romani Episcopi Praecepto acta, Constantinopolitana Synodus non nisi per eius ratificationem meruit esse Oecumenica. Et de Constantinopolitana in Hieriae Palatio per Imperatorem Constantinum Caballinum contra sacras imagines celebrata Synodo declamauit in dicta aduersùs eumdem Principem oratione sanctus Ioannes Damascenus: [Planè acephalum est istud Concilium, & Deo odibile. Nàm, quaeso te, quis ei Patriarcharum inuentus est interesse? Romanus ire noluit. Alexandrinus nullo modo sustinuit interesse. Nec planè Antiochenus. Ac nec omninò Hierosolymitanus. Iàm qualis est ista Synodus, nullum habens Patriarcham? Ea Synodus sit, cùm quinque Sedes Patriarchales vnam sanxerint fidem, & confessionem. Sin autem vel vnus Patriarcha defuerit, vel non se submiserit Synodo, huiusmodi nec Synodus fit, sed peruersa congregatio, vanitatisque Concilium, & arrogantia.] Quod ipsum scribunt Anastasius Bibliothecarius, Martyr Theophanes, & Georgius Cedrenus. Volunt cunctos quinque Patriarchas debere inuitari. Etenim & hic locum obtinet famosa Regula: [Plùs obest vnius exclusio, quàm contradictio multorum.] Verùm Romanus Patriarcha praerogatiuam habet, laudatam à sancto Stephano, Martyre, & Monacho Auxentiano: [Citra Romani auctoritatem nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiasticae ad normam redigantur.] Et de nouis aduersùm sacras imagines per Imperatorem Leonem Armenium motis quaestionibus, de eiecto per ipsum sancto Constantinopolitano Patriarcha Nicephoro, & Ecclesijs reddenda pace scripsit ad Leonem Constantinopolitanae Ecclesiae Sacellarium venerandus Studiani Monasterij Abbas Theodorus: [Quod si quis roget, quo pacto Ecclesiarum pax fieri possit? Si excedant, inquam, Ecclesijs Heterodoxi, & propriam Sedem recipiat Nicephorus sacer Patriarcha, qui coacto eorum Conuentu, cum quibus certamen sustinuit, si fieri non possit, vt ab alijs Patriarchis adsint Vicarij. Quod certè fieri potest, si velit Imperator Occidentalem interesse, cui & potestas defertur Oecumenicae Synodi.] Occidentali, seu Romano Patriarchae adfirmat esse tantam Oecumenicae Synodi auctoritatem, vt sine ipso alij Patriarchae nec adesse velint, nec legare Vicarios. Quod nempè nolint

norint se sine ipso non esse Synodum, sed acephalas locustas. Itâ enim de Basileensi Conuenticulo pronunciauit quartus Eugenius. Et in libro de inculpata Christianorum Religione scribit, de secundæ Nicænæ Synodi Actis differens, laudatus Patriarcha Nicephorus: [Decisum est hoc potissimùm iurium, & Canonum Præscripto, quando iuxtà ab antiquitus Diuina decreta, in ea primas obtinebat, & præsidebat, quod ex Occidentalibus locis aduenerat, siue senioris Romæ pars non contemnenda, quorum absque consensu dogma, quod in Ecclesia mouetur, vti legibus, Canonibus, & sacris consuetudinibus præscriptum ab antiquo est, probationem non habebit, vel finem vnquam aliquem sortietur. Illis enim in rebus sacris Principatum obtinere concessum est, & Principum inter Apostolos dignitatem sortiti sunt. Lucidè profitetur Romani Episcopi in generali Synodo Præsidentiam, ac supremam auctoritatem esse de Synodi substantia, & itâ præscribi â legibus, Canonibus, sacris consuetudinibus, & Diuinis Decretis. Loquitur cum Imperatore Valentiniano tertio, scribente ad Theodosium secundum pro magno Papa Leone aduersùs Ephesinum latrocinium: [Debemus cum omni competenti deuotione dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenùs beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes contulit antiquitas, locum habeat, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus in postulata per Flauianum Constantinopolitanũ Episcopum generali Synodo iudicare.] In generali enim Synodo Romanus Episcopus, licèt non potestatem, solus tamen habet auctoritatem de fide, & Sacerdotibus iudicandi. Hinc ad eumdem Pontificem scripsit Imperator Marcianus: [Superest, vt si placuerit tuæ Beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis adfectu dignetur.] Et infrà in eisdem literis: [Omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definiuerit, sua dispositione declarent.] Non solus Pontifex, sed & alij Episcopi Synodum celebrant, ac de fide definiunt: Verùm celebrandi, ac definiendi auctoritas est penès solùm Episcopum Romanorum, Exstant ista in prima parte Synodi Chalcedonensis, Plurima habemus similis irrefragabilia antiquitatis testimonia. Nàm & in vita sancti Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani Nicetas Paphlago aduertit octauam Synodum fuisse in quibusdam vsam nimiùm laxa dispensatione, atque adiungit: [Hæc Patriarchæ Ignatij gloriæ labem nullam adspergunt, quod non esset illi auctoritas agendi, quæ vellet. Romanis enim pro Ecclesiastica traditione iudicandi Potestatem permittebat.] Nicetas scripsit: [*Tis christeos econstian*.] Hoc est, non quamuis, sed auctoritatiuam iudicij potestatem. Et dùm Imperator Manuel Comnenus cum Theodosio Patriarcha, ac eius Constantinopolitana Synodo disceptaret de anathematizando Mahometis Deo, nec sua sensa posset euincere, addebat minas: [Minabatur maioris Concilij celebrationem, & res propositas ipso veteris Romæ Episcopo adhibito dijudicaturum, iure iurando adfirmabat.] Nempè ipsi etiam Schismatici norant Romano Episcopo semper in generali Synodo fuisse supremam iudicij auctoritatem. Auersus â Schismate, ac in vnionem propensus fuit iste Princeps: Hinc istis, quod vanæ non crederentur, minis schismaticos Episcopos ad multa inflexit. Hinc & eidem Schismatici, vt suam erraticam in Palatij Trullo celebratam Synodum suadeant esse Oecumenicam, fingunt, & mentiuntur Romani Episcopi Legationem adfuisse, ac præsedisse. Itâ in libris de Papæ Primatu scribit Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis: [Quod autem etiam Oecumenica fuerit Trullana Synodus, manifestum est ex Historia, cum Basilium habuerit Gortynes, quæ est in Creta, Episcopum, vniuersæ Romanæ Ecclesiæ locum tenentem.] Quod ipsum scribunt Macarius Ancyræ Metropolita, Theodorus Balsamon, & alij Græci. Et ipsa Synodus in summo Episcopalium subscriptionum capite posuit: [Locus sanctissimi Papæ Romani. Sperauit se â Papa probandam, firmandam, subscribendam, atque itâ futuram Oecumenicam: Sciens se sine illo esse acephalum gregem locustarum. Hinc & ipse schismatis Auctor Photius Synodo, in qua suas aduersùs Romanam Ecclesiam iniquitates compleuit, Petrum Presbyterum, & Cardinalem, Eugenium Ostiensem, & Paulum Anconitanum Episcopos, Ioannis octaui Legatos, aut compulit, aut finxit adsidere, ac præsidere. Et hanc Sedis suæ in Synodo prærogatiuam noster Gregorius hic vocat Præceptum. Datis Angilramno Metensi Episcopo capitulis etiam Adrianus primus inseruit hunc articulum: [Sedi Apostolicæ, iussione Domini, & meritis beati Petri Apostoli, singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & sanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum Decretis multipliciter priuata tradita est potestas.] Loquitur ex famosis antiquorum Pontificum apud Isidorum Mercatorem epistolis, istud Romanæ Ecclesiæ priuilegium strenuè inculcantibus. Quam doctrinam, dùm de generalibus Synodis intelligitur, esse veram affirmat, ac demonstrat in epistola aduersùs suum nepotem etiam Hincmarus Metropolita Rhemensis.

Lib. 2. Cap. 8. Ep. 33. c. 20.

Quæstio est, An in voce, Præceptum, non solam Romani Pontificis in Synodo præsentiam, ac præsidentiam, sed etiam eius conuocationem Gregorius septimus intellexerit? Rationem dubitandi adducit Nicolaus Cardinalis Cusanus, asserens Synodi legitimitatem â conuocantis auctoritate non pendere, sed illam, licèt â laico Principe, aut ipsis in vnum conspirantibus totius Ecclesiæ Episcopis, aut alio quouis modo conuocetur, esse canonicam, atque authenticam. [Alioquin, inquit, non fuissent omnia octo vniuersalia Concilia firma, quoniam per Imperatores congregata leguntur, & Romanus Pontifex ad instar aliarum Patriarcharum Diuales Sacras iussiones pro veniendo, aut mittendo ad Concilium recepisse.] Lib. 2. c. 26.

Respi-

Respicit ad Iulium Puteolensem Episcopum, sancti Leonis Pontificis in secundo Ephesino Concilio Legatum, qui illic Præsidentiam inuadenti Dioscoro reposuit: [A pijssimis, & Christianissimis Imperatoribus sanctissimus noster Papa Romanæ Ecclesiæ Præpositus Leo eodem tenore vocatus est.] Non dicit Synodum à Papa conuocatam, aut conuocandam, sed dumtaxàt ipsum non minùs, quàm Dioscorum, & quidem per eiusdem tenoris literas, ad illam à Principe fuisse aduocatum. Eamdem quæstionem in Basileensis Concilij historia mouet Æneas Syluius, multa conglomerat, versat seipsum in omne latus, ac tandem concludit? [In hac re distinguendum putarem, nec absolutè negarem Papæ consensum necessarium, nec absolutè requirerem. Immò numquàm eo volente refutarem. Dicerem tamen, quia ad congreganda Concilia requirendus sit Papæ consensus, ne summa illius Sedis auctoritas, & dignitas videatur contemni. Si tamen ille resistat, congregarique Concilium omninò nolit, & maior pars Prælatorum iudicet necessarium esse Concilium, etiamsi Papa nolit, congregari posse puto.] Qua in opinione perstiterunt ferè omnes defensores Basileensis Concilij. Constantiensis Synodus iusserat deinceps de decennio in decennium celebrari generale Concilium: Hinc intulerunt isti diem interpellare pro Papa, ideòque ipso etiam inuito posse tunc Synodum adunari. Schismaticorum Græcorum pro suo Imperatore opinio est longè amplior. Etenim quibusdam Episcopis, de suæ ad eligendum nouum Patriarcham, & alias quasdam quæstiones decidendas Synodi facta per Imperatorem Ioannem Paleologum conuocatione, ac legitimitate dubitantibus, alij Episcopi cum Proceribus apud Syluestrum Sguropulum responderunt: [Imperatorem sibi summam semper potestatem vindicasse conuocandi Synodos, ac stabiliendi cuncta, prout sibi visum.] Etiam Martino quinto Pontifici, ad Ecclesiarum vnionem exhortanti, & Imperator, & Patriarcha reposuerunt fore opus generali Synodo, & addiderunt [ipsam non alibi gentium, quàm Constantinopoli conuenire oportere, & quòd solus Imperator Romanorum, & præter eum nemo inter mortales, auctoritatem habeat conuocandi Synodum ex veteri ritu, consuetudine, ac priuilegio Imperatoriæ Maiestati adiuncto.] Huius moris, ac priuilegij vigore antè Papam Florentinæ Synodo etiam subscribere Imperator prætendit. Papæ, & Patriarchis voluit aliud non competere, quàm vt Sacra Tractoria conuocati suos ipsi Episcopos conuocarent.

Lib.2.cap.3.

Cap. 8.

Lib.10. c.2.

Lib.1. c.10.

Eamdem sententiam tenent jàm dudum, plerique Græci. Etenim Georgius Cedrenus distinguit particularia, ac generalia Concilia, & pergit de particularibus: [Hæc coacta sunt ob quæstiones certis locis obortas, neque iussu Imperatorum, neque ijs præsentibus. Quin etiam horum quædam habita sunt, priusquàm Christiani existerent Imperatores. Cæterùm illa Oecumenica fuerunt, sic dicta, quia Imperatorum iussu Summi Pontifices, quotquot per Romanum Imperium, conuocarentur.] Videtur huius conuocationis ius adeò adligare Augustis Principibus, vt antè adsumptam ab ipsis fidem censeat non potuisse fieri generalia Concilia. Et in opere aduersùs Barlaamum Gyracensem Episcopum Macarius Metropolita Ancyranus notat Papam de varijs excessibus, & prosequitur: [Papa non vult coacta Synodo secundùm antiquam consuetudinem ab Imperatore Romanorum in nostris regionibus, vnum seipsum ex his, qui iudicantur, constituere, & res ipsius Synodali iudicio proponi, & tractari; immò oppositum omne per vim innouat, ipse per seipsum Synodum conuocans.] Et in opere de Papæ Primatu Nilus Thessalonicēsis Archiepiscopus: [Quod Latini aiunt soli Papæ licere Oecumenicum Concilium conuocare, quo pacto id manifestæ veritati non repugnare censeamus? immò verò, quo pacto non sit turpe, Episcopum ea ambitiosè adsectare, quibus par est Regem ipsum gloriari?] Et id demonstrare conatur exemplo quatuor primatum generalium Synodorum. Quin & de Imperatrice Anna, Andronici secundi Paleologi vidua, offensa in Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, scribit Imperator Ioannes Cantacuzenus: [Anna Synodum è præsentibus Episcopis congregandam, & Patriarcham ad sui defensionem duxit aduocandum. Cōueniunt igitur ab Augusta vocati in Palatium Episcopi.] Anna, licèt Latina, & Sabauda, isto Augusto iure fuit vsa. Et ad Imperatorem Ioannem secundum Paleologum varij Græci dixerunt de Florentina Synodo: [Ad Synodum Oecumenicam jàm coactam accitus est Imperator? Quis hoc aliquando audiuit? Idque cum Synodi Oecumenicæ complures sint celebratæ, quarum primæ partes post Romanum Pontificem semper penès Romanum Imperatorem fuerunt? Numera mihi Synodos, & percurre omnes, vnicam dumtaxat profer Oecumenicem, cui Romanorum Imperator initium non fecerit.] Florentinam Synodum dixerunt non esse Synodum: [Quoniam Imperator Romanorum, cui hæc desuper mandata sint, non ipse conuocauit, sed ad priùs conuocatam velut quispiam idiota, & priuatus accusator.] Ità habes in literis Georgij Trapezuntij ad Imperatorem.

Fol.439.

Cap.20.

Lib.2.

Lib.3. c.99.

Respondeo tamen crassum esse hunc errorem. Etenim adductam Iulij Puteolensis Episcopi intercessionem Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ac Legatus statim elucidauit: [Gloriosissimi, & Christianissimi Imperatores charitatem circa fidem Catholicam, & affectum tenentes, beatissimum Episcopum nostrum Leonem, Apostolicæ Sedis Præsulem, vt huic venerabili, & sancto Concilio adesset, dirigentes venerabiles epistolas, supplicarunt.] Quales plures Augustorum Principum literas Michaeli Augusto insolenter imperanti opposuit Nicolaus primus Pontifex, ostendens omnes olim necdum lacerati, sed integri adhùc Imperij Augustos supplicasse semper Sedi Apostolicæ, numquàm imperasse. Vnicus Eutychianistarum fautor Anastasius erumpere tunc præsumpsit in hanc ab omnibus damnatam vocem: [Nos iubere volumus, non nobis iuberi.] Norant orthodoxi Principes generalem

lem Synodum esse supremum Ecclesiæ Senatum, ideòque non sua, sed suprema Ecclesiasticis capitis auctoritate adunandum. Omnes generales Synodos, & à Papa, & ab Augusto Principe fuisse olim conuocatas ostendi suis locis, ac etiam in acclamatorio ad Constantinum quartum sermone sexta Synodus insigniter ostendit. Fateor tunc à Pontifice non emanasse bullas, seu literas conuocatorias. Synodi faciendæ facultatem, aut Papa à Principe, aut Princeps postulabat à Papa: Concessam, aut admissam Princeps publicabat, & omnes Imperij Episcopos ad ipsum compellabat, Pontifici illic, aut eius Legati obedituros. Nec solùm per eiusdem tenoris literas cum alijs Patriarchis Papa fuit inuitatus. Hasce Diuales Tractorias præcedebant aliæ supplices, quibus eius in Synodum authenticus consensus postulabatur. Nec illum postulari suffecerat, oportebat, & impetrasse. Egregiè id lucet ex dicta Ephesina Synodo. Pro retractanda Eutychetis appellatione postulatum, quousque sanctus Leo duxit lucidæ quæstioni non esse necessariam, Imperator Theodosius non præsumpsit inchoare. An autem nullus sit casus, qui inuito Pontifice permittat Synodum, est quæstio alterius loci. Existimo esse solùm schisma, in quo duo Pontifices colludant, aut confligant, atque ità Ecclesiam lacerent, & scandalizent. Græci schismatici sacram Augusti Principis vnctionem errant esse quasi octauum Ecclesiasticæ potestatis Sacramentum: Verùm istæ nugæ fundantur in arena.

Notanda tamen sunt verba Græcorum adducta ex Georgio Trapezuntio: [Generalium Synodorum primæ partes post Romanum Pontificem semper penès Romanum Imperatorem fuerunt.] Adfirmant Romanos olim Principes non ex sua Augusta potestate, sed ex Romani Episcopi iussu, consensu, aut rogatu fuisse conuocandis Synodis admixtos. Has ab istis non fuisse indictas, sed ad ipsas à Romanis Episcopis indictas Romanarum Prouinciarum Antistites fuisse dumtaxàt conuocatos, & compulsos. Loquuntur cum Nicolao Hydruntino, qui in opere de Spiritu sancti processione distinguit patriculares, & generales Synodos, & prosequitur: [Vniuersales Synodi coactæ sunt decreto magni Archipræsulis Romæ, & illius Imperatorum.] Rem insigniter elucidat laudatus Georgius Trapezuntinus: [Tu verò, Imperator optime, leges à Patribus tuis latas, Diuinoque iure consecratas considera, & admirare. Illi cum gentibus imperitarent, Romani Episcopi auctoritate Synodos cogebant. Fortuna postmodùm commutata, eadem nihilominus dignitate tua, & antiquorum permanente, cum ad emendationem Ecclesiæ agitandus est conuentus, & nemo iure preter Romanum Imperatorem tempus, & locum, & modum definire possit, quia opes tuæ infirmæ sunt, Deus iudicio, quod ipse nouit, in hoc necessitatis rem conclusit, vt tu solus non sis, sicut oportebat, & loci, & temporis, & modi, & vnionis ipsius Dominus.] Quod ipsum Clementi sexto Pontifici, fortissimè ad vnionem hortato, rescripsit Ioannes Imperator Cantacuzenus, adfirmans vnionem sine generali Synodo non posse stabiliri; & adiungens: [Si Asia, & Europa, quemadmodùm olim, in Romanorum Imperio censerentur, apud nos Synodus cogenda esset. Quod cùm fieri jàm nequeat, si & Patri Papæ videbitur, ad locum aliquem maritimum, in medio vtrorumque situm, consensu deueniemus, ille cum Occidentis Episcopis, ego cum Patriarchis, eorumque Episcopis.] Palàm profitetur generalis Synodi conuocationem iàm non ampliùs ad Imperatorem, sed pertinere ad solum Papam. Nàm & olim Imperator non erat nisi Pontificis in conuocanda Synodo adiutor, indictæ exsecutor, & Episcoporum ad ipsam compulsor. Hac potestate propter accisum, & excisum Constantinopolitanum Imperium jàm caret, atque ità non possit Synodum conuocare. Etiam olim conuocare non potuit Persarum Episcopos, aut aliorum Barbarorum. Et certè primus sine Romani Episcopi auctoritate Synodum conuocare præsumpsit Iustinianus Secundus: Vtique Trullanam Synodum. Quæ cuius ponderis sit, est nimis manifestum. Et de ista audacia adeò erubescunt etiam Schismatici hodiè Græci, vt fingant, & mentiantur Romanæ Cathedræ, ac Synodi Legatos ipsi adfuisse: Vt ipsam confundant cum sexta generali. Lib. 4. cap. 9.

Alia quæstio est, An ad vniuersalis Synodi indictionem sufficiat solius Pontificis, & aliorum Patriarcharum assensus non requiratur? Rationem dubitandi producit sanctus Martyr, & Abbas Maximus, Pyrrho Constantinopolitano Episcopo, suam Monotheliticam Synodum iactanti, in erudita sua disputatione respondens: [Subit me admiratio, quomodò Synodum vocas, quæ non est habita, vt leges, & canones Synodici, & iura Ecclesiastica iubent. Nec enim epistola Encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque locus, neque dies conueniendi decretus.] Encyclicam, quæ Synodo locum præfigat, & diem. Tractoriam, id est, indictiuam Synodi epistolam apertè adfirmat ex omniũ Patriarcharum consensu edendam. Respondeo solius Papæ consensum requiri. Etenim ad Dardaniæ Episcopos scribit sanctus Gelasius: [Apostolica Sedes, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit.] Etiam alias omnes eius solius decreto conuenisse, est suo loco ostensum. Et hinc in Florentina Synodo Græci post multas examinis, & disputationis ambages tandem admiserunt Romani Episcopi priuilegia, duobus articulis exceptis, quorum alter erat hic: [Ne Papa conuocet Synodum Oecumenicam sine Patriarchis, si conueniant; quod si aduocentur, & non veniant, ne propterea impedimento sint, quo minùs Synodus fiat.] Et Synodalem fidei definitionem permiserunt quidem formari in Eugenij Pontificis nomen, voluerunt tamen addi: [De consensu Constantinopolitani, & cæterorum Patriarcharum.[Non ad conuocandam Synodum, sed dumtaxàt ad publicandam definitionem censuerunt necessarium istum consensum. Dixerunt Patriarchas omnes ad Synodum à Papa inuitandos. Quocircà etiam sanctus Maximus per Encyclicam epistolam nequaquàm intelligit Tractoriam, sed Synodalem definitionem. Notanda sunt Sess. 24.

Græ-

Græcorum verba: [Quod si aduocentur, & non veniant, ne propterea impedimento sint, quo minùs Synodus fiat]. Quod si nec veniant, nec Legatum, aut epistolam mittant, ex solis Romani Patriarchatus Episcopis adunata Synodus erit plenè œcumenica, penitus nulla illius dignitate, aut priuilegio orbata. Quod ipsum in eruditis ad suos in Oriente Collegas literis insigniter demonstrat Barlaamus episcopus Gyracensis. Et sic de Tridentinæ Synodi œcumenica auctoritate non est dubitandum.

Expenditur nouissimum quoddam Dogma.

ADuersùs hæc omnia potenter intercedit Dominus Ioannes Launoius Capuanæ Synodo, quam quandoque generalem existimat, credit Siricium Pontificem non præsedisse Eustatianum Antiochenæ Ecclesiæ schisma per Paulini, ac Meletij mortem extinguendum Ecclesia sperauerat, at ipsum Euagrius, & Flauianus Successores cum fœnore continuarunt. Et quidem Apostolica Sedes semper ob rationes fauerat Paulino, eius autem Successori Euagrio non ita. Attamen Meletium Successorem Flauianum vti periurum aduersabatur. Ipsum interim fouebant magni per Orientem Episcopi, & propter ipsos magnus Imperator Theodosius, qui Damasi, ac Siricij Pontificum precibus, ac monitis inflexus tandem promisit Flauianum Apostolico intra Italiam iudicio sistere, & ita Ecclesijs reddere pacem. Hinc ergo Capuanam ex omni Romano Imperio Synodum conuocauit Siricius: Eius acta perierunt, aut latent. Exstant tamen Siricij ad Acholium Thessalonicensem, ac alios Illyrici Antistites Epistola, Epistola sancti Ambrosij ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham, in Theodoreti, Socratis, ac Hermiæ Zozomeni Historia, necnon in Africanis Synodis varia memoria, ex quibus nostram ignorantiam consolemur. Quod mala conscientia Romanæ Ciuitatis muros plus timeat, quàm Barbaricam obsidionem, aduersùs Ruffinum scripsit sanctus Hieronymus. Et hinc etiam Flauianus Capuæ non comparuit, atque ita omnem Synodum grauiter offendit. Factum igitur est, quod in laudata Epistola scribit sanctus Ambrosius: [Et Euagrium, & Flauianum in meliorem vocamus viam, vt malimus eos proprijs potiùs bonis, quàm alieno vitio defendi. Qua de re, quoniam proprijs texuisti literis posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia, cum sancta Synodus cognitionis ius vnanimitati vestræ, cæterisq; ex Ægypto Consacerdotibus nostris commiserit, iterum oportet fratrem nostrum Flauianum conuenias, vt si in eo perseuerauerit, quò veniendum non putet, saluis Concilij Niceni, sed etiam Synodi Capuensis Statutis, illibata pace vniuersorum ita consulas, vt non videamur destruere quod ædificatum est]. Et supra: [Bonæ pacis naufragio sancta Synodus Capuēsis tandem obtulerat portum tranquillitatis, vt omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam confitentibus fidem, & duobus istis], vtique Euagrio,

Epist. 9.

& Flauiano, [tuæ Sanctitatis examen impertiretur, Fratribus, & Consacerdotibus nostris Ægyptijs pariter confidentibus, quia hoc verum iudicium futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociata communione aliquo fauore propenderet]. Magnæ per omne Romanum Imperium potentiæ, ac versatilis ingenij Episcopus erat Theophilus, atque ita neutralem se gesserat, nec Euagrio fauens, aut communicans, nec Flauiano. Hinc ipsi potiùs, quàm Capuano Concilio se credendum Flauianus censuit, ac illum induxit ad scribendum synodo notum sibi esse modum componendi huius schismatis cum vtriusque partis gratia. Et Synodus hoc gratum habuit, ideòque causam eius Synodo delegauit, ea tamen lege, vt nihil contra sua Decreta, aut Nicænos Canones attentaretur. Et ex his Dominus Ioannes Launoius infert, & coniecturat Capuanæ Synodo non Siricium, sed sanctum Ambrosium præsedisse. Ex his præsertim verbis: [Verum iudicium futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociata communione aliquo fauore propenderet]. Existimat Siricium Flauiano fuisse suspectum, ideòque à Iudicis, & Præsidis throno exclusum. Addit Theophilum sua hic Acta, non ad Siricium, sed ad Ambrosium debuisse referre, ac retulisse. Quòd nempè hic, non ille præsedisset.

Et quidem Romanum Pontificem, & omnes Occidentis Episcopos fuisse Flauiano suspectos, lucet ex illis, quæ viuo adhuc Meletio magnus Basilius de hac quæstione scripsit ad Comitem Terentium: [Dicebantur Fratres, qui Paulino fauebant, in colloquium cum tua Rectitudine descendere de sua nobiscum vnione. Nobiscum, inquam, qui à partibus stamus Meletij, illius viri Dei, Episcopi Antiocheni. Quos audio circumferre Occidentalium literas, quibus Sedes Antiochiæ Episcopalis ipsorum parti addicitur; vir autem admirabilis Meletius ab Ecclesia Dei Episcopatu abdicatur. Neque sanè miror. Illi enim penitus ignorant nostrarum rerum conditionem: Et illi, qui videri volunt cognoscere, contentiosè magis, quàm coniunctim cum veritate referunt. Nihil equidem magis verò simile est, quàm veritatem illos ignorare, vel occultare causam: Vnde inductus est Athanasius beatissimus Episcopus, literas ad Paulinum dare]. Eadem acrimonia scripsit, & alias de hac re literas, ideòque Ioannis Launoij coniectura videtur non carere fundamento. Et tres dumtaxàt Metropolitas habebat tunc Italia, Romanum Mediolanensem, & Aquileiensem, atque ita exclusi Siricij thronus deuoluebatur in Ambrosium. Videatur Doctoris epistola ad Hieronymum Sambocuvium.

Epist. 349.

Respondeo hæc omnia carere fundamento. Etenim Capuana Ecclesia erat tunc Romanæ suburbicaria, seu suffraganea, adeoque tantam suæ Sedis iniuriam quomodo in propria Prouincia sustinuisset Siricius, quomodo Ambrosius præsumpsisset? An Siricius per se, an per Legatos præsederit, ignoro: Certum est præsedisse. Et licèt Ambrosius de eius non fuerit Prouincia, possit tamen fuisse Legatus. Nam, & posteà sanctus Cœlestinus suas in Ephesino Concilio vices detulit sancto Alexandrinorum Patriarchæ Cyrillo. Siricium

præ-

præsedisse demonstrant varia. Primò, hæc eius in laudatis literis ad sanctum Anysium Thessalonicensem, qui sibi à Capuana Synodo delegatam Bonosi causam conabatur excutere, ac reijcere ad Papale tribunal, Responsio: Si integra esset hodie Synodus, rectè de ijs, quæ comprehendit vestrorum Scriptorum series, decerneremus. Etenim à synodo exclusus Pontifex non potuisset decernere. Et adesse non potuit, quin præsideret. Secundò, idem demonstrant hæc sancti Ambrosij ad Theophilum Patriarcham, cui Euagrij, & Flauiani causam delegarat Synodus, verba: [Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim vtile erit consultum sententiæ, ita pacis, & quietis securitas, si id vestro statuatur Concilio, quod communioni nostræ dissensionem non adferat, vt nos quoque accepta vestrorum serie Statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus, quòd Ecclesia Romana haud dubiè probauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur. Etenim si Siricius non præsederit, quod ipse ius, quod debitum Theophilus habuit faciendæ ad ipsum relationis, ac accipiendæ ab ipso confirmationis? Quòd relatio habeat appellationis effectum, hoc est, quòd relata Acta, & deuoluat, & suspendat, adeòque non nisi ad Præsidentem, seu Superiorem fiat, omni legum, & canonum perito est manifestum.

Assertionem nostram demonstrat etiam antiqua Ecclesiæ Regula, quæ Romanum Episcopum ex nulla partium suspicione, & ex nulla penitus causa permisit ab isto iure suspendi. Insigniter hoc claruit in secundo Ephesino Concilio. Etenim Hæresiarcha Eutyches à sancti Leonis, quod datam in ipsum à sancto Flauiano Constantinopolitano Episcopo damnationis sententiam confirmauerat, iudicio appellarat ad vniuersalem Ecclesiæ Synodum, necnon eius Legatos, quòd à laudato Flauiano fuissent conuiuio excepti, & cum ipso colluderent, accusarat, & suspectarat, atque ita ipsos à Præsidentia excludi curarat per Imperatorem Theodosium, ac ipsam traduci in Dioscorum Alexandriæ Episcopum, secundum Catholicæ Ecclesiæ Patriarcham. Verùm hac via benè conceptam Synodum demutauit in Latrocinale conciliabulum. Et hinc prima aduersùs ipsum per Apostolicę Sedis Legatos apud Chalcedonensem Synodum exceptio fuit hæc: [Necesse est Dioscorum iudicij sui dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est]. Eum non de malè cassata sancti Leonis in Eutychetem sententia, aut recepto in communionem Eutychete, non de firmata eius hæresi, nec de trucidato sancto Flauiano accusarunt, sed pro palmari adduxerunt crimine, quod sine Apostolicæ Sedis auctoritate se in generali Synodi Præsidem intrusisset. Et addiderunt: [Quod numquam licuit, numquam factum est]. Absit ergo, vt sanctus Ambrosius id fecerit in Synodo Capuana. Quod ipsum claruit in Sardicensi Synodo, indicta ad retractandum Iulij Pontificis iudicium, quo sanctum Athanasium, & alios ab Eusebiana factione degradatos episcopos in gradum reparat. Non solummodò suspectus, sed manifestè aduersarius erat factioni Iulius: Item eius Legatus Hosius erat eidem insigniter odiosus, & illa, non minùs quàm Dioscorus, & Eutyches, solemnem Romani Imperij, quæ appellatum Iudicem transformat in accusatorem, aut reum, legem inuocare potuerat, verùm Apostolica lex factis à Romano Episcopo ad generalem Synodum prouocationibus, non appellationis, sed solius reuisionis effectum tribuit, eius sententias dumtaxàt sine suspensione deuoluit, sine eius assensu non permittit tractari, & retractatorio iudicio mandat ipsum adesse, & præsidere. Et ita nupèr factum fuerat in prima Synodo Arelatensi. Monarchicum sancti Petri Apostoli ius hostilissimè in suo Philippopolitano Conuentu factio momordit, conata absumere; verùm aduersùs Hosij, & Collegarum Apostolicam Præsidentiam nullus excepit, nullus intercessit. Nec item in Ephesina Synodo Nestorius. Nàm, & illa huius appellationem retractabat. Et quidem Flauianus Antiochiæ Patriarcha à Romano iudicio numquam prouocauerat. Quare quisquis Capuano Concilio adfirmat non Siricium, sed Ambrosium præsedisse, Romanos in Chalcedonensi Synodo Legatos arguit erroris, Sanctumque Ambrosium demutat in Dioscorum, & laudatissimam Synodum in acephalam factionem.

Hæc Romani episcopi dignitas fulcitur insupèr alijs antiquis exemplis, ac testimònijs. Etenim primam Constantinopolitanam, quæ hodie est secunda œcumenica, Synodum quis nesciat inniti infirmis, & caducis exordijs? Aduersùs ipsius tertium, ex quo suum vigesimum octauum deducere conati sunt Patres Chalcedonenses Canonem scribit ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopus sanctus Leo Magnus: [Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta annos facta subscriptio]. Esse dicit non Synodalem Canonem, sed quorumdam episcoporum subscriptionem. Vnde, & ad Chalcedonensem Synodum dixit de ipso Lucentius Esculanus episcopus, laudati Pontificis Legatus: [In Synodicis Canonibus non habetur]. Congregatos Constantinopoli episcopos, non pro generali habuerunt, sed dumtaxàt pro particulari Synodo Orientalis Ecclesiæ. Et aduersùs quartum Canonem Maximus Cynicus Romam appellauit, eiusque appellationem admisit Damasus Pontifex, & ex sua, cui sanctus Ambrosius adfuit, Romana Synodo scripsit ad Imperatorem Theodosium: [Nos in Synodo ea, quæ totius orbis episcopis videbatur esse prę scripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. Adeò ipso tempore, qui generale Concilium declinauerunt, Constantinopoli q; gessisse dicuntur. Nam cum cognouissent ad hoc partium venisse Maximum, vt causam in Synodo ageret suam, quod, etiamsi indictum Concilium non fuisset, iure, & more Maiorum, vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse iudicium videretur]. Pro exstinguendo, quod varijs erroribus Orientem fœdauerat, Eusebiano Schismate

Ep. 53. c. 5.

Act. 16.

œcumenicam Synodum ad Romanam vrbem conuocauerat Damasus. Et hanc vocat generale Concilium, ac Synodum totius mundi episcopis præscriptam. Verùm Orientalium episcoporum plures Romanum iter non probarunt, multis rationibus Imperatorem Theodosium traxerunt in suam sententiam, atque ita Synodum Constantinopoli celebrarunt. Et ipsam Pontifex lucidè, & grauiter improbat. Quod nempè sine Apostolicæ Sedis Præcepto, ac Præsidentia conuenisset. Verùm quod Nicenam fidem, & eius symbolo necessaria aduersùm Apollinaristas, Macedonianos, ac Marcellianos additamenta firmasset, ipsam pacis causa tandem confirmauit Apostolica Sedes, atque ita facta est vna è quatuor generalibus, quas tanquam quatuor sancta Dei Euangelia venerandas scripsit Magnus Gregorius. Nullum vmquam ecclesię Decretum sustinuit tot contradictionum impetus, quot dogmatica Magni Leonis ad sanctum Flauianum Constantinopolitanum Episcopum aduersùs Hæresiarcham Eutychetem epistola, posteà vti Apostolicum suffragium missa etiam ad Chalcedonensem Synodum. Eam de Nestoriana lue accusauit omnis Eutychiana factio, ac propter ipsam auersata est laudatam Synodum, atque à Zenone, & Anastasio Imperatoribus flagitauit, atque impetrauit damnandam. Verùm damnationem iubenti Anastasio respondit apud Anastasij Bibliothecarij Ecclesiasticam Historiam Macedonius secundus Constantinopolitanus Episcopus: [Absque generali Synodo, quæ Præsulem haberet Romanum Episcopum, hoc est impossibile.] Consonat Martyr Theophanes: [Macedonius citrà vniuersalem Synodum, cui primus assideret Romanus Episcopus, id se exequi non posse referebat. Intereà Vitalianus Equitum Magister, vir insigniter Catholicus, Hæreticum Principem, ac pessimum Catholicorum Episcoporum persecutorem publico motu compescuit, compulitque ad consentiendum in generalem Synodum, quæ indicta fuit in ciuitatem Heracleensem, Thracicæ Europæ Metropolim, ac de ipsa pergit laudatus Martyr: [His enumeratis pacis conditionibus additum Vitalianus voluit, vt conuocaretur Synodus, ad quam Romanus Pontifex, & cuncti accederent Episcopi, vt hoc pacto, quæ aduersùm Orthodoxos perperam decreta fuissent, communis iudicij subijcerentur examini.] Quomodo omnia hæc iuramento firmauerit Anastasius, ideoque Hormisdas Pontifex Legatos miserit, & plurimi Heracleam accesserint Episcopi, exponit idem Scriptor, & de eisdem prosequitur: [Re infecta recesserunt. Impius siquidem Imperator, pactis violatis, ad Papam Romæ, ne veniret, clam significauit, aliunde verò Vitaliano Sacram Romæ mittendam dederat, qua Papam ad Concilium Heracleę celebrandum vt accederet, dolosè inuitabat.] Nempè nouerat, sine Præsidente Romani Episcopi persona, aut Legato generalem Synodum non posse celebrari. Quæ omnia ijsdem ferè verbis scribit laudatus Bibliothecarius. Acaciani schismatis extrema cauda fuit schisma trium Capitulorum: Et aduersùs ipsum Imperator Iustinianus coegit quintum generale

Fol.137.

Concilium. Vt ipsi præsideret, tractanda referret, & suffragij Prærogatiua fungeretur Vigilius Pontifex, quantis precibus, & minis institerint, & Princeps, & Primates episcopi, demonstrant Acta Synodalia. Et quia induci Pontifex non potuit, factum est quod in Chronico scribit ad decimum septimum à Basilij Consulatu annum Victor Tonnonensis Episcopus: [Vigilius Romanus in insula Sicilia moritur.] Quinta Synodus facta fuit tertio decimo post dictum Consulatum anno, per tot annos Iustinianus Vigilium in calamitoso exilio detinuit, atque ita caducę Synodi supplementa, & ratificationem extorsit. Sciebat omnes suas machinas esse aliter friuolas, & nullas. Trullanæ item Synodo Romanus Episcopus non præsedit. Hinc Subscriptores Episcopi primum locum reliquerunt apertum cum hac Epigraphe: [Locus sanctissimi Papæ Romani.] Spectabant fore, & omnibus posteà viribus egerunt, vt ratificaret Romanus Episcopus, & Præsidentiæ defectum, vti in secundo, & quinto Concilio fecerat, suppleret. Quod quia vsque huc nullus facere voluit Pontifex, ista Synodus semper titulatur erratica. Etiam Iconoclasticum Constantini Caballini conuentum ex eodem capite fuisse nullius ponderis, suprà audiuimus à sancto Stephano Martyre. Et confirmant Martyr Theophanes, Anastasius Bibliothecarius, ac Georgius Cedrenus. Et de Imperatore Manuele Comneno, dum de quibusdam dogmatibus disputaret cum Theodosio Patriarcha Constantinopolitano, Lib.7.c.6.
scribit Nicetas Choniates: [Manuele Theodosio, & Pontificibus ob præposteram aduersationem maius Concilium minabatur, & controuersiæ disceptationem ipso veteris Romæ Papa adhibito, iureiurando testificabatur.] Et ad omnes per Orientem Patriarchas, atque episcopos scripsit de sancti Ignatij Constantinopolitani Patriarchæ causa Nicolaus primus: [Vos vt antiquum morem seruetis, neque iudicetis, neque approbetis quidquam sine nostra auctoritate. Hæc autem eò scripsi vobis, quòd non ita pridem venerit ad nos Palatinus Spatharius cum Imperatoris epistola, qui gloriabatur ab Imperatore Synodum adornari, eo quod nos iam perscriptam iniuriam, Ignatio factam, noluerimus approbare.] Affirmat antiquam Synodorum legem esse, vt sine Romano Episcopo nulla fiat, nec sine illius, quæ cuncta tractanda referat, & suffragij Prærogatiuam de ipsis dicat, auctoritate, seu præsidentia, nullus episcopus, Metropolita, aut etiam Patriarcha quidquam iudicare, approbare, vel etiam quasi synodaliter tractare attentet. Exstat epistolę compendium in Actis Synodi octauę. Et hinc omnia post Apostolicorum Legatorum reuocationem Basileensia Gesta rectè cassauit Eugenius quartus, affirmans gesta non à legitimo Concilio, sed ab acephalis locustis. Perdo tempus in re clara. Sess.18.

Ioannis Saraceni Articulum, Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem Statutis in solo residet Romano Pontifice, fuisse à sacra Parisiensi Facultate legitimè circumscriptum, libenter, & constanter profiteor. Licèt enim Synodalia Decreta in solum Romani episcopi no-

nomen conceperit atque vulgauerit etiam quandoque antiqnitas, decisiuo tamen Episcoporum suffragio non dubitauit, Et certè Apostolica Synodus non dixit, Visum est Spiritui sancto, ac Petro, sed Spiritui sancto, ac nobis. Vtique omnibus Apostolis. Est vna ex motis inter Eugenium quartum, & Basileensem Synodum quęstionibus, alibi elucidanda. Interim summa est Pontificis in generali etiam Synodo auctoritas: Reuerà illic habet suffragij Prærogatiuam. De Apostolici per Illyricum Vicarij in generalibus istius Diœcesios Synodis auctoritate scripsit ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum magnus Leo: [Si in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumue credideris, diuersa eorum fuerit à tua voluntate sententia, Ep.84. c.11. ad nos omnia sub Gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quòd Deo placeat decernatur.] Eius vnicum suffragium affirmat totius Synodi suffragio æquiualere. Quam potestatem etiam in generali totius Ecclesiæ Synodo habuerunt Apostolici Legati. At verò ipsius Romani Episcopi in quamuis Synodum potestas fuit longè amplior. Præsentis suffragium totius Synodi suffragio præualuit, ad absentem verò omne Synodi cum Vicario, aut Legato certamen debuit referri, omnis causa suspendi ad eius nutum, & ipsius Rescriptum, ac decisiuum Beneplacitum expectari. Lucidè hæc patuerunt in Synodo Chalcedonensi, ac in quinto Concilio. Etenim aduersùm probatos, & subscriptos ab omni Chalcedonensi Synodo Canones Lucentius Legatus apud gloriosissimos Iudices intercessit: [Sedes Apostolica nobis præsentibus humiliari non debet. Et ideo quæcumque in præiudicium Canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, Sublimitatem vestram petimus, vt circumduci iubeatis. Sin aliàs, contradictio nostra his Gestis inhæreat, vt nouerimus quid Apostolico viro vniuersalis Ecclesiæ Papæ Act.16. referre debeamus. Vt aut ipse de suæ Sedis iniuria, aut de Canonum euersione possit ferre sententiam.] Agit præsertim aduersùs vigesimum octauum Canonem: Protestatur ab ipso non dumtaxat violatum sextum Nicænum, sed etiam Apostolicæ Sedi illatam iniuriam. Quod nempè sine facta per Apostolicos Legatos relatione Actum istum Synodus attentasset. Vnanimi totius Synodi suffragio objecit suum vnicum, atque ita illius Actum apud gloriosissimos Iudices proclamauit nullum, & circumducendum. Et ipsum sibi à Synodo relatum sanctus Leo omninò circumduxit. Apostolica itaque Legatio in totius Ecclesiæ Conuentu habebat eam ipsam potestatem, quam in generali suæ Diœcesios Synodo habebat Apostolicus Vicarius: Vtraque Synodus debebat referre omnia ad Papam, & eius decisioni acquiescere. In quinto Concilio præsens fuit Vigilius Pontifex, prouocauit ad Apostolicum relationis ius, & ad Papalis suffragij Prærogatiuam, protestatus de nullitate omnium agendorum. Quam protestationem veritate niti sciens Iustinianus Imperator, præfato exilio fatigauit, ac fregit Pontificem, atque ita necessarium suæ Synodo suffragium extorsit.

Eodem ex capite non tantùm Trullani, sed etiam in prima Constantinopolitana, ac secunda Nicæna Synodo editi Canones dudum fuerunt caduci: Quod solum Papale suffragium illis aduersaretur, aut deesset. Et hinc ad Basileensem Synodum rectè scripsit Eugenius quartus: [Si Papa, vel Legatus Sess.16. eiusdem nollet disponere aliqua, contra Concilium affectaret, Papæ sententia, vel Legati, summi Pontificis personam repręsentãtis, non Concilij voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa. Nisi fortè, quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum vniuersalis Ecclesiæ principaliter perturbarent: Quia tunc Concilij sententia esset potiùs attendenda.] Rationem dat in eadem Bulla; [De iure notissimum est, quod possimus quæcumque Statuta, Decreta, Declarata, siue Sancita per quoscumque Prædecessores nostros, vel per quæcumque Concilia, dummodo in ipsis fidei fundamenta non existant, siue ex hoc vniuersalis Ecclesiæ bonum principaliter non turbetur, vt Vicarius Christi, & irreprehensibiliter pro nostro amouere, & corripere libitu voluntatis. Et contra sentire non est longæuum ab hæresi.] Vbi enim, quod absit, ex mentis cæcitate aut prauitate Romanus Episcopus Romanam fidem, aut disciplinam arietaret, non solùm generale Concilium, sed quicumque vnicus Episcopus, imò & Laicus esset præ ipso audiendus. Imitandi essent pauci illi in Ariminensi Synodo Episcopi, qui ad vicinum pagum secedere maluerunt, quàm cum circumscriptis in Arianos dolos Collegis deuiare. Imitanda esset Romana nobilis Marcella, in cuius Epitaphio, quomodo Origenis errores Romam intrauerint, ac multos deceperint, exponit sanctus Hieronymus, ac prosequitur: [Tunc sancta Marcella, quæ diù se cohibuerat, ne per ęmulationem quidpiam facere videretur, postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita vt Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum in assensum traheret, ac simplicitati illuderet episcopi, qui de suo ingenio cœteros æstimabat, publicè restitit, malens Deo placere, quàm Epist 16. hominibus.] Fuit is Siricius Pontifex, de quo, & alibi scribit: [Facilius est Episcopatum adipisci, quàm promereri. Verùm nulla generalis Synodus vsque huc per Dei gratiam vidit istiusmodi casum, & eadem Dei gratia Ecclesiam protegente, vsque ad sæculi finem non videbit. Extra hunc igitur casum solius Papæ suffragium totius Synodi suffragio præualet. Etiam suffragium solius Legati: Qui nempè de singulis proponendis negotijs fuerit singulariter instructus. Eius suffragium est suffragium ipsius Papæ. Istiusmodi instructionem non habuit Chalcedonensis Legatio, ideoque censuit suum cum Synodo certamen Pontifici referendum. Dixi, Dum Romanus Episcopus Romanam fidem, aut disciplinam arietaret. Quid si ipsam arietaret Synodus? Respondeo tunc solius Pontificis, aut solius Legati præualere suffragium. Et certè casus euenit in Ariminensi Synodo, ac in Latrocinio Ephesino. Vndè hoc magnus Leo, istam sanctus Damasus synodaliter damnarunt. Scio laudatam Eugenij Bullam fuisse

ab ipso circumductam. Nempè pro sola illa parte, qua iusserat dissolui Synodum, & Bononiam transferri. Et hinc lucet Papale in Synodo suffragium rectè titulari suffragij prærogatiuam.

Nec sine fundamentis Eugenius asseruit Papam esse suprà Concilium. Quod Assertum quia à Capuana, in qua modò hæremus, Synodo euerti, & quasi damnari opinatur Ioannes Launoius, eius statum audiamus breviter, ac perpendamus ex literis Siricij Pontificis ad Anysium Thessalonicensem, & subiectos illi Episcopos: [Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus, vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cum huiusmodi fuerit Concilio Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso, atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, & prçcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de eius factis vel cognoscerent, aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodiè Synodus, rectè de ijs, quæ comprehendit vestrorum Scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cum Bonosus Episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui eius sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modestè patienter ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, vt quod videretur vobis iustitiæ conuenire statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideò primum est, vt ij iudicent, quibus iudicandi facultas est data. Vos enim totius Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate iudicare non conuenit.] Ad generales Synodos cunctæ tunc pendentes hinc indè grauiores causę solent deferri. Itá ad hanc Synodum delatus est, Naissitanæ in Dacia ciuitatis Antistes Bonosus, & accusatus de pessimis erroribus. Reus non aderat: Et criminale iudicium non posse in absentem exerceri, ex pluribus testimonijs est suprà ostensum. Hinc ergo causam Synodus delegauit laudato Anysio, magno in vicina Macedonia Metropolitæ, & Apostolicæ Sedis per omne Illyricum Vicario: Ab eius Synodo iussit ipsam examinari. Capua ad suos regressus Anysius citauit Bonosum, & contumacem suspendit ab episcopali officio; verùm ille contempsit omnia, interdictam irrupit Ecclesiam, & confugit ad patrocinium sancti Ambrosij. Quare hominis turbulentia territus Anysius odiosam delegationem excutere conatus est, & causam reponere ad Tribunal Sedis Apostolicæ. Verùm recusauit Siricius, asseuerans standum synodali iudicio, delegationem exequendam, ex auctoritate Synodi sibi non conuenire iudicium, & competere non posse.

Ad hæc commentatur Ioannes Launoius: [Simplex, & ingenua est Siricij confessio, qua non Capuensis modò Concilij, sed etiam delegatorum à Concilio Iudicum auctoritas Romani Pontificis auctoritate superior exhibetur, ordinatur controuersia, & ferendum ab eis, quorum interest, iudicium proponitur. Et infrà: Quibus verbis apertè significat Siricius Concilij potestatem qualibet alia, etiam sua, quæ Sedis est Apostolicæ, superiorem existere.] Siricij confessionem opinatur adeò manifestam, vt à nouis, & corruptis Doctoribus possit dici: [Siricius, vel certè Siricij epistola releganda est in indicem librorum prohibitorum primæ classis. Nam si audiatur Siricius, de libris nostris actum est.] Laudatam delegationem extollit, atque adiungit: [Auctoritate in iudicando suprema vtebantur Delegati, nullus restabat appellandi locus, quia vice Synodi iudicabant.] Vult ab ipsorum iudicio nec ad Pontificem potuisse appellari. Et pergit de sancto Ambrosio: [Bonosus post delegatorum Iudicum sententiam ad Ambrosium scripsit, non ad Siricium, ad quem sine dubio scripsisset, si Capuensi Concilio vel præfuisset, vel interfuisset.] Hæc pleraque in varijs literis repetit, & inculcat.

Respondeo tamen Siricij epistolam hisce cogitationibus non fauere. Etenim nec Bonosus, nec accusatores, nec testes erant Capuæ, ideòque vel iudicium fuerat exercendum in absentem contra Canones, vel vsquè ad omnium istorum aduentum proroganda Synodus, vel causa deleganda, vel faciendum quod de simili sancti Athanasij causa dixit in Mediolanensi Synodo ad Imperatorem Constantium Pontifex Liberius: [Omnes contendamus Alexandriam, vbi reus, vbi accusatores, & causæ eorum patroni sunt, atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam pariter feramus.] Capuana igitur Synodus causam delegauit. In Bonosum, & eius accusatores seruandum duxit antiquum Ecclesiæ Canonem, quem etiam in Felicissimi diaconi, quæ damnata Romam abierat accusatura suos damnatores, factionem seruari à sancto Cornelio Papa postulauit sanctus Cyprianus: [Cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam coherentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint, nisi si paucis desperatis, & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij sui nuper grauitate damnarunt.] Agit de prima criminalis iudicij instantia. Ex qua regula etiam Maximum Valentinæ in Gallia Ciuitatis Episcopum, accusatum, ac sibi delatum de grauissimis, ad Prouinciæ Synodum remisit Bonifacius primus: [Decreuimus vestrum intra Prouinciam debere esse iudicium.] Et de sibi similiter delato Massiliensi Episcopo Venerio scribit ad Viennensis, ac Narbonensis Prouinciæ Episcopos sanctus Cœlestinus: [Vestro cum audiendum Collegio delegamus.]

Epist. 55.

Epist. 6.

Epist. 87. c.2. mus.] Et de sibi delato Lupicino Episcopo ad Cæsariensis Mauritaniæ Synodum magnus Leo: [Causam Lupicini Episcopi illic iubemus audiri.] Nec dumtaxat absentium, sed etiam præsentium Episcoporum criminales causas Prouinciarum, aut Diœcesium Synodis generalia Concilia quandoque permiserunt ex rationibus, aut etiam delegarunt. Etenim quis nesciat Marci Ephesini Archiepiscopi in Florentina Synodo insolentiam, ac varium criminalem excessum? Hinc peracta Synodo fecit Eugenius quartus, quod scribit Siluester Sguropulus: [Papa misit ad Imperatorem, vt Ephesius, quando nec Synodi decretis se submiserit, nec subscripserit vnioni, tradatur publicæ Synodi Censuræ, & Lib.10.c.12. si refractarius perstiterit, vt tantæ peruicaciæ pœnas daret. Quare ad nos mittatur, quem deposcimus ad iudicium. Imperator verò reposuit: Quod ad Ephesium, quando noster est Præsul, ad nostros pertinet Censura, & animaduersio. Quem si quid deliquerit, leui priùs oratione permulcebunt, nec id semel, sed sæpiùs, vt à pertinacia subducant. Et si præfractum deprehendant, tunc Tribunali nostræ Synodi subijcient, vt quam nostri in eum statuent pœnam, iusto dolore persentiscat. Cùm igitur noster sit, ad suorum Synodum postulare Ephesium iudicandum Papa non debuit: De nostro homine inuestigationem, cùm nobis visum est, inuestigabimus.] Serias, quas apud Ephesium posteà deprædicauit, preces Imperator adiunxit, atque ità Eugenius promissa admisit. Eodem modo Capuana Synodus, aut potiùs ipse Papa Syricius Bonosi causam totius Macedoniæ Synodo delegauit. Constanter dico: [Aut potiùs ipse Papa Siricius. Hoc enim euincunt hæc eius verba: Si integra esset hodiè Synodus, rectè de ijs, quæ comprehendit scriptorum vestrorum series, decerneremus:] Lucidè clamant delegationem hanc ab ipso fuisse decretam. Verùm quoniam generalium Synodorum non soli Canones, sed quæuis Statuta Romanum Episcopum non dumtaxàt conditorem habent, sed insuper executorem, rectè Siricius addidit feras esse Anysij preces, ligatas sibi manus, & synodali iudicio ab omnibus parendum. Legitimis enim Synodorum decretis adstringi Romanum Pontificem omninò profiteor. Quod & ipse in sua consecratione solemniter profitetur. Verùm quomodo hinc educatur ipsum Synodo subijci, vsque huc videre non possim.

Cur ad sanctum potiùs Ambrosium, quàm ad Pontificem Siricium Bonosus habuerit refugium, ignoro. Suasisse istud possint variæ rationes. Nam & Hæresiarcha Eutyches, non ad sanctum Leonem, sed ad sanctum Petrum Chrysologum confugit, nec ideò eius causa ad hunc spectauit potiùs, quàm ad istum. Et quod Macedonica Anysij Synodus suprema, atque inappellabili auctoritate iudicare potuerit, est penitùs paradoxum. Quod Theophilus, licèt Alexandriæ Patriarcha, delegatam sibi Euagrij, & Flauiani causam iudicare debuerit cum relatione ad Siricium, disertè testatur sanctus Ambrosius: Quis igitur dubitet Anysio, Syricij per Illyricum Vicario fuisse idem onus? Nulla enim Synodus, nullus Pontifex grauiores causas consueuit aliter delegare. Hinc de Maximi Valentini Episcopi delegata causa scripsit ad eius Prouincialem Synodum supra laudatus Bonifacius: [Quidquid vestra Charitas de hac causa decernendum duxerit, cùm ad nos relatum fuerit, nostra, vt condecet, necesse est auctoritate firmetur.] Nec soli generalium Synodorum Delegati, sed & ipsæ generales Synodi referre debuerunt sua iudicia: Relationis omissio circumducebat omnia, atque exsufflabat. Etenim ad explodendum tertium Constantinopolitanæ Synodi Canonem magnus Leo in literis ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum credidit sufficere hoc vnicum: [Nunquam à Prædecessoribus tuis est ad Apostolicæ Sedis transmissus notitiam. Hinc asserit fuisse à sui initio caducum. Et hæc referendi necessitas euincit generales Synodos subesse Pontifici, ac esse inferiores. Relatio enim habet omnem appellationis effectum: Deuoluit, ac suspendit omnia, ideòque fieri non possit, nisi ad Superiorem. Epist. 53. cap. 5.

Aduersùs præsentem Gregorij Dictatum militat etiam Ioannis Launoij epistola ad Ludouicum Maresium. Basileensis Synodi cum Eugenio quarto de inuiti per Papam transferendi Concilij potestate quæstionem multis exagitat, varia conuocatorum per Romanos Imperatores Conciliorum exempla, & testimonia conglomerat, ac de Leonis decimi Pontificis, & Lateranensis sub ipso Concilij circa rem istam Constituto prosequitur: [Sacrorum Canonum decreta citantur, sed nullum decretum speciatim citatur. Ad hæc neque vetus Codex Canonum Romanæ Ecclesiæ, neque Codex Canonum Ecclesię vniuersæ, neque codex Canonum Africanæ Ecclesiæ Canonem repræsentant vllum, quo in Romanum Pontificem indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum Conciliorum ius plenum transcribatur.] Dominus Robertus Cardinalis Bellarminus, vt Pontificem generali Synodo maiorem probet, vtitur Paschalis secundi ad Panormitanum Episcopum literis, in quibus sunt hæc verba: [Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta sunt.] Ipsa exagitat in secunda ad Felicem Philippæum Brossam epistola Ioannes Launoius, asserit Paschalem obreptione circumuentum deuiare, & concludit: [Qui hoc aiunt, & insusurrant Paschali, falluntur, si conuocata, & indicta esse, vt Tridentinum Concilium est, intelligant. Non enim meminerunt in veterum Conciliorum Actis nihil legi frequentiùs, quàm Concilia Imperatorum iussu fuisse conuocata.] Launoius ergo circa conuocandæ Synodi potestatem sentire videtur cum Græcis schismaticis, quorum sententiam suprà audiuimus à Siluestro Sguropulo. Et largiùs exponit in Responsis ad Constantinum Cabasilam Demetrius Chomatenus: [Imperator, vt communis in Ecclesijs Sapientum Princeps, & re, & nomine, Synodorum placitis præsidet, & auctoritatem ipsis largitur: Ecclesiasticas ordinationes disponit, & legem ponit vitæ, atque officio eorum, qui Altari inseruiunt: Quin, & iudicijs Episcoporum, & Clericorum, & electioni Ecclesiarum vacantium. Promouet insuper à minore digni-

gnitate ad maiorem, puta ab episcopali ad Metropolitanam: Honorem cum exhibens, aut vrbi, aut homini. In summa, præter sacrificandi potestatem, cætera omnia iura pontificalia manifestè exprimit Imperator, quibus in rebus conuenienter agit, & Legibus, & Canonibus.] Græculi garriunt sacram Regiæ Maiestatis vnctionem esse quasi octauum Ecclesiæ Sacramentum, ideòque tam sordidè suis Principibus adulantur. Rectiùs in libro de sacris ordinationibus Simeon Thessalonicensis Archiepiscopus dixit conuocandæ Synodi potestatem esse Principi concessum ab Episcopis priuilegium. Abusum, quem vir eruditus proscribere non poterat, ità conatus est moderari.

Respondeo itaque potestatem hanc ex auito Canone, & more spectare ad Romanum Episcopum. Etenim de Nicæna Synodo lucidè profitetur in acclamatorio ad Constãtinum quartum Imperatorem sermone sextum Concilium: [Constantinus semper Augustus, & Siluester laudabilis magnam in Nicæa Synodum congregarunt.] Testimonium hoc in secunda ad Christophorum Fauæum epistola refert Ioannes Launoius, & commentatur: [Annus à Nicæna Synodo trecentesimus quinquagesimus quintus agebatur, cùm primùm dici cœpit Siluestrum Nicænam Synodum congregasse. Synodus hæc, quæ, ni fallar, nouerat à quo congregata fuerat, se in epistola ad Alexandrinos congregatam à Constantino fuisse dicit, sed se à Siluestro congregatam fuisse non dicit, dictura sine dubio, si verè dici, & indictionis monimentum edi potuisset.] Vt suas cogitationes stabiliat, affirmat sextam Synodum errare. Et in literis ad Raymundum Formentinum repetit eadem verba, asseritque non esse sextę Synodi, sed eius, qui Imperatori gratulationem fecit. Quasi is fuisset nescio quis è vulgo. Fuit ipsa plena Synodus: Vnde & sermoni plena subscripsit.

Romana illa, quam ad Tyrium de sancto Athanasio iudicium retractandum parabat Iulius Pontifex, Synodus erat futura generalis, & de ipsa ad Eusebianam factionem idem Pontifex scripsit: [Vestri Legati Macarius presbyter, & Hesychius diaconus Concilium indici postularunt. Et iterùm: Martyrius Concilium generale postulauit.] Ait à se indictam Synodum, & citra postulationem indici potuisse, & factionem arguit, quod ex fictis rationibus detrectauerit adesse. Et eius successor Liberius, ad sanctum Athanasium damnandum à Constantio Imperatore postulatus, & compulsus, reposuit: [Fiat ecclesiastica Synodus longè à palatio, vbi nec Imperator est, nec Comes se ingerit, nec Iudex minatur, sed vbi solus Dei timor ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio.] Non petit, sed offert Synodum: Quòd nempè eius iudictionem Apostolica institutio Romano Episcopo commisisset. Et addit Principi, aut eius Ministris circa ipsam nihil esse iuris. Habes hæc in laudati Athanasij ad Solitarios epistola.

Et in literis ad Theodosium Imperatorem Romana Damasi Pontificis Synodus Orientales Episcopos, qui primam Constantinopolitanam celebrarant, grauiter arguit, quòd Romam ad generale Concilium non comparuissent, sed ipsi egissent aliud priuatum Constantinopoli: Disertè affirmat Romanum fuisse à se indictum. Exstat epistola in Appendice Codicis Theodosiani. Quod ipsum in ecclesiastica historia affirmat Theodoretus. Et hæc est vna causarum, ob quas dicta Constantinopolitana Synodus sit non legitima, sed dumtaxàt legitimata. Et dicti Episcopi non fuerunt refragati. Lucet ex ipsorum ad Damasum synodali Rescripto: [Postquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos charitate, tamquam membra propria, per religiosissimi Imperatoris literas euocastis.] Profitentur se quidem per sacras Diuales, non tamen ab Imperatore, sed à Pontifice euocatos. Lib. 5. c. 8.

Et de Chalcedonensi Synodo ad Iuuenalem Hierosolymę Episcopum scribit magnus Leo: [Generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.] Suo more humiliter loquitur: Solum consensum laudat, & quidem non suum, sed Sedis Apostolicæ. Humilitatem exposuit in suis ad Leonem Imperatorem literis Synodus secundæ Mæsiæ: [In Chalcedonensium ciuitate multis sanctis Episcopis conuenientibus per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè Caput est Episcoporum, Concilium est celebratum.] Quæ aurea verba adeò percusserunt oculos Ioannis Launoij, vt in memorata ad Felicem Philippęum Brossam epistola scribat: [Antistites Mæsiæ secundæ, si Concilij Acta, & Leonis perlegissent epistolas, ad Leonem Imperatorem laudata iam verba minimè perscripsissent.] Certè in veneranda antiquitatis monimenta non decet nos ità grassari. Istorum Episcoporum plures Chalcedonensi Synodo adfuerant, & de ipsius iustitia rogabantur à Principe synodale iudicium: Quomodo igitur possint Chalcedonensia Acta non perlegisse? Etiam magni Leonis viderant epistolas, ac eius humiles de semetipso voces exposuerunt. Epist. 61. c. 1. Epist. 32.

Cur autem non per proprias, sed per sacras Diuales Principum literas generalem Synodum olim indixerit, ac Episcopos conuocauerit Pontifex, variæ suaserunt rationes. Primam in ecclesiastica historia adducit Theodoretus, agens de Euagrio, ac Flauiano ob Antiochenum Episcopatum contendentibus, & adiungens de Romanis Pontificibus: [Romani Imperatoris animum contra Flauianum incitare obnixè studuerunt. Nam cum Imperatori nimis acriter iustando multum sæpè exhibuissent molestiæ, accersit hic illum Constantinopolim, & Romam proficisci iubet. At Flauianus respondit hyemem iam esse. Itaque pollicitus se ineunte vere imperata facturum, in patriam reuertit. Sed cùm Romani Episcopi, non Damasus solùm ille admirabilis, verùm etiam post illum Siricius, & Anastasius Siricij successor, vehementiùs in Imperatorem inuecti essent, dixissentque eum illos, qui Tyrannidem contra se exercere molirentur, opprimere, sed his, qui per Tyrannidem Christi leges euertere studerent, impunitatem concedere, eum accersit denuò Imperator, Romamque vt conten- Lib. 5. c. 23.

tendat, cogere laborat.] Errat in personis. Etenim Theodosius triennio ante Siricium obijt, ideòque in ipsum contendisse non potest Anastasius. Siricius ergo in ipsum inuectus est, quod Flauianum Capuanæ Synodo non stitisset. Et ad similes reorum Episcoporum, præsertim Patriarcharum, contumacias frangendas Pontifex non suis, sed armatis Principis literis ad Synodum conuocabat. Ex eadem Regula scribit de compulso ad Seleuciense Concilium sancto Hilario Pictauiensi Sulpitius Seuerus: [Hilarius quartum iam exilij annum in Phrygia agens, inter reliquos per Vicarium, ac Præsidem adesse compellitur, cùm tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator. Iudices tantùm generalem iussionem secuti, qua omnes Episcopos ad Concilium cogere iubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscere.] Et hinc ad Imperatorem Theodosium secundum, qui à Chrysaphio eunucho circumscriptus Ephesinum latrocinium circumducere, & ipsius retractatoriam Synodum concedere recusabat, à sancto Leone Pontifice permotus scripsit Valentinianus tertius: [Debemus dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanę Ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas cōtulit, locum habeat, ac facultatem de fide, ac Sacerdotibus iudicare.] Exstat epistola in prima parte Concilij Chalcedonensis. Rogat vt ab indicenda necessaria Synodo non impediat sanctum Pontificem, sed suis sacris Tractorijs adiuuet, & comitetur. Eumdem scopum respicit in literis ad Faustum, ac Symmachum Romanos Senatores sanctus Auitus Viennensis Archiepiscopus: [Primùm fuerat talis status rerum desiderandus, vt ipsi per nos vrbem orbi venerabilem pro dependendis Diuinis, humanisque expeterenius officijs. Sed quia istud iam dudum per rationem temporum fieri posse cessauit, vellemus vel eò securitatis accedere, vt quæ in causa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed huius quoque nos voti compotes reddit Prouincia præfixis Regnorum determinata limitibus. Hæc est literarum Epigraphe: De synodo Romana, in qua episcopos Italiæ, qui ad eam conuenerant, culpandos docet, quòd de Pontificis Romani causa iudicandum inferiores susceperint.] Indictas à Romano episcopo synodos, quas suis sacris Tractorijs olim adiuuabant Romani Imperatores, lamentatur iam à Paganis, aut Hæreticis Barbarorum Regibus impediri, ideòque solis, quas tamen & isti morantur, Gallicanæ Ecclesiæ relationibus debere esse contentas. Romani olim Augusti, vt hodiè Christiani Reges, à Pontifice euocatos Episcopos iubebant adesse synodis: Alia est hodie forma, eadem substantia.

Lib. 2. c. 57.

Epist. 25.

Alteram, ex qua Romani olim Episcopi per Diuales literas conuocarent ad synodos, edicit in quinti sui libri præfatione Socrates: [Passim in historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia, & conuocata fuerunt, & adhuc conuocantur.] Ecclesia enim, vti rectè scripsit sanctus Optatus Mileuitanus Episcopus, erat tunc in Imperio, & sine vtriusque concussione, & motu fieri non poterat generalis synodus, ideòque vti Romani Episcopi, ita etiam Romani Augusti auctoritate, & assistentia erat opus. Et hinc quædam per Imperatorem, quædam per Pontificem fuerunt quandoque postulatæ synodi, ac impetratæ, quandoque recusatæ, ac impeditæ. Etenim generalem, quam ab Apostolicæ Sedis in se iudicio appellauerat Hæresiarcha Eutyches, synodum esse necessariam negabat Magnus Leo, affirmabat verò circumscriptus ab Eunucho Theodosius: Et huius præualens sententia peperit nobis Ephesinum Latrocinium. Pro cuius correctione aliam synodum appellauit sanctus Flauianus Constantinopolitanus Episcopus, & dandam affirmabat idem Leo, negabat idem Theodosius: Et ita mansit vsque ad successorem Martianum, qui Pontifici consensit, deditque sacras iussiones, & literas pro synodo Chalcedonensi. Et plura sunt huiusmodi exempla.

Et quidem non solis Tractorijs, sed insuper missis Legatis ad generales synodos Augusti cooperabantur, & non rarò excedebant modum, ideòque ipsorum hæc commixtio grauibus Episcopis etiam tunc displicebat, & iudicata ex aduersati Ecclesiasticæ libertati. Hinc enim aduersùs Tyriam, quæ sanctum damnarat Athanasium, synodum scripsit ad omnes sub cœlo Episcopos Alexandrina synodus: [Si veluti Episcopi sese iudices volebant esse, quid opus erat Edictis Imperialibus ad coëundum?] Et aduersùs Flauianum Antiochiæ Patriarcham, qui ad sui causa indictam Capuanam synodum non comparuerat, declamat in literis ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham, Magnus Ambrosius: [Cum ex æquissimę synodi Constitutis speraremus iam remedium datum, finemque oblatum discordiæ, scribit Sanctitas tua iterum fratrem nostrum Flauianum ad precum auxilia, & Imperialium Rescriptorum suffragia remeauisse. Frustra ergo tantorum Sacerdotum fusus est labor, iterum ad huius sæculi iudicia reuertendū, iterùm ad rescripta, iterùm vexabuntur Sacerdotes senes, transfretabunt maria, iterùm inualidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum sacrosancta Altaria deserentur, vt in longinqua proficiscamur, iterùm pauperum turbæ Episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, æternæ opis egentes compellentur inopiā gemere, aut certè victum inopē itineris vsurpare? Interea solus exlex Flauianus nō venit, quando omnes conuenimus.] Flauianus, vti Capuæ noluerat coram ordinario, ita & Alexandriæ coram delegato Tribunali nolebat comparere, sed ab amico Imperatore Theodosio postulauerat aliam synodum, non in Italia, aut Occidente, sed in Oriente celebrandam. Roma enim, omnisque Italia apud reos Episcopos semper habuerunt durum odorem. Hinc igitur aduersùs Imperij in Ecclesiasticam potestatem violentias declamat Ambrosius, lamentatur Ecclesiasticas synodus non permitti soli Ecclecle-

clesiæ, indignatur ipsis Imperialia iudicia, ac rescripta misceri. Quæ omnia optimè intellexit in epistola aduersus nepotem suum Hincmarus Metropolita Rhemensis: [Generales synodi sine speciali iussione Sedis Apostolicæ regulariter congregari non poterant, neq; possunt. Et iterum; Congregantur Apostolicæ Sedis iussione, & Imperiali conuocatione. Et in Catholica concordantia Nicolaus Cardinalis Cusanus: Breuiter dico, quod ita se habet Imperator ad vniuersalem Catholicæ Ecclesiæ synodum, sicut Rex ad vniuersalem sui Regni. Non quod coactiuè, sed exhortatoriè colligere debeat. Eruditè hæc demonstrat varijs generalium synodorum exemplis, & concludit: Ista sunt, quæ ad Imperatorem spectant quoad synodi principium, scilicet conuocare cum exhortatione, & tuitione, summaque libertate, & bona, & optima custodia, dempta omni partialitate, & præcepti necessitate. Quæ omnia etiam nos sine partium studio attendamus.

C. 10. Lib. 3. c. 13. C. 14.

CANON XVII.

Quod nullum Capitulum, nullusque liber Canonicus habeatur absque Papæ Auctoritate.

SCHOLION.

Hanc Romani Pontificis auctoritatem laudat in Ecclesiastica historia Eusebius Cæsariensis Episcopus, sancti Marci Euangelium affirmans Romæ ad fidelis populi, de sancti Apostoli Petri prædicatione, & de victo per ipsum Simone Mago gaudentis, preces fuisse conscriptum, & adiungens: [Cùm Petrus Apostolus, Diuina Spiritus sancti reuelatione suggerente, intelligeret opus istud editum esse, ferunt eum propenso, & acri illorum hominum studio magnopere fuisse delectatum, hancque Scripturam auctoritate sua ratam fecisse, quò in Ecclesia passim perlegeretur. Scripturam aliquam ad publicam in Ecclesia Lectionem facere ratam non est aliud, quàm ipsam in immobilem canonem referre. Nec in solo Petro Apostolo, sed & in eius successoribus eamdem auctoritatem agnouit, scribens de Apostolica ad Hebræos epistola: [Quidam illi epistolæ, ac si Pauli non sit, fidem abrogare studuerunt, affirmaruntque eidem ab Ecclesia Romana contradici. Ideò dixerunt non Canonicam, quod tantæ eius dignitati non acquiesceret Romana Ecclesia. Eruditam, & authenticam, vtpotè non ex propria solùm, sed ex Romanæ Ecclesiæ persona, seu ex cathedra scriptam. sancti Clementis Romani Pontificis ad Corinthios epistolam meritò laudat etiam Eusebius, & adnectit: [In hac quoniam multa nonnumquam eodem sensu ex Epistola ad Hebræos sumpta inserit Clemens apertissimè quidem declarat illud opus non recenti hominum memoria editum. Vnde meritò reliquis Apostoli scriptis videtur adnumeratum.] Quod Romana Ecclesia istius epistolæ dicta in suarum assertionum confirmationem assumeret, ex tanti ponderis diplomate sperat ipsam, licèt plenè Canonica

Lib. 2. c. 14. Lib. 3. c. 3. Lib. 12. c. 32.

needum sit, suo tamen tempore plenè canonizandam. Ex eodem principio Montanum huic epistolæ contradicentem, non audet arguere: [Quod ipsa apud quosdam etiam Romanos adhuc Apostoli epistola esse non existimaretur.] Aduerbium, adhuc, non caret emphasi: Edicit Eusebium in sua de canonizandis istis literis spe perstare. In Phrygia, Asiaticæ Diœceseos Prouincia, docuit, adeòque ab omni epistolam istam vti Apostolicam recipiente Orientali Ecclesia dissonabat, profanus, & audax Montanus: Et tamen ipsum hoc in puncto nullus etiam Græcus propter Romanæ Ecclesiæ auctoritatem præsumpsit culpare. Quod etiam Caius Proculi Montanistæ eruditus impugnator sub Zephyrino Pontifice, hunc articulum non damnauerit, testatur in Ecclesiasticorum scriptorum Catalogo sanctus Hieronymus, & adiungit: [Apud Romanos vsque hodiè quasi Pauli Apostoli epistola non habetur.] Sanctus Paulus Apostolus fatetur se fuisse sermone imperitum: Græci enim sermonis elegantiam reuera non calluit. Hæc autem epistola est sermonis elegantissimi. Præterea, antiqui testamenti testimonia ex Hebraico fonte semper Apostolus; ista autem epistola semper citat ex septuaginta Interpretibus. Ob has & alias istiusmodi rationes hanc nō Apostolo, sed alicui eius Discipulo dudum adscripsit, ideòque Diuinam, & Canonicam nō credidit Romana Ecclesia. Nec sola Ecclesia Orientalis, sed etiam S. Hieronymus, cū omni Africana Christianitate S. Augustinus, & plures tales Occidentalium Doctores semper censuerunt Apostolicam: Ob Romanæ tamen Ecclesiæ dissensum nemo præsumpsit canonicam pronunciare. Ipsam tandem talem pronunciauit in Romana sua synodo sanctus Gelasius Pontifex: Exindè nulli licuit aduersari. Lib 6. c. 14.

Dictatus nostri veritatem agnouit, ac insigniter confirmauit etiam tertia synodus Carthaginensis. Etenim Africanæ Ecclesiæ auitum Canonem innouans sic posuit: [Pauli Apostoli epistolæ tredecim. Eiusdem ad Hebræos vna. Hanc ab alijs discreuit, quod nempè ob Romanæ Ecclesiæ contradictionem necdum esset plenè Canonica. Quin & adiunxit: Hoc etiam Fratri, & Consacerdoti nostro Bonifacio, Romano Pontifici, vel alijs earum partium Episcopis, pro confirmando isto Canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.] Condendi Canonis, vel vllius libri, aut Capituli in ipsum recipiendi potestatem agnoscit nec sibi esse, nec suis fuisse Antecessoribus; Profitetur ipsam priuatiuè spectare ad solam Romanam Ecclesiam, ideòque etiam auitum Ecclesiæ suæ canonem supplicat ab ista comprobari. Et quod istam epistolam nec ob tantas preces canonizare voluerit Pontifex Bonifacius, lucet ex sancti Augustini post ipsius mortem scripto Enchyridio. Libellus quippè hic impugnat apud Gallos grassantia Nestorianæ hæreseos exordia, quæ certum est priùs sub Cœlestini Pontificatu cœpisse. Laudatus libellus eodem in capite Apostolicas, & ad Hebræos, & ad Corinthios epistolas laudans, de hac dicit: [Apostolus complexus est. De ista verò: Sicut in epistola ad Hebræos legimus.] Hanc nequaquam, sed istam so- C. 47. C. 58.

solam adscribit Apostolo: Quod nempè à Romanæ Ecclesiæ iudicio non præsumeret discordare. Post Bonifacij mortem scriptus est etiam de Sanctorum prædestinatione liber
C. 15. atque dicit: [Epistola, quæ est ad Hebræos. Et in nouissimo aduersus Iulianum opere: { Ad Hebræos epistolam lege.] Loquitur cum sancto Hieronymo in Isaiæ Commenta-
C. 50. rijs: [Epistolæ, quæ fertur ad Hebræos.] Et in Apostolicæ ad Titum epistolæ Commenta-
C. 1. rijs: [Si quis vult recipere eam epistolam,
C. 2. quæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est.] Et iterùm: [Relege ad Hebræos epistolam Pauli, siue cuiuscumque alterius eam esse putas.] Ita loquitur quod eam Romana Ecclesia necdum Apostolo adiudicasset. At verò magnus sancti Augustini Discipulus, & Africanæ Ecclesiæ Doctor insignis, sanctus Fulgentius in libro de fide ad Petrum longè aliter loquitur: Epistolam istam disertè adscribit Apostolo, eiusque doctrinam, & auctoritatem affirmat esse Apostolicam. Eodem modo loquitur in vtraque epistola ad Gallam, in responsione ad Arianos, & in libris ad Regem Trazamundum. Nempè post sancti Gelasij synodum scripsit Fulgentius, atque ita Romana auctoritas epistolam tunc fecerat Apostolicam, & retulerat in Canonem.

Eamdem fidem profitetur quarta syno-
C. 17. dus Toletana; [Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas, & synodica Sanctorum Præsulum Romanorum decreta esse Ioannis Euangelistæ præscribunt, & inter Diuinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt, qui eius auctoritatem non recipiunt, si quis eum deinceps non receperit, excommunicationis sententiam habebit.] Librum hunc esse Apostolicum negarunt, quin vt Millenarium Cherinthi figmentum damnarunt olim quædam, & Orientales, & Occidentales ecclesiæ, istaque opinionum varietas etiam Hispanos vsque tunc detinuerat. Romanam, ad quam nouerat priuatiuè spectare istud iudicium, ecclesiam laudata synodus sub rigida excommunicatione præcepit sequendam. Eadem de causa Dionysius Exiguus, Codici suo inserens omnes, & singulos Canones synodi Laodicensis, ab ipsa statutum Diuinorum librorum Canonem expunxit, inseruitque solùm constitutum ab Innocentio primo: Quòd nempè eiusmodi constitutum priuatiuè spectet ad Romanam ecclesiam, Hinc Laodicensem Canonem, vt minimè authenticum, Dionysius prætermisit. Etiam Melithon, vetustus Sardensium in Lydia Metropolitanus episcopus, sanctus Athanasius, magnus Basilius, sanctus Gregorius Nazianzenus, sanctus Amphilochius, alijque Patres, & ecclesiæ suos sibi fixerunt Canones, verùm nullus vmquam vniuersalem auctoritatem meruit, nisi Romanus.

Rationem adducit in libro aduersùs fundamenti Epistolam sanctus Augustinus:
C. 9. [Si Scripturis credendum est, cur non his potiùs credam, quæ robustissima auctoritate firmatæ sunt, quæ cum ipso Euangelio innotescere populis, & commendari posteris, præ-
C. 5. dicarique meruerunt? Auctoritatem istam exponit in alio eiusdem libri capite: Ego Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoueret auctoritas. Et distinctiùs in libris aduersùs Faustum: Si auctoritatem Scripturarum omnibus præferendam sequi vultis, eam sequamini, quæ ab ipsis præsentiæ Christi temporibus per dispensationes Apo- Lib. 3. c. 9.
stolorum, & certas ab eorum Sedibus successiones Episcoporum, vsque ad hæc tempora toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata peruenit. Et in alio eiusdem operis libro: Vides in hac re quid valeat Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum vsque ad hodier- Lib. 11. c. 2.
nam diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Et in libris de doctrina Christiana: In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum, quam plurium auctoritatem sequatur inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Li. 2. cap. 8.
Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresque accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quamquam hoc facile inuenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto. Porrò de Apostolica Romanorum Sede scribit idem Augustinus ad quosdam Donatistarum Episcopos: In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Ca- Epist. 161.
thedræ viguit Principatus.] Et hic semper fuit tantus, vt ipsum præsertim respiciat hæc avita Regula, quam ad quosdam Ægyptios apud Palestinæ Diocæsaream exulantes Confessores Episcopos scribit magnus Basilius. Ipsos, quòd de Marcelli Ancyrani, atque Apollinarij Laodicensis Episcoporum personis, & dogmatibus quædam sine consueta ad Occidentales, & Orientales Ecclesias relatione constituissent, fraternè arguit, atque adiungit: [Ad hunc ergo modum oportebat Epist. 293.
vos consilium cœpisse, constanter quidem, moderatè tamen, de rebus ad omnes per omnem terrarum orbem Ecclesias spectantibus.] Nullus vnquam Patriarcha, nulla Diœcesis, nullum generale Concilium de fide Catholica aut vniuersali Christianitatis disciplina definire potuit sine Romani Episcopi auctoritate, & vario illius influxu, atque adiutorio. At verò Diuinorum librorum Canon est totius fidei fundamentum, & causa omnium maxima, atque vniuersalissima: Eius ergo iudicium quàm maximè spectat ad Romanam Ecclesiam, & sine eius auctoritate non potest esse firmum.

Quæstio est, quomodo Apostolicam ad Hebræos epistolam affirmem priùs à sancto Gelasio Pontifice fuisse admissam in Canonem? [illegible]nim auitus Romanæ Ecclesiæ, ab Innocentio primo in literis ad sanctum Exuperium Tholosæ Episcopum laudatus, & innouatus, Canon disertè habet: [Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim.] Respondeo sanctum Augustinum post laudatam epistolam longè aliter scripsisse in locis suprà laudatis, necnon in libris de peccatorum meritis: [Ad Hebræos epistola, quamquam non- Lib. 1. c. 17.
nullis incerta sit, tamen quoniam legi quos-

dam huic nostræ de paruulorum Baptismo sententiæ contraria sentientes etiam istam quibusdam opinionibus suis testem adhibere voluisse, magisque me mouet auctoritas Ecclesiarum Orientalium, quæ hanc etiam in Canonicis habent, quanta pro nobis testimonia contineat, aduertendum est.] Eius non tamquam Canonicæ, sed tamquam ab aduersarijs admissæ auctoritate vtitur aduersùm Pelagianos. Et ipsam profitetur non in Occidentalium, sed dumtaxat in Orientalium Ecclesiarum esse Canone. Quòd nempè vsque tunc ipsam non admisisset Romana Ecclesia. Quapropter laudatus Innocentij locus est à Dionysio Exiguo, non quidem viciatus, sed suppletus, & accomodatus ad tempora Gelasiana. Suo, qui compendiosus esse, ac tautologia, & præsertim antilogia, etiam in solam speciem, non laborare debebat, Canonum Codici, & Innocentij, & Gelasij non plenè consonos Canones inserere Dionysius noluit: Inseruit solum priorem, vtpotè ætatis canitie magis venerandum, at ex posterioris de laudata Apostoli epistola additamento auctum, & suppletum. Et hæc suppletio quosdam maiores nostros circumscripsit: Eis persuasit esse genuinum, & authenticum Innocentij textum. Est res alterius loci.

Porrò occasionem, ex qua laudatam epistolam suo tandem Canoni inscripserit Romana Ecclesia, edicit in sui ad ipsam commentarij præfatione Theodoretus: [Nihil faciunt admirandum, qui morbo Ariano laborant, si aduersùm literas Apostolicas insaniant, & epistolam ad Hebræos à reliquis separent, eamque adulterinam appellent. Qui enim aduersùs Deum, & Seruatorem nostrum linguas mouent, quid non audeant aduersùm eius beneuolos, & grandiloquos veritatis Præcones? Oportebat autem ipsos, etsi nihil aliud, temporis certè diuturnitatem vereri, quo hanc epistolam in Ecclesijs perpetuò legerunt alumni veritatis. Ex quo enim literarum Apostolicarum fuerunt Dei Ecclesiæ participes, ex illo etiam epistolæ ad Hebræos vtilitatem percipiunt. Quod si ne hoc quidem ad eis persuadendum satis est, Eusebio certè oportebat eos Palestino credere, quem Patronum suorum Decretorum appellant. Nam is etiam Diuinissimi Pauli hanc esse epistolam confessus est: Et veteres omnes hanc de ea sententiam habuisse adseruit. Sed his omnibus valere iussis, aduersùs veritatem impudenter decertant, Apostolicæ Theologiæ, qua procemium exornauit, splendorem non ferentes. Cùm enim non possent resistere ijs, quæ de Vnigeniti Diuinitate apertè dicta fuerant, ausi sunt totam epistolam reijcere, cùm tamen, & Decreta, & aliæ sententiæ magnam habeant cognationem cum alijs epistolis. Suæ autem accusationi hunc prætextum adferunt, quod Apostolicum nomen non sit similiter positum in procemio.] Quæ omnia compendio repetit in commentario ad capitis primi versum tertium. Epistolam hanc, quòd Diuini Verbi consubstantialitatem lucidissimè prædicet, Ariani ex solemni omnibus hæreticis priuilegio blaterarunt spuriam, & nullius momenti. At verò Pelagiani ipsam sibi fauere iactitabant, & suos errores ex ipsa firmabant. Et multis reddebant suspectam. Ita hi Occidentem, illi turbabant Orientem. Quin, & Occidentem. Etenim sancti Gelasij Pontificis tempore Italiam, Africam, Hispaniam, & magnam Galliæ partem tenebant, ac vexabant Gothi, Vvandali, Sueui, Burgundi: omnes Ariani. Hinc ille Synodaliter discussit epistolam, liberauit & ab Arianis, & à Pelagianis calumnijs, & fecit esse Canonicam.

CANON XVIII.

Quòd sententia Papæ à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.

SCHOLION.

A Gregorio nostro cœptam in se excommunicationis, ac degradationis sententiam Henricus quartus Imperator, per Godefridum Lotharingiæ Ducem, Guilielmum Vltraiectensem Episcopum, & Cardinalem Hugonem Blancum circumscriptus, retractari, atque cassari, imò & Pontificem vti Ecclesiæ, ac Imperij turbatorem degradari Ann. 1076. iussit in synodo Vvormatiensi, cuius acta videre possis apud Lambertum Schafnaburgensem, Veneticum Vercellensem Episcopum, ac præsertim Brunonem Merseburgensem in historia belli Saxonici. Etiam Lombardiæ, & alios Italiæ Episcopos Pseudosynodo adhæsisse, habes apud eumdem Lambertum. Quam retractationem, quidquid aduersùs illam declamarent Saxones, resumpsit Synodus Goslariensis, Ann. 1085. cuius acta exponit in suo Chronico Bertholdus Presbyter Constantiensis. Aduersùm similes insolentias prodijt præsens Dictatus: Posteà confirmatus à Quintelburgensi Synodo aduersùs Cunibertum Pseudoclericum Bambergensem. Eumdem laudat, & Gelasij primi, & Gregorij quarti Pontificum authoritate roborat aduersùs sui Senonensis Metropolitæ Richerij audaciam S. Iuo Episcopus Carnutensis. Hinc, & Humbaldum Antisiodorensem Episcopum, qui suam à Sede Apostolica decisam causam parabat in Gallia retractari, grauiter arguit, & adiungit: [Si Epist. 241. causam hanc coram Clericis, & Laicis, inconsulto Summo Pontifice, retractaueritis, Maiestatem Apostolicam offendetis, & à causa vestra, quæ nunc in tuto est, iure cadetis.] Et Monachis Fossatensibus, querentibus se Epist. 159. grauatos sententia Vrbani secundi, ideoque ad Regem quasi ab abusu prouocantibus, seriò suasit ne descenderent in Ægyptum, sed ab ipsa Sede Apostolica confugerent ad ipsam, quòd eius iudicium à nullo possit retractari. Ecclesiæ causas prouocari ad Regem oderat pessimè, ideoque & Paschali secundo Pontifici supplicauit, vt malo omnem rimam clauderet, ac Antecessoris sui iudicium gratiosè permitteret retractari. Quod ipsum ad Odonis Cameracensis Episcopi preces supplicauit pro Radulpho Brabantiæ Archidiacono, qui videbatur iniquè exauctoratus.

Dictatum hunc Gregorius desumpsit ex Nicolai primi literis ad Michaelem Imperatorem:

Epist. 8. torem: [Nulla regula, nulla consuetudo demonstrat Sedis Apostolicæ semel prolatam sententiam, ipsa non annuente, vltra posse mutari.] Et aduersùs Acacij Constantinopolitani Episcopi, Romanæ Ecclesiæ de Petro Mogo Alexandriæ Pseudopatriarcha iudicium retractare, & reformare ausi, sequaces scribit ad Faustum Magistrum S. Gelasius.
Epist. 4. [Opponūt nobis Canones, dum nesciunt quid loquantur.] Synodaliter damnatum Episcopum non ad Laicum Principis Tribunal, sed ad maiorem Synodum confugere mandat duodecimùs Canon Antiochenus, atque huic prioris iudicij retractaudi facit potestatem. Hunc Canonem, tamquam Acacij expurgatiunm, assiduè buccinantibus Schismaticis respondet Gelasius ipsum esse factiosum, atque illegitimum, nec ipsius mentem ab illis percipi, atque pergit: Canones, vtique legitimi, atque authentici, [appellationes totius ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis examen voluere deferri, ab ipsa verò nusquam prorsùs appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui.] Laudat Canones Apostolicos, Nicœnos, Sardicenses. Et pergit in epistola
Epist. 13. ad Dardaniæ Episcopos: [Non reticemus, quod cuncta per mundum nouit ecclesia, quoniam quorumuis sententijs ligatos Pontificum Sedes Beati Petri Apostoli ius habet resoluendi, vtpotè quòd de omni ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa nemo est appellare permissus.] Theodosius secundus Imperator Illyricianæ Diœceseos, per inita cum Valentiniano tertio pacta ab Occidentali Imperio ad Orientale translatæ, ecclesias censuit etiam transferendas, atque ita Romano Patriarchatui subtractas transcripsit in Constantinopolitanum. Hinc Perigenis, è Patracensi ad Corinthiorum Cathedram translati Episcopi, finitam Romæ causam ad suum iam Tribunal spectare existimauit Athicus Constantinopolitanus Episcopus, præsumpsitque ei retractandæ Synodum indicere, & cunctos Illyrici Episcopos ad ipsam conuocare. Verùm sanctus Bonifacius Pontifex intercessit, noua illa Theodosij tentamenta edixit irrita, & vacua, cunctis Illyrici Episcopis, ac præsertim Rufo Thessalonicensi, suo per istam Diœcesem Patriarchali Vicario, interdixit accessum istius Synodi, & adiun-
Epist. 8. xit: [De nostro non est iudicio retractandum. Numquam enim licuit de eo, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, rursus tractari.] Has primæ, atque supremæ suæ Sedi, & à Theodosio, & ab Athico illatas in iurias grauiter exaggerat etiam in alia ad laudatum Rufum epistola, & concludit:
Epist. 10. [Nemo vmquam Apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit iudicari. Eruditas has, ac momentosissimas, quarum quædam fragmenta in laudatis ad Michaelem Augustum literis Nicolaus primus, & in Romana sua aduersùs Photium Synodo adduxit Adrianus secundus, integras epistolas Illustrissimus Lucas Holstenius magno ecclesiæ bono nuper publicauit.

Notanda sunt verba laudati Nicolai: Ipsa non annuente. In suo quippè de personis, & factorum quæstionibus iudicio obreptionem pati, & circumscribi potest Romana Ecclesia, ideòque quandoque necesse est eius iudicium retractari. Verùm ipsa annuente: Quicumque Patriarcha, aut Primas, quæcumque Patriarchalis, aut etiam vniuersalis Synodus contra eius beneplacitum retractauerit, in sanctum Apostolum Petrum leuat manum rebellionis. Ità ecclesia semper credidit, & egit. Etenim Donatistas, à Romano Melchiadis iudicio ad ipsum appellantes, detestatus fuit Constantinus Imperator, nec eis Episcopale Arelatensis Synodi retractaturum iudicium indulsit, nisi vbi Syluester Pontifex permisisset. Per appellationem enim Pontifex non demutatur in reum, aut accusatorem, sed pleno iure perseuerat Iudex, ideòque, aut ipse, aut eius Legatio retractanti Synodo non tantùm adesse debet, sed etiam præsidere. Et hinc de laudato Melchiadis iudicio scribit ad quosdam Donatistarum Episcopos sanctus Augustinus: [Ecce putemus illos Epist. 162. episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersæ ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.] Romani Pontificis de personis iudicium fatetur à generali Synodo posse retractari, verùm itaut ipse adsit, & vnà retractet, adeòque Synodum istam indicat etiam, ac regat. Etenim Sardicensem, in qua Apostolicum Iulij Pontificis de sancto Athanasio, & alijs episcopis iudicium retractari oportebat, Synodum permisit, indixit, ac per Hosium Cordubensem Episcopum rexit laudatus Iulius: Et horum nulli Eusebiana factio contradixit. Athanasium duntaxat noluit admitti ad synodalem consessum. Hæc vnica fuit causa secessionis ad Conuenticulum Philippopolitanum. In apertam tandem aduersùs Romanam Ecclesiam, & sancti Petri Apostoli priuilegia rebellionem, & schisma tunc erupit factio, & neque tunc Sardicensem, aut Romanam pro Athanasio sententiam præsumpsit abolere, aut retractare. Ab ipsa circumscriptus Imperator Constantius Romam misit Eusebium Eunuchum, sacri sui cubiculi præfectum, qui à tentato, & minis, & promissis Pontifice Liberio tandem obtinuit nouam retractaturam Synodum, verùm quæ remota esset à Palatio, haberet plenam libertatem, & cui neque miles adesset, neque Comes. Quæ Romanas appellationes proscripsit factio, istud retractationis facinus ne, vel tentauit. Etiam primam Ephesinam, in qua eius de Nestorio Episcopo Constantinopolitano retractanda sententia, Synodum indixit à Theodosio Imperatore rogatus Cœlestinus Pontifex, eiusque Legatio præsedit. Et Dioscori Patriarchæ Alexandrini in secunda istic Synodo palmare facinus fuit, quod à Romani in Eutychetem Hæresiarcham iudicij retractatione excluserit sancti Leonis Legatos, ac

ipsis inuitis retractarit. Hinc summum illi Primatum habuerunt in Synodo Chalcedonensi. Etiam Nicolai primi de Photio Constantinopolitano Episcopo sententiam non nisi ex Adriani secundi consensu retractare praesumpsit Synodus octaua. Et eam ipse indixit, & rexit. Quae omnia pluribus declarata, & alijs praeterea exemplis firmata sunt suis locis. Quin, & suis iudicijs tantam reuerentiam debet ipse Pontifex, vt ipsorum retractationem non nisi ex grauissimis causis possit indulgere. Aduersùs septimum nostrum Gregorium, dum suum de Henrico quarto Imperatore iudicium permisit retractari, quàm grauiter questi fuerint Saxonum Episcopi, & Proceres, videri possit apud Brunonem Merseburgensem. Nec desunt alia exempla. Istam ergo Apostolicae Sedis supremam dignitatem praesens dictatus confirmat.

Exponitur aduersum Argumentum.

Verùm his obesse videtur, quod à Romano Episcopo appellari possit ad generale Concilium. Nec tantùm in fidei causa, sed etiam disciplinae. Etenim de primis Donatistis, aduersùs Romanum Melchiadis Papae in se iudicium murmurantibus, scribit ad quosdam ipsorum Successores sanctus Augustinus: [Ecce putemus illos Episcopos, qui Romae iudicarunt, non bonos Iudices fuisse, Epist. 162. restabat adhuc plenarium vniuersae ecclesiae Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiae soluerentur. Quod verùm fecerint, probent. Nos enim non factum esse, facilè probamus ex eo, quod totus mundus non eis communicat. Aut si factum est, etiam ibi sunt victi: Quod ipsa eorum separatio manifestat. Sed tamen quid postea fecerint, Imperatoris literis sufficientissimè ostenditur. Iudices enim ecclesiasticos, tantae auctoritatis episcopos, quorum iudicio, & Caeciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè iudicarint. Dedit ille Arelatense iudicium, aliorum scilicet episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio episcoporum, qui Romae sederant, ipse iudicaret, sed alios episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem prouocare maluerunt.] Arguit Donatistas, quod à Romani Episcopi iudicio, non ad generalem Synodum, sed ad laicum Principem prouocassent: Addens priorem prouocationem omninò licuisse. Et hinc, licèt adhuc Catechumenus, ecclesiae tamen Canones sciens Constantinus, se miscere noluit, sed Arelatensem ex toto Romano Patriarchatu Synodum iudici cuit anir, & ibi causam retractari. Quod & factum est à Melchiadis successore Syluestro. Etiam à sancti Iulij Pontificis pro sancto Athanasio, & eius à se degradatis Collegis iudicio appellauit ad generalem Synodum Eusebiana Arianorum factio: Et ad ipsum retractandum Imperatores Constantius, & Constans impetrarunt Synodum Sardicensem. Et à sancti Caelestini in se, àc suum dogma iudicio prouocauit Nestorius Constantinopolitanus Episcopus: Et impetrauit Synodum Ephesinam. A' sancti Flauiani in se, ac suam haeresim iudicio ad sanctum Leonem prouocauit Archimandrita Eutyches, & ab omnium confirmatorio laudati Pontificis iudicio ad generalem Synodum: Et obtinuit secundam Ephesinam. A' vario Romanę Ecclesiae iudicio appellauit etiam Pelagianorum Goliath Iulianus, & pro impetranda Synodo concussit omnem ecclesiam, & Rempublicam, nec aliud ipsi sanctus Augustinus opposuit, nisi quod lucida causa non egeret retractari. Quae omnia latè exposui partim in Sardicensis, ac vtriusque Ephesinae Synodi Scholijs, partim in Tractatu de Synodis, & Apostolicis Decretis contra haeresim Pelagianam. Nec desunt alia antiqua exempla.

Nec item exempla recentiora, Etenim ad decimi tertij saeculi annum sexagesimum septimum scribit in Citizensis Ecclesię Chronico Paulus Langius: [Ioannes Theutonici, primus Glossator Decreti, sancti Stephani in Halberstat Praepositus, contra Clementem Papam quartum appellauit propter Decimam exactam. Ideò eum excommunicauit, & Praepositura priuauit. Reconciliatus tamen pòst in pace obijt.] Eamdem rem memorat supplementum Abbatis Vspergensis: [Hoc Anno 1256. tempore floruit Ioannes Semeca, Theutonicus, iuris Doctor, qui Herculea audacia primus aggressus est glossare decretum. Hic Clementi Quarto Summo Pontifici, tùm per Germaniam, sicut Galliam, Decimas à Clero in redemptionem Terrę Sanctae exigenti, appellationem opposuit, sed Papa ipsum excommunicauit, & Praepositura Halberstadiensi priuauit. Sed erant magni in Germania viri, qui Ioannem deserendum non putabant. Mors verò, aequo pede pulsans pauperum tabernas, Regumque turres, hanc litem diremit, ac Pontificem, & Praepositum è medio sustulit. Quòd aduersùm similes Innocentij Octaui, & Alexandri Sexti exactiones Gallicana Ecclesia ad primam futuram Synodum prouocauerit, ostendit in opere de Sacerdotij, ac Imperij concordia illustrissimus Dominus Petrus de Marca. Aliam Lib. 4. c. 19. Lib. 6. c. 12. praeterea appellationem adducit praefatus Paulus Langius: [Ioannes vigesimus secundus Papa constitutiones fecit contra dicentes Christum, & eius Apostolos nihil in hoc mundo possedisse, id errorem censens, & vel- Anno 1213. lut Haereticos damnans, qui idem confirmarent.] Et infra: [Ioannes Papa in publico Consistorio condemnauit literam Capituli generalis fratrum Minorum in Perusio cele- Anno 1228. brati. Quamobrem Michael de Caesena eiusdem Ordinis Minister generalis appellauit contra Papam, asserens Papae determinationem de paupertate Christi fore haereticam. Praedicta siquidem litera Synodalis fratrum Minoritarum continebat, quod Christus, & Apostoli nullius rei dominium habuerint in proprio, vel communi, & quod in his, quae habuisse leguntur, tantùm habuerint absque iure

iure aliquo simplicem vsum facti, idest, rei. Papa autem contrarium determinans, præfatum Michaelem, & multos alios Doctores illi consentientes excommunicauit, & pro hæreticis damnauit. Famosissima fuit Philippi Pulchri Francorum Regis aduersùs Bonifacium octauùm appellatio, quam compendio refert in Chronico Nicolaus Triuetus:
Anno 1303. Circa festum sancti Ioannis Baptistæ milites quidam in præsentia Cleri, & populi Parisijs congregati Papæ Bonifacio multa imposuerunt enormia, puta hæresim, Simoniam, & homicidia, propter quæ per Regem appellatum est contra eum ad illum cuius interest, donec conuocato Concilio se de criminibus purgaret obiectis: Et infrà: Rex Franciæ Abbati Cistercienſi offensus, quia in appellationem contra Papam Bonifacium non consenserat, omnia Monasteria eiusdem Ordinis in Regno Franciæ constituta plurimùm molestauit. Propter quod Ab-
Anno 1304. bas vltro cessit regimini ordinis sui.] Nempè vniuersum Regnum Regi, & appellationi adhærebat, verùm Cisterciensis ordo stabat firmus pro Sede Apostolica, & Regias in sancti Petri dignitatem violentias spernebat. Longam rei seriem elucidant in epistola ad Christophorum Fauuæum Ioannes Launoius, ac præsertim in dicti Bonifacij Apologia Ioannes Rubius. Quod etiam Templarij à Clemente Quinto damnati, Sigismundus Austriæ Dux, ac eius Aduocatus Gregorius Heimburgius à Pio Secundo, Imperator Ludouicus Quartus, contra Ioanem Vigesimum secundum, & alij ab alijs Pontificibus ad generalem Synodum prouocauerint, cunctis eruditis est notum. Et quia modestiæ limites dictus Gregorius excesserat, eiusmodi appellationes tamquam hæreticas damnauit in Mantuana Synodo Pius Secundus, & aduersùs similem Venetorum, & Bentiuolorum appellationem Iulius Secundus confirmauit. Et iam dudum omnis Romana Ecclesia: Imò omnis Christianitas. Eiusmodi enim appellantes, tamquam Hæreticos, & Schismaticos, iam dudum solemniter damnat Bulla Dominicæ Cœnæ. Vtriusque Pontificis Decretum exponit in epistola ad Nicolaum Paruipendium Ioannes Launoius: [Pius Secundus de tollendis omnibus ad futurum Concilium prouocationibus cogitationem nullam suscepit. Et certè cogitationem suscepisset, quod nefas dictu est, iniquissimè. Sed vagis, ac promiscuis appellationibus modum posuit: Et rectè ac sapienter posuit. Tunc enim erant qui perinde, ac Gregorius Heimburgius, ne Decretas sacris Canonibus pœnas luerent, futurum Concilium appellabant. Itaque Pius appellationem iustam permisit, iniustam prohibuit. Sic quoque intelligendus est Iulius Secundus. Et hinc statim post Iulij mortem aduersùs successoris Leonis Decimi, & Regis sui Francisci primi famosa Concordata prouocauit ad generale Concilium Gallicanæ Ecclesiæ Clerus, nec se excommunicatum credidit: Quod scilicèt non friuolè, sed ex authentica causa prouocasset. Prouocarat enim ex articulis, ad quos seruandos sacrum, vbi Paulus Secundus fuit electus, Conclaue eligendum Pontificem solemni iuramento adstrinxerat, & quos dictum Paulum iurasse scribit Iacobus Cardinalis Papiensis: [Iurabat de maioribus committendis Sacerdotijs non nisi in Consistorio sententijs auditis decernere, ius ad ea nominandorum nulli omninò permittere. In ipso Conclaui Iulius Secundus fuerat Cardinalis Presbyter sancti Petri ad Vincula, ideòque præfatus Galliæ Clerus credidit se pro exacto per ipsum iuramento legitimè ad Synodum appellare.

Et hæ appellationes causæ retractationem non dumtaxat deuoluunt, sed omne etiam Apostolicum de ipsa iudicium morantur ab executione, atque suspendunt. Lucet ex sancti Cœlestini Pontificis in Nestorium Constantinopolitanum Episcopum sententia: [Apertè hanc nostram scias esse sententiam, vt nisi de Christo Deo nostro ea prædices, quæ Romana, & Alexandrina, & vniuersalis Ecclesia Catholica tenet, & hanc perfidam nouitatem intra decimam diem à primo innotescentis tibi huius conuentionis die numerandam deposueris, & apertà, & scripta confessione damnaueris, ab vniuersalis te Ecclesiæ Catholicæ communione deiectum, & ad omnia, quæcumque Sacerdotalis auctoritatis sunt, minimè idoneum.] Quam sententiam Pontifex per Possidonium Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum transmisit Nestorio, Clero & populo Constantinopolitano, omnibus Patriarchis, Ruso Thessalonicensi Episcopo, ac suo per Illyricum Vicario, necnon Flauiano Philippensium Archiepiscopo, per ipsos alijs vbique Episcopis publicari iussit, & adiunxit de Nestorio: [De Nestorio sciat Sanctitas tua à nobis, immò à Christo Deo datam esse sententiam, vt aut intra decem dies, ex quo primùm monitus fuerit, numerandos sacrilegas prædicationes condemnet, aut episcopatus cœtu remotus intelligat sibi suam obfuisse perniciem.] Declarat ipsum lapso decimo die fore à se, & à Christo Domino excommunicatum, ac degradatum. Interim nullatenus obediuit, sed omne hoc iudicium interiecta ad generalem Synodum prouocatione Nestorius elusit, & de ipso, ac Ephesina Synodo scripsit ad sanctum Cyrillum, ac illi subiectos Metropolitas Imperator Theodosius: [De indicta sanctissima Synodo nostra Serenitas ad omnes omninò Deo dilectos episcopos Metropolitanos literas scripsit, quò nimirùm hàc tandem ratione turbæ, quæ ex multis dissidijs, & concertationibus hinc indè enatæ sunt, ritè secundùm ecclesiasticos canones consopiantur. Et illa præterea, quæ parum decenter hactenus admissa sunt, corrigantur, & pietatis denique, quæ in Deum est, publicæque vtilitatis firmitati consulatur. Cæterùm ante sanctissimam coactam Synodum, communemque eiusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam nihil quidquam in nulla prorsùs re priuatim à quopiam innouetur.] Exstat sacra hæc iussio in prima parte Ephesini Concilij. Decem Epist. 32.
per Cœlestinum fixi dies erant dudum lapsi, nihilominus appellantem Nestorium vult vsque ad dandam à Synodo sententiam haberi & agnosci Canonicum Episcopum; ideòque eius appellationi lucidè adscribit effectum suspensiuum. Sacras Romanorum Principum de ecclesiasticis causis iussiones debuisse

sacris Canonibus conformari, & difformes fuisse nullius ponderis, norunt omnes Ecclesiasticæ Hierarchiæ periti. At verò laudatam Theodosij Iussionem adeò probauit Ephesina Synodus, vt de ipsa scribant Acta Synodalia: [Lectæ sunt hæ publicè, & relatæ inter Acta, quæ exstant Ephesi à sancta & generali Synodo, propter impium Nestorium congregata.] Omnes ibidem episcopi Nestorium vsque ad pronuntiatam Synodalis degradationis sententiam constanter vocant Reuerendissimum, ac Religiosissimum Episcopum. Quod nempè laudatas Principis literas agnoscerent sacris Canonibus consonare. Eiusdem sententiæ fuit secunda Ephesina Synodus. Etenim Eutychetem, licèt non tantùm à suo episcopo S. Flauiano, sed etiam à S. Leone Pontifice degradatum, constanter titulauit Religiosum Presbyterum, & Archimandritam: Quòd nempè ab vtriusque iudicio ille prouocasset.

Quod ipsum secuta sunt etiam posteriora sæcula. Etenim de Ecclesiastico Interdicto, quod ob non receptum Episcopum Martinus Quintus tulerat in Diœcesim & Ciuitatem Vltraiectensem, scribit Magnum Belgij Chronicon: [Omnes Ciuitates, Oppida, & Castella, omnisque populus terræ, cum aliquibus de clero Traiectensi, appellatione ad Papam meliùs informandum, & ad futurum Papam, seu ad Concilium interposita, Interdictum seruare contempserunt, solis Religiosis, & Deum timentibus, quantùm poterant, seruantibus. Vasalli verò Prouinciæ, Proconsules, Scabini, & Communitates Ciuitatum, post longum seruatum Interdictum nimiùm exacerbati, & animo Fol. 370. indurato compellebant Monasteria appellationi adhærere, aut de suis Monasterijs, & terra abire, qui in Prouincia de cætero eos ferre non vellent, nisi Ecclesiastica Cantica resumerent, & Diuina coram eis publicè celebrarent.] Quòd nempè suspensiuum effectum suæ appellationi adscriberent. Et dum pro Ladislai Hungariæ Regis tutela cum eiusdem Regni Proceribus disceptaret Fredericus Tertiùs Imperator, & Nicolai Quinti Pontificis sententia iuuaretur, consulta Viennensis Vniuersitas Proceribus respondit: [Per appellationem ad futurum Con- C. 16. cilium interponendam suspendi posse Romani Præsulis mandata.] Pluribus hæc refert in libro de statu Europæ sub Frederico Tertio Æneas Syluius. Et de Ludouico Quarto Imperatore, qui à Ioannis Vigesimisecundi in se sententijs ad Synodum appellauerat, scribit supplementum Abbatis Vspergensis: [Ludouicus Imperator comitia celebrans apud Francfort, Scripto publico Acta Ioannis contra se reijcit. In quo scripto fusè, ac fortiter ostenditur processus Ioannis fuisse excessus in præiudicium electorum Principum, ac totius Germaniæ, excommunicationis fulmen non semper ferire, Ioannem contra Deum, & omnem iustitiam agere, qui mandauit ne obediant subditi Imperatori. Vanum esse, quod dici solet, Papam non habere Superiorem. Et quod Concilium sit supra Papam. Et quòd defensio iuris Imperij sit à Anno 1338. iure Diuino, & fide Catholica. Ideo appellatio Cæsaris ad generale Concilium iusta fuit. Hinc magna turbatio consecuta est in Imperio per Alemaniam, maximè in Sueuia, & Ducatu Vvittembergensi, post publicationem huius Imperialis Scripti, Francofordiæ, Reutlingiæ, & alibi pulsi fuerunt per Imperatorem.] Quòd nempè & ipse, & dicta Francofordiensis Curia vellent omnes Papales sententias per appellationem esse suspensas. Quæ omnia latiùs deducit, & firmat incognitus Ludouici Apologus. Et in epistola ad Christophorum Fauuæum consonat Ioannes Launoius: [Ad eamdem disciplinam pertinet, Parisiensem Academiam credere, quòd possit à Romano Pontifice ad Concilium prouocari, & quòd Concilium sit supra Romanum Pontificem.] Et certè appellatio fieri non possit nisi ad Superiorem.

Respondeo materiam hanc esse scabrosam. Interim volo, non tamquam Romanæ Curiæ adulator, sed tamquam Ecclesiasticæ Hierarchiæ sedulus inquisitor, meum sensum liber aperire. Imprimis itaque affirmo interiectas à Romani Episcopi iudicio ad generalem Synodum prouocationes fuisse semper exosas in Ecclesia, & malè oluisse. Etenim de Donatistis à Melchiadis iudicio prouocantibus scribit sanctus Optatus Mileuitanus Episcopus: [Donatus appellandum esse ab episcopis credidit. Ad quam Lib. 1. appellationem Constantinus Imperator sic respondit: ò rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet: appellationem interposuerunt.] Rationem ibidem dant magnæ auctoritatis Episcopi Eunomius ac Olympius: [Sententia decem, & nouem episcoporum iam dudum data dissolui non potest.] Ad quæ verba scribit Gabriel Albaspinæus Aurelianensis episcopus: [Optatus noluit dicere,] A' Melchiade, sed ab episcopi appellandum duxit, [ne auctoritatem Summi Pontificis læderet. Cæterum non est quòd Hæretici ab hac historia quidquam in eamdem Summi Pontificis desumant, vt docuimus in obseruationibus.] Romanam Melchiadis, & aduersùs Donatum à Casis nigris, & pro Cæciliano sententiam adfirmat in præambulis obseruationibus, ac demonstrat fuisse Constantino Imperatori adeò sacrosanctam, atque immobilem, vt nec ab Arelatensi Synodo permiserit retractari: Alias Donatistarum quæstiones asserit istic discussas, & iudicatas. An ex firma radice depromat hæc omnia, est alia quæstio. Interim inter Primates Galliarum Antistites, & Doctores ipsum numerat vniuersa Ecclesia. Docere se profitetur, etiam cum Domino Cardinali Perronio. Certè ab istis potiùs, quàm à Ioanne Launoio discendum existimo auitum sensum Gallicanæ Ecclesiæ. Et aduersùs Iulianum, Pelagianæ causæ instauratorem, ideòque varias Romanorum Pontificum sententias prouocantem ad examen generalis Concilij, respondit in priori contra ipsum opere sanctus Augustinus: Non est quòd prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, quia & fides ista Christiana est. Et te certè Occidentalis terra generauit, regenerauit Occidentalis Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non inuenisti, quando in eius membra Lib. 1. c. 4. venisti?] In alio eiusdem operis libro demon-

monstrat originalis peccati fidem esse fixam totius Ecclesiæ traditionem ex Græcis, ac Latinis Patribus, atq; prosequitur: [Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si posset tales illic facilè tot sedere, quia nec isti vno tēpore fuerunt. Sed fideles, & multis excellentiores paucos Dispensatores suos
L. 2. c. 10. Deus per diuersas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat ipse dispensat; Hos itaque de alijs, atque alijs temporibus, atque Regionibus ab Oriente, & Occidente congregatos vides, non in locum quo nauigare cogantur homines, sed in librum, qui nauigare possit ad homines.] Horum vnanime de Apostolica controuersi dogmatis traditione testimonium, & ex ipso haustam Romani Episcopi definitionem adfirmat esse omni generali Concilio firmiora, ideoque omnem appellationem hic esse friuolam. Et iure merito. Quod enim vnicum Oecumenicæ Synodi officium sit Apostolicum dogma ex prioribus Ecclesiæ Patribus demonstrare, atque firmare, ostendi nuper in familiari epistola ad Eximium Patrem Henricum Noris. Etiam in primo sequentis libri capite pergit Augustinus: [Vestra apud competens iudicium communionem Episcoporum causa finita est. Nec ampliùs vobiscum agendum est, quantùm ad ius examinis pertinet, nisi vt prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quod si nolueritis, à turbulenta, vel insidiosa inquietudine cohibeamini.] Et in
C. 24. primo ad sanctum Bonifacium Pontificem libro: [Hæc execrabilia dogmata tenentes, & seminantes, adhuc insuper flagitant audientiam, cùm damnati debeant agere pœnitentiam.] Et in populari de Apostoli verbis ser-
Serm. 2. c. 10 mone: [Iam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam.] Vtrique Proconsularis Prouinciæ Carthaginense, & Byzacij Concilium Mileuitanum. Indè etiā Rescripta venerunt. Vtriusque Synodi Confirmatoria. [Causa finita est. Error vtinam aliquando finiatur. Lucidè adfirmat Apostolicæ Sedis in adeò clara causa iudicium esse firmum, atque immobile, & nulla prouocatione deuolui posse, longè minùs suspendi. Quod non solus cum alijs Africæ Episcopis Augustinus, sed etiam Atticus Constantinopolitanus [Episcopus, ac omnis Ephesina synodus multoties iteratas Pelagianę factionis appellationes duxerit friuolas, & exsufflarit, solusque Hęresiarcha Nestorius sit ipsis conatus patrocinari, ostendi pluribus in præfato opusculo de varijs Synodis contra Hæresim Pelagianam. Etiam Nestorij appellationem grauiter improbauit in literis ad Cōstantinopolitanum Clerum S. Cyrillus: Illum appellat miserum, & seductum, præsertim, quòd non vti reus, sed vti Iudex, & Præsi-
L. 1. Epist. 10. dens adesse Synodo speraret à Sacris circumscripti Principis iussionibus. Extat epistola in Actis Synodi Ephesinæ. Et in literis ad eiusdem Ciuitatis Clerum, & populum sanctus Papa Cælestinus: [Quis petitorem Synodi crederet Synodo defuturum? Percussa
L. 3. Ep. 23. est illic falsitatis leuitas pondere veritatis, nec se ausa est fulgori radiantium Sacerdotum latitantis Perfidi caligo miscere. Lumen tenebræ fugerunt.] Insigniter demonstrat appellationem omni Ephesinæ Synodo displicuisse. Etiam Eutychetis appellationem fuisse imperiti senis audaciam adfirmauit constanter, & Synodum excutere conatus fuit omni modo magnus Leo. Latiùs hæc elucidaui in scholijs ad Ephesinum latrocinium. Photianos Episcopos à Nicolai primi in se iudicio prouocantes, ad retractationem in octaua Synodo potentissimè adiuuerunt, & Magnificentissimus Patritius Bahanes, & Sedi Apostolicæ dilectus Metrophanes Smyrnensium Metropolita: Quàm inuiti, & cum quot limitationibus ipsam indulserint Apostolici Legati, quarta Actio demonstrat. Et quomodo Ioannem Theutonicum Clemens quartus, & Michaelem de Cæsena, ac ipsum Ludouicū Imperatorem Ioannes vigesimus secundus tractauerint, suprà audiuimus à Paulo Langio, & Abbatis Vspergensis supplemento: Quibus, & alij attestantur. Clementini Schismatis pertæsa olim cum omni Gallicana Ecclesia Parisiensis Vniuersitas Benedicto decimo tertio subtraxit obedientiam, & prouocauit ad generale Concilium. Et aduersùm hæc Benedictus: [Nonnulli Catholicæ veritatis Æmuli contra nos, & Romanam Ecclesiam rebellionis calcaneum erigere præsumpserunt, à nobis, quod est contra Canonicas sanctiones, appellationes interponere non verentes.] Licèt Hispanus, in Gallicana tamen Ecclesia educatus, ac edoctus erat Benedictus, ideoq; iuxta eius auitum, & tunc vnanimem sensum loquebatur Nempè Ioannes Gerson Gallis necdum tunc prædicauerat Papam subesse Concilio, ideòque ad hoc ab illo legitimè prouocari. Audaciam istam multis insectatur Benedictus, & pergit: [Idcircò habita super his deliberatione matura, hac constitutione perpetuò duratura, in omnes, & singulos, qui à Romanis Pontificibus, Canonicè intrantibus appellare præsumpserint, excōmunicationis sententiam promulgamus.] Tom. 6.
Acta hæc nuper publicauit Eruditus Lucas Dacherius. Et ex ipsis vides hasce appellationes dudum ante Pij secundi cum Gregorio Heymburgio quæstionem fuisse damnatas. Vndè in literis ad Norimbergenses laudatus Pontifex rectè asserit audaciam hanc [esse hæresim, quæ à paruo tempore citra sensum uisa suboriri pullulauit, & sub ouium vestibus lupos rapaces intrinsecus celans, sub appellationis specie Ecclesiæ satagit vnitatem conuellere. Nam si quæ Christi vnicus Vicarius, Canonibus sacris etiam, & iuri scripto inhærendo, decreuit statuitque, & seruare præcepit, calumniatores maleuoli, & peruersi subterfugere iustitiam præsumentes, per ludibria friuolarum appellationum ad futurum Concilium, seu ad id quod numquam est, ac super Christi Vicarium esse, aut reperiri nequit, obedientiam, quæ est de necessitate Ecclesiæ, & salutis vniuersorum, improbè declinant, ac temerè. Hanc igitur Diabolico spiritu, & instinctu nouitatem exortam considerantes, in totius Ecclesiæ Catholicæ non tantum eneruationem, sed euersionem in Mantuano Conuentu sæpè, & multùm discussam damnauimus.]

Damnat non solùm friuolas, seu legitima causa destitutas appellationes, sed etiam, Euro-

ac præsertim istas, de quibus in libro de statu Europę sub Friderico tertio scripserat a d huc
C.16. Æneas Sylvius contra Vniuersitatem Viennensem: [Docta Viennensis schola indoctam sententiam protulit.] Nempè responderat interpositæ ad Generalem Synodum appellationi inesse effectum suspensiuum. Et renera sententia ista est hæretica excutit debitam Apostolicæ Sedi obedientiam, ac rebellionem inducit, & Schisma. Hoc enim vnico in puncto hæsit schisma Eusebianæ factionis. Suam de sancto Athanasio, & cassato in ipsum Tyrio Iudicio sententiam retractari in Sardicensi Synodo permiserat ad Principum preces, & Ecclesiæ pacem Iulius Pontifex, mandans illum assidere vti canonicum Episcopum, ac legitimum Patriarcham, suamque de illo definitionem in nullo lędi, vel suspendi. Quod mandatum dum per Canones excutere nescit factio, & obedire noluit, nocte fugit Philippopolim, Ecclesiæ regimen, non in solo Romano Episcopo Monarchicum, sed in tribus æqualibus Patriarchis esse Aristocraticum definiuit, atque ita Romanam Rempublicam nona hæresi maculauit. Etiam Theodoreti ab Ephesino latrocinio degradati factam à sancto Leone reparationem quidam in Chalcedonensi synodo episcopi postularunt ad retractationem, & ipsum eò vsq; voluerunt à suo consensu suspensum. Verùm gloriosissimi Iudices censuerunt longè aliud: [Ingrediatur, & Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi, quia & restituit ei episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus, ac pijssimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Sy-
Act.1. nodo.] Et aduersùm duras multorum intercessiones denuò reposuerunt: [Præiudicium ex persona Theodoreti Episcopi nulli generabitur, reseruata videlicèt post hæc omni accusatione, & vobis, & illi, & quæ inuicem exercere volueritis. Promittunt causam retractandam, at Romani Episcopi sententiam nullo modo volunt suspensam. Et ipsorum iudicio omnis tandẽ Synodus acquieuit.

Quam fidem constantissimè tenuit etiã posterior semper Ecclesia. Etenim de Traiectensi Ciuitate, & Diœcesi, aduersùs Ecclesiasticum Martini quinti interdictum appellante, ideoque Diuina officia à Clericis, & Monachis resumi, aut exulatum abiri mandante, scribit magnum Belgij Chronicon:
Fol.371. [Vna omnium tam Fratrum, quàm Conuersorum, & Laicorum fuit sententia, vt Apostolicæ Sedis seruata obedientia potiùs exularent, & peregrinarentur, quàm contra conscientiam propter temporalia conseruanda peccarent. Laudat Religiosissimam Regularium Clericorum Congregationẽ Vvindeshemensem: Adfirmat cunctos eius in dicta Dięcesi Conuentus spontaneè ad triennium exulasse, & tunc cum gloria reuocatos. Quòd nempè ad meliores sensus reducti appellantes deponerent errorem. Quòd pendente Ludouici quarti aduersùs Ioannis vigesimi secundi sententias appellatione istud ipsum Fratres Augustinenses passi sint, & è septemdecim Ciuitatibus exulare, quàm Romanæ Ecclesiæ censuram, & dignitatem lædere maluerint, scribunt in Bertholdi Con-
Anno 1336. stantiensis Episcopi vita Albertus Argentinensis, & supplementum Abbatis Vspergensis. Et ipsorum sensum probauit omnis postmodum Germania. Nam post Ludouici mortem agnouit terrorem, & omnium absolutionem supplicauit ab Apostolica Sede, & solenniter impetrauit.

Nec obstant sacræ Theodosij Augusti pro appellante Nestorio iussiones. Quod enim hunc appellatio à Papalis sententiæ incursu munire non potuerit, lucet ex Synodalibus Ioannis Patriarchæ Antiocheni ad ipsum literis, hortantibus instantissimè ad obedientiam, & concludentibus: [Hæc, tua proindè ac propria cordi habentes, monere voluimus, iam tuum est æquo, ac beneuolo animo monita nostra complecti, nisi forsan nostri minus amans ita comparatus sis, vt cum tui, & Reipublicæ Christianæ damno obstinatè hæc aspernari decreueris. Quis non videat vrgeri Nestorium, vt obedientia excommunicationem perueniat, ac degradationem? Verùm salubria amicissimi Patriarchæ consilia spreuit, à Pelagianis Exepiscopis seductus est ad turbas conuersus, & improuidum Principem in ipsarum patrocinium circumscripsit: Sancti Cyrilli Patruus & in Alexandrino Episcopatu Antecessor Theophilus sanctum Ioannem Chrysostomũ non ita pridem incrustarat duris calumnijs, & throno violenter eiecerat. Ex hanc ansa Principi persuasit Nestorius Alexandrinorum Episcoporum in Constantinopolitanos odium esse antiquum, Cyrillum hærere Patrui vestigijs, esse turbidum Ægyptium, Apollinarij lepra infectum, Ecclesiæ, ac Reipublicæ inquietatorem, atque ita non solum suspendi Papalem sententiam impetrauit, sed & concepit spem, de qua in litteris ad Constantinopolitanum Clerum memoratus Cyrillus: [Neque tamen miser ille, licèt complures, & graues viri eius opera seducti, nos accusaturi essent, rerum nostrarum Iudicem fore se speret, quamuis iure Amphyctionum hoc sibi demandari faciat. Nos enim istuc venientes ab eius iudicio prouocabimus, & ipse de suis blasphemijs in iudicio respondere cogetur.] Extat Epistola in prima parte Epist. 12.
Ephesini Concilij. Sperabat, ac iactabat cæcus Nestorius se, licèt iam damnatum Romæ, ac appellantem, Synodo interfuturum non dumtaxat vti integrum Episcopum, sed etiam Iudicem, ac Præsidem dominaturum. Adeò Principis simplicitati illudebat. Et Theodosium sacris suis iussionibus frequenter impegisse in Canones, ostendunt plura eius rescripta ad laceratam à Ioanne Antiocheno Ephesinam synodum. Præsertim Rescripta, quibus, & posteà confirmauit Acta Ephesini latrocinij, etiam nuper ab Attico Constantinopolitano Episcopo circumductus omnes Orientalis Illyrici Prouincias à Patriarchica Romani Pontificis cura contra Apostolicum Canonem transcripserat in potestatem Constantinopolitanæ Cathedræ, atq; ita violentiæ viam demonstrauerat Leoni Isauro. Et secundi Ephesini Concilij præsidentia postmodò priuauit sanctum Leonem Pontificem, ipsam transtulit in Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, atque ita bene conceptum Conuentum transmutauit in acephalam latrocinalium locustarum Synagogam,

Nem-

Nempè iure Amphictyonum. Insignem de sacris Romanorum Principum iussionibus Regulam refert in literis ad Anatolium Constantinopolitanę Ecclesię Diaconum Magnus Gregorius: [Quod Princeps fecerit, si Canonicum est, sequimur; si verò Canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.] Aliquod dispensatorium vulnus malebat infligi Canonibus, quam inter Sacerdotium, & Imperium discordias seminari. Hinc ergò, & sanctus Cęlestinus suam de Nestorio sententiam suspendi permisit vsque ad Ephesinum Concilium, aut certè differri. Interim calumnijs pressum, & ad iniurias postulatum sanctum Cyrillum dedit Præsidem, multo autem superbiæ vento inflatum Nestorium vti reum iussit apparere. Ità dispensatoriè toleratam suæ sententiæ iniuriam abundè compensauit.

L. 9. Epist. 41.

Huius rei rationem exponit in superiùs laudata ad Donatistarum Antistites epistola sanctus Augustinus, generatim scribens de interpositis à Romani Episcopi iudicio ad generalem Synodum prouocationibus: [Restabat plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari. Quare appellatio non demutat Pontificem in reum, aut accusatorem, sed omninò relinquit Iudicem, & quidem qui appellatam Synodum debeat gratiosè concedere, ipsi præsidere, referre appellatam causam, de ipsa dicere cum prærogatiua suffragium, & omnia Acta probare, & confirmare. Ita factum fuit Arelatæ, Sardicæ, Ephesi, Chalcedone, & in omni Synodo quæ appellatas causas retractauit. Et Ephesini latrocinij palmare facinus fuit quod sancti Leonis, tamquam ab Eutychete ad generalem Synodum prouocati, ideòque suspensi Iudicis, Legatos excluserit à Præsidentia, & ipsam detulerit Dioscoro Patriarchæ Alexandrino. Et hanc suæ sedis iniuriam adeo sensit Magnus Leo, vt ipsam ante omnem Chalcedonensis Synodi ingressum iusserit per Legatos plenissimè reparari. Rectè enim in opusculo de Ecclesiastica potestate scripsit Ioannes Gerson: [Quærere, si Papalis auctoritas sit maior, quàm Ecclesia, vel è conuerso, redit in idem, ac si peteretur, Nonne totum est maius sua parte, vel pars minor suo toto? Proindè sequitur, quod si generale Concilium repræsentet vniuersalem Ecclesiam sufficienter, & integrè, necesse est vt includat auctoritatem Papalem, siue Papa sit, siue deficerit esse per mortem naturalem, aut ciuilem.] Et infrà in eodem libro adfirmat Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem componi, & integrari ex varijs partibus, atque subiungit: [Et est in eis plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis, tamquam pars integralis in suo toto, & ita non est maior, vel superior ad totam Ecclesiam, sicut nec pars maior suo toto. Si verò consideretur hæc plenitudo in sua supremitate, tunc absque ulla dubitatione plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis superior, & maior est ad reliquas, sed iam illud, quod reliquum est, nullo pacto potest constituere generale Concilium iuxta illud quod dictum est priùs, quod generale Concilium in sua ratione formali includit de necessitate Papalem auctoritatem, siue Papa sit, siue non sit.] Ra-

Ep. 162.

C. 7.

C. 11.

denda est appendix: Siue non sit. Eteniṁ Papa per naturalem aut ciuilem mortem exstincto, certum, ac manifestum est etiam Papalem auctoritatem, licèt non exstinctam, aut sublatam Ecclesiæ, dormire tamen, ac esse suspensam. Quare, & tunc à grauioribus causis generalis Synodus debet quiescere. Porrò Papalem potestatem esse de essentia Oecumenicæ Synodi, & aliàs ostensum est, & infrà pluribus ostendendum. Quare Eugenius quartus optimo iure scripsit desertum à se Basileensem Conuentum non esse legitimam Synodum, sed acephalas locustas.

Et hinc sequuntur plura bene notanda. Primò, quòd interiecta aduersùs Pontificem ad Synodum appellatio non sit vera appellatio, & quòd ad Faustum Magistrum sanctus Gelasius Pontifex rectè scripserit: [Canones appellationes totius Ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis examen voluere deferri, ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vmquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potiùs Decreta sequenda mandarunt.] Et in litteris ad Dardaniæ Episcopos: Non recitemus, quod cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum Sedes Beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.] Notanda sunt verba: [ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius iudicio iudicari.] Vtique sine eius venia, beneficio, & gratia. Altè clamant hanc appellationem non esse iuris remedium, nec pro iustitia recursum ad altiorem potestatem, sed gratiæ beneficium, quo ipse Pontifex gratiosè spondet, ac promittit suum ipse iudicium coram, & cum assidente Synodo reuidere, & retractare. E hinc appellantem Nestorium sanctus Cælestinus in litteris ad Clerum, & populum Constantinopolitanum appellauit Petitorem Synodi. Etiam Iulianus Pelagianus in toties iteratis suis prouocationibus numquam vsus est voce Appellationis, sed nouum dumtaxat examen semper postulauit, & assiduis precibus fatigauit Principem, dictumque etiam Nestorium, cuius binos pro isto ad laudatum Pontificem supplices Libellos habemus in prima parte Ephesini Concilij. Nempè norant hìc non à superiori aliquo Tribunali iustitiam, sed ab ipso damnatore Pontifice gratiam impendendam. Norant suam causam non appellationis virtute, aut priuilegio, sed sola Pontificis gratia posse ad Synodum deuolui. Istæ appellationes sunt à suspendendi efficacia adeò remotæ, vt nec deuoluant. Romanorum Episcopus est in Ecclesia, quod in Imperio Augustus Princeps, de quo rectè scripsit Iurisconsultus Vlpianus: [Et quidem stultum est illud admonere, à Principe appellari fas non esse, cum ipse sit qui prouocatur.] Exstat sententia in Digesto de ijs, à quibus appellari non licet. Aduersùs iniquam circumscripti Principis sententiam postulanda est per supplicem libellum retta-

Epist. 4.

Epist. 13.

 ctatio,

ctatio, de qua in opere de Augustæ Domus officijs rectè Iacobus Gutherius: [Retractatio, quæ propriè Palindicia, non facilè impetratur. Nam cum status Reipublicæ rebus iudicatis maximè contineatur, iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, ciuitatum afflictarum perditis in rebus extremi exitiorum exitus solent esse. Quæ cum accidunt, nemo est, quin intelligat ruere illam Rempublicam. Et vbi eueniunt, nemo est, qui vllam spem salutis reliquam esse arbitretur.] Longè grauiora, & maturiora sunt Romani Episcopi iudicia, ideoque sine totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ periculo non possint in dubium deuocari.

Lib. 1. c. 29.

Secundò sequitur hanc, seu supplicationem, seu appellationem, licèt à solo Pontifice admitti possit, fieri tamen ad Superiorem. Fit enim ad Oecumenicam ex Pontifice, & omnibus sub cœlo Episcopis, tamquam capite, & membris, conflatam Synodum, quam certum est solo capite esse maiorem. Verùm hæc non est nostra quæstio. Quærimus, An solum seorsim sumptum corpus sit capite maius, & potentius? Et hoc constanter negamus. Per caput debet conuocari corpus, ab ipso accipere agendi tempus, & locum, tractandorum relationem, & de ipsis cum prærogatiua suffragium: Ipsum per se corpus, nec definire potest, nec ventilare, nec referre. Lucet hoc in editis sine Papali relatione, ac suffragio apud Chalcedonem Canonibus, de quibus in libro de anathemate sanctus Gelasius: [Quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Apostolica Sedes gerenda nullatenus delegauit, mox à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est, quæ Sedes Apostolica, etiam petente Principe, nullatenus approbauit, nulla ratione sustinet.] Ea omnia non prolata, sed dumtaxat ventilata dicit, & quidem per incompetentem præsumptionem: Quòd nempè etiam numerosa adeò Synodus sine Papali relatione nihil ventilare potuerit, longè minùs proferre. Et hinc clarè lucet Romanum Episcopum non posse inuitum iudicari per Synodum, aut degradari. Iudicari enim non potest, nisi seipsum referat, ac subijciat iudicandum. Quocirca iam expositas supplicationes quandoque ex causis admiserunt Romani Episcopi, veras appellationes autem plenè ignorauit omnis antiqua Christianitas, & posterioribus sæculis erumpentem iniquitatem Romana Ecclesia statim compescuit, & meritò tamquam hæresim damnauit. Ioannes Theutonicus videtur esse primus iniquitatis auctor: Videtur primus Papale mandatum fuisse conatus per appellationem suspendere. Etenim Nestorius, quòd gratia sciret esse opus, & ipsam desperaret à Pontifice, ad Augusta Laici Principis Rescripta confugit, & sancti Petri Apostoli Maiestatem dupliciter læsit.

An à generali Synodo possit appellari ad Pontificem.

EX ijsdem principijs euertitur tota Ioannis Launonij ad Iacobum Boetium de sancto Victore Epistola, docens ad Papam quidem prouocari posse à Prouincialium, aut Diœcesanarum, non tamen à iudicijs Synodorum generalium. Agit in Dominum Cardinalem Robertum Bellarminum, qui ex huiusmodi appellationibus firmat Pontificem esse omni Synodo maiorem. Ex sancti Flauiani Constantinopolitani, & Theodoreti Cyrensis in Euphratesia Prouincia Episcopi appellatione ab Ephesini latrocinij iudicio ad sanctum Leonem magnum. A legitima, & plena, cui Romanus Pontifex præsedit, & reliqua suæ auctoritatis expleuit officia, appellari posse non dixit Dominus Cardinalis: Nam quis id dicat? Dixit ab acephala, aut legitima citra Papalem influxum iudicante Synodo posse appellari: Et optimè dixit. Nam, & à plena Chalcedonensi, & per ipsam citra Papalem influxum edito vigesimo octauo Canone ad sanctum Leonem prouocauit eius Legatio, causamque obtinuit. Pontifex enim admisit appellationem, & Canonem circumduxit. Insigniter hæc exponit in libro de anathemate sanctus Gelasius: [Totum in Apostolicæ Sedis positum est potestate. Ita quod firmauit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutauit, habere non potuit firmitatem. Et sola rescidit quod præter ordinem congregatio Synodica putauerat vsurpandum. Quæ omnia altis vocibus clamant non Papam Synodo, sed Papæ Synodum subesse.

Audiamus quid aduersùm adducta hæc per Dominum Cardinalem exempla opponat Ioannes Launoius. Adducit integram, qua sanctus Leo Beati Flauiani appellationem Imperatori Theodosio exponit, & admittendam suadet, epistolam, ac pergit: [Cùm in Bellarmini argumentum, & in Leonis epistolam inspicio, adducor facilè, vt credam Bellarminum Leonis epistolam non legisse, sed deceptum fuisse ab Amanuensi suo, qui illi dixit Flauianum ad Leonem appellasse. Nam Pontifex hoc in epistola sua non scribit. Flauianum appellationis libellum dedisse scribit, sed ad quem dederit, non scribit. Credibile est Flauianum prouocasse ad Synodum, quæ liberior foret, & numerosior. Nam Leo, & Romana Synodus vnum id agunt, vt Imperator generalem Synodum intra Italiam celebrari iubeat, quæ excitatis tumultibus, & controuersijs finem imponat. Verùm ad Leonem prouocauerit? Non ideò prouocauit, vt Flauiani causam Leo solus iudicet, sed, vt generalis Synodus cum Leone iudicet.] Quòd non à solo Pontifice, sed pleniori Synodo causam suam retractari postulauerit Flauianus, probare conatur ex literis, per quas etiam Galla Placidia Augusta, & Valentinianus Imperator tertius ipsam intra Italiam fieri expostulant ab Imperatore Theodosio, atque prosequitur: [Flauianus ad Leonem prouocat, vt quæ de fide, & Sacerdotibus exorta erat apud Ephesum controuersia, in generali Synodo terminaretur. Aliud est igitur Romanum Pontificem appellare, aliud Romanum Pontificem solum de appellatione iudicare. Flauianus apud Valentinianum dicitur Leonem, & Apostolicam Sedem appellare, & tamen non Leonem solùm, vel Apostolicam Sedem, sed etiam reliquos Occidentis Episcopos appellat, vt in Leonis, & Gallæ

Pla-

Placidiæ literis habetur. Quò etiam Valentinianus in epistola sua spectat: Hæc autem omnia quid quæso Bellarmini causam adiuuant? Quid ad propositum ab eo Lemma conducunt, vt Papam absolutè supra Concilium esse probent?]

Ego Domini Cardinalis Bellarmini non ago Apologum. An laudatam sancti Leonis epistolam legerit, certent alij. Et si quis istorum dicat ipsam non intelligi à Ioanne Launoio? Huic interim gratulandum est, quòd dimissis tergiuersationibus tandem fateatur sanctum Flauianum ad magnum Leonem, ac eius Apostolicam Cathedram prouocasse. Disertè enim id scribit Galla Placidia: [Fides perturbata est ad arbitrium vnius hominis, qui in Synodo Ephesinæ Ciuitatis odium, & contentiones potiùs exercuisse narratur, militum præsentia, & metu impetens Constantinopolitanum Episcopum Flauianum, eo quod libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium, per eos qui directi fuerunt à Reuerendissimo Episcopo Romæ, qui secundùm definitiones Nicæni Concilij consueti sunt interesse.] Lucidè adfirmat sanctum Flauianum non dumtaxat appellasse ad Sedem Apostolicam, sed insuper istam ob causam fuisse à Dioscori milite, & calcibus percussum. Etenim ad sanctum Leonem, quem ab interiecta Eutychetis appellatione volebat demutatum ex Iudice in reum, aut accusatorem, & quem hoc titulo à Synodi Præsidentia violenter extruserat, Dioscorus longè minùs volebat à suo Synodali iudicio prouocari. Quod ipsum scribit Valentinianus tertius: [Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, ac Sacerdotibus iudicare. Huius enim rei gratia secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus cum per libellum appellauit. Propter contentionem, quæ orta est de fide]. Quin, & id ipsum scribit in laudata per Ioãnem Launoium epistola magnus Leo, ideòque Dominus Cardinalis Bellarminus sine fundamento arguitur ipsam non legisse. Epistola enim laudat à sancto Flauiano porrectum appellationis libellum, & prosequitur: [Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur, quæ à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta, quæque subter adnexa sunt]. Adnexi autem erant Sardicenses Canones, quos Nicænis semper adnumerauit omnis Latina Ecclesia, & qui degradatos episcopos non ad generalem Synodum, sed lucidè permittunt, ac iubent ad Romanum Pontificem appellare. Et non ex semetipsis, sed à sancti Leonis, & numerosis ipsum circumcingentium episcoporum lacrymis permoti Valẽtinianus tertius, & Galla Placidia scripserũt Imperatori Theodosio, ideòque clarũ est ipsos ex laudati Pontificis ore, & sensu scripsisse.

Nec solus sanctus Flauianus, sed etiam Theodoretus ab Ephesino iudicio Romam appellauit, & certum est ad solùm Pontificem appellasse. Lucet ex eius ad Renatum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Presbyterum epistola, in qua Ephesini Latrocinij Acta deplorat, ac pergit: [Ex ijs autem, qui istic damnati fuerunt, vnus ego sum, ne illò item Regijs literis prohibitus, & tamen absens cõdemnatus. Quam ob causam oro Sanctitatem tuam, sanctissimo, & Beatissimo Archiepiscopo persuadeat, vt Apostolica potestate vtatur, & ad Concilium vestrum aduolare præcipiat. Habet enim sanctissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, Principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab Hæretica tabe immunis mansit, nec vllus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conseruauit]. Epist. 116. Non purpureis duntaxàt, sed aureis literis scribi merentur hæc Theodoreti verba Ex ipsis interim Ioannes Launoius discat Liberium Pontificem non fuisse Hæreticum. Pergit Theodoretus in literis ad Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum: [Dignare Beatissimi Archiepiscopi zelum accendere, vt Orientis Epist. 118. etiam Ecclesia sollicitudine vestra fruantur]. Supplicat omne Ephesinum Latrocinium, iudicij sui rationes redditurum, euocari Romam, non ad generalem totius Ecclesiæ, sed ad singularem Romanę Prouinciæ Synodum, in qua appellatas causas Põtifex semper consueuit iudicare. Ad solùm igitur Pontificem Theodoretus manifestè appellauit. Quod lucidè patet etiam ex eleganti eius epistola ad sanctum Leonem. Et eius appellationem omninò admisit Pontifex. Nec in generali, sed in dicta suæ Prouinciæ Synodo, ipsum ab Ephesinis vinculis absoluit, ac reposuit in Episcopi dignitatem. Et sententiam plenè receuita est, nec ad graues multorum Episcoporum intercessiones suspendi passa est Synodus Chalcedonensis.

Etiam Eusebius Dorylęi in Phrygia Episcopus, & primus tam Nestorij, quàm Eutychetis accusator, à data in se per Ephesinum Latrocinium degradationis sententia Romam accessit, & appellauit ad solum Pontificem, & hic de ipso scripsit ad Imperatricem Pulcheriam: [Quia nouimus, quantum piæ sollicitudinis Catholicis Sacerdotibus mansuetudo vestra dignetur impendere, indicandum esse curauimus Fratrem, & Coepiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse consortem, cuius commendamus Ecclesiam; quam dicitur vastare, qui illi iniustè dicitur subrogatus]. Et in literis ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum:] Illud dilectionem tuam Epist. 39. nosse volumus Fratrem, & Coepiscopum nostrum Eusebium, qui causa fidei multa discrimina, laboresque tolerauit, nobiscum interim demorari, & in nostra nunc communione persistere. Cuius Ecclesiam tua sollicitudine volumus esse defensam, vt nihil eodem absẽte Epist. 40. depereat, & nullus ei in aliquo præiudicare præsumat, donec cum literarum nostrarum ad prosecutione perueniat. Notanda hic est Dioscori, & omnis ipsi hærentis factionis violentia: Sardicenses, qui Romana pendente appellatione in degradati Episcopi Cathedram vetant alium imponi, Canones conculcarant, & appellanti Eusebio alium è suo grege superposuerant. Notanda sunt, & sancti Leonis verba: [Fratrem, & Coepiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse participem]. Altè clamant Eu-

sebium non in generali Synodo, sed à solo Pontifice fuisse redditum Episcopali communionis, & ab omni Ephesina sententia liberatum. Et ipsum sine vlla contradictione ad consessum, & suffragium admisit magna Synodus Chalcedonensis.

De degradatis per Ephesinum Latrocinium episcopis ad Leonem Imperatorem rectè scripsit Sebastianus episcopus: [Inter quos nostrorum temporum secundus Abel, Beatus Flauianus existit]. Etenim, & militum violenta concussione, & Dioscori calcibus obtritus Epheso exiuit, appellationis suæ libellos Apostolicis Legatis Romam deportandos tradidit, & post paucos dies est in via Martyr defunctus. An eius mortem sanctus Leo statim intellexerit, ignoro: Eius interim causam non in generali, sed solus in suæ Prouinciæ synodo discussit, reddidit Episcopatui, & ab omni perperam iniecto vinculo absoluit. Lucidè id in laudatis ad Theodosium literis testatur Galla Placidia: [Tua Mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem Fidei Catholicæ Religionis immaculatam seruari præcipiat, vt secundùm formam, & definitionem Apostolicæ Sedis, quam & nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu Sacerdotij illæso per omnia Flauiano, ad Concilium Apostolicæ Sedis transmittatur]. Lucidè adfirmat Flauianum per Apostolicæ Sedis definitionem esse restitutum Sacerdotio, eiusque statum rogat manere, & seruari illæsum. Quod ipsum adfirmat Valentinianus tertius: [Beatissimus Romanæ Ciuitatis episcopus locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare]. Post Chalcedonensem Synodum exstat infœlix lex, qua Ephesini latrocinij Acta confirmat Theodosius, Nestorianam hæresim denuò damnat, Flauianum Constantinopolitanum, Domnum Antiochenum, Eusebium Dorylæensem, Theodoretum Cyrensem, & quosdam alios istic damnatos episcopos in dictæ hæresis cęcitate participare, ideòque Episcopalibus Sedibus adfirmat indignos, & prosequitur: [Nos igitur sanctæ Ephesinæ Synodi Decreta laudamus, atque firmamus, hanc Orthodoxam fidē putantes, atq; nominantes, quæ à trecētis decem, & octo Patribus exposita est, & firmata in S. Concilijs, quæ Ephesi Congregata sunt]. Et infrà: [Omninò autem nullus, qui Nestorij, ac Flauiani, & eorum qui sunt eiusdem hæresis, sententia detinetur, vllo modo episcopus ordinetur]. Hanc infœlicissimam legem magnus Leo spreuerat, & ipsa non obstante Flauianum, Theodoretum, atque Eusebium reddiderat Episcopatui, verùm illos reponere in Sedes adcò non poterat, vt Eusebio superintrusus episcopus Dorylęi Ecclesiam non desineret vastare. Hinc igitur à magno Leone permoti Valentinianus tertius, Galla Placidia, ac Licinia Eudoxia Theodosio Imperatori demonstrarunt à Magno Constantino, & Successoribus deinceps Romanis Augustis, non solummodò Orthodoxum dogma, sed etiam Romanæ Cathedræ supremum Primatum fuisse constantissimè defensum, & donatum plena agendi libertate, supplicarunt hæc vestigia non deseri, ideòque sancto Leoni permitti auitam facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare, & ab illo datam pro sancto Flauiano sententiam non sisti per leges; sed seruari integram, atque illæsam. Verùm à Chrysaphio Eunucho circumscriptus Theodosius, rescripsit omninò à se custodiri Nicænam fidem, laudauit Ephesinum Conuentum, & in dato ad Valentinianum Rescripto addidit de Flauiano: [Flauianus autem, qui reus inuentus est læsibilis nouitatis, debitam pœnam recepit]. Et in Rescripto ad Gallam Placidiam. [Flauianus, qui dicitur Princeps contentionis huius, Sacra sententia ab Ecclesiasticis rebus expulsus est]. Et in Rescripto ad Liciniam Eudoxiam: [Flauianus Sacro iudicio ab ecclesiasticis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio à sacris remoueretur Ecclesijs. Et nihil vlteriùs post hæc definire possibile est, cùm iam ista semèl decisa sint. Pertinax perrexit reparatos à sancto Leone Episcopos Regio suo Placito suspendere, & morari. Res ita pependit vsq; ad Successoris Martiani Imperium. Hic statim cassauit omnia, & Apostolicis sententijs permisit liberam executionem, ideòque de Theodoreto ad Chalcedonensem Synodum dixerunt gloriosissimi Iudices: [Ingrediatur, & Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi, quia, & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo]. Et ipse Theodoretus: [Preces obtuli sacratissimis mundi Dominis, & enarraui quæ in me acta sunt funera, & precor has perlegi. Ad Chalcedonensis synodi calcem exstat Martiani Augusti lex, qua infœlicem Theodosij legem circumducit, & sanctum Flauianum, Dorylæensem Eusebium, ac Theodoretum declarat liberos ab omni vinculo. Verùm hanc non laudarunt Gloriosissimi Iudices. Est enim synodo posterior. Proindè fuit, & alia prior lex, quæ perijt, aut latet. Interim lucet sanctum Flauianum, Eusebium, ac Theodoretum, non per generalem synodum, sed à solo Magno Leone fuisse iudicatos in appellata causa, & redditos in Episcopatum.

Hoc ipsum lucet ex causa Domni Patriarchæ Antiocheni. Nam, & hic exprimitur in infœlici lege Imperatoris Theodosij, tamquam Ephesi legitimè degradatus. Etiam appellauit ad sanctum Leonem. Verùm de ipso ad Chalcedonensem Synodum dixit sanctus Paschasinus, Lilybeti episcopus, ac laudati Pontificis Legatus: [Synodus proferri non potest, in qua illa nefaria delicta relecta sunt, & ob hoc ad lectionem videntur esse superflua ea, quæ ibi sunt acta. Si ergò à Beatissimo, & Apostolico Romanæ Vrbis Episcopo omnia quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita, claret quia sanctissimus Episcopus Antiochenæ Ciuitatis extra hæc est]. Et Anatolius Constantinopolitanus Episcopus: [Definimus nihil horum valere, quæ in illa, quæ Synodus dicitur, sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum, Magnæ Antiochenæ Ciuitatis Episcopum, quoniam, & sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in communionem eum recipiens, præesse Antiochenorum præcepit Ecclesiæ]. Et Stephanus Episcopus Ephesinorum: [Et ego iudico, vt quæ contra Canones in Ephesina Metropoli facta sunt infringantur, exceptis his

Epist. 30. Epist. 9. Act. 10.

quæ

quæ gesta sunt aduersùs Domnum Antiochenæ Ciuitatis Episcopum, ob hoc, quia ordinatio Maximi facta pro eo Canonicè in Antiochena Metropoli, à sanctissimo Archiepiscopo Leone, & hoc præsenti sancto, & vniuersalio suscepta sit]. Et ad quintam Synodum Thomas Diaconus, ac Notarius recitauit: [Chalcedonensis sancta Synodus Domnum Antiochiæ episcopum, eo quod scripsit debere taceri duodecim capitula sanctæ memoriæ Cyrilli, & post mortem condemnauit, cùm
Act. 6. confirmasset condemnationem eius, & suscepisset Maximi ordinationem]. Licèt Ioannes Antiochenus Patriarcha cum sancto Cyrillo fecisset pacem, & vnijsset Ecclesias, famosa tamen illius aduersùs Nestorium Capitula non admisit, ipsumque secutus est Successor Domnus, & omnis fermè Antiochenus Patriarchatus. Et hinc ille Ephesi sibi timuit à Dioscoro, hominemque demulcere satagens consensit, & cooperatus est eius Attentatis in sanctum Flauianum. At semetipsum circumuenit. Eius enim præuaricatione vsus fuit tyrannus Dioscorus, sed non placatus: Ipsum posteà tamquam Nestorianum degradauit. Et in eius locum consecratus fuit Maximus Diaconus. Hinc cum alijs degradatis episcopis appellauit Romam, verùm quòd in sancti Flauiani damnationem consensisset, non fuit auditus; Maximi ordinationem probauit Magnus Leo, ac Domnum in degradatione reliquit. Quod eius iudicium Chalcedonensis Synodus retractare non præsumpsit, sed plenissimè confirmauit. Item Imperator Martianus. Etenim lege, qua infœlicem Theodosij legem circumduxit, ac Eusebij, & Theodoreti reparationem stabiliuit, Domni nullam fecit mentionem. Ipsum in dictæ legis luto firmauit. Quo circa etiam de ipso retractatorium iudicium non in generali Synodo, sed à solo Magno Leone actum, & peractum est, atque ita lucet de hac Romani Episcopi potestate nullum Christianum dubitasse vmquam, nec posse dubitare. Porrò Calcedonensis Synodi tempore Domnus omninò adhuc vixit, atque ita Schedarum, quas ad quintam Synodum legit Thomas Diaconus, auctor fuit memoria lapsus.

Aduersùs Theodoreti reparationem Ioannes Launoius etiam quædam opponit. Aduersùs ipsam factas variorum in Chalcedonensi Synodo Episcoporum intercessiones refert, & concludit: [Ex his apparet Theodoretum à synodo restitutionem integram accepisse, quam à Leone non acceperat, quamuis qui acciperet ab eodem iudicatus fuisset dignissimus. Indicta enim causa, & violatis Canonibus è sua Sede pulsus fuerat. Exindè factum, vt Iudices supra dixerint Leonem Theodoreto Episcopatum restituisse. Sed Concilij Patres, & imprimis Legati Theodoreto episcopatum restituunt. Ecce tibi Theodoreti appellationis ad Leonem, & Occidentales Episcopos historia, ex qua Abelem à Caino fuisse occisum perindè colliges, ac Romanum Pontificem simpliciter, & absolutè esse suprà Ecclesiam vniuersam, & Concilium generale, ita vt nullum in terris supra se iudicem agnoscat. Quin etiam Leo in Theodoreti causa Chalcedonensis Concilij iudicium supra se agnouit, nec ægrè tulit. Post Ægyptiorum intercessionem Concilium de Leonis sententia, quam secundùm Theodoretum pronunciauerat, iudicauit, & asseruit.

Respondeo in paucis verbis multos contineri errores. Primus est, quòd magnus Leo Theodoretum dumtaxat iudicauerit reparari dignissimum, non autem repararit, seu in Episcopatum restituerit. Lucidè enim in Chalcedonensi Synodo dixerunt gloriosissimi Iudices: [Ingrediatur, & Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, quia & ei Episcopatum restituit sanctissimus Archiepiscopus Leo. Et iterùm: Theodoretus Reuerendissimus Episcopus proprium recipiens locum à sanctissimo Episcopo inclytæ Vrbis Romæ, in locum accusatoris ingressus est. Addunt acta synodalia: [Postquam sedit in medio Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, Orientales, & qui cum ipsis Reuerendissimi Episcopi clamauerunt, Dignus, dignus.] Vtique non qui Episcopatum à Synodo reciperet, sed qui iam ipsum à magno Leone recepisset. Secundus error est, quòd Concilium, & Legati Theodoreto episcopatum restituerint. Etenim & Synodus, & Legati Apostolicam restitutionis sententiam dumtaxat executi sunt in prima actione, & ad varias licèt, atque grauissimas episcoporum intercessiones noluerunt suspendi, & in octaua actione retractarunt, & confirmarunt. Tertius error est, quod magnus Leo Chalcedonensem Synodum agnouerit sibi superiorem. Quia nempè suum de Theodoreto iudicium permisit retractari. Est apertus error. Etenim permissionem hanc suadebant magnæ rationes, quas edixerunt Ægyptij, Illyriciani, ac Palestini Episcopi, aduersùs Theodoretum, dum vti Canonicus episcopus synodum ingrederetur, exclamantes: [Miseremini, fides perit, istum Canones eijciunt. Hunc foras mittite: Magistrum Nestorij foras mittite. Et Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, Cyrillus cur eijcitur, qui ab illo est anathematizatus? Et iterùm Ægyptij Episcopi: Synodus Orthodoxa Theodoretum non suscipit. Impugnatorem Dei foras mittite. Qui iniurias dixit in Christum, foras mittite. Cyrillum iste anathematizauit.] In prima Ephesina Synodo Patriarchę sui Ioannis factionem secutus Theodoretus egerat turbas, & famosa sancti Cyrilli in Nestorium Capitula pessimè tractarat, dudum fauerat Nestorio, atque ita de eius scabie se reddiderat grauiter suspectum. Hinc præfati episcopi clamarunt indignum episcopatu, hostem Dei, dolosum Romanæ Ecclesiæ circumscriptorem, arcendum à Synodali consessu: Apostolicum pro ipso iudicium postularunt suspendi tamquam subreptione exortum, & suo tempore retractari. Et quidem retractationem promisit, ac suo tempore præstitit Apostolica Legatio, verùm sui Episcopi iudicia suspendi ob nullam intercessionem, aut exceptionem sustinuit: Et omnis Synodus acquieuit. Et quòd Synodum, à qua istiusmodi retractationem permittit fieri, sibi superiorem non agnoscat Pontifex, est abundè ostensum. Flauiani, Eusebij, ac Theodoreti restitutionem medio inter Ephesinum latrocinium, & Chalcedonensem Synodum tempore fecit magnus Leo, & nulla mediauit Oecumenica Synodus: Ipsam

Ipsam ergo fecit solus, aut certè in Synodo suæ Prouinciæ.

Et hinc omninò claret Papam esse generali Synodo superiorem. Loquor semper de solo Synodi corpore, prout contra caput condistinguitur. Etenim appellari non possit nisi ad superiorem: Et à generalis synodi corpore omninò appellatur ad caput, & quidem appellatione vera, quæ non tantùm deuoluat ex gratia, sed ex iustitia etiam suspendat. Lucidè hoc scribit in literis ad Imperatorem Theodosium magnus Leo: [Obsecramus, vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.] Lucidè rogat omnia Ephesini latrocinij acta vsque ad maiorem Synodum suspendi, idque ob sancti Flauiani appellationem, de qua prosequitur: [Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur.] Hoc est, Canonum Sardicensium, qui cunctis ad Romanum Episcopum interiectis appellationibus palàm dant virtutem omnia suspendendi. Pergit Leo in literis ad Imperatricem Pulcheriam: [Scripsimus de hac re ad gloriosissimum Principem, vt fidem, in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla sineret nouitate corrumpi, quoniam Flauianus episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc quod factum est sine consideratione iustitiæ, & contra omnium Canonum disciplinam, ratum haberi nulla ratio permittit. Et quia dissensionis scandalum non abstulisset Ephesina Synodus, sed auxisset, habendo intra Italiam Concilio, & locus constitueretur, & tempus, omnibus querelis, & præiudicijs partis vtriusque suspensis, quo diligentiùs vniuersa, quæ offensionem generauerant, retractarentur.] Etiam in alijs epistolis omnia, quæ per infœlicem legem confirmauerat Theodosius, Ephesini latrocinii acta rogat suspendi iuxta Canones: Qui appellatam sancti Petri Apostoli memoriam iubent ita honorari. Et rursùs adfirmat sanctum Flauianum manere in sua communione, hoc est, esse à se episcopatui restitutum. Quod ipsum in literis ad laudatam Imperatricem testatur Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & laudati Pontificis ad dictum latrocinium Legatus: [Vestra veneranda Clementia cognoscat à Beatissimo Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra Canones per tumultus, & odia sæcularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt. Et nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per potentiam prædicti, non sine læsione fidei, & præiudicio sanctissimi viri, innoxijque,] vtique sancti Flauiani, [commissa sunt. Lucidè profitetur sancti Flauiani degradationem à solo sancto Leone, & eius Occidentali Concilio fuisse cassatam. Quod ipsum profitetur in literis ad Dardaniæ episcopos S. Gelasius.

Ioannes tamen Launoius rectè scripsit aliud esse Romanum Pontificem appellari, aliud ab ipso solo appellatam causam indicari. Etenim de Romanis appellationibus sanxit Sardicense Concilium: [Si quis degradatus episcopus postulet suum negotium rursùs audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum iudicare visum fuerit; C. 5.
vt à proprio latere Presbyteros mittat, erit in potestate ipsius quodcumque rectè habere probauerit. Et si decreuerit oportere eos mitti, qui cum episcopis sint iudicaturi, habentes auctoritatem eius, à quo missi sunt, & hoc ponendum est. Si autem sufficere putauerit ad rei cognitionem, & episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo eius consilio rectè habere videbitur.] Romano Episcopo permittit, vt appellatas causas, aut ipse per seipsum, aut per Legatos à suo latere Presbyteros, aut per eosdem Iudices, aut per viciniæ Prouinciæ Synodum retractet: Adeòque & retractari omninò permittit per generalem Synodum. Electionem permittit Romani Episcopi prudentissimo arbitrio. Quare nec S. Flauianus Magnum Leonem, nec quis alius appellans Episcopus alium Pontificem ad hunc, aut istum retractationis modum potuit adstringere. Absit à Flauiano istud contra Canones exegisse. Et hinc eius, Domni Antiocheni, Eusebij Dorylæensis, & Cyrensis Theodoreti causas solus in suæ Prouinciæ Synodo Magnus Leo retractauit: Læsæ autem ab Ephesino latrocinio fidei quæstionem retractari ex rationibus voluit in generali Synodo. Et istius solius gratia hanc postulauit ab Imperatore Theodosio, & tandem à successore Martiano impetrauit. Hæc omnia oportet maturè distincta.

Quam omnem doctrinam insigniter confirmat in octaua Synodo magnificentissimus Patritius Bahanes, dicens ad degradatum Photium: [Loquere, Domine Photi, Act. 5.
quodcumque habes iustitiæ opus. Totus mundus hic est, ne claudat viscera sua sancta, & vniuersalis Synodus: Quò namque vis confugere? Romam? Ecce à Roma in Orientem, en ab Oriente hìc adsunt.] Adfirmat Photium à generali ista Synodo, si quidem Romana Legatio non adfuisset, omninò potuisse Romam prouocare. Quod ipsum fieri possit, vbi dicta Legatio mandati limites excederet, aut quouis modo præuaricaretur. Pro eadem thesi quidam adducunt etiam superiùs laudata Valentiniani tertij ad Theodosium verba: [Secundùm solemnitatem Conciliorum Constantinopolitanus episcopus Romanæ Ciuitatis episcopum per libellos appellauit.] Dominus Cardinalis Perronius laudari existimat consuetudinem, qua Romanas aduersùm sua Decreta appellationes etiam Oecumenicæ Synodi soleant admittere. Verùm Dominus Petrus de Marca laudari mauult consuetudinem, quæ damnatos à Synodis episcopos iubeat non sola voce inter acta, sed scripto per libellum appellare: [Secundùm morem Conciliorum appellatio fieri debebat seruatis Lib. 7. c. 7.
scripturæ solemnibus, quemadmodum docet hic locus, qui prorsus singularis est.] Respondeo isto in sensu esse reuera singularem. Etenim istam per libellos appellandi necessitatem nulla firmaut authentica testimonia. Et aduersùs pronunciatam in se à Dioscoro Ephesini latrocinij Præside sententiam dixit adstans S. Flauianus: [Appello à te.] Et Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ac Legatus: [Contradicitur.] Sola voce inter acta appellarunt. Nec desunt alia huiusmodi exempla. Fateor appellationes fuisse passim rela-

relatas posteà in libellum; verùm legem, aut consuetudinem, quæ id faciat spectare ad substantiam, vsque huc ignoro. Quare laudata Valentiniani verba videntur rectiùs exponi per Dominum Cardinalem, quàm per Dominum Parisiensem Archiepiscopum. Quidquid sit, etiam Maximus Cynicus à Constantinopolitana Synodo prouocauit ad S. Damasum: Nec vllus contradixit.

An Græcorum Episcopi olim appellauerint ad solum Romanum Pontificem?

QVòd Græcorum olim degradati à suis synodis episcopi, non ad solum Romanum Pontificem, sed ad totum Occidentis Concilium semper appellauerint, adeò constanter scribit in varijs epistolis Ioannes Launoius, vt in epistola ad Iacobum Boetium de S. Victore adiungat: [Gelasius humani passus est aliquid, cùm vt Sedem Apostolicam sine Synodo damnatos absoluisse episcopos confirmaret, Athanasium in exemplum adduxit.] Affirmat, aut errasse tantùm Pontificem, aut imposuisse. Et probat ex famosa S. Iulij Pontificis epistola: [Tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus episcoporum scripsi. Ego autem nolui omnes scribere, ne à multis onerarentur. Certè ad constitutum tempus conuenerunt episcopi, & eius sententiæ fuere, quam vobis iterùm significo. Quapropter, Dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere tamen me communem omnium sententiam vos scire volo. Hæc quidem à nobis aduersùm non æquas vestrorum hominum, sed iniustas, & suspectas causificationes dicta sunto. Quod autem non temerè, aut iniustè susceperim in communionem Coepiscopos nostros Athanasium, & Marcellum, etiamsi priùs dicta sufficiant, breuibus tamen ratio demonstranda est.] Hanc epistolam adducit, & laudat in secunda sua Apologia magnus Athanasius, & subdit: [Hæc Romæ Synodus per Iulium Episcopum scripsit.] Quæ verba cum his eiusdem Athanasij, Iulius per Archidamum, & Philoxenum Presbyteros scripsit, Ioannes Launoius comparat, & adiungit: [Locutio hæc à Bellarmino numquam adhibebitur, vt Iulius supra Concilia asseratur.

Respondeo locutionem istam potiori iure adduci posse, vt Pontifex suprà, quàm, vt asseratur, esse infrà Concilium. Quare Dominus Cardinalis Bellarminus Ioanne Launoio fuit longè perspicacior. Etenim non Oecumenica totius Ecclesiæ, sed dumtaxàt Primatialis, cui, & quidam aduenæ assederunt Episcopi, solius Italiæ fuit ista Synodus, de qua in literis ad Constantinopolitanum Clerum rectè scripsit Felix tertius: [Quoties intrà Italiam propter Ecclesiæ causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, vt successor Præsulum Sedis Apostolicæ ex persona totius Italiæ Sacerdotum, iuxtà sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui caput est omnium:] Quam consuetudinem affirmat à Nicæna Synodo confirmatam. Eiusdem Synodi magnus Assessor, vtpotè Rauennatum Metropolita, sanctus Petrus Chrysologus scripsit ad Hæresiarcham Eutychetem: [In omnibus hortamur te, vt in his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei, extrà consensum Romanæ Ciuitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.] Hac ergò in Synodo solus Papa constituit omnia, & omnium ad ipsam spectantium Episcoporum personam sustinet, & sine eius consensu totum Episcoporum corpus fidei causas, nec possit audire: Solus isthic decisiuum habet suffragium, reliqui Episcopi dumtaxàt approbant, & consultant. Adeò pleno iure subest Pontifici ista Synodus, vt etiam Nicolaus Cardinalis Cusanus affirmet hoc à nemine dubitari. Hinc ergò ipsa scripsit per Iulium Pontificem, quòd nempè Iulius illic esset omnia, & omnia istius acta in huius nomen concipi deberent, & edi. Quocircà quisquis illi Romanum Episcopum studet subijcere, se profitetur Ecclesiasticæ Hierarchiæ ignarum. Porrò Dominus Cardinalis Bellarminus rectè in vnum chaos non confudit omnia, sed Prouinciales, Primatiales, ac Patriarchales Synodos discreuit ab Oecumenicis, & nouit ab vna ad aliam non duci argumentum. Pergamus ad Athanasij appellationem.

Constanter affirmo sanctum Gelasium esse omnibus Ioannis Launoij exceptionibus maiorem, ideòque vera esse hæc eius ad Dardaniæ Episcopos verba: [Apostolica Sedes frequenter, more Maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habet facultatem. Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemque sanctæ memoriæ Flauianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam Sedes Apostolica non consensit, absoluit.] Nobiscum profitetur sanctum Flauianum non à Chalcedonensi Synodo, sed à solo sancto Leone fuisse absolutum. De Athanasio istud ipsum affirmat in literis ad Alexandrinam Ecclesiam Sardicensis Synodus. Eusebianæ, quæ ipsum damnauerat, factionis coram se tergiuersationes, & clandestinam fugam exponit, ac pergit de eiusdem Athanasij facta per Iulium reparatione: [Qua ex re æquitas iudicij Fratris, & Coepiscopi nostri Iulij liquidissimè apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sententiam tulit, adeò vt nihil relinquatur dubij de communione Fratris nostri Athanasij.] Et in literis ad virginem Principiam sanctus Hieronymus: [Alexandrini Sacerdotes, Papa Athanasius, & posteà Petrus, persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis Ep. 16.

suæ

suæ portum, Romam confugerunt.] Vtique ad portum recipiendæ communionis. Et in literis ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ afflictum à suo Episcopo Nestorio Clerum sanctus Pontifex Cœlestinus: [Habetis vos, quicumque Ecclesia estis eiecti, penè nostrorum temporum beatæ recordationis Athanasij Alexandrinæ Ecclesiæ prudentissimi Sacerdotis exemplum. Fugatus illic, & in nostris partibus roboratus est. Denique hìc ei redintegratus est status, & in hac Sede quietem communionis inuenit, à qua semper Catholicis subuenitur.] Exstat epistola in prima parte Ephesini Concilij. Et in edicto, quo Acacium Constantinopolitanum Episcopum citauit Romam, sanctus Felix tertius: [Coepiscopus noster Ioannes, fugatus ab hæreticis peruasoribus Sedis Alexandrinæ, appellationis libellum nobis ingessit, quem morem Maioris sui beatæ memoriæ Athanasij exemplo, & Priorum nostrorum,
Epist. 4. 13. non potuimus refutare.] Agit de Ioanne Thalaia Alexandrino Episcopo, quem ad solam Apostolicam Sedem prouocasse testantur
C. 16. 17. 18. etiam sanctus Gelasius, in eius vita liber Pontificalis, ac in Breuiario Liberatus Diaconus Carthaginensis, Et in Ecclesiastica
Lib. 2. c. 8. historia Socrates: [Athanasius, persequentium manibus elapsus, Romam properè con-
Cap. 31. tendit.] Et infrà: [Eodem tempore Paulus Constantinopolis Episcopus, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Adrianopolis, alius ob aliam causam accusati, & Ecclesijs suis eiecti, Romæ omnium Ciuitatum facilè Principis versantes, Iulium Romanum Episcopum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille verò, quoniàm Ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat, literis suis ad Episcopos Orientis liberiùs perscriptis illorum partes tueri studet: In Orientem literas mittit, quò, & suus cuique locus restitueretur, & illos, qui eos temerè abdicauerant, grauiter reprehenderet. Illi decedunt Roma, literisque Iulij Episcopi confisi ad suas ipsorum Ecclesias redeunt.] Et Hermias Zozomenus. [Athanasius fugiens Alexandria Romam aduentauit. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus
Lib. 3. c. 7. Episcopus fortè illò accessit, & Marcellus quoque Episcopus Ancyræ, & Asclepas Gazæ Episcopus, itemque Lucius Adrianopolitanus. Quorum factas ab Eusebiana Arianorum factione criminationes cùm Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei Concilij Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. Et cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, & ipsos incusauit, quod se inconsulto de his viris iudicassent, Ecclesiasque perturbassent, cùm Decretis Nicæni Concilij stare nollent. Deditque mandatum, vt illorum quidam omnium nomine ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam esse, & iustam.] Papalis, ex qua mutuatus hæc est Zozomenus, epistola latet, aut perijt, eius tamen substantiam repetit laudatus Iulius in rescripto ad dentatas Antiochenæ Synodi literas: [Quòd non temerè, aut iniustè in communionem susceperim Coepiscopos nostros Athanasiũ, ac Marcellum, breuibus ratio vobis demonstranda est.] Rationes insigniter demonstrat, & prosequitur: [Cùm istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iustè pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? An quod Ecclesiastici Canonis est, hominemque proindè non condemnaremus, sed potiùs reciperemus, eumque pro Episcopo, quemadmodùm est, haberemus?] Etiam Marcelli causam exponit, & pergit: [De vero, quem recta opinionis, & sinceræ religionis esse testimonijs approbatum est, quid quæso nos facere oportuit? Anne, vt eum pro Episcopo haberemus, quemadmodùm habemus, an potiùs à communione repelleremus? Hæc quidem ego, non tanquàm eorum causam agens scribo, sed vt & vobis fidem facerem viros istos iustè, & canonicè à nobis receptos esse, & vos minimè habere causam litigandi.] Assiduè inculcat laudatos Episcopos non à totius Occidentis Synodo, sed à se receptos in sui ordinis communionem, & à perperam iniecto degradationis vinculo absolutos. Quod nempè non ad istam Synodum, sed ad sola sancti Petri Apostoli priuilegia appellassent. Et adiungit: [Omnia secundùm Canonem facimus.] Quod ipsum asseuerat in Ecclesia- Lib. 2. cap. 4
stica historia etiam Theodoretus. Et Philippolitanum Eusebianæ factionis conuenticulum scribit: [Iulium Vrbis Romæ damnauit omne Concilium secundùm antiquissimam legem, vt auctorem communionis Marcelli, & Athanasij, cæterorumque sceleratorum.] Et iterùm: [Iulium Vrbis Romæ, vt Principem, & Ducem malorum, qui primus ianuã communionis sceleratis, atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad soluenda iura Diuina, defendebatque Athanasium præsumenter, atque audaciter, hominem cuius nec testes nouerat, nec accusatores.] Non ab aliqua Synodo, sed à solo Iulio affirmat Athanasium, & Marcellum receptos in gradum, ideòque & istum solum damnat, tamquàm veteris per quintum Nicænum confirmati Canonis præuaricatorem. Quæ omnia altè clamant Athanasium, & alios cum ipso damnatos Episcopos ad solum Iulium prouocasse.

Hæc Zozomeni verba: [Quod se inconsulto de his viris iudicassent, exponit in laudato ad Antiochenam Synodum rescripto laudatus Pontifex: Si, vt dicitis, omninò in culpa fuerunt, oportuit secundùm Canonem, & non isto modo iudicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, vt ità ab omnibus, quod iustum esset decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina Ciuitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, vt primùm nobis scribatur, vt hinc, quòd iustum est definiri possit? Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquàm iam egerunt, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui nos non interfuimus,

fuimus, esse volunt. Non ità se habent Pauli ordinationes, non ità Patres docuerunt, sed fastus iste, & nouum studium est.] Primam de Alexandrino Patriarchæ instantiam affirmat ex Apostolico Canone spectare ad Romanum Episcopum, Athanasium sine præuia ad se relatione neque per Tyriam, neque per Antiochenam Synodum damnari potuisse, ideòque omnia vtriusque conuentus in ipsum acta esse non synodalia iudicia, sed irregularia attentata. Etiam Marcelli, Pauli, Lucij, & Asclepiadis damnationem post Episcopale iudicium debuerant retulisse. Hunc enim esse veterem Ecclesiæ morem, & Canonem scripsit ad sanctum Victricium Rothomagensem Episcopum sanctus Innocentius primus. Et quod non sola prioris, sed etiam posterioris relationis omissio iudicium vacuet, & exufflet, suo loco ostensum est, & adhùc ostendetur.

Hæc ergò est facti species: Athanasius, Marcellus, Paulus, Lucius, & Asclepas, ab Ariana Eusebij Nicomediensis Episcopi factione damnati, & dura passi, appellarunt ad Sedem Apostolicam, Romam accesserunt, ex ipsis damnantium Synodorum actis demonstrarunt cuncta violenter attentata contra Canones, firma à suæ Synodi, aut Diœceseos Collegis contulerunt innocentiæ testimonia, & adiuuari postularunt potestate illa, quam sancto Petro dedit Dominus: [Confirma Fratres tuos.] Et Iulius omninò confirmauit. Præsertim Athanasium: quod Tyria Synodus de tanto, & quidem alienæ Diœcesis, Patriarcha sine præuia relatione iudicasset: Tanti iudicij dixit se debere esse non dumtaxàt Suffragatorem, sed etiam Auctorem. Et hinc Philippopolitana factio ipsum arguit, quòd reparasset hominem, cuius nec testes audiuerat, nec accusatores. Verùm sine fundamento. Etenim non plenè repararat. Laudatorum Episcoporum appellationibus suspensiuum effectum, dumtaxàt detulerat iuxtà Apostolicum Canonem, atque ità ipsos saluo vlteriori examine retinuerat, & firmauerat in pristino gradu, & sua communione. Et ad vlterius examen, & causæ retractationem priores Iudices euocauit Romam, futuros istic reos, aut accusatores, & daturos actuum suorum rationem: Præsertim, quòd factionis Princeps Eusebius ità postulasset. Quòd non omnes Orientales Episcopos, sed solos Eusebianos euocauerit, disertè affirmat in rescripto ad Antiochenam Synodum, atque adiungit: [Hæc potissima mihi scribendi ratio fuit, vt huc veniretis, quo vobis præsentibus omnia corrigi, & sanari possent, ac propterea alacriùs à vobis, & sine recusatione occurrendum fuit, ne qui hactenùs infamia istorum scelerum laborant, contumacia non comparendi in iudicio libellos contra se datos videantur refellere non potuisse.] Lucidè asserit ipsos, non tamquàm Iudices ad Synodum, sed tamquàm reos ad Tribunal fuisse euocatos. Et euocationem fuisse iuxtà Canones disertè affirmat Theodoretus. Verùm, quòd non comparerent, & moras ex moris necterent, pergit Pontifex: [Præter hæc omnia annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit Athanasius, vestram præsentiam exspectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim iudicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset. Neque spontè, sed literis nostris vocatus ad iudicium comparuisset, quemadmodùm vos per literas citauimus. Et tamen post tanta argumenta nos veluti insolitum quiddam agentes reprehenditis.] Tunc ergò & Tyrium de Athanasio, & quoduis aliud de alijs laudatis Episcopis iudicium plenè exuflauit, firmauit ipsos in Episcopali gradu, & cum Apostolicis literis ad suas Ecclesias remisit. Schismaticas, atque hæreticas, quas aduersùm Decreta hæc & in Antiocheno, & in Philippopolitano Conuentu cieuit factio, turbas exponere non est huius loci.

Apud Philippopolim edita epistola exstat, ac de semetipsa loquitur. Apud Antiochiam edita latet, aut perijt: Fuisse contumaciæ, & contumeliæ plenissimam testantur Iulius Pontifex, & Hermias Zozomenus. Fuit adeò fœda, vt ipsam ad suam Synodum legere Iulius erubuerit. Omnia interim laudata Decreta per expressos Canones firmauit Sardicensis Synodus: Sanxit à cunctis per quamuis Synodum damnatis Episcopis honorari posse sancti Petri Apostoli memoriã, & ad eius Sedem appellari, appellationi etiã suspensiuum deberi effectum, & retractatoriũ iudicium præscribendo per Romanum Episcopum modo esse peragendum. Etiam Antiochenos aduersùm Romanam appellationem editos Canones circumduxit, & damnauit. Insigniter hoc tradit in Dialogo cum Theodoro Romanæ Ecclesiæ Diacono Palladius Helenopolitanus Episcopus. Adducit duodecimum Antiochiæ Canonem, & adiungit: [Et ista quidem Regula, vt nequam, & à nequissimis edita, in Sardicensi Concilio à Romanis, & Italis, Illyricisque, & Macedonibus, & Græcis eliminata est, quando Liberius, aut Iulius sub Constantis Imperio Athanasium, & Marcellum Galatham admisit ad communionem, quorum gratia etiam Canon ille fuerat editus.] Sardicensis Synodus confirmauit antiquum Ecclesiæ morem, & Apostolicum Canonem, quem in Ecclesiastica historia laudat, de Paulo Samosatensi aduersùs suam degradationem appellante ad Aurelianum Imperatorem agens, Eusebius Cæsariænsis: [Cùm Paulus ex Episcopi domo, eius Ecclesiæ propria, exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam, sanctissimè quid esset agendum decreuit. Præcepit enim, vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & Vrbis Romæ Episcopi per literas tribuendam rescriberent.] A Christianæ Hierarchiæ perito Assessore instructus Princeps rescripsit huiusmodi causas non ad se, sed appellandas ad Romanum Episcopum, & eius iudicio per omnia standum. Quæ omnia altissimè clamant Athanasium, & alios cum ipso damnatos Episcopos, non ad totius Occidentis Synodum, sed ad solum Iulium prouocasse. Interim omninò vera est hæc per Dominum Petrum de Marca tradita Regula: [Appellationes factas ad Patriarchas censeri etiam factas ad eorum Synodos, vt constat ex formula appellationis Eutychetis.] Quod intellige non de plena Diœcesana, sed

Cap. 9.

Lib. 7. cap. 6.

de sola ipsorum Prouinciali Synodo. Hæc enim est ipsorum consilium, & consistorium. Et in hac etiam Iulius retractauit Athanasij, atque Collegarum Episcoporum causam. Sic enim Romani Pontifices semper consueuerunt. Verùm in ista Synodo Romanus Episcopus erat omnia, & solus decidebat. Hinc ad istam Synodum factæ appellationes palàm fiebant ad solam Sedem Apostolicam. Ea quippè Synodus est ipsa Apostolica Sedes.

Exponitur appellatio Maximi Cynici, Episcopi Constantinopolitani.

Aliud pro suis cogitationibus exemplum adducit in epistola ad Ioannem Molendinum Ioannes Launoius appellationem Maximi Cynici, de qua ad Imperatorem Theodosium scripsit Romana sancti Damasi Synodus: [Quia reuerà aduertebamus Gregorium Nazianzenum nequaquam secundùm traditionem Patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi Sacerdotium vindicare. Nos igitur in Synodo ea, quæ totius Orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. Adeò ipso tempore, qui generale Concilium declinauerunt, Constantinopolique gessisse dicuntur, Nàm cùm cognouissent ad hoc partium venisse Maximum, vt causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, iure, & more Maiorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus, Alexandrinæ Ciuitatis Episcopi, & Orientalium, plerique fecerunt, vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse iudicium viderentur. Cùm enim experiri velle aduersùm eos, qui Episcopatum eius abnuerant, comperissent, prestolari vtique etiam nostrum super eo sententiam debuerant. Nos prærogatiuam vindicamus examinis, sed consortium tamen esse debuit communis arbitrij. Postremò priùs constare debuit, vtrùm huic abrogandum, quàm alij conferendum Sacerdotium videretur. Ab his præsertim, à quibus se Maximus, vel destitutum, vel appetitum iniuria querebatur. Itaq; cùm Maximum in communionem receperint nostra consortia, quoniam eum à Catholicis constat Episcopis ordinatum, nec ab Episcopatus Constantinopolitani putauimus peritione remouendum. Cuius allegationem præsentibus partibus putauimus pendendam. Nectarium autem cùm nuper nostra Mediocritas Constantinopoli cognouerit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus. Præsertim cum ab eisdem Nectarius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quædam nos angit de domestico studio, & ambitione contentio, sed communio soluta, & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter conuenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior ordinatus est, aut certè super duorum ordinatione fit in Vrbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium. Neque enim indignum videtur, Auguste, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque, & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui vnius Acholij Episcopi irà expectandum putauerunt esse iudicium, vt de Occidentalibus partibus, Constantinopolim euocandum putarent. Si quid vni huic reseruatum, quantò magis pluribus reseruandum est? Nos autem à beatissimo Principe Fratre tuæ pietatis admoniti, vt tuæ clementiæ scriberemus Imperio, postulamus, vt vbi vna communio est, commune velit esse iudicium, concordantemque consensum.

Ioannes Launoius vrget varia. Primò hæc verba de Maximo: [Ad hoc partium venit, vt causam in Synodo ageret suam.] Vrget, quòd Maximus non coram Apostolica Sede, sed coram Synodo voluerit causam agere, & adiungit: [At Synodus est plurium Episcoporum.] Respondeo vrgenda esse, & hæc verba: [Quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, iure, & more Maiorum vtique facere potuisset. Oecumenica, vtpotè totius Orbis Episcopis præscripta, debebat esse ista Synodus, ideòque ad ipsam deuoluere suam causam sperauerat Maximus: Nàm & hic est mos Maiorum. Verùm non comparuere Orientales Episcopi, ideòque, cum solis ferè Italis Synodum egit sanctus Damasus, & ità ad illam solam, adeoque & ad solam Apostolicam Sedem coactus fuit Maximus suam causam appellare. Et rectè. Nàm hæc appellatio est omninò Maiorum ius, & mos, firmatus, & innouatus per Canones Sardicenses. Et Orientalium Episcoporum appellationes ad generalem Synodum non fuisse constrictas profitetur etiam Ioannes Launoius: Eas constringit ad solam Synodum Occidentis.

Probat ex hisce verbis: [Athanasius, & Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugerunt iudicium.] Vrget eos non ad solius Romanæ Ecclesiæ, aut Apostolicæ Sedis, sed confugisse ad iudicium totius Occidentis. Respondeo verba ista explicanda per hæc sequentia: [Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque, & Italorum Episcoporum debent subire iudicium.] Vterque contextus alludit ad Sardicensem Canonem, qui appellatas Episcoporum causas iuxtà sapientissimum Romani Episcopi arbitrium tetractari sanxit, & quas laudatus Episcopus quandoque in sola finitimorum, quandoque in omnium Italorum, quandoque in plena sui Patriarchatus, quandoque in alia Synodo censuit retractandas. Disiunctiuum sensum habet adductus vterque contextus, neuter Romanum Episcopum ad hunc, vel istum retractandi modum restringit. Nec vllus vnquàm appellans Episcopus præsumpsit, aut valuit restringere. Et totius Occidentis, Italorum, aut solorum finitimorum Episcoporum Synodus non sunt aliud, quàm Patriarchalis, Primatialis, aut Metropolitana Romani Episcopi Cathedra, adeòque omnes ad istas Synodos factæ appellationes omninò fiunt ad Sedem Apostolicam, ac eius Antistitem.

Ioannes Launoius vrget, & hæc verba: [Non prærogatiuam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbi-

arbitrij.] Vrget non dici: [Prærogatiuam examinis apud Apostolicam Sedem dumtaxàt arbitrium esse debuit.] Respondeo epistolam loqui ex sexto Nicæno Canone, ex quo, & ad sanctum Ioannem Chrysostomum episcopum Constantinopolitanum rescripsit accusatus per fratres longos Theophilus Alexandriæ Patriarcha: [Arbitror te non ignorare, quid præcipiant Nicæni Concilij Canones, sancientes Episcopum non iudicare causam citrà terminos suos. Si autem ignoras, disce. Et libellos contra me suscipere desine. Nàm etsi iudicari me opus sit, ab Ægyptijs magis, quàm à te id fieri oportet, qui septuagintaquinque dierum itinere à nobis separatus es.] Et congregatæ, cui dictus præsidebat Theophilus, ac laudatum Ioannem euocanti ad Quercum Synodo rescripsit huic fauens Synodus Constantinopolitana: [Noli Ecclesiæ negotia soluere, noli confundere ordinem, & ne scindas Ecclesiam, propter quam Christus descendit ad terras. Quòd si impatiens soluis Nicæni Concilij Canones, causasque citrà terminos tuos cognoscere vis, ipse ad nos transi in bene institutam Ciuitatem, neque instar Cain Abel in campum prouoces, vt nos te primùm audiamus.] Exstant hæc apud Palladium Helenopolitanum Episcopum in Dialogo cum Theodoro Romanæ Ecclesiæ Diacono de actis laudati Ioannis. Nicæni Concilij tempore in tres Patriarchas, ac tres autocephalos Primates erat distributa Ecclesiæ Hierarchia, & de ipsis, ac per ipsos faciendis consecrationibus atque iudicijs edicit sextus Canon: [Suis priuilegia seruentur Ecclesijs.] Vnicuique sancit seruari iudicij prærogatiuam, ideòque nec Alexandrinum, ab Antiocheno, nec Ponticum, ab Asiatico, nec Thracem ab hoc, vel illo, aut viceversa, in prima instantia iudicari. Pluribus hæc ostendi in laudati Canonis Scholio. Et formam hanc Canon non induxit. Lucet ex sancti Cypriani ad sanctum Papam Cornelium contra Felicissimi Diaconi factionem literis: [Statutum est omnibus nobis, & æquum est pariter, ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi crimen admissum est, & singulis Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus. Hunc Apostolicum Canonem, & ex ipso natam consuetudinem Nicæna synodus dumtaxat confirmauit. Sub Damasi Pontificatu Constantinopolitana Ecclesia necdum erat Patriarchalis, immò nec Metropolitana: Erat in Europæ Prouincia, ac Thracica Diœcesi simplex sub Heracleensi Metropoli Parochia, atque ita eius Episcopus non à Romano Pontifice, sed ab Heracleensis Metropolitæ, atque Primatis Prouinciali, aut Diœcesana, vel alia maiori Orientis synodo debebat in prima instantia iudicari. An primam vbique instantiam potuerit ex causis assumere Pontifex, est alia quæstio: Quidquid sit, passim non solebat. Et hinc de degradato per Constantinopolitanam synodum Maximo Cynico dixit Romana Damasi synodus: [Non prærogatiuam vindicamus examinis. Et addidit: Sed consortium tamen debuit esse communis arbitrij. Vtique per relationem. Maximi degradationem, quod Romam relata non fuisset, affirmat irritam, & nullam, ideòque ipsum in accepto per Catholicos Antistites Episcopatu vsque ad maturius examen esse firmandum. Quod enim solus Romanæ relationis defectus quæuis, alioquin legitima, generalium etiam synodorum acta suspendat, ac vacuet, & suo loco ostensum est, & adhuc ostendetur.

C. 7. 8.

Ioannes Launoius vrget, & hæc verba: [Priùs constare oportuit, vtrùm huic, quàm alij conferendum Sacerdotium videretur. Ab his præsertim, à quibus se Maximus, vel destitutum, vel appetitum iniuria querebatur. Vrget non dici: Priùs constare apud Apostolicam Sedem dumtaxat oportuit, vtrùm huic, quàm alij conferendum Sacerdotium videretur.] Respondeo laudatorum verborum hunc omninò esse sensum. Agunt de Nectarij ordinatione, affirmantque ante finitam Maximi causam non potuisse fieri. Præsertim quod causam suam Maximus appellasset ad Romanum Episcopum. In degradati enim, ac Romam appellantis episcopi sedem ante plenum quæstionis, & retractantis iudicij finem non imponi nouum episcopum, disertè mandant Canones Sardicenses. Laudata igitur verba affirmant ante Nectarij ordinationem constare debuisse, & apud & per Apostolicam Sedem de conclusa Maximi causa, ideòque ipsum, non Nectarium esse adhuc episcopum Constantinopolitanum.

Ioannes Launoius vrget, & hæc verba: [Super duorum ordinatione sit in vrbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium. Vrget non dici: Super duorum ordinatione apud Apostolicam dumtaxat Sedem iudicium esse debet.] Respondeo sic omninò potuisse dici. Etenim epistola loquitur ex Sardicensi Canone, qui retractorium de Romam appellantibus episcopis iudicium plenè credit sapientissimo Romani Pontificis arbitrio, atque ita hanc Maximi appellationem Damasus omninò potuisset apud solam suam Apostolicam Sedem, seu in sola finitimorum episcoporum synodo retractare. Verùm erat grauissima, ac nodosissima quæstio, nec solùm Maximum, atque Nectarium tangebat, sed etiam sanctum Gregorium Nazianzenum, Petrum Alexandriæ Patriarcham, omnem Orientalem Ecclesiam, immo, & pacem totius Christianitatis. Hinc non in sola suæ Prouinciæ, sed in pleniori synodo retractare Damasus voluit, atque finire. Notanda sunt hæc verba: [Neque enim indignum videtur, vt Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque, & Italorum episcoporum debeant subire Tractatum.] Edicunt Orientales Episcopos huic retractorio iudicio adfuturos, non vt Iudices, sed vti reos, vel accusatores, qui coram Romano Episcopo, ac eius Prouinciali aut certè Primatiali synodo dent suorum actorum rationes. Proindè eodem modo Damasus processit in causa Maximi appellationem admisit, ei detulit suspensiuum effectum, factam Nectarij superordinationem cassauit, partes euocauit Romam, priores iudices transmutauit in reos, aut accusatores & sanxit causam in plena Italiæ synodo retractandam. Ipsam tamen posteà ob rationes retractauit cum solis finitimis episcopis.

Vlteriorem rei seriem edicere non est huius loci. Interim lucet etiam Maximum Cynicum non ad totius Occidentis synodum, sed prouocasse ad solam Sedem Apostolicam, & ab ipsa sola fuisse iudicatum.

Exponitur appellatio sancti Ioannis Chrysostomi.

TErtium, quod pro suis cogitationibus adducit in epistola ad Paulum Ratuynum Ioannes Launoius, exemplum est appellatio sancti Ioannis Chrysostomi. In huius ad Innocentium primum Pontificem literis vrget hæc verba: [Licèt absentes essemus, & synodum appellaremus, & iudicium requireremus, Theophilus accusatores suscepit, & excommunicatos à nobis absoluit, & ab illis, qui necdum se de suis criminibus purgauerant, libellos collegit, & acta perscribi iussit. Quæ omnia legibus, & Canonibus prohibita erant. Et hæc verba: Tractus, & abductus à Magistratu ciuitatis in media ciuitate, & in nauem coniectus per noctem nauigaui, eo quod ad synodum, & iustum iudicium prouocauerim.] Se Thraciæ Episcopum à Theophilo Ægyptio contra Nicænos Canones damnatum queritur Ioannes, & pergit: [Si mos hic inualuerit, & fas vnicuique fuerit in alienam Parochiam irrumpere, idque ex tantis interuallis, & eijcere quos voluerit, & auctoritate propria quæque pro libidine sua facere, scitote quod breui transilierit omnia, & totus mundus premetur bello non indicto, omnibus eijcientibus. Quapropter ne confusio hæc, omnem, quæ sub cœlo est, nationem inuadat, obsecro vt scribas, vt hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & declinantibus iudicium, non habeant robur, sicut neque natura sua habent. Illi autem, qui adeò iniquè egisse deprehensi sunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant; nobis verò, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei sumus, literis vestris, & charitate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet, & antea societate fruebamur, frui concedite.] Etiam hæc verba vrget Ioannes Launoius, & ex ipsis prætendit sanctum Ioannem Chrysostomum non ad Romanum Episcopum, aut eius Sedem, sed ad generalem synodum prouocasse.

Respondeo distinguenda tempora, & omnia concordare. Ioannes enim fuit bis damnatus. Primò in Conuentu ad Quercum seu hortos Ruffinianos. Damnatus fuit absens. Eius enim synodus excepit Theophilum esse Ægyptium, ideòque à Nicænis Canonibus non permitti iudicare in Thracia, ipse autem Ioannes, & illum, & alium Conuenticuli Principem Acacium Berreænsem in Syria Episcopum asseruit suos hostes, comparare noluit, aliam & meliorem, licèt centum, ac mille Episcoporum, postulauit synodum, de qua Hermias Zozomenus: [Notarius ex aula festinabundus adueniens, Ioannem vrsit vt ad Episcopos exiret, illos autem vt in ferenda sententia non cunctarentur. Cum igitur quater vocatus, ad Oecumenicam synodum prouocasset, illi nihil aliud causati, quàm quod vocatus non obtemperasset, cum (Lib. 8. c. 17.) deposuerunt. Damnauerunt in contumaciam. Verùm quod aduersùs patenter iniquam tanti sui episcopi eiectionem Constantinopolitanus populus tumultuaretur, & Theophilum minaretur in pontum demergere completa non fuit executio, Ioannes mansit Episcopus atque ita quieuit eius appellatio. Secunda damnatio facta fuit Constantinopoli, ipse Theophilus non interfuit, ac de illo scribit in laudato Dialogo Palladius Helenopolitanus: [Theophilus venire noluit, misit autem tres Episcopos, & vnà Canones quosdam, ab Arianis contra Beatissimum Athanasium factos, quibus vtentes Ioanni calumnias struerent, quod post depositionem suam sine episcopali Decreto redire ausus esset. Erant Antiocheni Canones, de quibus pergit Palladius Leontius Ancyræ Galathiæ Episcopus, Ammonio Laodicææ adustæ adiunctus, adustam fecerunt Ecclesiam, non modò victi Principum minis: sed contrà spe numerum seducti Regalium, in sancta synodo iniquissimam vnà cum Acacio, & Antiocho tulerunt sententiam, obtinere saucientes indiscretum Theophili iudicium, vt locus purgandi se Ioanni nullus omninò daretur, vigore scilicet Canonum eorum, quos Theophilus miserat, à quadraginta complicibus Arij editos, atque ita continentes:] Si quis Episcopus, aut Presbyter, iniustè, siue iustè depositus, ex seipso absque synodo in Ecclesiam redierit, hic iam excusationis non habet locum, sed omninò expellatur. [Et ista quidem regula, vt nequaquam, & à nequissimis edita, in Sardicensi Concilio à Romanis, & Italis, Illyricisque, & Macedonibus, & Græcis eliminata est, quando Liberius, aut Iulius sub Constantis Imperio Athanasium, & Marcellum Galatham admisit ad communionem, quorum gratia etiam Canon iste fuerat editus.] Quod ipsum de isto Antiocheno Canone censuit, & pluribus ad Constantinopolitanum Clerum, ac populum scripsit in hac causa Pontifex Innocentius. (Cap. 8.)

Magni Athanasij, & eius in damnatione Collegarum factam à Iulio Pontifice reparationem exsufflatura, aut saltem moratura in Antiocheno Encœniorum Conuentu Eusebiana Arianorum factio, Diuina Apostolicæ Sedis priuilegia directè non præsumpsit tangere: Nouerat montem istum, si tangeretur, fumigaturum. Sanxit degradatum, à quauis synodo episcopum non nisi à maiori synodo reparari posse, & omnem aliter ad Ecclesiam suam, & Cathedram redire ausum excidere omni reparationis spe, ac deinceps, nec audiendum. Ita Romanas appellationes, & reparationes conati sunt per dolosos gyros euertere: Antiochiæ tentarunt clancularie, ac indirectè, quod reuelata postmodum facie compleuerunt in Conuentu Philippopolitano Porrò inflicta sancto Ioanni apud Quercum damnatio non per maiorem synodum, sed duntaxat per Constantinopolitani populi tumultum exsufflata fuerat, ac ita ille reuocatus, ac repositus in Sedem. Hinc memorato Eusebianæ factionis Canone ipsum aggressa est Theophili factio, & tunc denuo Ioannes appellauit. Omninò fateor non ad Apostolicam Sedem, sed ad maiorem synodum prouocasse. Cedendum iniquo tempori, & addu-

ductos Canones non iam impugnandos, sed dispensatoriè admittendos duxit, & ex ipsorum Præscripto maiorem synodum inuocandam. Verùm apud hosce Canones sera erat ista inuocatio. Admissa non fuit, nec auditus Ioannes, sed tamquam turbidus Antiochenæ synodi præuaricator coniectus in nauim, & in exilium deportatus. Et tunc primum appellauit Innocentium Pontificem, ac non per synodum, sed per ipsum supplicauit, iniecta sibi per factionem vincula solui, ac reponi in Episcopatum.

Quæ omnia tradit etiam Hermias Zozomenus: [Portò Ioannes Constantinopolim reuersùs magis etiamnum populo gratus apparuit, Et cum eo tempore Constantinopolim conuenissent circiter sexaginta episcopi, decretum per eos est, vt & irrita haberentur ea, quæ ad Quercum habita fuerant, & vt Ioannes Episcopatum retineret. Itaque ille in officio Sacerdotali perseuerauit, & Sacerdotes ordinauit, ac cætera, vt in Ecclesijs Antistites oportet, administrauit.] Facta hæc sunt statim post primam damnationem. Latiùs, ac lucidiùs exponit Socrates. Exponit populi pro Ioanne tumultum, ac pergit: [Quapropter Ioannes necessitate adductus in vrbem reuertitur. Multitudo prodit illi obuiam cum summa reuerentia ad Ecclesiam rectà deducit, orat, vt Sedem Episcopalem capessat, moreque consueto pacem populo precetur. Cum ille recusaret, diceretque hoc non ante faciendum esse, quàm tum causa eius iudicio esset disceptata, tum hi ipsi, qui ipsum condemnauerant mutata sententia absoluerent, magis incendi cæpit. Tanta enim cupiditas eum, & in sede collocatum videndi, & de integro concionantem audiendi, illam incesserat. Itaque populi impulsu res sic confecta est. Quæ res aduersarijs alterius criminationis materiam suppeditauit.] Ioannis aduersùs Eudoxiæ statuam acta exponit, ac prosequitur de memorata nouæ criminationis materia: [Paulò post Episcopi aduenerunt, Leontius Episcopus Ancyræ, quæ est in parua Galathia, Ammonius Laodiceæ, quæ est Pisidia, Briso Philippi, quæ est in Thracia, Acacius Berrhææ quæ est in Siria, & alij nonnulli. Coram istis accusatores, qui dudum Ioannem in iudicium vocauerant, de integro producuntur. Ioannes istorum Episcoporum æquitate fretus, postulat, vt de criminibus quæratur. Cum iam Natalis dies Seruatoris celebraretur, Imperator ad Ecclesiam, vt assolet, non accessit, sed Ioanni significauit, se non priùs cum eo communicaturum, quàm crimina ei illata diluisset. Cumque accusatores propter Ioannis confidentiam animis cadere viderentur, Episcopi, qui aderant non de alio crimine quæri, sed hoc solum in iudicium adduci oportere dixerunt, nimirum quod post abdicationem absque Concilij sententia se ipse in sede Episcopali collocauerat. Vbi Ioannes respondit quinquaginta Episcopos, qui cum ipso communicauerant, ei in hac re suffragatos fuisse, Leontius contra: At plures inquit, tibi in Concilio refragati sunt: Rursus, cum Ioannes diceret hunc Canonem non ad illorum Ecclesiam, sed ad Ecclesiam Arianorum pertinere, reiecto illius responso, contra eum sententiam pronuntiarunt, illud neutiquam animis complexi, quod qui hoc Canone vsi fuissent, etiam Athanasium abdicauerant. Imperator igitur Ioanni significat ei non esse iam potestatem in Ecclesiam ingrediendi, quod duobus Concilijs erat condemnatus. Proindè Ioannes ab Ecclesiastico munere deinceps vacauit, neque Ecclesiam adijt. Ad spatium duorum mensium nunquam prodijt in publicum, donec Imperatoris mandato esset in exilium abductus.] Quæ omnia firmat, & Zozomenus, errans tamen dictam aduersùs Antiochenos Canones exceptionem non à Ioanne, sed ab aduersarijs Episcopis fuisse interiectam. Nam quomodo factio aduersùs palmare iniquitatis suæ fundamentum intercessisset? Quod ipsum confirmat oculatus testis Palladius: [Et quidem Ammonius, ac Leontius, coniuncti Acacio, & Antiocho, ingressi ad Regem dicebant decem episcopos ex parte Ioannis euocandos pro Canonum auctoritate statuenda, alijs asserentibus eos à Catholicis editos, alijs è contra dicentibus ab Arianis fuisse compositos. Ingressus autem Elpidius Laodicææ Syriæ episcopus, vir vitæ merito, & canitie ipsa venerandus, vnà cum Tranquillo, suadebant Regi non oportere Ioannem irrationabiliter eijci. Neque enim priùs depositus, sed pulsus à Comite fuerat, neque à seipso remearat, sed ex præcepto pietatis suæ, Notario ad hoc misso. Præterea, quos proferrent Canones Hæreticorum esse, quod apertis indicijs ostendi posset. Cum verò persisterent Ioannis aduersarij indisciplinatè contendere, & alij quidem clamosa voce perstreperent, alij verò improbis gestibus, præsente Imperatore, tumido pectore, & spiritu turgido insanire viderentur, modestè Canonum scientissimus Elpidius, modico impetrato silentio, sic Regem alloquitur: Non diutius mansuetudinem tuam vexemus Imperator, sed istud fiat. Subscribant Fratres nostri Acacius, & Antiochus, & cæteri se esse illorum fidei, qui illos exposuerunt canones, quos ipsi obtendunt, & soluta est controuersia.] Multis ostendit ab ipso Ioanne, nequaquam ab eius aduersarijs aduersùm istos canones fuisse intercessum. Per istos, inquam, canones Ioannes ab vtraque damnatione primùm conatus est se euoluere & extricare, & non nisi post sibi inflictam per ipsos damnationem appellauit, iam deportatus, ad Sedem Apostolicam.

Ad epistolæ, quam Innocentio Pontifici appellans scripsit, calcem Ioannes addidit: [Scripsimus ista, & ad Venerium Mediolanensem, & ad Chromatium Aquileiensem episcopum.] Ad quæ verba Ioannes Launoius: [Sic scribitur cum ad plures scribitur, & à pari, vel à paribus scribi dicitur. Hinc vt chartæ, ita & epistolæ pariculæ cur non dicerentur? Bellarminus id notare oblitus est, vbi pro Romani Episcopi Primatu laudat hanc Chrysostomi epistolam. Obliuio hæc ecclesiasticæ historiæ non parum importat detrimenti. Quibus enim epistolæ verbis Romani Episcopi Primatum erigit, eisdem, & Venerij Mediolanensis, & Chromatij Aquileiensis Episcopi Primatum erexisset singulari in tractando religione, accuratio-

ne

Lib. 8. c. 19.

Lib. 6. c. 14.

Cap. 16.

ne magna, æquali iudicio. Pura pura est dissimulatio. Hæc verba: Obsecro vt scribas, vt hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis & declinantibus iudicium, non habeant robur, sicut neque natura sua habent. Illi autem, qui adeò iniquè egisse deprehensi sunt, pęnę ecclesiasticarum legum subiaceant; nobis verò, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei sumus, literis vestris, & charitate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicèt, & anteà societate fruebamur, frui concedite.] Exstans apud Palladium epistola addit: [Ecclesijs nostris iubete restitui.] Hæc, inquam, verba Ioannes Launoius affirmat à sancto Ioanne Chrysostomo scripta, etiam ad Venerium, & Chromatium, ac pergit: [Innocentius non dicit Chrysostomum dignitatem Sedis Primę læsisse, quod ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquileiensem non aliter, quàm ad se scripserit, quod literas in eamdem sententiam exarauerit.

Respondeo nullo authentico testimonio probari, quod omnes tres laudatę sancti Ioannis epistolæ fuerint à paribus, & laudata continuerint verba. Nullo modo id ipse affirmat. Et sanè quomodo à Mediolanensi, aut Aquileiensi episcopo postulasset rescindi iniquum Theophili iudicium, ipsum subdi ecclesiasticis pœnis, & se reddi suæ Ecclesiæ? Quę istis episcopis auctoritas in Patriarcham Alexandrinum, aut episcopatum Constantinopolitanum? Quocircà certum est alio verborum tenore, & sensu istas constitisse. Habebant eadem exordia, exponebant eadem Theophili facinora, verùm aliter concludebant. Nempè scripsit ad Venerium, & Chromatium afflictus Ioannes, quomodo Clericorum inopiam patiens Africana Ecclesia Episcopatum legauit [ad transmarinas Italiæ partes, vt sanctis Fratribus, & Consacerdotibus, tam Venerabili sancto Fratri Anastasio, Sedis Apostolicæ Episcopo, quàm etiam sancto Fratri Venerio, Sacerdoti Mediolanensis Ecclesiæ, necessitatem ipsam, ac dolorem, atque inopiam intimaret.] Et alia ibidem Synodus statuit: [De Donatistis placuit, vt consulamus Fratres, & Consacerdotes nostros Siricium, & Simplicianum de solis infantibus], qui baptizantur apud ipsos.] Quod Romano Episcopo Mediolanensem non æquauerint, lucet ex hocce Decreto: [Placuit vt literæ mittantur ad Fratres, & Coepiscopos nostros, & maximè ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet Venerabilis Frater noster Anastasius.] Tres dumtaxat Metropolitas habebat tunc Italia: Romanum, Mediolanensem, ac Aquileiensem. Et hi duo Italicis in Synodis solebant adsedere Pontifici, & grauiores cum illo causas tractare. Nam & ita nuper Damaso in Romana, & Syricio in Capuana Synodo assederant sanctus Ambrosius Venerij, & Augustinus Chromatij Antecessor, & cum ipsis retractauerant appellationem Maximi Cynici, Euagrij, & Flauiani de Antiochena Cathedra quæstionem, aliasque causas grauissimas. Laudatorum Metropoleon episcopi in Prouinciali Italiæ Synodo erant bina Romani Pontificis latera: Hinc illis suam causam, huic commendandam, commendauit etiam sanctus Ioannes Chrysostomus.

Pergit Ioannes Launoius: [Innocentius non conqueritur, quod Chrysostomus ad Synodum potiùs quàm ad Sedem Apostolicam prouocauerit. Quod ita Pontifex ecclesiasticarum rerum peritus nouerat Chrysostomum nihil fecisse, quod à maiorum institutis abhorreret; id verò fecisse, quod æquitati, & rationi consentiret. Immò tantùm abest, vt ea de re conquestus sit, vt ijs quæ à Theophilo contra Ioannem acta fuerant, & à se, & Venerio, & Chromatio rescissis, necessariam adhuc Synodum, eamque esse solam iudicauerit, quæ excitatæ inter Chrysostomum, & Theophilum, inter Thraces, atque Ægyptios, controuersiæ finem imponeret, sed expectandum esse vsque monet, dum illa congregari possit. Scilicet compertum, atque exploratum erat, auctoritatem Synodi quàm Sedis Apostolicæ maiorem esse.] Vtique auctoritatem generalis Synodi, [in qua Christiani nominis repræsentatio celebratur.] Respondeo sanctum Ioannem Chrysostomum nullatenùs appellasse ad generalem totius Ecclesiæ Synodum, sed dumtaxat ad quamuis, & apud Quercum, & apud Constantinopolim factis in suam Innocentiam conuentibus maiorem. Appellauit enim iuxta duodecimum Antiochenum Canonem. Ita inimicam factionem sperans circumducere, atque euadere. Qua in re omninò aliquid egit alienum à maiorum institutis. Etenim ad Apostolicam Sedem statim prouocare debuerat iuxta Sardicenses Canones, à quibus damnari istum Antiochenum, & Apostolicam ad Romanum Episcopum appellandi traditionem firmari, supra nobis dixit Palladius Helenopolitanus Episcopus, & suo loco est pluribus demonstratum. Et hunc Ioannis lapsum lucidè notat in literis ad Constantinopolitanum Clerum, & Populum Innocentius: Lucidè affirmat hoc in negotio non secundùm proscriptos Antiochenos, sed secundùm authenticos Sardicenses Canones fuisse procedendum. Rectè tamen Ioannem non arguit. Etenim venia dignissimum lapsum rabida Theophili factio abundè castigarat, virum iustum damnans non solùm ob alia prætensa crimina, sed etiam quòd contra Antiochenum canonem appellare præsumpsisset. Et hinc etiam lucet appellationem, hanc non nisi aduersùs secundam damnationem à restituto in episcopatum Ioanne fuisse interiectam. Et non tam à Ioanne erat iste lapsus, quàm ab ipso Theophilo, qui adductis Antiochenis Canonibus ad ita appellandum compulerat.

Et quis vnquam dixit, vel audiuit temeraria Theophili in sanctum Ioannem iudicia fuisse non à solo Innocentio, sed etiam à Venerio, & Chromatio circumducta, atque cassara? Longè aliter scribit in laudato Dialogo Palladius: [Ad hæc, vtique ad laudatas appellantis Ioannis literas, rescripsit beatissimus Papa Innocentius, communioneque vtriusque partis admissa, Theophili iudicium cassum, atque irritum esse decreuit, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium, ac Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis. Neutrarum Cap. 3.

quip-

quippè partium, vt plurimùm, rectum esse judicium.] Quod ad lectam Theophili de his actis relationem exhorruerit, lacrymatus fuerit, ac temeritatem grauiter increpuerit Pontifex, addit Palladius, & subuectit eius Rescriptum: [Frater Theophile, nos & te & Fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ esse decreuimus, sicut & in prioribus literis satis expressimus. Et nunc in sententia nostra, & voluntate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quotiescumque scripseris, nisi debitum sequatur, conueniensque iudicium, propter ea, quæ magno cum dedecore gesta sunt, possibile non est nos à Ioannis communione decedere. Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic iuxta Nicæni Concilij Canones, & Decreta contende. Alios quippè Canones Romana non admittit Ecclesia. Quod si obtinueris, euidens, & irrefragabilis erit ratio tua.] Ex quibus liquet Theophilum aduersùs impartitam Ioanni communionem, & pro Antiochenis Canonibus frequenter, ac potenter intercessisse apud Pontificem, hunc firmum coustitisse in sua sententia, & semper voluisse retractatorium causæ iudicium fieri non secundùm Antiochenos, sed secundùm Nicænos Canones, id est, Sardicenses. Etiam Arsatij superordinationem exsufflauit, ipsum Christiano nomine, seu laica etiam communione, tanquam alienæ sedis peruasorem priuauit Pontifex, & addidit de futura generali Synodo: [Non oportere Ioannem iudicium ingredi, nisi illi priùs Ecclesia, communioque redderetur.] Voluit spoliatum ante omnia restitui, atque ita non nudum, sed vestitum cum vestitis Synodaliter luctari.

Et hęc omnia non Chromatius, aut Venerius, sed solus decreuit cum finitimorum episcoporum Synodali consilio Innocentius. Nec absunt hæc Palladij de laudati Pontificis, ac Imperatois Honorij ad Imperatorem Arcadium, & Orientalem Ecclesiam Legatis verba: [Acceptis sancti viri, Æmilius & Cythegius, & Gaudentius Episcopi, vnà cum Valentiano, Bonifacioque presbyteris, Imperatoris Honorij, & Papæ Innocentij, & Italiæ episcoporum, vnà cum Commonitorio Concilij totiùs Occidentis, cum euectionibus publicis Constantinopolim concesserunt. Hæc enim est illa Synodus, quam ad laudati Pontificis de varijs in deportato Ioanni fauentes, & communicantes episcopos, atque clericos violentijs grauissimas querimonias fieri iussit laudatus Honorius, & de qua scribit laudatus Palladius: [Non tulit vltra Innocentius Pontifex indignitate summa permotus, scripsitque ad Honorium Imperatorem. Literæ desunt. Motus his literis Princeps præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cum in vnam sententiam concurrisset, ad se ferre. Congregati Italiæ episcopi Imperatorem orant, vt scriberet Arcadio Fratri suo, vt iuberet Thessalonicæ Concilium fieri, quo faciliùs possent vtræque partes Orientis Occidentisque concurrere. Addentes perfectam Synodum non numeri quantitate, sed qualitate sententiæ, certam & irrefragabilem tulisse sententiam.] His inflammatus Imperator Episcopo quidem Romano scribit, vt mittat episcopos quinque, Presbyteros duos Romanæ Ecclesiæ, Diaconum vnum, qui ipsius ad Fratrem epistolas ferrent.] Dati in Ioannem à Thephilo iudicij Apostolica cassatione dudum posterior fuit hæc Synodus, & in ipsa Chromatius, & Venerius nihil præ alijs Italiæ episcopis singulare fecerunt.

Quòd cassationem istam solus Innocentius fecerit, assiduè clamat Palladius. Cyriaci Emeseni in Syria Episcopi è persequentium manibus fugam, & Romanum accessum laudat, atque pergit: [Post Cyriacum aduenit Eulogius Apamææ Bythiniæ Episcopus, afferens literas à quindecim Episcopis de Ioannis Concilio, & à pręclaro sene Anysio, in quibus illi quidem, & præcedentem, & quæ tunc erat, Constantinopoleos totius deprædationem, vastitatemque signabant. Anysius verò Romanæ se Ecclesiæ iudicium sequi fatebatur.] Anysius erat Archiepiscopus Thessalonicensis. Et infra: [Post illos venit Demetrius Episcopus Pessinuntis, qui peragrato Oriente prædicauerat communionem Ecclesiæ Romanæ cum Episcopo Ioanne, testibus Papæ Innocentij literis, afferens epistolas ab Episcopis Curiæ, in quibus Ioannis amplectebantur communionem. Ab Antiochenæ item ecclesiæ presbyteris, vbi Romanorum sequuntur disciplinam, laudantes integritatem iudicij, & ordinationem apud se factam de Porphyrio, vt illicitam, & nefariam execrantes.] Pergit Palladius de Theodoro Thyanensi Episcopo, Metropolita secundæ Cappadociæ: [Theodorus Thyaneus episcopus, vir summæ grauitatis, vbi ex his, quæ venerant ad aures eius, quid ageretur aduertit, ne Theophili temeritatem sequeretur, relictis omnibus ad suam remeauit ecclesiam, valefaciens comitatui, suamque Prouinciam vallans pietatis muro, & ad finem, vsque in communione persistens fidelium Romanorum, de quibus Paulus testatur, & dicit;[Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.] Et in Dialogi fine Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus dicit ad Palladium: [Det tibi Dominus misericordiam in die illa inuenire, quia ab huiusmodi] rebellium Sedi Apostolicæ Episcoporum [communione decessisti. Est autem hæc Romanæ Ecclesiæ sententia, non communicare in finem, vsque Orientalibus Episcopis, maximèque Theophilo, donec Dominus vniuersalis Synodi tribuat locum, ac per eam curet putrida membra eorum, qui ista gessere.] Nullus à Chromatio, aut Venerio, sed omnes à Romana Ecclesia affirmant Ioanni redditam communionem, & circumducta Theophili Gesta. Quid enim auctoritatis habeat Mediolanensis, aut Aquileiensis episcopus in Synodos Orientis? Et nullus ex cunctis Ioannis communionem tenentibus, ac eius causa persecutionem passis episcopis, aut clericis accessit Mediolanum, aut Aquileiam, sed omnes Romam accesserunt, atque Romanum Episcopum: Norant ab hoc vnico se posse reparari.

Ioannes Launoius laudat hæc sancti Gelasij Pontificis ad Faustum Magistrum verba:

verba: [Euphemium miror, si ipse ignorantiam suam non perspicit; qui dicit Acacium ab vno non potuisse damnari. Itaque non perspicit secundùm formam Chalcedonensis Concilij Acacium fuisse damnatum? Nec nouit eam, aut se nosse dissimular, in qua vtique per numerosam sententiam Sacerdotum erroris huius auctores fuisse damnatos, sicut in vnaquaque hæresi à principio christianæ Religionis, & factum fuisse, & fieri manifesta rerum ratione monstratur, Decessoremque meum fuisse executorem veteris constituti, non nouæ constitutionis auctorem? Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici, vt quoslibet, & quemlibet horum secundùm Regulam hæreseos ipsius ante damnatæ à catholica communione discernant. Acacius quippè non fuit, vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua scita prodirent, sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, vt in illam recideret iusta lance sententiam, quam cum suis successoribus per conuenientiam synodalem susceperat auctor erroris.] Ad hæc, inquam, verba Ioannes Launoius commentatur: [Cur Chrysostomus, vt ad Innocentium Romanum Episcopum, sic & ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquileiensem eisdem literis confugerit, ne mireris. Non vnus tantùm Iulius, sed & alij Italiæ, & vicinarum Regionum Episcopi Athanasium absoluerunt, & in communionem susceperunt, quod & Iulium ad Orientales scripsisse iam vidimus. Gelasius tradit Acacium Constantinopolitanum, vt à se, sic & ab alijs episcopis seorsim à Synodo rectè potuisse damnari. Quemadmodum igitur Gelasij iudicio quilibet episcopus poterat Acacium damnare, quem ipse Gelasius damnauerat, sic & Chrysostomi iudicio Venerius Mediolanensis, & Chromatius Aquileiensis, perindè, ac Innocentius Romanus poterant latam in Chrysostomum sententiam abrogare. Quippè, quæ contra leges, & Canones penitùs lata fuerat. Gelasius in Acacij causa vnumquemque episcopum pro Chalcedonensis Synodi executore, Chrysostomus in causa sua Venerium, & Chromaticum pro iustitiæ, & æquitatis Vindicibus, pro legum, & Canonum, qui violati fuerant, assertoribus habuit. In dispari negotio par agendi ratio conspicitur: Eadem conuenientissimè disciplinæ propugnatio vtrobique est.

Respondeo plures hìc contineri errores. Primò enim falsum est, quod iniecta magno Athanasio per Eusebianam factionem vincula non solus soluerit Papa Iulius, sed etiam Italiæ, ac vicinarum Regionum Episcopi. Fecit enim Iulius, quod ab ipso fuisse, & ab eius Successoribus fore faciendum probauit, & sanxit Sardicensis Canon, qui à perperam damnatis per suas Synodos episcopis dicertè tradit inuocandum solum Romanum Episcopum, & ipsos ab hocce solo soluendos, ac reparandos. Italiæ Episcopi suo dumtaxat consilio sunt cooperati, non decisiuo suffragio. Et fuit Iulio voluntaria cooperatio, non necessaria. Ità iam statim audiuimus à Palladio Helenopolitano, & supra est pluribus demonstratum. Quod Acacius Constantinopolitanus Episcopus ob Petri Mogi, & aliorum Eutychianistarum susceptam communionem potuerit non dumtaxat à Romano, sed à quouis damnari episcopo, & verum est, & manifestum. Etenim Eutycheti per Chalcedonensem Synodum inflicta damnatio erat contagiosa, & quasi in naturam versa scabies, in omnes, & erroris, & Erronis sequaces, atque communicatores serpens ipso statim facto, atque ita per quemuis episcopum non infligi, sed per Canonem inflicta poterat declarari. Etiam quiuis hodie episcopus istud ipsum valet in quemuis sequacem, & communicatorem Lutherani dogmatis, aut Caluiniani. Quiuis Hæreticus iuxta Apostolum à semetipso damnatus est, atque ita damnatio ista per omnem, in cuius Parochia apparuerit, episcopum firmari potest, ac declarari. Verùm quod quilibet damnatus per quemlibet possit solui, ac reparari episcopum, absit, vt senserit Magnus Ioannes Chrysostomus. Est secundus Ioannis Launoij error, aduersùs quem olim scripsit ad Hermogenem episcopum, euersam disciplinam deplorans, & causam edicens, Isidorus Pelusiota: [Ecclesia eijcere promptum, ac facile est, sed emendationem non habet. Nam si ei, qui optimo iure ab aliquo condemnatus est, ad omnes etiam alias ecclesias aditus clauderetur, cunctique vnà cum eo, qui sententiam tulisset, indignationem conciperent, fortassis ille castigatus meliorem mentem indueret. Nunc autem simul, atque quisquam ab aliquo condemnatus est, ab alio persæpè colitur, & obseruatur, aliaque ei ecclesia patet, & satellitium, & munera: Eique, qui eiectus est, in quæstum cedit loci commutatio. Ac deindè quod criminis conuictus sit eiectus, non commemorat. Quod autem sua sponte decesserit, hoc effingit. Et si quis causam percunctetur, multa, & grauia narrat, quæque ecclesiæ, à qua exceptus est, allubescant. Hæc porrò quidam improbæ vitæ homines accipientes, ac velut culparum suarum patrocinium hinc se habere existimantes, amplificant, omniaque verbis eiusmodi complent, quæ ijs congruant, à quibus fabricata sunt. Ex quibus rebus efficitur, vt qui deliquit, nihilo melior reddatur; qui autem in eum animaduertit, impuri, ac scelerati hominis opinionem referat. Ob eam causam probi etiam, atque excellentes Magistri, quorum exiguus est numerus, à flagitiosis castigandis velut torpore quodam prohibentur. Quod videlicet ij, qui non vt conuenit ad huiusmodi imperium irruperunt, multi autem hi sunt, aliorum gloriam, & nominis claritatem esse suam calamitatem ducentes, eorum, qui iusta iracundia inflammantur, sententias euertere connituntur: Quo non modo improbitas non extinguatur, sed etiam ingrauescat.] Et verè si ab vno episcopo damnatus possit reparari per quemlibet, nullus est damnationis neruus, & chaos, atque confusionem Christus Dominus in ecclesia sua posuit, non Hierarchiam. Eiusmodi solutionem esse præuaricatoriam, magis alligare, ac Apostolicis, atque Nicænis aduersari Canonibus, rectè dixit Romana Adriani secundi aduersùs Photium Synodus, probata per generalem octauam. Alienum

Lib. 3. epist. 259.

num enim damnatum solui vetat Apostolicus Act.7. Canon, & ipsum aduersùs Arianorum Episcoporum audaciam ad sancti Alexandri Patriarchæ Alexandrini Nicœna, & ad aliorum episcoporum preces aduersùs aliorum temeritatem plures aliæ synodi confirmauerunt. Plurimas in ecclesia lites semper seminauit ista quorumdam episcoporum transgressio.

Quod omninò verùm est, non dumtaxat de valida, atque legitima, sed etiam de inflicta aduersùm Canones, & iustitiam damnatione, ideòque irrita, & nulla. Iniquam damnationem esse martyrij speciem rectè affirmat, & sancti Athanasij exemplo confirmat in literis ad damnatum à suo Hæresiarcha Episcopo Nestorio Constantinopolita- Epist.19. num Clerum sanctus Pontifex Celestinus. Ex- Epist.9. stat epistola in prima parte Ephesini Concilij. Quod ipsum in literis ad nescio quem Anonymum Theodoretus, & vario in loco docet sanctus Augustinus. An authentica solutione indigeat talis damnatio, in vtramque partem disputat, & variorum sententias adducit in trigesimi secundi Carthaginensis Canonis Commentario Theodorus Balsamon, atque concludit: [Ac ipsi quidem hæc. Ego autem non habeo quemnam eorum sequar. Nam, & à pietate trahor, sed ab eo quod sit contra Canones retrahor. Cupio ergò discere quid agendum, vt qui tota vita velim esse puer, ac discipulus.] Et in secunda istius operis parte refert hoc fragmentum ex sancti Niconis epistola ad Enclistium de iniusta excommunicatione: [Scias quod Diuinæ Scripturæ cum Diuinis Canonibus definiunt, quod iniustè, quæ imponuntur punitiones apud Deum non ligent, etiamsi Pontifex eas imposuerit. Quantò magis si inferior? Sicut dicit sanctus Dionysius. Qui itaque inconsiderata sententia, & intemperante animo aliquem à fidelibus separauit, eum non solùm non attingit, sed in eius etiam caput recurrit, sicut sanctæ quoque Synodi pronuntiant; sed illæ pœnæ ligant, quæ secundùm Diuinos Canones, & leges sunt impositæ, non autem, quæ secundùm propriam voluntatem.] Quocirca eiusmodi vincula non sunt vincula, videntur solutionem non requirere, ideòque per quemuis episcopum posse declarari vacua, & nulla. Eiusdem sententiæ fuit Acacius Melitinensis Episcopus, Metropolita secundæ Armeniæ. Etenim de sancto Cyrillo Alexandriæ Patriarcha, & Memnone Ephesiorum Episcopo, sibi contra Canones iniectam à Ioannis Patriarchę Antiocheni factione degradationem solui supplicantibus à noua Cœlestini Pontificis Legatione, interlocutus est ad Ephesinum Concilium: [Superuacanea de accusa- Act.4 tis est suspicio, etiamsi ea vera sit, ac superuacaneum est postulatum Cyrilli Alexandrini, & Memnonis Ephesini, sanctissimorum, ac pientissimorum episcoporum. Fieri enim non potest, vt hi, qui à sancta Synodo desciuerunt, & prauæ Nestorij opinioni se adiunxerunt, talique, ac tanto crimine obstricti tenentur, quidquam contra Oecumenicæ Synodi Præsides audeant efficere, cum nullam omninò habeant auctoritatem. Et renera Ioannis in Cyrillum, Apostolicæ Sedis Legatum, ac supremum Synodi Præsidem, attentata audacia erat non Synodale iudicium, sed contumeliosum conuitium. Et hinc immissa per Irenæum Comitem ad Theodosium Imperatorem relatione scripsit vniuersa Ioannis factio: [Si Cyrilli, & Memnonis depositio à nobis facta non fuisset valida, nec libellos exhiberi, nec depositos absolui, quod ipsi putant, oportebat.] Cyrillum, & Memnonem, quod datam in se sententiam assererent fuisse nullam, & tamen absolutionem petijssent, arguit inconsequentiæ: Nulliter inflictæ damnationi affirmat reparationem non esse necessariam, ideòque per quemuis episcopum exequi posse, aut nullam declarari. Et ex hoc principio vult Ioannes Launoius sanctum Ioannem Chrysostomum postulasse similem declarationem à Mediolanensi Venetio, ac Chromatio Episcopo Aquiliensi.

Respondeo laudatum cum Memnone Cyrillum longè aliter sensisse. Etenim nec hic Ephesinæ Synodi præsidentiam resumere, nec ille præsumpsit tamquam Canonicus Episcopus assidere, nisi post solemniter obtentam ab Apostolicis Legatis absolutionem. Adeò neuter Acacij Melitinensis iudicio acquieuit. Et de memorato Imperatore Theodosio scribit in Ecclesiastica Historia Theodoretus: [Vir quidam vitam excolens Monasticam, animo paulò audaciore præditus, Imperatorem rei cuiusdam petendæ gratia accessit. Quod cum sæpiùs frustra fecisset, Imperatori Lib.5. c. 36. ecclesiastica interdicit communione, vinculoque Ecclesiæ ei iniecto decedit. Imperator autem, fide cum primis excellens, ad palatium; Cum tempus instaret conuiuij, & omnes conuiuæ adessent, dixit non se priùs capturum cibum, quàm Ecclesiæ vinculo solueretur. Proindè vnum ex familiarissimis ad Episcopum mittit, oratum, vt potestatem faciat ei, qui ipsum ligauerat, vinculo soluendi. Cum autem Episcopus respondisset non debere cuiusque vinculum admittere, & significasset eum solutum esse, non tamen solutione illa contentus est, donec ille, qui eum ligauerat, magno cum labore conquisitus, communioni illum restitueret. Eiusmodi erat Imperatoris erga leges diuinas fides.] Adeò tunc etiam manifestè nulla excommunicatio timebatur. Et de Ionatha per Patrem Saulem iniquè anathematizato scribit in quæstionibus ad primum Regum librum idem Theodoretus: [Ionathas docet ne eiusmodi Quæst.36. quidem anathemata esse contemnenda.] Et nobilem virum Classicianum, ab Auxilio Episcopo nulliter excommunicatum, ab eodem ipso soluendum omninò censuit sanctus Au- Epist 75. gustinus, nec anteà posse communicare. Iniustam enim Prælati censuram esse, & timendam, & reuerendam, est famosa Magni Gregorij sententia, quam in libris de Laicali Hom.26. institutione laudat Ionas Aurelianensis episcopus: [Vtrum iustè, vel iniustè obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is, qui subest, & cum iniustè forsan ligatur, ipsam suæ obligationis sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo, vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel iustè, vel iniustè, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat: Ne etsi iniustè ligatus

Zzz

gatus est, ex ipsius tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat. Et in literis, quas octaua probauit Synodus, ad omnes Constantinopolitanæ Sedi subiectos Episcopos scripsit Nicolaus primus Pontifex : [Prælati iudicium semper inferioribus formidandum est, ne si ei non obedierint, licèt ab eo fortassis iniustè ligentur, ipsam suæ obligationis sententiam ex alia culpa, id est, ex inobedientia mereantur.] Agit in Gregorium Asbestam, Syracusæ Archiepiscopum, qui sibi à sancto Ignatio, suo tunc Constantinopolitano Patriarcha, inflictam damnationem vti nullam sine absolutione spernebat. Quæ omnia præsertim vera sunt, dum damnationis valor est dubius. Eiusmodi censuram sine obtenta ad cautelam saltem absolutione posse sperni nullus vnquam cogitauit Orthodoxus. Porrò iniectum sancto Ioanni Chrysostomo vinculum erat omninò dubium, nec eius dumtaxat solutionem, sed & Episcopatus redditionem ille postulabat: Quæ omnia à Chromatio, aut Venerio postulari non potuisse est nimis manifestum.

Act. 7.

Quòd eius vinculum fuerit dubij valoris, lucet ex laudati Pontificis ad Theophili relationem rescripto : [Frater Theophile, nos & te, & fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ esse decreuimus.] Loquitur iuxta decimum tertiæ Carthaginensis Synodi Canonem, [Placuit, vt si à quibuscumque Iudicibus ecclesiasticis ad alios Iudices ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate, vel gratia deprauati.] Vti Ioannem absoluit, ita Theophilum non damnauit Pontifex: Vtriusque causam in Oecumenica Synodo retractandam censuit, atque ita de vtriusque iustitia omninò hæsitauit. Hinc addidit ad Theophilum: [Si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad Synodum proximè celebrandam.] Et reuerà sanctus Ioannes, vtpotè mortalis homo, omni næuo non caruit. Quod enim primus, & Thraciæ, & Asiæ, & Ponti autocephalas Diœceses inuadere, ac Sedi Constantinopolitanæ cæperit subijcere, atque ita sextum Nicænum Canonem fuerit præuaricatus, est alibi ostensum. Et de ipso scribit in Ecclesiastica Historia Socrates : [Ioannes erat homo, vt fertur, propter incredibile temperantiæ studium moribus aliquanto seuerior, & vt quidam dixit, qui illo ab ineunte adolescentia familiarissimè vsus fuerat, iracundiæ potiùs, quàm obseruantiæ indulgens. At propter exquisitam vitæ institutionem, rerum futurarum non satis prouidus, sed ex simplici, & sincero animo facilis ad decipiendum. Quin etiam libertate loquendi aduersùm eos, qui cum eo in colloquium veniebant, extra modum vsus est. Atque vt in docendo multum operæ posuit, vt audientium mores emendaret, sic in colloquijs illis, qui eius mores ignorabant, paulò habebatur insolentior.] Et certè eius in Imperatricem Eudoxiam, Eutropium eunuchum, aliosque dicta, & gesta Socrati adstipulantur. Et causam, cuius euidens foret iustitia, Innocentius Pontifex non iudicasset in generali Synodo retractandam.

Lib. 6. c. 3.

Quod ipsum patet ex grauissimis oppositionibus, quas ab omni Theophili factione dudum sustinuit Ioannis per Innocentium facta restitutio. Etenim illi parere, aut Ioannem pro Episcopo agnoscere, nec Theophilus, nec in Ioannis Sedem intrusus Arsacius, nec Porphyrius Antiochiæ Patriarcha voluit, atque ita malum profecit in apertum, & lamentabile schisma, de quo statuit Africana Ecclesia : [Placuit vt de dissensione Romanæ, atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quò vtraque Ecclesia inter se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.] Est in Africano codice Canon centesimus primus. Nec Ioannem pro Episcopo agnoscere dumtaxat noluit factio, sed etiam Sedis Apostolicæ Legatis Episcopis, & Presbyteris, quos ad generalem Synodum ab Arcadio Augusto postulandam sua auctoritate, & Diualibus literis comitabatur Imperator Honorius, fecit quod scribit Hermias Zozomenus: [Innocentius Romæ Episcopus, Lib. 8. c. 28.
cum reuerti Ioannem cuperet, vnà cum Orientalibus Episcopis, qui pro eo supplicabant, misit Romanæ Ecclesiæ Episcopos quinque, & Presbyteros duos ad Honorium, & Arcadium Imperatorem, vt & Synodum, & eius definitum locum, ac tempus impetrarent. At Ioannis hostes apud Constantinopolim hanc rem, quasi in contumeliam eius Imperij fieret, calumniati sunt, & vt illi tamquam transmarini Imperij turbatores ablegarentur, effecerunt. Etiam vt ipse Ioannes vlteriùs exulatum transferretur, procurarunt. Quapropter offensus Pontifex suum pro Theophilo Decretum circumduxit, ac ipsum vti rebellem, & scabioso damnati Arsacij consortio pollutum, proscripsit à sua communione, atque ita inter Orientales Episcopos, & populos, alij Romanæ Ecclesiæ, alij suis Patriarchis communicare noluerunt tanta constantia, aut pertinacia, vt Imperator Arcadius hanc ad Eutychianum Prætorio Præfectum emiserit legem: [Rectores Prouinciarum moneantur, vt Conuentus eorum arceantur illiciti, qui Orthodoxorum religione suffulti, spretis sacrosanctis Ecclesijs, aliò conuenire conantur, his, qui ab Arsacij, Theophili, Porphyrij, reuerendissimorum sacræ legis Antistitum, communione dissentiunt, ab Ecclesia procul dubio repellendis.] Exstat lex in sexto Tit. 4. c. 3.
decimo Theodosiani codicis libro, ipsamque elucidat apud Palladium Helenopolitanum Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: [Paucis post diebus Romam aduenit sancto Ioanni Chrysostomo fauens Cyriacus, Emesenus Episcopus, nullas quidem habens literas, sed is planè, cui fides habenda videbatur, eadem prosequens, quæ ab Episcopis de Synodo Ioannis fuerant scripta. Aiebat enim se fugisse Cap. 3.
propter comminationem Regalis edicti, ita continentem: Si quis non communicat Theophilo, Arsacio, & Porphyrio, hic ab Episcopatu quidem arceatur, amittat verò, si quam videtur habere, substantiam pecuniarum, siue prædiorum. Et ipse Palladius : Substituitur Arsacio Atticus presbyter, totius contra Ioannem machinationis architectus. Qui cum animaduerteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius Ciuitatis populum, propter ea,

quæ

quæ adeò iniustè, ac nefariè admissa fuerant, agit Diuinarum Scripturarum imperitus, vt qui non communicarent, rescriptis Conuenti cogerentur. Habebat autem rescriptum aduersùs Episcopos huiusmodi minas:] Si quis Episcopo Theophilo, & Porphyrio,& Attico non communicat, Ecclesia pellatur, & à suis facultatibus proijciatur.] Hinc iam alij plus rerum grauati pondere, inuiti quoque communicant. At verò pauperiores quique, & in fide sua imbecilliores, muneribus quibusdam ad communicandum attrahuntur. Qui verò genus, & patriam, & corruptibilem gloriam, corporumque pressuram contempserunt, fuga ingenuitatem animi seruauere. Et Hermias Zozomenus: [Defunctus est Flauianus, qui in Ioannis depositionem non consenserat. Hinc in Antiochenum Episcopatum succedit Porphyrius. Et quoniam ille suffragatus ijs erat, quæ aduersùs Ioannem Decreta fuerant, multi per Syriam ab hac Ecclesia secesserunt. Qui quoniam seorsim Conuentus agebant, multis difficultatibus, ac molestijs exercitati sunt. Si quidem propter communionem tum Arsacij, tum huius Porphyrij, tum Theophili Alexandriæ Episcopi, studio Magnatum in Aula lex est proposita, ne extra Ecclesiam Orthodoxi conuenirent, & qui in horum Episcoporum communionem non venirent, vt expellerentur.] Romanæ Ecclesiæ Decreta reueriti per omnem Orientem plurimi cum suo Clero, & populo Episcopi nec damnato per Innocentium Pontificem Arsacio, nec eius Successori Attico, nec ipsorum communione maculatis Theophilo, aut Porphyrio voluerunt communicare, auersati sunt eorum sacrificia, atque Basilicas, in priuatis ædibus egerunt synaxes, atque ita illi crimina criminibus cumulantes, sibi aduersantem Clerum, & populum in Romanam Ecclesiam secum rebellare, & sibi excommunicatis communicare, per Regia edicta compulerunt. Alia aduersùs populum, alia erat lex aduersùs Clerum, præsertim episcopos, Regiam manum mittens in omnia ipsorum temporalia, & personas proscribens de sua sede. Hanc fœdam legem erubuit Arcadij successor, & filius Theodosius, ideòque solam primam, de qua etiam debuerat erubescere, inseruit suo codici. Nempe Ioannis causa tunc adhuc pendebat. Ita & contentionibus,& mutuis persecutionibus, & multo Christianæ communionis contagio ardebat vniuersa Orientalis Ecclesia. Interim Atticus, licèt non eminenter doctus, insigniter tamen Orthodoxus, Theophilus insuper fuit splendidè eruditus, magnisque encomijs vtrumque efferunt sanctus Cœlestinus Pontifex, eius successor Magnus Leo, & alij grauissimi Scriptores; ideòque quod sine probabilibus fundamentis tot turbas cõcitauerint, ac tantis periculis, & suas, & suorum subditorum animas exposuerint, nec credibile est, nec credendum. Proindè sancti Ioannis causa omninò habebat aliquid dubij, atque ita omninò ille egebat Apostolica iniectorum vinculorum absolutione.

Lib.8. c.25.

Restat quæstio, Cur Innocentius Pontifex causam hanc voluerit in generali totius Ecclesiæ Synodo retractandam? Ioannes Launoius existimat Pontificis fuisse istam necessitatem per Canones, ac indè concludit Synodum esse ipso maiorem. Et multa conglomerat. Verùm sine fundamento. Etenim Pontifex assiduè profitetur se agere in hac causa, & ab alijs agi velle iuxta Sardicenses Canones, qui damnatorum à suis Synodis Episcoporum Romam appellatas causas retractari sanciunt eo modo, & ordine, quem sapientissimo suo arbitrio Romanus Episcopus præfixerit. Quòd porrò hæc causa omnem Orientalem Ecclesiam pessimè turbarit, & ipsam schismate à Romana diuiserit, est iam ostensum. Etiam inter se commisit Augustos Fratres Arcadium, & Honorium. Hinc ipsam, nec in solius suæ Prouinciæ, nec in solius Italiæ, sed in totius Ecclesiæ Synodo Pontifex meritò duxit retractandam. Ioannis appellationi dedit suspensiuum effectum, ipsum saluo maturiori examine soluit à malè iniectis vinculis, Theophilum traiecit ad accusatoris locum, & causam retractari voluit in Oecumenica Synodo: Non compulsus per vllum Canonem, sed ex propria electione, & auita potestate. facta sibi per Apostolicum Canonem, & aduersùm schismaticas Eusebianæ factionis nugas firmata, atque innouata per Synodum Sardicensem. Qua serie hæc omnia tandem fuerint composita, non spectat ad nostram quæstionem, aut præsentem septimi Gregorij Dictatum.

Adserta hæc confirmantur.

HVc vsque adserta confirmantur insigniter ex Eutychianæ hæreseos, seu potiùs Acaciani schismatis indiculo, quem Theodosiani Codicis Appendici subnexuit Iacobus Sirmondus: [Eusebius ille Dorylitanus Episcopus, qui ante annum de exilio fugiens Roma venerat, etiam Chalcedonensi Concilio interesse properauit. Ab Ephesino latrocinio degradatus, ac relegatus, adeòque ab omni synodali Conuentu exclusus erat Eusebius: Quo igitur fundamento properabat ad Chalcedonensem Synodum? Fundamento Romanæ appellationis, & reparationis. Appellantem solus Magnus Leo repararat. Pergit indiculus: [Defuncto Timotheo Salophaciolo, Alexandrino Episcopo, Ioannes Oeconomus Catholicus à Catholicis ordinatur Episcopus. Qui cum de consuetudine Maiorum ad Apostolicam Sedem synodica per Isidorum presbyterum, & Petrum diaconum scripta misisset, superueniente Vranio Subadiuua, ab Episcopatus illius confirmatione Papa suspensus est. Et quia in eisdem sacris de restituendo Petro Mogo, quem ipse damnauit, fecerat mentionem, hæc pars omninò est abnegata. Vnde videtur clementissimus Imperator offensus. Cùm ergo sanctæ memoriæ Papæ Simplicij nihil toties ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum directa propter Alexandrinæ Ecclesiæ quietem, & Catholicæ fidei integritatem scripta proficerent, superuenit idem sanctus Ioannes Episcopus,qui,sicut decebat, ab Apostolica Sede susceptus est. Nam & Priores eius similiter Romanæ Ecclesiæ, tempore persecutionis, suffugium poposcerunt.] Aduersùm iniquas, quæ Simplicium Pontificem ab eius confir-

matione fuerant moratæ, Augusti Zenonis Diuales literas, aliasque eiusdem Principis, & totius Acacianæ factionis violentias Ioannes Romam appellauit, impetrauitque confirmationem. Eamdem appellationem laudat Felix tertius in edicto, quo Acacium Constantinopolitanum Episcopum citauit Romam ad suum tribunal: [Superueniens Coepiscopus noster Ioannes, fugatus ab hæreticis peruasoribus Sedis Alexandrinæ, libellum nobis, quem sanctæ memoriæ Decessori meo Simplicio parauerat porrigendum, ingessit. Quem morem, Maioris sui beatæ memoriæ Athanasij exemplo, & Priorum meorum, non potuimus refutare.] Etiam in synodali ad Imperatorem Zenonem transmisso libello: [Aduersùs Acacium in Conuentu mihi à Ioanne Alexandrino Episcopo Libellus oblatus est, quem deplorationibus Humilitatis meæ adnexui, vt frater, & Coepiscopus meus Acacius, sicut ecclesiasticis necesse est, & vestris legibus fieri decet, ad hæc, quæ de se peruidet intimari, apud beatissimum Petrum Apostolum diluere obedienter procuret, nec vllo modo existimet differendum. Et in sancti Gelasij vita liber Pontificalis: Eodem tempore fugiens Ioannes Alexandrinus Episcopus venit Romam ad Sedem Apostolicam. Quem beatus Gelasius suscepit cum gloria, cui & secundam Sedem tribuit.] Quæ omnia latè scribunt in literis ad Paulum Magistrum, & in literis ad Dardaniæ Episcopos ipse laudatus Papa Gelasius, ac in Nestorianæ, & Eutychianæ hæresis Breniario Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Archidiaconus, lucidè adserentes Ioannem non ad generalem Synodum appellasse, sed ad solam Sedem Apostolicam. [Ioannes, inquit Liberatus, ingressus est ad Calendionem Patriarcham Antiochenum, & sumptis ab eo intercessionis synodicis literis, Romanum Pontificem appellauit, sicut fecit & beatus Athanasius. Et suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano.] Omnes vna voce aduersùs Ioannem Launoium clamant non solum hunc Ioannem, sed etiam magnum Athanasium prouocasse ad solum Episcopum Romanum. Et hunc esse Maiorum morem adfirmat Felix tertius. Et addidit in libello ad Augustum Zenonem: [Sicut ecclesiasticis necesse est, & vestris legibus fieri decet.] Adfirmat hisce appellationibus per sacros Canones deberi omnem reuerentiam, & Regia violentia non posse impediri. Verùm ab hæreticis Episcopis circumscriptus versatilis Zeno non obediuit, ideóque pergit Liberatus: [Ioannes, habens Episcopi dignitatem, remansit Romę, cui Papa Nolanam dedit Ecclesiam, quæ est in Campaniæ regione, in qua plurimos residens annos, in pace defunctus est.] Ex his intellige librum Pontificalem, qui adserit Ioannem accessisse ad Gelasium, fuisse susceptum honorificè, & secunda sede donatum. Non ad Gelasium, sed ad Simplicium accessit appellans Ioannes, & appellationem suam coram tertio Felice introduxit. Proinde Nola accessit Gelasium, & ab illo tractatus fuit, non vt prouincialis Episcopus, sed vt Patriarcha Alexandrinus. A' Felice factam Canonicè, licèt à Zenone violenter frustratam, Ioannis restitutionem Gelasius firmauit, & honorauit.

Epist. 4. Epist. 13. C. 17. 18.

In laudata Theodosiani Codicis Appendice scribit ad Constantinopolitanum Clerum, ac populum Felix tertius Pontifex: [Filio nostro Salomoni presbytero, quem Acacius Constantinopolitanus Episcopus, vt placeret hæreticis, suo priuare putauit gradu, gradum proprium sententia vestra conseruet, vel omnes, qui fortè à memorato propulsi, in locis suis, & in nostra communione manere pronunciet.] Ab inflicta sibi per Acacium degradatione Romam prouocarat Salomon presbyter, ipsumque sua citrà Synodum auctoritate Felix reposuit in gradum, & communionem. Eiusdem Ecclesiæ ex Archidiacono presbyter Ætius, ab Anatolio Episcopo passus iniuriam, Romam appellarat, ipsumque pleuè restituerat magnus Leo: Et Anatolium obedijsse docet ipsius ad magnum Papam rescripta epistola, nuper publicata per Leonem Allatium, ac D. Lucam Holstenium. Etiam à Nestorio Episcopo degradatos, & ad se appellantes eiusdem Ecclesiæ Clericos sanctus Cœlestinus Pontifex, non ad Ephesinum Concilium tunc instans remisit, sed sua ipse auctoritate absoluit, ac reparauit. Epist. 2.

Etiam sanctus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha Ignatius aduersùm intrusi Photij, & Imperatoris Michaelis tertij in se violentias, non ad generale Concilium appellauit, sed ad solum Pontificem Nicolaum primum. Appellationis libellus exstat in tertia actione octaui Concilij, lucidè adfirmans perpetuum, & commune omnium iniquapassorum episcoporum datum à Christo Domino asylum esse sanctum. Petrum Apostolum, ac ipsius in Romana Cathedra successores. Et huius appellationis ineluctabilem virtutem Bardæ Cæsari fuisse terribili somnio diuinitùs demonstratam scribit in laudati Ignatij vita Nicetas Paphlago. Et Ignatium non octaua Synodus, sed solus reparauit Nicolaus Pontifex. Quin & Ignatium, & cunctos eius aduersarios Romam euocauit ad suum Apostolicum tribunal, adfirmans se agere ad sui Antecessoris pro magno Athanasio exemplum, & iuxtà auitum morem, & Canonem, quos in ecclesiastica Historia laudat Theodoretus. Latè hæc habes in eius literis ad Augustum Michaelem. Et omnia eius Acta, & Scripta confirmauit octauum Concilium, conuocatum ad illa exsequenda potiùs, quàm retractanda. Quin, & de Gregorio Asbesta Archiepiscopo Syracusano, Eulampio apud Bithynos Apameensi episcopo, & Petro Sardensium apud Lydos Metropolita, per laudatum Patriarcham Ignatium damnatis, ad Stephanum sextum Pontificem scripsit Stylianus Mappa, in Eufratesia Prouincia Metropolita Neocæsariensis: [Gregorius, Eulampius, & Petrus Legatos suos cum literis ad sanctissimum Papam Romanum Leonem quartum miserunt, illum sibi, ac si essent læsi, vltorem petentes. Papa ergo datis ad Ignatium literis voluit, vt Patriarcha suo nomine Legatum Romam destinaret, per quem de Schismaticorum causa cognosceret. Nec diù moratus Patriarcha, Lazarum monachum, & fidei confessione clarum. qui omnia, quæ ad Gregorium pertinebant, optimè nouerat, cùm literis misit, qui Papæ causam diligenter exposuit.] Addit sancti Igna- Lib. 2. c. 4.

Ignatij de ipsis iudicium fuisse firmatum à Leone, ideoque ipso defuncto istos iterum appellasse ad successorem Benedictum tertium, petijsse, ac impetrasse suæ causæ retractationem, iterùmque fuisse damnatos. Exstat epistola post octauam synodum. Demonstrat Romanas appellationes liberrimis pedibus tunc ambulasse apud Græcos, ipsasque non ad generalia Concilia, sed semper fuisse interiectas ad solum Romanum Episcopum. Et sanè miseranda, ac turbida foret Ecclesiæ Hierarchia, si cuiusuis Episcopi Romana appellatio cogeret ad generale Concilium. Etiam sanctum Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum, ab Imperatore Leone Armenio eiectum, appellasse ad Papam, ipsiusque in prosequenda appellatione Legatum fuisse sanctum, tunc adhuc monachum, posteà Patriarcham, Methodium adfirmat Georgius Cedrenus. Plurima sunt exempla.

Etiam de ipso schismatis auctore Photio, Romanam sancti Ignatij appellationem fore tragicam metuente, scribit Nicetas Paphlago: [Legationem & ille Romam veterem destinat, & à Nicolao Pontifice Legatos petit, qui in speciem quidem collapsam Ecclesiæ disciplinam emendent, reuerà autem vt Romanę Ecclesię auctoritate Ignatij exauctorationem firmaret, testatioremque redderet.] Sancti Ignatij appellationem frustrare, & suam intrusionem purgare, aut fucare studuit apud Nicolaum Pontificem, sciens in ipsum successisse, & in ipso residere potestatem, quam Petro dedit Dominus: Confirma fratres tuos. Quin & de eodem per Imperatorem Leonem Philosophum eiecto scribit Auctor incognitus, & schismaticus de origine Hæresis apud Latinos: [Sub imperio Leonis sapientis à solio patriarchali Constantinopolitano motus est Dominus Photius Patriarcha, & Romam aduolans, cum ad illa vsque tempora appellatio ad Papam spectaret, postulabat, vt ope illius in sedem restitueretur.] Et adfirmat fuisse restitutum. Scio schismaticum Græculum nugari: Eiectum enim Photium Leo Augustus firmè clausit in monasterio. Et ipsum vsque ad mortem Romana Ecclesia constanter damnauit. Hinc interim lucet, quod etiam schismatici profiteantur Patriarcharum, & quorumuis episcoporum appellationes vsque tunc, non ad generale Concilium, sed ad Domnum Apostolicum fuisse interiectas. Etenim etiam post Photij mortem à Patriarcha Nicolao Mystico, ob quartas nuptias excommunicatus idem Imperator Leo appellauit ad Papam, fuitque ab illo absolutus. Et de Imperatore Michaele Paleologo, quem excommunicatum reparare pertinaciter recusabat Patriarcha Arsenius, scribit Georgius Pachymeres: Lib.3.c.19. [Michael post hæc, vtique longa, & multa querimoniarum lamenta, declamata addebat, sæpiùs iterans, quoniam Patriarcha palàm contemneret Canones, dari lapsis pœnitentiam iubentes, tempus esse recurrendi ad Papam Romæ sedentem, & ab eo suppliciter petendi salutare peccati remedium.] Lamenta sua Princeps copiosa oratione exaggerauit apud omnes Imperij episcopos, atque adiunxit: [Aliæ alijs in locis Ecclesiæ Lib.4.c.1. sunt, eas adibo; ab eis pœnitentiam petam, & consequar.] Minatur ad Papam appellare, & per schisma suspensas appellationes reducere, atque ità schismatici Arsenij duritiem conatus est emollire.

Papale admittendarum à toto orbe appellationum ius est adeo lucidum, vt in libris de Papæ primatu scribat Nilus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicensis: [Si quod Lib. 2. prouocationem in rebus ecclesiasticis habeat, idcircò Papam censes etiam Dominum, hanc cùm etiam Constantinopolitanus habeat, sint ergo eadem ratione aliæ Sedes Metropolitanæ ei subiectæ. Sed neque Constantinopolitanus eam ob causam vsurpat iurisdictionem in illas, neque Papa ob eam prærogatiuam iustè aliorum Patriarcharum Ecclesias turbare potest. Lege Canonem nonum quartæ vniuersalis Synodi, vt videas Sedem etiam Constantinopolitanam prouocationem habere: Idem decernit etiam decimus septimus eiusdem Synodi Canon. Vigesimus verò octauus eiusdem Synodi, & sextæ trigesimus sextus, eisdem prærogatiuis dignatus vtramque Sedem, manifestè etiam prouocationem Constantinopolitanæ Sedi tribuit.] Et quoad tempora, & quoad loca vniuersalis ad solum Papam appellandi mos est adeò lucidus, vt hic magnus, & pertinax schismatis Doctor ipsum non præsumat deuocare in dubium, sed semetipsum præcipitare cogatur in ridiculum errorem. Vniuersale admittendæ appellationis ius non soli Papæ, sed etiam Constantinopolitano Episcopo competere adfirmat, atque ita ipsum non esse vniuersalis Primatus characterem. Vrget præsertim nonum, ac decimum septimum Chalcedonensis Synodi Canones, qui damnatum à Metropolita episcopum, aut clericum appellare mandant, aut ad Primatem Diœceseos, aut ad Sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ. Exponit Macarius Metropolita Ancyranus: C. 40. [Subsecutis temporibus in quinque Diœceses vniuersus terrarum orbis diuisus, singulis quatuor thronis, vtique Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, necnon & Romano in sortem datus est. Et ex his vnusquisque traditam sibi Diœcesim tamquam Dominus ex Imperio solus regebat. Ad hæc sola Constantinopolitana Sedes postmodò reliquarum quatuor Sedium appellationem obtinuit, quemadmodum & Oecumenicus Patriarcha illius Episcopus adclamatur.] Per Diœceseos Primatem vult à dictis Canonibus intelligi non vnicum, sed omnes Patriarchas, ab ipsorum cunctis, seu ad ipsos spectantium synodorum iudicijs posse prouocari ad Constantinopolitanum Episcopum, & hocce ius per istos Canones aut induci, aut stabiliri. Et hunc commentarium Nilus ex parte probat.

Dico, Ex parte. Etenim plures Schismatici Græci garriunt Papalia priuilegia esse à dictis Canonibus translata Constantinopolim, ideoque, & cunctas Christianitatis appellationes ad eius Episcopum migrasse. Eo tempore Occidentale Imperium dependebat ab Orientali, & Oriens Occidenti dabat Imperatorem. Quinimmò iam dum Constantinus Imperij Sedem fixerat Constantinopoli. Hinc laudata Synodus garritur transtulisse, vel potiùs translata declarasse

rasse Papalia item priuilegia, seu vniuersalem Christianitatis Episcopatum. Et reuerà si à cuiuscumque Patriarchalis Dioeceseos Prouincialibus Synodis, ac iudicijs non nisi ad proprium Patriarcham, aut certè ad Constantinopolitanum Episcopum prouocari permittant, ac iubeant isti Canones, vniuersalem Christianitatis Præfecturam omnino transtulerunt in hunc, eius declarant translatum. At verò Nilus est moderatior, ac sapientior. Romanum, & Constantinopolitanum Episcopos adfirmat solummodò æquari, & vtrumque appellari posse ab omni Ecclesia, nec exindè hunc, aut istum constitui, aut declarari œcumenicum totius mundi episcopum. Quòd nempè admittendarum appellationum potestas non sit character Superioritatis. Et hanc sententiam in literis ad Carolum Caluum Francorum Regem probare videtur, agens de Romana Rothaldi Suessionensis Episcopi appellatione, Nicolaus primus Pontifex: [Si aduersùs Prouinciæ Metropolitanū Episcopus, vel Clericus habet querelam, iuxta Chalcedonenses Regulas iubetur, vt petat Primatem Diœceseos, aut Sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur. Quod tamen nulli dubium est multò magis apud Romuleam vrbem, quàm apud Cōstantinopolitanam esse penitùs obseruandum. Eodem modo loquitur in literis ad omnes Galliæ Antistites. Per Diœceseos Primatem videtur intelligere Papam. Palam se exponit in literis ad Imperatorem Michaelem: cùm Chalcedonensis Canon [dixisset, petat Primatem Dioeceseos, præceptum posuit, regulamque constituit; cùm verò disiunctiua coniunctione addidisset, Aut Sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ, liquet profectò, quia hoc secundùm permissionem indulsit. Quem autem Primatem Diœceseos sancta synodus dixerit, præter Apostoli primi Vicarium, nullus penitus intelligitur. Ipse est enim Primas, qui, & primus habetur, & summus. Ne verò moueat, quia singulari numero, Dioeceseos, dictum est, sciendum est, quia tantumdem valet dixisse Primatem Dioeceseos, quantùm si perhibuisset, Dioeceseon. Vult à totius mundi Prouincialibus iudicijs, vel ad Papam, vel ad Constantinopolitanum Episcopum appellari posse, & hanc alternatiuam firmari ab isto Canone. Et ita etiam Canonem exposuit Hincmarus Laudunensis Episcopus. Testatur hoc in famosa aduersùs ipsum Epistola Hincmarus Metropolita Rhemensis, atque adiungit: [Lege Gesta Chalcedonensis synodi, & inuenies hoc ipsius nonum Capitulum, in cuius fine dicitur,] Petat Primatem Dioeceseos, aut Sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanę, & apud ipsam iudicetur, [ab Apostolica Sede non fuisse receptum. Nepotis commentarium fatetur esse legitimum, fatetur totius mundi appellationes, aut ad Romanum, aut ad Constantinopolitanum Episcopum deuolui à canone: Verùm adiungit canonem non esse legitimum, ideoque à magno Papa Leone reiectum, & circumductum.

Epist. 48.

Epist. 61.

Cap. 23.

Respondeo hæc omnia esse à canone alienissima. Etenim canon per Diœceseos Primatem n ullo modo intelligit Papam, aut alios Patriarchas, sed trium autocephalarum Diœceseon Exarchos, & ipsis subditos Episcopos, & clericos vult à suarum Prouinciarum iudicijs appellare, vel ad ipsos, vel ad Regiæ ciuitatis episcopum. A Constantinopolitano episcopo attentatam in istas Dioeceses rapinam firmat, verùm cum moderamine: Omnem istorum Primatum auctoritatem noluit plenè circumscriptam, sed dictam alternatiuam voluit illis integram. Hunc esse legitimum canonis sensum ostendi pluribus in eius Scholio. Et ista etiam de causa ipsum magnus Leo circumduxit. Istos Primates quos Nicæni Canones omninò firmarunt, extingui, aut penitùs supprimi noluit, nec ex ipsorum spolijs erigi nouum in Regia vrbe Patriarchatum. At Nicolaus Pontifex per Dioeceseos Primatem constanter intellexerit solum Romanum Pontificem, ideoque hic de totius mundi appellationibus sanciri crediderit, est alia quæstio, nec spectat ad hunc locum. Eum cespitare fecerunt antiquorum Romanorum Antistitum apud Isidorum Mercatorem Epistolæ, in quibus ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham scribit Victor Pontifex: [Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham, vel Primatem Dioeceseos, aut apud vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur Sedem,] Quod ipsum ibidem scribit Pontifex Anicetus. Apocryphus istarum Epistolarum conditor omninò respexit ad nonum Chalcedonensem Canonem. Credidit ab ipso sanciri de totius mundi appellationibus, ideoque in Constantinopolitani Antistitis locum intrusit Romanum. Nicolaus Pontifex in Canonem ita grassari noluit: Solùm dixit & uariè demonstrauit adscriptam illic Constantinopolitano Episcopo auctoritatem longè potiori iure competere Romano. Et sic patet Macarij Ancyrani pro translato Papatu desumpta ex hoc Canone fundamenta esse schismatica nugamenta.

Delirat, & Nilus Cabasilas. Quis enim vnquam audiuit, suscipiendæ appellationis auctoritatem non esse characterem Superioritatis? Aliud vna voce constanter clamant Leges, Canones, omnium gentium consensus. Hinc quoties de vniendis ecclesijs tractatum est, Romana Ecclesia primo semper loco postulauit suum Primatum, deinde appellationes, vtpotè primum eius characterem. Post Michaelis Cerularij schisma primus vnionem tentasse videtur Imperator Michael Ducas, cognomento Parapinacius: Verùm Acta latent, aut perierunt. Eamdem apud Alexandrum tertium Pontificem tentauit Imperator Manuel Comnenus, & de eius articulis Patriarcha Michael Anchialus scripsit Dialogum, cuius hoc est compendium: [Ex Dialogo sanctissimi, ac sapientissimi Patriarchæ Constantinopolitani, Domini Michaelis Anchiali, ad Porphyrogenitum Imperatorem, Dominum Manuelem Comnenum, cum multi Antistites, qui Papæ suberant, Constantinopolim peruenerunt, Ecclesiarum vnionem procurantes, nihil aliud à Græcis exposcentes, quàm cessionem Primatus ipsi Papæ, appellationem, & illius commemorationem fieri.] Ita habes apud Leonem Allatium in opere de consensu Ecclesiæ Occiden-

Lib.2. c.12. dentalis, & Orientalis. Etiam de Imperatore Michaele Paleologo, vnionem petente ab Alexandro quarto, scribit Georgius Phanzes: [Concordia tribus capitibus circumscripta, ac definita est. Primum fuit, vt in sacris hymnodijs Papa cum quatuor Patriarchis nominaretur. Alterum, vt integrum esset Romanum, tamquam maius tribunal appellare. Postremum, vt Papæ in omnibus concederetur Principatus. Eosdem articulos in Lugdunensi Gregorij decimi, duos dumtaxat posteriores in Florentina synodo postulauit Eugenius quartus. Ita habes apud Georgium Pachimerem, Nicephorum Gregoram, & Syluestrum Sguropolum. Quocircà clarum est suscipiendæ appellationis auctoritatem esse proprijssimum Superioritatis characterem, ipsam semper resedisse etiam in solo Romano Pontifice, & ipsos quoque schismaticos Græcos ita credidisse. Et quia non tantùm à Metropolitis, Primatibus, Patriarchis, ac ipsorum Synodis, sed insuper à generalium Synodorum iudicijs pronocari semper licuit ad Papam, etiam manifestum est Papam istis cunctis esse superiorem. Ioannes Launorius nos compellit in lucidas res tempus expendere,

Lib. 1. c.6.

CANON XIX.

Quòd Papa à nemine iudicari debeat.

SCHOLION.

Vvormatiensem, quæ nostrum septimum Gregorium de varijs calumniosè confictis criminibus damnare, & degradare attentarat, Pseudosynodum impedit, & circumscribit etiam hic Dictatus. Ipsum in manuscripto Historiarum memoriali elucidat, qui sub Philippo Pulchro Francorum Rege scripsit Parisijs, Ioannes Victorinus: [Romæ facta est dissensio magna, his, qui pro Imperatore erant dicentibus Hildebrandi depositionem iustam esse, quia reus erat Maiestatis, ob hoc, quod contra Imperatorem ordinauerat alium, rebellandique contra ipsum audaciam assumpserat; Alijs dicto Papæ fauentibus, quod licèt dictum crimen commisisset, non tamen poterat de iure deponi, nisi in Concilio generali.] Alij non nisi à generali, alij etiam à solorum
An.1081 Germanorum Vvormatiensi synodo dixerunt iudicari potuisse, ac degradari. Priorem sententiam non soli Germani turati fuut, sed etiam Itali Episcopi, vt videre possis apud Lambertum Schafnaburgensem. De Herimanno Metensi, ac Adelberone Herbi-
An.1077. polensi Episcopis, posteriorem sententiam in Vvormatiensi Conuenticulo defendentibus, pergit idem Lambertus: Adelbero, & Herimannus Pontificis damnationi [aliquamdiu restiterunt, incongruum valdè, & contra Canonum Scita esse dicentes, vt Episcopus aliquis absens, absq; generali Concilio, sine legitimis, & idoneis accusatoribus, & testibus, nec probatis criminibus: quæ obijcerent con-
An.1076. demnaretur, nedū Romanus Pontifex, aduersùs quem nec Episcopi, nec Archiepiscopi cuiusquam recipienda sit accusatio. Pontificem à generali Synodo posse deponi nequaquam admiserunt, effrœnis istius Conuenticuli audaciam sistere conati dumtaxat suaserunt ad minus esse opus auctoritate Synodi generalis. Aduersùs, quæ omnia Gregorius à penitus nullo id fieri posse edixit.

Ottonem primum Imperatorem, & ab ipso indictam, quæ Ioannem duodecimū extrusit, Romanam Synodum laudat in libris de Clementino aduersùs Vrbanum sextum schismate Theodoricus à Niem, & adiungit: [Vtinam talis Imperator surgeret temporibus nostris, qui nunc cassaret scripturarum multitudinem in hoc labyrintho, quæ adeò creuerunt propter multitudinem scribentium in hoc passu, quod vix eos centum cameli portarent.] Nimium longa dicti schismatis L.8. c.12.
calamitas, & manifesta vtriusque Pontificis collusio excitarunt multorum pro vtraque parte ingenia: Inualuit quæstio de vniuersalis Synodi suprà Papam iudiciali potestate, & vtriusque partis contentiosis, atque dentatis libris latinum orbem impleuit. Partem affirmantem plurimùm animauit Constantiensis Synodus, definiens generalis Synodi potestatem esse immediatè à Deo, ipsique subesse omnem Ecclesiæ gradum, etiam Papalem. Eamdem adeò adiuuit Parisiensis Vniuersitatis Cancellarius Ioannes Gerson, vt magni hoc sæculo viri affirment illum fuisse primum istius sententiæ auctorem. Quibusdam tamen videntur falli: Videtur sententia esse longè antiquior. Etenim Philippopolitana Eusebianæ factionis Pseudosynodus degradare attentauit Iulium Pontificem: Asserebat se Oecumenicam, ideoque tantam sibi arrogabat potestatem. Eodem fuco Dioscorus Patriarcha Alexandrinus in nescio quo Nicæno conuenticulo simile damnationis conuitium latrauit in sanctum Leonem. Et de Africanis Episcopis, ob tria Chalcedonensis Concilij Capitula cum Vigilio Pontifice decertantibus, scribit in Chronico Victor Episcopus Tonnonensis: [Africani Antistites Vigilium Romanum Episcopum, damnatorem trium Capitulorum, Synodaliter à Catholica communione, reseruato ei pœnitentiæ loco, recludunt.] Honorium primum, licèt defunctum, damnauit sexta synodus, septimaque, & octaua confirmarunt. Et Francorum in Gallia, ac Germania Episcopis, antiquorum Canonum violationem improperantibus, ideòq; comminantibus excommunicationem, ac degradationem, respondit Gregorius quartus: [Illud, quod minari vos cognoscimus, periculum gradus, quis explicare poterit quantum sit absurdum, quantumque inconueniens, & stultum, cum vestra comminatio non sit propter crimen, homicidium scilicèt, sacrilegium, vel aliquid huiusmodi?] Et aduersùs impropetatum sibi periurium adiungit: [Periuri peieratum degradare non possunt.] Ob capitale crimen fatetur se ab integris Episcopis omninò posse degradari. Etiam Nicolaum primum Pontificem degradauit Photius Patriarcha Constantinopolitanus. Et Paschalem secundum ob Henrico quinto Imperatori red-

redditas Antistitum inuestituras degradandum censuit Ioannes Primas Ecclesiæ Lugdunensis. Eamdem pœnam Adriano secundo ob falsò illi impactam quorumdam Canonum violationē minatus est Hincmari Rhemensis Episcopi stylo Rex Francorum Carolus Caluus. Nec solum Ioannem duodecimum, sed etiam Benedictum quintum degradari per Synodum curauit memoratus Imperator Otto. Et Philippo Augusto Francorum Regi, suum cum Anseberta consummatum matrimonium solui expostulanti, respondit Innocentius tertius tangi hìc Articulum Christianæ Fidei, atque adiunxit: [Si super hoc absque generali deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter Diuinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis, & officij nobis periculum immineret, cum contra Euangelicam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.] Lucidè fatetur se à Synodo posse deponi. Philippi Pulchri Francorum Regis aduersùs Bonifacium octauum Pontificem acer defensor, ac in Prædicatorum Ordine insignis Theologus, Ioannes de Parisijs eandem thesim in libro de Regia, ac Papali potestate constanter defendit, & adiungit: [Contra Papam potest quadrupliciter esse discussio, atque iudicium. De statu, seu legitima electione, de potestate, de potestatis abusu, & personali defectu. Quoad omnia quatuor docet Pontificem, quin, & ipsam Apostolicam Sedem subesse Concilio, & posse iudicari. Eamdem sententiam ferè sequitur Venericus Vercellensis episcopus. Distinguit iurisdictionis, & rationis iudicium: Priori in fidei rebus, posteriori in alijs causis asserit Pontificem subesse Synodis, ac posse exauctorari. Etiam in pœnitentiæ suæ Bulla Pius secundus Pontifex suum cum Cardinali Iuliano Cæsarino Viennense colloquium laudans, hæc scribit: [Tuebamur antiquam sententiam, ille nouam defendebat; Excellentiam generalis Concilij extollebamus, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnoperè collaudabat.] Olim à se in Ænea Syluio defensam pro Basileensi Synodo sententiam lucidè confitetur esse antiquam.

Lib. 3. Epist. 104.

Cap. 23.

Respondeo varia Ecclesiæ tempora, variamque in ipsis disciplinæ formam esse distinguenda. Episcopum, atque Diaconum esse sine crimine, id est sine quouis graui peccato, mandat Canon Apostolicus: Et per plura sæcula fuit is rigidissimè custoditus. Quisquis quouis crimine acceptum baptismum violasset, fiebat irreparabiliter, atque perpetuò irregularis, quisquis fœdasset sacrum Ordinem, ipso facto erat citra restitutionis spem abiectus ad Laicos, ac degradatus. Obligabatur occultum etiam crimen propalare, & ordinis sui executionem ad sui Episcopi, vel Synodi manus deponere. Qui Canon omninò adstrinxit etiam Pontificem Romanum. Ipsum namque non solis Apostolicis, aut generalium Synodorum, sed etiam suis adstringi Canonibus, nemo olim dubitauit: Quiuis enim legislator ligatur sua lege. Hinc vt sanctum Cornelium Pontificem non solùm perperam, ac irritè electum, sed etiam omni priori gradu exutum euinceret factio Nouatiensis, garriuit illum Trophymi Thurificati Episcopi communione fuisse pollutum. Erat firmum argumentum, ideoque eius non consequentiam, sed calumniosum antecedens euertit in literis ad Antonianum Episcopum sanctus Cyprianus. Eodem fine sanctum Marcellinum, ac sanctum Melchiadem, Romanos Pontifices, de thurificationis aut traditionis crimine, aut certè de istiusmodi criminosorum communione calumniati sunt Donatistæ. Ex lapsu isto dixerunt Romæ non ampliùs esse legitimum Pontificem, ideòque suis istic Montensibus alium ex Africa submiserunt. Ex eodem Canone in Apocryphis Sinuessanæ Synodi Actis laudatus Marcellinus lapsum suum publicè confitetur, ac depouit Papatum. Vera Synodus in tanto crimine tunc non dispensasset. Et aduersùs Liberium Pontificem, ad Arianis quibusdam Episcopis communicandum, & Syrmiensis fidei Decreta profitenda seductum, exclamauit in publicatis nuper fragmentis sanctus Hilarius Episcopus Pictauiensis: [Anathema tibi à me dictum, Liberi, & Socijs tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò, præuaricator Liberi.] Eum habuit pro degradato, immò pro lapso, atque eiecto extra omnem communionem Christianitatis. Et ipsum inter, & Collegas patenter non distinguit: Quòd nempè Canon Romanum Pontificem cum alijs Episcopis æqualiter obligaret. Nequaquam Arianus, sed Ariana duntaxat communione pollutus fuit Liberius, ideòque per factam cunctis apud Ariminum lapsis Episcopis nouam clementiam reparari meruit, alioquin numquam reparandus. Et ex hoc Canone aduersùs Iulium, sanctum Leonem, Vigilium, atque Honorium Pontifices factio Philippopolitana, Dioscorus, Africani Episcopi, & sexta Synodus processerunt, aut crediderunt se procedere. Hoc item modo in se periurij, vel homicidij reum potuisse procedi, suprà confessus fuit Gregorius quartus. In Pontificem, qui se ipsum non degradarat, nullus vmquam potuit iudicialem dare sententiam, generalis tamen Synodus semper potuit incursam à Canone pœnam declarare. Hoc enim non est aliud, quàm extrusio degradati.

Dico, Generalis Synodus: Ea namque declaratio, licèt non sit actus iurisdictionis, fieri tamen debet à legitima potestate, qualis respectu Pontificis est sola generalis Synodus. Et hinc Philippopolitanam factionem, & Nicænum Dioscori Conuenticulum, non solùm quòd viros innoxios, sed præsertim, quòd totius Dominicæ vineæ Prӕsides degradare, aut degradatos declarare attentassent, damnarunt Sardicensis Synodus, & Chalcedonensis. Eadem de causa sanctos Pontifices Syluestrum, & Damasum de nescio quibus grauibus criminibus calumniatores non ad Patriarchalem Synodum, sed ad publica Constantini, & Gratiani Tribunalia detulerunt. Norant isti Synodo nec declaratricem, aut executricem in suos Pontifices competere potestatem. Verùm ad generalem Synodum fatigari Episcopos, & Laico iudicio subdi detrectantes laudati Pontifices, seuerioribus se ipsi debere iudicijs Sacerdotum. Patriarchali suæ Synodo se sponte submiserunt. Ita in Theodosiani Codicis apud Iacobum Sirmon-

mondum Appendice scribit ad Imperatorem
Gratianum posterior Romana Synodus. Ea-
dem de causa accusatus apud Theodoricum
Italiæ Regem Symmachus Pontifex suæ se
Synodo dedit examinandum. Hinc item ab
Episcopi, Metropolitæ, Patriarchæ, atque
etiam Romani Pontificis, de incursa ob cri-
men degradatione famosi, communione qui-
dem se secernebat olim populus aut Clerus,
nemo tamen subditus poterat ipsos è throno
Can.10. deturbare. Quinimmò, vt ante legitimæ Sy-
nodi declaratoriam sententiam nullus omni-
nò aduersùs suum Patriarcham attentet
istam secretionem, ex causis sanxit octaua
Cap.21. Synodus. Et adiungit de Romano Pontifice:
[Si Synodus vniuersalis fuerit congregata,
& facta fuerit etiam de sancta Romanorum
Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia,
oportet venerabiliter, & cum conuenienti re-
uerentia de proposita quæstione sciscitari.
Et solutionem accipere.] Quemuis Romani
Episcopi lapsum non nisi à generali Synodo
permittit duci in examen. Et hinc de animæ
per hæresim morte non penitus rectè scripsit
ad Paschalem secundum Pontificem Goffre-
Lib.1. ep. 7. dus Abbas Vindocinensis: [Huius mortis
auctorem, vel nouissimum Ecclesię membrum
credere, etiamsi Pastor videatur, errare est.
Huic errori quicumque inhæserit merebitur
ab ipsa vitæ radice præscindi. Tolerandus
quidem est Pastor, vt Canones dicunt, pro
reprobis moribus, si verò exorbitauerit à
fide, iam non est Pastor, sed aduersarius, à
quolibet peccatore, tantùm Catholico, de-
testandus. Licet enim, secundùm sanctorum
Decreta Romanorum Pontificum, etiam
meretrici communem Ecclesiæ fidem defen-
dere.] Nisi Romani Episcopi hæresis sit toti
mundo manifesta, ista Regula non habet lo-
cum.

Antiqua interim, quæ Episcopos ob va-
ria crimina deiecit ad Laicos, seu ipso facto
degradauit, disciplina iam pridem laxata
est, & ad solam ferè hæresim contracta. Hinc
legitimè promotus Pontifex ob solum istum
lapsum iam pridem possit extrudi. Quod
ipsum, & illi, quicumque iam à pluribus sę-
culis Pontifices degradare tentarunt, sunt
palàm professi: Hæresim semper posuerunt
sui Attentati, & conatus fundamentum.
Etenim Nicolaum primum, antequam degra-
daret, de varia hæresi accusauit etiam præ-
sumptor Photius. Et inter crimina, ob quæ
Ioannem duodecimum extrusit Romana Sy-
nodus, fuerunt, & hi articuli: [Quòd Dia-
boli in honorem vinum bibisset. Quòd in
ludo aleæ, Iouis, Veneris, cæterorumque
Dæmonum auxilium proposcisset.] Et Gre-
gorio septimo non solummodò Necroman-
tiam, & alia aduersùs fidem horrenda facino-
ra, sed etiam Berengarianam hæresim, ac do-
losum eius patrocinium impegit Synodus
Wormatiensis. Ita habes in criminatorio li-
bello Cardinalis Bennonis, ac in Chronico
Abbatis Vspergensis. Et vt Paschalem secun-
dum degradandum persuaderet; Laicam
Antistitum inuestituram esse hæresim docuit
Ioannes Archiepiscopus Lugdunensis. Quam
opinionem falsam credens sanctus Iuo Car-
nutensis Episcopus constanter etiam docuit
de ista degradatione ne, vel cogitandum.

Ex sola item hæresi se degradari posse, supra
ad Philippum Augustum scripsit Innocentius
tertius. Etiam in Bonifacium octauum, Io-
annem vigesimum secundum, ac Eugenium
quartum, quos aut degradare attentarunt,
aut postularunt degradandos, variam hære-
sim obiecerunt Philippus Pulcher Francorum
Rex, Ludouicus quartus Imperator, & Sy-
nodus Basileensis. Dixi, Legitimè promo-
tus Pontifex: Quòd enim manifesta intrusio,
dubiaque item, & schismatica electio iudicari
possint ab Ecclesia, suo loco exponetur.

De iudiciali sententia agit præsens Di-
ctatus, ipsumque confirmant, quæ aduersùm
Eusebianæ in Philippopolitano Conuentu
factionis, Dioscori Patriarchæ Alexandrini,
& Photij Constantinopolitani audaciam, &
de sextæ Synodi in Honorium Decreto dixi
suis locis. Se in iudicium vocari non posse,
nec solam suam personam, sed nec suum iudi-
cium posse à quoquam iudicari, vti rem toti
orbi manifestam, constanter in literis ad
Faustum Magistrum, & ad Dardaniæ Episco-
pos affirmat sanctus Gelasius. Nempè la-
psum se in crimen, cui Canon ipso facto non
infligit degradationem. De eiusmodi lapsu
accusatus posteà fuit etiam Symmachus Pon-
tifex, ideoque in Apologetico eius libello
scribit Ennodius tunc Diaconus Ticinensis:
[Aliorum fortè hominum causas Deus voluit
homines terminare, sed Sedis Romanæ Præ-
sules suo sine quæstione reseruauit arbitrio.
Voluit beati Petri Apostoli Successores Cœlo
tantùm debere innocentiam, & subtilissimi
discussoris indagini inuiolatam exhibere
conscientiam.] Insigniter id, & amplè con-
firmat. Confirmat, & sanctus Auitus Archi-
episcopus Viennensis. Et hinc iudicialis in
laudatum Pontificem sententiæ attentatores
quinta eius Romana Synodus damnauit.

Quid opus multis? Dictatum hunc lu-
cidè firmauit, & in Canonem redegit Syno-
dus octaua. Primò sancit, vt nulla laica
Potestas vllum Patriarcham sede sua extru-
dat, aut quouis modo inhonoret, sed omnem
illis reuerentiam impendat, Romano præser-
tim, itemque Constantinopolitano, Alexan-
drino, Antiocheno, ac Hierosolymitano.
Agit in defunctum Michaelem Augustum, à
quo pulsus, atque eiectus fuerat sanctus Igna- Cap.21.
tius Constantinopolitanus, necnon in Ludo-
uicum secundum, eadem meditatum de san-
cto Pontifice Nicolao. Deinde in Photium,
fœdissimos in laudatum Pontificem libellos
tamquam generalem Synodum spargere au-
sum, pergit Canon, similemque audaciam
rigidissimè damnat, ac tandem de vera gene-
rali Synodo concludit: [Si Synodus vniuer-
salis fuerit congregata, & facta fuerit etiam
de sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambi-
guitas, & controuersia, oportet venerabili-
ter, & cum conuenienti reuerentia de propo-
sita quæstione sciscitari, & solutionem acci-
pere, aut proficere, aut profectum facere, non
tamen audacter sentētiam dicere contra Sum-
mos senioris Romæ Pontifices.] Voces, Am-
biguitas, Controuersia, Sententiam dicere, pa-
làm ostendunt agi de criminibus, quibus ipso
facto non est adnexa pœna degradationis.
Voces, Audacter sententiam dicere, sunt de-
sumptæ ex S.Bonifacij primi ad Rufum Thessa-

Ionicensem, ac alios Illyrici episcopos literis, extantibus apud Illustrissimum Lucam Holstenium: [Nemo vmquam Apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias audacter intulit, nisi qui de se voluit iudicari.] Criminalem de Romano Pontifice quæstionem laudatus Canon permittit examinari, reumque Pontificem cum reuerentia postulari ad solutionem, ac satisfactionem, verùm rigidissimè damnat prorumpi in audaciam, qua iudicetur Pontifex, aut damnetur.

Epist. 104

Eamdem veritatem tradit, de Benedicto quinto dubiæ electionis Pontifice, ad Ottonis primi Imperatoris iussum degradato, agens Ditmarus Episcopus Mersebourgensis: [Imperator valentiorem sibi in Christo Dominum Apostolicum, nomine Benedictum, quem nullus absque Deo iudicare potuit, iniustè, vt spero, accusatum deponi consensit, & quod vtinam numquam fecisset, exilio apud Hammaburgh relegari præcepit.] Et Ioanni Lugdunensium Primati, euocanti ad Ausanam Synodum, & Paschalem secundum istic degradare paranti, rescripsit S. Iuo Carnutensis Episcopus: [Non videtur nobis vtile consilium ad illa Concilia conuenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel iudicare, quia nec nostro, nec vllius hominum probantur subiacere indicio. Variè id confirmat, & concludit: Hæc dicentes non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram, quia principales Ecclesiæ claues nolumus potestate sua priuare, quæcumque persona Petri vices habeat, nisi manifestè ab Euangelica veritate decedat.] Non solùm à Gallicana Synodo, sed à nullo hominum, id est, nec à generali Concilio affirmat Papam posse iudicari. Ipsum, licèt Apostolicam Cathedram Pharisaicis moribus, dummodò non falso dogmate, maculet, affirmat tolerandum, Diuino reseruandum iudicio, & ab hominibus non damnandum. Nec ipse solus hæc scripsit, sed eius etiam Metropolita Daimbertus, omnisque Prouincia Senonensis. Et hunc semper fuisse perpetuum Gallicanæ Ecclesiæ sensum profitetur, ac variè demonstrat in opere de Sacerdotij, ac Imperij concordia Illustrissimus Dominus Petrus de Marca. Et hinc Rex Carolus septimus, cuncta Basileensis Synodi Decreta admittens, Eugenij quarti degradationem, ac Felicis quinti intrusionem admittere numquam voluit: In Eugenij communione, ac obedientia constans permansit.

Lib. 2.

Epist. 236.

Lib. 1. c. 11.

Verùm iampridem cessare hanc omnem quæstionem audiuimus suprà à Nicolao Cardinale Cusano. Peccata enim nostra per schisma, aut paganismum extinxerunt quatuor Patriarchatus, & præter ipsorum paucas reliquias mansit nobis solus Romanus. Ita Oecumenica Ecclesiæ Synodus contracta est ad Patriarchalem, quam certum, ac manifestum est pleno iure subesse Pontifici, ac non posse de ipso iudicare. Certè de Syluestro, Damaso, ac Symmacho, nisi se sponte submisissent, numquam iudicare attentasset. Similiter se submittenti Leoni tertio acclamauit omnis ista Synodus: [Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario eius iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum, & antiquitùs mos fuit.] Quòd ista in Synodo supremam, atque irrefragabilem auctoritatem semper habuerit Pontifex, supra audiuimus à laudato Cardinale Cusano, & suo loco est abunde ostensum. Et hinc Basileensis, Eugenium degradare ausa, & totam Ecclesiam à se repræsentari iactitans, Synodus grauiter excessit. Nullus enim illi adfuit Orientalis Patriarcha, nullus ipsorum Legatus. Et plurimi defuerunt Latini Episcopi. Egregiè id intellexit, qui Caroli septimi Francorum Regis, Eugenij degradationem damnantis, literas scripsit ad dictam synodū: [Apud viros graues dubitatur, num Eugenij depositio, & subsequens electio sunt ritè, iustè, Canonicè, & legitimè celebratæ, & an congregatio Basileensis tunc sufficienter repræsentauerit Ecclesiam vniuersalem ad tam arduos actus exequendos. Ideò Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseuerat, & manet in obedientia Eugenij, in qua nunc stat. Post Græcorum Apostasiam factas è solis Romani Patriarchatus Episcopis Synodos non nego esse per omnia Oecumenicas, addo tamen idcircò Pontificem anito in ipsas Primatu non excidisse. Proindè quousque perseuerauerit ista miseria, nullam ad iudicandum Pontificem esse in mundo potestatem, ipsi etiam Apostolicæ sedis aduersarij coguntur fateri. Et hinc cunctos de ista quæstione scriptos libros Theodoricus à Niem rectè suasit exurendos. Ea item, quæ Pontifices ob solos disciplinæ, aut morum lapsus vult posse extrudi, & iudicari, sententia omninò duxit originem à Ioanne Gersone: Anteà nullus vel primum credidit possibile nisi ob Hæresim, aut certè ob crimen, cui degradatio erat ipso iure adnexa. Nec aliud in pœnitentiæ Bulla dixit Pius secundus: Errorem enim istum vocat antiquam sententiam, non quod ipsam alij ante Gersonem, sed quod ante Papatum ipse docuisset. Lucida sunt verba. Nec opus est Commentarijs.

Expenditur nouissimum cuiusdam Dogma.

HÆc omnia improbat, & damnat Ioannes Launoius. Constantissimè tuetur Commonitorium, quod pro Tridentinæ Synodi instructione ad Romæ degentem suum Secretarium Ioannem Britonem misit Carolus Cardinalis Lotharingus: [Ego negare non possim, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus, in qua Romanum Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui dicunt ibi contrarium, tamquam Hæretici notantur. Constantiensem, ac Basileensem extollit, Florentinam autem Synodum indignè deprimit, ac prosequitur: [Priuilegia seu libertates Regni in hac veritate positæ sunt vniuersæ. Et eam ob causam disputatio huiusmodi si fiat, tota ad subuersionem audientium conuertetur, Regnum separabitur, ac distrahetur: Quod erit commune, ac summum illius exitium. Nam credere vel vnum esse Antistitem, qui

qui his consentiat insanum esset.] Loquitur ex articulis, quos olim ad Basileensis Synodi postulationem probaruntque quędam generalium studiorum vniuersitates, & quorum hic fuit primus: [Veritas est Catholicæ Fidei, sacrum generale Concilium suprà Papam potestatem habere.] Et Eugenium quartum, quòd prætensis fidei veritatibus constanter obsisteret, tamquam Hæreticum dicta Synodus degradauit. Existimabat sic definitum à Concilio Constantiensi. Istud commonitorium laudat in varijs epistolis Ioannes Launoius, & exclamat in epistola ad Antonium Taurum: Romanam, & melioris æui constantiam.

Nempè dolet Lotharingam istam fidem iam flaccescere in Gallia, & damnatam ab ipsa hæresim præualere. Etenim in opere de Sacerdotij, ac Imperij concordia longè aliter credit Illustrissimus Parisiensium Archiepiscopus Petrus de Marca: [Solet à plerisque pragmaticis hoc ferè præcipuum constitui libertatis Gallicanæ Theorema, Concilium Oecumenicum superius esse Summo Pontifice.] Eruditè hoc refutat, eiusque prolixiorem discursum Stephanus Baluzius redegit in hoc compendium: [Confutatur communis opinio, quæ docet præcipuam libertatum Regulam hanc esse, vt Concilium Oecumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamuis hæc sit Scholæ Gallicanæ sententia, non est vna ex libertatibus Gallicanis. Inuenimus vnum Antistitem, qui Cardinali Lotharingo non consentit. Et quis tantum episcopum, vel cogitet de hæresi accusare? Et quidem Gallicani Pragmatici solum generale Concilium Romano superponunt episcopo, at verò Ioannes Launoius eamdem Præfecturam impertit etiam Capuanæ Synodo, de qua scribit in epistola ad Ludouicum Maresium: [Siricius Pontifex Capuensi Synodo, quæ non habetur Oecumenica, se subiectum esse recipit.] Labitur vtroque pede. Nam quòd vniuersalis fuerit ista Synodus, lucidè ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham scribit sanctus Ambrosius. Et quòd ipsi se subiectum admiserit Siricius, nulla litera suadet in eius epistola ad Anysium Episcopum Thessalonicensem. *Epist. 9.*

Ex eodem principio persuadet sibi Ioannes Launoius Romanum Episcopum à generali Concilio posse etiam deponi. Verùm illi iterùm aduersatur laudatus Parisiensium Archiepiscopus, cuius insignem doctrinam Stephanus Baluzius redegit in hæc compendia: [Persona Pontificis à nemine iudicatur, ex Synodo Romana sub Symmacho, & ex Ennodio. Eadem Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Romanum Pontificem à nemine iudicandum professus est Carolus Magnus, & cæteri Galli in Synodo Romana.] Gaudeat Magnus Carolus Ioannem Launoium à Diuina prouidentia seruatum in nostra tempora. Etenim ab ipso fuisset damnatus de hæresi, aut certè ad Curiales Theologos proscriptus. Addit laudatus Archiepiscopus: [Sanè in causa hæreseos publicè professæ, & Schismatis, quin de Romano Pontifice fieri possit iudicium, nullus vmquam Scriptor dubitauit. Quamuis sententiam malint declaratoriam dici, quàm condemnatoriam.] Nobiscum per omnia consentit, nec credit se hæreticum, *Lib. 1. c. 11.*

aut Romanæ Curiæ adulatorem.

Hanc vetustam regulam, [Prima sedes à nemine iudicatur,] ad Apocrypha figmenta proscribit in epistola ad Claudium Santeulium Ioannes Launoius, fictam occasione S. Syluestri, qui calumniam passus coram Constantino Magno Imperatore se purgauit. Respondeo, & Sinuessanam aduersùs sanctum Marcellinum, & Romanam S. Syluestri Synodos, à quibus laudatur ista regula, esse fictas & spurias, attamen non carere fundamento. Etenim ipsarum confictor fuit omninò Catholicus, & vixit octauo sæculo, ideoque iuxta communem sui temporis sententiam est locutus. Et regulæ substantia est longè antiquior. Etenim de S. Petro Apostolo, ac eius successore Romano episcopo, scripsit olim S. Bonifacius primus: [Nicæna Synodus aliquid super eum non est ausa constituere, cum videret nihil suprà meritum suum posse conferri. Omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa.] Quod quid est aliud, quàm primæ sedis episcopum à generali Synodo non posse iudicari? Nicænum paucorum episcoporum Conuenticulum, in quo S. Leonem Pontificem damnauit, Dioscorus Alexandriæ Patriarcha prætendebat esse generalem Synodum: Ad Ephesini latrocinij retractanda acta indictam Nicææ Synodum prętendebat à laudato Pontifice non potuisse transferri Chalcedonem, ideoque omnem Synodi auctoritatem esse ad paucos Nicææ perseuerantes episcopos deuolutam. Hinc se iterum intrusit in Præsidem, & sententiam, quam Ephesi in S. Flauianum dederat, hic extendit in eius fautorem, ac defensorem S. Leonem. Hinc ipsum degradauit Chalcedonensis Synodus, & causam expressit in relatione ad laudatum Pontificem: [Dioscorus post hæc insuper, & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas.] Et in relatione ad Valentinianum, ac Martianum Imperatores: [Dioscorus super alias suas nequitias, & aduersùs ipsam Apostolicam Sedem latrauit, & excommunicationis literas aduersùs sanctissimum, ac beatissimum Papam Leonem facere conatus est.] Ipsum non damnauit, quod sine legitima causa, sed quod in ipsam Apostolicam Sedem, ac ipsum totius vineæ Præfectum latrare, & excommunicationem meditari præsumpsisset. Et quidem in illum vineæ Præfectum, [qui Ecclesiæ corpus vnire festinabat.] Hoc est, qui ad abrumpendas varias moras Synodum Nicæa transtulerat Chalcedonem. Damnauit Dioscorum, quod tractasset primum Leonem, sicut quartum Eugenium posteà tractauit Synodus Basileensis. Voces, [Contra ipsum, Aduersùs ipsam, Latrauit, Meditatus est, Conatus est, altissimè clamant primam cum suo Episcopo Sedem à nemine iudicari posse: Eiusmodi iudicium non posse effici, sed dumtaxat cogitari, & esse simile rabidi canis latratui aduersùs lunam. *Epist. 9.*

Eiusdem mentis fuit Romana Adriani secundi aduersùs Constantinopolitanæ Ecclesiæ inuasorem Photium Synodus. Photij in S. Patriarcham Ignatium facinora adducit

lonicensem, ac alios Illyrici episcopos literis, extantibus apud Illustrissimum Lucam Holstenium: [Nemo vmquam Apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias andacter intulit, nisi qui de se voluit iudicari.] Criminalem de Romano Pontifice quæstionem laudatus Canon permittit examinari, reumque Pontificem cum reuerentia postulari ad solutionem, ac satisfactionem, verùm rigidissimè damnat prorumpi in audaciam, qua iudicetur Pontifex, aut damnetur.

Epist. 10.

Eandem veritatem tradit, de Benedicto quinto dubiæ electionis Pontifice, ad Ottonis primi Imperatoris iussum degradato, agens Ditmarus Episcopus Merseburgensis: [Imperator valentiorem sibi in Christo Dominum Apostolicum, nomine Benedictum, quem nullus absque Deo iudicare potuit, iniustè, vt spero, accusatum deponi consensit, & quod vtinam numquam fecisset, exilio apud Hammaburgh relegari præcepit.] Et Ioanni Lugdunensium Primati, euocanti ad Ausanam Synodum, & Paschalem secundum istic degradare paranti, rescripsit S. Iuo Carnutensis Episcopus: [Non videtur nobis vtile consilium ad illa Concilia conuenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel iudicare, quia nec nostro, nec vllius hominum probantur subiacere iudicio. Variè id confirmat, & concludit: Hæc dicentes non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram, quia principales Ecclesiæ claues nolumus potestate sua priuare, quæcumque persona Petri vices habeat, nisi manifestè ab Euangelica veritate decedat.] Non solùm à Gallicana Synodo, sed à nullo hominum, id est, nec à generali Concilio affirmat Papam posse iudicari. Ipsum, licèt Apostolicam Cathedram Pharisaicis moribus, dummodò non falso dogmate, maculet, affirmat tolerandum, Diuino reseruandum iudicio, & ab hominibus non damnandum. Nec ipse solus hæc scripsit, sed eius etiam Metropolita Daimbertus, omnisque Prouincia Senonensis. Et hunc semper fuisse perpetuum Gallicanæ Ecclesiæ sensum profitetur, ac variè demonstrat in opere de Sacerdotij, ac Imperij concordia Illustrissimus Dominus Petrus de Marca. Et hinc Rex Carolus septimus, cuncta Basileensis Synodi Decreta admittens, Eugenij quarti degradationem, ac Felicis quinti intrusionem admittere numquam voluit: In Eugenij communione, ac obedientia constans permansit.

Lib. 2.

Epist. 236.

Lib. 1. c. 11.

Verùm iampridem cessare hanc omnem quæstionem audiuimus suprà à Nicolao Cardinale Cusano. Peccata enim nostra per schisma, aut paganismum extinxerunt quatuor Patriarchatus, & præter ipsorum paucas reliquias mansit nobis solus Romanus. Ita Oecumenica Ecclesiæ Synodus contracta est ad Patriarchalem, quam certum, ac manifestum est pleno iure subesse Pontifici, ac non posse de ipso iudicare. Certè de Syluestro, Damaso, ac Symmacho, nisi se sponte submisissent, numquam iudicare attentasset. Similiter se submittenti Leoni tertio acclamauit omnis ista Synodus: [Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario eius iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum, & antiquitùs mos fuit.] Quòd ista in Synodo supremam, atque irrefragabilem auctoritatem semper habuerit Pontifex, supra audiuimus à laudato Cardinale Cusano, & suo loco est abunde ostensum. Et hinc Basileensis, Eugenium degradare ausa, & totam Ecclesiam à se repræsentari iactitans, Synodus grauiter excessit. Nullus enim illi adfuit Orientalis Patriarcha, nullus ipsorum Legatus. Et plurimi defuerunt Latini Episcopi. Egregiè id intellexit, qui Caroli septimi Francorum Regis, Eugenij degradationem damnantis, literas scripsit ad dictam synodū: [Apud viros graues dubitatur, num Eugenij depositio, & subsequens electio sunt ritè, iustè, Canonicè, & legitimè celebratæ, & an congregatio Basileensis tunc sufficienter repræsentauerit Ecclesiam vniuersalem ad tam arduos actus exequendos. Ideò Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseuerat, & manet in obedientia Eugenij, in qua nunc stat. Post Græcorum Apostasiam factas è solis Romani Patriarchatus Episcopis Synodos non nego esse per omnia Oecumenicas, addo tamen idcircò Pontificem auito in ipsas Primatu non excidisse. Proindè quousque perseuerauerit ista miseria, nullam ad iudicandum Pontificem esse in mundo potestatem, ipsi etiam Apostolicæ sedis aduersarij coguntur fateri. Et hinc cunctos de ista quæstione scriptos libros Theodoricus à Niem rectè suasit exurendos. Ea item, quæ Pontifices ob solos disciplinæ, aut morum lapsus vult posse extrudi, & iudicari, sententia omninò duxit originem à Ioanne Gersone: Anteà nullus vel primum credidit possibile nisi ob Hæresim, aut certè ob crimen, cui degradatio erat ipso iure adnexa. Nec aliud in pœnitentiæ Bulla dixit Pius secundus: Errorem enim istum vocat antiquam sententiam, non quod ipsam alij ante Gersonem, sed quod ante Papatum ipse docuisset. Lucida sunt verba. Nec opus est Commentarijs.

Expenditur nouissimum cuiusdam Dogma.

HÆc omnia improbat, & damnat Ioannes Launoius. Constantissimè tuetur Commonitorium, quod pro Tridentinæ Synodi instructione ad Romæ degentem suum Secretarium Ioannem Britonem misit Carolus Cardinalis Lotharingus: [Ego negare non possim, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus, in qua Romanum Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui dicunt ibi contrarium, tamquam Hæretici notantur. Constantiensem, ac Basileensem extollit, Florentinam autem Synodum indignè deprimit, ac prosequitur: [Priuilegia seu libertates Regni in hac veritate positæ sunt vniuersæ. Et eam ob causam disputatio huiusmodi si fiat, tota ad subuersionem audientium conuertetur, Regnum separabitur, ac distrahetur: Quod erit commune, ac summum illius exitium. Nam credere vel vnum esse Antistitem, qui

qui his consentiat insanum esset.] Loquitur ex articulis, quos olim ad Basileensis Synodi postulationem probaruntque quędam generalium studiorum vniuersitates, & quorum hic fuit primus: [Veritas est Catholicæ Fidei, sacrum generale Concilium suprà Papam potestatem habere.] Et Eugenium quartum, quòd prætensis fidei veritatibus constanter obsisteret, tamquam Hæreticum dicta Synodus degradauit. Existimabat sic definitum à Concilio Constantiensi. Istud commonitorium laudat in varijs epistolis Ioannes Launoius, & exclamat in epistola ad Antonium Taurum: Romanam, & melioris æui constantiam.

Nempè dolet Lotharingam istam fidem iam flaccescere in Gallia, & damnatam ab ipsa hæresim præualere. Etenim in opere de Sacerdotij, ac Imperij concordia longè aliter credit Illustrissimus Parisiensium Archiepiscopus Petrus de Marca: [Solet à plerisque pragmaticis hoc ferè præcipuum constitui libertatis Gallicanæ Theorema, Concilium Oecumenicum superius esse Summo Pontifice.] Erudiré hoc refutat, eiusque prolixiorem discursum Stephanus Baluzius redegit in hoc compendium: [Confutatur communis opinio, quæ docet præcipuam libertatum Regulam hanc esse, vt Concilium Oecumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamuis hæc sit Scholæ Gallicanæ sententia, non est vna ex libertatibus Gallicanis. Inuenimus vnum Antistitem, qui Cardinali Lotharingo non consentit. Et quis tantum episcopum, vel cogitet de hæresi accusare? Et quidem Gallicani Pragmatici solum generale Concilium Romano superponunt episcopo, at verò Ioannes Launoius eamdem Præfecturam impertit etiam Capuanæ Synodo, de qua scribit in epistola ad Ludouicum Maresium: [Siricius Pontifex Capuensi Synodo, quæ non habetur Oecumenica, se subiectum esse recipit.] Labitur vtroque pede. Nam quòd vniuersalis fuerit ista Synodus, lucidè ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham scribit sanctus Ambrosius. Et quòd ipsi se subiectum admiserit Siricius, nulla litera suadet in eius epistola ad Anysium Episcopum Thessalonicensem. Epist. 9.

Ex eodem principio persuadet sibi Ioannes Launoius Romanum Episcopum à generali Concilio posse etiam deponi. Verùm illi iterùm aduersatur laudatus Parisiensium Archiepiscopus, cuius insignem doctrinam Stephanus Baluzius redegit in hæc compendia: Lib. 1. c. 11. [Persona Pontificis à nemine iudicatur, ex Synodo Romana sub Symmacho, & ex Ennodio. Eadem Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Romanum Pontificem à nemine iudicandum professus est Carolus Magnus, & cæteri Galli in Synodo Romana.] Gaudeat Magnus Carolus Ioannem Launoium à Diuina prouidentia seruatum in nostra tempora. Etenim ab ipso fuisset damnatus de hæresi, aut certè ad Curiales Theologos proscriptus. Addit laudatus Archiepiscopus: [Sanè in causa hæreseos publicè professæ, & Schismatis, quin de Romano Pontifice fieri possit iudicium, nullus vmquam Scriptor dubitauit. Quamuis sententiam malint declaratoriam dici, quàm condemnatoriam.] Nobiscum per omnia consentit, nec credit se hæreticum, aut Romanæ Curiæ adulatorem.

Hanc vetustam regulam, [Prima sedes à nemine iudicatur,] ad Apocrypha figmenta proscribit in epistola ad Claudium Santeulium Ioannes Launoius, fictam occasione S. Syluestri, qui calumniam passus coram Constantino Magno Imperatore se purgauit. Respondeo, & Sinuessanam aduersùs sanctum Marcellinum, & Romanam S. Syluestri Synodos, à quibus laudatur ista regula, esse fictas & spurias, attamen non carere fundamento. Etenim ipsarum confictor fuit omninò Catholicus, & vixit octauo sæculo, ideoque iuxta communem sui temporis sententiam est locutus. Et regulæ substantia est longè antiquior. Etenim de S. Petro Apostolo, ac eius successore Romano episcopo, scripsit olim S. Bonifacius primus: [Nicæna Synodus aliquid super eum non est ausa constituere, cum videret nihil suprà meritum suum posse conferri. Omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa.] Quod quid est aliud, quàm primæ sedis episcopum à generali Synodo non posse iudicari? Nicænum paucorum episcoporum Conuenticulum, in quo S. Leonem Pontificem damnauit, Dioscorus Alexandriæ Patriarcha prætendebat esse generalem Synodum: Ad Ephesini latrocinij retractanda acta indictam Nicææ Synodum prętendebat à laudato Pontifice non potuisse transferri Chalcedonem, ideoque omnem Synodi auctoritatem esse ad paucos Nicææ perseuerantes episcopos deuolutam. Hinc se iterum intrusit in Præsidem, & sententiam, quam Ephesi in S. Flauianum dederat, hic extendit in eius fautorem, ac defensorem S. Leonem. Hinc ipsum degradauit Chalcedonensis Synodus, & causam expressit in relatione ad laudatum Pontificem: [Dioscorus post hæc insuper, & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas.] Et in relatione ad Valentinianum, ac Martianum Imperatores: [Dioscorus super alias suas nequitias, & aduersùs ipsam Apostolicam Sedem latrauit, & excommunicationis literas aduersùs sanctissimum, ac beatissimum Papam Leonem facere conatus est.] Ipsum non damnauit, quod sine legitima causa, sed quod in ipsam Apostolicam Sedem, ac ipsum totius vineæ Præfectum latrare, & excommunicationem meditari præsumpsisset. Et quidem in illum vineæ Præfectum, [qui Ecclesiæ corpus vnire festinabat.] Hoc est, qui ad abrumpendas varias moras Synodum Nicææ transtulerat Chalcedonem. Damnauit Dioscorum, quod tractasset primum Leonem, sicut quartum Eugenium posteà tractauit Synodus Basileensis. Voces, [Contra ipsum, Aduersùs ipsam, Latrauit, Meditatus est, Conatus est, altissimè clamant primam cum suo Episcopo Sedem à nemine iudicari posse: Eiusmodi iudicium non posse effici, sed dumtaxat cogitari, & esse simile rabidi canis latratui aduersùs lunam. Epist. 9.

Eiusdem mentis fuit Romana Adriani secundi aduersùs Constantinopolitanæ Ecclesiæ inuasorem Photium Synodus. Photij in S. Patriarcham Ignatium facinora adducit in

in prima allocutione Pontifex,& de eius imaginaria, ac maledica in S. Nicolaum Pontificem Synodo pergit : [Post hæc posuit in cœlum os suum, & lingua eius transijt super terram, dum videlicet contra Diuinam ordinationem, cœlitus in beati Petri Apostolorum Principis Primatu dispositam,& præcipuam, ac summam dignitatem, ac potestatem, linguam suam more serpentis exacuit, vitam scilicet Decessoris mei Papæ Nicolai lacessere nullo modo metuens, &c.] Non dumtaxat, quod S. Pontificem calumnijs denigrare, sed præsertim quod primæ Sedis Episcopum contra datum illi à Diuino iure priuilegium damnare præsumpsisset. Hinc adiungit Adrianus Pontifex : [Ego pro lege Dei, pro paternis conseruandis Canonibus,pro veneratione Apostolorum, pro priuilegijs defendendis Sedis ipsorum, proque sanctæ mentionis Decessoris mei Papæ Nicolai prædicanda memoria, & sequentibus actibus,atque celebrandis definitionibus, non solùm varia incommoda perpeti, verùm etiam more Sanctorum Prædecessorum meorum Pontificum,in promptu habeo, si necesse sit, mortis subire discrimen.] Primò pro lege Dei, & Diuinis Cathedræ priuilegijs, deindè pro memoria innocentis Nicolai. Loquitur ex Magni Gregorij epistola ad Sabinianum Diaconum,suum in Regia ciuitate Apocrisarium : [Ante paratior sum mori, quàm Beati Petri Apostoli Ecclesiam in meis diebus degenerare. Pergit in tertia allocutione : [Intolerabilis est ista præsumptio, & hanc aures præcordiorum sustinere non possunt. Quis vnquam vestrum tale quid audiuit, aut quis huiusmodi temeritatis immensitatem saltem lectione inuenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus Maiorum suorum motibus resistendi, vel prauos sensus liberè respuendi. Quamuis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi eiusdem primæ Sedis præcessisset auctoritas.] Imaginaria Photij Synodus erat generalissima : Et tamen nec à tali Romanum Pontificem iudicari potuisse Adrianus constanter adfirmat. Addit Honorium, licèt defunctum, & in causa hæresis, etiam à sexta Synodo sine speciali S. Agathonis indulto non potuisse damnari. Quia nempè primæ Sedis episcopus à nemine iudicatur. Et generalissima etiam Synodus nihil tractare potest, nisi ad mandatum, & relationem Episcopi Romani. Quæ omnia Adrianus confirmat auctoritate Ephesinæ Synodi. Lacerata hæc fuit in duas partes. Ioannes Antiochenus S. Cyrillum Alexandrinum Patriarcham arguit violati Canonis, censuit excidisse iure præsidendi, omnem auctoritatem Synodi ad se deuolutam, atque ita ipsum degradauit. Quo in facinore cum noua Cœlestini Pontificis legatione omnis synodus, licèt iactatas in innoxium Cyrillum calumnias, præsertim tamen damnauit vsurpatam à Ioanne potestatem: Quòd tertiæ Sedis Episcopus contra secundæ Sedis Episcopum insurrexisset. Hinc rectè Adrianus infert primæ Sedis Episcopum à nullo iudicandum.

Lib. 7. Epist. 2.

Quæ omnia probauit laudata Romana Synodus, asseuerans Photij temeritatem esse extrema damnatione dignissimam, non quia innocentem Nicolaum Papam calumniatus, sed quia esset præuaricatus Euangelicum, atq; Apostolicum Canonem : [Non est discipulus suprà Magistrum]. Lucidè supponit Romanum Episcopum esse Magistrum etiam generalium Synodorum, & has ipsi subijci tamquam discipulos. Et hunc esse fundamentalem Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem. Et pergit: [Quarta, magna, & vniuersalis Synodus, adeò hanc temeritatem execrata est, vt Dioscorum Alexandrinum sine restitutione damnauerit. Præsumpserat enim, & ipse contra primæ Sedis priuilegium, contraque iam memoratam Regulam agens, cùm esset posterior, se anteriori præferre, & ordinem sibi à Deo decretum non recognoscens, de Sedis præfatæ Pontifice, magno videlicet Papa Leone, temerè iudicare, cùm videlicèt nec personam Synodum conuocandi habuerit, vt Apostolicæ Sedis Vicarij in eadem Synodo protestantur. Quippè qui secundùm præfatum Canonem, cùm esset posterior, inconsulto anteriori agere aliquid præsumere non debuerit, quantò minùs sine ipso generalem Synodum conuocare, aut, quod detestabilius est, aduersùs eumdem sententiam quamlibet promulgare]. Quidam volunt respici Lucentij Esculani episcopi,ac Apostolici Legati aduersùs Dioscorum in Chalcedonensis Synodi ingressu intercessionem : [Iudicij sui necesse est Dioscorum dare rationem. Quia cum iudicandi personam non habuerit, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est]. Verùm Ephesiua illic Acta damnauit Lucentius, in quibus iudicandi quidem, & præsidendi, non tamen conuocandæ Synodi personam vsurpauit Dioscorus: Et istic dumtaxàt sanctum Flauianum Constantinopolitanum, ac Eusebium Dorilęi Episcopum inuasit, nequaquam sanctum Pontificem Leonem. Quapropter laudata Romana Synodus respicit, & laudat hæc totius Apostolicæ Legationis verba in Synodali aduersùs Dioscorum sententia : [Secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit Dioscorus. Præsumpsit enim, & excommunicationem dictare aduersùs sanctissimum, ac Beatissimum Archiepiscopum Magnæ Romæ Leonem]. Agunt verba in eius Nicæanum Conuenticulum, de quo in suis Chalcedonensi Concilio exhibitis aduersùs Dioscorum libellis scripsit Theodorus Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus:[Ostendam quid ab eo in Nicæa Metropoli temerariè gestum sit]. Ostendit, quod illic cum decem suæ Diœceseos Episcopis Conuenticulum fecerit, & ad suo in sanctum Leonem latratui subscribendum inuitos, ac reclamantes coegerit. Quomodo celebrandæ Synodi locum à laudato Pontifice designari, & ante factam ab ipso designationem sacras Tractorias concipere noluerit Imperator Martianus, norunt periti rerum Chalcedonensium. Et Pontifex desi-

Act. 3.

designauerat ciuitatem Nicænam. Verùm mutanda illa fuit ob rationes, & tunc denuò per Pontificem Synodus translata est Chalcedonem. Dioscoro id displicuit, solus ibi cum paucis Ægyptijs fecit Conuenticulum, censuit Synodum non posse transferri, omne eius ius ad se deuolutum voluit, & tractauit Magnum Leonem, quomodo Eugenium quartum Synodus Basileensis. Isti nefando Conuenticulo imaginariam Photij Synodum comparant, ideòque & ipsum Dioscoro in pœna comparandum censent Romani Patres: Non quòd in innoxium, sed quòd in Pontificem contra Diuina Apostolicæ Sedis priuilegia vterque latrasset. Et probant priuilegium ex sancti Bonifacij primi ad Rufum Thessalonicensem, ac alios Illyrici episcopos literis: [Apud Sanctum Petrum Apostolum Christus noster Sacerdotij summam locauit. In cuius contumeliam quisquis insurgit, habitator Cœlestium non poterit esse regnorum. Tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum. Nemo vnquam Apostolico culmini, de cuius iudicio non licèt retractari, manus obuias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit iudicari]. Integram epistolam nupèr publicauit Dominus Lucas Holstenius. Et in ipsa vides laudatam superiùs sententiam, ex qua discimus quid sit de Romano Episcopo audacter iudicare. Romanæ huic Synodo aderat ad octauam Synodum destinata, & iam parata legatio, & ipsi Apostolicas circa dictam Photij audaciam instructiones rogatus Adrianus Pontifex hanc dedit: [Photium, qui licèt sit à Decessore meo, & à nobis pro criminibus ante patratis iure damnatus, & anathematizatus, nunc tamen quia, recentioribus excessibus priores iniquitates valdè transcendit, & ponens in cœlum os suum, aduersùs veneranda Sedis Apostolicæ priuilegia noua temeritate prorupit, dum scilicet ordinationi supernæ in beati Petri Principatu dispositæ resistere minimè dubitauit, & in Cathedra non sanitatis, sed pestilentiæ sedens congregauit conuenticula de sanguinibus, cum scilicèt sibi fauentium simpliciorum animas interfecit, & vtpotè mendacij inuentor, & fabricator peruersorum dogmatum, non nisi falsitatis præstigias, & omnis mendacij figmenta, solito more congessit, atque tam contra Decessorem meum sanctæ recordationis Papam Nicolaum, quàm etiam contra nos, ac per illum in Apostolicum culmen, nec iniqua garrire fauce trepidauit, nec manus obuias, quod nemo vnquam præsumpsit, audacter extendere formidauit, Apostolicæ auctoritatis censura iteratò damnamus, & pro his specialiter Anathematis nexibus innodamus, hunc scilicet cum Dioscoro, cuius in hoc imitator exstitit, meritò sociantes, & sanctæ magnæ Chalcedonensis Synodo in tam pernicioso præsumptore puniendo per omnia concordantes]. Vti Dioscorum, non solùm quòd in innoxium, sed præsertim quòd in Pontificem latrasset, damnauit Chalcedonensis Synodus, & hos dixit secundos excessus, quibus omnem priorem iniquitatem ille transcendit; ità hæc Romana Synodus damnauit Photium, non solummodò quod innoxium Nicolaum Pontificem tentasset maculare, sed præsertim quod os suum posuisset in Cœlum, seu in Cœlestia sancti Petri priuilegia, quòd in Apostolicum culmen garriuisset iniqua, & quòd audacter intulisset manus obuias: Hoc est, quòd Dioscorum imitatus, generalis synodi prætextu Pontificem damnasset. Et ex hac instructione, seu regula lucidè formatus est vigesimus primus Canon octauæ synodi. Quare Iacobi Almaini, quæ aduersùs Cardinalem Caietanum in epistola ad Raymundum Formentinum prædicat Ioannes Launoius, commenta ad rem non faciunt. Nequaquam enim iudicandi Pontificis modum præscribit, sed ipsum nullo modo iudicandum decidit Canon. Decidit à vera etiam generali synodo non posse attentari, quod attentauit Photius in imaginaria. Decidit à vera etiam generali synodo Romanum Episcopum, si deliquerit, cum reuerentia admonendum, verùm nullo modo prorumpi posse in audaciam, qua damnetur. Quia nempè Diuina sunt illius Sedis priuilegia, ideòque eius episcopus ab homine non iudicatur. Eodem modo Canonem exponit Illustrissimus Petrus de Marca, addens præsentem nostri Gregorij Dictatum esse per omnia legitimum. Luc. cap. 11.

Hæc omnia eodem sensu intellexit etiam Anastasius Bibliothecarius. Etenim in octauæ synodi ad Adrianum secundum Pontificem præfatione mille episcoporum confictam à Photio synodum exponit, atque de veris, qui fabulæ adfuerant, episcopis prosequitur: [Cuncti qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis, clamarunt non esse iustum in summum, & primum Pontificem, & præcipuè ab inferiori, quomodolibet sententiam proferendi, cùm id, nec Canon quisquam admittat, nec aliqua Ecclesiæ consuetudo fieri doceat]. Etiam de Romana laudati Adriani synodo pergit: [Synodo mox apud Beatum Petrum collecta, profanum codicem illum cremari censuisti, & ita fieri apud Constantinopolim, si qua exemplaria eius ibidem inuenirentur, iure mandasti, quod, & factum est, & auctorem eius pro tanta temeritate denuò damnans, huius paria occultantes censura simili sequestrasti. Missisque cum auctoritate Apostolica Vicarijs, & Epistolis Decretalibus iussisti fieri Constantinopoli synodum pro multis quidem necessitatibus Ecclesiæ, sed pro his præcipuè, quæ huc usque breuiter adnotatæ sunt. Quæque in huius synodi Gestis inueniuntur, in qua scilicet Photius ob id etiam specialiter cōdemnatur, quoniam depositionem, vel anathema præsumpsit in sanctæ memoriæ Papam Nicolaum nominare]. Adrianum laudat, non tam quòd Nicolai Pontificis personam, sed præsertim, quòd Apostolicam sedem defenderit aduersùs schismaticam, atque hæreticam Photij audaciam, & Romana sua pro Diuinis eius priuilegijs decreta curauerit per octauam synodum firmari. Nam, & ad sanctum Patriarcham Ignatium de reparandis per synodum schismaticis Photij sectatoribus scripsit laudatus Pontifex: [Sanè hos, qui in nefando conciliabulo, quod in iniuriam, & derogationem sedis Apostolicæ Constantinopoli factum est, voluntariè subscripsisse probantur, cuiuscumque sint ordinis, vel professionis, nulla venia dignos esse, nisi multa miseratio eiusdem, quam læ-

dere

dere ausi sunt, Apostolicæ Sedis occurrat, euidentissima ratio docet, & multifaria Maiorum sanctio manifestè demonstrat. Quin, & vniuersalis Chalcedone habita Synodus, adeò huiusmodi temeritatem detestata est, vt in sententia, quam in Dioscorum protulit, hoc maximè memorare videatur, cum de ipso dicit: Secundis excessibus priorem iniquitatem valdè trãscendit. Præsumpsit enim, & excommunicationẽ dictare aduersùs sanctissimum, & beatissimum Archiepiscopũ magnæ Romæ Leonẽ. [Priorẽ autẽ iniquitatẽ, prauitatẽ vtiq; dicit hæreticã. Vndè nota, quòd Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patrauit, etiam hæresim Eutychianam valdè transcendisse referatur.] Et per Photiumficti, & per Dioscorum coacti conciliabuli temeritatem adfirmat omni hæresi maiorem, ac priorem, non quòd in innoxias personas, sed quòd in Apostolicæ Sedis iniuriam, ac derogationem latrare contra euidentissimam rationem, & multifariam Maiorum sanctionem præsumpsissent. Et ex hoc rescripto Theodorus Stauropolitanus Episcopus, & Cariæ Metropolita passus fuit, quod in tertiæ actionis marginali Scholio scribit laudatus Anastasius: [Quamuis Theodorus post scriptum Romanum libellum, indulta culpa, quam contra Patriarcham Ignatium, ab illo recedendo, & contra subscriptionem suam agendo commiserat, per libellum pœnitentiæ receptus sit, postea tamen deprehensus, quòd in depositione, ac anathemate Papæ Nicolai scripserit, ab vniuersa Synodo, sola pro hac causa deiectus est, dumtaxat Beati Petri iudicio reseruatus. Quòd igitur Romanum Episcopum, nec à ficta, nec à vera generali Synodo iudicari posse sanxerit octauum Concilium, est meridiana luce manifestiùs. Sanxit ex regula, quam ad omnes Orientis Patriarchas, atque episcopos scripsit de hac ipsa quæstione laudatus Pontifex Nicolaus: [Sedes Petri à nemine iudicatur, nisi ab eo, qui illi claues Regni dedit.] Exstat epistolæ compendium in actis laudati Concilij, & est ab ipso probatum.

Examinatur Romana Synodus Symmachi Pontificis.

QVæstio est, An nostra pro Romano Pontifice assertio rectè probetur ex Synodis Symmachi Pontificis, & scripta pro ipsis Apologia ad Ennodium tunc Diaconum, postea Episcopum Ticinensem? Adfirmat laudatus Parisiensis Archiepiscopus. Item in laudata Romana Synodo Adrianus secundus. Verùm in literis ad Claudium Sauteulium constanter negat Ioannes Launoius. Synodorum istarum Regulam, quæ Romanos Episcopos adfirmat [minorum numquam subiacuisse iudicio,] laudat, atque pergit: [Certum est ante omnia, minores appellari non posse Antistites, quos, & Symmachus, & Symmachi Decessores appellant Collegas, Fratres, Comministros, Consacerdotes, & Coepiscopos.] Veritati huic intelligendæ ait opus esse solis oculis, nullo commentario. Et infrà: [Ad episcoporum Concilium illa non pertinent, sed ad Romanos plures Clericos; ad Senatum, & populum, qui se in Symmachi causa, feruentiori, quàm par fuit studio interposuerunt.] In eumdem sensum trahit auream, quàm ad Symmachum, & Faustum Romanos Senatores ex totius Gallicanæ Ecclesiæ placito scripsit sanctus Auitus Archiepiscopus Viennensis, epistolam. Adfirmat ipsam in Regem Theodoricum, in Senatum, ac populum, & in Romanum Clerum, nullo modo scribi in Synodum, atque adiungit: [Facilè apparet Gallicanos Antistites in ea fuisse sententia, vt crederent Romanum Concilium potuisse de Symmacho iudicare legitimè, si legitimè, & de publicis flagitijs accusatus fuisset. Existimat ab Auito, dum pro Symmacho scripsit, actam fuisse communem omnium episcoporum causam, & Romano Episcopo nihil singulare adscribi.

Verùm apologeticus Ennodij liber aliud lucidissimè docet: [Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare, sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit beati Petri successorem Cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam.] Et addit causam: [Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem factam toto orbe venerabilem, dum illi, quidquid fidelium est, vbique subditur, dum totius corporis caput esse designatur.] Subdita enim membra nequeunt de præposito capite iudicare. Et de isto libro sanxit quinta Symmachi Synodus: [Hic libellus integerrimè synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartæ, & quintæ synodorum nostrarum actiones interponatur, & ita sicut harum Synodorum Decreta habeatur. Quia Synodali auctoritate conscriptus est, & roboratus. Quod ipsum Symmachus confirmauit. Quæ omnia Ioannis Launoij oculos adeò durè ferierunt, vt ipsum compulerint ad hæc scribenda: [Qui scribit pro Synodo, & Papa, supra Synodum, & Papam sapere non debet. Ennodius supra Synodum, & Papam saperet, si prout illius postrema verba sonant, intelligeretur, Quę de Papa dicit Ennodius, de se Papa non dicit. [Ennodium, dum ista scripsit, addit fuisse iuuenem, & prosequitur: [Quinta Romana Synodus, cum hoc prospiceret, Ennodij honori consulere voluit, atque vt consuleret, Ennodij libellum probando suum fecit. Et ita noluit, vt Ennodij libello plus fidei, quàm sibi tribueretur.] Vt suæ cogitationes aduersùs Romanum Episcopum valeant, adfirmat, & Ennodium à vero, & pro Ennodij honore Synodum ab æquo, & recto deuiasse.

Respondeo hæc Commentaria patenter extrauagari. Reuera enim nullis Commentarijs, sed solis oculis eget Synodi aduersùs sui factam à Rege conuocationem intercessio: [Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare, scientes, quia eius Sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deindè secuta iussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in ecclesijs tradidit potestatem, nec antedictæ sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio in propositione

sitione simili, facilè forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significauit.] Et à Clero, & à populo de vario crimine accusatus Symmachus est imitatus suos Antecessores, sanctum Syluestrum, & Damasum. De quorum priori Romana posterior Synodus scripsit ad Imperatores Gratianum, ac Valentinianum secundum: [Frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne iudicij, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogatiua tamen Sedis Apostolicæ excellit, vt publicis iudicijs videantur esse subiecti, quibus Sacerdotale caput lex vestra submouit. In quo post sententiam non videtur declinare iudicium, sed delatam à vobis honorificentiam flagitare. Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse vita munitior, quàm vestra clementia, qua munitur, iudicata? Quod verò ad prædicandam episcopi conscientiam seuerioribus se dedit ipse iudicijs Sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam motum vita pensatur, ne quis iterùm calumniator existens, dum memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit, Religioni tamen fiat iniuria in vexationibus Ministrorum; accipite aliud quoque quòd vir sanctus magis vestræ conferre Pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed Principibus adrogare. Quoniam non nouum aliquid petit, sed sequitur exempla Maiorum. Vt Episcopus Romanus, si Concilio eius causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam, & Syluester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est.] An Clericorum à laico Tribunali exemptio sit Diuini iuris, est longa quæstio: Interim in ipsa Nicæna Synodo aduersarij episcopi non apud ipsam, sed apud Constantinum Imperatorem sese mutuò datis libellis accusauerunt. Vtique non de ecclesiasticis, sed de ciuilibus criminibus. Hinc enim dum libellos exureret Princeps, reposuit se malle adulterum episcopum tegere propria chlamyde, quàm indicare. Et certè de ecclesiasticis aduersùs Cæcilianum Carthaginensem Episcopum criminibus interpellantes Donatistas est detestatus, nec nisi in tertia instantia compulsus, & inuitus audiuit. Quin, & christianorum persecutor Aurelianus Augustus de similibus aduersùs Antiochenam Synodum criminibus interpellantem Paulum Samosatenum Antiochiæ Patriarcham remisit ad Episcopum Romanum. Etiam Iudæis sancti Pauli Apostoli prædicationem de turbulentia accusantibus respondit Gallio Achaiæ Proconsul: [Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, rectè vos sustinerem, si verò quæstiones sint de verbo, & nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis. Iudex ego horum nolo esse.] Hisce ergò causis, nec Christiani, nec Gentiles Romanorum Principes, aut Iudices vmquam se miscuerunt. Nostra quoad publica crimina exemptio à Constantini tempore habuit variam formam, & in Theodosiano codice exstat famosa lex Gratiani, & Valentiniani secundi: [Qui mos est causarum ciuilium, idem in negotijs ecclesiasticis obtinendus est, vt si quæ sunt ex quibusdam dissensionibus, leuibusque delictis ad Religionis obseruantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur. Exceptis, quæ actio criminalis ab ordinarijs, extraordinarijsque Iudicibus, aut illustribus potestatibus audienda constituit.] Ecclesiastica omnia, ac leuiora ciuilia per Prouinciarum, aut Diœcesium Synodos, publica crimina per publicos, ordinarios, aut delegatos Iudices audiri mandat, atque puniri. Schismatica Vrsicini factio sancti Damasi electionem publica seditione, ac varijs in ecclesia cædibus maculauerat, & illa in ipsum accusando transcripserat, addens, & adulterij calumniam: [Ita qui in omnes Iudex erat constitutus, compulsus fuit causam dicere.] Verùm quòd supremum christianitatis caput sub Romani Imperij Ministris humiliari non deceret, dixit illam coram ipso Augusto Principe Valentiniano seniori, & demonstrata innocentia fuit absolutus. Eamdem enim reuerentiam passo calumnias sancto Syluestro detulerat Magnus Constantinus. Quòd à nulla Synodo iudicari possent, nec de publicis criminibus fætere nomen suum vellent Romani Episcopi, Augustæ cognitioni Diuina sui Primatus priuilegia libenter supposuerunt. Augustæ conferre pietati, quàm sibi præstare, & quàm derogare cuiquam, maluerunt Principi adrogare. Quare iteratas à schismaticis calumnias passus, & ad publica iudicia postulatus laudatus Damasus, totius Italiæ contraxit Synodum, per ipsam Gratiano, ac Valentiniano supplicauit Apostolicam Sedem non humiliari ad publica iudicia, sed suam rursum in Imperiali Concilio demonstrare innocentiam, quam & olim aduersùm eosdem calumniatores demonstrasset apud parentem ipsorum, & quam modò seuerioribus Sacerdotum iudicijs discutiendam ipse dedisset. Hoc est, qui se ab omni ecclesiastico iudicio exemptum submisisset propriæ Synodo. Quam regulam placuisse etiam Regi Theodorico, lucet ex hoc eius rescripto: [Si mihi visum fuisset, aut iustitia habuisset, vt ego debuissem audire cum Proceribus Palatij mei, potueram tractare quomodo, & Deo placuisset, & posteritati ingratum non fuisset. Sed quia causa est Dei, & clericorum, ideò modò ad petitionem Senatus, vel Cleri ex diuersis Ciuitatibus iussi conuenire Antistites.] Nempè Hæretico Regi credere se noluit Pontifex, Innocentiæ suæ Iudicem postulauit Synodum, & Rex indixit. Verùm aduersùs hæc sua exordia intercessit ipsa Synodus, protestata se non à Rege, sed à Pontifice fuisse indicendam, & ipsum minorum iudicio numquam subiacuisse. Lucidè excipit aduersùs semetipsam: Protestatur se minorem, adeòque sibi non esse personam Pontificis iudicandi. Etenim non œcumenica, imò, nec plena Patriarchalis, sed solius Italiæ erat hæc Synodus, de qua ad secundam suam Romanam Synodum dixit Fœlix tertius: [Quoties intra Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, vt successor Præsulem Sedis Apostolicæ ex persona cuncto-

Marginal notes: Epist. 3. — Act. 18. — Lib. 16. tit. 2 cap. 23.

cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta sollicitudinem sibi ecclesiarum omnium competentem, cuncta constituat, qui est caput omnium. Domino ad beatum Petrum Apostolum dicente, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Quam vocem sequentes trecenti decem, & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.] Vtique confirmationem, atque auctoritatem omnium agendorum in Patriarchali Synodo. Etenim in hac Romanus eam ipsam habuit potestatem, quam in sua Alexandrinus episcopus, sine cuius assensu, nec diuisim, nec collectim sumpti episcopi adeò nihil potuerunt definire, vt nec Chalcedonensi Synodo potuerint subscribere. Et hanc à Meletio læsam dignitatem reparans Nicæna Synodus, in exemplar dedit Romanum Patriarcham: [Quia & vrbis Romæ parilis mos est.] Et hinc ad Eutychetem Hæresiarcham, de sancti Flauiani Constantinopolitani episcopi dato in se Synodali damnationis iudicio queritantem, & auxilia supplicantem, rescripsit sanctus Petrus Chrysologus Rauennæ Archiepiscopus: [Nos pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi, fidei causas audire non possumus.] Quod nempè in eius Synodo consilium dumtaxat haberent episcopi, non decisiuum suffragium. Quin hæc Synodus pleno iure subsit Pontifici, nullus vmquam dubitauit: Ità suprà audiuimus à Nicolao Cardinali Cusano. Hinc ergò in Symmachi Pontificis causa meritò excepit aduersùs semetipsam Romana, non totiùs Diœceseos, sed solius Italiæ Synodus: Hinc illi Pontifex [dedit corrigendi ordinis auctoritatem, cessit canonibus, purgationis affectu humiliauit suum culmen, priuilegia sua voluntati Regiæ submisit, & dedit auctoritati Synodi.] Per hanc cessionem acta sua etiam Rex excusauit. Et de Pontifice, dum ante iudicij ingressum reuestiri spoliatus, & intrusum Romanæ Ecclesiæ Visitatorem auferri postulauit, Synodus ad Regem retulit: [Nobis quid possimus facere, non remansit. Nec inuitum ad disceptationem nostram adducere possumus. Ipsi per Canones appellationes omnium episcoporum commissæ sunt: Et cùm ipse appellat, ecquid faciendum? Nec in absentem valemus ferre sententiam, nec in contumacis locum deputare, qui se Iudicibus occurrisse proclamat. Maximè quia noua res Pontificem Sedis istius apud nos audiri. Nullum constat exemplum.] Quòd iudicium, licèt spontè à Pontifice delatum, excutere sit omnibus modis conata Synodus, demonstrant hæc sæpius iterata Regalium ad ipsam rescriptorum verba: [Si vobis visum fuerit sine discussione causam finire, aut discussam, aut indiscussam, quemadmodum visum fuerit, iudicate. Meam personam nolite metuere: Reddite rationem ante conspectum Dei. Tantùm est vt Senatum, clerum, & populum pacificum dimittatis, & quod iudicaueritis, scribatis. Nos autem hoc probabimus vos bene ordinare, si populo, Senatui, clero pacem integram reddatis.] Ficta in Symmachum criminatio Romanam vrbem turbis compleuerat, his componendis Rex coegerat Synodum, exemptum personæ suæ culmen Pontifex ei submiserat, & ipsa resarciendæ pacis mediationem assumere erat parata, verùm de Apostolico capite sententiam dicere penitus detrectabat, clamans nullum constare exemplum. Et quidem Rex ex causis malebat sententiam, se tamen timeri, aut sibi deferri noluit, paratus ad omne Synodi placitum, dummodo alma ciuitas pacificaretur. Et hinc Pontificis innocentiam summariè audiuit Synodus, & eius definitionem Laurentius Mediolanensis & omnes cum illo episcopi expresserunt hocce suffragio: [Huic Statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsi.] Quòd nempè Romanus Episcopus à solo Deo sit iudicandus. Omnia enim huc spectantia non in Romanum Clerum, aut populum, sed manifestè in semetipsam iam suprà dixit Synodus: Item & sanctus Auitus. Verborum fulgor excedit lucem meridianam. Et cuiuscumque ætatis tunc fuerit Ennodius, eius libellum Synodus lucidè recepit in canonem. Verùm hæc omnia non faciunt ad præsentem quæstionem. Nec enim totius Ecclesiæ, sed solius Italiæ fuit hæc Synodus, qua certum est Pontificem esse superiorem, ideòque ab ipsa non posse iudicari. Hac vnica exceptione Ioannes Launoius potuerat tot friuola euadere somnia.

Eadem est ratio illius Romanæ Synodi, quæ per Ottonem Primum Imperatorem extrusit Ioannē duodecimum. Eam in literis ad Ludouicum Marcsium eruditè discutit Ioannes Launoius, ostendit extrusionem placuisse Ecclesiæ, & Ioannem numquam Papatui fuisse restitutum. Est res longi examinis. Quidquid sit, longè aliter de ista extrusione scribit Illustrissimus Dominus Petrus de Marca: [Non sine ratione inter Dictata Gregorij Septimi, hoc etiam caput circumfertur, quòd Papa à nemine iudicari debeat. Adeò vt omninò cum Illustrissimo Baronio consentiam Ioannis Duodecimi exauthorationem ab Ottone Imperatore, & Synodo Romana tentatam, cuius acta exstant apud Luitprandum, nullius fuisse momenti.] Lib. I. c. II. Aliter in libro de Imperij translatione respondit Marsilius Patauinus, Ioannis Pontificis cum Berengario Italiæ Tyranno lites memorans, & pergens: [Cæpit Berengarius in Italia dominari, & Romana Ecclesia persecutionibus vrgentibus vacillare, tum quia dictus Tyrannus eamdem molestabat, tum quia Ecclesiæ non verus Pastor, sed mercenarius præerat, Ioannes videlicèt Alberici filius, vt tradit Robertus Cremonensis episcopus, magnus Historiarum Scriptor: Vnde Cardinales ex communi concordia scripserunt Ottoni Duci Saxoniæ, qui vir magnæ potentiæ dominabatur super vniuersam Alemanniam. Qui religiosus erat, & ad Dei Ecclesiam deuotus. Huius ergò Principis Cardinales auxilium implorarunt, vt Ecclesiam Romanam protegeret, atque iuuaret. Qui magnum parans exercitum, in Italiam transmisit, & cum Berengario pugnauit, ipsumque cum eius exercitu in exilium misit. Postmodum verò Romam pergens, Concilium Cardinalium congregauit, Cap. 10.

&

& de ipsorum consilio noscens Papam incorrigibilem, monuit vt Papatui renuntiaret. Quem induratum in castro sancti Angeli violenter inclusit, & Papatui ipsum renunciare coegit. Et tunc factus est Romanæ Ecclesiæ Pastor Leo octauus.] Quis ignoret Marsilium Patauinum fuisse iuratum Apostolicæ dignitatis hostem? Et tamen Ioannem Pontificem adfirmat, non degradatum, sed renunciare violenter compulsum: Quòd nempè omnia elementa clament Romanum Episcopum esse Italica Synodo per omnia superiorem. Et certè Ecclesiam pessimis moribus non solummodò scandalizabat, sed omninò deuastabat Ioannes: Erat insuper intrusus violentia Laica, & non tantùm ex Laico, sed etiam ex puero contra fundamentales paternæ disciplinæ Canones in Episcopum consecratus. Hinc non degradari ipsum oportuit, sed intrusum dumtaxat extrudi, vti olim factum fuerat Laico Constantino. Eamdem sententiam in opere de Papali, & Regia potestate tuetur pertinax Philippi Pulchri Francorum Regis aduersùs Bonifacium Octauum Pontificem defensor Ioannes de Parisijs. Et vt sibi ipsi cohæreat, addit similem extrusionem fieri posse non solùm ab Italica Synodo, sed etiam à Collegio Cardinalium. Eodem iure affirmat Gregorium Sextum fuisse extrusum à coacta per Henricum Tertium Imperatorem Synodo. Et certè dum intrusio est manifesta, vera esse possit ista opinio. Ita enim Simoniacè intrusum Pontificem tractari iussit Iulij Secundi Synodus Lateranensis.

Cap. 14.15. 24.

Sess. 5.

Dico, [Dum intrusio est manifesta.] Etenim de laudato Sexto Gregorio, quem ob non plenè lucidum Simoniaci ingressus vitium extruserat dictus Imperator Henricus, dum defuncto Clementi Secundo nouum Pontificem promouere pararet idem Princeps, scripsit Vvazo Leodiensis Episcopus: [Recogitet Serenitas vestra, ne fortè Sedes Summi Pontificis, iniustè à quibus non debuit depositi, ipsi Diuinitùs sit reseruata, cum is, quem vice eius inthronizastis, vita decedens priori adhuc superstiti restituendam reliquerit. Et quoniam vobis complacuit nostram super his efflagitare sententiam, liceat, quæso, pace vestra, omnium ecclesiasticorum Doctorum sententijs instructo, proferre quod iustius esse perspexero. Cum enim Iudæ traditoris loco legamus Apostolos absque vlla sęculari potentia Matthiam Apostolum ordinasse, credimus hoc exemplo, per Ecclesiasticos Ministros, absq; seculari potentia, electiones, & promotiones Apostolicorum fieri debere. Sed & hoc liceat audacter protestari, electionem Apostolicam, seu promotionem ecclesiastico ritu legitimè celebratam, ordinatione diuina constare muniri. Quapropter vt vestræ saluti pariter, & honestati congruum vobis præbeamus consilium, desinat Sublimitas vestra huic, qui superstes est, alium superordinare Pontificem, ne repugnare videamini ordinationi diuinæ: Quia contestantibus, tam Diuinis Legibus, quàm Ecclesiasticis Decretis, à nemine, nisi à solo Deo iudicari debet Petri Vicarius.] Exstat epistola apud Anselmum eiusdem Ecclesiæ Canonicum. Hic est illę magnus Episcopus Vvazo, cui fuit meritò scriptum hoc epitaphium: [Ante ruet mundus, quàm surgat Vvazo Secundus.] Lucidè profitetur Romanum Episcopum, nec ab Italica, nec ab Oecumenica Synodo iudicari posse, sed à solo Deo: Et ita contestari, tam Diuinas Leges, quàm ecclesiastica Decreta. Nec fuit Romanæ Curiæ adulator.

C. 106.

Exponitur palmare fundamentum, ex quo aliqui Romanum Pontificem credunt generali Concilio subiectum.

Fundamentum hoc exponit in data Eugenij Quarti Legatis Responsione Basileensis Synodus: [Qualecumque nomen dignitatis, aut potestatis de Papa scriptum inuenitur, ad particulares quoscumque homines, & singulares Ecclesiasticos referendum est, non supra vniuersalem Ecclesiam, ita vt potiùs Papa Ecclesiæ, quàm Ecclesia tota Papæ obedire cogatur. Nam etsi Papa maior sit in Ecclesia, non tamen maior est tota Ecclesia. Vni autem quare dictum sit, *Tibi dabo Claues Regni Cælorum*, sancti Doctores exponunt, vt vnitatem designaret Ecclesiæ. Et ideò ab vnitate exordium proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna esse demonstraretur. Et Petrus, quando claues accepit, vt dicit Augustinus, Ecclesiam significauit.] Loquitur cum Ioannis Gersonis opusculo de potestate Ecclesiastica, qui Ecclesiasticam potestatem non immediatè Petro, aut eius in Romano Episcopatu Successoribus datam affirmat à Christo Domino, sed vniuersali Ecclesiæ, & probat ex hoc eiusdem Domini verbo: Si peccans in te frater te non audierit, dic Ecclesiæ. Papam affirmat inter fratres numerandum, nec intelligendum in nomine Ecclesiæ. [Quoniam Christus Petro loquebatur, qui non dixisset sibi ipsi.] Et prosequitur: [Concluditur ex præmissis, quòd si potestas prædicta sit data Ecclesię, Concilium generale repræsentans Ecclesiam habet illam. Immò videtur quòd Ecclesia, vt sparsim considerata non habet illam potestatem, nisi in quodam materiali suo potentiali, sed congregatio sua, & vnitio, quæ fit in Concilio generali, dat ei formam, sicut in alijs communitatibus exemplum dari potest. Et fundatur prędicta potestas Ecclesiastica iurisdictionis in vnitate, vel vnione tali, quemadmodum notasse videtur eleuatus Augustinus, quòd claues Ecclesiæ datæ sunt vnitati. Verumtamen hoc non impedit, quin datæ sint Petro tamquam Monarchæ, legitimisque successoribus suis: Principaliter tamen Ecclesię. Primò, ratione indeuiabilitatis: Quia portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam. Nec deficiet fides eius. Non sic de Papa. Secundò, ratione regulabilitatis. Quoniam habet regularem vsum potestatis Papalis. Non sic conuerso.] Adducit, & alias rationes. Et huic fundamento inniti adfirmat Decreta, quibus Papam subesse Concilio definiuit Synodus Constantiensis. Si tamen definiuit.

Epist. 3.

Consid. 4.

Eamdem sententiam probat, & multis

patrum restimoniis firmare studet in epistola ad Christophorum Fauuæum, ac præsertim in epistola ad Adrianum Vallantium Ioannes Launoius. Verùm an toti sparsim Ecclesiæ, an potiùs ipsam repræsentanti generali Concilio velit proximè datas Regni cœlestis claues, non possim certus affirmare. Sensum suum lucidè non exponit. Ne sit Cadmæus frater, consonare debet suo Cancellario. Et certè adductum eius à nobis locum etiam ipse laudat, & adducit. Verba tamen, quæ claues non toti sparsim Ecclesiæ, sed soli generali Synodo volunt immediatè datas, prætermisit. Quidquid sit, proximum ecclesiasticę potestatis subiectum vult Ecclesiam, Petrum Apostolum, & eius successores esse dumtaxat subiectum mediatum, qui ipsam exerceant nomine Ecclesiæ, tamquam Vicarij Ministri, ideòque & huic pleno iure subijciantur. Conglomeratis sanctorum Patrum, Deum Patrem, & Ecclesiam Matrem laudantium, testimonijs fatigat Lectorem: Pleraque enim ad rem non faciunt. Dumtaxat quædam Tertulliani, sancti Optati, & sancti Augustini loca elucidabo.

Et quidem Tertulliani loca ipsi palàm aduersantur. Primus est in libro Scorpiacees
Cap. 10. [Nam etsi adhuc clausum putas Cœlum, memento claues hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse. Quas hic vnusquisque interrogatus, atque confessus feret secum.] Quis non videat claues immediatè Petro, Ecclesiæ dumtaxat mediatè adscribi? Adducit, & locum ex libro de Pudicitia, vbi generalem quorumuis peccatorum remittendorum potestatem impugnat lapsus ad Montanum Tertullianus, ac prosequitur ad-
Cap. 21. uersùm Catholicos: [De tua nunc sententia quæro, vndè hoc ius Ecclesiæ vsurpes? Si quia dixit Petro Dominus, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Tibi dedi claues Regni cœlestis, vel quæcumque alligaueris, vel solueris in terra, erunt alligata, & soluta in cœlis, idcircò præsumis, & ad te deriuasse soluendi, & alligandi potestatem, idest, ad omnem Ecclesiam Petri propinquam qualis es euertens, atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem? Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues, non Ecclesiæ. Et quæcumque solueris, vel alligaueris, non quæcumque soluerint, vel alligauerint. Sic enim, & exitus docuit. In ipso Ecclesia exstructa est, idest, per ipsum: Ipse clauem imbuit. Audi Ioannis Launoij Commentarium: Tertullianus sententiam priorem reuocat, vt incommodet Romano Episcopo, qui mæchis veniam esse concedendam edixerat.] Respondeo omninò reuocari priorem sententiam: Verùm non illam, quę claues asserit immediatè datas Ecclesiæ. Quod ipsas Petrus immediatè accepisset, & Catholica Ecclesia palàm profitebatur, ac etiam Montani factio: Omnis quæstio erat de traduce. Catholica communio asserebat datas cum iure traducis in omnem Petro propinquam Ecclesiam, seu in omnes Orthodoxos sub cælo Episcopos; Montani factio, Ioanni Caluino consentiens, ipsas ligabat ad solam Petri personam: Hinc blaterabat ipsi soli datas, non Ecclesiæ. Quin ergo Petrus foret proximum clauium subiectum, nemo tunc dubitabat Hæreticus, aut Orthodoxus.

Ioannes Launoius adducit, & hunc locum ex exhortatorio ad castitatem libro: [Sed Christo seruabatur, sicut in cæteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Indè igitur apud nos pleniùs, atque instructiùs præscribitur, vnius matrimonij esse oportere, qui C. 7.
alleguntur in ordinem Sacerdotalem. Vsque adeò quosdam memini Bigamos loco deiectos. Sed dices, ergò cæteris licet, quos excipit. Vani erimus, si putauerimus, quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere. Nonne, & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo, & Patri fecit. Differentiam inter Ordinem, & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consensum sanctificatus. Adeò vbi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus. Sed vbi tres, Ecclesia est, licèt Laici: Vnusquisque enim sua fide viuit, nec est personarum acceptio apud Deum. Igitur si habes ius Sacerdotis in temetipso vbi necesse est, habeas oportet disciplinam Sacerdotis, vbi necesse sit habere ius Sacerdotis.] Respondeo testimoniũ istud esse insigniter firmũ, ac Orthodoxum. Etenim lapsus ad Montanum Tertullianus istic dogmatizat pessimum errorem, aduersùs quem antea scripserat in libro Præscriptionum: [Hæreticorum ordinationes temerariæ, leues, inconstantes. Alius hodiè Episcopus, cras alius. Hodiè Diaconus, qui cras Lector. Hodiè Presby- C. 41.
ter, qui cras Laicus. Nam, & Laicis Sacerdotalia munera iniungunt. Apostolico Canone, mandante Episcopum, ac Diaconum esse vnius vxoris virum, adfirmat non hosce solos, sed omnes adstringi fideles, atque ita secundas nuptias esse omnibus æqualiter interdictas. Etiam ad alias omnes, quas in Episcopo requirit Apostolus, virtutes cunctum æqualiter adstringi Christianum censet C. 12.
in libro de Monogamia. Omnibus enim Christianis, licèt non exercitium, tamen vult esse ius Sacerdotij, eò quòd Christus Dominus omnes nos, & Reges, & Sacerdotes fecerit, & Cleri à plebe discrimen sit dumtaxat per Ecclesiæ auctoritatem, & altiorem in publica Synaxi consessum. Episcopos, & omnem Clerum docet non esse aliud, quàm illos quibus ad scandalum, & confusionem vitandam quæuis Ecclesia demandarit sacrificij, & omnis alterius sacri Ministerij functionem, & eius causa honoratiorem in Ecclesia locum. Et hinc fidelem omnem, dum solus in deserto, aut inter infideles degit, existimat sibi ipsi esse Sacerdotem, posseque tingere, immò, & sacrificare. Addit tres sufficere ad Ecclesiam, ideòque illic omnes non posse ministrare, sed vnum ad id eligendum. De Doctore hoc scribit in Hæreticorum Catalogo sanctus Augustinus: [Tertullianus transiens ad Cataphryges, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias damnare, & postmodum etiam ab ipsis diuisus sua conuenticula propagauit.] Et hinc cunctos errores istos an ipse sibi finxerit, an à Montanistis hauserit, non plenè constat. Sanctus Epiphanius, Philastrius, Hieronymus, ac Augu-

gustinus affirmant quidem à Montanistis etiam fœminas fuisse donatas Sacerdotio, quod autem omnem Christianum asseuerauerint Sacerdotem, vsque huc non legi. Quidquid sit, fuerunt tunc, nescio qui tales Errores. Et ipsos secutus est etiam Pseudomonachus Zachæus, de quo in Catholicæ fidei expositione laudatus Epiphanius: [Zachæus nuper in Montana regione ad Hierosolymam mortuus est, qui cum nemine vmquam
C. 13. precandi communione coniungi se passus est. Immò verò ex eodem Instituto Diuina Mysteria, cum Laicus esset, attingere, ac sacrificia celebrare nefario, ac temerario ausu est aggressus.] Et alios eiusmodi commemorat. Cuius farinę videntur fuisse etiam Messaliani, seu Enthusiastæ: Quod enim sacros ordines, licèt susciperent, contemnerent tamen, & sine ipsis Sacerdotalia exercerent, testantur laudatus Epiphanius, sanctus Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, ac præsertim sanctus Ioannes Damascenus. Et ex hisce Magistris Martinus Lutherus, ac Ioannes Caluinus didicerunt omne Ecclesiasticæ ordinationis Sacramentum blasphemare, & Christiani Sacerdotij ius non solùm viris, sed etiam fœminis adscribere. Quod tamen semper exhorruit etiam Montanista Tertullianus. Et hæc forsan fuit vna ex caussis, cur suum ab illis Altare, & Conuenticulum separauerit. Quidquid sit, lucet præsentem locum esse indignum, qui à Catholico Doctore adducatur.

Ipsum tamen adiuuare videtur historia illa, quam in prato spirituali refert sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. Laicus quidam Monachus Eucharisticas benedictiones, seu in Eucharistiam consecrandos panes transferens de Monasterio ad Ecclesiam, sanctæ oblationis verba super ipsis quasi versus aliquos in via decantauit. At ecce postmodum consecrari non potuerunt
C. 23. per Sacerdotem, consultaque Diuina clementia respondit per Angelum: [Quoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ iam, ac perfectæ sunt. Pergit Sophronius: Ex tunc statuit Monachorum Senior, vt nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quisquam diceret quocumque tempore absque loco consecrato. Et in animæ Gemma scribit Honorius Augustodunensis: Fertur, dum Canon primitùs quotidie publicè recitaretur, quod ab omnibus per vsum sciretur, & cum eum Pastores in agro super panem, & vinum dicerent, repente carnem, & sanguinem ante se inuenirent, atque inde Diuinitus percussi interirent. Vnde synodali Decreto sub anathemate præceptum est,] vt Canon deinceps diceretur secretò, atque ita mystica illa verba à populo non audirentur. Quod ipsum adfirmat apud Alcuinum Flaccum libet de Diuinis Officijs, addens sacrosancta illa verba, dum Canon olim alta voce dice-
C. 40. retur, passim per vicos, & plateas fuisse can-
Lib. 3. c. 1. tata à populis, atque ita non parum viluisse.
C. 7. Refert, & Innocentius tertius in libris de sacrificio Missæ, ac item in Ecclesiæ Speculo Hugo de sancto Victore, adiungens in opere de Sacramentis: [Quidam existimant verba illa, quæ ad conficiendam Eucharistiam instituta sunt, à quacumque persona, siue in quocumq; loco, & qualicumq; intentione loco, super panē & vinum prolata, effectum consecra-
tionis, & sanctificationis habere.] Etiā de ne- Part. 6. c. 13.
scio quibus sui sæculi Doctoribus scribit ad Leudonem Presbyterum S. Iuo Carnutensis Episcopus: [Dicunt quascumque personas, etiam sacrum Ordinem non habentes, verba Dominica proferentes, Sacramenta altaris, & cætera Ecclesiastica Sacramenta posse conficere, & salubriter accipientibus ministrare.
] Ergo quod quiuis fidelis, licèt non exerci- Epist. 63.
tio, & functione, & iure tamen, & radicali consecratione, cui quæuis sacra Ministeria possint iniungi, sit Sacerdos, est antiqua Catholicorum Doctorum sententia, adeòque ex ista aduersùm Hæreticos non potest præscribi.

Respondeo Doctores istos ab Hugone Victorino imperitos, à sancto Iuone vocari simplices, immò forsan, & duplices, & qui nesciant de quibus negent, vel adfirment. Videntur fuisse Petri Brussij, & totius Sacramentariæ hæresis Præcursores: Vnde, & Sacerdotij Sacramentum, ac necessitatem aduersùm illos laudatus Iuo insigniter, & acriter confirmat. Factam ad rusticorum verba consecrationem, non verborum virtuti, sed Diuino temeritatem vindicanti miraculo assignant Alcuinus, Honorius Augustodunensis, Victorinus Hugo, ac Pontifex Innocentius. Et omnes addunt, Fertur, aut Dicitur, quod non sit res authentica. Sancti Sophronij relatio videtur authentica: Fuisse extraordinariam ipse etiam affirmat. Quidquid sit, exinde lucet etiam à Græca olim Ecclesia Eucharistiam, non per nescio quas hodiè à Photianis Schismaticis laudatas preces, sed per solemnia Christi Domini verba fuisse consecratam. Quod ipsum lucidè demonstrari possit ex sancto Ioanne Chrysostomo. Cùr autem, & quando eadem verba, & omnem Missæ Canonem, quæ altè dudum dixit, secretò dicere cæperit Latina Ecclesia, non est huius loci.

Pergamus ad sancti Optati per Ioannem Launoium adducta testimonia: [Certa membra sua habet Ecclesia. Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros, & turbam fidelium. En Commentarium: Si Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Ministri, certa quædam sunt membra Ecclesię profectò ecclesia corpus est, quod per illa membra suos actus exercet. Respondeo hoc esse manifestum. Verùm vti visus, vel auditus non toti corpori, sed propter totum corpus solis oculis, & auribus, ita claues non toti Ecclesiæ, sed propter totam Ecclesiam datæ sunt soli cum suis Successoribus Apostolo Petro. Lucidè hoc tradit in alio per Ioannem Launoium adducto loco idem Optatus. Donatistæ habuerunt hanc regulam: [Si traditores sumus, quare nos quæritis, & recipitis? Errarunt Ecclesiam in pręsenti etiam sæculo esse sine macula, & ruga, ideòque traditores non posse sine totius Communionis contagio, & Ecclesiæ interitu intromitti. Nec de sola traditione, sed de quouis grauioris crimine videntur idem sensisse. Etenim ipsorum vniuersalis apud Cauernas Susis celebrata syno-

 dus

dus damnauit proprium Primatem Primianum, [quod incœstos contra legem, decretaque omnium Sacerdotum sanctæ Communioni adiunxisset. Nempè contra hanc Donati Regulam: Quales fuerint, cum quibus fuerit communicatum, tales fiunt omnes, & vniuersa massa. Damnarunt Primianum, quòd totam Donati partē fecisset incœstam.] Ita habes apud sanctum Augustinum in secunda Concione super Psalmum trigesimum sextum. Est Montanistarum, ac Nouatianensium error. Et ipsum ex facto ipsius Domini, qui non sacrorum codicum, aut vasorum traditori; sed sui Magistri Dei negatori Petro non solùm communionem credidit, ac Apostolatum, sed insuper cælestis Regni claues tradidit, reuincit sanctus Optatus: [Grauiùs est negare eum, qui locutus sit, quàm tradidisse verba, quæ locutus sit. Et cum hæc ita scripta sint, tamen bono vnitatis beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negauit, solam veniam consequeretur, & præferri cæteris Apostolis meruit, & claues Regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit. Et infrà: Cæteris Apostolis nec semel negantibus Petrus ter solus negauit. Lib. 7. Et tamen bono vnitatis de numero Apostolorum separari non meruit. Vnde intelligitur omnia ordinata esse prouidentia Saluatoris, vt ipse acciperet claues. Stant toti innocentes, & peccator accipit claues. De Donatistis, etiam ad sanctum Optatum in Carthaginensi collatione prouocantibus, scribit in libro post eamdem collationem S. Augustinus: [Quæ lectio cum magis contra eos recitaretur, nemo risum potuit continere. C. 31. Quod ipsum euenisse video Ioanni Launoio. Etenim sacras Cœlestis Regni claues non toti Ecclesiæ, sed soli Petro datas adeò profitetur sanctus Optatus, vt lucidè pronunciet: [Communicandas cæteris solus accepit.] Adfirmat nequidem alijs, licèt fundamentalibus Ecclesiæ membris, Apostolis, sed soli Petro datas, & istis, & ipsorum vsque ad sæculi finem Successoribus per illum communicandas. In anniuersarijs de sua consecratione sermonibus insigniter id firmat Magnus Leo: Serm. 3. [Magnum, & mirabile huic viro, vtique Petro Apostolo, consortium potentiæ suæ tribuit Diuina dignatio. Et si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negauit. Et infrà: In Petro omnium fortitudo munitur, & Diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Quocircæ claues non Petrus per Ecclesiam, aut generalem synodum, sed Ecclesia, & synodi acceperunt vsque huc, ac semper accipient per Petrum. Quod ipsum Optatus tradit in primo libro: [Hæretici non habent claues, quas solus Petrus accepit.] Et in secundo libro laudat Romanam Petri Cathedram, & prosequitur: [In qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Est singularis, & vna, non quod vnica sit, sed quod ab ipsa omnes pendeant, & in ipsa vniantur, vti rami in radice, in fonte riui, & radij in sole: Quod ipsa sit per Christum in Petro plantata radix totius Ecclesiasticæ potestatis.

Et hinc Basileense Concilium, ac Ioannes Gerson pro errore suo non Tertullianum, sanctum Optatum, aut alium Ecclesiæ Patrem, sed sanctum dumtaxat Augustinum meritò adduxerunt. Ex hoc enim solo extrahi possit quis istius erroris fucus. Et nonnisi fucus. Augustinus ergo ad Generosum hæc scribit: [Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et in libro de Agone Christiano: Non sine causa inter omnes Apostolos Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim Ecclesiæ claues Regni Cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur. Amas me, pasce oues meas.] Et in libris de Baptismo laudat Domini ad Apostolos verba, [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, [atque exponit. [Ergo si personam Apostoli gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tamquam ipsi Ecclesiæ diceretur, pax Ecclesiæ dimittit peccata.] In trigesimi Psalmi Commentatio laudat Diuina ad Petrum verba, [Macta, & manduca,] & prosequitur: [Hoc agit Ecclesia per Sanctos. Esurit, quos lucrari vult, & quos lucrata fuerit aliquo modo, manducat quodammodo. Cuius personam gerebat Petrus, quando ei de Cœlo submissus est discus plenus omnibus animalibus, quadrupedibus, reptilibus, & volatilibus. Quibus generibus omnes gentes significantur. Præfigurabat Dominus Ecclesiam, quòd omnes gentes erat transuoratura, & in corpus suum conuersura, & ait Petro: Macta, & manduca. O Ecclesia, hoc est, ò Petre, quia super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Macta, & manduca.] Et ad Psalmum centesimum octauum: [Sicut quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter Primatum, quem in Discipulis habuit, sicuti est, Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & si quæ huiusmodi; ita Iudas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Iudæorum &c. Etiā in quinquagesimo Tractatu super S. Ioannis Euangelium pergit de Iuda: [Vnus malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorū, immò corpus ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues Regni Cœlorum, Quæcumque solueris in terra, erunt soluta in Cœlo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc ecclesia: Si autem, & in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit. Si in Petri persona significati sunt in ecclesia boni, in Iudæ persona significati sunt in Ecclesia mali. Ipsis dictum est: Me autem non semper habebitis.] Et in Tractatu centesimo vigesimo quarto: [Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus,

Ep. 165. Cap. 30. Lib. 3. c. 18.

nus, abundantiore gratia vnus, idemque primus Apostolus: sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis, vniuersam significabat ecclesiam, quæ in hoc sæculo diuersis tentationibus velut tempestatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super Petram, vnde Petrus nomen accepit. Ecclesia ergò, quæ fundatur in Christo, claues ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, idest, potestatem soluendi, ligandique peccata.] Et in sermone centesimo octauo de diuersis: [Inter Apostolos penè vbique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit, Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Has enim claues, non homo vnus, sed vnitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius vniuersitatis, & vnitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, Tibi trado, quod omnibus traditum est. Nàm vt noueritis Ecclesiam accepisse claues Regni Cœlorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis: Accipite Spiritum sanctum. Et continuò: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cuius tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claues pertinet, de quibus dictum est: quæ solueritis in terra, soluta erunt, & in Cœlo, & quæ ligaueritis in terra, ligata erunt, & in Cœlo. Sed hoc Petro dixit. Vt scias, quia Petrus vniuersæ Ecclesiæ personam tunc gerebat. Columba ligat, columba soluit, ædificium suprà Petram ligat, & soluit.] Eadem Augustinus tradit, ac repetit in plurimis locis. Tradere videtur sacras Cœlestis Regni claues non immediatè Petro, sed toti Ecclesiæ datas, & illum huius esse dumtaxat Vicarium, & executorem. Cap. 2.

Respondeo notanda esse hæc Augustini verba: [Columba ligat, columba soluit, ædificium supra Petram ligat, & soluit:] Etiam hæc: [Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claues Regni Cœlorum accepit in Petro.] Et hæc: [In Petri persona significantur boni in Ecclesia.] Supponunt, ac laudant varia vnius Ecclesiæ membra, quæ latiùs exponit in libris de Baptismo contra Donatistas: [Puto me non temerè dicere alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari suprà Petram, quæ vnica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula, & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum. Quæ domus etiam claues accepit, ac potestatem soluendi, atque ligandi. Hanc domum si quis corripientem, corrigentemque contempserit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus. Hæc domus etiam triticum dicitur, siue tricenum, siue sexagenum, siue centenum fructum adferens cum tolerantia. Hæc domus est in vasis aureis, atque argenteis, & lapidibus pretiosis, & lignis imputribilibus. Lib. 7. c. 51. Hæc quippè in bonis fidelibus est, & sanctis Dei seruis vbique dispersis, & spirituali vnitate deuinctis in eadem communione Sacramentorum, siue se facie nouerint, siue non nouerint. Alios autem ita dici esse in domo, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferę, pacificæque iustitiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumentis. Nam & istos esse in domo negare non possumus, Paulo Apostolo dicente: In magna domo non solùm aurea vasa sunt, vel argentea, sed & lignea, & fictilia, & alia quidem in honorem, alia in contumeliam.] Hæc contumeliæ vasa adfirmat [sic esse in domo per communionem Sacramentorum, vt extra domum sint per diuersitatem morum.] Et in libro de vnitate Ecclesiæ scribit: [Cum boni, & mali dent, & accipiant Baptismi Sacramentum, nec regenerati spiritaliter in corpus, & membra Christi coædificentur nisi boni, profectò in bonis est illa Ecclesia, cui dicitur, Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum. In his enim est, qui ædificant suprà petram.] Quam distinctionem laudat in pluribus locis, præsertim aduersùm Donatistas, ac Pelagianos. Ecclesia ergo, quæ claues accepit, non est vniuersa fidelium in legitimis Sacramentis communio, sed sola congregatio Iustorum, seu Sanctorum communio. Hæc sola est Dei domus, & templum, vnica columba, lilium inter spinas, verum triticum, hortus conclusus, fons signatus, Christi Domini sponsa, & corpus. Magnum istud corpus, sparsum per quatuor ventos, implens omnem mundum à mari vsque ad mare, & fines vniuersæ terræ. Quare corpus hoc non est in solo generali Concilio. Et in generali Concilio frequenter sedent, & præsidere possunt accipitres, seu criminosi Episcopi, quos certum est non spectare ad iam laudatam columbam, & sponsam, ideoque etiam laudatis clauibus in nullo participare. Et hinc Ioannes Gerson, dum ipsas non per mundum dispersæ, sed ad generalem Synodum contractæ sponsæ datas asserit, non habuit clauem Augustinianæ scientiæ, nec sancti Augustini mentem intellexit. Claues istas, nec soli generalium Synodorum Episcopi habent, nec cuncti. Istis, inquam, carent multi Episcopi, & multi ipsas habent Laici. Cap. 52. Cap. 21.

Christiana per baptismum Regeneratio, & quoduis Diuinum per omnia septem Sacramenta donum habet tres essentiales caussas: Operati in Sacramento operis virtutem, Initiandi fidem, & cum spe charitatem, ac influxum communionis Sanctorum. Etiam hunc asseuero essentialem. Etenim aduersùs Vincentium Rogatistatum in Mauritania Cartennensem Episcopum, volentem ex malorum communione contaminati, ac perire Ecclesiam, eiusmodi communionem fuisse toleratam à sancto etiam Cypriano demonstrat sanctus Augustinus, atque adiungit: [Si Sacramenta cum peccatoribus communicando perijt Ecclesia, quæ fuerat in orbe terrarum, iam priùs tota perierat, cum in eam sicut dicit Cyprianus, sine baptismo admittebãtur, ac sic nec ipse Cyprianus habebat in qua Ecclesia nasceretur; quantò magis multò posterior vester Auctor paterque, Donatus. Ep. 48. Et infrà: Prorsus secundùm Scripta Cypriani, si peccatis alienis in vnitate quis maculatur, iam ante Cyprianum perijt Ecclesia, L. 3. c. 2. nec erat vnde existeret ipse Cyprianus.] Et in libris aduersùs Parmenianum; Quid se Dona-

Donatistæ iactant, quòd habeant aliquam Ecclesiam, si iam illis temporibus esse desiit? Dicant vndè natus est Maiorinus, aut Donatus, vt per eos nascerentur Parmenianus,atque Primianus.] Et in libris de Baptismo: L.2.c.6. Si tali communione malorum pereunt iusti, iam Ecclesia temporibus Cypriani perierat. Vnde ergo exstitit origo Donati, vbi catechizatus est, vbi baptizatus, vbi ordinatus, quando iam ecclesiam contagio communionis exstinxerat? L.3.c.2. [Et in alio libro: Si tunc non erat ecclesia, quia sacrilegi Heretici sine baptismo recipiebantur, vnde Donatus apparuit? De qua terra germinauit? De quo mari emersit? De quo cœlo cecidit? Et rursùm: Si tunc perijt Ecclesia, quoniam L.5.c.1. plusquam quadraginta anni sunt inter Cypriani passionem, & Diuinorum codicum exustionem, vnde isti calumniarum suarum fumos iactantes, occasionem faciendi schismatis inuenerunt, sicut Consulum ordo declarat, restat, vt fateantur nulla malorum etiam cognitorum tali communione maculari vnitatem Christi.] Quia nempè tunc originem suam non possint ostendere. Et in Lib. 3. c.17. libris aduersùm Iulianum Pelagianistam; [Si Ecclesiam constuprauerint Manichæi, dic mihi Iuliane, quæ te peperit? Vtrumne casta, an verò meretrix in lucem, quam deseruisti, per vterum gratiæ spiritalis enixa est? An vt dogmata Pelagiana defendas, coniugis Christi, & matris tuæ viscera instinctu nefarij non erroris, sed furoris infamas?] Quod ipsum repetit in sexto libro de baptismo contra Donatistas, in libro de vnico baptismo contra Perilianum, in libro post collationem, in secundo libro contra Cresconium, in secundo libro contra Gaudentium, ac in alijs locis. Constanter docet in casum, quo periret sancta Ecclesia, seu Sanctorum communio, omnem Sacramentorum virtutem fore suspensam, & neminem deinceps posse etiam informiter baptizari, confirmari, vngi, aut ordinari. Adeò necessarius est Symbolo articulus, quo profitemur ecclesiam esse sanctam. Et vel ex hoc vnico fundamento Lutherani, & Caluinistæ discant Ecclesiæ sanctitatem, seu Sanctorum communionem exstingui non posse, aut interpolari. Nam, & in laudato libro de vnico baptismo scribit laudatus Augustinus de Donatistis:[Hoc dicere nullo modo audent.] Dicendo enim suos sanctos Patriarchas Maiorinum, ac Donatum non sola sanctitate, sed ipso etiam Baptismo, ac Episcopatu denudassent.

Etenim Sanctorum communione est illa Virgo Mater, ex cuius per Sacrosancta Iesu Christi Sacramenta fœcundato vtero Deus Pater sibi generat noui Testamenti filios, sui naturalis Vnigeniti in regno adoptiuos cohæredes. Est mater vniuersalis,atque immortalis, de qua in laudatis de baptismo libris Lib.1.c.16. idem Augustinus: [Quæ peperit Abel, & Enoch, & Noe, & Abraham, ipsa peperit, & Moysen, & Prophetas tempore posteriori, ante aduentum Domini. Et quæ istos, ipsa, & Apostolos, & Martyres nostros, & omnes, bonos Christianos.] Est per omnes locorum & temporum fines diffusa Mater Virgo, habens Virginis Sponsi iura coniugalia, per quæ omnem eius tenet, ac possidet potestatem. Quòd omnium ex aqua, & spiritu plenam Regenerationem, id est, & ipsam Sacramenti substantiam, & omnes eius effectus operetur, assiduè clamat Augustinus. Quod ipsum assiduè clamat de informiter, seu intra, seu extra Ecclesiam suscepti Sacramenti per veram cordis conuersionē reuiuiscentia. Et de peccatorum retentione scribit in ijsdem de baptismo libris: [Dum alicuius pec- L.6. c.4. cata tenentur, ab eis vtique tenentur, à quibus ille, cui tenentur, vitæ similitudine, & praui cordis auersione disiungitur.] Non à solo Sacerdote tenentur, sed à tota Matre Catholica, & casta illa columba, per cuius pios gemitus perficiuntur omnia Sacramenta. Nec enim solam soluendorum, sed etiam ligandorum peccatorum potestatem, & claues accepit. Pergit Augustinus in Tractatibus super sancti Ioannis Euangelium: [Ecclesiæ Tr. 121. charitas participum suorum peccata dimittit, eorum autem, qui non sunt eius participes, tenet. Et in libro de sancta Virginitate: Si sacrarum virginum quæritur mater, Ecclesia est. Non parit virgines sacras nisi Cap. 12. Virgo sacra: Virgo illa, quæ desponsata est vni viro casta exhiberi Christo.] Ad sacrarum virginum, & professionem, & consecrationem adfirmat eamdem matrem cooperari. Quod ipsum de quauis sacramentalium elementorum benedictione,ac item de pœnitentium satisfactorijs operibus adfirmat in libro de initiandis, ac in vtroque de pœnitentia Cap.5. Lib. 1.c.15.1617 libro sanctus Ambrosius. Diuinis Sacramentis, ritualibus ipsorum vestimentis, solemnibus precibus, ac omni generatim diuino ministerio, mater ista debet necessariæ cooperationis auxilium,sine quo infructuosa, atque irrita sint omnia, omnium virtus ligata, & suspensa.

Paruulorum,quam quandoque in parentum, quandoque in gestantium, seu ad Baptisma offerentium fide fieri dicimus, iustificationi debet singulare auxilium.Quòd enim illi proprio corde nequeant conuerti ad Deum, ipsorum iustificatio est heteroclita, ac irregularis, egetque vicario alieni cordis supplemento. Et hinc nescio cuius in Africa ciuitatis Episcopus Bonifacius sancto Augustino proposuit varias quæstiones. Prima erat: An paruuli per ipsos parentes essent Baptismo offerendi? Et stabat ipse pro par- Ep.23. te affirmatiua propter hanc rationem: [Vt sicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem parentum itidem iustificentur. Altera quæstio erat: Quomodo paruulis, cum baptizantur, prosit parentum fides? Inter rationes dubitandi erat hæc: Quòd quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum paruulos ferant, vt gratia spiritali ad vitam regenerentur æternam, sed quòd eos putent hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem.] Hinc nata est tertia quæstio: An ista peruersa parentum voluntas impediret paruulorum regenerationem? Et quidem ad primam negatiuè respondet S. Augustinus, & pergit de secunda quæstione, & tertia: [Non propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria. Non rectè his dicitur: Nolite verba

Sacramentorum, sine quibus consecrari parnulus non potest, recitare. Spiritus autem ille sanctus, qui habitat in Sanctis, ex quibus vna illa columba deargentata charitatis igne conflatur, agit quod agit etiam per seruitutem aliquando non solùm simpliciter ignorantium, verùm etiam damnabiliter indignorum. Offeruntur quippè paruuli ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quàm ab vniuersa societate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum sancta, atque indiuidua charitate ad communicationem sancti Spiritus adiuuantur. Tota hoc ergo Mater Ecclesia, quæ in sanctis est, facit: Quia tota omnes, tota singulos parit.] Parentes per quorum fidem iustificantur paruuli, non sunt caro, & sanguis, sed ex solis Sanctis conflata Mater Ecclesia, quam idem Augustinus laudat in libris de peccatorum meritis: [Mater Ecclesia cor maternum paruulis præstat, vt sacris
L.1. c.25. mysterijs imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec proprio ore confiteri. Et in sequenti capite: Offeruntur per Sacramentum, charitatemque fidelium. Et in decimo sermone de verbis Apostoli: Et ipsi paruuli portantur ad Ec-
Cap. 2. clesiam. Etsi pedibus illuc currere non possint, alienis pedibus currunt, vt sanentur. Accommodat illis Mater Ecclesia aliorum pedes, vt veniant, aliorum cor vt credant, aliorum linguam vt fateantur.] Vti enim peccarunt per alium, ac alienam voluntatem, ità per alienam fidem, & charitatem saluantur. Et hanc maternam oblationem laudans Augustinus rectè addidit de ipsius ministris, seu proximis executoribus: Quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sint. Tunc enim, & ipsi spectant ad sanctam Matrem, & cum ipsa tamquam pars operantur. Carnales autem non habent eius spiritum, & virtutem, ideoque recitant sola Sacramenti verba, seu sola celebrant necessaria Matris ministeria, ad ipsorum effectus non cooperantur. Et in hunc sensum varia hincindè S. Augustini similia loca sunt intelligenda.

Et hæc sanctæ Matris pietas, & efficax virtus à singulorum filiorum notitia, ac voluntate non pendet. Nec mutuas, quæ tamen adiuuant plurimùm, habet necessarias omnium, & singulorum orationes. Dum quis in extrema etiam India catechumenus baptizatur, reconciliatur pœnitens, infirmus vngitur, consecratur Episcopus, aut clericus, vel etiam fideles in matrimonium sanctificantur, nos omnes cooperamur, & sine nostra, aut aliorum certè fidelium concursu nullus sequeretur effectus. Eamdem ab aliorum fidelium sanctitate dependentiam, atque influxum habet omnis nostra consecratio. Hinc enim in libris de baptismo scribit S. Augu-
L.6. c.4. stinus: [Idem Spiritus sanctus peccata dimittit, qui datus est omnibus Sanctis sibi charitate cohærentibus, siue se nouerint corporaliter, siue non nouerint. Similiter cum alicuius peccata tenentur, ab eis vtique tenentur, à quibus ille, cui tenentur, praui cordis auersione disiungitur, siue illum corporaliter nouerint, siue non nouerint. Et in septimo eiusdem operis libro: Domus Dei in Cap. 51. bonis fidelibus est, spiritali vnitate deuinctis in eadem communione Sacramentorum, siue se facie nouerint, siue non nouerint.] Quod ipsum scribit in alijs locis, præsertim in sexto Tractatu super sancti Ioannis epistolam. Omnes enim toto terrarum orbe diffusi iusti, & vnum in cœlis habent caput ad Dei Patris dexteram, & vnum eiusdem capitis diffusum in suis cordibus Spiritum, quo compaginantur in admirabilem vnius corporis harmoniam, ac vnam Virginem Matrem, quæ assiduis tamquam columba gemitibus Deum Patrem interpellat nouos sibi regenerari filios, nouos milites cōfirmari, consecrari nouos Duces, lapsos erigi, reconciliari reos, cum extremis periculis luctaturos vngi, & hæc omnia non interpolari vsque ad sæculi finem. & ad omnia ista suo Virgini Sponso, ac eius Cælesti Patri per ipsorum communem in se habitantem Spiritum simul influit, & cooperatur. Habet varios gemendi, atque interpellandi modos, quorum insignem vnum laudat in epistola ad Magnum sanctus Cyprianus: [Quando Dominus corpus suum panem vo- Epist. 76. cat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum. Et quando Sanguinem suum vinum appellat, de botris, atque acinis plurimis expressum, atque in vnum coactum, gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Si Nouatianus huic pani Dominico adunatus est, si Christi poculo, & ipse commixtus est, poterit videri, & vnici Ecclesiastici Baptismi gratiam habere posse.] Quod ipsum pluribus tradit etiam in epistola ad Cecilium. Qui solum Christi Domini verum corpus in Eucharistia contineri, consecrari, ac Deo Patri in sacrificium offerri existimant, insigniter hallucinantur: Continetur, atque offertur Christus cum omni suo *periostiou* seu circumsubstantiali populo, caput cum toto corpore, sponsus cum sponsa, cum vero corpore etiam totum mysticum, seu tota, in qua nec Nouatianus, nec vllus Hæreticus, aut schismaticus, immò nullus iniquus habet partem, Christo adhærens Sanctorum societas. Verum corpus in propria substantia, mysticum offertur in solo Sacramento. Vtrumque simul ex singulis, & omnibus sub cælo altaribus quotidie ascendit ad Patrem, ac ipsius Maiestatem, vt suis Sacramentis, ac suæ sponsæ in illis, ac alijs precibus ministerio assistat vsque ad sæculi finem, iunctis viribus orat, atque exorat.

Quod nullus hæreticus, nullusque iniquus hic partem habeat, seu quod non tota omnium fidelium, sed sola Sanctorum communio Regni Cælestis claues, ac peccata soluendi, ac ligandi potestatem à Christo Domino acceperit, lucidè iam audiuimus à sancto Augustino, & est adhuc demonstrandum. Ex tertio libro de Baptismo contra Donatistas: [Sola illa columba, id est, illa vnitas, quæ nisi in bonis intelligi non potest, sim- Cap. 17. plex, & casta baptizat. Adiungit per orationes Sanctorum Spiritualium, qui sunt in Ecclesia, tamquam per columbæ creberrimum gemitum, magnum geri Sacramentum, & occul-

occultam dispensationem misericordiæ Dei, vt eorum etiam peccata soluantur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur, si ad illud Sacramentum cum pace Catholicæ vnitatis accedant.] An quis rectò corde accedens per iustum, an per iniustum Sacerdotem in Ecclesia baptizetur, adfirmat non referre: Quòd nempè non ministro, sed toti, & soli columbæ sit data clauium potestas. Per eiusdem orationes addit etiam suscepta extrà Ecclesiam Sacramenta in pacificè ad ipsam redeuntibus reuiuiscere. Domini ad Apostolos verba, [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, laudat in sequenti eiusdem libri capite, & prosequitur: Ergo si Apostoli personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tamquam ipsi Ecclesiæ diceretur, pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata, non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei, & orationes Sanctorum spiritualium, qui omnia dijudicant, & à nemine iudicantur. Petra enim tenet, Petra dimittit; columba tenet, columba dimittit, vnitas tenet, vnitas dimittit. Pax autem huius vnitatis in solis bonis est, vel iam spiritualibus, vel ad spiritalia concordi obedientia proficientibus. In malis autem non est, siue foris tumultuentur, siue intus cum gemitu tolerentur, & baptizent, & baptizentur. Intus toleratos malos demonstrat fuisse etiam sancti Cypriani temporibus, & pergit: Remissam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, quicumque baptizet, si ad eius pacem illi pertinent, quibus datur. Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur. Et in quinto libro: Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam verò gratiam non nisi per se ipsum, vel per Sanctos suos, & ideò remissionem peccatorum, vel per se ipsum facit, vel per illius columbæ membra, quibus ait, si cui dimiseritis peccata dimittentur. Peccatorum remissionem dari non posse per hæreticos, cũ S. Cypriano profitetur etiam in sequenti capite, & subiungit: Etiam maligni, & inuidi, quos & intus esse Cyprianus testatur, remissionem peccatorum dare non possunt. Quod nempè ipsis non sint datæ claues. Internam Ecclesiæ paleam hæresibus quoad hoc punctum æquiparat etiam in sexto libro, & pergit: Remissionem dare non possunt. Quia non malignis, sed bonis filijs dictum est: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur eis.] Longè plura habet istiusmodi loca. Et ex ipsis circumscriptus Ioannes Wicleff errauit malis Sacerdotibus non esse potestatem ordinis, nec Ecclesiæ claues, nec data per ipsos Sacramenta esse fructosa, aut valere. Augustinum, sed non secundùm scientiam, diligens Ioannes Hus, apud Constantiam viuus exuri maluit, quàm pessimis istis erroribus renunciare.

Cap. 21.

Cap. 1.

Etenim non ad solos effectus, sed etiam ad omnium Sacramentorum substantiam, ac valorem necessaria est Sanctorum communio, & sanctus ipsius influxus. Vndè quod data per Hæreticos, aut malos in Catholica Ecclesia Sacerdotes Sacramenta valeant, non ab ipsis dumtaxat prouenit, sed præsertim ab ista sancta Matre, de qua idem Augustinus in ijsdem de baptismo libris: [Ergo ipsa generat, & per vterum suum, & per vteros ancillarum ex eisdem Sacramentis, tamquam ex viri sui semine.] Sara non solum Isaac ex proprio, sed etiam Ismaelem ex alieno genuit Ancillæ Agar vtero: Per coniugalia iura fœcundato de eiusdem viri semine. Etiã Lia, & Rachel ita Ancillis fuerunt vsæ. Erant Sacramenta prænuntia futurorum. Ita enim nunc Mater Ecclesia, dum boni, ex proprio, dum praui Sacerdotes baptizant, aut ordinant, gignit ex alieno vtero, attamen ex eodem semper eiusdem viri legitimo semine, quia ex eisdem Iesu Christi Sacramentis. Quam Doctrinam Augustinus insigniter illustrat in locis varijs laudati operis de baptismo, in sermone ad Emeritum Cæsariænsem in Mauritania Episcopum, in vigesimo secundo libro contra Faustum, in Tractatibus super sancti Ioannis epistolam, ac in varijs hinc inde ad populum sermonibus. Proinde si tollas Sanctorum communionem, sistis, atque suspendis omnem virtutem omnium Sacramentorum.

Lib. 1. c. 10.

Et hinc lucet sanctum Augustinum, dum Cœlestis Regni claues, & remittendorum peccatorum potestatem, non soli Petro, sed toti, cuius ille personam gerebat, Ecclesiæ datas adfirmat, non agere de clauibus Hierarchicis, nec de potestate Sacerdotij, aut Sacerdotalis iurisdictionis. Quisquis id credit, firmat Donati hæresim, & sanctum Augustinum demutat in Wicleffistam. Duplex est clauium potestas, quam insigniter distinguit idem Augustinus in quarto libro de baptismo: [Sicut vrgeri videor, cum mihi dicitur, Ergo Hæreticus dimittit peccata, sic & ego vrgeo, cum dico, ergo raptor dimittit peccata? Si per vim Sacramenti, sicut ille, ita & ille; si per meritum suum, nec ille, nec ille.] Hoc est, vterque per sacri sui Ordinis potestatem, & applicatam operari in Sacramento operis virtutem remittit, neuter per suum meritum, seu sanctitatem, quæ spectet ad peccata remittentem communionem Sanctorum. Alia igitur est potestas clauium gestatrix, & administratrix, alia cooperatrix. Easdem potestates laudat in epistola ad omnes Donatistas: [Semper Dei est illa gratia, & Dei Sacramentum, hominis autem solum ministerium. Quia si bonus est, adhæret Deo, & operatur cum Deo; si autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacramenti formam, ipse autem donat inuisibilem gratiam.] Et in libris aduersùs Petilianum: [Si castè annuntiatur quod castum est, etiam ipse annunciator, quia verbo consociatur, credentem congenerat; si tamen ipse non regeneretur, castum tamen sit quod annuntiat, nascitur credens non ex Ministri sterilitate, sed ex veritatis fœcunditate.] At verò in tertio eiusdem operis libro scribit longè aliter: [Dicite quod dicit veritas, & Catholica Ecclesia, quia non solùm cum malus est Minister baptismi, verùm etiam cum sanctus, & bonus est, non est in homine spes ponenda, sed in illo, qui iustificat impium, in quem credentibus fides deputatur ad iustitiam,

Cap. 4.

Epist. 166.

Lib. 2. c. 5.

Cùm

Cùm enim dicimus, Christus baptizat, non visibili ministerio dicimus, sed occulta gratia, occulta potentia in Spiritu sancto, sicut dictum est de illo: Hic est qui baptizat.] Nempè per physicum iustitiæ, & gratiæ traducem, quem certum est competere soli capiti nostro, & Deo. Frequenter Augustinus scribit, quòd gratia remissionis peccatorum neque à malo Ministro detur, neque à bono, sed à solo Deo; frequenter quòd & à malo, & à bono; frequenter quòd à solo bono. Nempè iuxta iam expositos dandi, & accipiendi varios modos. Et in speciem contrarietas Wicleffum circumscripsit, & Hussum. Circumscribit, & illos, qui Augustinum vbique loqui existimant de clauibus Hierarchicis, aut Ecclesiæ Præpositura. In plerisque hucvsque adductis locis loquitur de clauibus, quibus carent quandoque Episcopi, & carere possit etiam ipse Romanus Pontifex, & quas frequenter habent, aut certè participant laici, etiam pueri, ac fœminæ. Loquitur de fraterna claue, quæ ad dandam, & accipiendam in Sacramentis iustitiam operatur in singulis per communionem Sanctorum, & per cuius operationem singulos iustos esse Christi Domini, non tantùm fratres, aut sorores, sed etiam matres, ostendit in libro de sancta Virginitate. Quia nempè ex Sacramentis sibi in fratres, ac sorores pariunt eius membra. Et in hac accipienda benedictione Petrus Apostolus gessit personam omnium in Ecclesia iustorum, vti Iudas in accipiendis quibusdam maledictionibus tenuit vices omnium impiorum Iudæorum. Et sic hæc omnia nihil faciunt ad præsentem quæstionem. C. 6. 7.

Et quidem an Regni Cœlestis claues, & soluendorum, ac remittendorum peccatorum potestatem omnibus iustis, seu toti Sanctorum communioni sanctus Augustinus rectè adscripserit, est alia quæstio. Quòd Sanctorum communio operato Sacramentorum operi, ac initiandorum fidei, & charitati cooperetur, & iam exposita præstet auxilia, certum est; verùm an ista cooperandi virtus sit illa potestas, quam per claues Dominus dedit Petro, & an sanctus Augustinus, consueto Afris Doctoribus more, non abutatur sacræ Scripturæ litera, est locus dissertationi. Certè per claues, ac tenendorum, & soluendorum peccatorum potestatem Dominus intellexit Sacerdotium, ac Ecclesiæ Hierarchiam. Quòd eis Sanctorum communio cooperetur, etiam huic datas Augustinus censuit. Nempè alio, & alio modo. Tunc aduersùs Ecclesiasticæ Ordinationis Sacramentum necdum litigabant Sacramentarij Hæretici, hinc ille loquebatur liberiùs, & varios istos, vtpotè tunc omnibus notos, modos lucidè non discreuit. Data extra Ecclesiam Sacramenta esse firma, & valida, & in conuersis ad Deum cordibus posse in omnes gratiæ effectus reuiuiscere, & hos extra Ecclesiam sperari nō posse, demonstratum voluit Donatistis, ideòque Sanctorum communionem, ac eius admirandam virtutem amplissimè elucidauit. Quòd Hierarchicas claues non toti Sanctorum communioni, sed soli Petro datas censuerit, lucet ex vigesimo sexto sermone de diuersis: [Petrus multis locis Scripturarum apparet, quòd personam gestet Ecclesiæ. Maximè illo in C. 6. loco, vbi dictum est: Tibi dabo claues Regni Cœlorum. Numquid istas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit, & cæteri Apostoli? Aut non sunt istæ in Ecclesia claues, vbi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiæ, quod illi vni datum est, Ecclesiæ datum est. Non dicit, Quod Ecclesiæ datum est, illi datum est, sed cum emphasi, Quod illi vni datum est, Ecclesiæ datum est.] Hoc est, ab illo vno fonte, in omnes Apostolatus, & Episcopatus Collegas, & Successores traductum est, & vsque ad finem sæculi traducendum. Loquitur cum sancto Optato aduersùs Parmenianum, & cum Catholica Ecclesia aduersùs Tertullianum: Affirmat claues moriente Petro non fuisse sublatas Ecclesiæ, aut suspensas. Itaque in ipsis accipiendis Petrus repræsentabat Ecclesiam, quomodo Pater posteros, fons riuos, radix ramos. Hinc in Petro Apostolorum Primatum excellenti gratia, & omni Episcopatui præferendum Apostolatus Principatum præeminuisse, scribit in libris de Baptismo idem Augustinus. Et in libris Retractationum: [In hoc contra Lib. 2. c. 1. Donati epistolam libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tamquam in Petra fundata sit Ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me posteà sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meā, vt super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei viui: Ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues Regni Cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es Petra, sed, Tu es Petrus, petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut cum tota Lib. 1. c. 21. Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quę sit probabilior, eligat Lector.] Firmat non Petrum supra Ecclesiam, sed Ecclesiam supra Petrum esse ædificatam, ideòque ipsum in accipiendis clauibus gestasse eius personam: Nempè vti origo gerit personam ex ipsa pullulantium. Et talia Augustini pro sancto Petro testimonia possint multa adduci. Quocirca fundamentum, ex quo Ioannes Gerson, ac Basileensium Doctores educere conati sunt Romanum Episcopum subesse Synodis, & caducum est, & falsum.

CANON XX.

Quòd nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem.

SCHOLION.

Romanarum appellationum prima hostis fuit Eusebiana factio, docens Ecclesiæ Hierarchiam esse non Monarchicam, sed Aristocraticam, diuisam in tres Primatu, ac dignitate æquales Patriarchas, ideòque ab vno ad alium non posse appellari. Euangelicæ,

atque Apostolicæ Regulæ aduersum, & ab Acacio, ac præsertim Photio Constantinopolitanis Episcopis posteà resumptum, errorem damnarunt Sardicense Concilium, Fælix tertius Pontifex, Gelasius primus, ac Synodus octaua. Iustinus secundus Imperaror, quo grassantes in Italia Longobardos cohiberet, Exarchum suum, nouum Romanæ Reipublicæ Magistratum, Rauennæ posuit, atque ita istam ciuitatem plurimùm exaltauit. Et hinc Romanis appellationibus emersit nouus hostis. Etenim ab Exarchis inflati, & circumscripti Rauennatum episcopi somniare cœperunt Autocephaliam, atque à Patriarchico Apostolicæ Sedis iure, adeòque, & à Romana appellatione exemptionem. Erat non aduersùs Papalem, sed dumtaxar aduersùs Patriarchalem potestatem rebellio, ipsamq; in Ioanne Episcopo Magnus Gregorius, & huius successores in illius successoribus vario tempore, ac modo damnauerunt. Eadem superbia laborasse Gallicanæ Ecclesiæ Metropolitas, lucet ex Gregorij quarti ad ipsos epistola de causa Aldrici episcopi Cenomanensis. Dixerunt se suarum Diœcesium, seu Prouinciarum Primates, vtique Autocephalos, ideòque à suis Synodalibus etiam in episcopos iudicijs non posse prouocari. A laudato Gregorio suppressam audaciam resuscitauit Hincmarus Rhemensium Metropolita, docens, & se, & suos in Gallia Collegas sine alterius Primatis interrogatione, seu præuia confirmatione promoueri, & consecrari, ideòque ab omni Primatiali, seu Patriarchali iure esse exemptos. Docuit id præsertim in famosa epistola, quam ex Caroli Calui Regis nomine aduersùs inferiotis maximè Cleri Romanas appellationes scripsit ad Pontificem Ioannem octauum.

Attamen in hosce tunc in Latina Ecclesia sepultos errores non dictauit noster septimus Gregorius. Sed in Henrici quarti Imperatoris violentiam, de qua Lambertus Schafnaburgensis: [Iam in eo res vertebatur, vt aduersùs Sigifridum Moguntinum Archiepiscopum de sua à præstandis Decimis exemptione disputantes, & ab Erfurtensi Synodo damnati, Thuringi Sedem Apostolicam appellarent. Sed Rex sub attestatione Diuini nominis affirmabat se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animaduersurum. Et omnia, quæ eius essent vsque ad internecionem dissipaturum, clademque eius diei multis posteà sæculis non abolendam.] Anno 1073.

Et in Saxonici belli Historia Bruno Mersebургensis: [Omnes semitas, quæ per montes ducunt in Italiam, Rex claudi præcepit, nec vlli homini viam patere permisit, ne rei veritas ad Apostolicum priùs veniret, quàm ipse per Legatos in sui fauorem traduceret ipsum Apostolicum.] Quod ipsum in suis, apud eumdem Brunonem exstantibus, ad nostrum Gregorium literis fideles Saxones grauissimè conqueruntur. Etiam nullum, licèt à Papa euocatum, idem Rex permisit Romam accedere. Quin nec sanctorum Principum Apostolorum limina quis orationis causa visitare poterat, nisi de Papa non accedendo iuratus. Quis aliter accedens, ad clusas, vel alibi in via capiebatur carcerandus. Ita in suo Chronico testatur Bertholdus Presbyter Constantiensis. Et de Poppone Tullensi Episcopo, Romam euocato, ad eius Metropolitam Vdonem scripsit ipse Gregorius: [Decuerat, vt de obiectis sibi debuisset respondere magis, quàm contra auctoritatem Principis Apostolorum, ad defensionem iniquitatum suarum, arma corripere, atque Regem sollicitare id contra nos præsumere, quod numquam licuit, neque licebit in aliquem Clericorum fieri. Et Ecclesiæ suæ, & Regis Henrici violentis armis stiterat Romanam euocationem. Lib. 3. ep. 12.

Eadem iniquitas vigebat tunc in nostra Flandria. Etenim pro Morinensis Ecclesiæ Clericis, Apostolicam Sedem aduersùs intrusum suum Episcopum Lambertum appellantibus, scripsit ad Robertum nostrum Comitem Gregorius: [Volumus, atque monemus, vt Clericis, qui propter hoc negotium Sedem Apostolicam petiuerunt, nullam exinde læsionem faciatis, vel fieri permittatis.] Lib. 9. ep. 13. Vigebat in omni Francia. Lucet ex Suessionensis ad sanctum Medardum Monasterij Chronico: [Reynoldus Abbas Ecclesiæ beati Medardi, quia absque voluntate, & licentia Regis Henrici primi Romam vocatus abijt, Abbas esse desijt. Est antiqua Francorum quæstio, etiam à Carolo Caluo Rege, & Hincmaro Rhemensium Metropolita in Rothaldi Suessionensis Episcopi causa aduersùs Nicolaum primum Pontificem, & in causa Hincmari Laudunensis Episcopi aduersùs Adrianum secundum acerrimè disceptata. A Merouingijs Regibus inducta fuit ista violenria, exstincta per nostrum Apostolum sanctum Bonifacium, à Caroli Magni nepotibus resumpta, traductaque etiam ad Reges Capitinos. Hinc & Angliæ à Guilielmo Rege Conquæstore fuisse inuectam testantur antiqui Anglicarum rerum Scriptores. Francicos enim, in quibus educatus, mores secum ille duxir ad nouum Regnum. Exstant Apostolicæ ad sanctum Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum, & ad Hubertum Romanæ Ecclesiæ Legatum literæ, quibus noster Gregorius dictum Regem admoneri iussit de tanta in Apostolicam Sedem iniuria, & ab ipsa cessare. Etiam apud Burgundos, Gothos, Hungaros, aliosque Romani in Occidente Imperij Barbaros laceratores viguit ista consuetudo, ideòque in ipsam à primo, ac præsertim secundo Anglorum Rege Henrico resuscitatam depugnans gloriosus Martyr Thomas Cantuariensis rectè dixit esse non Christi Domini Legem, sed consuetudinem Barbarorum. Eam omnem hoc Dictatu Gregorius septimus, ac posteà etiam Alexander tertius damnauit. Lib. 6. ep. 30.

Examinantur quædam recentiora Dogmata.

ILlustrissimus Dominus Petrus de Marca, Parisiensium Archiepiscopus, in erudito opere de Sacerdotij, & Imperij Cōcordia tradit varia circa Romanas Appellationes, quæ præsens Dictatus iubet examinari. In sexto libro scribit de antiquis Prouincialium Synodorum iudicijs: [Iudicia in Synodis reddita quoad disciplinam, summæ erant aucto- C. 14.

rita-

ritatis, vt constat ex Concilio Nicæno, non solùm quoad correctionem, & depositionem Presbyterorum, aliorumque inferioris ordinis Clericorum, sed etiam quoad depositionem Episcoporum. Itaque appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitùs ratio suppetebat damnatis, quàm vt rescripto Principis negotium retractaretur in maiori Synodo, quando agebatur videlicet alicuius Episcopi causa, aut aliquod negotium magni momenti. Ei auctoritati temperamentum in Occidente adhibuit Sardicensis Synodus in gratiam Episcoporum suo gradu deiectorum, data nimirùm licentia appellandi Apostolicam Sedem, vt iudicium renouaretur in Prouincia, si Romanus Episcopus existimaret renouandum esse. Quoad verò Presbyteros, & laicos excommunicatos nihil innouatum fuit, quoniam eorum causæ non erant istius momenti, vt Romanus Pontifex appellari posset: Sicut nec in Oriente concessa eis erat appellatio ad Patriarchas, vt patet ex Canonibus Nicænis, Antiocheno sexto, & nono Chalcedonensi. Concilium, inquam, Sardicense nihil prorsus detraxit de suprema Prouincialium Conciliorum auctoritate quoad Presbyteros.] Et in septimo libro: [Vt meliùs intelligere possimus ordinem iurisdictionis Episcopalis, necessum est, vt in antecessum statuamus Ecclesiam se in initio ad ciuilem Romani Imperij dispositionem accommodasse, Episcoposque præterea constituisse in principalibus vrbibus vniuscuiusque regionis, primum verò locum, & rerum omnium confirmationem tribuisse Episcopo Metropoleos Prouinciæ cum consilio Collegarum suorum. Ordinationes itaque Episcoporum, & iudicia Ecclesiastica fiebant à Synodo cuiusque Prouinciæ cum auctoritate Metropolitani, adeò vt non liceret prouocare à iudicio lato in Synodo Prouinciæ.

Primò itaque adserit Prouincialium Synodorum iudicia esse per Apostolicum Canonem suprema, atque inappellabilia. Et quidem quòd Ecclesiastica Hierarchia ad Romanæ Monarchiæ normam formata sit, quòd solæ ciuitates habeant Episcopum, quòd cunctis vnius Prouinciæ Episcopis præsit vnus Metropolitanus, aliaque id genus varia sunt omninò ex Instituto Apostolorum. Verùm, quòd Prouincialium Synodorum iudicia sint ex eodem Instituto inappellabilia, est fabulosum insigniter, Romanæ Reipublicæ aduersum, ac sanctis Apostolis iniuriosum figmentum. Quis enim nesciat data per Romanos Romanarum Prouinciarum Rectores iudicia fuisse appellabilia? Quis nesciat ab istis Rectoribus potuisse appellari ad Præfectum Prætorij, & ab hoc ad Augustum recurri Principem? Eodem modo Apostoli sanxerunt à Metropolitæ Prouinciali Synodo, ac synodali iudicio ad Diœceseos Exarchum, aut Patriarcham, & ab hoc posse prouocari ad Papam. Nec desunt antiquissima, ac lucidissima similium prouocationum exempla. Et certè si Apostoli ista iudicia sanxerint esse inappellabilia, inductæ postmodum appellationes aduersantur Apostolicis Canonibus, quos cuncti profitemur esse spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia vsque ad sæculi finem consecrandos. Cur igitur, nec Acacius, nec Photius, nec Cerularius Michael, nec vllus vmquam Romanæ appellationis schismaticus osor memorauit istos Canones, clamans Romanam Ecclesiam esse ipsorum præuaricatricem? Cur interiectas à Prouincialium Synodorum iudicijs appellationes cuncti semper Patriarchæ admiserunt, sibi constanter adseruerunt, datas istic sententias retractarunt, ac frequenter reformarunt? An istum Apostolicum Canonem vniuersa semper Ecclesia violauit, aut ignorauit? Omninò ignorauit. Nec enim est Apostolicus Canon, sed Philippopolitanum Eusebianæ factionis somnium. Quò illa Romanam magni Athanasij appellationem, & pro ipso datum à sancto Pontifice Iulio iudicium circumduceret, atque euacuaret, blaterare cæpit Orientalis Ecclesiæ Synodales sententias esse inappellabiles ad Occidentalem Ecclesiam, nec reformari, aut retractari posse à Romana Cathedra, ita sanciri ab Apostolicis, ac Euangelicis Regulis, ideoque Iulium tamquam ipsarum præuaricatorem priuauit gradu, & communione. Nec quarumuis Prouinciarum, sed solas totius Orientalis, aut certè cuiusque Patriarchalis Synodi iudicia garriuit inappellabilia: Aduersùm Prouinciarum iudicia prouocari ad Patriarcham, aut Exarchum semper permisit, immò & exegit. Alioquin omnem Patriarchicam potestatem prostrauisset. Nec se fundauit in quinto Nicæno Canone, sed in sexto. Et quid de ista petulantia semper censuerit orthodoxa sub cœlo Christianitas, est cunctis eruditis exploratum.

Figmentum istud Christianæ Ecclesiæ vnitatem euertit, eiusque Hierarchiam ex Monarchica transmutat in Aristocraticam, secatque in tot suprema capita, quot sunt Metropolitæ. Etenim iudicare per Arrestum, & à nullo superiori iudice timere sui iudicij concussionem, est lucidus character supremæ potestatis. Hanc Eusebiana factio adscripsit solis tribus Patriarchis: Michaelis Cerularij schisma addidit Archiepiscopos Bulgarorum, Triballorum, Cypriorum, Iberorum. Et exinde Ecclesiæ vnitatem lacerari, suprà nobis demonstrauit Barlaamus Episcopus Gyracensis, seu Locrensis. Certè pergit D. Petrus de Marca: [Suprema illa Conciliorum Prouincialium auctoritas non impediebat communicationem episcoporum diuersarum Prouinciarum, qui se mutuò iuuabant aduersùm hostes Ecclesiæ Romanæ in decernendis cum consilio aliarum Synodorum Prouincialium remedijs aduersùm schismata, & hæreses.] Lucidè profitetur omnes istas Synodos esse supremæ auctoritatis, & Romanæ Ecclesiæ nihil adscribit singulare, nisi primas partes in Aristocratia.

Et istam supremam, atque inappellabilem auctoritatem firmari adseuerat etiam à Concilio Nicæno: Nec tantùm quoad inferiorem clerum, sed etiam quoad Episcopos. Laudat quintum Nicænum Canonem, qui damnatos à suo episcopo clericos, aut laicos permittit appellare ad Prouinciæ Synodum, eius retractatorium iudicium firmat, nec meminit vlterioris prouocationis. Eruditus vir labitur in varium errorem. Super-

greditur errorem Eusebianum. Hic enim non quasuis Prouinciales, sed solas Patriarchales, aut alias autocephalas Synodos voluit esse supremas, atque inappellabiles. Labitur in errorem Africanæ Synodi, de Romana appellatione disceptantis cum Pontificibus, Zozymo, Bonifacio, Cœlestino. Etenim quæ vsque huc aduersùm solas inferioris Cleri appellationes disceptarat, ipsasq; à quinto Nicæno Canone reprobari adfirmarat, tandem in literis ad Cœlestinum Pontificem erupit in has voces: [Etsi de inferioribus Clericis, vel laicis videatur in Nicæno Concilio præcaueri, quantò magis hoc de episcopis voluit obseruari, ne in sua Prouincia communione suspensi, à tua Sanctitate, vel festinatò, vel præproperè videantur communioni restitui. Adfirmat Nicænum Canonem, licèt de solis statuat clericis, ac laicis, ad episcopos ob rationis paritatem esse omninò extendendum. Et quidem quòd Canon de solis clericis, & laicis statuat, est manifestum. Statuit enim de solis à suo episcopo damnatis: Et nullus vnquam episcopus episcopum, sed solos clericos, & laicos semper potuit damnare. Et quidem Africana Ecclesia non quasuis suas Prouinciales, sed suas dumtaxat Diœcesanas Synodos voluit, seu solis clericis, seu etiam episcopis esse supremas, ac Romam inappellabiles: Atque ita D. Petrus de Marca transgreditur etiam illius errorem.

Quin & de Nicæna Synodo ad Eusebianam factionem scripsit S. Iulius Pontifex: Episcopi in magna Synodo Nicææ congregati non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, vt & illi, qui iudices erant, præ oculis habentes secundum de ea ipsa re iudicium futurum, cum omni diligentia causam expenderent, & illi, qui sententiam acceperant, certò cognoscerent se non per simultatem priorum Iudicum, sed iure & merito condemnatos esse. Quòd si istiusmodi consuetudo olim fuit, eiusque memoria renouata est, scriptoque prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari. Palàm adfirmat non solùm vnius episcopi, sed etiam alteriùs Synodi iudicium posse retractari ab alia Synodo, ac reformari; ideòque & ab vna ad aliam posse appellari. Adfirmat hunc esse perpetuum Ecclesiæ morem, laudatum à Nicæno Concilio, confirmatum, & scripto canone sigillatum. Et damnati Athanasij appellationem, & appellantis factam à se reparationem ita demonstrat, nec à Nicænis, nec ab Apostolicis canonibus deuiasse. Addit ipsos etiam Eusebianorum Presbyteros ab inflicta sibi per Alexandrinos Patriarchas damnatione prouocasse Romam, & prosequendæ appellationi omnem factionem fuisse cooperatam. Et firmat nescio cuius Pisti, quem à Secundo, Ptolemaidis Ariano Episcopo, consecratum Presbyterum damnauit ipse Athanasius. Quidquid sit de Romana appellatione, cunctas Prouinciales Synodos esse supremas, atque inappellabiles, nec ipsa Eusebiana factio adseruit, vtpotè pertinacissima pro iure Patriarcharum. Spectat hoc ad quorumdam schismaticorum Græcorum abominabile dogma, de quo in Meditato de Patriarcharum priuilegijs Theodorus Balsamon: [Quidam perhibent nihil esse impedimento, quo minùs vbiuis constituti Pontifices eodem cum Patriarchis honore, & amplitudine fruantur.] Omnes Episcopos, præsertim Metropolitas, censuit esse ex Diuino iure æquales. Quod figmentum etiam cuncti schismaticorum meliores detestantur. Ipsum nostro sæculo per Latinam Ecclesiam semiuare vano item molimine tentauit Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalathensis.

Errorem continent hæc etiam verba: [Quoad Presbyteros, & Laicos excommunicatos nihil innouatum fuit à Sardicensi Synodo, quoniam eorum causæ non erant eius momenti, vt Romanus Pontifex appellari posset. Sicut nec in Oriente concessa eis erat appellatio ad Patriarchas, vt patet ex Canonibus Nicęnis, sexto Antiocheno, & nono Chalcedonensi.] Etenim Chalcedonensis nonus canon alta voce clamat oppositum. Clerici enim cum clerico causam coram proprio episcopo, clerici cum proprio, aut alieno episcopo negotium mandat iudicari apud Prouinciæ Synodum, & subnectit: [Quod si aduersùs Prouincię Metropolitanum Episcopus, vel clericus habet querelam, petat, aut Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur.] Agit de causis appellatis, ac appellationum ordine. Ab episcopo ad Metropolitam, seu ipsius Synodum, ab hac vult appellari ad Primatem Diœceseos, aut ad episcopum Constantinopolitanum. Non de totius mundi, sed de solis trium autocephalarum Diœcesium agit iudicijs & appellationibus. Istas contra sextum Nicænum Canonum subdit Regiæ ciuitatis Episcopo, & ex eis conflat eiusdem Patriarchatum. Attamen ipsarum Primates non plenè nudat, nec omninò deijcit in communem Metropolitarum ordinem, sed ad ipsos à Prouinciarum suarum Synodalibus iudicijs vult adhuc alternatiuè appellari. Damnatos clericos appellare permittit etiam ad nouum Regiæ vrbis Patriarcham: Quòd nempè istud ius esset vnus è characteribus Patriarchalis auctoritatis, ipsoque etiam Alexandrinus, & Antiochenus ex Apostolico Canone vterentur. Quòd istius iuris originem D. Petrus de Marca malè refundat in sextum Constantinopolitanum canonem, infrà ostendetur.

Antiochenorum Canonum nulla olim fuit auctoritas. Dolosa ista Eusebianæ factionis Synodus primos posuit lapides, quibus posteà Philippopolitanum Conuenticulum sua aduersùm Romanas appellationes, & Monarchicam Ecclesiæ Hierarchiam schismatica figmenta superædificauit. Sextus interim ipsius Canon D. Archiepiscopi cogitationibus non fauet. Damnatum à suo episcopo clericum, aut laicum solummodò mandat appellare, non ad Diœceseos, sed ad Prouinciæ Synodum: An & ab hac damnatus possit prouocare vlteriùs, tacet. Absit, vt vlteriorem appellationem excludat: Ea etenim factio fuit Patriarchici iuris zelosissima. Et iste

iste Canon loquitur ex quinto Nicæno, à quo auitam, quæ etiam clericis, ac laicis, & ad Patriarcham, & ad Papam appellandi facultatem dabat, consuetudinem fuisse confirmatam, ac sigillatam, audiuimus suprà à sancto Pontifice Iulio. Et hinc Africanæ, quæ Romanam appellationem inferiori clero non permisit, Ecclesiæ morem fuisse hetroclytum, & valdè singularem, quis ignoret? Ipsum Nicæno Canoni repugnare affirmarunt constanter Pontifices Zozymus, Bonifacius, Celestinus, ac Magnus Gregorius. Quòd ipsum, hoc instante, tandem reliquerit, communem totius Ecclesiæ normam amplexa, Africana Diœcesis, suo loco demonstrabitur. Et quod è Pontica Diœcesi Marcion, licèt dumtaxat clericus, aut laicus, à proprij Patris, atque Episcopi in se iudicio Romam prouocarit, lucidè affirmat sanctus Epiphanius. Nec desunt alia exempla. Et circa hanc disciplinam Sardicensis Synodus nihil alterauit.

Errorem continent & hæc verba: [Appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitùs ratio suppetebat damnatis, quàm vt Rescripto Principis negotium retractaretur in maiori Synodo, quando agebatur videlicet alicuius Episcopi causa, aut aliquod negotium magni momenti. Et auctoritati tēperamentum in Occidente adhibuit Sardicēsis synodus in gratiā episcoporum gradu suo deiectorum, data nimirùm licentia, vt iudicium renouaretur in Prouincia; si Romanus Episcopus iudicaret renouandum esse.] In paucis verbis errores varij. Primus est in his verbis: [Data licentia, vt iudicium renouaretur in Prouincia.] Etenim Sardicensis Synodus nequaquam preuaricata est Nicēnam, de cuius in Apostolicam Sedem reuerentia scribit ad Thessaliæ Episcopos Bonifacius Primus Pontifex: [Nicēna Synodus aliquid suprà eum,] vtique sanctum Petrum Apostolum, ac ipsius Apostolicam Cathedram; [ausa non est constituere, cum videret nihil suprà meritum suum posse conferri. Omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa.] Absit vt Sardicensis Synodus constrinxerit ad renouandum iudicium intra Prouinciam. Permisit, vt partes euocaret ad suum tribunal, vt è suo latere legaret Presbyteros in Prouinciam, vel vt eiusdē, vel vicinæ Prouinciæ Synodo appellationem delegaret retractandam. Omnia permisit eius sapientissimo arbitrio. Et hinc nimiùm excedit D. Archiepiscopus, scribens de Gregorio

Lib. 7. c. 21. Quarto, ac Quarto Leone: [Gregorius Quartus infringere conatus est auctoritatem Canonum Sardicensium, & iudiciorum ordinem præscribere. Eam constitutionem imitatus est Leo Quartus. Hæ duæ constitutiones contrariē erant canonibus. Eò quòd arbitrio suo reseruant, an episcopus in vrbe Roma iudicandus sit, an verò dimittendus in Prouinciam, illic iudicandus coram Legatis Sedis Apostolicæ. Quod sumptum est ex more vsurpato à Gregorio Magno: Qui tamen Gallias, & Africam distinguebat ab alijs Prouincijs, & cum eis diuerso modo se gerebat, quàm cum alijs.

Respondeo Gregorij morem non fuisse vsurpationem, sed legitimum, paternum, atque lucidum Sardicensis Canonis intellectum. Nec diuerso modo ille egit cum Gallis, aut Afris. Quin & Afros induxit ad cedendam antiquissimam suam consuetudinem: & inferiori etiam clero Romanas appellationes permittendas. Etiam Gregorius Quartus, & Quartus Leo non sunt infimæ notæ Pontifices. Verùm Romanas euocationes, & Romanorum Legatorum iurisdictionem Gallia excludere voluit D. Parisiensis Episcopus: Nec potuit, nisi tres tantos Pontifices de infractis Sardicensibus regulis accusando.

Alter error est in his verbis: [Temperamentum in Occidente adhibuit Sardicensis Synodus.] Sensum suum illustrissimus D. Scriptor exponit in alio eiusdem libri capite, multis conatus ostendere Sardicensem Synodum non fuisse Oecumenicam, seu dumtaxat Occidentalem, seu Patriarchalem solius Occidentis. Eius Canones affirmat, nec à Constantinopolitana, nec à Chalcedonensi Synodo, nec ab Imperatore Iustiniano fuisse admissos, & prosequitur: [Attamen Synodus in Trullo congregata Constantinopolim, in sua collectione describi iussit Canones Sardicenses, & inter hos etiam illos tres, qui ad Episcopi Romani auctoritatem pertinent. Verùm non ea fuit huius Synodi mens, vt propterea iurisdictioni Romani Episcopi submittere voluerit appellationes episcoporū, cum in eadem collectione existāt Canones secundę Synodi Oecumenicæ, atque item quartæ, quæ vnicuique Patriarchæ supremum harum causarum iudicium commiserunt. Nihil ergo aliud voluit Trullana Synodus, quàm ostendere, quænam auctoritas Romano Pontifici competat in suo Patriarchatu, cuius limitibus circumscribunt potestatem ei quæsitam in Canonibus Sardicensibus. Tùm etiam, vt ostendant eam auctoritatem illi tributam esse, non à Concilio Nicęno, sed à Sardicensi.] Et probat hæc ex Ioannis Zonaræ ad istum Canonem scholio: [Neque hic Canon à Nicœna Synodo editus fuit, neque ad ipsum,] vtique Romanorum Episcopum, [prouocationes ab omnibus episcopis, sed ab ijs tantummodò, qui eidem subiecti erant, duci oportere decernit.]

Cap. 3.

Respondeo Canones istos non tantùm à Ioanne Zonara, sed etiam à Theodoro Balsamone, & plerisque Photij, aut Michaelis Cerularij congerronibus sic intelligi. Tantus pro Romano Primatu fulgor ferit ipsorum oculos, ideòque aliud nesciunt, quàm garrire, quòd statuat de solo Romano Patriarchatu. Ecce è quibus fontibus bibat, & nobis propinet D. Archiepiscopus. Quis enim orthodoxus vnquam audiuit Patriarchalia in episcopos iudicia esse suprema, ac Romam inappellabilia? Quis vnquam audiuit ita sanciri per Synodos Constantinopolitanam, Chalcedonensem, & Trullanam? Nulla vnquam id somniauit Synodus. Est schismaticum figmentum Eusebianæ factionis in Philippopolitano Conuentu. Et hinc non pro solis Occidentalibus, sed præsertim pro Orientalibus Episcopis dixit Hosius: [Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus.] Eusebiana factio de nocte Philippopolim fugerat, fremebat illic aduersùs sanctum Petrum,

trum, & in eius Apostolicam Sedem meditabatur inania, damnabat Romanas appellationes, sanciebat Diuino iuri aduersas, Patriarchalia iudicia sanciebat suprema, ac inappellabilia, & ob horum in Athanasio, ac alijs Orientalibus Episcopis patratam præuaricationem in Iulium Pontificem latrabat conuitium excommunicationis, ac degradationis. Aduersùm has, quas Sol vsque tunc non viderat, insolentias clamauit omnis Sardicensis Synodus: [Sancti Petri memoriam honoremus.] Hoc est, non Occidentalibus, de quibus nulla quæstio, sed Orientalibus Episcopis Apostolicum, ac Euangelicum Romanæ Cathedræ inuocandæ, ac appellandæ ius,& morem nouo Canone confirmemus. Et hinc in Prosphonetico ad Imperatorem Martianum sermone dixit vniuersa Chalcedonensis Synodus: [Qui apud Sardicam contra Arij reliquias conuenerunt, Orientalibus direxerunt sui constituta iudicij. Quòd non tam pro Occidentalibus, quàm pro Orientalibus constituissent. Et ita plenè corruunt etiam hæc D. Archiepiscopi ad Sardicensem Canonem verba:[Huius iuris nouam esse institutionem probant verba Canonis,] Si placet vobis, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus. [Non ait confirmandam esse antiquam traditionem, quemadmodum fieri consueuit in negotijs, quæ renouatione tantùm, aut explicatione antiqui iuris indigent.] Exindè censet Romanas appellationes, vsque tunc fuisse ignotas. Respondeo fuisse notissimas. Etenim non solius Athanasij, sed & plurimorum insuper Orientalium Episcoporum, & Clericorum appellationes susceperat, ac retractarat Iulius Pontifex: Et omne ipsius in his factum Synodus probauit, ac firmauit. Videatur huius epistola ad Alexandrinam Ecclesiam. Iterùm dico: Aduersùs istas, quos Sol vsque tunc non viderat, & Eusebiana factio Antiochiæ conceptas tunc enitebatur apud Philippopolim, violentas insolentias Hosius isto emphatico exordio fuit vsus. Et ipsius Canones dudum ante Trullanam Synodum admiserunt, & dilexerunt Græci. Etenim Ioannes Scholasticus, quem in eiecti sancti Eutychij Constantinopolitanam Sedem intrusit Imperator Iustinianus, ipsos imposuit suo Nomocanoni, laudato per Nicolaum primum Pontificem. Quin, & ipse in prolixo pro catholica fide Edicto Imperator Iustinianus ex magni Athanasij auctoritate adfirmat Sardicensem Synodum fuisse vniuersalem, & ex ipsius exemplo probat occultos in catholica pace defunctos hæreticos posse post mortem, si tunc detegantur,ab ecclesia damnari.Quòd Trullana Synodus Romanas Orientalium appellationes non mutilarit, est æquè certum. Hanc schismaticam insolentiam primus post Philippopolitanum Conuenticulum attentauit Photius.

Tertium, ac pessimum errorem continent hæc verba: [Appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitùs ratio suppetebat damnatis, quàm vt rescripto Principis negotium retractaretur in maiori Synodo.] Lib.7. c.3. Auctor exponit suum sensum: [Canone Nicœno firmata est suprema Synodorum Prouincialium auctoritas in ferendis iudicijs. Quæ temperata fuit rescriptis Principum, qui reuisiones causarum fieri præcipiebant. Hinc nouæ regulæ data occasio, quam Sardicense Concilium condidit. Qua transfusa est in Romanum Episcopum potestas illa, quæ Imperatoribus competebat, concedendi reuisiones huiusmodi. Eo tamen addito temperamento, quod infra adnotabitur in explicatione Canonum huius Concilij.] Audi temperamentum: [Septimus Canon præscribit ordinem iudiciorum, postquam ab Episcopo Romano concessa fuerit reuisio, atque ita agendum esse eo casu, vt Summus Pontifex, donec Iudices ex vicina Prouincia, qui causam retractent cum prioribus Iudicibus, tùm vt Pontifex Legatum quoque mittere possit Concilio præfuturum, si ipsi visum fuerit aliquem mittendum. Reuisio hæc omninò similis est propositioni, quam vocant erroris aduersùs Decretum Parlamenti, quæ rescripto Principis instituitur, cui definiendæ interesse debent priores Iudices, itemque par nouorum Iudicum numerus, ac præterea duo.] Multis adfirmat quintum Nicœnum Canonem, & ab ipso stabilitam Prouincialium Synodorum supremam auctoritatem non lædi à Sardicensi Synodo,Romano Pontifici non admittendæ appellationis, sed solùm delegandæ reuisionis ius adscribi, appellandi, & prouocandi vocabulis abuti Hosium, & prosequitur: [In Sardicensi Synodo quæsitum Romano Episcopo ius est diuersum prorsùs à iudicio appellationis, cùm nihil aliud ei concessum sit, quàm vt decernere possit causæ retractationem.] Inuocatus per appellationem Iudex non tantùm prioris iudicij partes, sed & ipsum Iudicem euocare potest ad suum Tribunal, & ipse causam retractare. Hoc Papale ius è Gallia proscribere studet Dominus Archiepiscopus, ideòque à Sardicensi Synodo induci censet solam reuisionem, non veram appellationem. Christiani Romanorum Imperatores, licèt criminales Episcoporum, & Clericorum, aliasque ecclesiasticas causas numquam retractare, aut iudicare potuerint, aut citra sacrilegam tyrannidem præsumpserint, ipsarum ramen retractatoria iudicia, à damnatis Episcopis, aut Clericis interpellati, frequenter delegarunt alijs Synodis, præsertim Constantinopolitanæ Synodo ex Episcopis aduenis. Hoc ipsum, & nihil aliud, Romano Episcopo per Sardicenses Canones adscribi vult Dominus Archiepiscopus: Vult Synodalia Prouinciarum iudicia ab ipso Pontifice, præsertim in Romano Tribunali, non posse retractari. Censet aliud non posse Pontificem in isto iudicio, quàm quod Galliarum Rex in Parisiensis, aut Brabantiæ Dux potest in iudicia supremi sui Senatus Bruxellensis. Dominus Archiepiscopus vidit à se tradi paradoxa, & noua, ideòque adiunxit: [Hæc interpretatio mea est, quàm cum aliquot viris doctis aperuissem, eam illi suffragio comprobarunt.]

Nihilominùs hæc omnia insigniter, ac variè deuiant. Etenim ecclesiasticorum iudiciorum retractationem delegare, nullius vmquam Imperatoris fuit ius: Nec in omnibus istam vsurpatam licentiam tolerauit ecclesia, sed in solis christianis. Quis vmquam à sua

à sua Synodo Episcopus, aut à suo Episcopo damnatus Clericus istam retractationem postulauit à pagano Imperatore? Quis paganus Imperator ipsam concessit, aut præscripsit? Ab Antiochena Synodo damnatus Paulus Samosatensis quidem confugium fecit ad Imperatorem Aurelianum: Verùm non ad impetrandam iudicij retractationem, sed dumtaxat ad impediendam sententiæ exsecutionem. Et Christianorum Canonum peritus Princeps insolentem hominem remisit ad Romanum Episcopum, & alios Italiæ Antistites, idest, ad Prouincialem Papæ Synodum, ex Apostolico, ac Euangelico Canone Iudicem omnium episcopalium, præsertim Patriarchalium, appellationum. Etiam Donatistæ ab Imperatore Iuliano non causæ suæ retractationem, sed solam ereptarum Basilicarum restitutionem postularunt. Et quid de ista audacia sentiant sanctus Optatus, sanctus Augustinus, & omnis antiqua ecclesia, est omnibus probè notum. Primi igitur, qui causæ suæ retractationem postularunt à Catechumeno, adeòque à christiano Imperatore Constantino, fuerunt eidem Donatistæ. Et nostros Canones etiam ille edoctus ipsos remisit Romam ad sanctum Papam Melchiadem, tandemque ad Synodum Arelatensem. Quo exemplo etiam ipsius filij, & horum successores fuere vsi. Et hinc ad quintum suæ historiæ librum rectè præfatur Socrates: [Passim in historia Imperatorum memoriam propterea fecimus, quòd ex illo tempore, quo christiani esse cœperunt, ecclesiæ negotia ex ipsorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia, & conuocata fuerunt, & adhuc conuocantur.] Non dicit, [Pependerunt, sed pendere visa sunt:] Quòd nempè essent vsurpatæ violentiæ, ideòque ipsas non probaret ecclesia, sed dispensatoriè toleraret. Aduersùm Sacra de ecclesiasticis causis rescripta, iussiones, ac delegationes quanta, & qualia declament sancti Patres, est in superioribus hinc indè demonstratum. Paternam de hac re formam exponit in literis ad Maximum Salonitanum in Dalmatia Archiepiscopum magnus Gregorius: [Si forsan pro Reipublicæ suæ vtilitate multa cogitantibus, & diuersis sollicitudinibus occupatis suggestum est, & eorum iussio per obreptionem elicita, postquam, & nobis, & omnibus notum est, pijssimos Dominos disciplinam diligere, ordinem seruare, Canones venerari, & se causis Sacerdotalibus non miscere, instanter exsequimur, quod & illorum iuuat animam, atque Rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendi iudicij respectus impellit.] Affirmat à Principe diligendos Canones, ideòque ipsum non posse misceri Sacerdotalibus causis: Quòd nempè Canones id vetent. Addit sacrarum iussionum alias esse conformes Canonibus, alias ab ipsis difformes: Illas tolerandas adfirmat ab episcopis, has constantissimè refutandas. Sacra appellatæ causæ delegatio est Sacræ iussionis species, adeòque & ipsa fieri debet iuxta Canones, & item tunc non probatur ab ecclesia, sed dumtaxat dispensatoriè toleratur. Quocirca si Romano Episcopo solam Augusti iuris communionem hìc dedit Sardicense

Lib. 8. Epist. 28.

Concilium, nullum ius dedit, nullam Canonicam potestatem, sed dumtaxat dispensatoriam vsurpandi, & attentandi licentiam.

Dogma insigniter paradoxum. Quin, & semetipsum euertit. Etenim sacra delegatio, vt sit, vel tolerabilis, debet fieri secundùm Canones. Hinc enim aduersùs delegationem, qua suam causam Theophilo Patriarchæ Alexandrino commisit Imperator Arcadius, constanter intercessit sanctus Ioannes Chrysostomus, adseuerans contrariam Nicœnis Canonibus: Nicœni enim Canones Thraciæ Diœceseos Episcopum non permittunt ab Ægyptiorum Patriarcha iudicari; vndè, & appellationis via suam causam deduxit idem Ioannes ad Romanum tribunal: Quòd nempè eidem Canones ita iubeant. Plura huius formæ exempla adduxi suis locis. Quapropter, aut Synodalia Prouinciarum iudicia non sunt suprema, sed retractari permittuntur à Canonibus, aut Augustus Princeps, quoties ipsorum retractationem delegat alteri Synodo, Canones, & istorum supremam auctoritatem concutit, atque præuaricatur. Et cuiuscumq; Prouinciæ Synodale iudicium à quacumq; alia Prouincia, aut Synodo retractari non permittunt Canones: Retractans Synodus debet esse superior, seu per propriam, seù per delegatam potestatem. At verò Romanus Episcopus, qui est episcoporum episcopus, & totius christianitatis Monarcha, omnem appellatam causam, vel ad se euocare potest, vel suis in Prouincias Legatis Presbyteris, vel alteri cuicumque Prouinciæ delegare. Et hanc à Christo Domino datam potestatem illi confirmauit Synodus Sardicensis.

Et quis ferat appellatæ ad Papam causæ retractatorio iudicio priores Iudices debere adesse? Longè aliud censuit Chalcedonensis Synodus: Secundum totius Ecclesiæ Patriarcham Dioscorum, quòd ab ipso, ac eius Ephesino latrocinio Romam appellasset sanctus Flauianus Constantinopolitanus Episcopus, Apostolica Legatio exclusit à Synodali consessu, redegit inter accusatores, & reos, & vti reum iussit stantem dicere causam, & sui de Flauiano iudicij reddere rationes. Chalcedonensem enim Synodum sola indixit, atque coegit Apostolica Sedes: Ex sibi firmata per Sardicensem Synodum potestate voluit appellatam Flauiani causam tali loco, & modo retractari. Retractando iudicio adesse est Maiestas solius Apostolicæ Sedis. Hinc enim idem ille Dioscorus Ephesinum Concilium demutauit in latrocinium: Quòd nempè magni Leonis, tamquàm per Eutychetis appellationem excussi, & suspensi Iudicis, Legatos à Synodali Præsidentia exclusisset. Etiam priorum, ac nouorum iudicum par numerus ad rem hìc non facit. Præsertim dùm adfuerit à Pontificis latere Legatus presbyter. Huius enim auctoritatem exponit in literis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium, magnus Leo: [Si in eo, quod cum fratribus tractandum, definiendumuè credideris, diuersa eorum fuerit à tua voluntate sententia, ad nos omnia sub Gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Suo ad Epist. 84. cap. 11.

Syno-

Synodum Legato adfirmat esse æqualem cum tota Synodo potestatem, ac æquè potens suffragium.

Examinantur horum dogmatum fundamenta.

DOmini Petri de Marca primum pro suprema, atque inappellabili Prouincialium Synodorum auctoritate argumentum
Lib. 7. cap. 1 est hoc: [Illustre huius Instituti exemplum existit apud sanctum Cyprianum. Cyprianus, cum ex sententia Concilij sui à sua communione reiecisset quosdam Clericos, & quemdam Pseudo-episcopum Hæreticorum, irascitur aduersùs Cornelium Episcopum Romanum, quòd cum illi Romam accessissent, hæsitasset aliquantùm Pontifex, an eos in communionem suam reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud Cornelium apertè edisserit iura Episcoporum vniuscuiusque Prouinciæ, quæ in eo versantur, vt ad eos pertineat discussio, iudiciumque causarum, & regimen gregis, rationem administrationis suæ Deo reddituros, neque licere Romam, aliòue appellare. Neque enim minorem esse auctoritatem Episcoporum Africa-
Ep. 58. norum, quàm reliquorum.] Vrget hæc sancti Cypriani verba: [Nàm cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint, nisi si paucis desperatis, & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicarunt.] Et hæc verba: [Iàm causa eorum cognita est, iàm de eis dicta sententia est.

Hæc est facti species. Apostolicus Canon eligendum Episcopum mandat esse non Neophytum. At verò sanctus Cyprianus non tantùm è Neophyto, sed etiam è Catechumeno fuit electus in Episcopum, & consecratus. Anteà nullum in Africana Ecclesia præcessisse simile exemplum testatur in eius vita Pontius Diaconus. Hinc quinque Carthaginensis Ecclesiæ presbyteri recalcitrarunt, protestati sunt aduersùs promotionem, dixerunt attentatam contra Apostolicos Canones, & sese à Cypriani communione segregarunt. Quod item turpia, nefanda, ac ipsis gentilibus exsecranda sparserint de sancto Cypriano, & multis persuaserint, docet huius epistola ad Florentium Puppianum. Quatuor annis Cyprianus sedet, celebrat Synodos, pleno iure regit Ecclesiam, ab omnibus salutatur Episcopus; etiam à Paganis. Nàm sub Episcopi elogio proscribitur, relegatur, & tam in Amphitheatro, quàm in Circo frequenter proclamatur ad leones. Interim Felicissimum, intrusum Ecclesiæ suæ Archidiaconum, ob facinora, & flagitia damnat, ac degradat. Hinc schisma resuscitatur. Etenim quinque factiosos Presbyteros Felicissimus denuò inflat, quinque iampridem ob hæresim, & crimina Exepiscopos aduocat Carthaginem, hæc malignantium Synagoga damnat Cyprianum, è dictis Presbyteris Fortunatum eligit in Episcopum, ipsumque consecrat Priuatus, vetus hæreticus, atque ob hæresim Exepiscopus Lambesitanus. Omnem factionem iterùm Cyprianus damnauit Synodaliter, ideòque illa desperata Romam appellauit, sperans euectum è Catechumeno Episcopum nullatenùs istic probandum. Et vnà cum Fortunati Legatis Felicissimus accessit Romam, Cornelio Pontifici suadens Fortunatum euectum à legitima Synodo vigintiquinque Episcoporum. Et Cyprianum, nisi de ipso vindicta fieret, minati sunt à plebe trucidandum. Hæsit Pontifex: Nàm horum seriem necdum Cyprianus ex officio retulerat, aut certè relatio necdum aduenerat. Et quidem Episcopali vigore plenus Cornelius nuperam Felicissimi, proprio tunc nomine agentis, appellationem spreuerat, Cypriani iudicium retractare noluerat, ac ipsi remiserat suum Exdiaconum. At verò nunc eumdem, quòd Fortunati Episcopi Legatione fungeretur cum alijs, duxit audiendum. Et hoc Cyprianus improbauit. Adseruit Fortunatum tractandum Clericali iure, protestatus est Synodalia Africanæ Ecclesiæ de Clericis iudicia esse inappellabilia, etiam Fortunati Legatos voluit remitti Carthaginem, & illic cum suo Pseudo-episcopo iudicari. Addidit omnes iampridem iudicatos, ideòque non audiendos denuò, sed cogendos ad pœnitentiam. Hæc est germana facti species.

Respondeo ex ipsa palàm lucere, quòd Romanæ appellationes tunc omninò vigerent in Africa. Etenim quo alioquin fundamento omnis hæc factio appellasset Romam, & accessisset? Et in hac ipsa per D. Petrum de Marca laudata epistola scribit sanctus Cyprianus præfatum Exepiscopum Priuatum esse veterem hæreticum in Lambesitana Colonia, antè multos ferè annos, ob multa, & grauia delicta, nonaginta Episcoporum sententia condemnatum, antecessorum etiam nostrorum Fabiani, & Donati literis notatum, qui cum causam suam apud nos in Concilio, quod habuimus idibus Maij, quæ proximè fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus est. Lambesitana Colonia est in Prouincia Numidiæ, atque ità Priuatus à Numidica nonaginta Episcoporum Synodo fuerat damnatus. Quomodò igitur & à Donato Carthaginensi Primate, & à Fabiano Pontifice fuerat seuerissimè notatus? Quòd nempè à suæ Prouinciæ Synodo ad Primatialem totius Diœceseos Synodum, & ab hac iterùm prouocasset ad Apostolicam Sedem, & quòd eius damnatio fuisset vbique confirmata. Et hinc post Donati, & Fabiani mortem denuò accessit, & Romam, & Primatialem Cypriani Synodum, tentauit reparari. Verùm Romanæ Ecclesiæ iudicium sciens ille à se non posse retractari, hominem nec ad audientiam admisit. Et hinc iste turbo actus in rabiem patrauit noua facinora, & cum alijs factiosis Exepiscopis intrusit Fortunatum.

Et

Et hinc vides Romanas Episcoporum appellationes tunc apud Afros omninò viguisse. Dico, Episcoporum. Quòd enim inferior Clerus appellare non posset Apostolicam Sedem, sed Primatialis Synodi iudicio deberet acquiescere, est auriquissimus gentis Canon, aut consuetudo. Et hinc appellantem Felicissimum constanter abiecit, Fortunati autem appellationem, ac Legationem admittere disposuit Papa Cornelius: Quòd nempè hic esset Episcopus. Verùm Cyprianus intercessit: [Nàm & Nouatiani pars Maximum Presbyterum nuper ad nos à Nouatiano Legatum missum, atque à nostra communicatione reiectum, nunc istic sibi fecisse Pseudo-episcopum dicitur.] Non Maximum, sed ipsum Nouatianum. Erat insigne argumentum ad hominem. Cyprianus Cornelium rogat, an sibi superordinatum Nouatianum tractari velit vt Episcopum, an vt Presbyterum? Etenim pro Episcopo numquam, sed pro turbido, & scabioso dumtaxàt Presbytero semper agnouerat Romana Ecclesia. Eodem igitur modo Fortunatum tractari vult Cyprianus, ideòque ipsis appellationem, vtpotè permissam solis Episcopis, Romæ non admitti. Etiam suprà ab ipso laudatum statutum loquitur de solis Clericis. Hæc istius verba, [Cum statutum sit omnibus nobis,] videntur adserere statutum emanasse de consensu Romanæ Ecclesiæ, ideòque & à Cornelio non fuisse infringendum. Hic est omninò legitimus, & in singulari de Romanis Afrorum appellationibus tractatu latè exponendus, sancti Cypriani sensus, qui manifestè in nullo adiuuat cogitationes Domini Petri de Marca. Et quidquid sit de Romanis appellationibus, quòd Afrorum & Episcopi, & Clerici semper potuerint à suarum Prouinciarum Synodis prouocare ad Primatialem totius Diœceseos Synodum, ideòque istarum iudicia numquàm fuerint suprema, est nimis manifestum.

Audiamus aliud argumentum: [Ei fundamento nixus idem Cyprianus, ab Hispaniæ Episcopis consultus, in causa Basilidis, & Martialis Episcoporum, qui depositi fuerant ob crimen idololatriæ ab Episcopis Prouinciæ Bœticæ, quique Stephanum Papam fallentes gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum, ab eo se in communionem recipi obtinuerant. Consultus, inquàm, Cyprianus respondit debere Episcopos Hispanos primo iudicio firmiter adhærere, quandoquidem depositio facta erat ob iustam causam, alijque Episcopi ordinati erant ab Episcopis Prouinciæ in loco depositorum.] Respondeo audienda sancti Cypriani verba: [Nec rescindere Sabini ordinationem iure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam nostrum longè positum, & gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret se iniustè reponi in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus. Hæc eò pertinent, vt Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta: Vt ad superiora eius peccata etiam fallaciæ, & circumuentionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit. Obrepere hominibus Basilides potuit, Deo non potest.] Similia adiungit aduersùs Martialem. Lucidè profitetur Romanas appellationes tunc in Hispania omninò viguisse. Quomodò alioquin Basilides, & Martialis inuocassent Stephanum, & Romam accessissent, quomodò ablatum sibi Synodaliter Episcopatum ambijssent restitui per Sedem Apostolicam, quomodò Pontifex reddidisset? Nec hunc, nec illos de concussa, aut excussa Prouincialis Synodi suprema auctoritate, nec de violato Ecclesiarum more Cyprianus arguit, sed dumtaxàt de negligentia, & obreptionis astutia: Illos, quòd mendacijs circumscripsissent; illum, quòd se circumscribi permisisset. Hinc & appellationem, & absolutionem meritò censuit esse nullius fructus, aut effectus. Nec mireris in appellantium Episcoporum sedes fuisse consecratos alios: Etenim lucida erant appellantium crimina, datæ in ipsos damnationis lucida erat iustitia, lucidè friuola appellatio, & necdum emanarant, qui talem consecrationem suspendi mandant, Canones Sardicenses.

Quintum Nicænum Canonem denuò vrget Dominus Archiepiscopus, & prosequitur: [Canon ille confirmat auctoritatem cuiusque Prouinciæ in iudicandis definitiuo iudicio causis Ecclesiasticis, quæ ad Clericos, aut laicos spectant, & per consequentiam idem ius statuitur quoad correctionem, & depositionem Episcoporum, tametsi casus ille disertis verbis non existat in Canone. Sanè dubitari non potest, quin hic Canonis sensus sit, & ea mens, vt in generali hac lege comprehendantur iudicia aduersùm Episcopos, cum eorum mentionem aliàs nullibi faciat Synodus Nicæna.] Confidenter loquitur, suamque fiduciam fundat in Africanæ Synodi literis ad Cœlestinum Pontificem: [Decreta Nicæna siue inferioris gradus Clericos, siue ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, iustissimèque viderunt quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda: Nec vnicuique Prouinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam.] Respondeo turbida hæc Africanæ Synodi sensa esse jàm dudum proscripta, atque damnata ab omni Ecclesia, ideòque nimis indigna, vt vocentur in veritatis testimonium. Quisquis ipsa aduocat, profitetur se à recto Nicænæ Synodi intellectu abhorrere. Nec de Episcoporũ, aut Clericorum à Prouincialibus iudicijs ad Primatialem Synodum, sed de solis ad Romanã Cathedrã transmarinis prouocationibus agit, hasque solas impugnat ista infœlix epistola. Et profectò circa Romanam appellationem amplius longè, & firmius ius habent episcopi, quàm inferior clerus. Etenim ista appellatione vti semper potuerunt Afrorum episcopi, clerici numquam: Nisi post tempora Magni Gregorij. Et Adrianus quartus Pontifex, dum à Guilielmo secundo Siculorum Rege captus cessit Romanis non tantùm clericorum, sed & Siculorum episcoporum appellationibus, Sancti Petri Apostoli Maiestatem est insigniter præuaricatus. Vnde, & ista

ista pacta circumduxit, atque exufflauit Innocentius tertius. Excepta tamen clericalium appellationum cessione. Vnde etiamnum hodie inferior Siciliæ clerus tenetur suæ Prouinciæ synodali iudicio adquiescere, nec potest Romam prouocare. Quod ipsum in Gallia obtinere prætendit D. Petrus de Marca. Qua igitur fiducia nunc quintum Nicænum, qui de solis clericis sancit, & laicis, Canon extendit ad episcopos? Et quòd iste Canon, nec clericos interdicat Romana appellatione, est suprà abundè ostensum. Ostendit, & Magnus Gregorius, dum Afros ab ista consuetudine persuasit recedere. Et profectò Romana Ecclesia est non dumtaxàt oppressorum episcoporum mater, & protectrix, sed etiam clericorum, immò omnium sub cœlo Christianorum. De hisce omnibus dictum est Sancto Petro Apostolo: [Confirma fratres tuos].

D. Archiepiscopus etiam Antiochenos Canones aduocat suis cogitationibus in auxilium. Eos versat, ac reuersat, videt se non stare in firmo fundo, ideòque adiungit: [Attamen dissimulandum non est sibi in speciem repugnare Concilium Antiochenum]. Debuerat addere hoc item Concilium esse prodromum, & fundamentum Philippolitani Conuenticuli, ideòque longè peius olere, ac deuiare, quàm turbidas literas Africani Concilij. Hinc meritò se conuertit ad Constantinopolitanam Synodum: [Canon secundus Concilij Constantinopolitani œcumenici apertè testatur administrationem, & gubernationem Ecclesiarum Canone Nicæno mandatam esse vnicuique Prouinciæ. Administrationis verò vocabulo Patres Constantinopolitani comprehendunt iudicia aduersùm episcopos, æquè ac alia politiæ, & regiminis Ecclesiastici capita, quemadmodùm accuratè explicabo in capite quinto huius libri]. Audiamus caput quintum: [Hactenùs manifestè probauimus in ea sententia fuisse Occidentales episcopos, vt existimarent communibus Occidentis, & Orientis suffragijs definiendas esse querelas ab episcopis illustrissimarum Orientis Ecclesiarum delatas in Occidentem. At isti semper obstinatis animis contenderunt nihil Occidentalibus Episcopis permittendum esse circa administrationem, & gubernationem Ecclesiarum Orientalium. Quæ auctoritas, vt valentior esset, eam Canone scripto firmarunt in secunda synodo œcumenica, quæ est prima Constantinopolitana. Primùm enim Orientales Romam accedere noluerunt, tametsi per Imperatoris Theodosij literas accersiti essent, postquàm Constantinopoli in vnum esset conuentum. Cur autem ita ipsis placitum fuerit, nulla alia probabilis ratio occurrit, quàm quòd supremam esse contenderent Conciliorum Orientalium auctoritatem. Vnde in Epistola Synodica ad Damasum, & ad Synodum Occidentalem non dubitant scribere se anno superiore Concilium generale celebrasse, tametsi illud constaret ex solis episcopis Orientalibus. Quapropter in Concilio Aquileiensi rectè dicebat Ambrosius esse] consuetudinem huiusmodi, vt in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium. [Robustiùs vrget Canon secundus Concilij Constantinopolitani, cuius auctoritas est recepta ab vniuersa Ecclesia. Decreuit itaque quonammodo peragenda sint iudicia Canonica apud Orientales, siue pro depositione Episcoporum, siue etiam pro reliquis causis, quæ incidunt. Ordo autem, quem in his rebus præscribit, plenus prudentia est, ac mirabili temperamento conditus. Nam primùm iura Prouinciarum, & priuilegia illustrissimarum Ecclesiarum eo Canone conseruantur, iuxtà Canones Nicænos. Tum episcopis damnatis noua remedia tribuuntur, multò commodiora, & faciliora, quàm ea, quæ Antiochenum Concilium inuenerat, cum se vota Iudicum diuiserant, sine accedendo Imperatorem ad obtinendum nouum Concilium. Nam in eo Concilio iurisdictionum limites constituuntur iuxtà diuisionem Diœceseon imperij, & suprema decernitur auctoritas vniuscuiusque Diœceseos in vniuersis iudicijs de disciplina latis. Diœceses itaque Ecclesiasticæ ordinatæ sunt ad exemplum dispositionis ciuilis Diœceseon, ita vt prima criminum Episcoporum cognitio pertineret ad Synodum Prouinciæ, si verò de iniusto iudicio querela moueretur, deferri illa debebat ad Synodum Diœcesanam, quam Exarchus conuocabat absq; speciali permissu Imperatoris.

Errores varij. Primus est: [Concilij Constantinopolitani auctoritas est recepta ab vniuersa Ecclesia]. Respondeo D. Archiepiscopum longè aliter loqui in tertio sui operis libro: [Dissimulandum non est Canones secundæ Synodi ad Romanam Ecclesiam numquam fuisse relatos, neque ab ea receptos, vt testatur Leo in Epistola ad Anatolium]. Et adducit Magni Leonis verba: [Persuasioni tuæ in nullo penitùs suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta annos facta subscriptio, numquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam]. Et pergit: [Immò, & post Dionisij Exigui collectionem, licèt ille iuxta fidem Græcorum codicum tres Canones Constantinopolitanæ Synodi suo loco recenseat, Ecclesia Romana, quæ cæteros], seu aliarum Synodorum [Canones complexa est, istos tamen in auctoritatem admittere noluit, teste Gregorio Magno. [Hæc sunt Gregorij verba:] Romana Ecclesia Canones, Constantinopolitanos, vel Gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum]. Nempè sola ad Nicænum Symbolum facta additamenta, seu solum fidei Decretum confirmauit, & rata habuit Sanctus Papa Damasus, non Canones, aut reliqua Acta. Quod tamen de non facta Romam relatione scribit Magnus Leo est cum temperamento accipiendum. Accipiendum est de tertio præsertim Canone. Duplex fuit hæc Constantinopolitana Synodus. Quòd secunda secundum, quem hìc versamus, Canonem omninò retulerit, lucet ex literis Synodalibùs. Hic enim sextum Nicænum innouat solummodò ac exponit, ideòque de ipso Orientales episcopi non erubuerunt. Vnde, & ipsum possit Damasus confirmasse. Tandem confirmauit etiam Maximi Cynici degradationem. Et hi sunt tres Canones, quos suæ collectioni inseruit Dionysius Exiguus. Quapropter fateor

Cap. 3.

Lib. 6. Epist. 31.

secun-

secundi Canonis auctoritatem viguisse semper apud omnem Christianitatem. Tertij Canonis pro Constantinopolitano episcopo appendicem grauissimè damnauit Magnus Leo. Et huius sensus constanter, & dudum etiam aduersùs Imperatoris Iustiniani leges tutata est omnis Latina Ecclesia:

Secundus error est in his verbis: [In ea sententia fuerunt Occidentales episcopi, vt existimarent communibus Orientis, & Occidentis suffragijs definiendas esse querelas ab episcopis illustrissimarum Orientis Ecclesiarum delatas in Occidentem]. Etenim Occidentales episcopi constantissimè semper senserunt cum Iulio Pontifice, qui damnatum ab Orientali Synodo Athanasium solus audiuit in suæ Prouinciæ Synodo, iudicauit, absoluit. Senserunt cum Sardicensi Synodo, quæ probauit, & Iulij, & Athanasij Acta, & Sancti Petri memoriam sanxit à cunctis Orientalibus episcopis semper fuisse, ac deinceps esse honorandam. Quin, & ita semper senserunt omnes orthodoxi Orientales episcopi. Quòd enim Iulius circa Athanasium fuerit [secutus Ecclesiæ Canonem, disertè scribit in Ecclesiastica Historia Theodoretus. L. 2. c. 4. Et Maximum Cynicum, qui ab hac ipsa Constantinopolitana Synodo damnatus Romam appellauit, solus cum sibi adsidente Italica Synodo Damasus audiuit, retractauit eius causam, ac definiuit. Et Synodalis, quæ scripta videtur à Magno Ambrosio, epistola addidit: [Cum cognouissent, Orientales apud Constantinopolim congregati Episcopi Maximum, ad hoc partium venisse, quòd etiamsi inductum Concilium non fuisset, iure, & more Maiorum, sicut, & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus, Alexandrinæ Ecclesiæ episcopi, & Orientalium plerique fecerunt,] vt ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse iudicium viderentur. Cum enim experiri velle aduersùm eos, qui Episcopatum eius abnuerant, comperissent, præstolari vtique nostram super eo sententiam debuerunt. Locus est mendosus. Post verba [Iure, & more Maiorum], addi debet: [Poterat]. Epistola adfirmat Maximum Cynicum, non dumtaxàt ad totius Ecclesiæ, Occidentis, aut Italiæ Synodum, sed, & ad solam Apostolicam Sedem potuisse appellare, hunc esse morem, & ius Maiorum, & tali appellationi fuisse à Constantinopolitana Synodo deferendam suspensiui effectus reuerentiam. Vtique iuxta Canones Sardicenses. Occidentales episcopi erant tunc adeò remoti à cogitationibus D. Petri de Marca.

Tertius error est in his verbis: [Orientales episcopi semper obstinatis animis contenderunt nihil Occidentalibus episcopis permittendum esse circa administrationem, & gubernationem Ecclesiarum Orientalium]. Respondeo aliquos fuisse in ista obstinatione, Rationem adduxerunt in literis, quas pro celebranda apud Romam œcumenica Synodo scripserunt ad Imperatorem Theodosium sanctus Ambrosius, & cæteri Italiæ episcopi: [Fidei tuæ toto orbe diffusa cognitio intimum nostræ mentis demulsit adfectum, eoque vt hæc quoque gloria imperio tuo crearetur, quòd vnitatem reddidisse Occidentalium Ecclesijsidereris, Clementiam tuam obsecrandam pariter, & super Ecclesiasticis negotijs instruendam nostris literis æstimauimus. Dolori enim erat inter Orientales, & Occidentales interrupta Sacræ communionis esse consortia. Silemus iam quorum errore, quorumue delicto, ne serere fabulas, & alloquia cassa videamur. Nec nos tentasse pœnitet, quod intentatum caderet in culpam. Isto enim sæpè arguebamur, quòd posthabere Orientalium societatem, & refutare gratiam videremur]. Erroris, & delicti, seu intercisæ communionis, quos rememorare Ambrosius noluit, auctores edicit Hermias Zozomenus: [Post L. 3. c. 12. Sardicense Concilium episcopi Occidentis, & Orientis neque consuetudine deinceps mutua vti, vt hi solent, qui sunt eiusdem communionis, neque communicare inter se voluerunt, sed episcopi Occidentis ad Thraciam vsque se ab alteris seiunxerunt, Orientis autem vsque Illyricum]. Illyricum enim, & Thracia erant tunc limites vtriusque Imperij, [Ecclesiarum verò status dissensionibus magnoperè conturbatus fuit, & obtrectantium aculeis obiectus. Nam tametsi ante de doctrina fidei diffidebant, tamen mutuò inter ipsos communicantibus non tantum mali inde accidit, quandoquidem similem de fide sententiam tenere putabantur. Et Occidentales, & Orientales episcopi simùl conuenerunt Sardicam, verùm omnis Eusebiana Orientalium factio, quòd à Iulio Pontifice reparatum Athanasium agnoscere in episcopum, & ad synodalem consessum admittere obstinatissimè recusaret, de nocte aufugit Philippolim Thraciæ, atque istic conflauit primum, & omnium sequentium originem, ac fundamentum, Orientale Schisma, quod passim titulamus Eusebianum. Ecclesiæ regimen negauit Monarchicum, & Romanum Episcopum esse caput totius Christianitatis. Sanxit Ecclesiæ Præfecturam esse Aristocraticam ex æquo diuisam in tres Patriarchas, hos esse supremos, ac plenè autocephalos in suis Diœcesibus, ideoque nec Occidentalem Orientali, nec Orientalem Ecclesiam præesse Occidentali, nec ex illa ad hanc posse appellari. Ad exufflandum Athanasij Episcopatum nequijt excogitare aliam viam: Quòd pro illo Occidentalis Ecclesia staret immobilis. Ita inter Occidentem, & Orientem fuit intercisa communio. Nam cunctos, qui in Oriente Romanam Ecclesiam auito more venerabantur, episcopos eiecit Philippopolitani Conuenticuli protector Constantius, & ipsorum in sedes intrusit homines flocci, sectatores hæresis, & schismatis, quos hinc inde viuis coloribus depingit Magnus Athanasius. Constantio successit Iulianus Apostata, Iuliano orthodoxus, Iouinianus ad paucos menses, Iouiniano Valens nequissimus sectator Arij. Hinc perseuerauit, & schisma. Et quales episcopos tùc habuerit Oriens, videri possit apud Magnū Basilium: Plerique erant Arianæ farinæ. Imperij auctoritas tamdem deuenit ad magnum Theodosium, non solius Romanæ fidei, sed & reparandæ Christianæ vnitatis studiosissimum. Hinc omnia reparaturus Damasus Pontifex, ab ipso postulauit Oecumenicam Synodum, celebrandam in vrbe Romana. Et Princeps consensit, & Orientales Episcopos ad parendum Pontifici compulit. Verùm

illi abhorruerunt Romam, & Constantinopoli Synodum egerunt. Rationes mox edicam. Interim quàm viles, quàm nullius frugis Episcopi istic fuerint, videre possis apud sanctum Gregorium Nazianzenum. Erant successio Eusebiana. Et hi [obstinatis animis] etiam in hac Synodo [contenderunt nihil Occidentalibus Episcopis permittendum esse circa administrationem, & gubernationem Ecclesiarum Orientalium.] Eusebianum schisma stabilire sunt conati. At quòd nihil obtinuerint, docet hoc symboli additamentum: [Vnam Ecclesiam.] Hoc est omninò adiectum contra Philippopolitanum Conuenticulum, & schisma Eusebianum. Profitetur Ecclesiæ Hierarchiam esse Monarchicam, & Romanum Episcopum ex Diuino Christi Domini instituto esse ipsius Monarcham. Vnde, & statim post hanc Synodum laudatus Imperator Theodosius Flauianum Antiochiæ Patriarcham comparere compulit ad tribunal Sedis Apostolicæ. Quin & ab hac ipsa Synodo damnatus Maximus Cynicus appellauit ad sanctum Damasum. Quocirca quorumdam Orientalium Episcoporum Eusebiana, ac Damnata sensa D. Petrus de Marca malè conatur traducere in totum Orientis Episcopale collegium.

Quartus error est in his verbis; [Quæ auctoritas, vt valentior esset, eam Canone scripto firmarunt in secunda Synodo Oecumenica. Etenim falsum est, quod secundus quem omninò respicit D. Archiepiscopus, Canon statuat aduersùs Occidentalem Ecclesiam, aut Romanum Primatum. Durante iam dicto post Sardicensem Synodum schismate, non sola Eusebiana factio, sed etiam S. Eusebius Samosatensis, S. Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, aliique orthodoxi episcopi in alienis Diœcesibus egerant Ordinationes, atque administrationes: Vti consueuit turbatis temporibus. Hæc omnia deinceps fieri interdixit iste Canon: Nullus illi intuitus in Romanam Ecclesiam. Etenim de Imperatore Theodosio scripsit ad Rufum Thessalonicensem, & reliquos Illyrici episcopos S. Pontifex Bonifacius primus: [Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarij Constantinopolitani Episcopi à Constantinopolitana Synodo factam ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum Episcopis, firmitatem huic à Sede Romana dirigi depoposcit, quæ eius Sacerdotium roboraret.] Pluribus vitijs obnoxia fuit, & varia dispensatione indiguit Nectarij Ordinatio: Deindè Constantinopolitana Ecclesia per istam Synodum erecta erat in secundum totius Ecclesiæ thronum, seu Patriarchatum. Hinc Nectarium confirmari, & à suæ prouectionis vitijs expurgari per Romanum Pontificem voluit iuxta auitum Patriarcharum morem Theodosius, atque ita etiam Constantinopolitanam Ecclesiam in sua Ordinatione, & administratione pendere à Romana. De eodem Principe, eademque synodo scribit apud Photij Bibliothecam vita sancti Pauli Constantinopolitani Episcopi: [Hæc synodus fidem in Nicæna publicatam confirmat. Probat omnia Imperator. Et proferri curat magna cum reuerentia Reliquias S. Pauli Confessoris. Et episcopi, quotquot aderant, vnà cum Nectario longè extra Chalcedonem procedunt obuiàm, multoque cantu, & comitatu suscipiunt, & corpus per mediam vrbem ferentes collocarunt in Ecclesia sanctæ Irenes, cui Paulus aliquamdiù præfuerat.] Sanctus Paulus fuerat sancti Athanasij in inflicta per Eusebianam factionem damnatione, in Romana appellatione, in accepta per Iulium Pontificem, ac Sardicensem Synodum reparatione, ac in repetita per Philippopolitanum Conuenticulum degradatione socius, ac tandem per dictę factionis Satellites apud Armeniæ Cucusum strangulatus in balneo, & Martyr effectus. Hinc vt Iulij Pontificis, & Sardicensis Concilij ratum, & firmum, Philippopolitanæ autem factionis de Paulo iudicium demonstraret attentatum, atque ab omni Ecclesia damnatum Theodosius, illius Reliquias à tota Constantinopolitana Synodo voluit adfici tantis honoribus. Ita toti Orienti prædicandum censuit, quod de Ecclesiastica Hierarchia, & varijs Orientalium Episcoporum Romanis appellationibus Sardicensis Synodus orthodoxè, Philippopolitanum Conuenticulum hæreticè iudicasset. Quapropter absit, vt secundus Constantinopolitanæ Synodi Canon aliquid sancire tentarit aduersùs supremam ordinationem, aut administrationem Romanæ Ecclesiæ. De hac Synodo ad sanctum Acholium Thessalonicensem Episcopum, suum in Illyrico Vicarium, scripsit etiam S. Damasus. Maximi Cynici ordinationem damnat, & exufflat, ac prosequitur: [Commoneo Sanctitatem vestram, vt quia cognoui dispositum esse Constantinopoli Concilium fieri debere, synceritas vestra det operam, quemadmodum prædictæ ciuitati episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem, vt Deo propitio cum integra pax Catholicorum Sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur; vt præstante Domino, cum Catholicis Sacerdotibus possit pax perpetua perdurare.] Duplex fuit hæc Constantinopolitana Synodus. Prima damnauit Maximum Cynicum, Gregorium Nazianzenum neglexit, & promouit Nectarium. Maximus appellauit Romam, fuitque auditus. Auditum damnauit S. Damasus, itemque & Gregorium, & Nectarium iudicauit malè promotos, iussit eligi alium, istamque electionem voluit dirigi per Acholium. Proindè istius ecclesiæ ordinationi, atque administrationi potenter se miscuit. Nec fuit repulsus. Etenim tunc, & Aulicos, & Episcopos ad Damasum legauit Theodosius, & nutantem Nectarij promotionem supplicauit, atque impetrauit purgari ab Apostolica Sede, & confirmari. Adeò Constantinopolitana Synodus agnouit administrationem, & gubernationem Romanæ Ecclesiæ. Istas Damasi, atque Innocentij literas cum Romana Bonifacij secundi Synodo nuper vulgauit D. Lucas Holstenius.

Quintus error est in his verbis: [Orientales Romam accedere noluerunt, tametsi per Imperatoris Theodosij literas accersiti essent, postquam Constantinopoli in vnum esset conuentum. Cur autem ita ipsis placitum fuerit, nulla alia probabilis ratio occurrit,

Epist. 10.

Lib. 257.

rit, quàm quòd supremam esse contenderent Conciliorum Orientalium auctoritatem.] Respondeo & occurrere, & esse rationes longè alias. Eas habes in synodali ad S. Damasum relatione. Prima est diuturnus Arianorum per omnem Orientem dominatus, multaque ex ipso calamitas: [Heri propè dixerim, aut nudiustertiùs, nonnulli episcopi exilij vinculis liberati, & infinita ferè adflictionum genera perpessi, ad Ecclesias suas redierunt; aliorum autem exilij cruciatibus extinctorum Reliquiæ dumtaxat in patriam sunt reportatæ. Quidam post reditum ab exilio in furorem hæreticorum adhuc sæuientem incidentes, grauiora tormenta in sua ipsorum, quàm in aliena regione tolerarunt, & sicut B. Stephanus, lapidibus obruti occubuerunt.] Adflictas & deformatas ex istis causis ecclesias adfirmarunt à se non posse deseri, ideòque nec in Occidentem nauigari. Altera ratio fuit nimia ex istis adflictionibus paupertas: [Pecuniæ iacturam, mulctas ciuitatum, proscriptiones singulorum, insidias, contumelias, carceres quis poterit enumerare?] Tertia ratio fuit imminens adhuc ab expulsis hæreticis episcopis periculum: [Etsi videamur persecutionis asperitate liberati, & ecclesias diu ab hæreticis occupatas modò recuperare, tamen lupi nobis permultum facessunt molestiæ. Ac licèt ab ouibus abacti sint, in syluis tamen greges diripere, conuentus contrarios nobis audacter opponere, populorum seditiones concitare non cessant. [Propter hæc pericula adfirmarunt se à suis ecclesijs non posse abire. Hæc est quarta ratio. Constantinopolim conuenimus, propterea quòd mandato literarum superiori anno à vestra Reuerentia post Concilium Aquileiense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim vsque ad faciendum nos præparauimus, atque de hoc vno Concilio celebrando consensum episcoporum, qui in Prouincijs manserant, vnà nobiscum attulimus. Idcircò neque longiori itinere opus esse expectabamus, neque de vllo alio omninò antè acceperamus, quàm Constantinopoli in vnum esset conuentum. Huc accedit, quòd præstituti temporis angustia neque ad longius iter parandum, neque ad episcopos in singulis Prouincijs, qui sunt eiusdem nobiscum communionis, de hac re commonefaciendos, neque ad eorum consensus obtinendos satis spatij dedit.] Orientales Episcopos Damasus bis vocauit ad Synodum: Primò ad Constantinopolitanam, damnauit Maximum Cynicum, Romam hic ab illa prouocauit, & accusauit ipsam de multis. Et hæc omnia retractanda iudicans Pontifex omnem synodum euocauit Romam, volens illic plenissimum ex Occidente, & Oriente agitare conuentum. & omnem Christianitatem pacificare. Hinc de non factis ad tantùm iter, & tantam synodum præparamentis, de non petito, ac obtento absentium Collegarum adsensu, & de nimis angusto ad ista nunc supplenda tempore episcopi illi se excusarunt. Aliam rationem adducit in supra laudatis ad Imperatorem Theodosium literis S. Ambrosius: [Sanè allegata texuimus, non definiendi, sed instruendi gratia. Et qui iudicium petiuimus, non deferimus præiudicium. Neque vllum eorum æstimandum conuitium fuit, quando in commune consuluit.] Orientales episcopi videntur Damasi Synodum accusasse de duobus. Primò, quòd Maximi Cynici causam iam iudicasset in sua mente, ideoque se Romam vocari, non ad Synodaliter iudicandum, sed dumtaxat ad præiudicata audienda. Secundò, quòd istius Maximi, hominis neophyti, & de hæretico errore notati, ex vario capite irregularem promotionem probasset cum sua ignominia, atque conuitio. Nempè istorum episcoporum quidam adhuc retinebant aliquid Eusebiani fœtoris, qui scripserat de Athanasij causa ad Iulium Papam: [Contumeliosè agitur cum Iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur.] Hæc purgat Ambrosius, monstratque vacua fundamenti. Et Orientales ista non apud Damasum, sed dumtaxat apud Theodosium allegarunt. Omnis reuerentiæ plenissima est synodalis ad Damasum relatio, ideoque ipse ad illam rescripsit: [Quòd debitam Sedi Apostolicæ reuerentiam exhibet charitas vestra, vobis ipsis plurimum præstatis, filij honoratissimi.] Adunatos synodaliter ex omni Oriente Episcopos, non fratres, sed filios vocat, quòd nempè & illi ipsum titulassent Patrem. Adeò vetusta est hæc Episcoporum in Romæ veteris Antistitem reuerentia. Et pergit ille: [Timothei abdicationem quid à me denuò requiritis, qui & hìc iudicio Sedis Apostolicæ, præsente Petro Sedis Alexandrinæ Episcopo, abdicatus est vnà cum Magistro suo Apollinari?] Ista Synodus fuit adeò reuerita Apostolicam Sedem, vt etiam iam per ipsam damnati Timothei damnationem retulerit, & supplicarit confirmari. Quòd nempè sciret sine Apostolica Sede non posse de fide iudicari. Extat Epistola apud Theodoretum. Et ex his Lib.5.c.10. vides rationem, ex qua Romam accedere detrectauit Constantinopolitana Synodus, non fuisse errorem de suprema, atque inappellabili suorum iudiciorum auctoritate.

Sextus error est in his verbis: [In epistola synodica ad Damasum, & ad synodum Occidentalem non dubitant scribere, se anno superiori Concilium generale celebrauisse, tametsi illud constaret ex solis Episcopis Orientalibus. Quapropter in Concilio Aquileiensi rectè dicebat Ambrosius esse consuetudinem huiusmodi, vt in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium.] Respondeo sine Romano Episcopo non posse esse generalem Synodum. Et hunc esse perpetuum, atque vnanimem Orientalis Ecclesiæ sensum, est suprà demonstratum. Et hinc de hac Constantinopolitana Synodo scribit Nilus Doxopatrius: [Cùm quinque esse Patriarchatus esset necessarium, propterea Spiritus sanctus mouit sanctam, & œcumenicam secundam synodum, quæ contra Macedonium Constantinopoli est coacta, præsentibus omnibus Præsulibus, & maximis sedibus præsidentibus, Damaso scilicet Romano, Alexandrino, Hierosolymitano, & Antiocheno.] Et in iure Græco-Romano nescio cuius Constantinopolitani Patriarchæ de Episcoporum translationibus Decretum habet; [In secunda Synodo, in præsentia Pontificum, Damasi Papæ Romani, Timothei

Ale-

Alexandrini, Meletij Antiocheni, & Cyrilli Hierosolymitani, sancto Gregorio Theologo confirmatus est Episcopatus Constantinopolitanus. Quod ipsum scribunt, & alij Græci. Fingunt Damasi præsentiam, vt Synodum faciant œcumenicam, atque ità stabiliant tertium ipsius Canonem. Rei veritatem scribit, apud Leonem Allatium Nicetas Nicænus Sceuophylax; Sub Theodosio magno Imperatore, cùm thronus Constantinopolitanus euectus esset in secunda Synodo à centum quinquaginta Episcopis, cui locum tenentes Romani Pontificis non adfuere, diuisio, turbæ exortæ sunt.] Nullus è Romano Patriarchatu Episcopus adfuit, nisi solus Acholius Thessalonicensis; Verùm sine mandato. Vt in secundam istic Synodum, & ab ipsa celebrandam noui episcopi electionem inuigilaret, mandatum habuit à Damaso, at sine præsidentia, ac legatione. Et videtur non adfuisse.

Lib. 1. c. 13.

Eadem de Synodo scribit in prosphonetico ad Imperatorem Constantinum quartum sermone sextum Concilium; [Macedonius denegabat Spiritus Deitatem, & dominantem conseruum prædicabat, sed maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas, protinus obstiterunt. Vtique per indictum Constantinopolitanum Concilium. Et antiqua, per Constantinum Caietanum è Vaticani Collegij Archiuo descripta, ac per Martium Milesium publicata, sancti Damasi vita exponit Apollinarij errores, & Damasi aduersùm illos Decreta, atque subnectit: [Et hanc sententiam Damasus confirmari præcepit in sancta secunda Synodo, quæ Præcepto, & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est. Cui præfuerunt Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Diuinus Gregorius Constantinopolitanus. Et quid opus testimonijs? Lucidè ad Damasum scribit secundus huius Synodi conuentus: [Mandato litterarum anno superiori à vestra Reuerentia post Concilium Aquileiense ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus, atque de vno concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in Prouincijs manserunt, nobiscum attulimus. Palam profitentur primam istam Synodum fuisse indictam à Damaso, ac eius Præcepto celebratam. Hinc censuerunt vnà cum Timotheo Alexandrino, & Antiocheno Patriarcha Meletio adfuisse sibi etiam Damasum, atque ita istam Synodum fuisse omninò œcumenicam, ac plenè generalem. Absit, vt crediderint posse sine Romano Episcopo fieri, aut consistere eiusmodi Synodum.

Et quòd Occidentales in Occidente, Orientales in Oriente quandoque celebrarint generale Concilium, rectè dixit in Aquileiẽsi Synodo S. Ambrosius. Etenim aduersùs Ariũ Latini cum S. Syluestro Episcopo Romanum, Græci cum eiusdẽ Pontificis Legatione Antistites egerunt Concilium Nicænum. Aduersùs eumdẽ Arium Papa Liberius, ac Imperator Constantius ab Occidentalibus Ariminense, ab Oriẽtalibus Episcopis iusserunt fieri Seleuciense Conciliũ. Et ad Arium plenè eradicandum sanctus Damasus simul indixit Romanum Concilium, atque Constantinopolitanum. Fiebant quandoque simul, Occidentale aliquando præcedebat: Vt nempè huius iudicium Apostolica Legatio deferret ad Orientale Concilium, ipso muniret suum suffragium, atque ita eius prærogatiuam redderet irrefragabilem. Quod ita factum sit in sexta Synodo habemus lucida documenta. Et quin factum sit etiam in alijs, non permittimur dubitare. Etenim quod ad Thessalonicensem, quæ sancti Ioannis Chrysostomi causam debebat retractare, totius Occidentis, ac Orientis Synodum Innocentius primus non tantùm suas literas, ac suum in ipsis suffragium, sed etiam [totius Occidentalis Concilij Commonitorium miserit, in Palladij Helenopolitani Episcopi Dialogo testatur Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus. Etiam Gallicanæ Ecclesiæ iudicium transmittere ad Chalcedonensem Synodum optauit Leo magnus. Vterque iste Occidentis, & Orientis conuentus erat vnicum Concilium: Alteri enim propria Pontificis persona, alteri præsidebat ipsius Legatio. Et omnia sua Acta debebat hic referre Pontifici, & suspendere ad eius arbitrium; Pontifex autem illa reuidere, retractare, confirmare. Et hinc de Constanopolitana Synodo dixit in prosphonetico ad Imperatorẽ Martianum sermone Calcedonense Concilium: [Qui in hac Vrbe Apollinaris detexerunt pestilentiam, Occidentalibus proprium innotuere Decretum.] Omnino loquitur de primo conuentu. Lucet ex verbis sequentibus: [Horum Nectarius cum Gregorio tenuit Principatum. Etenim certum est Nazianzenum Gregorium secundo conuentui non adfuisse. Perijt, aut latet ista relatio. Reperta poterat nos plura docere. Et hæc est secunda ratio, cur secundi conuentus relatio dicat primum conuentum fuisse generalem Synodum. Et ista eiusdem Synodi in distantissima loca distributio non caruit rationibus. Palmaris ratio fuit euitatio molestiarum, quibus plenus, & Orientis, & Occidentis conuentus non potuit non esse obnoxius.

C. 4.

Attamen ista diuisio non fuit vniuersalis. Etenim Imperatores Constantius, & Constans, ac etiam Iulius Pontifex Sardicense Concilium voluerunt ex vtriusque Imperij Episcopis adunari in eumdem locum. Et aduersùs Ariminensis, ac Seleuciensis Synodi diuisionem scripsit in singulari de ipsis libro magnus Athanasius: [Primùm quidem ego admiror, idemque arbitror quemlibet prudentem facere, quod cum vniuersale Concilium esse indictum, idque omnes exspectarẽt, de repentè diuisio facta sit, adeò vt illi illuc, isti istuc conuenirent.] Apertè improbat diuisionem, videturque neutram Synodum pro Oecumenica agnoscere. Nempè Eusebiana factio ab adunata Synodo metuebat sibi successum Sardicensis Synodi, ideoque sibi obnoxium, & solum iam totius mundi Principem Constantium induxerat ad iubendam diuisionem. Cum Athanasio sensit in quinto Concilio Vigilius Pontifex: Et Occidentales, & Orientales Episcopos voluit adesse in pari numero. Quod ipsum propter appellatam Maximi Cynici causam Damasus faciendum

dum censuit in sua Romana Synodo. Summi ponderis erat ista appellatio. De ipsa quippè Timotheus Alexandriæ Patriarcha, & cuncta ipsius Diœcesis aduersùm alios Orientales digladiabantur. Præterea Nectarius ex Neophyto erat contra Canones euectus in Regiæ ciuitatis Episcopum, scribitque de ipsa ad Imperatorem Theodosium laudata Damasi Synodus: [Nectarium, cum nuper nostra Mediocritas Constantinopoli cognouerit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus Partibus, non videmus. Præsertim cum ab eisdem Nectarius dicitur illicò sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus.] Et adiungit: [Quanta nuper confusio facta sit, explicari non potest. Scripseramus dudum, vt quoniam Antiochena ciuitas duos haberet Episcopos, Meletium, atque Paulinum, quos fide conuenire putabamus, aut inter ipsos pax: & concordia saluo ordine ecclesiastico conueniret, aut certè si quis eorum altero superstite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum, superstite altero gigneretur. At nunc Meletio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse consortia, quæ à Maioribus inoffensè ducta, testantur, contra fas, atque Ecclesiasticum ordinem in locum Meletij non tam subrogatus, quàm superpositus adferitur. Atque hoc factum allegatur consensione, & consilio Nectarij, cuius ordinatio quem ordinem habuerit, non videmus.] In primo Constantinopolitanæ Synodi conuentu est promotus Nectarius, Meletius fuit vita defunctus. Et tertij Canonis vigore statim Patriarcham ille cæpit agere, licèt malè promotus. Hinc aduersùs Paulinum persuasit in Meletij locum ordinari Flauianum, atque ita irregulari suæ promotioni addidit insigne crimen, quo turbauit omnem Antiochenum Patriarchatum. Hæc summa summarum rerum momenta definiri sine Orientalium pariter, atq; Occidentalium Episcoporum præsentia non posse iudicauit Damasus, ideoque omnes simul iussit Romam aduenire. Verùm Orientales, quòd se excessisse nossent, timuerunt Damasi præsentiam: Suspicati sunt iam præiudicatum de suis excessibus, ideòque detrectarunt accedere, & varijs rationibus studuerunt Pontificem placare. Absit vt sua iudicia voluerint esse suprema, inconcussa, atque inappellabilia. Etenim ab ipsis non tantùm Maximus Cynicus, cui fauebat cum omni sua Diœcesi Timotheus Alexandrinus, Romam appellauit, sed, & omnis ista Synodus sua circa Nectarium, & Flauianum Acta submisit iudicio Damasi, purgari supplicans, atque firmari. De rationibus, per quas illa se à Romano accessu excusauit, scribit in Ecclesiastica Historia Theodoretus: [Verùm

L. 5. c. 8. hi,] Orientales in ista Synodo Episcopi, [longinquam profectionem, velut inutilem futuram, deprecati sunt. Epistolam autem miserunt, in qua procellam contra Ecclesias excitatam significantes illorum,] vtique Occidentalium, [negligentiam denotabant.] Pertinacissimus Flauiani defensor fuit semper Theodoretus, ideòque pro ista Synodo loquitur duriùs aduersùm Latinos Episcopos: Profitetur tamen Orientales ad se excusandum fuisse deprecatos, nequaquam vsos intercessione pro suprema auctoritate suorum Synodalium iudiciorum. Nam Flauiani causam posteà retractarunt Pontifices Damasus, ac Syricius, necnon & Capuana Synodus: Et ad istam auctoritatem nemo vmquam Græcus prouocauit.

Fateor tamen istos Episcopos proclamasse ad memoratam à sancto Ambrosio cõsuetudinem de Occidentalium in Occidente, & Orientalium Synodo celebranda apud Orientem. Lucet hoc ex eiusdem Ambrosij ad Imperatorem Theodosium literis: [Neque vllum eorum, vtiquè Orientalium Episcoporum, æstimandum conuitium fuit cum rogarentur ad Concilium Sacerdotes, quorum frequenter præsentior absentia fuit, quando in commune consulunt. Neque enim, vel nos æstimauimus esse conuitium, cum vnus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter, Paulus nomine, intra Achaiam Synodum Orientalium iuxtà, atque Occidentalium postulauerit. Aduertat Clementia vestra non fuisse irrationabile postulatum, quod etiam ab Orientalibus est petitum. Neque planè nos tamquam ex forma aliquid innouamus, sed sanctæ memoriæ Athanasij, qui quasi columna fidei fuit, & veteris sanctitatis Patrum nostrorum in Concilijs definita seruantes, non euellimus terminos, quos posuerunt Patres nostri, hereditariæ communionis iura violamus, sed debitam vestro Imperio honorificentiam reseruantes, studiosos nos pacis, & quietis ostendimus.] Totius Ecclesiæ in vno loco adunandum conuentum de nouitate palàm hìc arguunt Orientales, & proclamant ad antiquam consuetudinem, & ad ipsam seruandam supplicant Damasum compelli sacra iussione Principis. Addiderunt totam Orientalem Synodum euocari non posse sine conuitio, atque ignominia. Porrò apud Principem potẽs sermone, & opere erat Ambrosius, ideoque respondendi Prouincia fuit ipsi imposita. Et respondit ad singula. Primò adfirmat istiusmodi Synodalem adunationem adeò non esse insuetam, vt nuper petita, atque impetrata fuerit ab appellatione vnius Pauli Presbyteri Constantinopolitani. Huius personam, & causam ignoro. Secundò adducit longè potentius exemplum, atque auctoritatem magni Athanasij, qui istam diuisionem improbarat in Ariminensi, ac Seleuciensi Synodo, & ad cuius retractandam causam indicta fuerat plena vtriusque Ecclesiæ Synodus apud Sardicam. Tertiò adserit huius Sardicensis Synodi Canones à Damaso seruari. Hi quippè appellatas causas retractandi modum plenè permittunt arbitrio Romani Episcopi, titulantes illud sapientissimum. Quartò ait diuisas Occidentalium, & Orientalium Synodos esse vtiles, quando vtrique in commune consulunt: Profitetur Episcoporum absentiam tunc præsentiorẽ esse, siue vtiliorẽ. Verùm adiungit hanc præsentiam non fuisse in Cõstantinopolitana Synodo, ideoque necessum esse, vt nauiget Romam. Et hoc à Damaso exquiri, non conuitiandi, aut confundẽdi libidine, sed amore pacificandæ, & quietandæ totius Christianitatis. Et propter iura hæreditariæ cõmunionis.

Hoc

Hoc est, propter Antiochenum Patriarcham, cuius communionem semper fouerat Occidentalis Ecclesia, Paulinum: Nam, & hic aduersùs Flauiani superordinationem appellauerat Romam. Hasce grauissimas causas adseuerauit Ambrosius sine totius Christianitatis intra eandem ciuitatem Synodo non posse definiri. Et hinc liquet Ioannem Launoium, qui ex laudatis Damasi, & Ambrosij literis tradit Orientales Episcopos non ad solum Romanum Pontificem, sed semper appellasse ad generale Concilium, insigniter hallucinari. Ex eisdem literis videtur D. Petrus de Marca scripsisse. [In ea semper sententia fuerunt Occidentales Episcopi, vt existimarent communibus Orientis, & Occidentis suffragijs definiendas esse querelas illustrissimarum Orientis Ecclesiarum, delatas in Occidentem.] Verùm vti vna hirundo ver non facit, ita vnicus actus non sancit regulam.

Septimus error est in his verbis: [Diœceses Ecclesiasticæ ordinatæ sunt ad exemplum ciuilis dispositionis Diœceson, ita vt prima criminum Episcoporum cognitio pertineret ad Synodum Prouinciæ, si verò de iniusto iudicio querela moueretur, deferri illa debebat ad Synodum Diœcesanam, quam Exarchus conuocabat absque speciali permissu Imperatoris.] Exponit se in tertio eiusdem operis libro. Laudat Valentis, Gratiani, ac Valentiniani in sexto decimo Theodosiani codicis libro exstantem legem; [Qui mos est causarum ciuilium, ijdem in negotijs Ecclesiasticis obtinendi sunt, vt si quæ sunt ex quibusdam dissensionibus, leuibusque delictis ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœcesios Synodis audiantur.] Et commentatur: [Primi omnium Valens, Gratianus, & Valentinianus Imperatores Episcopis vnius Diœcesios, ad exemplum Iudicum, & Honoratorum, concesserunt, vt non solùm in singularum Prouinciarum Synodis, sed etiam in generali totius Diœcesios Synodo in vnum corpus, iure ordinario, sine mandato speciali, coire possent. Et statim infrà: Has Diœceseon, & Regionum Synodos Concilium Constantinopolitanum aliquot annis posteà suo Canone confirmauit. Ex ea Diœcesion diuisione manauit mos ille, vt Episcopi non ampliùs Prouincijs tantùm distinguerentur, sed Diœcesibus, & Concilijs Diœceseon. Inde frequens mentio Episcoporum Illyrici, Italiæ, Hispaniæ, & Africæ.]

Tit.2.c.23.

Respondeo ad istam legem longè aliter scribi à Iacobo Gothofredo. Diœceses, & Diœcesanas Synodos ostendit esse antiquissimas, & adiungit: [Hinc iam patet, quantoperè erret Marca, cum ait hac lege primos omnium Valentem, Gratianum, & Valentinianum Imperatores Episcopis vnius Diœcesios concessisse, ad exemplum Iudicum, & Honoratorum, vt non solùm in singularum Prouinciarum Synodis, sed etiam in generali totius Diœcesios Synodo in vnum conuenire, iure ordinario, sine speciali mandato possint. Immò enim Imperator Gratianus hac lege de Synodis Diœcesios agit tamquam vsitatis, quasque iungit Locis Suis, id est, Prouincialibus Synodis. Tantùm audientiam earum quà amplificat, quà restringit.] Etenim sanctus Cyprianus Africæ totius, Polycrates Ephesinus totius Asiæ, sanctus Petrus Alexandrinus totius Ægypti, Firmilianus Cesaræ in Cappadocia Antistes totius Ponticæ Diœcesios egit Synodum. Etiam Antiochena, quæ proprium Patriarcham Paulum Samosatensem deiecit, Synodus erat Diœcesana. Et plura sunt similium Synodorum antiquissima exempla. An Diœcesios vocabulum sit adeò antiquum in Romana Republica, est alia quæstio: Certum est rem esse antiquissimam. Etiam Ægyptiorum, Orientalium, Asiaticorum, Ponticorum, Italorum, Gallorum, Hispanorum, atque Afrorum Episcoporum mentio est omninò antiquissima. Ducit originem ab Apostolis. Et quomodo D. Archiepiscopus, qui Prouincialium Synodorum iudicia scripsit per Nicænos, atque Apostolicos Canones esse suprema, atque inappellabilia, iam supponit eadem appellationibus ad totius Diœceseos Synodum? Certè adfirmat, & Gratianum Imperatorem, & Constantinopolitanam Synodum sanxisse, atque edixisse aduersùm Apostolicos, atque Nicænos Canones, quos hæc protestatur à se innouari, atque confirmari.

Octauus error est in his verbis: [Ex Diœceseon diuisione manauit mos ille, vt Episcopi non ampliùs Prouincijs tantùm distinguerentur, sed Diœcesibus, & Concilijs Diœceseon.] Respondeo esse errorem illius nebulonis, qui dum Paulus quintus Pontifex disceptaret aduersùs serenissimam Venetorum Rempublicam, edidit nequissimum Tractatum de libertate Ecclesiastica. Ipsum vulgauit Melchior Goldastus, & ad finem posita est hæc subnotatio: [Cætera desiderantur, per Papam Paulum quintum effecta, vt prohiberentur.] Nempè in Gallia cusum fuit infame, & incompletum opus. Et habet inter cætera: [Ante Concilium Sardicense nihil quidquam penitùs de hac re, vtique de Romanis appellationibus, cantum nominatim legitur, sed eo iure vsam esse Ecclesiam Catholicam patet, vt appellationum extra Prouinciam vsus omninò ignoraretur. Hanc vim habebat obseruatio Formatarum. Non enim solui poterat, qui censuræ vinculo fuisset innodatus, nisi ab illo ipso, qui nodum adstrinxerat. Cui bono igitur appellare? Nisi fortasse à Presbytero vnius Ecclesiæ ad plurium Episcoporum consessum prouocaretur: Inde ad Comprouincialium Synodum, cui etiam ille intererat, à quo appellabatur. Patriarchalium sedium iura primis sæculis sunt ignorata. Romanæ quoque Ecclesiæ nullum hac in parte ius eximium fuisse, Marcionis exemplum lucidè demonstrat. Non tamen negamus iam illis temporibus exstitisse, qui in Prouincijs suis sententiam passi vicinas Prouincias penetrarent, Romam etiam interdum venirent, quò pacem impetrarent. Nam ita factitatum aliquando, vel illud arguit, quòd in Canone trigesimo tertio Apostolico, vt vocant, certè antiquissimo, causa cur tam expressè caueatur, ne sine commendatitijs sui Præsulis quisquam peregrinus suscipiatur, adfertur hæc: *Polla gar cata synarpagyn gineslai*. Quorum verborum sensus est: Eos Episcopos, qui sine Formatis Errones istos admittunt, & de ipsorum causis cognitionem sibi vindicant, furtiua obreptione Cap.4.

ne sæpè decipi. Quare etiam Cyprianus nobilissima illa ad Cornelium Papam Epistola, aduersùm istos circumcursatores desperatos, & perditos homines, vt ipse loquitur, qui Romam ex Africa petebãt, Statutum hoc adfert veteris Ecclesiæ æquum, & iustum, vt inquit ipse:] Vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum. [Quo Statuto ita appellationes omnes, & Romam, & aliò extra Prouinciæ fines, prohibentur, vt multùm subtilitati ingenij confidere illos oporteat, qui aduersùs tam manifestam veritatem congredi non verentur.] Adfirmat solùm viginti esse Nicænos Canones, & nec verbum istic reperiri de appellationum iure, & statui in tertio Canone: [Auctoritas, & confirmatio omnium, quæ in quaque Prouincia geruntur, ad Metropolitanum spectat.] Et commentatur: [Vnde intelligimus Patriarchalium sedium iura, de quibus tam multa posteriorum ætatum Synodi sanciuerunt, nondum fuisse satis cognita, etsi Canon sextus eorumdem Patrum illas sedes iam vsu quodam comprobatas firmet. Secuta est non multò pòst Antiochena Synodus, cuius Canon quartus docet depositis Episcopis vnicam superesse spem restitutionis in alia Synodo. Porrò hanc Synodum iubent cogi sequentes Canones è solis Comprouincialibus, aut è vicina Prouincia.]

Hic Tenebrio cæpit in Gallia omninò primus Romanas appellationes arietare. Et libet audire eius putidum dogma. Hæc est fundamentalis adsertio: [A sententijs Synodalibus appellabatur illis temporibus ad maiorem Synodum, vel ad Principem. Docet, & Romanas, seu Papales, & Patriarchales appellationes olim fuisse ignotas: Appellari non potuisse, nisi ad Prouinciæ Synodum, vicinam Prouinciam, vel ad Augustum Principem. Addit quosdam damnatos Episcopos, aut Clericos quandoque girasse ad remotas Prouincias, atque ita etiam ad Romanam Ecclesiam: At per abusum. Probat ex famosa sancti Cypriani ad sanctum Cornelium Papam aduersùs Felicissimi Diaconi factionem epistola, ex Nicænis Canonibus, & ex Antiochenis. Insuper docet ita fuisse vsque ad Sardicensem Synodum, addit ipsam non fuisse Oecumenicam, hoc notum esse etiam pueris, inductas ab ipsa Romanas appellationes fuisse ius nouum, & probat ex Hosij Præsidis ad Collegas Episcopos præfatione: [Sancti Petri memoriam honoremus.] Et prosequitur: [Si iure diuino, vt hodie declamatur, appellationes omnes fuissent ad Sedem Apostolicam relatæ, aut Canonibus Nicænis hoc ei ius esset attributum, quid opus erat hoc Canone, & aliquot sequentibus? Aut quis non intelligat rem introduci ab Hosio, de qua nihil ad eum diem esset sancitum? Nam hoc euidentissimè significatum Hosius voluit, cum diceret: Si placet vobis, sancti Petri memoriam honoremus. Et pergit: Zonaras, alijque iuris Canonici Interpretes Græcorum, quoties de appellationum iure disputant, Sardicenses Canones interpretantur, de Romanis, & eorum prauis interpretationibus grauissimè conqueruntur. Eidem Sardicensi Concilio duo Oecumenica opponunt, Constantinopolitanum, & Chalcedonense, quibus eadem iura nouæ Romæ Episcopis tribuuntur, ac veteris. Canone autem nono huius appellationes omnes ad Regiam vrbem Constantinopolim reijciuntur: Quod vtique intelligendum est de Prouincijs Orientalis Imperij.] Ioannes Zonaras, & alij schismatici Græci, quò Romanum Primatum lædant, atque euadant, adserunt Sardicenses Canones sancire de Romano dumtaxat Patriarchatu: Vti ex toto Occidente ad Romanum Episcopum, ita ex toto Oriente volunt appellandum ad Antistitem Constantinopolitanum. Ita vtramque Romam credunt esse in omnibus æquales. Firmare hæc nituntur ex tertio Constantinopolitano, itemque ex nono, & vigesimo octauo Canone Chalcedonensi. Et hæc omnia probat iste Tenebrio.

Etiam hæc sunt eius verba: Sciendum antiquos Patres ità attendisse gubernationi commissarum sibi peculiariter ouium, vt curam gregis vniuersi alienam à se non ducerent.] Demonstrare id molitur multis exemplis, atque testimonijs, & concludit: [Ostendimus veteres Episcopos tanti fecisse vnitatem Ecclesiæ, vt singuli eorum vniuersalis Ecclesiæ curam putarent pertinere ad se ratione quadam, ex quo fiebat, vt vnius iniuria omnnes aduerteret.] Ex hoc principio infert: [Adeò tunc temporis pulcherrimæ cuidam Aristocratiæ proprior erat administratio Ecclesiæ, quàm illi, quæ postea inuehi cæpit, absolutæ, & crudæ Monarchiæ.] Eusebiana factio solos tres Patriarchas, hic autem Tenebrio omnes, & singulos Episcopos, præsertim Metropolitas, vult esse inuicem æquales Aristocratores, atque ex ipsis conflati monstrosam, & multicipitem Hierarchiam. Romano Episcopo dat primum locum, istoque ex fonte censet natum, vt Marcion Ponticus, Felicissimus, & Fortunatus Carthaginenses, Priuatus Lambesitanus, sanctus Athanasius Alexandrinus, sanctus Paulus, sanctus Ioannes Chrysostomus, & sanctus Flauianus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistites, ac alij plures per suas Synodos damnati Episcopi, & Clerici accurrerunt Romam, ac ab eius Papa opem poposcerunt. Et adiungit: [Qui huiusmodi exempla volunt esse appellationum ad Romanum Papam testimonia, si quæ de vniuersalis Ecclesiæ cura diximus, omnium Episcoporum olim communi, attenderint, & dare locum veritati curauerint, aliter sentient. Nam etsi Prærogatiua quadam honoris eminebat Romana Sedes, atque adeò gratia, & auctoritate plus aliquantò poterat, quàm cæterarum singulæ, quæ, vel plurimùm valebant, si tamen ius spectetur, non magis Romam primis temporibus appellari solitum, quàm, vel Alexandriam, vel Antiochiam, vel Carthaginem, vel Mediolanum, vel aliò.] A cunctis olim Romam confugientibus vult imploratum, atque impetratum fuisse fraternum dumtaxat solatium, non Hierarchicum Patris, aut Principis auxilium. Quæ omnia vt firmet, vult olim nullos fuisse Patriarchas, nullos Primates, nullas Diœceses, nullos Ecclesiasticos Tractus, sed solas Prouincias: Vult Ecclesiam tunc solis Prouincijs, & ipsarum Synodis, non Diœcesibus, aut harum conuentibus fuisse distinctam, ac gubernatam. Et hanc Præmissam

cum non paucis eius conclusionibus adsumit ac vendit etiam Dominus Petrus de Marca.

Respondeo notam hic vocabuli, Dioecesis, significationem insigniter exponi à Theodoro Balsamone in commentario noni Canonis Chalcedonensis: [Dioecesis est, quę multas sub se habet Prouincias.] Loquitur cum Innocentio primo Pontifice, qui de Antiochena Cathedra scribit ad eius Patriarcham Alexandrum: [Super Dioecesim, non super aliquam Prouinciam recognoscimus constitutam.] Id est, non vnicæ Prouinciæ Metropolitanæ, seu præfecta est, sed conflatæ ex pluribus Prouincijs Dioecesi. Scio voci esse, & alias significationes: Etenim quandoque pro Prouincia, quandoque pro Episcopali Territorio, quandoque accipitur etiam pro Pagensi vnius Presbyteri Parochia. Verùm hic tractamus vocem in prima per Theodorum Balsamonem laudata significatione. Et ipsa est antiquissima. Etenim in relatione ad sanctum Syluestrum Pontificem scribit prima Arelatensis synodus: [Maiores Dioeceses tenes. Videlicet Italicam, Gallicanam, Hispanicam, Africanam, Illyricianam. Et in Eusebij Cæsariænsis de sua vita libris magnus Constantinus in habito ad Nicænam synodum sermone memorat Dioecesim Ponticam, & Asiaticam. Easdem memorat apud Ecclesiasticam Theodoreti historiam Imperator Theodosius, additque Thracicam. Est vox frequens in antiqua Romani Imperij notitia, ac in legibus Constantino posterioribus. Etenim Constantinus ad antiquas, & suas nouas Imperij partitiones meliùs exponendas putatur primus fuisse vsus ista voce. Quidquid sit, ipsius significatum est omninò antiquissimum. Etiam apud Ecclesiam. Quod enim S. Petrus Apostolus tres Apostolicas Cathedras, & tres ipsarum Patriarchales tractus, aut Dioeceses instituerit, constanter docent & Latini, & Græci. Quin & disertè id profitetur sextus Nicænus Canon: [Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Libyam, ac Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus omnium horum potestatem habeat. Quia, & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter, & apud Antiochiam, cæterasq; Prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs. Per cęteras Prouincias intelligit tres autocephalas Dioeceses: Thracicam, Ponticam, Asianam. Qui has à secundo primi Constantinopolitani Concilij Canone erectas existimant, infeliciter deuiant. Nam quòd Neocæsariensis in Ponto Ecclesia à Thaumaturgi Gregorij tempore semper respexerit Cæsariænsem in Cappadocia Cathedram, disertè scribit in literis ad Neocæsariænses magnus Basilius. Quod sanctus Armeniorum Apostolus Gregorius à sancto Leontio, eiusdem Cæsariænsis Cathedræ Episcopo, & se & suos semper successores consecrari voluerit, testatur ipsius authentica vita, sanctus Nicon Monachus, Isaac Catholicus, & alij Armeniarum rerum Scriptores. Quod idem Leontius Nicænæ synodi acta per Cappadociam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, atque Armeniam publicarit, vt totius Dioeceseos Exarchus, testatur Gelasius Cyzicenus. Quod tamen vacillat. Etenim non Leontium, sed ipsius successorem Hermogenem Nicæno Concilio adfuisse, atque ab ipso compositum symbolum, disertè adfirmat in literis ad Patrophilum Episcopum, & in literis ad nescio quem Innocentium, Magnus Basilius. Possit memoria lapsus Gelasius pro Hermogene scripsisse Leontium. Etiam toti Asiæ, & plurimis in ipsa Episcopis se præsidere testatur in literis ad Victorem Papam, exstantibus apud Eusebium Cæsariænsem, Polycrates Episcopus Ephesinus. Asiatica Dioecesis, in antiqua Imperij notitia habet decem Prouincias. Et ad tertium sancti Esaiæ caput scribit sanctus Ioannes Chrysostomus, quod sanctus Apostolus Paulus Timotheum, licèt iuuenem euexerit ad summam amplitudinem, ad altum fastigium dignitatis Ecclesiasticæ, ad onera amplissimarum Ecclesiarum. Quod ipsum repetit in prima Homilia ad populum Antiochenum. Exponit in commentario primæ Apostolicæ ad Timotheum epistolæ: [Timotheo credita fuit Ecclesia, immò gens ferè tota Asiatica.] Et in commentario secundæ epistolæ: [Timotheo Paulus Ecclesię, gentisque totius credidit gubernacula.] Quia nempe illum creauit Ephesinum Episcopum, quæ ciuitas erat Metropolis totius Asiæ, Sedes Romani Proconsulis. Quod ipsum demonstrari possit de Thracica Dioecesi, cuius Exarchus fuit Heracleensis Antistes, Metropolita Europæ. Et quis nesciat sanctum Cyprianum, & omnes eius in Carthaginensi Cathedra Antecessores toti Africæ præsedisse? Quod quisque, maioris præsertim ciuitatis, Episcopus olim potuerit alienis Ecclesijs se miscere, alienosue damnatos reparare, est insignis ignorantia insignis impostura. Ex istiusmodi hinc indè excessibus natæ sunt plurimæ, ac durissimæ Episcoporũ contentiones, plurimis omni æuo Canonibus proscriptæ. Et posteriores, qui Patriarcharum, ac Primatũ iura stabilierunt, Canones dumtaxat stabilierunt auitam consuetudinem, datamque ab Apostolis regulam. Quocirca longè certissimum est Christianitatis, non tantùm in Metropoliticas Prouincias, sed etiam in Patriarchales, ac Primatiales Tractus, aut Dioeceses diuisionem esse omninò antiquissimam: Esse Apostolicum Institutum.

Epist. 18. cap. 1.

Lib. 3. c. 18.

Lib. 5. c. 23.

Epist. 75.

Epist. 81.

Epist. 319.

Lib. 5. c. 23.

Hom. 15.

Romana sancti Athanasij Appellatio denuò examinatur.

Etiam circà hanc appellationem grauiter errat D. Petrus de Marca. Audiamus eius verba: [Adnotandum est, iniquum omninò visum esse Orientalibus, si Occidentales Episcopi etiam in plenario Concilio tentarent retractare iudicia in Orientalibus synodis facta, quod eo pacto harum synodorum auctoritatem violari manifestum esset. Itaque vix credi potest, ita comparatos fuisse, vt solius Romani Pontificis auctoritatem sua superiorem esse confiterentur, præsertim cum schisma recenter aduersùs illum fecissent, eumque ob hoc excommunicassent, quod caput esset eorum, qui leges Ecclesiasticas pessum dederant. Et adducit Philippopolitani Conuenticuli in Iulium Pontificem verba: Vt Ducem, & Principem malorum, qui primus ianuam communionis sceleratis, atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit

Lib. 1. c. 6.

cit ad soluenda iura Diuina.

Respondeo omninò hunc fuisse quorumdam Orientalium sensum. Nempè totius Eusebianæ factionis. Hæc enim est, quæ à Iulio Pontifice reparatum Athanasium, ac ipsi redditum Episcopatum noluit agnoscere; quæ garriuit Ecclesiasticam Hierarchiam esse non Monarchicam, sed Aristocraticā, ex æquo diuisam in tres Patriarchas; quæ Orientalis Ecclesiæ Patriarchalia iudicia voluit esse suprema, ideòque per Romanam Ecclesiam non posse retractari, quæ istorum iudiciorum supremam auctoritatem censuit esse Diuinum, atque Euangelicum ius; quæ hoc ius garriuit in reparato Athanasio violatum à Iulio; quæ in Iulium, tamquam Euangelij præuaricatorem latrauit excommunicationis conuitium; quæ Sardica fugit Philippopolim, atque illic omnia hæc scelerata facinora, & dogmata & stabilit per sceleratas literas, in quarum capite statim post Georgium Alexandrinum, & Amphionem Nicomediensem, scelerati Eusebij successorem laudatur Donatus Carthaginensis Episcopus: Vtique Donatus magnus, à quo Hæretici Donatistæ. Nempè vti nunc Lutherani, & Caluinistæ, quo suam paucitatem consolentur, & Romano Pontifici incommodent, conantur sibi adunare schismaticos Græcos; ita tunc Eusebiana Arianorum factio eumdem in finem studuit sibi adunare turbidos, & Occidentales Donatistas. Et ex ista epistola Donatistæ posteà conati sunt euincere suam communionem non concludi intra Africam, sed extendi in Orientem. Et ad eius lectæ exordium sanctus Augustinus, qui Sardicensia acta distinctè non callebat, primùm obstupuit, & Iulium Pontificem ob reparatum Athanasium damnari ab ipsa audiens, statim clamauit esse Arianam. Et ex ista scelerata epistola D. Archiepiscopus probat suas adsertiones, creditque se adserere cum tota Orientali Ecclesia. Verùm non sentit cum sancto Athanasio, nec cum Sancto Paulo Constantinopolitano, nec cum Marcello Ancyrano, nec cum Lucio Adrianopolitano, nec cum Asclepa Gazensi, nec cum plurimis alijs orthodoxis per omnem Orientem Episcopis, & Clericis, qui cuncti à suis hæreticorum Patriarcharum, aut Metropolitarum synodis damnati Romam appellauerunt. Nec sentit cum Sardicensi synodo, quæ aduersùm istas sceleratas literas edixit: [Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus.]

Pergit D. Archiepiscopus: [Orientales per illas tempestates regulam hanc certam, & indubitatam Ecclesiasticæ disciplinæ esse contendebant, res in Oriente iudicatas retractari non posse in Occidente, nec è contra. Ita namque adfirmauit Concilium Antiochenum in epistola ad Iulium Papam, in qua Episcopi afferunt exemplum damnationis Pauli Samosateni ab Orientalibus Episcopis decretæ, quam Occidens recepit, & approbatione sua confirmauit damnationem à synodo Occidentali decretam aduersùs Nouatianum.] Respondeo Eusebianæ factionis schismatica, & hæretica commenta hìc denuò venum exponi pro certa, ac Indubitata Orientalis Ecclesiæ regula. Nam & Antiochena synodus fuit istius factionis sceleratum conuenticulum, deditque fundamenta, & fomenta, ex quibus Philippopolitanum conuenticulum firmauit suas sceleratas literas. Audiamus quid de istius ad Iulium literis censeat Hermias Zozomenus: Quibus, vtique per Iulium facta Athanasij reparatione, & Apostolicis eadem de re literis, iili, Eusebiani Episcopi, [grauiter commoti, conueniunt Antiochiæ in vnum, & epistolam verbis elegantibus ornatam, & disertè, vt Rhetorum mos est, compositam, ad Iulium scribunt, eamue plenam ironiæ, & minarum non expertem grauissimarum. Nam quamquam literis suis fatebantur Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, vtpotè quæ Apostolorum schola, & pietatis Metropolis licèt auctores Religionis Christianæ primùm ex Oriente venissent, iam ab initio fuisset; tamen indignati sunt se posteriores ideò ferre, quod magnitudine Ecclesiæ superarentur. Idque cum virtute, & pio viuendi studio longè superiores essent. Quin etiam criminis loco Iulio obijciebant, quod cum Athanasio, & reliquis cum eo Episcopis communicauerat. Et ægrè admodum ferebant, perindè ac si tum Concilium Nicænum, tum ipsorum sententia fuissent abrogata. Quod factum, vt iniquum, & à lege Ecclesiastica discrepans, insimularunt. His de causis cum eum ad hunc modum criminati essent, & sibi factam iniuriam testati, Iulio pacem, & communionem pollicebantur, si modò abdicationem eorum, qui ad ipsum profugerant, approbaret. Sin autem resisteret ipsorum decretis, contraria se facturos prædicabant. Nam Episcopos, & sacerdotes Orientis, qui ipsos antegressi fuerant, minimè refragatos esse Episcopo Romano, cum Nouatianus erat Ecclesia, ab eo eiectus.] Primò dicunt, quod Romanus Episcopus primas teneat: Verùm solius loci, non potestatis. Omnes tres Patriarchas volunt esse æquales, & supremos, distinctos solo loci ordine. Hinc inferunt Patriarchales Orientalis Ecclesiæ sententias esse supremas, atque inappellabiles, ideòque per Romanam Ecclesiam reformari non posse, aut retractari. Tertiò adfirmant sic statutum à Nicæna synodo, vtique à quinto eius Canone. Quartò aiunt, & istum Canonem, & antiquam Ecclesiæ legem per receptum, ac reparatum Athanasium esse violata à Iulio, ipsum communicasse alienis damnatis, ideòque esse ab eodem Canone damnatum. Quintò ei reparationem promittunt, dummodo ab ista sua scabiosa communicatione cesset, & deinceps interponendis ad ipsum appellationibus renunciet. Sextò ipsum, nisi obediat, minantur irreparabiliter degradandum. Et hinc ad hasce literas Iulius rescripsit: [Non scio, cur vobis ita rem agere placuit, vt nos in hanc opinionem redigatis, vt arbitremur nos sub specie reuerentiæ pro ludibrio esse habitos, dictaque vestra irridentium fuisse, cum, & Presbyteros nostros ad vos missos, quos cum gaudio remissos oportuit, cum luctu remiseritis ob ea, quæ isthic geri conspiciebant. Ego certè, cùm literas vestras euoluerem, post varias vltrò, citroque cogitationes, eas supprimendas cogitaui ea spe, quòd crederem saltem aliquos ex vestris aduenturos, nec opus fore istiusmodi epistolis, ne si illæ in publicum promerentur, multos hic dolore adficerent. Cæterùm vbi

Lib. 3. c. 7.

 nullus

nullus vestrum superuenerat, necessum fuit, vt eas proferrem. Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant, vt crederent istiusmodi literas à vobis profectas esse, in quibus rixandi potiùs, quàm charitatis adfectus eminebat. Quòd si ambitione eloquentiæ ostentandę ita exceptę sunt à Dictatore, id certè studium ad alios spectauit. In rebus enim ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolici requiruntur, operaque dari solet, ne quis ex paruis in ecclesia scandalizetur. Expedit enim, secundùm ecclesiasticum verbum, molem asinariam suspendi è collo, atque ita demergi, quàm vnum è pusillis scandalizare.] Eiusmodi commenta sol vsque tunc non viderat: Hinc omnis Romana Synodus fuit meritò admirata, & scandalizata. Et ex istis sceleratis literis Dominus Archiepiscopus firmat suas cogitationes, profiteturque se cum ipsis sentire.

Et Pauli Samosatensis exemplum nihil omninò facit ad ipsorum rem, sed plurimùm ad nostram. Etenim Paulus non appellauit Romam: Sciens illic pertinacibus hæreticis non subueniri. Appellauit ad Imperatorem Aurelianum. Et hic hominem remisit ad Romanum Pontificem, ac Italiæ Episcopos. Christianorum Canonum peritus Princeps norat istuc à damnatis Patriarchis appellandum. Et Pauli damnatrix Antiochena Synodus suum iudicium retulit Dionysio Pontifici, ideòque, & ad eius arbitrium suspendit. Quòd enim relatio ad solum superiorem fiat, & non minùs quàm appellatio suspendat omnia, cunctis Legum, & Canonum peritis est exploratum. Etiam quòd sine præuia ad Apostolicam Sedem relatione, & dato ad ipsam rescripto damnare Paulum Patriarcham non potuerit, profitetur eadem Synodus, allegat intermissæ huius formæ grauissimas causas, adeòque suorum iudiciorum omnimodam à Romano Throno dependentiam plenissimè agnoscit. Et in suis literis Iulius addidit: [Non omnium talem mentem fuisse arbitror.] Etenim Antiochena Synodus, licèt Eusebiani præualuerint, habuit, & orthodoxos Episcopos, qui non minùs has schismaticas insolentias, quàm Arianos errores fuerunt constanter detestati.

Pergit Dominus Archiepiscopus. [At Iulius Papa respondens huic epistolæ, non contradicit absolutè supremam esse Orientalium Conciliorum auctoritatem, sed Athanasij tantùm facto inhæsit, explicandoque iudicio, quod aduersùs eum fuerat latum in Synodo Tyria. Ait enim illud esse irritum, quod aduersùs Athanasium, presbyterumque eius Macarium testimonia illis absentibus recepta fuerint Iudicibus delegatis, apertissimis Athanasij hostibus, & ab eo eiuratis, ideòque iudicium illud integrum non fuisse, sed tantùm *ec monomerois*, ex quo sequeretur illud exsecutioni non esse mandandum. Cùm itaque Athanasium in suam communionem susceperat, nihil se Canonibus aduersum egisse, quoniam sententia excommunicationis nulla erat.] Respondeo, nec Athanasium prouocare potuisse à iusta sententia, nec iustam sententiam à Iulio rescindi. Quis enim nesciat interiectas aduersùm iusta iudicia appellationes esse friuolas, refutandas, puniendas? Hinc ergò, & suum, & Athanasij factum purgaturus Iulius, meritò demonstrat Tyrium iudicium, & in substantia, & in modo excessisse, per leges, & Canones fuisse irritum, ideòque ab Athanasio rectè appellatum ad Apostolicæ Sedis tribunal, iustè à se retractatum, reformatum, exsufflatum. Et quibus verbis agnouit Orientalium iudiciorum supremam auctoritatem? Imò huic auctoritati patentissimè, & constantissimè contradixit: [Iam vbi ijdem, qui à vobis pro grauibus viris, & fide digni habiti fuerunt, auctores mihi fuerunt, vt vos conuenirem, certè id à vobis ægrè ferri non debuit, sed potiùs alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hac citatione offenduntur, temeraria, & tergiuersatio sistendi se in iudicio, inhonesta, & suspiciosa videtur. An quisquam stomachari debet, si quæ ipse fecit, ab alijs fieri videat? Si enim, vt scribitis, inconcussam habet auctoritatem quælibet Synodus, & contumeliosè agitur cum Iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur, considerate quæso, Dilectissimi, quinam sint, qui synodum improbant, & qui aliorum iudicata rescindunt, ne singula excutiendo, certos homines grauem.] Palmaris istarum literarum scopus est demonstrare; Quòd Orientalium Synodorum Patriarchalia etiam iudicia non sint inconcussa, aut Romam inappellabilia, ideòque, & Athanasius, & Paulus Constantinopolitanus, & Marcellus Ancyranus, alijque plures ab istis Synodis damnati Episcopi, & Clerici potuerint Romam appellare. Quod istas appellationes suscipere possit Pontifex, quòd possit partes citare ad suum Tribunal, quòd citati comparere debeant, & illic ex Iudicibus demutari in reos, aut accusatores. In lucidas res non est tempus expendendum.

Errorem continent, & hæc D. Archiepiscopi verba: [Postremò ait Iulius nihil aduersùs Statuta Nicœni Concilij tentari, si quæ Synodus quæpiam statuat, in posteriori retractentur. Alludit autem ad Synodum Alexandrinam, cui centum Episcopi interfuerant, in qua damnatus fuit Arius, cuius causa de integro discussa est in Concilio Nicœno.] Respondeo nequaquam alludere ad istud dumtaxat exemplum. Alludit, & ad plures Romanas ex Oriente appellationes, ad quas in Ecclesiastica historia alludit etiam Theodoretus: [Iulius Ecclesiæ Canonem secutus, & eos,] vtique Eusebianæ factionis episcopos, [qui Athanasium damnarant, iussit Romam venire, & Diuinum Athanasium, quo pro se in iudicio ipse responderet, vocauit.] Notanda sunt hæc Iulij verba: [Si igitur verè parem, eumdemque honorem in omnibus episcopatibus censetis esse, neque ex magnitudine ciuitatum, vt vos sentitis, honorem eius rei crescere arbitramini, &c.] Adfirmat omnes Patriarchales Sedes nequaquam esse pares, sed suam Romanam, vti loco, ita & potestate esse primam, atque maiorem, ideòque ad ipsam à cunctis posse prouocari. Et quidem aliarum Synodorum iudicata rescindere erat factioni familiarissima audacia: Etiam synodorum ad ipsam non spectantium. Etiam ipsius Lib. 2. c. 4.

Nicœ-

Nicœnæ Synodi. Hinc Pontifex miratur inter eius acta, & dicta tantam dissonantiam.

Pergit D. Archiepiscopus: [Adnotandum est, non dicere Iulium redditas à se fuisse ecclesias Athanasio, & alijs episcopis. Nam ea erat quæstio principalis, quæ reseruata erat cognitioni Synodi, quam Iulius conuocauerat rogantibus Orientalium Legatis, tametsi negarent dein Orientales id se Legatis suis dedisse in mandatis. Sanè ijdem Orientales in sua epistola Synodica, sub nomine Concilij Sardicensis edita, illud tantùm conqueruntur, receptos à Iulio in communionem Athanasium, & reliquos episcopos damnatos.] Et probat ex epistolæ verbis de Athanasio: [Ad Iulium Romam perrexit, sed, & ad Italiæ quosdam ipsius partis episcopos, quos seducens per epistolarum falsitatem ab eisdem præfractè in communionem receptus est.] Respondeo illic per communionem omninò intelligi Alexandrinam Ecclesiam, ac eius episcopatum. Etenim aliud est laica, aliud clericalis, aliud episcopalis communio: Et non solam laicam, aut clericalem, sed omninò episcopalem communionem reddidit Athanasio Iulius, idest, ecclesiam, ac episcopatum. Et nota hìc Athanasium non ad generalem Synodum, sed accessisse ad solum Iulium, ac eius Prouincialem Synodum: Item ab hac sola, in qua Iulius ex Apostolico Canone erat omnia, illi redditam episcopalem communionem. Etiam Sardicensi Synodo tamquam Canonicus Alexandriæ Episcopus interfuit, & adsedit Athanasius. Hæc fuit palmaris inter Orthodoxos, ac Eusebianos Episcopos contentio. Hi ipsum vti reum, & degradatum, illi vti à Iulio reparatum episcopum voluerunt adesse. Et hi obtinuerunt. Hinc enim Eusebiani, Iulij iudicium nolentes reuereri, fugerunt Philippopolim. Et cuncta Iulij Gesta Synodus confirmauit. Etenim vnicus, aut certè palmaris scopus huius Synodi erat Iulij pro Athanasio Gesta retractare.

Aliquid tamen veri habent hæc Domini Archiepiscopi verba: [Ea erat quæstio principalis, quæ reseruata erat cognitioni Synodi, quam Iulius conuocauerat.] Appellatæ causæ retractatio fieri non poterat inaudito primo Iudice, ideòque appellantes episcopos ità gradui restituit Iulius, vt tamen definitiua non esset restitutio, sed sola appellationibus facta suspensiui effectus impartitio, in contradictorio totius ecclesiæ iudicio maturiùs retractanda. Hinc omnem Athanasij damnatricem factionem citauit ad suum tribunal, synodaliter daturam rationes sui facinoris. Verùm, quòd illa moras necteret, fucos allegaret, palàm detrectaret se sistere, aliundè se instruxit de causa Pontifex, ac pergit in suis literis: [Cùm igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iusta pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? An non quod ecclesiastici Canonis est, hominemque proindè non condemnaremus, sed potiùs reciperemus, eumque pro episcopo, quemadmodum est, haberemus? Præter hæc omnia annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit, vestram præsentiam exspectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim iudicio stetisset, nisi sui fiduciam habuisset. Neque spontè, sed literis nostris ad iudicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per literas citauimus, & tamen post tanta argumenta nos veluti insolitum quid agentes reprehenditis. Qui igitur sunt, qui contra Canones agunt? Nosne, qui cum tantis rerum documentis virum recepimus? Ad retractandas hasce appellationes generalem Synodum indicere nullus Pontificem obligauit Canon, sed sola causæ grauitas, & facilioris exsecutionis spes induxerunt. Verùm quoniam adesse tergiuersaretur, & palàm recusaret appellata, & citata factio, iure suo vsus est, & in suæ Prouinciæ Synodo solus momentosissima negotia expleuit. Lucidè adserit Athanasium esse à se redditum episcopatui, & omnem hunc à se solo peractum in appellatæ causæ retractatione iudicialem ordinem esse vetustum Ecclesiasticæ Hierarchiæ Canonem, ac morem. Quæ omnia insigniter illustrat Hermias Zozomenus: [Athanasius fugiens Alexandria Romam aduentauit. Eodem tempore Paulus etiam Constantinopolitanus Episcopus fortè illò accessit. Et Marcellus quoque Ancyræ, & Asclepas Gazæ Episcopus, qui cum doctrinæ Arianæ aduersaretur, in crimen vocatus est ab Arianis, quòd Altare euerterit, & fuerit propterea abdicatus. Cuius locum in ecclesia Gazæ administranda obtinuit Quintianus. Item Lucius Episcopus Adrianopolitanus, ab alijs accusatus, sua, quam regebat ecclesia spoliatus, Romæ ætatem degit. Quorum criminationes cùm Romanus Episcopus intellexisset, & omnes fidei Concilij Nicœni consentientes reperisset, in communionem recepit. Et cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eosq; incusauit, quòd inconsultò de hisce viris iudicassent.

D. Archiepiscopus dat hunc Commentarium: [Cùm apud Zozomenum legis Iulium recepisse in suam communionem Athanasium, ac reliquos Episcopos, & vnicuique eorum suam ecclesiam reddidisse, ob curam videlicet vniuersalis ecclesiæ, quæ ei incumbit propter dignitatem Sedis suæ, existimare debes restitutionem illam ecclesiarum non fuisse factam directè, sed per consequentiam, eò quod episcopi illi à Iulio in communionem recepti fuerint, velut episcopi huius, aut illius Sedis.] Et statim infra: [Necessariam esse arbitratus sum discussionem præcipuorum capitum huius Iulianæ epistolæ, quod ea, æquè, ac verba Zozomeni, perperam hactenùs accepta sint ab ijs, qui ea laudauere. Contendunt quippè factum Iulij, quod nihil aliud est, quàm quoddam velut obsequij genus ad retinendam communionem Orientalium, à suprema eius iurisdictione profectum esse, atque ex auctoritate cassasse iudicia Conciliorum Orientalium.] Respondeo Zozomeno consonare etiam Socratem. Athanasij, Pauli, Marcelli, Lucij, & Asclepæ Romanam appellationem refert, ac subdit de Papa Iulio: [Ille verò, quoniam Romana Ecclesia priuilegium præ cæteris obtinebat, literis suis ad Episcopos Orientis liberiùs perscri- Lib. 3. c. 7.

perscriptis illorum partes tueri studet. In Orientem literas mittit, quò & suus cuique locus restitueretur, & eos, qui illos temerè damnauerant, grauiter reprehenderet. Illi discedunt Roma, & Iulij literis confisi ad suas ipsorum Ecclesias redeunt. Literas, ad quos scriptæ erant, mittunt.] Palàm adfirmat episcopis istis non tantùm episcopalem titulum, sed insuper ecclesias à Iulio fuisse redditas. Et hoc non ex amici officio, sed ex episcopali super omnes auctoritate. Et hinc literis confisi episcopi cum omni fiducia ad suas ecclesias redierunt. Et hæc omnia à se fuisse facta secundùm Canones, adsiduè clamauit Iulius,& Theodoretus confirmauit. Et aliam euasionis viam nesciens Eusebiana factio, impudenter negauit Ecclesiæ Monarchiam, catholicamque vnitatem lacerauit in tria capita. Quin, & in secunda sua Apologia scribit ipse Magnus Athanasius: [Quod ad nos attinet, iudicio nullo opus est. Iudicatum est enim non semel secundùm nos, sed sæpiùs. Primùm quidem in nostra Prouincia, cùm ad id coijssent propemodum centum Episcopi. Secundò Romæ, nobis & cæteris Eusebij aduersarijs ad eius criminosas literas in iudicio comparentibus. Fuerunt autem in eo consessu plures, quàm quinquaginta episcopi. Tertiò iterum in magno Sardico Concilio.] Disertè adfirmat se Romæ non per aliquod obsequij genus, sed per Synodalem auctoritatem esse absolutum. Et in fragmentis adEusebianam factionem scribit sanctus Hilarius: [Ignorasse vos negabitis Athanasio, cuius damnationem à vobis Valens, Vrsacius, Saturninus exigunt, ab Hosio, Maximino, Iulio redditam communionem.] Nempè Sardicensi Synodo Hosius præsederat, & Romano Iulij Concilio Maximinus Treuerensis adfuerat, & Athanasij reparationem singulariter adiuuerat. Quin & ipsa Sardicensis Synodus scripsit ad Alexandrinam Ecclesiam: [Qua ex re,] vtique ex Eusebianæ factionis fuga, [æquitas iudicij fratris, & Coepiscopi nostri Iulij liquidissimè apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sententiam tulit, adeò vt nihil relinquatur dubij de communione fratris nostris Athanasij.] Non qualemcumque, sed episcopalem communionem appellantibus episcopis reddiderat Iulius: Et episcopalis communio nequit esse sine Ecclesia. Nec enim ex realibus titulares dumtaxat, seu annulares episcopos creauit Iulius, quales solius honoris gratia fuisse in quibusdam monasterijs scribit Hermias Zozomenus. Non solam dignitatem reddidit, sed insuper Cathedram, atque Ecclesiam.

Quid sibi volunt hæc verba, [Existimari debet restitutionem illam Ecclesiarum non fuisse factam directè, sed per consequentiam?] Quodnam hoc sophisma? Quæ cespitantis mentis angustia? Nempè in mala causa deficit omne bonum ingenium. Hinc aliud nescit, quàm deuias cogitationes denuò firmare ex Synodali Philippopolitani Conuenticuli epistola, & ex ipsa concludere: [Orientales Sardicæ congregati pertinaciter adhærent sententiæ Concilij Antiocheni, causasque secessionis suæ reijciunt in Occidentales, qui aduersùs veterem Ecclesiæ consuetudinem cognoscere vellent de causis Orientalium.] Respondeo hæc non apud Sardicam fuisse acta, sed apud Philippopolim. Scelerata est ista epistola, damnatissima ab omnibus sub cœlo Ecclesijs: Et ecce Orthodoxus Archiepiscopus profitetur se ex ipsa, & cum ipsa sentire. Et ipsius temeritates, atque errores, quos constat esse solius Eusebianæ factionis, adscribit toti Orientali Ecclesiæ. Fateor Iulij de Athanasio iudicium non fuisse missum in executionem. Rationem dat in libro aduersùs Imperatorem Constantium sanctus Hilarius: [Mutati Præfecti, electi Iudices, corrupti populi, commotæ plebes, ne ab Athanasio Christus prædicaretur.] Vtique apud Alexandriam. Ab Athanasio reparato per Iulium.

Ad Ariminensem Synodum scripsit idem Augustus Constantius: [Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proindè super his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoscit grauitas vestra, tractare debetis. Et infrà: Quę cùm ita sint, aduersùm Orientales nihil statuere vos oportet. Aut si aliquid contra eosdem, prædictis absentibus, volueritis definire, id, quod fuerit vsurpatum, irrito euanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio,cui nostra testatur iam nunc robur, & copiam denegari.] Hæc verba laudat D. Archiepiscopus, & adiungit: [Quænam fuerit Orientalium mens, manifestè docet epistola Imperatoris Constantij, data ad Concilium Ariminense, quod constabat ex Episcopis Occidentis.] Respondeo Imperatorem Constantium fuisse Eusebiana lepra plenum, & Philippopolitani Conuenticuli pertinacem patronum.Lucet ex Liberij Pontificis ad ipsum rescripto, in quo se ab omni Romanæ Cathedræ ambitu fuisse semper immunem protestatur, atque adiungit: [Secutus morem, ordinemque maiorem, nihil addi episcopatui vrbis Romæ, nihil minui passus sum.] Nempè de ampliata Romani Episcopatus supra Orientales Patriarchas, & Synodos auctoritate arguerat ex schismaticis Philippopolitani Conuenticuli commētis Constantius: Et Pontifex se purgat per morem, & ordinem maiorum, protestaturque Romano Episcopatui, vti nihil addendum, ita nec minuendum. Attamen Constātius videtur non ex hac radice scripsisse ad Ariminensem Synodum. Ita suadent hæc eius verba: [Si aliquid volueritis contra eosdem, prædictis absentibus, definire.] Laudant antiquam Ecclesiasticorum iudiciorum normam, ex qua eumdem Principem, dum in Mediolanensi Concilio se offerret in Athanasij absentis accusatorem,reposuerunt Orthodoxi Episcopi: [Quonam modo accusator esse possis, non præsente reo? Esto,vt accusator sis, absentia tamen rei facit, vt in causa iudicare non liceat. Non enim de re Romana iudicium est, quò tibi vt Imperatori fides habeatur, sed de episcopo agitur. Et oportet in hoc iudicio pari iure cum reo, & accusatore agi. Quomodo autem accusabis eum, qui ob longinquitatem loco adesse non potuit?] Ita habes apud Athanasium in epistola ad Solitarios. Ex ista igitur regu-

gula Constantius voluit Arimini non iudicari de existentibus apud Seleuciam Orientalibus, prædixitque irritum fore istiusmodi iudicium. Rescriptum istud palàm agnoscit Ariminenses potuisse iudicare de Seleuciensibus: At eos monet, ne quid attentent contra iudicialem ordinem. Et hinc similes literas Constantius non misit ad Seleucienses: Quod nempè exploratum esset ipsos non posse iudicare de Ariminensibus. Hinc item Ariminensis Synodus non dumtaxat Auxentium Mediolanensem, Valentem Mursiensem, ac Vrsacium Singidunensem, Occidentales episcopos, sed etiam damnauit Germinium, hominem Syrum, Cyzici Episcopum, ac Hellesponti Metropolitam, necnon & Caium, episcopum item Orientalem. Quòd nempè essent præsentes Synodo. Ita quidam existimant. Verùm quod Caius, licèt forsan homo Orientalis, fuerit Panno, adeòque Occidētalis episcopus, Athanasius disertè testatur in epistola ad Epictetum episcopum Corinthiorum. Et Germinium fuisse Cyzico translatum in Syrmiensem Ecclesiam adfirmat in literis ad Solitarios. Quapropter ista adsertio probanda est ex literis ad episcopos Africanos: [Vos dilectissimi compertum habetis ex ijs, qui ex vestro numero ad Concilium Ariminense se contulerunt, quomodo Vrsacius, & Valens illic præstò fuere, & vnà cum illis Demophilus, eosque ideò depositos, & exauctoratos esse, quod alia, quàm quę in Nicæno Concilio decreta sunt, conscribere vellent. Porrò Demophilum, qui posteà Constantinopolim transijt, fuisse Berrhææ in Thracia episcopum, ideoque spectasse ad Orientalem Ecclesiam, habet antiquus Byzantinorum episcoporum catalogus, exstans in iure Græco Romano. Lib. 2. f. 29. Etiam quosdam Ægypti episcopos adfuisse Ariminensi Concilio, testantur in exhibitis Magno Theodosio precibus Romani Presbyteri Faustinus, ac Marcellinus. Etiam ipsos poterat Synodus iudicare. Quocircà quod apud Seleuciam existentes iudicare nō potuerit, absentia, & necessarius iudiciorum ordo fuerunt causa, non defectus potestatis.

D. Archiepiscopus prosequitur: [Negari certè non potest, quin aliter ea tempestate visum sit Occidentalibus. Verùm longè aberant ab opinione eorum, qui nostra ætate tractarunt de controuersijs fidei, qui pronunciant appellationes episcoporum Orientalium iudicandas esse apud vrbem Romam à Summo Pontifice. Nituntur hi, vt ipsi existimant, prę iudicio epistolę Iulij Papę, quæ exstat apud Athanasium, cuius sensum detorquent ad mentem suam, cùm tamen ex ea constet iura Sedis Apostolicæ temperamēto quodam prudenter adhibito per eas tempestates explicari solita. Nihil enim aliud ab Orientalibus exigebant Iulius, & Romana Synodus, quàm vt causæ Ecclesiarum Apostolicarum, in primis verò Alexandrinę, quoties de depositione episcoporum istarum Sedium ageretur, cum Papa, & Synodo Romana communicarentur, antequam Synodi Orientales cognitionem de ijs instituerent, vt communi consensu componi possent magnæ Ecclesiæ. Quod si post iudicium Orientalium querela manifestæ oppressionis deferretur ad Synodum Occidentalem, tum retractandum esse negotium in Concilio Occidentalium, & Orientalium. Vnde constat in ea epistola non agi de appellatione, sed de prima tantùm causæ cognitione, aut reuisione, neque excitatam controuersiam de omnibus episcopis, sed de ijs tantùm qui Apostolicis Sedibus præsiderent, in primis autem de Alexandrino, ac tamen iudicium reddi non debere à solo Episcopo Romano cum episcopis Occidentalibus, sed ab episcopis Occidentis, & Orientis in vnam sententiam conspirantibus: Ista enim colliguntur ex epistola Iulij, qua Orientales obiurgat in causa Athanasij Alexandrini, & Marcelli Ancyrani, quos Orientis Concilia damnauerant inconsulto Romano Episcopo.

Errores varij. Primus est, quòd soli Occidentales fuerint in ista sententia. Etenim iste schismaticus, quem toti Orientali Ecclesiæ perperam adscribit D. Archiepiscopus, error fuit solius Eusebianæ factionis. Nec solus Athanasius, & cuncti alij in Iulij Epistola memorati episcopi, & clerici, sed etiam Eustatius Sebastensis Episcopus, primę Armeniæ Metropolita, ac omnis eius factio senserunt cum Iulio, & Occidente. Nam & hi à suis Synodis damnati appellarunt ad Liberium Pontificem, fuerunt per ipsum reparati, cum ipsius literis redierunt ad Thyanensem in Cappadocia Synodum, ac suas Ecclesias, & fuerunt recepti. Et gratis demus alium tunc totius Orientalis, alium fuisse sensum totius Occidentalis Ecclesiæ. Certè cum hac nos omnes occidentales oportet sentire: Sentire debemus cum matre Catholica, in qua nati sumus, atque renati. Ita Pelagianorum Goliath Iuliano, ad Orientalem Ecclesiam prouocanti pro suis erroribus, olim respondit sanctus Augustinus.

Secundus error est, quòd Iulij epistola non statuat de cunctis Orientalibus, sed de solis illic Apostolicarum Ecclesiarum Episcopis. Etenim agit non de solo Athanasio, ac Marcello, sed etiam de Lucio Adrianopolitano Episcopo. Porrò hic licèt in Thracia Diœcesi fuerit Hæmi montis Metropolita, attamen nec Apostolicam Sedem habuit, nec Ecclesiam. Epistola agit de Paulo Constantinopolitano Episcopo, quem certum est nec Patriarcham tunc fuisse, nec Metropolitam, sed dumtaxat Prouincialem episcopum in Europæ Prouincia sub Metropolita Heracleensi. Agit de Asclepa Gazæ episcopo, apud Palestinos Suffraganeo Metropolitæ Cæsariensis. Agit de plurimis alijs episcopis, & clericis: [Nec solùm Athanasius, & Marcellus episcopi cum querimonijs de illatis iniurijs, sed & plurimi alij episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palestina huc conuenere. Presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliundè ad hoc Concilium occurrerunt, & coram omnibus episcopis ibi congregatis inter reliqua dicta conquesti sunt vim, & iniuriam ecclesijs illatas esse, suasque ecclesias eadem, quæ Alexandrina, passas esse, & in alijs ecclesijs similia designata.

Rectè tamen D. Archiepiscopus adserit epistolam præsertim agere de sancto Athanasio Alexandriæ Patriarcha, & de Marcel-

cello Ancyræ episcopo, Metropolita primæ Galatiæ. At tertius error est in his verbis: [Nihil aliud ab Orientalibus exigebat Iulius, quàm vt causę ecclesiarum Apostolicarum, inprimis verò Alexandrinæ, quoties de depositione episcoporum earum sedium ageretur, cum Papa, & Romana Synodo communicarentur, antequam Synodi Orientales cognitionem de ea instituerent, vt communi consensu componi possent magnæ ecclesiæ.] Hæc sunt Iulij verba: [Oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & inprimis de Alexandrina ciuitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc esse consuetudinem, vt primùm nobis scribatur, vt posteà, quod iustum est definiri possit? Quapropter si huiusmodi istic suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.] Affirmat Alexandrinum Patriarcham sine præuia ad Apostolicam Sedem relatione, & accepto ad ipsam rescripto iudicari non potuisse, aut damnari. Quod ipsum habet locum etiam in Antiocheno Patriarcha, & cunctis autocephalis Primatibus. Quòd prima de his damnandis instantia spectet ad Apostolicam Sedem ex Apostolico Canone, est suprà demonstratum. Verùm quòd omnes Apostolicarum Ecclesiarum episcopi sint olim isto iure gauisi, nullo nititur fundamento. Nam & Colossensis apud phryges Ecclesia fuit Apostolica: Et tamen eius Antistes, quòd dumtaxat prouincialis esset, non solùm ab Ephesino Asiaticæ Diœceseos Exarcho, sed etiam à proprio Metropolita potuit degradari. Est res extra dubium.

Hinc quæstio est, Cur ergò Iulius istud ius adscribat etiam Marcello Ancyrano? D. Archiepiscopus respondet: [Magna erat per istas tempestates dignitas Ecclesiarum Apostolicarum, id est, earum Ecclesiarum, quas Apostoli fundauerant, Alexandrinæ nimirùm, Antiochenæ, Ephesinæ, Ancyranæ, quæ erat Metropolis Galatiæ, Corinthiensis in Achaia, Thessalonicensis in Macedonia, in primis verò Romanæ, quam Principes Apostolorum suo sanguine consecrarant. Quamobrem cùm ageretur de causa Athanasij Episcopi Alexandrini, & Marcelli Ancyrani in Galatia, quorum ecclesiæ erant Apostolicæ, æquum prorsùs videbatur, vt accusatio aduersùm eos instituta iudicaretur ab episcopis Occidentis, & Orientis.] Respondeo aliud esse Apostolicam Ecclesiam, aliud Apostolicam Sedem. Hæ sunt dumtaxat tres: Romana, Alexandrina, Antiochena. Et harum dumtaxat duarum Episcopi, dum ad criminale iudicium postularentur, gaudebant isto prænio relationis iure. Etiam Heracleensis, Ephesinus, & Cæsariænsis apud Cappadoces: Propter autocephalam Exarchiam. Ancyranum constat Cæsariænsi semper subfuisse, ideoque & ab illo sine præuia ad Papam relatione potuisse damnari. Et lucidè Iulius aliter de Athanasio, aliter loquitur de Marcello. Et sui pro ipso rescripti dat aliam causam: [Marcelli fides confessio que Nicææ spectata est, cùm Arianis contradiceret.] Exponit in factæ ad Iulium appellationis, apud sanctum Epiphanium extante, libello ipse Marcellus: [Cùm nonnulli ex ijs, qui quod parùm integrè de fide sentirent, antè condemnati sunt, quique à me in Nicæna Synodo conuicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitauerint, me non rectè nec cum Ecclesiæ doctrina consentaneè de fide statuere, vt crimen suum in me transferrent, propterea necessariò Romam mihi veniendum putaui. Et in literis ad suos Monachos magnus Athanasius: [Nulli non constat Eusebianos à Marcello de hæresi reprehensos, hæreseos recriminationem pro talione illi vicissim impegisse, senemque, hominemque in exilium eiecisse.] Marcellum ergò, eiusque zelum & rectam fidem singulari elogio probarat Nicæna Synodus: Hinc huius de illo iudicium censuit Iulius sine pręuio Apostolicę Sedis adsensu non potuisse retractari. Lib.72. c.2.

Quartus error est in his verbis: [Quod si post iudicium Orientalium querela manifestæ oppressionis deferretur ad Synodum Occidentalium, tùm retractandum esse negotium in Concilio Occidentalium, & Orientalium. Vndè constat in ea epistola non agi de appellatione, sed de prima tantùm causæ cognitione, seu reuisione.] Et in his: [Verùm longè aberant ab opinione eorum, qui nostra ætate tractarunt de controuersijs fidei, qui pronuntiant appellationes Episcoporum Orientalium iudicandas esse apud Vrbem Romam à Summo Pontifice.] Respondeo hunc ipsum sensum tunc omninò fuisse Iulij Pontificis, Episcoporum Occidentalium, & omnium vbivis orthodoxorum. Etenim se non ad generalem Synodum, sed ad Iulium Pontificem prouocasse testatur assiduè, ac disertè magnus Athanasius. Et de Marcello scribit ad suos Monachos: [Ille autem Romam profectus se innocentem docuit, & vt iussus ab illis fuerat, scripto suam fidem reddidit.] [Et eius apud sanctum Epiphanium appellatorius libellus dirigitur ad solum Iulium: [Beatissimo Collegæ Iulio Marcellus in Christo salutem.] Et post edictas Eusebianorum in se iniurias prosequitur: [Propterea necessariò Romam mihi veniendum, & re commonendum putaui, vt eos, qui contra me scripserunt, accerseres, & cùm aduenissent, à me conuincerentur.] Non plenam Ecclesiæ totius Synodum, sed solos suos damnatores rogat citari Romam, è Iudicibus demutari in accusatores, & sic cum ipsis confligere coram solo Pontifice, & ab ipso solo iudicari. Quod ipsum pluribus testimonijs est suprà demonstratum, ac infrà demonstrandum. Iulius quidem ad dirimendas hasce causas conuocauit generalem Synodum: Quòd nempè tanta cunctæ Orientalis Ecclesiæ turba censeretur aliter vix componenda. Ast quia Eusebiana factio adesse noluit, suo iure, & antiquo more perrexit ille, & omnes appellantes Episcopos in suæ Prouinciæ Synodo solus reparauit. Nec dumtaxàt reuisio fuit, sed Canonica appellatio. Etenim priores Iudices demutauit in accusatores, & peperit effectum plenè suspen-

ſpenſiuum. Pergit enim in epiſtola Pontifex: [Qui ſunt, qui contra Canones agunt, noſnè, qui cum tantis rerum documentis Athanaſium recepimus, an qui ſolùm ad trigintaſex ſuffragia eorum, qui Antiochiæ fuerunt, externum hominem Epiſcopum ſalutarunt, eumque militari manu Alexandriam deduxerunt? Quod ne tunc quidem factum eſt, cùm Athanaſius in Galliam ablegaretur. Quod tum haud dubiè factum fuiſſet, ſi pro verè damnato habitus fuiſſet.] Euſebianam factionem arguit, quòd appellantem Athanaſium habuiſſet pro degradato, atque ità in eius locum intruſiſſet Georgium Cappadocem: Hoc eſt, quòd ſuum de Athanaſio iudicium ob interiectæ appellationis reuerentiam ab exſecutione non ſuſpendiſſet. Etenim degradatoria Orientalium Synodorum, præſertim de Patriarchis iudicia vſque ad Romanam confirmationem ſemper fuerunt ſuſpenſa, nec ad nouam creationem potuerunt procedere, licèt iſti non appellaſſent. Iudicium referri debuit, relatio ſuſpendit ipſum, & ſola Apoſtolica ad iſtam reſcriptio hoc firmauit. Inſigniter hoc docet Antiochenæ, quæ Paulum Samoſatenſem degradauit, Synodi ad Dionyſium Papam relatio: [Illum igitur tam Deo aduerſarium, tamque contumacem, eramus coacti Eccleſia, & fidelium congregatione interdicere, excludereque, & alium Epiſcopum in eius locum ſubſtituere.] Vtique Dominum. Adfirmant ſeſe ad vtrumque fuiſſe coactos: Quòd nempè ſine coactiuis rationibus neutrum potuiſſent. Ex quo vides Sardicenſem Canonem, qui in appellantis Epiſcopi thronum vetat imponi alium, non eſſe nouum ius; ſed antiquum Eccleſiæ morem. Item vides conuinci errorem, quo Dominus Archiepiſcopus adfirmat Synodalium iudiciorum reuiſionem non à Romano Epiſcopo, ſed ab Auguſto Principe vſque ad Sardicenſe Concilium fuiſſe petendam, atque petitam. Quæ de Maximi Cynici Romana appellatione mouet Dominus Archiepiſcopus, ſunt alibi explanata.

Elucidantur alia Exempla.

Lib. 2. c. 32. De Cyrillo Hieroſolymæ Epiſcopo, per Acacium Luſcum ſuum Metropolitam Cæſarienſem damnato, ſcribit Socrates: [Cyrillus ſimùl, atque de gradu eſſet deiectus, appellationis libello ad eos, qui ipſum deiecerant, miſſo ad maiores Iudices prouocauit. Cui quidem appellationi Conſtantius Imperator eſt ſuffragatus. Atque à Cyrillo ſolo, & primo, perindè ac ſi res apud laicos Iudices ageretur, contra Canonis
Lib. 70. c. 2. Eccleſiaſtici conſuetudinem eſt prouocatum.] Dominus Archiepiſcopus commentatur: [Vndè colligere poſſumus nondùm receptum ea ætate fuiſſe appellationem à minori Synodo ad maiorem, neque à Prouinciali ad Patriarchalem. Nam Concilium Antiochenum, quod nouemdecim antè annis collectum fuerat, quàm Seleucienſe haberetur, non tribuebat facultatem appellandi ab vna Synodò ad aliam. Vnica ei mens fuit præſcribere, quandonam depoſito Epiſcopo liceret Principis reſcriptum ad maius Concilium impetrare ad obtinendam reuiſionem, quæ primos Iudices non vetabat ſecundo iudicio intereſſe. Nihilominùs Cyrillus ſimpliciter appellauit ad maius Concilium, appellationemque ſuam primis Iudicibus denunciauit, cùm mos poſtulare videretur, vt reſcriptum Principis impetraret. Expoſtulatio itaque aduersùs eum facta ei prorsùs ſimilis eſt, quæ aduersùs eum fieret, quem Parlamenti Conſultum damnaſſet, ſi is ſcripto prouocaret, Iudicibuſque appellationem ſuam denunciaret, qui potiùs ſibi pro iudicio deberet impetrare literas Cancellariæ, quas vocant, & propoſita erroris exceptione. At Cyrillus vltrà progreſſus eſt. Nàm præter innouationem ab eo introductam reſcriptum quoque Conſtantij obtinuit, ſecundùm morem, quo cauſa eadem retractari iuſſa in Concilio Seleucienſi, cuius auctoritate reſtitutus eſt Cyrillus. Hunc autem ſacratis locum explicare placuit, quòd vir eruditiſſimus eius ſenſum non benè ceperit, vt neque Canonis Antiocheni.] Notat Dominum Cardinalem Perronium.

Reſpondeo hæc ſibi mutuò non cohærere. Etenim ſi Patriarchalis, aut alia quæuis maior Synodus minoris iudicium tunc retractare non poterat, quomodò Princeps retractandum delegabat? Sacras enim delegationes ſacris Canonibus deſeruire debuiſſe, & non potuiſſe aduerſari, eſt nimis exploratum. Sacri igitur Canones omninò permittebant, immò & iubebant iſtam, dùm à damnatis Epiſcopis poſtularetur, retractationem. Et quia ipſum Metropolitæ, ac præſertim Patriarchæ potentia, & iniquitas quandoque morabantur, quandoque etiam opus fuit refugio ad Principem, ac ſacro ipſius reſcripto. Inſigniter hoc lucet ex longorum fratrum, quos confictis calumnijs oppreſſerat Alexandriæ Patriarcha Theophilus, ad ſanctum Ioannem Chryſoſtomum precibus: [Pater, nos non vtcumque vulneratos Theophili Papæ veſania curare ſtude, ſi tamen valueris noſtrorum tumoribus vulnerum adducere cicatrices. Nàm ſi ipſe Cap. 7.
quoque nos deſpicis, iuxtà Epiſcopos reliquos, nihil iàm ſupereſt nobis, niſi vt profecti ad Imperatorem, ipſius opera peſſimæ ad iniuriam Eccleſiæ publicemus. Itaque ſi opinionis Eccleſiaſticę tibi cura eſt, perſuade illi, vt nobis permittat in Ægypto remorari.] Habes hęc in dialogo Palladij Helenopolitani Epiſcopi cũ Theodoro Diacono Romanæ Eccleſiæ. Non tantùm à ſuo Patriarcha Theophilo damnati, ſed inſuper à cunctis vbique Epiſcopis, illius potentiam, & conſuetas violentias metuentibus, deſerti erant optimi Monachi: Et tamen antequàm ad ſacra reſcripta perfugiunt, Regiæ Ciuitatis Epiſcopum, qui Theophilum timere non debebat, Ioannem cenſuere tentandum, & inuocandum, vt mediatorem. Quoniàm iſtud perfugium erat Eccleſiæ iniuria, ac ignominia. Et hinc in Apologia ad Imperatorem Conſtantium, de occultis cum fratre ſuo Conſtante machinationibus accuſantem, ſcripſit magnus Athanaſius: [Profectus ſum Alexandria, non ad caſtra fratris tui, aut alium quempiam, ſed Romam dumtaxàt, me, meaque Eccleſiæ commendaturus.]

 Adfir-

Adfirmat se sua Sede denuò eiectum, non ad sacra rescripta, sed ad solam Apostolicam Sedem prouocasse, & accessisse. Purgat se aduersùs duodecimum Canonem Antiochenum, quem certum est prodijsse in odium Athanasij. Adfirmat se non Constantis Augusti auribus fuisse molestum, sed conuersum ad maiorem Synodum, vtique Synodum Romanæ Ecclesiæ. Et reuerà Sardicensem Synodum non Athanasius à Constante Augusto flagitauit, sed Papa Iulius. Quare insignem lapsum continent hæc Domini Archiepiscopi verba: [Concilium Antiochenum non tribuebat facultatem appellandi ab vna Synodo ad aliam.] Etenim lucidus est Concilij textus: [Si quis à Synodo fuerit damnatus Episcopus, & Imperatoris auribus molestus exstiterit, oporteat ad maius Episcoporum conuerti Concilium.] Eusebiana factio fuit zelosissima Patriarchicæ auctoritatis. Et istum Canonem firmauit Constantinopolitana Synodus, mandans damnatum à suæ Prouinciæ Synodo Episcopum appellare ad Patriarchalem, & non nisi post huius iudicium recurri ad sacra rescripta, & generalem Synodum postulari. Generalem Synodum censuit sine Principis adsensu non cogendam. Et hoc est vnum è capitibus, ob quæ istos Canones non admisit Romana Ecclesia. Etenim generalem, ad quam Eusebianos citauit, Romanam Synodum sine facta ad Principem relatione indixerat Iulius. Et licèt hanc libertatem obtinere vix potuerit Apostolica Sedes, illi tamen aduersos Græcorum Canones numquàm admisit. Censuit Canonis nomine indignos Aduersùm istas Principum delegationes plurimæ sunt, non tantùm Romanorum Pontificum, sed & quorumuis Episcoporum querimoniæ, & contradictiones: Et hinc patet, quòd Dominus Archiepiscopus pessimè adserat ipsarum olim ius competijsse Augustis Principibus: Quòd pessimè adserat solam istius Augusti iuris communionem fuisse Romano Episcopo à Sardicensi Concilio impartitam.

Porrò Socrates plura frequenter, & varia compendio concludit: Et quàm eius compendia sint quandoque inconcinna, docent ea, quæ scribit de secundo Canone Constantinopolitano. Canonem cum penitùs disparata magni Theodosij lege confundit. Eodem hic modo tractat Cyrilli delictum. Videtur Cyrillus à suæ Prouinciæ Synodo damnatus confugisse ad Augustum Constantium, atque irà impegisse in duodecimum Canonem Antiochenum: Et quidem omnium primus. Videtur intrà Orientem primus fecisse, quod primi in Occidente fecerunt Donatistæ, de quibus ad se appellantibus scripsit magnus Constantinus: [Perquirunt sæcularia iudicia, relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia. Sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Etenim gentes minora interdùm iudicia refugientes, vbi iustitia deprehendi potest, magis ad maiora iudicia, auctoritate interposita, se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cæleste iudicium, meum putauerunt postulandum, sic sentire de Christo Saluatore?] Eos arguit, non quod maiorem Synodum, sed quod maiorem Iudicem, ipsum nempè Principem, gentili more postulassent. Nam quòd non ad Principem, sed ad generalem Synodum debuissent prouocare, scribit etiam sanctus Augustinus. Eosdem, quod non more Ecclesiastico tamquàm Episcopi, sed forensi ritu tamquàm Caussidici agerent in Carthaginensi Collatione, in cuius breuiculo arguit. Hoc forensi more non ad maiorem Synodum, sed ad ipsum Principem videtur appellasse etiam Cyrillus, & Imperator Constantius, omnia Diuina consuetus tractare in Palatio, profanam appellationem admisisse. Nàm & ad Thraciç Episcopos dudum posteà scripsit magnus Leo: [Tanta sæculi Potestates circa Sacerdotalem Ordinem reuerentia præualuere. Etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris Diuina Potentia præesse præcepit, vt ius distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis iuxtà Diualia Constituta permiserint. Quod cum & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentiùs sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore à plerisque inuenimus fuisse calcatum. Nàm prætermisso Sacerdotali iudicio, passim ad examen sæculare transiere. Quocircà nobis visum est, vt hanc, & sacræ legis, & nostri Ordinis contumeliam, & ad præsens vlcisceretur plena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, vt quicumque prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus repulsus, à cælesti arceatur Altari.] Adeò Cyrillus intrà Orientem, licèt fuerit primus in hac audacia, non fuit vltimus. Quidquid sit, & Romanas, & Patriarchales appellationes lucidè agnoscit, ac profitetur Socrates: Singularis hic ipsius locus non debet nos morari. Ep. 96.

Pergit D. Archiepiscopus ad Occidentalem Ecclesiam: [Necdùm etiam recepti erant Canones Sardicenses ætate Innocentij primi. Ius enim, quod ille vindicat sedi suæ, prorsùs petit à Canonibus Synodi Nicænæ, quorum sensum quoad iura Romani Pontificis in Occidente primus, ille aperuit in epistola ad Victricium Rothomagensem episcopum]. Et infrà: [Concilia Prouincialia, quorum suprema erat auctoritas, quoad depositionem Episcoporum, adeò vt nondùm ea tempestate esset in Occidente permissa prouocatio, relationes tamen interdum suas mittebant ad Sedem Apostolicam, quibus continebantur ea, quæ aduersùs episcopum deiectum decreta fuerant. At Innocentius primus, audaciæ subsidium à dignitate sedis suæ petens, atrox vulnus inflixit auctoritati synodi Macedoniæ, cuius iudicium retractauit in causa Bubalij, & Tauriani, ab ea synodo damnatorum. Id ægrè tulerunt Episcopi per Macedoniam constituti, qui de ea nouitate apud Innocentium questi sunt. Quid faceret Summus Pontifex? Erat hic sanè locus proferendi auctoritatem Canonum Sardicensium, si tunc illi in vsu fuissent: Nec sanè eos omisisset Pontifex. Sed neque Concilium Nicænum laudauit: Quod tamen non omisisset, si Canone aliquo Synodus illa Romanæ Sedi ius tribuisset retractandi iudicia Prouinciarum. At fortasse attulit consuetudinem Antecessorum suo-

Lib. 7. c. 2.

Cap. 14.

suorum, quemadmodum ab eo vsurpatum videmus in plurimis occasionibus? Non ita sanè. Solam ergò æquitatem prætendit, aiens veritatem magis splendescere cùm exagitatur, fructumque Diuinum esse, cùm veritas sæpè examinatur]. Adducit hæc Innocentij verba: [Graue non oportet videri pijssimis mentibus vestris, cuiuscumq; retractari iudicium. Quia veritas exagitata sæpiùs, magis splendescit in luce, & pernicies reuocata in iudicium, & grauiùs, & siue illius, qui primus iudicauit, pœnitentia condemnatur. Nam fructus Diuinus est iustitiam sæpiùs recensere]. Pergit in sequenti capite: [Primus omnium Zozimus Papa Canones Sardicenses protulit, contenditque vt in Occidente vim legis obtinerent. Arbitror autem id eum consilij cepisse, quòd Honorius, & Arcadius Imperatores paulò ante obiecissent ius concedendi Rescripta pro retractando iudicio Episcoporum depositorum. Existimauit itaque Zozimus gratum episcopis futurum, si reuisiones non omninò abolerentur, sed contra decernerentur auctoritate Sedis Apostolicæ.

Errores varij. Primus est, quòd Romani imperatores vnquam habuerint ius Sacrarum delegationum, seu concedendorum Rescriptorum pro retractandis damnatorum episcoporum Synodalibus iudicijs. Quis enim Euangelista, quis Apostolus, quis Apostoli Discipulus, quæ Synodus istud ius impartiuit, probauit, aut laudauit? Certè inter crimina, quæ sancto Hieronymo improperauit Ruffinus Presbyter, fuit & hoc: [Quando Papæ Theophili sententiam sequi cæpisti, eiq; fidei communione sociatus es? Tunc credo, quando Paulum, quem ille damnauerat, summo nisu, & omnibus studijs defēdebas, quando cum per Imperiale Rescriptum recipere Sacerdotium, quod Episcopali iudicio amiserat, instigabas]. Et vocalis Hieronymus hoc vnum sciuit reponere: [Non priùs pro me respondebo, quàm de aliorum iniurijs loquar. Cuius est humanitatis, cuiusue clementiæ, insultare aliorum miserijs, & vulnera cunctis aliena monstrare? Si Papæ Theophili sententijs delectaris, & nefas putas Pontificum Decreta conuelli, quid de cæteris dicis, quos ipse damnauit? Nec hoc dico, quòd de episcoporum sententijs iudicem, aut eorum cupiam Statuta rescindi, sed quòd vnusquisq; suo periculo faciat, quod sibi videtur]. Hæc altè clamant nullum Augustis Principibus fuisse ius: Fuisse vsurpatam, & ab omni Ecclesia damnatam violentiam, cuius implorandæ consilium nemo nisi clandestinè, & suo periculo poterat agitare. Nota hìc Domnum Marianum Victorium, Episcopum Reatinum, qui per Paulum existimat à Sancto Hieronymo intelligi Paulinum Antiochiæ Patriarcham, palàm deuiare. Etenim Alexandrinus Patriarcha nequijt degradare Antiochenum. Et quòd Theophilus Paulino numquam aduersatus fuerit, licet ex Actis Synodi Capuanæ. Et Paulinus, quòd Romana Ecclesia ipsius communionem foueret, à nulla vnquam Orientali synodo fuit damnatus. Iste igitur Paulus fuit nescio quis Ægypti Episcopus,

L. 2. cap. 5.

Secundus error est, quòd istam Rescriptorum, seu Sacrarum delegationum violentiam primi deposuerint Arcadius, & Honorius. Etenim Iacobus Sirmondus vulgauit Gratiani, ac Valentiniani secundi ad Aquilinum Vicarium Diuale Rescriptum, quod Vrsicinum sancti Damasi Antipapam in Agrippinam Coloniam, & eius congerrones episcopos relegat in alias ciuitates, omnem deinceps degradatum episcopum mandat exulare ad centum millia passuum à sua amissa Cathedra, & adiungit: [Volumus, vt quicumq; iudicio Damasi, quòd ille cum consilio quinque, vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum, qui Catholici sunt iudicio, vel concilio condemnatus fuerit, si iniustè voluerit Ecclesiam retentare, vt qui euocatus ad Sacerdotale Iudicium per contumaciam non iuisset, aut ab Illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, siue à Proconsulibus, vel Vicarijs, auctoritate adhibita, ad Episcopale Iudicium remittatur, vt ad vrbem Romam sub prosecutione perueniat, aut si in longioribus partibus alicuius ferocitas talis emerserit, omnis eius causæ dictio ad Metropolitæ in eadem Prouincia episcopi deducatur examen, vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Iudices dederit, sine dilatione contendat]. Criminales episcoporum causas deinceps, non per Diualia Rescripta delegari mandat, sed cogi ad ordinarios Iudices: Sancit, vt Prætoriorum Præfecti, Proconsules, & ipsorum Vicarij hæc strenuè exsequautur. Desumpsit verba ex factis ad se à Romana Damasi synodo precibus, ipsa inseruit suo Rescripto, & impartiuit auctoritate legis. Verùm, nec Arcadius, nec Honorius sunt pietatem prosecuti. Quis enim nesciat, quòd Theophili Alexandrini Patriarchæ causam Sancto Ioanni Chrysostomo, & huius causam illi delegarit Arcadius, manifestè contra Nicænos Canones? Et ad Quintianum Presbyterum scribit Sanctus Augustinus: [Plebs Vegesilitana, si episcopum in plenario totius Africę Concilio degradatum suscipere noluerit, sano capite faciet, & nec cogi potest, nec debet. Et quisquis eam violenter coegerit, ostendet qualis sit, & qualis antè fuerit, quando de se nihil mali credi volebat, faciet intelligi. Nullus enim sic proditur, qualem causam habuerit, quàm ille, qui per sæculares Potestates, vel quaslibet violentias, cum perturbatione, & querela conatur recipere honorem, quem perdidit. Non vult enim volenti Christo seruire, sed Christianis nolentibus dominari]. Nempè degradatus ille episcopus ab Honorio Augusto Sacrum Rescriptum, & à delegatis peripsum Iudicibus victoriam obtinuerat, atque ita volebat violenter redire in suam Ecclesiam. Sacræ delegationes sunt violentia semper damnata per Ecclesias, & semper grassata. Ep. 235.

Tertius error est, quòd Zozymus Papa Sardicenses Canones protulerit propter sacrarum delegationum factam à quouis Principe cessionem, & ad gratificandum damnatis episcopis per aliquod residuæ reuisionis remedium. Est insignis fabula. Istos namq; Canones Zozymus protulit ex occasione Apiarij, Siccensis in Mauritania Presbyteri, qui à suo episcopo damnatus Romam appellarat; atque à Zozymo fuerat reparatus. Hinc enim tamquam cicadæ alis correptæ ebullierunt

runt omnes Afrorum episcopi, protestantes violari antiquissimam, & probatissimam Africanæ Diœceseos consuetudinem, quæ inferiorem clerum semper exclusit à Romana appellatione, & Primarialis Synodi iudicio iussit esse contentum. Hinc factum suum purgaturus, ac firmaturus Zozymus protulit Canones Sardicenses, adfirmans esse Nicænos. Adfirmans hos esse Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, ideòque ipsis aduersam consuetudinem esse corruptelam. Nec ipsos ex latebris produxit, sed ex Romanæ Ecclesiæ archiuis. Etiam ex consueto Antecessorum more titulauit Nicænos. Quod à Principibus cessum delegandæ reuisionis remedium non penitùs exstingui, eius potestatem transferre in Sedem Apostolicam, atque ita degradatos episcopos solari voluerit Pontifex, credat Iudæus Appella.

Quartus error est, quòd Innocentius primus non agnouerit, aut in suis iudicijs non vsitarit Sardicenses Canones. Etenim quòd ipse Sancti Ioannis Chrysostomi appellationem direxerit per istos Canones, ac iudicarit, suprà ostensum est, ac res ipsa clamat. Appellationi suspensiuum effectum dedit, ipsum admisit vt episcopum, nouum ipsi episcopum superordinari noluit, superordinatū Arsacium damnauit, vt intrusum, Laicaq; etiam communione priuauit, & sapientissimo suo arbitrio voluit causam in generali Synodo retractari. Et Actorum suorum rationes daturum Theophilum eò citauit. Et ad eumdem Theophilum, qui ex Antiochenis Canonibus damnarat Ioannem, rescripsit: [Si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic iuxta Nicæni Concilij Canones, & Decreta contende. Alios quippè Canones Romana non admittit Ecclesia]. Exstat epistola in Dialogo Palladij Episcopi Helenopolitani. Et per Nicænos Canones omninò intelliguntur Sardicenses. Quis enim Nicænus Canon appellatos Romam Patriarchas, aut alios episcopos demutat ex iudicibus in reos, & mandat ad indictam à Pontifice synodum accedere? Antiqua quidem Ecclesiæ consuetudo id habet, at ipsam nullus Nicænus Canon confirmauit, confirmans autem Sardicensis est manifestus. Et quid opus multis? Aduersùs Antiochenum, quo vsus in Ioannem Theophilus, Canonem dicit ibidem
Cap. 7. Palladius: [Et ista quidem regula, vt nequam, & à nequissimis edita, in Sardicensi Concilio à Romanis, & Italis, Illyricisque, & Macedonibus, & Græcis, vt ipse meliùs nosti, optime Theodore, eliminata est]. Vtique per tertium, quartum, & quintum Canones Concilij Sardicensis. Optimus ille Theodorus erat Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ideòque ad ipsum dicit Ponticæ Diœcesios Episcopus Palladius: [Vt ipse meliùs nosti]. Quòd nempè isti Canones Occidentalibus, quàm Orientalibus Ecclesijs essent notiores, & chariores. Apud Nicephorum Calixtum exstat alia eiusdem sancti Innocentij ad clerum, & populum Constantinopolitanum epistola, de Arsacij in Ioannis thronum intrusione hæc scribens:
L. 13. c. 31. [Numquam sanè Patres nostros talia ausos fuisse, sed potiùs vetuisse cognouimus, ne cui in locum viuentis per consecrationem alium constituendi sit potestas. Minimè enim consecratio, seu electio reproba honorem adimere episcopo potest: Quandoquidem neque episcopus ille esse potest, qui iniquè substituitur. Quoniam hæc contra Canonum obseruantiam sunt. Canonibus porrò obsequendum esse scribimus, qui Niceæ sunt decreti, quos solos confiteri decet Ecclesiam Catholicam, & iuxta illos iudicare]. Quis Nicęnus Canon vetat appellanti episcopo superordinari alium? Omninò nullus. Manifestè autem id vetat ex vetusta Ecclesiæ consuetudine quartus Sardicensis. Hinc Antiochenos Canones non sequendos, sed damnandos adserit denuò Pontifex, & adiungit: [Quemadmodum anteà in Sardicensi Concilio ab episcopis, qui nos præcesserunt, factum est]. Quin, & ad Damasum Pontificem scripsit vniuersa Constantinopolitana Synodus: [De administrationibus, quæ cuiusque Ecclesiæ sunt propriæ, cùm vetus, vti nostis, lex obtinuit, tum Sanctorum Patrum in Nicæno Concilio Decisio, vt videlicet singularum Prouinciarum Antistites vnà cum finitimis, modò ipsis ita visum fuerit, Episcopis Ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum Prouincijs ordinent]. Quis Nicænus Canon suadet, aut permittit, vt ad peragendam episcopi consecrationem, dum in propria Prouincia defuerint, inuitentur episcopi finitimæ Prouinciæ? Profectò nullus. Id verò suadet, atq; permittit sextus Sardicensis. Apud quosdam est quintus. Nec desunt alia testimonia, quæ altè clamant Sardicenses Canones non solùm Romanæ, & omni Occidentali, sed, & toti Orientali Ecclesiæ fuisse tunc notissimos, vsitatos, & comprehensos sub Nicænis. Hinc enim suum secundum partim ex istorum sexto, partim ex sexto Nicæno formauit, atque exindè sancto Damaso commendauit Synodus Constantinopolitana.

Quintus error est, quod vsque ad primi Innocentij Pontificatum Synodalia Occidentalium Prouinciarum iudicia fuerint suprema, atque inappellabilia. Plura enim iam adducta exempla contrarium demonstrarunt. Et hinc in sua Romana Synodo statuit sanctus Damasus Pontifex: [Certè si vel Metropolitani, vel cuiusque alterius Sacerdotis suspecta gratia, vel iniquitas fuerit, vel ad Romanum Episcopum, vel certè ad Concilium quindecim Episcoporum finitimorum liceat prouocare.] Quem Canonem per datas ad Aquilinum Vicarium Diuales literas confirmarunt Gratianus, & Valentinianus Augusti, & addiderunt: [Modò ne post examen habitum, quod definitum fuerit, integretur.] Non noua sibi donari, sed auita, per Antipapæ Vrsicini schismaticas violentias læsa iura Apostolicæ Sedi dumtaxat reparari postularat Damasus, Romanaque Synodus, & laudati Principes confirmarunt. Apostolicæ Sedi aduersùs Vrsicinum fecerunt istud ipsum quod Alexandrinæ Cathedræ aduersùs Meletianam factionem olim fecerat sextus Canon Nicænus.

Adducta per Gratianum, ac Valentinianum appendix sancit deductis in rem iudicatam, præsertim si per Apostolicam Sedem retractata, & confirmata fuerint, Prouinciarum iudicijs seruari reuerentiam: Sancit retra-

tractatoria iudicia esse maturissima, & non iterari. Et ex hoc principio Macedones Episcopi reclamarunt aduersùm Innocentij primi Acta pro Bubalio, ac Tauriano: Lucet ex epistolæ verbis iam laudata subsequentibus: [Verùm illud video mouisse animos vestros, quòd in multis Bubalius sæpè fallacijs deprehensus, obieceric exemplaria factarum quasi à nobis literarum, cum pro consuetudine hominis nihil, quod proferret, iam fide dignissimum videretur. Sed sileatur omne iam de tali negotio murmur, & conuicti diaboli ipsi anhelitus comprimantur. Subiunximus autem his priores, quas per episcopos miseramus, quibus ita plenaria sensuum nostrorum sententia designata est, vt dum relegeritis, nihil requirendum in hac causa de cætero reperiatis.] Et in suæ Prouinciæ synodo, & in retractatorio appellatæ apud Apostolicam Sedem causæ iudicio damnati Bubalius, ac Taurianus finxerunt, aut per obreptionem obtinuerunt contrarias literas, quibus Pontifex ipsorum causam adhuc retractandam aut sibi reseruabat, aut alijs delegabat. Et ita illi suam Prouinciam acriter vexarunt, & compulerunt ad graues de Pontifice querimonias. Nec enim Thessalonicensium Metropolita, & Innocentij per Illyricum Vicarius Rufus de admissa appellatione, sed de sæpiùs retractata causa, & sæpiùs auditis friuolè appellantium fallacijs fuit questus. Hinc se purgans Pontifex nec Nicænos, nec Sardicenses adduxit Canones, sed solam æquitatem. Quòd nempè iterata retractatio ad gratiam, non ad iustitiam spectet, ideoque nullo Canone, sed sola nitatur æquitate.

Sextus error est in his verbis: [Relationes tamen interdum suas mittebant ad Sedem Apostolicam, quibus continebantur ea, quæ aduersùs Episcopum deiectum decreta fuerant.] Est atrox in Occidentales Episcopos iniuria. Præsertim in Gallicanos. Etenim ad Viennensis Prouinciæ Antistites scribit magnus Leo: [Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reuerentia à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus esse innumeris relationibus consultam, & pro diuersarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia.] Ampliat hæc, & aduersùs Hilarium Arelatensem Metropolitam adiungit: [Hunc tramitem semper inter maiores nostros bene tentum, & salubriter constitutum Hilarius, Ecclesiarum statum, & concordiam Sacerdotum turbaturus nouis præsumptionibus, excessit.] Magnus hic Pontifex adfirmat ex vnica Galliæ Prouincia innumeras ad Apostolicam Sedem fuisse factas relationes, & appellationes, istius Prouinciæ de appellatis causis iudicia fuisse Romæ aliquando reformata, aliquando confirmata, hanc esse veterem consuetudinem, & salubriter constitutum maiorum tramitem, Chelidonij Vesontionensis, & Proiecti in nescio qua ciuitate Episcopi appellationes suscepit ex hac regula, Hilarij de vtroque iudicium cassauit, & vtrumque plenè reparauit. Et ecce D. Parisiensium Archiepiscopus scribit Romanas Occidentalium Episcoporum relationes dumtaxat interdum missas, & appellationes vsque ad primum Innocentium non fuisse permissas. Imitatur Hilarium; [Maiorum salubriter constitutum tramitem, Ecclesiarum statum, & Sacerdotum concordiam nouis præsumptionibus turbat.] Ad S. Cœlestinum Pontificem scribit etiam sanctus Augustinus: [Existat exemplo, ipsa Sede Apostolica iudicante, vel aliorum iudicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam, nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos. Quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo.] Adfirmat, ac varijs exemplis demonstrat Africanos è quauis Prouincia Episcopos semper appellasse Romam, & Africana de ipsis iudicia fuisse per Apostolicam Sedem liberrimè retractata, confirmata, mitigata, exsufflata. Quod ipsum de Hispanis, Illyricianis, ac alijs Occidentalibus Prouincijs possit demonstrari.

Ep. 89. c. 2. (left margin, beside "magnus Leo: [Nobiscum vestra Fraternitas") — Epist. 261. (right margin, beside "sanctus Augustinus: [Existat exemplo, ipsa Sede")

Hæc magni Leonis aduersùm Hilarij Arelatensis insolentias, & in ipsis contumaciam Acta memorat D. Archiepiscopus etiam in alio loco, & commentatur: [Intellexit Leo difficilem in Gallia fore executionem iudicij aduersùs Hilarium facti, tum ob magnam viri dignationem, ex sanctitatis eius opinione profectam, tum etiam ob infractos Canones in causa Chelidonij, quæ Romæ fuerat definita. Itaque constitutionem à Valentiniano Augusto impetrauit, quæ præcipit, vt iudicium illud mandetur executioni.] Lib. 7. c. 17 Verùm additio, quæ sequitur, magni momenti est. Edicto enim perpetuo inter alia decernitur, quòd si aliquis Episcopus Galliarum, aut aliarum Prouinciarum, Romam citatus, Summi Pontificis iudicio se sistere recuset, adesse cogatur per Gubernatorem Prouinciæ. Rescriptum illud non solùm ratum esse decernit Decretum in causa Chelidonij factum, sed etiam nouum ius introducit aduersùs Canones Sardicenses. Episcopo enim Romano tribuit potestatem Episcopos Romam euocandi. Sed Galli existimarunt sic obsequendum esse Pontifici, vt interim nihil detrahatur de auctoritate Canonum Sardicensium.

Rursùm errores varij. Primus est in his verbis: [Intellexit Leo difficilem in Gallia fore executionem.] Etenim longè aliud in laudata lege scribit ipse Imperator: [Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceat?] Quousque viguit Romanum Imperium, Gallia fuit Apostolicæ Sedi obedientissima: Episcoporum, qui eius istic mandatis recalcitrarunt, Hilarius est omninò primus. Quòd Romanarum euocationum prima apud Gallos remora prouenerit à Romani Imperij laceratoribus Barbaris, disertè testatur, atque vt miserandam seruitutem lamentatur sanctus Auitus Archiepiscopus Viennensis. Eiusmodi remoras esse non Christi legem, sed Barbarorum consuetudines rectè adseuerauit, & suo glorioso sanguine sigillauit etiam sanctus Thomas Primas Cantuariensis. Et ex ista seruitute, vti prima radice, manauit omnis deformatio, quàm à Merouingijs Regibus passa fuit Gallicana Christianitas. Vndè & huius apud nos reparator sanctus Bonifacius ante omnia reparauit Romanam obedien-

dientiam: Romanas appellationes, ac euocationes liberrimo pede fecit ambulare. Omnis reformationis voluit hoc esse fundamentum. Et illæ ambularunt vsque ad versatile Caroli Calui Regis, & Hincmari Rhemensis Metropolitæ ingenium: De quibus quid senserint habitantes in Germania Franci, edicunt ipsorum Fuldenses Annales. Et omnem illam contumaciam Hincmarus tandem eierauit. Quàm libero pede Romana appellatio, ac euocatio ambularint sub tertia Francorum Dynastia, abundè testantur sanctus Iuo Carnutensis Episcopus, Goffredus Abbas Vindocinensis, sancti Dionysij Abbas Sugerius, ac sanctus Bernardus. Ita ambularunt vsque ad Bonifacij octaui aduersùs Philippum Pulchrum Regem quæstiones: Immò vsque ad schisma Clementinum. Ex istis fontibus manarunt famosæ, vtinam superis placeant, Gallicanæ Ecclesiæ libertates. Diuina miseratio nos Belgas præferuet ab eiusmodi seruitutibus.

Secundus error est in his verbis: [Ob infractos Canones in causa Chelidonij. Et in his: Rescriptum illud introducit ius nouum, aduersùs Canones Sardicenses. Episcopo enim Romano tribuit potestatem Episcopos Romam euocandi.] Respondeo rescriptum illud non sancire aliud, quàm quod ad Aquilinum Vicarium rescripserunt Gratianus, & Valentinianus secundus: [Volumus vt quicumque iudicio Damasi, quod ille cum consilio quinque, vel septem habuerit Episcoporum, condemnatus fuerit, si iniustè voluerit Ecclesiam retentare, vt qui euocatus ad Sacerdotale iudicium per contumaciam non iuisset, aut ab Illustribus viris Præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, siue à Proconsulibus vel Vicarijs, auctoritate adhibita, ad episcopale iudicium remittatur, vt ad Vrbem Romam sub persecutione perueniat, aut si in longinquioribus partibus alicuius ferocitas talis emerserit, omnis eius causæ dictio ad Metropolitæ in eadem Prouincia deducatur examen, vel si Metropolitanus est, Romam necessariò, vel ad eos, quos Romanus Episcopus Iudices dederit, sine dilatione contendat.] Sunt sancti Damasi, & ipsi adsidentis, cui adfuit, & magnus Ambrosius, Romanæ Synodi verba, aduersùs rebellem Antipapæ Vrsicini factionem postulata confirmari, & per laudatos Imperatores repetita, & confirmata. Hisce vocibus, [Si in longinquioribus partibus,] inclusum temperamentum non ligat manus Pontificis, sed est indulta per ipsum gratia, eius sapientissimo, per Sardicenses Canones laudato, beneplacito dispensanda. Absit, vt tanta synodus Sardicenses, quos non minùs, quàm Nicænos semper venerati sunt Romani Episcopi, Canones præuaricata sit, & iuuenes Principes induxerit ad ipsos præuaricandos. Ipsos aduersùm factiosos Vrsicini congerrones est executa. Quòd enim quosuis etiam ex extremo Oriente Episcopos ad Apostolicum tribunal euocandi potestatem Apostolicus Canon impartiat Papæ Romano, ac ipsam omninò firmarit Sardicense Concilium, multis exemplis, ac testimonijs est iam demonstratum.

Et hanc veritatem ipsa etiam, Romanarum appellationum, atque euocationum inimicissima, Eusebiana factio est professa. Constantem Liberij Pontificis animum infregit tandem, & ad damnandum Athanasium circumscripsit. Aduersùs Athanasij à Iulio Pontifice, & Sardicensi synodo factam reparationem appellauit ad lapsum Liberium, & impetrauit has, in S. Hilarij fragmentis custoditas, infelices literas: [Studens paci, & concordiæ Ecclesiarum, posteaquam literas Charitatis vestræ de nomine Athanasij, & cæterorum factas ad nomen Iulij beatæ memoriæ Episcopi accepi, secutus traditionem maiorum, Presbyteros vrbis Romæ è latere meo Alexandriam ad Athanasium direxi, vt ad Vrbem Romam veniret, & in præsenti id, quod Ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur. Literas etiam ad eumdem dedi, quibus continebatur, quòd si non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiæ Romanæ communione.] Hæ literæ non quempiam Galliæ, aut Hispaniæ Prouincialem Episcopum, sed ipsum totius Ægypti Patriarcham euocabant ad Romanum tribunal: Et non ad quempiam Italum, aut Occidentalem Antistitem, sed ad Romanarum appellationum, ac euocationum coniuratam hostem Eusebianam in Oriente factionem constanter scribit Liberius hanc esse traditionem maiorum. Nempè lucidissima erat ista traditio, non nisi ad excutiendam Athanasij reparationem negata per factionem istam, ideoque nec lapsus Pontifex duxit tacendam. Et factio, dummodò damnaretur Athanasius, libenter admisit. Proinde absit, vt Leo Pontifex, aut tertius Imperator Valentinianus induxerint ius nouum. Non infregerunt Sardicenses Canones, sed stabilierunt. Etenim Valentinianus disertè testatur se statuere iuxtà [consuetudinem veterem, & se velle seruari omnia, quæ [Diui Parentes sui Romanæ Ecclesiæ detulerunt.]

Tertius error est in his verbis: [Leo constitutionem à Valentiniano Augusto impetrauit, quæ præcipit, vt iudicium illud mandetur exsecutioni. Et in his: Rescriptum illud esse ratum decernit decretum in causa Chelidonij. Respondeo ipsum Rescriptum longè aliter loqui: Hilarius Arelatensis contumaci ausu illicita quædam præsumenda tentauit, & ideò transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens maximè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Arelatensis ciuitatis Episcopus vocatur, Ecclesiæ Romanæ vrbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate vsurpans inuasit. Nam alios incompetenter remouit, indecenter alios inuitis, & repugnantibus ciuibus ordinauit. Qui quidem quoniam non facilè ab his, qui non elegerunt, recipiebantur, manum sibi contrahebant armatam, & claustra murorum hostilem in morem, vel obsidione cingebant, vel adgressione reserabant, & ad sedem quietis pacem prædicaturos per bella ducebant. His talibus & contra Imperij Maiestatem, & contra reuerentiam Sedis Apostolicæ admissis, per ordinem religiosi viri vrbis Papæ cognitione discussis, certa in eum ex his, quos malè ordinauerat, lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura.

Quid

Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret? Sed nostra quoque praeceptio, & ratio probauit, ne vlteriùs vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti Praesulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, ecclesiasticis rebus arma miscere, aut praeceptis Romani Pontificis liceat obuiare. Ausibus enim talibus fidei, & nostri reuerentia violatur Imperij. Nec hoc solùm, quod maximi criminis, submouemus; verùm ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Prouinciarum, contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papae vrbis aeternae auctoritate tentare. Sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicae Sedis auctoritas, ità vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexerit, per Moderatorem eiusdem Prouinciae adesse cogatur, per omnia seruatis, quae Diui Parentes nostri Romanae Ecclesiae detulerunt. Exponit haec in laudata ad Viennensis Prouinciae Antistites epistola ipse magnus Leo: Non nobis ordinationes vestrarum Prouinciarum defendimus, quod poterit forsan ad deprauandos vestrae Sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri, sed vobis per nostram sollicitudinem vendicamus, ne quid vlteriùs liceat nouitati, nec Praesumptori locus iam vltra pateat priuilegia vestra cassandi. Nostrae enim gratulationi hoc solùm crescere profitemur, si Apostolicae Sedis diligentia apud vos illibata seruetur, & per sacerdotalis disciplinae custodiam honori vestro perire, quod suum est, pro nouis vsurpationibus non sinamus.] Apostolicis vicibus, quas Patroclo Arelatensi Episcopo per Gallias olim dederat Papa Zozymus, necnon sancti Trophymi, à quo Arelatensium primo Episcopo adfirmabat Euangelij gratiam illatam Galliae, meritis fretus Hilarius sibi adrogabat Primatum per plures Prouincias, & ipsarum Episcopos praetendebat tamquam Primas, & confirmare, & consecrare. A' ciuitatum Clero, ac populo electos, ac ab ipsarum Metropolitis confirmatos, & consecratos eijciebat armata manu, & suos eadem violentia intrudebat. Ità non solas consecrationes, sed & Canonicas Antistitum electiones violabat, ac inuadebat. Et hanc eius insolentiam praeuentura, ac euasura Ebredunensis, Alpium maritimarum Metropolitana, Ecclesia praecipitanter sibi elegit Armentarium, & per duos dumtaxàt Episcopos fecit consecrari contra Canones, atque ità fecit obnoxium degradationi, inflictae per Synodum Reiensem. Hinc item Chelidonium, maximae Sequanorum Prouinciae Metropolitam, quòd sine suo interuentu promotus esset, excussurus Hilarius fuit calumniatus de bigamia. Et hisce facinoribus lassatus Leo Pontifex Hilarium citauit Romam: Et Hilarius omninò obediuit, atque accessit. Quòd pedes cum omni humilitate accesserit, testatur eius vita. Verùm dum Pontifici suas non potest persuadere insolentias, & castigari timet, ipso insalutato rediuit in Galliam, atque ità crimina criminibus adcumulauit. Quin & redux plura de optimo Leone mentitus est, garriens quod ipse Gallicanorum Antistitum consecrationes, & alia Metropolitarum iura vellet inuadere: Gallicanos Episcopos, quos tamquam suburbicarios sperauit nolle Romam accedere consecrationis gratia, tentauit in suas cupiditates circumscribere. Hinc Viennensem Prouinciam instruxit Pontifex, adfirmans se non pro amplianda Romanae Cathedrae potestate, sed pro reparandis, & custodiendis Gallicanorum Metropolitarum priuilegijs agere, ac demonstrans Gallicanas ad Apostolicam Sedem relationes, appellationes, ac euocationes esse antiquissimas, & semper fuisse frequentissimas. Et haec omnia Augusta lege impetrauit confirmari. Hic est scopus istius legis. An etiam aduersùm Chelidonij, ac Proiecti reparationem Hilarius recalcitrarit, adeòque, & haec eius contumacia necessitatem Pontifici iniecerit inuocandi auxilium imperialis brachij, certus non scio, nec in rem dubiam volo tempus expendere. Certum est hanc non fuisse causam principalem. Quare insignem errorem continent haec Domini Archiepiscopi verba: [Galli existimarunt sic esse obsequendum Pontifici, vt interim nihil detraheretur de auctoritate Canonum Sardicensium.] Haec enim exceptio, quae & in Papalibus, & in Imperialibus literis nihil fundamenti habet, Gallicanis Episcopis nec in mentem cadere potuit: Ambae literae veterem Ecclesiae consuetudinem, adeòque & Sardicenses Canones exsequebantur, & innouabant. Et quòd ipse Hilarius offensum Pontificem humillimis tandem obsequijs placarit, excessum, & Canonum praeuaricationem poeniteus agnouerit, atque ita in virum sanctum euaserit, est omnibus notum.

Exponitur quoddam horum errorum temperamentum.

Dominus Archiepiscopus vidit haec omnia insigniter deuiare, ideòque addidit hoc temperamentum: [Auctoritas Conciliorum Orientalium his limitibus circumscribi debet, vt decernere tantùm potuerit de administrationibus, & gubernationibus Prouinciarum, vt loquuntur Canones, idest, de controuersijs, quae incidunt in exsecutione Canonum de disciplina ecclesiastica latorum. Nam quoad causas, quae fidem spectant, aut regulas generales Ecclesiae vniuersae, certum est eas definiri non potuisse absque interuentu auctoritatis Episcopi Romani. Audi rationes temperamenti: Necessarium visum est haec per transennam adnotare, vt si qua fortè suspicio in quorumdam animis suborta esset aduersùs ea, quae superiùs dicta sunt, quasi illa conuellerent reuerentiam, quae Sedi Apostolicae debetur, ijs scrupulus omnis eximatur, tum etiam, vt hinc occasionem peteremus hìc agendi de quorumdam Orientalium Episcoporum in suis Synodis depositorum appellationibus ad Sedem Romanam. Constat enim Episcopis illis irrogatas esse iniurias ob causam fidei.] Adfirmat, & multis probare studet in sola fidei causa potuisse ab Orientalibus Episcopis degradatis inuocari Lib. 7. c. 6.

cari

cari Apostolicam Sedem, ac appellari: Et hoc sufficere ad Romanum Primatum. Est aliquid. Etenim si nec in fidei causa liceat Romana appellatio, Apostolica Sedes reuerà nullum habet Primatum. Est solo loco prima, non potestate.

Nihilominùs est friuolum, ac erroribus obnoxium temperamentum. Orientalem Ecclesiam cum Eusebiana factione, & vtriusque diuersissimum: ac aduersissimum sensum miscet denuò, & confundit. Etenim Eusebiana factio, vti in disciplina, ità & in fidei iudicijs garriuit Patriarchales in Oriente Synodos esse supremas, atque inappellabiles, orthodoxa autem Orientis Ecclesia de vtrisque iudicijs constanter sensit oppositum. Primum lucet ex contumaci dictæ factionis ad Iulium Pontificem epistola, cuius compendium habemus apud Hermiam Zozomenum: [Dicebant Episcopos Orientis, qui ipsos antegressi fuerant, minimè refragatos esse Romano Episcopo, cùm Nouatianus ab eo erat Ecclesia eiectus. Et in Iulij Rescripto: Quòd si, quemadmodum scribitis, pro exemplis in Nouatianum, & Paulum Samosatensem editis decreta Synodorum obseruari oportet, &c.] Adserebat factio, vti Romanam, quæ Nouatianum damnarat, ab Orientali, ità & Antiochenam, quæ Paulum Samosatensem damnarat, Synodum ab Occidentali Ecclesia non fuisse retractatam, nec potuisse retractari: Et ex hisce exemplis prætendebat Patriarchalia vtriusque Ecclesiæ iudicia esse suprema, & nullis obnoxia prouocationibus. Porrò prior de schismate, posterior Synodus manifestè fuit de hæresi, adeòque ista factio non sola circa disciplinam, sed etiam circa fidem Patriarchalia iudicia nemini voluit subesse.

At verò orthodoxa Orientalis Ecclesia semper credidit vtraque subesse Romanis appellationibus. Lucet ex appellationibus magni Athanasij, Pauli Constantinopolitani, Asclepæ Gazensis, Lucij Adrianopolitani, & plurium tunc Orientalium Episcoporum, de quibus D. Archiepiscopus: [Quoniam conseruatio veræ religionis aduersùm hæreses præcipuè spectabat ad Sedem Apostolicam vrbis Romæ, hinc factum, vt quoties Episcopi illi literas Episcopi Romani in Orientem deferrent, in quibus contineretur eos in communionem eius fuisse receptos, sedibus suis restituerentur ab Episcopis Catholicis. Cuius rei exstant illustria exempla. Non loquor de Athanasio, alijsque Orientis Episcopis, quorum suprà mentionem feci: Quoniam causa eorum examinata fuit, tamquam ad disciplinam pertineret. Tametsi fatendum est habitam quoque fuisse ab Occidentalibus rationem oppressionis, quam Episcopi illi patiebantur ob causam fidei.] Profitetur hos Episcopos, non ob fidei, sed ob prætextas disciplinæ præuaricationes fuisse degradatos ab Orientalibus Synodis. Et tamen data in ipsos iudicia retractauit, & exsufflauit Iulius Pontifex, eiusque omnia Acta confirmauit, & rata habuit Sardicense Concilium, probatum, & admissum ab omni orthodoxo etiam Oriente. Proindè alia circa hanc rem fuit Orientalis Ecclesiæ, alia sententia Eusebianæ factionis. Ipsas truncat, & truncatas commiscet Dominus Archiepiscopus, atque ità conflat monstrum, quod neque orthodoxum sit, neque Eusebianum.

Quòd sua & circa fidem, & circa disciplinam synodalia iudicia ad Romanam Ecclesiam deferri, per ipsam retractari, ac etiam reformari permiserint omnes orthodoxi Orientales Episcopi, insigniter demonstrat magni item Basilij ad Occidentales Antistites epistola. Eustatium Sebastensem Episcopum, primæ Armeniæ Metropolitam, adfirmat & ipsius Hæresiarchæ Arij, & Eusebij, à quo Arianorum signifero Eusebiana factio traxit originem, & nomen, Nicomediensis per Bythiniam Metropolitæ Episcopi fuisse discipulum, in Ancyrana, Seleuciensi, & Constantinopolitana Synodo actitasse hæretica, ac prosequitur: [Atque ità Episcopatu eiectus, proptereàquod iam Melitinæ depositus esset, viam sibi ipsi, per quam restitueretur, excogitauit. Eam videlicet, vt ad vos proficisceretur. Quæ verò sint illi à beatissimo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clam est: Nisi quòd epistolam attulit, per quam restitueretur. Eam vbi Synodo Thyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est. Ipse itaque iam fidem illam, in quam receptus est, depopulatur, & cum illis facit, qui Homousion anathemate percellunt. Deinde & hæresi patrocinatur eorum, qui Spiritum sanctum spoliant Diuinitate. Quoniam igitur istinc vires accepit lædendi Ecclesias, & publicandæ suæ impietatis fiducia, quam vos dedistis, ad subuersionem multorum vsus est, necesse est, vt istinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesijs, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit: Simul verò adijciatur, quomodo iam immutata sententia gratiam à Patribus, qui tunc erant, acceptam reddat irritam. Eadem de re scribit ad suos monachos: Est autem Nicæna fides, quam Occidentales attulerunt, ac Thyanensi Synodo tradiderunt, à qua & suscepti sunt, vtique Eustatius & reliqui per Orientales Synodos damnati Episcopi, qui appellarant ad Papam Liberium. Sed habent astutum dogma, ad eiusmodi suas mutationes paratum. Nam fidei verbis medicorum more vtuntur, pro temporis occasione aliter sese ad affectionum rationem, & varietatem attemperantes.] Rationes, ob quas Eustatium damnauit Seleuciensis Synodus, edicit Hermias Zozomenus: [Eustatius accusabatur primùm, quòd cùm esset presbyter, à Patre Eulalio Cæsareæ Cappadociæ episcopo condemnatus fuisset, & à precum communione segregatus. Deinde, quòd Neocæsareæ, quod est Ponti oppidum, à Concilio communione Ecclesiæ interdictus, & ab Eusebio Constantinopolitano episcopo, proptereaquòd quarumdam rerum malè administratarum, quas habebat sibi commissas, condemnatus, fuerit abdicatus. Tum quod à Concilio Gangrensi propterea episcopatus gradu deiectus erat, quòd aliter quàm debuerat docuisset, sensisset, scripsisset. Quòd etiam in Concilio Antiocheno esset periurij conuictus. Et quòd decreta Concilij apud Melitinam coacti euertere adgressus fuisset. Et cum multis criminibus teneretur implicatus, iudicis partes suscipere, & eos, qui alte-

Epist. 74.

Epist. 73.

Lib 4. c. 23.

terius erant opinionis, incusare non dubitasset. Addit Socrates de Seleuciensi Synodo: Lib. 2. c. 33. Eustatio Sebastæ episcopo ne sui quidem purgandi dabatur potestas, quòd ab Eulalio, suo ipsius Patre, & episcopo Cæsareæ Cappadociæ, iampridem propterea abdicatus fuerat, quòd se habitu Sacerdotij dignitati parùm decoro, & congruente vestiuerat.] Proindè partim propter dogmatis, partim propter disciplinæ delicta Eustatius erat damnatus. Et licet tot incrustatus elogijs, tamen appellauit Romanam Ecclesiam, atque accessit. Nec ipse solus, sed etiam Syluanus Tarsensis episcopus, primæ Ciliciæ Metropolita, ac Theophilus Castabalorum in secunda Cilicia Antistes, Lampsaceni in Hellesponto, Smyrnensis in Asia, ac aliorum istic Conciliorum Legati. Cuncti istarum Synodorum episcopi erant Macedonianæ factionis: Quòd illos Eudoxianæ factionis, seu puri Arianismi fautor Augustus Valens pararet relegare, à Romana Ecclesia supplicarunt auxilium, præsertim aduersùm data in se iudicia per Synodum Seleuciensem. Hæc enim fuerat non vnius Patriarchæ, sed plena totius Orientis. Nec ipsi deerat Romana auctoritas. Et illos omnes, quod Nicænam fidem deinceps seruare profiterentur, à cunctis tot Synodorum vinculis exsoluit, suisque sedibus reddidit: aut certè in ipsis stabiliuit Liberius Pontifex, eiusque iudicium, & reuerita, & amplissimè exsecuta est orthodoxa, ac numerosa Thyanensis in Cappadocia Synodus, cui præsidebat Eusebius Cæsariensis ibidem Archiepiscopus, Exarchus Ponticæ Diœceseos, proximus Antecessor magni Basilij. Et appellationis, & restitutionis literæ exstant apud Socratem. Eustatius erat dolosissimus Vertumnus. Hinc & Liberium consutis æquiuocationibus circumscripserat, & è Thyanensi Synodo in Armeniam redux fecit, quod ad Theodotum Nicopolitanum istic episcopum scribit magnus Basilius: [Vbi de profunditate hypocriseos cogitamus, qua se nobis blandiusculè toto tempore insinuauit Epist. 196. Eustatius, stupore quodam præ consternatione corripimur.] Ità Primatem suum, sine quo norat se non posse stabiliri in reddito per Romanam Ecclesiam episcopatu, sciuit circumducere. At verò apud alios adeò effutiuit, seu Arium, seu Macedonium, vt dictus Theodotus eidem Primati suo Basilio communicare noluerit, ipsumque non dumtaxàt ab ecclesiasticis precibus, sed etiam à sua, cui ille debebat præsidere, Synodo excluserit, tamquam hæretica Eustatij communione pollutum. Latè hæc refert in epistola ad Comitem Terentium ipse Basilius, & adiungit: [Huius autem dissociatæ commu-
Epist. 107. nionis causam nobis adsignauit ipse Theodotus, quòd venerandissimum episcopum Eustatium in communionem receperimus.] Eius à se recepti causam edixit idem Basilius in literis ad Occidentales episcopos: [Quo-
Epist. 74. niam Eustatius istinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ impietatis fiducia, quam vos dedistis, ad subuersionem multorum vsus est, necesse est, vt istinc quoque veniat istorum malorum correctio, scribaturque Ecclesijs, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit, simul verò adijciatur, quomodo iam immutata sententia gratiam à Patribus, qui tunc erant, acceptam reddat irritam.] Apostolicum de Eustatio iudicium nec retractare, nec exsufflare, tamquam obreptione extortum, non præsumpsit, sed ab ipsa Apostolica Sede retractandum, & circumducendum postulauit magnus Basilius, noscens Apostolicum, à nostri septimi Gregorij Dictatu hìc innouatum, Canonem: [Sententia Papæ à nullo debet retractari, & ipse solus omnium retractare potest.]

Et Romana Ecclesia, quòd inauditos damnare nollet ad qualiacumque testimonia, traxit moras. Interim Theophilo Castabalorum episcopo adiunctus Eustatius palàm cœpit Arium prædicare, in varijs Synodis damnare, & scriptis libris impetere Basilium, ac hæretico more semetipsum segregare, atque damnare. Quin & consecratos intra Catholicam Matrem episcopos, & clericos resacrare præsumpsit, atque adeò inaudira vsque tunc audacia turbare Ecclesias. Tunc quòd nec Æthiops atram pellem, nec pardalis maculas, nec errores vnquam deponere possit vetustus hæreticus, agnouit Basilius, atque ità hominem tamquam omni Apostolica Liberij gratia exutum est detestatus. Habes hæc in laudatis literis ad Theodotum. Et tunc scriptas existimo acres illas ad Gregorium Nazianzenum aduersùs Romanam Ecclesiam, & omnes Occidentales Antistites literas, quibus nihil auxilij ab ipsorum supercilio, & fastu exspectandum lamentatur Epist. 10. Basilius, & adiungit: [Occidentales veritatem neque norunt, neque discere sustinent, verùm falsis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt, nempè cum ijs, qui veritatem ipsis adnunciant, contendentes, hæresim autem per semetipsos stabilientes.] Queritur quòd vti in Sardicensi Synodo Iulius Pontifex Marcellum Ancyræ episcopum, dolosum hæreticum reparauit, ità nunc à Liberio reparatum fuisse cum suis congerronibus versutum Eustatium, & aduersùs ipsum relapsum nullas rationes à Damaso fuisse admissas. Quidquid sit de hoc puncto, lucet Orientalium Synodorum tam in disciplinæ, quàm in dogmatis præuaricatores iudicia semper potuisse prouocari ad Apostolicam Sedem, & cunctos orthodoxos Orientis episcopos hisce prouocationibus cum omni reuerentia obedijsse.

Quod ipsum clarissimè lucet ex appellatione sancti Ioannis Chrysostomi, quem constat non ob fidem, sed ob læsam dumtaxat disciplinam fuisse accusatum, atque damnatum. Hæret hìc D. Archiepiscopus, & scribit: [Vulgò scribitur appellatum à Ioanne Chry- Lib 7. c 3. sostomo fuisse Innocentium primum Pontificem Romanum, hunc verò cessasse iudicium à Synodo Orientali latum aduersùs Chrysostomum. Sed si negotium istud penitiùs introspiciatur, constabit eam in hac causa fuisse Romani Pontificis auctoritatem, vt egressa non fuerit modum, qui per illas tempestates illi præscriptus erat, sed auctoritatem illum suam totam integram retinuisse, non ita tamen vt appellationem iudicauerit, tamquam deuolutam ad Sedem Apostolicam,

vt vulgò existimant. Exponit rei seriem, atque prosequitur: Ex hac narratione colligitur, non quidem Chrysostomum prouocasse ad Summum Pontificem, aut appellationem eius à Papa iudicatam fuisse, sed appellationem ab eo interpositam ad Concilium oecumenicum esse susceptam ab Imperatore, pro more illius sæculi, ei porrò appellationi consensisse Papam, & Episcopos Italos, qui cura sua id deiu egerunt apud Imperatores, vt Concilium conuocaretur. Sed non eo loci substitit Innocentius. Censuit enim cum Episcopis Italis appellationem interpositam ante depositionem, ac posteà renouatam, & manifestas iudicij huius nullitates iudicij effectum suspendisse, communionemque suam subtraxit Orientalibus, donec illi sententiæ suæ accederent.]

Errores varij. Primus est, quòd sanctus Ioannes Chrysostomus appellarit, non ad Innocentium Pontificem, sed ad generale Concilium. Licèt enim à Theophilo citatus interiecerit protestationem de irregulari ipsius Synodo, legitimamque postularit, adferens paratum se præsentibus, & centum, & mille Episcopis obiecta crimina refellere, omninò tamen intellexit de vera Synodo, quæ iuxta Apostolicos, Nicænos, ac Sardicenses Canones iudicaret, & quam sua præsidentia, ac sapientissimo iudicio regeret Romanorum Episcopus. Hinc enim quatuor Episcopos, & duos Diaconos legauit ad Innocentium Pontificem cum hisce mandatis: [Vt ad vestram currerent Sanctitatem, omnibusque lucidè expositis maturè tantæ cladi remedium dari salubre postularent. Similes ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquileiensem Metropolitas adiunxit literas: Vt nempè illi Papalem animum ad festina remedia inclinarent. Si synodalia Orientalium Patriarcharum in degradatos ob læsam disciplinam Episcopos iudicia fuerunt tunc suprema, atque inappellabilia ad Romanum Episcopum, qua fronte Ioannes inuocauit Innocentium, quomodò quatuor diuersarum gentium Episcopi susceperũt ipsius Legationem, quomodò illum Theophilus de hoc nouo crimine non incusauit? Quin immò de Theophilo dicit in Palladij Helenopolitani Episcopi Dialogo Theodorus Romanæ Ecclesiæ Diaconus: [Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ Lector cum Papæ Theophili literis, quibus iudicabat Ioannem à se depositum.] Factam à se Ioannis degradationem Theophilus statim retulit Apostolicæ Sedi, vtpotè sciens sine huius examine, & confirmatorio iudicio non esse ratam, sed per appellationem posse elidi. Norat Sardicenses Canones: Hos enim, vtique in sancti Athanasij gratiam editos, nulla post Romanam Ecclesiam fuit magis venerata, quàm Alexandrina.

Secundus error est, quòd Ioannis causam Innocentius non iudicauerit. Etenim Theophili relationem fuisse variè vitiosam, ideòque reiectam à Pontifice, ac exinde aduenisse Ioannis appellantis Legatos, & literas addit laudatus Theodorus, atque prosequitur: [Ad hæc rescripsit beatissimus Papa Innocentius, communioneque vtriusque partis admissa, Theophili iudicium cassum, atque irritum esse decreuit, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium, & Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis. Neutrarum quippe partium, vt plurimùm, rectum esse iudicium.] Et in hac sententia Innocentius etiam post pleniorem Theophili relationem, & transmissa Synodalia Acta permansit immobilis, rescribens: [Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque iudicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic iuxtà Nicæni Concilij Canones, & Dcreta contende. Alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia.] Theophili Synodale de Ioanne iudicium decernere irritum, & cassum, nonnè erat Ioannis causam iudicare? Istud Orientale iudicium non solummodò concussit, sed etiam excussit Pontifex, & pleno iure sibi subesse monstrauit. Etiam Patriarcham Theophilum è Iudice demutauit in reum, aut accusatorem: Qui est proprijssimus character susceptæ proprijssimæ appellationis. Theophili iudicium excussit, quòd ex Antiochenis, per Romanam Ecclesiam circumductis, Canonibus contra Nicænos, qui Thracicæ Diœcesis Episcopum ab Ægyptiorum Patriarcha vetant iudicari, emanasset. Non fuit præcipitatum, aut violentum iudicium: Vtpotè latum ex transmissis Actis, & probatissimis multorum Episcoporum, & Clericorum testimonijs, laudatis in eodem Palladij, ac Theodori Dialogo. Nec dumtaxat interlocutorium fuit, sed omninò definitiuum, ac independens ab omni generali Synodo. Nec in solam episcopalem communionem, sed insuper in Constantinopolitanam Cathedram iussit Ioannem reponi. Palàm hoc lucet ex Innocentij Pontificis, Imperatoris Honorij, Chromatij Aquileiensis, Venerij Mediolanensis, plurium aliorum Antistitum, ac totius Occidentalis Concilij ad Thessalonicensem Synodum literis, atque mandatis: [Non oportere Ioannem iudicium ingredi, nisi illi priùs Ecclesia, communioque redderetur, vt omni dilatione occasionis sublata, sua sponte Concilium ingredi possit.

Et cunctus rectæ mentis Oriens hocce iudicium promptissimè, atque fortissimè admisit. Etenim Cyriacum Emesenum in secunda Phœnicia Episcopum adfirmat Romam venisse Theodorus Diaconus, atque prosequitur: [Post Cyriacum aduenit Eulysius, Apameiæ Bithyniæ episcopus, adferens literas à quindecim episcopis de Ioannis Cõcilio, & à præclaro Sene Anysio Thessalonicensi episcopo, in quibus illi quidem, & præcedentem, & quæ tunc erat, Constantinopoleos totius deprædationem, vastitatemque signabant. Anysius verò Romanæ Ecclesiæ iudicium se sequi fatebatur. Porrò Eulysius ipse consona Cyriaco per omnia dixit. Vix mensis fluxerat, cum Palladius quoque Helenopolitanus Episcopus absque literis venit, qui & ipse se fugisse dicebat vesaniam Principum. Post Palladium Germanus presbyter, Cassianusque Diaconus Ioannis, viri magnæ religionis, literas ab omni Clero Ioannis attulerunt, continentes Ecclesiam suam esse passam tyrannidem, Episcopo per vim militum eiecto, & in exilium misso. Ostenderunt

& Bre-

& Breuiculum, vbi ornamenta sub iudicibus testibus tradunt, subscriptum manu Studij, Præfecti Vrbis, & Eutychiani Prætoris, Ioannis Comitis Thesaurorum, & Eustachij Quæstoris, & Tabularij, in auro, & argento, & vasis, vt Ioannis Episcopi calumniam diluerent. Post istos venit secundò Demetrius Episcopus Pessinuntis, secundæ Galatiæ Metropolita, qui peruagato Oriente prædicauerat communionem Romanæ Ecclesiæ cum episcopo Ioanne, testibus Papæ Innocentius literis adferens epistolas ab episcopis Cariæ, in quibus Ioannis amplectebantur communionem. Ab Antiochenæ itidem Ecclesiæ presbyteris, vbi Romanorum sequuntur disciplinam, laudantes integritatem iudicij. Post hos omnes venit Domitianus Sacerdos, Constantinopolitanæ Dispensator Ecclesiæ, & Vallagas quidam Nisibis presbyter, exponens Monasteriorum Mesopotamiæ gemitum, & eiulatum.] Vrbis Præfectus Studius est ille nobilissimus vir, cuius posteà successor, & hæres sub Leonis Imperio fundauit à suo nomine Studianum Monasterium mille Monachorum. Cassianus Diaconus est toti Occidenti, & Gallicanæ præsertim Ecclesiæ, optimè notus. Et cum ipsis fuerunt alij plurimi Episcopi, Clerici, Monachi, Laici. Hi omnes profitebantur Innocentium iudicasse de Ioanne, & bene iudicasse. Ipsius circumferebant, & per omnem Orientem vulgabant Apostolicas literas, atque ex ipsis demonstrabant Ioannem non esse degradatum, sed verum, ac legitimum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, vtpotè Apostolica Innocentij auctoritate solutum ab ingestis per Theophilum vinculis, & sedi restitutum. Et pro hoc Euangelio plurimi episcopi vincula, exilia, carceres, flagella, extremam paupertatem tolerarunt: Deportati etiam in Oasin. Omninò, omninò pro hoc Euangelio. Quod enim Romanus Episcopus quorumuis episcoporum appellationes admittere, quarumuis Orientalium Ecclesiarum Synodalia iudicia retractare, ac reformare, nec non damnatos per ipsa episcopos reparare valeat, non ab hominibus habet, sed ab ipso Iesu Christi Euangelio. Nec solummodò quoad dogma, sed etiam quoad disciplinam. Nemo rectæ mentis apud Orientem, immò nec vllus è Theophili factione Episcopus tantos viros vmquam calumniatus est de violata Orientalis Ecclesiæ, aut Orientalium Synodorum auctoritate. Nam & ipse sub Syricij Papatu Theophilus in Capuana Synodo retractauit appellatam causam Flauiani Patriarchæ Antiocheni.

Porrò Apostolicæ Sedis Decreta per imploratam Augusti brachij violentiam morari, atque suspendere est antiqua iniquitas, præsertim Græcorum. Hanc aduersùs S. Ioannis Chrysostomi Romanam reparationem imploraunt etiam Theophili factio, & impetrauit tria edicta, adducta in laudato Palladij, ac Theodori Dialogo. Primum fuit hoc: [Si quis non communicat Theophilo, Arsacio, & Porphyrio, episcopatu arceatur. Amittat verò, si quam videtur habere, substantiam pecuniarum, siue prædiorum.] Alterum est hoc: [Quicumque occultauerit episcopum, aut clericum, siue in domum suam susceperit, qui Ioanni communicat, eius domus publicetur.] Hoc est tertium: [Rectores Prouinciarum moneantur, vt conuentus eorum arceantur inliciti, qui orthodoxorum Religione suffulti, spretis Sacrosanctis Ecclesijs, aliò conuenire conantur, his, qui ab Arsacij, Theophili, Porphyrij, reuerendissimorum sacræ Legis Antistitum communione dissentiunt, ab Ecclesia procul dubio repellendis.] Hæc est Theodosiani Codicis sexta lex ad titulum de his qui super Religione contendunt. Quarta ibidem, & quinta sunt eiusdem farinæ. Arsacius est ille profanus, atque inutilis senex, quem in degradati Ioannis locum intrusit Theophilus. Porphyrius est eiusdem generis Patriarcha Antiochenus. Post modicum tempus exstincto Arsacio successit per similem intrusionem Atticus, qui vt Constantinopolitanum Clerum, ac populum cogeret ad suam communionem, eguit eiusdem legibus, atque edictis. Vtriusque intrusionem adeò detestatus fuit Innocentius Pontifex, vt etiam defuncti Arsacij nomen radi iusserit è sacris Ecclesiæ tabulis, ipsumque Christiano etiam nomine, seu laica communione priuarit. Quòd nempè non tantùm in Romam appellantis, sed etiam in iam restituti Ioannis thronum esset contra Sardicenses Canones, ac perpetuam Ecclesiæ consuetudinem perordinatus, atque intrusus. Et hoc Papale iudicium tanto zelo veneratus est cunctus sanæ mentis Oriens, vt paganas à Christiano Principe persecutiones sustinere maluerit, quàm ab illo deuiare. Et nota, quòd non dumtaxat Arsacij, aut Attici, sed etiam Theophili communionem omnes sanæ mentis Orientales fuerint detestati. Nempè Pōtifex recesserat ab hoc suo priori ad Theophilum Rescripto: [Frater Theophile, nos & te, & fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ decernimus.] Theophilum, quòd Apostolico iudicio parere, & Ioannis reparationem nollet admittere, ab Ecclesiæ communione secreuerat. Et huic etiam iudicio sanus Oriens constantissimè adhærebat.

Ast hanc obedientiam persequebatur violentia offensi Principis. Et hinc Pontifex fecit, quod in laudato Dialogo habet Theodorus Diaconus: [Non tulit vltra Innocentius Pontifex, indignitate summa permotus, scripsitque ad Honorium Imperatorem, literarum huiusmodi sensum distinctè subijciens. Desunt literæ.] Grandi ecclesiasticæ eruditionis damno. [Motus his literis Princeps præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cùm in vnam sententiam conuenisset, ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, vt scriberet Arcadio fratri suo, vt iuberet Thessalonicæ Synodum fieri, quò faciliùs possent vtræque partes Orientis, & Occidentis concurrere. Addentes perfectam Synodum non numeri quantitate, sed qualitate sententiæ, certam, & irrefragabilem tulisse sententiam. His inflammatus Imperator Episcopo quidem Romano scribit, vt mittat episcopos quinque, presbyteros duos Romanæ Ecclesiæ, Diaconum vnum, qui ipsius ad fratrem epistolas ferrent.] Quapropter ad retractandam degradati Ioannis appellationem, nec totius ecclesiæ, nec totius Occidentis, nec

totius Italiæ Synodum Pontifex conuocauit, aut iudicauit necessariam: Solus in suæ Prouinciæ Synodo expleuit hoc iudicium. Verùm enim verò quòd à Theophili factione circumscriptus Arcadius obedire nollet, totum turbaret Orientem, & christiana illic tempora fædaret Paganis persecutionibus, acta sua subiecit generali, voluitque istic retractari.

Processit in reparati à se Ioannis causa, vti in reparati à se Athanasij causa processerat Antecessor Iulius. Vti ob Eusebianæ factionis turbulentias hic Sardicensi, ita ob Theophili factiosam rebellionem ille suum iudicium retractandũ submisit Synodo Thessalonicensi. Et cum hac pari conditione: [Non oportet Ioannem iudicium ingredi, nisi illi priùs ecclesia, communioque reddatur, vt omni dilatione occasionis sublata, sua sponte Concilium ingredi possit.] Suum de Ioanne iudicium voluit ante omnia mitti in plenam executionem, nec ex vllo fuco suspendi. Nam, & Athanasium in Sardicensi Concilio ita tractari iusserat Iulius. Ex Pontificis motu Honorius adiunxit, & hanc conditionem: [Hoc autem ante omnia à tua mansuetudine postulo, vt Theophilum Alexandrinum, inuitum etiam, adesse præcipias. Per hunc enim mala omnia emersisse memorantur. Vt aduenientium Episcoporum Synodus, in nullo impedita, congruam temporibus nostris adferat pacem.] Theophilum vult non adsidere, vt episcopum, sed stare, vt reum, & compelli ad reddendas rationes sui per Apostolicam Sedem damnati iudicij, suæque aduersùs istam damnationem rebellionis. Et in hoc puncto fuit Innocentius Iulio rigidior. Hic enim Eusebianæ factionis episcopos permisit adsidere Sardicensi Concilio, & auiti circa Romanas appellationes Canonis rigorem dispensatoria in illos gratia mitigauit.

At quodlibet agere, vel pati, quàm Athanasij reparationem, atque episcopatum agnoscere maluit Eusebiana factio. Hunc adeò auersata fuit, vt de nocte fugerit Sardica Philippopolim, & horrenda, quæ sol vsque tunc non viderat, schismatis facinora istic patrarit in Apostolicam Sedem. Pari odio sancti Ioannis reparationem auersata fuit Theophili factio. Etenim de missis ab Innocentio Pontifice Thessalonicensem Synodum Legatis pergit Theodorus Diaconus: [Profecti Constantinopolim post quatuor menses redierunt, narrantes nobis Babylonias res.] Hoc est, res non christianæ ecclesiæ, sed Babylonicæ confusioni congruas, & dignas. Demonstrat, & Legatos, & adhærentes illis Orientales Episcopos fuisse eiectos, carceratos, percussos, & adnectit hæc ipsorum, dum ad Pontificem redierunt, verba: [Postridie miserunt ad nos, siuè Regis Aulici, siuè Atticus, nescimus, ipse enim ferebatur ecclesiæ inuasisse thronum, qui tria millia numismatum darent, vt communicaremus Athico, & de Ioannis iudicio omninò taceremus. Quibus minimè obtemperare voluimus.] Proindè mortuus tunc erat Arsacius. Hæc omnia compendio refert etiam Hermias Zozomenus, & adiungit: [Ioannis hostes apud Constantinopolim hanc rem quasi in contumeliam] Arcadiani [Imperij fieret, calumniati sunt, & vt Romani Legati tamquam trãsmarini Imperij turbatores ablegarentur, effecerunt.] Eusebia num schisma resumere noluit, vtpotè orthodoxa, Theophili factio, sed ignaui, & circumuenti Principis violenta potentia Apostolicæ Sedis iudicium, & conatum morata est, atque suspendit. Et tunc iratus Pontifex excommunicauit Arcadium, Atticum, Theophilum, & omnem factionem ipsis appendicem. Et sic conflatum est istud schisma, seu ista ecclesiasticæ communionis intercisio, cuius calamitates exponit in ecclesiastica historia Theodoretus: [Quot episcopi illius, vtique sancti Ioannis, causa fuerint exturbati suis ecclesijs, & ad extremas orbis partes relegati, quot etiam Monachi simili supplicij genere multati, hoc loco percensere superuacaneum existimo, eoque pacto historiam longiùs prouehere, præsertim cum mea quidem sententia, ea quæ tristitiam adferant, contrahenda sint in angustum, & errata eorum, qui sunt fidei societate nobiscum coniuncti, silentio tegenda. Atqui complures eorum, qui erant iniuriarum auctores, pœnas persoluerunt, quorum supplicia alijs attulerunt non parùm commodi. Istud iniquum facinus cõtra Ioannem admissum Episcopi Europæ supra cæteros detestati sunt, & se ab auctorum communione seiunxerunt. Ad quos Illyrici etiam Episcopi accessere. Orientalium verò ciuitatum plurimi communionem quidem facinoris vitarunt, ecclesiæ tamen corpus non distraxerunt. Sed & defuncto orbis terrarum Magistro, Episcopi Occidentales non priùs Episcoporum Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ communionem admiserunt, quàm Diuini Viri nomen inter defunctos Episcopos retulissent. Et Arsacium quidem, qui ei suffectus fuerat, nec salutatione dignitati sunt. Atticum verò Arsacij successorem post multas Legationes, & pacis petitiones tandem recipiunt, cum tabulis nomen inscripsisset.] Infelix, & portentosa Imperatricis, & omnium malorum auctricis Eudoxiæ mors, & Arcadio, & Attico aperuit oculos, atque ita per multas preces tandem Romanæ Ecclesiæ pacem recuperarunt. Ea lege, vt Ioannem Sacris Ecclesiæ tabulis redderent. Non laicorum tabulis, sed defunctorum Episcoporum. Et vt Arsacij nomen perpetuò raderent. Hoc est, vt Ioannem perpetuis futuris temporibus profiterentur fuisse legitimum Episcopum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Arsacium autem fuisse adulterum inuasorem, contra Canones intrusum. Vt profiterentur Ioannem legitimè appellasse ad Romanam Ecclesiam, à Papa Innocentio fuisse legitimè reparatum, huius de illo iudicium exstitisse Canonicum, & per Theophili factionem iniquè ab executione suspensum. Quare apud Photij Bibliothecam errorem continent hæc Georgij Patriarchæ Alexandrini verba: [Tandem Arsacius Ioannis nomen in Dypticha retulit.] Certum est fuisse factum ab Attico. Etiam de Alexandro Antiochiæ Patriarcha scribit Theodoretus: [Hic magni Ioannis nomen primus Ecclesiasticis Dyptichis adscripsit.] Quòd ipse etiam in suæ mortis lecto Theophilus

Marginal notes: C. 4. (beside "[Profecti Constantinopolim"); Lib. 7. c. 29. (beside "Hermias Zozomenus"); Lib. 5. c. 34. (beside "ti, quot etiam Monachi"); Lib. 8. c. 35. (beside "primus Ecclesiasticis Dyptichis")

philus Ioannis imaginem sibi iusserit adferri, & pœnitentes ab ipso veniam supplicarit, ex authenticis documentis adfirmat sanctus Ioannes Damascenus. Ipsius tamen successor, & nepos Cyrillus nomen necdum statim reddidit ecclesiasticis tabulis. Et tunc prodijt hic Carthaginensis Canon: [De dissensione Romanæ, atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quo vtraque ecclesia pacem, quam præcepit Dominus, teneat.] Agit de sola Alexandrina Ecclesia: Quòd nempè, & Antiochena, & Constantinopolitana, & omnis alia Orientalis Diœcesis, atque Parochia nomen istud iam in tabulas admisisset. Et tandem etiam Cyrillus admisit. Ipsius, & Attici mutuas hac de re literas integras habes apud Nicephorum Calixtum, ipsarum fragmenta apud Facundum Episcopum Hermianensem. Quin & sanctus Proclus Constantinopolitanus Episcopus Ioannis corpus retulit in Regiam Ciuitatem, magnis adfecit honoribus, & Pontificaliter ornatum posuit in Patriarchali Cathedra: Quo solemniter profiteretur ipsum à Romana Ecclesia fuisse legitimè reparatum. Quòd populo Episcopalem benedictionem dederit, atque ita Diuina Maiestas hæc omnia miraculo confirmarit, testantur grauissimi Scriptores. Græci Episcopos suos in Episcopali Cathedra sedentes, & episcopaliter ornatos sepeliunt: Exemplum istud demonstrat morem esse antiquum. Et ex omnibus his lucidissimè patet sanctum Ioannem non ad œcumenicam Synodum, sed appellasse ad solam Romanam Ecclesiam, ab ipsa sola fuisse reparatum, ita tandem censuisse omnem Orientalem Ecclesiam, & solemniter fuisse professam. Quin, & hæc semper ita censuit, & credidit. Etenim Theophili factio non ex Eusebiano errore, sed ex Caino odio Ioannis reparationem impugnauit, & per Regiæ auctoritatis violentiam ab exsecutione suspendit.

Et hinc tertius D. Archiepiscopi error est, quòd Ioannis ad generalem Synodum appellatio fuerit pro istius temporis more suscepta ab Imperatore, & quòd ipsi Papę, ac Italiæ Episcopi consenserint, qui cura sua id dein egerint apud Imperatores, vt Concilium conuocaretur. Etenim longè aliud adserit in laudato Dialogo Theodorus Diaconus: [Non tulit vltrà Innocentius Pontifex, indignitate summa permotus, scripsitque ad Honorium Imperatorem. Motus literis Princeps præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cum in vnam sententiam conuenisset, ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, vt scriberet Arcadio fratri suo, vt iuberet Thessalonicæ Concilium fieri.] Non itaque Ioannes, sed Innocentius Pontifex à Principe postulauit Synodum. Et circa hanc non Italiæ Antistites Imperatori consenserunt, sed Imperator istis Episcopis. Et Ioannes non ab Honorio, sed ab Arcadio debebat supplicare Synodum: Quomodò ipsam à suæ damnationis auctore, aut certè patrono impetrasset? Et quis Canon, aut quis Canonicus mos damnatorum à suis Synodis Episcoporum appellationes tunc sanxit, aut permisit excipi à Laico Principe, & circa ipsas aliud non fieri à Romano Episcopo, quàm consentiri? Figmenta hæc sunt iam abundè destructa. Similibus antiquorum Canonum, & morum deprauationibus scatet istud opus. Præsertim odit Romanas inferioris Cleri appellationes. Hinc scribit: [Adriani Secundi, & Ioannis Octaui Successores, ruptis Canonum cancellis, appellationes Presbyterorum admiserunt, adeòut Gregorius Septimus in Decretis suis, quæ vulgò Dictatus Papæ dicuntur, hoc quoque præcipiat;] Vt nemo audeat condemnare Sedem Apostolicam appellantem. [Quod in ius nunc versum est in Decreto Gratiani, & Libris Decretalium.] Adfirmat antiquos Ecclesiæ Canones à dictatu subuersos. Quæ omnia horrendè deuiare, suo loco demonstrabitur. In Apostolici Dictatus gratiam fuerunt hìc pauca dicenda, atque ita demonstranda liberi istius auctoritas.

CANON XXI.

Quòd maiores causæ cuicumque Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem referri debeant.

SCHOLION.

Dvplex est in Romano iure relatio: Alia Principis ad Senatum, alia inferiorum Magistratuum ad scientiam, vel auctoritatem Principis. Prior erat propositio rei tractandæ cum suffragij prærogatiua: Posterior erat Principis à subdito Magistratu consultatio de rebus actis, vel agendis. Huiusmodi relationibus suarum epistolarum libros impleuerunt Plinius secundus Bithyniæ præfectus, & Symmachus præfectus Almę Vrbis. Easdem frequenter laudant Ammianus Marcellinus, & alij Romanarum rerum Scriptores. Et tam in Iustinianæo, quàm in Theodosiano codice exstant tituli de relationibus, & consultationibus. Vetus, inquit in Ecclesiastica Historia Eusebius Cæsariensis, [apud gentium Magistratus, & Præfectos inualuerat consuetudo, vt si quæ noua, & inaudita apud illos fortè contingerent, ei, qui Regium in eos Imperium obtinebat significarent.] Hinc etiam Domini Nostri Iesu Christi admirabilem mortem, & admirabiliorem Resurrectionem scribit à Pontio Pilato Syriæ Præside ad Tiberium Imperatorem fuisse relata. Quod ipsum in libro Apologetico adfirmat Tertullianus. Et in Apostolicis actis Festus Palestinæ Præses de Pauli Apostoli, qui Romam ad Principem appellarat, legali causa instrui, rogat ab Agrippa Iudæorum Rege. Quòd omnis appellatio referri, & omnis relatio deberet esse lucida, ac distincta. Addit in lege ad Claudium Photianum Lucaniæ, & Brutiorum Correctorem Imperator Constantinus: [Super paucis, quæ iuridica sententia decidi non possunt, nostram debes consulere Maiestatem, ne occupationes nostras interrumpas.] Exstat lex in vndecimo libro Codicis Theodosiani. Præter appellationes ad Principem referri poterant solæ causæ dubiæ, & maio-

Lib. 2. cap. 2

Tit. 29. c. 1.

maiores. Hinc, & Plinius laudat maiorum rerum causas. Referre debebat omnis Magistratus: Non soli Prouinciarum, sed etiam Præfecti Almæ Vrbis, atque Prætorium. Longa, & erudita est hæc materia, verùm non nostri fori.

De Meletio Lycopolitano Episcopo, apud Ægyptios Thebaidos Metropolita, rectè scribit sanctus Epiphanius: [Meletius secundum à Petro Alexandriæ Patriarcha locum obtinebat, vtporè illius adiutor, sed eidem tamen subiectus, & ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens.] Relationis obligationem adfirmat esse partem, & characterem subiectionis. Relatio est supremus, non minùs quàm appellatio, Apostolici Primatus, & Maiestatis character, ideòque nullum vmquam Patriarcham, nullum suum Legatum, nullum Vicarium, nullam generalem etiam Synodum Apostolica Sedes ab ipso absolui. Hinc enim Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum in omni Illyrico Vicarium qui Atticum Nicopolitanum Episcopum, veteris Epyri Metropolitam, sine Romana relatione, & prænio rescripto iudicare præsumpserat, grauiter arguit sanctus Leo Magnus, & adiungit causam: [Vices nostras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.] Cunctorum Metropolitarum causæ semper fuerunt maiores, & priuatiuè spectarunt ad Patriarchæ tribunal, ideòque ipsas in Occidente sine prænia ad Pontificem relatione, ac speciali delegatione iudicare erat inuasio incommunicabilis Apostolicæ auctoritatis. Etiam grauiores Prouincialium Synodorum causas idem Vicarius debebat referre. Quod onus Arelatensi item Vicario, ac postea Senonensi Apostolica Sedes imposuit. Etiam Arij causam sanctus Alexander Patriarcha Alexandrinus sancto Syluestro, & eius Successor sanctus Cyrillus Nestorij lapsum retulit sancto Cœlestino. Et sanctum Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, quòd Eutychetis Acta tempestiuè non retulisset, grauiter arguit sãctus Leo Magnus. Et ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham, cui Flauiani Antiocheni Patriarchæ causam delegarat Capuana Synodus, scripsit sanctus Ambrosius: [Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te indicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant.] Addit ipsum nihil posse iudicare, nisi quod comprobet Romana Ecclesia. Laudata Synodus, vt ipsa ad Pontificem referre debuerat, ita Theophilum ab isto onere non potuit liberare. Retulit enim etiam Synodus Nicœna, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensis, cunctæ generales. Omnia ipsarum acta, quibus relatio defuit, fuerunt caduca, & infirma. Exstat Bonifacij primi ad Rufum Thessalonicensem Antistitem Epistola, quæ lucidè demonstrat omnes Patriarchales Sedes semper retulisse. Et hinc Romanas non tantùm appellationes, sed omnem Romanum super Patriarchas, & ipsorum Diœceses Primatum euersura Eusebiana factio malè ex Antiochenæ olim aduersùs Paulum Samosatensem Synodi exemplo admisit se obligari ad relationem: Sibi ipsi contradixit. Nec enim æqualis ad æqualem, sed solus subditus obligatur ad Principem referre.

Epist. 84. cap. 1.

Epist. 9.

Etenim vti Euangelium suum, atque Ecclesiam in Romano præsertim Imperio prædicari, atque vigere voluit Diuina prouidentia, ita vtriusque regimen voluit esse Monarchicum, & fermè eiusdem per omnia formæ. Hinc consultatiua relatio, vti ad Augusti Principis, ita ad Romani Episcopi semper spectauit Maiestatem. A sanctis Patribus, aduersùs Constantinopolitanam, quę sine relatione sanctum Patriarcham Ignatium degradauerat, Synodum scribit ad Michaelem Imperatorem Nicolaus primus Pontifex, [& deliberatum, & obseruatum existit, qualiter absque Romanæ Sedis, Romanique Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur.] Exstat epistola in actis Synodi octauæ. Adfirmat semper fuisse ita obseruatum, quod nempè sit Apostolicum, atque Euangelicum Statutum. Et hinc ad sanctum Victricium Rothomagensem Episcopum rescripsit sanctus Innocentius primus: [Si maiores causæ in Prouincialis Synodi medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referatur.] Non solùm Nicœnam, aut Sardicensem Synodum, sed & auitam laudat consuetudinem, nequaquam inductam ab istis Synodis, sed probatam dumtaxat, & confirmatam. Quòd enim Antiochena olim in Paulum Samosatensem Patriarchalis Synodus acta sua retulerit ad sanctum Dionysium Pontificem, iam supra est dictum, exstatque relatio apud ecclesiasticam Eusebij Cæsariensis Historiam. Exstant, & aliæ plures. Etiam sancti Cypriani Epistolæ abundant Romanis relationibus, & ad Iulium Pontificem scripsit laudata Sardicensis Synodus: [Hoc optimum, & valdè congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest, ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.] Ipsam Innocentius primus, alijque passim Pontifices appellant Nicœnam, quòd nempè illius appendix, atque interpres sit, obscuriora ipsius Decreta lucidiùs, & largiùs exponens. Et de lapso in hæresim, ac apertam eius prædicationem Nestorio Episcopo Constantinopolitano scripsit ad sanctum Cęlestinum Pontificem sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: [Longa Ecclesiarum consuetudo suadet, vt eiusmodi res Sanctitati tuæ communicentur.] Exstat epistola in actis Ephesinis. Et ad Agenichiam viduam sanctus Hieronymus: [Cum in chartis ecclesiasticis iuuarem Damasum Romanę Vrbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem.] De Prudentum, seù Romani iuris Consultorum, ex sola proprij studij fiducia respondere olim consuetorum, noua disciplina habent digesta de origine iuris: [Primus Diuus Augustus, vt maior iuris auctoritas haberetur, constituit, vt ex auctoritate eius responderent. Et ex illo tempore peti hoc beneficio cœpit.] Eiusmodi Diuini, atque Ecclesiastici iuris Consultos ad latus suum semper habuerunt etiam Romani Pontifices, ac inter ipsos

Act. 4.

Epist. 1.

Lib. 1. Epist. 14.

Epist. 11.

Lib. 1. tit. 2. cap. 2.

ipsos fuit apud Damasum sanctus Hieronymus, & Latinæ, & Græcæ linguæ insigniter peritus, ideòque, & ad Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ consultationes respondens. Quapropter errant, qui existimant fuisse simplicem Secretarium.

Notanda sunt eius verba, synodicis cōsultationibus: Euincunt quasuis non solum Occidentis, sed & Orientis synodos ad Papam semper retulisse. Etiam synodos Prouinciales. Ita enim, & à Nicæna synodo, & beata consuetudine iuberi, suprà nobis dixit Innocentius primus. Et de Prouincialibus in Illyrico synodis scripsit ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, suum isthic Vicarium sanctus Leo Magnus: [Si fortè de maioribus peccatis causa nascatur, quæ Prouinciali nequeat examine definiri, Fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanum curabit instruere.] Et ad Illustrem virum Senarium sanctus Auitus Metropolita Viennensis: [Scitis synodalem legem esse, vt in rebus quæ ad Ecclesiæ statum pertinent si quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanæ Ecclesiæ Maximum Sacerdotem, quasi ad caput nostrum membra sequentia, recurramus.] Eamdem legem laudat in literis ad Faustum, & Symmachum Romanos Senatores doles iam in Gallia ob Francorum, & Burgundiorum diuersa Regna vix fieri synodos, ideòque non per ipsas, sed per Episcopos fieri singulares relationes. Antiquam de ipsis Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinem demonstrat in literis ad Viennensis, & Narbonensis Ecclesiæ Episcopos magnus Leo. Earumdem necessitatem in literis ad Michaelem Augustum extollit etiam Nicolaus primus, affirmans ex ipsarum à Græcis neglectu omnia passim ipsorum schismata pullulasse. Futuro item Bulgarorùm Archiepiscopo, ac eius synodo iniungit quamuis dubiarum rerum, & maiorum negotiorum relationem, addens hunc esse morem vniuersalis ecclesiæ.

Epist. 84. c. 7.

Epist. 36.

Notanda sunt Leonis verba: [Metropolitanus curabit instruere.] Etiam verba ibidem sequentia: [Si coram positis fratribus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur.] Apostolica omnium ecclesiarum sollicitudo non erat superfluis relationibus obtundenda. Hinc Clericus ad Episcopum, Episcopus ad Metropolitam, Metropolita ad Primatem, Patriarcham, aut Apostolicum Vicarium, hi demum ad Papam poterant referre. Hinc Theodoto Foroliuiensi Episcopo, per semetipsum referre auso, laudatus Leo Pontifex rescripsit: [Sollicitudinis tuæ hic ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur, conferres, & si id, quod ignorabat Dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, sine Primatibus nihil oportet inquiri. Et infrà: Hæc Frater charissimè, quæ ad interrogationem Dilectionis tuæ respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione gereretur, in Metropolitani tui notitiam facies peruenire.] Et de facta ad se per Perigenem Corinthiorum Metropolitam relatione scripsit

Epist. 91. c. 1.

ad Rufum Thessalonicensem suum Vicarium sanctus Bonifacius primus: [Nolumus Coepiscopo Perigeni nostram paginam destinare, priusquam tuas accipiamus epistolas.] Per nullum Illyrici Metropolitam, sed per solum suum istic Vicarium sibi voluit referri. Ipsi à cunctis illic episcopis obediri, sine eius præuia confirmatione nullum consecrari episcopum, nullam fieri Prouincialem synodum sine eius facultate, ad ipsum referri à cunctis iussit etiam Cælestinus primus, atque adiunxit: [Per eum etiam ad nos, si quid est, referatur.] Quod ipsum in literis ad eiusdem Diœcesis Episcopos, nuper publicatis per Illustrissimum Lucam Holstenium, Sixtus tertius confirmauit. Eamdem potestatem varij Pontifices dederunt suo Vicario Arelatensi. Et quidem etiam Theodoro Foroiuliensi episcopo respondere non debuerat magnus Leo: Fuit quæpiam in Metropolitam iniuria. Quæstionis grauitas extorsit Responsum, & debita Metropolitæ reuerentia iussit ipsum illi communicari.

Epist. 7.

Epist. 13.

Licet ergò non omnes, plures tamen per Occidentem Metropolitæ ad Papam immediatè potuerunt referre. Dico, per Occidentem: Orientales enim Metropolitæ omnes aut Patriarcham habuerunt, aut autocephalum Primatem, ideòque non nisi ad ipsos immediatè potuerunt. Occidentalis ecclesia nullum olim Primatem habuit nisi Carthaginensem, nullumque Apostolicum Vicarium, nisi Thessalonicensem, ac Arelatensem, ideòque cuncti extra has Diœceses Metropolitæ ad Papam olim proximè referre, & poterant, & debebant. Nec tantùm è suis synodis, sed quoties causa exigebat. Plurima sunt istiusmodi exempla. Et hinc intellige sancti Leonis Magni literas ad episcopos Viennensis Prouinciæ: [Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reuerentia, à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam.] Apostolicæ Sedis Papalem Primatum aduersùs Hilarij Arelatensis episcopi præsumptiones quidam existimant prædicari. Malè. Eum quippè nec Hilarius, nec vllus eo vsque Gallicanus Episcopus impugnauerat. Arelatensis ecclesiæ in aliquot Prouincias Primatum non Zozimi Pontificis in suum Antecessorem Patroclum beneficio, sed sancti Trophymi meritis, ac Episcopatui ille adscripsit: Huic Primatum illum dixit datum à sancto Paulo Apostolo, à Zozimo dumtaxat reparatum, ideòque Apostoli institutionem à sancto Leone non posse cassari. Reposuit verò Pontifex Viennensis, & vicinarum Prouinciarum ad Apostolicam Sedem Relationes, non per Arelatensem Archiepiscopum, sed per proprios Metropolitas fuisse anteà semper factas, ideòque Primatum istum fuisse ignotum. Fatetur Relationes priuatiuè ad Primatem spectare, atque ita Hilarij prætensionem ab inferiori ecclesiarum praxi subuerti. Quisque referre debuit ad suum immediatum Prælatum. Quæ regula docet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectos episcopos, non suæ Prouinciæ Metropolitas, sed referre potuisse ad Papam. In literis aduersùs nepotem suum Hincmarus Metropolita Rhemensis rectè addit

dit in causis, quas aduersùs Metropolitam mouet, quemuis Prouincialem in Occidente Episcopum posse ad Pontificem, vtpotè suum Patriarcham, proximè referre. Epist. 33. c. 6.

Quædam opponi possint. Etenim ad sanctum Exuperium Tholosæ Episcopum scribit sanctus Innocentius primus: [Dilectio tua, Institutum secuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubijs custodire deberet, potiùs quàm vsurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur de singulis obtinere.] Exuperius, licèt Prouincialis dumtaxat episcopus, laudatur ad Papam retulisse, adeòque hiscè etiam episcopis videtur id licuisse. Ad eundem item Pontificem Decentius Eugubinus, Felix Necerianus, & quidam Apuliæ episcopi retulerunt. Septimius quoque Altinus in Venetiarum Prouincia episcopus à sancto Leone Magno de facta ad ipsum relatione laudatur. Epist. 85. Et ad Theodoretum Cyrensem in Euphratesia Prouincia episcopum de Nestorij, & Eutychetis per omnem Antiochenum Patriarchatum grassantibus reliquijs scripsit idem Pontifex: [Vnde in hoc quoque tuæ Vigilantiæ sollicitudine volumus adiuuari, vt tua relatione currente, quid apud illos religionis doctrina Dominica proficiat, Apostolicam Sedem festines instruere, quatenus illius regionis Sacerdotes adiuuemus.] Nec desunt alia huiusmodi exempla. Respondeo tamen regulam nostram esse certam, ac in literis ad nobilem virum Senarium laudari etiam à sancto Auito Archiepiscopo Viennensi: [Cum à Prouincialibus meis consulor, respondere etiam ego, ni Priorem,] Romanum vtique Pontificem, consulam, non præsumo. Epist. 36. Etiam in quæstionibus, quas ipse non intelligit, ait à Prouincialibus episcopis, non Pontificem, sed se Metropolitam esse consulendum. Et hinc Septimium Altinum episcopum, quoniam periculosissimos Pelagianæ hæresis dolos referebat, laudauit quidem magnus Leo, attamen non ipsi, sed eius Metropolitæ Nicetæ Aquileiensi episcopo rescripsit suum Decretum. Præterea, non tantùm dolos istos, sed & dicti Metropolitæ sui de ipsis negligentiam Septimius retulerat. Porrò & Nestoriana, & Eutychiana hæresi, ac exinde multis episcoporum discordijs laborabat tunc Antiochenus Patriarchatus, varij Metropolitæ erant suspicionibus obnoxij, Theodoretus autem in Chalcedonensi Concilio suam pro Romana fide, & Apostolicæ Sedis auctoritate constantiam insigniter ostenderat, plenèque purgauerat suum in Ephesina synodo lapsum. Hinc hæresios illius statum, & motum referendi potestatem laudatus Pontifex illi fecit. Pro singulari ista materia erat facultas dispensatoria, ac singularis. Eugubium, Nuceria, Apulia, Calabria, & omnis ista Italia nullum tunc habebat Metropolitam, nisi Romanum: Hinc præfati episcopi ad Innocentium primum, non vti ad Papam, sed vti ad Metropolitam retulerunt, ac referre debuerunt. Sancti Exuperij ad eundem Pontificem relatio fuit singularis: Summis eius in omnem ecclesiam meritis indulta. Etiam tunc Barbaris calamitatibus plena erat omnis Narbonensis Prouincia, atque ita eius forsan Metropolita non potuerat referre.

Referri non potuerunt causæ quælibet, sed maiores dumtaxat, ac difficiles, seu dubiæ, quas Metropolita, Primas, Patriarcha, aut ipsorum synodi ex Canonicis Scripturis, Sacris Canonibus, aut alijs ecclesiasticis fontibus non poterant lucidè, & plenè definire. Pro lucida quæstione recursum esse non relationem, sed superfluam Pontificis inquietationem rectè adfirmat in literis aduersùs nepotem suum Hincmarus Rhemensis. Cap. 34. Loquitur ex sancti Leonis epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, Apostolicæ Sedis in Illyrico Vicarium: [Si fortè in Prouinciali synodo de maioribus peccatis causa nascatur, quæ Prouinciali nequeat examine definiri, Fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit instruere, & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur.] Transferri vult non quasuis causas, sed solas istas, quas Vicarius non potuerit sopire. Sola maiora negotia, & difficiles causarum exitus mandat referri, & sub suæ sententiæ exspectatione suspendi. Et sanctum Exuperium laudauit Innocentius primus, quod referret ad Sedem Apostolicam, quid de rebus dubijs custodire deberet, & deposita verecundia mallet discere, quàm omninò nescire. Et adiunxit: [Mihi quoque ipsi de collatione docilitas accedit, dum perscrutaris rationibus ad proposita respondere compellor. Eoque fit vt aliquid semper addiscat, qui postulatur, vt doceat. Eas solas, quibus decidendis, & ipse cogatur studere, quæstiones adfirmat sibi referendas. Et ad diuersarum in Gallia Prouinciarum episcopos scripsit Hilarus Papa: [In dirimendis grauioribus causis, & quæ illic non potuerunt terminari, Apostolicæ Sedis sententia consulatur.] Epist. 4. c. 2. Et ad sanctum Bonifacium, suum in Francia Vicarium Pontifex Zacharias: [Si noui aliquid acciderit quod tua Fraternitas minimè per canonum Instituta discernere possit, hoc nobis non te pigeat insinuare.] Epist. 1. c. 7. Plurima sunt eiusmodi testimonia. Et hinc ad Paschalem secundùm non malè olim scripsit Clerus Leodiensis: [Prouincialem synodum ex antiqua traditione tenemus, & quidquid ibi de scripturis sanctis definitum fuerit, Romam non refertur, vsque ad grauiora negotia, de quibus non reperitur in scripturis sanctis auctoritas.] Per grauiora negotia nequaquam maiora intelligunt, sed dubia, seu difficilia, quæ magnam, scribit ad Nicetam Aquileiæ Episcopum sanctus Leo, difficultatem dijudicationis videntur adferre. Hæc igitur omnia licèt non maiora, omninò fuerunt referenda. Ep. 79 c. 1. Nec tantùm post, sed omninò ante quamuis decisionem. Ante Papale Responsum nullus Metropolita, nullus Primas, nullus Patriarcha, nullus Apostolicus Vicarius, aut Legatus, nulla ipsorum synodus potuit se relatæ causæ miscere. Relatio ipsam Apostolicæ Sedi deuoluebat, & reseruabat. Ita palàm lucet ex adductis testimonijs. Et ad Ægypti Orthodoxos in Palæstina exulantes Episcopos, de Marcelli Ancyrani olim Episcopi dubia causa ausos statuere, rectè scripsit Magnus Basilius: [Vobis ipsis rem tanti mo-

momenti permisisse non debueratis, sed quotquot sunt vestræ communionis, seu per Occidentem, seu per Orientem, eorum exspectasse calculos, & sententiam.] Eos arguit, quod sermones suos in iudicio non dispensassent. E' Romana Republica desumptam esse hanc regulam dixit suo olim Clero, & populo sanctus Augustinus: [Etiam in negotijs sæcularibus, quando causæ dubitatio ad maiorem potestatem refertur, pendente relatione, nihil audent Iudices commutare.] Quod ipsum repetit in literis ad Fœlicem, & Hilarinum Episcopos, additque causam: [Ne superiori cognitori fiat iniuria.] Christianam Ecclesiam non tantùm in dogmate, & fide, sed etiam in moribus, & disciplina oportet esse concordem, & vnam, ideòque cuncta de illis dubia per supremam ipsius vnitatis Cathedram sunt decidenda.

Epist. 193.
Epist. 137.
Epist. 136.

Maiores causæ sunt variæ. Primum locum habet dogma, & fides, ideòque cuncta de illis noua quæstio, omnisque aduersùs illam, aut ipsius, licèt dumtaxàt clericos, aut laicos, auctores, vel Sectarios Synodalis decisio fuit semper Romam referenda. Ita Arij Presbyteri sui causam, suum de ipso iudicium, & Acta varia, Alexander Patriarcha Alexandrinus retulit sancto Syluestro Pontifici, & hic ad ista componenda in Ægyptum legauit Hosium Episcopum Cordubensem. Etiam Origenis Presbyteri nouitates fuisse Fabiano Pontifici relatas, lucet ex S. Hieronymi epistola ad Pammachium. Pelagij item, & Cælestij, dumtaxàt Monachorum, causas Innocentio primo retulerunt episcopi Africani. Sine negligentiæ culpa non potuisse id à se omitti professa fuit Mileuitana Synodus, reposuit verò Pontifex hanc esse antiquam traditionem, atq; Ecclesiasticam disciplinam, & in Rescripto ad Carthaginensem Synodum adiunxit: [Quòd Instituta Patrum Sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quòd illi non humana, sed Diuina decreuere sententia, vt quidquid de disjunctis, remotisque Prouincijs ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perueniret, vbi tota huius auctoritate, iusta, quæ fuerit pronunciatio, firmaretur]. Cuiuscumque synodi de quauis hæresi, aut Hæretico iudicium adfirmat non dumtaxàt referendum Pontifici, sed & ab ipso confirmandum: Et hanc non humanam esse legem, sed Diuinam. Et pluribus confirmat. Omninò omnem de fide nouitatem ex antiqua Ecclesiarum consuetudine esse referendam scripsit ad Cœlestinum Pontificem etiam Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Quòd, & Atticus Constantinopolitanus episcopus suam de Cœlestij dogmate, & tentata ad generalem synodum appellatione sententiam retulisset, in literis ad eius Successorem Nestorium testatur, & laudat laudatus Pontifex Cœlestinus. Exstāt epistolæ in Actis Ephesini Concilij. Et hinc inter cætera vitia, ob quæ Diospolitanam Synodum Innocentius primus dixit, aut suppostitiam, aut caducam, fuit omissio relationis. Vide eius literas ad Aurelium, & alios quatuor Episcopos Africanos. Et Sanctum Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, quòd suum de Eutychetis Presbyteri lapsu, ac damnatione

Ep. 65. c. 4.
Epist. 91.
L. 1. ep. 1420

Synodale iudicium non statim retulisset, meritò sanctus Leo Magnus increpauit, indignatus istud sibi ex damnati appellatione priùs innotuisse. Eius item Successorem Anatolium, quòd Atticum Presbyterum suum, de Eutychiana lepra suspectum, tempestiuè non retulisset, idem Pontifex increpauit. Ex quibus vides non solùm Hæresiarchas, & nouos, ac nondum damnatos Errones, sed etiam iam damnatorum sequaces clericos fuisse Romam referendos. Et hinc aduersùs Petrum Abaelardum, à Senonensi synodo appellantem ad Romanum Pontificem, non rectè scripsit sanctus Bernardus: [Appellauit ab Electis Iudicibus, quod putamus non licere]. Ab Electorum enim Iudicum inappellabili auctoritate eximuntur fidei quæstiones, quæ non solùm per appellationem, sed, & per relationem ad Sedem Apostolicam debent semper deuolui, ac suspendi. Et hinc laudata Synodus dictam appellationem [reuerentiæ causa] tandem admisit. Attamen causa hæc, dum quidem liquida est, non nisi post Episcopale iudicium debet referri. Ita enim de cunctis maioribus ad Victricium Rothomagensem Episcopum Innocentius primus ex Nicæno Canone, & beata Ecclesiarum consuetudine rescripsit. Quod intelligo de damnationis, non de absolutionis iudicio. Cuiuscumque enim Hæretici absolutio semper fuit Apostolicæ Sedi reseruata. Nec tantùm in Occidentali Ecclesia, sed etiam in Oriētali. Hinc enim ex Asiatica Praxeā, & ex Pōtica Diœcesi Marcionem fuisse pro absolutionis gratia Romam profectos testantur Tertullianus, & S. Epiphanius. Eam nulla Synodus sine præuia relatione attentare poterat. Quod est alibi elucidādum.

Epist. 8.
Epist. 77.
Epist. 189.
Epist. 190.

Secunda grauior causa sunt negotia spectantia ad generalem Ecclesiæ disciplinam, statum, aut pacem. Hinc enim quosdam Ægypti apud Palæstinæ Diocæsaream exulantes Confessores Episcopos, quòd sermones suos in iudicio non disposuissent, suprà arguit magnus Basilius. Nempè de Marcelli Ancyrani episcopi, quæ omnem tunc mouebat Ecclesiam, causa nescio quid statuerant, nec retulerant ad Romanam Sedem. Et Nectarij Constantinopolitani episcopi factam à prima ibidem synodo ordinationem ex Romanæ relationis defectu fuisse caducam, atq; infirmam, statim audiemus à sancto Bonifacio primo Pontifice, & Magno Imperatore Theodosio. Nempè, & ex ipsa pendebat pax Ecclesiasticæ inter Oriētem, & Occidentem communionis. Et Carthaginensem Proconsularis Prouinciæ synodum, quòd suum de Pelagiano errore iudicium retulisset, laudans Innocentius primus addidit: [Per cunctas terrarum orbis Ecclesias omnibus vnà quod profit, decernendum esse deposcitis]. Et ad Mileuitanam Byzacenæ Prouinciæ synodum: [Retulit Dilectio vestra, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse]. Adfirmat quasuis generale Ecclesiæ bonum tangentes causas esse ad Apostolicam Sedem à quauis synodo referendas. Adiungit esse perpetuam Ecclesiarum consuetudinem. Ex eodem fonte non dumtaxàt fidei Decretum, sed, & disciplinæ Canones referre semper debuerunt etiam œcumenica Concilia. Hinc enim aduersùs tertium, cui suum vigesimum

Epist. 293.

octauum superædificarunt Chalcedonensis synodus, Constantinopolitanæ Synodi Canonem scripsit ad Anatolium einsdem ciuitatis episcopum magnus Leo: [Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta annos facta subscriptio, numquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc, & inutilia subijcere fomenta voluisti]. Eum dicit etiam dudum plenè collapsum, & à sui exordio fuisse caducū, quòd sui ipsū auctores ad Apostolicā Sedem nūquā retulissēt. Et ad Clerum, ac Populum Constantinopolitanum scribit Sanctus Innocentius primus: [Canonibus obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti, quos solos sectari decet Ecclesiam Catholicam, & iuxta eos iudicare. Si alij à quopiam proferuntur, à Nicænis Canonibus dissonantes, & hæreticos auctores referentes, ij à catholicis episcopis reijciuntur. Hæreticorum namque Inuenta Catholicis Canonibus non sunt adnectenda]. Agit in Antiochenos Canones, quibus sua in Sanctum Ioannem Chrysostomum iudicia firmare conabatur prosana ad Quercum synodus, & quorum caducitatem non ex auctorum hæresi, sed ex alio principio desumunt Socrates, & Hermias Zozomenus: [Iulius Pontifex ad Antiochenam Synodum scripsit, atque increpuit, quòd contra Ecclesiæ leges ipsum ad Concilium non vocassent. Nam legem esse spectantem ad Sacerdotij dignitatem, quæ pronunciat Acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Romani episcopi constituuntur]. Ipsorum Decreta Iulius culpat de duplici vitio: Quòd sine suo mandato prodijssent, & quòd ad ipsum non fuissent relata. Et certè in neruoso suo ad dictam Synodum Rescripto nullam facit Canonum mentionem: Quòd nempè etiam istius relatio nullam fecisset. Quotquot habemus à generalibus Synodis authenticos Canones, relati fuerunt, & approbati: Aut sanè quis Successor Pontifex, aut longus Ecclesiarum consensus suppleuit vitia, & ex caducis fecit firmos. Cuncta istarum etiam synodorum, licèt ad Apostolicæ Sedis mādatum, ac suffragium facta, decreta sēper habuerūt onus, & relationis faciendæ, & accipiendæ confirmationis.

L. 3. cap. 9.

Tertia maior causa est degradatio cuiuscumque episcopi. At quæstio est, An ita sit ex iure antiquo? Rationem dubitandi faciunt Gallicani episcopi, qui Rothaldum Suessionensem episcopum degradarant in Syluanectensi synodo, atque aduersùs Romanam eius appellationem scripserunt ad Nicolaum primum Pontificem: [Iudicia Episcoporum non sunt maiora negotia, nec difficiles quæstionum exitus]. Quod ipsum in suis ad eumdem Pontificem literis variè confirmauit istius synodi Prēses Hincmarus Rhemensis. Respondeo dictam synodum longè aliter censuisse, & egisse: [De Rothaldi damnatione, inquit in suo ad ipsam Rescripto laudatus Pontifex, Apostolicæ Sedi iure referre studentes, petistis, vt nostra etiam auctoritate rata esse probarentur, quæ de eo apud vos in Concilio acta esse perhibuistis]. Rothaldi damnationem non ab illo appellante, sed ab ipsa statim synodo laudat fuisse relatam.

Epist. 47.

Epist. 21.

De maioribus causis referendis notanda sunt verba Innocentij primi: [Post Episcopale iudicium referantur]. Talem Episcopalium degradationum relationem semper admisit Gallicana Ecclesia, neque de ipsa aduersùs Apostolicam Sedem vmquam disceptauit. Disceptauit de sola facienda ante Episcopale iudicium. A supposititijs, per Isidorum Mercatorem deportatis in Galliam, antiquorum Pontificum Decretalibus Epistolis persuasus Nicolaus primus nullum sine præuia ad se relatione, & præuia sua venia voluit degradari posse episcopum, ideòque Rothaldi, licèt non appellasset, damnationem esse irritam, & nullam. Constantèr id cum dicta synodo negauit Hincmarus, asseuerans tanta paratura ad solos Metropolitas, nequaquam ad Prouinciales episcopos, suis synodis permissos à quinto Nicęno Canone, damnandos esse opus. Firmo fundamento nitebatur, causam tamen obtinuit Romana Ecclesia, atque ita ex illo tempore nullus etiam Prouincialis Episcopus sine præuia relatione potest degradari. Quòd autem Prouincialium Episcoporum damnatio post Episcopale iudicium fuerit semper relata, lucet ex Vigilij Pontificis ad Eutherium Episcopum Rescripto: [Ad Romanam Ecclesiam summa Episcoporum negotia, & iudicia, atque querelæ, quasi ad caput, semper referenda sunt]. Ipsorum degradatione nullum est maius negotium, aut iudicium. Hic enim [non tam de humanis constitutis, quàm de Diuinæ quodammodò benedictionis refragatione tractari], ad Natalem Salonitanum episcopum, Dalmatiæ Metropolitam, rectè scripsit Magnus Gregorius. Et Contumeliosi Reiensis episcopi degradationem Ioanni secundo retulit Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus, Apostolicæ Sedis in Gallia Vicarius. Omnes item à se degradatos Episcopos Iulio primo retulit synodus Sardicensis. Et de quarumdam causarum omissa relatione redargutus Sanctus Cyprianus Carthaginensis Episcopus, Africanæ Diœceseos Primas, respondit Sancto Cornelio: [De hoc tibi non scripseram, quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miserim tibi proximè nomina Episcoporum istic constitutorum, qui integri, & sani in Ecclesia Catholica fratribus præsunt. Quod vtique ideò de omnium nostrorum consilio placuit scribere, vt erroris diluendi, ac percipiendę veritatis compendium fieret, & scires tu, & Collegæ nostri, quibus scribere, & literas mutuò à quibus vos accipere oporteret. Si quis autem præter hos, quos epistola nostra complexi sumus, scribere vobis auderet, sciretis eum, vel sacrificio, vel libello maculatum, vel vnum de Hæreticis peruersum, & profanum]. Quocirca cuiuscumque episcopi de isto catalogo per degradationem rasio erat Pontifici omnimodò referenda. Hinc Priuatum Lambesitanum Exepiscopum addit, & Donati Antecessoris sui, & Fabiani Pontificis literis fuisse seuerissimè notatum: Quod nempè eius degradationem Donatus Fabiano retulisset. Eumdem Africanæ Ecclesiæ morem laudat Sanctus Augustinus, de Secundi Tigisitani Episcopi, tunc per Numidiam Primatis, Carthaginensis Cæciliani, & eius Ordinatorum Episcoporum dam-

L. 2. Ind. 11. Epist. 8.

Epist. 55.

damnatrice Synodo scribens ad Donatistas : [Quia non erant, quæ in Cæcilianum, & Ordinatores eius transmarino iudicio probarentur, propterea nec priusquam in eum sententias dicerent, differre voluerunt, nec posteaquam dixerunt, perseueranter id agere, vt Ecclesiæ Transmarinæ in notitiam perferretur, quorum Traditorum in Africa damnatorum communionem vitare deberet]. In dicta Synodo culpat duo. Primò, quòd à Cæciliano ob legitimas rationes recusatus Secundus causam non remiserit ad Sedem Apostolicam, à qua ille, vtpotè totius Africæ Primas, erat etiam in prima instantia iudicandus. Secundò, quòd damnatorum episcoporum nomina etiam post suum Episcopale iudicium non retulerit Romam, vtpotè sciens ipsum fuisse temerarium, ac peruersum. Referendum fuisse dicit, vt Roma sciret, quorum Traditorum in Africa damnatorum communionem vitare deberet. Ob eius relationis, & confirmationis defectum addit iudicium istud à Cæciliano, & eius Collegis non fuisse curatum, quòd nempè ambæ illæ essent de huius substantia, ideòque ipsarum omissio hoc redderet nullum penitus, & vanum.

Epist. 162.

Quarta causa maior sunt coniugalia Regum diuortia. Etenim Lotharij Francorum Regis à Theuberga Regina diuortium Nicolao primo Pontifici retulit, & se ad referendum obligari professa olim fuit Synodus Aquisgranensis. Et quòd causa ista non solùm maior, sed insuper dubia esset, atque difficilis, non dumtaxat post, sed omninò ante iudicium debuisse referri laudatus Pontifex asseuerauit. Etiam apud Radulphum de Diceto exstat Cœlestini tertij ad Michaelem Senonensem Metropolitam Epistola, & ipsum, & alios Galliæ Episcopos grauiter arguens, quòd Philippi Augusti Regis cum Daniæ sorore matrimonium sine præuia ad Apostolicam Sedem relatione dissoluissent. Egisse adfirmat contra auitum Gallicanæ Ecclesiæ, immò & totius Christianitatis morem, cassatque omnia. Vnde ad eius Successorem Innocentium tertium eadem causa fuit rursum deuoluta. Hodie omnes ferè Reges sunt ab Episcoporum potestate exempti, & ab ipsis nec excommunicari, nec interdici, nec puniri possunt: Hinc in illos sine præuia relatione nihil possit ab Episcopis attentari. Omnes maiores causas compendio edicit Basileensis Synodus : [Romanus Pontifex Consistoria publica teneat, in quibus negotia Ecclesiarum Cathedralium, Monasteriorum, Principum, ac Vniuersitatum, aliaque magni ponderis audiat.] Eadem omnia, dum ab Episcopis, aut Synodis tractantur, Pontifici esse referenda noster Gregorius dictauit.

Nec solùm maiores, sed etiam quasuis dubias, aut difficiles causas omnis semper Metropolita, Patriarcha, atque Synodus debuerunt referre. Etenim ad Mileuitanam Byzacenæ Prouinciæ Synodum scripsit primus Innocentius : [Diligenter, & congruè Apostolico consulitis honori, super rebus anxijs, quæ sit tenenda sententia. Antiquæ scilicèt Regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam.] Et dubiam causam quærenti viro illustri Senario respondit sanctus Auitus Viennensis

Ep. 36.

Archiepiscopus : [Dum à Prouincialibus meis consulor, respondere etiam ego, ni Priorem, vtique Apostolicam Sedem, consulam, non præsumo.] Apostolicus Canon omnes, non solùm Metropolitanos, sed etiam Prouinciales Episcopos accipiendæ consecrationis gratia mandat accedere ad Patriarchæ manus, aut certè non nisi ad præuium eius examen, & literas consecrari. Eustatiani schismatis diuturnitas hocce Antiocheni Patriarchæ ius grauiter læserat per omnem Orientalem Diœcesim. Metropolitæ suos suffraganeos suo passim nutu consecrabant. Post extinctum schisma Alexander Patriarcha laudatum Apostolicum Canonem reparare conatus est, verùm Metropolitis fauebat vetusta consuetudo. Hinc anxium, & difficilem casum ille retulit Innocentio primo, & extat huius rescriptum. Quæuis olim Basilica habere non poterat nisi vnicum altare : Et antiqua Græcorum consuetudo in eodem iterari eodem die sacrificium non permisit. Plures, & vastas Basilicas habebat Alexandrina ciuitas, nihilominùs numerosissimo populo quandoque non sufficiebant. Magnis in festis, aut iterari in eodem Altari sacrificium, aut magnam populi partem oportebat illo priuari. Hunc etiam arduum casum Magno Leoni retulit Patriarcha Dioscorus, & extat illius Rescriptum. Arianum Valentis Imperium, ac eius in Nicænam fidem violentia Catholicam Orientalis Ecclesiæ communionem multis næuis, ac perplexitatibus intricauerat, ideoque ad Damasum Pontificem scripsit magnus Basilius : [Horum certè malorum remedium esse vnicum arbitramur miserationis tuæ visitationem, & sollicitudinem.] Non Rescripta, sed Legatos adfirmat necessarios, atque concludit : [Prorsus nihil intempestiuum cupimus, sed quod beatis olim viris, & Deo carissimis, in more positum fuit, & omnium imprimis familiare vobis ipsis. Nouimus enim partim beneficio memoriæ per successionem rerum à Patribus ad nos deductarum, partim per literas edocti intelligimus, quæ sunt etiamnum, apud nos custoditæ, Dionysium illum beatissimum Episcopum, qui olim apud vos celeberrimus erat, per literas suas Ecclesiam nostram Cæsariensem curasse, & misisse huc de suis, qui fratres liberarent è captiuitate. At verò præsens nostrarum rerum status multò est, quàm ille fuit, difficilior, multò depressior & calamitosior, & multò maiorem flagitat sollicitudinem.] Ex quibus lucet non solùm à spectantibus ad Romanum Patriarchatum Metropolitis, sed etiam ab autocephalis per Orientem Primatibus, ac ipsis Patriarchis dubias, & difficiles causas fuisse semper relatas ad Apostolicam Sedem, & hanc esse perpetuam consuetudinem. Et hinc ad Rufum Thessalonicensem Episcopum rectè scripsit Bonifacius primus : [Quia res postulat, approbandum est documentis, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotijs, in quibus opus esset disceptatione maiori, sedem semper consuluisse Romanam, & quoties vsus exegit, eius auxilium postulasse.] Probat exemplis varijs, quorum adduco vnicum: [Clementissimę recordationis Princeps Theodosius Nectarij] Constantinopolitani Epi-

Epist. 18.

Epist. 81.

Ep. 220.

Epist. 10.

scopi à Constantinopolitana Synodo factam [ordinationem propterea, quia in nostra notitia non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum Episcopis, Formatam huic à Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ eius Sacerdotium roboraret.] Nectarij igitur Episcopatum, quousque, & relatus ad Apostolicam Sedem, & eius Rescripto firmatus esset, Theodosius nouerat esse infirmum, atque caducum. Erat enim causa difficilis, & ad vniuersalis Ecclesiæ pacem spectabat.

Quidam Romanum Primatum truncare, aut contrahere studentes, Romanas ex alienis præsertim Patriarchatibus appellationes affirmant introductas à Sardicensi primùm Synodo, anteà viguisse solas grauiorum, & dubiarum causarum relationes. Grauiter labuntur. Attamen laudatum Primatum, licèt decurtent, non euertunt. Etenim relatio habet omnes appellationis effectus, deuoluit, atque etiam suspendit omnia, & ita referentium Synodorum, & Patriarcharum iudicia Romano Episcopo plenè subijcit, atque ad eius vsque confirmationem profitetur nutare, & non esse rata. Quare sanctus Pontifex Nicolaus primus, dum Episcoporum degradationes non amplius post, sed deinceps ante datam sententiam voluit referri ad suam sedem à Prouinciarum Synodis, fecit aliquam Antiqui moris, & Canonis mutationem, sed valde modicam: Nam etiam posterior relatio suspendebat sententiam, & non nisi per Papalem confirmationem permittebat transire in rem iudicatam. Et hinc eruditus, & astutus Rhemensium Metropolita Hincmarus dixit Prouincialium Episcoporum degradationes non esse causas maiores, ideoque nec referendas. Euincere sic sperauit Nicolai Decretum esse penitùs nouum, ac prouinciarum Synodis nimis iniuriosum, ideoque circumducendum. Verùm ædificabat in arena. Prouincialium enim Episcoporum degradatio semper fuit inter maiores Ecclesiæ causas.

Exponitur quoddam Corollarium.

EX hisce subuertuntur, ac sursum deorsum cadunt omnia, quæ ad Ioannem Molendinum scripsit Ioannes Launoius. Exhibeamus illi charitatem, ac reuerentiam, quam humanum suum errorem zelanti sancto Cypriano exhibuit in libris de baptismo aduersùm Donatistas S. Augustinus. Dicteria, quibus sanctum Stephanum Pontificem irata pacifici Episcopi lingua percusserat, nec memoranda ille duxit, nec refutanda, sed sepelienda sempiterno silentio. Etiam à Dicto Doctore præcipitata in Eminentissimos sancti Officij Præfectos Dominos Cardinales verba conemur nos circumducere, & radere de omnium Lectorum memoria. Errorem breuiter reuincamus. Hæc laudati sancti Officij verba, [Ad Sedem Apostolicam dumtaxat pertinet controuersias fidei, & morum vniuersalis Ecclesiæ definire,] durè insectatur memoratus Launoius: Ab illis subuerti existimat omnem, & Prouincialium, & generalium Synodorum vtilitatem, atque auctoritatem, immò omnem Ecclesiæ Hierarchiam. Verùm sine fundamento.

Etenim ad Eutychetem Archimandritã, & Hæresiarcham, de sancti Flauiani Constantinopolitani Episcopi Synodico in se iudicio conquerentem, rescripsit S. Petrus Chysologus Rauennę Archiepiscopus: [In omnibus hortamur te frater honorabilis, vt his quæ à Beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat, quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.] Petrus Chrysologus nequaquam erat Curialis Theologus, sed Metropolitanus numerosæ Synodi Episcopus, & tamen profitetur fidei causas à se, nec audiri posse, sed priuatiuè id ad Romanum Episcopum pertinere. Eademque videtur fuisse ratio omnium ad Romanum Patriarchatum spectantium Metropolitarum.

Quæ disciplinæ forma viguit etiam in Alexandrino Patriarchatu. Etenim post damnatum eius à Chalcedonensi Synodo Patriarcham Dioscorum, & Pronunciatum, atq; à cunctis Episcopis subscriptum fidei contra Eutychianam perfidiam Decretum ad subscriptionem postulati, & Egyptij Episcopi intercesserunt per libellum, quo in sancti Marci, & successorem Episcoporum fide se firmos persistere sunt protestati, atque omnes vsque ad Nestorium priores hæreses anathematizarunt, verùm de Eutychiana penitùs tacuerunt. Libellus Synodo displicuit, & in ipsum omnes Episcopi exclamarunt: [Dogma Eutychis quare non anathematizarunt? Cum impostura petitiones porrexerunt. Epistolæ Leonis subscribant, anathematizantes Eutychem, & dogmata eius. Consentiant Epistolæ Leonis. Illudere nos volunt, & decipere. Et Diogenes Cyzici Episcopus, ac Hellesponti Metropolita adiunxit: [Synodus propter Eutychem facta est, & non propter aliquid aliud.] Quales interlocutiones fecerunt, & alij plures Episcopi. Et Ægyptij per Hieraclium Aphnaitatum Episcopum reposuerunt: [Si quis præter ista, quæ à nobis in petitionibus porrecta sunt, sapit, siue Eutyches, siue alter aliquis, anathema sit. De Epistola autem sanctissimi Archiepiscopi Romani Leonis sciunt omnes Patres nostri, quia in omnibus exspectamus sententiam beatissimi nostri Archiepiscopi, & petimus vestram Clementiam exspectare Præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Quia, & sanctissimi Patres, qui in Nicæa congregati sunt trecenti decem, & octo, hanc Regulam dederunt, vt sequatur omnis Ægyptiaca Regio Archiepiscopum magni nominis ciuitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subiacente Episcopo. Erat peremptoria exceptio. Et hinc Eusebius Dorylæi in Phrygia Episcopus, ac primus Eutychetis accusator reddidit cum impetu: Mentiuntur. Moderatiùs respondit Florentius Sardensis Episcopus, ac Metropolita Lydiæ; [Ostendant, quod dicunt.] Post multos etiam Apostolici Legati per suum Principem sanctum Paschasinum sunt interlocuti: [Tot annorum Episcopi in Ecclesia senescentes, vsque ad hoc tempus fidem rectam,

ctam, & Catholicam ignorant, & expectant alienam sententiam?] Ad quod Oraculum omnes Episcopi exclamarunt: Qui non subscribit Epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Leonis, hæreticus est. Et Acacius Ariarathiæ in Armenia Episcopus: [Incongruum est vniuersalem Synodum prætermittere, & in vnam personam attendere, quæ susceptura est Episcopatum Alexandriæ magnæ ciuitatis. Intentio enim his est, sicut in Epheso perturbauerunt omnia, & scandalis compleuerunt vniuersum mundum, & nunc istam sanctam, & magnam Synodum perturbare. Petimus, vt eis non concedatur, sed aut consentiant epistolæ, aut Regularem damnationem suscipiant, & cognoscant, quia excommunicati sunt.] Et Photius Tyri Episcopus, ac maritimæ Phœniciæ Metropolita: Quomodo conantur ordinationem facere non eadem sapientes huic sanctæ, & vniuersali Synodo? Si enim recta sapiunt, ostendant propriam intentionem, qualis est circa fidem, & suscipiant epistolam sanctissimi Archiepiscopi Leonis. Si autem nolunt, excommunicati sunt.] Et omnes Episcopi acclamarunt: [Omnes hæc dicimus, omnes sic sapimus.] Per plures istiusmodi interlocutiones facta est dura concertatio. Quòd sine sui Patriarchæ auctoritate, & consensu aliquid de fide synodaliter iudicare non possent Ægyptij Episcopi, visum est rationabile, verùm quòd definitiuo generalis synodi iudicio non possent assentire, & subscribere multi episcopi non comprehenderunt: iudicarũt esse dolum, quo hanc venerabilem, & pacificam Synodum vellent denuò demutare in Ephesinum latrocinium, & nouis turbis totum Romanum Imperium arietare. Hinc illos dixerunt Hæreticos, & indignos, qui ad noui Patriarchæ electionem redire in Ægyptum permitterentur. Voluerunt degradatos, & iuxta Gratiani Imperatoris legem deportatos. Et Cecropius Sebastopolitanus in Armenia episcopus addidit: [Vniuersalis hæc Synodus Ægyptiaca Regione maior est, & fide dignior. Et non est iustum decem hæreticos audiri, & prętermitti mille ducentos episcopos. Non enim nos nunc exigimus, vt pro alijs fidem suam ostendant, sed dicimus, vt ipsi pro sua persona rectæ fidei consentiant.] Et Eusebius Dorylęi episcopus: [Procuratores sunt isti omnium Ægyptiorum, & debent vniuersalem Synodum sequi.] Et ad Magnificentissimos Iudices Lucentius Esculanus episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus: [Hi errant. Doceantur per vestram magnificentiam. Quia non possunt decem homines prejudicium facere Synodo sexcentorum episcoporum, nec Catholicæ fidei.] Nihilominus post eiusmodi plura isti decem episcopi perstiterunt: Extra voluntatem Archiepiscopi nostri non possumus scribere. Occidimur: Miseremini nostri. Moriamur: Per vestigia vestra miseremini nostri. Moriamur à vobis, & non illic. Fiat hìc Archiepiscopus, & subscribimus, & consentimus. Miseremini Canonum nostrorum. Detur hìc Archiepiscopus. Nouit Dei amantissimus Archiepiscopus Anatolius, quia talis consuetudo in Ægyptiaca Regione obtinuit, vt omnes episcopi obediant Archiepiscopo Alexandriæ. Non quia non obtemperamus Synodo, sed occidemur in patria. Miseremini nostri, potestatem habetis, subditi sumus, non recusamus. Meliùs est nos mori à Domino mundi, & à vestra magnificentia, & ab hac sancta Synodo, quàm illic. Propter Deum miseremini istorum canonum: Parcite decem hominibus, parcite. Meliùs est hic mori. Misericordes sunt Domini. Nouit consuetudinẽ Anatolius Archiepiscopus. Hìc sumus vsque dum fiat Archiepiscopus. Sedes nostras volunt, tollant: Nolumus esse episcopi. Solummodò non moriamur. Date Archiepiscopum, & si contradixerimus, punite nos. Consentimus his, quæ decretat vestra potestas. Non contradicimus, sed eligite Archiepiscopum. Hìc expectamus vsque dum ordinetur. Anatolius Constantinopolitanus episcopus anteà fuerat Alexandrinæ ecclesiæ Archidiaconus: Hinc ad eius conscientiam constanter appellauerunt. Et ad hæc omnia audita, atque considerata Gloriosissimi Iudices, licèt multis episcopis reclamantibus, mutarunt mentem, atque edixerunt: [Quoniam Reuerendissimi Episcopi Ægyptiorum, non vt repugnantes Catholicæ fidei, subscribere in præsenti distulerunt epistolæ sancti Archiepiscopi Leonis, sed dicentes consuetudinem esse in Ægyptiaca Regione extra sententiam, & iussionem Archiepiscopi nihil tale se posse, possunt autem sustineri, donec consecretur episcopus, qui ordinandus est magnæ ciuitatis Alexandriæ, rationabile nobis, & clemens esse apparuit, vt in eodem habitu exspectent in Regia ciuitate, & dilationem habeant vsque ad ordinationem Archiepiscopi magnæ ciuitatis Alexandriæ.] Quæ sententia sancto Paschasino perplacuit, ideòque Gloriosissimi Iudices perrexerunt: [Sanctissimi Paschasini sit firmum iudicium. Vndè permanentes in proprio habitu Reuerendissimi Episcopi Ægyptiorum, aut dent fideiussores, si hoc illis est possibile, aut per Sacramentum eis credatur, quia exspectant ordinationem futuri episcopi magnæ ciuitatis Alexandriæ. Quod Edictum est tantæ auctoritatis, vt plures antiqui Codices ipsum referant inter huius Synodi Canones.

Ægyptiaca Diœcesis fuit vastissima. Etenim in Tractorijs ad secundam Ephesinam Synodum literis Patriarchæ Dioscoro scripsit Imperator Theodosius: [Sanctitas tua, sumptis secum decem Reuerendissimis Metropolitis Episcopis, qui sub tua degunt Diœcesi, Ephesum conuenire festinet.] Totidem Prouincias isti Diœcesi adscribit Episcopalium Sedium notitia, edita per Leonem Sapientem. Et quin quæuis Prouincia habuerit suam Synodum, non est quod dubitemus. Et ipsarum quæuis fidei controuersias adeò definire non potuit sine auctoritate Patriarchæ, vt nec generalis Synodi de fide decretum potuerit habere ratum, aut subscribere. Omnes istic Metropolitas, atque ipsorum Synodos constrinxit laudata per sanctum Petrum Chrysologum regula: Nos extra consensum Alexandrini Episcopi causas fidei audire non possumus.] Et ad Patriarchalem sancti Athanasij obedientiam è Meletiano schismate rediens cum suo clero Arse-

Arsenius Hypselitarum Episcopus fecit hanc professionem: [Nos diligentes pacem, & vnanimitatem cum Ecclesia Catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es, volentesque ecclesiastico canoni pro veteri instituto subijci, scribimus tibi Pontifex Dilecte, promittimusque in nomine Domini, nos deinceps citra tuam Metropolitani Episcopi sententiam nullum de episcopis, aut alio dogmate communi, & ecclesiastico decretum edituros, sed cessuros canonibus antea susceptis.] Exstat professio in secunda Apologia laudati Athanasij. Et in Meletiano schismate scribit sanctus Epiphanius: [Mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, vt per totam Ægyptum, Thebaidem, Mareotidem, Lybiam, Ammoniacam, & Pentapolim, ecclesiastica negotia administrent.] Et de primo post ipsos Metropolita Meletio subiungit: [Cæteris quidem Ægypti episcopis antecellit, Patriarchæ, tamen subiectus, & ad ipsum de causis ecclesiasticis referens.] Quòd nempè sine præuia ad Patriarcham relatione, & ante acceptum eius oraculum nihil definire posset, aut iudicare. Et ad Augustalem Ægypti Præfectum Optatum rescripsit Magnus Imperator Theodosius: [Quibuscumque mota fuerit quæstio, quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo Iudice litigare, qui præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum, id est, per Ægypti Diœcesim.] Non coram Metropolita, sed coram Patriarcha. Est in Theodosiano Codice tertia Extrauagans de iudicio episcopali. Et Ægyptij Episcopi in Chalcedonensi Synodo rectè prouocarunt ad Nicænos Canones. Hocce enim Patriarchæ ius est vetus illud, in laudata Arsenij episcopi professione laudatum, Alexandrinæ Ecclesiæ Institutum, de quo aduersùs laceratorem eius Meletium edixit sextus Nicææ Canon: [Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem.

Lib. 68. c. 1.

Et adiungit: [Quia & vrbis Romæ parilis mos est.] Et certè Alexandrinam Ecclesiam, ac Patriarchatum sancti Petri Apostoli Discipulus Euangelista Marcus fundauit. Quin Romanam Hierarchiæ formam illic plantari, non est dubitandum. Et quòd parilis iste mos plenè arguerit in omnibus suburbicarijs, id est, ad almæ vrbis Metropoliticam potestatem spectantibus ecclesijs, audiuimus suprà à sancto Petro Chrysologo, firmatque presbyter Ruffinus. Etenim laudatus Petrus tunc adhuc erat suburbicarius episcopus, aut certè retinuerat talis episcopi naturam. Nempè ad Valentiniani tertij preces sanctus Leo Rauennatem Ecclesiam erigi in Metropolicam permiserat saluis Romanæ Cathedræ iuribus: Vndè & Rauennas etiam Archiepiscopus fuit, suburbicario more, semper Romæ consecratus. Quin & in cunctis ad Romanum Patriarchatum spectantibus Metropolitis, ac prouincialibus synodis viguisse istum parilem morem, docet Romana Melchiadis, non ex solis Italis, sed etiam ex Gallis episcopis aduersùm Donatistas collecta, & in solùm Papale nomen concepta Synodus, in qua solus Pontifex dicit: Censeo. Ita testatur sanctus Optatus Episcopus Mileuitanus. Quòd nempè in omnem suam Patriarchalem Synodum, & cunctos ad ipsam spectantes Episcopos Papa haberet plenissimam potestatem, ideòque nullus, vel intra, vel extra ipsam haberet suffragium nisi consultatiuum. Et hinc Ioannes Launoius in epistola ad Ludouicum Marcesium affirmans Capuanam Synodum non fuisse generalem, & ipsi tamen subfuisse Siricium Pontificem, errat toto cœlo. Eamdem supremam Romani Patriarchæ in suos vbique episcopos potestatem agnouerunt plures olim Gallicani episcopi, de quibus in libro de ecclesiasticarum rerum dispensatione sanctus Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus: [Sunt qui Gallicanos canones, aut aliarum Regionum putent non recipiendos, eò quòd Legati Romani in eorum constitutione non interfuerint.] Et in libro contra barbaras Burgundionum leges: [Canones Gallicani quasi superflui, aut inutiles à quibusdam respuuntur, eò quòd Neoterici Romani eos non commendauerint, cùm antiqui religiosè eos venerati sint, quoniam venerandi, & sancti viri eos ediderunt.] Per Neotericos Romanos intelligit sui sæculi Pontifices, qui lapsam in Gallia Christianitatem, per sanctum Bonifacium repararant. Et hi, & ipsis consentientes episcopi non iuxta Gallicanos, sed iuxta solos vniuersales ecclesiæ canones volebant progredi, & perfici reparationem, asserentes istos esse nullius ponderis, quòd ipsorum auctricibus Prouincialibus synodis nō præsedisset Apostolica legatio: Hoc est, quòd nulla Prouincialis synodus, iuxta sancti Petri Chrysologi professionem, sine Romani Episcopi consensu possit Catholicæ fidei, aut generalis disciplinæ causis se miscere. Quòd Francorum & Burgundionum in Gallia regnantium aduersùs Romanum Imperium æmulatio, nec referri permitteret ad Apostolicam Sedem, queritur in literis ad Faustum, ac Symmachum Romanos Senatores sanctus Auitus Viennensis Episcopus: Hinc seruandæ illic Christianitatis zelo maiorem Prouinciarum Synodis, cum sui Patriarchici iuris decremēto auctoritatem Apostolica Sedes dissimulando indulsit. Nec enim singulare fuit istud Alexandrini ius, sed commune omnibus Patriarchis. Hinc meliores in Gallia ex Magni Caroli stirpe Reges nacti Pontifices conati sunt ipsum sibi reparare. Quod per præsentem Canonem denuò fecit Gregorius Septimus. Quid si quis dicat Eminentissimos Dominos ex his principijs locutos? Certè ista responsio subuertit omnes contumelias Ioannis Launoij.

C. 20.

C. 21.

Attamen existimo ipsos non de Patriarchali, sed de Papali ac vniuersali Apostolicæ Sedis potestate locutos. Prouinciales in Occidente Synodos fateor ex auito more posse statuere, etiam de fide, & generali Ecclesiæ disciplina. Verùm cum moderamine laudato per sanctum Augustinum in libris de Baptismo aduersùm Donatistas: [Quomodo potuit ista, de non iterando Baptismo, res tantis altercationum nebulis inuoluta ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum Regiones multis hinc atque

Lib. 2. c. 4.

atque indè disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata constaret?] Et in alio eiusdem operis libro scribit de alia circa hanc rem quæstione: [Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt.] Non tantùm à Prouinciarum, sed etiam à Regionum, seu Diœcesium Synodis adfirmat dogmaticas quæstiones incipi, disputari, conferri, tractari, præparari, verùm à solis generalibus plenè illustrari, confirmari, ac terminari. Nempè & Prouinciales & Diœcesanæ Synodi poterant de istis quæstionibus conferre, disputare, interloqui, verùm non definire. Iudicabant enim cum onere faciendæ, quæ deuoluebat, ac suspendebat omnia, ad Romanum Episcopum relationis, ideòque dumtaxat interlocutorium erat ipsarum iudicium, non definitiuum. Quod ipsum valuisse in vniuersalem Ecclesiæ disciplinam, aut etiam pacem concernentibus quæstionibus, ostendi possit lucidis documentis, atque abundè patet ex superiùs laudata Magni Basilij epistola ad Ægypti Confessores Episcopos, exulantes apud Palestinæ Diœcesaream. Duæ tunc grauissimæ quæstiones vexabant Ecclesiam. Prima erant noua Apollinarij Laodicensis in prima Syria Episcopi dogmata, altera erat inter Occidentalem, & Orientalem Ecclesiam de Marcelli Ancyrani Episcopi dogmate, quem aduersùs Eusebianæ factionis accusationes Orthodoxum declarauerat Synodus Sardicensis. De hisce quæstionibus nescio quid deciderant laudati episcopi. Zelum probauit Basilius, at improbauit præcipitantiam, qua sermones suos in iudicio non disposuissent. Asseruit ab istis quæstionibus pendere vniuersalem Ecclesiæ pacem, ideòque ipsorum potestate esse superiores, ac ad Occidentalem Ecclesiam, & Romanum Episcopum fuisse referendas. Et quid dico de Prouinciarum, aut Diœcesium Synodis? Etiam Oecumenicæ habuerunt idem referendi debitum: Etiam ipsarum relatio deuoluebat omnia, atque suspendebat. Verùm non de his, sed de solis Prouincialibus, ac Regionalibus dixerunt Eminentissimi Patres: [Ad Sedem Apostolicam dumtaxàt pertinet controuersias fidei, & morum vniuersalis Ecclesiæ definire.] Et benè dixerunt.

Lib. 7. c. 53.

Examinatur alia circa hæc quæstio.

De generalibus Synodis nouam quæstionem nobis mouet Ioannes Launoius. Aduersùs Domini Roberti Cardinalis Bellarmini, qui etiam docet omnibus generalibus Synodis semper fuisse istud faciendæ relationis, & accipiendæ confirmationis onus, doctrinam scribit in epistola ad Iacobum Beuilaquam: [Gratis, & sine auctorum æqualium, vel supparum testimonio dicitur Nicænam Synodum Actorum suorum confirmationem à Syluestro petijsse, & Syluestrum confirmationem dedisse, quomodò Bellarminus & petitam, & datam esse contendit.] Multis conatur ostendere à laudata Synodo nihil fuisse postulatum, nihil à ipsi Syluestro datum. Multa antiquorum Patrum, Synodum istam laudantium, atque exponentium, verùm Apostolicæ confirmationis nullam facientium memoriam, conglomerat testimonia, atque indè concludit confirmationem nec petitam fuisse, nec datam. Videtur cum alio huius sæculi eruditissimo viro relationem à confirmationis postulatione distinguere, admittere istam, & ab huius dumtaxàt debito generales Synodos absoluere. Et certè hæc sententia non caret fundamentis.

Etenim prima Arelatensis Synodus, licèt Oecumenica non fuerit, fuit tamen amplissima, ipsique adfuit, atque præsedit Apostolica Legatio. Hæc, inquam, Synodus sua circa appellatum Donatistarum causam Acta refert Syluestro Pontifici, & prosequitur: [Non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda, ad quæ fueramus inuitati, sed & consulendum nobismetipsis censuimus, & cùm diuersæ sint Prouinciæ, ex quibus aduenimus, ità & varia contingunt, quæ nos censemus obseruare debere.] Relatio est mutila: Interim Acta, quorum ergò fuerat indicta Synodus, dumtaxàt refert; aliorum verò, quæ suo motu addidit, omninò videtur postulare confirmationem. Et fuit necesse. Etenim priora Pontifex iàm probauerat, ipsa per Legatos Synodo retulerat, seu tractanda proposuerat, habuerat suffragij prærogatiuam, hoc probauerat Synodus, & vnanimi calculo confirmauerat, atque ità videtur his aliud non fuisse necessarium, quàm sola ad Pontificem relatio. At verò de posterioribus nec mandatum dederat Pontifex, nec ipsa tractanda retulerat, nec de ipsis sententiam dixerat, atque ità caduca erat ipsorum constitutio, & supplenda per Pontificem, ratificanda, & confirmanda. Quare quin illis confirmationem postulauerit Synodus, non est dubitandum. Eamdem quippè regulam lucidè secuta videtur Synodus Chalcedonensis. Circa fidei decretum, & Dioscori Alexandrini Patriarchæ degradationem Apostolica & relationis, & suffragij iura sanctus Leo magnus partim per literas, partim per Legatos plenè expleuerat, nequaquàm verò Canones, præsertim circa vigesimum octauum, quo cum aliorum Patriarcharum, ac Primatum iniuria ampliabatur dignitas Cathedræ Constantinopolitanæ. Hinc igitur laudatum cum ista degradatione decretum Synodus dumtaxat retulit, verùm de Canonibus adiunxit: [Iudicamus quia, & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum Statutorum definimus firmitatem, scientes, quia & vestra Sanctitas addiscens, & probatura, & confirmatura est eadem.] Lucidè incedit per vias, ac regulas Arelatensis Synodi. Constantinopolitano Episcopo à se delatam dignitatem adfirmat vetustam, addit & à Principe, & à Senatu desiderari Synodalem ipsius firmitatem, conatur demonstrare non aduersam Canonibus, multis studet demulcere Pontificem, atque concludit: [Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora iudicium, & sicuti nos capiti

capiti in bonis adiecimus consonantium, sic & Summitas tua filijs, quod decet adimpleat. Sic enim, & pij Principes complacebunt, qui tamquàm legem tuæ Sanctitatis iudicium firmauerunt.]

Notanda sunt verba: [Summitas tua filijs adimpleat.] Lucidioribus vocibus non potuerat profiteri Synodus se Pontifice inferiorem. Notanda sunt & hæc: [Tamquàm legem, tuæ Sanctitatis iudicium firmauerunt.] Edicunt, quòd Martianus, non Iustinianus, Apostolicæ sedis decretis, & Ecclesiasticis Canonibus vim legis primus dederit. Et quidem Iustinianus dolo malo: Vt vigesimumoctauum, de quo hìc agimus, à sancto Leone circumductum Canonem viuificaret. Voluit ipsum, si non vt Canonem, certè vt legem viuere, ac vigere. Breuiter, ac eleganter hoc notat in Breuiario Liberatus Diaconus: [Licèt Sedes Apostolica nunc vsque contradicat, quod à Synodo firmatum est Imperatoris patrocinio permanet quodammodò.] Ad nostram præsentem rem notanda sunt hæc verba: [Sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantium.] Et superiora de Fidei decreta, ac degradato Dioscoro: [Hæc sunt, quæ tecum effecimus.] Asserunt hæc duo non per Synodum, sed per sanctum Pontificem facta, & à sese dumtaxàt comprobata, ideòque referunt solummodò, nec postulant confirmari. Quòd suum suffragium Papa non possit recantare. Verùm Canones siue Papali sententia emanarant, ideòque hanc suppleri rogant, & ità istos confirmari. Eadem de causa Imperator Iustinianus nullas sibi fecit cogitandi ferias, quousque quintam Synodum Vigilius confirmasset. Definiuerat enim dicta Synodus citrà Papalem relationem, siue Apostolici suffragij prærogatiua, immò aduersùs Papalem de hisce iuribus protestationem. Hinc etiam Constantinopolitana Synodus Apostolica confirmatione eguit, & ipsam omninò postulauit. Etiam eius relatio sua ad Nicænum symbolum additamenta conatur demonstrare necessaria, reliqua sua Decreta multis rationum coloribus exornat, & concludit: [Quibus rebus tamquàm legitimè, & secundùm Ecclesiæ Canones à nobis constitutis, obsecramus vestram Reuerentiam, vt congratuletur, spirituali charitate nos mutuò deuinciente, & timore Diuino omnem humanam affectionem reprimente, Ecclesiarumque ædificationem amori illi, & beneuolentiæ, qua singuli singulos complectuntur, longè anteponente. Quòd si doctrina fidei in hunc modum communi consensu stabilita sit, & charitas Christiana in nobis confirmata, posthac desinemus dicere: Ego quidem Pauli, ego autem Apollo.] Quis inficietur per lucida adeò verba postulari Decretorum confirmationem? Et omninò oportebat. Etenim etiam hæc Synodus laborauit illo Ariminensis Synodi vitio, de quo in literis ad Illyricianæ Diœcesis Episcopos Romana sancti Damasi Synodus: [Romani Episcopi sententia erat præ cæteris exspectanda.

C. 13. Eisdem vestigijs ambulauit Ephesina Synodus. Tres ad Cælestinum Pontificem fecit relationes. Primam post formatum fidei decretum, degradatum Nestorium, ac Ioannis Patriarchæ Antiocheni in hæc Acta turbas. Perijt, aut latet hæc relatio, ipsam tamen laudat in exstantibus post Synodum literis ad Clerum, & populum Constantinopolitanum laudatus Cælestinus: [Nec nos gestarum rerum putetis ignaros, quarum nobis ordinem fratris nostri Cyrilli relatio patefecit.] Agit de laudatæ degradationis relatione. Et exstat eius ad ipsam rescriptum, transmissum cum nouis Legatis, Arcadio, & Proiecto Episcopis, ac Philippo Presbytero, habetque hæc verba: [Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres, & Consacerdotes nostros Arcadium, & Proiectum, & Philippum Presbyterum, qui ijs, quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis anteà statuta sunt exsequantur. Quibus præstandum à vestra Sanctitate non dubitamus assensum, quando id, quod agitur videatur pro vniuersalis Ecclesiæ securitate decretum.] Quibus verbis Synodi Decreta, & Acta lucidè confirmat. Et hinc ad lectas literas vnanimi voce Synodus acclamauit: [Hoc iustum iudicium. Nouo Paulo Cælestino, Cælestino custodi fidei, Cælestino cum Synodo concordi, Cælestino vniuersa Synodus agie gratias.] Quod nempè Synodi iudicium confirmasset, & illius legasset exsecutores. Hinc item Theodotus Ancyræ Episcopus, ac primæ Galatiæ Metropolita post varia est ad Legatos interlocutus: [Iustam esse sanctæ Synodi sententiam demonstrauit vniuersorum Deus per literas Cælestini reuerendissimi Episcopi huc allatas, & vestræ pietatis aduentum.] Quibus verbis quis non videat laudari Apostolicam confirmationem? Et quin ipsam relatio postulauerit, non est, quod dubitemus. Peti omninò debuit. Etenim licèt ad Apostolicum mandatum, propositionem, ac suffragij prærogatiuam Synodus egisset omnia, Ioannes tamen Antiochiæ Patriarcha cum suæ Diœceseos, & factionis Episcopis potentissimè intercesserat, fecerat causam esse dubiam, ac difficilem, ideòque non referendum solummodò, sed insuper ab Apostolica confirmatione suspendendam.

Alteram Relationem fecit hæc Synodus post restitutum à nonis iàm laudatis Legatis Cyrillum, & datam sententiam in factionem, ac personam memorati Patriarchæ Antiocheni. De hac expressum mandatum, aut suffragium non dederat Pontifex, sed videtur Legatorum prudentiæ permisisse, ideòque habet Relatio: [Indignitate rei meritò commoti, eiusmodi in Ioannem, & alios sententiam legitimè proferre deliberauimus, cuiusmodi ipse tulerat illegitimè contra eos, qui de nullo crimine condemnati fuerunt. Verùm quò illius temeritatem longanimitate vinceremus, etiamsi illam iustissimè, legitimèque subijsset, pietatis tuæ iudicio hoc reseruauimus. Interim illos excommunicationi subijcientes, omnique Sacerdotali potestate exuentes, itaut nullum suis sententijs lædere queant. Quòd plenum mandatum non haberet, ideòque non nisi sub futuro Pontificis beneplacito Ioannem degradare posset Synodus, rem tantam illi reseruare maluit, quàm à confirmationis incerto

certo pendere. Ioannem dumtaxàt excommunicauit. At verò de Iuliano, & alijs, qui à Cælestini in se iudicio appellauerant, Pelagianis Episcopis longè aliter scribit Relatio: [Quæ à tua pietate de ipsis decreta, & constituta sunt, iudicauimus & nos, ea solida, firmaque permanere debere. Et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.] Quòd iuxtà Apostolicum suffragium iudicasset Synodus, solummodò retulit, non postulauit firmitatem. Ex omni enim parte firmum fuisse videtur istiusmodi iudicium.

Tertia huius Synodi Relatio fuit de electo, & consecrato in degradati Nestorij Sedem Maximiano. Latet, aut perijt. Exstant tamen plura sancti Cælestini ad ipsam Rescripta, quæ Maximiani personam, & electionem lucidè confirmant. Nec enim eligendi personam Pontifex designauerat, & electum aliqui de ambitu accusauerant: Hinc confirmatiuo Pontificis suffragio fuit omninò opus. Etiam Sardicensis Synodus tria sua Decreta Iulio Pontifici dumtaxàt retulit, ipsorum nulli petijt firmitatem. Quòd nempè omnia tria ex Iulij mandato, ad eius per Legatos factam relationem, & iuxtà eius per literas suffragium emanassent. Et hæc quidem omnia suadent cunctis similibus generalium Synodorum Decretis nullam Apostolicæ Sedis confirmationem esse necessariam.

Respondeo tamen esse necessariam. An necessitatem hanc Dominus Cardinalis Bellarminus authenticè demonstrauerit, est alia quæstio: Interim ipsa omninò potest authenticè demonstrari. Exordiamur à Synodo Nicæna. Fuisse à sancto Syluestro confirmatā quidam probant ex sancti Athanasij literis ad Episcopos Africanos: [Nicæno Concilio vniuersus Orbis assensum præbuit. Et quamquam multæ habitæ sunt Synodi, omnes tamen huius sunt memores, tam per Dalmatiam, Dardaniam, Macedoniam, Epiros, Græciam, Cretam, aliasque Insulas, Siciliam, & Cyprum, tùm per Isauriam, Pamphiliam, Lyciam, & vniuersam Ægyptum, & Lybias. Et plerique in Arabia hanc agnouerunt, & admirati sunt, & subscriptione approbarunt.] Ità habet versio Petri Nannij. At verò Dominus Lucas Holstenius posteriora verba correxit in hunc modum: [Et admirati sunt eos, qui subscripserunt.] Et reuerà sic fuerat vertendum. Vult Athanasius Nicæna Decreta ab omnium vbique Prouinciarum Synodis fuisse examinata, & probata. De istis enim fecerat sanctus Syluester, quod de sexta Synodo posteà fecit Leo secundus, eius acta mittens ad Hispaniæ Ecclesias, & ipsa mandans à cunctis Prouincijs synodaliter probari. Lucent hæc ex quarta decima, quæ solius Carthaginensis Prouinciæ fuit, Synodo Toletana. Sancti autem Syluestri factum docet nos in literis ad Illyrici Episcopos Romana sancti Damasi apud Theodoretum Synodus: [Vestra integritas manifestè videt hanc fidem solam, quæ auctoritate Apostolica Nicææ stabilita est, firmè perpetuò tenendam esse.] Videtur asserere Nicænam fidem Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatam esse, ideòque ab omnibus tenendam. Ità quidam laudata verba exponunt.

Lib. 2. c. 22.

Verùm præposterè. Etenim per Apostolicam auctoritatem non Apostolicam Sedem, sed sanctorum Apostolorum doctrinam Damasus lucidè intelligit. Vndè & ita in noua sua Theodoreti translatione vertit Iacobus Sirmondus. Athanasij locus aliquid innuit, sed nihil euincit. Et Nicæna acta non per solum Syluestrum, sed per varios Primates gentium Episcopos fuerunt transmissa ad Prouincias. Hinc pro mea assertione alij adducunt testimonium secundæ Romanæ sub Fœlice tertio synodi in literis ad Regiæ Ciuitatis, atque Bythiniæ Clerum. Ex hac Domini ad Petrum Apostolum voce, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,] laudat Romanæ Ecclesiæ Primatum, & prosequitur: [Quam vocem sequentes trecenti decem, & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesię detulerunt. Quam vtramque vsque ad ætatem nostram successores omnes custodiunt.] Septuaginta septem Episcopos habuit hæc Romana synodus, idcoque Nicæna acta non potest ignorasse. Videtur adfirmare illa, & relata fuisse ad Romanam Ecclesiam, & petitam, atque datam ipsorum confirmationem. Et hæc verba adeò percutiunt oculos Ioannis Launoij, vt aliud nesciat quàm ipsa de spurijs natalibus accusare: [Postrema clausula suppositionem, aut certè interpolationem obijcit. Nam si quod Nicænæ synodo tribuitur, successores omnes vsque ad Fœlicis tempus custodierunt, cur Eusebius, cur Iulius, cur Athanasius, cur Liberius, cur Hilarius, cur Syricius, cur Leo, cur Socrates, cur Theodoretus ante Fęlicem tertium monimentis illud non consignarunt suis? Cur suos in vsus non deriuarunt? Cur Vigilius post Fęlicem tacuit in Sedis Apostolicæ diminutionem? Profectò si qua in clausula veritatis vmbra reperiretur, hanc Pontifices illi omnes, & laudati auctores secuti essent.

Respondeo esse secutos. Verùm vt rem tunc omnibus notam consignarent literis, nulla exigebat necessitas. Quòd Apostolicam generalium synodorum regulam seruassent Nicæni Patres, omni Ecclesiæ erat manifestum. Et laudatam Romanæ synodi epistolam quis interpolauit, quis illi intrusit spuriam clausulam? Producamus ab isto additamento libera epistolæ authentica exemplaria, aut desinamus in veneranda Christianæ antiquitatis documenta tam horrendè pro vanis nostris cogitationibus grassari. Et quidem grassatio hæc, vti nullum fundamentum habet, ita & nullam necessitatem. Nec enim Fęlicis tertij laudata synodus factam Syluestro Nicænam relationem laudat, aut huic ab illo datam confirmationem. Ad hunc scopum non direxit oculos. Adfirmat Italicam synodum Romano Episcopo subesse per omnia, huius solius suffragium esse istic decisiuum, omnium ibidem actorum confirmationem, & auctoritatem esse ab illo vno, & ita fuisse agnitum, & firmatum à sexto Nicæno Canone. Proindè fateor, pro Nicænæ synodi ad Romanam Sedem relatione, aut illius per hanc confirmatione nullum huc vsque luci-

cidum, & authenticum inueni antiquitatis testimonium: Verùm Apostolica generalium synodorum lex non sinit me de ipsis dubitare?

Quòd generales synodi, & faciendæ ad Romanum Episcopum relationis, & ab ipso expectandæ confirmationis onus, & debitum habeant ex Apostolico Canone, demonstrat magna synodus Chalcedonensis. Etenim hęc non solùm suos Canones, sed etiam fidei Decretum, ac Dioscori degradationem, licèt ex S. Leonis mandato, & ad eius propositionem, & iuxta eius suffragium iudicasset, omninò retulit eidem Pontifici, & supplicauit ab ipso confirmari. Lucidè id in literis ad Leonem Augustum testatur, ac profitetur Agapetus Rhodiorum Episcopus, ac Prouinciæ Insularum Metropolita: [Patres Chalcedonenses non aliud quidquam præter immobilem, & fundatam rectæ fidei expositionem decreuisse cognouimus. Ob quam rem, & penè omnes Occidentalium partium Deo amabiles Episcopi consentientes sibimet, & pariter decernente Sanctissimo, atque Beatissimo Leone Romanæ Vrbis Archiepiscopo, literis proprijs, & oris sui confessione, ea, quæ ab ipsis sanctis Patribus Chalcedone collectis interpretata, seu explanata sunt de Domini nostri Iesu Christi Incarnatione, confirmauerunt,
Epist. 47. atque consignauerunt.] Et his Agapeti literis Comprouinciales Episcopi, licèt non synodaliter ob hybernæ nauigationis pericula, tamen singuli in suis Sedibus sunt adstipulati. Quod ipsum testatos esse cunctos, quos laudatus Imperator Leo cõsuluit, Orientalium Prouinciarum synodos, adfirmat, ac demonstrat in famosa, quam magnus Gregorius Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus creditur composuisse, ad Eliam Aquileiæ Metropolitam epistola Pelagius secundus. Et quid opus testibus? Ipse magnus Leo Pontifex ad Imperatorem Martianum, omnes Eutychiani veneni reliquias euellere conantem,
Epist. 59. scribit: [Quod faciliùs Clementia vestra arbitratur implendum, si per vniuersas Ecclesias definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis Apostolicæ Sedi placuisse doceantur.] Ad istas euellendas reliquias censebat pijssimus Princeps, & acta synodalia, & Apostolicam ipsorum confirmationem per omnes sub cęlo Ecclesias ab ipso Pontifice publicanda. Et Leo prosequitur: [De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quæ ad me secundùm formam Apostolicæ doctrinæ, & paternæ traditionis emissa est. Et per fratrem meum Lucianum Episcopum talia, & ad gloriam vestram, & ad Constantinopolitanum Antistitem scripta direxerim, quæ euidenter ostenderent me, ea, quæ de fide Catholica in prædicta synodo definita sunt, approbare.] Synodalium actorum relationem ad Romanum Episcopum, & illis ab ipso dandam confirmationem lucidè adfirmat esse traditionem paternam, & Apostolicam doctrinam. Idem docet in literis ad Iuuenalem Hierosolymæ, ac omnes Palestinæ Episcopos: [Omnem Fraternitatem vestram nosse non ambigo definitionem sanctæ synodi, quæ ob confirmationem fidei in Chalcedonensi ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum. Quia nulla sinebat ratio, vt qui vnitatem Catholicæ fidei dolebam ab Hæreticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum redijsse gauderem. Hoc autem non solùm ab ipso beatissimæ consensionis effectu, sed etiam ex epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitanæ Vrbis Antistitem dedi, potuisset agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apostolicæ manifestare voluisset. Ne Epist. 61.
ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrùm quæ in synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt approbem, hæc ad omnes fratres, & Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus, & clementissimus Princeps, sicut poposcit, in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, vt & fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum iuijsse sententiam: In sola videlicet fidei causa, propter quam generale Concilium placuit congregari. Damnatis Hæreticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de Domini nostri Iesu Christi Incarnatione dubitatio.] In eodem rescripto fidei decretum cum Dioscori degradatione confirmauerat, reliqua autem acta omnia, præsertim Anatolij ambitum, reiecerat S. Leo, ideoque Anatolius epistolam suppresserat. Et ex hoc fonte videntur horrendi illi apud Palestinos in synodum motus sumpsisse originem. Pseudomonachi Theodosij factio videtur blaterasse synodum Romæ non fuisse confirmatam. Hinc rescripti sui substantiam repetere per præsentem ad Palestinæ Antistites epistolam, & innouare compulsus fuit Pontifex, ac Marciani Augusti auctoritas per omne Imperium publicare. Et quidem rescriptum istud, seu Apostolica synodi confirmatio hucusque latet cum grandi Ecclesiæ damno: Adeò malè de ipsa meritus est Anatolius. De Attico Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbytero pergit in alia epistola ad eumdem Anatolium laudatus Pontifex: [Atticus Chalcedonensis Epist. 77.
Synodi definitionem de fide, cui etiam Dilectio tua subscribendo consensit, & quam Apostolicæ Sedis firmauit auctoritas, profiteatur se per omnia seruaturum.] Eamdem confirmationem laudant Gelasius Pontifex, Facundus Hermianensis Episcopus, & laudata epistola secunda Pelagij. Circa eamdem hæsit tota trium Capitulorum famosa, atque infęlix quęstio. Etenim cum suis sequacibus memoratus Facundus omnia præter Anatolij ambitum Chalcedonensia acta, quinta synodus volebat solum fidei Decretum, & Dioscori degradationem fuisse confirmata à magno Leone: Vtraque interim pars Apostolicam confirmationem, & interuenisse, & fuisse necessariam, vnanimiter profitebatur. Ex quibus lucet, quàm infęliciter asseratur Apostolica confirmatio etiam Chalcedonensis synodi laudatis Decretis fuisse superabundans. Et quidem quinti Concilij iudicium tandem probauit Romana, ac omnis præter Hispanos Latina Ecclesia. Et sic lucet infęliciter etiam à quibusdam dici solus Anatolij ambitus fuisse à S. Leone improbatus.

Apo-

Apostolicam confirmationem postulauit sextum Concilium in relatione ad S. Pontificem Agathonem: [Extinximus hæresim, orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum prædicauimus, quam vt iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus Paternam Sanctitatem.] Et hisce supplicibus precibus vniuersa synodus subscripsit.] Adfirmat, ac multis prædicat se ex Papali mandato, ad factam ab eius Legatis propositionem, & iuxta Apostolicarum literarum suffragium de omnibus iudicasse, & tamen supplicat sua acta per noua Apostolica rescripta iterùm confirmari. Verùm relatio inuenit defunctum Pontificem, ideoque successor sanctus Leo secundus, iterata Principis relatione, & supplicatione pulsatus, respondit: [Sancta vniuersalis, & magna sexta synodus Apostolicam in omnibus Regulam, & probabilium Patrum doctrinam secuta est. Et quia definitionem rectæ fidei plenissimè prædicauit, quàm & Apostolica Sedes sancti Petri Apostoli veneranter suscepit, idcircò & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, & vnanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & B. Petri auctoritate confirmat, sicur suprà solidam Petram, quæ Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem.] Quæ omnia à septima etiam, & octaua synodo, nec non ab Adriano primo, ac Adriano secundo fuisse facta, possit facilè demonstrari.

Et hinc de omni generali synodo scribit ad Dardaniæ Episcopos S. Gelasius: [Prima Sedes vnamquamque synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.] Confirmat non sola obseruantia, sed etiam auctoritate. Pergit Pontifex in opusculo de Vinculo anathematis: [Ne fortè, quod solent Eutychianistæ, dicant, quod si synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur illud secundùm Scripturas sanctas, traditionemque maiorum, secundùm Canones, Regulasque Ecclesiæ, pro fide communi, & veritate Catholica, & Apostolica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegauit, factamque firmauit, à tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem, quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenùs delegauit, mox à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est, quæ Sedes Apostolica, etiam petente Principe, nullatenùs approbauit, nulla ratione sustinet. Et infrà: Totum in Apostolicæ Sedis positum est potestate. Ita quod firmauit in synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit. Quod refutauit, habere non potuit firmitatem. Et sola rescindit, quod præter ordinem congregatio synodica putauerat vsurpandum.] Lucidè adfirmat generales synodos non solùm præuio mandato, agendorum propositione, ac suffragij prærogatiua, sed insuper actorum examine, & ipsis impartita auctoritate esse à Romano Episcopo confirmandas. Adfirmat hanc esse in sacris literis fundatam maiorum traditionem, ac Ecclesiæ Regulam, ideoque Romanum Episcopum posse ex eiusdem synodi actis firmare vnum, aliud vacuare. Quæ omnia etiam Facundus Hermianensis Episcopus, Pelagius secundus in laudata epistola, ac in literis ad Michaelem Imperatorem clamant, & supponunt, Pontifex Nicolaus.

Epist. 13.

Hoc ipsum clamat, & supponit per synodos facienda, quam à Ioanne Launoio admitti crediderim, ad Romanum Episcopum relatio. Eius etiam quoad illa, quæ ad Apostolicum mandatum, propositionem, atque suffragium sunt acta, necessitatem edicit Constantini Augusti ad sanctum Leonem secundum relatio: [Cur in hac narratione longiores sumus, cum ea in actis subtiliùs, & accuratiùs explicentur? Quæ cum ad vos missa sint, omnium, quæ mota, & tractata sunt cognitionem inuestigate. Et in suo ad ipsam rescripto laudatus Leo: Gestorum synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula, quæ gesta sunt flagitantes, eadem, quæ Apostolicæ Sedis Legati narrauerint, scriptis consonantibus conuenire reperimus.] Apostolici mandati, propositionis, aut suffragij limites, aut modos excedere, & varijs modis præuaricari poterant, & ipsi Legati, & synodales Episcopi: Hinc omnem actorum seriem Pontifici referre, & inspiciendam mittere per redeuntes Legatos debebat synodus, & ipsa Pontifex discurrere per omnia, & tunc nouo suæ auctoritatis suffragio firmare. Facta ad examinaturum Principem relatio deuoluit, ac suspendit omnia, & vsque ad ipsius rescriptum nulla est actorum firmitas. Synodalis igitur relatio confirmationis accipiendæ preces, licèt non exprimat, omninò comprehendit, atque supponit. Sunt relationi conditio intrinseca.

Porrò Chalcedonensis synodus aliter fidei Decretum, ac Dioscori degradationem, aliter suos, præsertim vigesimum octauum, Canones meritò tetulit, & istius dumtaxat confirmationem expressis verbis supplicauit. Quòd nempè is citra Apostolicæ Sedis mandatum, relationem, atque suffragium, & citra Legatorum scientiam decretus esset, atque ita non tamquam sanus, & integer confirmari, sed tamquam caducus, & claudus per Pontificem deberet sanari, & suppleri. Eademque fuit ratio primæ, & secundæ Constantinopolitanæ synodi. Prouinciarum, aut Diœcesium synodis, dum de turbata apud se fide iudicant, passim non adsunt Apostolica Legatio, aut Apostolicum cum mandato suffragium. Etiam ipsarum de tanta ad vniuersam Ecclesiam spectante causa iudicium est infirmum, ac debile. Est dumtaxat interlocutorium, solaque ad Romanum Episcopum facta relatione, & accepto per ipsum confirmationis complemento proficit in definitiuum. Hinc Eminentissimi Domini Cardinales rectè scripserunt fidei Christianæ, aut aliarum ad vniuersalem Ecclesię Disciplinam spectantium causarum definitionem ad solum Romanum Pontificem spectare. Ante datam ab ipso firmitatem nec generalis synodi iudicium est definitiuum, aut certè non transit in rem iudicatam.

Exponitur alia Quæstio.

AT ecce hinc Ioannes Launoius in epistola ad Ioannem Gerbasium mouet aliam quæstionem: An generalis synodus sine Pontifice non valeat de fide definire? Et affirmat valere. Probat ex Constantiensi synodo, quæ Tyrannum priuata auctoritate occidi non posse sola definiuit. Et definitionem, licèt confirmationis Bullæ non indiderit Martinus quintus, admisit omnis Ecclesia. Deinde famosa Eugenij quarti ad Patres Basileenses scripta regula sancit circa quæstionem, de qua solus Pontifex ab vnanimi Concilio discordat, prævalere Papale suffragium, [nisi fortè, quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, vniuersalis Ecclesiæ statum principaliter perturbarent. Quia tunc Concilij sententia esset potiùs attendenda.] Addit Ioannes Launoius, & primam Constantinopolitanam synodum, quæ sola sine Damasi Pontificis assistentia fecit larga ad Nicænum Symbolum additamenta, atque ita sola aduersùs Macedonium, & Apollinarium de fide definiuit. Eiusdem sententiæ fuisse videtur in sua Summa Augustinus Triumphus: [Licèt in quæstionibus terminandis auctoritas Papæ, dum est Papa, sit necessaria, dum tamen desinit esse Papa per crimen hæresis, auctoritas illa remanet in Ecclesia, sicut ipso mortuo.

Sess. 16.

Respondeo hæc aduersari primis, ac fundamentalibus Ecclesiasticæ Hierarchiæ principijs. Etenim quòd non per Imperatorem, sed per Pontificem conuocanda, atque indicenda sit legitima synodus, est adeò certum, vt oppositum errorem Græci in Florentino Concilio recantauerint. Etenim ad ipsos in plena synodi congregatione dixit Andreas Latinus Rhodiorum Archiepiscopus: [Papæ est conuocare synodos, vt per vestros testes ostenditur. Nam Doctor vester Stephanus, quem & nouum Martyrem vocatis, Patres Constantinopoli congregatos incusauit, cumque vellent hæretici synodum celebrare, prodijt in medium ille dicens: Quomodo vos synodum conuocare audetis, & illegitimum vestrum habere Conuentum, non præsente Summo Romanorum Pontifice, aut alio quopiam illius vicem agente?] Hic est magnus ille Stephanus, apud Bythinos in sancti Auxentij monte sanctissimus Monachus, quem flagitiosis, ac facinorosis suis erroribus constantissimè obsistentem Constantinus Caballinus crudelissimè trucidauit. Et laudato Andreæ nemo Græcus contradixit. Et generales Synodos non tantùm indicere debet Romanorum Episcopus, sed etiam per semetipsum, aut suos Vicarios adesse, ac præsidere. Omnium item tractandorum relationem, seu propositionem habet, & primum cum summa prærogatiua suffragium. Et hinc præter eius Vicarios nullus referre aliquid, aut proponere possit, nec ipsi Vicarij sine speciali eius mandato. Singulorum defectus facit Synodalia Decreta esse caduca substantialiter, ac nulla. Quòd enim sine Romani Episcopi auctoritate nec synodus fieri, nec ipsa regulas, aut Decreta possit facere, ideoque Antiochena Encæniorum synodus fuerit friuola, suprà

Sess. 7.

audiuimus ab Innocentio primo, cui attestantur Socrates, & Hermias Sozomenus. Ariminensem, quòd Romani Episcopi sententiam, seu relationem, ac primum suffragium non expectasset, synodum fuisse eiusdem farinæ, audiuimus à Romana S. Damasi synodo, cui adfuit Magnus Ambrosius. Et in degradatoria Nestorij Constantinopolitani Episcopi sententia dixit vniuersa Ephesina synodus: [Coacti per sacros Canones, & epistolam sanctissimi Patris nostri, & Comministri Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, ad lugubrem hanc sententiam necessariò venimus.] De eadem synodo scripsit ad Illyrici Episcopos Sixtus tertius: [His constitutis, quæ præter nostra præcepta Orientalis synodus decernere voluit, credatis vos non teneri, præter id, quod de fide nobis consentientibus iudicauit.] Extat epistola in Bonifacij secundi Romana synodo, publicata per Dominum Lucam Holstenium. Et dum Eusebius Dorylei in Phrygia Episcopus suos aduersùm Ephesini latrocinij Acta libellos præsentaret, S. Paschasius Legatus dixit ad vniuersam Chalcedonensem synodum: [Notum est huic Deo amabili Concilium, & ad Beatum, & Apostolicum, & Catholicum Papam Leonem sacras esse literas destinatas, quatenus huic sancto Concilio se præsentare dignaretur. Sed quia neque antiqua hoc tenuit consuetudo, neque generalis temporis necessitas permittere videbatur, nostram paruitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit. Ideoque necessarium est hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari. Propter hoc igitur porrectus libellus à religiosissimo fratre, & Coepiscopo Eusebio susceptus recitetur.] Lucidè asseuerat sine sua interlocutione, seu propositione nullum posse admitti libellum, nullam quæstionem ventilari. Et hinc Chalcedonenses Canones, & varia præter fidei Decretum, & Dioscori degradationem de personis statuta Magnus Leo affirmauit caduca, quandoque ex sui mandati, quandoque ex factæ per Legatos suos relationis, quandoque ex defectu dati per ipsos suffragij. Quiuis enim è singulis defectus plenè sufficiebat. Hinc item, dum Ephesini latrocinij gesta retractari, & nouam synodum permitti suasit, ad Theodosium secundum Imperatorem scripsit Valentinianus tertius: [Quare beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, ac Sacerdotibus iudicare.] Notanda sunt plena ponderis verba. Non dicunt, [Vt noua synodus, sed vt Romanus Episcopus facultatem habeat de fide, ac Sacerdotibus iudicare.] Quidam existimant omnem iudicij decisionem soli Pontifici, synodo adscribi solam consultationem. Verùm errant. Laudata enim verba dumtaxat asserunt Romani Episcopi suffragium esse totius synodi fundamentum, sine quo omnia per ipsam Acta sint infirma, & caduca. Et hinc vides non esse nouum, vt generalium synodorum Decreta in solum Romani Episcopi nomen concipiantur, atque edantur. Pro Papalis suffragij fundamentali necessitate superiùs adduxi plura testimonia, nec vacat

Epist. 17.

cat repetere. Repeto vnicum Vigilij Pontificis in famoso de tribus capitulis Constituto pronunciatum, quo quintam synodum rogat, [vt antiquum, & regulare custodiens ordinem, ante suæ, id est, Apostolicæ promulgationem sententiæ quidquam proferre tentaret.]

Et adducta in oppositum argumenta sunt nullius ponderis. Etenim Macedonij hæresim iam dudum damnauerat Nicæna synodus, addens suo Symbolo: [Et in Spiritum sanctum.] Etiam Apollinarium, ac eius discipulum Timotheum damnarat Romana sancti Damasi synodus, atque ita hæc omnia in memoratos Errones exequi sine speciali Romani Episcopi mandato poterat Constantinopolitana synodus. Quapropter quæstio est de solis ad Nicænum Symbolum additamentis. Licèt enim necdum extaret Ephesinus Canon, extabat tamen Sardicense Concilium, quod aduersùs Eusebianam mutandi, ac nouandi Symboli libidinem edidit simile Decretum. Quidquid sit, licentiam istam Ecclesia damnabat. Et quidem an hęc additamenta sint Constantinopolitanæ synodi opus, videtur non constare. Etenim ante synodum defunctus Magnus Basilius scribit

Epist. 325. ad Epiphanium Episcopum: [Nihil nos possumus, ne vel syllabam vnam ad Nicænam illam fidem adijcere, excepta de Spiritu sancto Doxologia, cuius rei Maiores illi nostri velut in transcursu meminerunt, necdum mota de Spiritu sancto quæstione. Attexta autem illi confessioni dogmata de Domini nostri Incarnatione, quippe quæ nostrum transcenderent intellectum, neque velut reiectitia, vel recepta habuimus, illud vtique scientes, quòd cum fidei semel simplicitatem loco motam admittimus, disputandi nullos limites circumscribemus, vlteriùs abrepti contradictionis æstu, atque animas insuper simpliciorum conturbabimus nouorum dogmatum superinducta inuentione. Et in lite-

Epist. 387. ris ad Eupaterium: Quoniam illa quæstio, quæ nuper emersit in disquisitionem apud eos, qui semper innouare aliquid contendunt, silentio præterita apud sæculum prius, eò quod non erat à quoquam contraitum, indiscussa prorsus relicta est, intelligo illam de Spiritu sancto, addenda est, & huius explicatio, ad mentem, & sententiam Scripturæ sacræ. Videlicet nos credere, quemadmodum baptizamus: Quemadmodum credimus, ita glorificamus.] Facta de Spiritu sancto additamenta lucidè laudat, atque probat. Pręsertim hanc auitam Ecclesię Doxologiam, aut potiùs hocce immobile ex ipsa desumptum fundamentum: [Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur.] Lucidè memorat, & facta de Diuina Incarnatione aduersùs Apollinarium additamenta. Et licèt etiam circa ipsa vnumquemque in suo sensu abundare permittat, ipse tamen improbat ob duas rationes. Primò, quòd ista addendi licentia nullis se patietur circumscribi finibus. Deindè quòd hęc additio fœdam Apollinarij hæresim deducet ad simplicis vulgi notitiam; & ita fieri poterit vt quosdam scandalizet. Lucet ergo hæc additamenta esse Constantinopolitano Concilio antiquiora.

Laudatum ergo Concilium hæc, quòd apud Ecclesias controuerterentur, additamenta dumtaxat probauit, & confirmauit. Quod certum est sine Romani Episcopi mandato, & suffragio non potuisse fieri. Et certum est vtrumque à ratificante Romana Ecclesia fuisse suppletum. Quando, & qualiter, res longa est suo loco vtcumque elucidata, & adhuc elucidanda. Et quoniam aliud est rata, aliud ratificata Synodus, Hæresiarcha Eutyches spreuit ista aduersùs Magistrum suum Apollinarium facta additamenta, & duxit esse parui ponderis. Et in synodalibus ad Leonem Imperatorem literis Eutychiana Timothei Æluri factio magno fastu profitetur Nicænum symbolum, atque adiungit: [Ea, quæ à sancto Spiritu dicta, atque conscripta sunt, fas non est aliquo modo retractari, nec augmentum aliquod, nec imminutionem eis inferre. Et infrà: Synodum centum quinquaginta nescimus.] Loquitur cum Magistro, ac Patriarcha Dioscoro, qui etiam in Ephesino latrocinio laudauit solam Nicænam fidem, & nullius pensi duxit Constantinopolitanam. Et aduersùs istam epistolam synodaliter ad eumdem Imperatorem scripsit Euoptius Cyzici Episcopus, ac Hellesponti Metropolita: [Si Concilium factum contra hæreses respuunt, quale est, & sub Nectario in maxima ciuitate Regia ex diuersis Prouincijs congregatum, palàm est quòd illas hæreses prohibere nolint, sed ipsas potiùs amplectantur, quas SS. Patres hæc piè constituentes anathemati subdiderunt. Qui ergo hanc Synodum refutant irà sanctam, & reuerendam, quam præ cunctis quidem veritas confirmauit, deinde & tanto tempore robur accepit, certum est, quia non in vno capitulo sustinent scandalum, sed in multis hæresibus languere noscuntur. Nam qui legem veritatis adiutricem refugiunt, aperti sunt veritatis ipsius inimici. Quando hanc Synodum, quam se ignorare confingunt, & Proterius Deo amabilis tunc Alexandrinæ ciuitatis episcopus, vir anima venerandus, vnà cum eis præsens, & ipse firmauit.] Eutychetem in Chalcedonensi Concilio primus de spretis hisce additamentis accusauit Diogenes Cyzicenus episcopus, ideòque ipsa constantissimè defendit successor Euoptius. Eorum auctricem Synodum omni argumento conatur stabilire: Confirmatam asserit ab ipsa veritate, longo temporis tractu, seu diuturno Ecclesiarum consensu, necnon & nupera sancti Proterij Alexandrini Patriarchæ professione. Quòd nempè non solus Eutyches, sed etiam cum Ephesino latrocinio Dioscorus ista spreuisset additamenta, eius successor Proterius ante inthronizationem compulsus fuit eadem cum ipsorum auctrice Synodo solenniter profiteri. Verùm Apostolicæ Sedis confirmationem non laudat Euoptius. Hinc aliqui existimant ipsam vsque tunc non interuenisse. Et certè nullum antiquum, atque authenticum habemus pro data per Damasum confirmatione testimonium. Et quomodo non solùm Eutyches, atque Dioscorus, sed etiam tot in Ephesino latrocinio episcopi præsumpsissent firmatam à Romana Ecclesia Synodum perfricta fronte contemnere? Etiam Ephesina Synodus recitari sibi fecit solum

Epist. 24. Epist. 49.

solum Nicænum Symbolum, non Constantinopolitanum. Quidquid sit, vtrumque sibi recitari fecit, Actis inseruit, & ad sanctum Leonem retulit Chalcedonense Concilium, atque exinde vtrumque habuit irrefragabilem, ac parem firmitatem. Interim hinc lucet Constantinopolitanam Synodum, quò vsque Apostolicæ Sedis defuit suffragium, fuisse caducam, ac infirmæ auctoritatis.

Etiam aduersùm hæc in epistola ad Ioannem Molendinum intercedit Ioannes Launoius. Laudat Constantinopolitanam Synodum, & prosequitur: [Hæc omnia, in quibus inscio Romano Pontifice, & damnantur hæreses, & fidei symbolum editur, Inquisitores nostri, vtique Eminentissimi Domini Cardinales, penitùs ignorant, cùm aiunt; Ad Sedem Apostolicam dumtaxàt pertinet controuersias fidei, & morum vniuersalis Ecclesiæ definire. Et nisi fateantur omnia hæc ignorare se penitùs, ab intolerando errore numquam eximentur, si tamen eximi possint. Crassa, & pinguis est ignorantia, quæ in ipsis pueris non verbis tantùm, sed etiam verberibus castigaretur. Hoc vnum metuendum est, ne quæ ex synodica Constantinopolitani Concilij epistola retulimus, fabulosis narrationibus adscribant, quo minùs videantur ignorare quod ignorant. Si audent illa fabulosis narrationibus adscribere, continuò damnabuntur ab Ephesina Synodo, quę Constantinopolitani Concilij symbola refert, & confirmat.

Hæc in supremos Ecclesiæ Antistites dicteria malo erubescere, quàm refutare. Vtinam supprimere potuissem, & radere de Ioannis Launoij epistola. Dumtaxàt dico Constantinopolitanum symbolum ab Ephesina Synodo nec relatum fuisse, nec confirmatum. Nestorij causam discussura prima actio recitari iussit Nicænum symbolum, deinde sancti Cyrilli quasdam epistolas, & ex hisce Regulis de controuersis erroribus iudicauit. In suo suffragio plerique episcopi laudant Nicænum symbolum, nullatenus Constantinopolitanum. Symbolum, quo fidem suam professus est presbyter Charisius, habet quidem aliqua additamenta, verùm longè diuersa à Constantinopolitanis. Existimo illa per Lydiam fuisse vsitata, atque ità Constantinopolitana nequidem per omnem Orientalem Ecclesiam tunc fuisse admissa. Apud varias Ecclesias videntur fuisse varia. Et Ephesinus Canon, qui deinceps vetat addi ad symbolum, palàm loquitur de solo Nicæno. Quapropter prima Constantinopolitanorum additamentorum confirmatio videtur esse à sancto Leone Pontifice, confirmante plenum decretum fidei Chalcedonensis.

Dico, videtur: Quoniam illi, qui laudata additamenta volunt probata, & firmata à sancto Damaso, non destituuntur fundamento. Etenim Maximus Cynicus Constantinopolitanus episcopus, contra tertium Constantinopolitanæ Synodi Canonem, ab illo firmatam suam degradationem, ac promotionem Nectarij appellauit ad Sedem Apostolicam, appellationem admisit sanctus Damasus, atque ex sua Romana Synodo ad istorum Actorum defensorem Theodosium Augustum rescripsit: [Cùm Maximum episcopum receperint in communionem nostræ consortia, quoniam eum à Catholicis constitit episcopis ordinatum, nec ab episcopatus Constantinopolitani putauimus petitione remouendum. Cuius allegationem præsentibus partibus æstimauimus esse pendendam. Nectarium autem cùm nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognouerit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus, præsertim cum ab eisdem Nectarius dicatur illicò sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus, nec quædam nos angit de domestico studio, & ambitione contentio, sed communio soluta, & dissociata perturbat. Nec videmus eam aliter posse conuenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior ordinatus est, aut certè super duorum ordinatione sit in vrbe Roma nostrum, Orientaliumque Concilium.] Exstat epistola apud Iacobum Sirmondum in appendice Codicis Theodosiani. Verùm in postea datis ad sanctum Acholium Thessalonicensem episcopum literis idem Damasus eiusdem Maximi ordinationem amplissimè exsufflat, & damnat ex varijs causis, præsertim quòd impensa fuisset homini gestanti habitum idoli, ideòque indigno habere communionem non tantùm episcopi, sed & laici Christiani. Has literas nuper cum Bonifacij secundi Romana Synodo publicauit Illustrissimus Lucas Holstenius. Et in alijs ibidem ad Rufum Thessalonicensem episcopum literis scribit de laudato Damaso Bonifacius primus: [Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarij ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis è latere suo Aulicis cum episcopis, formatam huic à Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ eius Sacerdotium roboraret.] Et omninò impetrauit. Hinc enim de sua è Neophyto in episcopum consecratione scribit ad Vercellensem Ecclesiam sanctus Ambrosius: [Ordinationem meam Occidentales episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probarunt.] Exemplo ordinati Nectarij. Huius ergo ordinationem tunc omninò probauerat Romana Ecclesia: Alioquin tantum ei testimonium sanctus Ambrosius non perhibuisset. Proindè plura huius Synodi Acta omninò probauit, atque firmauit Damasus. Et quoniam omnia Synodorum Acta præcellit, ac præcedit fidei decretum, videtur ipsum ante omnia etiam prædicasse Theodosius apud Damasum, ac eius confirmationem obtinuisse. Pluribus hæc suprà deduxi. Quidquid sit, decretum istud, hoc est, Constantinopolitanum cum suis additamentis symbolum sanctus Leo firmauit.

Epist. 10.

Epist. 25.

Alia est ratio Constantiensis Concilij. Erat legitimè indictum, & congregatum. An porrò legitimè congregata Synodus, ac ipsi præfecta Romani Episcopi legatio, per eiusdem episcopi naturalem, aut ciuilem mortem incurrat suæ potestatis interpolationem, aut suspensionem, non est præsentis temporis quæstio, nec spectat ad nostrum propositum. Certè per sancti Fabiani martyrium vacante Apostolica Cathedra, Roma-

næ

næ Ecclesiæ Clerus censuit nullam sibi esse potestatem, qua deductis ad se Ecclesiarum grauioribus causis, ac noua disciplinæ decreta exigentibus relationibus responderet. Et
Epist. 3. Romanam Vice-Pastoris custodiuit, atque
Epist. 30. rexit Ecclesiam, & super totius Ecclesiæ corpore excubauit, auitos Canones, ac disciplinam strenuè exsecutus est, verùm à sancto Cypriano, & alijs hinc indè Primatibus Gentium episcopis de pœnitentia functis idololatris danda contra priorem Canonem pace rogatus respondit: [Nobis differendæ huius rei necessitas maior incumbit, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani nondum est episcopus propter rerum, & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum consilio, & auctoritate habere ratio-
Epist. 31. nem. Et infra: Cuius temperamenti moderamen nos hìc tenere quærentes, diù & quidem multi, & quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, & quos ex alijs Prouincijs longè positis persecutionis istius ardor eiecerat, ante constitutionem episcopi nihil innouandum putauimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, vt interim dum episcopum dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui mores possunt dilationis sustinere, causa teneatur.] Aliquid interloquuntur, nihil audent definire. Cur generalis Synodi non sit eadem ratio? Nam & ipsa tunc est sine capite. Etiam Apostolici per Illyricum Vicarij potestas desinebat per Pontificis mortem: Certè synodalis Legatus habet pariformes vices. Durare possint vsque ad reuocationem: Certum est debere per nouum Pontificem ratificari. Quod ipsum creditum fuisse à Ioanne Gersone, est supra ostensum. Quocircà Constantiense contra Sicarios decretum, nisi à Martino quinto probatum sit, & firmatum, potest esse verum, sed non habet synodalem auctoritatem. Nam sexta Synodus, licèt iuxtà Apostolicum mandatum, & suffragium peracta, firmitatem, quam morte præuentus non dederat sanctus Agatho, petiuit, ac impetrauit à sancto Leone secundo: Nec antea se credidit firmam. Augustinus Triumphus non de Concilio, sed de vniuersa Ecclesia loquitur. Et ipsum sequuntur Aluarus Pelagius, & Cardinalis Panormitanus. Falli ipsos existimo. Romanę per sancti Fabiani mortem vacantis Ecclesiæ Clerus est potiùs audiendus. Viduata Ecclesia à Spiritu sancto regitur, & custoditur, errare non potest, ideòque nouas definire quæstiones, aut nouos condere Canones numquam attentabit.

Quæstionem, de qua ad Basileense Concilium rescripsit Eugenius quartus, proponit in Aduentuali ad Constantiensem Synodum sermone Petrus Cardinalis de Aliaco: [Auctoritas decernendi, & definiendi non est attribuenda soli Pontifici, sed toti Concilio generali. Vndè manifestè reprobatur error quorumdam perniciosissimus, qui adulando potestati Papali ità detrahunt auctoritati sacri Concilij, vt dicere præsumant, quòd Papa non potest necessariò sequi deliberationem Concilij, immò standum esset sententiæ Papæ, si Ecclesiæ, vel generali Concilio contradicat.] Existimo Constantinopolitanam, Chalcedonensem, Quintam, Trullanam, ac Septimam Synodos non fuisse Papalis potestatis adulatrices: Et tamen suos Canones, & alia quædam Acta, quòd solus Papa contradiceret, confessæ sunt esse infirma, & caduca. Adulari est minus crimen, quàm detrahere, aut furari. Vnde & Petro Aliacensi aduersam Eugenij quarti Regulam admisit Synodus Basileensis. Eamdem quæstionem in synodalium rerum libris proponit etiam Fredericus Nausea episcopus Viennensis: [Patribus in Concilio à Papa, vel eius Legato dissentientibus, cuius iudicio sit standum? Et respondet: Prima fronte non videtur ac- Lib. 5. c. 3.
cedendum vni, solique Papæ, præsertim in causa fidei, cùm satis periculosum videatur fidem nostram vnius hominis arbitrio committi. Nec vsque adeò superbum esse Papam credimus, quòd ipse solus, & vnus homo toti congregationi suum iudicium præferat, perinde atque, si ipse Spiritum sanctum habeat, maximè quòd maior vrbe sit orbis. Ne itaque nauigandum sit inter Scyllam, & Charibdim, plerique omnes Doctores arbitrantur, sententiæ Papæ prorsùs esse standum in negotio fidei priùs per Apostolicam Sedem definito, quod ipsi Patres vellent, aut refutare, aut immutare. In ipso verò fidei negotio needum definito, sed per Concilium definiendo, standum potiùs esset iudicio Patrum totius Concilij. Quod ipsum cum Cardinali à Turrecremata sequitur eruditus ex Fratrum Minorum Ordine Cardinalis Clemens Monilianus, atque adiungit:
[Si talis controuersia orta esset, licèt Vni- C. 31.
uersitati Patrum adhærendum esset ratione prædicta, nihilominus nihil videretur conuenienter concludendum, quousque Papa, & Patres concorditer in vnam conuenirent sententiam.] Est casus fictus, atque imaginarius: Per Dei gratiam non euenit vsque huc, & vsque ad sæculi finem speramus non euenturum. Etenim omnes Ioannis duodecimi excessus fuerunt conuersationis vitia, non prædicationis. Et Euangelicum dogma, aut fundamentalē Ecclesiæ disciplinam pertinaciter impugnanti Pontifici esset non tantùm à generali synodo, sed à quouis singulari Christiano cōtradicēdum. Et hinc præsentē Regulam libenter admisit, atque obtulit quartus Eugenius.

At quid si circa dubium fidei articulum eueniat ista Pontificis, & synodi discordia? Respondeo tunc sequendum Cardinalis Moniliani consilium, & factum sancti Leonis noni, qui difficilem de Simoniacorum ordinationibus quæstionem retulit ad Diuinam Maiestatem, & omni Ecclesiæ generales preces indixit. Et sancti Augustini consilium, qui in libris de Baptismo aduersùs Donatistas scripsit de similiter difficili quæstione: Lib. 7. c. 53.
[Si quis fortè me in vniuersalis Ecclesiæ Concilio constitutum, vbi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, vrgeret, vt dicerem quid sentirem, Diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici deuotione gemitibus, implorandum esse censerem, ità sanè vt post me dicturos sententias, ne quid iam exploratum, & cognitum adferrent, humi-

militer exspectarem.] Talis interim synodus sine Papali mandato, ac suffragio non iudicaret. In omnes sine hocce suffragio iudicantes, aut tractantes synodos dici omninò potest supra laudatum sancti Gelasij elogium: [Alia, quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apostolica nullatenus delegauit, mox à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est. Quæ Sedes Apostolica, etiam petente Principe, nullatenus approbauit, nulla ratione sustinet. Et infrà: Totum in Apostolicæ Sedis positum est potestate. Ità quod firmauit in synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutauit, habere non potuit firmitatem. Et sola rescidit, quod præter ordinem congregatio synodica putauerat vsurpandum.] Lucidè adfirmat solius Pontificis suffragium vnanimi totius synodi suffragio esse potentius, ac præualere. Affir mat isto suffragio, ac mandato destitutas synodos nihil iudicare posse, immò nec ventilare. Hinc Orientalibus Patriarchis, atque Episcopis, quos ad talem synodum conuocare minabatur Imperator Michael tertius, scripsit Nicolaus primus: [Vos, vt antiquum morem seruetis, neque indicetis, neque approbetis quidquam sine nostra auctoritate.

Exponitur antiquus Gallicanæ Ecclesiæ sensus.

QVod nullus Episcopus, nullus Patriarcha, nulla etiam œcumenica synodus sine Romani Episcopi, atque Romanæ Ecclesiæ auctoritate definire possit, de dogmaticis quæstionibus, Gallicana olim Ecclesia constantissimè tenuit, atque ita certum est nobis rem nouam à Ioanne Launoio prædicari. Euidenter hoc lucet ex causa Gilberti Porretani, Pictauiensis Episcopi. Quatuor circa Diuinæ Maiestatis substantiam errores ille docuerat, atque ita a suis Archidiaconis quòd publicè in Ecclesia monitus noluisset acquiescere, erat appellatus ad Apostolicum Tribunal Eugenij tertij. Regios Romanæ euocationis obices tunc ignorabat Gallia, atque ita vtraque pars statim accessit. Verùm à turbulenta Arnaldi Brixiensis Monachi factione vexatus Eugenius descendebat in Gallias, & cum accusatoribus Archidiaconis episcopum excepit apud Senas, remisit domum, ipse secuturus, isthic causam cogniturus. Gilbertus erat Doctor Scholasticus, Artium, & Sacræ Theologiæ in varijs Galliæ Gymnasijs veteranus Professor, Palestricæ acrimoniæ magnus amator, atque ità ex malè intellectis sanctorum præsertim Hilarij, & Augustini libris lapsus in voces potiùs nouas, & scandalosas, quàm in mentis errores. At verò istas, tunc grassari incipientes in Ecclesia, scholæ subtilitates pessimè, nec sine fundamentis, oderat sanctus Bernardus: Hinc Archidiaconi illum obtinuerunt sibi patronum, suo episcopo durum, & constantem aduersarium. Omnibus enim Gallicanis Episcopis Bernardus erat mens, & lingua. Porrò Gilbertus erat, ac semper fuerat immaculatæ vitæ, & famæ: Hinc eius licèt non erroribus, Lib. 1. c. 46. 47. tamen personæ fauebant quidam Domini Cardinales, aut potiùs de fauore hoc erant apud Bernardum suspecti. Rationem dat in libris de Gestis Frederici primi Imperatoris Otto Episcopus Frisingensis: [Bernardus tam ex Christianæ Religionis feruore erat zelotypus, quàm ex habitudinali consuetudine credulus, vt & Magistros, qui humanis rationibus, sæculari sapientia confisi, nimiùm inhærebant, abhorreret, & si quidquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet.

Etiam ipse Eugenius æstimabat Gilbertum. Hinc ipsum inuitauit ad suum Rhemense Concilium: Non vt reum, sed vt integrum, & Canonicum Episcopum. Et vt talem fecit adsidere. Eius causam discussit post dimissam synodum. Et accusatos articulos, & ipsorum apologetica fundamenta curauit sibi redigi in Scriptum. Et ipsum cum sancto Bernardo disputantem, non tantùm patienter, sed etiam delectabiliter audiuit, atque attendit. Audiamus laudatum Ottonem: [Finita synodo, prudentiores, & viciniores Episcopi ad causam Gilberti terminandam à Papa Eugenio seruantur. Et infra: Quam auctoritatem cum determinare vellet Clareuallensis Abbas, aliqua verba, quæ Cardinalibus displicerent, protulit, Episcopo Pictauino dicente; Et hoc scribatur. Ad quod ille respondit: Scribatur stylo ferreo in vngue adamantino. Moxque ad publicum progressus, omnes, quos poterat conuocauit. Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis, & eruditis contra quatuor, quæ Pictauino Episcopo imponebantur, Capitula fidem in hunc modum ipse cum alijs, & alij cum ipso exposuerunt. Exponit in sancti Bernardi vita Goffredus Monachus Clareuallensis: Considerans Bernardus nonnullos ex his, qui præsidebant, iam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen auertentes iniuriam à persona, accensus est zelo, & domesticam sibi Ecclesiam seorsim conuocat Gallicanam. Communi denique consilio, à Patribus decem Prouinciarum, alijs autem Episcopis, & Abbatibus plurimis dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur symbolum nouum. Hoc est, nouum fidei decretum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum. Vt eorum scilicet omnium, sicut irreprehensibilis zelus cæteris innotesceret.] Et in literis ad Albanensem Episcopum Gaufredus Cisterciensis Monachus refert Bernardi, & Gilberti coram Dominis Cardinalibus disputationem, atque prosequitur: [Sub eo tenore discessum est, vt dicerent Domini Cardinales.] Quia ecce audiuimus, quæ proposita sunt, deinceps indicabimus qualiter debeant definiri. [Quod verbum eatenus monuit corda multorum, vt sequenti die apud sanctum Bernardum conuenirent Archiepiscopi decem, Episcoporum quoque, & Abbatum, ac Magistrorum plurima multitudo. Et quia iudicium sibi videbantur reseruasse, quos nouerant ferè omnes errantis potiùs, quàm erroris fautores, prouiderunt oportere cum Capitulis illis Gilberti Episcopi, suæ, & fidei symbolum mitti, vt scirent meliùs, vndè iudicarent. Scripserunt ergo Capitula totidem, quàm expressiùs potuerunt, illius verbis suam confessionem contrariam in omnibus, & per omnia proponen-

Lib. 3. c. 5.

ponentes, quam de communi omnium conuenientia, non sine multa deliberatione dictatã iudicaturis facerent, exhiberi. Nec tamen verebatur, ne contrarium aliquid iudicarent, sed credebant nonnullos eorum ad hoc tendere, vt sine aliqua definitione Concilium solueretur. Propter quod eidem scripturæ, quam nouissimam vobis mittimus, subscripta sunt singulorum nomina, qui aderant, Archiepiscoporũ, Episcoporum, Abbatum, & Magistrorum, de consensu, & conuenientia vniuersorum. Et electæ sunt tres personæ, Episcopi duo Reuerendissimi, Hugo Antisiodorensis, primus è Cisterciensi ordine euectus ad Pontificalem thronum, & ex Præmonstratensi ordine Milo Morinensis, & Sugerius Abbas sancti Dionysij, qui eamdem scripturam Domino Papę, & Cardinalibus præsentarent, & dicerent eis: Pro vestra reuerentia sustinuimus minùs dignos acceptione sermones, donec tandem audiuimus, quod de eis iudicare velletis. Offerimus ergò & nos nostram confessionem, vt non de parte, sed de partibus iudicetis. Teneris confessionem, hominis illius scriptam: Conuenit vt teneatis, & nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, vt paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur; nos huiusmodi cõditionẽ penitùs excludentes, sic vobis nostram offerimus, vt noueritis, quòd in hoc sumus, in hoc perseuerabimus, nihil penitùs immutaturi.

Hæc posteriorum verborum fiducia Dominos Cardinales offendit: Visa est anterioribus non cohærere. Visa est non instructionẽ continere, sed definitionem. Nam & oblata charta titulabatur symbolum, seu fidei Decretum. Et in similis Decreti formam erat subscripta ab omnibus. Hinc pergit Otto Episcopus Frisingensis: [Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam grauiter sacer Cardinalium Senatus accepit, vt in magna mentis indignatione Curiam intraret, & tamquam vnum corpus effecti, vna omnes voce Pontifici suo dicerent; Scire debes, quod à nobis, per quos tamquam per cardines vniuersalis Ecclesiæ vertitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus è priuato vniuersalis Pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potiùs esse oportere, nec priuatas, & modernas amicitias antiquis, & communibus præponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanæque Curiæ culmen ex officij tui necessitudine curare, & obseruare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romanæ Sedis Primatum, & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Gallici isti etiam faciem nostram contemnentes, super Capitulis, quæ his diebus, nobis adsidentibus, agitata sunt, tamquam finitiuæ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, vtpotè Alexandriæ, aut Antiochiæ, coram omnibus Patriarchis huiusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra definiri valeret auctoritate. Quinimmo iuxta antiquorum Patrum instituta, vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia vsurpare audent, quod etiam remotioribus, & Maioribus nobis non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter adsurgas, ipsorumq; contumaciam punire non differas.]

Per remotiores, & se maiores intelligunt Orientales Patriarchas, atque ita lucet Cardinales Episcopos tunc his adhuc cessisse. Lib. 1. epist. 29. Quare sanctus Petrus Damiani, ad Cadaloum Antipapam scribens ab illis non modò quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum iura transcendi, non de Orientalibus, & veris, sed de Occidentalibus, & adscitijs Patriarchis est intelligendus. Domini Cardinales lucidè adseuerant nullos Episcopos, nullum Patriarcham, nullam synodum posse definire de fide, sed hunc esse priuatiuum honorem Romanæ Ecclesiæ. Et hanc esse paternam, atque auitam regulam, & consuetudinem. Oppositum attentatum esse temeritatem sine exemplo, & contumaciam exemplariter castigandam. Nec solos Gallicanos Episcopos arguunt, sed & ipsum Eugenium. Causam edicit Gaufredus Monachus: [Quibus, Gallorum Episcoporum Legatis, Dominus Papa respondit, & vniuersis, qui eos miserant, renuntiare præcepit, quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana Ecclesia dissentiret. Et si stare visi fuerant aliqui pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina.] Domini Cardinales existimabant pessimam Gallorum audaciam fuisse admissam, & probatam ab Eugenio, ideòque, & ipsum de Romanæ Cathedræ, & Apostolici priuilegij præuaricatione arguerunt. Deo gratias, quod inter sapientissimos istius Conuenticuli Magistros nostros non fuerit Ioannes Launoius: Quantis elogiorum plaustris optimos Cardinales non onerasset?

Pergit Episcopus Otto: [Romanus Pontifex Cardinales blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitateuè facti solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reuerentia respondit se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definijsse, sed qui ab Episcopo Pictauino audierat, vt fides sua scriberetur, idcircò quia solus nollet, illorum auctoritate, & testimonio simpliciter se, quod sentiret, exposuisse, Hocque tam humili, quàm modesto ipsius responso prædicta Cardinalium indignatio conquieuit, ita tamen vt præfatum scriptum tamquam inconsulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in Concilijs contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.] Ex omnium Gallicanorum Episcoporum, atque Doctorum mente loquebatur Bernardus, atque hinc addit Otto Episcopus: [Benedictus per omnia Deus, qui sic Ecclesiæ suæ sponsæ prouidit, vt nec vel summa membra à capite suo diffiderent, vel tantus religiosarum, & discretarum personarum numerus Gallicanæ Ecclesiæ, aliquod iudicij pondus exspectans à Sede Romana, schismatis non parui occasio esset.

Notanda sunt hæc verba: [Ita tamen vt præfatum scriptum, tamquam inconsul-

ta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo in Ecclesia, quod in Concilijs contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.] Orthodoxum, & Gilberti erroribus retundendis aptissimum erat istud symbolum: Nam & vt tale prædicari statim audiuimus ab ipso Papa Eugenio. Ipsum tamen circumduci, ab omni auctoritate circumscribi, ac penitùs aboleri Cardinales voluerunt: Ex ista dumtaxat causa, quòd sine Romanæ Cathedræ interuentu esset, vel potiùs putaretur attentatum. Etenim non ex definiendi, sed ex solo instruendi animo processerat. Et postulationi omnis Gallicana consensit Ecclesia. Hinc pergit Frisingensis Otto: [De primo tantùm Gilberti articulo Romanus Pontifex definiuit, vtpotè maioris momenti, in quo totius quęstionis cardo verteretur.] Adducit Papalem definitionem, atque concludit: [Episcopus Gilbertus Summi Pontificis sententiam reuerenter excipiens, ad propriam Diœcesim remeauit.] Conditum igitur à Gallicana Ecclesia symbolum circumduxit, atque aboleuit Pontifex, & ipse vsque hodiè altissima voce clamat ad omnes vbique fideles: Non Gallicana Ecclesia, sed solus Romanorum Episcopus potest dogmaticas quęstiones definire. [Nam & alio edito symbolo Eugenius quæstionem istam definiuit. Et omnia hæc acta non solus Gilbertus, nec sola tunc Gallicana Synodus, sed omnis sub cœlo Ecclesia vsque huc probat, & veneratur. Etenim scribit Goffredus Monachus:] Demùm Apostolico iudicio, & auctoritate vniuersalis Ecclesiæ, error ille damnatur. Quin & Gallicana Ecclesia fuit protestata se malè intellectam à Dominis Cardinalibus: Istud symbolum non definiendi, sed solo Pontificis instruendi animo fuisse emissum. Quòd igitur sola Apostolica Sedes de fide, aut generali totius Ecclesiæ disciplina definire possit, rectissimè ex auito Gallicanæ etiam Ecclesiæ sensu dixerunt nuper Domini Cardinales, & Ioannes Launoius sine fundamẽto impugnat.

Quomodo Gallicana Ecclesia posset recedere à perpetuo, quem ipsi etiam seruarunt Apostoli, & suo exemplo fixerunt in immobilem canonem, totius Christianitatis more? Etenim nullus Apostolus, nequidem ipse Paulus, licèt ad ineffabilia Arcana raptus in tertium cœlum, & istic ab ipsa sacrosancta Trinitate creatus Gentium Doctor, potuit sine sancto Petro dogmaticas fidei quæstiones definire. Huiusmodi, primam in Ecclesia quęstionem exponit in actis sanctus Lucas: [Et quidam descendentes de Iudæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari. Facta ergò seditione non minima Paulo, & Barnabæ aduersùs illos, statuerunt, vt adscenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs, ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem super hac quæstione.] Paulus pro veritate multam seditionem, seu disceptationem fecit, verùm aduersarij non detulerunt, sed prouocarunt ad Apostolos, & alios Episcopos, qui erant Hierosolymis: Erat enim istic Petrus. Et Paulus de sua Apostolica auctoritate, atque infallibilitate non excepit, & obediuit prouocationi, & vsque ad Synodale Petri iudicium permisit istos in suo sensu abundare. C. 15.

Eadem de re scribit ad Galathas: [Deindè post annos quatuordecim,] vtique ab accepta per Apostolorum manus Episcopali consecratione, & per ipsum Dominum Deum Apostolica potestate, [iterum adscendi Hierosolymam cum Barnaba, adsumpto & Tito. Adscendi autem secundùm reuelationem. Et contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus. Seorsim autem ijs, qui videbantur aliquid esse. Ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.] Quæ postrema verba altè clamant, quòd Paulus omnem suam, à Deo firmatam tot miraculis, apud gentes prædicationem, & aduersùs ipsam motas quæstiones retulerit, submiserit, ac suspenderit ad futurum Petri iudicium, ipse non ausus decidere. Et hoc secundùm reuelationem, Quia nempè sanctus Iesu Christi spiritus ipsum, non suo, sed sancti Petri Synodali iudicio stare iusserat, & sine ipso non definire. Quinimmò in suis super epistolam ad Galathas commentarijs Theodoretus scribit, non iudaizantes Pauli aduersarios, sed ipsum Paulum ad Hierosolymitanam sub Petro Synodum prouocasse. Exponit iudaizantium dogma, & pergit: [Sed magni veritatis Præcones Barnabas, & Paulus prolatam ab eis doctrinam repulerunt. Volentes autem fidelium cætui persuadere, id quoque magnis videri Apostolis, in Iudæam contenderunt, & quæ ab illis facta fuerant, Apostolos docuerunt, literasque attulerunt, quæ apertè præciperent iugum legis non imponere gentibus.] Quod ipsum scribit in præfatione commentariorum super epistolam ad Ephesios. C. 2. C. 2.

Non nego Apostolos omnes, præsertim sanctum Paulum, fuisse circa fidem infallibiles: Dumtaxat adsero ipsos, licèt infallibiles, sine Petro non potuisse dogmaticas quæstiones definire. Adsero ex definitiuo Decreto quinti Concilij. Quinto Concilio adesse, aut adsensum præbere constanter noluit Vigilius Pontifex, protestatus suæ sedi competere Synodi auctoritatem, seu omnium tractandorum relationem, & de ipsis primum cum prærogatiua suffragium: Protestatus sine his non fieri Synodum, sed acephalum conuenticulum. Hæc veritate niti norant Græcorum Episcopi, ideòque ad sua attentata firmanda apposuerunt suo Decreto hanc medicinalem præfationem: [Licèt sancti Spiritus gratia, & circa singulos Apostolos abundaret, & non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo quod mouebatur,] Si oporteret gentes circumcidi, [definire, priusquam communiter iam congregati, Diuinarum Scripturarum testimonijs vnusquisque sua dicta confirmauerunt.] Disertè profitentur, & singulos Apostolos fuisse circa fidem infallibiles, & tamen ipsorum nullum sine Synodali per Petrum directo conuentu potuisse de motis aduersùs ipsam quæstionibus decidere. Ex his principijs Vigilium conantur in suas partes deducere. Profitentur infallibilitatem etiam ipsi competere, & cuius Romano Episcopo: Addunt hac de causa Synodalem Act. 8.

dalem Conuentum ab ipso non debuisse refutari. Et hinc vides illos, qui Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem, & generalium Synodorum necessitatem existimant non cohærere, insigniter hallucinari. Et quidem adducta verba non sunt huius, aut istius episcopi suffragium, sed sunt totius Concilij Decretum. Quòd ista Apostolorum congregatio non mereatur Synodi nomen, apud Siluestrum Sguropulum in Florentini Concilij Historia malè dixit Marcus Antistes Ephesiorum. Et quòd Cardinalis Iulianus Cæsarinus isti Paradoxo nihil reposuerit, idem Siluester meritò admiratur. Lib. 6. c. 6.

Hac porrò in Synodo sanctus Petrus Apostolus lucidè functus est officio Romani Episcopi. Et tractanda proposuit, & de ipsis dixit primum cum prærogatiua suffragium. Et de Synodali ad ista quæstione turbatam Antiochenam Eccclesiam transmisso Decreto pergit sanctus Lucas: [Illi, Synodales Legati, dimissi descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt epistolam. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Et infrà: Paulus perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Et in sequenti capite: Cum pertransiret ciuitates, tradebat eis custodire dogmata, quæ erant Decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Hierosolymis.] Laudat Apostolum, quòd non sibi, sed Apostolicæ Synodo hanc dogmaticam definitionem adscriberet, ipsam vbique publicaret, & exsequeretur, ac suam tam præteritam, iudaizantium dura intercessione turbatam, quàm præsentem prædicationem ex ipsa confirmaret. Quod ipsum disertè, & variè profitetur & ipse Paulus in epistola ad Galathas. Palmaris illi scopus est, vt demonstret suam in Galathia prædicationem esse nunc Synodaliter firmatam à Petro & alijs Apostolis, ideòque perperam fuisse culpatam à iudaizantibus, & hos stultè à Galathis auditos. Non ampliùs contendit, aut disputat, sed pleno imperio iubet, & cogit. Quin & inuectiuis abundat epistola: Galathas titulat stultos, insensatos, fascinatos. De prædicationis suæ firmitate non minùs antè, quàm post Synodum erat certus: Vnde igitur dumtaxat nunc vtitur tanto impetu? Cur vsque ad Synodum non damnauit Galathas, sed iudaizandi libertatem illis quasi indulsit? Quòd tunc censeret solus, ideòque nec definire posset motas quæstiones, nec ipsarum duros tutatores pleno iudicio compescere. Et adiunxit: [Licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Adfirmat Synodale Petri iudicium nec à se, nec ab vllo Apostolo, immo nec à sanctis Angelis posse retractari. Adeò antiqua, atque fundata est Synodorum auctoritas. C. 15. C. 16. C. 1.

De sancti Petri in Iudaicam simulationem lapsu scribit in literis ad sanctum Hieronymum sanctus Augustinus: [Magis arbitror hoc Petrum fecisse ante illud Hierosolymitanum Concilium.] At longè rectiùs in laudatis super epistolam ad Galathas commentarijs Theodoretus adfirmat contigisse post Concilium. Hæc Pauli ad Petrum verba, [Quomodo gentes cogis iudaizare, commentatur: Tuum est Decretum, ne hi ex lege viuant.] Petrum Paulus arguit, quòd suum ipse Decretum præuaricaretur. Et hinc videtur scripsisse: [Si nos, aut non solùm Petrus, sed etiam quis de cœlo Angelus aliud euangelizet, anathema sit.] Petri lapsus videtur firmasse Galathas in errore, ideòque tam acrem medicinam expostulasse. Et sanè si profanum Cherintum, quem huius contentionis fuisse iudaizantem auctorem scribit in Panatio sanctus Epiphanius, & seductos ab ipso Galathas, in suo sensu abundare, & ad Synodum prouocare permisit ante laudatum Decretum sanctus Paulus, quomodo Primatem suum Petrum præsumpsisset damnare? Interim lucet nec Paulum, nec quemlibet Apostolum potuisse sine Petro de motis in dogma quæstionibus definire. Hoc etiam tunc priuatiuè spectabat ad Petri è Synodali Cathedra iudicium. Et hanc prærogatiuam omninò ille firmauit in sua Romana Cathedra: Et ita semper professa fuit omnis vera Christianitas. Oppositum est damnanda nouitas. Ep. 19. c. 2. C. 2. Lib. 18. c. 2. 3. 4.

CANON XXII.

Quòd Romana Ecclesia numquam errauit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.

SCHOLION.

Aliud esse Ecclesiam quampiam, aliud eius Episcopum, est manifestum. Hinc inter Romanam Ecclesiam, & Romanum Pontificem hic etiam dictatus lucidè distinguit. Quin, & aliud est Episcopus, aliud eius Cathedra: Aliud Apostolica Sedes, aliud Pontifex Romanus. Hinc, & in Euangelio dixit Dominus: [Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.] Cathedram immaculatam, sedentes affirmauit variè maculosos. Et in libris aduersùs Iulianum Pelagianæ perfidiæ restauratorem scribit sanctus Augustinus: [Quid Innocentius Pontifex potuit Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana perseueranter tenet Ecclesia? Innocentium Pontificem, Apostolicam Sedem, & Romanam Ecclesiam lucidè ab inuicem discernit. Et aduersùs Græcorum quorumdam Episcoporum, quasi ob Dioscori Alexandrini, & Domni Antiocheni Patriarchæ lapsus, ipsorum etiam Sedes humiliare, & Constantinopolitanam exaltare conantium, in Chalcedonensi Synodo Decretum scripsit ad Maximum Antiochiæ Patriarcham sanctus Leo Magnus: [Et si diuersa nonnumquam sint merita Præsulum, tamen iura permanent Sedium.] Et in literis ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum: [Aliud sunt Sedes, aliud Præsidentes.] Et in libro contra Collatorem sanctus Prosper: [Sacrosancta Beati Petri Sedes ad vniuersum orbem Papæ Zozymi sic ore loquitur.] Et in literis Lib. 1. c. 4. Ep. 62. c. 3. Ep. 53. c. 5. C. 10.

ad Honorium Salonitanum Episcopum, ac Dalmatiæ Metropolitam sanctus Papa Gelasius: [An nescitis Pelagianam hæresim ab Apostolica Sede per Innocentium, Zozymum, Bonifacium fuisse prostratam?] Pontificis personam ab Apostolica Sede, tamquam à toto corpore os, lucidè discernunt. Consonat in sextæ Synodi confirmatorio ad Constantinum Quartum Imperatorem rescripto sanctus Leo secundus: [Per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer his, quæ definita sunt, consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat.] Et in literis ad Francorum Episcopos Gregorius Quartus: [Honoranda est Cathedra Pontificalis, & propter Cathedram sedens in illa. Vos autem fidelem Pontificem dehonestandum prædicatis, absque iniuria Sedis: Quod omninò falsum est.] Hinc frequenter legimus Cathedram vario sui Episcopi merito honorari, aut maculari. Hinc Henricus Quartus Imperator, eius successores Henricus Quintus, & Ludouicus Quartus, Philippus Pulcher Francorum Rex, aliique plures aduersùm Ecclesiastica iura digladiantes, nequaquam sese Sedi Apostolicæ, sed huic dumtaxat, aut isti Pontifici aduersari fuerunt protestati: Hinc item aliud est Romanum Pontificem ex proprio priuati Doctoris sensu, aliud ex sancti Petri Apostoli Cathedra, & priuilegio loqui, aut definire. Proindè distinctio hæc fundata est, antiquissima, & multis elucidandis necessaria.

Verùm quæstio est, Quidnam hìc intelligatur per Apostolicam Cathedram, quid per Ecclesiam Romanam? Respondeo Romanam Ecclesiam accipi quatuor modis. Primò, pro omni Romana communione, seu pro omni sub cœlo Ecclesia, Romanam, vt caput, & rectæ fidei radicem venerante. Et sic Romana Ecclesia est idem, quod Ecclesia Catholica, seu vniuersalis. Hinc in primo de Apostolorum Principibus sermone sanctus Leo scribit Romam esse Vrbem Sacerdotalem, & Regiam, quæ per sacram Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsideat Religione Diuina, quàm dominatione terrena. Per laudatam enim Sedem non solis Romani Imperij, sed cunctis etiam Barbararum Gentium Ecclesijs præsidet. Ita non est Barbarus, aut Scytha; sed omnis Barbarus, dummodò verè Christianus, est Romanus. Secundò accipitur pro solo Romano Patriarchatu. Vti Alexandrina, aut Antiochena Ecclesia idem quandoque est quod hic, aut ille Patriarchatus; sic est & de Romana. Hoc sensu, ob sancti Cyrilli Alexandrini, & Ioannis Patriarchæ Antiocheni natas in Ephesina Synodo lites dicuntur Alexandrina, & Antiochena Ecclesia dudum discordasse. Et ob sancti Ioannis Chrysostomi iniquam degradationem etiam Romana, & Constantinopolitana. Ecclesia est istic idem quod tota Patriarchatus communio. Tertiò accipitur pro sola Romanæ Metropolios Prouincia, latissima olim, vtpotè quæ comprehenderet omnem Campaniam, Thusciam, Picenum, Brutios, Apuliam, Calabriam, atque Siciliam. Quartò accipitur strictissimè pro sola Ecclesia Almæ Vrbis. Et quoniam non pro Romano Pontifice, nec pro Apostolica Sede, sed pro sola Romana Ecclesia hìc dictauit septimus Gregorius, quæstio est, in quanam istarum quatuor acceptionum specie sumpserit Ecclesiam Romanam?

Quomodo Ecclesia quæuis, ac eius Episcopalis Cathedra distinguantur, edicit in exhortatorio ad castitatem libro Tertullianus: [Differentiam inter Ordinem, & Plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus.] Episcopalis, inquam, Cathedra non est solus Episcopus, sed quotquot ipsi in publico Ecclesiæ Conuentu assident, & in illa administranda eidem suo consilij, aut iudicij suffragio cooperantur. Quocirca Prouincialis Episcopus suum presbyterium, Metropolita, Patriarcha, Papa pro Sede sua habent suas Synodos, quarum sunt præsides, os, & lingua. Et dum ex eorum communi iudicio, ac suffragio agunt; statuunt, decidunt, loquuntur, dicuntur ex Cathedra agere, decidere, statuere, loqui. Episcopus, Cathedra, & Ecclesia habent se, vt pars, & totum: Episcopus est pars Cathedræ, Cathedra pars Ecclesiæ, sed quæ totam suam ecclesiam repræsentet. Et hinc vti quadruplex est Romana Ecclesia, ita & Apostolica eius Cathedra. Et Generalis, & Patriarchalis, & Prouincialis, & sola Vrbica Synodus, seu solùm Dominorum Cardinalium cum Domino Papa consistorium sunt Apostolica Sedes.

Verùm Ecclesia, & eius Cathedra ob dictam illius ab hac repræsentationem frequentissimè confunduntur. Et ita hìc Romanam Ecclesiam cum Apostolica Sede omninò confudit noster Gregorius. Dictauit enim propter Vvigbertini schismatis defensores, quos inter Venericus Vercellensis Episcopus in libro de conseruanda Ecclesiæ vnitate docuit veram Romanam Ecclesiam in fide, nec errasse vmquam, nec errare posse, eius autem inuasorem, & adulterum Hildebrandum in multis errasse. Eumdem, quòd de Berengariano dogmate dubitauerit, ideòque fuerit Hæreticus, accusat Cardinalis Benno, & prosequitur: [Vt Liberij festum celebraretur iussit. Hoc præcepto eius hæresim firmauit,] De pluribus ipsum erroribus infamat, & edicit causam: [Postquam aliundè adsceudit in Papatum, à consilio remouit Cardinales sacræ Sedis. Cum quibus personis consilia sua diebus, ac noctibus habuit, Roma vidit, & audiuit. Eiectis à consilio, & custodia eius Cardinalibus, vita eius, & fides, & doctrina fuit sine testibus.] Gregorium non ex Cathedra, sed ex proprio arbitrio affirmat iudicasse, ideòque lapsum à sancti Petri priuilegio, atque errasse. An Romani Pontificis persona fuerit aliquando lapsa in hæresim, est scabrosa quæstio. Quin labi possit, antiquitas non dubitauit. Hasce ambages ingredi noluit noster Gregorius, ideòque de sola, cui ipse præsidebat, Romana Ecclesia, seu eius Apostolica Cathedra, ac se loquente ex ipsa Pontifice dictauit.

Quæstio est, Quam Cathedram intellexerit? An solam generalem, an Patriarchalem, an etiam Prouincialem Synodum? Et an etiam Consistorium solorum Dominorum Cardinalium? Cardinalis Nicolaus Cusanus in opere de Catholica concordantia vult

olim

olim intelligendam fuisse solam generalem Synodum, nunc autem intelligi posse, & Patriarchalem, quod ad eam generalis iam contracta sit, ideoque, & suam dignitatem, ac priuilegia omnia in ipsam transfuderit. Romanum Pontificem extra generalem Synodum vult etiam circa fidem posse falli. Verùm à Gregorio nostro solum etiam Dominorum Cardinalium Consistorium, adeoque, & Prouincialem Synodum fuisse intellecta, abundè nobis dixerunt schismatici Benno, & Venericus. Et iure merito. Etenim istam Romanam Ecclesiam, seu Apostolicam Sedem non posse in fide labi, constanter admiserunt octo generalia apud Græcos celebrata Concilia, vti in ipsorum notis est abundè ostensum. Adeò sanctus Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopus, eius Successor sanctus Basilius, & alij quidam Romanis offensi Græcorum Patres oppositam suam sententiam non potuerunt suis Collegis persuadere. Eam tamen in Florentina Synodo tenuerunt Græci, & longa, ac intricata quæstione differri vnionem nolens Eugenius quartus duxit dissimulandum. Præsentem interim Dictatum omnis olim Latina Ecclesia constantissimè defendit, quod ostendere hic velim de sola Africana, & Gallicana.

Incipiamus ab Afrorum Carthaginensi, ac Mileuitana Synodis, Pelagij, atque Cœlestij errores damnantibus. De ipsarum enim per Innocentium primum Pontificem data confirmatione declamauit ad populum in sermonibus de Apostoli verbis sanctus Augustinus:] Iam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est. Quia nempè Sedis istius de fide iudicium credebat infallibile, quod non posset exsufflari. Errones grauissimè id pupugit, neuter tamen aduersùs ipsum excipere, vel prouocare præsumpsit: Ipsum à se per omnia admitti, & probari sunt professi, & à solis memoratis Synodis quasi ad meliùs informandum Pontificem appellarunt. Nempè in Britannia, ad Gallicanam Diœcesim tunc spectante, natus, atque renatus Pelagius semper crediderat Romanam Cathedram in dogmatico iudicio non posse falli. Verùm vbi Zozymus Pontifex non solùm sui Antecessoris, sed etiam laudatarum Synodorum disertissimè firmauit iudicium, & encyclicis ad vniuersos sub Cœlo episcopos literis rigidissimè, ac lucidissimè damnauit errores singulos, Erronum creuit audacia. Eorum Rauennam ad Honorij Imperatoris Comitatum profecta Legatio postulauit retractari causam, asserens ipsam sine legitimo examine, adeòque non iuxta Apostolici Priuilegij Regulam ex Petri Cathedra, sed ex priuato Zozymi affectu definitam. Accusauit solam Pontificis personam. Verùm Princeps ipsos adeò non audiuit, vt tamquam turbulentos Hæreticos ab Alma Vrbe, & cunctis suburbicarijs Regionibus iusserit expelli. Et ipse causam habuit pro legitimè finita.

V. Eiusdem mentis fuit Atticus Constantinopolitanus Episcopus, ac eius successor Sisinnius. Quòd enim eiusdem factionis Legatos, ab Honorio Augusto denegatam causæ retractationem postulantes ab eius nepote, & Collega Theodosio, Constantinopoli expulerit, & ipsorum errores denuò damnauerit synodaliter vterque episcopus, testantur in Carmine de ingratis sanctus Prosper, & in literis ad Sisinnij Successorem Nestorium, exstantibus in prima Ephesini Concilij parte, sanctus Pontifex Cœlestinus. Tunc in rabiem actus factionis Goliath Iulianus Episcopus, omnes facundiæ suæ in Africam, ac Romanam Ecclesiam maledicentiæ laxauit habenas, ab vtriusque iudicio appellauit ad generale Concilium, & Rufum Thessalonicensem Episcopum, Apostolicæ Sedis in Illyrico Vicarium, omnesque illi subiectas ecclesias ad Romanæ Cathedræ communionem deserendam concitauit. Ipsam non erroris tantummodò accusauit, sed & tyrannidis: [Vtpotè, quæ toto penitùs Occidente non minùs stultum, quàm impium dogma suscepisset, à simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorsisset subscriptionem,] & tam iustæ causæ examen, & episcopale iudicium denegaret. Neque hæc solus, sed cum octodecim blaterauit episcopis. Verùm in libris ad Bonifacium Pontificem reposuit sanctus Augustinus: [Adhuc flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam.] Et in alio eiusdem operis libro: [Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt operta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas talis necessitas extiterit, multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi exstiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit aduersùs Deum, vt non in illo velit, sed in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis resistente peruertere nequeunt, saltem commouere conantur, cùm potiùs vigilantia, & diligentia Pastorali post factum illis competens, sufficiensque iudicium, vbicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, siue vt sanentur, atq; mutentur, siue vt ab aliorum salute, atque integritate vitentur]. Et in priori aduersùs Iulianum opere: [Vestra apud competens iudicium communium episcoporum causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad ius examinis pertinet, nisi vt prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quòd si nolueritis, à turbulenta, vel insidiosa inquietudine cohibeamini. Similes estis Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideò videri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen, interpellantes eos, & libellum dantes, prouocantesque contempsimus, Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari, nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant collationis, quia multitudinis non habebant]. Per Errones mota quæstio quandoque intricata est, & multæ indaginis, adeò, vt eius abyssus videatur per

Serm.2.c.10 Epist.20. Lib.1.c.24. Lib.2.c.12. Lib.3.cap.1

per solam Romanam Ecclesiam non posse penetrari, aut nimias per Regiones diffusa lues timeatur eius solius iudicio non esse acquietura: Hisce solis est indulgenda generalis Synodus, cæteræ controuersiæ per solam Petri Cathedram sunt citra appellationis, aut retractationis periculum finiendæ.

Dices Augustinum non de Apostolica Romanorum Cathedra loqui, sed de Prouinciarum natas apud se hæreses damnanrium Synodis, adeòque hæc omnia ad rem non pertinere. Respondeo illum omninò loqui de eiusmodi Synodis, verùm non de ipsis solis, & nudis, sed de referentibus ad Petri Cathedram, ac per ipsam confirmatis. Quòd enim nulla Synodus sine eiusmodi relatione potuerit de fide definire, quòd nullius item definitio sine obtenta laudatæ Sedis confirmatione robur habuerit, est suprà abundè ostensum. Et hinc Pelagianam causam finitam dixit iam statim idem Augustinus, non quòd iam dicta duo de ipsa essent habita Cócilia, nec quòd missa, seu relata essent ad Sedem Apostolicam, sed quòd eorum confirmatoria Rescripta ab Innocentio Pontifice venissent. Idem censet epistola illa, quam vti totius Africanæ Ecclesiæ confessionem, ac suffragium ad Ephesinam Synodum misit per Bassulam Diaconum Capreolus Carthaginensis Archiepiscopus: [Vestram Sanctitatem iterùm, atque iterùm rogatam cupio, vt nouas doctrinas, & antehac Ecclesiasticis auribus inusitatas, priscæ auctoritatis robore instructi, è medio profligetis, tantaque constantia, ac virtute, quibuscumque nouis erroribus resistatis, ne hos, quos pridem impugnauit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes Apostolicæ Sedis auctoritas, Sacerdotumque in vnum consonans sententia oppressit, secundæ disputationis prætextu vox iam dudum ablata renouare videatur]. Et post quædam: [Quis ea, quæ iam olim dijudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat? Is sanè aliud nihil facere censebitur, quàm de fide ipsamet dubitare]. Loquitur aduersùm Pelagianos, de quibus ad Ephesinam hanc Synodum scripsit etiam S. Pontifex Cœlestinus: [Spem de Synodo hucusque gesserunt]. Licèt varijs Romanorum Augustorum legibus proscripti ad Hæreticos, ac perpetuum silentium dicti Hæretici, numquam tamen cessarunt clamare ad Synodum, ideòq; & amico sibi Nestorio aduersùs Apostolicam suæ hæreseos damnationem suaserunt clamorem eumdem, & persuaserunt. Tunc in tres se diuiserunt turmas. Alij Nestorio, alij Ioanni Patriarchæ Antiocheno, alij etiam Sancto Cyrillo, Primatibus huius Synodi Episcopis, sese adiunxerunt, vbique venantes nouum suæ causæ examen. Et aduersùm hasce artes protestatur Capreolus, asseuerans litem istam iam finitam à Sede Apostolica, ideòque illis sine lucida, non solùm istius Sedis, sed, & ipsius Christianæ fidei iniuria, examen nouum non posse concedi. Et ita omninò egisse Synodum, lucet ex eius ad laudatum Pontificem relatione: [Perlectis à sancta Synodo Commentarijs Actorum in depositione impiorum Pelagianorum, & Cœlestianorum; Cœlestij, Pelagij, Iuliani, Persidij, Flori, Marcellini, Orentij, & eadem cum

Par. 3. ep. 20.

illis sentientium, quæ à Pietate tua de ipsis decreta, & constituta sunt, iudicauimus, & nos ea solida, firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes]. Quin etiam Innocentij, ac Zozymi Pontificum in ipsos Decreta, ac Acta perlegerit, atque confirmauerit Synodus non est dubitandum.

Eiusdem tunc sententiæ fuisse Gallicanam Ecclesiam, lucet ex Sancti Prosperi libro contra Collatorem: [Cœlestinus Pontifex, sciens damnatis non examen iudicij, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cœlestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi. Adeò, & Præcessorum suorum Statuta, & Decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat, vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari]. Sancti Augustini de Diuinæ gratiæ, ac prædestinationis efficacia doctrinam Sulpitius Seuerus; Lerinensis Vincentius, alijq; olim Gallorum Clerici, & Monachi oderant pessimè, adeòque infamabant, vt maledicendi studio semetipsos apud omnem posteritatem reddiderint famosos. Apostolicam, qua doctrinam istam declarauit authenticam laudatus Cœlestinus, epistolam non minùs oderant. Verùm quid? Sedis illius dogmaticum iudicium impugnare, aut deuocare in dubium Gallia tunc ignorabat. Aureum illud Vincentij pro fidei Catholicæ antiquitate Commonitorium, ad instar Canonum Antiochenorum, est malæ radicis, non malus per omnia fructus. Ostendere conatur, non Augustini, sed suorum dogmata esse auita, ideòq; hæc, non ista per Cœlestinum fuisse comprobata. Epistolam, quòd impugnari non posset, ita placuit detorqueri. In postremo Commonitorij capite hæc exsequitur, verùm stylo adeò pauido, vt se Vincentium scribere ausus non fuerit, sed vendere quasi nescio quem Peregrinum. Hac interim arte, non solùm suos solari, & optimam Galliæ plebem deludere, sed, & Sixtum tertium Pontificem, de Pelagiani dogmatis amicitia, olim suspectum, tentauit ad Antecessoris sui Decretum ita interpretandum circumscribere. Et hinc tria posteriora sui contra Collatorem libri capita non aduersùs Collatorem, sed aduersùs hunc Peregrinum omninò scripsit Sanctus Prosper, & conclusit: [Confidimus Domini protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Cœlestino, operetur & in Sixto, & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reseruata Pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos. In Apostolo Petro, dum eius fidem ab omni lapsu stabiliuit Dominus, affirmat fuisse non hunc, aut istum, sed omnes omninò Romanos Pontifices, ideòque post omnium dogmaticum è Cathedra iudicium asseuerat damnatis numquam nouum examen, sed solum semper pœnitentiæ remedium fuisse, & fore præstandum.

Cap. 41.

Beatum Cœsarium, Arelatensem Archiepiscopum, & Apostolicæ Sedis in Gallia Vicarium, ad celebrandam secundam Arausicanam Synodum compulerunt noui Semipelagianorum animi, quos ipsis fecerant libri Fausti Episcopi Reiensis. Aduersùm illos edidit

dit Cœsarius ista Capitula, quæ in virorum illustrium Catalogo laudat Gennadius Massiliensis: [Cœsarius edidit de gratia, & libero arbitrio testimonia. Diuinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum iudicijs munita, vbi docuit hominem de proprio nihil agere boni posse, nisi eum Diuina gratia præueuerit]. Et hæc Capitula per Fœlicem quartum Pontificem impetrauit probari. Ex Hormisdæ item Pontificis ad Possessorem nescio cuius in Africa ciuitatis Episcopum literis didicerat authentica de iisdem quæstionibus Capitula seruari in Romanę Ecclesiæ scrinijs: Ex ipsis viginti quinque scopo suo conducentia obtinuit, & per laudatam tredecim Episcoporum Synodum fecit acceptari. At necdum fuit finis. Etenim probatus, apud Antonium Barales in Lerinēsis Monasterij Chronico exstans, auctor scribit in vita laudati Cœsarij: [Æmuli multi surrexerunt, qui Cęsarij, & huius Synodi, resisterent doctrinæ de gratia. Susurris, & mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem hominis Dei siuistra suspicio.] Hinc ille accepta à Fœlice quarto Capitula, suamque de ipsis Synodum retulit ad Sedem Apostolicam, meruitque eam à Bonifacio secundo confirmari. Confirmatricem, quæ magno Ecclesiasticæ eruditionis damno dudum latuerat, epistolam publicauit Iacobus Sirmondus. Et ex Lauduneusis, ac Fossatēsis Cęnobiorum antiquis codicibus adiunxit hanc annotationem: [In hoc codice continetur Synodus Arausicana; quam per auctoritatem sanctus Papa Bonifacius confirmauit. Et ideò quicumque aliter de gratia, & libero arbitrio crediderit, quàm vel ista auctoritas contiuet, vel in ista Synodo constitutum est, contrarium se Apostolicæ Sedi, & vniuersæ per totum mundum Ecclesiæ esse cognoscat]. Notanda sunt verba: [Per auctoritatem confirmauit]. Edicunt non in communi, sed omninò in singulari, quæ Apostolicæ Sedis irretractabili infallibilitate donet, forma fuisse confirmatam hanc Synodum, ideòque receptam ab vniuersali Ecclesia, & à nullo Catholico posse refutari. Fateor laudatam annotationem esse alicuius Scriptoris Monachi, ideòque non summi ponderis: Interim ille ex semetipso non fuit locutus. Locutus fuit ex Valentina Synodo, quæ Apostolicæ confirmationis ignara conuenerat aduersùs laudatam Arausicensem, & ad quam lecto affixus Cœsarius misit Doctiores Episcopos, & Clericos, præsertim Sanctum Cyprianum Tholonensem Episcopum, de quo laudata vita apud Annales Lerinenses: [Valentinæ Synodi intentionibus homo Dei dedit veram, & euidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam bonæ memoriæ Bonifacius, Romanæ Ecclesiæ Papa, eadem colluctatione cognita, calcata intentione iurgantium, prosecutionem Sancti Cæsarij Apostolica auctoritate firmauit. Ita, donante Christo, Ecclesiarum Antistites receperunt, quod optauerat Diabolus repentina animositate cessaret]. Factam à Bonifacio ex auctoritate, seu ex Cathedra confirmationem labi non potuisse agnouit etiam hæc erratica Synodus, atque ita redijt ad mentem.

Gallicanam Rempublicam fortissimis, Gallicanam autem Ecclesiam doctissimis semper abundasse viris, ideoque summæ semper, & vbique fuisse auctoritatis, rectè in libro aduersùs Vigilantium scripsit S. Hieronymus. Hinc dogmaticam suam, qua datam à Sancto Flauiano Constantinopolitano Episcopo in Eutychetis errores sententiam confirmarat, epistolam roborare volens sanctus Leo Magnus, discutiendam, & probandam submisit Synodo Rauennij Archiepiscopi Arelatensis, sui per Galliam Vicarij. Laudata epistola esse debebat Papale in Chalcedonensi Synodo suffragium, Synodi Regula, atque Directrix. Quòd ipsam suo corpori superpositam miraculo confirmasset sanctus Petrus Apostolus, affirmat in Prato spirituali sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus. Laudatus Pontifex insupèr consulendam censuit Gallicanam Ecclesiam, nec nisi ab ipsa probatam epistolam mittere Chalcedonem, sciens tunc à Græcorum episcoporum nemine respuendam. Verùm Gallicanæ Diœceseos latitudo, & hyberna cœli inclementia Rauennium impedierunt à cogenda Synodo: Eam cogere non potuit, nisi post peractum Chalcedonensem. Tunc tamen voluit cogere, suumque, & illius de laudata epistola iudicium Pontifici referre. Ipsam mirè laudat, atque adiungit: [Quæ Apostolatus vestri Scripta, ita vt Symbolum fidei, quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quoad confundendos Hæreticorum errores paratior sit, memorię commendauit]. Loquitur de Apostolorum symbolo, quo post Canonicas literas Ecclesia nihil habuit sanctius. Et huic Papalem Epistolam æquiparauit. Ab ipsa, non à Chalcedonensi synodo affirmat exstinctam Eutychetis hæresim; Quòd nempè hæc per istam exstinxisset. Et hæc omnia fundat in authoritate Apostolicæ sedis, vndè religionis fons, & origo manauit. Ita olim sensit Gallicana Ecclesia.

Verùm hisce omnibus grauiter obstare videtur sancti Cypriani Carthaginensis Archiepiscopi synodus, & controuersia aduersùs sanctum Papam Stephanum. Africana olim, vti & Romana, ac omnis ferè sub cœlo, Ecclesia foris baptizatos hæreticos, atque schismaticos semper sine nouo baptismate admisit per solam impositionem manus pęnitentialis. Cypriani Antecessor Agripinus, quem aliqui à suo Presbytero Septimio Tertulliano volunt seductum, primus mutauit morem, exsufflauit istiusmodi Baptisma, atque iterauit. Quid tunc censuerit, aut egerit, an ignorauerit nouitatem, an dissimulauerit Romana Ecclesia, nescitur. Quidquid sit, à multis Afrorum Episcopis numquam admissum, à multis reiectum errorem resumpsit sanctus Cyprianus, & per multas multorum Collegarum Synodos confirmauit. At seriò, & grauiter intercessit sanctus Stephanus Pontifex, rescribens: [Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innouetur, Ep. 74. nisi quod traditum est, vt manus illi imponatur in pœnitentiam.] Quòd obedire recusantes Episcopos abstinendos putauerit, testatur in literis ad Pompeium Episcopum ipse Cyprianus, & in libro de vnico Baptismo confirmat sanctus Augustinus. Quòd Firmi- Cap. 14. lianum

lianum Cæsariænsem in Cappadocia Metropolitam, ac Ponticæ Diœcesis Primatem, itemque Helenum Tharsensem Ciliciæ Metropolitam, & omnes illis adhærentes Episcopos, omninò excommunicauerit, affirmat in Ecclesiastica historia Eusebius Cæsariænsis. Et eis non soli Cappadoces, & Cilices, sed insuper Galathæ, Lycaones, & Phryges adhæserant, fecerantque varias aduersùs Stephanum Synodos, præsertim Iconiensem, ac Synnadensem. Et hinc quòd plurimos cum suis gregibus Episcopos Stephanus absciderit, scribit ad Cyprianum Firmilianus. Et pergit de Cypriani ad Stephanum Legatis: [Legatos Episcopos patienter satis, ac leniter suscepit, vt eos, nec ad sermonem saltem colloquij communis admitteret, adhuc insuper communionis, & charitatis memor, præciperet fraternitati vniuersæ, ne quis eos in domum suam reciperet, vt venientibus non solùm pax, & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur.] Addit quòd propter asserendos Hæreticos scinderet fraternitatem, & Cyprianum diceret Pseudo-Christum, Pseudo-Apostolum, Operarium dolosum. Quæ omnia suadent etiam cum adhærentibus Episcopis Cyprianum fuisse excommunicatum.

Lib. 7. c. 4.

Fæda, & periculosa fuit ista discordia. Hinc sanctus Dionysius Alexandriæ Patriarcha grauibus ad Stephanum, ac eius Cardinales Presbyteros, Dionysium, & Philemonem literis componere studuit, solui suadens iniectum vinculum, & permitti circa rem dubiam ab vnoquoque in suo sensu abundari. Verùm quòd nihil obtinuerit à constante Stephano, laudatus testatur Eusebius. Etiam in sua sententia perstitit Cyprianus, asseuerans assertam à Romanis consuetudinem non esse traditionem Apostolicam, & Stephanum vti Hæreticorum fautorem onerauit multis læsi animi elogijs, de quibus in libris de Baptismo rectè sanctus Augustinus: [Quæ in Stephanum Cyprianus irritatus effudit, retractare nolo.] Admodum laudat hanc eius synodalem præfationem: [De hac re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alium iudicare. Sed exspectamus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus, & solus habet potestatem; & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.] Manifestè agit in Stephanum Papam, qui quosdam Decreto suo aduersantes Episcopos à communione semouerat, & omnes semouere minabatur, qui se asseuerabat Episcoporum Episcopum, ac in definiendo infallibilem, ideòque immobili imperio omnes Collegas ad obsequendi necessitatem postulabat. Loquitur ex Magistro suo Tertulliano, qui ad Montanum delapsus derisit Zephyrinum Pontificem, quòd se in simili edicto scriberet Pontificem Maximum, ac Episcopum Episcoporum. Episcopos omnes in fidei causa asserit esse æquales, nullum posse iudicari ab altero, omnium Iudicem vnicum esse Christum Dominum, ideòque à Romanæ Ecclesiæ non tantùm infallibilitate, sed etiam à Primatu videtur fuisse omnino alienus.

Lib. 3. c. 25.

Longè firmior in eadem sententia fuit Firmilianus: [Eos, qui Romæ sunt, non ea in omnibus obseruare, quæ sunt ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia Diuinæ rei Sacramenta videat apud illos esse aliquas diuersitates, nec obseruari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis obseruantur. Secundùm quod in cæteris quoque plurimis Prouincijs multa pro locorum, & nominum diuersitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque vnitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens aduersùs vos pacem, quam semper Antecessores eius vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt. Adhuc etiam infamans Petrum, & Paulum beatos Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint, qui in epistolis suis hæreticos execrati sunt, & vt eos euitemus monuerunt. Vnde apparet traditionem hanc esse humanam, quæ hæreticos asserit, & baptisma, quod non nisi solius Ecclesiæ est, vos habere defendit.] Hierosolymitana Ecclesia tunc Pascha agebat eadem die cum Iudæis, ipsamque omninò ita docuerat Petrus Apostolus: Hinc aduersam Romanorum consuetudinem, non ab ipso Apostolo, sed ab eius in Romano Episcopatu Successoribus mutatam vult Firmilianus, eamdemque esse rationem consuetudinis de non exsufflando extra Ecclesiam accepto baptismo. Istiusmodi mutationes, ac inde natos Ecclesiarum varios mores non damnat: Esse affirmat adiaphora, ideòque Stephanum, hac de causa scindentem Ecclesias, admodum excessisse. Non solùm Romanos Episcopos, sed & ipsam Romanam taxat Ecclesiam, quòd suos ritus, vti Apostolicas traditiones, velit omni genti potenter imponere, & pergit de hoc rebaptismo: [Nos veritati, & consuetudinem iungimus, & Romanorum consuetudini consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes quod à Christo, & ab Apostolo traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic obseruatum sit, vt non nisi vnam Dei Ecclesiam nosceremus, & sanctum Baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus.] Ab omni Ponticæ Diœceseos Ecclesia acceptum, vel datum in hæresi baptisma affirmat semper fuisse exsufflatum, ita istic traditum à sancto Paulo Apostolo, ideòque errare Stephanum, & istum morem ab ipso non posse mutari. Eumdem onerat multis elogijs, & quòd non Ecclesias à se, sed se ab Ecclesijs diuidat, pomposè declamat. Aliam suæ, aliam Africanæ, à qua Romanum morem, vsque ad Agrippini Episcopatum Cyprianus fatebatur obseruatum, Ecclesiæ asseuerat causam, ideòque à se, licèt ille deficeret, numquam deserendam. Agit verum Cappadocem. Ei adstipulatos fuisse quinquaginta Episcopos, scribit apud sanctum Augustinum Cresconius Donatista. Lib. 3. cap. 3.

Et

Et ab eius sensu suprà laudatus mediator Dionysius Alexandrinus non multum abfuit. Lucet ex eius apud Eusebium literis ad Philemonem Presbyterum Romanæ Ecclesiæ:
Lib.7.c.6. [Istum Canonem, istudque exemplum à beato Papa nostro Heracla accepi. Ille enim eos, qui ab Ecclesia abscessissent, immò verò non ita abscessissent, quin ob corporis præsentiam congregationis fidelium viderentur esse participes. Eos, inquam, cum essent accusati, quòd consuetudine cuiusdam eorum, qui alienam, & diuersam à fide doctrinam tuebantur, multum vsi fuissent, Ecclesia eiecit. Et quamuis verè, & ex animo ab erroribus se auerterent, & in Ecclesiam admitti denuò magnopere flagitarent, non vsque eò admisit, quoad omnia, quæ à veritatis aduersarijs audijssent, palàm apud omnes essent elocuti. Atque tum in Ecclesiam, & Conuentum recepit, non aliud baptisma omninò in illis desiderans: Quippe anteà ab illo fuerant Spiritum sanctum consecuti.] Distinguit triplex Hæreticorum genus: Apostatas, ob nimiam cum Hæreticis communionem excommunicatos, ac in hæresi natos, ac baptizatos. Duos priores quod acceptum in Ecclesia baptismum non amisissent, affirmat à suo Antecessore Heracla non fuisse rebaptizatos. Quod ipsum omninò professus est sanctus Cyprianus, immò & omnes Donatistæ. Quid de tertio genere scripserit Dionysius, Eusebius prætermisit, abundè tamen claret ex consequentibus epistolæ verbis: [Hoc tamen didici, quòd non Episcopi in Africa solùm istam consuetudinem de rebaptizandis Hæreticis iam innexerunt, verùm etiam longo tempore antè, episcoporum memoria, qui antegressi sunt, in ecclesijs maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis Fratrum, tum Iconij, tum Synnadis, tum alijs multis in locis conuocatis, istud Decretum fuit, quorum iudicia, & sententias condemnare, irritaque facere non audeo, sicque illos in odium, & inuidiam conijcere. Terminos, vt est apud Salomonem, ac fines proximi tui non commutabis, quos Patres tui præstituerunt.] Palàm innuit tertium genus non solum ab Afris, Ponticis, Cilicibus, & quibusdam alijs, sed etiam ab Heracla iam olim fuisse rebaptizatum. Asserit rem hanc esse indifferentem, ideòque Stephanum nimio decreti sui rigore deuiasse. Quòd Heraclas rebaptismum istum induxerit, lucet ex alia
Cap.8. eiusdem Dionysij epistola ad Sixtum secundum Pontificem. Istic enim affirmat nescio quem suum ciuem, in nescio qua fœda, ac in Diuinitatem blasphema hæresi baptizatum, ante Heraclæ episcopatum accessisse ad Ecclesiam, & sine nouo baptismo admissum. Eundem rebaptizari postulantem exaudire ipse non præsumpsit, quæstionem retulit ad laudatum Pontificem, atque ita Stephani Decretis videtur tandem acquieuisse. Et quidem vltra modum. Istum quippè eius ciuem fuisse Montanistam, ideòque Euangelicis Ecclesiæ verbis non consecratum, ac proindè omninò rebaptizandum, affirmat in prima ad sanctum Amphilochium Canonica epistola Magnus Basilius. Aliam Dionysij ex sua, & totius suæ Ecclesiæ persona ad eundem Pontificem, & omnem Romanam Ecclesiam Eusebius laudat epistolam, in qua multis argumentis, & prolixo sermone de quæstione proposita disputat. Grandi Ecclesiasticæ eruditionis damno ipsam suæ Historiæ non inseruit Eusebius: Hinc finalem Dionysij mentem ignoramus.

Quibus omnibus lucidè videtur consentire sanctus Augustinus. Etenim in libris aduersùs Parmenianum quærit, An datum à baptizato baptisma sit validum, & respondet: [Aliquid temerè inde affirmandum non est sine auctoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit.] Procedendum hìc dicit, Lib.2. c. 13.
quomodo processum fuit in sancti Cypriani quæstione, Discussa, considerata, perfecta, atque firmata per Synodum Nicænam. Vox, Perfecta, edicit Stephani iudicium non fuisse perfectum, seu infallibile. Eadem de re scribit in libris de Baptismo: [Si aliud alij, & Lib.1.c.18.
aliud alij adhuc de ista quæstione, salua pace, sentirent, donec vniuersali Concilio vnum aliquid eliquatum, sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperuit charitas vnitatis.] Vsque ad Nicænam Synodum profitetur nihil fuisse eliquatum, sincerum, infallibiliter definitum, sed vnumquemque in suo innoxiè sensu abundasse. In alio eiusdem operis libro verba illa, quibus nolle se episcopotum episcopum tyrannico terrore agere, & nullum hìc à suo collega episcopum iudicari posse, sed vnicuique esse plenam iudicandi, & agendi libertatem, ad Synodum suam præfatus fuerat Cyprianus. Hæc, inquam, verba adducit S. Augustinus, & reponit: [Opinor vtique in his quæstionibus, quæ nondùm eliquatissima perspectione discussæ sunt.] Eas discutiendas, & eliquandas vult à sola generali Synodo, & vnicuique Episcopo esse eòusque iudicij, & actionis libertatem. Eodem in opere mouet quæstionem, An mimicè in theatro datum, & acceptum Baptisma teneat, ac respondet: [Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate Lib.7.c.53.
sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cæpta, nullo plenario Concilio terminata sunt.] Ea asserit aliter terminari non posse, & à terminatura Synodo Diuinæ assistentiæ, ac reuelationis lumen fore instanter, atque humiliter implorandum. Et de sancti Cypriani quæstione adiungit: [Quomodò potuit ista res, tantis altercationum nebulis inuoluta, ad plenarij Concilij luculentam illustrationem, confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per Orbis terrarum Regiones multi hinc indè disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata constaret? Erraticas Cypriani Synodos de nulla in Romanam Ecclesiam contumacia notat, quin laudat de diligentia: Ipsarum errorem constanter affirmat fuisse venialem. Idem censuit de dato à Melchiade Papa in Donatum apud Casas Nigras Episcopum Synodali iudicio: [Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Epis.162.
Iudices fuisse. Restabat adhùc plenarium Ecclesiæ vniuersæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.] Quòd de Episcopali iudicio apud Laicum, & adhùc Catechumenum Principem questi essent, Donatistas arguit:

Appellandum fuisse vult ad generalem Synodum, adeòque profitetur Papale iudicium non fuisse infallibile.

Respondeo argumenta hæc non carere nodis. Præter iàm adducta sancti Augustini pro Romanæ Cathedræ infallibilitate loca quidam insuper hæc eius aduersùs Iulianum Pelagianistam, pertinacissimè prouocantem ad generale Concilium, verba considerant:
Lib.3.cap.1. [Non ampliùs vobiscum agendum est, quantùm ad ius examinis pertinet, nisi vt prolatam de hac re sententiam sequamini.] Et
Lib.4. c.20. verba in libris ad Bonifacium Pontificem: [Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit.] Distinguunt dubias hæreses, & apertas. Nullam errantium quæstionem affirmant sine competenti examine posse definiri, & ipsam quandoque esse adeò inuolutam, vt solus cum sua Romana Ecclesia, aut Italica Synodo Pontifex non sufficiat, ac proindè tunc generali Synodo sit omninò opus. Et talem fuisse sancti Cypriani quæstionem aliqui volunt. Et firmant se auctoritate sancti Leonis Magni, qui Imperatori Theodosio, pro Eutychetis quæstionibus generalem Synodum, assiduè reposuit rem esse lucidam, ac manifestam, ideòque tantum motum non necessarium: Hinc obscuris quæstionibus videtur necessarium confessus. Quam doctrinam, licèt illustrari oporteat, nolim hìc improbare. Interim plenè non facit ad rem præsentem.

Sancti Stephani Pontificis Edictum iubebat seruari antiquam consuetudinem, affirmans esse Apostolicam traditionem. Porro in Apostolicis literis de dato apud schismata, aut hæreses Baptismate nulla est mentio, nullum exemplum, ideòque traditionem illam non in hisce literis, sed ex omnium sub cœlo Ecclesiarum moribus fuisse
Cap.11. quærendam, rectè in libro de vnico Baptismo, in libro de Vnitate Ecclesiæ, in libro contra Cresconium Donatistam, ac alijs in locis affirmat sanctus Augustinus. Quod ipsum anteà professus fuerat sanctus Cyprianus, insuper fassus vsque ad Agrippini tempora viguisse in omni Africa consuetudinem Romanam. Quin & iàm lapsam Agrippini nouitatem à se duntaxàt restitui est confessus. At verò sanctus Firmilianus in Cappadocia, Helenus Tharsensis in Cilicia, & alij cum ipsis in Iconiensi, & Synnadensi Synodis quinquaginta Episcopi constanter asseuerarunt à suis Ecclesijs, & antecessoribus fuisse post Hæreticos, & Schismaticos semper rebaptizatum, etiam sese in suis maioribus fuisse doctos ab Apostolis, & quidem ab vtroque Apostolorum Principe, ideòque non Romanam, sed suam consuetudinem esse Apostolicam traditionem. Apostolicam hac de re, vti & de Paschalis festiuitatis die traditionem dixerunt à Romanis Episcopis transmutatam. Ægyptiorum, vtpotè per sancti Petri Apostoli discipulum Marcum edocta, Ecclesia Romanæ non tantùm communionis, sed etiam disciplinæ, atque ritus fuit semper tenacissima: Et tamen, quòd Patriarcha Heraclas etiam rebaptizare post Hæreticos cœperit, suprà nobis dixit eius successor Dionysius, Apostolicam traditionem affirmans incertam, hærens

Cap. 22. & 24.

Lib.1. c.31. & 33.

num mutata illa fuerit per Heraclam, an restituta. Apostolicam traditionem in literis ad Ianuarium, & in libris de Baptismo definit eleganter sanctus Augustinus: [Quæ non inueniuntur in Apostolorum literis, neque in Concilijs posteriorum, & tamen per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.] Aliud est adiaphori ritus, aliud Euangelici dogmatis, aut præcepti Apostolica traditio: Prior non debet, posterior, qualis omninò nostra, apud omnes sub cælo Ecclesias debet esse penitùs vniuersalis. Quare eius in dubium vocata existentia est facti quæstio. Immò est dogma: At quòd à vario Apostolorum facto, & multo Ecclesiarum vsu dependeat, ideòque per solum Romanum Pontificem non possit definiri. Opus est omnium sub cælo Episcoporum, ac Ecclesiarum examine, seu Synodo generali. Sola enim Ecclesiæ communia iura, ac dogmata gerit in pectoris sui scrinio Pontifex, non omnium gentium priuatas consuetudines, & facta. Hoc sibi voluerunt Cyprianus, Firmilianus, Helenus, Dionysius, Augustinus: Affirmant Stephanum non de dogmate, sed de aliarum gentium moribus, & factis iudicasse, potuisse istic labi, ideòque eius vsque ad Nicænam Synodum iudicio impunè, atque inuoxiè non fuisse obeditum. Omnium Ecclesiarum, & gentium auitam consuetudinem, ipsisque datos ab Apostolis, aut Apostolorum discipulis mores, & traditiones laudata Synodus discussit, reperit verà iudicasse Stephanum, firmauit eius iudicium. Hinc ipsi exindè ab omnibus fuisse obediendum, frequentissimè aduersùm Donatistas declamat sanctus Augustinus. Plura, quibus Cypriani, & Firmiliani error displicuit, Episcoporum millia laudat in libris aduersùs Cresconium: Quòd nempè totus Mundus Nicæni Concilij, adeòque & Stephani Pontificis decretum tandem comprobasset. Eadem est ratio de Melchiadis Papæ sententia in Donatum Casensem: Non de dogmate fuit, sed de persona.

Ep. 118.

Lib.2. c.7.

Lib.3. c.3.

Et hoc est fundamentum, ex quo in Canonicis ad sanctum Amphilochium literis magnus Basilius constanter persistit in sui antecessoris Firmiliani sententia, foris accepti Baptismatis exsufflationem docens etiam tunc fuisse rem adiaphoram, circa quam quisque abundare possit in suo sensu, & suæ Ecclesiæ, aut Regionis consuetudinem manutenere. Ità censet etiam de Nouatianensibus, quorum non solùm Baptisma, sed etiam Ordinationes honorauit, & suscipi iussit octauus Canon Nicænus. Diuinæ consubstantialitatis, ac totius Nicæni symboli constantissimus defensor fuit Basilius: Quomodò igitur laudatum eius Canonem non fuit veneratus? Quia nempè rem illam credidit facti, & adiaphoram, ideòque & generalem Synodum hìc potuisse labi. Ponticam Ecclesiam fuisse aliud ab Apostolis doctam perrexit credere cum Firmiliano. Nicænum de Paschalis festiuitatis die decretum à multis per Orientalem Diœcesim Ecclesijs, ac Monasterijs dudum fuisse ex eodem

idem fundamento non admissum, scribunt sanctus Ioannes Chrysostomus, ac Theodoretus. Etiam illæ traditum sibi ab Apostolis morem credebant à generali Synodo, aut non posse, aut certè non debere damnari. Etiam tertiumdecimum, qui cunctis in quæuis crimina lapsis extremum Sacramentalis reconciliationis Viaticum deinceps donari mandat in exitu, Canonem quædam dudum Ecclesiæ non admiserunt. Basilij sensus lucet ex hisce eius de Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum, in legitimo verbo omninò baptizantium, rebaptismo verbis:
Cap. 47. [Nos vna ratione eos rebaptizamus, si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicuius œconomiæ gratia. nostra tamen oratio vires obtineat.] Rem hanc non ad dogma, sed dumtaxat ad œconomiam affirmat pertinere. Verumtamen concludit: [Si hoc placuerit, oportet plures conuenire Episcopos, & sic Canonem exponere, vt & is, qui fecit, si extrà periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur.] Hæc sua responsa non Romanis tantùm, sed cunctis Nicænæ Synodi dilectoribus nouerat grauiter displicere. Et hinc ipsa ad incudem, atque examen deuocauit Constantinopolitana Synodus, & aduersùm illa posuit in symbolo: [Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.] Nempè ne quis deinceps crederet, aut diceret rem hanc dumtaxàt ad œconomiam, non ad dogma pertinere. Et hùc omninò respexit in libris de Baptismo sanctus Augustinus, affirmans assertam à sancto Papa Stephano consuetudinem iàm esse à generalibus Concilijs roboratam. Nicæno vtique, & Constantinopolitano.
Lib. 6. c. 7. Omnes eius impugnatores affirmat iàm esse manifestos, & damnatos Hæreticos: Vtporè Constantinopolitani symboli præuaricatores. Quapropter Trullana Synodus, immobilem hanc veritatem denuò tentare ausa, grauissimè excessit.

Hinc item errorem continent hæc Cresconij Donatistæ apud sanctum Augustinum
Lib. 3. cap. 2. verba: [Maiores nostri ab Orientalium, propterea communione discreti sunt, quia illi suum iudicium resciderunt, quo eis placuerat de ista Baptismi quæstione Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere.] Palàm agit de sancto Firmiliano, & quinquaginta eius in Iconiensi Synodo Episcopis. Reponit verò sanctus Augu-
Lib. 3. cap. 3. stinus: [Cur non potiùs ipsos suum iudicium correxisse dicamus, non, vt tu loqueris, rescidisse? Sicut enim laudabile est à vera sententia non amoueri, ità culpabile persistere in falsa. Neque nunc ad nostram pertinet quæstionem, quale sit, quòd pars Christiani Orbis, maximè cum Orientalibus sensit.] Et in alio eiusdem operis libro:
Lib. 4. c. 17. [Quod dicit Orientales ideò vestrorum communione discretos, quia postea nobis consuetudo iudicium suum, quod habebant de Baptismo, rescindere maluerunt, si hoc ab aliquibus paucis Orientalibus factum est, quod quidem interest vtrùm possit ostendi, profectò suum iudicium correxerunt.] Ecclesiasticam alienarum gentium historiam Augustinus plenè non calluit, ideòque hìc nihil definitè respondit. Notanda sunt eius verba, [Maximè cum Orientalibus:] Ab Afris, in Occidente natis, ac renatis, vult solam Occidentalem. Romanam præsertim, non Orientalem Ecclesiam opottere attendi. Nàm & Iuliano Pelagianistæ, ad Orientalem Ecclesiam prouocanti, eodem modo respondit. Quòd ergò Firmilianus mentem non mutauerit, abundè docent iàm memorata acta, & sensa sancti Basilij. Neque enim ille rebaptismum reduxit, sed à suis antecessoribus ad se sine interpolatione, si quidem credi possit, traductum dumtaxàt confirmauit, censuitque non deferendum. Egit cum Firmiliano Stephanus Pontifex, aut quis eius successor, quomodò cum Polycrate Ephesiorum Episcopo, Primate Diœcesis Asiaticæ, egerat sanctus Victor. Ad sancti Dionysij Patriarchæ Alexandrini preces reuocauit excommunicationis vinculum, à iactatis, & iactandis in Romanam Ecclesiam contumelijs virum compescuit, & in suo sensu permisit abundare. Verùm hæc sunt alterius loci.

Prætermittere nolim aliud argumentum, ex quo luceat sanctum Augustinum de Romani Pontificis in decidendis fidei quæstionibus plena infallibilitate non dubitasse. Aduersùs Iuliani Pelagianistæ, à Romanæ Ecclesiæ Iudicijs ad generalem Synodum prouocare non cessantis, turbidos vbique clamores vnanimem sanctorum Patrum consensum mirè extollit, affirmans esse æqualis cum generali Concilio firmitatis. Irenæi, Cypriani, Reticij, Olympij, Hilarij, Ambrosij, Basilij, Gregorij Nazianzeni, Ioannis Chrysostomi, aliorumque Latinorum, & Græcorum adducit testimonia, & concludit: [Isti Episcopi sunt docti, Lib. 2. c. 10. graues, sancti, veritatis acerrimi defensores aduersùs garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona Iudici tribuisti, non potes inuenire, quod spernas.] Iuliani, dogma suum sine ratione, eruditione, libertate, ab imperitis, aut Romani Pontificis iudicium seruiliter sequentibus, ac apud suas Sedes manentibus Episcopis damnatum blaterantis, nugas ità retundit, & pergit: [Si Episcopalis Synodus ex toto Orbe congregaretur, mirùm si tales possent illic facilè tot sedere, quia nec isti vno tempore fuerunt. Sed fideles, & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diuersas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire iudicat, ipse dispensat. Hos itaque de alijs, atque alijs temporibus, atque Regionibus, ab Oriente, & Occidente congregatos vides, non in locum, quo nauigare possint homines, sed in libro, qui nauigare possit ad homines.] Eos esse asserit Iudices omni Synodo optabiliores. Et in nouissimo aduersùs eumdem Iulianum opere: [Quasi verò in Concilio Episcoporum, quod non salubriter, sed iactanter propter vestras quæstiones debere dicitis congregari, si sederent Episcopi, quos suprà memoraui, facilè inuenires, quos eis in doctrina Ecclesiastica antiquitùs tradita æquare, nedùm præferre possetis.] Et in alio eiusdem operis libro: Lib. 1. c. 60. [Si in Concilio, cuique videris desiderare

 iudi-

iudicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Basilius, Ioannes Constantinopolitanus, vt taceam alios, numquid doctiores, prudentiores, veraciores Iudices quærere auderes? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis vestra scripta condemnant. Quid quæris ampliùs?] Huius doctrinæ scopum edicit in priori opere. Lib. 1. c. 37. Ecclesiam Occidentalem, ipsique à sancto Petro Apostolorum Principe traditam doctrinam laudat, ac pergit: [Cui Ecclesiæ Patriarchico iure singulariter præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iàm tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris perseueranter tenet Ecclesia?] Diuinum Euangelici dogmatis depositum in sanctorum Patrum libris, tamquàm firmissimis vniuersalis Ecclesiæ scrinijs custodiri, ipsos omnium generalium etiam Synodorum post Canonicas literas esse duces, ac regulas, & laudatas Synodos non nisi ex ipsis posse definire, iàm frequenter est ostensum. Ex ijsdem, dùm Carthaginensem, ac Mileuitanam aduersùs Pelagij dogmata Synodos confirmauit, definiuisse Innocentium Pontificem, aliter definire non potuisse, hinc nec potuisse labi, ideòque eius iudicium esse infallibile, & irretractabile asseuerat Augustinus, atque ità concludit à Iuliano peti non posse nouam audientiam, sed solam illi restare pœnitentiam. Concludit & Apostolicæ Sedis, & generalis Synodi iudicia esse æquè firma.

Orientalis Ecclesiæ sensus exponitur.

ROmanam Ecclesiam esse in dogmate infallibilem, insigniter profitetur in priori aduersùs suam varia hæresi scabiosam gentem inuectiua Isaac Armeniorum Catholicus. Solemni Hæreticorum maledicentia blaterabant illi Romanam Ecclesiam deuiasse, & ipse reposuit: [Quæso vos, ò Armenij, qui reuera Dæmonum currus estis, impiorum Acephalorum discipuli, Christus Dei filius mendaxne videtur, nec nè? Quòd si dicant non esse mendacem, atqui Christus ipse dixit Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Id est, hereses Qua itaque blasphemia dicitis Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam lapsam in hæresim, perijsse, & Christum mendacem facitis, dicentes Romanos omnes in interitum ire, vosque solos consequi salutem?] Et infrà: [Qui verò magnæ Vrbis Romæ Antistites, sanctorum Apostolorum Confessores, ac fidei hæredes, qui duas naturas, duasque operationes in Christo prædicant, vti Dominus ipse in Euangelio docet, blasphemant, eorumque pietatem nuncupant impietatem, & confessionem dicunt negationem, rectamque fidem adserunt alienam à fide doctrinam, nec horrent, quin impiè illos anathemati subijciant? Si quidem Apostolica Ecclesia, eiusque Pontifices in hæresim prolapsi sint, vt Christo aduersarij Armenij blasphemant, palàm est mendacem esse Christum.] Profitetur non Romanam dumtaxàt Ecclesiam, aut Apostolicam Cathedrā, sed & ipsam Romani Episcopi personam esse in dogmate infallibilem, adsertionem hanc vult esse Euangelij articulum, & pergit aduersùm Armenios: [Si quis etiam libros, & scripta legat, quæ Armenij aduersùs Christi Incarnationem, Euangelium, atque in primis aduersùm à Deo adflatos Patres, ac Pontifices magnæ Vrbis Romæ conscripserunt, planè vt Iudæos, ac Saracenos, Manichæosque exsecratus auersabitur.] Etiam Romanorum Pontificum personas adfirmat adflatas à Deo, ipsorum in fide firmitatem æquiparat Euangelio, & Dominicæ Incarnationis veritati, omnemque illi aduersum adseuerat Iudæum, Saracenum, Manichæum. Nempè personas Pontificum adhærentium suæ Apostolicæ Cathedræ, & ex ipsa loquentium.

Et reuerà nullus in Oriente, nisi in errorem, aut Romanæ Ecclesiæ odium lapsus, Apostolicæ Cathedræ infallibilitatem vmquàm impugnauit. Inter sancti Augustini laudes sanctus Hieronymus ponit, & hunc articulum: [Quod signum maioris gloriæ est, te omnes Hæretici detestantur.] Eadem Ep. 15. est laus Romanæ Ecclesiæ. Etenim de Artemonis factione scribit in Ecclesiastica historia Eusebius Cæsariensis: [Aiunt illi cunctos Lib. 5. c. 17. maiores nostros, & ipsos Apostolos, ea, quæ ipsi iàm adfirmant, non modò à Domino accepisse, verùm etiam alios eadem docuisse, & veram prædicationis rationem vsque ad Victoris, qui decimus tertius à Petro fuit Romæ Episcopus, tempora fuisse integrè seruatam, sed à Zephyrino illius successore penitùs corruptam, ac deprauatam.] Zephyrinus damnauit Artemonem: Ne ergò hic à sancti Petri Cathedra, ideòque & à doctrina deuiasse crederetur apud omnes vbique Christianos blaterauit ipsam in Zephyrino deuiasse. Etiam prosanus cum suis Pythonissis Montanus, quousque recta sapuit, infallibilem credidit istam Cathedram. Hinc enim, & lapsus solemnem ipsi misit Legationem è Phrygia: Et quòd idem à dolosissimis hypocritis circūscriptus Pontifex [Prophetias agnouerit, & ex ista agni- Cap. 1. tione pacem dederit Phrygiæ, & Asiæ Ecclesijs,] atque ità fictum charisma probarit, testatur in libro aduersùs Praxeā Tertullianus. Nempè Montanus notat Romanam Ecclesiam esse immobilem Euangelicæ doctrinæ Sedem, ideòque suam istic probatam prædicationem à nullo sub cœlis Christiano posse citrà hæresim refutari. Verùm vbi per Praxeam meliora edoctus de ista Secta, & [ad suorum Antecessorem auctoritates defendendas reductus Pontifex reuocauit iam emissas literas, & à proposito recipiendorum charismatum cessauit], laudatam Cathedram blasphemare cæpit factio, & omnes illius sequaces appellare Physicos, seu animales. Et ex illo tempore omnis orthodoxa Christianitas fuit detestata Pseudo-Prophetiam: Quòd Romanæ Cathedræ de fide iudicium censeret infallibile. Ex eodem spiritu orthodoxus adhuc Latinus noster Tertullianus in Præscrip-

Cap 36. scriptionum libro laudat omnes Apostolicas Ecclesias, & adiungit de Romana: [Si Italiæ adiaces, habes Romam, vndè nobis quoque auctoritas præstò est. Ista quàm fœlix Ecclesia! Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Quis non videat Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem prædicari? Quòd nempè illic Apostolorum Principe totam Christi Domini doctrinam suo effuso sanguine sigillassent. Hinc adfirmat etiam Afrorum Ecclesiam recta sapere: Quòd nempè ex immaculabili fonte auctoritatem, seu originem duceret, ideòque non posset non habere recti dogmatis legitimam consanguinitatem. At verò in Montani Lutum lapsus idem Doctor blaterat in libro de Pudicitia: Cap. 1. [Audio Edictum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex scilicet maximus, quod est, Episcopus Episcoporum, edicit, Ego, & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto]. Quid est Edictum peremptorium? Certè non aliud, quàm quod Romana Ecclesia, & omnis vera Christianitas censeret infallibile, & quod nulla exceptione, aut prouocatione posset elidi. A priori sua pietate deuius Septimius blasphemat ipsum [aduersùs principalem Christiani nominis disciplinam] esse prænaricatorium, & Romanam Ecclesiam per ipsum, non quidem in latronum, sed tamen in Mœchorum, & Fornicatorum speluncam esse demutatam.

Eusebiana Arianorum factio, eiusque Antiochena Synodus, quibus non modis studuit Iulium Pontificem sibi deuincere? Eius iudicio se, & sua submisit omnia. Notat ab isto solo omnia, vel firmari, vel infirmari. At postquam ipsum sensit constantissimè aduersantem, arguit de Diuinarum Legum præuaricatione, vti præuaricatorem damnauit in Philippopolitano Conuenticulo, & ipsius etiam Romanę Ecclesiæ communionem abiecit. Et Seleuciensem, & Ariminensem Synodum, fermèque cunctos, & Occidentis, & Orientis episcopos in Arij blasphemias, aut seduxit, aut circumscripsit Imperator Constantius: Tunc enim ingemiscens terrarum orbis est miratus se Arianum. Quia tamen ipsi aduersabatur adhuc Romana Ecclesia, nihil se habere est arbitratus, nec suis machinationibus dedit ferias, quousque Liberium Pontificem deiecisset. A solo ipsius arbitrio sciebat pendere omnem firmitatem dogmatis. At deiecit solam personam, non sancti Petri Cathedram, aut Romanam Ecclesiam. Lucet ex martyrio sancti Eusebij Cardinalis Presbyteri: Cui adhæsit omne Collegium. Et Liberij personam, non in errorem, sed in solam errantium communionem deiecit. Quam distinctionem omninò nouit, atque vsitauit etiam sanctus Cyprianus. Etenim nullibi Romanam arguit Ecclesiam, sed semper solam Stephani personam. Africanum rebaptizandi morem, & Lucius, & Cornelius, & Fabianus, & ipsorum in Papatu vsque ad Carthaginensem Agrippini Episcoparum Antecessores nouerant, neque damnarant. Hinc solùm Stephanum contra commune Romanæ Ecclesiæ iudicium censebat Cyprianus sibi aduersari. Romanæ Ecclesiæ, quæ non baptizabat post hæreticos, morem non damnauit: Dumtaxàt voluit etiam suum non damnari. Censuit rem hanc non ad dogma, sed pertinere ad disciplinam. Et hic est fœdissimus Firmiliani lapsus: Censuit errari ab ipsa etiam Romana Ecclesia, violari Apostolicos Canones, amplectendum Ponticæ Ecclesiæ morem, & omnes generatim hæreticos vbique rebaptizandos. Et hinc ipsum, non verò Cyprianum Stephanus excommunicauit. Attamen, & Firmilianus omninò censuit has quæstiones esse dumtaxàt de disciplina. Lucet ex eius adductis verbis: [Eos, qui Romæ sunt, non ea in omnibus obseruare, quæ sunt ab origine tradita, & frustrà Apostolorum auctoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia Diuinæ rei Sacramenta videat apud illos esse aliquas aduersitates, nec obseruari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis obseruantur. Secundùm quod in cæteris quoque Prouincijs plurimis multa pro locorum, & nominum diuersitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque vnitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens aduersùm vos pacem, quam semper Antecessores eius vobiscum amore, & honore, mutuò custodierunt]. Adfirmat Africanum morem à Romana vsq; ad Stephanum Ecclesia non fuisse damnatum, ideòque nec ab illo potuisse damnari. Et cuncta, quibus id firmat, exempla lucidè spectant ad solam disciplinam. Eius capitale crimen fuit, quòd dixerit Romanæ Ecclesiæ morem esse, non Apostolicam, sed humanam traditionem, ac præuaricatoriam. Et hinc successor in sedem, & erroris in parte defensor Basilius fuit eiusdem sententiæ: Adseruit suam consuetudinem seruandam à quauis Ecclesia. Et ne Firmilianum per omnia sequens offenderet Romanam Ecclesiam, dixit non generatim cunctos, sed quarumdam solummodò sectarum hæreticos rebaptizandos. Quòd nempè etiam Romana Ecclesia quosdam, vtique circa substantiale verbum, aut elementum deuiantes hæreticos rebaptizaret. Et quoniam se cum ipsa nō plenè congruere norat, adiunxit: [Si hoc placuerit], oportet plures conuenire episcopos, & sic Canonem exponere, vt & is, qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur. Profitetur hanc quæstionem esse maiorem suis viribus, & summa cum maturitate, vtique ob Romanæ Ecclesiæ metum, debere tractari. Omninò maturo examine indigent hæc omnia. Quidquid sit, non nisi iratus, & lapsus Firmilianus dixit Romanam Ecclesiam, & quidem non circa fidem, sed circa solam disciplinam errasse.

Etiam Heresiarcha Nestorius, quousque rectus in fide stetit, Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem firmus, & constans agnouit. Etenim à sancto Cælestino Pontifice degradatos, & Italia eiectos Pelagianos Episcopos, licèt ad generalem Synodum, & pleniorem suæ causæ discussionem prouocarent, nec ad Principem introducere, nec in communionem admittere præsumpsit, sed ipsorum querimonias ad ipsum Cælestinum retulit, supplicans doceri in tanto negotio, & dirigi. Nempè norat, ac profitebatur Romanæ Cathedræ iudicium nulla ad generalem etiam Syno-

Synodum appellatione euacuari, aut suspendi. Ast vbi palàm insaniens fuit ad publicam suæ insaniæ palinodiam sub degradationis reatu intra decem dies faciendam compulsus ab eodem Cælestino, mutauit mentem: Pelagianos imitatus blaterauit, & Pontificem, & eius Synodum, seu Romanam Cathedram errasse, prouocauit ad generalem Synodum, & ad ipsam à Principe extorquendam fuit vsus arte varia, ac etiam subsidio damnatorum Pelagianorum. Malignæ vulpes caudas coniunxerunt. Quanto conatu ipsum à scabiosa appellatione reuocare, & ad cantandam palinodiam inducere studuerint Ioannes Antiochiæ Patriarcha: & eius numerosissima Orientalis Synodus, demonstrant Synodales litteræ. Nempè norant Romanæ Ecclesiæ fidem esse immobilem, & aduersùs ipsam non nisi friuolè appellari.

Antiquas Valentini, ac Apollinaris sordes resumpturus Archi-Mandrita Eutyches pro suis per sanctum suum Episcopum Flauianum, ac eius Constantinopolitanam Synodum damnatis erroribus etiam omni arte studuit magnum Papam Leonem circumscribere. Etenim in facienda ad ipsum relatione præuenit Flauianum, illum accusauit de Antecessoris nuperrimè per Ephesinam Synodum damnati Nestorij contagio, appellauit ad Apostolicum tribunal, & de isto apud Constantinopolitanam præsertim ciuitatem errore anxium Pontificem ita nouit circumducere, vt hic & Flauianum de nimia circa faciendam relationem mora acriter increparet, & rescriberet ad Hæresiarcham calumniatorem: [Sollicitudinem tuam ex hac parte nobis placuisse rescribimus, quoniam index animi tui est sermo, quem sumpsimus. Vndè non ambigimus auctorem Catholicæ fidei Dominum tibi in omnibus adfuturum. Etiam post sancti Flauiani in se iudicium ab eodem Pontifice confirmatum non cessauit dolosus senex ipsum tentare: Vtique ad istum iudicium circumducendum. Et hunc in finem obtinere studuit auxilium sancti Petri Chrysologi, Metropolitæ Rauennatis, sermone, & opere potentis, & gratissimi apud magnum Leonem. Nempè norat Romanæ Ecclesiæ iudicium esse sui dogmatis, aut vitam, aut mortem. At à Laudato Petro obtinuit hoc vnicum: [In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas. Et exhinc cœpit in Apostolicam Cathedram insanire. Etenim proscidit eius Iudicium, appellauit ad generale Concilium, Apostolicos istuc Legaros curauit excludi à præsidentia, ac tandem eius causa Dioscorus Alexandriæ Patriarcha in magnum Papam Leonem præsumpsit excõmunicationis conuicium latrare. Et quòd hæc omnia magnum Chalcedonense Concilium non dumtaxat damnauerit, sed etiam Leonis Tomum, id est, eius de Eutichiana hæresi iudicium susceperit vti immobilem fidei regulam, est alibi demonstratum. Eumdem Tomum Gallicana Ecclesia suscepit vti fidei symbolum, censuitque omnium fidelium cordibus memoriter inscribendum.

Eadem via ambularunt Monothelitæ. Quot enim literis, quot dolosis machinis conati sunt circumscribere Honorium Pontificem? Et tandem, licèt non in ipsum suum errorem, tamen in aliquam illius speciem circumscripserunt. Eius tunc nomen, tamquam incomparabile spolium, vbique circumtulerunt, & arietarunt totum Orientem. Et hæc est causa, ex qua ipsum damnari à sexta synodo permisit sanctus Papa Agathon: Vt nempè Monothelitis Papalis nominis fulcrum auferret. Damnari permisit, non Romanam Ecclesiam, aut Romanæ Ecclesiæ lapsum, sed lapsum istius dumtaxat personæ. Et hinc in dogmatica, qua sextam Synodum instruxit, Epistola adfirmat, non Romanos Episcopos, sed Romanam Ecclesiam ab Apostolica traditione in hæreticas nouitates numquam declinasse, & iuxta Diuinam, quæ Petri fidem eduxit non defecturam, & ab ipsa semper stabili fratres omni tempore confirmandos, pollicitationem declinare non posse. Supponit aliud esse Romanum Episcopum, aliud Romanam Ecclesiam, & istius lapsu hanc non labi Supponit in Honorio, non Cathedram fuisse lapsam, sed solam personam. Si tamen lapsam. Nam quòd Romanus Episcopus sine sese, qui sunt ipsius Synodus, & Cathedra, dogmaticas quæstiones definire non possit, Domini Cardinales Eugenio tertio Pontifici, Gilberti Porretani Pictauiensis Episcopi causam tractanti post Rhemensem Synodum, dixerunt constanter in faciem, adserentes hunc esse auitum, atque perpetuum morem. Extant hæc apud Ottonem Frisingensem Episcopum in opere de Gestis Imperatoris Frederici primi. Etiam de Imperatore Philippico, dum Monothelismum ille reparabat, damnabat sextam Synodum, ac eius solemnem in Palatio imaginem radebat, ad Constantinum Papam scripsit Ioannes sextus Patriarcha Constantinopolitanus: [Mitto dicere, quot nobis molestias intulerit, velut pro veritate sollicitans, quò nostras ad vestram Beatitudinem pro suæ insaniæ scopo literas extorqueret. Nempè vanus etiam Philippicus norat omnia circa dogmaticas quæstiones per Romanam Sedem definita esse definita etiam in cœlo. Extat Epistola apud Franciscum Combefis.

Eodem itinere incessit Imperator Leo Isaurus. Eius primus, atque palmaris insultus fuit in Gregorium secundum Pontificem, ac Romanam Ecclesiam. Etiam horrendi schismatis auctor Photius suæ causæ, licèt à dogmate non cœperit, omnibus suæ scientiæ, ac eloquentiæ viribus tentauit Romanam Ecclesiam facere confirmatricem. Et hac spe frustratus, plena calumniarum plaustra in ipsam euomuit, sciẽs suas nugas aliter non posse stabiliri. Et hinc octaua Synodus non solum Primatum istius Cathedræ, sed infallibilitatem insigniter firmauit. Ostendi hoc in eius scholijs. Eamdem infallibilitatem professi sunt Photij successores, Stephanus, Antonius, & Nicolaus. Verùm vsque ad litem de quartis nuptijs: Etenim ob has à dicto Nicolao damnatus Imperator Leo sapiens prouocauit ad Sergium tertium Papam, obtinuit Apostolicos Legatos, & quarti coniugij dispensatoriam licentiam, data in ipsum Patriarchalis sententia fuit reformata, & huic iudicio parere nolens Nicolaus fuit

fuit degradatus, aut certè relegatus. Tunc porrò hic dicere cœpit quartas nuptias esse damnatam ab Euangelio fornicationem, dispensari non posse, ideoque Romanam Ecclesiam circa istud dogma errare. Resumpsit schisma, & Papale nomen rasit, è sacris Ecclesiarum Tabulis. Quindecim annorum exilium aperuit viro oculos. Tunc ille recipiendi Episcopatus amore admisit recta iudicasse Sergium, vtriusque Romæ Ecclesiam recta sentire. Exstant Epistolæ apud Aloysium Lolinum, Episcopum Bellunensem. Fecit Nicolaus apud tertium Sergium, quod eius posteà successor Ioannes Veccus ad vniendas Ecclesias fecit apud Nicolaum tertium: [Confitemur & recipimus matrimonium, de quo tenet Romana Ecclesia, soluta lege per mortem alterius coniugum, secundas, & tertias, & deinceps nuptias licitas esse.] Quod ipsum posteà apud Vrbani quinti Legatos professus fuit Imperator Ioannes primus Paleologus. Gentis suæ, quæ quartas nuptias ex nulla vmquam causa admisit, morem nullo modo damnant: Dumtaxat profitentur Romanæ Ecclesiæ morem esse etiam legitimum, adeoque ipsam circa dogma non posse errare. Extant hæc apud Leonem Allatium in opere de concordia Occidentalis, atque Orientalis Ecclesiæ. L.2.c.15.17.

Romanæ Ecclesiæ, & Primatum, & infallibilitatem hostilissimè persequi cœpit post Photium Patriarcha Michael Cerularius. Norat suas insanias aliter non posse firmari. Et ipsius vestigia vsque hodiè sequuntur Symmistæ istius schismatis. Etenim in opere de Romani Papæ Primatu Nilus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicensis fatetur hunc Primatum esse antiquissimũ protestatur Græcos de eius impugnatione falsò accusari, adfirmat hanc non esse schismatis causam, & adiungit: [Quænam igitur tandem est huius dissidij causa? Quòd scilicet quæstio controuersa communi œcumenicæ Synodi Decreto non sit confirmata; quòd eius solutio, ac explicatio non fiat ex veteri Patrum in eiusmodi negotijs consuetudine. Sed quòd Romani Magistrorum partes in hac quæstione sibi sumant, alios verò instar discipulorum dicto audientes habere velint.] Vult dogmaticas controuersias non à solo Papa, aut sola Romanorum Ecclesia, sed à plena quinque Patriarcharum Synodo definiendas: Et hunc esse perpetuum, atque immobilem Ecclesiæ Canonem, & morem conatur exemplis, ac testimonijs euincere. Et adiungit: [Si Papæ tribunal his, fidei quæstionibus, decernendis sufficit superfluus, ac superuacaneus omninò fuerit sanctorum Patrum conuentus.] Romani Episcopi infallibilitatem censet cum generalium synodorum necessitate, atque vtilitate non cohærere: Hanc ab ista penitùs euerti. Et prosequitur: [Quin etiam sacri istius duodenarij cętus Præsul, ille, inquam, Apostolorum Coryphæus Diuinus Petrus, etiam se corrigi à Paulo patitur, & reprehensus silet. Et cùm iustiùs quàm Papa dicere posset,] Quæ à me facta sunt sacri cœtus Coryphæo declarato, lex sunt alijs, [hæc nequaquam dixit. Immò verò reprehensionem æquo animo amplexus est. Et ijs, quæ Paulo visa sunt non contradicit.] Censet Apostolorum Principem non fuisse infallibilem, ideòque istud charisma longè minùs esse datum Romano Episcopo. Adducit Domini ad Petrum verba: [Confirma Fratres tuos. Et sancti Agathonis de Romana Ecclesia ad sextam Synodum verba: [Apostolica Petri ecclesia numquam à via veritatis in qualicumque erroris parte deflexit. Adfirmat hæc esse latina Romanæ infallibilitatis fundamenta, addit Romanum Episcopum non in omnem Petri potestatem, ac dignitatem succedere, & prosequitur: [Quòd verò impossibile sit, Papam à rectitudine dogmatum aberrare id ipsius etiam Petri successionem excedit. Ille enim etiam impegit, ac lapsus est, quantumuis vehementer adseueraret se hoc non admissurum.] Adfirmat Papam posse labi in mendacium, auaritiam, aliaque peccata, & concludit: [Manifestum profectò est, quòd cùm in his peccet, etiam circa fidem possit naufragium facere. Probat sequelam ex Apostolicis ad Timotheum verbis de bona conscientia, seu iustitia operum: [Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.] Verba sic commentatur: [Videsne eum, qui sana, ac integra conscientia non sit, etiam circa fidem posse esse malè adfectum? Et infrà: Atqui Honorius Romæ Episcopus à rectitudine dogmatum aberrauit. Et quidem à sancta, & vniuersali Synodo publicè damnatus est. Epist.1. c.1.

Lib. 11

Nec solùm Romanum Episcopum, sed & Romanam Ecclesiam vult esse fallibilem, Petram, suprà quam Dominus fundauit Christianitatem, adfirmat non esse Romanæ vrbis Ecclesiam, & prosequitur; [Si verò beatus Agathon adfirmat Ecclesiam suam numquam, à veritatis via aberrasse, nihil miri est. Velimus eum, qui talia dicit, non res ad verba trahere, sed potiùs verba rebus commodare, & cum animo suo reputare tropos œconomiæ, quibus sancti vtuntur, cum de re aliqua vtili, & necessaria quæstio instituitur. Et quia rarò hæc ecclesia à veritate in fide rebus aberrat, beatum Agathonem, vt talia scriberet, fuisse inductum. Alioquin quomodo interpreteris illud: Omnes declinauerunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum? [Præterea, cùm dixit Romanam Ecclesiam à via veritatis nõ deflexisse, de præterito tempore locutus est, futurum non inclusit. Quòd verò maximum est, ante sextam Synodum hæc ab Agathone dicta sunt. Mirum autem videri non debet, si Synodus è multis Patribus collecta intellexit, quæ vnum ignorare contigit. Quòd verò hæc ità se habeant, lege Epistolam Leonis Papæ, qui proximè Agathoni successit, sextamque Synodum est amplexus.] Post varias argumentationes adfirmat Agathonem errasse circa Romanæ Ecclesiæ laudes, probat ex sexta Synodo, & ex huic per Leonem secundum data confirmatione: Vtraque enim damnat Papam Honorium, aut vti hæreticum, aut certè vt illum, qui hæresi dederit fomenta. Profitetur hanc regulam: [Ecclesiastici Canones non possunt constitui absque Papa: Profitetur esse rectam, atque subnectit: Sed neque Papæ id licèt absque alijs, quamdiu certè Apostolicis legibus paret.] Et firmat ex trigesimo quarto Apostolorũ vulgari Canone,

none, qui mandat primum cuiusque gentis episcopum à cunctis subditis episcopis haberi pro capite, & nihil agi absque eius auctoritatiua sententia, atque subiungit: [Sed neque ille circa omnium sententiam aliquid agat, Hæc obtinere vult etiam in Papa, & quatuor alijs Patriarchis: Hos sine illo, illum sine his nihil posse definire.

In pluribus labitur. Primò, istum, qui Metropoliticæ potestati circumscribit limites, qualemcumque Canonem malè applicat ad Papam. Etenim alia sunt Metropolitæ, alia Patriarchæ, alia Papæ priuilegia: Et inter ipsa non est locus mutuæ consequentię. Secundò, malè adfirmat sanctum Apostolum Petrum Antiochiæ, vbi ob simulationis lapsum fuit reprehensus à Paulo, circa fidem erraſſe. Etenim ad similem Gnosticorum calumniam iam pridem respondit in præscriptionum libro Tertullianus: [Conuersationis fuit vitium, non prædicationis.] Nec solus Petrus, sed omnes Apostoli circa dogma fuerunt infallibiles. Quòd Apostolatus gratia etiam istud charisma includat, est certa, ac perpetua sententia totius ecclesiæ. Et hinc Nili tertius error est, quòd & in Petro Apostolo, & in Romanis Episcopis concludat à conuersationis vitio ad vitium prædicationis. Hæc enim sunt disparatissima: Rectæ conuersationis firmitas est gratia gratum faciens, prædicationis infallibilitas est gratia gratis data. Quartus error est, quòd ab Honorij, vel cuiuscumque alterius Pontificis qualicumque lapsu procedat ad lapsum Romanæ Ecclesiæ. Nam, & hæc differre toto cœlo, est omnibus manifestum.

C.23.

Eamdem cum suis erroribus sententiam tuetur in libro de Papę principatu Barlaamus Monachus, & in opere aduersus hunc Barlaamum Macarius Ancyræ Metropolita, ac alij passim Græci schismatici. Hinc & Clementi Sexto Pontifici, Ecclesiarum vnionem suadenti, rescripsit Imperator Ioannes Cantacuzenus: [Si qui primi doctrinam, quæ nunc apud Romanam Ecclesiam viget, intulerunt, non sibi tantum adrogassent, neque alios vilipendissent, sed in medium ab aliarum ecclesiarum Rectoribus discutiendam proposuissent, tantum mali non vidissemus, neque distracta Christi membra sibi bellum intestinum intulissent.] Adfirmat Romanam Ecclesiam errare in dogmate, censet prætensam infallibilitatem esse causam, ideòque non à sola ista ecclesia, sed à plena totius Christianitatis Synodo vult hanc litem terminari. Et Benedicto Duodecimo, ad Lugdunense Gregorij decimi Concilium prouocanti, respondit Imperatoris Andronici secundi Paleologi Legatio: [Sciat, quòd nemo poterit humiliare populum Græcorum, vt recipiat illud Concilium sine alio Concilio. Quare? Quia illi Græci, qui interfuerunt isti Concilio, non fuerunt missi à quatuor Patriarchis, qui gubernant Orientalem Ecclesiam, neque à populo, sed à solo Imperatore Michaele Paleologo, qui conatus fuit facere vnionem vobiscum, ex vi, & non voluntariè.] Et in libro de Spiritus sancti Processione scribit de Florentina Synodo Georgius Gemistus: [Synodum Florentiæ celebratam nemo œcumenicam dixerit. Neque enim *Byzantinus* Patriarcha subscripsit, cùm antequam finiretur, hac vita cessisset. Neque Patriarchæ suorum Procuratorum subscriptiones, tamquam vi extortas, confirmauerunt. Imperator quippè, vt subscriberent, vim fecerat.] Adfirmant Græcorum Patriarchas, & ad Lugdunensem, & ad Florentinam Synodum non fuisse cooperatos, fuisse opus solius Romani Pontificis, ideòque ipsarum Decreta non esse authentica, atque infallibilia:

Lib 4. c.9.

Apud Leon Allat. l.2. cap. 16.

Romanæ igitur Ecclesiæ infallibilitatem semper oderunt Græcorum Hæretici, atque Schismatici, voluerunt istam posse falli, imò, & actu fuisse lapsam, & suæ hæresi, aut schismati posuerunt hoc palmare fundamentum. Et hinc dum ipsos sibi reconciliauit Apostolica Sedes, semper exegit contrariam professionem. Ita dum ad vnitatem redijt Imperator Michael Paleologus, eiusque nepos Ioannes primus, non dumtaxat Romanam quarti matrimonij licentiam, sed insuper cunctos, à Græcis damnari consuetos, dogmaticos atticulos sunt professi esse legitimos, idest, Romanam Ecclesiam non errare. Istud ipsum in literis ad Adrianum quartum Pontificem Basilius fecit Archiepiscopus Thessalonicensis. Respondit nullum dogma, sed solam quorumdam rituum disciplinam Romæ, & Constantinopoli esse diuersam. Exstat epistola apud D. Cardinalem Cæsarem Baronium. Et è schismatico Monacho in Orthodoxum Gyracensem Episcopum transmutatus Barlaamus scriptis ad schismaticos Græcorum Antistites insignibus literis neruosè profitetur Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem, cum ipsa cohærere generalium Synodorum vtilitatem, atque necessitatem demonstrat, & adiungit: [Non eò quòd sit maioris auctoritatis, & magis possit generale Concilium, quàm Apostolica Sedes, & generalia adgregantur Concilia, sed quia incidentes quæstiones difficiliores sint, & maiori discussione.] Etiam aliæ rationes istam necessitatem persuadent, ac exigunt. Quòd Romanæ Ecclesiæ infallibilitas istam necessitatem non proscribat, demonstrant Apostolorum Concilia: Hæc enim à Petro Apostolo, licèt infallibili, citra necessitatem non fuerunt coacta. Et ex huc, vsque dictis lucet, quòd orthodoxus Oriens Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem semper fuerit vnanimiter professus: Pauca, quæ opponi possint, quorumdam Græcorum Patrum testimonia, aut acta, queunt facilè expediri.

Anno 1155.

Epist. 1.

CA-

CANON XXIII.

Quòd Romanus Pontifex, si Canonicè fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur Sanctus, testante sancto Enodio Papiensi Episcopo, multis ei sanctis Patribus fauentibus, sicut in Decretis beati Symmachi Papæ continetur.

SCHOLION.

IN Apologetico, quem quarta Symmachi Pontificis Synodus conscribi iussit, quinta autem probauit, & donauit sua Synodali auctoritate, libello Ennodius, tunc Diaconus, posteà Episcopus Ticinensis, hæc habet: [Non nos beatum Petrum, sicut dicitis, à Domino cum Sedis priuilegijs, vel Successores eius, peccandi iudicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros: Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conuersationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci Decessore præstantur, Aut enim claros in hæc fastigia erigit, aut, qui eriguntur illustrat. Prænoscit enim, quid ecclesiarum fundamento sit habile, super quod ipsa moles innititur.] De varijs accusatum Symmachum Romana Synodus, iudicare non ausa, Diuino reseruauit iudicio, edicens inter cætera primæ sedis priuilegia esse, & hoc, quòd inferiorum iudicio non possit subiacere. Displicuit hoc accusatoribus, mouitque ad ironicè quærendum: Num inter sua priuilegia Romani Pontifices etiam libertinam, ac impunem peccandi licentiam accepissent? Et ad hanc ironiam Ennodius respondit. Respondit à Papali consecratione adeò non tribui malè agendi licentiam, vt per ipsam potiùs tribuatur plena sanctitas, & Christiana bonorum operum libertas. Quòd enim Episcopalis consecrationis Sacramentum det nobis ex opere operato Spiritus sancti plenitudinem, est vnum ex immobilibus fidei Christianæ fundamentis. Quinimmò etiam de Presbyteratu dicit Synodus Neocæsariænsis: [Reliqua præter fornicationem peccata plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti.] Et hinc solos illos, qui ante ordinationem se fuisse carnaliter lapsos fuerint posteà confessi, Presbyteros à quadam sui officij parte suspendit.] Longa est hæc quæstio, nec huius loci. Omnem interim episcopalis consecrationis virtutem Papali inesse singulariter, ideòque hominem per ipsam singulariter sanctificari, affirmauit Ennodius, & hic noster Gregorius confirmat. Magnus Fælix Ennodius fuit vir Gallus, Romani Pontificis in dogmaticis definitionibus infallibilitatem, ac supremam super omnes Synodos auctoritatem lucidè asserit, adeòque, & ex ipso patet anitus sensus Gallicanæ Ecclesiæ. Per fauentes ei Patres intelligo habitarum sub Symmacho Synodorum Episcopos, & cunctos etiam antiquos Ecclesiæ Doctores, qui episcopalis ordinationis ex opere operato virtutem nobis tradiderunt.

Cap. 9.

CANON XXIV.

Quòd Romani Pontificis Præcepto, & licentia Subiectis liceat accusare.

SCHOLION.

A Clero, & populo suo criminaliter accusatus Symmachus Pontifex hæc dixit in sua quinta Synodo: [De cætero ne vnquam talia, non solummodò in Apostolicæ Sedis Præsule à quoquam præsumantur, sed nec in vllo Christianorum Episcopo vsurpentur. Non necesse est super his noua cudere, sed vetera recitare, atque firmare. Est enim à multis Antecessoribus nostris Synodaliter decretum, atque firmatum, vt oues, quæ Pastori suo commissæ fuerint, eum, nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, præsumant, nec vllatenus pro quacumque re alia, nisi pro sua iniustitia, accusare audeant, quoniam Pastorum actus gladio oris non sunt feriendi, quamquam ritè reprehendi æstimentur.] Quod eius edictum vniuersa Synodus probauit. Eiusdem priorem partem suis ad Zachariam Archiepiscopum literis inseruit Ioannes primus. Verùm in epistola ad Amblardum Abbatem Lemouicensem Goffredus Abbas Vindocinensis Gelasio primo, in suo autem Decreto sanctus Iuo Carnutensis Episcopus adscribit Pontifici Eusebio. Nempè ex Isidori Mercatoris codice est ista Eusebij Epistola, pluresque eamdem Regulam confirmantes ex eodem fonte laudatus Iuo ibidem adducit. Ex eodem loquitur in Capitulis Angilramno Metensium Episcopo datis Adrianus primus: [Accusationes aduersùs Doctorem nemo suscipiat.] Ex adscriptis sancto Syluestro Decretis addit episcopum à presbytero, hunc à Diacono, hunc à Subdiacono, & sic vlteriùs, adeòque Lectorem ab Ostiario non posse accusari: Nec Clericum à laico. Lib. 4. Epist. 12. Par. 5. 1. 253.

Et quidem non solùm episcopum, sed etiam Metropolitam posse, & à Clerico, & à laico subdito accusari ciuiliter pro propria iniuria, palàm permittunt nonus, ac decimus septimus Canones Chalcedonenses. Quod ipsum etiam Hæretico permittit sextus Constantinopolitanus. Ob nullum enim crimen Christiana lex hominem cuiuis episcoporum iniuriæ exponit. Verùm quisnam olim Romanus Pontifex subditos ad Præpositorum criminalem accusationem reddiderit inhabiles, etiamnum ignoro. Et in Codice Theodosiano exstat Honorij Imperatoris lex ad Melitium Galliæ Prætorio perfectum, episcopos, & omnem inferiorem Clerum permittens etiam à laicis, apud episcopos tamen, criminaliter accusari. Et Ibam Edessæ episcopum, Orhoenæ Prouin-

 ciæ

ciæ Metropolitam, non dumtaxat de hæresi, sed & de alijs varijs criminibus accusarunt in Tyria Synodo proprij Clerici, nec vlla subiectionis exceptione fuerunt vnquam repulsi. Etiam aduersùs accusatorem Ischyram hinc numquam excepit sanctus Athanasius. Et Paulum Diaconum, Clericosque Thomam, ac Euphemium, ad deserendam Anastasij Episcopi sui accusationem præmio seductos, de graui crimine notat, ac damnat in literis ad Ioannem Corinthiorum Episcopum magnus Gregorius. Et Basilium Ancyræ Episcopum, primæ Galathiæ Metropolitam, quòd clericorum suorum de sese mutuo, adeòque, & ipso suo episcopo non accusandis pacta, & coniurationes admisisset, fuisse damnatum à Seleuciensi Synodo, testatur Hermias Zozomenus. Et hinc sub sancti Syluestri nomine adducta, alijsque antiquis Pontificibus per Isidorum Mercatorem adscripta de episcopis, ac presbyteris per subditos non accusandis Decreta insectatur acriter, & cunctis Canonibus aduersari asseuerat, atque demonstrat Hincmarus Metropolita Rhemensis. Quin, & ad Alexandrum secundum dilectus nostri septimi Gregorij amicus sanctus Petrus Damiani scripsit duas in Romana Ecclesia esse consuetudines, quarum hæc sit altera: [Quia cuiuslibet ecclesiæ filius, siuè clericus sit, siuè laicus, exponere proprij excessus Antistitis prohibetur.] Affirmat esse morem absonum,]& Ecclesiasticæ disciplinæ prorsùs aduersum,] multis id firmat exemplis, atque concludit: [Excludatur ab Ecclesiastica disciplina perniciosæ consuetudinis Regula, tollatur hæc subterfugij versuta calliditas, vt is, qui tam peruersis audacis superbiæ allegationibus vtitur, immunitatem commissi piaculi non lucretur. Iustis ergò querelis liber pateat aditus, liceat apud Primatem Ecclesiam conqueri, quæ se à suo Pontifice viderit prægrauari, ne de sublimis prærogatiuæ singularitate superbiat, qui se per arrogantiæ fastum fratribus non coæquat. Et qui censoriam super alios concutit virgam, ipse quoque super se vigoris Ecclesiastici sentiat disciplinam. Quique non humanum sonat, sed super alios quasi fulgur terribiliter tonat, aliquando se hominem recognoscens, humana verba formare per humilitatem discat. Quatenus dum Prælatus quilibet arrogans à tumore elationis deprimitur, subiectis autem per auctoritatem superioris Ecclesiæ subuenitur, sopitis vndique iurgijs, & synodalis examinis concepta formidine, omnia simul Ecclesiæ membra confœderentur in pace.] Corruptissima tempora vidit laudatus Petrus: Episcopos variè criminosos, impotenter in Clero, & populo dominantes, ob subditis ereptam accusandi facultatem duratos in suis delictis, ideòque istam regulā ille censuit prauam, & proscribendam. Regulæ tamen in literis ad Timotheum Lectorem plurimùm fauet Isidorus Pelusiota: [Non falsa dumtaxat accusatio, verùm etiam verissima, si aduersùs Patrem solùm fiat, parricidæ exitum parturit, velut Chamo accusatio Noe.] Similem ex magni Gregorij moralibus libris locum adducit in memorata ad Amblardum epistola Goffredus Vindocinensis, exindè probans Abbatem à suo Monacho non posse accusari. Consonant, & Apostolicæ constitutiones. Et has forsitan, quæ longè se posteriorem Isidori Mercatoris codicem non potuit respicere, Symmachi Pontificis synodus respexit.

Lib. 4. Epist. 31.

Lib 4. c. 23.

Epist. 18.

Lib. 1. Epist. 12.

Lib. 1. epist. 454.

Quidquid sit, istam huius synodi vndecumque desumptam Regulam dudum obseruauit Romana Ecclesia, nec ob adductas à sancto Petro Damiani rationes censuit deserendam. Etenim vti libertinis Episcopis, ac alijs Præpositis, ita quoque calumniosis Clericis, & Laicis tunc abundabat Ecclesia, ideòque horum maleuolentiæ non poterat istorum accusatio permitti. Sed neque illis ansa plenæ libertatis. Hinc ipsos apud Apostolicam Sedem, ac de eius venia etiam apud alios Iudices accusari à suis subditis permisit noster Gregorius. Regula iam pridem abijt in dessuetudinem, obtinetque consilium Petri Damiani.

CANON XXV.

Quod absque synodali Conuentu Papa possit Episcopos deponere, & reconciliare.

SCHOLION.

Aduersùs Natalem Salonitanum Episcopum, Dalmatiæ Metropolitam, qui Florentium Epidauriensem Episcopum solus degradauerat, scripsit sanctus Gregorius Magnus: [Non potest quemquam Episcopatus gradu, nisi concors Sacerdotum submouere sententia.] Episcopi degradationem affirmat non esse humani Constituti, sed Diuinę Benedictionis excussionem, ideòque non nisi synodaliter peragendam. Et hinc exsufflat istam degradationem, mandans restitui Florentium, ac in plena Prouinciæ synodo eius causam ab exordio retractari. Etenim Nicæni, Constantinopolitani, Chalcedonenses, & alij passim Canones, necnon perpetua omnium Ecclesiarum consuetudo Episcopos nequaquam à solo Metropolita, sed à sola Prouinciæ synodo damnari, ac præsertim degradari permiserunt. Et ad Nomenoium minoris Britanniæ Ducem scripsit Leo Papa quartus: [Nullam damnationem Episcoporum esse vmquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum Episcoporum, qui sit per duodecim Episcopos, aut certè probata sententia per septuaginta duos idoneos testes, sicut nobis Beatus Syluester tradidit, & Romana sancta tenere videtur Ecclesia.] Quod ipsum in literis ad Nomenoij successorem Salomonem fuisse à Benedicto tertio confirmatum affirmat Nicolaus primus, atque adiungit: [Decessor meus Benedictus, quia contra Decessoris sui Decretum, non ab Episcopis, sed à Laicis Episcopos in Regione tua cognouerat esse deiectos, multa mœstitia, & indignatione repletus scripsit, quod nulla ratio sineret Episcopos à suis Sedibus pelli, quos duodenarius numerus non eiecisset. Quorum vestigia, & ego quoque secutus, eadem censui, immò, & censeo. Nec vllam posse

Lib. 2. epist. 47. 48.

Lib 7. epist. 12.

posse episcopos sui honoris sustinere iacturam quos non constat à duodecim Episcopis, præsente, & primam sententiam Metropolitano Episcopo obtinente, cùm examinarentur, auditos.] Regulæ huius fontem quidam existimant esse Isidori Mercatoris codicem, in quo ita statuunt Pontifices, Clemens, Anacletus, ac Zephyrinus. Verùm illa est longè antiquior. Etenim Africani codicis duodecimus Canon disertè statuit extra synodi tempus accusatum Diaconum à tribus, Presbyterum à sex, Episcopum à duodecim audiendum esse episcopis, ac iudicandum. Quam Regulam etiam in Oriente seruari affirmat in suis ad laudatum Canonem Scholijs Theodorus Balsamon, atque adiungit: [Cùm Ioannes Amathuntis Episcopus à Cypri Archiepiscopo Ioanne fuisset depositus, & depositionis Edictum in Tribunali Imperatorio lectum esset, quoniam inuenti sunt vndecim Episcopi, & Archiepiscopus depositionem fecisse statuit sanctissimus Patriarcha D.Lucas esse infirmam, & nullius momenti depositionē, eò quòd nō accersita fuerit vniuersa synodus Cypriorum Ecclesiæ, etiamsi magna esset eius cogendæ facultas, quod Archiepiscopus non vltra duodecim, sed vnà cum illis esset connumeratus.] Afrorum Prouinciæ habebant numerosissimos Episcopos, ipsoque criminaliter accusatos non solus Prouinciæ Primas, sed iuxta communem totius Ecclesiæ Canonem plena synodus debebat iudicare. Attamen dum extra synodi tempus facta accusatio non pateretur moras noluerunt totam moueri Prouinciam, sed istud iudicium duodecim Episcopis crediderunt. An Primas ex illis duodecim, an supra illos deberet esse decimus tertius, non constat. Postremum apparet verius. Nam vigesimus tertius Canon criminali in Presbyterum, aut Diaconum iudicio præter sex, aut tres alios episcopos mandat etiam propriū, vtpotè ordinariū primę instantiæ Iudicē, adesse.

Epist. 56.

Quocirca hocce extrasynodale iudicium nequaquam omni olim commune, sed proprium fuit soli Ecclesiæ Africanæ. Paucæ enim Prouinciæ habuerunt olim duodecim episcopos, à quibus tamen certum est Prouinciales Collegas potuisse degradari. Quinimmò ad Agrippinensem, quæ Euphratæ eiusdem ciuitatis lapso in hæresim episcopo degradando conuenerat, synodum dixit Valerianus Episcopus Antisiodorensis: [Etsi non omnes hic conuenissemus, suffecerat à quinque Episcopis Euphratam blasphemum sententiari.] Non Prouincialis, sed omninò Metropolitanus secundæ Germaniæ, & quidem summorum in ecclesia meritorum episcopus erat Euphratas, vnicumque tunc habebat Suffraganeum Tongrensem, sanctum Seruatium. Nequibat hic solus synodum facere, longè minus suum damnare Metropolitam. Hinc ex sancti Athanasij, in Belgio nostro tunc exulantis, consilio numerosam conuocauit Galliæ synodum, ipsaque Valerianus dixit non fuisse opus, sed quinque episcopos suffecisse. Africanos Canones nescio ex quibus fundamentis suscepit in Trullana synodo Orientalis Ecclesia, & duodecim episcoporum extrasynodali iudicio exindè cœpit vti. Notanda sunt hæc Balsamonis verba [Etiamsi magna esset eius cogendæ facultas.] Edicunt huic extrasynodali iudicio extra solum synodi tempus esse locum, ac potestatem. Quod ipsum ex Africano Canone est etiam desumptum.

Quæstio est, quando, vnde, & qualiter morem hunc assumpserit Latina Ecclesia? Quidam existimant ex Isidori Mercatoris codice assumptum? At certum est labi. Etenim codice illo longè antiquior magnus Gregorius Virgilio Arelatensi Archiepiscopo, suo in Gallijs Vicario, hanc fixit regulam: [Si qua inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos causa emerserit, quæ discerni difficiliùs possit collectis duodecim episcopis ventiletur, atque decidatur. Si autem decidi nequiuerit, discussa veritate ad nostrum iudicium referatur.] Agit de cunctis maioribus causis, quas inter semper fuit degradatio episcopi. Et Triburiensis synodus, statuens nullum deponi episcopum nisi à duodecim episcopis, disertè profitetur se statuere ex Africano Canone. Hic ergo etiam apud Latinos est præsentis moris origo. At, credo ipsum non vbique admissum. Etenim neque laudatus Gregorius, neque vllus Romanus Pontifex auitæ Prouincialium synodorum potestati legitur vspiam derogasse. Soli suo in Gallijs Vicario legem posuit Gregorius, atque ita ad solos alienæ, non ad propriæ Prouinciæ episcopum degradandum debebat Virgilius duodecim Collegas adhibere. Apostolici Vicarij sententias oportebat esse maturas, ac reformationis periculo immunes: Hinc à tot ferri Collegis prudentissimus Pontifex sanxit.

Lib. 4 epist. 51.

Can. 10.

Altera quæstio est, An hæc omnia ligent etiam Romanum Pontificem? An & ipse non nisi cum suæ Prouinciæ synodo, aut certè cum duodecim episcopis possit episcopos degradare? Partem affirmatiuam tutati sunt Thetgaudus Treuirensis, & Guntharius Coloniensis Archiepiscopus, de quibus per Nicolaum primum Pontificem synodaliter degradatis, & ad Lodouicum II. Imperatorem confugientibus, scribit Abbas Regino: [Vociferati sunt se iniustè depositos, ipsi Imperatori, & omni sanctæ Ecclesiæ iniuriam factam cum numquam auditum sit, vel vspiam lectum, quod vllus Metropolitanus sine conscientia Principis, vel præsentia aliorum Metropolitanorum fuerit degradatus.] Vti Prouinciales episcopos sine consueta synodo, ita sine aliorum Metropolitarum præsentia asseuerarunt Metropolitas nec ab ipso Papa posse damnari. Quam ipsorum querimoniam adducunt, & alij vetusti Francorum Scriptores. Et cum Theodosiani codicis appendice Iacobus Sirmōdus publicauit Romanæ sub Damaso Pontifice synodi epistolā, & Gratiani Imperatoris ad ipsam Rescriptum, in quo hæc habes; [Volumus, vt quicumque Damasi iudicio, quod ille cum consilio quinque, vel septē episcoporum habuerit, fuerit condemnatus, si iniustè voluerit ecclesiam retentare, vt qui euocatus ad Sacerdotale iudicium per contumaciam non iuisset, ab illustribus viris Præfectis prætorio ad episcopale iudicium remittatur.] Isti soli, quod cum quinque, aut septem episcoporum synodo fuerit datū; Romani Pontificis iudicio vult deferendum.

An. 865.

Respondeo tamen Romanum Pontificem solum semper potuisse degradare episcopos, ideòque præsentem Dictatum esse omninò authenticum, ac in antiqua disciplina fundatum. Etenim de Martiano, in Nouatiani hæresim, & schima lapso, Arelatensi episcopo scripsit olim ad sanctum Stephanum
Epist. 67. Pontificem sanctus Cyprianus: [Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate consistentem, à te litteræ, quibus abstento Martiano alius in locum eius substituatur. Ad quæ verba rectè scribit Nicolaus Rigaltius: Licuisse iam olim Pontificibus Romanis episcopos iustis de causis excommunicare, immò deponere, & nouos in eorum locum substituere, perspicuum facit hoc loco Cyprianus de Gallis. Quod mirum in modum auctori-
C. 3. tatem commendat, & Primatum.] Et de appellatorio degradatorum episcoporum iudicio statuit Sardicensis synodus: [Romanorum Episcopus cognitores præbeat.] Retractandi iudicij modum eius sapientissimo arbitrio plenè permittit, etiam faciendum per Legatos in Prouinciam presbyteros: Quod nempè plena hìc sit eius auctoritas. Nec refert quod isti presbyteri iubeantur cum episcopis iudicare. In auiti enim, episcopum à solis presbyteris damnari non permittentis, Canonis reuerentiam id sancitur, quo certum est ipsum Romanum Episcopum non adstringi. Aduersùm Acaciani schismatis sectatores, Acacium Constantinopolitanum episcopum, ab vno, & solo Fœlice tertio damnari nō potuisse blaterantes, in literis ad Faustum Magistrum, in literis ad Imperatorem Anastasium, & in literis ad Dardaniæ episcopos insigniter id ostendit sanctus Gelasius. Ostendit plures etiam Patriarchas à sola Romana Cathedra fuisse damnatos: Nempè Timotheum Ælurum Alexandrinum, eius successorem Petrum Mogum, Petrum Fullonem Antiochenum, & Nestorium Constantinopolitanum. Affirmat esse antiquum morem, vt sine synodo Romanus Pontifex, & damnet episcopos, & absoluat damnatos. Scio Acacianos egisse de generali solùm, non de Patriarchali, aut Prouinciali synodo: Verùm Pontificis decisio ad singulas se extendit. Hinc Ioanni Syracusæ episcopo, suo apud Siculos Vicario, vt ad damnandum Lucillum Melitensem episcopum, non duodecim, sed dumtaxat quatuor Collegas sibi associet, mandat Gregorius magnus, quod nempè hæc res Papali arbitrio subesset. Episcopum non nisi à tribus consecrari rigidissimè sanxit Nicæna synodus, & tamen in sua collectione Fulgentius Ferrandus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, habet hunc Cano-
C. 6. nem: [Vt vnus episcopus episcopum non ordinet, excepta ecclesia Romana.] Eodem iure vnus episcopus episcopum degradare non potest, nisi solus Romanus, atque ita nostri Gregorij Dictatus est omninò antiquus & firmus. Porrò non quid leges sancirent, sed quem morem suo tempore passim haberēt in damnandis episcopis Romanus Pontifex, Imperatoris Gratiani Rescriptum edicit. Ille semper adhibere consueuerat consilium omnium septem, aut certè quinque Cardinalium Episcoporum.

CANON XXVI.

Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.

SCHOLION.

Dictatum hunc lucidè tradit in libris aduersùs Parmenianum Donatistarum Carthaginensem episcopum sanctus Optatus episcopus Mileuitanus: [Negare non potes scire te in vrbe Roma Petro primo Cathe- Lib. 2.
dram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret.] Id est, qui singulari isti Cathedræ non communicaret. Pergit aduer- Lib. 3.
sùm omnes Donatistas: [Vnitatem cum toto orbe terrarum, & cum memorijs Apostolorum, quæ Deo placita est, habere noluistis.] Scripturarum litera abuti est antiquum Afrorum vitium: Hinc pro, Sanctorum necessitatibus communicantes, Optatus passim legit, Sanctorum, vtique Principum Apostolorum, memorijs, idest, Apostolicæ Sedi, communicantes, atque ex huius communionis priuatione aduersùm Donatistas de schismate præscribit. Suam communionem, quòd septem in Apocalypsi laudatis Ecclesijs, & Lib. 4.
Apostolorum memorijs adhæreat, asseuerat ab hac scabie securam. Et rursùs in alio eiusdem operis libro: [Numquid poteris approbare mendacium Cathedram Petri, & claues Regni celorum à Christo concessas, vbi Lib. 7.
est nostra societas?] Hanc irrefragabilem schismatis notam vt à se amouerent Donatistæ, etiam Romam ad suos paucos miserunt, & ordinarunt episcopum, qui quòd in nescio qua rupe, aut monte latitaret, & sua ibidem schismatica Sacra perageret, dictus fuit Rupitanus episcopus, aut Montensis. Hinc ipsos Optatus dicit non communicare sanctorum Apostolorum memorijs, id est, vero Romanorum Episcopo, qui dictas memorias, seu Basilicas tamquam legitimus Petri successor, & Canonicus Apostolicæ Cathedræ Sponsus, haberet in potestate. Et de Eusebiana factione, Liberium Pontificem ad suam communionem compellere tentante, scribit ad suos monachos sanctus Athanasius: [Ista secum impij cogitarunt, si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes breui superabimus.] Quod nempè nemo orthodoxus à Romana communione possit esse alienus. Et in Codice Theodosiano exstat Gratiani, ac Theodosij edictum ad populum Constantinopolitanum: [Cunctos populos, Lib. 16 tit. 1. cap. 2.
quos Clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus Religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum Romanis tradidisse Religio vsque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis.] Post Sardicense Concilium Eusebiana factio palàm se

segre-

segregarat à Romana Ecclesia, & omnem Orientem schismatibus, & aduersis altaribus impleuerat: Præsertim sub Imperio Valentis. Hanc calamitatem sanaturus magnus Theodosius laudato edicto Romanam communionem restituit, omnes illos, qui ad ipsam non redirent, tamquam professos hæreticos, & damnatorum Conuenticulorum sequaces pronuntians esse tractandos. Papam Damasum, seu potiùs eius Cathedram affirmat esse supremam, & immaculatam radicem totius Catholicæ vnitatis. Addit & Petrum Alexandriæ Patriarcham, quòd is S. Athanasij esset successor, & firmissimus semper adhęsisset laudatæ Cathedræ, atque ità omnis ipsi communicans etiam Damaso communicaret. Et hinc ad sanctum Acholium Thessalonicensem Archiepiscopum scribit de sancto
Epist. 337. Athanasio magnus Basilius: [Studium illud tuum in beatissimum Athanasium erat euidentissimum argumentum, te in maximis fidei capitibus rectè sentire. Et in alijs ad sanctum Epiphanium literis Meletij, dubij & contentiosi Patriarchæ Antiocheni, communionem commendat, eò quòd Papa Athana-
Epist. 325. sius in votis eamdem cum ipso inire habuisset. Athanasij communionem adserit esse firmum rectæ fidei, ac disciplinæ signum, quòd ipsa esset indiuulsa à communione Romana.

Porrò laudatum Theodosij edictum laudat in præfatione librorum de Spiritu sancto sanctus Ambrosius, affirmans Constantinopoli, ac in reliquo Oriente plurimos Arianos redijsse ad mentem, & concludens ad Dominum Iesum Christum: [Non mundauit Damasus, non mundauit Petrus, non mundauit Ambrosius, non mundauit Gregorius. Nostra enim seruitia, sed tua sunt Sacramenta.] Errantes Arianos, nec à Damaso, nec à Petro, sed à solo Iesu Christo, ac nobis per ipsum impartito reconciliationis Sacramento adfirmat mundatos, & Damasi, ac Petri præceptam à Principe communionem fuisse mera istius mundationis signa. Præfatur enim ad Gratianum Augustum, edicti auctorem. Et in Antiocheno Patriarchatu existens, & ob non admissam trium in Deo hypostasium contentiosam vocem de Sabelliana hæresi accusatus sanctus Hieronymus, scripsit ad Mar-
Epist. 87. cum presbyterum Celedensem: [Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent.] Affirmat se & Damaso, & Petro communicare, ideòque ex Theodosij edicto esse ab omni hæresios suspicione securum. Et in
Epist. 57. literis ad ipsum Damasum: [Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri, communione consocior. Supra illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extrà hanc domum agnum comederit, profanus est: Et statim infra: Collegas tuos Ægyptios Confessores sequor, & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco.] Affirmat se in Romanæ, & Alexandrinæ Cathedræ communione persistere, ideòque à nullo maledico dente posse lædi. Et pergit: [Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam, vt cui apud Antiochiam debeam communicare, significes.] In tres tunc episcopos, Paulinum, Meletium, atque Vitalem dilacerata erat Antiochena Ecclesia: Hinc omnem à Romana discretam communionem Hieronymus sciens scabiosam, atque damnatam, doceri supplicat cuinam istorum trium Sedes Apostolica communicet, adeòque & ipse valeat, ac debeat communicare.

Memoratum Theodosij edictum laudat in ecclesiastica Historia etiam Theodoretus: Lib. 5. c. 2.
[Gratianus, vniuerso Romano Imperio potitus, Regni sui Primitias omnium Regi obtulit, lege lata, qua iubebat sacras ædes ijs tradi, qui Damasi communionem amplecterentur.] Legem hanc affirmat à Sapore militum Magistro etiam Antiochiæ publicatam, atque istius Ecclesiæ schisma ex ipsa compositum: Asserit Paulinum, & cum Vitale Apollinarem simulasse quidem communionem Damasi, verùm de alieno dogmate fuisse conuictos, ideòque Meletio traditas omnes Basilicas, & ipsum tunc ibi factum Canonicum Patriarcham. Nempè Paulino semper aduersatus fuit Theodoretus, ac insigniter Orthodoxum, & in Romana communione constantissimum episcopum iniquè traducit. Paulini, & Damasi communionem conatus est fuscare. David Blondellus in opere de Primatu Romano, & in eruditis ad Theodosianum Codicem notis Iacobus Godofredus taxant Theodoretum etiam de alijs. Primò, quòd laudatam legem adscribat soli Gratiano. Secundò, quòd solius Damasi communionem scribat ab ipsa iniungi. Tertiò, quòd asserat ab ipsa iussum isti communioni tradi Basilicas. Lex enim de Basilicis non facit mentionem. Verùm respondeo hæc esse modica. Etenim Gratianus erat tunc caput Imperij, ideòque trium Imperatorum communis lex illi soli non malè adscribitur, ex consueto tunc more. Petrus Alexandrinus non in supremam, sed dumtaxàt in subordinatam communionis radicem fuit datus, ad quem rectè diceret Damasus, quod scripsit ad Paulinum Antiochenum: Nobis per te sociantur. Hinc legitimè potuit omitti. Etiam Basilicarum traditio in lege palàm innuitur: Omnes enim Damaso non communicantia Conciliabula affirmat Ecclesiæ nomine indigna, ideòque Basilicas iuxtà priores leges esse ipsis auferendas. Quidquid sit, Romanam communionem Theodoretus insigniter exaltat.

Eamdem exaltat antiquus Lugdunensium episcopus sanctus Irenęus: [Ad Roma- Lib 3. c. 3.
nam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necessè est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Verbum, Conuenire, nequaquam corporalem accessum importat, sed communionis contesserationem. Et in Præscriptionum libro Septimius Tertullianus: [Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Cap. 35.
Ista quàm felix Ecclesia! Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesijs contesserarit.] Vocem, Auctoritas, exponit in literis Epist. 55.
ad

ad sanctum Papam Cornelium martyr Cyprianus: [Nauigare Schismatici audent ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est.] Hoc est, quæ est origo, & radix totius episcopalis communionis. Vocem, Auctoritas, pro origine, & radice, à qua nemo separatus possit in Christo viuere, accepit Tertullianus. Et ad Antonianum episcopum scribit idem Cyprianus de eodem Pontifice: [Sciat te secum, idest, cum Catholica Ecclesia communicare.] Et in alia ad Cornelium epistola: [Hortati sumus omnes Coepiscopos nostros, vt Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem, seu Apostolicæ tuæ Sedis communionem, agnoscerent, ac tenerent. Et infrà: Vt communicationem tuam, idest, Catholicæ Ecclesiæ vnitatem probarent firmiter, ac tenerent.] In libro de Ecclesiæ vnitate docet Ecclesiam, ac eius episcopatum esse, & vnum, & multiplicem: Esse quasi solem, fontem, aut truncum diuisum in plurimos radios, riuos, ramos. Quòd nempè omnium origo, & radix sit Romana Cathedra, adeòque ab eius communione succisi sint ramus sine trunco, riuus sine fonte, radius sine sole. Et in epistola ad Iubaianum episcopum: [Ecclesia est vna, & super vnum, qui & claues accepit, Domini voce fundata.] Hinc quisquis cum isto vno non communicat, non est in Ecclesia. Et de fratre suo Satyro, apud Sardos baptizari cogitante, scribit in eius funebri Encomio sanctus Ambrosius: [Aduocauit ad se episcopum, nec vllam veram putauit nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, vtrùmnam cum Catholicis Episcopis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret. Et fortè ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diuiserat. Et quamquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putauit tamen fidem esse in schismate.] Omnem à Romana communione auersum Satyrus duxit non esse Catholicum, & sanctus Ambrosius confirmat. Confirmat, & in literis ad Imperatores Gratianum, Valentinianum Secundum, ac magnum Theodosium: [Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sinat, obsecranda est vestra Clementia. Indè enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant.] Ipsam esse dicit radicem, fontem, ac centrum totius Catholicæ communionis.

Epist. 52. Epist. 45. Epist. 4.

Quod ipsum constantissimè tradit sanctus Augustinus in literis ad Madaurenses: [Videtis multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per Sedes Apostolorum, & successiones episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine quasi arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses, & schismata nominamus.] Et in literis ad Dioscorum: [Fidei Imperator Clementissimus, & per Conuentus celeberrimos populorum, atque gentium, Sedesque Apostolorum, arce auctoritatis muniuit Ecclesiam.] In literis ad nescio quem Donatistam Episcopum Honoratum laudat omnes, quibus Apostoli scripserunt, Ecclesias, ac pergit: [Quibus omnibus Ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est vos illis nón communicare.] In sequenti ad plures Donatistarum Antistites epistola scribit, Cæcilianum Carthaginésem Episcopum [potuisse non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vndè Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum.] In epistola ad Generosum texit plenum Romanum Episcoporum Catalogum, & subiungit: [In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur, sed ex transuerso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in vrbe Roma, Montensium, vel Rupitarum vocabulum propagauit.] Et in literis ad Consanguineum suum Seuerinum: [Cùm illi, Cæciliani fautores, inueniantur intùs communicare Ecclesiis Apostolicis, illi autem foris positi, & ab illa communione separati sint, quis non intelligat eos habuisse causam bonam, qui eam apud medios Iudices obtinere potuerunt?] Et in libris de Baptismo scribit ad omnes Donatistas: [Quare non communicatis Ecclesiis, quibus Epistolas Apostolicas missas tenetis, & legitis, & secundùm ipsas vos viuere dicitis?] Et in libris aduersùs Petilianum: [Si à me quæras, quibus fructibus vos lupos rapaces esse cognoscamus, obijcio schismatis crimen, quod tu negabis, ego statim probabo. Neque enim communicas omnibus gentibus, & Ecclesiis Apostolico labore fundatis.] Et infrà in eodem libro: Cathedra tibi, quid fecit Romanæ Ecclesiæ, vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quibus nos in catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas Cathedrā pestilentiæ, Cathedram Apostolicam?] Et in libris aduersùs Cresconium: [Ego in Ecclesia sum, cuius membra sunt omnes Ecclesiæ, quas ex laboribus Apostolorum natas, atque firmatas simul in literis Canonicis nouimus.] Assiduè probat se cum suis Collegis Catholicum, Donatistas autem esse Errones, atque Schismaticos, quòd ipse communicaret, hi non communicarent Apostolicis Ecclesiis & Sedibus, præsertim Romanæ Ecclesiæ, in qua Apostolicæ Cathedræ sit Principatus. Hinc enim ipsam maledicus Petilianus blaterabat esse Cathedram pestilentiæ. Quod ipsum aduersùs plures Europæ Episcopos, qui ob admissam à Romana Ecclesia damnatricem trium capitulorum quintam synodum ab eius communione se suspenderant, acriter vrserunt in suis literis Pelagius Primus, ac Pelagius Secundus, adeòque & Magnus Gregorius. Secundi enim Pelagij epistola est eius opus.

Epist. 42. Epist. 56. Epist. 161. Epist. 165. Epist. 170. Lib. 2. c. 6. Lib. 2. c. 16. Cap. 51. Lib. 3. c. 35.

Et hinc lucet Romanam Ecclesiam à recta fide esse immobilem, atque indeclinabilem. Et ità omninò oportet. Est Petra, supra quam Dominus fundauit omnem Ecclesiam, & cuius causa nec inferorum portæ possint aduersùs hanc præualere. Vbi mobile fundamentum, quomodo sit immobile ædificium? Nec tantùm immobilis in fide, sed etiam in sua communione debet esse immaculata, atque immaculabilis. Ita in literis

ris ad Anastasium Imperatorem, maculosi Constantinopolitani Episcopi Acacij nomen recipi volentem, omninò affirmat atq; ostendit sanctus Pontifex Gelasius: [Vna est columba mea, vna est perfecta mea, vna est Christiana fides, quæ est Catholica. Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus, atque consortibus pura, sincera, immaculata communione diuisa est. Alioquin non erit Diuinitùs mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec vlla causa iam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum, ianuamque pandamus. Qui enim in vno offenderit, omnium reus est. Et qui minima spernit, paulatim decidit. Hoc est quod Sedes Apostolica magnoperè cauet, vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsùs contagione maculetur. Nam si, quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus, tale quid proueniret, vndè cuiquam resistere auderemus errori? Vel vndè correctionem errantibus posceremus?] Quò longum Græcæ & Latinæ Ecclesiæ exstingueretur schisma, & illa ad huius rediret pacem atque obedientiam, vnicam conditionem exposcebat Imperator Anastasius: Vt Acacij defuncti nomen in sacris maneret Ecclesiarum tabulis, & ad sacra Missarum solemnia suo loco, & tempore recitaretur. Existimabat rem peti leuioris ponderis. Verùm esse summi ponderis, immò rem impossibilem, reposuit Pontifex, vtpotè à qua penderet sanctitas, immò & subsistentia totius Christianitatis. Etenim Hæreticæ, aut Schismaticæ communionis contagio polluta Romana Ecclesia pollueret omnes ei communicantes Ecclesias, atque ita vniuersalis Ecclesia desineret esse sancta, & omnis vera Christianitas interiret. Hinc Gelasius sperat, atque asseuerat esse impossibile, vt Romana Ecclesia vllum damnatum Hereticum, aut Schismaticum admittat in suam communionem, & talis confusionis contagio maculetur.

Epist 8.

Obijci possit Fœlix Secundus Pontifex, de quo in Virorum Illustrium catalogo, agens de Acacio Lusco, Cæsariænsi apud Palestinos Episcopo, scribit S.Hieronymus: [Acacius in tantum sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum Romæ Fœlicem Arianum Episcopum constitueret.] Marianus Victorius vult vocem, Arianum, in varijs exemplaribus non haberi. Quidquid sit, quin Ariana Communione scabiosus fuerit Fœlix, à nullo dubitatur. Fuit palàm intrusus. Et hinc neque à sancto Optato Mileuitano Episcopo, neque à sancto Augustino, neque ab vllo antiquo numeratur inter Pontifices Romanos. Omnes Liberio constanter substituunt Damasum. Etiam de Liberio scribit laudatus Hieronymus: [Fortunatianus Aquileiensis Episcopus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ vrbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæresios compulit.] Liberium fuisse Hereticum nemo Eruditus credidit; quin tamen Arianæ communionis contagio se fœdauerit, nemo possit dubitare. Et de Anastasio Secundo scribit liber Pontificalis: [Multi clerici, & presbyteri se à communione Anastasij erexerunt, eò quòd communicasse sine consilio episcoporum, vel presbyterorum, vel cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, Diacono Thessalonicensi, nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occultè voluit reuocare Acacium, & non potuit.] Quod Gelasius impossibile dixit, Anastasius monstrauit possibile: Damnatum enim Acacij nomen admittere voluit in sacras tabulas, & Dorothæi Thessalonicensis Episcopi, hominis quàm maximè Acaciani, Diaconum Photinum permisit secum procedere ad sacrum Altaris Ministerium, atque ita eius contagio se maculauit.

Donatistis, Marcellinum, ac Melchiadem Romanos Pontifices de traditione, & thurificatione accusantibus, ideòque Romanam Ecclesiam ipsorum contagiosa communione maculatam, atque exstinctam blaterantibus, in literis ad Generosum respondit sanctus Augustinus: [In illum ordinem Romanorum Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eamdem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens, ait de præpositis malis, Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite.] Hoc ipsum ego dico de Liberio, Fœlice, atque Secundo Anastasio. Eorum personas purgare non est præsentis loci. Aliud dico esse Romanos Pontifices, aliud Romanam Ecclesiam, ac eius Apostolicam Cathedram, & nequaquam illis, sed huic soli donatum à Domino, vt nullo scabiosæ, aut damnatæ communionis contagio possint maculari. Et hinc de Anastasio disertè dicit liber Pontificalis, quòd sine Cardinalium Episcoporum, & cæteri sui cleri consilio, id est, sine suæ Cathedræ assensu admiserit Photinum. Eadem est ratio Liberij, ac Fœlicis. Sola in ipsis persona propria; nequaquam Cathedra deliquit. Neque huius delicti, sed intrusionis causa Fœlix ab antiquis Patribus non numeratur inter Pontifices. Epist. 165.

Rem omnem insigniter exponunt Faustinus, ac Marcellinus, Romanæ Ecclesiæ presbyteri, in præfatione precum, quas exhibuerunt Theodosio Imperatori: [Liberius Romanus Episcopus, & Eusebius Vercellensis, & Lucifer Calaritanus, & Hilarius Pictauiensis, ab Imperatore Constantio, mittuntur in exilium pro fide seruanda. Cum Liberio Damasus Diaconus eius se simulat proficisci. Vndè fugiens de itinere Romam redijt, ambitione corruptus. Sed eo die, quo Liberius ad exilium proficiscebatur, clerus omnis, id est, presbyteri, & Archidiaconus Fœlix, & ipse Damasus Diaconus, & cuncta Ecclesiæ officia, omnes pariter, præsente populo Romano, sub iureiurando firmauerunt se viuente Liberio Pontificem alterum nullatenus habituros. Sed clerus contra fas, quod minimè decebat, cum summo periurij scelere, Fœlicem Archidiaconum ordinatum in locum Liberij susceperunt. Quod factu vniuerso populo displicuit, & se ab eius processione suspendit. Post annos duos

duos venit Romam Constantius, pro Liberio rogatur à populo, qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui qualis à vobis profectus est, melior reuertetur. Hoc autem de consensu eius, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obuians cum gaudio populus Romanus exiuit, Fœlix notatus à Senatu, vel populo, de vrbe propellitur, & post parum temporis, impulsu clericorum, qui periurauerant, irrumpit in vrbem, & stationem in Iulij Basilica trans Tyberim dare præsumit. Quem omnis multudo fidelium, & Proceres de vrbe iterum cum magno dedecore proiecerunt. Post annos octo, Valentiniano, & Valente Consulibus, decimo Kalendarum Decembrium die, defunctus est Fœlix. Liberius misericordiam fecit in clericos, qui periurauerant, eosque in locis proprijs suscepit.] Scio memoratos presbyteros fuisse Schismaticos, & plura mentiri; verùm Fœlicis & eiectionem, & mortem omnis Roma suis oculis viderat. Sepultus fuit Fœlix in Ecclesia sanctorum Cosmæ, & Damiani, ac eius Sarcophagus sub lapsi sæculi finem fuit repertus cum hac Epigraphe: [Hîc iacet corpus sancti Fœlicis Papæ, & Martyris, qui Constantium Hæreticum damnauit.] Et consonat Romanum Martyrologium: [Romæ via Aurelia, sancti Fœlicis Secundi Papæ & Martyris, qui à Constantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem è Sede sua deiectus, & Coræ in Latio occultè gladio necatus, gloriosè occubuit.] De radendis hisce, quæ cum oculato dictorum presbyterorum testimonio nullatenus conueniunt, è Martyrologio verbis seriò actum fuit sub Gregorij Decimitertij Pontificatu. Et adducta memorati, qui tunc inuentus fuit, Sarcophagi inscriptio persuasit firmanda, & custodienda. Et contra tanti Pontificis iudicium ego nolim sentire, longè minùs scribere. Interim est nodosa quæstio. Nam & Iuliano Episcopo Celianensi, ob defensam pertinacissimè Pelagianam hæresim, & per Romanam Ecclesiam, & per Ephesinam Synodum degradato, Discipuli, & fautores posuerunt hocce Epitaphium: [Hîc in pace quiescit Iulianus Episcopus Catholicus. Et ex ipso quidam conati sunt lauare istum Æthiopem. Quidquid sit, certum est Fœlicem non fuisse legitimum Pontificem. Liberius enim nec à Deo, nec ab homine fuit degradatus. Iul. 29.

Ex eodem fundamento noster septimus Gregorius, non pro Romani Pontificis persona, sed pro sola Romana Ecclesia dictauit. Et dictatum hunc Patres posteriores insigniter, ac frequenter laudant. In libro aduersùs Berengarium sanctus Lanfrancus: [Incurris illud, quod Beati Doctores, si non eisdem verbis, eisdem tamen sententijs, in multis locis concorditer adstruxerunt, Hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana, & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat.] Richerius Senonensis Episcopus, quartæ Lugdunensis Prouinciæ Metropolita, Gaufredum Carnutensem Episcopum, ab Vrbano secundo degradatum violenter conabatur reparare, ideoque ad istum scripsit huius successor sanctus Iuo: [Contra Apostolicam Sedem caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis est destruitis. Et quod illa destruxit, vos ædificare contenditis. Cuius iudicijs, & constitutionibus obuiare est Hæreticæ prauitatis notam incurrere, cùm Scriptura dicat: Hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.] Et ad Herbipolensem Ecclesiam, Gebehardo Episcopo Epist. 8. suo per Honorium secundum degradato pertinaciter adhærentem, scripsit Adelbertus Archiepiscopus Moguntinus: [Nouerit pro certo Dilectio vestra, nos id ratum tenere, quod Romana sanxit, & denuntiauit auctoritas, cuius terminos nec debemus, nec volumus, transire. Quia Hæreticum esse constat, quisquis Romanæ Ecclesiæ etiam in tam iusto iudicio non concordat.] Epistolam vnà cum Epist. 23. alijs nuper publicauit Iacobus Gretzerus. Nec desunt alia eiusmodi testimonia.

CANON XXVII.

Quòd Pontifex à fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere.

SCHOLION.

Henrici quarti Imperatoris, dum ipsum excommunicauit, subditos à professæ fidelitatis Sacramento etiam absoluit noster Gregorius, atque ita quibusdam visus est naturalem, & Euangelicam de non præuaricando iuramento legem violasse. Istorum Princeps fuit Venericus Vercellensis Episcopus, necnon & illi, qui optimum Pontificem in Wormatiensi Conuenticulo sunt conati etiam ob istam causam degradare. Quos postmodum in sua ad Paschalem secundum famosa epistola secutus est Clerus Ecclesiæ Leodiensis. Est antiquus quorumdam Græcorum Episcoporum error, qui suam Photio Constantinopolitanæ Ecclesiæ inuasori factam professionem crediderunt non posse solui, ideoque se ad sancti Patriarchæ Ignatij communionem non posse reuerti, & ad quos in octaua Synodo dixit Elias Presbyter, Theodosij Patriarchæ Hierosolymitani Syncellus, ac Vicarius: [Sanctissimi Vicarij senioris Ro- Act. 6. mæ, & nos, qui reliquarum sedium Vicarij sumus, hæc omnia dissoluimus hodie gratia Iesu Christi, qui dedit nobis summi Sacerdotis potestatem iustè, & congrue ligandi, atque soluendi, quoniam violenter, & coactè omnia facta sunt.] Quod ipsum posteà firmauit Canon nonus. Omnes Photio factas professiones soluit, ac exufflauit. Et de Romana legione, quæ Philippicum sibi ab Imperatore Mauritio iurarat nunquam in Ducem recipere, ac de Gregorio Antiochiæ Patriarcha scribit in Ecclesiastica Historia Euagrius Epiphaniensis: [Cum Gregorius Philippicum illis nominaret, quem voluit, vt sibi in Ducem peterent, tum se, tum reliquum vniuersum exercitum sanctè iurasse respondent numquam se illud facturos. Tum ille sine mora, aut vlla omninò cunctatione inquit: Episcopo concessum est, & potestas data L. 6. cap. 12. soluendi, atque ligandi in cœlo, & terra.] Et eius iudicio omnis exercitus acquieuit. Huiusmodi Sacramentorum per Ecclesiam ex

causis

causis solutio est adeò antiqua. Et sanè si Reges, ac Imperatores degradare valeat Ecclesia, valet & soluere facta illis Sacramenta. Vnde & istud ipsum in Ludouicum Pium, Regem, ac Imperatorem, fecit Ecclesia Gallicana,

Quæstio est, An solutas à se professiones Papa possit etiam reparare? Gregorius noster, dum Henricum Imperatorem ab excommunicatione ad tempus absoluit, videtur sustinuisse partem affirmatiuam. Verùm Saxonum Episcopi, & Proceres reposuerunt: [Cum illa anathematis absolutio per epistolam vestram nobis innotesceret, de sententia Regni, quæ in Henricum processit, nihil mutatum esse intelleximus. Sed ne nunc quidem, si mutari possit, intelligimus. Absolutio enim illa iuramentorum qualiter cassari possit, nullo modo percipere valemus. Sine Sacramentorum autem obseruatione Regiæ dignitatis officium nequaquam administrari potest.] Quod ipsum etiam in alijs apud Brunonem Merseburgensem extantibus epistolis constanter adfirmant. Adfirmant soluta per Pontificem Sacramenta non posse per ipsum resuscitari, sed opus esse, vt denuò præstentur à populo. Quæ assertio non caret fundamentis.

Gregoriani Dictatus hostes refutantur.

Cap. 6. 7. GRegoriani Dictatus hostes sunt præsertim duo. Primus est Ioannes Caluinus. In quarto Institutionum libro adfirmat Romano Episcopo nihil à Christo Domino, sed à solis Christianis Imperatoribus fuisse aliquid Primatus datum, & adiungit: [Iam verò, vt Romano Pontifici concedamus hodie eminentiam illam, & iurisdictionis amplitudinem, quam medijs temporibus, vt Leonis, & Gregorij, habuit hæc Sedes, quid hoc ad præsentem Papatum? Nondum loquor de terreno Dominio, nec de ciuili potestate, de quibus postea suo loco videbimus; sed ipsum spirituale regimen quod iactant, quid simile cum illorum temporum consuetudine habet? Papam enim non aliter definiunt, quàm summum in terris Ecclesiæ caput, & vniuersalem totius orbis Episcopum. Ipsi verò Pontifices, cum de sua auctoritate loquuntur, magno supercilio pronuntiant penès se esse imperandi potestatem, alios manere obediendi necessitatem: Sic sanctiones omnes suas habendas esse, quasi Diuina Petri voce firmatas. Prouinciales synodos, quia Papæ non habeant præsentiam, vigore carere. Se posse de qualibet Ecclesia Clericos ordinare: Et qui alibi fuerint ordinati, eos posse ad Sedem suam vocare. Innumera eius generis habentur in Farragine Gratiani, quæ non recenseo, ne nimis molestus sim Lectoribus, Summa tamen huc redit, penès vnum Pontificem Romanum esse supremam Ecclesiasticarum omnium causarum cognitionem, siue in dijudicandis, definiendisque doctrinis, siue in ferendis legibus, siue in constituenda disciplina, siue in exercendis iudicijs.

Quis non videat ab impuro homine inuadi nostri Gregorij Dictatum? Non ipsum, sed Gratiani Decretum nominat: Quod istum forsan numquam vidisset. Quin & istud Decretum videtur non nisi alienis oculis, aut certè dormitando legisse. Lucet ex hisce eius verbis: [Quin etiam eò impudentiæ venerunt Papistæ, vt rescriptum ediderint sub nomine Anastasij Patriarchę Constantinopolitani, in quo testatur antiquis regulis esse sancitum, ne quid vel in remotissimis Prouincijs ageretur, quod non ad Romanam Sedem prius relatum foret. Præterquam, quod vanissimum id esse constat, cui hominum credibile erit, tale Romanæ Sedis elogium ab aduersario, & honoris, dignitatisque æmulo profectum esse? Sed oportuit scilicet eò dementiæ, ac cęcitatis prouolui istos Antichristos, vt omnibus sanæ mentis hominibus, qui modò oculos aperire volunt, conspicua esset ipsorum nequitia.] Anastasium istum delirat fuisse vnum è Constantinopolitanis Patriarchis, qui cum Romanis Pontificibus de Vniuersalis Episcopi nomine contenderunt.

De omnibus generatim hereticis scripsit ad Discipulum Timotheum S. Paulus Apostolus: [Conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus adfirmant.] Hoc in se verificari Caluinus hìc insigniter demonstrat. Patrat horrendos errores. Primus est, quod ille Anastasius fuerit Patriarcha Constantinopolitanus. Etenim Constantinopolitana Ecclesia nullum Anastasium habuit Patriarcham, nisi Anastasium S. Germani Syncellum, intrusum ab Imperatore Leone Isauro, Hæreticum Iconoclastam, Caluini Præcursorem imperitum, vario crimine maculosum. Absit, vt eius auctoritate fulciamus Romanum Primatum. Secundus error est, quod Gratianus istud Decretum adscribat huic Anastasio, aut vlli Constantinopolitano Patriarchæ. Etenim ipsum adscribit magno Athanasio, Alexandrino Patriarchæ, Romani Primatus veracissimo, & constantissimo adsertori. Tertius error est, quod Athanasius, aut etiam Anastasius istud Decretum sibi adscribat, aut nos adscribamus huic, aut isti. Ille enim, quicumque sit, personatus Scriptor adfirmat esse antiquam Ecclesiæ regulam. Quartus error est, quod ab isto decreto credamus Romani Primatus pendere fortunas. Ipsum enim habemus in famosa magni Athanasij ad Fęlicem secundum Pontificem epistola, quam scimus, & profitemur esse inter spurios Canones Isidori Mercatoris, ideoque parui ponderis. Et ecce hæc sunt fundamenta, ex quibus sumus vanissimi, conspicuè nequam, cæci, dementes, Antichristi. Seducti, & circumscripti à Caluino populi aperiant oculos, & videant ipsum esse maledicum, ac imperitum impostorem. Epist. 1. c. 1.

Nam, & alia eius impostura est in hisce verbis: [Prouinciales Synodos, quia Papæ non habeant præsentiam, vigore carere.] Etenim ad Prouincialis synodi vigorem requiri Papalem præsentiam nemo Christianæ Hierarchiæ peritus vmquam somniauit: Verùm superbus, & contumax Hæreticorum spiritus semper calumniatur Ecclesiam. Dumtaxat profitemur omnem Prouincialem synodum obligari ad sua de maioribus, aut difficilibus negotijs Decreta, aut iudicia referen-

da Pontifici, & ipsa ante huius confirmatorium rescriptum non esse firma, ac rata. Quantam olim Gallicana, in qua natus Caluinus, Ecclesia reuerentiam detulerit Apostolicis Decretis, insigniter profitetur eiusdem Apostolus S. Bonifacius: [Reuera tanta reuerentia apicem Apostolicæ Sedis omnes suspiciunt, vt nonnullam Sacrorum disciplinam, & antiquam Christianæ Religionis institutionem magis ab ore Præcessoris eius, quam à sacris paginis, & paternis traditionibus expetant. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, vt ad eius arbitrium suam conuersationem ipsi & remittant, & intendant.] Profitetur ex antiquo Euangelici, ac Apostolici dogmatis Deposito. Adeò septimus noster Gregorius non dictauit nouum Euangelium. Et quod Apostolicæ Sedis Decreta habeant ipsissimam S. Petri auctoritatem, vnanimiter clamant omnes Ecclesię Patres. Quare, & Marcus Antonius de Dominis nostri Gregorij Dictata impudenter, ac imperitè appellat Dicteria. Lib. 4. cap. 9 Ex errore, quo Apostolicę Cathedræ priuilegia garrit esse humana, ideoque, & per Gregorium violenter ampliata. Eius calumniosa Dicteria suo loco exponentur. Et ipse est secundus Gregorij hostis.

EIVS

EIVSDEM AVCTORIS.

DISSERTATIO.

An Romanus Pontifex possit omnibus sub cœlo Ecclesijs consecrare, aut consecrandos iubere Episcopos?

CAPVT PRIMVM.

Exponitur status Quæstionis.

QVòd Romanus Episcopus ex quauis, ac in quauis, etiam ad alium Patriarchatum spectante Ecclesia, possit ordinare Clericos, supra demonstratum est in Scholijs ad nostri Gregorij Dictatum. Quæstio nunc est de consecrandis Episcopis. Et quidem quòd audacia, qua alij Metropolitæ, aut Patriarchæ inuadunt mutuas consecrationes, repugnet Apostolico Canoni, & olim plurimis litibus vexauerit Ecclesias, est cunctis Ecclesiasticam Hierarchiam callentibus manifestum. Porrò Romanum Episcopum contingere videtur sextus Canon Nicænus: [Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est.] Aduersùm Meletij Lycopolitani Metropolitæ inuasiones mandat cunctos totius Ægyptiacæ Diœcesis non tantùm Metropolitanos, sed etiam Prouinciales Episcopos deinceps consecrari per Alexandriæ Patriarcham. Sanxit Metropolitis nullam consecrationem competere. Addit hanc esse auitam consuetudinem. Est singularis consuetudo. Alijs enim in Diœcesibus Metropolita passim consecrat suos Suffraganeos. Et quidam censent etiam istud fieri ex Apostolico Canone. Ægyptiacæ singularitatis originem, & fundamentum aperit in suæ Ecclesiæ Chronico Eutychius Patriarcha Alexandrinus: [Ab Anania, quem constituit Marcus Euangelista Patriarcham Alexandriæ, vsque ad tempora Demetrij, vndecimi ibidem Patriarchæ, nullus in Ægypti Prouincijs fuit Episcopus, nec ante eum Patriarchæ crearunt Episcopos. Ille autem factus Patriarcha tres constituit Episcopos. Et primus hic fuit Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit. Mortuo Demetrio suffectus est Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui episcopos constituit viginti. Et Demetrius, & Heraclas hos episcopatus erexerunt saluis suæ Ecclesiæ iuribus: Saluis sibi omnibus consecrationibus. Porrò hæc adducti Canonis verba: Quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est, Presbyter Ruffinus affirmat intelligenda de solis Apostolicæ Cathedræ suburbicarijs Ecclesijs. Affirmat istud consecrandi ius per totam Ægyptum à Canone adscribi Alexandrino Patriarchæ, quod Romanus Papa habet per suas suburbicarias Ecclesias. Quid hæ sint, non est operosè disputandum, nec inquirendum ex suburbicarijs Romani Imperij Prouincijs: Sunt Romanæ Ecclesiæ Metropolitica Prouincia, omnes ciuitates spectantes ad Metropoliticam Romani Episcopi potestatem. Canon affirmat eamdem in omnes Ægypti Episcopos potestatem Alexandrino Episcopo deberi per antiquam consuetudinem, quę est Romano Pontifici in suos suburbicarios Episcopos. Hinc simul affirmat hosce solos spectare ad consecrationem Pontificis. Hanc esse vetustam consuetudinem. Et hinc aliqui censent aliorum in Romano etiam Patriarchatu episcoporum consecrationem non posse attentari à Pontifice.

Ita sensisse videtur sanctus Hilarius Arelatensis Archiepiscopus in sua famosa lite cum magno Papa Leone. Quin & ipse Papa Leo videtur non dissensisse. Scripsit enim ad Viennensis Prouinciæ Episcopos: [Non nobis ordinationes vestrarum Prouinciarum defendimus, quod potest forsitan ad deprauandos vestræ Sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri, sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati, nec præsumptioni locus vltra iam pateat Priuilegia vestra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si Apostolicæ Sedis diligentia apud vos illibata seruatur, & per Sacerdotalis disciplinæ concordiam honori vestro perire, quod suum est, improbis vsurpationibus non sinamus.] Ep. 89. c. 8.

mus.] Apostolicas vices, quas Patroclo Arelatensi Metropolitæ per Viennensem, ac primam, & secundam Narbonensem Prouincias detulerat Zozimus Pontifex, ab huius successore Bonifacio excussas istius successor Hilarius proprij arbitrij ausu resumpsit, ac demutare tentauit in Primatum, atque ita tamquam Primas Episcopales istarum Prouinciarum ordinationes per Apostolicam Sedem sibi interdictas resumpsit. Nec solummodò Metropolitarum ordinationes, sed etiam Episcoporum Prouincialium. Potenter intercessit Magnus Leo, & Diuali impetrata lege cohibuit Hilarium. Hinc ille, quò istarum Prouinciarum Episcopos incenderet contra Pontificem, sparsit hæc omnia agi arte, & dolo, vt cunctæ istæ consecrationes inuadantur à Sede Apostolica. Et atroci calumnia permotus sanctus Leo rescripsit mentiri Hilarium, aliud à se non intendi, quàm vt istæ consecrationes suis Metropolitis restituantur, & permaneant. Earum ius profitetur esse ipsorum honorem, ac priuilegium. Proinde non solus Hilarius, sed ipse etiam tantus Pontifex censuit alienarum Prouinciarũ consecrationes inuadi non posse à Romana Ecclesia. Leo vsus est hac per Magnum Gregorium vsitata regula: [Mihi ipsi iniuriam facio, dum fratrum meorum iura perturbo.] Et hæc quidem pro Episcoporum consecrationibus fuit prima lis Gallicanæ Ecclesiæ aduersùs Romanam.

Duriorem litem habemus in Regesto Ioannis octaui Pontificis. Ottramus Viennensium Metropolita sequebatur partes Bosonis Regis Burgundiæ, ideòque Geneuensis Ecclesiæ electum Optandum consecrari per ipsum noluit Imperator Carolus Crassus, misit Romam ad Ioannem Pontificem, illum hìc consecrauit, remisit Geneuam, iussit inthronizari, & suis literis adiunxit: [Saluo deinceps priuilegio antiquo propriæ Metropolis.] Verùm his non contentus Ottramus eiecit Optandum, & Geneuensi Ecclesiæ consecrauit alium Episcopum. Circa idem tempus Lugdunensium Metropolita Aurelianus nescio quem Monachum Lingonensi Ecclesiæ consecrauit, & intrusit Episcopum, eiusdem autem ciuitatis Clerus, & populus ipsum abiecit, canonicè elegit Theutboldum Diaconum, & consecrandum misit Romam ad Stephanum sextum Pontificem. Et de hac lite scribit in Rhemensis Ecclesiæ historia Presbyter Flodoardus: [Sed ille, Papa Stephanus, vniuscuiusque Ecclesiæ priuilegium inconcussum seruare volens, id agere, Theutboldum consecrare, distulit, eumque Aureliano direxit, scribens ad eum, vt si Cleri, populique vota in eum concordarent, & sacri Canones illi non obuiarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri, si ratio prohiberet, idipsum sibi rescriberet: Interim tamen alterum inibi ordinare, se inconsulto, nullo modo præsumeret. Simul & Girannum Senogalliensem Episcopum à suo latere direxit executorem. Quem deludens Aurelianus ad Lingonensem præmisit Vrbem, pollicitus se citissimè subsecuturum. Quò, cùm diu exspectaretur, nec ipse aduenit, nec moræ suæ causam innotuit, nec Papæ remandare prouidit. Quocirca iteratò Clerus, & populus cum Decreto omnium manu roborato præfatum Electum Romam remiserunt, obnixè rogantes sibimet illum consecrari, sed nec tunc id agere acquieuit, volens Lugdunensi Ecclesiæ collatum priuilegium consistere immutilatum, ideòque Aureliano iteratò rescribens mandauit, vt quia concordi voto Clerus, & populus iam dictum Diaconum expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo reprehensibile iudicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adijciens, non solùm oblatum consecrare, vel quid in eo reprehensibile iudicaret rescribere contempsit, verùm etiam contra interdicta, & sacrorum Canonum Instituta quemdam extraneum, & eidem Ecclesiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere niti præsumpsit. At hi potiùs laborem subire, quàm subijci ignoto eligentes, ad illum redierunt, implorantes ne pateretur Ecclesiastica iura violari.] Quare Stephanus tandem consecrauit Theutboldum, & eius inthronizationem sancto Fulconi Rhemensium Metropolitæ delegauit per hasce literas: [Nos, qui omnium Ecclesiarũ in beato Petro Apostolorum Principe curam suscepimus, scientes inter Episcopos non haberi eum, qui neque à Clero electus, neque à populo est expetitus, dictum Theutboldum, venerabilem Diaconum, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensi Ecclesiæ Episcopum consecrauimus, condigna sententia præuaricatoribus illata, licèt & alijs præuaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ iniungimus Sanctimoniæ, vt his nostris Apostolicis literis susceptis, postposita dilatione, ad Lingonensem accedas Ecclesiam, & eumdem Theutboldum, à nobis solemniter consecratum Episcopum, exindè reuestias, omnibusque Archiepiscopis, & Episcopis innotescas, pro tantæ contumaciæ vltione nos eiusdem Ecclesiæ specialem sollicitudinem suscepisse, pro tanti laboris maceratione, & illatæ oppressionis releuatione. Quidquid autem Venerabilis Episcopus Theutboldus vobis ex nostra parte retulerit, credite, & effectui mancipare nullo modo ambigite. Vtpotè tuam Reuerentiam circa nos deuotam consentire credimus.] Pergit Flodoardus: [Ad hæc Præsul Fulco rescribens gratias egit pro consolatione literarum ipsius, asserens se paratum fuisse, & esse, quæcumque sibi ab ipsius Papæ Celsitudine iniuncta fuerint adimplere: præfatam verò præceptionem de Theutboldo Episcopo explere sine mora voluisse, sed Odonis Regis sui consultu interim intermissurum, dum Rex idem suos Legatos ad eumdem Papam dirigeret, ac per eos iussionem ipsius certissimè cognosceret. Super his autem, quæ literæ ipsius Papæ prosecutæ, velle scilicet se omnibus Ecclesijs sua instituta, & priuilegia inconfuso ordine intemerata seruare, valde gauisos vniuersos Episcopos, in quorum præsentia hæc recitari fecerat.] Stephanus sextus fuit doctus, sanctus, ac Apostolicæ authoritatis zelosus Pontifex, & tamen Theutboldum, licèt instantissimè rogatus à Lingonensi Ecclesia, bis remisit ad suum Metropolitam, & nonnisi in tertia instantia consecrauit. Quòd nempè nonnisi in extrema Ecclesiarum necessitate

Epist. 281. 292.

Pon-

Pontifex valeat vti suo Primatu.

Similem rei seriem olim vidit Cameracensis Ecclesia. Arnulphus, & Gerbertus dudum litigarunt pro Archiepiscopatu Rhemensi. Ille à Synodo degradatus, verùm Romæ in appellatorio iudicio restitutus, hic autem ibidem damnatus erat de intrusione, ac interim Regiæ violentiæ auxilio retentabat Ecclesiam. Hinc Cameracensium electus Herluinus ab Arnulpho non potuit, à Gerberto consecrari noluit, ideòque accessit Romam, petens consecrari à Gregorio quinto. Ob diuturnam vacationem laicis rapinis laniabatur Cameracensis Ecclesia, hinc illum consecrauit Pontifex, & ad Sedem remisit cum hisce literis: [Quoniam, sicut omnibus pęnè notum est, interueniente hac re, quæ inter Arnulphum Rhemensis Ecclesiæ Archipræsulem, & Gerbertum eius inuasorem excreuit, Herluinus Præsul, illorum odijs Rhemis consecrari Canonico more nequiuit, eius consecratio ad Apostolicam Sedem vsque ad nos haud iniustè peruenit.] Profitetur Herluinum nonnisi ob deuolutum ius potuisse à se consecrari. Habes hæc apud Baldricum Tornacensem Episcopum in Chronico Cameracensis Ecclesiæ; Herluino proximè successit sanctus Gerardus. Electum sanctus Imperator Henricus ad se euocauit Neomagum, & coram se fecit consecrari in Presbyterum. Instabat tunc Bambergensis, per dictum Principem fundati, Episcopatus dedicatio, & pergit Baldricus: [Post hæc monuit Gerardum Imperator, vt secum ad nouum Episcopum dedicandum vnà proficisceretur, ibique in sua præsentia à Missis Apostolicis, multisque Coepiscopis, siue Abbatibus, qui illuc ad encænia templi conuenire deberent, ordinaretur Episcopus. Qui etsi honorabiliùs, & disciplinatiùs coram Regia pompa, & Lotharienſi solertia sciret se ordinandum, tamen loci amore, quo nutritus erat, captus, à nullo quidem nisi à Metropolitano Rhemensium Archiepiscopo se ordinatum iri velle respondit. Quippè satis prouidè, & prouidenter causam considerans, ne fortè videlicet eò etiam ipse consuetudini Sedis Metropolitanæ contraire videretur, quod Dominus Herluinus Episcopus ob supra dictam contentionem Romæ ordinationem susceperat. Quo audito Imperator, altioris consilij illum aduertens, libenter acquieuit.] Sanctus Gerardus censuit se nonnisi ob extremam necessitatem posse à Romano Pontifice consecrari.

Lib.1.c.111.

Lib.2.c.2.

Etiam post septimi Gregorij tempora habemus plurima similia exempla, Gaufredum Carnutensem Episcopum degradauit ille Gregorius, mandauit à Richerio Senonensium Metropolita permitti nouam electionem, Electum consecrari, & minitatus est ipsum alioquin à se consecrandum. Verùm nulla fuit facta executio. Hinc Gregorij mandata firmauit, ac innouauit Vrbanus secundus; Et tunc electus fuit sanctus Iuo. Verùm Gaufredo fauere perrexit Richerius, ideòque cum suę electionis Decreto Romam Iuo adijt, & consecratus est à dicto Vrbano. Et ecce hinc maiores motus. Reducem Iuonem Richerius noluit agnoscere Episcopum, ipsum dixit dismembratorem Metropolitanæ Sedis, & datam à Papa consecrationem non simpliciter benedictionem, sed hostili irrisione appellauit qualemcumque benedictionem. Addit Iuo in literis ad Vrbanum Pontificem: [Notum facio Beatitudini vestræ, quòd Senonensis Archiepiscopus, consilio Parisiensis Episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi Episcopo, & duobus alijs non dissimilis vecordiæ, Meldensi, & Tricassino, hoc anno Stampis de Ordinatione, quam à vobis acceperam, me inordinatè satis accusauit, dicens me in Maiestatem Regiam offendisse, qui à Sede Apostolica consecrationem præsumpseram accepisse. Cùm itaque conarentur in me depositionis sententiam proferre, Sedem Apostolicam appellaui.] Galliarum Rex est Ecclesiarum, ac ecclesiasticorum priuilegiorum protector: Hinc Richerius asseruit Iuonem non solummodò in suæ Sedis priuilegia excessisse, sed insuper in Regiam Maiestatem. Et de Huberto Syluanectensi episcopo, Romæ per Paschalem secundum consecrato, scribit idem Iuo ad eumdem Pontificem: [Filius vester, & confrater noster Syluanectensis episcopus pro Romana Ecclesia contra Romanam Ecclesiam absque audientia, & iudicio de propria Sede pulsus, rerumque suarum damna perpessus, quamuis hoc anno redierit à Sede Apostolica munitus literis Apostolicis, tamen nec apud Regem tribulationis suæ aliquod inuenit remedium, nec apud Metropolitanum suum paternum suffragium, nec apud Comprouinciales suos fraternum solatium.] Rex misit violentas manus in cunctas episcopales possessiones, ac insuper Præbenda, quam ante habuerat in Parisiensi Ecclesia, illum iussit spoliari. Hinc miserandum exulem sanctus Iuo aluit, iuxta Canones Sardicenses. Et edicit huius persecutionis causam: [Filius vester, creatio vestra.] Etiam in alia epistola scribit ad eumdem Pontificem: [Hubertus Syluanectensis episcopus, creatio vestra.] Affirmat huius persecutionis causam fuisse Romanam consecrationem. Ex ijsdem verbis lucet labi in nouis ad sancti Iuonis epistolas Notis Ioannem Baptistam Souchetum, qui censet istum Syluanectensem episcopum fuisse Hugonem, aut Letholdum. Non hos, sed Hubertum fuisse Paschali coæuum, ostendunt in Gallia Christiana fratres Sammarthani. Qua de causa Hubertus fuerit Romæ consecratus, discere possis ex alia sancti Iuonis ad eumdem Pontificem epistola: [Ego, & Dominus Theobaldus, beati Martini Monasterij Parisiensis Prior, audientes miserabilem, & mirabilem Rhemensis Ecclesiæ desolationem, ausu familiaritatis Regem Francorum opportunè, & importunè interpellauimus, quatenus prædictæ Ecclesiæ expulso inuasore Geruasio pacem restitueret, & Dominum Rodulphum, in gratiam suam receptum, eidem Ecclesiæ præesse concederet.] Profanum Geruasium in Trecensi Synodo ad duodecimi sæculi annum octauum damnauerat, & eijciendum mandauerat Paschalis secundus, & consecrauerat Radulphum. Factum id fuit sine Regio assensu. Hinc Ludouicus Rex Radulphum est durè persecutus. Et durante hac lite, Syluanectensium Electus Hubertus, quòd Rhemis consecrari non posset, consecrandus iuit Romam, ibidem consecratus est, & redux

Epist. 12, 8.

Epist. 244.

Epist. 103.

Epist. 190.

dux cecidit in easdem persecutiones. Etiam in persecutionem Radulphi. Et ad vndecimi sæculi octogesimum secundum annum scribit in sancti Petri viui Chronico Clarius Monachus: [Kalendis Nouembris obijt Waltherus Meldensis Episcopus. Et in sequenti septimana Hugo Diensis Episcopus, Romanæ Ecclesiæ Legatus, congregauit Concilium in eadem vrbe, & ordinauit Episcopum Robertum Abbatem Ecclesiæ Resbacensis. Quod quia sine præsentia, & assensu Richerij Archiepiscopi Senonensis, & Coepiscoporum eius factum est, excommunicauerunt eum.] Ecclesiæ Atrebatensi, quoniam Cameracensis Henrico quarto Ex-Regi pertinaciter adhærebat, Vrbanus secundus dedit, aut potiùs reddidit proprium Episcopum, illaque sibi in primum Episcopum elegit Lambertum, Abbatem Acquiscinctini Monasterij. Et ipsum, quòd Rhemensium Metropolita Rainaldus recusaret, Romæ consecrauit idem Pontifex. At ob læsum ius Metropoliticum tanti hinc sunt nati motus, vt etiam per Claromontanam, in cuius itinere Lambertus fuit ferè trucidatus, Synodum vix potuerint componi. Varias variorum de hac re literas habes apud Ferreolum Locrium, & apud Lucam Dacherium.

Auitum Gallicanæ Ecclesiæ sensum edicit Glaber Rudolphus. Andegauensium Comes Fulco, è terra sancta reuersus, apud Turones prope Castrum Lucassense exstruxit nouum Monasterium, & Turonensium Archiepiscopus Hugo dedicationem rogatus denegauit. Quædam à Fulcone inuasa ecclesiæ suæ prædia voluit antea restitui, ex quo vides quòd suas res ante sacrum ministerium repetere non sit Simonia. Interim Fulco ad Ioannem decimum octauum misit Legatos, & munera, Pontifex cum istis remisit Petrum Cardinalem Episcopum, & hic Apostolica authoritate Monasterium dedicauit. Scribit verò dictus Glaber; Lib 4. c.8 [Quod audientes Gallicani quique Præsules, præsumptionem sacrilegam cognouerunt ex cœca cupiditate processisse, dum videlicèt vnus rapiens, alter captum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creauissent. vniuersi etiam pariter detestantes, quoniam nimirùm indecens videbatur, vt is, qui Apostolicam regebat sedem, Appstolicum primitus, & Canonicum transgrederetur tenorem. Cùm insuper multiplici sit antiquitùs authoritate roboratum, vt non quisquam Episcoporum in alterius Diœcesi istud præsumat exercere: nisi Præsule, cuius fuerit, compellente, seu permittente. Et iterùm: Licèt Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ Sedis cæteris in orbe constitutis reuerentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim vnusquisque Orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex, ac sponsus propriæ Sedis vniformiter speciem gerit Saluatoris, ita generaliter nulli conuenit quidpiam in alterius procaciter patrare Diœcesi.] Ad hunc locum scribit in opere de Sacerdotij, ac Imperij concordia Dominus Petrus de Marca: Lib. 4c.8. [Laudatur sæpè locus Rodulphi Glabri, Monachi Cluniacensis, qui anno millesimo quinquagesimo scribebat, vt doceatur ea tempestate persuasum Gallis Episcopis fuisse, nihil à Romano Pontifice in Gallis contra Canones tentari debere.] Ex eodem principio de Innocentio secundo Pontifice sancti Medardi apud Suessiones Ecclesiam dedicante, scribit in sancti Petri viui Chronico Clarius Monachus: [Papa ante dedicationem Ecclesiæ Anno 1131. Odonem Abbatem nolente, sed contradicente Episcopo Suessionensi Aurelianis benedixit.] Suessionensis ille Episcopus fuit Ioslenus, celeberrimus antea apud Parisienses Magister: Censuit Pontificem in alienis Parochijs, & in alienos subditos non posse ministrare. Et inter varias querelas, quas aduersùs Bonifacium octauum, & Romanam tunc Ecclesiam adduxit Francorum Rex Philippus Pulcher, fuit, & hic articulus: Consecrationes Archiepiscoporum, & Episcoporum ademptę sunt Episcopis comprouincialibus.

Idem olim censuit Germanica, Anglicana, ac etiam Italica Ecclesia. Possit exemplis demonstrari. Consonat, & Orientalis Ecclesia. Etenim in libris de Primatu Papæ Nilus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicensis affirmat Papam non esse Apostolum, sed Romanæ ciuitatis dumtaxat Episcopum, & subiungit: [Et Petrus quidem alium in Antiochia, alium in Alexandria ordinat Episcopum, & alium alibi; Romæ autem Episcopo hæc non permittuntur.] Et in libro de Principatu Papæ Barlaamus Monachus ex vigesimo octauo Chalcedonensi Canone, & Imperatoris Iustiniani legibus profitetur Romanum Papam esse primum, Constantinopolitanum Patriarcham esse dumtaxat secundum Catholicæ Ecclesiæ Episcopum, & adiungit: [Canon, & lex hunc decreuerunt, esse ordine secundum, neque tamen ita secundum, vt ab illo crearetur. Quandoquidem Cap. 6. nec hic, nec alius quisquam Patriarcharum à Papa ordinabatur. Etenim leges sanxerunt, vt ordinationis episcoporum summa, plenaque authoritas penès singulos Metropolitas esset, isti autem à Patriarchis constituerentur. Patriarchas verò à Papa ordinari nulla lex iussit.] Affirmat Patriarcharum consecrationem à nullo Canone permitti Papæ, ac pergit: [Quod si vllum vspiam Canonem repereris, qui Patriarcharum ordinandorum summam authoritatem Papæ tribuat, indica modò nobis illum, illicò viceris. Sin hæc nunquam reperire poteris, qua tandem necessitate cogimur, vt ea, quæ tu è proprio sensu depromis, admittamus? Prætereà, Hierosolymitani Episcopi qua ratione debent à Papa ordinari? Neque enim, aut Dei frater Iacobus à Petro ordinatus est; aut huius successorem par fuit neminem fuisse, nisi Papa illum creasset. Multis hæc demonstrare studet, ac tandem concludit. [Nulla lege præcipitur, aut consuetudine obtinet, vt Patriarchæ à Papa constituerentur. Neque verò ita fuit factitatum aliquando.] Ab alieno Metropolita patratas episcoporum consecrationes hodierni Græci adeò auersantur, vt censeant irritas, & nullas. Etiam factas à Papa. Quam sententiam apud ipsos non esse nouam, est suo loco demonstratum. Et hæ quidem sunt præcipuæ rationes, ex quibus Papa quibusdam videtur alienarum

Pro-

Prouinciarum Episcopos non posse consecrare.

CAPVT II.

Romanus Pontifex potest vbique consecrare Episcopos, etiam in alienis Patriarchatibus.

RESpondeo istum errorem esse manifestè Eusebianum, atque Schismaticum. Est Schismaticis hodiè Græcis palmare fundamentum, ex quo sperant Romanum Primatum euertere, atque stabilire Eusebianas ineptias Philippo-Politani Conciliabuli. Longè aliud in literis ad AutonianumEpiscopum profitetur gloriosus MartyrCyprianus. Schismaticam Nouatiani Antipapæ intrusionem neruosè exagitat, atque prosequitur: [Cùm sit à Christo vna ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa, item episcopatus vnus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, Nouatianus post Dei traditionem, post connexam, & vbique coniunctam Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, humanam conetur facere Ecclesiam, & per plurimas ciuitates nouos Apostolos suos mittat, vt quædam recentia suæ institutionis fundamenta constituat. Cumque iam pridem per omnes Prouincias, & per vrbes singulas ordinati sint episcopi, in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios Pseudo-episcopos audeat. Quasi possit, aut totum orbem noui conatus obstinatione peragrare, aut ecclesiastici corporis compaginem discordiæ suæ seminatione rescindere.] Quæ verba altè clamant Romanorum Episcopo esse plenam potestatem, qua totum orbem ipsemet peragret: aut quaquà versùm destinet Legatos, & aut per hos, aut per semetipsum consecret vbique episcopos. Et ista potestate videtur Nouatianus ad suum Schisma firmandum voluisse vti: Et hanc vanitatem videtur sanctus Cyprianus in ipso arguere. Est enim vanitas Hæresiarchis familiaris. Ita de Hierosolymitanæ Ecclesiæ impio inuasore Theodosio, quòd nouos episcopos sacrare tentarit, atque cœperit per omnem istum Patriarchatū, testatur in suis, post Chalcedonensem Synodum exstantibus edictis, Imperator Martianus. Et confirmant Epiphaniensis Euagrius, ac Nicephorus Calixtus. Quod ipsum tentauit, & Hæresiarcha Guibertus.

Ep. 41. — Ep. st. 8 15.

Et ista sua potestate Romani olim Pontifices frequenter citra cuiusquam contradictionem fuerunt vsi. Non tantùm in Prouinciales, aut Metropolitas Antistites; sed etiam in Patriarchas. Etenim in Eusebiani Chronici supplemento scribit sanctus Hieronymus: [Eusebius, & Lucifer de exilio reuertuntur. E quibus Lucifer adsciscitis alijs duobus Confessoribus Paulinum Eustatij Episcopi Presbyterum, qui se numquam hæreticorum communione polluerat, in parte Catholica Antiochiæ Episcopum facit.] Sanctum Eustatium Antiochiæ Patriarcham, quem in sancti Philogonij apud se defuncti locum euexerat Nicæna Synodus, deiecit Eusebiana factio, & istam Ecclesiam redegit in suam seruitutem. Verùm hæretici, licèt eiusdem Sectæ, sunt passim Cadmæi fratres. Istiusmodi etiam fuerunt Ariani. Nam, & ipsa Eusebiana factio non fuit nisi frustum totius Ariani corporis. Etiam illa in Seleuciensi Synodo semetipsam lacerauit in alia frusta, atque ita factum est, quod in eodem supplemento scribit idem Hieronymus. [Meletius, Sebastiæ Armeniorum Episcopus, ab Acacio, & Georgio, Arianis Episcopis, Antiochiam transfertur. Et post non grande temporis interuallum, cum Presbyteros, qui ab Eudoxio Antecessore suo depositi fuerant, suscepisset, exilij iustissimam causam subita fidei demutatione delusit.] Acacius Luscus, Cæsariensis in Palestina Episcopus, erat magnus in Antiocheno Patriarchatu Metropolita, Georgius autem Laodicensis Episcopus erat Antiocheni Patriarchæ in primæ Syriæ Prouincia nobilis Suffraganeus: & ad ipsos omninò spectabat Patriarchæ promotio. Hinc in Eudoxij, cuius omnem factionem damnauerant Seleuciæ, locum intrusere Meletium. Acacianæ factionis apud Seleuciam Acta prosecutus est Meletius, atque ita ob dogma degradatos ab Eudoxio Presbyteros reparauit vti gloriosos Confessores. Eudoxiana factio apud Antiochiam erat potentior Hinc, & ipsa abiecit Meletium, & ipsi superordinauit Euzoium. Erat illic, & Eustatiana communio: Catholica sub Presbyteris, & Clericis sine Episcopo Christianitas, quæ intrusis per Arianos Episcopis numquam voluerat communicare. Hanc sibi conciliare studuit extrusus Meletius, Catholicam fidem cœpit profiteri, & conatus est illi esse episcopus. Et plures ipsum sunt secuti. Cum ipso in suburbanis campis, vtpote ciuitate eiecti, sunt compulsi agere Synaxes: Et hinc dicti Campenses. Verùm quòd Arianus fuisset, & ab Arianis esset intrusus, multi sunt ipsum auersati. Hinc Lucifer Calaritanus Episcopus illic consecrauit Paulinum, virum per per omnia integrum, Eustatianæ, seu Catholicæ communionis immaculatum sectatorem. Ordinationis, quæ & ipsa multis quæstionibus ansam præbuit, seriem habes apud Socratem, Hermiam Zozomenum, Theodoretum, ac alios authenticos Scriptores.

Anno 363. — Anno 360.

Quæstio est, qua authoritate Lucifer id attentauerit? Erat latinus Episcopus, proscriptus, & exul, nihil commune habens cum Antiocheno Patriarchatu. Respondeo illum egisse ex authoritate Apostolicæ Legationis. Fateor hanc lucido testimonio non posse demonstrari: Attamen firmæ ipsam stabiliunt coniecturæ. Etenim totius Orientalis, ac præsertim Antiochenæ Ecclesiæ calamitates exponit in literis ad Sanctum Athanasium magnus Basilius, & prosequitur: [Virosaliquos Ecclesiæ tuæ potentes in doctrina sana, ad Occidentales Episcopos mitte, quibus calamitatibus occupemur, & premamur, illis exponant. Instrue illos forma narrandi, qua vtantur. Esto Samuel Ecclesijs. Scio quàm langueant epistolæ ad conferendam operam tanto negotio.] Hinc vult mitti Legatos ab Athanasio: Quod is Romanæ Ecclesiæ esset notus, & gratus. Easdem calamitates amplè exponit in literis ad Occiden-

Epist. 41.

Ep 71. cidentales Episcopos, & prosequitur: Cùm itaque ad hunc modum se habeant res nostræ, debebant continuò à Dilectione vestra ex synceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos, & oppressos inuiserent, & multò crebriùs amicæ ad nos vestræ destinari literæ, quibus, vel in Proposito confirmaremur, vel si qua in re offendimus, corrigeremur.] Quod ipsum repetit in varijs epistolis. Vna sic habet: [Prorsùs nihil intempestiuum cupimus, sed quod beatis olim viris in more positum fuit, & omnium in primis familiare vobis ipsis. Nouimus enim partim beneficio memoriæ per successionem rerum à Patribus ad nos deductarum, partim per literas edocti intelligimus, quæ sunt etiamnum apud nos custoditæ, Dionysium illum beatissimum Episcopum, qui olim apud vos celeberrimus erat, tùm ob fidem syncetam, tùm virtutes reliquas egregias, per literas suas ecclesiam nostram Cæsariænsem curasse, misisseque huc de suis, qui fratres liberaret è captiuitate. Hæ omnes literæ scriptę sunt ad Damasum Pontificem, post Paulini promotionem, ob natas, vel certè auctas ab ipsa turbas. Etenim Paulinus, & Damasus sunt promoti eodem anno. Et eodem anno Eusebius Vercellensis Episcopus, ac eius Collega Lucifer redierunt in Italiam. Ex exilio, & non ex exilio. Etenim ipsorum proscriptor Constantinus Augustus obijt istius sæculi anno sexagesimo primo, & eius Successor Iulianus statim omnia episcopalium exiliorum Constantiana Edicta circumduxit. Et anno sexagesimo quarto regnare cœpit Orthodoxus Iouinianus, & statim post hunc Orthodoxus Valentinianus, atque ita Eusebius, & Lucifer anno sexagesimo sexto, quo redierunt in suas ecclesias, iam dudum erant liberi ab exilio. Cur igitur tamdiù hæserunt in Oriente, cur suas oues tam diù deseruerunt? Certè alia non fuit causa, quàm Apostolica ipsis per Liberium imposita Legatio. Et hinc statim post ipsorum reditum, & magnus Basilius, & sanctus Athanasius, & alij Orientalium Episcoporum Primates instantissimè cœperunt nouos Legatos postulare. Laudatus Basilius, & alij plures per Orientem magni Episcopi pertinaciter contra Paulinum fauerunt Meletio, & eius ordinationem impugnauerunt ex omni latere: Et tamen ipsorum nullus adduxit Luciferum non fuisse legitimum Consecratorem. Quia nempè non sua, sed delegata Liberij potestate consecrauerat. Et Romanas Legationes apud Orientem fuisse semper familiares, iam dixit sanctus Basilius. Et nota hæc eius verba: [Si qua in re offendimus, corrigeremur.] Edicunt Romanis Legatis tunc fuisse proprium in Oriente Tribunal.

Ep. 219.

Eadem consecrandi authoritate vsus fuit Agapetus Pontifex. Quomodo Theodatus Gothorum in Italia Arianus Rex ipsum legarit Constantinopolim, & quomodo ipse illic Anthimum Trapezuntinum episcopum, quem Imperatrix Theodora intruserat in Regiæ Ciuitatis Cathedram, degradauerit, atque eiecerit ob Eutychianam hæresim, refert in Breuiario Liberatus Diaconus, & adiungit: [Tunc Papa Principis fauore Mennam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica sanctæ Mariæ.] In Constantinopolitana istius Mennæ Synodo exstat post Agapeti mortem exhibitus Imperatori Iustiniano libellus, quo omnes Orientales Archimandritæ profitentur hæc esse facta ad suas preces, magnis præconijs ornant Agapetum, ac de ipso pergunt: [Iste honorabilis vir, sciens per libellos plurimorum nostrorum ea, quæ iniquè contra ecclesias præsumpta fuerant, neque ad visum suscipere voluit Anthimum, furentem aduersùs Canones, sed nunc iustè eiecit de Sede ciuitatis suæ, & coopitulante, & coadunato Catholicæ fidei, & Diuinis Canonibus vestro Imperio, præfecit ipsi ecclesiæ sanctissimum Mennam.] Non tantùm Anthimi damnationem, sed & Papalem noui Patriarchę consecrationem profitentur à se fuisse postulatam, & factam secundùm Canones. Fuisse postulatam etiam ab Imperatore Iustiniano testatur liber Pontificalis: [Tunc pijssimus Augustus Iustinianus rogauit beatissimum Papam Agapetum, vt in locum Anthimi consecraret Episcopum Catholicum, nomine Mennam.] Certè contra Canones tantus Canonum executor non postulasset. Et hinc eamdem consecrationem laudant in ecclesiastica historia Anastasius Bibliothecarius, ac Martyr Theophanes. Ambo Græci, ac eximiè eruditi. Proindè Barlaamus Monachus Canonem, qui Patriarcharum consecrationem permittit Romano Pontifici, possit ab istis Archimandritis, ac ipso etiam Imperatore Iustiniano petere, ac discere. Eum edicit ipse Papa Agapetus in exstantibus ibidem literis ad Petrum Hierosolymæ Patriarcham. Mennæ personam, ac electionem facundè laudat, atque adiungit: [Et hoc eius dignitati addere credimus, quòd à temporibus Petri Apostoli nullum alium Orientalis Ecclesia suscepit episcopum manibus nostræ Sedis ordinatum. Et forsitan, vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta peruenit, vt illis ipsis similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum Primi electio ordinauit. Commune itaque gaudium, Fratres, pia exultatione suscipite, & quantùm vos Apostolicæ Sedis nostræ iudicium comprobatis, consueta rescriptione significate. Habentes duplicem exultationis causam: Et quòd mala sine mora corrigantur, & pro his Optata subsecuta fuerint. De cætero præcauentes, ne rursùm Canonicis sanctionibus quid contrarium per vos fiat, vestro accedente consensu.

Cap. 21.

Notanda est vox, Fratres. Euincit epistolam non ad solum Petrum, sed scriptam esse ad omnes Orientales Patriarchas, atque episcopos. Et hinc rectum est eius marginale Scholion: [Encyclica Epistola Agapeti Papæ.] Et ex ipsa discimus varia. Primò, quod vti Anthimi translatio fuit aduersa Canonibus, ita Mennæ consecratio eisdem fuerit conformis. Secundò, quòd Papalibus manibus data consecratio sit magna consecrati, etiam Patriarchæ, dignitas. Et hinc inter ampla Magdeburgensis ecclesiæ priuilegia, quòd eius Archiepiscopus possit à solo Romano Pontifice consecrari, numerat Ditmarus Episcopus Merseburgensis. Nam, & ex ista consecratione plures olim episcopi Lib. I.

præten-

prætenderunt esse exempti ab omni potestate Metropolitica. Tertiò discimus, quòd sanctus Petrus Apostolus etiam in Orientalibus Ecclesijs consecrauerit plures episcopos, ideòque eamdem authoritatem esse eius in Romanam Cathedra Successoribus. Quòd enim Apostolorum acta sint nobis, & exempla, & Canones, docet in libris de cordis compunctione sanctus Ioannes Chrysostomus. Quartò discimus, quòd hanc consecrationem omnis Orientalis Ecclesia non tantùm suo suffragio, sed etiam communi gaudio comprobauerit. Certè Mennam, vti Canonicum per omnia Patriarcham, etiam quinta generalis Synodus admisit, ac honorauit. Eius consecrationem nullus vnquam legitur fuisse calumniatus.

Schismaticus Ancyræ Metropolita Macarius blaterat Romano Episcopo in Patriarchas nullam esse potestatem, hanc nullo fulciri Canone, & prosequitur: [Nam quod fortuitò per Vigilium, sanctissimum veteris Romæ Pontificem, tunc Bysantij commorantem, cùm quinta Synodus cogeretur, ordinatus est Mennas sanctissimus Patriarcha in Regiæ Ciuitatis Sedem, non ideò existimandum est, quòd vel sub eo esset, vel quòd ita mos obtinebat, nempè à veteris Romæ Pontifice, vel suo ipsius consilio, iunioris Romæ Præsulem ordinari, ordinationem illam fuisse factam. Etenim si id esset, vt multa silentio inuoluam, cùm & Theophilus sanctum Ioannem Chrysostomum, & Dioscorus Diuinum Anatolium in Sedem Constantinopolitanam promouerint, qui ambo Alexandrini erant episcopi, & Dioscoro præterea maxima cum sancto Leone Romano simultas erat, sequeretur, & Alexandrinum sibi subditum habere Constantinopolitanum, vel eum in posterum ordinare, aut suo consilio ordinari. Verumtamen hoc esse præter rerum ordinem, sacrosque Canones, res ipsa clamat.] Respondeo Macarium varia hallucinari. Etenim Mennas non in quinto Concilio, sed diù ante illud, nec à Vigilio consecratus fuit, sed ab Agapeto. Malè item Anatolium titulat Diuinum. Longè enim aliud de ipso censuit magnus Papa Leo. Rectè tamen Macarius asserit Dioscorum ob attentatam Anatolij consecrationem fuisse ab eodem Leone increpatum. Addo, & à Chalcedonensi Synodo fuisse damnatum. Attamen non per Alexandrini Patriarchæ authoritatem Dioscorus illud attentauit. Hic est alius Macarij error. Dioscorus à secundi Ephesini Concilij Præsidentia exclusit Legatos laudati Pontificis, per Hæresiarchæ Eutychetis appellationem garriuit hunc è Iudice demutatum in reum, aut accusatorem, & præsidendi ius ad se, vtpotè secundum ecclesiæ episcopum, esse deuolutum. Huius deuolutæ authoritatis fuco celebrauit generalem Synodum, omnia huius priuilegia vsurpauit, degradauit sanctum Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, atque ita in eius locum consecrauit Anatolium, suum Archidiaconum, & nuperrimum in Regia Ciuitate Apocrisarium. Etenim Oecumenica Synodus in degradatorum à se Episcoporum Sedes potest per suum Præsidem consecrare alios. Imò, & in Cathedras apud se morientium. Nam Nicœna Synodus in sancti Philogonij Patriarchæ Antiocheni, apud se defuncti, locum promouit sanctum Eustatium. Adeò antiquis fundamentis nititur hodierna Romanæ Ecclesiæ regula de Beneficiatis morientibus in Curia. Illo igitur iure vsus fuit Dioscorus. Et ob istud attentatum meritò damnatus est à Chalcedonensi Concilio.

Sanctum Ioannem Chrysostomum fateor fuisse sacratum à Theophilo, Patriarcha item Alexandrino. Et hac de re scribit in istius vita Alexandrinus Patriarcha Georgius: [Ioannem ordinat inuitus Theophilus Alexandriæ Præsul. Timendi enim ei erant accusationum libelli, nisi ordinationi annuisset.] Nempè Ioannis promotionem impedire omnibus neruis studuit Theophilus, ideòque eius consecrationem non inuasit, sed fuit ad ipsam compulsus. Causam addiscere possumus ex Socrate: [Quò Ioannis ordinatio plus haberet authoritatis, aderant de Imperatoris mandato cùm alij complures episcopi, tùm Theophilus Alexandrinus.] Et de Synodo ad Quercum habet idem Scriptor: [Theophilus callidè molitus est, vt de Heraclidis ordinatione primùm quæreretur, quò ansam arriperet ad Ioannem denuò abdicandum.] Et infrà: [Ioannes Serapionem, cuius causa odium in ipsum fuerat ante incensum, Episcopum Heracleæ, vrbis Thraciçæ, designauit.] Isti Synodo præsedit Paulus Heracleæ Episcopus. Disertè id habes in Synodalibus actis apud Bibliothecam Photij. Nempè Heraclides, quem statim in sui episcopatus exordio Ioannes consecrarat, fuerat in primo istius Pseudo-Synodi iudicio degradatus, ac in eius Sedem intrusus Paulus. Proindè electi Ioannis tempore Heracleensis, per cuius Antistitem debet Constantinopolitanus consecrari, Ecclesia vacabat, atque ita Theophilus, vtpotè dignior inter præsentes episcopos, fuit compulsus ad Ioannem consecrandum, & honorandum. Quotiescumque Heracleensis Metropolita fuit defunctus, absens, aut impeditus, quiuis episcopus ex Principis, aut Synodi arbitrio fuit assumptus ad istam consecrationem. Proindè sanctum Ioannem Theophilus ordinauit eo iure, quo Theodoretus Cyrensis in Eufratesia Prouincia episcopus scribit à se ordinatum Irenæum Tyri Metropolitam: [Adductus Phœniciæ episcoporum Decreto, Episcopum Irenæum ordinaui.] Alioquin Theophilus si inuasisset, omninò fuisset ab ipso Ioanne, vel ab Innocentio Papa, vel à Palladio Helenopolitano Episcopo, vel alio simili Scriptore, tanquam Attentator redargutus. Certè eius Antecessorem Petrum, quòd ibidem ordinasset Maximum Cynicum, grauissimè arguit Constantinopolitana Synodus. Et præfatum Anatolium, quòd Maximum Antiochiæ Patriarcham consecrare presumpsisset, durissimè increpauit sanctus Papa Leo. Etiam istius Successorem Acacium, quòd Calendionem Antiochiæ item Patriarcham consecrasset, damnauit Fœlix tertius. Ita habent antiqua acta de nomine Acacij. Nempè vnum Patriarcham ab alio consecrari vetant Nicœna Synodus, & perpetua consuetudo. Repugnat eorum Autocephaliæ. At verò Mennæ consecratio-

Lib. 6. c. 6.

Cap. 15.

Epist. 110.

Epist. 53. c. 2

crationem non ob Heracleensis mortem, vel absentiam, sed ex sancti Petri priuilegio fecit Agapetus. Et ipsam comprobauit omnis Oriens. Nam, & Rituales eius libri habent ad vigesimum quintum diem Augusti: [Beatus Mennas, ætate Iustiniani Imperatoris, Constantinopolitanæ sanctę Ecclesiæ Presbyter, promotus est ad Archiepiscopatum ab Agapeto Papa Romano, qui Constantinopolim aduenerat. Hic Anthimum Hereticum Trapezuntinum, in Constantinopolitanam Sedem ab hæreticis translatum, deposuit, & Beatum Mennam ordinauit.] Ordinationem manifestè laudant,& probant. Notanda sunt Macarij Ancyrani verba: [Vel eum ordinare, vel suo consilio ordinari.] Profitentur quòd ille,qui alicuius ordinationem suo consilio regere, seu confirmare debet, eumdem etiam possit ordinare. At verò omnium Patriarcharum consecrationem Papa confirmare debet. Res est lucida apud peritos Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & perpetuæ consuetudinis. Ergo potest,& ipsos consecrare. Porrò Barlaamus Monachus, dum S. Iacobum Hierosolymæ Episcopum negat à S. Petro consecratum, audacter loquitur. Etenim fuisse consecratum disertè affirmat famosa epistola Papæ Anacleti. Eius author loquitur ad sensum sui temporis.

CAPVT III.

Eadem Romani Pontificis potestas demonstratur ex Actis sancti Martini Papæ, & Martyris.

EOdem iure per omnem Orientem vsus est S. Papa, & Martyr Martinus. Grassante hæresi Monothelitica, & Imperatore Heraclio potiùs ad eius, quàm ad Reipublicæ tutelam attendente,Saracenorum Princeps Homar inuasit Antiochiam, Hierosolymam, Damascum, omnem ferè Syriam; Et deuastauit omnes Ecclesias. Rei compendium audiamus à S.Theophane: [Hoc anno,] vtique Christi Domini sexcentesimo vigesimo, vel potiùs trigesimo septimo, [Homarus in Palestinam suscepit expeditionem, & obsidione per annos duos ad sanctam Ciuitatem continuata, tandem fide data eam in potestatem accepit. Sophronius autem Hierosolymorum Antistes fidem ab eo pro totius Palestinæ incolumitate acceperat. In ea rerum calamitate Sophronius præclaris verbis, & Gestis Hierosolymorum Ecclesiam olim amplificans, de Heraclio, & Monothelitarum ipsi addictorum prauitatibus, & Commentis, deque Sergio, & Pyrrho confutatis, clarissima trophæa referens; defunctus est. Eodem anno Homarus Iasdum in Syriam misit, qui totam illam Prouinciam in Saracenorum potestatem redegit.] Et ad eiusdem sæculi annum trigesimum nonum scribit: [Hoc anno Arabes Antiochiam armis expugnarunt.] Sequenti anno inuaserunt Mesopotamiam, ac tandem vniuersam Syriam. Et hæc tempora rectè scribit in Ecclesiastico Chronico Onuphrius Panuinus: [Hierosolymorum Episcoporum successio obscura.] Etiam Antiochenorum. Aliud enim non scimus, nisi quòd Georgio, ad decimum Heracliani Imperij annum legitimo Antiochensium Patriarchæ, post Saracenicam captiuitatem successerint Macedonius, Iaribus, & Macarius, intrusi per Patriarchas, ac Imperatores Constantinopolitanos. Ita, & per Monothelitas hæreticos, & per paganos Saracenos Christianitas illic fuit miserrimè lacerata. Interim non cessauit ambitio. Etenim ad Ioannem Philadelphiæ Episcopum,Arabiæ Metropolitam, ac suum istic Vicarium scripsit sanctus Papa, ac Martyr Martinus primus: [Eius, qui falsò sibi Episcopatus nomen adfinxit, Macedonij dico, importunas literarum minas, sine protestationem fortiter despuito, vt rabidi, & temerarij canis latratum. Hunc enim Episcopum Catholica Ecclesia nullo modo nouit. Non solùm, quòd is præter Canones in externa regione sine consensu, & absque vllo certo Decreto hanc sibi appellationem vsurparit, sed & quòd consentiat hæreticis,qui hæreseos suæ appendicem,eius electionem per contemptum tumultuariè fecerunt. Quemadmodum, & Petri, qui ab ijs nominatus est, & assimilatus Episcopus Alexandriæ,vt per plures, & adscriptitias personas hæresim suam munitiorem reddant.] De ijsdem Macedonio, & Petro scribit idem Pontifex ad omnem Antiochenæ, & Hierosolymitanæ Diœceseos Clerum, ac populum: [Hortamur Dilectionem vestram, vt nobiscum semper credatis, & teneatis, deuitantes omnem hæresim, insanosque hæresium Authores, vnà cum vetere, & nouum, qui temporibus nostris à vera doctrina aberrauit, Macedonium hæreticum, quem contra Canones sibi finxerunt falsum Antiochiæ Episcopum prædicti hæretici. Quemadmodum, & Petrum Alexandriæ tumultuariè creauerunt. Hos enim sibi consentientes nacti, concurrentesque in propriæ hæreseos exitum, & similiter ipsis expositionem nouæ doctrinæ, formulamque superinductitiam accipientes, mercedem iniustam huiusmodi eorum impiæ consensionis,& vanitatis, fictam Sacerdotij ipsis imposuerunt appellationem, non ab vllo legitimo suffragio, aut Ecclesiastica successione ad hoc inducti, sed à praua, & hæretica excogitatione, vt per plures, & adscriptitias personas, vt quidem putant, constituant inconsistentem suam, & damnatam hæresim, Dei verò Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam vastent.

Epist. 5.

Epist. 11.

Destructis, aut desolatis per Saracenos, Turcos, aut alios infideles Ecclesijs titulares Episcopos hodie dant, & Constantinopolitana Ecclesia,& Romana. Est mos antiquus. Ipsum enim laudant,ac probant,atque istiusmodi Episcopos priuilegijs augent Trullani Canones. Quaptopter omninò cœpit ad Saracenorum in Ecclesiam primas grassationes. Et forsan hæc Macedonij, ac Petri promotio fuit prima istiusmodi prouisio. Quidquid sit, per hæc tempora Antiochenæ, & Alexandrinæ vacantibus Ecclesijs Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, aut nominauit, aut cum suo Clero elegit Episcopos Macedonium ac Petrum, & Constantinopoli consecrauit. Monothelita Monothelitas. Alexandrino Patriarchæ, qui Monotheliticam pestem plan-

tauit apud Ægyptios, Cyro successit Petrus, quem in Ecclesiastica historia Anastasius Bibliothecarius, ac Martyr Theophanes, & in suo Chronico laudat S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, adserens sedisse decem annis. Et in huius Petri locum memoratus Paulus intrusit alium Petrum. Nominis vnitas neminem fallat. Et hanc intrusionem Martinus Pontifex meritò damnauit. Primò, quòd esset facta de hæreticis per hæreticos,& in hæresis adiutorium: Vt per plures adscriptitias personas possent suis erroribus auctoritatis pondus addere. Secundò, quòd facta esset in externa regione. Quis enim Canon Antiocheni, aut Alexandrini Patriarchæ electionem, aut consecrationem permittat fieri Constantinopoli? Tertiò, quòd facta esset sine legitimo electionis Decreto. Istæ enim adflictæ Ecclesiæ, quamdiu fidelem Clerum, ac populum habent, spoliari non possint iure electionis. Defuncto Macedonio successit Iaribus, Iaribo Macarius, eadem via intrusi.

Eumdem Ioannem Philadelphiæ Episcopum S. Papa monet, vt cum magna dilectione hortetur eos, [qui depositi sunt, conuerti ad Dominum.] Et de ipsis adiungit: [Si virtuti gratiæ mentem obsequentem habebunt, confirma vnumquemque eorum in proprio gradu, scriptos libellos ipsis dantibus de orthodoxa fide. Et iterum: Hortamur Canonem obseruari in eis, qui præter mentem, & scientiam seipsos elegerunt, vel delecti sunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronij. Qui siue ante ipsius Patriarchiam, vel post decessum in Domino, à quibusdam non conuenienter electi sunt, propter angustiam temporis, vel quòd eius copia non adesset, qui iudicio adhibito, siue iuxta Canones eligere deberet, vel permittere. Tales datis libellis confirmari mandamus, nullatenus inde Canoni præiudicio facto. Nouit enim Canon adflictorum temporum persecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præcessit.] Eadem de re scribit ad nescio quem Pantaleonem: [De ijs, qui non Canonicè illic electi sunt in Patriarchia beatę memoriæ Sophronij, cum canonem inuiolabiliter decernimus custodiri, qui à sanctis Apostolis, & Patribus nostris constitutus est de ijs, qui in alia ciuitate præter sententiam scientiamque Pontificis, qui ei ciuitati præest, vel elegerint, vel eliguntur, vel consentiunt, vel conniuent. Canones enim Ecclesiasticos soluere non possumus, qui defensores, & custodes Canonum sumus, non transgressores. Tametsi vtramque Sedem illi violarint. Hanc quidem Apostolicam Sedem, quòd creationum præcepta non dederit; Sedem verò S. Iacobi, quòd Sophronium celare studuerint, vt cæteri liberè, sicut ipsi volunt, non sicut sanctus Spiritus iubet, electiones sibi arrogent. Tales propterea Ecclesiæ Canon castigat. Non enim confusionis, & turbationis Deus est, sed ordinis, & pacis. Qui verò ante ipsius Patriarchiam, aut post ipsius dormitionem creati sunt, de ijs scripsimus: Propter temporis angustiam, quæ sic creatis defensionis locum præbet, cum inde Ecclesiastico Canoni non præiudicetur, vt cùm libellum synceræ pœnitentiæ,siuę orthodoxæ fidei dederint, qui nuper ad id istuc à nobis directus est,] vtique Ioannes Philadelphiæ Episcopus,] eos in proprio ordine confirmet, modò hi ex alijs peccatis non prohibeantur confirmari.]

Agit in duplicis generis Episcopos: In legitimo, & in illegitimo modo promotos. Et cunctos Monothelitas, aut certè de ista lepra suspectos. Et inter illegitimè promotos aliqui antè, aliqui post Sophronij Episcopatum, aliqui post eius mortem fuere intrusi. Et isti omnes intrusi, ac intrudentes peccarunt in Apostolicum à sexto Nicæno innouatum, & confirmatum Canonem, qui sine Metropolitani,id est,Patriarchę,aut Autocephali Exarchi sententia, & præuia confirmatione vetat consecrari Episcopum, & omnem sine ipsa consecratum abijci,atque exufflari. Præterea omnes sub Sophronij Episcopatu intrudentes, ac intrusi deliquerunt non tantummodò in istum Canonem, & sancti Iacobi Cathedram, sed etiam in sancti Petri Romanam, quæ talium creationum non dedit Præcepta, Quæ sunt hæc ænigmata? Quis inuiuentis,& videntis Sophronij Patriarchatum fuit ausus sine eius pręuio adsensu consecrare Episcopos? Cur & consecrantes, & consecratos Sophronius non castigauit? Respondeo Saracenos ante Sophronij Episcopatum fuisse grassatos in Palestina, & huius quasdam ciuitates fuisse ab ipsis subiugatas. Et harum etiam post Sophronij promotionem Cathedris Paulus Patriarcha Constantinopolitanus statim dedit Episcopos. Et ita sanctus Sophronius nec intrudentem, nec intrusum potuit castigare. Et istos tam intrudentes,quàm intrusos Pontifex adserit deliquisse etiam in Cathedram sancti Petri: Eò quòd hæc ipsis non dederit creationum Præcepta. Ex quo discimus duo. Primò, quòd destructis per Paganos Ecclesijs nullus prouidere possit,nisi proprius Patriarcha, aut Romanus Pontifex. Quoniam in istas alieni Patriarchatus Ecclesias Constantinopolitanus Patriarcha nihil habet, vel deuoluti iuris, ideoque nec olim potuit, nec hodie potest nominare Episcopos, vel consecrare. Alieno enim territorio nullus se potest miscere. Secundò discimus, quòd ad talium Ecclesiarum prouisionem Romanus Pontifex possit concurrere cum Patriarcha, aut Exarcho, & sit locus præuentioni. Præsertim in casu negligentiæ. Et hinc omnes in sancti Sophronij Patriarchatu ita intrusos Episcopos sanctus Martinus deiecit. Et deiectos dispensatoriè permisit reparari, dummodò orthodoxæ fidei libellos conscriberent, & ipsos solemniter in Apostolici Vicarij manibus profiterentur.

Post sancti Sophronij mortem,& omnem à Saracenis occupatam Syriam Paulus Patriarcha Constantinopolitanus cœpit in attentandis istis consecrationibus esse longè audacior. Hinc illi potenter obuiauit sanctus Pontifex, & Apostolicas per Antiochiæ, & Hierosolymæ Patriarchatum vices delegauit Stephano, quem scripta ad Pantaleonem epistola appellat Episcopum Dorylensem. Est manifestum mendum. Etenim Dorylensis Ecclesia est in Phrygia salutari, Asiaticæ Diœcesios Prouincia, libera tunc à Saracenis. Eius proindè Episcopus tunc apud Syros

non poterat explere vices Apostolicas. Respondeo Stephanum fuisse Dorensem Episcopum: Olim sancti Sophronij Legatum ad Honorium Pontificem. Lucet ex literis, quas hic Stephanus per Gregorium sancti Theodosij Abbatem misit ad Lateranensem sancti Martini Synodum: [Sophronius quondam Patriarcha, sub cuius Diœcesi fungebar Sacerdotale officium, studuit meam humilitatem ad hanc Apostolicam dirigere Sedem.] Et hæc est epistolæ subscriptio: [Stephanus per Dei misericordiam episcopus Dorensis, & Primus sanctæ synodi sub Hierosolymitani Patriarchæ Sede constitutus. Ad epistolæ caput se titulat primum sub Sacerdotali Sede Hierosolymitanæ Diœcesios.] Istius Patriarchatus Protothronum. Existimo illum fuisse seniorem Prouinciæ Suffraganeum. Nam & hi in Latinis Prouincijs passim fuerunt Protothroni, seu Primates. Vt vt sit, ista Legatio Stephani virtutes fecerat notas Romanæ Ecclesiæ. Ei Martinus iniunxit, vt sua in istos intrusos, ac titulares episcopos Decreta exsequeretur, ac insuper in cunctis vtriusque Patriarchatus Ecclesijs consecraret nouos, atque Cardinales Episcopos, & Clericos. Hac de re scribit ad Ioannem Philadelphiæ Episcopum: Hanc, vtique nouorum, & realium Episcoporum, & Clericorum consecrationem [Et priùs Apostolica Sedes hæc fieri per Stephanum dilectum Coepiscopum iussit, sed hoc salutare propositum ad effectum venire prohibuerunt, qui talia prohibere dignos seipsos perhibuerunt. Qui pro arbitratu suo ea, quæ ædificationis sunt nota ei omninò non fecerunt. Nempè præcepta demandatæ vicis Apostolicæ huius Cathedræ, quibus iussus est electiones ibi facere eorum, qui ad curam Christianissimi populi eligendi sunt. Solummodò autem ei significauerunt de depositione, timorem Domini minimè cogitantes. Quoniam igitur, vt nosti dilecte Frater, in ædificationem magis, quàm in destructionem à Domino potestatem accepimus, studio tibi sit ea, quæ ædificationis sunt, operari, dato tibi per nos eius Discipulos Apostolico Præcepto, & potestate, & gratia dignos promouere nequaquam dubites, ad incolumitatem, & securitatem Ecclesiæ Catholicæ. Et in epistola ad Pantaleonem: Charitas tua non debuit ita se gerere aduersùs eum, qui ab Apostolica Sede missus esset, Stephanum Deo amabilem Episcopum Dorylensium ciuitatis, aut eiusmodi de eo ad nos per propriam relationem transmittere, cum Saluatoris nostri mandatum id non facere iubeat, sed præcipiat inuicem syncerè diligere. Etenim illa diligenter expendentes, vana prorsùs inuenimus, nec vllis argumentis demonstrata, atque idcircò eum meritò ex Apostolica iustificauimus auctoritate, ijs autem, qui contra eum scripserunt, crimen dimisimus, Canonis rigorem temperantes, & ad resipiscentiam ipsis sufficere existimantes fabulæ reuelationem. Vniuersam, quæ isthic est, Catholicam Ecclesiam clauserunt, ne memorato Episcopo redderentur missa ad eum ab Apostolica Sede præcepta, quibus eius Vicarius constitutus est, ac iussus propter temporis angustias, id est, propter pressuram irruentium in nos gentium, ea nouè instituere, ad supplementum Ecclesiastici Ordinis, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, quoad potestas nobis defuit ad promouendum Patriarcham Hierosolymorum. Ea fecerunt, quæ nec Hæretici vnquam sunt ausi facere: Abscindentes ea, quæ ad creationem, & institutionem pertinebant, ea verò tradentes, quæ ad destitutionem. Nescio qui Syrorum Episcopi, aut Clerici patrarunt duo facinora. Primò, Papale, factæ in Stephanum delegationis Diploma mutilarunt: Eam partem, quæ creandorum Episcoporum potestatem, ac mandatum dabat, abstulerunt, ac raserunt; reliquerunt sola in intrusos, ac depositos Episcopos Decreta. Hæc sola Stephano tradiderunt. Secundò, exceperunt aduersùs Stephani personam, & ipsum de magnis, ac fabulosis criminibus apud Pontificem sunt calumniati. Et horum vnus fuit iste nescio quis Pantaleon....

.... Quæ omnia, & ex ipsis natam desolationem considerans Theodorus sancti Theodosij Abbas, cum Ioanne, Stephano, ac Leontio, suis Monachis, accessit Romam, & cuncta retulit Martino Pontifici. Hic eos suæ aduersùm Monothelitas Lateranensi synodo adhibuit, purgauit Stephanum Episcopum, & tamen ex causis illi abstulit Apostolicas vices eas transtulit in Ioannem Archiepiscopum Philadelphiæ, muniuit encyclicis ad omnem Antiochiæ, ac Hierosolymæ Patriarchatum literis, has misit per dictum Theodorum, & insuper scripsit ad laudatum Ioannem: [Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ. Sic prospicimus in Domino, ea, quæ desunt corrigas, & constituas per omnium ciuitatum Ecclesias, quæ Sedi tam Hierosolymitanæ, quàm Antiochenæ subsunt, Episcopos, & presbyteros, & Diaconos. Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex auctoritate Apostolica, quæ data est nobis à Domino per Petrum sanctissimum, & Principem Apostolorum. Propter angustias temporis nostri, & pressuram gentium. Ne vsque in finem in illis partibus deficiat Sacerdotalis decoris eximius Ordo. ac indè de cætero nostrę Religionis magnum, & venerandum mysterium ignoretur.] Encyclica Pontificis epistola laudat celebratam aduersùs Monothelitas Lateranensem synodum, reuerendam, ac obseruandam commendat, eius exsecutionem adfirmat commissam Ioanni Episcopo, ac Apostolico Vicario, atque adiungit: [Ad maiorem fidei stabilitatem studuimus præcipere, secundùm potestatem nobis à Domino in gratia datam per sanctum Petrum Apostolorum Principem, Ioanni dilecto fratri nostro, vt locum nostrum in omnibus Ecclesiasticis articulis in partibus Orientis suppleat, creet in omnibus ciuitatibus, quæ Antiochenę Sedi, quæque Hierosolymitanæ Sacerdotaliter subsunt, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, ne sicut dicit Propheta, deficiant à comestione oues, eò, quod non sint boues in præsepibus, id est, fideles, & orthodoxi populi, quod Ecclesiæ Catholicæ Episcopos non habeant, qui spiritualem ipsis cibum excitent, & præbeant. Omnes seriò hortatur, vt dicto Vicario in cunctis obtemperent. Quod ipsum per singulares literas com-

commendat Theodoro Esbuntiorum Episcopo, Antonio Episcopo Bacathorum, & Gregorio Abbati sancti Theodosij. Erant plura istius Sancti Monasteria.

His obstare videtur laudati Stephani Dorensis Episcopi ad Lateranensem sancti Martini synodum, lecta, & probata in huius secundo Secretario, epistola: [Sed, & hoc doceo Sanctitatem vestram, quia temporis attendentes perturbationem, vtique Episcopi Monothelitæ, multos in Oriente per ambitionem decepisse noscuntur. Sergius namque quondam Ioppensis Episcopus, post recessum gentis Persarum, Locis seruator Sedis Hierosolymitanæ, seu Visitatoris in ipsa officium arripiens, non quidem per Ecclesiasticam auctoritatem, sed per sæcularem potestatem contra Canones, ibidem sub Sede Hierosolymitana pertinentes aliquos Episcopos ordinauit, & cum ipse minimè fuerit confirmatus, alios ordinare præsumpsit. Hi autem propterea scientes inanem esse ordinationem eorum, per propria scripta consentientes, applicuerunt se adfectatæ nouitati, quæ à Paulo Constantinopolitano Episcopo defenditur, quasi ex hoc sperantes enormiter, quod impossibile est, confirmari. De quibus & anteà Apostolicæ Sedi innotui, id est, beatæ memoriæ Decessori vestro Theodoro. Iussitque mihi indigno per sacram suam præceptionem, ordinans me Lociseruatorem per Apostolica eius scripta, quatenus cum ea, quæque fuissent, Ecclesiastica Capitula peragere debuissem, & Canonicè, si nullatenus emendarentur, qui sub denominato prætextu ordinati sunt episcopi, deponerem eos. Quod & fecisse me certum est. Et præcipuè quoniam in errorem à veritate recedentes, spontè delapsi sunt. Et tantùm illos recepi secundùm iussionem eius, qui libellum pœnitentiæ obtulerunt, & professi sunt in scripto, conseruare indesinenter, & amplecti prædicare sanctorum Patrum, & synodorum doctrinas, quorum libellos nuper deferens obtuli, sacratissimę præsidenti Sanctitati vestræ, Martino ter beatissimo Papæ, ab eo, quod aliqui eorum meritò recepti, & confirmati sunt, aliqui verò pro tuitione Catholicæ Ecclesiæ condemnati.] Hæc epistola disertè, ac lucidè adfirmat ipsos Episcopos non à Paulo, Patriarcha Constantinopolitano, sed à Sergio Ioppensi Episcopo fuisse conseeratos.

Respondeo notanda esse Stephani verba de Hierosolymitanæ Ecclesiæ per Sergium inuasa visitatione: Per sæcularem potestatem contra Canones. Non per Homarum Saracenorum, sed per Heraclium Romanorum Principem. Hæc enim est vna ex quorumdam Imperatorum in Ecclesiasticam libertatem violentijs. Etenim de Imperatore Constantio, quod nescio quem Felicem iusserit in Palatio consecrari Episcopum, atque ita tamquam Antichristi Præcursor ex Palatio Ecclesiam fecerit, lamentatur in epistola ad suos Monachos sanctus Athanasius. Et de Valente Augusto, quod Lucium Pseudopatriarcham Alexandrinum à similis fæcis Antiocheno Patriarcha Euzoio iusserit consecrari, scribit Hermias Zozomenus. Quod Calendionem Antiochenum Imperator Zeno iusserit Constantinopoli consecrari contra Canones affirmat in Ecclesiastica historia Anastasius Bibliothecarius. Quòd Imperator Iustinianus Mediolanensem Electum, quia Gothi adhuc grassabantur per Italiam, iusserit apud Rauennam consecrari, testatur in literis ad NarsetemComitem Pelagius primus Pontifex. Eadem de re Imperatorem Arcadium, qui sanctum Ioannem Chrysostomum iusserat consecrari per Theophilum Alexandrinum, quidam arguunt. Eadem violentia Theodoricus Italiæ Rex Petrum Altinum episcopum intrusit Romanæ Ecclesiæ Visitatorem. Ita ergo plenam, & visitandi, & consecrandi potestatem in Hierosolymitano Patriarchatu Heraclius Imperator dedit Sergio Ioppensi Episcopo. Nec ipsi defuit delegatio Pauli Patriarchæ Constantinopolitani. Quomodo non delegarit consecrandos Episcopos, qui ipse Patriarchas consecrauit? Etenim in Alexandrinæ suæ Ecclesiæ Chronico Eutychius Patriarcha scribit Homarum fuisse tertium Mahometicæ Sectæ Calypham, atque adiungit: [Anno Calyphatus eius quinto constitutus est Macedonius Patriarcha Antiochenus in vrbe Constantinopolitana, qui Maronita fuit. Constantinopoli sex annis substitit, deinde è viuis excessit, antequam Antiochiam, vel ingressus esset, vel vidisset. [Et pergit de proximo Homari Successore Ottomanno:] Anno Calyphatus eius tertio constitutus est Iaribus Patriarcha Antiochenus, qui Maronita fuit. Ei autem muneri præfectus est Constantinopoli, vbi quinque annos substitit, neque Antiochiam peruenit. Mortuus est autem Constantinopoli, ac ibi sepultus. Anno Calyphatus eiusdem decimo Macarius est factus Patriarcha Antiochenus, qui & Maronita fuit. Hic etiam Constantinopoli creatus, cum ibi octo annos permansisset, neque Antiochiam accessisset, mortuus est, & ibi sepultus. Anno Calyphatus eiusdem quarto Petrus est factus Patriarcha Alexandrinus. Maronita fuit. Cum annos nouem sedisset, mortuus est.

Lib 6. c.19.

Epist. 3.

Lib.2.f.271.

Affirmat non solùm Macedonium, sed etiam Iaribum, ac Macarium fuisse Constantinopoli electos, consecratos, habitasse semper, ac esse defunctos. Et hinc discimus varia. Primò, quod non solùm Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, sed etiam eius Successores perrexerint destructis per Saracenos Ecclesijs nominare, & consecrare episcopos, præsertim Patriarchas. Secundò, quod ista electio, atque consecratio statim cœperit cum ipsis Saracenorum in Ecclesias irruptionibus. Theodorus Balsamon in Meditato de Patriarcharum iuribus affirmat sine quinque Patriarchis non constare Ecclesiæ corpus, atque adiungit: [Ob hanc ipsam causam, vti credi par est, iam dudum sancitum est, vt haud dubiè per electionem instituantur etiam ij Patriarchæ, qui cęteroquin sacros sibi destinatos thronos ob Paganorum hostiles incursus non possident.] An etiam sub Heraclij Imperio fuerint electi, an autem nominati, & qualiter ista electio fuerit celebrata, est longa quæstio. Quidquid sit istas electiones, vti fucos, & figmenta, Romana Ecclesia spreuit, & eiusmodi Patriarchas dudum noluit agnoscere. Probauit sancti Martini iudicium

tium de ista electione Macedonij. Et hinc tertiò discimus intellectum sexti Concilij. Post degradatum in duodecima Actione Macarium Patriarcham Antiochenum [Episcopi, ac Venerabiles Clerici, qui sub Sede sunt Antiochiæ ciuitatis, accedunt ad gloriosissimos iudices, & dicunt: Petimus vestram gloriam suggerere pijssimo nostro Domino, & magno Imperatori, alterum pro Macario, qui fuerat Archiepiscopus noster, ad Pontificalem Sedem Antiochiæ prouenire, vt non sit vidua huiusmodi Sedes. Et gloriosissimi iudices respondent: Secundùm ea, quæ considerata sunt à sancto, & vniuersali vestro Concilio, & iuxta petitionem Reuerendissimorum Episcoporum, ac Religiosorum Clericorum, qui sunt sub iure Sedis Antiochiæ ciuitatis, agemus.] Et ab istis Episcopis, & Clericis fuit electus, & consecratus Theophanes, monachus Cœnobij ad Baias. Et hic est primus post Saracenicam captiuitatem legitimus Patriarcha Antiochiæ. Apostolici Legati, licèt Macarium titulari Patriarcham, & vti talem sibi adsidere permiserint causa pacis, eius tamen electionem habuerunt pro fuco: Et hinc Theophanem voluerunt eligi secundùm Canones. Et vniuersa Synodus permisit. Et quòd illic similes ordinationes fuerint damnatæ, atque proscriptæ, non est dubitandum. Verùm post Romanæ Legationis abitum Græci manserunt Græci: Istas ordinationes pertinaciter continuarunt. Et ipsas confirmarunt, ac priuilegijs honorarunt in Trullana Synodo. Quia
Cap. 37. nempè ipsorum quidam meliores, & prudentiores censebant non recedendum à sextæ Synodi, & Romanæ Ecclesiæ iudicio. Aduersùm hos senserunt plures, atque ità iste Canon prodijt. Et hinc quartò discimus istum Canonem esse ex illis, quos Romana Ecclesia noluit admittere. An etiam Petrus Alexandriæ Patriarcha fuerit electus Constantinopoli, Euthychius non exprimit. Existimo illic electum. Eius enim electionem cùm Macedonij electione comparat sanctus Martinus: Et ambas eodem tenore damnat. Existimo ipsum abijsse Constantinopoli Alexandriam, & illic sedisse.

Pergit Euthychius: [Porrò mortuus est Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus postquam illo munere quatuor annis functus esset. Post mortem autem ipsius manserunt
Lib.2.f.291. Hierosolymę absque Patriarcha annis viginti nouem. Et infrà: Anno Calyphatus Moauiæ septimo constitutus est Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, qui annis quadraginta sedit. Manserat autem Sedes Hierosolymitana post mortem Sophronij, vsque dum sufficeretur Ioannes, sine Patriarcha per annos viginti nouem.] Hinc sexti Concilij tempore Visitator Hierosolymitanæ Ecclesiæ fuit Theodorus presbyter, & ipse suo loco ad Synodum legauit Georgium monachum, ac presbyterum in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis. Quæ Chronologia an subsistat, est alio loco discutiendum. Interim cur post Sophronij mortem Patriarchalis Ecclesia tot annis vacauerit, ignoro. Ex hac porrò vacatione vides causam, ob quam Sergius Ioppensis episcopus in solo Hierosolymæ, non autem in Antiochiæ Patriarchatu ordinauerit episcopos. Quia nempè Antiochia habebat Constantinopoli Patriarcham Macedonium: Et hic suas consecrandi vices alicui istic episcopo delegarat. Hinc Imperator Heraclius Sergio detulit Visitationem solius Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Porrò Sergius dumtaxàt consecrauit post mortem Sophronij. At verò sanctus Martinus lucidè affirmat tales consecrationes non solùm post Sophronij mortem, sed etiam in ipsius vita, ac item ante eius Patriarchatum fuisse grassatas. Etenim inter Modesti Patriarchæ mortem, & successoris Sophronij promotionem, siquidem dicto Euthychio credimus, intercesserunt sex vacationis anni: Et tunc fuit grassata etiam ista audacia. Eius non fuit alia origo, quàm Constantinopolitani Patriarchæ, qui partim sua, partim Augusta auctoritate talia in istas Ecclesias attentarunt. Existimo hac de re nec dubitandum. Et ista audacia Sergius, Paulus, ac alij Monothelitæ Patriarchæ fuerunt abusi ad suæ hæresis stabilimentum. Hinc ad ipsam eliminandam Theodorus Pontifex Stephano Dorensi episcopo dedit Visitationem Hierosolymitanæ Ecclesiæ, sanctus Martinus addidit Visitationem Antiochenæ Sedis, & insuper per vtrumque Patriarchatum Apostolicas ordinandi vices. Et has tandem ex causis transtulit in Ioannem Archiepiscopum Philadelphiensem. Et hæc omnia affirmat esse secundùm Canones, & spectare ad sancti Petri priuilegium. Et scripsit ad Ioannem: [Eius, qui falsò sibi nomen episcopatus affinxit, Macedonij dico, importunas literarum minas, siue protestationem fortiter despuito, vt rabidi, & temerarij canis latratum.] Nempè vt nunc cum suis Symmistis Venericus Vercellensis episcopus aduersùm septimi Gregorij, ità tunc Pseudo-Patriarcha Macedonius aduersùm sancti Martini delegationem protestabatur, atque insaniebat. Et quidem sanctus Martinus ista omnia sanxit, & scripsit ex iudicio sui Lateranensis Concilij. Etiam de Constantino Papa, Constantinopolim profecto ad Imperatorem Iustinianum secundum, scribit in libro Pontificali Anastasius Bibliothecarius: [Hic fecit ordinationes episcoporum in eundo, & redeundo, per diuersa loca episcopos duodecim.] Et nemo contradixit.

CAPVT IV.

Papa ostenditur eamdem potestatem habuisse in omni Occidentis Patriarchatu, nominatim in Illyriciana Diœcesi.

EOdem consecrandi iure Romanus Pontifex semper fuit vsus per omnes Diœceses, ac Prouincias sui Occidentalis Patriarchatus. Immò longè maiori. Vtpotè inducto palàm per Apostolicum, & stabilito per sextum Nicænum Canonem. Illyriciana Diœcesis inter Romanum, & Constantinopolitanum Patriarchatum frequenter cespitauit, ideòque illum est quandoque minùs

venerata, & tamen ad sanctum Anysium Archiepiscopum Thessalonicensem, suum istic Vicarium, in publicatis per Dominum Lucam Holstenium literis scripsit Siricius Pontifex: [Etiam dudum, Frater charissime, per Candidianum episcopum, qui nos præcessit ad Dominum, huiusmodi literas dederamus, vt nulla licentia esset sine consensu tuo in Illyrico episcopos ordinare præsumere. Quæ vtrùm ad te peruenerint, scire non potui. Multa enim gesta sunt illic per contentionem ab Episcopis in ordinationibus faciendis: Quod tua meliùs Charitas nouit. Et ideò sollicitè agere te oportet, ne, vt factum est, certatim in vna Ecclesia dum ordinare præsumunt indignos, veluti tres episcopos fecisse videantur. Ad omnem huiusmodi audaciam comprimendam vigilare debet Constantia tua, Spiritu in te sancto feruente, vt vel ipse ordines, si potes; vel quos iudicaueris episcopos idoneos cum literis dirigas dato consensu, qui possint in eius locum, qui defunctus, vel depositus fuerit, Catholicum episcopum, & vita, & moribus probatum, secundùm Nicænæ Synodi Statuta, vel Ecclesiæ Romanæ clericum, de Clero meritum ordinare.] Ex quo Byzantium, Heracleensis in Europæ Prouincia Metropoleos suffraganea Parochia, profecit in Regiam Constantinopolim, & nouam Romam, eius episcopi statim cœperunt non dumtaxàt Metropoliticam, sed & Patriarchalem dignitatem ambire, ideòque non solùm Thracicæ Diœceseos, sed etiam Orientalis Illyrici Prouincias sollicitare, rodere, inuadere. Hinc enim sanctus Anysius, Metropolita Thessalonicensis, inuitatus adfuit vtrique, ex qua secundam œcumenicam conflamus, Constantinopolitanæ Synodo. Hinc item eadem ciuitas quandoque accepit tres simul episcopos. Nempè duos à duobus de eadem suffraganea ciuitate litigantibus Metropolitis, tertium à Constantinopolitano episcopo. Quis enim credat tres quandoque Metropolitas de eadem ciuitate concertasse? Etiam possint certasse duo electi, & à diuersis Metropolitis fuisse consecrati. Possit item occurrisse casus, ex quo sanctus Ambrosius Illyrici caput Syrmium accedere debuit, & ibidem episcopum ordinare. Quidquid sit, aduersùm similes excessus, ac rapinas sanctus Damasus Pontifex istic erexit nouum Apostolicæ delegationis Magistratum: Archiepiscopo Thessalonicensi dedit Apostolicas vices per omnem Illyrici Diœcesim. Dedit personæ, non Sedi. Hinc nouus semper episcopus debuit nouum semper Diploma accipere. Etiam idem episcopus à nouo semper Pontifice.

Epist. 3.

Et vsque tunc quisque illic Metropolita consecrabat suos Suffraganeos, & ab ipsis consecrabatur. More aliarum Occidentalium Prouinciarum. Gratiosè inducto, atque indulto per ipsos Apostolos. Etenim Tito, Cretensis ad Illyrici Diœcesim spectantis Prouinciæ primo Metropolitæ, mandauit sanctus Paulus Apostolus, vt per omnes ciuitates constitueret presbyteros, idest, episcopos consecraret. Hunc morem mutauit Damasus. Omnes totius Diœcesis etiam Prouinciales episcopos voluit consecrari per suum Vicarium. Omnium istic episcoporum consecrationes reddidit Sedi Apostolicæ. Et eius decretum Siricius in iam adductis literis innouauit, & confirmauit. Et ita videtur fuisse vsque ad sancti, ac magni Leonis Pontificatum. Durum quippe id visum est Metropolitis; ideòque non minùs, quàm Hilarius Arelatensis illi aduersùs Sedem Apostolicam murmurarunt. Questi sunt se esse solo nomine Metropolitas, omnem eius sibi ablatam rem transijsse ad Pontificem. Hinc ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, suum istic Vicarium, scripsit laudatus Leo: [Nullus te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur Antistes. Ità enim fiet, vt sint de eligendis matura iudicia, dum tuæ Dilectionis examen formidatur. Quisquis verò de Metropolitanis episcopis contra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse nouerit firmitatem, eosque vsurpationis suæ, qui hoc præsumpserint, rationem reddituros. Singulis autem Metropolitanis, sicut potestas illa committitur, vt in suis Prouincijs ius habeant ordinandi, ità eius Metropolitanos à te volumus ordinari, maturo tamen, & decocto iudicio. Quamuis enim omnes Antistites probatos, & Deo placitos deceat consecrari, hos autem præcellere volumus, quos præfuturos his, qui ad se pertinent, Consacerdotibus nouerimus.] Et ad cunctos istius Diœcesis Metropolitas scripsit: [Ità vos ad illum, episcopum, ac Vicarium Thessalonicensem, pertinere volumus, vt ad vos Prouinciarum vestrarum pertinent Sacerdotes. Qui ergo iure sibi debito vti cupiunt, Apostolicæ Sedis auctoritate concessa per suam contumaciam imminuere non nitantur. Vt verò dilectioni vestræ Prouinciæ ordinatio permittitur Sacerdotum, ità Fratrem & Coepiscopum nostrum Anastasium de ordinando Antistite volumus consulatis, cui Metropolitani episcopi consecrationem statuimus reseruari, vt eo inquisitore, atque custode, cum certæ licentiæ modus imponitur, ecclesiasticæ disciplinæ in omnibus ordo seruetur.] Sancit varia. Primò, vt prouincialium episcoporum electio per Vicarium examinetur, & confirmetur. Secundò permittit, vt isti electi, & confirmati per suos Metropolitas consecrentur. Tertiò, Metropolitarum electionem vult longè strictiùs per Vicarium examinari, & ante consecrationem confirmari. Quartò ipsorum consecrationem Vicario priuatiuè reseruat. Quintò permittit Vicario, vt ipsorum consecrationem possit Comprouincialibus delegare. Ea subiectione, qua prouinciales episcopi Metropolitæ subsunt, vult Metropolitas subesse Vicario. Extant istæ epistolæ in Bonifacij secundi Romana Synodo, publicata per Dominum Lucam Holstenium.

Epist. 24.

Epist. 25.

Et hæc omnia sanctus Leo confirmat in alia ad eumdem Anastasium epistola. Decernit primò: [Secundùm sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum Prouinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra Fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquę dignitatis intemeratum habere decernimus,

ità

ità vt à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione decedant.] Per istos diuinos Patrum Canones intelligit sexti Nicæni Canonis clausulam: Suis priuilegia seruentur Ecclesijs. Affirmat per Apostolicas in Illyrico vices nec exufflari, nec castrari ius Metropoliticum: Metropolitas manere Metropolitas, non solo nomine, sed & re. Palàm obuiat illorum querimonijs. Et adiungit: A præstitutis regulis non decedant. Vtique à præstitutis regulis circa Apostolici Vicarij auctoritatem. Secundò decernit: [Cùm de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, populique consensus concorditer postularit. Ità vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus, & studijs iuuatur, & meritis. Tantùm vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne plebs inuita episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa, quàm conuenit, cui non licuit habere quem voluit.] Thessalonicenses Vicarij excesserant mandati limites. Quomodo enim Atticum Nicopolitanum episcopum, veteris Epiri Metropolitam, tractauerit hic ipse Anastasius, docet hæc ipsa epistola. Etiam aut ipse, aut quis eius Antecessor ceciderat in violentias, quas in suo per Gallias Vicario, ac Arelatensium Metropolita Hilario damnauit etiam sanctus Leo: Quia prouinciales episcopos consecrare solus poterat, præsumpsit solus eligere, ac nominare, atque ità inuitis populis obtrudere. Hunc excessum Pontifex damnat, & omninò vult omnem episcopum canonicè eligi. Et natam in electione discordiam decidi non per Vicarium, sed per Metropolitam. Et hos excessus planè opinor fuisse causã, ex qua S. Leo prouincialium episcoporum consecrationem reddiderit Metropolitis. Tertiò decernit: [De persona consecrandi Episcopi, & de cleri, plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad tuam Fraternitatem referat, quodque in Prouincia benè placuit, scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis dispositionibus nihil moræ, aut difficultatis debet adferre, ne gregibus Domini diu desit cura Pastorum.] Prouincialium Episcoporum electiones vult primùm à Metropolita, deindè à Vicario discuti, & confirmari. Hanc enim auctoritatem Metropolitæ quartus, Patriarchæ autem dat sextus Canon Nicænus. Et Anastasio, ne legitimas electiones vexet, Papa meritò mandat: Hæ enim fuerunt artes quorumdam Vicariorum. Hos frænat, & limitat Pontifex, Metropolitas autem reparat, & ampliat. Et pergit: [Metropolitano defuncto, cùm in eius locum alius fuerit subrogandus, Prouinciales Episcopi ad ciuitatem Metropolitanam conuenire debent, & omnium clericorum, atque ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam Prouinciales referant Episcopi, impleturi vota poscentium, si quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari; ità nihil permittimus te ignorante præsumi.] Rigidè vetat electos Metropolitas sine præuia Vicarij confirmatione consecrari.

Notanda sunt verba: [Impleturi vota poscentium.] Omninò videntur electi Metropolitæ consecrationem permittere Prouincialibus Episcopis. Non possim negare. Quapropter hæc Epistola videtur esse anterior iam adductis duabus alijs. Quòd si verum sit, Siricij Decretum Illyriciani Metropolitæ penitùs excusserant, suos consecrabant Suffraganeos, ab ipsis consecrabantur, & antiquum morem plenè reparauerant. Et sic Prouincialium Episcoporum consecrationem ipsis non reddidit, sed dumtaxat reliquit Magnus Leo. Et eorum Metropolitarum consecrationem denuò eripuit ipsorum Synodo, ac sibi reseruauit. Respondeo tamen hanc epistolam istis duabus esse potiùs posteriorem. Existimo quòd Metropolitarum, ac Prouincialium item Episcoporum querimonijs tandem fractus Leo permiserit etiam istos à suis Synodis consecrari. Persuadeor à Sixti Tertij, Apostolicas Anastasio vices innouantis, ad Thessalonicensem Synodum literis: [Nos fratri & Coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum Decessoribus ipsius à Decessoribus nostris est attributum. Priorum iudicium sequimur. Habeant honorem suum Metropolitani singularum Prouinciarum, saluo huius priuilegio, quem honorare debeant magis honorati. In Prouincia sua ius habeant ordinandi. Sed hoc inscio, vel inuito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad Thessalonicensem maiores causæ referantur Antistitem. Ipsum maior cura respectet eos, qui ad Episcopatum vocantur, discutiendi sollicitiùs & probandi.] Loquitur generatim de cũctis episcopis: Etiam Metropolitas vult per Vicarium dumtaxat confirmari. Et hinc in literis, quas Bonifacio Secundo Pontifici, ac eius Romanæ Synodo misit, ac per Theodosium Echiniensem Episcopum obtulit Stephanus Larissæ Episcopus, ac Thessaliæ Metropolita, ostendit se fuisse Canonicè electum, & adiungit: [Et quia ordinationem secundùm priscam consuetudinem non alibi, sed in eadem ciuitate fieri oportebat, conuenit sancta Prouinciæ Synodus, & totius ciuitatis possessores, omneque corpus Ecclesiæ, & communi omnium testimonio nihil consuetudini detrahente, in Ecclesia sum ordinatus Episcopus.] Et Ioannes Nicopolitanus Episcopus, veteris Epiri Metropolita scripsit ad Hormisdam Pontificem: [Patre nostro, atque Archiepiscopo Alcisone ad supernas mansiones euocato, in me sancta Synodus bonorum actuum, & clerus Pastorum transtulit sortem.] Affirmat se consecratum à sua synodo, consecrationem suam refert Pontifici, & affirmant hanc esse antiquam consuetudinem. Antiqua consuetudo mandabat eius consecrationem præuiè per Prouinciales Episcopos referri ad Vicarium Thessalonicensem, & illius faciendæ ab hoc postulari facultatem, ac factæ electionis confirmationem. Verùm Dorotheus Thessalonicensis Episcopus tunc fouebat Acacianum schisma Constantinopolitanæ Ecclesiæ, atque ita Catholicus Ioannes fuit consecratus sine eius venia.

Relat. 3. post ep. 6.

venia. Hinc suam consecrationem retulit ad Pontificem. Et hæc omnia Hormisda probauit. Et profitetur istius Prouinciæ Suffraganeos à Ioanne legitimè etiam consecrari. Quòd item Salonitanus Episcopus, Dalmatiæ Motropolita fuerit olim consecratus à sua Synodo, lucet ex varijs Magni Gregorij epistolis, scriptis in causa Maximi istic Archiepiscopi. Hæc omnia euincunt, quòd Magnus Leo omnes Illyrici Episcopos à suis Metropolitis, & Metropolitas à suis Synodis permiserit consecrari.

Epist. 7. Epist. 9.

Verùm his obstare videtur vndecima ad Catellianum primæ Iustinianæ Episcopum scripta Imperatoris Iustiniani nouella lex, quæ Acridensem ciuitatem exaltat in primam Iustinianam, ei dat Primatum, ac Patriarchale ius in aliquod Illyrici Prouincias, atque adiungit: [Et ideò tua Beatitudo, & omnes primæ Iustinianæ sacrosancti Antistites, Archiepiscopi, id est, Primatis atq; Exarchi, habeant prærogatiuam, & omnem licentiam, auctoritatem suam eis, istarum Prouinciarum Episcopis, impartiri, & eos ordinare, & in omnibus illis prouincijs primam habere dignitatem, summum Sacerdotium, summum fastigium; à tua Sede creentur, & te solùm Archiepiscopum habeant, nulla communione ad eum Thessalonicensi Episcopo seruanda.] Acridensem Episcopum ab Apostolicis Thessalonicensis Episcopi vicibus eximit, illique adscribit omnem in quasdam prouincias potestatem, quam in ipsas anteà habuerat Thessalonicensis. Ei adscribit auctoritatem ordinandi istic omnes Episcopos, & Metropolitas, & Prouinciales. Ergò eamdem vsque tunc habuerat Thessalonicensis. Et ex hac lege suas ad Felicem Sardicensem Metropolitam literas formauit Magnus Gregorius. Affirmat primæ Iustinianæ Episcopum esse eius Ordinatorem. Ipsius contra illum frangit contumaciam, & iubet in omnibus obedire. Nempè Iustiniani legem Vigilius Pontifex confirmauerat, & donauerat auctoritate canonis. Respondeo Iustinianum, vel potiùs ad eius preces Vigilium Acridensi Ecclesiæ dedisse plura, quàm tunc haberet Thessalonicensis Vicarius: Ei enim dedit Autocephaliam, & supra quasdam Prouincias ius Patriarchicum, ad quod palàm spectat consecratio episcoporum omnium, & Metropolitarum, & Prouincialium. Patriarchale illic ius anteà omnino pertinebat ad Romanum Pontificem: Eius partem alienauit Vigilius, & dedit Acridensi Episcopo. Et hinc etiam lucet quòd per omnes Illyricianæ Diœcesis Prouincias Romanus Pontifex potuerit omnes episcopos consecrare.

Lib. 4. epist. 19.

Quòd Ariani, ne de sancti Spiritus consubstantiali Diuinitate conuincerentur, hæc Dominica verba, Deus Spiritus est, raserint de sancti Ioannis Euangelio, testatur in libris de Spiritu sancto sanctus Ambrosius, atque adiungit: [Eo tempore, quo à Valente, & Vrsacio, nutantibus Sacerdotibus suis, incursabatur Ecclesia Syrmiensis, falsum hoc, & sacrilegum in ecclesiasticis Codicibus deprehensum est.] Syrmiensis Ecclesiæ incursationem exponit in sancti Ambrosij vita Paulinus Presbyter: [Syrmium cùm ad ordinandum Anemium Episcopum perrexisse Ambrosius, ibique Iustinæ tunc temporis Reginæ potentia, & multitudine coadunata de Ecclesia pelleretur, vt non ab ipso, sed ab hæreticis Arianis Episcopus ordinaretur in eadem Ecclesia, essetque constitutus in Tribunali, nihil curans eorum, quæ à muliere excitabantur, vna de Virginibus Arianorum, impudentior cæteris Tribunal conscendens, apprehenso vestimento Sacerdotis, cùm illum attrahere vellet ad partem mulierum, vt ab ipsis cæsus de Ecclesia pelleretur, ait ei, Etsi ego indignus tanto Sacerdotio sim, tamen te non conuenit, vel professionem tuam, in qualemcumque Sacerdotem manus inijcere, vndè debes vereri Dei iudicium, ne tibi aliquid mali eueniat. Quod dictum exitus confirmauit. Nam alio die mortuam ad sepulchrum deduxit, reddens gratiam pro contumelia. Et hoc factum non leuem aduersarijs incussit metum, pacemque magnam Ecclesiæ Catholicæ in ordinando episcopo tribuit. Ordinato itaque Catholico Sacerdote, Mediolanum reuertitur.] Syrmium erat tunc caput Illyrici, Sedes Præfecti Prætorio, ac prima Metropolis. Hinc quæstio est, Qua auctoritate sanctus Ambrosius consecrauerit illius episcopum? Respondeo ordinasse ex delegata auctoritate sancti Damasi Pontificis. Factum namque id fuit ante illic erectas vices Apostolicas. Et similes Arianorum ausus forsan fuerunt vna causarum, ob quas Romana Ecclesia istum nouum Magistratum ibi induxit. Quidquid sit, lucet istum Metropolitam etiam tunc ex causis potuisse cõsecrari à Romano Pontifice, ac item ab ipsius Legato.

Lib. 3. c. 11.

Postquam Imperator Leo Isaurus Illyricianam Diœcesim violenter subtraxit Romano Patriarchatui, & transcripsit in Patriarchatum Constantinopolitanum, etiam Salonitana Ecclesia, Dalmatiæ Metropolitana, respicere cœpit Regiæ ciuitatis Cathedram, ac ipsius episcopus, iuxta vigesimum octauum Chalcedonensem Canonem, illic consecrari. Hinc etiam, licèt tunc Sclauis pareret quoad temporalia, secuta fuit schisma Photij. At tandem meliora didicit, redire voluit non tantummodo ad communionem, & obedientiam, sed etiam ad Patriarchalem curam Romanæ Ecclesiæ, & suum electum consecrandum non Constantinopolim mittere, sed Romam. Obstabat timor violentiæ à Græcis, & Sclauis. Hinc ad eius Clerum, & Comprouinciales Episcopos scripsit Ioannes Octauus: [Monemus, atque hortamur, vt ad gremium sanctæ Romanæ Ecclesiæ redire ouanter attendatis, & electus à vobis Canonicè Archiepiscopus ad nos veniens, gratiam episcopalis consecrationis, sacrumque Pallium à nobis, more pristino, incunctanter percipiat. Et infrà: Porrò si aliquid de parte Græcorum, vel Sclauorum super vestra ad nos reuersione, vel consecratione, aut de pallij perceptione dubitatis, scitote pro certo, quoniam nos, secundùm sanctorum Patrum, & Decessorum nostrorum Pontificum Statuta, vos adiuuare auctoritate conabimur. Et iterùm: Quòd si fortè ad Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ redire, & in- Epist. 192.

dè, secundùm antiquam normam, episcopalem consecrationem, sacrumque pallium recipere contempseritis, omni ecclesiastica vos communione scitote penitus excommunicandos.] Lucidè affirmat Salonitanos Metropolitas debere Romam ad Papales manus accedere. Et hunc esse antiquum canonem. Et hinc oritur secunda quæstio, Quis sit ille antiquus canon? Etenim nullus vnquam Salonę Episcopus legitur fuisse olim Romæ consecratus. Nam & Maximus, quem prævaricatorem titulat Magnus Gregorius, fuit consecratus Salonæ à suis Suffraganeis. Et hoc laudatus Gregorius numquam arguit.

Respondeo istum Canonem esse Canonem Apostolicum, ex quo ad Alexandrum Antiochiæ Patriarcham scribit primus Papa
Ep.18. c.1. Innocentius: [Reuoluentes auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus esse necessarium custodire, quam super Diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Prouinciam recognoscimus constitutam. Itaque arbitramur, vt sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas episcopos procreari: In quibus hunc modum rectè seruabis, vt longè positos literis datis ordinare censeas ab his, qui nunc eos suos tantùm arbitratu ordinant, vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire. Quorum enim te maxima exspectat cura, præcipuè tuum debent mereri iudicium]. Eustatianum schisma Antiochenam Ecclesiam longo tempore lacerauerat in plures episcopos: Et hi, dum suam quisque partem sibi adiuncere studet, Patriarchalia istius eminentis Cathedræ iura decurtari, ac à Metropolitis inuadi permiserant. Consecrauerant solos sibi adhærentes Metropolitas; Prouinciales episcopos permiserant, & quidem sine suo præuio examine, & confirmatione, ab istis consecrari. Et ita fuit vsque ad extinctum schisma, & Patriarchatum Alexandri. Hic de suis iuribus consuluit Romanam Ecclesiam. Et Papa: Innocentius rescripsit non solos Metropolitas, sed etiam Prouinciales episcopos debere ab ipso confirmari, consecrari, ad eius manus accedere. Hoc esse ius Patriarchicum. Addit eius executionem esse difficilem: Præsertim quoad remotiores episcopos. Hinc suadet solos viciniores ad Patriarchalem manum cogi, remotiores permitti Metropolitarum manibus, saluo tamen Patriarchali examine, & præuia confirmatione. Hoc suadet de solis Prouincialibus episcopis, Metropolitas omninò vult antiquo more ad Patriarchæ manus accedere. Eodem Patriarchali iure, per omnes suas Diœceses omninò gaudet Romanus Episcopus. Verùm ob istarum vastitatem fuit in suos Metropolitas liberalior. Eis indulsit, non tantùm, vt consecrarent suos Suffraganeos, sed etiam, vt ab ipsis consecrarentur. Ne distantem Vrbem cogerentur accedere. Et ne per assiduas consecrationes Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudo nimium distraheretur. Hinc sibi non retinuit nisi consecrationem suorum Suburbicariorum, seu Comprouincialium Antistitum. Attamen solam precariam functionem abdicauit, non ipsum ius. Nec potuit abdicare. Quocirca hæc Ioannis octaui verba: [Secundùm Sanctorum Patrum Statuta, More pristino, Secundùm antiquam normam], ius important, & Apostolicum, atque Nicænum Canonem, non vsum, & executionem. Affirmant Salonitani Archiepiscopi consecrationem ex Apostolico, atque Nicæno Canone spectare ad Pontificem. Hinc, & Papa Syricius, dum cunctos, & Metropolitas, & Prouinciales Illyrici episcopos iussit consecrari per Vicarium Thessalonicensem, alta voce dixit se sancire ex Nicænis Canonibus. Quia nempè sextus, Apostolicum innouans, Nicænus Canon omnes istas consecrationes adscribit Patriarchæ. Hinc infert Syricius istud suum ius à se posse deriuari in suum Vicarium.

Quæstio tertia est, Qua de causa Ioannes octauus mutet antiquam praxim, quare iubeat Salomitanum Metropolitam consecrationis causa deinceps Romam accedere? Respondeo ita sanxisse ob vigesimum octauum Chalcedonensem Canonem, & ob rapinam Imperatoris Leonis Isauri. Leo Isaurus, dum omnes Illyrici, atque Italiæ Ecclesias transcripsit in Patriarchicum ius Constantinopolitani episcopi, ab omnibus istarum Metropolitis voluit seruari dictum Calcedonensem Canonem: Eos omnes accedere Regiam ciuitatem, & per Patriarcham consecrari. Hinc in Sicilia, Calabria, Apulia, Campania, alijsque Prouincijs, eo usque ad Romani Episcopi Metropoliticam potestatem immediatè spectantibus, erexit varias Ecclesiasticas Metropoles. Et istum Canonem tunc omninò seruare cœpit etiam Salonitana Ecclesia. Seruarunt eos omnes Illyricianæ Metropoles, exceptis paucis, quæ aut tunc habebant, aut posteà acceperunt Autocephaliam. Ioannes ergo octauus istam reuerentiam, quam Salonitana Ecclesia per multos annorum circulos exhibuerat Constantinopolitanæ Sedi, ab eadem deinceps voluit impendi Cathedræ Romanæ. Nec sine rationibus. Etenim norat molestias, quas pro recuperanda Bulgaria non tantùm à turbulento Photio, sed etiam à sancto Patriarcha Ignatio fuerat passa, & tunc adhuc patiebatur Romana Ecclesia. Ad has præcidendas voluit Salonitanum Episcopum deinceps non dumtaxàt præuiè confirmari per Pontificem, sed etiam consecrari.

Vigesimus octauus Chalcedonensis, & vigesimus octauus Canon Trullanus Patriarchæ Constantinopolitano assignant consecrandos Thraciæ, Ponticæ, & Asianæ, nequaquam verò Illyricianæ Diœcesis Metropolitas. Nempè tunc necdum apparuerat violentia Leonis Isauri. Et ad priorem Canonem scribit Theodorus Balsamon: [Et si nonnulli Thraciam ad Macedoniæ vsque terminos in angustum redegerint, & dixerint Macedoniæ Metropolitanos, Thessalos, Helladicos, porrò, & Peloponesios, ab vrbe Roma quandoque fuisse ordinatos, & hoc vtique ex eo probari, quòd non concessum sit Constantinopolitano Patriarchæ eos ordinare]. Quòd concessum non sit per iam dictos Canones. [Sed tu his fidem ne adhibueris. Thraciæ enim nomine comprehenduntur Metropoles vsque ad Dyrrachium. Quidam autem malè dicunt

dicunt Papam, aliquando ordinasse Thessalonicenses, & alios Occidentales Metropolitanos. Hos enim habuit Legatos]. Lucidiùs se exponit in Commentario ad præfationem Trullanæ Synodi: [Quod Papa Romanus ius ordinationis in nostris regionibus non habet, vt nonnulli hallucinantur, dicentes Thessalonicenses, & alios ab eo ordinari, sed eos quidem habuit Legatos à facie, qui Synodis interesse, quando opus erat, debebant, probatur quidem certè, & ex alijs Synodis, & quod aliquando quidem, vt Papæ Legati adessent Athenarum, & Corinthij Episcopi, aliquando verò Cretæ, Patrarum, Rauennæ, & cæteri, nonnunquam verò, & alij, vt manifestum sit eos esse Papæ Legatos, quos sigillatim elegit, non tamen eum sub se habere tot episcopos extra suam Diœcesim. Vt autem Papa ex nostris etiam regionibus Legatos haberet, excogitatum est propter viæ longitudinem]. Hinc oritur quarta quæstio, An Thessalonicensis Vicarius debuerit olim consecrandus Romam accedere? Eius quippè consecratio nulli alteri Illyriciano Metropolitæ legitur vnquam fuisse delegata.

Respondeo Theodorum in paucis verbis multa errare. Quod Illyricianæ Diœcesis Administratio, & cunctorum ibi Metropolitarum consecratio olim pleno iure spectauerit ad Patriarchicum ius Romani Episcopi, est meridiana luce clarius. Ita fuit vsque ad rapinam Leonis Isauri. Et istud lucidè clamant etiam duo adducti Canones. Et istud lumen coegit schismaticum Theodorum fugere in tenebras, & ibi delirare. Quis enim vnquam, vel somniarit Dyrrachium, nouæ Epiri Metropolim, & cunctas Achaiæ, ac Macedoniæ Prouincias olim spectasse ad Thraciam Diœcesim, atque ita Metropolitarum illic consecrationes fuisse ab adductis Canonibus adscriptas Episcopo Constantinopolitano? Quis vnquam audiuit Thessalonicensem episcopum dumtaxàt ad Synodos fuisse Romani Pontificis Vicarium? Fuit Vicarius Patriarchicæ administrationis per omnem Diœcesim. Ex erroneis tamen nugis videmus isto tempore fuisse etiam Græcos, qui docerent omnes istius Diœceseos Metropolitas, præsertim Thessalonicensem, spectasse ad consecrationem Romanam. Non dixerunt cunctos fuisse Romæ consecratos, sed ad Romanam consecrationem spectasse. Quòd nempè in Papæ arbitrio esset, aut ipsos euocare ad suas manus, aut ipsorum consecrationem Suffraganeis permittere, vel alicui delegare. Vtique ex sexto Nicæno, atque ex Apostolico Canone, qui à Patriarchis omnes episcopos non tantùm præuiè confirmari volunt, sed, & consecrari. Et hoc sensu Ioannes octauus dixit Salonitani Metropolitæ consecrationem semper spectasse ad suam Sedem. Ex isto iure voluit illum deinceps Romam venire. Porrò Thessalonicensis Vicarius numquam legitur eò venisse. Eius consecratio ob viæ longitudinem fuit permissa Episcopis Comprouincialibus.

CAPVT V.

Romanus Pontifex ostenditur eadem potestate olim fuisse vsus in Diœcesi Gallicana.

EAdem potestate Romani olim Pontifices per Apostolicam vicem, quam Patroclo Arelatensi Archiepiscopo detulit Papa Zozimus, fuerunt vsi in Gallicana Ecclesia. Ad Domini annum trecentesimum nonagesimum septimum Proculus Massiliensis, & Cidonius Aquensis de secundæ Narbonensis, Simplicius Viennensis, & Constantius Arelatensis Episcopus de Viennensis Prouinciæ Metropolitica potestate litigarunt, & Proculus omnia à se prætensa obtinuit, Constantius partem suæ Prouinciæ: Viennensis Prouincia fuit diuisas in duas. De Constantij Successore Patroclo scribit in Chronico sanctus Prosper: [Heros vir sanctus, & beati Martini discipulus, cùm Arelatensi Oppido Episcopus præsideret, à populo eiusdem ciuitatis insons, & nullis insimulationibus noxius pulsus est, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus, & familiaris Constantij Magistri militum, cuius per ipsum gratia quærebatur]. Proindè Patroclus erat ambitiosus, ac Simoniacus Palatij sorex, intrusus per munus à lingua. Hinc aduersùm Taurinensis Synodi Acta intercessit apud Zozimum Pontificem, asseruit omnes per Viennensem, ac vtramque Narbonensem Prouinciam episcopales consecrationes, ac Apostolicas in administrando vices, ex dato per ipsum Sanctum Petrum Apostolum priuilegio, spectare ad Arelatensem episcopum, istud priuilegium repetijt, atque obtinuit. In datis ad Viennensis, ac secundæ Narbonensis Prouinciæ Episcopos literis Proculum de vario in consecrandis Episcopis Attentato accusat Zozimus, & adiungit de Simplicio Viennensi: [Non dissimili impudentia postulauit Simplicius, vt sibi in Viennensium Prouincia creandorum Sacerdotum permitteretur arbitrium. Indecens ausus, & in ipso vestibulo resecandus, hoc ab Episcopis ob certas causas Concilium agitantibus extorquere, quod contra Statuta Patrum, & Sancti Trophimi reuerentiam, qui primus Metropolitanus Arelatensis ciuitatis ex hac sede directus est, concedere, vel mutare, ne huius quidem Sedis possit auctoritas]. Aduersùs Zozimi Statutum Hilarius primæ Narbonensis Prouinciæ Metropolita generosè intercessit, asseruit nullum Metropolitam posse consecrari in aliena Prouincia, addidit suæ Prouinciæ circa hæc esse antiquum ab Apostolica Sede priuilegium & tàmen obtinuit hoc Rescriptum: [Debebas non quid rectum tibi videatur, sed quid habuerit antiqua consuetudo, suggerere. Ideòque vacuato eo, quod à Sede Apostolica subreptitiè obtinuisse comprobaris, quia satis constitit Arelatensis Ecclesiæ Sacerdoti prisca id institutione concessum, vt non solùm in Prouincia Viennensi, sed etiam per duas Narbonenses faciat episcopos. Nam sanctæ memoriæ Trophimus, Sacerdos quondam

An. 412. Epist. 3.

dam Arclatensi vrbi ab Apostolica Sede transmissus, ad illas regiones tanti nominis reuerentiam primus exhibuit, & in alios non immeritò ea, quæ acceperat auctoritate transfudit. Atque hanc ordinandi consuetudinem, & Pontificatum loci illius, quem obtinuerat primus, & iussus, custoditum vsque in proximum tempus, Gestis apud nos habitis, multorum Consacerdotum testimonio approbatur.

Habemus hinc varia. Primò, quòd sanctus Trophimus fuerit primus Arelatensium Episcopus. Trophimus Asiaticus Gentilis cum sancto Paulo Apostolo iuit Mileto Hierosolymam, accusatus ibi à Iudæis fuit de ingressu in Templum, rediјt Melitam cum vincto Apostolo, & ibi est infirmus relictus. De illo habet secunda ad Timotheum Epistola: [Trophimum reliqui infirmum Mileti.] Omninò legendum est, Melitæ. Ità insigniter demonstrat Dominus Cardinalis Cæsar Baronius. An ille Trophimus fuerit primus Arelatensium Episcopus, est longa quæstio. Secundò habemus, quòd Trophimus fuerit Episcopus Metropolitanus. Tertiò, quòd fuerit consecratus, & in Galliam missus à sancto Petro. Et hoc confirmat in literis ad Decentium Eugubinum Episcopum sanctus Innocentius Pontifex: [Manifestum est in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint Sacerdotes.] Quartò habemus, quòd Apostolicas vices in tribus Prouincijs, & omnium istic Episcoporum consecrandorum potestatem Trophimus acceperit à sancto Petro Apostolo. Quintò, quòd ipse sanctus Petrus cæperit priuilegia dare etiam aduersùm inuitos Episcopos. Sextò, quòd tunc Gallicana Ecclesia hanc Apostolicam auctoritatem fuerit venerata in Petri successoribus. Septimò, quòd nescio, qui aliud hodiè cantantes palàm deuient ab antiquo sensu suæ Ecclesiæ. Octauò, quòd etiam Narbonensis Hilarius suam Metropoliticam consecrandorum Episcoporum auctoritatem sit professus esse Romanum priuilegium. Quòd nempè hæc omnis potestas ex Apostolico, atque Nicæno Canone spectet ad Patriarcham, ideòque à Metropolitanum nisi per priuilegium possit obtineri.

Epist. 1.

Horum quædam deuiant à vero. Primò, quòd sanctus Trophymus fuerit Metropolitanus. Etenim sanctus Petrus Ecclesiasticam Hierarchiam conquadrauit Romanæ Reipublicæ, ideòque Metropolitas non posuit nisi in Romanarum Prouinciarum Metropolibus. At verò Arelatensis Ciuitas tunc necdùm erat Metropolis. Etenim vigebat tunc per Iulium Cæsarem facta Galliæ diuisio: Et hanc fuisse in quatuor Prouincias, seu Iurisdictiones, nempè in Galliam Narbonensem, Aquitaniam, Germaniam, & Belgium, testatur Ammianus Marcellinus. Et Narbonensis iurisdictio continebat Prouinciam Viennensem, ac Lugdunensem. Quam formam laudat etiam Cornelius Tacitus. Etenim in primo historiarum libro scribit inter Lugdunenses, & Viennenses esse antiquam vsque ad arma, & bella contentionem, vtique de iure Metropolitico. Dicti Ammiani tempore Gallia erat diuisa in plures Prouincias. Harum vna erat Viennensis: Et inter eius suffraganeas Ciuitates ille ponit Arelatem. Quod ipsum facit antiqua notitia Romani Imperij. Proindè lex, quam in libris de Catholica Concordantia adducit Nicolaus Cardinalis Cusanus, & quæ Arelatensem Ciuitatem sancit esse Metropolim septem Prouinciarum, non potest esse magni Constantini. Dominus Petrus de Marca rectè asserit esse legem Imperatoris Honorij. Tunc enim, quòd omnium Galliarum mater Ciuitas Treuirensis esset excisa à Barbaris, Gallicani Prætorij Præfectus migrauit Arelatem, atque ità hæc magno isto titulo cæpit honorari. Habes hæc in supplicibus episcoporum, illam Metropolim diligentium, literis ad sanctum Papam Leonem. Et tunc eius Episcopi primò cæperunt cum Viennensi contendere de iure Metropolitico.

Lib. 15. c. 17.

Cap. 65. & 66.

Lib 3. c. 3.

Etiam falsum est, quòd sanctus Petrus Trophymo dederit priuilegium tot Episcopalium consecrationum. Nullo id possit ostendi authentico testimonio. Et hinc Zozimi Pontificis successor Bonifacius datum ab illo priuilegium statim circumduxit. Etenim Hilarium Narbonæ Metropolitam, qui Lutubensem suæ Prouinciæ Episcopum questus est ordinatum à Patroclo, potenter exaudiuit, & addidit verari à Nicænis Canonibus, vt vnus Metropolita habeat duas Prouincias. Insuper Patrocli Ordinatum iussit extrudi, & alium Episcopum ibidem consecrari. Nempè Hilarius ad Apostolicum suæ Ecclesiæ priuilegium denuò prouocarat. Notanda sunt verba, quibus Zozimus suprà dixit data à sancto Petro priuilegia nec per ipsam Apostolicam Sedem posse euerti, aut mutari. Hinc Patrocli post sanctum Honoratum successor Hilarius non solummodò resumpsit, sed etiam extendit circumductum, & factum priuilegium, atque cæpit etiam per maritimarum Alpium, & Sequanorum Prouincias consecrare Episcopos. Nempè per Iulium Cæsarem facta Narbonensium Prouincia istas etiam regiones comprehendebat. Interim non in Apostolico, aut Synodali Canone, sed in dato per sanctum Petrum priuilegio sua Acta fundarunt Zozimus, Patroclus, atque Hilarius. Suum quoque consecrandi ius ex eodem fonte petiuit Hilarius Narbonensis. At quodnam fuit, vbi, & quando datum istud Narbonensis Ecclesiæ priuilegium? Respondeo datum ab inducta per Romanorum Pontificum conniuentiam consuetudine, quæ omnes Gallicanos Episcopos à suis Metropolitis, & hos ab illis indulsit consecrari. Pontifices id indulserunt ob duas causas. Primò, ob locorum distantiam. Deindè ob Apostolicæ Sedi impositam omnium Ecclesiarum sollicitudinem. Vti enim sanctum Paulum Apostolum non baptizare, sed euangelizare, ità Romanos Episcopos Diuina Maiestas non misit consecrare tantùm, sed præsertim omnem Christianitatem regere, & gubernare. Et ex hoc principio Arelatensis Hilarius ad deprauandos Gallorum Episcoporum animos

mos sparsit, quod sanctus Papa Leo istarum ordinationes tentaret sibi defendere, hoc est, ad suum Patriarchale ius reuocare: Et ille ex Apostolico, ac sexto Nicæno Canone istud omninò poterat, semper potuit, ac etiamnam potest. Verùm magnus Leo antiquam, & bonis rationibus nixam consuetudinem noluit lædere.

Quòd consuetudinem, qua Metropolitæ suos Suffraganeos passim consecrant, in suo ob locorum distantiam gratioso indulto Romani Pontifices passim fundent, potest demonstrari multo testimonio. Exemptum sancti Dionysij propè Parisios Monasterium, quoniam ab Episcopis, in quorum Parochijs possidebat Altaria, multas, & graues patiebatur vexationes, ab Apostolica Sede accepit proprium Episcopum. Et hic, qui nec Ciuitatem, nec Metropolitam habebat, lucidè spectabat ad Romanam consecrationem. Et erat plenè exemptus, non minùs, quàm ipsum Monasterium. Et tamen de ipso ad Maginarium sancti Dionysij Abbatem scripsit Adrianus primus: [Pro longitudine itineris, à vicinis Episcopis, sicut mos exstitit, consecretur.] Exstat epistola apud Iacobum Sirmundum in Concilijs Galliæ. Et Bulgaris de futuro suo Archiepiscopo, vel Patriarcha, vbi & à quo foret consecrandus, postulantibus respondit Nicolaus
Ep.71. c.73. primus: [Vos siue Patriarcham, siue Archiepiscopum, siue Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentiùs, quàm à Pontifice Sedis beati Petri, à quo & Episcopatus, & Apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari voletis. In quo hic est ordo seruandus: Vt videlicet à Sedis Apostolicæ Præsule sit nunc vobis Episcopus consecrandus, qui si Christi plebs, ipso præstante, crescit, Archiepiscopatus priuilegia per nos accipiat, & sic demùm Episcopos sibi constituat, qui ei decedenti Successorem eligant, & propter itineris longitudinem non jàm hùc, qui electus est veniat, sed hunc Episcopi, qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simùl congregati constituant: Sanè interim in throno non sedentem, & prætet corpus Christi non consecrantem, priusquàm pallium à Sede Romana percipiat, sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum Regionum Archiepiscopi agere comprobantur.] Bulgaricum Regnum erat Illyrici pars, Patriarchica Diœcesis Romani Pontificis. Hinc eius cum Episcopis futurum Archiepiscopum Nicolaus asserit spectare ad suam consecrationem: Et tamen propter itineris distantiam dat eis istud ipsum priuilegium, quod habebant Gallicani, Germani, ac aliarum ad Romanum Patriarchatum spectantium Diœcesium Metropolitæ, ac Episcopi, vt à sese mutuò consecrentur. Proindè omnes etiam Gallicani Episcopi id merè habent ex gratia Apostolica.

Etiam Metropolita Mediolanensis, ac Aquileiensis. Lucet ex Pelagij primi Ponti-
Dis.24.c.33 ficis apud Gratianum exstantibus literis: [Mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apostolico illis onerosum fuerit ordinari, ipsi se inuicem Mediolanensis, & Aquileiensis ordinare Episcopi debuissent.] Eos à suis Suffraganeis consecrari Romana tunc Ecclesia noluit, ne illis esset, vel vmbra Autocephaliæ. Posteà verò id mutauit, & vtrumque iussit consecrari à suis Suffraganeis. Lucet ex literis magni Gregorij ad Ioannem suum Subdiaconum, scriptis in causa Constantij, Electi Mediolanensis: [Eum à proprijs Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, facias consecrare.] Hunc antiquitatis morem exponit in literis ad Mediolanensis Ecclesiæ Clerum, & populum: [Ioannes Subdiaconus Electum vestrum secundùm morem Decessoris eius faciat Episcopum consecrari.] Mutatio facta est ob schisma trium Capitulorum, grassatum maximè in Mediolanensi, ac Aquileiensi Ecclesia, & præsertim fundatum in vtriusque potentissimæ Ecclesiæ conspiratione. Socrates scribit sanctum Ambrosium fuisse consecratum à præsentibus Episcopis. An Aquileiensis adfuerit, non exprimit. Potest adfuisse. Quòd enim inter hosce duos Consecrator debuerit Consecrandi Ciuitatem accedere, Papa Pelagius in præfatis literis disertè testatur.

Lib. 2. indictio 2. epist. 30.

Ep. 29.

Hanc rem tangit in opere de Sacerdotij, ac Imperij Concordia Dominus Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisiensis: [Ambrosij sanè Mediolanensis Episcopi Electio, & Ordinatio, quæ facta est à Synodo totius Italiæ, Decreto Valentiniani Imperatoris coacta, euincit nihil iuris per illas tempestates Romano Pontifici competiuisse in Ordinatione Metropolitani Mediolanensis, à qua manus abstinuit per multum æui, serò vsurpata eius ordinatione. Colligi id abundè potest ex epistola Pelagij primi, anno quingentesimo quinquagesimo quinto in Petri Sede præsidentis, qui docens Episcopos Aquileiensem, & Mediolanensem consueuisse inuicem sibi manus imponere, quando alterutra harum Sedium Pastore proprio viduata erat, insinuare tamen nititur hanc consuetudinem introductam esse vitandis sumptibus, qui Electo incumberent, si Romam pro ordinatione accedere cogeretur, cùm vera huius Instituti ratio in eo consistat, quòd cùm Mediolanum esset caput Diœceseos Italiæ, vt constat ex Concilio Aquileiensi, ordinatio Metropolitæ Aquileiensis ad Episcopum Mediolanensem optimo iure pertinebat. Primatis verò Mediolanensis ordinatio ad Aquileiensem Episcopum, quòd primus esset inter Metropolitanos Synodi generalis Diœceseos Italicæ. Ex epistola tamen quadam Gregorij primi colligitur, iàm eius æuo, id est, quinquaginta octo annis post Pelagium, inualuisse; vt necessarius esset Summi Pontificis consensus ad hoc, vt Episcopis Prouinciæ Mediolanensis libera esset ordinatio Metropolitani. Eius verba minimè ambigua sunt ad Italiæ Exarchum de Electione Episcopi Mediolanensis. Ait enim se, vt consuetudinem seruet, missurum esse Ministrum Romanæ Ecclesiæ, qui Electum ab Episcopis Comprouincialibus, sicut vetus mos exigit, cum assensu quoque Romani Pontificis faciat consecrari. Distinguit autem illic accuratè ius Canonicum Episcoporum Comprouincialium, quod veteri mori adscribit, ab Ecclesiæ

Lib.6. cap.4

clesiæ Romanæ possessione, quam simpliciter consuetudinem appellat absque vllo epitheto. Quæ consuetudo haud dubiè introducta erat post schisma Ecclesiarum Mediolanensis, & Aquileiensis.

Errores varij, & magni. Primus est in his de Pelagio Pontifice verbis: [insinuare nititur, nec insinuat, sed constanter affirmat vtrumque Metropolitanum iuxta Canones debere consecrari Romæ, verùm ob longi itineris molestias esse permissos consecrari in suis Ecclesijs. Et hanc esse vetustam consuetudinem. Verba iam adduxi. Et sunt ipso sole lucidiora. Dominus Archiepiscopus, vt suas cogitationes fulciat, asserit Pontificem circumscribere, & falsa fari. Secundus error est in his verbis: Vitandis sumptibus. Etenim hæc sunt verba Pontificis: [Pro longiquitate, vel difficultate itineris.] At verò longi itineris difficultas non oritur ex solis sumptibus. Tertius error est, quòd Mediolanensis Episcopus respectu Aquileiensis esset Primas. Etenim quod antiquum testimonium, aut antiqui testimonij vestigium asserit hunc Primatum? In Synodis, in Papalibus literis, ac in alijs Ecclesiæ monumentis assiduè videmus nunc hunc, nunc illum Metropolitam priori loco scribi, aut sedere. Et ipse Pontifex Pelagius scribit ad Valerianum Patricium: [Postulamus vt Paulinum Aquileiensem Pseudo-episcopum, & illum Mediolanensem Episcopum ad clementissimum Principem dirigas. Primo loco ponit Aquileiensem. Proindè certum est vtramque istam ecclesiam fuisse sorores, ideoque nunc huius, nunc istius Episcoporum fuisse digniorem, iuxta maiorem ætatem acceptæ episcopalis consecrationis. Quartus error est, quòd istius Primatus causa Mediolanensis Episcopus deberet consecrari ab Aquileiensi. Est turbidus error Secundi Tigilitani Episcopi, ac per Numidiam tunc Primatis, qui Cecilianum Carthaginensem Episcopum à se, vtpotè primo ipsius subdito Primate, prætendit consecrandum. Et quid illi sanctus Augustinus reposuerit, est suprà ostensum. Nullus vnquam Patriarcha, Exarchus, aut Primas à subdito Metropolita fuit consecratus, nisi ab Heracleensi Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus à Cæsariensi. Et nota est singularis ratio. Et vti Aquileiensis Mediolanensem, ita hic illum debuit consecraturus accedere. Hoc autem à Primatu est alienissimum. Est lucidus character fraternitatis. Quòd hic mos in Laurentij, qui memoratum Constantium immediatè præcessit, Metropolitæ Mediolanensis consecratione mutatus fuerit, iam ostendi ex magno Gregorio, Id omninò factum fuit propter schisma trium Capitulorum. Aquileiensis in schismate perstitit durissima, Mediolanensis autem Ecclesia redijt ad Romanę Matris obedientiam: Hinc ista consecrationis germanitas omninò debuit intercidi. Exindè Mediolanensis Metropolita cœpit Mediolanum legare Subdiaconum, qui Electi personam, & factæ electionis formam discuteret, discussam infirmaret, aut confirmaret nomine Pontificis, & Suffraganeis faceret facultatem consecrandi. An præuiæ confirmationis necessitas etiam primùm tunc cœperit, est longa quæstio, nec spectat ad præsentem locum.

Quintus error est, quòd magnus Gregorius distinguat inter Canonicum Comprouincialium episcoporum ius, ac inter simplicem consuetudinem Romanæ Ecclesiæ. Etenim de Canonico Episcoporum iure nec verbum habet, aut apicem. Permissam illis consecrationem simpliciter affirmat esse morem, qui primùm cæpit in consecratione nuper defuncti Laurentij. Sextus error est, quod sanctus Ambrosius fuerit electus, & consecratus à plena totius Italiæ Synodo. Etenim huius rei nullum est antiquum testimonium. Paulinus Presbyter insinuat solum Clerum, & populum electioni adfuisse. Et sicut pluribus Prouincijs vnum Metropolitanum, ita & vnam Synodum interdicunt Nicæni Canones. Proindè horrendum errorem continet Domini Archiepiscopi conclusio. [Nihil iuris per illas tempestates Romano Pontifici competijt, & præuiæ confirmationis, & consecrationis dandæ ius, quod omni Patriarchæ confirmat ex Apostolico Canone sextus Canon Nicænus.

Iosephus Ripamontius in Mediolanensis Ecclesiæ historia scribit varia spectantia ad nostrum Propositum. Primò, quòd à Pelagio Papa notatus Mediolanensis episcopus fuerit Datius, quem ob pertinacem trium Capitulorum defensionem Imperator Iustinianus multis annis apud Constantinopolim detinuit in exilio, proximus Successor Vitalis. Secundò quòd Vitalem Pelagius in Datij locum suffecerit. An à Pelagio electum, ac nominatum, an verò dumtaxat consecratum intelligat, ignoro. Vt tantam Ecclesiam à Datianę pertinaciæ, ac aduersùs quintum Concilium, & Romanam Ecclesiam perduellionis periculo liberaret, potuit Pontifex Mediolanensis Ecclesiæ electionem sibi reseruasse, vel etiam electum vocasse Romam, compulisse ad variam professionem, & professum consecrasse. Neutrum est alienum à disciplina istius temporis. Ripamontius asserit tertiò, quòd in Macedonici Aquileiensis episcopi defuncti locum fuerit electus Paulinus, vir nobilis, & doctus, atque adiungit: [Cùm dies instaret, quo Paulinum à Pontifice maximo, vel ab eo, quem ille nominasset, oporteret ritè consecrari.] Videtur asserere quòd Pelagius etiam Paulinum non nisi ad suam iussionem voluerit consecrari. Vtique eadem de causa. Quartò dicit, Paulinum noluisse sacrari nisi à Vitali, & ab ipso contra Papale edictum fuisse sacratum, & adiungit causam: [Vetus erat Institutum iam inde à Barnaba, & Marco, vt Mediolanensis Archiepiscopus Aquileiensem Patriarcham, atque hunc ille vicissim initiare posset.] Sanctus Barnabas Mediolanensium, sanctus Marcus passim putatur fuisse primus Antistes Aquileiensium. Verùm hic ibi non fuit Patriarcha. Ripamontius quintò dicit commune Vitalis, & Paulini Attentatum fuisse originem Papalis iracundiæ. Quæ omnia an subsistant, grauiter ambigo. Etenim Ripamontius sine authenticis testimonijs loquitur. Certè hic non sufficit: Ipse dixit. Possit tamen, quia fuit Doctor Ambrosiani Collegij, loqui ex Archiuis istius Ecclesiæ. Quidquid sit, certum est, quòd Paulini ordinatio-

nationem Pelagius suspenderit, & ad nouam formam voluerit cogere. Item certum est Vitalem fuisse Paulino seniorem episcopum. Et tamen illum Papa in suis literis postponit Paulino. Hinc tertiò certum est, quòd Mediolanensi Episcopo in Aquileiensem tunc nullus fuerit Primatus.

Romano Episcopo per sextum Canonē Nicęnum competens ius exponit in memorato loco Dominus Archiepiscopus, atque prosequitur: [Posset tentari ex ijs, quæ dicta sunt, ordinationem omnium Metropolitanorum Occidentis pertinere ad Romanum Pontificem, cum præsertim Episcoporū Alexandriæ, & Antiochiæ auctoritatem Nicæna Synodus constituat ad exemplum Episcopi vrbis Romæ. Equidem id necessariò consequitur ex ijs, quæ dicta sunt, sed ità tamen, vt auctoritas illa ordinandorum Metropolitarum coerceatur intra limites Synodi Patriarchalis ordinariæ Episcopi Romani, id est, de Metropolitanis tantùm accipiatur, qui Dięceseos Vrbicarię finibus continentur. Quapropter Iustinianus formam præscribens Synodorum, quæ à Patriarchis conuocari debent, ait disertis verbis ad illas conuenire debere episcopos, qui pertinent ad eorum ordinationem. Vndè sequitur idem prorsùs significari, si quis dicatur ad Synodum Patriarchæ cuiuspiam, aut ad eius ordinationem pertinere. In quibusdam discrepant. Alexandrinus enim, & Antiochenus vnicam tantùm Dięcesim Ecclesiasticam obtinebant, ex decem Metropolitanis conflatam, quamquam posteà Constantinopolitano tributæ sint tres Diæceses, in quibus viginti octo Metropolitani numerabantur. At Episcopi Romani cura præter Patriarchatū ordinarium, qui saltem ex Diœcesi Vrbicaria, decemque Metropolitanis constabat, porrigebatur in reliquas omnes Occidentis Metropoles, quæ sexagenarium numerum egrediebantur. Maioris itaque Italiæ partis Metropolitani à summo Pontifice ordinabantur in ipsa vrbe, aut postquam Episcoporum Comprouincialium consensus electionem firmauerat, ij permissu eius ordinationem Metropolitani celebrabant. Sed in Diœcesi Vrbicaria receptum erat, vt Episcopi alijs Metropolitanis subiecti ab eo consecrarentur. In quo similis erat Episcopo Alexandriæ, iuxta Concilium Nicœnum. Cæterum id à nemine ante me obseruatum.

Vtinam à nemine hucusque sic fuisset erratum. Et hic denuò est primus Domini Archiepiscopi error. Hos enim plerosque errores iam dudum antea docuit, & propter ipsos ab octaua Synodo notari meruit Hincmarus Metropolita Rhemensis. Exstat Imperatoris Caroli Calui ad Ioannem octauum Pontificem famosa Epistola, quæ episcoporum, ac præsertim Clericorum Trans-Alpinorum appellationes dogmatizat non posse deduci Romam, istos omnes suorum Metropolitarum, aut certè electorum iudicum sententia oportere esse contentos, & adiungit:] Potest fieri, vt illi, qui in vicinis Parochijs sunt huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique iuxta sacras regulas ad manus impositionem, & ad Synodos hùc conuenire solent. ipsi pro reclamatione contra Presbyterorum suorum examinationem cōueniant, sicut sacri Canones, ac leges præcipiunt, vt ad Primatem vniuscuiusque Prouinciæ, qui negotia videntur habere, concurrant, vel ad Synodum, qui se læsos existimant, quò non sit difficile testes producere, inuitentur. Trans-Alpinis autem, & alijs, qui similiter in longinquis regionibus commorantur, Apostolica Sedes, & Sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis Spiritu sancto, quæ sunt vnicuique Prouinciæ possibilia, & authoritati conuenientia, atque paci ecclesiæ congruentia, tenenda, & exsequenda discretissimè præfixerunt.] Palàm dogmatizat solos almæ Vrbi vnicos Episcopos spectare ad Pontificis Synodum, & manus impositionem, ideoquè solas horum Ecclesias esse eius ordinarium Patriarchatum, reliquas transmarinas, aut transmontanas in Occidente Ecclesias spectare quidem ad eius curam, non tamen ad Patriarchatum, nec ad Synodum, nec ad manus impositionem. Est omninò Hincmari epistola. Versatilis ingenij homo, quæ proprio nomine non præsumpsit effundere, eructauit sub nomine obnoxij sibi Imperatoris. Et hæc fœda principia resorbet Dominus Archiepiscopus Petrus de Marca, L.123.137. & gloriatur esse sua inuenta. Porrò Imperatoris Iustiniani nouellas Leges, quæ spectare ad alicuius Patriarchę Synodum, & spectare ad alicuius Patriarchæ ordinationem affirmant esse eadem, aut indiuulsè connexa etiam laudat, ac in ipsis se fundat ista epistola. Est omninò firma regula. Et tam Hincmari quàm Domini Archiepiscopi cogitationes potentissimè destruit.

Secundus igitur Domini Archiepiscopi error est in his verbis: [De Metropolitanis tantùm accipiatur, qui Diœcesios Vrbicariæ finibus continentur. Et in his: Qui saltem ex Diœcesi Vrbicaria, & decem Metropolitanis constabat.] Est duplex in ipsis error. Primus est, quòd singulæ in Italia politicæ Prouinciæ fuerint etiam Prouinciæ Ecclesiasticæ, habuerintque suum Episcopum Metropolitam. Etenim Italica Diæcesis olim non habuit nisi quatuor Metropolitas: Romanum, Mediolanensem, Aquileiensem, & Calaritanum. Quidquid Italiæ, aut adiacentium Insularum non spectabat ad vnum è tribus posterioribus, proximè spectabat ad curam Metropoliticam Romani Episcopi. Flaminia, Æmilia, Picenum, Thuscia, Vmbria, Campania, Valeria, Sicilia, Calabria, Apulia, Lucania, Brucij, Samnites. Et ita fuit vsque ad Valentiniani tertij Imperium, ob cuius preces sanctus Leo Pontifex Rauennam erexit in ecclesiasticam Metropolim, & ipsum cum aliquot suffraganeis Sedibus à sua Metropolitica potestate emancipauit. Reliquæ Prouinciæ non habuere Metropolitam episcopum vsque ad rapinas Imperatoris Leonis Isauri. Res certa est, & alibi abundè demonstrata. Secundus error est, quod istæ solæ sine ecclesiasticis Metropolitis ciuiles Prouinciæ fuerint proprius, & totius Romanæ ecclesiæ Patriarchatus. O miserandum, & nominalem sine Metropolitis Patriarcham! Omnia, quæ Hincmarus aduersùm Ausegisi Senonensis Episcopi Apostolicas in Gallia vices, & aduersùm Romanas inferio-

Epist. 47. cap. 21.

ferioris præsertim Cleri appellationes pro Metropolitarum iure scripsit, eò tendunt, vt quisque Gallicanus Metropolita sit Autocephalus suæ Prouinciæ Primas, nulli subiectus Patriarchæ, aut Exarcho. Est Rauennatum Metropolitarum antiqua superbia, damnatissima apud omnes Ecclesias. Nec enim illi fuerunt Schismatici. Non à Papali, sed à solo Patriarchico Romanæ Ecclesiæ iugo ambierunt esse exempti. Ambierunt istud ipsum, quod ad Imperatoris Iustiniani preces Papa Vigilius dedit Ecclesiæ Acridensi, Hoc ipsum cunctis extra Romanam Prouinciam Metropolitis adscribere tētat Dominus Archiepiscopus, atque ita Romanum Patriarchatum penitus deplumare. Facere rem solius tituli.

At longè aliud altissima voce clamat omnis Ecclesiastica antiquitas. Audiamus Arelatensis, quam sanctus Augustinus non sine causa appellat magnam, synodi vocem, ac relationem ad sanctum Syluestrum Pontificem: [Maiores Diœceses tenes.] Vtique Patriarchales. Nempè Italicam, Illyricianam, Africanam, Hispanicam, Gallicam, Anglicanam. Has omnes intelligit in literis ad sanctum Gregorium Nazianzenum etiam magnus Basilius: [Quale nobis auxilium ab Occidentalium fastu aderit? Volebam ad eorum Antesignanum scribere.] Palàm profitetur Romanum Episcopum esse Antesignanum totius Occidentis. Non vtique per Papalem dignitatem: Sic enim est Antesignanus etiam Orientalium. Sed per ius Patriarchicum. Et quid per Occidentales intelligat Basilius, edicunt hæc ibidem verba: [Illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt.] Notat Sardicensem synodum, quæ Marcellum Ancyræ Metropolitam purgauit, ac reparauit. Eam non pro generali, sed dumtaxat pro Occidentis Patriarchali habet: Et quis nesciat illi adfuisse Episcopos Italos, Hispanos, Afros, Gallos, Illyricianos? Et dogmatica, ac ab omnibus Ecclesijs probata qua sextam synodum instruxit sanctus Agatho Pontifex, epistola habet hunc titulum: [Agatho Episcopus, seruus seruorum Dei, cum vniuersis synodis subiacentibus Concilio Apostolicæ Sedis.] Et inter rationes,quę postulatos ab Imperatore Constantino quattro Legatos fuerant moratæ, adducit, & has: [Primùm quidem, quod numerosa nostrorum Episcoporum multitudo vsque ad Oceani Regiones extenditur, cuius itineris longinquitas in multi temporis cursum protelatur. Sperabàmus deindè de Britannia Theodorum Consamulum, atque Coepiscopum nostrum, magnæ Insulæ Britanniæ Archiepiscopum, & Philosophum, cum alijs, qui ibidem demorantur, exindè ad nostram Humilitatem coniungere, atque diuersos huius Concilij Episcopos in diuersis Regionibus constitutos, vt à generalitate totius Concilij nostra seruilis suggestio fieret, ne si tantùm pars quod agebatur recognosceet, partem lateret. Et maximè quia in medio gentium, tam Longobardorum,quàm Sclauorum, necnon Francorum, Gallorum, atque Britannorum, plurimi Consamulorum nostrorum esse noscuntur.] Disertè profitetur Gallos, Germanos, Francos, Hispanos, Britannos, Illyricianos pertinere ad Patriarchale Concilium Romanæ Ecclesiæ. Et quid opus multis? In primo sui operis libro Dominus Archiepiscopus habet hanc conclusionem: [Cordatus Lector, si curiosiùs rimetur, statim inueniet, quod eodem modo, quo quinque Orientis Diœceses ita suis Primatibus erant commissæ, vt Ægypto præesset Alexandrinus Patriarcha, Orienti, Antiochenus, Asianæ Diœcesi, Ephesinus Exarchus, Ponticæ verò Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & Thraciæ Constantinopolitanus, ita Diœceses Occidentis ea ratione Metropolitis suis concreditæ fuerint, vt Romano Episcopo, tanquam totius Occidentis Patriarchæ, subessent.] Et eruditè probat. Etiam ex laudato iam magni Basilij testimonio.

Epist. 10.

Cap. 5.

Quod nominatim Mediolanensis, atque Aquileiensis Metropolitæ Patriarchico Romanæ Ecclesiæ iugo olim subfuerint, Dominus Archiepiscopus etiam in alio sui operis libro profitetur: [Attamen affirmare licet duas Diœceses Italicas Sedis Apostolicæ constitutis omninò paruisse per illas tempestates quod synodum eius Patriarchalem constituerent, vt alibi ostendi. At cæteræ Occidentis Prouinciæ tenebant ad eam mittere relationes tamquam ad sedem, in qua residebat Principatus Sedis Apostolicæ, vndè fides manauerat in Prouincias. Roma ergo erat velut matrix fidei, Ecclesiæ verò cæterarum Occidentis Prouinciarum erant velut coloniæ quædam ab ea vrbe pendentes. In quo similes erant Ecclesijs Italicis. Et infrà: Subiectio illa Prouinciarum Occidentis, quæ ad synodum Patriarchalem Romanam non pertinebat, non versabatur tantùm in reuerentia quadam, & obsequio erga Sedem Apostolicam, sed in eo præcipuè, quod illæ tenerentur referre ad Pontifices Romanos de quæstionibus difficilioribus, & ambiguis, quæ incidebant. In quo Romanus Pontifex vtebatur iure quodam Imperiali, quod probat supremam eius auctoritatem. Frustra enim sunt,qui ea quærunt in appellationibus Episcoporum, quæ in veteri Ecclesia non recipiebantur.] Quid per duas Italicas Diœceses intelligat Dominus Archiepiscopus, edicit in alio eiusdem operis libro: [Italia in duas Diœceses erat diuisa; Italicam nempè, & Suburbicariam. Porrò Italica, seu Transpadana comprehendebat Aquileiam, & Mediolanum. Et quod vtriusque ciuitatis Metropolita semper spectauerit ad Patriarchalem Romani Episcopi synodum,Dominus Archiepiscopus neruosè, ac eruditè ibidem demonstrat. Proindè fabula sibi ipsi non cohæret: Nunc omnem Occidentem, nunc vtramque dumtaxat Italicam Diœcesim nunc solam Italiam Vrbicariam affirmat spectare ad istam synodum. Tendunt hæc omnia, vt in Rauennatibus episcopis frequenter damnata, & tandem potenter euulsa Autocephalia resurgat in Metropolitas Galliæ. Nam hic fuit scopus Hincmari Rhemensis. Certè Dominus Archiepiscopus palàm prædicat Sedi Apostolicæ nihil ab istis Metropolitis deberi, nisi solam difficilium, & ambiguarum causarum relationem. Et quis nesciat hunc esse proprijssimū autocephaliæ characterem? Porrò fabula, quæ Episcoporum appella-

Lib. 7. c. 12.

Lib. 1. c. 6.

pellationes affirmat fuisse ignotas antiquæ Ecclesiæ, est abundè retusa in superioribus.

Omnium Occidentalium Diœcesium Episcopi non tantummodò spectarunt semper ad Patriarchalem Romani Episcopi synodum, sed & ipsam constanter frequentarunt. Etenim Patriarchali, quam formando suo ad sextam synodum suffragio adhibuit sanctus Agatho, synodo adfuerunt non soli cum suis Suffraganeis Mansuetus Mediolanensis, ac Agatho Aquileiensis Metropolita, sed etiam Adeodatus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Leucorum, Legatus venerabilis Synodi per Galliarum Prouincias constitutæ, Fœlix Episcopus Arelatensis Ecclesiæ, Legatus venerabilis Synodi per Galliarum Prouincias constitutæ. Taurinus Diaconus venerabilis Synodi per Galliarum Prouincias constitutæ.] Etiam adfuit [Vvilfridus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Eboracenæ, Legatus venerabilis Synodi per Britanniam constitutæ.] Et quis nesciat primam Arelatensem, cui adfuerunt omnium Occidentalium Diœcesium Episcopi, fuisse dumtaxat Patriarchalem? Plurima sunt eiusmodi exempla. Et inter multa, quæ Romani Imperij per Barbaros laceratio intulit ecclesiæ, incommoda sanctus Auitus Viennensis Metropolita in literis ad Faustum, & Symmachum Romanorum Senatores ponit, & hoc: [Primùm fuerat talis rerum status desiderandus, vt ipsi per nos vrbem orbi venerabilem pro dependendis Diuinis, humanisq; expeteremus officijs. Sed quia istud iam dudum per rationem temporum fieri posse cessauit, vellemus, vel eo securitatis accedere, vt quæ in causa communi supplicari oportet, Amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret.] Palàm agit de Patriarchalibus Romanæ Ecclesiæ Synodis. Affirmat ipsas olim frequentatas à Gallicanis Episcopis, hos ad ipsas obligari, sed iam per Barbaros impediri.

Epist. 52. Et hæc est causa, ob quam etiam sanctus Leo magnus, suas ad Chalcedonensem Synodum dogmaticas literas formaturus, Gallicanos Episcopos non euocarit ad suam Synodum, sed fuerit contentus Synodali ipsorum suffragio. Quam veritatem altissimè prædicant etiam Apostolici per Illyricum, Galliam, ac alias Diœceses Vicarij. Erant Vicarij Patriarchalis potestatis, & Vicarias faciebant Synodos, vt ad remotæ vrbis accessum episcopi quotannis non cogerentur. Quòd Thessalonicensis Episcopus fuerit Romani Pontificis dumtaxat Patriarchalis Vicarius, Græci omnes, etiam hodierni Schismatici, constanter profitentur. Hinc enim

Anno 508. scribit Martyr Theophanes: [Theodorus Historicus Thessalonicæ Episcopum appellat Patriarcham, sed nulla prorsùs ratione, nec cur ista scripserit, ipse satis nouit.] Theodorus fauit Dorotheo Thessalonicensi Episcopo, qui Acaciano schismate fretus Apostolicas vices tentauit vertere in Autocephaliam ordinarij Primatus. Theophanes asserit fuisse dumtaxat Vicarium. Perdo verba, & tempus in res claras.

Verùm, quæ est prima huius erroris origo? Respondeo esse Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum. Photiano Constantinopolitanæ Ecclesiæ schismate vexatus sanctus Papa Nicolaus primus scripsit ad dictum Metropolitam, & ad reliquos Gallicanos Episcopos: [Pro his, & similibus causis canonicè discutiendis, & ritè definiendis, tam vestram, quàm aliorum fratrum, & Coepiscoporum nostrorum reuerendam ad nos conuocare vellemus præsentiam, nisi nos diuersæ mundi calamitates, & pressura id gerere vetuissent.] Et infra: [Alioquin vestram ad nos Fraternitatem conuocandi, & pariter de huiusmodi quæstionibus tractandi nobis erit omninò necessitas, vt videlicet iuxta pristinam consuetudinem nobiscum in id ipsum apud sanctum Petrum conuenientes, communes Ecclesiæ contumelias reparemus.] Constanter asserit Gallicanos Episcopos spectare ad suam Patriarchalem Synodum, & ipsorum in ea præsentiam esse antiquam consuetudinem. Et hinc tandem Carolum Regem rogauit, vt ex quauis Prouincia vnus ad minimum Legatus Episcopus adueniret. At Metropolitæ responderunt: [Episcopos Romam ad Synodum mittendi necessitas non postulat.] Dominus Archiepiscopus exponit. Superiùs adducta Caroli Regis, seu potiùs Hincmari ad Ioannem octauum Pontificem verba laudat, atque prosequitur: [Exceptio illa, nimirum Ecclesiam Gallicanam non pertinere ad specialem Diœcesim Romanam, idest, neque ad consecrationem Romani Episcopi, neque ad eius Synodum, tametsi Sedem Apostolicam coleret velut particulare Caput Occidentis, & etiam tanquam Caput Ecclesiæ vniuersæ; exceptio, inquam, illa prorsus legitima erat. Prudenter igitur Nicolaus primus efficere conatus est, vt Episcopi Gallicani ad Concilium Romanum conuenirent, vt ea ratione in Gallia, & in vniuerso Occidente Patriarchalis iurisdictionis amplitudinem constitueret, quam Patriarchæ Orientis possidebant in sua quisque Diœcesi. Hi autem Metropolitanos omnes euocabant ad Synodum Patriarchalem.] Ad hanc exceptionem stabiliendam multa consarcinat. Damnatam Rauennatis Ecclesiæ Autocephaliam lucidè conatur traducere in Gallias. Etenim Romanum Episcopum, vti totius Occidentis singulare Caput, & vti Caput Ecclesiæ vniuersæ, venerata semper fuit etiam Rauennatum Ecclesia. Eodem modo illum venerata fuit etiam post datum à Vigilio Pontifice Primatum Ecclesię primæ Iustinianæ. Et Antiochenum Episcopum, vt totius Orientis singulare Caput, venerata semper fuit Cypriorum Ecclesia, & tamen duæ posteriores fuerunt, prior prætendit esse Autocephala. Nempè Autocephalia non est aliud, quàm exemptio à iugo Patriarchalis consecrationis, & Synodi. Et Dominus Archiepiscopus, vt suas cogitationes firmet, asserit magnum Papam Nicolaum prudenter conatum efficere, idest, astutè conatum circumscribere.

Epist. 70. Lib. 6. c. 14.

Audiamus quid in Hincmarum statuerit octaua Synodus. Innouat sextum Nicœnum Canonem, & pergit: [Sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui ne secundùm vocationem Apostolici Præsulis occurrant, à mundi Principibus se detineri Can. 17.

ſine ratione cauſantur, placuit talem excuſationem omnimodis eſſe inualidam. Cùm enim Princeps pro ſuis cauſis conuentus frequenter agat, impium eſt, vt ſummos Præſules ad Synodos pro eccleſiaſticis negotijs celebrandum impediat, vel quoſdam à Concilijs eorum prohibeat, licèt tale impedimentum, & fictam prohibitionem Metropolitanorum ſuggeſtione diuerſis modis fieri didicerimus. Conſueuerunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideòque, ſicut dicunt, ad Patriarchale penitus non poſſe concurrere Caput. Sed ſancta hæc, & vniuerſalis Synodus, nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens, multò magis illa nouit rationabiliora eſſe, ac vtiliora Metropolitanorum Concilijs, quæ à Patriarchali Sede congregantur, & idcircò hæc fieri exigit. A Metropolita quippe vnius quidem Prouinciæ diſpoſitio efficitur. A Patriarcha verò ſæpe totius cauſa Diœceſeos diſpenſatur. Ac per hoc cõmunis vtilitas prouidetur. Propter quod, & ſpeciale lucrum propter generale bonum poſtponi conuenit, cum à maioribus ſuper hęc facta fuerit aduocatio. Quamuis apud quoſdam Metropolitanorum antiqua conſuetudo, & Canonica traditio per contemptum ipſorum poſtpoſita videantur, non currentibus eis ad communem profectum. Quos leges eccleſiæ ſæuerè condemnantes, omni excuſatione remota, ſubiacere vocationibus proprij Patriarchæ, ſiuè cum communiter, ſiuè cum ſingulatim factæ fuerint, exigunt. Quiſquis ergò Metropolitanorum proprium Patriarcham contempſerit, & vocationem eius, quæ ſiue ad vnum ſolum, ſiue ad plures, ſiue ad omnes fit, abſque validiſſima ægrotatione, vel Paganorum incurſu non obedierit, & per totos duos menſes poſt notitiam vocationis ad proprium venire Patriarcham minimè feſtinauerit, vel ſi quocumque modo latitate, aut non cognoſcere nuntium ab illo miſſum tentauerit, ſegregetur; ſi verò intra vnum annum eamdem contumaciam, & inobedientiam demonſtrauerit, deponatur omnibus modis, & ab omni Sacerdotali operatione decidat, atque à dignitate, & honorè, qui Metropolitanis conuenit, propellatur. Is autem, qui huic definitioni non obedierit etiam, & anathema ſit.] Hæc omnia pro Patriarchalibus Romani Epiſcopi Synodis innouari, & ſanciri aduersùs Domini Archiepiſcopi dilectum Magiſtrum Hincmarum, eſt ſuo loco demonſtratum. Proindè certum eſt omnes etiam Gallicanos Epiſcopos ſpectare ad Synodum, & conſecrationem Romani Patriarchæ. Eorum igitur conſecrationem ad ſe retrahere omnino potuiſſet magnus Leo: Sed auitam conſuetudinem noluit circumducere. Eſt conſuetudo precaria: Gratioſè indulta ob diſtantiam ab Alma Vrbe.

CAPVT VI.

Romanus Epiſcopus oſtenditur eamdem poteſtatem habere in alijs ſuis Diœceſibus.

HOrum omnium veritas lucet etiam ex literis Honorij primi Pontificis ad Honorium Cantuarienſem, & Paulinum Epiſcopum Eboracenſem, Londinenſem, cuius Cathedra ex cauſis eſt per ſanctum Auguſtinum fixa Cantuarię, & Eboracenſem eccleſias magnus Gregorius, ad inſtar Mediolanenſis, ac Aquileienſis, voluit eſſe ſorores, ac earum epiſcopos à ſeſe mutuò conſecrari. Hoc priuilegium poſteà innouauit, & firmauit laudatus Pontifex Honorius, & addidit cauſam: [Quia, vt hæc vobis concederemus, longa terrarum, mariſque interualla, quæ inter nos, & vos obſiſtunt, ad hæc nos condeſcendere coegerunt, vt nulla poſſit eccleſiarum veſtrarum iactura per cuiuslibet occaſionis obtentum quoquo modo prouenire, ſed potiùs commiſſi vobis populi deuotionem poſſitis pleniùs propagare.] Has literas ſuæ Anglorum Hiſtoriæ inſeruit venerabilis Beda, & commentatur: [Ne ſit neceſſe ad Romanam, vſque ciuitatem per tam prolixa terrarum, & maris ſpatia pro ordinando ſemper Archiepiſcopo fatigari.] Palàm profitetur vtramque ſedem ſpectare ad ordinationem Romani Pontificis, & ipſarum Electos debere Romam accedere. Honorius edicit ſe priuilegium concedere ad preces vtriuſque Archiepiſcopi, & Regum. Exſtant plura iſtiuſmodi teſtimonia. Lib. 2. c. 10.

Omitti nequit lucidum ſancti Cypriani teſtimonium, qui aduersùs Antipapam Nouatianum, nouos vbique ſub cœlo, aut certè in Romano Patriarchatu Epiſcopos ſacrare meditantem, ſcribit Antoniano Epiſcopo: [Quaſi poſſit totum Orbem noui conatus obſtinatione peragrare.] Palàm aſſerit omnes vbique epiſcopos ob loci diſtantiam, nec poſſe apud Romam, nec in ſuis Sedibus à Romano Epiſcopo conſecrari. Romani Pontifices ſuis paſſim Metropolitis, & horum Prouincialibus Epiſcopis indulſerunt, quod ab Antiochenis Patriarchis fuiſſe ſolis Metropolitis indultum ob regionum diſtantiam, audiuimus ſupra à primo Papa Innocentio. Neſcio quis Antiochenus Patriarcha in Cypri Eccleſiam fuit liberalior. Imitatus eſt Romanam liberalitatem, non tantùm Prouinciales à Metropolitis, ſed etiam hos permiſit conſecrari à Prouincialibus. Quòd eſſet eccleſia tranſmarina. Verùm indulgentia nocuit. Ipſam Cyprij Metropolitæ tandem verterunt in ius: Tandem obtinuerunt plenam Autocephaliam. Hoc ipſum ex eodem principio obtinere Galliæ, ac Germaniæ Metropolitis tentauit olim Hincmarus, & hodie tentat Dominus Archiepiſcopus. Epiſt. 52.

Inſignes Pelagij Pontificis ad Vualbertum Aquileiæ Patriarcham de hac re literas in ſuo Decreto cuſtodiuit nobis ſanctus Iuo Carnutenſis Epiſcopus: [Miramur prudentiam tuam Cumenſi Eccleſiæ denegare conſecra- Epiſt. 5. c. 13

ſecra-

secrare Pastorem, cum iam te ad hoc prouocatum noueris Apostolica exhortatione. Si enim in eius electione quid tibi displicuit sacris Canonibus interdictum, Apologeticis literis tuis respondere nobis debueras. Nunc verò tibi iteratò scribimus, nolentes alicuius ecclesiæ priuilegium infringere, licèt Apostolica Prærogatiua possimus de qualibet ecclesia clericum ordinare. Desine iam cuiuspiam zelo electum à Clero, & expetitum à populo Linsuuardum Cumensi Ecclesiæ Antistitem protelare. Quia si protelaueris, & eum consecrare toties monitus non maturaueris, cum ad nos venerit, procul dubio consecratus abibit. Quia licèt id Apostolica authoritate facere valeamus, tuo tamen incitamur exemplo, qui transgressis terminis tibi commissis in Ecclesia Salonensi Episcopum ordinare ad indecentiam Apostolicæ Sedis præsumpsisti. Quod quantæ præuaricationis sit, ipse perpende.] Est error in nomine, ac titulo Aquileiensis Episcopi. Isto enim tempore Aquileiensis Ecclesia nullum habuit episcopum nomine Vualbertum. Et Aquileienses Episcopi tunc nondum sibi arrogauerant titulum Patriarchæ. Existimant aliqui epistolam scriptam ad Paulinum Episcopum. Hic enim potèter studuit dilatare nouū tunc schisma trium capitulorum, atq; ita etiam Salonitani Metropolitæ consecrationem inuadere. Alij censent non esse credibile, vt Pelagius Orthodoxum Episcopum bis remiserit ad Schismaticum Metropolitam, & per ipsum iusserit consecrari. Hinc credunt epistolam non esse primi, aut secundi Pelagij, sed alicuius Pontificis, qui post exstinctum schisma sederit. Et certè Vualbertus, & Lintuuardus non sunt Latina nomina, sed Longobardica. Quidquid sit, epistola nos docet plura. Primò, quòd Romanus Pontifex in quauis, ac ex quauis Ecclesia possit non tantùm Episcopos, sed etiam Clericos consecrare. Secundò, quòd Occidentalium Metropolitarum in consecrandis Episcopis potestas sit priuilegium Apostolicum, atque Indultum. Tertiò, quòd Pontifex sine rationibus non consueuerit illi derogare. Et sanè ita conuenit. Et Romani olim Pontifices constanter obseruarunt. Nam & hic vides Lintuuardum electum à Pontifice ad suum Metropolitam fuisse bis remissum. Quomodo etiam cum Theutboldo Lingonensium Electo processit Stephanus sextus. Videtur tunc Papa alienarum Prouinciarum Episcopos non nisi in tertia instantia consecrasse. Rogandus est Pontifex, vt Electis non facilè det facultatem accipiendæ consecrationis à quolibet Catholico Antistite, sed Prouinciales à proprijs Metropolitis, hos à proprijs Suffraganeis, aut Primatibus iubeat consecrari.

Quidquid sit de istarum literarum authore, omittere nolim quod de primo Pelagio scribit ad Constantium Metropolitam Mediolanensem magnus Gregorius. Constantium Electum, nisi priùs de damnandis tribus Capitulis, & admittendo quinto Concilio solemnem, & scriptam professionem faceret, confirmare noluit Gregorius, & ad queritantem de hac re eumdem iam consecratum rescripsit: [Decessor Fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicæ emisit; in qua viri nobilissimi in legitimo numero subscripserunt. Inter quos ego quoque, tunc Vrbanam Præturam gerens, subscripsi.] Affirmat Laurentium non dumtaxat ad solemnissimam professionem fuisse compulsum, sed & euocatum Romam, ibi profiteri iussum coram Magistratu, & à Pelagio Pontifice consecratum. Et hæc omnia Gregorius adeò probauit, vt ex ipsis suum in Constantio factum stabiliuerit. Pelagium imitatus est Ioannes octauus. Etenim Aspertum Mediolanensem Archiepiscopum degradauit; procedi iussit ad nouam electionem, Electum vetuit consecrari à Suffraganeis, iussit mitti Romam, & adiunxit: [Nos secundùm morem pristinum, & secundùm Regiam concessionem volumus Archiepiscopum consecrare.] Secundùm morem antiquum, quo Romanus Pontifex quorumuis in Occidente episcoporum consecrationem ex causis potest sibi reseruare. Recentiora exempla possunt adduci plurima. Et quoties Metropolitæ aduersùm similes consecrationes intercesserunt, sanctus Petrus Apostolus semper triumphauit. Porrò Glabri Rodolphi in loquendo, & scribendo licentia auitæ, ac manifestæ veritati non potest præscribere. Est imperita loquacitas. Etenim Metropolitarum, ac Prouincialium episcoporum in danda, & accipienda à sese inuicem consecratione morem, quem certum est esse gratuitum beneficium, ac priuilegium, censet esse Apostolicum, & Canonicum tenorem. Est ab Hincmaro mutuatus error. Quocirca præsens Canon per omnia rectè definiuit. Lib. 3. ep. 2.

Quòd episcopales etiam per Africanam Diœcesim consecrationes spectent ad Romanam Ecclesiam, & non nisi ob itineris molestias sint Carthaginensi Archiepiscopo, ac aliarum Prouinciarum Primatibus indultæ, abundè lucet ex suprà laudatis literis sancti Cypriani ad Antonianum episcopum. Etiam ex literis ad sanctum Papam Cornelium: [Quòd tibi de Fortunato isto Pseudoepiscopo, à paucis, & inueteratis hæreticis constituto, non statim scripsi, frater charissime, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos festinatò perferri. Maximè quando, & Fortunati nomen iam satis nosses, qui est vnus ex quinque Presbyteris, iam pridem de ecclesia profugis, & sententia Coepiscoporum nostrorum nuper abstentis. Et infrà: Quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miserim tibi proximè nomina episcoporum istic constitutorum, qui integri, & sani in Ecclesia Catholica fratribus præsunt.] Omnium recenter consecratorum per omnem Africam Episcoporum nomina, & qualitates Romam festinatò referre adeò debebat Carthaginensis Archiepiscopus, vt de omisso hoc etiam circa Anti episcopum Fortunatum, à fœlicissimi Diaconi factione turbulenter intrusum in Carthaginensem Cathedram, officio sanctus Cornelius fuerit conquestus. Quæ huius festinatæ relationis necessitas? Vt singulorum in Africa episcoporum qualitates, electionem, & consecrationem discuteret Pontifex, atque tunc, aut infirmaret, aut confirmaret. Apostolicus per sextum Nicænum postea confirmatus Canon ei deferebat præuium consecrationi examen, & confirmatio- Epist. 55.

 nem,

nem, etiam ipsam consecrationem; verùm trāsmarini itineris difficultas Romanos Pontifices permouit ad istam indulgentiam. Interim factę post consecrationem relationi noluerunt vllo modo renuntiare.

Quin, & post Nicænam Synodum voluerunt præuiam confirmationem sibi restitui. Lucet ex Siricij Pontificis Decretali, multam disciplinam reformante, ad omnes Africæ Antistites epistola, cuius hic est primus reformans articulus: [Nemo extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis audeat ordinare. Integrum enim iudicium est, quod plurimorum sententia consequitur.] Sextus Nicænus Canon consecrandos Prouinciales Episcopos mandat confirmari non tantùm à Metropolita, sed etiam à Patriarcha, aut Exarcho. Porrò per omnem Africam, & Carthaginensis Exarchus ordinabat episcopos, & quisque etiam Primas in sua Prouincia. Consecrandi habebant electionem inter Exarchum, & Primates. Dabatur locus præuentioni. Interim Primas sine præuia Exarchi confirmatione nequibat consecrare. Et omnes antiqua sua consuetudine freti censebant præuiam Primatis, & Exarchi confirmationem sufficere, nec esse opus simili confirmatione Sedis Apostolicæ. Hanc tertiam confirmationem censebant non solummodò aduersam suis antiquis moribus, sed & superfluam. Nihilominus antiquos mores Siricius voluit corrigi, regi deinceps iuxta sextum Nicænum Canonem, ideòque etiam Apostolicæ Sedis iudicium ante consecrationem exspectari. Et addidit ipsum nullo pacto esse superfluum: [Quia integrum iudicium est, quod plurimorum sententia consequitur.

Notanda sunt verba: [Sedis Apostolicę, hoc est, Primatis.] Africani Episcopi allegarunt sibi præter singularum Prouinciarum Primates, seu Præfectos esse totius Diœceseos Primatem, seu Exarchum: Et horum dumtaxat confirmationem exigi à Nicæno Canone. Allegarunt sui Exarchi Autocephaliam, ideòque se non spectare ad Romani Pontificis confirmationem, aut consecrationem, sed dumtaxat ad relationem obligari. Etenim Africana Ecclesia semper dilexit: atque ambiuit sui Exarchi Autocephaliam: Et habuit ansas. Etenim apud antiquam Ecclesiam solæ quatuor Diœceses habuerunt Exarchum: Thracica, Asiatica, Pontica, & Africana. Et trium priorum Exarchi erant omninò Autocephali. Hinc ad idem fastigium adspirabat Exarchus Carthaginensis. Et ex quo tempore sanctus Cyprianus, & sanctus Firmilianus, Cæsariensis in Cappadocia episcopus, Exarchus Ponticæ Diœceseos, contra sanctum Pontificem Stephanum, & datum, aut acceptum in hæresi Baptismum, coniunxerunt, & erexerunt cornua, ambitus insigniter excreuit. Igitur aduersùs illum edixit Siricius: [Apostolicæ Sedis, id est, Primaris.] Edixit Africanæ Ecclesiæ nullum esse Exarchum, seu Autocephalum Primatem, nisi solum Episcopum Romanorum. Proinde Africani Episcopi omninò spectant ad ordinationem Romanam, ideòque ipsos Pontifex non tantùm præuiè confirmare potest, sed & consecrare. Interim illi antiquum morem non correxerunt. Perrexerunt citra præuiam Romani Pontificis confirmationem consecrare. Lucet ex varijs locis sancti Augustini, ac sancti Possidonij, item ex varijs Africanis Synodis. Nempè suarum consuetudinum Afri erant pertinaciter tenaces, & Siricij successores dissimulare maluerunt, quàm litigare.

Apostolicæ Sedis ius insigniter profitetur magnus Afrorum Doctor sanctus Optatus Mileuitanus Episcopus. A Romana sancti Melchiadis Pontificis Synodo factam Donati in casis nigris Episcopi damnationem exponit, atque prosequitur: [Eodem tempore idem Donatus petijt, vt ei reuerti ad Carthaginem contingeret. Tunc à Filumnio, eius Suffragatore, Imperatori suggestum est, vt bono pacis Cecilianus Brixiæ retineretur. Et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius, & Olimpius, vt remotis duobus vnum ordinarent. Venerunt Carthaginem: Fuerunt per quadraginta dies, vt pronuntiarent vbi esset Catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri non est passa.] Lib. 1.
Quæ verba rectè commentatur magnus Gallicanæ Ecclesiæ Doctor Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus: [Necesse est fateri hos duos episcopos, Eunomium, ac Olimpium, à Summo Pontifice fuisse missos. Alioquin potestatem non habuissent alium in Africa ordinandi. Sed nota, quemadmodum ordinatio in alijs Prouincijs, & longè dissitis potest celebrari à summo Pontifice.] Quia nempe ex Apostolico Canone spectat ad Pontificem. Hic eam ob itineris molestias gratiosè indulget Prouinciarum Episcopis, ideòque ex causis potest ipsam reuocare ad se, vel alijs delegare. Et quidem S. Optatus loquitur de ipsa Primatiali Carthaginensi Ecclesia. Etiam nota, quòd laudatæ, quam clarum est fuisse Patriarchalem, Melchiadis Synodo adfuerint Merocles Mediolanensis, Maternus Agrippinensis, Rhericius Augustodunensis, ac Marinus episcopus Arelatensis. Ex quo vides, & Italicam, & omnem Gallicanam Diœcesim tunc spectasse ad Synodum, ideòque, & ad consecrationem Romani Pontificis.

Istud Romanæ Ecclesiæ ius laudat etiam magnus Gregorius. Dominicum Carthaginensem Primatem de factis quibusdam relationibus laudat, atque adiungit: [Scientes præterea, vnde in Africanis partibus sumpserit Ordinatio Sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quòd Sedem Apostolicam diligendo, ad officij vestri originem prudenti recordatione recurriris. Quòd Africana Ecclesia ab ipsis Apostolis non acceperit Euangelium, sed seriùs crediderit, aliquoties profitetur sanctus Augustinus. Quòd à Romana Ecclesia acceperit primos Doctores, atque Episcopos, gloriatur in Præscriptionum libro Tertullianus: [Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præstò est.] Per auctoritatem omninò intelligit originem. Proinde Africana Ecclesia est Romanæ tradux, & colonia, ac illi fecit nescio quis antiquus Pontifex quod Bulgarorum Ecclesię fecit Nicolaus primus: [Vos siue Patriarcham, siue Archiepiscopum, siue Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine hunc velle congruen- Cap. 36. Ep. 70. c. 73.

gruentiùs, quàm à Pontifice Sedis beati Petri, à quo, & Episcopatus, & Apostolatus sumpsit initium, ordinari valetis. In quo hic est ordo seruandus, vt videlicet à Sedis Apostolicæ Præsule sit nunc vobis Episcopus consecrandus, qui, si Christi Plebs ipso præstante crescit, Archiepiscopatus priuilegia per nos accipiat, & ita demum Episcopos sibi constituat, qui ei decedenti Successorem eligant, & propter longitudinem itineris non iam huc consecrandus, qui electus est veniat, sed hunc Episcopi, qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant.] Cunctis, dum admittunt Euangelium, remotis gentibus primum Episcopum consecrare consueuit Romanus Pontifex, & quiuis Patriarcha, ac Successorum consecrationem Prouincialibus ob itineris molestias indulgere. Demonstrari hoc potest plurimis exemplis.

Eamdem Romanæ Ecclesiæ potestatem nostri Septimi Gregorij tempore insigniter professi sunt Cyriacus Carthaginensium Primas, ac Anzir Saracenorum Rex in Sitifensi Mauritania. Adeò desolata tunc erat Africana Ecclesia, vt non haberet nisi duos episcopos: Nempè ipsum Cyriacum, & nescio quem alium consecratum à Gregorio. Hunc Cyriacus, quia solus consecrare non poterat, Romam miserat consecrandum. Interea Anzir etiam sibi subditis Christianis permisit eligi episcopum, atque electus fuit Seruandus presbyter. Et quia etiam duo episcopi consecrare non possunt, similiter hunc & Cyriacus Archiepiscopus, & Anzir Rex miserunt Romam, & postularunt consecrari à Gregorio. Sitifensis Mauritania est vicina Hispaniæ, remota ab Italis: Et isto adhuc tempore Saraceni dominabantur Hispanijs. Cur ergò Anzir Rex Seruandum non misit ad Hispaniarum episcopos? Quia peritus erat Christianorum Canonum, qui cunctas Afrorum Antistitum consecrationes deferunt Episcopo Romanorum. Et hinc de obseruatis his canonibus gratias illi egit Gregorius. Lib. 3. Epist. 19. 20. 21.

CAPVT VII.

Mediolanensis Ecclesiæ supra Aquileiensem Primatus largiùs refutatur.

Mediolanensis Cathedræ supra Aquileiẽsem Metropolim, ac alias Venetiæ Prouinciæ Ecclesias Primatum Illustrissimus Dominus Petrus de Marca firmare possit ex authẽtica epistola, qua sanctus Ambrosius Felicẽ Comensem in ista prouincia episcopum inuitat ad nouæ, quam sub sanctorum Apostolorũ nomine exstruxerat sanctus Bassianus Laudensis Episcopus, Basilicæ Dedicationem: Affirmat Fœlicẽ esse consecratum suis manibus, ipsum ex imperio tractat vt filium, & adesse non rogat, sed iubet. Quo iure possit Ambrosius in aliena Prouincia consecrasse episcopum? Certè non alio, quàm Primatus. Nempè id fecerat vacante Metropolitica Aquileiensis Ecclesiæ Cathedra. Isto casu variæ apud Latinos Prouinciæ habuerunt varias consuetudines. Quædam omnes consecrationes futuro Metropolitæ reseruarunt, quædam detulerunt Prouinciæ Protothrono, aut seniori, quædam vicinum Metropolitam inuitarunt. In Aquileiensem Prouinciam Mediolauensis Episcopus, videtur tunc fuisse vsus iure sui Primatus. Quòd enim non sororio, aut fraterno iure vsus fuerit magnus Ambrosius, demonstrat epistola, quam Francorum Legatis, Constantinopolim proficiscentibus post quintum Concilium, dedit Clerus Italiæ. Datium Mediolanensem Archiepiscopum, quòd tria capitula damnare pertinacissimè nollet, ad sexdecim ferè annos Imperator Iustinianus exulem Constantinopoli detinuit, ipsum remitti supplicat dictus clerus, & adiungit causam: [Quia cùm penè omnes episcopi, quos ordinare solet, sicut benè scitis, mortui sint, immensa populi multitudo sine Baptismo moritur.] Quòd nempè in Italia quæuis episcopalis Parochia olim haberet vnicum dumtaxat Baptisterium, & solus episcopus omnem populum baptizaret. Aquileiensis Metropolita nec ob tantam necessitatem potuit in Mediolanensi Prouincia consecrare nouos episcopos: Quòd nempè illius Archiepiscopo non esset frater, sed subditus, ac filius.

Lib. 8. Epist. 1.

Respondeo hæc omnia non esse fundata. In laudata epistola id disertè profitetur ipse sanctus Ambrosius: [Erit mihi fructus dulcissimus, quòd meum in te iudicium comprobabitur. Ordinatio non reprehendetur, quam accepisti per impositionem manuum mearum, & benedictionem in nomine Domini Iesu. Ad Basilicarum Dedicationes olim solebant inuitari plures episcopi, ista occasione fieri Synodus, & occurrentes quæstiones definiri. Ita tunc factum fuit etiam in Laudensi ciuitate. Hinc Fœlix Episcopus aduenire timuit: Timuit datam sibi ab alieno Metropolita consecrationem discuti, atque damnari. Et ipsam approbandam, quo virum sistat, ei spondet Ambrosius. Ipsam spondet non admittendam sine examine, sed probandam, & firmandam. Et haud dubiè fuit ita gestum. Et hinc oritur quæstio, qua auctoritate istam consecrationem S. Ambrosius attentauerit. At iura aliena inuaserit, ac fuerit præuaricatus. Et hoc posteriùs quibusdam videtur non incredibile. Etenim Nectario Constantinopolitano Episcopo, ac eius successori sancto Ioanni Chrysostomo Ambrosius fuit auctor, vt in Pontica Diœcesi attentarent non tantùm consecrationes episcoporum, sed & degradationes. Suum à se damnatum, atque Apostatam Diaconum Gerontium, quem Helladius Cæsariænsium Primas consecrarat Nicomediensem in Bithynia Archiepiscopum, per laudatos episcopos rogauit eijci. Et tandem eiecit sanctus Ioannes, ac eius in locum consecrauit Pansophium. Et hic illi in Synodo ad Quercum fuit vnus è grauioribus accusationis articulis. Rei seriem habes apud Hermiam Zozomenum. Etiam adducta Ambrosij verba, [Meum in te iudicium comprobabitur,] quibusdam videntur altè clamare, istam consecrationem fuisse propriam vsurpationem.

Respondeo occultæ rei fundum posse penetrari ex consequentibus sancti Ambrosij

ver-

verbis: [Multa messis Christi, sed pauci operarij. Et difficilè reperiuntur, qui adiuuent. Verùm hoc vetus, sed potens est Dominus, qui mittat operarios in messem suam. Certè in illo ordine Comensium iam plerique cæperunt credere Magisterio tuo, & Doctrinà tua verbum Dei receperunt. Sed qui dedit credentes, & adiutores dabit.] Inter seductos ab Imperatore Constantio, & eiusdem Principis seductores episcopos fuit Aquileiensis Metropolita Fortunatianus, de quo scribit in virorum Illustrium catalogo sanctus Hieronymus: [Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ vrbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæresios compulit.] Non fuit Arianus hæreticus, sed Palatinus sorex, & omni Palatij vento circumlata arista, ideòque egit seruilem in Catholica fide vertumnum. Et omnes suæ Prouinciæ Ecclesias, aut hæresi, aut eius communione fœdauit. Nam & Vrsacium, ac Valentem, fœdissimos Arianæ fœcis Circumcelliones Episcopos, liberè permisit per ipsas grassari. Porrò ad Christi Domini trecentesimum septuagesimum sextum, & vndecimum Imperatoris Valentiniani annum scribit in Chronico laudatus Hieronymus: Post Auxentij seram mortem, Mediolani Ambrosio Episcopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia conuertitur. Aquileienses Clerici, quasi Chorus Beatorum habentur.] Posteriora verba laudant proximum Fortunatiani Successorem sanctum Valerianum, qui factus episcopus non tantùm in dogmate, sed etiam in disciplina fecit statim illic noua omnia, atque sanctissima. Videtur eodem anno post sanctum Ambrosium factus episcopus. Et vacante adhuc ista Metropoli defunctus est Comensis è Fortunatiani grege episcopus, eius in locum electus Fœlix, eò iuit Ambrosius, electionem probauit, & consecrauit electum. Eos, qui hoc post Valeriani mortem contigisse opinantur, existimo non audiendos. Nam quomodo tantus Augusta Orthodoxi Principis auctoritate stipatus Metropolita suas ciuitates non expurgasset? At manet quæstio, Qua potestate Ambrosius ista patrauerit. Ea ipsa, qua Anemium consecrauit in Metropoli Syrmiensium. Apostolica delegatione sancti Damasi Pontificis. Eius verba, [Meum in te iudicium comprobabitur,] nequaquam important Attentatum, sed solam electi, ac electionis confirmationem. Ambrosius fuit rigidissimus canonum custos, de vlla ipsorum præuaricatione numquam vel notatus. Ex his interim lucet, quòd Fœlicem non ex suæ Sedis iure, aut priuilegio consecrauerit. Si enim Mediolanensi Cathedræ fuisset talis consuetudo, aut prærogatiua, ista consecratio non potuerat in quæstionem deuocari ad Synodum.

Quòd Mediolanensi Cathedræ super Venetiæ Ecclesias nullus vmquam Primatus fuerit, demonstrari potest etiam ex alijs principijs. In Aquileiensi Concilio, vnico Domini Archiepiscopi fundamento, clarè habemus: [Episcopi, qui huic Concilio interfuerunt, Valerianus Episcopus Aquileiensis, Ambrosius Episcopus Mediolanensis. Et infrà: Siagrio, & Eucherio, viris clarissimis Consulibus, Aquileiæ in Ecclesia considentibus cum episcopis, Aquileiensium ciuitatis Valeriano, Mediolanensis Ambrosio. Et iterùm: Episcopi, & Presbyteri, qui Concilio subscripserunt, Valerianus Episcopus Aquileiensis, Ambrosius Episcopus Mediolanensis, Eusebius Episcopus Bononiensis.] Valerianus, licèt consecratione iunior, in omnibus præfertur Ambrosio, quòd nempè Sororum Ecclesiarum essent fratres episcopi, & ille esset in propria ciuitate. Adeò fida sunt Domini Archiepiscopi fundamenta. Nec refert quòd sanctus Ambrosius Aquileiæ egerit quasi omnia, os, & lingua Concilij. Egit enim per Doctrinæ excellentiam, non per prærogatiuam Sedis. Et antiqua Romani Imperij notitia inter septemdecim Italiæ Prouincias primo Venetias, secundo Æmyliam, tertio loco ponit Liguriam, atque ità Apostolicus canon non patitur, vt Liguriæ Archiepiscopus in Venetiarum Cathedras habuerit Primatum. Et quid opus multis? Etiam in laudata, quæ hosce Metropolitas ab inuicem ex more consecrari affirmat, ad Ioannem Patricium epistola Pelagius Pontifex disertè addit: [ita tamen vt in ea ciuitate, in qua erat ordinandus episcopus, alterius ciuitatis Pontifex occurrere debuisset, vt & ordinandi electio à præsenti Ordinatore ex consensu vniuersalis, cui præficiebatur, Ecclesiæ meliùs, ac faciliùs potuisset agnosci, & in sua, qui ad episcopatum prouehendus erat, nec tamen Ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesia.] Lucida sunt verba: [Nec tamen Ordinatori suo subdendus fuerat. Quòd vt palàm profiteretur antiquus mos, iussit non ordinandum ad ordinatorem, sed hunc ad istum accedere. Accedere ad istius ciuitatem, Quæ omnia Primatui lucidissimè aduersantur. Porrò istius moris originem denuò fateor à me ignorari.

Obstare videtur eiusdem Pelagij ad Valerianum Patricium epistola: [Istud est, quod à vobis iterùm postulamus, vt Paulinum Aquileiensem Pseudopiscopum, & illum Mediolanensem episcopum, vtique Vitalem, ad clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis, vt & iste, qui episcopus nullatenùs esse potest, quia contra omnem Canonicam consuetudinem factus est, alios non perdat, & ille, qui contra morem antiquum ordinare eum præsumpsit, debitæ canonibus vindictæ subiaceat.] Prior ad Ioannem Patricium epistola affirmat esse antiquum morem, vt hi Metropolitæ sese mutuò consecrent: Hæc verò epistola à Vitali factam Paulini consecrationem affirmat esse contra canonicam consuetudinem, & antiquum morem. Eam adeò detestatur, vt asseueret Paulinum esse Pseudoepiscopum, & nullatenùs posse episcopum esse. Quomodo hæc cohærent? Respondeo cohærere. Verùm res est altiùs repetenda. Et notanda sunt verba posterioris epistolæ: [Recolere debet Celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Histriam, & Venetias Tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem episcopum fieri permiseritis, nisi ad clementissimum principem exindè retulissetis, & quid

quid fieri debuisset, eius iterum Scriptis recognouissetis,& inter vbique feruentes hostes Rauennam tamen & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinaturus erat, prouidentia culminis vestri deducti sunt.] Antiquum morem, qui duos hos Metropolitas ab inuicem consecrari iusserat, Pelagius ad disrumpendas ipsorum contra quintum Concilium coniurationes circumscripserat, atque aboleuerat: Vtrumque iusserat deinceps à proprijs Comprouincialibus consecrari. Verùm Vitalis, & Paulinus Papale Decretum spreuerunt, garrientes eousque non tendi Apostolicam Potestatem. Et per ipsos in cespitationem adducto Patricio, Papa respondit in sancti Petri arbitrio esse ista omnia, demonstratque lucido, ac nupero exemplo. Etenim antiquus mos non tantùm Metropolitam à Metropolita,sed insuper vtrumq;iubebat consecrari in propria ciuitate: Et istius nuper ad Apostolicæ Sedis, & Imperatoris Iustiniani decretum factam mutationem ipse Patricius Valerianus fuerat executus,vtrumq;Metropolitam cogens Rauennam accedere in alienam Prouinciam, ac ibi consecrare, & consecrari. Apostolicam potestatem etiam sibi adesse asseruit Pontifex, atque ita morem, qui illos ab inuicem consecrari voluit, item à se posse mutari. Et in literis ad Ioannem Patricium edicit intimam huius suę Potestatis radicem: Videamus vtrùm,vel ipsarum consuetudinem partium in sua Ordinatione conseruauerint. Nempè is mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apostolico onerosum illis fuerit ordinari, ipsi se inuicem ordinare debuissent.] Affirmat duo. Primò, quòd vterque Metropolita iuxta Canones debeat ordinari ab Apostolico. Deindè, quòd ob itineris molestias factum illis sit gratiosum mutuæ consecrationis indultum. Et hinc infert Paulinum esse consecratum contra omnem Canonicam consuetudinem, & antiquum morem, ideoque esse Pseudoepiscopum. Quia nempè post istius indulti legitimam, & efficacem reuocationem consecratus fuit contra Apostolicum, ac sextum Nicænum Canonem: [Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitæ fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere.] Per Metropolitam intelligit Patriarcham. Et hinc vides istum morem fuisse precariam gratiam, & illius primum immutatorem fuisse primum Pelagium.

Quod ipsum insigniter lucet ex priuilegio Ticinensis Ecclesiæ. Eius Episcopum fuisse à S. Ambrosio consecratum testatur in illius vita Paulinus Presbyter, & tamen in Constantini Pontificis vita scribit Anastasius Bibliothecarius: [Romam venit, & Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus orationis voto, & suo se Pontifici præsentare. Altercauit verò, & pro Ecclesia Ticinensi, sed victus est, eò quòd à priscis temporibus Sedis Apostolicæ, eiusdem Ticinensis Ecclesiæ Antistes ad consecrandum pertinebat, atque pertinuit.] Quia nempè quis post S. Ambrosij tempora Pontifex Ticinensium Episcopis dederat honorem Pallij, & priuilegium plenæ exemptionis. Hinc etiam Lintardum Ticinensem episcopum fuisse à Nicolao primo consecratum testatur in huius vita idem Anastasius. Et ita fuit vsque ad Alexandrum tertium, qui Papienses episcopos, quod Octauiani schisma, & Imperatoris Frederici violentias sectarentur, honore Pallij, & sancto Crucis vexillo priuauit, ac reddidit Metropolitis Mediolauensibus. Etiam de Ioanne quinto Pontifice scribit liber Pontificalis: [Ioannes post multorum annorum curricula propter trangressionem Ordinationis Ecclesiæ Turritanæ, quam sine authoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Calaritanus, pro eo quod antiquitùs Ordinatio fuit Sedis Apostolicæ, & ad tempus concessa fuerat ipsa Ordinatio eidem Ecclesiæ. Postmodùm proteruia faciente Archiepiscoporum, per præcepta Pontificum ab eadem Ordinatione suspensi sunt iuxta determinationem sanctæ memoriæ Martini Papæ, & facto Concilio Sacerdotum,Nouellum episcopum, qui ab eodem Archiepiscopo ordinatus fuerat, sub ditione Sedis Apostolicæ redintegrauit, atque firmauit, quorum Chirographus Archiuo Ecclesiæ detentus est.] Turritanam Ecclesiam per ipsum sanctum Petrum fuisse à suo Metropolita exemptam aliqui affirmant. Eius sanè exemptio est antiquissima. Illius episcopum, quòd Saraceni omnem cum vicinis Insulis infestarent Italiam, nescio quis Pontifex indulserat consecrari à Metropolitis Calaritanis: Et ab horum aliquo passus ille est, quod à Vitali Mediolanensi, & Paulino Aquileiensi passus fuerat primus Pelagius. Et Ioannes quintus similiter vicit. Nempè non tantummodo Metropolitarum, sed & prouincialium episcoporum consecrationes, & indulgere potest ex arbitrio Pontifex, & indultas auferre. Sancti Petri tempore Arelatensis ciuitas non fuit Metropolis:Et tamen quòd ipsi idem Apostolus trium prouinciarum episcopales consecrationes dederit, atque ita trium Metropolitarum priuilegium in eam transtulerit, suprà audiuimus à Zozimo Pontifice, sancto Hilario, eius antecessore Patroclo, & multis alijs Gallicanis episcopis. An verum asseruerint, est alia quæstio; interim constanter asseruerunt. Ex quo vides eos, qui hodie sine fronte, & mente blaterant similia priuilegia aduersari Canonibus, ideoque Romanæ Ecclesiæ nullam esse ipsorum impartiendorum potestatem, garrire inania, esse indignos Gallicanæ Ecclesiæ abortus, & latrare contra Lunam. Quædam priuilegia profiteor esse contra Canones: Addo tamen eadem secundùm Canones dari. Canones à donante Pontifice lædi secundùm Canones. Ita se ab illo lædi Canones permittunt, & gaudent. Ad factiosas linguas plenè compescendas expecto opportuniorem locum.

CA-

CANON XII.

Item ibi mota est quæstio de consanguinitate Regis, & vxoris suæ. Vndè, & Rex in media Synodo surrexit, seque de hac re iudicium sanctæ Synodi per omnia obseruaturum est professus. Sancta autem Synodus hanc causam in præsenti Canonicè examinari non posse iudicauit, eò quòd legitimi accusatores non essent.

SCHOLION.

DE hoc Canone scribit Venericus Vercellensis Episcopus: [Intererat huic Conuentui Rex Saxonum Hermannus, cui ne apud suos quidem seruabatur honor Regius, à quo tunc, & istius Synodi cœpit Tractatus. Nam memoratus Episcopus Otto inquit: Audiens ego, quòd Rex vester legitimum non habeat coniugium, sed ex consanguinitate sociatum, iudico inter eum, & vxorem eius fieri diuortium. Huius iudicij sententiam non approbarunt Episcopi, dicentes huius rei tempus non esse.] Asserit quòd huius negotij Tractatus fuerit præsentis Synodi exordium, ac primus Canon. Et possit esse. Quoniam adducti per Bertholdum Canones non sunt originales, & veri, sed sola perditorum, aut latentium Canonum formata per illum compendia. Interim hinc vides, quòd tunc etiam Regum non solùm contrahendis, sed insuper bona fide contractis in vetito gradu coniugijs nulla esset spes dispensationis. Separabantur.

CANON XIII.

In fine autem Synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum Hæresiarcham Sedis Apostolicæ peruasorem, & in Apostatas sancti Petri, Hugonem Album cognominatum, Ioannem Portuensem Expiscopum, Petrum Excancellarium. Item in Liemarum Bremensem, Ottonem Hildeshemensem, Ottonem Constantiensem, Burchardum Basileensem, Huzmannum Spirensem Episcopos. Item in Vvecilonem Moguntinum inuasorem, Sigefridum Augustensem, Norbertum Curiensem. In hos, & in omnes eorum complices ineuitabilis sententia anathematis promulgata est.

SCHOLION.

ILle Portuensis episcopus fuit vocatus non Ioannes, sed Petrus. Etenim de Moguntino Latrocinio scribit præfatus Venericus: [Conuenerunt Petrus episcopus Portuensis Ecclesiæ, & duo Cardinales Romanæ Ecclesiæ.] Hic est omninò Portuensis episcopus, quem præsens synodus damnauit. Petrum Cancellarium etiam Cardinalis Benno numerat inter Cardinales nostri Gregorij aduersarios, addens illum ante huius Papatum fuisse Cardinalem. Eum Bertholdus appellat Excardinalem, quod iam antea esset à Gregorio degradatus. Ob varia præsertim in Legationibus facinora degradatus fuit etiam Hugo Albus, quem suprà audiuimus fuisse ex Coryphæis etiam Brixinensis latrocinij. Petri Portuensis episcopi Apostasiam exponit Hugo Abbas Flauiniacensis. Affirmat Iuratonem sancti Benigni Diuionensis Abbatem à clauso intra sancti Angeli Castrum Gregorio fuisse legatum ad postulanda à Roberto Nortmannorum Duce auxilia, atque prosequitur: [Abbas obedientiam non segniter executus, Principem adduxit, & data vrbi obsidione, patefactoque ingressu, Rege Henrico fugato, Papa liberatur, & ad Lateranense palatium cum gloria reducitur. At quia Nortmannorum instabilitas, vrbe capta, & prædæ data, multa mala perpetrauerat, nobilium Romanorum filias stuprando, & nocentes pariter, ac innocentes pari pœna affligendo, nullumque modum, vti victoribus mos est, in rapina, crudelitate, direptione habendo, veritus, ne Duce recedente infidelitas Romana exagitata recrudesceret, & quos antea habuerat quasi fidos amicos, pateretur infidos, cedendum tempori arbitratus, Salernum se contulit. Rex verò, hoste aduentante, fugæ præsidium requirens, sigillum Domini Papæ, quod furto subripuerat, secum tulit, & Portuensem episcopum, quia olim familiaris Papæ fuerat, sibi conciliatum secum duxit. Hinc ergo ille Portuensis episcopus exindè conspirauit cum Guiberto, & Henrico, & est meritò damnatus. Hisce de rebus ad omnes sancti Petri in Germania fideles scripsit Comitissa Mathildis: [Notum vobis facimus, quòd falsus Rex Henricus furto subripuit sigillum Domini Papæ Gregorij. Vnde si quid audieritis, quod discordet à nostra allegatione, falsum arbitremini, neque mendacijs eius acquiescatis. Prætereà episcopum Portuensem secum duxit: Quoniam olim fuit familiaris Domini Papæ. Si igitur aliquid vobiscum, vel contra vos vult per eum operari, eum falsum testem nolite dubitare.] Extat epistola apud eumdem Hugonem. Et ex his discimus, quòd non ex castro S. Angeli, sed ex Lateranensi Palatio Gregorius fugerit Salernum.

Porrò de Sigefrido Augustensi episcopo scribit præfatus Venericus: [Anno millesimo octogesimo nono defunctus est Vvigoltus Augustæ alter episcopus, qui Sigefrido eiusdem ciuitatis episcopo adhuc viuente, per partium studia est subintroductus. Qui furtiuè ad ordinationem ingressus, per Sigefridum Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopum ordinatus est Goslariæ in Saxonia, cùm Augusta ciuitas sit iuxta Alpes in Rhætia. Qui certè non iuxtà solemnem aliorum episcoporum morem intrauit cum Cleri, & populi suffragijs, sed cum hostibus eiusdem ciuitatis, quæ primò quidem F. 102.

dem per proditionem capta, & per Imperatorem liberata, deindè etiam capta est, similiter per proditionem, & ad solum vsque destructa. Tum verò ingens præda facta est ibi ex rebus, atque bonis tam Cleri, quàm populi, quibus apud hostes prodesse non potuit templum Dei, & Ecclesia sanctæ Mariæ Virginis, vbi hæc recondita sunt propter metum hostilis incursionis. O' quàm bonus Pastor, & quàm prudens familiæ Dei dispensator fuit ille Vvigoltus! Qui, vtpotè fur, intrauit ipse in ciuitatem cum furibus, & homicidis, atque raptoribus, vt raperet, mactaret, & proderet. Quod cùm factum sit feria quarta ante cœnam Domini, postera die accessit ad Altare Domini, & manibus sanguine, & iniquitate plenis præsumpsit sacri Chrismatis consecrationem sibi vsurpare. At post completum officium infirmari cœpit, & post aliquot dies cum magno tormento vitam finiuit. Capta autem ciuitate captus est, & Sigefridus episcopus iuxta Altare Dei, quem Vvelpho Dux quondam Bauariæ, persecutor Ecclesiæ, fecit in sua custodia teneri, donec sese redemisset tanti æstimatione thesauri, quanta suppleret auaritiam hostis iniqui.] Habemus hinc varia.

Primò, quòd episcopi consecratio fieri non possit in pago, aut vili oppido, sed in ciuitate Cathedrali, aut Metropolitana. Secundò, quòd hæc Sigefridi damnatio videatur non esse prima. Etenim Wigoltus fuit consecratus à Sigefrido Moguntinensi Metropolita, dudum defuncto ante præsentem Synodum. Proindè prima Sigefridi damnatio videtur facta per septimum Gregorium. Respondeo tamen hanc esse primam illius damnationem. Audiamus rem ab Augustensis Ecclesiæ Chronico. Ad istius sæculi annum septuagesimum septimum exponit Embriconis episcopi mortem, ac prosequitur: [Sigefridus in schismate electus Augustæ præponitur Episcopus. Wigoltus Canonicus ex familia Ecclesiæ Episcopus constituitur]. Et ad annum octogesimum tertium pergit: [Magister Henricus Canonicus cum Wigulto Antiepiscopo expulsus in Cœnobio Sancti Magni obijt, & ibi est sepultus]. Persistit maledicere Vvigolto, & scribit ad annum octogesimum quintum: [Sigefridus Augustensis Episcopus, & Norbertus Præpositus Curiensis Ecclesiæ Pastor à Moguntino Episcopo sunt ordinati]. Electum Vvigoltum Metropolita Sigefridus statim confirmauit, & consecrauit, atque ita exsufflauit electionem Sigefridi. Et quoniam Sigefrido fauebat Rex Henricus, Vvigolti consecratio debuit apud septimo Gregorio fideles Saxones peragi. Sigefridus ipso præsentis Synodi, ac Moguntini Latrocinij anno est consecratus ab intruso, Simoniaco, atque Schismatico Moguntinensi Metropolita Vvecilone, atque ita à præsenti Synodo damnatus. Ob duas præsertim causas. Primò, quòd cassatæ electionis vigore se curasset consecrari. Secundò, quòd id fieri permisisset ab improbo Vvecilone. Eadem de causa damnatus est Norbertus Curiensis episcopus. Erat enim simùl cum Sigefrido consecratus. Vvecilonis damnati causas suprà exposui. Istud Chronicon addit, & aliam:
A 10 84. [Rex Ecclesiæ Moguntinæ Episcopum Vvecilonem præfecit. Qui statim ab Episcopo ordinatus à Legato Guiberti fuit Palliatus]. Existimo fuisse ordinatum à Roberto Bambergensi Episcopo. Isto enim tempore Moguntina Ecclesia nullum habuit Suffraganeum, cuius nomen à litera B inciperet. Ex præfati Venerici verbis habemus tertiò, quòd Ecclesias, in quibus fideles contra hostilem incursum deponunt suam supellectilem, spoliare sit Christianis indigna impietas. Porrò an crimina, quæ Vvigolto impingit Venericus, sint vera, nolim discutere. Nec item crimina Sigefridi, nec aliorum hic cum ipso damnatorum episcoporum. Augustanæ vrbis à Vvigolto inuasionem Conrardus Abbas Vspergensis scribit factam istius sæculi anno octogesimo octauo: [Augusta vrbs insidijs Sueuorum in Cœna Domini capta, secunda feria Paschæ destruitur. Et Sigefridus eiusdem vrbis episcopus custodiæ mancipatur. Vvigoltus verò eiusdem Ecclesiæ inuasor intra paucos dies moritur]. Conrardus in multis fauit Ex-Regi Henrico. Præsens Canon confirmat secundum. Hinc enim Vvecilonis, Sigefridi, & Norberti exsufflauit ordinationes, ille damnat personas.

Porrò candelas ad pronunciatam excommunicationis sententiam solemniter exstinguere est mos solius Latinæ Ecclesiæ, à Græcis numquam vsitatus. Lucet ex Georgij Pachymeris historia. De Latino Achaiæ Principe cum Græcis pacem stipulante scribit: [Celebrata conuentio est mutuo iureiu- Lib. 1. c. 30
rando, horrificis etiam, vt aiunt, vtrimque sancito ritibus. Nam funale accensum præferentes, vbi suum quisque caput, si à pacto resiliret, diris quàm maximè formidolosis deuenit, illud exstinxerunt, cuiusmodi ceremonia putant Itali execrationibus, seu excommunicationibus more ipsorum in quospiam intortis efficacitatem, & firmitatem adiungi maximam]. Ritum laudat in Synodali disceptatione cum Regio Aduocato sanctus Petrus Damiani: [Gerardus Galeriæ à pleniore Nicolai secundi Synodo excommunicatus est, & exstinctis luminaribus sub perpetuo anathemate condemnatus]. Et Lemouicensis sub Benedicti noui Pontificatu celebrata Synodus excommunicat quosdam alienarum rerum raptores, atque adiungit: [Sicut hæ lucernæ exstinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum exstinguatur in conspectu sanctorum Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem venerint. Integra Synodi Acta publicauit Philippus Labbæus. Pacem ab Alexandro tertio Pontifice cum Imperatore Federico primo factam laudat in Chronico Romualdus Salerni Archiepiscopus, affirmat fuisse firmatam cum Anathemate, & adiungit formulam: [Sicut hæ can- A. 1177.
delæ exstinguuntur, sic eorum] qui pacem violarint, [animæ lumine æternæ visionis, & claritate priuentur]. Ex quibus vides ritus rationem, & Sacramentum. Non est antiquissimus. Ego ignoro vetustiorem eius memoriam, quàm à laudata Lemouicensi Synodo. Hæc tamen non est prima auctrix. Postmodum adiuncta est etiam solemnis campanarum pulsatio.

Matthæus Parisiensis ostendit Henricum tertium Angliæ Regem ad lapsas Ecclesiæ li- A. 1253.

bertates, pro quibus sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis mortem obijt, reparandas, ac solemnibus iuramentis, & anathemate confirmandas fuisse compulsum à suis Episcopis, & adiungit: [Dum Rex sententiam audijsset, tenuit manuum suam ad pectus suum sereno vultu, voluntario, & alacri. Et cùm in fine episcopi proiecissent candelas extinctas, & fumigantes, & diceretur à singulis], Sic exstinguantur, & fateant huius sententiæ incursores in inferno, [& campanæ pulsarentur, dixit ipse Rex], Sic me Deus adjuuet, hæc omnia illibata seruabo fideliter, sicut sum homo, sicut sum Christianus, sicut sum miles, sicut sum Rex coronatus, & inunctus. [Et sciendum, quòd in principio sententiæ ferendæ, cum traderentur omnibus accensæ candelæ, tradita fuit Regi vna, & cum accepisset eam, noluit eam tenere, sed tradidit cuidam Prælatorum dicens]: Non decet me candelam talem tenere, non enim sum Sacerdos. [Et ex tunc tenuit manum expansam ad pectus, donec tota sententia finiretur]. Ex quo vides has terribiles faces à solis excommunicantibus Prælatis fuisse tentas, proiectas, exstinctas. Et hinc de Hardeberto Vltraiectensi Episcopo, Hollandiæ Comitem solemniter excommunicaturo, scribit Magnum Belgij Chronicon: [Processit vniuersus Clerus secundùm gradus sui ordinem in albis, quem Hardebertus Antistes nouissimè sequebatur in Pontificalibus ornamentis, fulmineum ignem gerens in manibus, vt Comitem anathematizaret cum suis complicibus]. Fulmineum ignem gerebat solus Episcopus.

Moguntinum Conciliabulum.

HOc Conciliabulum exponit Bertholdus Constantiensis: [Hi omnes aduersarij Ecclesiæ Dei, excommunicati scilicet in Synodo Orthodoxorum, vtique Quintilinoburgensi, in tertia hebdomada post finitam Synodum suam Moguntiæ collegerunt non Synodum, sed Conciliabulum, in quo vmbratilem sentẽtiam excommunicationis contra fideles Sancti Petri deprompserunt, vtpotè nequaquam illos excommunicare valentes, sed apertissimè semetipsos à communione Catholicorum sequestrantes, vt non tantùm iudicio sanctæ Ecclesiæ, sed, & proprio etiam iudicio, sicut omnes hæretici, à Catholicis essent separati. Sedes quoque Catholicorum Episcoporum viuentium temeraria cupiditate cæcati sibi vendicare non timuerunt]. A Quintilinoburgensis Concilij Decretis in rabiem acti schismatici episcopi redierunt Moguntiam, sua illic Acta innouarunt, & miserunt in executionem. Et tunc Hartuicus Herosfeldensis Abbas videtur primùm fuisse intrusus in Magdeburgensem Cathedram. Etenim Quintilinoburgensis Synodus facta fuit in septimana Paschali, paucis diebus post Moguntiæ, factum est hoc secundum latrocinium, Hartuici intrusionem Venericus affirmat factam in mense Iulio.

Hic item decreta fuit Gualonis in Metensem, & Meginhardi in Herbipolensem Ecclesiam intrusio, Horum enim neuter adfuit primo latrocinio. Quin Gualonis intrusio priùs sequenti anno fuit patrata. Disertè hoc scribit Hugo Abbas Flauiniacensis: [Anno sequenti, persecutione Henrici, Herimannus Metim exijt. Et Sedem Cathedræ eius Gualo Abbas sancti Arnulphi illicitè vsurpauit. Actum est illic miro Dei iudicio, vt cùm ad consecrationem eius Chrisma quæreretur, & allatum esset Chrisma ab Herimanno confectum, Episcopus Virdunensis reprobatum Chrisma, quod sanctum erat, proijceret, & allato suo, quod ipse contra ius, & fas sacrauerat, inde perficeret Gualonis sacrationem, ne benedictionem patris filius impudens mereretur. Gualo tamen, quia patris cubile adscendit, publicam pœnitentiam egit. Henricus in loco eius Bennonem quemdam Ex-Episcopum creauit, qui postea ab Vrbe cùm dedecore, & ignominia pulsus est.

Quædam alia sancti Gregorij septimi Decreta.

COnon Prænestinus Episcopus, ac Paschalis secundi per Galliam Legatus, suo Belluacensi Concilio indidit duos Gregorij nostri Canones, ignotos in eius synodis. Hic est primus: [Presbyterorum filios à sacri Altaris ministerio remouendos decernimus, nisi aut in Cœnobijs, aut in Canonicis Regularibus religiosè probati fuerint conuersati]. Hunc Canonem passim secundo Vrbano adscribimus, sed hinc lucet esse Gregorij Institutum ab Vrbano dumtaxàt confirmatum. Est suo loco expositus. Et vbi ad Vrbani Decreta peruenerimus, aliquid addetur. Hic est secundus per Cononem adductus Canon: [Qui sacros Ordines transiliunt, suspendantur ab officio, & si metuerit vita eorum, Indulgentiam consequantur, & intersint ordinibus, quos omiserunt]. An per quatuor minores, & Subdiaconatum, ac Diaconatum gradatio sit Euangelicum, aut Apostolicum Institutum, est operosa quæstio. De ipsa scribit in sermone ad Sacerdotes, ac Prælatos Petrus Blesensis: [Notandum occurrit, quia productior nunc est adscensus ad Sacerdotalem gradum, quàm in primitiua Ecclesia, in qua qui tantùm fidelis erat, Diaconus fiebat, vel Sacerdos. Introducti posteà sunt quidam minorum ordinum gradus, per quos tamquam per Cantica graduum adscenditur ad Sacerdotium]. Et certè Isidoriana Canonum collectio hodiernum adscensum affirmat esse Institutum Caij Pontificis. Et in hoc eius opus laudat etiam Romanum Breuiarium. Quin, & dudum post varij sancti viri, & apud Latinos, & apud Græcos, leguntur ex Laicis proximè euecti in Diaconos. Quidquid sit, omnis per saltum ordinatio fuit semper damnata apud omnes Ecclesias. Hinc enim primus Græci schismatis author Photius pro summa calumnia nobis Latinis improperauit, quòd ex Diaconis immediatè crearemus episcopos. Erat calumnia nata ex Latinarum rerum ignorantia, Latina quippè Ecclesia ex Diaconis semper elegit episcopos, numquam consecrauit. Istud tamen videtur per Arianos primùm apparuisse. Etenim de Ischyra, nequissimo Sancti Athanasii accusatore, habemus in fragmentis Sancti Hilarij Episcopi

scopi Pictauiensis: [Ischyras de Diacono asseritur Episcopus ordinatus.] Et consonat Sardicensis Concilij ad omnes sub cœlo orthodoxos Antistites epistola: [Ariani Ischyræ in Sycophantiæ præmium dederunt honorem Episcopatus homini, qui ne Presbyter quidem fuit.] Erat enim merè Laicus. Vtpotè ordinatus à Colluto, quem Hosius Cordubensis Episcopus, & sancti Siluestri per Ægyptum Legatus synodaliter pronuntiauit numquam fuisse episcopum, sed dumtaxat presbyterum Quinimmò quod nec à Colluto consecratus, sed istam inanem consecrationem mentitus fuerit, testatur Alexandrinæ synodi pro sancto Athanasio Apologetica epistola, & Marcotici Cleri relatio ad Tyriam synodum. Etiam Petrus Fullo, Eutychianus Antiochiæ Patriarcha, Xenaiam hominem non baptizatum consecrauit, ignoratur. Etiam Ariani possint Ischyram per ignorantiam consecrasse. Hoc enim crimen fuit omninò rarissimum apud antiquam Ecclesiam. Eius non reperio exempla nisi post Christi Domini annum millesimum.

Ad istius sæculi medium Herphrastus Thedfordiensis in Anglia Episcopus nescio quem Clericum inordinatè ordinauit. Ex Laico Diaconum. Et sanctus Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, & totius Angliæ Primas consultus respondit: [Diaconatum ei auferte, ad cæteros ordines minores congruis eum temporibus promouete, Diaconatus verò ordinem nunquam recipiat, nisi castè viuat, nisi de reliquo se castè victurum Canonica attestatione promittat. Si verò cœlibem vitam egerit, & acturum se omni tempore respondere voluerit, non quidem eum ad ordinem Diaconatus iterùm ordinabitis, sed ipsum officium per textum sancti Euangelij, vel in synodo, vel in multorum Clericorum Conuentu reddetis.] Proindè illegitima, tamen rata, & valida est istiusmodi consecratio. Verba, nisi castè viuat, respiciunt nouella tunc Romanæ Ecclesiæ contra coniugatos Clericos Decreta. Inordinatè ordinatum Diaconum, nisi illa solemniter profiteretur, Lanfrancus voluit perpetuò manere degradatum, & omni vita communicare vt Laicum. Et quia ante Gregorij septimi tempora Anglorum gens vix admisit illa Decreta, videtur ista epistola esse scripta sub Pontificatu nostri Gregorij. Quod si verum sit, Lanfrancus respondit ex Alexandri secundi ad Rumoldum Constantiensem in Germania episcopum Rescripto: [Sollicitudo Dilectionis tuæ studuit consulere, vtrùm portitor istarum literarum Diaconatus, & Presbyteratus officium sit idoneus peragere, necne, cum ad id præpropero cursu, videlicet sine Subdiaconatus ordine, neligentia potiùs, quàm superbia cognoscatur adscendisse. Vndè nos consulendo Charitati tuæ mandamus, vt ab officio eum Sacerdotali prohibeatis, donec proximo quatuor temporum ieiunio Subdiaconatus ministerium ei ritè imponas, & sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas.] Ex quibus lucet inflictam tali ordinationi suspensionem tunc non fuisse reseruatam summo Pontifici. Exstat epistola in Decreto sancti Iuonis Episcopi Carnutensis.

Epist. 21.

Eiusdem sæculi anno septuagesimo septimo Hugo Diensis Episcopus, septimi Gregorij per Galliam Legatus, celebrauit synodum Pictauiensem, & in synodalium Actorum ad Pontificem relatione scripsit: [Pestis, & dedecus sanctæ Ecclesiæ, Archiepiscopus Turonensis, & cum eo episcopus Redonensis, totum pęnè occupauerunt Concilium. Redodonensis namque comprobatus est reus, quia non priùs ordinatus in Clericũ est ordinatus in Episcopũ. Eiusdem alia crimina enumerat, ac pergit: Nos multorum precibus inclinati, nondũ depositum, sed tamen suspensum, quia suæ vtilis erat ecclesiæ, vestræ misericordiæ præsentandum, & iudicandum reliquimus.] Et hac forsan occasione noster Gregorius emisit præsentem Canonem. Est Canon conformis Rescripto Alexandri. Iste Redonensis episcopus fuit nomine Syluester. Laudata relatio exstat apud Hugonem Flauiniacensem. De nescio quo, qui necdum in Clericum benedictus se permisit consecrari in Subdiaconum, sanctum Iuonem consulit Guilielmus Rothomagensis Archiepiscopus: Et Iuo respondit partim ex Rescripto Alexandri, partim ex hoc Canone Gregorij. Integrum Rescriptum inseruit suis literis, & addidit similes per saltum promotos dispensari posse, si honorifica eorum vita, aut ecclesiæ vtilitas ita exigat, alioquin nec adscendere posse, nec ministrare. Hæc posterior responsi palàm desumpta est ex præsenti Canone. Vide plura apud Gregorium nonum sub titulo de Clerico ordinato per saltum. Hæc est nouissima Tridentini Concilij sanctio: [Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, episcopus ex legitima causa possit dispensare. Ipsos esse à solo per saltum suscepto ordine suspensos sentit cum varijs Augustinus Barbosa. Sess. 23. cap 14.

Alia à nobis necdum laudata, aut exposita Gregorij Decreta refert Guido Abbas in libro Micrologo de ecclesiasticis obseruationibus: [De signis, quæ super oblationem à diuersis diuersè fiunt, nos ab Apostolica Sede formam sumere præsertim decreuimus, vndè totius Christianæ Religionis ordinem & originem suscepimus. Nam & illi Sedi nostro tempore talem Deus Gubernatorem, reuerendæ, inquam, memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis Antecessoribus à puero Romæ nutritus, & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissimè inuestigauit, & inuestigatas studiosissimè in actum referre curauit. Hunc ergo Doctorem, religione, & auctoritate præcipuum, immò Apostolicam traditionem per ipsum in consecrandis mysterijs potissimùm imitari decreuimus. Sicut nos ipsi per ipsum & per episcopos, qui ipsum imitati sunt, accepimus, imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem obseruamus: Videlicet vnam Crucem, vel tres, vel quinque faciendo. Et hoc vtique non sine causa Mysterij. Nam in vna & tribus vnum, & trinum Deum intimamus, in quinque autem quinque partitam Domini passionem significamus. Meritò autem impar numerus in ecclesiasticis officijs frequentatur, quia numquam in duo æqualia vnitate impediente diuiditur. Sicut vnitas sanctæ Cap. 14.

Ecclesiæ nullatenus eam in duo secari patitur. Pergit Guido de alio Missæ ritu: Posteà cum Corpore Dominico quatuor Cruces super calicem facimus dicendo, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, & quintam in latere Calicis, videlicet vulnus Dominici lateris significando: Vndè & Calicem ex eodem latere cum oblata tangimus, iuxta Romanum Ordinem. Multi tamen tres tantùm Cruces super Calicem, & duas in eius latere faciunt Sed videtur incongruum, cùm Christus nullum vulnus latere habuerit, nisi vnum. Sed reuerendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, quod Beatus Anselmus Lucensis episcopus ab eo se didicisse testatus est, & hoc ita semper obseruauit, nobisque item obseruandum firmissimè inculcauit. Vt tamen tres super Calicem. & duæ Cruces ad eius latus fiant cum oblata, hodiè mandant Rubricæ Romani Missalis. Haud dubiè plura sunt huius Gregorij Decreta. Latent, aut perierunt.

Ipsius sanctissimam in Salernitano exilio vitam, Apostolicum de afflictæ ecclesia mœrorem, & sanctissimam mortem referunt in Cassinensis Monasterij Chronico Leo Ostiensis episcopus, ac in Virdunensis ecclesiæ Chronico Hugo Abbas Flauiniacensis. Leo addit illum etiam in monte Cassino, dum missam celebraret, coruscasse miraculis. Hugò illum meritò titulat Confessorem, & Martyrem. Fuit nouus, & verus istius sæculi Athanasius. Defunctus est die vigesimaquinta Maij, vndecimi sæculi anno quinto post octogesimum. Et Salerni sepultus in ecclesia sancti Matthæi Apostoli. Romana Ecclesia suo ipsum martyrologio inscriptum ornat hoc titulo: [Beatus Gregorius Papa septimus, ecclesiasticæ libertatis propugnator, ac defensor acerrimus. Quocirca Henricianorum, & Guibertinorum de eius finali circa suas sanctiones pœnitentia, mala morte, aut æterna damnatione calumniæ sunt ab omni fideli corde, & pre proscribendæ, atque damnandæ. Eius in Sæculari, ac Regulari Clero, necnon in fideli populo ad Apostolicam disciplinam reducendo, ac reformando zelum, ac ex pectore conatum diuina bonitas dignetur nobis infundere: [Excitet in cordibus nostris Spiritum, cui beatus Gregorius Papa seruiuit, vt eodem nos repleti studeamus amare quod amauit, & opere exercere, quod docuit. Amen.

CHRI-



CHRISTOPHORI MARCELLI ARCHIEPISCOPI CORCYRÆ.

DE HAERESIS PRAVITATE, & Lutheri Perfidia.

LIBER PRIMVS.

Christophorus Marcellus, Patritius Venetus, ortus est è nobilissima, totique orbi celeberrima Marcellorum familia, oriunda ex Antiquæ Romæ Marcellis apud Principes Historicorum, & Poetarum latè decantatis, vt accidit inclytis alijs Venetorum familijs, Corneliæ, Pisanæ, &c. Iuuenis eloquentiæ præcipuam operam locauit, tum Philosophiæ, tum Theologiæ, non ea tantùm parte, qua solis quæstionibus inter Catholicos citrà fidei præiudicium decertatur, sed & fidei dogmatibus, Ecclesiæ cardinibus, & sacris ritibus pulcherrimis tantæ sponsæ ornamentis non mediocrem culturam adhibuit, vnde suo tempore vberrimos fructus totus orbis collegit. Iam vbique eloquentia Pastoris propria, scientijs clarissimus, & charitate omnium virtutum norma irradians sub modio ampliùs latere non potuit, assumptus ad Archiepiscopatum Corcyrensem ad stuporem vsque effulsit super candelabrum. Vidit Clemens VII. tantæ luci adhuc angustam spheram Corcyrensium Primatum, & Romæ voluit, tenuit carissimum, & multa super eo cogitabat. Edidit interim ipse Orationes de Auctoritate Romani Pontificis Florentiæ anno 1520. apud Hæredes Philippi Iuntæ, & dedicauit Illustrissimo, & Reuerendissimo S. R. E. Presbytero Cardinali de Medicis, quas ipse vocat Apologiam, scriptam stylo dissertatorio non culto. Edidit etiam libros tres Ecclesiasticorum rituum, & cæremoniarum sacrarum Romanæ Ecclesiæ. 1518. in folio Venetijs, eo præcipuè motiuo, quod Romana Ecclesia sit omnium rituum Magistra, & norma, quam in ritibus admirabantur Patres Romam venientes præ ipsis Imperatorum Colosseis, & Imperatores ipsi, & Regna cum Carolo Magno consulebant. Horum voluminum sæpissimam mentionem facit Boetius Epo, vt videre est in nostra Bibliotheca Maxima. Edidit etiam Commentarium super Psalmum decimum tertium. Vsquequò Domine obliuisceris, nobilissimo Ecclesiæ Pastore dignum, vt ait in sua Bibliotheca Sixtus Senensis, quod incipit Dauid Propheta Magnus, quem etiam solum Psalmum commentatus est Anastasius Antiochenus. Edidit etiam commentum in septem Psalmos, quod non tantum est impressum alibi vt ait Conradus Gesnerus, sed Romæ 1523. in 4. Sic Orationem in die communi omnium Sanctorum in 4. sessione Concilij Lateranensis. Huius celeberrimi Auctoris meminere vltra prædictos Sixtum, & Boetium omnes ferè Bibliothecæ, Ludouicus Carolus à S. Iacobo, Bibliotheca Classica Conradi Gesneri tribus in locis eum enumerat Aubertus Miræus collocat inter eximios Scriptores sæculi 16. Gulielmus Crouueus Sudouolgiensis eius commentarium in 7. Psalmos enumerat exercitationem in

7. Psalmos, Meminerunt Matthæus Koningius in sua Bibliotheca vetere, & noua; Fabianus Iustinianus, & passim citant Auctores dogmatici, & sacrorum Rituum Examinatores. Floruit sub Adriano VI. & Clemente VII. Eius liber de auctoritate Summi Pontificis, & his, quæ ad illam pertinent aduersùs impia Martini Lutheri dogmata diuiditur in duas sectiones, & prima sectio in duos libros, & secunda in vnicum, ex quibus seligemus ea, quæ spectant immediatè ad Pontificiam potestatem, relictis alijs Lutheri erroribus confutatis, de necessitate operum, de Sacerdotio, de pœnitentia, de Purgatorio, & alijs, quæ non spectant ad nostrum institutum. Hucusque gloriosissimam Christophori Marcelli vitam, & felicissima opera descripsimus, nunc versa tabula describendum infelicissimum lethi genus. Funestissimam tragædiam nobis exhibet lugendam potiùs, quàm spectandam eruditissimus Pierius Valerianus in suo de Infelicitate Literatorum libro his verbis. Christophorus Marcellus Patriciatus ornamentum singulare, quo ingenio, qua doctrina, qua eloquentia, qua insuper morum integritate vir, ipse quoque longè alia fortuna, atque eius pietas, & dignitas postulabat, indignissimoque tali probitate, & eruditione exitu surreptus est nobis. Primarius enim Corcyrensium Flamen Clementi nostro Pontifici ob egregias has animi dotes acceptissimus, dum in dies longè amplioribus ab eo honoribus honestandus est in pro ximam incidit Romanarum rerum calamitatem. Contigit, inquit Petrus Iustinianus miserabilis, fœdaque Romanæ Vrbis direptio, qualis nec à Gothis, nec à Longobardis, nec à Vvandalis, facta legitur, & quidem sub amicitiæ tessera, Milites Germani ne quidem Germanis ipsis parcere, Vrbem incendere, in ipso templo referente Coclæo occidere, & violare, Papæ capellam vertere in stabulum, nec deos, nec ducem metuere, prædam, qua nulla simul felicior, & infelicior per omne nefas accumulare, vulgaria erant. Eam cladem defleuit amarissimè Iacobus Sadoletus, eam indignitatem vltra Christianos omnes Reges solemnissimè condemnauit Solymanus Turcarum Princeps, vt testatur Fabricius Cornelius. In tanta vrbis strage Marcellus in captiuitatem ipse abactus bonis, & suis, & suorum expoliatus multis afflictus tormentis, cùm intolerabilia, quæ illi flagitabant soluendo non esset, perditisque rebus omnibus, quæ se vel spe, vel cuius auxilio, & ope sustentare posset, non haberet, Caietæ animam miserabiliter exhalauit. Aiunt enim milites perfidos, postquam se auri, quod poposcerant spe deiectos intellexerunt, clarissimum hunc virum catena religatum, nudum sub Dio, ad arboris cuiusdam truncum exposuisse, singulisque diebus digitos eius singulos exungulasse, cumque ità demùm inter atrocissimos eos cruciatus, fame insuper, & vigilia, & diurni, nocturnique aeris inclementia necatum. Nunc certè si vnquam adoranda sunt, Diuinæ Prouidentiæ iudicia, quæ occulta esse possunt, non praua, in homine de Romana, & Vniuersali Ecclesia optimè merito. Forsan & Martyr apud Deum occubuit; Lutherani enim Lutherum suum in suo impugnatore vlciscebantur, quod & tunc Romæ publicè diuulgabant, & de Marcello forsan licebit concludere, quod & de Laurentio. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ auidus, & veritatis inimicus; auaritia, vt rapiat aurum, impietate vt auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato Sacrarij Præsule opes Ecclesiasticas, quibus auidissimus inhiabat inferri.

CAPVT III.

Primæ rationis destructio, qua Lutherus sola Dei voluntate conatus est ostendere Pontificiam Monarchiam subsistere.

Olens sui nequissimi fastus negocium comprobare Lutherus sublata veniarum (vt credidit) plenitudine resolutorium libellum contra Romani Pontificis authoritatem adeò obscenum edidit, adeò detractionibus, & morsibus plenum, vt nesciam quomodo ipse tanti sceleris author ea verba, quibus vtitur, formare potuerit. Accingens itaque se ad suas blasphemias exorditur, & suis rationibus inquit nolle Pontificiam Monarchiam absumere, sed docere in primis nulla scripturarum diuinarum sententia, nulla ratione, verum sola Dei voluntate illam subsistere, qua etiam causa tolerandam esse à fidelibus asserit, suisque captionibus (vt solet) magno quidem, & incredibili astu deducit. Non enim prima facie audet principatum ecclesiæ prorsus adimere, ne rudibus insolens videatur, quatenùs tamen si rationes eius, quas firmamenta non erubuit appellare consideremus, ipse quidem insolentissimus non solùm adimit, sed prorsus extinguit. Semper in libellis suis subdolus hic, & mordacissimus homo, dum quicquam

quam studet infringere, consueuit priùs, aut æquis protestationibus, quamdam pietatis, & modestiæ præfatione legentium, seu audientium animos demulcere, vt lethalia postmodum vulnera faciliùs illis infigat. Sed ne in oblocutionibus tempus, & operam amittamus, destruenda, impugnandaque sunt primo loco Pontificiæ authoritatis hæc firmamenta (quæ vitrea potiùs, & inania appellanda essent) vt eluceat veritas.

Quo pacto itaque sola Dei voluntate Monarchiam Pontificiam veram, & ferendam esse defendis generose Lutheri? A te ipso enim libenter inquiro, quænam hæc est Dei voluntas, qua Principatus iste Pontificius debeat æquo animo suscipi. Non ne voluntas signi est, vt ipse etiam asseris, & theologi attestantur omnes? Item postquam signi voluntate istam esse pronuncias, efficax ne sit, denuò vt respondeas, inquiremus. Si efficax, quomodo tibi innotuit? Nam nisi eam efficacem esse tibi, & alijs fidelibus innotuisset, efficacem proferre non posses, ex quo nullum quidem robur, aut fundamentum haberes, cui inniti valeres. Innotuit ergo. Sed vnde innotuit? Non ex imperij diuturnitate, quoniam illa non sufficit ad credendum stabili Dei voluntate verum, & probum aliquem principatum existere. Multi enim diuturnis temporibus permanserunt, qui impia, & tyrannica ignominia affecti euitandi erant. Voluntas ergo hæc scripturæ testimonio comprobabitur, quo fidem sibi exhibendam esse meretur, si debuit hominibus illuxisse. Quid itaque sola Dei voluntate iactas nulla scripturarum intelligentia Pontificiam dignitatem posse monstrari?

Rursus rogo respondeamus Aristotelicum, ne, & verissimum quidem illud axioma admissurus sis? Quo dici solet. Si de quo magis aliquid inesse videtur, & non inest, neque id de quo minùs videbitur, inerit. Te priùs libenter interrogo, qui vsque adeò Aristotelis nomen abhorreas, vt veritas ipsa ab ore illius deprompta tibi non admittenda facilè videatur. Si id proloquij, quod ab omnibus passim eruditis conceditur, abnegaueris, non erit tecum ampliùs disputandum. Nam si dixero. Ignis non calefacit, igitur neque lignum, aut sol minimè lucet, igitur neque ignis lucebit, seu paruum pondus ferre non possum, itaque maius non feram, & vera esse eiusmodi connexa negaueris, nullo alio principio illa tibi monstrabo, quàm eo, quo dicitur. Si de quo magis dignum est, vt aliquid proferatur, neque proferri potest, de quo minùs dignum proferendum videbitur, non proferetur. Non puto te tam inhumanum, vt dictum illud aufugias. At magis videtur præcepti voluntatem seruari debere, quàm voluntatem permissionis, & tamen non semper obseruanda est voluntas præcepti. Igitur neque voluntas permissionis obseruari debebit. Qualis est ea, qua dicitur Pontificia Monarchia subsistere. Probatur autem ex Genesi. xxij. cap. voluntatem præcepti non semper obseruandum esse. Ibi enim Abrahæ Deus præcepisse legitur, vt immolaret filium eius Isaac, quem tamen ex quo in holocaustum offerri noluit (licèt paratus esset ad obsequendum Abraam) voluntas illa obseruanda non fuit. Huius verò causa est, quod signi tantùm erat, & non beneplaciti illa voluntas. Cùm itaque hæc, qua Apostolica ditio viget, per te non sit præcepti voluntas neque à scripturis sanctis robur vllum accipiat, sola erit voluntas permissionis. Quomodo igitur semper tanquam vera, & obseruanda à fidelibus admittetur?

Insuper si per effectum Diuina hæc voluntas (vt dictum est) non potuit illucere, alioqui paganorum secta, quæ est omninò prohibita cum reuerentia foret à nobis suscipienda (quòd nescio an Martinus detrectare voluerit) quæ iam tot annos non durauit modò, verùmetiam multùm inualuit, neque per scripturam innotuit, sequitur, vt vel reuelatione, vel ratione inconuincibili nobis illuxerit. De reuelatione non constat, nisi forsan Lutherus noster se id beneficij afferat à Domino suscepisse. Inconuincibilis ratio nulla est. Ergo per scripturam innotuit. Si dixeris per scripturas, sed debilissimè nota est ista voluntas. Contra. Scripturæ, aut comprobant effectum, aut non comprobant, sed ambiguæ sunt, si comprobant, cùm illæ præcesserint, & ore Dei promulgatæ sint, necesse est, vt ab eis diuinæ huius voluntatis nobis fides euenerit. Quod ipse Lutherus negat, & ita manifesta contradictio subsequetur. Si verò ambiguæ in seipsis, & per effectum sint postmodum comprobatæ scripturæ, eo modo interpretandæ sunt, quo effectus ostendit. Effectus, aut est, vt Monarchia, quæ modo viget, dignitati Pontificiæ debeatur. Igitur illæ ipsæ exponendæ sunt, vt effectus ostendit, non contrario modo, vt Lutherus fecit. Quomodo enim per effectum poterunt comprobari scripturæ, si sit effectus illis ex aperto contrarius? Neque credendum est scripturarum testimonium esse vsque adeò imbecille, vt futuri effectus diuinæ voluntatis non essent indicio, eoquod quæcumque scripta sunt, inquit Apostolus, ad Rom. cap. 15. ad nostram doctrinam scripta sunt. Non est itaque huic soli voluntati sine scriptura, sine ratione credendum.

Quid deinde Cyprianum sola Dei voluntate tanquam signo omnia admittentem affert veridicus homo Lutherus, qui etiam Deum solam iustitiam dixerit? Nam alio quidem modo intelligendus est, quàm ipse illum intelligat. Ipsius enim voluntatis diuinæ nulla inquirenda est ratio, dum efficax, & beneplaciti fuerit. Actus siquidem eius ab ipsamet suam bonitatem, & firmitatem obtinuit Vnde rerum omnium contingentium regula à theologis solita est appellari. Et planè nihil aliud voluit Cyprianus dum ea verba proferret. Item de afflictionibus loquitur, quæ pro peccatis eueniunt, & tolerandæ sunt, quod sic eas Deus instituerit ad nostram correctionem. Sed si in maximum præiudicium fidei permissio aliqua fieret, non esset vtique toleranda ex Cypriani sententia. Tu eius epistolas legeris. Quas nunquam nisi pro suis illusionibus Martinus citat, aut intelligit.

Cùm deindè Roboam filij Salomonis historiam adducit, quæso lector, an fide dignus videatur, respicias. Quæ enim vera sonant, consueuit homo iste tam imperfectè, tam mendaciter allegare, vt in falsa commutet,

tet, & quæ pro nostrarum partium confirmatione leguntur, in suas ad libitum pertrahat. Si enim ab errore vno liceat omnes addiscere, eam Roboam historiam eius sententiæ contrariam prorsùs inuenies. Nam postquam ab eo tribus illę vndecim recessere, id Dei voluntate efficaci factum esse innotuit. Quoniam Deus allocutus est quemdam ita vocatum virum Semeiam, qui Roboam diceret, ne pararet exercitum contra Ieroboam. Ad quem tribus illæ confugerant, idque illi se anunciasse referret. Ex quibus constat Deum suam voluntatem manifestasse, quæ efficax, & beneplaciti fuerat. Adde quod antequam à Roboam tribus illæ recederent, per Prophetam Ahiam Silonitem Deus Ieroboam ob delicta Salomonis, & filij scilicet Roboam pœnam, quam illi inflicturus erat, de earumdem tribuum recessu annunciauit. Quare allegata tertij libri regum historia quæst. 11. & 12. cap. legitur ad propositum eius esse non potest. In hunc modum primum destruitur Lutheri firmamentum.

CAP. IV.

Secundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ rationis impugnatio, quibus à Luthero Pontificis Principatus nullo scripturarum testimonio ostendebatur.

SEcundùm etiam stare non potest. Nam per illud, aut vult ostendere Martiuus monarchiæ Pontificiæ tamquam probæ, & laudabili, aut tanquam ambiguæ esse credendum. Si tanquam probæ, textus Euangelicus allatus ad propositum esse non potest. Quo si quis nos mille passus angariauerit, cum eo duobus etiam millibus, vt eamus Dominus Matth. 5. suadere videtur. Non enim iubet, vt illi tamquam bene, & laudabiliter operanti, sed tamquam iniuriam facienti cedamus. Si verò velut ambiguæ potestati cedendum est, quo pacto quatenus illam non admittendo peccabit? Quòd enim ambiguum est non admittere cogimur, eo quod tum peccatum committimus, cum certum virtutis debitum prætermittimus. Si igitur incertum est monarchiam Pontificiam veram existere, non admittendo illam quis peccare non dicitur?

Longè itaque dispar ratio est, cur principatui Pontificio, & iniuriam facienti cedere debeamus Martine frater. Nam Pontificia authoritas ex fide certa esse debet, & iusta, non velut ambigua, seù violenta à fidelibus suscipienda. Alioqui nisi verus principatus eiusmodi teneretur, maximum in Dei Ecclesia scandalum vigeret, ac periculum animarum. Quantum authoritas, regimen, gubernatio, institutiones, aliaque omnia essent ambigua, neque cui foret firma, ac indubia adhibenda fides à fidelibus haberetur. Scandala autem omnia in re pia, & multò magis pericula fugienda sunt. Non itaque Pontificius hic principatus est tamquam ambiguus tolerandus.

Quodque Lutheri verba in secunda ratione posita id exprimere videantur, apparet. Inquit enim minor res est incompatibiliter principatus iste Pontificius, quàm vt vnitas fidelium, & charitas dissoluatur. Toleranda enim sunt omnia, quæ peccata non sunt. Ex quibus manifestum est ipsum ob seruandam fidelium concordiam, dissensionisque periculum fugiendum, neque ob aliam caussam ferendam esse monarchiam huiusmodi voluisse. Et eò magis quoniam peccatum id esse non noscitur. Ac si vellet dicere minus ambiguum, & periculosum est tolerantia eiusmodi principatus, postquam vniuersus in eum consentit fidelium cœtus, quod ab eo dissentire, ne dissidium fortasse aliquod in Dei Ecclesia oriretur. Non enim aliter inter duo hæc recta potest comparatio fieri. Nam minor res (inquit ipse) &c. vsus est communissimo vocabulo, ne facilè capiatur. Sed verborum sensus eum excusare non potest. Ecce quod subdolè à suo, quod pollicitus est, instituto recedit. Primò enim tamquam verum asserit principatum Pontificium suscipiendum, modò ex verborum suorum prætextu tamqua m ambiguum, ne dissidium in Ecclesia fiat, neque ex alia caussam tolerandum instituit. Quid ergo illi amplius credendum, si est sibi ipsi contrarius.

Tertia ratio similiter coincidit. Non enim ita Pontificia, quæ summa est tolerari debet authoritas, vt pro peccatis solum à Deo data fidelibus videatur. Namque in hunc modum diceretur dumtaxat veluti populi afflictio inualuisse, quod quidem dicere, est nô modo monarchiam eiusmodi dubiam, verùm etiam erroneam, & tyrannicam profiteri. Exemplum enim ab eo datum; Id apertissimè indicat. Nam si sub turca (inquit) nos Deus esse vellet, ei subesse libenti animo deberemus, tunc enim nos sub eo tamquam sub tyranno populum affligente pro peccatis esse Lutherus voluit, an tamquam sub vero Principe constitutos? Non hoc, quia notum est ipsum christianum non esse, ergo tamquam tyranno illi cedendum esset, quòd si eodem modo Pontifici dignitati cedere debeamus, consequens est, vt à nobis eadem tyrannicam simpliciter habeatur, neque ad aliud propositum Salomonis in prouerbijs allata sententia potest accomodari, dum inquit, nunquid est resistendum flagello Dei?

Per id quarta infringitur ratio, fanè Apostolus Paulus 13. cap. ad Romanos, dum omnem animam potestatibus sublimioribus subditam, quæ à Deo data sit hominibus asserit, non intelligit, nisi de sæcularibus potestatibus, à quibus nonnulli prætextu Religionis se subtrahere videbantur. Ideòque illis suadet, ne resistant, sed obediant, quantum à Deo sunt, quæ obedientia semper executioni mandanda est, præterquàm in causa fidei. Tunc enim audacter illis resistendum est, & potiùs moriendum, quàm eorum capessenda iussa, vt fecerunt gloriosissimi Martyres. Huic quoque sententiæ Euangelica lectio Matthæi 23. consonat, qua habetur quęcumque dixerint vobis principes facite, opera autem illorum nolite facere.

cere. Tu ipse Paulum legito, & videto, an eo modo suscipiendus sit in Dei Ecclesia Apostolicus principatus. Nam maxima differentia est inter eam obedientiam, quam pro charitate, vel humilitate seruanda, solùm Principi sæculari, & eam, quam spiritali debemus. Huic enim tamquam optimè instituto animarum Pastori credendum est, illi autem minimè.

Cumque dicitur. Et quoniam Pontificis potestas hæc sit robustissimè stabilita, non oportet ipsam vllatenus impugnare. Sed quanta sit sustinere, etiam si esset iniusta, & Deo esse iudicium relinquendum. Apparet potestatem hanc à Luthero pro iniusta haberi, vel pro ambigua, & incerta. Item, si robustissimè est stabilita, vndè tantum robur accepit? si ex diuinis codicibus haberi non possit, si nulla ratione subsistat; Imò si Sacrosancta eloquia illi contrarium sonent, si denique efficaci, qua permittitur, Dei voluntate non constet? Non video etiam quomodo, si iniusta esset, defendenda sit, deque ipsa Deo esse iudicium relinquendum. Nostra enim maximè interest inuestigare iusta ne sit, an iniusta, tuta, vel non tuta, vtilis, vel inutilis. Siquè periculosa sit, inutilis, & iniusta, non toleranda est, sed damnanda, & totis viribus fugienda, non obstante, quod totus in eam consentire populus videatur. Quippè tunc de maximo Ecclesię preiudicio ageretur. Neque respiciendus esset consensus, aut acclamatio populi, sed proborum, sapientumque Patrum maturum consilium, sanctaque deliberatio virtute sancti Spiritus illis infusa.

Ex his itaque apparet quomodo etiam in epistola exponendus sit Petrus, & quo pacto nos humanæ creaturæ subiectos esse commoneat. Non enim id alio modo, quàm Paulus ad Romanos, aut Dominus in euangelio intendit.

CAP. V.

Sexta Lutheri ratio de Consensu populi impugnatur, & quomodo post scripturas naturali potiùs ratione Pontificiæ ditioni credendum est, quæ Pauli, Ioannis, & aliorum sententijs comprobatur.

ET vltimo loco de consensu populi dictum per ea, quæ paulò ante memorabamus, inuertitur. Non enim temporalis solùm est tanta Pastoris nostri authoritas. Sed etiam spiritalis (de qua noster est sermo) quamuis iurisdictionis esse dicatur. Quemadmodum longè maior, quàm alijs, Apostolorum Principi à seruatore Iesu ligandi scilicet, atque soluendi concessa est.

Amplius si ex Dei voluntate, & populi consensu tenenda est hæc Papæ potestas, quæro si populus mutaretur, quid agendum, & quomodo gubernanda esset Ecclesia? Numquid salubrior esset prior regendi modus, an posterior, nec ne iudicari deberet, vel potiùs quotiescumque sententia populi mutaretur, toties intelligeretur commutata potestas? Si primum, cur modò quoque ex sacris codicibus, ex sanctorum Patrum sententijs (si sint) sin autem ex rationibus euidentioribus de ipsa nobis iudicare non liceat? Secundum verò dari non potest; Namque vnam, & definitam Pontifici authoritatem à Deo quomodocumque concessam, vel permissam esse credendum est. Sanè cum meliori modo, quo fieri potuit, suam Ecclesiam instituerit, non verisimile est, imò ab omni ratione remotum eum ipsum voluisse ad populi mutationem gubernatoris suæ nauiculæ potestatem mutari.

Si itaque adeò stabilitam Ecclesiæ monarchiam volueris. Qua ratione id fit? Quare quæ scripta sunt in Euangelico oppositum sonare interpretaris? etsi sacra lectio eam non approbat, cur non ad rationem naturalem confugis? Quæ latentium multorum secreta pandit, & explicat.

Ratio autem naturalis quælibet potiùs monarchiam Ecclesiæ suadere videtur. Nam, & 3. Politicorum, & 12. Metaphysicæ Aristoteles singularitatem principantis commendat; & vniuersa philosophantium schola fatetur. Neque profectò mirum est ita omnes in vnam, & eamdem sententiam deuenire. Cùm Deus ipse rerum omnium conditor, & gubernator, vnus tantum sit, qui toti vniuerso tamquam princeps optimus præest. Cur itaque similiter hæc Christi respublica non ita ab vno capite pendet? ex quo maior animorum concordia, ordo maior, institutionum, & virtutum obseruatio maxima proficiscatur.

Quod etiam Paulus Apostolus voluit, dum prima ad Corinthios 12. cap. scribit inquiens, sicut multa membra in corpore vno, ita multi vnum corpus sumus in Christo. Christus verò huic terreno regimini absque medio non præest, sed voluit habere ministros (vt Matthæi 16. & 19. ex clauium traditione conijcitur.) Itaque plurium ministrorum præcipuum vnum, qui vices suas haberet in terris, instituit. Ad id quoque facit, quod Ioannis 21. cap. Apocalyp. de Ecclesia Militante, quæ de cœlo descenderit, triumphanti simillima adducitur. Videlicet. Vidi Ciuitatem nouam, Hierusalem descendentem de cœlo, ornatam, paratamque sicut sponsam viro suo, &c. Quo etiam modo Beatus Bernardus in epistola 237. ad Eugenium, Ioannem exponit. Quòd & in epistola ad Romanos, quæ 242. numeratur, & 131. ad Mediolanenses, ille ipse confirmat, eam quidem Romanæ Ecclesiæ ratione Petri plenitudinem potestatis attribuens, qua maior dari non possit in terris. Hæc contra Lutheri rationes, quas firmamenta voluit appellare.

CAP. VI.

Detestandæ, ac execrabiles ex Præcedentibus Lutherij rationibus deductæ conclusiones, quibus improuidum fuisse Christum, & alia prophana asserere cogitur.

EX quibus planè etiam lippis intuentibus oculis constare potest potestatem hanc, quę est modo Pontifici Romano tributa, Martinum sola Dei permissione admittendam voluisse, illi tamquam iniuriam inferenti, aut ambiguæ cedendum esse, tolerandam veluti populi afflictionem, tamquam tyrannicam ferendam, ex solo populi consensu probandam, imò neque probandam, neque vituperandam, eidem veluti sæcularibus potestatibus obediendum, & denique iusta, vel iniusta sit, minimè examinandum, sed Deo iudicium relinquendum. Ex quibus id etiam inferri licet, improuidum fuisse Christum, dum ambiguum, & incertum nobis regendi modum reliquerit. Item sacramenta omnia, omnes institutiones, omnia iura, omnes ordinationes, cum ab ea, quæ recepta est, & (vt inquit magnus noster Ardelio) maximè stabilita potestate dependeant, si ipsa incerta, ambigua, in confuso, ac in perturbatione maxima constituta. Est ne hæreticum hoc Martine? adiuro te per sanctum tui capitis iudicium, vt mihi respondeas. Est ne prophanum? est ne plusquam quis fari, aut excogitare valeat, impium? Prima facie ne aliquid deterius tibi contingat facilè denegabis. At quo modo negare potes hæreticum non esse si quis asserat improuidum fuisse Christum? Prouidus autem esse non potest, si ambiguam nobis, & incertam reliquit Ecclesiam, cui credere debeamus. Quod autem credendum est, certum haberi debet ex fide, non erit ergo (cùm incerta sit) credendum Ecclesiæ. Erit ne id hæreticum tuo iudicio proferendum? Nam est articulus fidei, vt in catholicam Ecclesiam credere debeamus. Hæreticum igitur erit Pontificiam authoritatem, à qua tota pendet Ecclesia, ambiguam profiteri. Hęreticum ne dices ad populi mutationem veram Ecclesiam commutari? minimè, cur non? an nescis Christum eam instituisse, cum ea vsque ad sæculi consumationem Matth. vltimo se futurum dixisse? Quo pacto igitur mutabilitati populi illam subiecit? Si enim alia, & alia ad populi mutationem fieri posset, quomodo vna? Quomodo pulchra? Tanta est, quam primo loco veluti aliarum omnium fundamentum à Martino hæc statuta est hæresis, vt certè ex antiquis nullus maiorem exprimere potuisset. Cùm vno verbo imprudentem Christum, incertam, ac populi mutabilitati subiectam Ecclesiam ipsam constituat.

CAP. VII.

Quomodo per Euangelicos Textus, sanctosque illorum interpretes, & generalia Concilia ostendatur, à Christo summam potestatem fuisse Petro concessam.

MOdò quæ Textus Euangelicus, sacrique Pontificum apices, & sanctissima doctorum lumina de hac potestate voluerint (Deo authore) conspiciendum est.

Prima igitur sacrosancti Euangelij, à quo nulli fidelium dissentire licet, authoritas est Matth. 16. vbi seruator noster Iesus à discipulis suis exquirens in primis, quem dicerent homines esse filium hominis, deindè quemnam ipsummet ipsi dicerent, Petro respondit, qui eum iam iam Dei viui Filium dixerat, inquiens, & ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & solueris, solutum in cœlis. Ex qua quidem sententia apparet præcæteris Apostolis datam fuisse Petro à Domino potestatem. Non enim omnibus dixit, non Ioanni, non Iacobo, aut Philippo, sed Petro. Matthæi quoque 10. vbi scribuntur nomina Apostolorum, imò ipsi instituuntur Apostoli, & ad curandas languentium infirmitates à Domino deputantur, primum Petri nomen præponitur. Vbi glossa; Voluit Dominus Apostolorum Principem priùs alio nomine appellari (nam Simon dicebatur, qui modo dictus est Petrus) vt ex ipsa nominis commutatione Sacramenti viuacitas commendaretur, quod & diuus ille Chrysostomus similiter interpretatur os Apostolorum, & caput Petrum appellans. Idem ex Matth. 17. cap. declaratur. Vbi Dominus Petro tantùm pro ambobus ipsis tributi solutionem imponit, inquiens, Vade ad mare, & mitte hamum. & in eo pisce, qui primùm ascenderit, staterem (quoddam monetæ genus) inuenies, quem dabis pro me, & te. Vndè Augu. in l. de quæst. noui, & veteris testamenti, qu. 78. hęsitans cur pro se Dominus, & Petro iubet dari tributum, inquit, pro omnibus dari voluit, sed Petrum ideò nominauit, vt daret intelligere quemadmodum omnes magisterij causę continebantur in eo, dum ageret in humanis, ita post obitum in Petro tamquam Vicario continerentur. Ipsum enim sui gregis caput, & Pastorem instituit. Id ipsum super illud Lucę 22. facta est cōtentio inter discipulos quisnam maior esset, Gregorius, & Chrysostomus apertissimè sentiunt. Idipsum eodem Lucæ cap. voluit Dominus, dum eosdem alloquitur, inquiens, sæpius expetiuit vos Sathanas, vt cribraret, vt triticum. Ego Petre pro te rogaui, ne fides tua deficeret, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Idipsum quod Matthæus 19. c. adstipulatur (auctore Domino) difficilè esse diuitem regna cœlestia penetrare, vbi Petrus ait, ecce, reli-

reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Chrysostomus attestatur his verbis; qui claues regni cœlorum acceperat de his, quæ ibi sunt, iam confidit, & pro orbe terrarum interrogat vniuersa. Sed nullibi apertiùs, idem suo verè aureo ore confirmat, quàm super illud Ioannis vltimo, pasce oues meas. Vbi per pascendarum ouium officium, ait auctoritatem Dominus Petro commisit, Paulò post ascensurus in cœlum. Enimuero ea verba illud idem sonare dixit, ac si loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum Dominus enunciasset. Item Constantiense Concilium pro hæresi sententiam huic oppositam habuit, & expressè damnauit. Pro qua etiam Marsilium de Padua, Ioannem Hus, & Wiclef execratos habuit, Idipsum Constantini Concilium Romæ habitum statuit, vt habetur 97. dist.cap. Constātinus,idipsum ex Chalcedonensis Cōcilij canone apertissimè accipitur. Cuius verba sunt hæc, si quis episcopus prædicatur infamis, liberam habeat auctoritatem appellandi beatissimum antiquæ Romæ Episcopum, quia Petrum habemus, ad quem tamquam Petram refugij confugiamus. Quid clarius? non enim iudicandi auctoritatem ex appellatione Romanus posset Pontifex obtinere, nisi superior haberetur. Idipsum in Concilio vniuersali Florentiæ celebrato, quo Græci, Armeni, Iacobitæ cum occidentali ecclesia conuenerunt, apertissimè legitur declaratum. Quod & Cyrillus Alexandrinus Episcopus in lib. Thesaurorum asseuerantissimè adstipulatur, in hunc modum, vt membra, conuenit in capite maneamus, quod Apostolicus Romanorum Pontificum thronus est, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debemus, quo etiam lib. ait Petrum locum Dei tenere in terris, cui iure omnes caput inclinant, & mundi Principes, atque ac Christo Iesu obediunt vniuersi. Ambrosius quoque idem 47. Sermone de fide Petri Apostoli dum loquitur attestatur, & sermone 11. de naui, in qua Petrus magister erat, quam etiam Dominus solam ascendere voluit, Ecclesiam præfigurante locutus expressit, quam etiam per Noë Arcam significatam voluit, quod veluti per illam vitæ huius seruatus est mundus; ita per Petri Ecclesiam alterius vitæ dona subimus. Idem super primam epist. ad Tim. cap. 3. Vniuersalis Ecclesiæ rectorem Damasum vocat. Neque Diuus ille Gregorius omittendus est, qui 4. registri lib. ad Mauritium Augustum scribens, ait, omnibus Euangelium scientibus liquet voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totiùs Ecclesiæ curam fuisse concessam, &c. Neque minùs Leo Primus, id asseueranter 3. anniuersarij sermone professus est, quem ipse videas, & intelliges cunctis Ecclesiæ Patribus eius sententia fuisse præpositum Petrum à Christo. Idipsum Extrauagans Bonifacij Octaui significat, dum de necessitate salutis esse definit, Romanum Pontificem credere esse vniuersis episcopis superiorem. Ex quibus facilè constare potest Pontificiam auctoritatem Petro maximam à Deo fuisse concessam. Sed ad Lutherum veniamus, qui ex quo fidem concilio exhibendam esse commemorat, propria sententia sese hæreticum indicauit.

CAP. VIII.

Rationes Lutheri adducta aduersùs Matth. Textus 16. cap. verissimam expositionem impugnantur, & ostenditur non solùm à Domino per ea verba promissam, verùmetiam concessam Petro potestatem fuisse.

INquit ipse si qui sacros Canones interpretantur, per ea Matthæi verba 26. cap. promulgata non esse datam Petro potestatem à Domino, sed promissam intelligunt, cur mihi non liceat eadem, & decreta omnia, quæ innituntur illis, ad id probandum frigida appellare?

Non licet tibi frigida appellare decreta, quoniam tot tantisque Patribus minimè licuit. Licèt illud iurisconsultus, & alijs non quod ita promissam ex illis verbis auctoritatem intelligant, vt nullam efficaciam fuerit habitura, sed ita promissam, vt proculdubio concessa sit in futurum. At certè id tibi non licuit. Idem enim iure optimo visum est frigidas, & imbecilles ad probandum appellare sententias, ac si easdem nihil probare dictum fuisset. Quemadmodum in earum expositione contraria, tu quoque sentire videris. Et si enim Pontificium Principatum, cum sua summa auctoritate, vt modò viget, tenere te asseris, non tamen id sacrarum lectionum testimonio acceptum refers. Vno igitur, & eodem modo asseris frigidas, & nullas esse sententias. Quibus Pontificius principatus valeat demonstrari.

Ex quibus & si allegata glossa cap. considerandum, 51. dist. Et abbas cap. significasti de electione, vnà cum Theologis multis, eo modo illum Matthęi textum de promissa auctoritate intelligunt. Ego tamen oppositum sentio. Qua de causa, cap. significasti de electione in hunc modum libet exponere. Licèt enim per ea verba Ioannis vltimo cap. Pasce ones meas, visus est Dominus tum primùm Petro Pontificiam potestatem dedisse, tamen ea non fuit absoluta potestas, sed executionis tantummodò. Quin vero dicit glossa, quoniam ante passionem dixit Dominus Petro. Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Matthæi 16. Ideo non erat tempus dandæ huiusmodi potestatis; verum est, quoad executionem, sed simpliciter, & absolutè potestas tunc Petro concedi potuit, prout concessam fuisse tenemus. Quicquid Theologi, glossa, Panormitanus noluerit.

Neque ideo futuri temporis verbo vtitur Euangelista, quod absolutam Petro potestatem promissam solùm velit exprimere. Sed quoniam tempus nondum aduenerat, quo illam exercere deberet. Non enim viuente Domino suprema Petro potestate vti licebat.

Eodem modo Hieronymus exponendus est, dum idipsum sic per eadem Matthæi verba

ba visus est dicere. Namque dubium mouens. Cur Petro eum increpanti, suadentique ne ad passionem Hierosolymam peteret, paulòpost illa verba. Beatus es Bariona, Dominus dixerit, vade retro Sathana, habet istam sententiam. Si consideret qui hoc quęrit, illam Petro Beatitudinem, benedictionem, potestatem, ædificationem, super eum in futuro promissam Ecclesiæ, non in præsenti datam intelligat. Ædificabo, inquit, super te Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Quam si statim dedisset ei, numquam in illo prauæ confessionis error inuenisset locum. Aut igitur verba hæc Hieronymi sonant, cum absoluta potestate non inueniri posse aliquem confessionis errorem. Et hoc dicere nefas est. Quando maximè error ille est error inscitiæ, qui excusationem meretur. Nondum enim sciebat Petrus quanti erat, vel quomodo statutum esset in cœlis sacratissimæ passionis mysterium, ideò Dominum increpauit. Aut ea verba Hieronymi de executionis potestate debent intelligi, & in hunc modum veram habent sententiam. Sanè cum ignoratione tanti mysterij ligandi, atque soluendi plenam executoriam facultatem habere non poterat. Nam etsi baptizarent Apostoli antequam Christus cruci esset affixus (vt quarto Ioannis cap. legitur) nondum tamen Petrus, & alij Pontificiam potestatem acceperant. Quamobrem illa priùs omnibus Apostolis, & præcipuè Petro, supra quem Ecclesiam Dominus voluit ædificare, debuit illuxisse. Ob id, quod exactum Ecclesiæ regimen sine passionis Christi mysterij cognitione compleri non potest. Etenim actu, vel virtute exhibita hæc passio, dum viuere inceperit Dominus principium fuit, quo omnia Ecclesiæ opera recta sunt pariter, & accepta. Baptismus verò Apostolorum, antequam Christus passurus dignosceretur, non Pontificiæ dignitatis, sed Sacerdotalis forsan fuisse dicetur.

Cum itaque Ioannis vltimo dicitur. Pasce oues meas, potestas Petro executoria demandata fuit. Tunc enim accepto sancto Spiritu bene de omnibus Christi mysterijs informatus tamquam Optimus Pontifex ire, & prædicare, ligare, & soluere, remittere, & retinere facillimè poterat.

Neque duplicem hanc propterea potestatem statuimus, cum illam et executoria sit, quæ priùs concessa fuit Apostolis, sed tunc verè non poterat exerceri, quoniam ob inscitiam, & sancti Spiritus indigentiam (vt ita dixerim) erat informis.

Quod secundo loco illum Matthæi textum ad omnes Apostolus, Lutherus aptat, partim nobiscum sentit, partim etiam discrepat. Non enim ab Apostolis Dominus, quam Petro dedit ligandi, & soluendi auctoritatem subtraxit. Verùm secundo loco illis concessit, vt ex eo datur intelligi, quod interrogatis omnibus dum dicitur, vos autem, quem me esse dicitis? Soli respondenti Petro concessa fuisse videtur. Quod & Hieronymus sentit, & ibidem Origenes.

Ait enim Hieronymus, Petrus ex persona Apostolorum omnium confitetur. Et paulò infra, sicut ipse lumen donauit Apostolis, vt mundi lumina appellarentur, inquiens, vos estis lux mundi, ita & Simoni qui credebat in petram Christum Petri largitus est nomen, ac secundùm petræ metaphoram rectè dictum est ei, ædificabo Ecclesiam meam super te. Ex quibus apparet pro omnibus locutum fuisse Petrum, qui potestatem illam suscepturi erant, & Dominum præcipuè super Petrum ædificare suam Ecclesiam voluisse.

Idipsum profert explanatiùs fortè Hieronymus, dum scribit ad Damasum Romanæ vrbis episcopum, de articulis fidei. Nam ad eum ipsum numquid rectè senserit, vel ne, iudicium pertinere commemorat, Ex quo & fidei, & Petri sedem tenebat. Quid est autem fidei tenere sedem, nisi de his, quæ ad fidem pertinent posse ferre iudicium. Ea verò omnia vnius magis, quàm alterius Ecclesiæ esse non possunt. Itaque omnium Ecclesiarum iudicem, & superiorem Pontificem Romanum voluit esse Hieronymus, qui & Petri sedem legitimè occuparet. Quid clariùs? Hic etiam sanctissimus Dei vir contra Iouinianum asserit Petrum inter 12. ad tollendum schisma electum fuisse, licèt paritate Apostolatus, non potestatis alijs æqualem illum facere videatur. Non ergo Hieronymus (vt Lutherus sentit) est nostræ veritati contrarius.

Origenes autem etsi videtur asserere super omnes Apostolos Ecclesiam Dominum ædificasse, ac similiter omnes petras fuisse meritò appellandos, non tamen in omnibus æqualiter Ecclesiæ auctoritatem expressit, Immò si verba eius diligenti examine pensitemus, cum verbum (quasi) apposuit inquit enim. Cum dixit Dominus accipite Spiritum sanctum, quasi omnibus constitutis, qualis erat Petrus, differentiam quamdam inter ipsum, & alios innuit. Neque tantum tribuendum est Origeni, etiamsi eiusmodi sententiæ fuerit, vt ab alijs probatioribus dissentiamus. Multa enim in libris, eius inuenta sunt, quæ hominis auctoritatem diminuunt.

Chysostomum verò nostrę huius sententiæ extitisse, tam clarum, tamque apertum est, vt magis esse non possit. Namque ex Euangelio Petrum Principem aliorum Apostolorum instituit. Quorum etiam os, quoniam pro illis responsum dederit, appellauit. Vt quod dictum est, de potestate hac illi præcipuè, deinde alijs tradita optimè intelligatur.

Idipsum ne præterea, an aliud. (vt Lutherius interpretatur) Augustinum sensisse credimus, dum cviii. psalmo inquit verba illa, & tibi dabo claues regni cœlorum, ad Ecclesiam referenda esse, eo quod Petrus gereret personam Ecclesiæ, dum illi claues à Domino traderentur. Non enim per Ecclesiam aliud intelligẽdum est, quàm totus Apostolorum cætus. Pro omnibus igitur ipse claues accepit. Sed pro se ipso priùs, quàm super alios constitutus est Princeps. Non enim æqualiter omnibus tradita est illa potestas. Eodem etiam modo ipsemet in libello de christiana doctrina exponendus est. Vbi quo pacto claues Ecclesiæ, quæ corpus Christi mysticum appellatur, & sponsa, sunt traditæ,

tæ, nequaquam exprimit. Sed de ipsa in se, vt soluendi, ligandique authoritatem habuerit, loquitur. Quum verò claues si debeant exerceri, non ab Ecclesia in se, sed à specialibus hominibus habeantur, oporteat, Quo pacto ij se haberent inuicem, an ordine quodam, vel nullo, non explicat Augustinus. Verùm in libro de pœnitentia illud expressit, dum de lapsis passim Sacerdotibus, numquid ad soluendi, ligandique munera semper restitui debeant, inuestigans à Romano Pontifice tamquam à proprio, veroque Iudice legem expectandam asseruit. Atque ideò locus iste. Si ad eius modo difficultatem trahere voluerimus, eo quidem modo explanandus est, quo eo loco se clarum facit Augustinus, ne sibi ipsi contrarius intelligatur. Quod sanè maximè eius verba secundo de doctrina christiana. Lib. confirmant. Vbi decretales epistolas Apostolicæ Sedis inter Canonicas haberi debere commemorat. Quam etiam diuinæ fidei magistram appellat. Idipsum in retractationibus attestatur, 1. Lib. cap. 21. Sed nullibi profectò clariùs, quàm dum ad Paulinum scribit de duorum Conciliorum Carthaginensis videlicet, & Mileuitani gestis, in quibus quum de Pelagiana hęresi ageretur, anque Innocentium Papam, quid sentiendum esset, deberent Patres consulere, narrat se subscripsisse Chirographo, & Innocentij responsiuas literas commendauisse. Ea cvj. Augustini epistola numeratur. Et contra Donatistas de baptismo. Li. 11. quod etiam 11. q. 7. legitur. Puto, refert idipsum. Petri Apostolatum cuilibet episcopatui optimo, & diuino iure præponens.

CAPVT IX.

Rationes Lutheri destruuntur, quibus ostendere conatus est nulli certæ personæ, sed Ecclesiæ claues datas fuisse.

QVod longa Euangelij expositione Lutherius Ecclesiæ, idest nulli certè personæ traditas fuisse claues conatur ostẽdere, hallucinatur. Interrogauit omnes seruator. Accipiò pro omnibus respondit Petrus. Pro omnibus, ergo omnibus dictum est. Tu es Petrus, & tibi dabo claues regni cœlorum. Attende id Petro dictum esse præcipuè, quod ipsum Dominus Petram voluit appellare, & super eum, tamquam aliorum Principem suam Ecclesiam struere, alios nequaquam excludens, Non enim super ipsum solùm fundata est Christi responsio. Atque ideò magno cum mysterio factum est, vt interrogatis omnibus vnus respondeat, vnique claues traditas, Alij non primo, sed secundo loco recipiant.

Neque video ego etiam si Linceis oculis vtar, Quomodo Petrus dum ei loquitur Dominus, non sit Petrus, vt Lutherus videt. Non enim Angelus extitit, qui respondit. Neque Angelo Dominus verba illa pronunciauit. Igitur vni ex hominibus, aut pluribus ęqualiter, vel dispariter ligandi, illam, & soluendi potestatem distribuit. Quid ergo somniare velimus, imò Lutherus velit, non illum fuisse Petrum. Cui neque caro, neque sanguis, sed pater cœlestis id reuelauit eloquij. Quum ex ea dicendi serie nil aliud queat intelligi, quàm quod Petrus non humanæ mentis beneficio, sed supercælestis Patris afflatu tantum diuinitatis mysterium apprehendere poterat confiteri.

Mirum etiam est, quod dicitur, de nullo priuato homine certi sumus, an à Patre reuelationem habuerit, sed de Ecclesia non dubitamus. Quippè si nos certi non sumus, Certus erat eo tempore Dominus, & nos ex illius testimonio per fidem certi esse debemus. Neque vllius sanè momenti est, tunc id vni potiùs, quàm pluribus reuelatum fuisse. Sat enim est nouisse nos ex verbis illis confessionem eiusmodi diuinitus prodijsse.

Quod similiter fertur in symbolo, credo in sanctam Ecclesiam Catholicam sanctorum communionem, non explicat Ecclesiæ à Domino ex æquo traditam potestatem fuisse. Ideòque ad Euangelium recurrendum est. Vbi Petrus præ omnibus tantoperè commendatur, vt super ipsum præcipuè suam Christus Ecclesiam ædificare voluerit.

Verissimè quoque exponitur, Ecclesiam, idest sanctorum cõmunionem, siue id in articulis positum fuerit, siue non positũ. Sed sanctitas hæc (aduertamus oportet) solam fidem tamquam necessariam exigit. Non enim opus est vera vitæ sanctitate præditos eos esse, qui Ecclesiã Dei constituunt. Quantum id esset nimiùm periculosum, quod rari sunt, aut nulli, qui tanta virtutum omnium polleant integritate, vt in sanctorum numero valeant collocari. Neque vllus ex rectè sentientibus est, qui Petrum Ecclesiam interpretetur. Nam eius quidem nomen græcè, latinè congregationem significat. Si Lutherius itaque sanctorum communionem alio modo, quàm nos fidelium congregationem intelligit, errat errore Vvaldẽsium, qui est hæresis manifesta.

Nam xviij. eorum error ita describitur. Quantum quis habet bonitatis, & sanctitatis, tantùm habet authoritatis, & solùm boni habent ligandi, soluendique potestatem. Quem etiam errorem 1. Li. de veteri, & nouo testamento Augustinus maximè detestatur. Non enim Sacerdotis (inquit) voluntas obesse potest, aut prodesse, sed benedictionem poscentis meritum, siue demeritum. Vbi etiam prophetiæ Donum, ait dignitatem, & ordinem non bonitatem insequi Dominum voluisse. Caiphas enim (scriptum est) Ioan. 13. dum esset Pontifex anni illius prophetauit. Qui tamen malus erat, & impius. Et in hoc Martinus à Deo est iterum de hæresi, & blasphemia corripiendus.

Quid deindè velint ea Euangelij verba. Et super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, iam dictum est, & explanatiùs modo repetimus. Dixit Hieronymus super hanc petram, idest super te, nam ipsum Dominus petram vocauerat, non quod solus Petrus sit ecclesiæ fundamentum. Sed quod super alijs Apostolis vicem Christi, qui veriùs petra erat, gesturus esset in terris.

Quod, deindè inferebat quasi victoriæ palmam reportans Lutherius primitiuam ecclesiam non extitisse, quia Romanus Papa nondum aduenerat: eo quod Petrus xviij. post

Do-

Domini obitum anno adhuc Hierosolymis erat, vt ex Pauli ad Galatas testimonio, 1. & 2. cap. comprobatur, nihil est. Admitto enim hæc omnia. Ergo primitiua ecclesia non fuit ecclesia. Quomodo sequitur? Si dicas non erat Pontifex ea tempestate Romanus. Verum est. Attamen Petrus erat vniuersalis ecclesiæ Princeps, qui postea Romanus effectus est, quod ibi propriam, & peculiarem sedem sibi constituit. Quam etiam cruore, & martyrio voluit consecrare: Neque quod decreta ferè omnia Romanum Pontificem totius ecclesiæ caput describere videantur, eo pacto intelligenda sunt, quo antequam Petrus Romam veniret, sine capite fuerit. (Nam dementis est id profiteri). Verùm ita Romanum vocant, quoniam idem erat priùs, & qui postea Romanus effectus est. Cuius quum successores, Romani etiam appellarentur, omnes illos eamdem potestatem habuisse, & habituros significant. In hunc itaque modum supra petram, idest supra Petri authoritatem, quæ in fide fundata est præcipuè ædificata fuit ecclesia, non supra vniuersalis ecclesiæ fidem æqualiter, quemadmodum Lutherius interpretatus est. Qui ad aliud Euangelij dictum falsò (vt sui moris est) explicandum accedit.

CAPVT X.

Ex Euangelico Matth. textu cap. 18. idem, quod 16. cap. scribitur de summa Petro, & consequenter alijs Apostolis, sed dispari valdè potestate concessa haberi, & quomodo de Passionis mysterio non erat tunc Petrus instructus, cui numquam defuit fides, quo pacto eius successoribus claues sunt traditæ, multaque Lutherij dissoluantur obiecta.

HAbet Matthæus 18. sui eloquij cap. dum loquitur Petro Christus. Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te, & ipsum solum. Si non audierit, duos testes adhibe, si item non audierit, dic ecclesiæ. Si ecclesiam spreuerit, sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus. Deindè in alios discipulos versus, inquit, amen dico vobis, quæcumque ligaueritis in terris, erunt ligata in cœlo, & quæcumque solueritis simili ratione soluta. Ex eo verborum contextu apparet, inquit, Lutherius, ita Dominum discipulis quemadmodum in superiori textu claues dedisse, vt tam hæc sententia, quàm illa vnum, & idem contineat. Quod enim interrogatis discipulis ibi soli Petro soluendi, & ligandi authoritatis iniunxit, idipsum hoc in loco Petrum præ alijs allocutus, mox alijs concessisse conspicitur. Quod nulla alia de causa effectum est, quàm vt intelligamus omnibus discipulis pariter sine vllo discrimine vnam, & eamdem potestatem fuisse concessam. At hæc suasio nulla est. Affirmamus enim hanc Euangelistæ sententiam cum ea, quæ 16. cap. scribitur, conuenire. Et quod soli Petro ibi tamquam Principi traditum est, hìc omnibus, sed secundò loco concessum. Traditæ sunt claues Petro hìc, & ibi, sunt etiam alijs traditæ, sed super alijs Petro, quod ibi ex diuina reuelatione voluerit. Deus Christum Dei viui filium fuisse confessum. Hìc verò, quod eum præ alijs allocutus corrigendi proximi (quod Pastoris officium est) modum, & rationem docuerit. Non ergo (dices) eædem omnibus sunt datæ claues. Quo ad iurisdictionem datæ sunt claues. Quo ad iurisdictionem datæ sunt Petro, & successoribus eius maiores. Non igitur prorsùs eædem, sed valdè consimiles. Atque ideò in earum traditionis commemoratione diuersimodè locutus est Christus. Sique forsan ambigitur, cur denuò traduntur claues, si priùs sunt traditæ, non denuò traditas esse monemus, sed vt quod ante meminerat Dominus, per hæc postmodum verba explanatius fieret, ita locutus est. Constat itaque quomodo ex vtriusque Euangelicæ sententiæ apud Matthæum consensu sui propositi contrarium potiùs Lutherius deducere potuisset.

Decipitur deindè noster hìc æmulus quum ea, quæ Dominus paulòpost clauium traditionem dixerat Petro (vade retro Sathanas, non enim sapis ea, quæ Dei sunt) ita quidem exponat, vt non videat quomodo beatum ipsum dixerit priùs, & inpræsentiarum desipere. Dictum enim à nobis est, non nouisse tunc Petrum passionis Christi futuræ mysterium, licèt diuini verbi incarnatio per reuelationem illi patuerit. Namque longè aliud est Christum Dei viui filium confiteri, & ipsum moriturum agnoscere. Atque ideo cum ea reuelatione, & beatitudine stare potuit ignoratio Christi interitus, passionis, & crucis, quemadmodum non Ecclesiæ, (vt falsò arbitrabatur Lutherius) sed Petro principaliter de clauium traditione illa Domini aptanda sunt verba. Qui etiam Sathanas vocatus est, quoniam per modum Sathanæ salutiferam mortalibus passionem, ex inscitia tamen detestans Dominum ausus est increpare.

Quod item si successoribus data sit Petri potestas, potiùs Apostolis, qui tunc aderant, traditam fuisse magnus hìc obiectat Ardelio, atque ideo æquè omnibus concessam probasse putat, facilè soluitur. Patuit enim quomodo Petro, successoribusque, & quo modo Ecclesiæ data sit illa potestas. Sed vt quoties ipse nos cierit, idipsum toties repetamus, audiat, & intelligat. Petro concessa fuit, vt principi, Ecclesiæ, vt Petro subiectæ, si ab Ecclesia Petrum excipiat. Si verò ex omnibus Ecclesiam statuat, Ecclesiæ inæqualiter audiat fuisse concessam. Quod verò Petri successoribus traditum est, præsentibus Apostolis nulla ratione concedi debuisse monstratur, quod illi vicem Petri viuente Petro vsurpare non poterant. Neque ita successoribus eius claues sunt traditæ, vt eos Christus nominare debuerit, nam cum perpetuis temporibus vsque ad sæculi consumationem ab vno principe suam Ecclesiam regendam esse voluerit, dum dedit Petro claues, successoribus gradatim dandas esse nos docuit, quas præsen-

ſentibus Apoſtolis viuente Petro iure optimo dare non poterat.

Ridiculum eſt valde, quod ridiculus homo ſubiungit, dum eligitur Pontifex ſecum ne affert claues, an ab alio accipit, ſi affert, ergo priùs claues habuit, quàm ſit Pontificiam dignitatem adeptus. Si ab alio accipit, is alius, quàm Eccleſia eſſe non poteſt. Prius igitur tota in ſe habuit, quàm alius quiſquam in ſpeciali à Domino claues Eccleſia. Pulchra quidem ratio, & non tantùm ſcriptis, ſed æternæ memoriæ commendanda, dum ſtudet eius efficacia Martinus Petro principatum adimere, quæ certè tam puerilis eſt, vt ea vanitate ſit prædita, qua ſi vellet ipſe, baculo arbitraretur poſſe de manu Herculis clauam eripere. Non affert ſecum claues Pontifex, qui eligitur inſulſe Lutheri, ſed à ſancto Spiritu (à quo etiam ſupremam auctoritatem conſequitur) accipit. Quas per obitum, ſeu depoſitionem recta ratione dimittit. Siquidem fidelium congregatio (quam Eccleſiam vocant) nihil aliud in electione Pontificis, quàm materiam exhibet. Sanctus autem Spiritus eſt, qui diuinitùs illi authoritatem impertit. Sed animaduertendum eſt ſucceſſoribus (vt ante referebamus) non eo modo traditam fuiſſe, quo Petro. Aderat enim hic, illi autem minimè. Ideoque pro tempore, quo futuri erant, & (vt ita dixerim) habitu, ſponſioneque fuit eiſdem impenſa.

Neque video (etiam ſi oculatiſſimus ſim) quomodo Eccleſiæ datæ ſint claues, niſi priùs vni tantùm clauigero collatæ fuerint, quas pro adminiſtratione valeat exercere. Suppoſito vno tantùm principe in Eccleſia Dei ſupremo. Quod tamen linceus noſter Lutherius ſuis oculis facillimè penetrauit, & lingua confeſſus eſt. Nam ſi contra partes noſtras inuehitur, dum rationem illam componit, quando eligitur Pontifex, vnum in Eccleſia principem ſupremum dari accipiat, opus eſt, vt quærat poſtmodum vnde claues accipiat,& ab Eccleſia illas accepiſſe demonſtret. Ac ſi vellet dicere dato vno ſummæ authoritatis Pontifice, neceſſe eſt priùs Eccleſiam habere claues, quas tanquam in ſcrinio ſeruatas illi condonet. Si verò in ratione, quam format, illud non ſuppoſuerit,quod aſſumit, erroneum eſſe dicetur, ipſumque rationis auctorem principium petere. Quod verò dictum eſt Petro, ſi peccauerit in te frater tuus poſt primam correctionem, Eccleſiæ dicas: Non eſt, quòd Eccleſiæ præcipuè datæ ſint claues, ſed id voluit exprimere Dominus, vt pudore affectus reſipiſceret ille, qui eſſet peccatorum laqueo præpeditus.

Rationem præterea, qua Apoſtolus Paulus ad Romanos quarto capitulo vtitur, vt Abraham non ex circumciſione, ſed ex fide iuſtum factum oſtendat, videamus quomodo faciat militare Lutherius. Ait enim ſicut Abraham Deo gratus ex fide fuit, non ex circumciſione, quoniam ante illam erat iuſtitiam aſſecutus, ita etiam Petrus, antequam eſſet vrbis Romæ Epiſcopus, iuſtus effectus eſt, & ex ſola fide creatus Apoſtolus, illi ergo non, vt Romano Pontifici fuerunt traditæ claues, etiam ſi ipſi ſoli ea dicta ſint verba, quæ tamen pro alijs expoſita intelliguntur. Memineris Petrum ex fide non tantùm Apoſtolum, ſed etiam Epiſcopum, & totius Eccleſiæ Principem à Domino inſtitutum fuiſſe. Neque omnes in Apoſtolatu, ſed ſolùm, quæ Sacerdotij eſſent claues obtinuiſſe. Quæ verò ad dignitatem Pontificiam attinerent in collatione Pontificatus illi conceſſæ ſunt. Longè enim maior eſt iuriſdictio in Eccleſia Principis, quàm aliorum. Non erat Romanus ipſe, ſed eo nomine, vt in decretis habetur. Summus eſt Pontifex appellatus, quoniam ipſe ſedem ſuam ex diſpenſatione Diuina, Romæ voluit collocare. Quo circa per fidem (ſicut Abraham) gratus fuit altiſſimo, & Epiſcopatum obtinuit. Quæ fides, vt creditur, tum illi exactiùs quidem permiſſa eſt, quàm dum Apoſtolatus officium aſſequeretur, ſi vnum ab alio ſit, (vt credere par eſt) temporis diſcrimine ſeparandum. Namque priùs Matthæi 10. cap. 12. Nominatim ab alijs ſegregati leguntur,quam ea verba ligandi,& ſoluendi,ædificandique Eccleſiam Chriſtus habuerit.

Quod verò amplius procax iſte Lutherius ex eadem Pauli, & ad Galatas 3. cap. ſententijs ſubdit. Si Petro ex fide claues ſunt traditæ, ita omnibus credentibus eaſdem Dominum tradidiſſe non obſtat.Paulus enim ex fide iuſtum, piumque factum Abraham, & omnes alios meminit, quod iuſtitia hæc, & pietas communis quidem exiſtat. Sed regendi auctoritas, quæ præter illam iuſtitiam, ſeu gratiam Petro conceſſa eſt, communis eſſe non debuit. Non enim expedit vnum magis eſſe iuſtum, aut Deo acceptum, quàm alium: dummodo ſint omnes in gratia conſtituti. Expedit autem, immo maximè neceſſarium eſt in Dei Eccleſia vnam alia poteſtatem eſſe maiorem. Valet itaque Pauli ratio circa rem illam, quæ ad omnes, vt pietas, & iuſtitia, ſuo iure pertinere videtur. Non valet Lutherij vſurpatio, quoniam ad rem non omnibus cõmunem illam accomodat. Quodque ſubiungit non vni ex Apoſtolis, ſed Eccleſiæ propterea poteſtatem illam fuiſſe conceſſam, quia nullus hominum conſtanter, ne ipſe quidem Petrus in fide, & confeſſione permanſit, facilè ſoluitur. Siquidem ſuper Petri fidem tamquam ſuper diſpoſitionem fundatur authoritas, quo errante Petro non defuit. Errauit enim, quoniam imperfecta erat Petri fides, quando Chriſtum negauit. Quæ ſi penitùs defuiſſet, cum ea pariter eſſet ablata poteſtas, nam per hæreſim ſtatim quis Pontificatus iure priuatur. Aliudque noſcendum eſt dictu eſſe errare in fide quempiam, quoniam imbecillis, informiſque habeatur, aliud quod oppoſitum eius, quod credi debet ille ſuſcipiat animo. Priori modo Petrus errauit in fide: Non quod ſe illi oppoſuerit animo, dum ter Chriſtum negaſſe legitur. Sed quod formidine veritatem, quam ipſe intelligebat, credebatque verbis, non animo denegauit. Non opus eſt autem vndecumque intentam, aut per charitatem formatam fuiſſe fidem, pro ſumma regendi facultate vni homini conferenda. Namque id eſſet, & cognitu, & inuentu difficile. Neque confeſſio continua, Petro pro continenda poteſtate neceſſaria fuit, dummodo ex habitu facilè ad actum valuerit peruenire. Quod ſi meliùs in Eccle-

ſia

sia potestatem hanc quis statuat collocari, quoniam à fide minùs illa, quàm vnus tantùm declinet, ratio nulla est. Nam licèt facilius possit errare Pontifex, quàm totus fidelium cœtus, meliùs tamen ab vno, quàm à pluribus æquè ad id muneris institutis Ecclesia regitur. Sique obijcias, potestatis huius fundamentum est fides, id autem quantò maius, & stabilius est, in eo res tantò melius collocatur. Itaque satiùs in pluribus, quàm in vno authoritas ista fundabitur, erit quidem meo iudicio responsum facile, si quæ diximus denuò repetantur. Verùm enim est ibi rem melius collocari, vbi stabiliùs viget, si æquè commodè, & benè exerceri valuerit. At quoniam longè meliùs ab vno, quàm à pluribus exerceri potest hæc imperandi potestas, ideo vnius fidei potiùs credita esse pernoscitur. Quum autem hìc de potestate sermonem habemus, illam (quæ summo tantùm Pontifici debetur) velimus intelligas. Nam per ea etiam verba, & tibi dabo claues regni cœlorum, alijs quoque (vt diximus) sed inferiorem potestatem concessam fuisse non displicet. Namque pro omnibus, qui iam interrogati fuerant, discipulis confessus est Petrus.

Iugulaturus denique Pontificiam monarchiam, ex ea met verborum serie sæpiùs repetita, Lutherius nobis occurrit, inquiens, si pro interrogatis omnibus respondet Petrus, si Petro pro omnibus concessa est illa potestas, omnibus etiam dictum esse videtur, veluti Petro, beati estis, quia neque sanguis, neque caro vobis tantum mysterium reuelauit. Igitur si quis non beatus esset vt Petrus, Papa esse non posset, multò minùs, si malus, vel non ita fidelis existeret.

Ad id est responsum facile, & potiùs eorum (quæ diximus) repetitio quædam. Namque interrogantur omnes, omnibus est data potestas, sed non omnes beatitudinis nomen, aut reuelationis beneficium sunt assecuti. Petrus enim solus beatus est dictus, id est Deo alijs magis acceptus, cui etiam reuelatio facta esse pernoscitur. Alij verò ex reuelatione, confessioneque Petri credentes suam etiam authoritatem (vt arbitror) accipere potuerunt, quæ quidem Petri potestate longè fuit inferior, quum solum ipsum beatum Dominus dixerit, illique tamquam præstantiori arcana cœlestia manifestauerit. Neque propterea qui malus est, Papa esse non potest, quod ea Petri beatitudo nequaquam potestatis illius necessarium fundamentum extiterit. Et ideò malis moribus præditus, dummodo credat, illam assequitur. Item si fidelis minùs, qui Petrus aliquis fuerit, idest si non eum fidei ardorem, quem Petrus, habuerit, dummodo hæreticus minimè sit, poterit tantæ dignitatis apicem adipisci.

At si vnà cum Petro fuit alijs quoque Apostolis sua data potestas, de Iuda quid asserendum est? quod Ioan. 6. postquam Petrus Christum Dei Filium ex ore omnium profitetur, dicat Dominus, nonne vos elegi duodecim, & vnus Diabolus est, quem Iudam omnes intelligunt. Dicemus tum Diabolum dictum à Domino Iudam, non quod infidelis esset, & impius, sed quoniam mali esset animi, & cogitationibus prauis facilè cederet. Quibus esset eum denique proditurus. Sed de hoc latiùs secundo huius sectionis lib. 14. cap. differetur.

Quod verò secundo loco tamquam nefas adducitur, nullius sanè momenti est. Non enim aduersùs Ecclesiam, idest vnius hominis authoritatem, portæ inferi dictæ sunt præualere non posse, sed aduersùs totam ex fidelibus congregationem, in quibus diuina pietas, & Christiana religio continetur. Scriptum est enim Math. vlt. cap. vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi. Quod si aduersùs petram, idest Petri fidem, portas inferi non præualere dictum esse volueris, id quoque admittimus. Dumque ostiariam ancillam Petro præualuisse commemoras, quod à Domini negatione se continere non potuit, memineris ore se nouisse Dominum, aut ex eius discipulis fuisse, non corde, Petrum negasse, quod si corde negauerit, non tamen illum esse Dei viui filium denegauit. Quippe longè aliud est fateri quempiam se hominem ignorare, neque ex illius esse discipulis, & ipsum alium esse, quàm antea nouerit, confessusque sit corde sentire. Sed rectiùs aduersùs eam, idest, Ecclesiam portas inferi, idest, malignorum spirituum, & hominum vires non præualituras exponimus, atque ita non præualituras, vt licèt quispiam sua infirmitate ceciderit, ipsa tamen incolumis in sua sinceritate permaneat. Quid igitur ex hac verissima Euangelij interpretatione Donatistarum errorem, qui, & Vvaldensium est, sequi confingis ò Martine, cùm ipse potius in eiusmodi laqueos, vt ostendimus, tuis figmentis incideris, dum Ecclesiam, Sanctorum communionem, tuo modo sanctitate percepta esse volueris. Neque mirum profectò est id modo hoc in loco te voluisse proferre, cùm tui moris sit, in alios tuam culpam reijcere, vt tuo astu, & simulatione non ille, qui sis, sed alius, & melior, & sapientior omnibus videaris.

Quid toties absque causa ex euangelij contextu aduersùs Pontificiam Petri, & Successorum potestatem, ac inutiliter repetis? Si Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Crysostomus, Cyrillus, Augustinus, Leo, Bernardus, Thomas, Bonauentura, ferè vniuersa recentiorum theologorum familia ita nobis assentiri conspecta est, vt nullus sit, qui ab eiusmodi tam clara, tam aperta veritate discrepare sit ausus, quam sanè cæsariensis Eusebius, qui paulò post Apostolorum tempora floruit, ecclesiasticæ historiæ Libro 2. sic etiam attestatur, vt clarissimus quidem, & dignissimis verbis in hunc modum de Petro Romam veniente locutus sit. Diuinæ prouidentiæ clementia Claudij Cæsaris Imperatoris temporibus probatissimum omnium Apostolorum, & maximum, fidei magnificentiæ, & virtutis merito primorum in Ecclesia Principem Petrum ad vrbem Romam, velut aduersùm humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, veluti ducem, & magistrum suæ militiæ scientem diuina principalia gerere, & virtutum castra ductare. Credis ne Eusebio? alijsque sanctis Patribus? aut tibi ipsi? quum te illis omnibus parem, aut maiorem instituas. An non intellexerunt ipsi sacra euangelij verba? An nequiuerunt

runt suis ingenijs sensa illius sacratissima penetrare? Solus (si Deo placet) Martine à Deo optimo, maximoque id beneficij assecutus, quo sacrarum editionum interpres, & Euangelicæ veritatis promulgator esse potuerit, vt noua Ecclesia, noua authoritas, noua eruditio, & sacratum rerum obseruatio fieret hac tempestate, qua nil aliud sanè poteramus pro Christianæ reipublicæ salute magis expetere.

Et vt veritas hæc alia quoque ratione monstretur, audi quæso, & responde, si sapis, magne Lutheri. Si enim (vt ais) dantur non Petro, sed Ecclesiæ claues, ordine vllo, nec ne, dentur, inquirimus. Quod si fateberis, necesse est ministrum vnum esse alio superiorem, quod nil aliud ordo sit teste Augustino 19. de Ciuit. Dei cap. 13. quàm prioris, & posterioris certa cum dispositiones disparitas. Si vero nullus claui Ecclesiæ datus est ordo, ipsa semper ea erit, quæ ligabit, & soluet, neque vnus claues istas, aut alius separatim exercere valebit, quod dicere nefas est, & ab omni procul bene sentientis animo alienum. Cum itaque recto ordine, serieque concinna creditum, ac naturali ratione probatum sit suam voluisse Dominum rempublicam instituisse, licèt pro interrogatis omnibus Petrus respondeat illi tamquam principi claues eiusmodi dedisse compertum est.

CAP. XI.

Diluuntur nouæ Lutherij quæstiones, quibus nititur ostendere Petram ex scripturis Petro non conuenire, neque ipsum esse caput, & fundamentum Ecclesiæ, neque eius potestatem successoribus traditam quamque falsò Africanum, Nicænum, Constantinopolitanum Concilium interpretetur.

Antequam ad Aliam Euangelij authoritatem deueniamus, recensendæ sunt aliæ, quæ in hoc propositum veniunt, Lutherij quæstiones, Primùm quoniam ex scripturis numquam apparet Petram fuisse Petrum, Sed Christum 1. ad Corinth. cap. 10.

Ad id dico quando Matthæi 10. Simon, qui dicitur Petrus, legitur, nobis significari Petræ nomen illi fuisse impositum, quod Matthæi 16. dum Dominus noster Iesus Christus, postquam eum interrogauerit, &c. & ipse confessus est, inquit Beatus es Simon Bariona (idest) fili Ioannis, & ego dico tibi, [Tu es Petrus &c.] Tunc à vera petra, quæ totius Ecclesiæ fundamentum erat, scilicet ipse idem Christus dictus est Petrus, & ideo illi dictum est [super hanc Petram,] idest, super te, quemadmodum Hieronymus ibidem legitur exposuisse.

Item Petrus, vt Ecclesiæ caput est, cui præsidet, non est pars integralis Ecclesiæ, & ideo non sequitur, vt idem super partem eius fundari dicatur.

Amplius ædificari verbum spiritus est, aptatur Ecclesiæ, fidem significat. Non igitur potestatem. Illatio nulla est. Namque Ecclesia fidelium personas præfert, ædificari fidei augumentum, super hanc Petram (idest) super te præcipuè, licèt super alios quoque, quod illam tecum pariter gubernabunt. Potestatem itaque ædificatio maximè denotat, quod fides potestati supponitur, & maxima ædificatio non nisi per fidem iuncta summa potestate fieri potest. Quid garris bone vir?

Rursus ex vocationis ordine Petrum Principem inferri non licet. Nam ita si quis Andream Petrum nominet, Princeps erit Andreas. Spernis glossam, quæ authoritatem iam inter fideles maximam est assecuta. Qui vocationis in Petro præ alijs factæ eam causam, (vt retulimus) assignauit. Quid Andream obiectas. Quoniam si quis eum primò vocauerit, non est ille seruator humani generis Dominus, & qui non sine magno mysterio eum inter alios Apostolos vocat in primis, super cuius authoritatem suum erat post se ædificaram Ecclesiam collocare. Hieronymus etiam, & Rabbanus, eo loco habent hæc verba, Simon, obediens, qui ob primatum Apostolici ordinis vocatur Petrus (idest) firmus.

Quid Rubem affers, quid Stephanum priùs vocatos? Quid Lucam Ioanni, Marcum Lucæ, Iacobum Ioanni inde diuino iure, tanquam vnum alteri præpositũ infers Docte Vir. Sunt istæ veræ nugæ (vt asseris) & tamen ab eis abstinere non potes: Si ex Domini voce, quæ cum mysterio prolata est, quando primùm Apostolos suos instituit, quando eis curandi omnes intrinsecùs, & extrinsecùs (vt omnes rectè sentientes interpretantur) à languoribus potestatem concedit, habetur primus vocatus Petrus, velut aliorum futurum caput, & rector. Quomodo has de aliorum rationibus, quas tam inaniter texis fabulas in propositum trahis?

Quid Paulum ad Galatas 2. Iacobum Petrum, & Ioannem columnas vocantem, eumdem Petrum propterea Iacobo postposuisse iactas? Non est Dominus Paulus, qui Apostolos eo loco instituat, neque ibidem Apostolorum ordinem, seu conditiones examinet. Sed qui inter alios maximè negociabantur coaceruatim annumeret. Miror doctus sanè cum sis, tibi tantùm in tuis imaginationibus affici.

Ex electione item dandi tributi à Domino facta in personam Petri irridet Lutherius principatum ei legitimè designari. Nam (inquit) cur ex similitudine passionis, & mortis non licèt potius primatum inferri, quàm ex solutione tributi, cum hæc æquè, ac illa non expedire conspecta sit.

Tributi solutionis iussio Petro facta pro se ipso, & seruatore Iesu, non vt solutio, indicat principatum (nam tributum soluere potiùs subiectionis esse videtur) Sed quatenus à Petro seruatoris etiam nomine fiat, iubetur. Et inde quasi vna, & eadem vtriusq; persona, quæ soluat legitimè appareat. Principis sanè Vicarius tam iudicio, quàm authoritate pro persona Principis æstimatur. Ex similitudine verò passionis, & crucis non tam benè dignitas magistratus accipitur.

Quoniam licet tributi Solutio gradum inferiorem referre videatur attamen habita ratione soluentis, qui certum omnino habebat imperium, (vt seruator noster, & Dominus habebatur. Pro eius ditione solutionem illam deberi intelligamus oportet. Quod similitudo passionis, & mortis arguere nobis, aut explicare non potest. Si mihi hac in re non credis Augustini saltem allatæ sententiæ jam credere debuisses,

Neque vt primatum in Petro (quem cum rectè sentientibus verum putamus) Matthæi 11. Dominus auferret, quærentibus discipulis, quis nam eorum maior futurus esset, nullum dicens, ita respondit, sed vt ditionem tyrannicam, & dominandi ambitum prohiberet, vt scilicet tametsi aliquis verè maior futurus fuerat, non tamen, vt maior se habere deberet, sed vt æqualis, immo velut aliorum minister humilitate, & beneuolentia plenus, tollit igitur Dominus ditionem Tyrannicam, ambitum, iurisdictionem non tollit. Seruitutem, & ministerium suadet, quod cum humilitate coniungitur. Non eam quidem seruitutem, quæ iurisdictioni legitimè aduersatur, sed quæ superbiæ, fastui, & ambitioni connectitur, cauillosus est Lutherius, & in verbis homines captat, seque magnificat ad sydera.

Fides deinde Petri pro qua, ne deficeret pius idem seruator noster Iesus se rogasse Lucæ 22 cap. meminit, non ea est quæ nobis Apostolorum Principem Petrum designet. Nam tam benè fides ea Petri est, quàm omnium aliorum, vt ad Ephes. 4. à Paulo traditur, vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Sed quod ipse idem Christus ad eum solùm côuersus ea verba protulerit, ac si fidem, quæ omnibus communis erat sub tutela, & administratione Petri tanquam eius Vicarij proximè futuram dixisset, atque ideo vt titubantes quoscumque fratres in ea confirmaret illum ipsum admonuit.

Neque confirmatio ipsa, sed confirmationis vis in Petro principatum ostendit. Quod per conuersionem Domini singularem ad eum tamquam ab huiusce modi officij authorem futurum significatur. Qua ratione Petri successores si fratres suos non confirmauerint, non tollitur eis propterea regendi potestas, quod Lutherius infert. Nam confirmandi authoritas Principem fecit, & non confirmatio ipsa, vt paulò superiùs dicebatur.

Cum verò de concilio constantiensi opponitur, inquit Lutherius Africanum, & & Nicœnum habeo pro me, quæ mihi, & meæ sententiæ fauent, duo ergo vni legitimè queunt resistere. Quorum alterum primæ sedis episcopum vniuersalem vocari vetat, vt 99. distin. legitur cap. Primæ sedis, alterum suburbanarum tamen Ecclesiarum Romano Episcopo sollicitudinem tribuit. Ita deinde constantiense concilium exponit, vt cum articulos plures damnauerit, non omnes pro hæreticis haberi voluerit. Sed nonnullos suspectos, nonnullos erroneos, quosdam verò hæreticos definit. Atque ideo hinc de vno superposito Ecclesiæ capite inter erroneos, non hereticos posuisse.

Erubescat homo iste in re tanti momenti tam pueriliter agere, & inania verba diffundere. Duo vni concilia primùm opponit, ac si viribus, aut numero, quæ superant, potiora credere debeamus. Deinde damnatum articulum inter erroneos statuisse constantiensem synodum interpretatur. Vbi constat de hoc bone vir, sed de opposito clara quidem sententia est, qua Marsilium de Padua, Ioannem Hus Vviclef pro hæreticis ob eam causam apud eius acta damnatos, & hæreticos fuisse legitur.

Quo autem modo Africanum, & Nicænum concilia habeant interpretari in disceptationis processu dicemus. Sed id tamen in præsentia asserimus. Africanum, nomen vniuersalis Episcopi tollere, non authoritatem, & si authoritatem tollit non hanc quidem, quam nos Pontifici Romano tribuimus. Quæ per ministros episcopos passim diffunditur, sed eam, quæ omnes alios auferret.

Nicœnum verò sollicitudinem finitam illi pro exercitio proximo, & conuenienti designat, non pro authoritate quæ ad omnes terrarum oras extenditur.

CAP. XII.

Alia Ioannis vltimo Authoritas examinatur, qua executoria potestas Petro conceditur. Quomodo omnium ouium sit pastor Petrus. Deque triplici cordis, animæ, & Dei ad Pastorem Ecclesiæ comparatione. Quo etiam modo amor, seu Charitas non administrationi supponitur.

Ad aliam modo Ioannis vltimo, cap. authoritatem Euangelicam veniamus, qua ter à Domino, an eum, necne diligeret solus interrogatus Petrus, pascendi oues officium (idest) regendi imperium est assecutus. Contra id tamquam Leo rugit, aut Aper de sylua fremit Lutherius Apostolorum (inquiens) nullus à Petro creatus, aut missus est, ergo non omnes oues fuerunt Petro commissæ. Atque ideo generali sententia dictum est omnibus, Pasce oues meas, quemadmodum Matthei vltimo scribitur omnibus Christum dixisse, ite in vniuersum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ.

Item si Petrus Princeps erat, quomodò illi (vt ad Galatas 2. cap. scribitur) Paulus in faciem restitit? quomodò ipse idem à Deo vocatus Apostolus? Quamobrem nihil aliud ex eo verbo (inquit) datur intelligi, quàm vt Petrus, oues ex Iudæorum ouili depasceret. Vocatus enim est à Paulo ad Galatas 1. Circumcisionis Apostolus, qui se gentium legatum voluit appellari.

At resipiat quandoque vir iste, & quæ diximus in mentem reuocet, vt si Princeps institutus est Petrus, iàm intelligat omnes illi demandatas pascendi oues fuisse. Non quam ipse solus proximè, & absque vllo alterius ministerio illas depasceret, aut omnibus ità præesset Ecclesijs, vt nemo alius exigere-

geretur, qui in vinea Domini laboraret. Non potest enim Princeps omnibus sui imperij locis adesse, iubet tamen, omnibus facultatem, & authoritatem impendit. Influit in omnia corporis membra, cor, spiritum, & vitæ calorem, atque ideò Principatum meritò obtinuit. Quod si vbique per totum esse posset, proximè, ac sine vllo interuallo corpus regere diceretur. Huic Pontificis auctoritas (si volumus) commodè comparatur. At si meliùs in natura, tamquàm in exemplari quodam illam conspiciendam inquirimus, nostri eiusdem corporis animam consideremus. Hæc enim passim in toto, & quacumque etiam minutissima corporis parte, tota, integraque recipitur, quam indiuidua est, & à seipsa quacumque actione, quocumque officio distare non potest. Vna est igitur Princeps in toto corpore anima, quæ partibus assideat omnibus, & tamen plura sunt instrumenta, quibus variæ hinc indè illius operationes aguntur. Idipsum in totius vniuersi Principe longè clariùs, & admirabiliùs comprehendi potest, si eius sublimitatem suspicere audeamus. Siquidem vbique adest, vbique agit omnia, omnia discurrit, omnia penetrat, omnibus insidet. Plures tamen ministros habet, qui tot officia peragunt, qui etiam tùm in ipsis assidua, variaque agitatione rotatis cælis, tùm super eosdem, vbi deputati sunt Angeli, tùm denique infrà cælum, & præsertim hac in terrena plaga pro rerum vicissitudine, & commutatione allecutus est instrumenta, quibus suas actiones absoluat, vt frustrà penè sua præsentia complere omnia videatur.

Quid prohibet itaque nostræ reipublicæ caput non præsentia, non naturali influxu, sed arbitraria auctoritate, non proximè, sed per internuncios pluribus præsidere officijs, totius item Ecclesiæ in hunc modum oues depascere, vt si id muneris alicubi expleat alius, ille ipse, à quo pendeat, agere videatur.

Est igitur totius Ecclesiæ, & omnium Ecclesiarum Pastor Pontifex summus. Totius, qui nulli soli Ecclesiæ destinatur, omnium, quia etsi in qualibet Ministros habet Episcopos, ipse tamen quotiescumque voluerit, eorum auctoritatem singillatim sibi potest asciscere. Atque ideò verè si satiùs, si commodiùs, si honestiùs fieri posset, ipse solus proximè absque vllo Episcoporum internuncio Ecclesiarum omnium iurisdictionem ad plenum exercere valeret.

Non creauit Apostolos Petrus, non misit, vt legitur, ob id, quòd iàm Dominus ipsos omnes creauerit, qui tamen Petro tàmquàm capiti obsequerentur. Non misit tùm eadem ratione, quia à Domino missi sunt dicente: Sicut misit me Pater, ità & vos mitto, tùm etiam honestatis causa, non quia non potuit. Immò apud Lucam in eorum actis 8. cap. legitur. Quem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, Samariam verbum Domini suscepisse, miserunt Petrum, & Ioannem. Quod rectè intelligendum est. Non enim missio, seu veriùs legatio illa ex superioris auctoritate; Sed ex concilio profecta est, cui honestatis, ac potiùs pietatis causa obsecutus est Petrus. Ità quoque dixit fratribus suis Ioseph Genesis 13. cap. Mittite ex vobis vnum, vt minimum fratrem adducat. Item Matthæi 11. cap. legitur: Mittens Herodes tres Reges Magos, qui Bethleem venerant Dominum adoraturi, dicens: Ite, & diligenter de puero inuestigate. Quid plura? à Deo Patre missus est Filius, qui non inferiorem, sed æqualem prorsùs dignitatis, & venerationis gradum obtinuit. Non valet igitur ratio non creauit Apostolos, non misit, ergò Princeps non fuit. Siquidem, quæ scribendi omissione accipitur, argumentatio nulla est. Non valet etiamsi missum ab alijs Petrum commoneas, ea ratione, quam diximus.

Restitit autem Antiochiæ Paulus Petro, non quia auctoritatem illi parem habuerit, sed quoniàm Petrus ob doctrinam eius, & prædicandi officium illi multum tribuere visus est, cuius etiam consilio cessit. Quod si fortè Hieronymi sententia in medium proferatur, quæ à Gratiano 2. quæst. 7. adducitur, cap. Paulus. Vbi nisi se Petro non imparem nouisset Paulus (inquit) illi vtique in faciem non restitisset. Non impar, sed æqualis vita, consuetudine, moribus fidei defensione. Auctoritate verò iurisdictione, potestate, inæqualis Paulus fuisse dicetur.

Neque dictum est Petro, vt omnes oues depasceret, quia iàm, qui omnium Princeps institutus fuerat, id de omnibus esset intelligendum. Circumcisionis quoque Apostolus, à Paulo, qui se gentium vocat, dictus est Petrus, quoniàm cum Iudæis ad Christianam pietatem faciliùs declinaturis, quàm cum ethnicis potiùs versabatur. Eodem item modo dictus est gentium Paulus. Quum tamen ille omnium Pastor, & rector, qui iàm institutus fuerat, haberetur.

Quod deindè secundo loco de pascendi nomine ad potestatem Pontificis non attinente ex aduerso magno nugarum, seu (rectiùs dixerim) anilium fabularum apparatu deducitur, vix dignum est, vt responsum accipiat. Pascendi officium (inquit) non imperandi est, eo quod non solo regimine, sed doctrina tanquàm spiritali cibo vescuntur oues. Amore item præposito hæc alendi cura tanto innixa Petro commissa est, vt sine ipso sicut verbis exprimitur, adeò prædicata potestas nequaquàm subsistere videatur. Ad doctrinam itaque is Domini aptandus est sermo, aut quum amorem illum, & dilectionem nullus sit modò, qui calleat, maximèque periculosum esset eum in Pastore necessarium dicere, Pontificiam potestatem ea verba non sonare videntur. Hæc Martinus.

Non negamus pascendi officium ad doctrinam, & mores accommodari debere, quoniam spiritalis est iste cibus, & alimonia salutaris, quæ viuificat spiritum. At memineris non sola doctrina, aut prædicatione id commodè fieri posse, sed bonarum actionum, & virtutum exemplo. Quumque Princeps in Ciuitate, seu republica sit, aut esse debeat omnium aliorum exemplar? Quod subditi pro viribus imitentur, maximè illos potestate, regimine, vita moribus absque alia suasione depascet, optimisque, & spiritalibus alimentis enutriet. Neque opus est,

vt sicuti Petrus ardore (vt ità dicam) nimio concitatus quisque Pontifex doceat, Euangelium prædicet, ac per totum terrarum Orbem discurrat, nisi ex integerrima quadam, & incredibili sua bonitate id præstare voluerit. Sat enim est ità virtutum, rectæque administrationis exemplo rempublicam gerere, vt illi imputari non possit, & quisque in eo habeat, Quod plane possit, & debeat imitari. Alimonia igitur hæc spiritalis quomodò imperandi sit auctoritati coniuncta, ex his ità facilè constat, vt quantò quis magis in republica præesse conspicitur, tantò meliùs posse, debereque suum sibi commissum gregem alere intelligatur. Atque ideò ea ratione eum imperandi auctoritate optimum id, & necessarium boni Pastoris officium Dominus Ioannis vltimo capite. Petro iniungere voluit, vt parum; sine eo munere sibi concessam illam summam administrationem profuturam agnosceret. In hunc itaque modum ea Euangelij verba: Pasce oues meas. Non absolutam, sed executoriam clauium potestatem significant, vt ab initio diximus. Quæ item in amore, & beneuolentia sic sita est, vt quod suum est bonus Princeps sine ipsa ne minimum quidem cogitare, nedùm agere valeat. Pro benè itaque administranda republica, necessaria quidem dilectio est. Atsi secùs alicui euenerit, non est propterea æstimandum absolutam, quæ in fide dumtaxàt, etiam informi, & remissiori fundatur, illi ablatam potestatem fuisse. Cui etiam respondebit executoria, & imperfecta potestas, non autem ea, quæ perfecta est, inque summa erga oues dilectione, & charitate consistit.

Si itaque (vt denuò repetamus) eo verborum tenore Dominus quando cæteri omnes Discipuli aderant, & Ioannes, quem ipse præ cæteris diligebat, ter Petrum solum, an se diligeret, interrogauit, terque illi pascendarum ouium curam, & administrationem commisit, cur est, quòd aliquid Petro per ea verba, quod non alijs, datum fuisse non credere debeamus? Non enim de doctrina eo in loco, aut de prædicatione fit mentio (quemadmodùm Matthæi vltimo cap. legitur) ite, docete, & baptizate. Et Marci vltimo: Euntes in Mundum vniuersum prædicate. Sed de pascendi officio, optimaque benè gerendæ reipublicæ cura, quàm ante Passionem præ alijs illi concesserat, Petrum ipsum, & futuræ Ecclesiæ fundamentum appellans.

Quod profectò, si hoc Euangelium Ioannis rectè consideretur, clarè parebit. Quum enim piscantibus Apostolis post resurrectionem Dominus apparere, pariterque (captis piscibus) cum eis discumbere voluit sumpto prandio dixit Simoni Petro: Diligis me, plùs his? Trinaque interrogatione facta, postquàm ab eo & mortem, & genus mortis Petrus accepit, conuersus Ioannem vidit, quem præ cæteris Dominus diligebat, dixitque: Domine hic autem, quid? quasi ob vehementem Christi in eum dilectionem. An ipsi quoque eiusmodi tanta cum efficacia pascendi officium, & passionis mortem deberi arbitraretur. Ac si dixisset quum me præcipuum pastorem statueris, clauesque Regni Cælorum mihi concesseris; Is, quem maximè diligis, quisnam, futurus est? erit ne mihi potestate, & martyrio par, aut inferior? Cui respondens Dominus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te, tu me sequere, idest si velim eum ità manere, vt est, neque mori, vt ipse moriturus es, neque tibi pastorali officio parem instituere, quid ad te scilicet quærere, aut exposcere pertinet. Tu verò me sequere, idest in vtroque, videlicet tam in regimine, quàm in passione mihi eris consimilis, in hunc modum iuxtà Augustini mentem à glossa ordinaria ille textus exponitur. Vbi Augustinus actiuam vitam tribuens Petro illum generalem personam in petra, quæ Christus est fundatam ad differentiam Ioannis appellat. Idipsum Gregorius ibidem adstipulatur, dùm eam pascendarum ouium institutionem ad præsulis potestatem, & auctoritatem refellendam intelligit.

Et sanè sensus iste verbis optimè consonat, si totius sermonis seriem inspiciamus. Namque Dominus duo Petro dixit in summa. Alterum, quo sibi commissum gregem benè administrando depasceret, alterum, quo passionis martyrium se moriturum acciperet. Quæ duo similiter ipse Petrus quæsiuit, an Ioanni qui sequebatur, essent in posterum euentura. Ad quem item Dominum de duobus eisdem responsum dedisse compertum est, vt rota dicendi series vno, & eodem tenore sit sibi ipsi consona, & vnicuique legenti conspicua.

CAP. XIII.

Defensio Leonis Pontif. 19. *dist. cap. ita Dominus, de soliditate Petri, de Romanæ Ecclesiæ iurisdictione, de eius sono in totum orbem terrarum diffuso à Lutherij morsibus, ex cuius etiam verbis sibi ipsi contrarius, schismaticus, hæreticus facilè demonstratur.*

VEniamus modò ad ea, quæ in sacros Canones, & Sanctorum decreta affert Lutherus, vt videamus numquid, & quomodo militent, ipse enim vsque adeò visus est irridere illa, vt non tantùm frigida, verùm etiam prorsus exanguia sit arbitratus.

Carpit igitur in primis Leonem, 19. dist. cap. Ita Dominus, taxatque, quod per soliditatem Petri summam eius, & Romani Pontificis iurisdictionem intelligit. Quoniam omnes Apostoli fuissent in soliditate Petri fundati, quod tamen erroneum putat, & sub Romana Ecclesia, nec Prothomartyr Stephanus, nec alij complures fuere.

Ad hoc dictum iam est quomodo iurisdictio illa Romano Pontifici à Domino concessa sit, antequam Petrus Romam crucifigendus accederet. Ipse enim vniuersalis Ecclesiæ factus est princeps, sed Romanus appellatus est, quoniam Sedem suam Romæ vbi passus est Supremum vitæ supplicium, diuina sententia collocauit. Atque ideo success

cessores eius omnes, etiam quod Romæ numquam essent, Romani Pontifices meritò vocarentur. Apostoli verò cuncti, & Stephanus hac soliditate Petri nequaquam vacui extitere, quoniam essent sub eius Imperio legitimè constituti.

Taxat deindè eummet Leonem, quod Prophetæ verba: In omnem terram exiuit sonus eorum. Soli Petro tribuere videatur, cùm tamen plurali numero ea sententia proferatur: Sonus eorum, verba eorum.

O pulchra, & peracuta quidem obiectio. Nonne legis quæ scribis Lutheri? non ea verba soli Petro tribuit Leo, sed omnibus discipulis inquiens. At huius muneris sacramenta ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo eadem præcipuè collocauerit. Nonne vides omnibus id officium iniunctum à Domino, sed ordine quodam sanctum hunc Pontificem voluisse. In meridiana luce cæcutire non licet.

Reprehendit tertiò dictum eius, quo dona quæ Petro largitus est Dominus, indè ad omne Ecclesiæ corpus diffundi meminerit. Nam inquit ille, & Paulus, & alij prædicationis accepta munera persoluerunt.

Non est, quod credis (parce mihi) sed quod tibi ipsi fingis miraculum, viri huius mentem occupatam fuisse, dum talia profiteretur. Tua sanè mens videtur potiùs occupari, dum illi tam temerè obloqueris. In omnem terram, in totum Ecclesiæ corpus à Petro prædicationis, & alia apostolatus diffusa sunt munera, non quod eadem ipse solus exercuit, sed quoniam ab ipsius auctoritate, & suprema potestate penderent. Atque ideo inde suam originem, & efficaciam traxisse videntur. Vnde & si alios Apostolos ipse idem Dominus, qui & Petrum, instituit, ita tamen instituit, vt quæcumque agerent à se, & Petro tamquam Vicario profecta esse intelligantur. Id voluit iste Leo.

Quo deinde pacto (vt tecum per hosce tuos loquentiæ campos videar spaciari) tua hæc quam facis, protestatio valet, quæ sit facto contraria? Protestor enim (inquis) me huiusmodi non damnare decreta, eò quod nihil deperit meæ saluti si tolero violentam scripturæ interpretationem. Si violenta hæc interpretatio est, quomodo illam non damnas? Aut enim illam tamquam veram, aut falsam, seu ambiguam accipis. Si tamquam veram, quomodo violenta? Quippè quod violentum est semper naturæ, & veritati opponitur. Si verò tamquam falsam, & ambiguam recipis, ipsam quomodo toleras, nisi coactè. Quemadmodum principis alicuius tyrannidem toleramus inuiti, quia illi resistere non valemus. Quod si admiseris, vt sanè videris, & negare non potes, iam omninò decreta damnas, inficiaris. Cumque scopulum euitare prætendis, in profundum maris demergeris inquiens. Eiusmodi abusiones scripturæ valent pro his, qui iam credunt. Sed pro alijs qui aduersùs contentiosos bellum agere velint, minimè. Dicas mihi: Sunt ergo, qui non credunt, & tu ex illis es, aliter non esset, cur abusiones illas vocares. Quod si abusiones eas fateris, & illis non credis, neque pro te easdem vllatenus tolerabis. Pro quibusdam igitur toletandæ sunt, pro quibusdam autem minimè. Non ne? quid ais? negabis, aut assentieris? si negas te ipsum negas, si assentiris, iam in Dei Ecclesia circa vnius, & eiusdem Euangelicæ lectionis intelligentiam oppositos sensus admittens apertum schisma, maximumque dissidium paris, & tua quantum vales auctoritate confirmas. Quo nihil absurdius. Non tolerauit Paulus (vt secundo 1. ad Galathas cap. habetur) cum circumcisis solùm versari Petrum. Verùm illi in faciem restitit. Cum quibus versari proculdubio poterat, & illis iure optimo magis, quàm gentilibus affici, propterea quod & ipsemet, & Apostoli omnes, & eorum magister Christus circumcisionis vestigium passus est. Et tamen ne fieret periculosum, & detestabile in Ecclesia schisma, sese à præhabita obseruatione diuertit, & absque discrimine cum omnibus conuersabatur.

Paulus item 1. ad Corinth. 1. nolebat, vt baptizati in nomine Domini nostri Iesu Christi potiùs cephæ, aut Pauli eadem causa dicerentur. Cum tamen ex spirituali quadam per regenerationis lauacrum indita pietate poterat quis vni magis, quàm alteri affici. Quantò magis in re tanti momenti, vbi de clauium potestate, de regimine Ecclesiæ, de verbis euangelicis, de diuinis iuribus agitur, expedit, vt fugiamus inconsutilis huius Domini tunicæ diuisionem?

Neque valet quod velut sub vmbra digiti tectus eam expositionem asseris te pro defensione fidei aduersùs contentiosos adducere. Maior sanè, & indefensibilior error est duplicem, ac sibi ipsi contrariam nutrire in re pia, seu tolerare sententiam, quàm in contentiosos altera velle vti, qui alterius toleratæ sentētiæ adminiculo adiuti eam ipsam studerent infringere, ac proprijs armis Ecclesiam peruertere procurarent. Non est danda hostibus ansa, qua nobis officiant, sed tollenda prorsus occasio est, qua quod sanctum, piumque est queat vllam molestiam pati.

Nescio insuper quomodo quę tanto tempore in tanta rerum, & dignitatis amplitudine viguit, tuis modo suffragijs Ecclesia indigeat. Cui certè videris cum in ea dissidium statuis, optimè suffragari. Illi maximo adiumento es aduersùs eos, qui ei forsan (vt ais) bellum indicerent, cum nondum exortum aliunde, ipse tu iam illi palàm indixeris. Talibus auxilijs, nec adiutoribus istis tempus eget. Ne mordeas igitur, ne detrahas, ne dissimules. Quod toleras, assere, granumque illud synapis, quod Dei voluntate vsque adeò creuit, vt facilè comminui nequeat, admitte, & cum lectionibus sacris concilia, vt maiores tui pro viribus conciliarunt.

Quod verò non dubites Romanos Pontifices errare potuisse, quia homines fuerint, sicuti cæteri Episcopi, quemadmodum errasse, & hunc Leonem proculdubio asseris, suoque ambitu eos tamen sibi principatum asciuisse confirmas, tibi ipsi iniuriam facis, & pateris telis vulnera facta tuis. Potuerunt errare, non dubito, errarunt ne, quid ais? Dices, errarunt, quoniam sibi principatum eius-

eiusmodi ambiuerunt. Ecclesia igitur errauit, quæ illum æquo animo tulit, aut in tanta sacrorum euangeliorum ignorātia mansit, & ipse tu erras, qui toleras, & magis erras, qui oppositum credis, & credendum pro viribus asseris. Error sanè maximus, vt hic, tolerari non debet. Aut igitur Ecclesiam vnà cum suis Romanis Pontificibus non errasse, aut si errarunt ipsi, illam quoq; erroris complicem fuisse dicemus. Neque audiendus es cùm Christum Discipulorum ambitum, & certamen, quo quis maior esset, ab eo contenderent, æquo animo tulisse memineris. Nam Lucæ 22. cap. oppositum apertissimè legitur. Facta enim eiusmodi quæstione illis respondet Dominus. Qui ex vobis maior est, fiat sicut minor. Ecce ambitum quomodo tolerauit, nimium audes, nimium extorques Domini verba, immò sensa sic tua auctoritate peruertis, vt alijs oculos esse non putes. Ex quo planè allegato contextu euidentissime apparet Christum non modò sciscitantium Discipulorum contentionem, aut ambitum nequaquam tulisse, verùm etiam penitùs extinxisse.

Quod verò vltimo loco sancto huic viro Leoni de Græcis, & Orientali Ecclesia tamquam nefas obijcitur, diuini scilicet mysterij illam tanto tempore expertem fuisse, nihil est. Quippe aut Græci, alijque Orientales intellexerunt, voluerunt que nec ne, Romano subesse Pontifici, & successoribus eius. Si voluerunt, non vtique errarunt. Si noluerunt, errarunt, & modò maximè errant, cùm se à Romanæ Sedis imperio subtrahere non vereantur.

CAP. XIV.

Saluus esse Leo Quartus ostenditur, distinct. 20. cap. de libellis à prauitate Lutherij, dum non recipientes per contemptum Ecclesiæ Romanæ statuta, neque catholicam retinere fidem, neque Euangelia quatuor admittere profitetur.

IMprobatur deinde Leo IV. dist. 20. cap. de libellis. Quoniam dicit, qui canonum statuta cuiuscumque conditionis fuerit, indifferenter recipere nolit, nec catholicam, nec Apostolicam fidem, aut euangelia quatuor vtiliter, & efficaciter retinere, vel credere ad effectum dicetur. Namque in hunc modum nimis audacter, visus est humana sacratissimis euangelijs æquare statuta, quibus non seruatis, fides catholica non obseruari intelligatur.

Pro nobis impugnationis huius, quæ allata est, ratio facit. Nam dicitur & obiectatur. Si de contemptoribus, & de his, qui tibi subiecti sunt, id dictum fuisse, rectè quidem. At cùm absoluta ea promulgatio facta sit, meritò erronea esse videbitur. Tuus est error quoniam iam de contemptoribus, aut ijs, qui confirmationem in suis constitutionibus à Romana, & Apostolica Sede non habuerunt, intelligendus est textus iste Leonis. Quod ex ipsius, quo vsus est, verbo, conuincitur, satis apparet. Non enim conuincitur aliquis, nisi priùs in aliqua oppugnatione perstiterit. Vbi verò oppugnatio, ibi resistentia, vbi resistentia, ibi contemptus, contemptoribus igitur locutus est Leo. Locutus est etiam illis, qui constitutionum suarum confirmationem à Romano Pontifice non habuerunt. Quemadmodum Orientis Ecclesia, quæ licèt multos non habeat huiusmodi canones, vt habetur 31. dist. cap. Aliter cum tamen suorum inde rituum confirmationem habuerit, ab hac detestatione saluatur, vt habetur 19. dist. super eodem capitulo de libellis. Ex qua iniustè tuum allatum deprehensum est furtum. Quod enim pro errore Leoni Pontifici obiectabas, priùs scrupuli poterat esse dilutio, & tamen loco impugnationis non es veritus accipere. Neque quod de his solùm asseris ea verba intelligenda, qui illi subiecti essent, audiendus es, quoniam loco enucleationis eam affers instantiam, de qua nostra est disputatio, velut oblitus, aut ignarus potiùs eorum, quæ à teneris callere debueras. An nescis id tamquam absurdum cauendum esse, vt in topicis traditur? An nescitis de suprema Pontificis Summi auctoritate nobis esse sermonem, quem fidelium omnium tenemus imperium agere? Quo pacto igitur Leonem dices veritatem proferre, si suos dumtaxat, non eos, qui sint alteriùs ditionis alloquitur?

Neque tam audax suique nescius fuit iste Leo, vt obseruantia canones Euangelijs æquare voluerit, si eius verba diligenter inspicias. Non enim ex principali proposito, sed ex consequenti solùm, qui non recipit canones, nec euangelia quatuor, nec fidem catholicam, aut Ecclesiam recipere asserit, eo quod non receptis statutis, eorum negligitur auctor, & id pariter, vnde suam auctoritatem obtinuit, quò Euangelium esse pernoscitur.

CAP. XV.

Quàm bene, & laudabiliter Sanctus Dei vir Isidorus Pontificem Romanum Sacerdotum omnium Principem interpratatus sit, & quomodo Africana, Chalcedonensisque ex opposito allatæ synodi intelligantur.

VEniat Isidorus Episcopus, qui in ethymologijs apud fideles principatum obtinuit, & cum sua sanctitate à contumelijs Lutherianis se vindicet, quod & diuinator, & inscius, & (si Deo placet) demens, ac de sua apud homines auctoritate immeritus appellatus est. Veniat inquam, vt videat, quibus morsibus laceretur, & qui ab ōnibus post tot annos ita acceptus est, vt dicta ipsius complura inter sacros canones posita sint, ab vno tempestatis nostræ Lutherio ludibrio habitus intelligat, quæ de Romano Pontifice 7. ethymologiarum libro commemorat, & inter decreta postmodum relata leguntur, non

inter

inter canones, sed cum canibus impudentissime connumerari. O absurdum, fœdumque verbum quod certè neque à sancto, Pioque viro expectari, neque ex religiosi hominis ore vmquam excidere debuisset.

Laceratur itaque canis iste in primis, qui bene, & optimè latrans mordacissimi alterius virus, & venena disturbat, quoniam dist. 99. primæ sedis cap. scriptum est. Primæ sedis episcopus sacerdotum princeps, aut sacerdos summus non appelletur, sed tantùm primæ sedis episcopus. Vniuersalis autem nec ipse Romanus Pontifex appellandus. Id ex Africano Concilio vires obtinuit. Ibidem Pelagius Pontifex, & Diuus Gregorius allati testes idipsum approbare videntur. Sed Gregorius eo libro, quem regestrum appellant, acriùs quidem, & sæpiùs, vbi ad Imperatorem Constātinum scribens, Chalcedonensis concilij de œcumenico principatu, oblationem apertissimè respuit. Ista sunt ò Isidore, quæ te feriunt iacula.

Aduerte Martine morsus tuos canis nostri cutim non modò non violare, sed ne minimum quidem deturpare, quippe quod tibi patriarchalium sedium episcopis, & de Romano Pontifice legitur humanitatis causa institutum fuit, ne quis fortè nimiæ arrogantiæ titulo sic superbiret, vt alijs iurisdictionem vellet adimere, vel vt adimendi suspicio tolleretur, non quod re vera Romanus Oecumenicus appellari non debeat. Primò itaque de patriarchalibus sedibus illud intelligendum est, à quibus Romana excipitur. Nam quatuor illæ sunt in orientis regionibus constitutæ. Deinde cum Romana quoque admittitur, eo modo non vniuersalis eius episcopus est appellandus, quo cæteris & honoris nomen, & auctoritas ablata intelligatur.

At si ita vniuersalis episcopus appelletur, vt alij quoque proprias, & peculiares sedes obtineant, nihil erit, quod eiusmodi nomenclaturam impediat. Idipsum sensisse beatum Gregorium tam in eo loco, quàm in registro proculdubio dicimus. Chalcedonensis sanè illa celebris synodus si illum in generalem totiùs Ecclesiæ Principem acclamauerit, cur Gregorij potiùs sententiæ si oppositum senserit, stare velimus. Cum potiùs synodo per te standum iure optimo videretur, quod illi maior auctoritas sit, & in Spiritu sancto fuerit legitimè congregata? scriptum est enim in euangelio Matthæi cap. 18. Vbicumque duo, aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum sum. Sequitur igitur ex aduersarij quoquoque datis principijs eiusdem sententiæ, & Gregorium, & Chalcedonense concilium extitisse. Verùm humanitatis gratia, & ad tollendam suspicionem auferendæ dignitatis ab alijs, nequaquam vniuersalis Ecclesiæ Pastor voluit appellari, vt in Africana etiam institutione, eadem causa legitur obseruatum.

Id etiam nominis vsurpatum quandoque à Pontificibus legitur. Xyxtus enim, qui beatus extitit, omnibus episcopis scribens 11. Epistolarum suarum se Apostolicæ Sedis vniuersalem episcoqum vocat. Victor quoque eiusdem sanctitatis vir, Theophilo Alexandrino, dum literas de paschate, & baptismate mittit, se Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Pastorem inscribit. Idipsum sanctus Eleutherius ea epistola, quam vniuersis Galliæ Episcopis scribit, affirmat, dum sibi à Christo vniuersum fidelium cœtum commissum fuisse commemorat.

CAP. XVI.

Anacletus quomodo Sacerdotij ordinem à Petro cœpisse voluerit, & Pelagius Romanam Ecclesam alijs diuinitùs præpositam dixerit.

QVod deinde per Anacletum 21. dist. cap. in nouo. Sacerdotij ordinem à Petro cœpisse scribitur, non improbatur, sed pro libito exponitur. Veritas autem habet non solùm à Petro in Ecclesia ordinem sacerdotij prodijsse (quoniam ipse primò sacerdos fuerit institutus) sed etiam quoniam aliorum ordines ab eius sacerdotio pendere voluerit Dominus.

Idipsum eomet loco Pelagius asserens impugnari non potest, qui sacrosanctam Romanam Ecclesiam non humanitus, sed diuinitùs alijs prælatam esse commemorat. Neque propterea, quod toties dictum est, ablata potestas, sed ordine, & pendentia quadam post Petrum illis est tradita. Quo etiam pacto Romana hæc potiùs vocitatur, apparuit, non quod ab initio fuerit, sed ob id, quod in Petro (qui Romanæ Ecclesiæ Pastor, quàm alterius annuente Deo maluit appellari) sua sucepit initia, ac eo semper nomine nuncupari promeruit. Visum est etiam, quo pacto supra petram, suam uoluit Dominus Ecclesiam ædificare, idest, super Petri potestatem, quæ in fide fundata est, non in nihilo, vt liberiùs, quàm deceat dictum est.

Quo item pacto cum celsiore gradu maior etiam auctoritas connumerentur, optimè explicatum iam est. Neque quod missus est Petrus cum Ioanne Samariam, ab alij auctoritatē accepit, sed ipse suo imperio, eorum tamen consilio eo voluit proficisci.

CAP. XVII.

Romana Ecclesia quomodo aliarum mater, solaque à Domino instituta sit, neque tamen sufficiat, velato etiam, aut breuissimo verborum compendio solitum esse diuina pandi mysteria.

NIcolaus quoque Pontifex ab hac subtrahere se nequit iniuria, qui cum Romanæ Ecclesiæ dignitatem Esayę testimonio comprobat, atque ideo aliarum omnium matrem illam appellat (ac si quæ in Iudęa, erant ante ipsam, vt Hierosolymitana, Antiochena, & aliæ, filiæ eius esse nequiuerint) irridetur,

detur, exploditur, quod tamen iniustè vtique fvctum est. Quippe Romana ideò aliarum est mater, quod Petrus ab initio aliorum Pater, & princeps fuit, & habitus est, neque tunc Romana Ecclesia quando non erat, matris nomen assecuta est, sed post modum quando Petrus Romæ suam voluit sedem, à qua aliæ penderent, suo arbitrio collocare. Quod eam quidem agendi habere potuit rationem. Qua (vt fide dignæ, & iam ab vniuerso fidelium cœtu comprobatæ narrant historiæ) nimiæ persecutionis fugiendæ causa Roma discedenti illi apud Vrbis portam apparuit Dominus, qui ab eo, quònam tenderet interrogatus se Romam ad denuo crucifigendum ire respondit, atque ideo inde Petrus Romam sibi reuertendum ex Domini voluntate cognouit, statimque eò reuersus est, vbi diuino quodam mysterio institutum fuisset, vt suam sedem crucis martyrio consecraret.

Quòd verò, Idem Nicolaus 22. dist. cap. omnes, Ecclesias omnes à Romana institutas, ipsam verò solam à Domino fuisse fundatam ait (Id Pontificis, aut alterius eius piam fuerit) sanum habere potuit intellectum. Dictum est enim, quando Petrus voce, & authoritate Domini institutus est princeps, Apostolos alios non neglectos fuisse. Sed cùm pro illis ipse Simon responderit eos quoque suam authoritatem accepisse, quæ cum Petro subiecta esset, ideo ab eo certo quodam modo dici potiùs deriuari. Quemadmodum ordine quodam à domino fundatæ sunt omnes Ecclesiæ, sed Romana, idest quæ Romana futura erat præcipuè, à qua pendentiam illam consecutæ sunt aliæ, Si Textus iste (vt verisimiliter credi potest) hunc habuit sensum, condemnatus est gratis.

Iura autem cœlestis, & terreni imperij Petro fuisse commissa non dissonat, si pium sensum, pia interpretatio sequitur, vt fieri debet. Non enim credere par est, tam sui ipsius nescium hunc fuisse Pontificem, vt Petrum cœli Imperatorem statutum crediderit, sed ipsius cœlestis Imperatoris Vicarium, & ministrum in terris, cui ipse In cœlis legitimè voluit assentiri. Non debent sanè in re vlla, nedum pia, & tanti momenti, quanti hæc est, & præsertim Pontificum verba in odium potiùs, quàm in fauorem torqueri. Sed pro viribus enitendum est, vt ad bonum, sanumque intellectum redacta nos tam à maligna interpretandi sententia purgent, quàm alios ab eiusdem criminis suspicione summoueant. Quo autem pacto Ecclesias alias ab ea, quæ Petri futura esset, instituit Dominus, iam satis explicatum est, sed vt insana hæc malè dubitandi, & sentiendi tollatur occasio, mihi denuo repetendum est. Siquidem cum ita vniuersalis Ecclesiæ Pastor dictus sit Petrus, vt indè authoritatem proximam (si expediret, & commodè fieri posset) in omnibus Ecclesijs exercere valeret, eadem ratione à Domino institutæ sunt aliæ, vt Vicaria authoritate Petri subsistant, & suam iurisdictionem exercere intelligantur. Neque si aliarum præfectos ob eam causam superuacaneos dixeris admittendum est. Nam id maximè foret absurdum, quoniam in arbitrio etiam Summi Pontificis sequeretur esse alios omnes de medio tollere; quod dicere nefas est. Sunt itaque, & alij Ecclesiarum Rectores necessarij, qui proximè illi assideant, & diuinum cultum exerceant. Quibus, & Pontifex superior est, & in eorum, non omnibus, aut simul, sed quibus, & quando velit Ecclesijs suum potest imperium agere. Ea verò ædificatio Ecclesiæ, quam super Petrum firmiter statuit Dominus, totius, & omnium ecclesiarum esse dignoscitur. Verùm Romanam præ alijs, inde suum eminentiæ priuilegium nacta est, quòd Petro, qui illam sibi diuinitus accepit, factus est ille Domini sermo. Neque opus est in Euangelio apertam, exactamque huiusce ordinis, & disparitatis inter Ecclesias fieri mentionem. Cum pro veteri, ac laudabili instituto semper sacræ habuerint lectiones, vt velato quodam, aut breuissimo verborum compendio complura grauissima, & mysteriosa sensa perstringerent. In hunc modum locutus est Moyses. Ita Moysi semper locutus est Dominus. Ita veri, ac diuini Vates sua nobis legenda vaticinia tradidere. Id ipsum vniuersa gentilium vanitas obseruauit. Quid deindè varia perplexa sibyllarum commenta, quid Apollinis, & aliorum (quamuis ementita) oracula memorem? Cùm apud omnes nationes, omni tempore id maximè fuerit obseruatum. Quod equidem ea ratione factum intelligo, qua secretiora quantum fieri potuit essent diuina mysteria, eruditisque solùm, & ingenio præditis aperienda, ne fortè omnibus inuulgata vilescerent. Quem etiam scribendi stylum secutus est maximus ille, Deoque carissimus Euangelista Ioannes, qui dum de seruatoris nostri Iesu gestis historiam texeret, inquit, multa alia fecit Iesus, quæ hoc in libro scripta non sunt, neque etiam si scribi deberent, mundus totus illa conciperet. Quid igitur aduersus huius Nicolai Pontificis de Romana Ecclesia, eiusque vno, & eodem, ac totius Christianæ reipublicæ gubernatore commemorationem tot Sophisticis, & tortuosis verbis insistitur? Namque si maior est Romana quod aliæ, si dignior, si singulari priuilegio prædita, si Petri vocatione à Domino facta præstantior, Cur est, quòd qui illi offecerit, eius authoritatem detestans Euangelio, & fidei non offecisse intelligatur? De alijs verò Ecclesijs, & earum gubernatoribus non ita asserendum est, quoniam si iniuriam patiantur, seruato primæ sedis honore, & potestate, non ita diuina institutio (nisi fortè à remotis) impugnari videtur. Scriptum est enim in Psalmo 104. Nolite tangere Christos meos, & in Prophetas meos nolite esse malignos. Item Paulus prima ad Corinthios cap. 3. Vos estis templum Dei, & Spiritus sanctus habitat in vobis.

CAP.

CAP. XVIII.

Perfectæ Ecclesiæ fundamentum est Petri personam, fidem, & potestatem imperfectæ verò personam cum fide. Item dispositionem potiùs esse fidem quàm fundamentum Ecclesiæ. Quo etiam modo ratione personæ Petri, & dignitatis in se, Sit œcumenicus factus à Domino Episcopatus Romanus.

NOn cessat quoque Lutherius hanc eamdem veritatem suis velle verbis fœdare, dum Anacleti eadem distinctione cap. sacrosanctæ Constitutionem dilaniat, inquit enim, & arguté satis. Cum Petro dixit Dominus (Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam) petra illa fidem ne, aut authoritatem significat? si fidem, omnes Ecclesiæ erunt æquales. Quoniam ita Romana, quemadmodum, & aliæ sunt in fide fundatæ. Non enim extat Ecclesia, quæ sine fundamentis erigitur. Si verò Petra pro potestate accipitur, omnes item Ecclesias æquales esse operæ precium est, & cum de omnibus quidem id dictum sit, quòd sunt in potestate fundatæ, quo pacto sacrosancta Romana dicta est, & super alias à Domino constituta Ecclesia.

Miror hæc tam frequenter, & quidem puerilia adduci, quæ toties legere me quidem piget, nedum eadem semper sententia repetita refellere. Quid planè per Petram voluerit Dominus iam millies dictum est, & denuò Petri personam, cui & potestas, & fides coniuncta erat, nobis Petram exprimere dicimus. Namque supra gubernatoris præcipuam potestatem fundatur tota Ecclesia, potestas verò sine fide, neque haberi, neque vsui esse potest. Tam igitur supra potestatem, quàm supra Petri fidem principali, scilicet proposito non excludendo alias potestates facta est Ecclesiæ huius constructio. Cùm verò infertur, ergo sunt omnes æquales, quia omnes in fide, omnes in potestate fundatæ, allucinatio quædam est, aut peruicacia potiùs, qua obdurata mente vincenti etiam interdum rationi resistitur.

Non enim sunt omnium potestates æquales. Cùm itaque sit in fundamento disparitas, dignitates quoque super eo fundatæ erunt dispares, & inæquales. Quod verò de pronomine illo, meam, asseritur, vt inter omnes æqualis authoritas ostendatur, nihil profectò est. Nam totam suam Dominus vniuersalem vocat Ecclesiam. Quam cum in Petro præ alijs electo, vocatoque collocare voluerit, Romanam etiam illi eidem designatam, vbi occisus est, præ alijs digniorem instituit. Vt, & si communis est fides, communis authoritas, communis Ecclesia, in vno tamen splendidiùs, exactiùs, perfectiùs quàm in alijs reperiatur.

Cùm verò super fidem potestatem fundatam esse meminimus, animaduertendum est super fidei qualitatem, non super gradum à Domino constitui voluisse. Nam licèt in Petro verisimiliter credendum, sit illam quàm in alijs Apostolis maiorem fuisse, non tamen ad diminutionem illius (si data fuisset) sequeretur potestatem vllatenus diminutam.

Vel rectiùs fortasse dicendum est potestatem pro dispositione fidem requirere. Sed in persona Petri fundari; vndè veluti in naturalibus non ad quamcumque dispositionis (quam forma in subiecto requirit) mutationem, ipsa forma mutatur, ita neque potestas ad quamcumque fidei mutationem in gradu mutati dicetur.

Qui item Petrus licèt cum alijs (vt primæ ad Corinthios Epistolæ tertio capitulo. Paulus ait) Christi sit, ac meritò esse dicatur, Ipse tamen vnus pro nauiculæ gubernatore delectus Christo gratior, & acceptior fuisse intelligitur. Neque dignitatis hæc, & iurisdictionis disparitas, sacri Lauacri, confirmationis, sacerdotij, aliorumuè sacramentorum, aut virtutum, aut fidei integritatem, seu pulchritudinem minuit, sed extollit. Imò verius omnium quadam triumphantis Ecclesiæ instar, pendentia, & connexione, vnam, neque dispersam, & sine vllo in terris capite tumultuantem, sed sibi consonam reddit Ecclesiam.

Cùm verò obijciatur, priùs est Ecclesia, quàm potestas, igitur super potestatem non fundatur Ecclesia. Dico falsum esse, quod sumitur. Prior enim est potestas, quàm Ecclesia perfecta sit. Quæ tum sanè perfecta est, cùm in ea gubernandi authoritas reperitur. Ante verò si fuerit, est imperfecta. Si dixeris, fidelium congregatio Ecclesia est, admittitur. Hæc autem fidem comprehendit. Verum est. Fides potestati præponitur, iam dictum est. Ergo Ecclesia potestatem præcedit. Concedo, sed imperfecta. Quoniam sine potestate regendi. Quamprimùm enim perfecta est, tùm primum super tradita potestate fundatur. Hæc rationis veritas est, quæ per Sophismata (vt fit) discuti non deberet.

Taxatur quoque ibidem sanctus Martyr iste, & Pontifex Anacletus. Quoniam eo ordine alias Patriarchales Sedes gradatim institutas asserere debuisset, quo Romana præeminet vniuersis. At hæc diuinitus prima fuit (vt dicitur) ergo ita quoque diuina institutione suis sunt gradibus aliæ collocatæ. Verùm contradictio est, quoniam quæ secunda fuit, facta est tertia. Namque Constantinopolitana Synodus propriæ Ecclesiæ Alexandrinam postposuit. Quæ verò diuino instituto firmata sunt, commutari non possunt. Quo igitur pacto Romana diuinitùs inter alias suum principatum obtinuit?

Hac quoque in parte, sicut in alijs, immeritò reprehensus Anacletus defenditur. Et primò quoniam non eo ordine Romana statuta est, quo aliæ instituuntur Ecclesiæ. Illa enim à domino sic instituta fuisse dicitur quo modo persona Petri in Principem delecta, illam ipsam aliarum quoque superiorem redidisse videtur. Vndè, si alibi etiam Petrus vitam cum sanguine in Christianæ fidei testimonium

monium effudisset, suam etiam ibi primam sedem,& principatum vtique statuisset. Namque ex personæ ipsius authoritate diuinitùs Romanam sedem primam, non alia ex causa dictam esse putari potest. Cùm verò aliorum Apostolorum nullus sit, qui in Euangelio eminentiæ aliquem gradum habuisse legatur, consequens est, vt aliæ sedes à prima non diuinitùs, sed sola Petri, & successorum aliorum pro tempore (siue congregati in synodum fuerint, siue non) authoritate, & institutione in suis sint gradibus collocatæ. Atque ideò Alexandrina, quæ priùs secunda fuit, facta est tertia. Romana verò nullatenùs variatur, ea ratione, quam diximus.

At si non solius personæ Petri tanquam Principis habenda est ratio, Principatus œcumenicus iste dicetur, ita Romanæ Sedi coniunctus, vt diuinitùs facta ea connexio intelligatur. Namque (vt Diuus ille Doctor Ambrosius in epistola ad Auxentium attestatur ex historia, quæ iam sua authoritate apud omnes inualuit, habetur, dictum fuisse Petro à Domino obuiam illi facto se Romam denuò pergere, vt cruci affigeretur. Ex quibus sanè liquidò constare potest, eo afflatu Petrum Romam profectum esse, vbi suum esset Imperium collocandum. Qui locus, quod ea tempestate, diuque post, totius terrarum orbis sceptrum, & gubernacula retineret, ad eiusmodi per omnes nationes distribuendam administrationem vtique aptior, dignior, commodior esse non poterat. Ita vrbis exemplo ductæ aliæ mundi oræ ciuitates, & oppida ad pietatem fidei faciliùs conuertebantur. Ita liberiùs tutiùsque passim suis sancti spiritus igne affectis linguis prædicabant Apostoli. Hac de causa longè magis vrbs hæc dignissima martyrum sanguine inundauit. Hac ratione Paulus Apostolus (vt in actis Apostolorum cap. 25. legitur) dum Cæsareæ à persequentibus Iudæis Festo iudici accusaretur, qui tum aderat, Cæsarem appellauit, inquiens. Ante tribunal Cæsaris stādū est, vt de me iudicium proferatur. Quo etiam dum apud Hierosolymam vinctus à tribuno detineretur in castris, se iturum à Domino accepit, vt etiam Romæ (veluti in Hierusalem de ipso testificatus fuerat) testimonium redderet. Hac ratione se quoque Romanum ciuem voluit appellare, vt ex Apostolorum gestis cap. 22. palàm licet accipere. Hac ratione ex Hierosolymitana, in qua Iacobum reliquerat, in Antiochenam sedem secessit Petrus. Ex qua demum Romam se contulit. Vbi decentissimè sibi à Domino iniunctum regendi munus exerceret, exercendumque successoribus traderet. Alioqui nisi hæc à sancto spiritu tamquam à Diuino quodam fonte hausisset Petrus, in suo quidem ministerio non satis, immò insufficienter fuisset instructus. Hæc sunt, quæ me,& alium quemque, nedum Anacletum Pontificem ad credendum compellunt, non solùm ex persona Petri singulari quodam priuilegio donata, sed etiam proprio summi Opificis instituto Romanam Sedem inter alias Principem extitisse. Quod nequaquam assecutæ sunt aliæ, ob id, quod non ita expedire pro Christianæ pietatis incremento, & amplitudine videbatur.

CAP. XIX.

De Patriarchalium sedium ordine, & eius mutatione, quo etiam pacto, quæ diuinitùs instituta sunt valeant commutari.

Si verò cur Hierosolymitana, in qua sacratissimus seruatoris nostri effusus est sanguis, & primis, & nouissimis temporibus inter alias prima non fuerit, inquiratur, oportuna quidem nunc explicandi sese mihi offert occasio, vt humanus hac in re animus conquiescat. Quod sanè id magis me ad dicendum inuitat, quoniam Hierosolymæ locus præter id, quod palàm cruore illo præstantissimo maduit, pro Christianæ pietatis amplificatione, quàm Roma commodior, & facilior esse videbatur, ob id, quod in terræ medio situs est, aut magis illi propinquus, vt etiam Vates Magnus Dauid 74. Cecinit psalmo, inquiens, Deus enim Rex noster in medio terræ salutem ante sæcula est operatus. Neque minùs vrget, quod Marci cap. vltimo Apostolis dictum legitur. Ite in vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, at si nulla definita illis diuino sit iudicio concessa sedes. Vbi pro legitima ratione consisterent, sed ad libitum huc, atque illuc per varia terrarum loca profecti, vbicumque voluerint, denique residerent.

Neque de Romano, quia tunc florebat, Imperio: ratio, cur ibi Pontificia poneretur sedes, militare videretur. Quoniam mutari facilè poterat, & iam vsque adeò mutatum est, vt longè maius apud Macedones, qui & Turcæ dicti sunt modò, & Persas, & Germanos esse conspiciatur. Quid dicam de Constantinopolitana sede, quæ nec sanguinis martyrio, nec sacratissimorum, doctissimorumque hominum sapientia velut Alexandrina floruit, quod sit illi præposita? Quid si Diuino iure Romana sit aliarum princeps effecta, vrgente, & necessario quidem impulsu (qui facilè occurreret) quomodo mutari non posset? Scriptum est enim in Euangelio apud Matthæum cap. 10. Cùm vos in ciuitate vna persecutio afflixerit, in aliam fugite. Non igitur Diuina æstimatione prima vlla alicubi videretur perfixa sedes, aut quæ Diuini iuris sunt facilè commutarentur, & quæ Deus ipse optimo consilio iunxit, hominum disiungeret authoritas. Quod dicere nefas est, & Euangelicæ Matthæi cap. 19. Lectioni contrarium. Si denique vniuersalis Ecclesiæ, & Romanus sunt Episcopatus annexi, quo pacto Antiochenus, quem prius habuerat Petrus, erat cum summo coniunctus? Si diuinitus, certè mutari non poterat, si humanitùs, cur non ita Romanus illi connexus est.

Amplius ideò Romanus Pontifex dictus est Petrus, quoniam summus, decens sanè summopere videbatur, vt cui religionis summa iam credita esset, eodem Imperij loco reciperetur. At modò cum quis Pontifex summus efficitur, priùs Romanus extet operæ precium est. Nullus ergo inter vtrumque statu-

statutus ordo, nulla determinata connexio, nullum denique per se vinculum reperiri dicetur.

Eligitur item Romanus, quando summus, vtriusque vna, aut plures electio est? Si una, nec de vtroque Episcopatu tunc vlla fit mentio, quo igitur pacto alicui vterque decernitur?

Rursus si vna dumtaxat electio est, vnus tantùm, non multiplex Episcopatus habebitur. Si verò electio gemina, quomodo tam imprudenter fieri consueuit. Vt absque vlla duplici Pontificatu expressione obseruantissimè celebretur? Hæc sunt, in quæ Lutherus suis stimulis me coegit prorumpere, ad ipsius nescio, an potiùs aliorum vtilitatem, qui præcipuarum harum sedium ordinis rationem expetere potuerunt. Quæ tamen Martinus ipse non tetigit.

Iam dictum est cur Romæ principatus Ecclesiæ optimè instituendus erat à Domino. Sed denuò explicamus scilicet quoniam ibi iam totius Terrarum orbis Imperium habebatur, quod si Hierosolymitana sedes ita se habuisset, proculdubio ob sanguinis domini effusionem id priuilegij assecuta fuisset. Qui locus licèt sit magis in terræ medio constitutus, quàm Roma, non tamen primam sedem commodiùs suscepisset, quod nequaquam sceptro Imperij esset insignis.

Addè quod longè gloriosius fuit, locum illum, qui à pietatis nostræ initijs multùm distaret, ac vbi totius terrarum orbis esset administratio, nostræ Reipublicæ obseruationem leges, & gubernationem accipere, quàm vbi suum sumpsit exordium. Id verò generale prædicationis officium. Quod à Domino Apostolis fuit iniunctum non est, quod Episcopalium sedium certam institutionem abstulerit. Namque postquam illud exercuissent rationi consentaneum videbatur, vbicumque placuisset, vel certus comprobasser afflatus, vt ibidem quisque sedem suam deligeret, vbi extremum vitæ diem concluderet. Qua ratione effectum est, vt Petrus ad Romanam, Marcus ad Alexandrinam, ad Hierosolymitanam Iacobus, & alij ad alias Ecclesias fuerint destinati.

Non negarim deinde Romanam ditionem, & mutari, & minui potuisse, sed quia ea tempestate florebat; vnde commodiùs ad vniuersas gentium nationes fidei obseruatio diffunderetur, idcirco eo in loco summum Pontificatum diuina dispensatione statutum fuisse dicimus. Eadem ratione Constantinopolitana sedes quoniam Imperij effecta fuit, secundum post antiquam Romam, nescio an diuino, vel humano potiùs (vt reor) consilio dignitatis locum obtinuit. Quod Alexandriæ ciuitas licèt, & doctrina, & martyrio fuerit satis insignis, minimè est assecuta. Plus enim imperij gloria, amplitudo, potestas ad Christianæ pietatis obseruationem, & incrementum facere videbatur, quàm sola virtutum, & doctrinarum præstantia. Quod ea potissimum ratione effectum est. Qua principum exemplo longè magis, quàm disciplina, seu re quauis alia populi commoueantur.

Id verò non solùm dictu, sed etiam creditu longè difficilius est, quod Diuino iure Romana sit prima sedes, cum facilè vrgente causa aliò transferri potuerit. Verùm cum corporalis matrimonij iura considero, ad spiritalis contemplationem meipsum conuerto. Et quemadmodum de illo scriptum est, quod Deus coniunxit, homo non separet, Matth. 19. Ita de hoc ipso sentire, ac palàm fateri non erubesco. Soluit homo ex causa illum coniugij nexum, quando adulterij facinus subesse deprehenditur. Solus planè, ait Dominus honestæ voluptatis abusus (quem fornicationem appellat) in causa est, cur vir relinquat vxorem. Sic legitima quadam maioris vtilitatis Ecclesiæ causa subesse potest, quare hoc ipsum spiritale, & diuinitùs institutum coniugium dissoluatur. Cùmque id quod Deus iunxit, homo non separet, obiectatur, ita intelligendum est, vt valeat cum ea, quæ coniunctio facta fuerit, perstiterit causa. Qua item deficiente, nexus ille dissolutionem facillimè patiatur. Quo etiam fit, vt corporale coniugium à Deo propterea institutum sit, vt vir cum peculiari vxore certam honestæ voluptatis vsu prolem suscipiat, quæ cùm abfuerit, incertæque suscipiendæ prolis periculum manserit, iam vnius viri propria, & peculiaris vxor ampliùs dici non potest. Idcirco legitimè faciendum est vtriusque diuortium, vt quod Deus coniunxisse ex causa visum, sit ex illius eiusdem defectu homo ipse separare potuerit.

Adde, quæ solo Diuino consilio, & dispensatione statuta sunt, hominum authoritas nequaquam potest inuertere. At si præter id destinatus quoque requiratur eorum consensus, non indecens quidem, aut absurdum videtur ex legitima causa mutari posse, & in melius suopte iure conuerti. Quemadmodum Antiochenam sedem (etiamsi diuino iure, vt Petri foret, institutum fuisset) maioris profectus de causa ipse idem dimittere potuit, & se ad Romanam Domini authoritate transferre. Verùm non ita constat diuino consilio præuisum esse, vt Petrus paruo illo tempore Antiochiæ resideret, quemadmodum postea Romæ resedit, vt paulò supra meminimus.

Vtriusque autem istius Episcopatus non ea est copula, qua absolutè necessarius inter eos, & inuariabilis ordo consistat. Atque ideò vnus alio nequaquam natura prior, aut posterior est. Verùm in Petro, quod prius summus Pontifex extitit, quàm Romanus, idcirco ex Diuina institutione ob maiorem Ecclesiæ profectum, gloriam commodum factum est, vt prior summus Pontificatus existeret, cuius ratione ipse idem Romanus efficeretur. At in successoribus, cum Romæ voluerit Deus illos Petro succedere, contra fieri sequitur, vt prior Romanus sit principatus, quàm summus. Neque inde absurdè aliquid inferri potest (cum non necessaria vt diximus) ea vtriusque dispositio sit, sed ex causa solummodò vires obtineat, qua etiam deficiente, ipsa quoque deficiat.

Eligi autem Pontifex idem Romanus posset, & summus, si duo sunt episcopatus eiusmodi, duplici electione. Quia vna tantùm etiam electione ad vtrumque eligi potest, dummodò electores dignitatum istarum ita connexionem factam supponant, vt cum

quis expresse vni administrationi præficitur, alteri quoque præfectus esse intelligatur. Quocirca non imprudens ea quoque electio est, Quoniam vnius tantùm dignitatis expressio fit, pro constanti habito priùs vtramque iure optimo fuisse connexam. Quid autem in electione eiusmodi his temporibus seruari soleat, conspicuum est. Nam dum eligitur Papa non exprimitur Romanus Pontificatus, quoniam sub Papæ nomine, tamquam generali, præcipuoque speciale, & accessorium venire compertum est, & præsertim, quod sit illi diuino iure connexum.

Concludamus itaque primam Romanam, secundam Constantinopolitanam sedem consimili ratione fuisse. Quibus Alexandrina, quæ secundo loco statuta fuerat, rectè succedit, quod post vtriusq; Imperij insignia doctissimorum hominum, martyrumque conuentu reliquis haberetur illustrior. Alexandrinæ sedi Antiochena succedit, & Hierosolomytanæ proponitur, tum ob id, quod in Hierusalem à Iudæis maxima iniuria illata fuerit Domino, Tum etiam, quod in eorum magni criminis detestationem, neque locum imperij habitura, neque diù mansura propemodum videretur. Quod sanè, dum seruator humani generis pius Iesus alta mente prospiceret ruituram illam apud Matthæum Euangelistam cap.23. dixisse legitur, Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas. Hæc de primarum sedium ordinis ratione, & Romana præcipuè, ne à Lutherio tam obiter oblata defraudetur occasio.

Non errauit deindè Anacletus solus, si Ignatium Antiochiæ à Petro substitutum commemorat, quod ab alio historiarum Scriptore, & fortasse, cui maior sit adhibenda fides, quàm Eusebio, illud acceperit. Neque hic vllius momenti est error, quin potiùs error est, & proteruia inexcusabilis, has tanto viro tam temerè obiectare minutias. Quas certè singillatim dum persequor nauseabundus efficior.

CAPVT XX.

Quanta potestatis disparitas inter Petrum, & alios discipulos facta sit, ex Euangelijs, & Apostolorum gestis latissimè posse comprehendi, quantoque vtilius sit vnum reipublicæ caput, quàm plura, cur Episcoporum electiones sint Sedi Apostolicæ reseruatæ, & quomodo Moyses, & Aaron primi dicti sunt Sacerdotes.

EPilogat deindè bonus iste vir sua oblatramenta, quæ toties in alios protulit. Nullam inquiens de potestate factam fuisse inter Apostolos discretionem. Quia numquam Petrus alium misit, sed omnes ex æquo à Domino prædicationis officium susceperunt authoritate pares, sed honore dispares. Quoniam primus in quolibet hominum conuentu necesse sit, qui sedeat, & collegij caput ab omnibus habeatur. Verè causam habes ò modestè Lutheri cur sanctum, Piumque Dei virum Pontificem, & martyrem belluam voces, dissimulans te non credere illum ipsum fuisse, qui talia fateretur. Sed mihi temperare volo, quod mea me, non tua te, professio in officio continet. Discretio inter Petrum, & alios tam clara in Matthæo, & Ioanne conspicitur, vt tantum absit ab humano ingenio dubitare de hoc, quantum abest à vero lucem non esse contrariam tenebris. De missione iam dictum superiùs est, quo pacto, & si non legitur alios misisse Petrum, aut sacris instituisse, tamen ei palàm est subiecisse illos Dominum, à quo si dissentire vellent, legitima ratione non possent.

Non ne toties commemorauimus Petrum pre alijs Dominum allocutum? Petro dedisse claues Matthæi 16. Petro iniunxisse, vt tributum pro se, & ipso principibus solueret Matth. 17. Petrum monuisse ter, vt suas oues, aut agnos spiritali cibo, & administratione depasceret Ioannis 21. Dum in nauicula essent Apostoli Petrum solum vocasse Matthæi 14. Dum deperire timerent ei dictum fuisse, modicę fidei quare dubitasti? Dum pœnitentiæ Sacramenti modum instituit, cum Petro Dominus sermocinatur, inquiens. Non dico tibi septies, vt peccata dimittas, sed septuagies septies Matthæi 18. Dum castigationem fraternam, & modum, quo fieri debeat, edocet, Petrum instruit dicens. Si peccauerit in te frater tuus corripe illum inter te, & ipsum solum, cap. eodem &c. Quum iudicijs formam ostendit, Petrum aspicit in ore duorum, vel trium (inquiens) stat omne verbum capitulo eodem. Dum labentes, seu titubantes in fide discipulos prospicit, Petro iubet, vt illos in fide confirmet inquiens, & tu quandoque conuersus confirma fratres tuos, Lucæ 22. Dum fidelem pietatem roborare satagit moriturus, negationem soli Petro imputat, vt alijs tamquam Princeps fide pręstare debeat, intelligatur Matth. 26. Dum discipulos dormientes post orationem inuenit, Petrum solum reprehendit, quantum vigilare præ cæteris debuisset, inquiens. Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum, cap. eodem. Quum resurrexit, de discipulis alijs gregatim legitur meminisse, soloque Petri nomine expresso tribus illis mulieribus quum apparuerit per Angelum dixit. Ite, & dicite discipulis eius, & Petro, Marci 16. Quis deindè Principis, & capitis officium defuncto Domino exercuit? Petrus. Namque exurgens in medio fratrum loco Iudæ alium eligendum monuit, atque definijt, quando electus est Matthias, actuum cap. 1. Quis discipulos non ebrios, sed spiritu Sancto repletos prædicauit, edocuit, & tria millia hominum statim ad catholicam pietatem conuertit, nisi Petrus. Actuum cap. 2. Quis in Ananiam, & Zaphiram mortis sententiam protulit, nisi Petrus. Actuum 5. Quis Simonem Magum vicit inflexit, nisi Petrus? Quis in generali Concilio, ne conuersi ex gentibus circumcisioni essent obnoxij conclusionem habuit, & sententiam tulit, nisi Petrus. Actuum 15. Quis primùm christiani imperij habenas Romam aduexit, nisi Petrus? Quis maiore pietate, prædicatione, officio, morte, cruce, est Dominum imitatus, quàm Petrus? Quis denique

nique

nique maiori illum, & obseruantia, & amore prosecutus est, nisi Petrus? Si omnes euangelij codices intuearis, si Apostolorum acta percurras, Si quos maximè dilexerit Dominus, diligenter inquiras, si munera illis iniuncta connumeres, non inuenies Petro maiorem, aut potiùs, qui omni in re officio, & auctoritate Petro, ipso iure non cesserit.

Vides ergo, si vis (quoniam facilè potes) inter discipulos non aliquod modò, sed etiam maximum potestatis fuisse discrimen. Quod verò Apostolorum ipse solus neminem miserit, aut sacris constituerit, non efficit, vt parem alijs intelligamus. Sed quæ paulò ante meminimus, illis imparem, & superiorem ostendunt. Quæ verò capitis distinctio apponitur, in propositum venire non debet, quippè caput, quod membris nequit quicquam influere, neque caput est, neque capitis meretur nomen, quum itaque Petrus iurisdictione caput aliorum esse dicatur, supervacaneum profectò est, & à recti iudicij semita penitùs alienum sola honoris consessus, aut accubitus ratione dicere, aut arbitrari illum Apostolorum caput fuisse. Quæ item vnius collegij capitis, & Petri comparatio est? Nullum sanè rectè institutum collegium, conuentus nullus, nulla demùm Respublica est eo capite prædita, cuius non sit quicquam in alios agere, quod illis non authoritate præemineat. Et si enim priuatum non habere videntur, habent tamen commune quoddam caput extrinsecùs, vt Regem, aut Principem. Vnde planè suum honoris, officij, potestatis munus accipiunt. Expedit enim, immò necesse est eam regendi formam in terris haberi, quæ tradita est nobis, vt conspiciatur in cœlis.

Sique forsàn communem Reipublicæ statum longè meliorem existere obijcias, quoniam minor ei occasio sit ne in tyrannidis labem incurrat. Dicemus primùm minùs posse in tota Christi republica tyrannidem exerceri, si vnus constitutus sit Princeps, quàm plures. Quum enim quælibet Ecclesia episcopum, & quælibet Prouincia Metropolitam, & quilibet Metropolita Patriarcham perpetuum habuerit, cui subsit, nisi vnus esset Patriarcharum caput, hi omnes (si vellent) liberiùs in tyrannidem possent incurrere, quum non haberent alium, vnde sibiipsis iustitiæ, & continentiæ fręna, etiam inuiti moderarentur. Neque tam facilè ex œcumenico, idest generali conuentu tyrannis ipsa, & alia crimina dilui queunt, quemadmodum si ad vnius iudicis tribunal deuique omnia deuoluantur. Tum ob id, quod ratò conueniunt Patres. Tum etiam, quod vbi conuenerint, varijs adeò inter se opinionibus discrepant, vt ab eis sera nimium castigatio proficiscatur.

Longè item maior illa tyrannis esse conspicitur, quæ à pluribus, quàm quæ ab vno tantùm Principe exerceri solet. Quum faciliùs ditescat vnus, quàm plures, neque tantam extorquendi, aut lasciuiendi habeat occasionem. Quum deindè Ecclesiæ regimen sit generale, sit etiam hæreditario iure Diuinum (gens enim Sacerdotum, gens sancta, regiumque genus, à Petro secundo primæ Epistolæ capite appellata est) non tam facilè in tyrannidem prolabi posse creditur, ser-nata etiam secundùm se perfecta magis regendi forma. Quæ proculdubio vnius tantùm Principis extat, sicuti alterius cuiusdam priuati, & temporalis administratio. Haud enim sibi quispiam ita persuadere potest, vt non minùs Christus verus, & cœlestis Princeps toti suæ Reipublicæ, quæ in spiritu fundamenta coniecit, quàm discerptis eius, hincindè partibus pro regimine velit assistere. Nam præter hoc, quòd id quidem magnum negotium est, seruata meliore gubernandi forma, proculdubiò dignum est creditu dominum faciliùs illi succurrere. Ipsa etiam ratio ita exigit, ne seditio inter plures gubernatores exorta magis, & citiùs huiuscemodi perturbaret imperium.

Non obstat etiam, quod episcopos omnes summus instituat Pontifex, siue confirmet. Quoniam supremæ ipsius authoritatis est, vt illud efficiat. Posset enim velle, vt antiqua seruaretur consuetudo. Qua à clero, & capitulo eligebantur episcopi. Sed quum illud positiuum ius fuerit, facilè tolli potuit. Ea autem ratione potuerunt moueri Romani Pontifices, vt veterem illam consuetudinem immutarent. Qua sua dignosceretur authoritas. Quæ fortè ob episcoporum insolentiam ignorari, ac paruo haberi precio videbatur. Sat enim videtur sacerdotia, ac alios ordines singillatim alijs dimisisse. Ea verò, quæ iurisdictionis, & regiminis sunt, sibi in honorem, & dignitatem Sedis Apostolicæ, non passim, sed quibusdam in locis summos sibi Pontifices reseruasse.

Neque ad tyrannidem, aut auaritiæ speciem id instituti meritò deduci debet, vt Lutherius facit. Quoniam de eo non est mala habenda præsumptio, cuius rationabilis causa subesse videtur. Et si enim id ad malos vsus Pontificum vitio quandoque verti conspicitur. Non tamen inde suam traxisse originem arbitrandum est.

Non habebant autem Pauli tempora id insolentiæ vitium. Namque religiosiùs viuebatur, & de Summi Pontificis auctoritate difficultas non erat exorta. Quum autem posteà Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis sperni forsitan auctoritas visa est, ea de causa, quæ à Clero, & populo fiebant, Episcoporum electiones, ad Summum Pontificem fuerunt suo iure delatæ.

Neque magnus quidem est error, si Anacletus Cephas nomen (quod verè Syrum est) pro capite græcè voluerit interpretari. Namque idem re ipsa est petram esse, supra quam Dominus suam voluit Ecclesiam ædificare, & ipsius Ecclesiæ caput existere, cui administrationis summa concessa est. Credis ne lutibunde Lutheri tam ineruditi Anacletum fuisse ingenij, vt Ioannis textum non viderit, vt nesciuerit Cepham Petrum latino vocabulo debere interpretari? Sed quum idipsum pro capite græco vocabulo posse accipi viderit, idcircò eam significationem (dimissa alia) visum est illi accipere, vt tam græca, quàm Syra lingua vnum, & idem attestari optimè videretur. Quod de Simone Bariona, idest Ioannis filio euangelica profert historia.

Non ab re denique Psalmistæ sententiam illam 98. Psal. descriptam adduxit optimus

tinius

timus Anacletus, qua Moyses, & Aaron dicitur in Sacerdotibus eius, Samuel inter eos, qui nomen Domini inuocant. Non quidem, vt duos velit ostendere Sacerdotes esse summos, sed vnum, cui tamquàm Principi erat totius administrationis demandatum imperium. Hic Moyses erat, Aaron enim illi iurisdictione habebatur inferior. Binos autem attulit Anacletus, vt non ex æquo potestatem Apostolis traditam fuisse intelligamus. Prim autem vocati sunt ambo, quoniàm consecrationis munere pares erant, licèt administratione dispares haberentur. Valet igitur Prophetæ sententia, & ad propositum satis quidem adducitur, non vt indè duos fuisse summos Sacerdotes, aut in Ecclesia maximos Pontifices crederemus. Sed vt inter Episcopos auctoritatis diuersitatem, ità conspiciamus, quemadmodùm apud veteris legis obseruatores esse pernoscebatur. Quod verò noster miretur Lutherius ex illis Prophetæ verbis eos primos Anacletum accipere, gratis certè miratur. Nàm si Samuel (vt subditur) inter inuocantes nomen Domini collocatur, eos Sacerdotes esse apertum est. Primos verò indè facilè agnoscimus, quod semper Moyses cum administrationis summa,vota, Aaron autem hostias pro populo Domino offerebat, vt 36. dist. cap. si quis vult, & 88. dist. cap. decreuit, habetur, non immeritò item ex Psalmi decantatione primi inter Sacerdotes accipiuntur vtrique, quod volens Propheta Domini gloriam prædicare, qui super Cherubim, idest super vniuersas Angelorum acies constitutus ab omnibus populis colitur, veneratur, extollitur, Sacerdotes eos primos intelligit, vt à maximis vsque ad minimos (nullo excepto) connumerentur omnes, qui illius nomini, potestati, & gloriæ subijciuntur.

Quod verò Apostolus Paulus ad Hebræos Christum, non Romanum Episcopum, per summum legis veteris Sacerdotem fuisse significatum asseruit, non est, quin idipsum de illius in terris Vicario, postquàm ille in Cælum assumptus est, optimè queat intelligi. Immò rationi consentaneum extitit, vt si Christus terram inhabitans summus Sacerdos fuerit, qui illi in Principatu pro regimine, & administratione succederet, & ipse Sacerdotij summam fuerit assecutus. Quid planè semèl summum haberi Sacerdotem ab hominibus esset, nisi foret apud eos eadem dignitas, eadem administratio, eadem auctoritas, qua fieri potuit, quocumque tempore permansura?

Quod verò, & peracutè quidem, sed in transitu quodam à Lutherio inuoluitur, & obiectatur Vetus Testamentum figuram Noui existere, atque ideò nouum similiter Diuini alicuius Mysterij non esse figuram, nihil est. Non enim ex hoc, quod Petrum instar Seruatoris caput asserimus, illum propterea figuramus. Nàm figura est Diuinæ cuiusdam rei futuræ per humanam significatio. Quod verò præteritum est, etiamsi Diuinum extiterit, eius commemoratio figura esse non dicitur. Quippè quoticscumque verbis, moribus sacrificijs, auctoritate, pietate, officio Dominum imitamur, non est nobis earum rerum figuram, sed commemorationem efficere. Vt ipse idem planè in Cœna cum Discipulis edens,& bibens edocuit, inquiens: Hæc quotiescumque feceritis facite in meam commemorationem. Erubescat ergò Lutherius eos appellare porcos, qui Diuinas lectiones in hunc modum interpretantur, quum ipse porcorum omnium (vt ità dicam) porcissimus, impudentissimusque non vereatur tamquàm vipera tabidis suis,ac lethiferis venenis temerare illas, inficere, & contaminare.

CAP. XXI.

Quo pacto dictum illud Pauli à Canonistis acceptum. Translato Sacerdotio necessè est legem transferri, intelligi debeat.

Taxatis Sanctorum Patrum de Pontificio Principatu sententijs, quæ Decretorum nomine appellantur, ad nonnullas decretales transit Lutherius infringendas, vt omninò aduersùs Canonum professores voti compos effectus victoriæ palmam reportet. Et primò decretalem illam de constit. cap. translato. Conatur euertere, in hunc modum:

Habet Paulus ad Hebræos cap.7. Temporale Sacerdotium legis finitum, & abrogatum est Sacerdotibus Sacerdotio Christi æterno, vt quæ legis fuerant, non essent ampliùs seruaturi. Quæ verba à Canonistis ità vsurpari videntur, vt translato Sacerdotio Moysis in Christum, & Christi seruatoris in Petrum lex etiam, & auctoritas condendi legem translata fuisse intelligatur.

Aduersùs huiuscemodi interpretationem bonus iste Lutherius insurgit. Nàm inquit impium est dicere, vt translato Christi Sacerdotio in Petrum lex Christi vnà cum Sacerdotio abrogata sit, atque finita, cum vsque ad sæculi consumationem suo iure sit duratura.

Item non sic à Christo in Petrum translatum est Sacerdotium, vt cæteri Apostoli laici dicerentur, aut à Petro sacris constituti essent, quod nullibi apparuit.

Meminerit calumniator iste rectè à Pontifice, & expositoribus ea verba Pauli accepta fuisse. Volens enim de his (quæ talem inuicem haberent connexionem, vt cum de vno, constitutio sit, de alio similiter facta esse intelligatur) facere mentionem, de Sacerdotio, & lege commemorat. Vt quotiescumque translatum est vnum, aliud, quod illi connexum est translatum esse percipiatur. Atque in hunc modum, cum Christi Sacerdotium in Petrum, tamquam in successorem transierit; Lex etiam, & auctoritas legis condendæ in eumdem transiuisse conspicitur. Non quia abrogatum ità, finitumque sit vnà cum lege Christi Sacerdotium, vt noua lex, nouumque Sacerdotium illud sit, quod Petro concessum est. Sicut de nouo Christi Sacerdotio post Moysem verba Pauli sonant.

Namque ex illis non eamdem vtriusque à Christo in Petrum translationem cuipiam

licet

licet accipere. Verùm, vt similitudine quadam velut Christus nouæ legis post nouum Sacerdotium habitum, auctor extitit, ità etiam Petrum eiusdem legis, & Sacerdotij successorem fuisse dicimus. Cui etiam aliquid in positiuis condendæ legis sit auctoritatis iniunctum.

Neque item eo modo Christi Sacerdotium in Petrum translatum dicunt interpretes, quo cæteri Apostoli dicantur, de laicorum numero extitisse, aut à Petro Sacerdotij insignia suscepisse. Cum iam supra satis patere potuerit, quomodò Sacerdotij iurisdictio in Petro principatum obtinuit. Quamuis Sacramentum ex æquo fuerit omnibus à Domino distributum.

CAP. XXII.

Congruam esse consuetudinem, qua pro fidelitate Apostolicæ Sedis seruanda iusiurandum ab Episcopis singillatim exigitur.

Decretalem aliam iste vir nescio, quo proposito lacerat. Cum enim de potestate Summi Pontificis, quæstio sit, transit ad iusiurandi increpationem, quod in pallij acceptione præstatur. Sed, vtcumque sit, videamus quantum militent hac quoque in re huiusce hominis verba.

Dùm enim Archiepiscopus Panormitanus miratur cap. significasti de electione, in pallij traditione iuberi à Pontifice iusiurandum pro fidelitate Ecclesiæ Romanæ seruanda requiri, eo quod neque Dominus in Euangelio illud, vt fiat, permiserit, Matthæi cap. 5., neque apud vllum vnquam Concilium id statutum inuentum sit. Respondet ea decretali Pontifex Paschalis, inquiens, in primis à Domino Ioannis vltimo, dùm Petro pascendas oues commiserat, sub conditione si ipsum diligeret, ter inquirente, illud officium, & auctoritatem fuisse concessam. Atque ideò non esse mirandum, si pro pallij susceptione fidelitatis iuramentum exquiritur. Quantum verò ad Euangelium pertinet, inquit, postquam Dominus iuramentum prohibuit, subdit: quod ampliùs est à malo est, idest si ampliùs necesse sit iurare, à malo, idest propter euitandum malum iurandum est. Quod verò de Conciliorum statutis adducitur, non obstare asseuerat, quoniam Romano Pontifici Concilia non habent legem imponere, cùm suum omne robur ab eo accipiant, neque alterius auctoritate valeant conuocari.

Aduersùs primam Decretalis partem Lutherius in hunc modum armatur. Si exemplum Christi placet, & valet, dùm dixit Petro si me diligis pasce oues meas. Cur eo in pallij traditione, sublato iuramento, non vteris? Si non placet cur ipsum adducis? Putas ne magis iuramenti coactione, quàm amore, & charitate exacta ab hominibus fidelitatem seruari? Item oues Christi non coguntur Christo iurare. Cur tibi illas iureiurando deuincis, cum non magis sint tuæ, quàm Christi? Immò longè veriùs Christi sunt, quàm tuæ. Item coguntur iurare Episcopi, cum ipse Episcopus sis, cui nàm iurabis? Item si ea diligendi conditione Christus Pontificem summum Petrum instituit, cum nunquam in posterum in electione Romanorum Pontificum seruata fuerit, nullum ab eo Pastorem summum habitum diceremus. Quemadmodùm ais tu Archiepiscopum, aut Episcopum sine iuramento præstito quempiam esse non posse.

Placet (diceret Paschalis Pontifex si superuiueret) mihi seruatoris exemplum. Sed eo non vtor, quoniam ob maiorem hominum iniquitatem, & deteriorem factam fidelium conditionem iuramentum magis deuincit, quàm ea diligendi exacta conditio, atque ideo potiùs illud exigitur. Neque propterea postposita intelligitur diligendi, & pascendi conditio. Namque illa supponitur, quæ si etiam explicatur, non ligaret eo modo, quo ligat vinculum iuratæ fidelitatis. Neque coacta illa fidelitatis obseruandæ promissio, sed sponte facta præsumitur. Quod etiam si coactè, & per violentiam præstaretur, pronum magis ad recedendum ab Ecclesia consortio magis deuinceret, quàm si sola amandi, aut pascendi oues conditio exigeretur. Neque sanctior, aut melior est iuramenti conditio, quàm amoris, nisi per accidens. Quia scilicet ob facilitatem credendi ab vnitate Ecclesiæ, quæ inter fideles inoleuisse conspecta est, magis eos obligare videtur. Adde quando quis in episcopum assumitur, nonne absque iureiurando obligatus est Romano Pontifici tanquam superiori, & Ecclesiæ seruare fidelitatem? Est dices, Liberè ne, si seruat illam seruare dicitur, an coactè? Liberè dices. Si est obligatus ipso iure, quomodo liberè? Dices eam libertatem iuri, & rationi obliganti esse conformem. Ita etiam iuramentum libertatem non auferre protinus dicam, quoniam qui iurat, non per vim iurare præsumitur. Sed iure ipso, & duce ratione, cui vult esse conformis. Eadem igitur est vtrobique libertas.

Causa itaque in Episcopis, & Archiepiscopis satis patere potest, & quomodo iuramentum libertatem non aufert, quemadmodum nec obligatio iuris, licèt magis deuinciat. Pontifex autem summus iurare fidelitatem non cogitur, quoniam ipse summus est, nec superiorem habet in terris. Sat enim illi esse videtur Christo ipso iure obligatum esse, vt ab eius fide, & pietate non deuiet. Tot planè vinculis princeps, quot subditi, ligari non debet, quod ipse supra leges sit, & alios ligare potest ad vnum ex rationabili causa, quod ipse obseruare non cogitur. Neque onus quidem huiuscemodi iurandæ fidelitatis est insupportabile veluti asseueratur. Quod ipse digito mouere non curat, Immo nullius molestiæ est apud eum, qui recto rationis dictamine cuncta percurrit. Magna sanè, & intolerabilis res ea est, quæ corpus, aut animum labore tristitia, formidine, aut alio quouis affectu disturbat. Iurare id, quod paratus es sponte tua præstare, non intolerabile est, sed placidum, sed gratum, sed iucundum.

Non

Non coguntur oues Christi iurare Christo, cuius verè sunt oues, Quoniam qui eius Vicario iurat, illi iurare dicitur, iuramentumq; Pontifici factum pro fidelitate seruanda respectu Christi, Ecclesiæ, sanctæque religionis factum esse dignoscitur.

Ea verò diligendi conditio, quam Christus Petro exposuit, antequam illi executoriam potestatem concederet, semel tantùm necessaria fuit, non vt semper quando quis in summum Pontificem crearetur, ea ipsa explicari deberet, sed vt tacitè intellecta supponeretur ab eo, qui Christianæ Reipublicę habenas rectè,(vt decet)moderari voluerit. Cui quidem diligendi conditioni non solùm communi quadam obligatione, quà homo, quà Christianus, sed etiam quà ouium Pastor, & Pontifex obnoxium se esse intelligeret. Sine cuius præcepti obseruatione neque bonus pastor esset neque meritò appellari valeret. Non est ea dilectio, in qua absoluta Pontificis potestas, aut vsus potestatis fundetur, & maneat. Sed sine qua recta, debitaque executio ab eo fieri nequit. Quemadmodum Episcopus, & Archiepiscopus electi sine iuramento fidelitatis debitam iurisdictionē exercere non possunt. Iurant hi, quoniam superiorem habent(vt paulò ante referebamus) qui maiori, quo queat vinculo eos sibi deuinciat. Atque ideo ipse Pontifex summus Petrus quum Christum superiorem haberet in terris pro se, & successoribus, qui Christi præsentia cariturí erant, id triplicatæ erga illum dilectionis testimonium attulit, vt ipsi idem sic se haberent in posterum pro iusta Reipublicæ gubernatione, & digni tanto munere efficerentur.

Cum deinde exigendi iuramenti ratio à Paschali Pontifice adducitur, eam ridet Lutherius. Si enim cordium scrutator Dominus conditionem dilectionis apposuit in tradendo suæ Reipublicæ imperio, quantò magis ipse Pontifex, qui cordis penetralia non intuetur, consimilem iuramento medio debet apponere. Contra (Martinus inquit.) Christus in hoc exemplum præbuit omnibus iurandi. Ergo sicut ille ipse, neque alio modo conditionem illam deberemus exprimere.

Item & nos Romani Pontificis animum ignoramus, cur itaque Christi nobis illam conditionem ipse non iurat?

Si insuper conscientiarum ignoratio causa est, cur iuramentum exigitur, cur non cogitur item iurare, quis se rectè iurasse, quia postquam iurauit, nescitur an puro corde iurauerit. Quod si faciet, ita de secundo dicendum est, quemadmodum ad infinita iuramenta fiet accessio.

Rursus conscientiæ ignoratio deberet efficere potiùs, vt iuramenta omitterentur, ne fortè iurans ad periurium cogeretur.

Cum etiam de quolibet bene præsumendum sit, nisi euidenter oppositum conspiciatur, semper bona cuiusque conscientia credenda est. Atque ideo iuramentum exigi ob eam causam, aut præstari non debet.

Si denique per iuramentum conscientia hominis nō expatescit, cur toto vitæ tempore non sit, vt iuret, qui toto eodem tempore iuramenti exigendi causam præbet. Hæc Lutherij nostri inexcogitata ab alijs Sophismata, & perniciosa venena.

Diluitur primum, quoniam non opus est in omnibus conditionem Christi appositam imitari. Sed sat est, vt modo aliquo exemplum ab eo datum accipiamus. Dictum sanè satis priùs esse videtur, qua ratione iuramentum, quod diligenti conditionem etiam claudit apponitur, vt scilicet maior obligatio fiat. Quia non constat de mente, & animo illius, qui in episcopatum assumitur.

Ad secundum quamuis nobis Romani Pontificis non pateat animus eo tamen modo obligari non debet quoniam Princeps sit, & nullum in terris superiorem obtineat.

Ad Tertium iuramenti iuramentum dari non potest. Quòniam cum quis iurauerit, recto, sinceroque animo iurasse præsumitur.

Ad Quartum minus malum est, vt quis periurij periculo exponatur, quàm si non iuret, & infidelitatis periculum subeat, à qua medio iuramento se debere abstinere præsumitur.

Ad quintum licèt de qualibet conscientia benè sentiendum sit, nisi contrarium doceatur, tamen additio iuramenti maiorem prçsumptionem, & fidem seruandæ fidelitatis aggenerat. Namque simplex illa præsumptio non satis esse videtur.

Ad sextum toto tempore quis iurare non cogitur. Quoniam primo præstito iuramento, (& si conscientia non expatescit) eo tamen vinculo melior facta præsumitur. Non etiam ratio cur iuramentum ab episcopo exigitur eo modo est conscientiæ hominum ignoratio, vt per iusiurandum credamus conscientiæ habere cognitionem, sed vt ipsa vinciatur magis, & in statuto fidelitatis proposito hæreticus maneat. Quod noster non olfecit Lutherius ad malignam semper interpretationem intentus.

CAP. XXIII.

Quomodo lex euangelica iurare prohibeat, & permittat, neque obstare Pontifici, id à nullo esse Concilio declaratum, quoniam illo superior est, quod præsertim sine eius authoritate conuocari non possit.

ALiam decretalis partem infringendam æmulus iste noster accedit, vt totam prorsus exanimet. Illud enim Euangelij dictum Matth. cap. 5. Quod amplius est, à malo est, inquit, prohibitionem iuramenti significat. Quod tamen in iurandi licentia mali euitandi causa decretalis vsurpat. Meminerit iste homo quotiescumque ad bonum intellectum trahi scriptura potest, ex rationabili causa, non esse absurdum eo modo illam interpretari. Quocirca licèt textus ille Euangelicus videatur per ea verba(quod amplius est, à malo est) iuramenti prohibitionem

nem significare. Cum tamen iurare quandoq; & ex rationabili causa liceat, cur est, quod in propositum, quando, scilicet malum euitandum sit, vt exigatur, adduci non possit? Quis deinde mihi inde firmam, atque indubiam faciet fidem, ea verba ad prohibitionem tantùm iuramenti fuisse prolata? Si dixeris communis omnium interpertatio, falsum est. Nam & interlinearis glossa, & Nicolaus interpres modo nostro verba illa exposuit. At sit ita, vt communis interpretatio oppositum sentiat (quod non est) illa non sufficit. Si dixeris Textus ipse, non video. Tua ergo erit sententia magne Lutheri, cui maxima, & præsertim hac in re est adhibenda fides. Textus habet, nolite iurare, sed inter vos semper Sermo habeatur ille. Est, & non, quod amplius est à malo est, prohibetur hìc, fateor, facilitas. Sed ex toto non tollitur iurandi potestas, quando alicuius rei coram iudice in testimonium veritatis est facienda fides, & tunc iustissimè exigitur, & præstatur, nonne? Negare non poteris. Quando igitur subditur, quod amplius est à malo est. Cur ea verba ad licitam iurandi facultatem accomodari non possunt? Cum scilicet malum, quod facilè sequitur, est euitandum. Si tolleretur sanè per iuramentum probatio, multa sunt, quæ cum aliunde probari non possint, ex defectu probationis perirent. Quod igitur amplius est, idest quod amplius, quàm est, & non est, quandoque affertur in medium à malo est, idest à malo, vt euitetur, iustum, licitum, & rationi consentaneum habet exordium. Vt igitur facilitas ab Ecclesiæ consortio recedendi euitaretur, fidelitatis iuramenti exigendi authoritas data est, quæ maiorem apud homines fidem efficiat, quàm si quis solo promissionis verbo, aut ipsius iuris vinculo deuinceretur.

Recedere autem ab Ecclesiæ consortio, & ab obedientia sedis Apostolicæ resilire, quis non putabit perinde esse, ac si, à Christi dilectione, à pascendarum ouium munere, ab ipsius Seruatoris nostri imperio se quisquam subtraheret? Si enim Ecclesiæ ordo concinnitas, Harmonia consideretur, eam habet in se omnium suarum partium connexionem, vt ad vnum caput, quod Christus est, & eius Vicarium tamquàm præcipuum ministrum pariter referantur, quemadmodũ si quis ab vno recesserit, ab alio recessisse penitùs intelligetur.

Non datur autem iuramentum fidelitatis alicui ' quod ignoremus se illam in posterum præstiturum (vt toties dictum est,) sed vt arctiori vinculo obligationis deuinctus magis in fide permaneat. Et miror profectò toties vna in re idem ab vno homine adduci, vt nugis, & fabellis totum scribendi folium impleatur.

Quod verò sic in præceptorum obseruatione iusiurandum exigendum esse asseritur, curiosi hominis est, quum quis faciliùs seruare illa credatur, quoniam diuina, & communia omnibus, quàm in Apostolicam sedem obedientiam. Hinc fit, vt pro eorum obseruatione iuramenti vinculum apponi minimè soleat. Non enim tam omnibus visa est communis, & necessaria Romanæ sedis cõmunio. Quoniam Orientis Ecclesia sæpe numerùm ab illa subtraxit, & in sui elationem insolenter intumuit. Id circo huiuscemodi appositum est iuramenti munimen, vt data semel fides tutiùs seruaretur illæsa. Sua verò interesse quisque profectò nouit, & ad se quàm maximè pertinere, si Græcus, si Armenus, & Indus fuerit, diuina, quæ quidem explicata sunt, obseruare præcepta. Maius item malum est, & in maiorem Christianæ Reipublicæ perniciem vergit hic ab Apostolica Sede recessus, quàm istius, aut illius præcepti omissio. Inde sanè rerum omnium confusio, & perturbatio plurima oriri solet: Hinc verò priuati hominis iactura, labes, corruptio, quæ si fortè vsque adeò inualeat, vt Rempublicam ipsam quandoque inficiat, id vtique longè seriùs, ac difficiliùs fit, quàm si à capite membra recesserint.

Necessitas igitur, qua pro obedientia Romanæ Sedis iuramentum exigitur, est etiam pro fide Christi, & eius Imperio. Namque id per illius ministrum exigitur. Qui tanquam verus eius internuncius, ipsius eiusdem speciem, ac vicem gerit in terris. In cuius quidem voluntate si qui sint vnum, ipsi idem proculdubio sunt vnum in Christo, vt & Cyprianus, & Ioannis ore. 17. cap. ipse Christus intelligit, rogat, & sentit. Quid amplius nugaris Lutheri.

Cum denique non obstare, quod Concilium nullum vnquam statuerit huiusmodi iuramentum in decretali subiungitur (quoniam scilicet Romanæ Sedi non habet legem imponere, quin potiùs ab ea omnem suam authoritatem assequitur) à Lutherio increpatur. Namque Nicænum à Romano Pontifice conuocatum non fuit; Verùm à Constantino. Quæ item per Augustinum olim, & Cyprianum in Africa conuocata sunt omnia, an à Romanæ Sedis authoritate emanauerint, nec ne Martinus diligenter inquirit.

Qui si velit oculo veritatis aspicere, inueniet omne œcumenicum, prout Nicænum, fuit Concilium, Romani Pontificis authoritate vocatum. Et si enim Siluester Nicæno (vbi aderat Constantinus Imperator) nequaquam interfuit, tamen non sine illius consensu, & authoritate illud indictum esse crediderim. De his verò Concilijs, quæ non œcumenica idest generalia fuerint, prout ea, quæ in Africa sunt celebrata, id consequenter dicendum est, vt absque Summi Pontificis noua indictione conuocari potuerint. Sin verò nonnulla Oecumenica eiusmodi adduxeris, illa ipsa dicemus vera Concilia esse non potuisse, nisi forsan ex negligentia Romanæ Sedis conuocationis authoritas ad inferiores esset iure optimo deuoluta. Quod vel vnius exemplo (vt alia omittamus) Theodorici Regis tempore Romæ conuocati Concilij licet accipere. Vbi postquam Symmachus de hæresi imputatus adesset, congregati à Theodorico Patres dixerunt vnanimes priùs id ab eo, qui accusaretur, Symmacho (quod ad eius id spectaret officium) conuocari debere. Atque immo ille ipse authoritate propria consentiente Rege Concilium conuocauit, & absolutus est, vt habetur dist. 17. cap. Concilia. Idipsum cap. regula, cap. synodum, & cap. nec licuit, eadem distin. Marcellus Pontifex,

Maxentio Episcopo, Iulius primus Orientis Episcopis, Sanctissimus Dei vir Damasus, Pelagius, Gregorius, alijque Pontifices astipulati sunt. Quibus omnibus si velit obesse Lutherius, neque Regum, aut Imperatorum authoritas, neque hominum sanctitas, neque diutissimè seruata consuetudo apud eum locum habebit, qui suo arbitrio per sacras institutiones infrenis quòcumque voluerit, debacchatur.

Quid verò tua authoritate Lutheri, qui homuncio quidam es, immo nec homuncionis nomen mereris, pro Romano Pontifice, quod iusta, & rationabili causa factum est, sola consuetudine legitimè obseruandum adducis? Nonne consuetudinem seruandam accepisti vnquam illam ipsam esse, quæ in ratione fundatur? quæ verò (cui innititur) rationabilem causam non habet, non obseruari debere? Id vtriusque iuris periti professores, ac interpretes passim exclamant, id sentiunt, & profitentur vnanimes. Cur igitur dimissa ratione voluisses Paschalem huiusce decretalis institutionis authorem soli consuetudini locum dedisse. O pulchram, & expectatam responsionem. Quæ si ita facilè ab alijs, vt à Lutherio, vsurparetur, non esset impendio arduum vno, & minutulo quidem verbo, omnes ambages, omnia inuolucra, omnes quæstiones obseruandarum legum dissoluere. Hoc est, quod ex suis ipse dicterijs in uictoriæ signum reportat: Eat, gaudeat, quoniam (si Deo placet) de Paschali Pontifice, & alijs magna cum laude triumphauit.

CAP. XXIV.

Lutheranorum morsuum in Pontificiam dignitatem, in Lateranense proximè celebratum Concilium reiectio, & quàm legitimè fuerit eo Concilio de immortalitate animæ à patribus promulgatum.

Accingit se deinde Lutherius ad afferendas in medium rationes, quibus Monarchiam Pontificiam prorsus euertat. Non enim satis sibiipsi, & alijs huiusce familiæ viris fecisse videtur Sanctorum Patrum decreta, & Romanorum Pontificum sanctiones suo arbitrio (vt putat) funditùs eneruasse, nisi noua in eorum sententias machinamenta confingeret. Sed prius se luit à crimine, quod à quadringentis solùm annis citra, decreta, quibus Romanæ Ecclesiæ principatus probatur, nata esse meminerit, inquiens non ita, vt asseruit, ad vnguem debere intelligi, sed pro origine incrementum, ac eam authoritatem insinuasse, qua ille ipse principatus creuit, & toti terrarum orbi leges à varijs Pontificibus, quæ priùs dispersæ fuerant, in vnum collectas legendas, ac obseruandas indixit. Quibus Ecclesiæ facies deformata est, & omnia in ambitionem, luxum, & auaritiam non tendere, sed ruere visa sunt.

Pulchra quidem interpretatio, & qua se à falsi crimine optimè reus tuetur. Erubescat sordidus tam temerè in superiorum suorum constitutiones, leges, mores, & vitam inuehere. Quisnam ipse, aut qualis est, qui ambientibus detrahit, qui Pontifices, Romanam curiam, & gradatim omnes in ea corrigit ordines, taxat, reprehendit. Vnus nullius authoritatis vir, qui ouinam pellem indutus intrinsecus rapacis lupi fomitem alit, qui suis morsibus, virulentisque iaculis omnia lacerat, pungit, exanimat, qui tam temerè eò vsque impudentissimis verbis progressus est, vt ex sacrarum institutionum studio, & obseruatione, dimisso Euangelio asserat in Concilio nouissimo necesse fuisse statuere credendum esse hominis animam immortalem, inquiens. Quid putas hoc nobis indicare decretum? Quasi velit dicere insolentissimus hominum, plus Romanam Ecclesiam decretorum statuta, quàm Euangelia facere, vt non satis ex Euangelijs passim haberi animam immortalem Romani professores existiment, nisi ex suis constitutionibus idipsum palàm facerent omnibus, vel Euangelia ipsa non legerint, non intellexerint, aut pro neglectis habuerint: Proh scelus Euangelia ergo legibus comprobare, est ipsa negligere? Vnde id accipis: vnde cogitas: vnde tàm lato, & effreni ore discurris. Certè nimium audes. Vereor ne te supra hominem credas, & veluti Angelum de cœlo, quæ sacrosancta Romana Sedes, & Lateranense in Spiritu sancto congregatum Concilium diuinitùs promulgauit, castigaturum venisse.

Nonne in iurium decisionibus à principio semper visum est obseruari, quæ ad Christianam pietatem attinent, typo quodam, & breuissimo compendio commemorari? Et si quid eo tempore, quo in vnum congestæ sunt eiusmodi sanctiones, quicquam erroneum, aut suspectum, quod credi posset, occurreret, circa illius detestationem insisti? Quemadmodum tempore Clementis V. apud Viennam in generali Concilio animam hominis per se, & intrinsecùs humani corporis formam esse declaratum est, quoniam multi illius tempestatis homines, id in dubium reuocauerint, quòd à Plotino Philosopho in academica familia post Platonem facilè principe eo libro, qui inscribitur, quid animal, quid homo, & alijs acceptum est. Quod an Platonis, quem maximè imitari studet, sit, necne, apud me in dubium reuocatur. Quarto enim de repub. libro, vnam tantum in homine animam instituisse videtur, quæ non nisi rationalis est, cum homo proculdubio rationis sit particeps, quamuis duplicem in Timæo illam fuisse meminerint.

Quod quidem sanctissimum institutum imitatus Bonifacius octauus in generali Concilio apud Lugdunum de æterna, & à Patre, & à Filio, tamquam ab vno, & eodem principio Sancti Spiritus processione (quòd numquam aliàs factitatum legitur) voluit facere mentionem. Tunc enim id scrupuli mortalium mentes exagitabat, quod vt enodaretur, Sacrosancta constitutio illa inuulgata est, vt omni ex parte quantum fieri potuit, purus ille candor, & sinceritas fidei ab omni sorde seruaretur immunis.

Idipsum Gregorius nouus egit, dum errorem Abbatis Ioachim (qui vbi quaternarij en-

cuiusdam numeri in diuinis Petro Lombardo sententiarum magistro errorem impinxerat, tres personas collectitio quodam numero vnum esse arbitrabatur, sacro approbante Concilio eliminauit. Idque in principio suarum constitutionum apposuit. Quippe cum Pontificij iuris intentio sit mores hominum iuxta Catholicam pietatem ad superna dirigere, neque sanè id fieri queat absque rerum diuinarum eruditione, vt omnis rectè viuendi modus, tamquàm à principio pendet, de his primùm, quæ mentem illuminant, & gressus nostros in beatitudinis viam deducunt, agere operæ precium est.

Quid ergo mirum si in nouissimo Lateranensi Concilio de animæ immortalitate constitutio facta sit, cum apud Clementem V. solùm eam humani corporis intrinsecam formam esse legatur, idque non minùs in dubium verti contingeret, quod philosophantium quidam cum intraneo corporis ab anima implemento ipsam illi eidem subiectam, atque mortalem instituant. Non id prouenit ex Euangelicæ lectionis neglectu, sed studio, obseruantia, pietate. Quod enim illa simplici quadam hinc inde sparsa enarratione complectitur, hæc in vnum collecta exponit, explicat, palàmque ab omnibus obseruandum instituit. Credis ne solos Pontificij iurisperitos Romæ apud Lateranum celebrato Concilio interfuisse, qui nunquam sacros viderint codices, qui Diuinæ omnino sapientiæ essent expertes? Qui quantum momenti immortalitas animorum extiterit, minimè cogitarent? Si Theologus es, credas, etiam alibi posse Theologos reperiri. An benè Paulum Apostolum imitaris, quem quotidie legis? Hic sanè 1. ad Corinthios cap. 15. scribens bonos mores, inquit, corrumpunt colloquia mala, & qui vitam sibi vndequaque integerrimam pollicentur, dum alios carpunt, modestis satis, & temperatis vti debent sermonibus, ne cum alijs legem, ac vitæ sanctimoniam velint indicere, ipsimet proculdubio reprobi efficiantur. An nescis modum quemdam in castigationis officio esse, quem si quis præterire non timeat, facilè temeritatis, & petulantiæ crimen incurrit. Non est vitio vitium expungendum veluti veneno venenum, sed optimo, ac salutari (quantum fieri potest) virtutis medicamine abijciendum. Parce lector, si vltra id, quod dicere institueram, prouehor. Nam peracutus id Lutherij gladius effecit, quo sanctissimum de animæ immortalitate statutum percutere videbatur.

CAP. XXV.

Ex Diui Hieronymi ad Euagrium Epistola, ac Pauli ad Titum, & ad Philippenses sententia quomodo Episcopus sit mero Sacerdote superior. Cui concors est Dionysius, Augustinus, Euangelica interpretatio, Christi exemplum. Quo etiam pacto Lutherius sibi ipsi contrarius sit, & hæreticus conspiciatur.

INcipit tandem post eam digressionem Lutherius Hieronymi in epistola ad Euagrium afferre sententiam. Vbi aduersùs quosdam, Diaconis Presbyteros ex eo præstare commemorat, quod presbyteri veri Episcopi sunt nulla facta apud primitiuam Ecclesiam inter eos distinctione. Idipsum in expositione epistolæ Pauli ad Titum asseuerat, & eiusdem Pauli ad Philippenses sententiam citat. Qua dicitur, Paulus, & Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconis gratia vobis, & pax. Quibus quidem in locis tam apertè locutus est, vt profectò mirum sit, si alterius sententiæ fuisse credatur. Affert etiam Petrum, qui se in epistola alijs compresbyterum vocat, & Ioannem, qui se item presbyterum appellat, dum Caio charissimo, & electæ Dominæ cum filijs scribit. In Apostolorum gestis eumdem Paulum ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes Episcopos vocatos alloquentem adducit, quibus vniuersi gregis, in quo S. Spiritus posuit episcopos, vt vocarent indixerat. Demum antequam in Dei Ecclesia dissensionum plantaria exorirentur, communi quadam omnium gubernatione omnia decerni consueuisse dicebat Hieronymus. At orta fidelium seditione, cum alius Pauli, alius Petri, alius vnius, alius alterius se esse diceret, à quo Baptismatis sacramentum susceperat, ad vnum ita omnem sollicitudinem fuisse delatam, vt presbyteris alijs præponeretur. Ac per hoc sicuti ipsi idem presbyteri consuetudine Ecclesiæ vni eis præposito sciunt se esse subiectos, ita etiam episcopi (inquit) nouerint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores. Id in decretis 93. cap. legimus, & 95. cap. olim dist. legitur. Id ab omnibus approbatur, cur ergo ait Lutherus, meus error est non alium reuera presbyterum, & alium episcopum dicere. Cum potiùs Hieronymi error ille dici promereatur, qui tam asseueranter, & toties idipsum affirmare videtur. Quare si presbyter episcopo æqualis sit, quantò magis episcopus episcopo, non erit ipso iure superior. Quo pacto igitur Petrus, & Romanus ipse Pontifex ita alijs omnibus eminet, vt diuinitùs tanquam Princeps Christianæ reipublicæ habenas moderandas susceperit.

Verè (Fateor) hanc non fuisse huius sancti Doctoris sententiam, vt verba sonant, dis-

difficile est profiteri. Cuius etiam apud me, & apud alium quemque tanta esse debet auctoritas, vt nisi Dionysium Areopagitam Pauli discipulum (qui ab incunabulis, vt ita dicam, Ecclesiæ floruit) aliter sentientem inspicerem, & Hieronymum ita sensisse (vt passim ferè ab omnibus creditur,) & me ab eo non dissentire ingenuè profiterer. At cum is eo libro, qui de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. inscribitur tres in sacris Ecclesiæ functionibus ordinum gradus, Episcopatus scilicet Sacerdotij, & Diaconatus enumeret (quorum quidem muneris sit purgare, illuminare, perficere, purgari, illuminari, & perfici) in aliam prorsus sententiam ire coactus sum, & aliter quàm sonare prima facie videantur, verba Hieronymi interpretari. Non enim credendum est tantos in christiana familia viros in tanti momenti re inuicem dissensisse.

Adde, quid est, quod dum Diuus ipse (cui sanè multum afficior, debeoque) Hieronymus eadẽ Epistola ad Euagrium & 93. dist. in decretis apponitur, inquit, Quid enim potest excepta ordinatione Episcopus, quod agere nequeat presbyter? Hęc ordinationis exceptio an tanti sit, vt alium episcopum à presbytero efficiat, necne, quæso respondeat, qui contrarium sentit. Si non alium, quomodo ergo sunt officio dispares? Cur etiam presbyter ordinare non potest? Quippè velut auctoritate, & officio sacri instituti sunt ordines, ita etiam inuicem distinguuntur, vt si vnus, quod alius nequeat, operetur, vndecumque non sit illi consimilis. Alioqui ita sacræ omnes actiones confusæ essent, & munera, vt vnus tantùm in cunctis ordo esse facilè diceretur. Quemadmodum etiam presbyter ordinare valeret. Si verò hæc ordinationis auctoritas tanta sit, vt alium Episcopum, & alium Sacerdotem instituat. Aut ergo Episcopus presbytero est inferior, aut æqualis, inferior esse non potest, æqualis etiam minimè, cum plus possit, quàm valeat presbyter. Erit ergo propria auctoritate superior. Si consuetudine solùm respondeas Episcopum ordinare, quod nequeat presbyter, ordinis collationem diuino iure institutam non esse dicetur. Quod in catholica pietate fateri absurdum est. Ipse enim Dominus in cœna dum panis, & vini sacrificium magnum illud instituit, suisque discipulis id quotiescumque facerent, in sui commemorationem facere indixit, eos sacerdotij munere donauisse, aut donatos significauisse compertum est. Si etiam consuetudine sola ordo legitimè conferatur, non erit quidem incongruum laicum simplicem, qui sacris nullis fuerit institutus, posse ordinem vnicuique conferre, quod dicere nefas est, & ab omni pietate penitùs alienum. Consuetudo enim velut solam hominum ex vsu institutionem significat, ita etiam nihil aliud habet, vndè suum ipsa robur accipiat. Cum igitur sacerdotalis ordinis sit collator Episcopus, à quo quidem munere sit ipse Sacerdos simplex exclusus necesse est, vt dicamus dignitate, potestate, auctoritate episcopum presbytero esse maiorem.

Si verò quod mihi in auribus personare sentio: diceretur, dispar est omnino Episcopus Sacerdoti. Sed in eum iurisdictionem, tanquam in subditum exercere non potest (quod etiam Hieronymus asserere visus est, dum dicit communi quodam omnium Concilio solere priusquam extirpandorum schismatum oblata esset occasio, Christianam familiam regi) obstare non potest. Quippè ordinis ipsa, & dignitatis disparitas, tam benè cum iurisdictione coniũgitur, vt si quis alterum ab altero separare voluerit, certè non possit. Si etiam dignior, si conferendi ordinis auctoritate maior Episcopus esse dicatur (quod certè longè maius est, quàm habere iurisdictionis officium) quomodo ipsa iurisdictione priuabitur? Neque sanè video quo pacto presbyter super Episcopũ ita queat institui, vt illi meritò & iubeat, & præponatur, à quo tantum, tamque diuinum celebrandi sacrificij munus obtinuit. Quod tamen dari facilè sequeretur, si sola hominum consuetudine, nulla alteriùs habita ratione vnus ex sacerdotibus alijs imperaret. Si igitur aliud est, quod attendi, ac respici meritò debeat, id planè erit institutio ipsa diuina, ipsum Episcopi Sacramentum, auctoritas, dignitas, atque potestas.

Quod item ea ratione suadendum est, qua Christus viuorum & mortuorum Pontifex appellatus, non quà Deus, sed quà humanis legibus detineretur, inquiri potest an suis (quos fouebat) discipulis erat iurisdictione par, vel potiùs impar? Enimuerò indè ea quæstio satis oportune fieri potest, quod ex ipsis omnibus constituebatur Ecclesia. Quis verò in tantã animi vecordiam tendere ausus est, qui seruatorem nostrum (vt homo) cæteris discipulis iurisdictione parem esse voluerit? Cum itaque ipse nobis euangelicæ tubæ testimonio apud Ioannem cap. 13. exemplum dedit, vt quemadmodum fecerit, nos etiam faciamus, Reliquum esse videtur, vt post se in Ecclesia idem regimen eamdem auctoritatem, & potestatem apud vnum aliquem esse voluerit, qui sui ipsius vestigia imitaretur.

Recenseamus item (si placet) ipsius eiusdem Hieronymi verba, quæ in Pauli ad Titum epistola posuit, vt clarè quisque quid velit, intelligat. Ait enim quemadmodum presbyteri sciunt ex consuetudine Episcopis se esse subiectos, ita etiam Episcopi nouerint ex consuetudine magis, quàm Dominicæ dispensationis veritate se presbyteris esse maiores, & in communi Ecclesiam regere, Moysem imitantes. Qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. Vult igitur Episcopus Moysem imitari Hieronymus, vt quemadmodum ipse licèt auctoritatem regendi populi Israel, solus à Domino obtinuisset, & nihilominùs septuaginta alios pro eo exercendo munere sibi in consortium adhibuisset, ita etiam Episcopus, quamuis dignior, & maior sit ipso iure presbyteris, sibi tamen in commune collegium illos adhibeat, vt prophetam Moysem imitetur.

Certum est si Moysis ad Episcopum quadrari comparatio debeat (vt opus est, eo quod ipse idem in lege veteri nouæ professionis Episcopum, & gubernatorem figurat) pro-

profectò sic allata Hieronymi interpretatio accipienda est, vt eamdem in Ecclesia Pontifex auctoritatem habuisse, eumdemque gubernationis modum in Christiana Republica institutum fuisse intelligamus, quem in Israelitico populo habuerat Moyses.

Dicamus itaque ex Hieronymi sentẽtia duo quidem haberi posse. Primum antiquitùs inter presbyteri, & episcopi nomina nullum fuisse discrimen. Ille enim, qui erat episcopus, presbyter etiam appellabatur. Deindè non eam vnius in vno principe constitutam apparuisse totiùs Ecclesiæ gubernationem, quæ ex schismatum, & dissensionum origine mox cunctis apparuit, eo quod honestiùs pro tempore, & maiori cum omnium æqualitate in communi omnia tractabantur, quàm si solus quispiam in quacumque Ecclesia præpositus illam regere voluisset. Ex consuetudine igitur potiùs episcopo subiectus factus est presbyter, quàm dispensationis Dominicæ veritate, idest ex consuetudine potiùs episcopi in presbyterum iurisdictionis exercitium (quia illi præponeretur) apparuit, quàm ex dipensatione Dominicæ veritatis. Licèt enim Dominus eam iurisdictionem Petro, & alijs consequenter Apostolis super alios Sacerdotes visus fuerit tradidisse, cum tamen absolutè illa exercitata non sit, nisi postquam in Ecclesia Dei orta sunt schismata, hinc est, quod illius vsus ante illud tempus minimè apparuit, & communi omnium collegio omnia decernebantur. Dispensauit omnino Dominus & Petrum, & Episcopos alios posse absoluta in Sacerdotes potestate, & Imperio vti. Quod illis quidem tradiderat. Sed cum maioris honestatis, & æqualitatis causa pro eo tempore, Communi omnium consortio, quæ agenda essent decernerentur, nec nominis inter eos distinctio haberetur, iurisdictionis vnius super alios vsus ex dispensatione illa non satis apparuit. Quod item diuitiarum, & honoris differentia solùm Episcopum à presbytero distingui faciat à Luthero asseratur, id per accidens, & ex consequenti, non per se, & principali proposito fieri intelligendum monemus. In hunc modum Hieronymus exponendus est, quicquid dixerint alij, vt Diuo Dionysio consors factus, pro tertio in hanc quoque sententiam veniens Diuus Augustinus suscipiatur. Qui sanè homines tanquam tria fidei numina ab omnibus meritò habẽdi sunt summisque honoribus celebrandi. Hic enim eo, qui de hæresibus inscriptus est, libro ait, eam Arij presbyteri hæresim extitisse, cum episcopatum, quem maximè ambiebat, assequi non potuisset, volens quidem suasionibus suis ostendere inter Episcopum, & simplicem Sacerdotem, nullum esse discrimen. Si hæresis igitur hæc est, (vt Augustino fides adhibeatur.) Quomodo Hieronymo tantùm ab hæresi, quantùm à Brutis, & longiùs alieno illam vellemus imponere? Si ita senserit, vt prima verborum eius facies ostendere visa est, nulla, scilicèt auctoritatis differentia, sed sola consuetudine Episcopum à presbytero dissentire.

Huius etiam sententiæ fidem facit, quod post duodecim Apostolorum delectum numerum, vt Matthæus habet 10. cap, Lucas in suo Euangelio inquit, & designauit Dominus alios septuaginta duos. Vbi ordinaria glossatoris interpretatio habet. Quemadmodum in duodecim Apostolis Episcoporum forma tradita est, ita in septuaginta duobus discipulis aliorum Sacerdotum institutio à Domino facta esse dignoscitur.

Habes itaque quid Hieronymo, quid Paulo, quid Petro, Ioanni, Lucæ allatis pro opposita sententia auctoribus respondendum sit. Qui planè vnanimes si veritati consentiant, aliter, quàm eos interpretati sumus ab alio intelligi nequeunt, excepto Luthero (si Augustino, quem ipse maximè profitetur, credendum sit,) hac potissimum causa Arianæ familiæ defensore.

Non cessat deindè noster iste Lutherus Hieronymi verbis alias decretorum auctoritates intexere, quibus dicitur Episcopum quocumque loco sederit non debere pati stare presbyterum, necnon si in Ecclesia in subliniori sede sit constitutus Episcopus, dum se domum recipit, aliorum Sacerdotum collegam se debere cognoscere. Id Carthaginensis IV. Synodus statuit, quæ hæretica prorsus ex Lutherij sententia esse conuincitur, si hæreticum illud sit, quod obseruari iubet, vt scilicèt nulla inter Episcopum, & presbyterum vera distinctio reperiatur.

Poterat profectò, & papyro, & atramento, & scriptioni malus iste vir parcere, ne his, quæ dixerat, nouas istas nugas adiungeret. Non ne percipis, quid hæc decreta sonent, ò fatue? Non ne vides Episcopis iuberi, vt honore, charitate presbyteros, non tanquàm subditos, sed tanquàm fratres & filios amplectantur? Collega domi presbyter esse debet Episcopo, quoniam quæ sunt Episcopi domi exerceri non solent. Atque ideò tanquàm pares admittendi, honorandique esse videntur. At in Ecclesia, vbi Episcopi auctoritas viget, ac omnibus palàm ostenditur, operæprecium est, vt alijs Sacerdotibus præponatur. Quid hæreticam synodum, aut decreta, tam facilè enuntias? Quæ non intelligis ipse, vel negligis, vt non ad sobrietatem, sed plusquam oportet, sapere videaris.

Id etiam, quod tamquàm optimam conclusionem, indè Lutherus infert, aduertat, ne sui ipsius nescius, cum super aera volitare crediderit, concidat in profundum. Ait enim cum ex vsu tantummodò appareat episcopum presbyteris esse superiorem, si principatus Romani Pontificis vergere incipiat in detrimentum, omnino tollendus est, quoniam humana iura, & consuetudines pro Ecclesia debent, non aduersùs Ecclesiam militare. Quod si non fiat, hominum traditio irrita facit mandata Dei. Quare vide, quàm tenui filo pendeat Romanorum adulatorum Tyrannis. Quæ sese auctoritate diuina conata stabilire, se ipsam penitùs ea ratione subuertit. Hęc modestissimus Lutherus modestissimè loquitur.

Tui ne oblitus es calumniator magnifice, si vera hæc sunt, quæ modò tanquàm coronidem decretorum dictis imponis. Quo pacto, quæ à principio dixeras, Pontificiam scilicèt monarchiam, quoniã diuina voluntate ad eum vsque auctoritatis gradum increuerit,

uerit, tolerandam esse seruabis? Vbi etiamsi in detrimentum, & persecutionem Ecclesiæ tendere, quoniam omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit, quod omnis potestas à Deo est, auctore Paulo ad Romanos, æquo animo ferendam astruis. Et aduersario consentire cogitur, qui nos angariauerit ex seruatoris sententia. Et in prouerbijs numquid resistendum est flagello Dei, legitur. Et Petrus inquit, subditi simus vniuersæ creaturæ, quia sic est voluntas Dei. Quibus etiam Cyprianum annumeras, & populi consensum affers, cui non resistendum esse confirmas. Quo igitur modo si militabant hæc omnia, vt Romanus iste Principatus non ex scripturis, non ex sacris institutionibus, sed quia sola Dei voluntate, & hominum consensu vires, & incrementum obtinuit, defenderetur, nunc etiam militare non debent? quando si in detrimentum Ecclesiæ tendere inciperet, ipsum omnino de medio tollendum esse pronuncias? Diceremus sanè tuis illis prioribus rationibus (quas firmamenta appellare ausus es) etiamsi in detrimentum Ecclesiæ vergere inciperet, quia sic Dei voluntate statutus est, & ad huiuscemodi auctoritatis culmen deuenit, non esse nostrum ipsum de medio tollere, sed illi cedere, & tolerare ipsum, aut tamquàm flagellum populi, aut tanquàm superiorem, à Deo nobis traditam potestatem, sicut enim non licet nobis auctoritate nostra illi resistere, ita etiam, immò multò minùs licebit illum ipsum penitùs auferre. Longè planè maius, & difficiliùs est quicquàm de medio tollere, quàm ab eo discedere, id enim auctoritatis, & virium est, hoc perturbationis, & fugæ. Reminiscatur ergo Lutherus non solùm aliorum, qui pro veritate locuti sunt, quos Romanos adulatores appellat, sed etiam sui ipsiùs nescium esse. Qui (velut meminit 32. cap Esaias) sui immemor factus more fatui à fatua locutione se abstinere non potest.

Vis videre Lector charissime quantum iste homo deliret, lege quod sequitur. Postquàm enim Pontificis summi de medio tollendam (si in detrimentum Ecclesiæ vergeret) ditionem suasit, statim Cypriani allatam ab Augustino sententiam in libro de baptismate adducit, qua Episcopum vnum ab alio cogi, aut iudicari non posse commemorat. Cùm sanè inquit pro licentia libertatis, potestatisque suæ Episcoporum quisque arbitrium proprium habeat, quo ab alio iudicari non possit, quomodo nec ipse alterum potest iudicare. Sed expectandum est vniuersale iudicium Domini nostri Iesu Christi. Hæc Cypriani verba si probant, tibique faciunt fidem, quomodo Romanus Principatus ab hominibus debet anferri, qui Deo permittente, vel efficaci suæ voluntatis indicio demonstrante, ad tantæ potestatis fastigium potuit peruenire? Si in vno quoque cogendo ad obedientiam, aut corrigendo, nedum deponendo Episcopo Dei iudicium expectandum statuis? Quod nam maius est quæso respondeas, an audere Pontificem, non dicam Romanum, sed eius tam amplam, tam profundam, ac tanto tempore obseruatam auctoritatem delere, vel potiùs vnius diei, & ferè ignotum Episcopum non dicam deponere, sed cogere, corrigere, iudicare? Es ne tam ementiti iudicij, tam fallacis, aut rudis ingenij, vt hoc maius illo esse respondeas? Si minus ergo est, neque ex Cypriani sententia licet, sed expectandum est Dei iudicium, quomodo nostra erit in potestate longè maius absumere? Nonne vides? tua tibi sunt arma contraria, & tam breui temporis spacio, Immò vno, & eodem scribendi tenore idem asseris, & infringis. Sic ei euenire solet, qui suos nimium iactat affectus, ac imprudenter in ea, quæcumque in buccam venerint, absque vlla consideratione prorumpit.

Non est ergo credendum ita Cyprianum virum quidem iustissimum eum habuisse sermonem. vt quocumque modo erraret Episcopus ab alio, cui legitimè subiectus sit, iudicari non possit. Namque si hæreticus esset, nonne veniet deponendus? An expectabitur ea in re Domini nostri Iesu Christi iudicium? nequaquam. Nam & ipse Cyprianus primo libro Epistolarum 4. Episto. Basilidem, & Martialem ob idolatriam Episcopatibus fuisse priuatos, neque vllo pacto, etiamsi pœnitentiam duxerint, ad dignitatem pristinam restituendos asseruit. Quibusdam igitur casibus, & quidem parui momenti, (vt reor) de Episcopis Deo voluit esse relinquendum iudicium, præsertim vbi ambigua, & anceps hominum sententia reperitur. At vbi maximus (velut hæresis,) aut quis ei consimilis inuentus est error, vbi etiam clara, & aperta fuerit ipsius erroris conditio, nolebat Cyprianus esse iudicium differendum. Atq; ideo rectè quidem ait. Neq; quisquã nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut Tyrannico terrore collegas suos ad obsequendi necessitatem inducit, idest nullus quidem Episcopus se alijs, ita superiorem instituit, aut facere debet, vt tamquàm Tyrannus quidam quacumque in re illos ad sui obsequium trahat, & iudicet. Quoniam quisque ita sui iuris esse videtur, vt nõ in omnibus, sed in quibusdam certè negocijs, ab alijs debeat iudicari. Namque velut de minimis (vt à iurisperitis asseritur) vt non curat Prætor, ita etiam de occultis, seu ambiguis Deo Optimo Maximo, iudicium est relinquendum. Scriptum est enim. 18. Psalmo delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

Si ita senserit Afer hic noster beatissimus Cyprianus, nobis aduersari non potest. Sin verò alterius sententiæ (quod non arbitror) fuisse videatur, vt interpretationem aliam sermo eius minimè patiatur, vtique non veniet admittendus. Non enim in omnibus est ei præstanda fides, cùm à fide lapsis, & redeuntibus sacri Lauacri beneficium impertiendum esse voluerit. Quod ab vniuerso cætu fidelium reprobatur.

Cur verò Augustinus dum eum in libro de baptismate citat, non arguit, est quoniam ad bonum, sanumque sensum illius verba recepit.

Neque inficior ego priscam apud maiores nostros fuisse consuetudinem eligendi Episcopos coram acclamante plebe, & populo, vt III. Primi Libri epistola meminit

Cypria-

Cyprianus. Qui in numeris Moysis à Domino instituendi Eleazari summi Sacerdotis in locum Aaron qui protinus vita functurus erat, præceptum adducit, Quo coram Israelitico populo exuto Aaron Eleazarum eius filiorum stola indueret, iubebatur. Atq; ideò persuasum habet, vt nos eo exemplo ducti idipsum in Episcoporum electione agere debeamus. Quod etiam in surrogatione Matthiæ, Apostoli loco Iudæ Petrus in medio fratrum exurgens, ac in diaconorum electione, vbi erat omnis turba, obseruans optimè confirmauit, vt in Apostolorum gestis 1. cap. apparet.

Verùm (vt toties retuli) mos ille nihil authoritati Pontificiæ detrahit. Honestatis etenim cuiusdam gratia (vt eo tempore videbatur) id fieri consueuit, vt illi, qui quotidiè suum debebant in actionibus experiri pastorem, dum eligeretur, quisnam, & qualis esset, apertè cognoscerent, cui postmodum faciliùs, atque libentiùs obtemperarent. Non quòd ea, vt Summo Pontifici detracta, aut imminuta fuisse intelligatur eligendi authoritas, populo, aut alteri ita concessa sit. Sic Petrus agere consueuit. Sic Pius Seruator omnium noster Christus Iesus. Sic etiam tempestate nostra non coram populo, sed in sacrosancto Senatu de consilio fratrum Pontifex ipse summus Episcopos creat, instituit, confirmat, non quòd alioqui fieri certè non possit, sed honestatis cuiusdam, & maioris humanitatis de causa. Posset enim, & reipsa iam potest ad libitum quoscumque, & quandocumque Episcopos solus eligere, ea quidem amplitudine potestatis, quam Dominus Petro, & successoribus suo iure concessit.

CAP. XXVI.

Ex Gregorij in registro Sententijs pluribus Æcumenicum Romani Pontificis Principatum ostendi, neque soli Petro, sed successoribus etiam fuisse traditam à Domino potestatem, & quomodo hæreticum se Lutherus facit.

QVid deindè Gregorij in registro libro quarto epistola 32. ad Mauritium Augustum de Ioanne Constantinopolitano, qui se Patriarcham Æcumenicum appellari voluerat, sententiam, qua id abhorrere plurimum videtur, Lutherus affert, Cùm supra quid ipse palàm voluerit, satis explicatum sit? Verùm adduxerit, libenter denuò inspiciemus, vt quid sanctus iste vir voluerit, explanatius habeatur. Quippe, quæ semel placent, si sæpenumero in medium afferantur, magis certè placere solent.

Cura inquit, totius Ecclesiæ, & principatus Petro committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur. Et vir sanctissimus consacerdos meus conatur vniuersalis Episcopus appellari. Exclamare compellor, ò, tempora, ò mores, Et infra. Si nomen illud in Ecclesia vsurpatur, ipsa eadem Ecclesia corruit, &c.

Quid indè, nisi quod nostræ commemorationi consentiat accipiendum? Non ne vides vigilantissimum virum Gregorium totius Ecclesiæ curam, & Principatum se credere, & affirmare fuisse Petro commissum? Vides, quoniam idipsum ipse commemoras. Nomen ergo communis Principis, aut vniuersalis Apostoli, quod Petro adimitur ab alijs vsurpandum minimè voluit. Detestatur in Petro nomen, non potestatem. Sciebat enim eam à Domino illi vniuersalem, & absolutam fuisse concessam, modestiæ tamen, humanitatis, & consensionis maioris de causa, neque nomen vniuersalis Pastoris Petrum assequi voluisse, neque vnquàm absque fratrum Collegio illam exercuisse. Namque periculosum nimis, & discordiæ fœminarium nomen illud esse videbatur, quòd si quis vniuersalis Episcopus appellaretur, putarent alij, nullam sibi authoritatem in Episcopatu relinqui. Hac etiam causa oblatum à Chalcedonensi Synodo id nomen magno cum animo Gregorius renuit, seq; deinceps humilitatis gratia seruum seruorum Dei voluit appellari.

Id ipsum 36. Epistola ad Eulogium, & Anastasium Episcopos astipulatur, dum prophanum illud vniuersalis Pastoris, aut Patriarchæ nomen appellat, & Ioannem Constantinopolitanum quem Luciferum vocitauit, per elationem fausti sermonis, quod Christi erat, qui caput Ecclesiæ est, illud sibi asciscentem vituperat.

Eadem penitus ratione 38. Epist. Pauli sententiam magnifacit. Qui cum alium se Apollinis, alium Pauli, alium Petri esse profitentem conspiceret, dixit, numquid Paulus pro vobis Crucifixus est, aut in Pauli nomine baptizati estis primo ad Corinthios cap. 1. &c. Vbi etiam Petrum, Paulum Andream, & alios Ecclesiæ membra commemorat.

Vndè licèt vnum Caput Ecclesiæ Christus sit, tamen administrarorem sui in regimine similem Petrum reliquit in terris. Qui Petrus, ò, Gregori, si totam sibi curam Ecclesiæ datam suscepit, Quomodo Ecclesiæ membrum? non quidem, vt alij, sed vt Publicus, Æcumenicus Christianæ Reipublicæ gubernator. Alio igitur modo membrum, & alio modo caput. Membrum, vt Christo, cuius est Vicarius, comparatur. Quoniam vnà cum alijs omnibus illius principatui subiacet. Caput autem dicetur Petrus, quatenus totius Dominici gregis curam, & administrationem suscepit.

Quid ergo credis per ea Gregorij verba Petram totius Ecclesiæ gubernatorem à Domino institutum fuisse, & illius successores minimè, sed omnes æquales in authoritate, in suis scilicet diœcesibus constitutos? Illud sanè sanctus Dei vir Gregorius attestatur, hoc autem nemo, ne oculatissimus quidem poterit intueri, vndè ex verbis eius emungat.

Quòd etiam ipsa ratio docet, quam enim prærogatiuam debuit habere Petrus, quam successores in regendo populum non fuerint assecuti? Mihi sanctitatem, & vitæ innocentiam statim objicies: At cum & ipse non Deus, sed homo fuerit, & totius humani generis gubernator, per eum non dedisset nobis Dominus vnam regendi formam, sed plures, ita, vt quis nam melior esset gubernandi modus, prorsùs lateret, & incertam reliquisset

quisset

quisset nobis nostræ huius Reipublicæ formam in terris. Quod quidem satis absurdum est, & vsque adeò in Christiana professione monsturosum, vt nescio quis sane mentis id vnquam excogitare potuerit.

Addè si sanctitas ratio est, cur Ecclesiasticæ ditionis amplitudo Petro concessa fuisset, cum quis ei similis, quandoque reperiretur in terris (namque id facilè ex diuina dispensatione posset occurrere) ille ipse eammet regendi summam, aut sibi iure legitimo vendicaret, aut si in alicuius loci Pontificem leigeretur, summus etiam protinùs euasisset.

Indè quoque aliud non minus absurdi habet, quod admittat hæc Lutheri phantasia. Quantò quis sanctitate, & innocentia vitæ proficeret, tantò maiorem potestatem in Dei Ecclesia assequeretur, & breuiter error Vualdensium est asserere in vitæ sanctimonia authoritatem Pontificiam collocari.

CAP. XXVII.

Ex Euangelistarum Sententijs, quibus nullum inter Apostolos maiorem Dominus statuisse legitur, principatum non tolli.

NOn contentus suis adhuc trophæis Lutherus, Domini exemplis, & vocibus armatur in hostem. Lucæ num.22.cap. Quod supra etiam in hoc propositum pro veritate exposuimus, habetur. Facta est contentio inter discipulos, quisnam eorum maior esse videretur &c. Vbi dicit Dominus. Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent, benefici appellati sunt. Vestrum autem si quis maior esse voluerit, sicut minor efficietur. Nam qui recumbit vtique maior est, quàm qui alijs ministrare conspicitur. Ego autem in medio vestrum sum, vt minister. Ex his videas, quinimò inferat homo iste discipulorum neminem alijs potestatem habere maiorem.

Namque rogo ipsum veniat, & mihi respondeat. Verè ne minister Christus fuit inter discipulos, atque ideò minor, aut quomodo? Si verè minister fuit, & verè minor, quo pacto igitur Dominus, quo pacto Deus, quo pacto (vt inquit 9. sui vaticinij cap. Esaias) admirabilis, consiliarius futuri sæculi pater, princeps pacis? Si verò non ita minor alijs asseratur, vt potestate sit illis inferior, sed humanitate, modestia, sinceritate animi sic suam authoritatem cognoscat, vt omnem ambitũ, omnem elationem inanemque auram fugiat (quemadmodum minor alijs esse dicetur) tùm certè ita minor habebitur, vt non solùm potestate, sed etiam virtute sit maior, & superior alijs.

Hanc animi æqualitatem, qua se putarent esse maiores, ac omnem elationem aufugerent, discipulis Dominus imitandam suasit. Non quod vnus alio verè maioris potestatis non fuerit, sed quod non eam, quam gentium Reges vti consueuerunt in populos, se habere pernoscerent. Illa enim tyrannica, tumida, violenta est. Hæc verò iusta, æquabilis, grata omnibus exhibetur.

Non admittitur ergo eo verborum tenore potestas Apostolis, quia sibi ipsi illam Christus non adimit. Sed tumida Ethnicorum Regum elatio, sed ambitus, sed tyrannis. Clarus est Lucas, & Lutherius cæcus.

Petri deindè discipulus Marcus cap.4. adducitur, qui meliùs pro honore Lutherij omitteretur, cum idipsum quod Lucas, & apertiùs vtique fateatur, dum de filijs Zebedei, quorum alter à dextris, alter à sinistris collocari volebant, Domini sermonem denunciat, quo calicem quem ipse bibiturus erat, possent ne bibere interrogauit, vt ambitiosam nimium eorum petitionem ostenderet, pariter, & reprobaret, infra, idem ethnicorum regum potestatem aufugiendam asseuerat, & sui ipsius ministerium, & humilitatem Apostolis imitandam suadet, non eget interpretatione Marcus. Idem sensit quod Lucas.

Quid eiusdem igitur Marci 9. cap. sententia recensetur? Vbi si quis vestrum (dicitur) vult primus esse, fiet postremus, & accepto puero, inquit Dominus, quisquis vnum ex his receperit in meo nomine, me recipiet.

Quid similiter Lucæ 9. cap. commemoratur? Vbi pueri quoque acceptio scribitur, & Matthæi 18. cap. illud idem vnà cum pueruli exemplo repetitur. Vbi quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste (dicit Dominus) hic maior futurus est in regno cœlorum.

Vna enim, & eadem ratione ijs in locis sæpenumero humilitas commendatur, elatio tollitur, ambitus vituperatur, Tyrannis, & violenta ditio prorsus abijcitur. Non potestas, non istum vnius capitis regimen, non optima Christianæ Reipublicæ gubernatio. Quam ipse minor alijs prior exercuit Dominus, & Petro exercendam postea tradidit, maximoque impendio commendauit.

CAP. XXXVIII.

Quomodo Coapostolus dictus est Petrus. Anque de ijs, quæ ad Iudæorum cæremonias pertineret, ipse, aut Iacobus sententiam in Concilio tulerit, curque loco Iudæ non elegerit solus ipse Matthiam.

EX historijs, & rationibus idipsum nititur Lutherus comprobare, Primumque ex Apostolorum gestis, Petrum cæteris Coapostolum quemadmodum seipsum vocat concedit. Cuius etiam sermo de cæremonijs à Iacobo 15.cap. per sententiam confirmatus accipitur. Item nullum ex Apostolis ordinauit Petrus, Matthiam, nec ipse solus, aut vnà cum alijs ausus est in Apostolum eligere. Sed forte missa electum à Domino susceperunt.

Prima, hæc ratio nulla est. Nam æqualis, & Coapostolus alijs dictus est Petrus, quia in partem sollicitudinis, ita circumcisionis, quemadmodum Paulus gentium appellatus, prædicandi, & conuertendi officio non erat superior alijs, sed iurisdictione

dumta-

dumtaxat. Qua si voluisset illis imperare, vtique potuisset. Sunt deindè, qui dicunt Iacobi fuisse officium, quæstionem de cæremonijs non obseruandis à Petro Propositam in Concilio per sententiam definiri, Quoniam illiùs loci erat Episcopus, Nō tamen indè deduci posse eamdem Petrum ferre non potuisse, verùm permisisse Iacobo, vt quod suum potiùs esse videbatur, executioni mandaret, At qui nolunt hac in re, quæ magni planè momenti erat, alium quàm Petrum, ad cuius iudicium maiores causæ pertinerent, eam sententiam tradidisse, eiusdem authorem illum, non Iacobum asseuerant. Qui veluti præco quidam sermonis, decisionisque Petri, non confirmator, sed potiùs promulgator sit habitus. Quouis modo quis dixerit, non errare videtur. Errat tamen Lutherus, qui res nouas, & inexcogitatas in medium affert. Et magis errat, quoniam est noxius veritati.

Non ordinauit alios Petrus, ordinauit forsitan, sed minimè legitur. Esto, non ordinauit. Quid tùm? non ergo superior, nulla ratio est, potuit. Sed non fecit. Ex defectu sanè actionis non tollitur agendi potestas. Matthiam ipse solus eligere noluit maioris modestiæ causa, & quoniam cæteri Apostoli essent à Domino proximè instituti, eidem eam relinquendam esse curam putauit, vt loco Iudæ, qui eum tradiderat, alium surrogaret, Non est hoc Petri authoritatem infringere, sed pietatem, modestiam, confidentiam augere. Ad vnum allata sententia est, & aliò tendit.

CAP. XXIX.

Quomodo si Pauli in Petri faciem facta reprehensio vera sit, & multò magis ob eammet causam reprehendendus est Paulus, & quo pacto non vera, sed dispensatoria (iuxta Hieron. sententiam) illa Pauli reprehensio fuit, vel si vera (vt Augustinus sentit.) Quomodo excusandus est Paulus, & demùm qualiscumque fuerit illa, non sequi propterea, Petrum Paulo non esse maiorem.

Secunda ex Paulo ad Galatas cap. 2. accipitur ratio. Qua se dicebat (postquam exactis annis quatuordecim diuino quodam afflatu Hierosolymam, vbi iam fuerat, ad conferendum cum cæteris Apostolis quod prædicauerat Euangelium, redijsset, vbi Titus, qui gentilis erat, quem secum duxerat, minimè coactus est ab Apostolis Circumcisionis ritum subire, vbi etiam Euangelij approbationem accepit datis à Iacobo, Petro, & Ioanne, qui columnæ Ecclesiæ videbantur, dexteris societatis) Antiochiam denique peruenisse. Quam postea cùm Petrus appetijsset, ei in faciem restitit, quoniam reprehensione dignus videbatur, ob id, quod antequam à Iacobo ad eum venirent Iudæi, cum gentibus edens, bibens conuersabatur. Postquam venissent ab eis se subtrahere visus est, ne iudæis haberetur infensus, & vnà cum alijs Barnabam secum in eam quodammodo simulationem duxisse. Ad quem Paulus in hæc verba prorupit, Iudæus ipse cùm sis, si etnichorum more agere vitam conspiceris, cur est, quod venientibus à Hierosolyma Iudæis te à gentibus subtrahis, vt illæ ipsæ gentes in Iudæorum obseruationem ire cogantur?

Ex hoc capite Lutherus se habere dicit non solùm Romanum Pontificem posse reprehendi, sed etiam cuiuscumque meliùs sentientis iudicio subijci, deque suis rationibus debere alteri reddere rationem, errare interdum, ac erroris notam accipere, & se id accepisse quodammodo gloriatur.

Miror ego istum hominem, qui Hieronymum imitari solet hac in re, aut illum non viderit, aut non imitari voluerit, qui eam Pauli reprehensionem vituperat in expositione epistolæ ad Galatas, & in epistola ad Augustinum, ea quidem ratione, quia si vera illa reprehensio est, cur Apostolus ipse Paulus perambulans Syriam, & Ciliciam, ac confirmans Ecclesias, & denique veniens Derbem, & Listram, Timotheum, qui interpretatur beneficus, filium viduæ, circumcidit? vt ex Apostolorum gestis 16. cap. apparet. Nam à culpa, quam in alium reijcit, se primùm expurgare debuerat, cui etiam eamet responsio debebatur. Si enim Timoteus circumcisus est, non quod id necessarium quidem fuerit pro illius salute, sed ne Iudæi, qui aderant, perturbarentur, ita etiam Petrus Paulo responderet, se id Iudæorum causa fecisse, ne ab ipso discederent. Quod superstitiosi sanè, & in suis cæremonijs pertinaces admodum viderentur. Rursus idem Paulus si verè Petrum arguere est ausus, cur Syriam denuo adnauigans vnà cum Priscilla, & Aquila, inde ad Corinthi locum (qui cœnchris vocatur) peruenit, ac Nazaræorum more sibi caput totondit? vt ex 18. libri de Apostolorum gestis accipitur, cui denuò eamet obijcienda est quæstio, quam ipse Petro obiecerat. Totondisti tibi caput, vbi Cenchrim admoueris Paule, vt Nazaręus videreris, cùm tamen Christi Seruatoris professionem publicè prædicares, quid rei huius in causa fuit, nisi, vt complaceres Iudæis? Quòd si eadem ratione à gentibus se Petrus subtraxit, cur illum arguis, reprehendis, impugnas? Neque bis solùm huiuscemodi antiquæ legis obseruationes, legitur Paulum executioni mandasse; Namque tertiò cum à Mileto per Rhodum, Cyprum, Cæsaream, denique Hierosolymam deuenisset, inuentis fratribus, à Iacobo, & alijs congregatis timore Iudæorum (qui eum habebant infensum, quod gentibus circumcisionis ritum vetaret) monitus est, vt vnà cum quatuor, qui votum habebant, tonso capite templum ingrediens sacris persoluendis muneribus interesset, vt legis ritum, quem ipsum disuasisse rumor attulerat, comprobare opere videretur. Qui monitis parens totondit se, & vnà cum quatuor illis votum habentibus templum ingressus seruauit omnia, quæ pro soluendo Iudæorum piaculo necessaria videbantur. Quod certè libro de Apostolorum gestis 21. cap. eadem irrefra-

gabilis narrat historia. Hic exclamare licet si verè Petrum reprehenderas ô Paule, qui magni adeò animi semper es visus, vt impauidè imminenti etiam mortis periculo Christi nomen passim, & Euangelia denunciares, reprehendisti Petrum, quod metu Iudæorum, cum gentibus edendum ei non amplius videbatur, cur illius tui impetus, quo illi Antiochiæ in faciem te restitisse retuleras, non meministi? Quando sæpenumero eas legis cerimonias obseruasti, quas Petrus nequaquam legitur obseruasse. An maius forsitan fuit venientibus Iudæis se à gentium conuiuio subtrahere quàm circumcisionem exercere, & capitis tonsuram gerere, & Nazareorum more in templo sacra persoluere? Si Petrus reprehensione dignus erat, tu certè dignissimus. Sin verò immeritò arguendus es, cur tam acriter te illi, quod in rectam Euangelij semitam non incederet, in faciem restitisse commemoras? Nonnè memoriæ tenere potes, quæ authore Petro (vt apud eadem Apostolorum 15. cap. acta leguntur) celebrato primùm concilio, de Iudæorum ritibus sunt instituta, quàm ibi grauiter locutus est Petrus, quibus rationibus non esse amplius quæ legis fuerant à gentibus obseruanda concionatus est, cui assensus est magno, & ipse verborum apparatu Iacobus, & alij. Qui vnanimes Antiochiæ, Ciliciæ, & Asiæ degentibus literas dedere, quibus gentibus, quæ christianæ pietatis vestigia suscepissēt, ne circumcisionis legibus subiacerent, indictum est, sed solùm reiectis idolis à coitu, à suffocatis, & sanguine pariter abstinerent.

Non ne modo consimili parum post Domini passionem idem Petrus ab eo in somnis monitus, vt ex omnibus animalibus occideret, & manducaret, ad Cornelium centurionem, qui gentilis erat conuertendum accessit? Quem sacri etiam fontis baptismate vnà cum tota familia decorauit, vt in actis Apostolorum 10. cap. commemorata refert historia.

Quid plura? Si Petro ea in simulatione vllus ascribendus est error, multò maior est Paulo, qui eodem crimine laborans magis (si eius vera in Petrum reprehensio est) eum causari voluerit.

Pro vtroque igitur definiendum est, neque verum vtriusque illum errorem, neque Pauli veram illam, sed dispensatoriam reprehensionem (vt ait Hieronymus) fuisse dicendum. Quod ex ea quoque ratione deducitur, qua Porphyrius Philosophus, qui Christianam suo tempore inchoantem pietatem magnoperè insectabatur, id maximæ arrogantiæ, procacitatique Pauli ascripserit, qui eiusdem criminis reus efficeretur, quod ipse Principi Apostolorum tam acriter obiecisset. Habemus cum Porphyrio pugnam, qui communis est omnium, & insensissimus hostis. Aut ergo illi cedendum est, ac Paulus Apostolus cum eo pariter incusandus, aut necesse est, dicamus non fuisse veram aduersùs Petrum, sed solummodò dispensatoriam eius reprehensionem, vt scilicet tumultuantium gentilium (qui aderant) animos deliniret. Simulabat Petrus, simulabat, & Paulus, sed pia vtriusque fuit & commendabilis simulatio, vt ille Iudæos, hic gentes primis illis inchoantis Ecclesiæ temporibus lucrifaceret.

Si verò cum Augustino, qui molestè admodum tulit, ad Galatas dum refert Paulus se Petrum Antiochiæ coram omnibus obiurgasse, id simulanter egisse tibi sentiendum est, atque illam veram quidem reprehensionem fuisse dixeris, quod gentes per eam simulationem Petrus ad Iudæorum ceremonias agere, & quodammodo trahere videretur, quomodo Paulum excusabis, qui Timotheum ex patre gentili apud Ciliciam circumcidit? Nonnè si pater eius gentilis fuerat, & affines superstites, aut alij, qui ibidem reperiebantur gentiles, in Iudæorum superstitiones eodem planè modo compellere videbatur? Quando item Corinthiorum portum, qui cenchris vocabatur, & Hierosolymitanum templum capillis tonsus ingressus est, recenseas quæso nullus ne illis in locis, an aliquis gentilis erat, qui Paulum (vt ita dixerim) Iudaizantem inspiceret? Si aliquis, & ipse cogebatur illius exemplo in ritus Iudæorum deduci. Si nullus quomodo statim omnes ad vnius Pauli aduentum inde confugerant?

Excusari omninò potest (inquies) quod nimia forsan diligentia in sui à gentibus subtractione vsus est Petrus, atque ideò vera reprehensione dignus magis, quàm Paulus videbatur, qua ipse Paulus erat immunis, qui non nisi magna ex causa, quæ legis fuerant, quandoque seruauerit. Estò excuses. Vera sit illa Pauli, & non simulata reprehensio (nam inquit Augustinus, dum quis sacrarum lectionum author narrat historiam, simulanter non loquitur, neque illi, cum alios monet, scribenti officioso licet vti mendacio. Alioqui vt à falsis Iudæorum Apostolis auerteret Galatas, mentiretur) est ne propterea Paulus Petro factus, aut æstimatus æqualis. Pia illa (licet ad eam nationem acriùs fortasse, quàm par erat, id scripserit) & amatoria reprehensio fuit, qua quisque non eo tempore solùm, sed modò etiam Pontifici in re Christiana posset obsistere.

Neque scias velim ô Lutheri (quemuis horum in hac Pauli reprehensione sequi volueris) magni momenti error ille fuit, si error appellari meretur, qui tribuitur Petro. Namque præter eas, quæ paulò superiùs allatæ sunt, rationes, ea sanè mihi, & merito, suffragatur, qua sancti spiritus afflatu ita in Dei gratia constitutus est Petrus, vt peccatum, quo illa esset orbatus, non facilè quidem incurreret. Quo autem pacto conciliandа sint duo hæc pietatis, & sapientiæ lumina, non est profectò visu difficile. Tu Martine te difficilem præbes in tui defensione, dum alios causaris.

CAP.

CAP. XXX.

Quod Victorius, Anicetus, & Iulius Romani Pontifices, aut reprehensi, aut neglecti sunt, non haberi eos iure meritò alijs non fuisse maiores.

TErtia Lutherij ratio ab ecclesiastica, & tripartita historia robur accipit. Libro enim 5. Eusebius Cæsariensis. Victorem primum Romanum Pontificem, qui ob variam diei paschatis obseruationem totam Asiaticam Ecclesiam execratus est, recenset ab Irenæo Galliarum Episcopo fuisse reprehensum, ab eoque, & alijs Episcopis coactum esse, vt Asianorum ritui consentiret.

Item (inquit Lutherus) ibidem apparet Anicetum Romanum Pontificem Policarpo Smyrnæorum Episcopo hac in re cessisse, nec illum cogere potuisse. In tripartita verò historia narratur Iulium primum ne Orientales Episcopi absque sui authoritate concilium conuocarent, frustra tentasse. Atque inde noster æmulus Romani Pontificis potestatem superiorem alijs non extitisse, neque esse debuisse concludit.

Verùm si Victor primus Asianas Ecclesias execratus est, quæro abs te Lutheri, habuit ne eam execrandi (qua vsus est) authoritatem, an sibi potiùs vsurpauit. Si vera fuit eius authoritas, nihil profectò interest, an eum increpauerit, vel non increpauerit, alius. Redarguentis sanè id vitio ascribendum est, & illis, qui Victori in sua pertinaci, obstinataque sententia persistentes non paruere mandatis. Si verò facultatem excommunicandi alias Ecclesias sibi vsurpasse memineris, cur est quod Polycrates (qui in Asia primatum gerebat, qui tanto verborum, & sententiarum apparatu Victori respondere pro sui defensione conatus est, vt eomet loco legitur) id illi nequaquam obiecerit? Namque longè facilius erat in hunc modum ad eum rescribere; eaque causa, quod in Asianas Ecclesias veram potestatem minimè habuerat illi non parendum duxisse, quàm tot sanctorum Patrum, & Episcoporum exempla commemorans antiquissimam pro suis iuribus Prouinciæ consuetudinem allegare. Non erat certè aliud rei huius in causa, quàm quod illius authoritatis Romanus ipse Pontifex haberetur, qua & Asianas, & alias orbis terrarum Ecclesias regere, ac execrari valeret. Cur item ipse Irenæus Episcopus Victorem arguit in Asiaticos præsules maledictionis spicula exercuisse, quibus ab Ecclesiastici corporis consortio separentur, nisi id illum agere potuisse crediderit? Reprehendit ipsum non quod Ecclesias illas excommunicare non potuit, sed quod iure non debuit. Non enim ea causa tanti momenti videbatur, vt ob Paschatis variam, etiam extra diem Dominicum obseruationem à corpore vniuersalis Ecclesiæ segregari deberent.

Neque eo loco sanè Victorem Irenæo, Policrati, & alijs Episcopis cessisse narrat Eusebius (vt Lutherus asserit) quo fit, vt liberiùs forsan, quàm debuerat, ad eum scripserit Irenæus. Et dum illi Policrates obtemperare noluerit, vnà cum suis Episcopis Episcopale munus ob superioris contemptum salubriter exercere non poterat.

Neque id decreti ex suo tantùm capite, sed maturissimo fratrum Romæ habito consilio Victor egisse legitur. Quòd cùm apud Cæsaream Palestinæ Duce Theophilo similiter actum, in Ponti, Galliæ, Achaiæ, & Corinthi omnes Ecclesiæ statuerint, obseruauerint, solas quasdam in Asia (quarum Primas erat Policrates) illud negligere æquo animo pati non poterat.

Eadem ratione mirum satis videtur si Policarpus Smyrnęorum Episcopus huius rei præcipuè causa ad Anicetum Pontificem Romani deuenerit, & putauerit Romanam potestatem propria non esse maiorem. Quòd voluit, obtinuit Policarpus, tum bonitate Pontificis, tum etiam,quòd ea humanitate in aduentu eius est vsus,qua sanctus Dei vir cum eo pacem, & communionem inire coactus sit.

Iulius autem primus si ab Orientalibus Episcopis, quod eis legitimè obseruandum iniunxerat, non potuit assequi, non est, quòd ipse par illis; aut inferior fuerit. Nostro enim tempore complures sunt etiam nationes quæ Christi nomine, ac insignibus institutæ à Romano Pontifice se abalienauerunt, quod à sua hæresis proteruia dimoueri non possint, vt Bohemi, Lituani, & alij.

CAP. XXXI.

Constantinum IV. Pontificis auctoritatem instituere non potuisse. Et quomodo Augustinum, Cyprianum, Aliosque Orientales Episcopos à Romana Sede confirmatos, & eorum concilia illius authoritate conuocata fuisse, omnesque Episcoporum electiones ab ea pependisse intelligere debeamus.

QVarta Lutherij ratio est authore Platina à Constantino IV. Græcorum Imperatore, Romanum Pontificem esse alijs superiorem sancitum fuisse. Atque ideò non est, diuino iure tanta illi potestas vllatenus tribuenda.

Si credendum sit Platinæ facilè ipsa hæc ratio soluitur. Cùm enim Constantinum Imperatorem dixerit statuisse Romanum Pontificem esse alijs omnibus superiorem, quòd à principio institutum à Domino fuerat, obseruandum ab omnibus declarasse voluerit, exponendus est. Enimuerò ad ea vsq;tempora non erat fortè apud omnes clara Romani Pontificatus authoritas, neque obseruabatur quemadmodum huiusce Imperatoris studio, & diligentia claruit, & obseruantia magnas vires obtinuit.

Neque quod pro quinta ratione adducitur, vrget Cyprianum, Augustinum, & alios Africæ Episcopos, quòs à Romano Ponti-

fice non constet fuisse confirmatos, neque eorum Concilia ab eo impedita fuisse, propterea qui veri erant suarum Ecclesiarum pastores, illi non subiacerent. Namque toties dictum est, ratio, quæ à negatione sententiæ accipitur falsa est. Verùm id etiam pro responsione adiungimus duobus modis confirmationem fieri potuisse. Primò cùm Pontifex audita viri probi, & de Episcopali munere benemeriti electione, illam viua voce, ac expressè confirmat. Deinde cùm proculdubio eam perceperit, neque actione vlla, aut gestu illam infregerit, sed diutiùs absque vllo molestiæ indicio tolerauerit. Tunc enim illi assentiri manifesta ratione præsumitur. Eo modo Cyprianus, & Augustinus, & alijs tacita verbis, sed factis expressa confirmatione & consensu Romani Pontificis in suis potuerunt sedibus collocari. Quod si secùs forsitan actum est, & si ex nullius historiarum scriptoris sententia patuit, rectè quidem fieri potuit. Quod Lutherus minimè cogitauit.

Id ipsum de ipsorum concilijs asserendum est. Si enim à Romano Pontifice celebrationis eorum auctoritatem in contemptū expectare noluerint, vera illa concilia fuisse non credimus. Si verò ex quadam sibi ascita ob eorum apud Sedem Apostolicam famam, ac optimam auditionem, consuetudine illa eadem conuocauerint, Cui ipsa Romana Sedes longo temporis spatio visa est assentiri, vera fuisse fatemur. Et præsertim cum quæ in eis gesta essent ab ea improbata non fuerint. Et si enim nullius Ecclesiæ, nedum Romanæ iurisdictionis, & spiritalis priuilegij iura consuetudo non tollit (vt extra de præscriptionibus cap. cum non liceat, apparet ab Innocentio III. Vbi circa obedientiam subditi erga superiorem, nulla temporis diuturnitas præscribere dicitur) tolerata tamen, per alios acta confirmat. Quoniam in re nota tacitus consensus idem operari posse pernoscitur, quod expressus aliàs legitima ratione operaretur. Sed vt quæ asserimus faciliùs vera esse intelligas, memineris Martine, quæ de Carthaginensis, & Miliuetani Concilij confirmatione à Romano Pontifice habita auctore in epistolis Augustino recensuimus supra.

Quodque sacris sanctionibus institutum est, electum Episcopum debere à Romano Pontifice confirmari, ea ratione fulcitur, qua an de ea dignitate, vita, moribus, & ætate sit benemeritus perspiciatur. Quod si facta electione penitùs innotescat, confirmatione non indigere videtur. Veritas enim habet, & frequenti adagio ab omnibus vsurpatur, remota causa effectus dimoueatur oportet. Iamque ob eam planè causam Innocentius IV. (vt habetur extra de election. cap. Nihil est:) Cum Episcopis extra fines Italiæ constitutis, vt ante confirmationem ob locorum intercapedinem, tam in spiritualibus, quàm temporalibus negotijs res Ecclesiæ administrarent, legitimè dispensauit. Et licèt, cap. Cum venerabilis, extra de consuetudine. Lucius Pontifex oppositum statuere videatur, congrua tamen subsistente causa consuetudini standum est, quæ optima legum interpres solita est appellari, vt cap. Cùm dilectus, eodem titulo perhibetur.

Neque minùs decretum illud sanctissimum Gregorij Pontificis in nostra nobis sententia suffragatur. Qui Numidis Episcopis, qui erant in Africa constituti scribens, vt 12. distinct. cap. nos consuetudinem, legitur, inquit. Nos consuetudinem, quæ contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, Immotam permanere concedimus, siue de Primatibus constituendis, siue de cæteris capitulis habeatur.

Tam ergo de Episcoporum confirmatione, quàm de conuocatione Concilij, cùm Fides Catholica propterea non offendi in aliquo appareat, id pariter dici posse confidimus, vt ex permissa consuetudine absque Romani Pontificis auctoritate, hæc decenter fieri possit, illa verò non semper necessaria videatur.

Quod si pro sexta ratione mihi allegaueris Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, alios Orientales Episcopos Romanam Sedem numquam instituisse. Et (pro septima) tempestate hac qui sunt in Perside, Iudæa, Scythia, alijsue regionibus sub Romano Pontifice non esse (vt facis) obieceris, eodem pariter modo dicemus.

Electio enim Episcopi, de iure communi ad capitulum spectare dignoscitur, si à Romana Sede, cuius est plenissima eligendi potestas, non fuerit impedita, aut in eius contemptum, & inobedientiam facta non fuerit. Neque propterea (vt dictum est) Romani Pontificis instituendorum Episcoporum omnibus in locis, terris, & regionibus iurisdictio tollitur, aut sublata quocumque temporis spatio intelligitur, quin quotiescumque voluerit, illa ipsa vti, & quod suum est, ad libitum exercere valuerit, ac in præsentiarum similiter valeat. Quare qui modò sub Romano principatu se esse non putant, delirant, insaniunt, & Christi fidem obseruare non possunt. Non enim licet, à capite membra recedere, 12. distinct. cap. Non licet. Et extra de præscriptionibus, cap. Cum non liceat, legitur. Caput verò in cœlis Christus est, in terris ille, qui eius vicem pro Reipublicæ administratione suscepit Romanus Pontifex appellatus. Iam intelligis quid tuæ pariant accumulatæ rationes Lutheri, quæ ne vnam quidem conficiunt, contemptum sanè tui, & oppositæ sententiæ veritatem.

CAP. XXXII.

Episcopos, aut Imperatores non authoritate, sed vi Papam aliquando deposuisse, solumque Petrum in Pontificatu successores habuisse, deque primitiuæ Ecclesiæ authoritate præcipuarum Sedium ordine repetitio.

QVod verò pro octaua ratione affertur, nonnullos Episcopos, alios, & Romanum ipsum (quem Papam vocamus) deposuisse, non video quid, & quomodo valeat. Refert Hieronymus, inquit Lutherus, Achaontem Cæsariænsem Episcopum, Liberium Papam deposuisse, referat, quod tamen non refert.

refert. Nam verba Hieronymi hæc sunt. In tantum sub Constantino Imperatore Acacius claruit, vt in Liberij locum Romæ Fœlicem Arianum Episcopum constitueret. Acacium inquit, non Achaontem, Item Constantini auctoritate innuit illud egisse, non propria, sed quomodocumque sit, referat tuo modo Hieronymus. Quid tum? potuit ne Acatius id facere, aut non potuit. Si potuit, ergo aut erat Liberio par, aut certè superior. Superior, tua sententia esse non potest, Itaque par ei fuerit opus est, sed nullus par in parem habet Imperium. Non potuit itaque iure medio illum deponere, Imperauit sic Constantinus. Ergo Constantinus erat Papa superior. Concedis hæc omnia mi Lutheri? An tibi sanum id iudicium visum est? Concedas etiam temporalia spiritualibus esse maiora, & corpus ipsum animæ dominari. Certè non tantùm hæc in Christiana familia est apertissima hæresis, sed etiam in naturali iudicio, & disciplina.

Quid nobis igitur malè vir aliorum Episcoporum ex tripartita historia à maioribus, paribusque Episcopis depositiones inculcas? Quid Imperatorum in Pontifices Romanos, & Pontificum in Imperatores (vt ita dixerim) irruptiones accumulas? Factum narrant historiæ, non approbant. Tu verò ingenio tuo Theologico es, qui hæc omnia comprobare videris, vt non sit locus ambitioni. Tollatur igitur auctore Lutherio, hacque eius inuiolabili ratione in Ecclesiasticis, & temporalibus potestatibus ordo, omnia in confuso sic iudicia fiant, vt quisque in alium ad libitum iurisdictionem valeat exercere. Monstrum iam Auaxagoræ redeat, & Lutherium apud omnes gentes omni confusione confusiorem ostendat.

Pudet me singula Lutherij dicta, quibus pro rationibus vtitur, persequi, tam friuola sunt, & toties repetita, vt mihi stomachum faciant. Pro nona ratione omnes Episcopos Apostolorum successores constituit, & quemadmodum Petri successor vnius Apostoli Petri potestatem assecutus est, ita & alij singillatim aliorum Apostolorum. Omnes itaque infertur, Episcopi sunt æquales, præsertim, quod Apostolis omnibus æqualis à Domino sit data potestas.

Repetit quæ à principio meminerat, sed de successoribus verbum adiecit, vt nouam videatur conficere rationem. Repetamus, & nos compendio illa, quæ diximus, non omnibus Apostolis est data æqualis iurisdictionis potestas, & si Petrus pro omnibus responsum dedit, & potestatem illam ligandi, & soluendi suscepit. Nam sibi præcipuè datam cognouit, ex quo ad eum præ, alijs tamquam ad Ecclesiæ Petram sua Christus verba direxit. Vnde alijs constare potuit præueniendo ex dono quidem gratuito Dominum ita ligandi, & soluendi potestatem dedisse, vt perindè, ac illam à Petro accepissent, illius imperio subderentur. Quare successor Petri se habet, vt Petrus, Cæteri verò Episcopi cum donum illud gratuitum à Domino minimè sint assecuti, in eo Apostolis succedere nequeunt, sed in alio tantùm, quo fuerint Petro minores. Quomodo ergo æquales omnes, Iam desine complicare, & nugas super nugis imponere.

Pro me facit decimo loco posita ratio tua Lutheri. Iam enim tibi acceptum referimus, quod in partes nostras licèt non libens, sed nescius venis. Hæretici sunt inquis, qui subsunt modò Romano Pontifici, & qui antea non subiacuerunt, Hoc est quod tibi toties imputamus. Ergo tota primitiua Ecclesia saltèm per annos 400. fuit in hæresi constituta, mentiris. Non fuit, sub Petro, hìc iacet lepus, hoc probes (quod à principio disceptationis tibi oneri incumbere videbatur) & herbam dabo. Primæua sanè, & quantumuis minima, ac ab ineunte ætate sub Petro, tamquam omnium Christianorum Principe constituta fuit Ecclesia, postquam Dominus ad superos euolauit. Licèt fortè (vt toties dictum est) modestiæ cuiusdam causa, Quæ tempori conueniens videbatur sua tantùm in alios auctoritate vti noluerit. Quid tamen latras Petrum hæreticum, cùm Hierosolymis aderat. Non enim Romanus Pontifex à Roma, sed à Petro est summus, qui Domini monitis Romæ Sedem suam instituit.

Nihil me molestat vndecima Lutherij ratio, qua Hierosolymitanam Sedem cunctis præponere studuit. Namque satis supra dum Anacleti Pontificis Martyris. 22. distinct. cap. Sacrosancta. Egimus defensionem, ea de huiuscemodi Ecclesiarum ordine explicauimus, Quæ Lutherius forsan excogitare non potuit. Et si enim Prophetæ complures inde legem exituram, Verbum Domini nasciturum, ibi Dominum gloriam suam daturum commemorent, vbi Christus Pontifex, & oblatus, vbi sanctus, qui missus est, spiritus susceptus, & inde in omnem terram verbi Dei sonus egressus est, Tamen cum locus ille non futurus erat locus imperij, cum eadem ratione Christianæ pietatis amplitudo non ita commodè fieri potuisset, si Petrus suam Sedem ibidem collocasset, Cum item à Iudæis humani generis seruator Iesus ibidem maximam iniuriam accepisset, Cum illi ciuitati, quàm propemodum ruituram, & fineret, & prospiceret, Dixisset Matthæi 23. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, &c. Et dum crucifigendus incederet flentibus mulieribus Lucæ 23. filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros, Cum (vt refert Ambrosius in epistola ad Auxentium) Christi monitis vinculis solutus abiens Petrus Romam denuò ad carceres redijsset, cum denique maximus ille Christiani nominis proclamator Paulus dum in vinculis detineretur, se Romæ iudicandum fore à Domino habuisse, dixisset, atque ita sub Nerone ibidem sacrum sui corporis piaculum persoluisset, diuinitùs Romana Sedes aliarum princeps creditur instituta.

Eat modò, dicat, qui potest aduersùs hæc, inquit Lutherius. Dixi ego. Dicas tu modò ex aduerso, quæ potes. Si Hierosolymitana Sedes præponenda erat, cur eam ciuitatem in detestationem criminis ruituram meminerit Dominus, cur tam acris inediæ, incendij sanguinis afflictiones perpessa, & demum euersa est? Cur Dei iussu, aut permissione Petrus Ecclesiarum caput de suo, vt proculdubio credere par est, mysterio optimè instructus suum ibi sceptrum non posuit? Cur enim-

eumdem carceres exeuntem Hierosolymam, vt crucifigendus accederet, veluti, vt Romam rediret, Christus nequaquam admonuit? Cur denique tot annos cum tanto imperij flore, & incremento Romana hæc iurisdictio conualuit, perdurauit? hac in re multa alia dici possent, quæ supra retulimus aduersùs te, qui homo es, & sanè de humanitatis nomine immeritus, quòd nimium tumeas,

CAP. XXXIV.

Quid Nicæna Synodus de Vrbis Romæ sollicitudine, & cura, de Episcoporum creatione, de Hierosolymitanæ Ecclesiæ prærogatiua statuerit. Cur ex Apostolorum ordine aliæ Ecclesiæ institutæ non fuerint, Quomodo duplex in Ecclesia Caput, merusque Sacerdos in necessitatis casu, cum Papa, aut Episcopus non sit, ea, quæ ad illos pertinent, valeat exercere.

INsurgat denuò, insistat malus iste vir, & pro duodecima ratione apud Nicæam Bithiniæ celebratam Synodum afferat, vt videamus, an magis illi, quàm nobis, nec ne in sententia faueat. Statutum eo in Concilio legitur, in Vrbe Roma, & Alexandria vetustam consuetudinem seruari debere, vt earum, quæ sunt Ægypti ille Pontifex, hic vero suburbanarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.

Exclamat inde Lutherius Concilium hoc sacratissimum non modò non dat Primatum Romano Pontifici, sed ex vetusta consuetudine, non iure diuino suburbanarum Ecclesiarum sollicitudinem tribuit. Si ergo me hæreticum dicis, concilium hæreticum statuas. Cui non possum, & frigidissimis decretis pariter, tamquam duobus contrarijs dominis obedire.

Rectè quidem exclamare potest iste vir, sed à paucis auditur, qui ambulent in viam Domini, & per rectas semitas eius discurrant. Quid tantum clamoris, quid duobus nequis Dominis seruire contrarijs? Quid Nicænam institutionem extorques? quæ non tua, sed nostra est, si rectè intelligatur. Romanæ Vrbis seruandam antiquam consuetudinem statuit. Verùm est, quoniam de illa disponere potuit Synodus, de Primatu nullam faciens mentionem, ob id quod diuinitùs est illi concessus. Vnde licèt Romana Sedes super vniuersas terrarum Ecclesias iurisdictionem obtineat, tamen proximam quamdam sine aliorum Episcoporum, seu Metropolitanorum ministerio certæ regionis administrationem suscepit. Quæ lege, & consuetudine potuit variari. Non enim solus Pontifex Romanus pro Episcopo toti orbi sufficeret, licèt amplissimam passim habeat potestatem. Clarum est quid velit sanctio illa, quæ Alexandrinæ quoque Ecclesiæ sollicitudinem, & curam definit. Sed Lutherij intellectus obscurus, & denigrata voluntas.

Quod item Concilium de Episcopi ordinatione, quæ à Prouinciæ Episcopis fieri debeat, non à Romano Pontifice, pro tertiadecima ponitur ratione, facilè quidem exponitur. Non enim ius ordinandi, seu rectiùs instituendi Episcopi Romano Pontifici adimit eiusmodi constitutio, sed quod in populi, totiusque cleri manibus constitui videbatur, ad Prouinciales deducit, quibus planè veluti omnis eorum iurisdictio, ita etiam ordinatio Romani Pontificis auctoritate concessa est. Inde etenim omnis institutio pendet, omnis actio, omnis eligendi, aut ordinandi forma. Quippè cum Pontificis Summi, aut iussu, aut consensu, aut permissione quocumq; tempore eiusmodi facta sint omnia, ab eo tamquam à primo principio profecta esse intelliguntur.

Quod item quartodecimò in ea etiam Synodo statutum asseritur Hierosolymitanæ Sedis debere antiquam prærogatiuam seruari, non cogit Romanam illi honore parem, aut inferiorem existere, seu haberi debere. Nam de nulla alia prorsus mentio facta est. Si dixeris secundo loco habebatur priùs, verum est. Itaque contra Nicænam Synodum modò factum dignoscitur, quod sit in vltimo constituta, nihil prohibet. Namque per aliud Concilium illud sancitum est. Quod cum diuino iure non habitum diceretur, facilè potuit immutari. Quod si velut vnum ex quatuor Euangelijs illam Synodum nos venerari debere subiunxeris, in his, quæ ad fidem pertinent, id habere veritatem intellige.

Quid est quod rationum numerum auget, cum easdem millies repetat iste homo, cum aliàs (vt accepi) soleat esse in scribendo breuissimus, in causa certè nil aliud esse puto, quàm vt literarum ignaris lectoribus, quod ratione probari non poterat, per repetitionem tenaciùs imprimeretur.

Arguit quintodecimò. Si Petrus Romanam Ecclesiam principem fecit, cur à Iacobo Constantinopolitanam secundam, & à Ioanne Ephesinam tertiam esse non dicimus, quos vnà cum Petro Ecclesiæ columnas ad Galatas 2. scribens Paulus appellauit. At ordo iste seruari non consueuit, humano itaque iure Petrus primam fecit Ecclesiam. Item cur Hierosolymitana his omnibus quarto loco postponitur, quę Christum Pontificem habuit, quæ eos ipsos Apostolos, Petrum, Iacobum, Ioannem ferè super alios constitutos christiani nominis, & pietatis præcipuos tenuit.

Sæpius hæc ratio dissoluta est, sed denuò amore Lutherij dissoluatur. Petrus enim primam Sedem Romæ constituit, quoniam ipse primus, & aliorum Apostolorum caput est à Domino institutus. Nullum verò deinde ordinem inter eos positum ex euangelicis verbis accipimus. Atque ideò nullum penitùs tuum, quo id tentas adstruere, est argumentum. Tres verò illi columnæ à Paulo vocitantur, quod viuens Dominus eos præ cæteris diligere visus est, post cuius etiam obitum honore præferri ab alijs videbantur, nulla tamen auctoritatis, aut potestatis eorum series inde, aut ordo ex scripturis conijcitur. Hierosolymitanam autem Sedem, quæ Christum Pontificem habuit, vltimo habendam loco

loco ratio facit, quoniam (vt dictum iam est) suum ea ciuitas Pontificem interfecit. Vnde lege etiam nostra hac tempestate cautum esse, vt ciuitas in perpetuum pastore vacet, quæ suum Episcopum interficere consueuerit, vt habetur 25.quæst.2. cap. ita nos. Piget me toties vnum, & idem repetere, ne te pigeat lector, qui Lutherianis hæresibus tantoperè afficeris.

Decimosextò vt nugis suis coronidem,& postremam manum imponat Lutherius,infert. Si Petri successores ex verbo:Pasce oues meas, eammet potestatem habent, quam Petrus, ita Ioannis successores Mariæ filij dicentur, quoniam de ipso Dominus moriens cum sermonem habuerit, dum diceret, mulier ecce filius tuus. Item soli successores Iacobi, & Ioannis essent filij tonitrui, quia eo nomine illos Dominus appellauit, & Iacobi minoris successores Domini fratres. Vides lector quæ garrit prophana, nimiùmque procax istius hominis lingua, vt in fidelia pectora suam hanc tot capitum hydram insculpat. O iniquissime fratrum quanto cum mysterio prolata sunt ea Domini verba: Pasce oues meas. Memineris illi respondere illa, quibus eidem Petro ligandi, & soluendi est data potestas. Quibus etiam super eum Christus Ecclesiam ædificari commonuit. Aduersùs quam nullæ gentium potestates, nulla vis, nulla spiritalis, aut temporalis machinatio præualeret, quod esset vsque ad consumationem sæculi duratura. Mariæ filius datur Ioannes, vt Ioannes, non vt Apostolus, non vt Episcopus, non vt verè filius, quod eius filius verè non fuerat. Alioqui duarum matrum vnus, & idem filius esse potest. Mirum etiam est, te id tuis rationibus non adstruxisse. Item Iacobus, & Ioannes non vt Episcopi sunt filij tonitrui appellati, neque Iacobus minor ea ratione dictus Domini frater, quemadmodum Petro, vt Apostolo, & Pontifici vt generali Christi Vicario, qui futurus erat, ea dicta sunt verba: Pasce oues meas. Disrumpor tanti erroris, & procacitatis impatiens, quantus in hoc confusionum omnium,& puerilium ambagum labyrintho conspicitur.

Quis nescit denique vniuersalis Ecclesiæ Caput Christum Dominum haberi, & esse? Quis negat hoc? Quid Matthæi verba, quibus nobiscum illum esse vsque ad seculi consumationem profertur, Christi Vicarium esse nobiscum impediunt? Christus, qui in Cœlis est, nobiscum, nisi in Sacramenti specie conuersatur, nobiscum est, idest, semper terrenum regit imperium, sed Vicarium eius propterea, qui necessarius videbatur, pro suæ Reipublicæ ordine, non excludit. Dùmque fideles persequitur aliquis, Christum persequi dicatur, quoniàm ipse fidei Caput, & Princeps. Vera sunt hæc, immò verissima, quæ tamen nostrum nobis Pontificem Christi Vicarium, & Successorem in terris, visibilemque Principem nō auferunt, sed statuunt, sed approbant, sed confirmant, sine quo Ecclesia est sine Capite, quod ministerij fungatur officio, licèt præcipuum in Cælis caput obtineat. Viuo autem Pontifice Christus solus pro Capite non habetur, quoniàm sui ipsius Minister, & Vicarius esse non debuit, aut fortasse non potuit. Neque duo in hunc modum Capita insulsè Ecclesiæ tribuuntur, quorum alterum præcipuum quidem est, in cuius virtute omnia peraguntur, alterum verò tamquàm illius Minister Prouinciam sibi demandatam exequitur, capitosus es nimiùm (crede mihi) Lutheri, cum hæc tam ridicula sophismata pro rationibus firmis attuleris.

Conclusio est (audite omnes, qui cordis penetralia cupitis viri huius agnoscere) in articulo mortis omnis Sacerdos est Episcopus, est Papa, quia necessitatis gratia plenitudinem potestatis obtinuit. Ergò nec Episcopis Papa, nec Presbyteris Episcopi sunt Diuino iure maiores, quoniàm id omnibus extat incommutabile. Quoad Ordinem (ò male dixerim, an pessime vir) simplex Sacerdos, & præsertim in isto casu pro Sacramento Pœnitentiæ impertiendo cum Episcopo, & Papa concurrit, quemadmodùm verum est Episcopum, & Papam non esse simplici Sacerdote maiorem. Sed quo ad iurisdictionem, ò iactabundissime Ardelio quomodò illud deduces? de quo sermo, & disputatio nostra est. Vsque adeò sua hac peruicacia insanit Atlanticus iste Lutherius, vt in fine resolutionis de potestate Papę oblitus sit, quomodò habeat intelligi titulus quæstionis. Non enim satis est ludibrio ascribendum erat, vt à magno illo, sanctoque viro Dionysio Areopagita Pauli discipulo dissentiret, qui tres, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi distinctos Ordines in Ecclesia statuit. Non satis fuit Arianorum hæresi manus dedisse, sacrosanctum Cōstantinopolitanum Concilium spreuisse, Constantiæ œcumenicam celebratam Synodum reiecisse. Antiquissimas sanctorum Patrum, & recentiores Constitutiones irrisisse, vt tot maximorum Theologorum,ac innocentissimorum hominum dogmata posthabuisse, Dei Optimi Maximi voluntatem, auctoritatem, prouidentiam non timuisse, solam eius permissionem in Constitutione Pontificis admisisse, nisi hoc etiam ad sui laudem, & gloriam maximè accederet, qui seipsum, & sententiam suam neglexerit, quod quærebatur ab initio, obliuioni mandaueris.

COELE-



COELESTINI SFONDRATI S. R. E. CARDINALIS.

GALLIA VINDICATA.

DISSERTATIO SECVNDA.

In qua refutantur, quæ Maimburgus in fauorem primæ Propositionis Parisiensis, contra Summi Pontificis in Reges potestatem, in Libro de Institutione, & Priuilegijs Romanæ Ecclesiæ conatur producere.

Maimbourg Traitè Historique de l'etablisement, e Prerogatiues de l'eglisse de Rome Anno 1685.

Cœlestinus Sfondratus, nobilissima, & perantiqua familia, vltrà innumeros sago, & toga celeberrimos, insignem Gregorium XIV. enumerante Mediolani natus adolescens duodecim annorum ad comparandam linguam in Germaniam missus, Rosaci ad locum Acronium in contubernio aliorum Adolescentum sub cura Patrum San-Gallensium prima studiorum rudimenta posuit. Erat feruenti, & generosa indole, ingenijque præstantia omnibus longè Superior. Biennio Rosaci literis, ac pietate excultus amorem Religionis Benedictinæ concepit, petijtque in Monasterio S. Galli inter alumnos recipi, qui antequam in tyrocinium admittantur, vno, alteroue anno spiritus, & vocationis suæ documenta dare solent. Monachum demùm indutus exacto legitimo tyrocinij tempore, Religione Monasticæ disciplinæ obseruantia omnibus exemplo, & doctrina admirationi fuit, adeòut nondum Sacerdotio initiatus Campidonæ Theologiam docuerit, indè ad Sanctum Gallum vocatus Philosophiam, Theologiam, & Ius Canonicum interpretatus S. Gallo doctissimos discipulos dedit. Quos in doctrina instituerat, eosdem in Religiosæ vitæ exercitijs instituendos Superiorum imperio, finito Theologiæ cursu suscepit, factus Iuniorum Professorum, & Nouitiorum Magister. Ex domesticis parietibus in publicam arenam eumdem eduxerunt Moderatores vniuersitatis Salisburgensis, qui doctrinæ eius fama exciti ad explicandum Ius Canonicum eum euocarunt, qua prouincia priùs Theologiæ laurea donatus publica fama defunctus est: Salisburgo reducis virtutem Abbas experturus Rosacum ire, & in vicino monte facelli Rustici curam agere iussit, quo Dominicis, festisque diebus sacra obiret, & ad populum Germanica lingua diceret. Abest id sacellum à Monasterio Rosacensi Leuca Germanica, situm in monte difficili itinere; quod pedes conficere solebat, & cœlo pluuio rustico equo vehebatur. Interea temporis, dum eo munere fungeretur Phi-

Philosophiam composuit typis San-Gallensibus excusam. Abbas patientiam, & virtutem eius honoraturus illustre hoc sydus è tenebris in publicam lucem transtulit, nam ad S.Gallum auocatum, Vicarium in Spiritualibus Generalem constituit; quo in munere prudentia, zelo promouendæ Religionis, & ardore sanciendæ disciplinæ Ecclesiasticæ plurimùm enituit à Clero pariter amatus obseruatusque. Interea Innocentius XI. Pontifex Maximus, & de Catholica Religione optimè meritus zelum eius, quem in defendendo Iure Pontificio ostenderat Episcopatu Nouariensi remuneratus est; Quàm præter expectationem ea dignitas fuit, tam humiliter, generoséque eam à se amoliri conatus est, scriptis ad Eminentissimum D. Cardinalem Cybo literis deprecatus, vt sua opera apud Pontificem intercederet, ne ex humili, quietaque Monastica vita in publicas curas raperetur, & ea omnia media adhibuit ad reijciendum Episcopatum illum, quanta vix auidissimus adhibet adconsequendum. Verùm reiectæ in alterius detrimentum ingens preces, & aucta è grandi modestia Romani Pontificis auiditate; alijs, eisque efficacioribus literis inuitum onus subire coegit, dum ad iter se parat, longæua senectus Abbatem ad tumulum, vt Cœlestinum ad Mitram vocauit. Renuntiato itaque Episcopatu Abbas creatus nihil de studio in summam Sedem remisit, nam curas Abbatiæ cum zelo tuendi ius Ecclesiæ partitus illi diem, huic noctes impendit, ex quibus eruditis vigilijs nati sunt libri publico applausu excepti. Gallia videlicèt vindicata, Immaculata B. Virginis Conceptio, eiusdemque Symbola, & Icones. Duæ contra Hæreticos dissertationes de baptismo infantium. Item morti proximus edidit librum, cui titulus Nodus Prędestinationis quantum fas est homini dissolutus. Reliquit imperfecta duo opera, Historiam Atheismi, & dissertationes contra pestilentem librum Heideggeri Tigurini, cui titulum fecerat. Meretrix Apocalypsica. Reliquit prætereà tres tomos M. S. Commentariorum in Ius Canonicum, & opus de probabilitate. Erant ista opera partus, vt plurimùm nocturnarum vigiliarum, publici tamen muneris sui, vt Princeps, & Abbas nihilominus numquàm oblitus, ostendit vtrique se parem esse. Quippe ad instaurandam disciplinam Ecclesiasticam Rosaci conuentum Parochorum ditionis S.Galli egit, editisque Sanctissimis constitutionibus, Religioni, & disciplinæ consuluit. Quin & publici boni, & creditarum sibi animarum amor eum in Cathedram, quod antea numquam in S.Gallo fecerat transtulit, ex qua dixit ad Populum in S.Galli Basilica, & in vicinas etiam Parochias progressus tamquam fidelis Paterfamilias subditis suis triticum Diuini Verbi dispensauit summam Curam Iustitiæ administrandi habuit, à qua nullo respectu, nullisque precibus abduci poterat. Reis, in quos publica pęna animaduertendum erat, cum vitæ gratiam facere non posset, ad mortem fortiter, patienterque ferendam publicis, & priuatis precibus, sacrisque succurrebat. Pauperum cura illi maxima, & vltra vires in eos liberalitas iuxta Ambrosij monitum pauperes subleuemus quantum possumus, & plusquam possumus. Cum enim Cæsariani in Heluetios, seu Gallici nominis studiosiores vindictæ cupidi lacum Constantiensem celocibus armato milite instructis infestum reddidissent, annonæ inopia laboratum est, in hac publica calamitate emicuit paternus amor, Eleemosynarium suum totius Ditionis pagos, vicosque obire, inopum, ægrorum, senum, Infantium numerum inire; & in singula capita quauis hebdomada certum panem, farinamque diuisit; quin ingrauescente hyeme vestitu, lignisque ad parandum focum subuenit. Hæc charitas vltra biennium Cœlestinum occupatum habuit, subductisque rationibus compertum est in Monasterio S.Galli dumtaxat in pane, & farina octo Florenorum millia in annum impensa, præter pecuniam, vinum, vestimenta, medicinas, quæ liberali manu distribui iusserat, eamdem charitatem in cęteris Monasterij Præposituris, & Præfecturis exerceri voluit. Complures infantes solatio parentum destitutos suis sumptibus ali, educarique fecit. Hæc charitas publicum illi amorem magis conciliauit, nec mirum est eius è S.Gallo discessum publicis lachrymis deploratum. Cum suis Religiosis potiùs, vt indulgentissimus Pater, quàm Abbas egit, nihil enim pro imperio iubere solebat, sed rogantis, & suadentis amore, & omnia exemplo, & suauitate extorquebat. Eos sæpè feruidis exhortationibus ad pietatem animabat; ægrotantes largissimè prouideri iubebat; Officijs Diuinis antemeridianis cum pro vasta negotiorum mole interesse non posset, Vesperas tamen, & Comple-

pletorium sepositis omnium curis frequentabat. Quæ vitam eius priuatam, & exercitia pietatis spectant in publicum pauca emerserunt cum semper summo studio æquè celaret, ac frequentaret. Vnum celari non poterat. Singulis annis leprosos inuisere solitus erat, quos breui admonitione ad patientiam Christianam, & morbi ignominiam piè ferendam cum animasset, eorum pedes prostratus singulis osculum imprimebat, largàq; eleemosyna donabat. Ea victus potusque parsimonia vtebatur, vt numquam nec leuiter excessisse notatus fuerit, obseruatumque cibos suauiores, quibus eum affici certum erat, in instrumenta mortificationis conuertisse. Demum Sacra Purpura ab Innocentio XII. Pontifice Maximo donatus renunciata Abbatia, Romam Profectus valetudine, qua aduersa iam ab anno vno vtebatur infra sex menses ad extrema deductus est. Supremum morbum inuicta constantia, & resignatione Principe Ecclesiastico digna sustulit. Quin cùm de recuperanda salute spes inijceretur, aiebat, si ex voto meo agendum esset, mallem mori potiùs, quàm viuere, quid enim in hoc mundo præter labores, & pericula Deum offendendi lucramur. Cum de nimia debilitate lamentanti R.P. Carsucchi S.I. Christi agonizantis verba suggereret. Tristis es anima mea vsque ad mortem, reposuit. Non sum tristis sed afflictus, tristitiam meam tristitia Christi sanauit. Prælegi sibi voluit orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & symbolum Nicœnum, idque tractim, & morosè. Cùm sacro Viatico refectus fuisset ad Circumstantes dixit. Duę causæ sunt, quare mors mihi grata accidat; Prima est, quod ista mors eum in statum me collocet, in quo Deum ampliùs offendere non possum, & hanc gratiam Deum non ampliùs offendēdi pluris facio, quàm omnia bona spiritualia, & temporalia, quæ per omnem vitam facere potuissem. Altera est, quod cùm Deo infinitis titulis obstrictus sim, nihilque habeam, quo meam erga Deum gratitudinem profitear, hanc ipsam mortem eidem in signum Supremi in me Dominij offerre possim. Denique Septembris quarta, hora noctis quarta, cum antea deficiente iam voce ter sacra Iesu, & Mariæ nomina inuocasset, & Angelicam salutationem recitasset, defixis in cœlum oculis, subridenti ore quietissimè expirauit anno ætatis suæ LII. 1696. In eius morte tota Roma, ipsumque eximium Caput Lachrymarum riuos effudit, & veluti pijssimus Pater Filio in tantis diuitijs inopi, exequias, & sacra solemniter in æde D. Cæciliæ parentauit.

Vdouicum Maimburgum, præcipiti iam ætate, & in Occasum vrgente, vita priùs, quàm ardor, vel potiùs intemperies scribēdi deseret; adeò illum, aut aura ex nuperis libris collecta, aut Principis gratia, aut vindictæ dulcedo oblectant, vt supremas etiam horas bello malit, quàm paci dicatas: nec adduci possum, vt credam, veritate illum ad scribendum impelli; hanc enim, quod suprà vidimus, & ex dicendis constabit, toties seposuit, vt neglecta potiùs, quàm amata videatur. Et numquid alia deerant argumenta, in quibus veritati, si hæc adeò placebat, militaret? Sed hoc vnum delegit, quia licèt profano potiùs calamo, quàm sacro dignum, nec satis eius vitæ instituto aptum, quod tot annis profitebatur; aulæ tamen præcharum erat, etsi minùs laudis, plus pretij promittebat. Et in alijs quidem Libris Pontificiam Dignitatem occultis tantùm prælijs, minutisque impetijt, in hoc verò libro, quem refutare aggredimur, plenam aciem instruxit, seque hostem professus est, quamquam maiori pompa, quàm damno. Titulus libro præfixus, [de Priuilegijs, & Prærogatiuis Romanæ Ecclesiæ, eiusque Episcoporum.] Et verò paucis paginis prærogatiuas, & priuilegia absoluit, reliquas omnes, multòque plures illis euertendis impendit; quasi verò subesse Concilio, falli, & errare posse, nullaque in Principes, eorumque Imperia, Religio cùm necessitas vrget, auctoritate pollere, ad Priuilegia Pontificum, aut Episcoporum pertineat; & his tamen totus ferè liber occupatur. Ergo ne titulus quidem, ipsumque limen stratagemate, & artificijs caret; quid erit intrò progressis? & tamen singulis paginis candorem, fidem, innocentiam pollicetur, nec alium ferè reperies promissis largiorem. Ego optima fide omnia in medium producam, & quæ hic Auctor Gallicè scripsit ego latinè reddam, conabòrque, vt nec verba, nec sensus, nec energiam desideres, nec vlla sit Gallis querela celatæ veritatis. Ea tamen omittam, quæ ad causam non faciunt.

§. I.

Refutantur, quæ Maimburgus in Dedicatoria producit. Falli eos, qui putant, hæreticos ad veram Religionem faciliùs redituros, Pontificis Romani Auctoritate minuta.

SVMMARIA.

1 *Referuntur, & refutantur, quæ Maimburgus in Dedicatoria ad Regem præfatur.*
2 *Pontificis potestatem numquam fuisse veram Schismatis causam, sed tantùm simulatam, quod exemplo Schismatis Græci ostenditur.*
3 *Anglicani, Germanique.*
4 *Et Sueci, Danici, iterumque Anglicani, Gallique. Veras igitur Schismatis causas esse odium, ambitionem, & reliquas cupiditates.*
5 *Regiam potestatem, Sacramenta, Cælibatum, & ipsa Concilia abolenda esse, si argumentatio Maimburgi valeat; istis enim multò magis hæreticos offendi, quàm Pontificia potestate.*
6 *Transactiones cum hæreticis semper infeliciter cecidisse, quod exemplis ostenditur Concilij Ariminensis.*
7 *Et Zenonis Imperatoris.*
8 *Et Honorij Pontificis, ac Heraclij.*
9 *Et Caroli Imperatoris.*
10 *Et Eliæ Patriarchæ Babilonici.*

I. EXponit Maimburgus in Dedicatoria, quam Libro præfixit, scriptionis suæ causas, easque in hæc omninò verba, & sensa depromit.

Maimbourg Traitè historiq; de l'etablisebemt, e prerogatiues de l'Eglise de Rome, epistre à Roy.

[Vnum ex præcipuis obstaculis, quæ hæreticos morantur, ne Romanæ Ecclesiæ sinum repetant, eam falsamque opinionem esse, quam tenaciter imbibere, Pontifices videlicet à Catholicis semper omnem Ecclesiam attolli, prærogatiuas huic debitas in eos transferri, immensamque tribui potestatem, nullis terminis septam, imò nec intra aras illam, sacrasque functiones contineri, sed etiam in profana, & Coronas extendi. Hoc hæreticos in Schismate obstinare, quo miserè, diùque conflictantur. Huic malo Ecclesiam Gallicanam prouidisse, quando vulgata nuper Declaratione, & mentem suam, doctrinamque exposuit, antiquæ Patrum doctrinæ simillimam, & moras omnes, quibus hæretici tenebantur, abrupit, denique Regis sui Zelum imitata est, tanto ardore, parique felicitate, suorum, qui erroribus adhuc attinentur, conuersionem vrgentis. Hunc quoque sui librum scopum esse, in quo ea se dicturum, quæ nullis artificijs, nullaque subtilitate euerti possint. Quippe facta narraturum, omni ratiocinio maiora. Quòd si liceat veritatem fateri, Regem nupero edicto, quo propositiones, & Declaratio Parisiensis armabantur, plus Ecclesiæ Romanæ contulisse, quàm omnes retrò Galliæ Reges; illos enim diuitijs, honoribus, ac Imperio auxisse, quibus præstantem illam, florentemque videmus; at fluxa hæc esse, nec Ecclesiæ propria: modernum verò Regem, dum doctrinam, & sensa Ecclesiæ Gallicanæ toto Regno stabiliri iubet, illud simul effecisse, vt Primatus Ecclesiæ Romanæ, veræque illius prærogatiuæ immotæ redderentur, vt hæreticis, qui nullum finem eius impugnandi faciunt, omnis tergiuersandi causa procul esse, velandique à Romana Ecclesia defectionem; vtque illi intelligerent, non esse Gallorum doctrinam, qua ipsi maximè offenduntur, sed quorumdam solùm priuatas opiniones Theologorum nuper in scholis natas, totique retrò antiquitati auersas: sibi iam funere propinquo, nihil gratius fore, si vt socius Regi esse non possit, tot victorias, palmasque metenti (quamquam, & istas precibus iuuet) at saltem liceat aliquid dicendo, scribendoque in eos triumphos conferre, quos quotidie Ecclesiæ adiungat, hæresi debellata.

Hæc omnino Maimburgus in Dedicatoria ad Regem, quæ si in cortice hæreas, plena Religionis, pietatis, & modestiæ sunt, & talia omnino, quæ animos capiant istarum artium ignaros, insuetosque. Credas, illum Areopago, aut Stoa prodire, adeò faciem componit, fingitque virtutem, ac flagrantem se ostentat amore veritatis, tamen in hanc maximè offendit, mallemque erroris, quàm doli accusare, nisi toties peritiam iactaret.

Dicit, [nos Pontifici tribuere immensam, absolutamque potestatem nullis terminis clausam.] Imò quàmplurimos ei terminos ponimus, quippe legibus Eum diuinis, naturalibus, ac etiam humanis, quæ modò Eius statui conueniunt, teneri dicimus. Quòd verò ab alio puniri non possit, id supremæ Dignitatis priuilegium est, ac etiam Regiæ; quæ enim rerum confusio, & contemptus Principum esset, si sisti suis subditis, plectiq; ab istis possent.

Dicit, [doctrinam Propositionibus Parisiensibus aduersam nouam esse. Gallicanæ Ecclesiæ contrariam, & ad aliquorum Theologorum priuatas opiniones spectare]. At verò qua fiducia hęc scribit Maymburgus, quem vtique non latet, doctrinam, & sententiam nostram è Concilijs, Lugdunensi, Viennensi, Constantiensi, alijsque haustam esse, quæ omnia in Reges apertissimè pronũciarunt? quam in Comitijs cleri sub Ludouico XIII. Ecclesia Gallicana professa est? quam præcipui, sanctique Galliæ Doctores scriptis complexi sunt? quì ergo dici potest priuata opinio, quì noua, quam à Concilijs accepimus? aut qua ratione Gallicanæ Ecclesiæ aduersa, quam in Galliæ Concilijs, Comitijsque Gallicana Ecclesia toties expressit? & quam Diui, Bernardus, Thomas, Bonauentura, insignes in Gallia Doctores constanter, clarèque asseruere? sed hæc alibi probata à me sunt, & posteà occurrent. Nunc ad alia conuertamur, quæ sunt huius loci.

Cõcil. Lugd. in cap. ad Apostolicæ de sent. & re iudic. in 6. 1245. Cõcil. Vien. in Clem. vnde iure iur. 1311. Concil. Cõstant. sess. 20. 28. 39. 42. 1414. Comitia Cleri Gallicani apud Grammond lib. 1. anno 1615.

II. Dicit, [Propositiones Parisienses eò spectare, vt circumscripta, minutaque Pontificis Romani Potestate, Protestantibus odiosa, tantò isti faciliùs ad Catholicam, veramque

S. Thomas 2.2.q.1 a.2.2. in corp. & ad 1. & 2. 2. q. 60. a. 6. ad 3. & in 2. d. 44.

q. 9. a. 2. & in 2. ad Corinth. cap. 11. & in ep. ad Philipp. circa fin. & opusc. 20. lib. 3 cap. 10. 17. 19 S. Bonau. de Eccl. Hierarch p. 2. c. 1 S. Bernard. lib. 1. de consid.

que Religionem perducantur, sicque sperari posse Schisma cessaturum, sublatis eius causis]. Hæc Maymburgus speciosè, ac recepto iam more, nemo enim, aut Rempublicam, aut Religionem aggreditur, nisi publici boni obtentu. Sacras prophanasque historias peruolue, reperies, nec Ecclesias hæresi, nec Rempublicam seditione turbatam esse, vt non aliquam boni publici curam seditioni prætexerent; ergo mirum, aut nouum non est, si priuatis studijs, ne oculos incurrant, Religionis & modestiæ velum prætenditur. Quàm verò nihil eorum sit, quæ Maymburgus producit, tu ex sequentibus intellige.

Primò falsum est, Romani Pontificis supremam potestatem veram Schismatis causam fuisse, quamuis forsan obtenta fuerit, & iam paratæ defectioni quæsita. Oportet enim inter Schismatis, & prætextus causas distinguere, isti cùm speciosi sint, & Religionem, pietatem, bonique publici curam ostentent, facilè patent, imò, & cum pompa iactantur; causæ verò in latebris sunt, quippè ex ambitione, quæstu, priuatisque odijs natæ, & quas celari potiùs iuuet, pudeatque proferri. Pertinacissimum fuit Photij Schisma, & Græciæ funestum, quod toties compressum, toties gliscens, resurgensque tamdem in flammam erupit, Ecclesiæ iuxtà, & Imperio fatalem, nec priùs resedit, quàm vtriusque ruina. Veræ illius causæ ambitio, odium, & cupido vindictæ, sed hæc clàm habita, quia fœda profitenti, nec gratiam, plausumque repertura. Quæsiti à Religione prætextus, & mendacijs aucti, vt placerent, caperentque incautos. Bardas Imperatori Michaeli præcharus, & in aula potens Ignatium Patriarcham sanctissimum exilio proscripserat; causa odij, quæ omnibus bonis, solus enim Imperatorem iuuenta, ac indulgentia Barda in omne flagitium ruentem, exemplo, reuerentia, monitisque morabatur, ipsumque Bardam incestis nuptijs iunctum Ecclesia prohibuerat. His ex causis odium: sed ne huic adscriberent, aliæ productæ; affectati Imperij, & quòd cum Theodora Augusta olim Curatrice clàm conspirasset, accusatus est. Eiecto Photium sufficiunt, Bardæ amicum, belli pacisque artibus, ingenio, ac literis summum, sed ambitionis immensæ, ac in omne flagitium promptæ, dum honoribus, quorum cupiditate flagrabat, poriretur; adeò vt ingenij viribus, quo tantùm valebat, etiam magicas artes sociaret; intra sex dies ex milite, & aulico in Patriarcham euasit. Omnes, qui Ignatio studebant, pulsi, punitique, aut præmijs corrupti: sed cùm videret, se, dum Romanum Pontificem amicum, fauentemque non haberet, incertum semper, dubiumque dignitatis suæ fore, hunc omni artificio lucrari studet. Decreta ad illum ab Imperatore Legatio, qua primi ex Aula fungebantur; munera auro, gemmisque grauia; adiecti à Photio Episcopi tres, qui formulam fidei Nicolao exhiberent, literasque offerrent, lacrymis, precibus, ac simulatione plenas, quibus Patriarchatum recusabat: inuitum se, imparemque fatebatur, sed Imperatoris, Cleri, omniumque precibus victum, vt Infulas sustineret, Ignatio spontè digresso, & oneri succumbente. Summa erat, vt Nicolaus Legatos suos mitteret, qui Eccle-

Nicol. PP. encycl. ad Patres, & epist. & ad ep. Orient. Epist. ad omn. fid. V. Baron. ad ann 859. vbi epist. Photij num. 61.

siam Constantinopoli componerent. Annuit Nicolaus, mititque, sed illi, aut pœnis, ac diuturno carcere fessi, aut corrupti muneribus in Synodo 318. Patrum Photio dignitatem confirmant, abrogantque Ignatio Apostolicam Sedem appellanti. Hæc vbi Nicolaus explorata habuit, Photium damnat, priuatque dignitate, & Ignatium restituit. Hinc Nicet. omnes à Photio discedere, ipse indignissimè ferens, Bardæ potentia fretus, omnia pœnis, exitijs, adulationibus, præmijs miscens Synodum cogit, & suffragijs mille subornatis, quamuis omnes ferè repugnarent, in Nicolaum Pontificem anathema torquet. Creuitque audacia Treuirensis, & Coloniensis Archiepiscoporum accessu. Lotharius Austrasiæ Rex Vualdradæ amoribus flagrabat, ardebatque in nuptias; nec potiundi spes erat, viuente Thietperga legitima Vxore: huius repudium ab Archiepiscopo obtinuit in Synodo Aquisgranensi, accusata Thietberga incestus, damnataque, & thoro Vualburgæ concesso. Nicolaus Archiepiscopos tanti, vulgatique mali auctores dignitate priuat, & illi dolore amissæ dignitatis, cupidique vindictæ Photio se iungunt; hinc auctum Schisma, & titulus œcumenici Patriarchæ à Photio sumptus. Sed ne color flagitio abesset, & quod furor, & ambitio erat, Religio putaretur, calumniæ in Ecclesiam Latinam, Romanum Pontificem sparsæ: [Quòd Latini Sacerdotes sacro Chrismate inungant à se baptizatos; quòd aquam Chrismati misceant; quò Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedentem faciant; & denique præter alia, quòd Papa miserabili tyrannide fideles premat.] Tyrannum Photius, & Coloniensis, ac Treuirensis appellabant, à quo tot flagitijs suis pœnam metuebant. Auxit Schisma Bulgariç certamen.

Anno 845. Bogares Bulgarorum Princeps Christianam fidem susceperat; anno verò 856. petitis, impetratisque à Nicolao Papa Legatis baptismo tincti fuerant. Orta post eorum conuersionem altercatio, ad vtrum Patriarchatum ea prouincia pertineret. Romanum, an Constantinopolitanum? Romanus enim totam Europam, Thraciamque complectebatur, vtramque etiam Epirum, Thessaliam, Dardaniam, Daciamque, quas Bulgari inhabitant, semperque à Romana Ecclesia regi solitas. Ipsiq; Bulgari cùm se Romano Pontifici subdidere, suo Regi, non Græco parebant. Lis tamen à Legatis Sedium Patriarchalium pro Græcis decisa. Romani negabant, se hac sententia ligari, quippè ab inferioribus lata. Hadrianus Ignatium Patriarcham, omnesque alios Gręciæ Episcopos, nisi Bulgaria decederent, diris ferit, & dignitatibus priuat: hinc auctæ querelæ, & animorum diffidia, Schisma confirmatum. Cui magna accessio à Michaele Cerulario, omnia Constantinopoli miscente: is enim, quòd è simplici laico promotus esset, timeretque, ne suam electionem contra Canones factam Pontifex Rom. irritam pronunciaret, nec ferret titulum Patriarchæ œcumenici ab eodem Pontifice sibi denegatum, defectionem maturauit, aliosque errores Pontifici, Latinisque imposuit: [Quòd more Iudaico Sabbatho abstinerent; quòd

V. Anastas. in vita Hadr. anno 869.

suf-

V. de error. Cerularij Spond. ad ann. 1054. num. 3.

suffocatis vescerentur; quòd azymos sacrificio adhiberent]. Sed ipse multarum hæresum conuictus à Legatis Leonis Papæ solemni apparatu omni populo, Cleroque spectante, Constantinopoli sacris est interdictus: auctæ in immensum iræ, & in omnes Orientis Patriarchas, quod Photius non potuerat, Schisma est propagatum, ac Pontificis Romani nomen sacris Diptychis erasum. Quod ergo Photius inchoauerat, Michael absoluit, promouitque eius conatus mors Leonis Papæ, & Imperium Theodoræ Imperatricis Patriarchæ obsequentis. Sic Schisma Orientem corripuit, corrupitque. Iam verò in toto huius schimatis decursu facilè obserues, quantum inter causas, & prætextus Schismatis intersit. Veræ causæ, quæ Photium, quæ Michaelem Patriarchas in Pontificem armarunt, æmulatio, ambitio, odium, vindicta fuerunt, metusque impendentium pœnarum, quas flagitijs meruerant; sed pudebat has prodere, palàmque ostentare; quis enim Photio assentitur dicenti: eiurate Romanum Pontificem, quia violari Canones non patitur, quia Eunuchos ex Regio cubili in Patriarchas attolli, legitimos Episcopos exilio pelli, sacras dignitates pretio emi, titulum œcumenici à nobis vsurpari, & Ecclesias impleri flagitijs vetat, pœnasque obstinatis comminatur, & ideò nec nos Pontificem sustinemus, nec vos eum colite: hæc inquam si Photius diceret, quando reperiret socios defectionis?& tamen hoc veræ erant causæ: sed alias quæri oportuit, quæ plus honesti præferrent, magisque animos caperent, obtentu publici boni, Religionem videlicet abusibus corruptam, & potestatem Tyrannidi mixtam; alioquin Photius, quamdiù, nec vindicta, nec odio ardebat, aberatque pœnarum metus, coluit Vaticanum, eiusque potestatem velut sacram aram complexus est, nec priùs euertit, quàm inimicam sensit; quod manifesto argumento est, non eam potestatem Photio displicuisse, ad quam potiùs confugit, implorauitque, sed alias fuisse Schismatis causas, quas videlicet suprà memoraui. Audi Nicetam: [Init itaque consilium Photius de mittendis Legatis ad antiquam Romam à Nicolao Papa Legatos petere, occasione videlicet, vt Ecclesiam corrigeret, nec non illos, qui hæresim Iconoclastarum tuerentur, à christiano nomine omninò rescinderet]. Vides, quanti Photius auctoritatem Pontificis Romani faciat, qua Ecclesiam Constantinopolitanam emendari, & hæreticos exscindi posse sperat, Imperatori, & Patriarchæ inuictos. Nec dubium, si Nicolaus, & Adrianus Pontifices Photij votis annuissent, & huic Infulas permitterent Ignatio raptas, aut impunè saltem grassari permitterent, numquam illum de Schismate cogitaturum. At verò vbi vindicem illum, minacemque viderunt, quid aliud supererat, quàm, aut vt cederent monenti, aut exarmarent feriturum? illud fastus, & ambitio prohibebat, hoc ergo elegerunt, impugnata potestate, à qua vapulabant. Idemque omnibus perduellibus modus, & genius fuit, vt videlicet in caput, & Principes Reipublicæ arma, primò, & ante omnia conuerterent, & cum istis perpetuis odijs confligerent; quippe ijs saluis nusquam tuta defectio. Quid ergo mirum est, si hæretici, alijque istis similes, cùm perdere Ecclesiam, suasque cupiditates explere vellent, in caput Ecclesiæ arma, & odia vertisse: à quo vno cupitis arcebantur? Eadem ergo in omni Schismate obserues,

Nicet. Ign. & Nico. PP. in encycl. ad omnes Patres, & Episcop.

III. Quanta Henrico Angliæ Regi, dum pacato adhuc animo, sanoque esset, Pontificis reuerentia? cuius etiam iura edito Libro, impugnatoque Luthero, asseruit, raro in Regibus exemplo, & forsan vnico. Vbi verò amare Bolenam cœpit fastidire legitimos thoros, Reginam thalamo, Aulaq; submouere, adulteram in amplexu recipere, idque, ne flagitij puderet, nuptiali, publicoque apparatu; nec interim mouere Pontificem posset, vt adulterio, cuius exemplum totam Angliam incendebat, aut subscriberet, aut indulgeret; tunc enimverò declamare in Pontificem cœpit, ac Schisma moliri, eamque potestatem Tyrannidis incusare, quā suis amoribus, incestu, ac adulterio pollutis videbat aduersari. Si ergò diceret Pontifex: [Bolenam obtine, vxorem ablega, incestu, ac adulterio fruere, Angliam exemplo corrumpe, omnes leges, diuinas, humanasque solue, vtque libido fuerit, ama, & iube.] Hæc inquam si Pontifex diceret amanti, & Regi, nunquam se Anglia Schismate obligasset. Illi ergò solùm Pontificem oderunt, qui nollent aliquem esse, quem vereri deberent, quique obstaret illicita cupientibus. Quid latroni, homicidæ, adultero magis in votis, quàm nullum in Republica Iudicem esse, nullas leges? nullumque scelerum vindicem? quantique emerent istos exscindi? Idem aduertas in Lutheri, Caluinique Schismate. Lutherum vitæ Monasticæ tædebat, displicebant ieiunia, vigiliæ, parendi, latendique necessitas, & alia, quæ expiandis criminibus Religio inuexit, noctes præsertim cælibes, castæque, & expertes amorum; quid consilij, vt hæc licerent optata, & tamen vetita? Iudex, vindexque auferendus; is Papa fuit, hoc enim valente nunquam votis Lutherus potiretur, huic euertendo omnia omnibus concessa, persuasum populo, nil bonis operibus opus, Diuina præcepta vltrà vires hominum esse, & ideò nec curanda, fide omnia contineri, implerique, ieiunia, expiationes, & quidquid humanæ, corruptæque naturæ durum, ad fabulas, & superstitiones pertinere, Religiosis sublata vota. Clericis nuptiæ concessæ. Principibus sacra, æquè, ac profana. Quid posset faciliùs persuaderi, quàm ista naturæ blandientia? nàm, & promptissima nauigatio secundo fluuio. Vt verò hæc omnia, & tutò licerent, auferendus è medio Iudex, & ideò omnibus inculcatum, Pontificis auctoritatem non legitimam, nec à Deo institutam esse, sed vsurpatam, tyrannicam, & Antichristo propriam, & ideò nec curandam. Sic Schisma formatum. Nec ferè aliæ rationes Principes permouerunt, vt fidem Lutheri amplexarentur, non tam odio Pontificis, quàm amore libertatis; suarumque cupiditatum, à quibus initium, & ab istis ad persequendos Pontifices progressus fuit, nec priùs persequi desinent, quàm absistant illicitis; quemadmodum non priùs latroni, vt Iudicem amet, persuaseris, quàm aut Iudex ad

latro-

latrocinia conniueat, aut ipse latrocinijs abstineat; Quantumcunque ergò Pontificiæ dignitati abstrahas, nunquam eam Protestantibus conciliaueris, nisi vnà efficias, vt istis, aut omnia liceant, quæ eorum cupiditates permulcent, aut omnia permittantur, Pontifice videlicet, aut muto, aut complice.

IV. Sic Suecia defecit. Cùm enim Gustauus Eriksonius Patriam à Danis oppressam longo bellorum, & victoriarum cursu liberasset, ac ærarium tot belli sumptibus, debitisque exhaustum esset, eique replendo media quærerentur, persuasum ei à Secretario suo est, & quodam Olao Petri hæresi Lutherana iam tinctis, vt fidem Lutheranam amplexaretur, eam enim ad moderni seculi genium esse, ac plerisque Principum placere, & ex illius præscripto omnia Ecclesiasticorum bona, & facultates, quorum tanta copia esset, In Regium Fiscum reditura. Quid posset gratius cani Principi egeno, cupidoque? Ergo Lutheri dogmata recepta, Ecclesiæ, Monasteria, Canonicatus spoliati, opesque Regiæ, tot riuis in vnum alueum ductis, supra modum auctæ, aliqua eorum parte in nobiles Familias sparsa, vt istos nouæ Religioni adstringeret dulcedo prędæ. Idem Daniæ casus. Christiernum II. Daniæ, & Sueciæ Regem subditi Regno expulerant, ob crudelitatem, perfidiamque exosum, eius patruo, Friderico Holsatiæ Duce, in thronum electo. Reliquit Christiernus filium Carolo Imperatori ex sorore, quam Christiernus duxerat, nepotem; hoc paternum Regnum repetente, armisque, ac fortuna Caroli subnixo, Fridericus societatem cum Protestantibus iniit, eorumque Præconibus accessum in Daniam præbuit. Friderico morte sublato, huius filius Protestantium opera patri suffectus est, quem Christiernum III. appellarunt. Hic vt causam suam contra Comitem Palatinum ex Domo Bauarica muniret (is enim Dorotheam Christierni II. filiam duxerat, legitimam Daniæ hæredem) Lutheranis Principibus se fœdere adstrinxit, eorumque Religionem tota Dania induxit, vrgente, præsertim Luthero, & Optimates monente, vt opes à maioribus in Templa, & Monasteria profusas occuparent, Episcopos verò, vt sibi, suisque Clericis socias vxores pararent. Et literis exempla adiecit submisso Ioanne Machabæo, qui Monasterio profugus sacram virginem abduxerat, mereturque Apostolatu fungi tam præclaro facinore. Sigismundus Augustus, cùm Moscouitico, & Tartarico bello premeretur, Lutheri hæresim in Polonia gliscentem exscindere omisit, ne videlicet domi, forisque bellum haberet, & cum illo Stirps Iagellonica extincta est, neglectæ Religionis pœna. Elisabetha Angliæ Regina, Bolenæ, & Henrici filia, cùm se natam videret ex nuptijs à Pontifice damnatis, spargerentque, qui Catholicos oderant, eam vt notham declaratum, abdicatumque iri, translato in Mariam Angliæ Regno; nihil habuit antiquiùs, quàm vt metu perdendi Imperij Pontificem, & Religionem eiuraret, quamuis ei retinendæ se iuramento adstrinxisset. Galliam, quod attinet, certum est, non odio in Pontificem Romanum Caluino adhæsisse, sed Principum æmulatione, ambituque, & quauis ratione suas partes augere properantium. Margarita Valesia, Francisci I. Galliarum Regis soror, Henrico Albrettano nupta, cuius patrem Iulius II. Nauarræ Regno priuauerat, Ferdinando Arragoniæ Rege suffecto, Pontifici ob iniuriam, vt credebat, infesta Lutheri socios in Aulam, in Regnum, in Cathedras accepit, parumque abfuit, vt Regem corrumperet, euocato Parisios Philippo Melanchtone, sed iterùm morari iusso, opera Archiepiscopi Lugdunensis. Montmorancios, & Collinios fratres, Condæumque Principem (quorum ductu hæresis Caluini Galliam impleuit, vastauitque, præpotens facta, cùm Francisco I. & Henrico II. imperantibus humi serperet) Hugonottis adhæsisse odio Guisiæ Ducum, qui fauore apud Regem florebant, & Regno moderabantur, multorum etiam è Gallis opinio est. Francisco II. apostemate extincto Catharina Medicea, dùm Carolus Rex adolesceret, gubernandæ Galliæ successit. Ea seruandæ potentiæ anxia, hinc Guisios Duces, hinc Nauarræ Regem, Condæumque Principem metuebat; istorum ergo vires æquare statuit, minori potentia futuros, si pares, æmulique. Nauarræ Regem Gallię Vicarium constituit, Collinios fratres in gratiam, & intima consilia admittit, Condæum Principem Ambrosianæ coniurationis reum, & carceribus, vbi mortem expectabat, traditum, libertati restituit, sicque dùm istos omnes Guisiorum potentiæ opponit, arbitra interim omnium sedens, morientem hæresim restituit, tot illis Principibus nixam. Immò cùm Nauarræ Rex armatus, minaxque instaret, & sibi, primo videlicet Regij sanguinis Principi, deberi habenas diceret: nec satis à Guisio opis, quem nimiùm, quàm vellet depresserat, potestatem cum Nauarræo partita est, fœdus cum Collinijs initum, libertas prædicandi Caluinistis data, & quod hactenus à morte Clodouei numquàm contigerat, Galliæ Regiam minax, triumphansque hæresis inuecta est, cæpitque dominari; tanti vnius fœminæ imperandi auidæ ambitio stetit; immò & Scotiam perdidit, numquàm enim adduci potuit, vt Mariæ Stuartæ cum Hæreticis confligenti auxilia submitteret, vndè mors Reginæ, ac Religionis secuta. Et quamuis ab Henrico III. Legati in Angliam missi, qui libertatem Stuartæ in speciem vrgerent, neuè eius sanguine secures imbuerentur; occultè tamen, Regioque chirographo additi Elisabethæ animi in Stuartæ perniciem. Causa fuit, quòd vererentur, ne, si ista florente adhùc ætate Elisabethæ superuiueret, præter eximias formæ, animique dotes, quibus animos rapiebat, innctis insuper Angliæ, Scotiæ, Hiberniæque viribus, auctaque in immensum Guisiorum potentia, quorum ea neptis erat, Galliæ coronam occuparent; quod ne fieret, Reginæ innocentis sanguine, ac Religionis iactura fortunæ, ac ambitioni litatum. Hactenus à nobis hæc obseruata sunt, vt intelligas, veras Schismatis, & defectionis causas partim fuisse dulcedinem nouorum dogmatum, omnia voluptati concedentium, quæque tantò faciliùs credebantur; quòd & placerent, & honesti colore pingerentur; partim verò animi passiones, rationem

Florimund. Raymundus lib. 4. cap. 14 anno 1527. Maimbour. Luther. l. 3. fol. 123.

Florimund. Raymundus lib. 4 cap. 13. Spond. anno 1533.

Idem lib. 4 cap. 7.

Idem lib. 6. cap. 10. anno 1558.

Anno 1559. & 1560.

Vide Maimb. Caluin. lib. 2. & 3.

Vide Maimb. Caluin. lib. 3.

tionem secum more torrentis rapientium; iram videlicet, vindictam, odium, cupiditatem, metum, & si qui alij turbines animorum. Nemini verò potestas Pontificum Romanorum causa discedendi, labendique fuit, quòd eam diuinis scripturis, veræquè fidei aduersari putarent, nisi parato iàm, peractoque Schismate; tunc enim, cùm huic purgando omnes rationes quærerentur, contectis veris causis, mirùm haud fuit, etiam Pontifices occurrisse, aut innato omnibus malis in Iudices odio, aut quòd viderent, graras esse populis in maximos querelas, aut denique, quòd numquàm se tutos crederent, valente Pontifice. Exarmari ergò debuit, ne feriret.

V. II. Si ex sententia Maimburgi ideò Pontificia potestas minuenda est, quia Hæretici illam auersantur, & hoc ipsum Propositiones Parisienses spectarunt, an non videt, eadem ratione Regiæ potestati bellum indici? hanc enim non minùs Hæretici, quàm Pontificiam oderunt, & ideò numquàm ferè Regnum aliquod hæresis intrauit, vt non eodem tempore, & Ecclesias, & Thronos concuteret: suntque notissima Belgij, Bohemiæ, Daniæ, Germaniæ, Galliæ, Hungariæque exempla, & hoc ipso tempore, quo scribimus. Quis nescit, quoties in vitam Leopoldi Augusti, veneno, insidijs, apertoque bello, ac Turcis in Austriam euocatis conspiratum ab Hæreticis sit, ductore Tekelio Comite? In ipsa Gallia quater plena acie pugnatum, tercenties minoribus, sed cruentis prælijs, Vrbes captæ, vastatæque, templa euersa, Regum sepulchra, cineresque effossi, species aliqua Reipublicæ in ipso sinu Monarchiæ educta, omnia ferro, ignique fœdata, ipsa Principis maiestas insidijs petita, decemque Gallorum myriades in dicta causa, & nullius culpæ comperti per tormenta consumpti, & denique nihil non actum, vt Ecclesia, Regnoque deiectis hæresis triumpharet. Hæ verè sunt artes, quibus nouum Euangelium ferro, flammaque scriptum, ac sanguine maceratum induci Prouincijs, imperijs plerumque, aut concussis, aut collapsis. Parùm ergò Maiburgus fecit, cùm Pontificiam potestatem circumscripsit, hæresi placandæ; addere debuit & Regiam, quàm non minùs odio prosequuntur, & Sacramenta Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ, Ieiunia, Cœlibatum, Concilia, ac omnia Ecclesiæ præcepta, quæ multò magis, quàm Pontificem auersantur, immò propter illa Pontifices oderunt: fac enim omnia Hæreticis concedi, pax continuò cum Romanis erit, ac diffidia cessabunt, perindè ac phreneticus remedia, non Medicos horret, & cum istis conueniet, si illa sustuleris. Malè ergò Maimburgus Medicum amoliri, non remedia voluit.

III. Sed nec alijs argumentis opus, cùm experientia, & exempla idipsum testentur; dicant enim si possunt, quot ad veram Religionem nuperæ propositiones hæreticos permouerint? an aliqui eorum ideò Catholicam fidē receperint, quia Pontificis auctoritas Parisijs laborauit? immò si verum fateri volumus, plurimùm illis insolentia, & animus creuit, aut quòd gauderent, intestinis nostrorum bellis, crederentque, solutam esse eam Spiritus, & fidei vnitatem, quâ tantopere gloriamur, aut quòd Caluini argumentis Gallos persuasos putarent, ad eas propositiones vulgandas, præsertim cùm viderent, non alijs rationibus eas muniri, quàm toties à se propositis, sicque victos Catholicos, victores se crederent, aut denique quòd scirent, illas à turbaris, iratisquè animis prodijsse, præsertim Tholosani, & Parisiensis Archiepiscoporum, sicquè non tam veritati, quàm æstui, ac vindictæ adscriberent, quæ fidem, & gratiam non merentur.

V. Reg. Sacerd. fol. 88.

IV. Accedit denique perpetuus Ecclesiæ vsus, quæ semper in materia fidei ab huiusmodi transactionibus cum hæreticis abhorruit, quæque nunquam prosperè ceciderunt, nec alium fructum habuere, quàm ut Catholici turbarentur, nec hæretici crederent.

V. Anno 325. damnata in Synodo Nicæna Arrij blasphemia, cùm Patres laborarent, quò maximè nomine Filij diuinitatem exprimerent, nam quæ illi Ariani tribuebant, videlicet [Potentiæ, similitudinis, Imaginis, æterni] æquè creaturis aptabantur; occurrit vox homousij, seu Consubstantialis, quam ex ipsis litteris Eusebij Nicomediensis hausere, is enim tanquam absurdum inferebat, videlicet: [Sequi filium Dei esse Patri consubstantialem, si semel admittatur, esse Increatum.] Intremuit ad has voces hæresis Ariana, quibus se proditam videbat, nullo ampliùs latebris loco; sed communi à Patribus plausu accepta est. Nihil non actum ab Arianis, ut eam expungerent, iurabant, se Catholicos, submittebant se Decretis Nicænis, Filio Dei diuinitatem asserebant, nec æquum esse, ut Orbis, & Ecclesiæ scinderentur vnius vocblæ gratia. Audi Hieronymum: apud quem itá Arriani: [De vsiæ nomine abijciendo verisimilis ratio præbebatur, quia in Scripturis non invenitur, & multos simpliciores nouitate sua scandalizat, & ideò placuit auferri: nec erat curæ Episcopis de vocabulo, cùm sensus esset in tuto.] Et ideò contra hanc vnam vocem, velut arcem veræ Religionis rotis viribus in Concilijs, Hierosolymitano, Antiocheno, Sirmiensi, ac Ariminensi ab Arianis pugnatum est: nunquam tamen persuaderi Catholicis potuit, vt in publicis fidei Confessionibus hac voce absisterent, quamuis eam pomum discordiarum Ariani appellarent, eaquè sublata pacem promitterent. Nec alia de causa Liberius Pontifex, Patresque Concilij Ariminensis in Ecclesia pulsati sunt, adeò vt Hieronymus diceret: [Conclamatam fidem Concilij Nicæni, Orbemquè se Arianum miratum esse;] quàm quòd voce Consubstantialis abstinerent, concordiæ studio. Sed quid hac indulgentia Concilij Ariminensis, profectum est? nisi vt ipsos Patres posteà puderet, & ignauiæ ab Ecclesia, Romanoque Pontifice damnarentur, ipsi verò Ariani in peius laberentur; nam cùm vocem Consubstantialis abiecissent, substantiam retinuere, tum huius pertæsi, per omnia similis, posteà similis tantùm, & randem dissimilem reddiderunt: ranti fuit hæreticis detulisse.

Ambros. de fid. ad Grat. lib. 3. cap. vlt.

Hiero. adu. Lucifer.

Hiero. ibid. Côcil. Arim anno 359.

V. Baron. ad anno 359. n. 38.

Baron. ad an no 482. n. 43. Sexta Syn. act. 13.

VI. Anno 482. Zeno Imperator edictum vulgauit, quod Henoticum appellatum est, spe, obtentuque, Eutychianos hæreticos Catholicis conciliandi. Eius hæc origo. Eutyches

ches Monachus Nestorium, duas in Christo naturas asserentem, dum ardentiùs persequitur, eò prouectus est, ut nec duas quidem naturas & operationes admitteret, sed vnam tantùm. Damnatus est in Concilio Chalcedonensi, sed non ideò error extinctus, quin in multos, magnosquè serperet, Episcopos præsertim, quibus ut maior doctrina, ita maior ambitio, & noui cupido, unde admiratio, plaususquè ingenij. Inter illos Petrus Mogus, quem in Alexandrinam Sedem, qua nuper sceleribus exciderat, Zeno Imperator euexerat, Acacio nitente, & Ioanni Talaidæ infenso, quem Alexandrini elegerant; huic crimini datum, quòd Infulas recepisset, voto eiuratas. Sed veritas erat offensio Patriarchæ, quem electio Talaidæ latuerat, literis casu amissis; sed quod casus fuerat, contemptum arbitrabatur. Mogus Eutychianam hæresim imbiberat, eamdemque Zenoni instillauerat, occultè tamen, ac velo tectam, ne palàm micaret. Persuadet Zenoni, vt Ecclesia discordijs flagrante viam aliquam meditetur, componendæ pacis, animosque sociandi, non quòd pacem curaret, sed vt, quod pugna belloque non poterat, deditione lucraretur, quam si Catholici haud inirent, quòd futurum præuidebat, nouæ causæ suppeterent, eos persequendi. Euenitquè ex voto. Zeno edictum vulgat, additque causas dictu pulcherrimas, sed re inanes. Nicęnum, Constantinopolitanum, ac Ephesinum Concilia recipi iubet, Chalcedonense præterit, aboletque silentio. [Afferuntur, inquiens, nobis libelli supplices, à pijs Monasteriorum præfectis, eremitis, & alijs Reuerendissimis Viris, qui nos vehementer obtestantur, vt sanctissimis Ecclesijs restituatur concordia, membraque membris coniugantur. Nam quia membra Ecclesiæ non coalescebant, factum est, vt infinitæ hominum multitudines partim Baptismatis lauacro carentes mortem obierint, partim diuinæ Communionis minimè participes ex corporis communione emigrarint, quin etiam cœdes infinitæ indè factæ. Quotusquisque igitur est, qui non optarit, ista corrigi, inque meliorem statum reduci, &c.] Vides, quàm speciosæ rationes huic edicto prætexantur, sed quo euentu? tantùm abfuit, hæreticos leniri, pacemque componi, ut illi quidem optatis potirentur, & victoria insolentes, obtentuquè reiectæ pacis, tantò acerbiùs Catholicis insultarent, nec ideò tamen Henotico placarentur. Cùm enim ab Henotico Concilium Chalcedonense non satis clarè damnaretur, à Patriarcha Alexandrino Petro Mogo deficiunt, vnde illis Acephalorum nomen. Ergo nec hæreticis edicto, nec Catholicis satisfactum, auctis potiùs, quàm sopitis turbis, qui plerumque exitus solet esse istarum transactionum, vt bene illic notat Baronius. Et ideò Felix Papa in epistola ad Zenonem scripta, Henoticum perstringens: [Non est hoc, inquit, acerrimum decreuisse periculum, quando nec saucijs firma adhibetur curatio, & sanis ingeritur miseranda contagio. Quid est illud dicere, iam causam nullam superesse certaminis, nisi hæreticis tribuatur victoria?

Baro. ad anno 482. n. 43.

VII. Anno 633. Cyrus Patriarcha Alexandrinus Eutychiana hæresi tinctus, quam tamen studiosè premebat, vtpote toties damnatam; Synodum Alexandriæ cogit, effecitquè, vt Episcopi conciliandæ inter Eutychianos, & Catholicos paci mediam viam inirent, assertis quidem contra Eutychem duabus in Christo naturis, sed vt aliquid ei concederent, redderentque in Catholicos proniorem, duabus voluntatibus, & operationibus suppressis, pro quibus dicendum esse statuerunt, vnam Theandricam, seu Dei virilem voluntatem, & operationem. Causa prætexebatur, quòd ex vna parte, & re ipsa duæ voluntates, & naturæ contra Eutychem docerentur; sicut enim, qui diceret, vas aureoargenteum, duo metalla innueret, vnum auri, aliud argenti; & cùm dicimus, globum terraqueum, significamus globum ex duobus elementis compactum, terræ videlicet, & aquæ; ità qui diceret, voluntatem Dei virilem, duas voluntates, & naturas exprimeret, diuinam videlicet, & humanam. Ex altera verò parte hac moderatione, & vnius vocis compendio omnes hæreses, & bella componi, nam, & Apollinaristas, qui loco animæ, vel intellectus verbum in Christo ponunt, & Nestorianos, qui non aliam vnionem agnoscunt, quàm secundùm affectum, & voluntatem, Eutychianos, qui vnam Christi naturam in eo conuenire, vt vnam voluntatem admittant; istos omnes Catholicis fœderari, duabus voluntatibus non quidem negatis, sed suppressis silentio. Audi verba ipsius Decreti Alexandrini: [Domino Christo vero Deo nostro omnibus præfulgenti, omnesque ad Saluberrimam, & veram eius fidem dirigenti, & in vnam Sanctam, eademque Ecclesiam Catholicam conuocanti præsentem satisfactionem facimus pro vnitate Sanctarum Dei Ecclesiarum.] Et Sergij in epistola ad Honorium: [Multoties Sancti Patres nostri, vt lucrarentur plurimarum animarum salutem, dum alia emergerent capitula, Deo placitis dispensationibus vsi fuisse videntur, nihil de subtilitate Ecclesiæ dogmatum exagitantes, & dicentes, quòd oporteat vtique etiàm in præsenti, dum tantorum millium populorum salus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari. Quomodo enim non esset durum, & valdè onerosum, resoluere, & euertere omnem illam futuram concordiam, atque vnitatem, quæ bene effecta fuerat tam apud Alexandrinam Magnam Ciuitatem, quàm per vniuersas sub ea Prouincias? Hic vides, idem prorsùs à Sergio, & Monothelitis, quòd iam à Maimburgo, iactari, nomen videlicet, & obtentum pacis, ac spem hæreticos molliendi. Sed vana hæc erant, ludebantquè incautos. Re ipsa id Sergius agebat, vt partes suas augeret, tot alijs hæreticis sibi adiunctis, vt Catholicos deciperet inani specie captos, eorumque auctoritate suam causam muniret, vt tutiùs lateret simulata concordia, & larua pietatis tectus, vtque Eutychianismum stabiliret specie oppugnantis, deceptisquè, qui obstare poterant; admissa enim vna solùm in Christo voluntate sequebatur, vt vna esset natura; quid enim natura humana ageret, si operari humano modo, si velle, & nolle non posset? perinde ac si totam in mola ponas, quæ volui non possit, aut lampadem è tholo suspendas,

Sexta Synod. act. 13.

Serg. ad Honor. in 6. Synod. act. 12. V. Baron. & Pond. ad anno 633.

quæ ardere nequeat. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus continuò huic doctrinæ aduersatus est, seu fraudem, seu periculum veritus, deditque ad Sergium epistolas, quibus, ut absisteret monebat, adeò tamen suspectum hæresis non habuit, vt etiam eius preces expeteret, multisque commendaret. Honorius verò Papa adeò captus est tot illecebris ac pompa pietatis, præsertim quòd Leonis magni, & Concilij Chalcedonensis fidem profiteretur, conceptisque verbis duas naturas, duasque operationes assereret, sed tantùm taceri hoc vellet concordiæ studio, & ne aliqui crederent, duas in Christo voluntates fuisse, contrarias sibi, discordesque, quales in nobis experimur, & Paulus deplorat; vt ad Sergium velut ad Catholicum Episcopum, piumque rescriberet, eiusque sententiam de tacendis duabus operationibus probaret, quæ res Honorium hæresis suspectum reddidit, falsò id quidem [vt ex eius epistolis ad Sergium datis clarissimè constat, & ex Dialogo sancti Maximi contra Pyrrhum Monothelitam, vbi duas voluntates, duasque naturas agnoscit] sed tamen ex Sergij voto, Honorij auctoritate ad firmandam hæresim abutentis, nec aliud Monothelitæ optabant, fallacissimo pacis obtentu; ipsumque Heraclium Imperatorem lucrati sunt, à quo etiam ecthesis illa prodijt, tot votis, & Concilijs damnata, ipsique Sergio fatalis, eodem quippe anno vita excessit, quo illa prodijt. Hic ergo fructus compositionis fuit, falli, scindique Catholicos, tegi verò hæreticos, reddique fortiores. Idemque ab hæreticis quæsitum Constantis Imperatoris edicto, quod Typum appellarunt. Paulus enim Patriarcha Constantinopolitanus, & hæresi corruptus, cùm istam vbique, præsertim in Ecclesia Occidentali proscriptam videret, Constanti Imperatori persuadet, vt duas voluntates, aut vnam dici edicto prohibeat, ac silentium partibus imponat; & pax edicto prætenta; vera enim causa, vt notat sanctus Maximus Martyr in disputatione cum Pyrrho, fuit; [vt quoquo modo, vel silentio saltem damnari videretur de duabus voluntatibus expressa sententia.] Et ideò Martinus Papa, cùm in Synodo Lateranensi eum Typum damnasset, egregiè illius causas refutauit; verba Synodi sunt: sancta synodus dixit: [Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur, dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est namque procul dubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones, & altercationes, pro causa fidei, sed non est vtile, & bonum, cum malo destruere bonum, id est cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba, & dogmata, quoniam hoc potiùs exurit, non mitigat.

Epist. Soph. ad Serg. encyc. in act. 6. Syn. act. 12 anno 633.

Epist. Honorij ad Serg

Epist. Hon. ad Sergium in 6. Syn. act. 12.

Epist. Hon. ad Serg. act. 12. & 13. in 6. Syn.

S. Max. in dispue cũ Pyrrho Monoth anno 645.

Concil. Lateranen. sub Mart. Papa Secret. 4 anno 649.

VIII. Anno 1544. maximè enituit, quàm sint inutiles huiusmodi cum hæreticis transactiones, & neutri parti satisfaciant. Decreuerat Carolus Imperator Francisco Galliæ Regi totis viribus bellum inferre, frustra Paulo Pontifice pacem suadente. Eum in finem quanis ratione Principes Germaniæ adiungere sibi statuit. Comitia Spiræ indicta, quò Septem viri omnes, & Ferdinandus Frater conuenere. Protestantibus tantò maior audacia, petendique licentia, quòd Cæsarem auxilij egentem, cupidumque viderent, Ergo edictum Augustanum Protestantibus infestum suspendi impetrant. Secuta alia constitutio, qua pacis, animosque omnium componendi gratia, dum Concilium Oecumenicum conueniret, multa interim statuebantur; eius inter alia capita hæc etiam erant: [Concilium Oecumenicum Christianum, ac liberum in Germania conueniret, aut saltem Nationale. Quòd si hæc haberi non possent, Conuentus proximo autumno, aut vere haberetur, in quo viri docti de Cæsaris auctoritate vsquè ad proximum Concilium decernerent, quid obseruari, quid omitti oporteret, nulla Pontificis mentione, interim supersederetur quæstionibus de bonis Ecclesiæ direptis, Protestantes essent idonei, vt Iudicijs Cæsareæ Cameræ assiderent, vnde priùs arcebantur; Catholici vetera vectigalia Ecclesijs soluerent, etiam, quas hæretici occupabant; tam ex hæreticis, quàm Catholicis ludimagistri eligerentur, & Concionatores, quibus stipendia, vel ex Ecclesijs, vel ex pijs largitionibus fidelium præberentur; vsus quoque Calicis, & Sacerdotum, qui ad Lutherum defecerant, matrimonia permittebantur. In reliquis ferè omnibus, quæ dogmata spectant, iubebantur Lutherani Catholicis assentiri.] Hæc ferè capita illius edicti, quibus, vt vides, aliqua Catholicis, aliqua hæreticis tribuebantur, immò hæreticis omnia, nam Catholicis pleraque demebantur, nullo additamento. Præcipui protestantium edictum respuere, videlicet Bucerus, Musculus, Osiander, Brentius, Fridericus Saxoniæ Dux, & ipse Caluinus. Sed Catholici multò maximè, adeò vt alij Carolum Zenoni, Heraclio, & Constanti compararent, alij palàm ex eo quærerent: An ergo ad Lutherum defecisset? & Paulus Pontifex, quamuis ætate iam præcipiti, multisque vinculis ob Farnesiam familiam Carolo ad strictus, nec eius potentiam veritus tot victorijs florentem grauissimis ad eum literis abrogari hoc edictum, aut corrigi iussit: planè Catholicam Religionem vehementer afflixit, Lutheranis ab eo tempore multò potentioribus, & hæresi palam exultante, ac passim victrice, tantùmque absfuit, hac Transactione eam leniri, ac intra certos terminos contineri, ac Concilio, quod promiserant, submitti, ut potiùs insolescerent, & nunquam magis Concilio aduersarentur. Cognouitque ipse Carolus errorem, quando à Spirensi decreto paulatim recessit, maximo Protestantium dolore, parique indignatione, qui ferre non possent Cæsarem Pontifici obsequentem.

Vid. Palau. hist. Concil. lib. 5. cap. 5. à num. 2. & cap. 6. & 7. & Breue Pauli III. anno 1544.

Maymburgus historiæ, quam de Lutheranismo scribit, hanc quoque de Constitutione Caroli Imperatoris narrationem intexit, eamque eo præsertim nomine excusat: Quòd illa nihil contra Catholicam fidem statutum fuerit, sed duo tantùm in Protestantibus tolerata, vsus videlicet Calicis, & Matrimonia Sacerdotum, qui defecerant. Cur verò tolerari non potuerint duo, quando ob temporum iniurias tolerari tota hæresis debuit? num ergo maioris culpæ fuit, aliqua ferre quàm omnia?] Hæc qui in Maimburgo legat, ipsam verò rerum historiam ignoret, veris-

Maimburg. du Luther. lib. 5. fol. 204.

verissima esse credat, & quibus opponi nihil possit. Cæterùm id Maimburgum deficit, quod toties profitetur, bona vid. fides, & veritatis accurata enarratio. Numquam Paulus Pontifex, quòd aliqua permitteret, toleraret, aut conniueret, Carolum incusauit; quis enim nescit, tolerari flagitia posse, cùm curari non possunt, aut peiora timentur? sed quòd Concilia, Conuentusque, in quibus de Religione ageretur, promitteret, nulla Pontificis mentione, cuius tamen officij, & potestatis est, ea indicere, illisque præsidere; quòd bona Ecclesiastica hæreticis permitteret, spoliatis Catholicis, idque edicto sanciret! quis verò nescit, quantum in simili, imò eadem causa Chrysostomus, & Ambrosius cum Principibus, Theodosio, & Arcadio conflixerint? quòd Scholis, sacrisque Concionibus hæreticos æquè deligi iuberet, eosque stipendijs Ecclesiarum conduci, immenso iuuentutis damno, nec ista Pontificis auctoritate, sed sua sanciret. Et quamuis non perpetuum hoc edictum, sed temporaneum, & prouisorium diceretur, vsque dum vid: [Liberum, & Christianum Concilium, ac Vniuersale conueniret;] verba hæc tantùm erant, rebus cassa, quis enim tam obtusæ mentis esset, qui non præuideret, nunquam pro legitimo, libero, ac vniuersali Concilio à Protestantibus habitum iri, cui Pontifex præsedisset, & in quo ipsi non vota conferrent? perpetua ergo erit contentio, non priùs finienda, quàm Concilium conueniret Protestantibus placitum, nunquam enim placiturum erat. Deinde quis posset spem aliquam concipere, bona, prouentusque Ecclesiasticos semel in manus hæreticorum collapsos, iterum ad Ecclesias, ac legitimos Dominos redituros? ac Protestantes in Scholas, in Cathedras, in Tribunalia, ac Dignitates receptos, illinc iterum, vt primùm Cæsari, ac Concilio placeret, excessuros? Idque euentus comprobauit. Celebrato enim, finitoque Concilio non ideò finita sunt, quæ Cæsar illis concesserat, aut quæ ipsi vsurpauerant. Meritò igitur Spirense hoc edictum Paulus damnauit, rescindique voluit. Nec obstant, quæ de temporum iniuria, ac necessitate dicebantur componendæ pacis. Pax enim, quod toties Pontifex rogauerat, cum Francisco potiùs Galliarum Rege, quàm cum hæreticis componenda erat, id enim, & Religioni, & Imperio, vt posteà patuit, magis conducebat, cessauissetque necessitas, tam multa, & tam noxia indulgendi, pace cum Gallis confecta. Sed dum æmulatio, & cupido gloriæ, ac spes vindicandi Cæsarem vrgent, armantque in Gallos, cum Protestantibus fœdus successit, quod etiam Maimburgus obseruat, deploratque in sua de Luthero historia lib. 5. rarò alioquin Carolo propitius, nisi cum Pontifici obluctatur. Deinde vt bene Pontifex notauit in diplomate ad Carolum; nullum prorsùs est tam malum consilium, quod non specioso aliquo pietatis, aut vtilitatis nomine vestiatur; nec verò tanta necessitas fuerat, vt oporteret, Carolum tam multa circa Religionem, tantique periculi statuere, nec audito, nec rogato Pontifice, imò eius Legato Wormatiæ dimisso, ne à Carolo destinata moraretur. Hæc sola Pontifex arguebat, vt ex illius literis ad Carolum patet, & tamen hæc omnia Maimburgus præterit, producitque in medium, quasi à Pontifice reprehensa, quæ nunquam reprehendit, tolerantiam videlicet Calicis, & Nuptiarum, omittit verò, quæ planè reprehensa sunt. Ergo cùm edictum Cæsaris contra Pontificis sententiam excusat, perinde facit, ac si quis Aduocatus Iudici reum purgaret, tacitis veris eius delictis, ijs verò dilutis, quæ nunquam fecit, & quæ nemo obiecit. Quæ artificia, quantum à candore, & veritate historica aliena sint, præsertim in causis tanti momenti, nemo non videt, abrogantque Maimburgo fidem, etiam vera dicenti, quippe fraudem semel deprehensam semper timemus.

X. Anno 1610. Tentata est concordia Nestorianos inter, Romanamque Ecclesiam. Eius occasio hæc fuit. Venerant Romam, dum illic sacrum tempus ageretur, duo ex Chaldæa viri, hæresi Nestoriana tincti. Excepti humaniter, donatique, & ex illorum numero fuere, quibus Paulus V. Pontifex Maximus pedes abluit, detersitque, ac osculo libauit. Rapuit illos maiestatis Romanæ admiratio, tanta præsertim charitate, ac modestia mixtæ, reuersique in Patriam Eliæ Babylonico Patriarchæ omnia, quæ Romæ viderant, acceperantque, narrant, immenso præconio. Exarsit is protinùs, flagrauitque desiderio Societatis Romanæ, sed obstabat suorum in Nestorium amor, quem vt Sanctum colebant, sciebantque Romanis execrationi esse; modum ergo excogitat, quo & Nestorium, & eius doctrinam retineret, & tamen Pontifici probaret. Quatuor ferè propositionibus totus Nestorij error continetur. Prima: [Beatissimam Virginem nec esse, nec dici debere Dei, sed tantùm Christi matrem.] Retineri hanc propositionem volebant, ea tamen interpretatione mollitam, vt dicerent, ideò à Chaldæis Nestorio addictis non vocari Dei genitricem, quia Deitas non generatur, quantumuis, cùm Christus etiam sit Deus, æquè in hoc sensu Deipara vocari possit. Secunda propositio hæc erat: [Duæ in Christo sunt Personæ.] Hanc sustineri posse dicebant, si duarum Personarum nomine duas naturas singulares intelligas, quas in Christo esse nemo ex Catholicis negat: quamuis etiam vna Persona dici possit, propter vnionem vtriusque naturæ: vnio enim facit ex duobus vnum. Tertia propositio: [In Christo est vna voluntas. Vna, inquiunt, & duplex, quia vtraque natura voluntate sua, & propria pollet, vna, quia perfectè sibi consentiunt. Quarta Propositio: [Spiritus Sanctus ex Patre, non ex Filio procedit;] intellige ex Filio tanquam ex alio Spiratore, aut ex alia spirandi virtute, est enim vnus cum Patre Spirator, & eadem spirandi virtus; in alio tamen sensu, vt duæ sunt, distinctæque Personæ, ex Patre Filioque dici poterat procedere. Sic Babylonius Patriarcha conciliari posse credebat Chaldæos, Latinosque: ambigua vid. verborum forma, & in vtrumque sensum contexta; perinde, ac si vnitas, & veritas fidei ex verborum specie, ludoque, non ex sensu penderet. Missus ad Pontificem Romanum Adam quidam Orientis Archimandrita, & Ecclesiæ Babylonicæ Archidiaconus,

qui si posset, ita Romanæ Ecclesiæ Babyloni-cam sociaret, vt tamen Nestorium retinere, eiusque propositiones liceret, sana tamen interpretatione purgatas. Auditus est Romæ, eiusque subtilitates expensæ, quibus conabatur mendacium veritati, Nestorium Christo fœderare. Sed responsum est illi: [Nunquam einsmodi artificia Catholicæ Religioni bene vertisse: veritatem sine fuco, & larua incedere, sui securam, nec pigmentis, ac velis egere: hanc falsi indolem esse, vt videri pudeat, seque latebris inuoluat. Si rem ipsam tenerent: cur verba refugerent rebus exprimendis necessaria? errorem enim in verbis admissum ad res ipsas deriuari; nam si aquilæ v.gr. nomen equi imponas, non deerit, qui inferat, aquilas hinnire, & quadrupedes esse; non ergo satis esse, vt in rebus fidei, ac Religionis bene sentias, nisi etiam bene loquaris, quippe sermonem animi testem, ac indicem esse, & velut ex sono metallum, ita animum, fidemque verbis æstimari, fallique saltem audientes, nisi illa vero consentiant. Nihil quidem Pontifici supra pacem, & concordiam esse, tamen bonis artibus quæsita, alioquin etiam turpem victoriam pudori esse, nec diuturnam fore, arena tantùm, plumisque subnixam, hoc est, verbis, non rebus constantem.] Hæc Archidiacono responsa, nec ille abnuit, eiurauitque Nestorium, non ideò tamen Patriarcha, Chaldæique permoti, qui erroribus institere: isque perpetuus ferè euentus fuit tentatæ cum hæreticis concordiæ.

Multa ex hactenus dictis colligere liceat; nunquam vid. huiusmodi in rebus fidei transactiones bene Catholicis cessisse, nam & istos turbarunt, nec hæreticos vicere: imò animus istis, & fastus, ac insolentia creuit, seque victores, victos illos ferebant; nec alio fine inducijs illis vtebantur, quàm vt interim suas partes augerent, tantòque liberiùs suis erroribus alios inficerent, quod amici, non hostes haberentur, fallerentque incautos obtentu concordię, mentitæque pietatis, quæ semper fraudi miscebatur. Alij tempus, & occasiones lucrabantur. Alij vt aliquid obtinuerant, gradum ad alia proferebant, nec priùs cessaturi, quàm fastigio potirentur, quod de Arianis ostendimus. Alij denique priuatas affectiones vindictæ, odijque communi prætextu Religionis, & concordiæ celabant, vtramque prodituri, vt illas explerent. Verbo, nunquam feliciter, & fine damno transactum cum hæreticis est, etiam cùm de vocibus tantùm certamen vertebatur; quantò id magis timendum, quando non de vocibus, modoque loquendi, sed de grauissimis rebus cum Gallis confligamur? [Pontifex Concilio subiaceat, Pontifex errare possit, & ideo nemo Pontifici parere teneatur, quamdiu ratio aliqua non obtemperandi occurret, occurret autem semper, & hoc pretio pax cum hæreticis fiat, imò tantùm speretur.] Quæso quid hoc est aliud, quàm Ordinem Ecclesiæ adimere, sine quo non Regna tantùm & exercitus, sed ne familia quidem, domusque priuata consistere potest? quàm Caput, & Gubernatorem è medio tollere, & necessariam imperandi facultatem, trunco corpore, & in casum pendente? & quis tanto præsentique periculo incertam spem emat, hæreticos conuertendi? Quamquam nemo non videt, prætextum hunc esse, speciem inanem fallendis, ludendisque simplicium oculis. Quis enim credat Archiepiscopos ira, vindictaque in Romanum Pontificem calentes, huic bellum intulisse, Religionis potiùs, & concordiæ studio, quàm animi sui, & offensæ causa? & cur illos hic ardor hęreticos conuertendi, ac Vaticanum oppugnandi tunc primùm incendit, cùm vltionem meditabantur? Pace ergo illorum dixerim; quidquid in ijs Comitijs agitabatur, non hæreticis, sed vindictæ datum; odium, non Religio fuit; sed hæc ostendi debuit, vt illud tutiùs, & ex occulto feriret. V. Regale Sacerd. in prælud. §. 2.

§. II.

Agitur de Prima Conuentus Parisiensis Propositione. *Ecclesiæ Gallicanæ consensus pro Pontificis indirecta potestate in Reges, & Principes, eorumque Bona, & Dignitates temporales.*

SVMMARIA.

1 *Ecclesiæ Gallicanæ authoritas Parisiensibus Propositionibus prætexta exemplo omnium ferè hæreticorum, & quam ob causam?*
2 *Authoritas Pontificia in Reges exercita exemplis Galliam spectantibus probatur, & primò Gregor. II. in Leonem Isauricum.*
3 *Et Zachariæ in Childericum Regem.*
4 *Et Stephani Pontificis.*
5 *Et Hadriani in Desiderium Regem.*
6 *Eiusdem Hadriani in gratiam Caroli Magni.*
7 *Et Leonis III. Imperium Romanum in Carolum Imperatorem transferentis.*
8 *Et S. Gregorij Magni.*
9 *Aliud eiusdem Gregorij exemplum.*
10 *Et Episcoporum Galliæ in Ludouicum I. Imperatorem.*
11 *Iterum Galliæ Episcoporum in Lotharium Imperatorem.*
12 *Et Nicolai Papæ.*
13 *Et Hadriani II. in Carolum Caluum.*
14 *Et Fulconis Archiepiscopi Rhemensis in Carolum Simplicem.*
15 *Et Concilij Lateranensis sub Alexandro III.*
16 *Et alterius Concilij Lateranensis sub Innocentio III.*
17 *Innocentij IV. in Fridericum Imperatorem.*
18 *Et Clementis V.*
19 *Et Concilij Constantiensis.*
20 *Et Concilij Viennensis.*
21 *Et Concilij Basileensis.*
22 *Et Concilij Tridentini.*
23 *Et Vniuersitatis Sorbonicæ.*
24 *Et totius Cleri Gallicani.*
25 *Et Testimonijs celeberrimorum in Gallia Doctorum.*
26 *Multa in rem nostram contra Maimburgum ex dictis colliguntur.*

I. PRopositiones nuper Parisijs æditæ, vt tantò pluribus probarentur, auctoritate ac nomine Ecclesiæ Gallicanæ adornatæ sunt, cùm enim nec ratione, nec vsu, nec antiquitate fulcirentur, quin potiùs hæc omnia obsisterent, auctoritas quæsita est,& quod rei deerat, titulo compensatum. Sic falsis, corruptisque nummis effigies,& elogia Principum imponi videmus, vt fallant incautos, tegatque metalli vitium imaginis reuerentia. Quem verò non caperet auctoritas Ecclesiæ Gallicanæ? & istam omnibus ferè paginis Maimburgus inculcat; nemo enim, qui illam Magistram habet, errare se credat, aut, si errer, excusari errorem posse, imò laudari tam grandi exemplo. Et hæc causa fuit, vt nemo hæreticorum Spiritu sancto, alijsque sanctis Doctoribus sua dogmata non imponeret, vt tantò dulciora essent eorum auctoritate, ac exemplis condita. Ebion sanctum Petrum, Ariani Lucianum Martyrem, Origenem, ipsumque Antonium Magnum, Pelagiani Augustinum, Zosimum, Clerumque Romanum iactabant, alij alios. Et vltimis hisce temporibus quid non Lutherus, & Caluinus egere, vt suis opinionibus primitiuam Ecclesiam fauere ostenderent? Ergo nihil noui est, magnos Patronos magnis erroribus quæri, imò & præferri, quo populi saltem studia, animique captantur, istis enim nec tempus, nec cura est, vt, quid singuli scripserint, explorent,sicque magno illo strepitu, vmbrisque nominum ludi se nesciunt, fallique, & tamen falluntur. Idem Maimburgo consilium fuit,cùm toties Propositiones Conuentus Parisiensis pro doctrina Ecclesiæ Gallicanæ iactauit, pulcherrimo quidem, sed falsissimo elogio, nihil enim ab Ecclesiæ Gallicanæ sensu, doctrinaque alienum magis dici aut scribi potuit; toties enim Ecclesia Gallicana,& in publicis Conuentibus, doctrina, exemploque contrarium professa est, vt mirari subeat, quinam sint illi Galli, qui tantùm à Gallis absunt, aut quænam sit illa Ecclesia Gallicana, quæ Ecclesiæ Gallicanæ tantoperè, ac palàm aduersatur, quod iamiam longa inductione, perque omnes Ordines Ecclesiæ Gallicanæ dicere aggredimur, lectoris arbitrio relicturi, vtra Ecclesiæ Gallicanæ sententia dici debeat, nostra, quæ tot sæculis, & ab omnibus Galliæ ordinibus recepta est, & tot publicis actibus expressa, an Maimburgi, quæ nuper, & à paucis, ijsque aut metu, aut spe, aut ira corruptis, Parisijs prodijt.

II. Anno 731. Cùm Leo Isaurus sacras Imagines tota Græcia persequeretur, eosque, qui amplecti hæresim nollent, exilijs, proscriptionibus, tormentis vexaret, ipsius Deiparæ Virginis, omniumque Sanctorum icones in Vrbe Regia vno fasce incendisset, ipsamque Italiam inuaderet, Sicarijs in Pontificem missis, feralique edicto, quo Imagines tollebantur, Romæ proponi iusso, Gregorius II. Pontifex Maximus, cùm nec à Græcis, nec à Longobardis, Venetisque auxilium speraret afflictæ Religioni,fœdus cum Carolo Martello, Gallisque aduersùs Græcorum Imperatorem sancit, Consulatum Carolo Principi offert, cumque missis, acceptisque Legatis, ac iuncto fœdere in Italiam vocat, venissetque, nisi mors occupasset. Erat verò Consulis dignitas supremæ proxima (saltem si Patritiatum excipias) quod Ouidius illis versibus indicat: Ouid. de Pont. lib. 4. eleg. 9.

Qui quamquam est ingens, & nullum Martia summo
Altius Imperium Consule Roma videt.

Solusque Imperator Consulem designabat, vt disertè notat Flauius Vopiscus in Aureliano. Consulis iura, lapsa iam, extinctaque Republica hæc erant: Senatum rogare, ius dicere, tutores dare, manumittere, vectigalia locare, Ludos, & præsertim Circenses edere, annis nomen dare (quod Iustinianus abolitum voluit, & annos ab Imperatoribus dici) toga picta, seu palmata vti, quæ olim triumphantium propria tantùm, purpura, auroque intexta, & quam etiam Trabeam appellabant. Iustinianus voluit lege edita, Imperatores jugi Consulatu fungi. Oblatum ergo à Gregorio Consulatum Romanum Martellus acceptauit, præmisitque Abbatem Corbeiensem, qui fœdus cum Romanis iniret, sponderetque auxilium, ipse secuturus, nisi mors obstitisset. Gregorius nihil interea omittere, vt Leonem molliret, rogare, minari, Italiæ populos, ne à Græco deficerent, quod iam parabant, cohibere, Legatis agere, & totos quinque annos flectendo Cæsari impendere; quæ omnia cùm frustrà essent, Leone implacabili, & in dies peiori, Gregorius coacta Romæ Synodo, vt Zonaras testatur, anathemate Leonem ferit, prohibetque vectigalia persolui, quibus in Italiæ, & Ecclesiæ perniciem vtebatur. Hæc in Leonem Gregorius, quæ vt fiant clariora, Auctorum temonia adscribam. Lipsius de Magistrat. Pop. Rom. cap. 8. Iustinian. Nou. 105. Zonar. T. 3. in Leone circa fi.

Fredegarius, qui iussu fratris Caroli Martelli scripsit, & historiam Gregorij Turonensis prosecutus est: [Eo tempore, inquit B. Papa Gregorius bis à Roma claues venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis, & infinitis, Legatione memorato Principi destinauit, eo pacto patrato, vt ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Consulatum præfato Principi sanciret. Ipse itaque Princeps mirifico, & magnifico honore ipsam Legationem recepit munera magnifica obtulit, atque cum magnis præmijs cum suis sodalibus missis Grimonem Abbatem Corbeiensis Monasterij, & Sigebertum Reclusum S. Dionysij Romam ad Limina SS. Petri, & Pauli destinauit.] Cap. 110. in Chron. floruit sec. 8.

Theophanes: [Comperto Leonis Imperatoris proposito Gregorius Papa Romanus, scripta priùs ad ipsum decretali epistola, qua de fide quidquam statuere, & antiqua Ecclesiæ sancita à sanctis Patribus firmata innouare, aut conuellere, non decere Imperatorem commonet, Italiæ tandem, ac Romæ tributa deferri ad illum prohibet.] Theoph. in Chron. in vita Leon. floruit circa ann. 787.

Et ad annum Leonis 13. [In seniori verò Roma Gregorius vir Apostolicus, & Petri verticis Apostolorum Confessor verbo, & actu coruscans, qui remouit Romam, & Italiam, nec non, & omnia tam Reipubl. quàm Ecclesiæ iura in Hesperijs ab obedientia Leonis.]

Et ad annum 730. [Gregorius Sanctissimus

simus Præsul Leonem per epistolas tanquam impiè agentem redarguens, & Romam cum tota Italia ab eius Imperio recedere faciens.]

Cedr. in Leo. ad an. 9. Cedrenus: [Anno nono Leo impius cœpit de sacris imaginibus euertendis sermonem facere, quo cognito Gregorius Romæ Papa tributis Italiæ, & Romæ eum prohibuit.]

Et iterum vbi de euecto Anastasio in Cathedram Germani egit: [Romæ antè Gregorius Apostolicus vir à Leone ob eius impietatem defecit, & pacto cum Francis ico tributa Leoni denegauit.]

Zonar. T. 3. annal. in Leon. Isaur. circa f. floruit circa ann. 1120. Zonaras in suis Annalibus: [Qua de causa Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiata Præsidis nouę Romæ societpte, necnon eorum, qui illum sequebantur; illos cum eorum Imperatore synodico anathemate obstringit, & vectigalia, quæ ad illud vsque tempus indè pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere.]

Vides in hoc exemplo, quanta cautela, prudentiaque, & quibus gradibus contra Imperatorem Gregorius processerit, quæ nisi obseruentur, plus mali ab extremis hisce remedijs, quàm boni expectes. Primò nullum finem monendi, curandique Imperatorem, per literas, Legatos, preces, minasque fecit; nec ideò abrupit, cùm obstinatum vidit, flectique nescium; ferri potuit, dum intra Græciam sæuiret: vbi hæresis, & edicta in Italiam parabantur, nec mitiora proficerent, ad extrema deuentum est, priùs tamen securitati, quàm remedijs prouisum, nec consilijs inermibus creditum; à potentissimo Principe, amicoque auxilia petita, fœdus coniunctum, vires sociatæ, honores, fascésque Romani, prælidia Imperij, oblati, synodus acta, anathemata vibtata, & tandem rebus omnibus dispositis, maturisque, nec alias motas periculo patiente, Imperium Leoni abrogatum, nec illud totum, sed ea tantùm parte, quæ magis egebat, seruarique poterat Italia videlicet. Tantùmque absuit, hoc exemplo Francos offendi, aut Clerum obluctari, quasi Gregorius inconcessa tentaret, vt potiùs fœdus cum eo iungerent, consulatum admitterent, sponderentque suppetias aduersùs Græcos; agnouit ergo Gallia hanc, quam defendimus, in Pontifice potestatem.

Maimbur. Traité de l'eglise de Rome c. 29. & des Iconocl. T. 1. f. 148. Maimburgus vt hoc exemplo se liberet: [Duas in Gregorio personas distinguit Pontificis videlicet, & Ciuis Romani; vt Pontificem, monuisse, togasse, minatum esse, populos nè deficerent cohibuisse; vt verò inter Ciues Romanos præcipuum, iure naturalis defensionis vsum, cùm alijs Romanis conspirasse, ac iugum Græci Imperatoris excussisse, externo Principe inuocato.] Hæc Maymburgi responsio est, qui eam potestatem, quam nos Pontifici Romano, ipse subditis, & Ciuibus in Reges concedit, eamque ad defensionem iuris naturalis pertinere dicit, & similem ei facit: quam quilibet è plebe habet, vt furenti Regi, aut phrenesi capto gladium extorqueat. Iam ergo Maimburgus potestatem abdicandi Reges subditis Regni, immò vnius Prouinciæ tribuit, an verò id magis decorum, consultùmque Regnantibus quàm si illos Pontifici Romano, Christique Vicario subdas? Quòd si nihil eorum maiestati, quieti, ac potentiæ obstat, vt iudicari, puniríque ab eis possint, quibus ipsi imperant, quantò minùs si ab eo, cui obsequuntur, quemque vt Patrem reuerentur? Quòd si iure naturalis defensionis id subditis licet, ne Respublica concidat, quantò magis eodem iure naturalis defensionis id liceat Pontifici, ne Ecclesia pereat? Nec enim Iura naturalis defensionis minùs Pontifici, quàm Ciuibus permittuntur. Nec erit puto Maimburgus tam inhumanus, vt potestatem extorquendi ferrum è manu furentis Principis quam pedissequo, & lixæ concedit, Pontifici neget; nam si coerceri furentem Principem oporteat, meliùs id, honestiùsque Pontifex, quàm alius fecerit. Vbi verò sunt illa, & ingentia mala, quæ ex hac potestate Pontifici data Conuentus Parisiensis consequi ominatur? Dicunt enim, inuidiosam illam, & grauem Principibus, ac populis esse; at verò, si hanc ipsam potestatem ciuibus, populisque vnius vrbis, aut Prouinciæ tribuas, non erit inuidiosa, non grauis? An vnquam causæ deficiendi, ac Principes incusandi subditis deerunt; si semel id eis liceat? Malè ergo Maiestati Regnantium Maimburgus consuluit, quando non vni tantùm Pontifici potestatem Reges abdicandi permisit, sed singulis pænè vrbibus, ac Prouincijs, nec enim totum Imperium à Leone Imperatore, sed Roma tantùm, & Italiæ aliquot Prouinciæ defecerunt. Huc ergo redit tota Maimburgi disputatio, vt Imperia, quæ nos Pontifici, ille populo submittat, simili damno, & fœdiore seruitute.

V. Reg. Sacerd. f. 242.

Et denique si datur aliquis casus, quo Principes saltem à Regni statibus, & in Comitijs Generalibus exauctorari possint, & subditi iuramento soluuntur; ergo quando is casus adsit, & quando iuramenti obligatio cesset, pertinebit ad Summum Pontificem declarare (ad hunc enim causæ maiores, & iuramentorum spectant, nec Galli diffitentur) si ergo Pontifex declaret, Romanos iuramento Græcis exhibito non vinciri, eosque Imperium alijs posse deferre, certum erit, iuramento liberari, ac in alios Coronas deponi, nulla Imperantium iniuria: siue ergo potestas, quam Pontifices in Reges exercent, sit declaratiua, siue decisiua, & statutiua, certum est, ex principijs Maimburgi negari eam haud posse, eique Reges subiacere, quemadmodum si centum aureos gemmario debeam, quia is adamantem mihi vendidit: eo verò, aut gemmam non exhibente, aut falsam; si iudex pronunciet, me obligatione centum aureos prestandi solutum esse certum est, me nihil debere, nec petere aliquid venditorem posse, quamuis Iudex declarauerit potiùs, debitum nullum, aut extinctum esse, quàm vt illud sustulerit. Sic ergo Pontifex, seu declaret, seu statuat, potest Regibus, cùm necessitas fuerit, Coronas adimere; neque id magis eorum minuit, læditque maiestatem, quàm si hoc ipsum Subditis permittas, quòd facit Maimburgus. Cæterùm hæc ita dicuntur, quasi concedam, Gregorium non Pontificis partes, sed Ciuis egisse, quando Italiam Græcis, & Imperium, & tributa ademit.

Causæ mai. & Iuram. pertinent ad Summ. Pontif. V. DD. in cap. 1. de Tran. Episc. Canum lib. 6. cap. 4. Cler. Gall. ap. Grammond. lib. 1. f. 65. Maim. Tr. de l'eglise Romaine cap. 5. & 13. de iud. & cap. 34. de elect.

mit. Sed veritas est, eam distinctionem frustra à Maimburgo, & infeliciter repertam; frustrà quidem, quia nullo Auctore: infeliciter, quia nullo effectu, immò pari, aut maiori damno; quis enim ferat Maimburgum, toties profitentem, [se omni subtilitate, ac distinctione abstinere velle, solaque historia contentum ea narraturum, quæ vel soli inuidiam faciant, nec ab vllo mortalium negari possint;] nunc verò vbi vrgeri se videt, ad distinctiones recurrere à nullo Auctorum traditas, à nullo cogitatas, quæque nec ipsi Maimburgo incidissent, nisi premente veritate, aut fateri cogeretur, quod nouit, aut dicere, quod nemo credet; nullus enim ex citatis Auctoribus aliud dicit, quàm Gregorium Pontificem ad Martellum Legationem destinasse, Consulatum obtulisse, prohibuisse tributa deferri, & alia, quæ nimis clara sunt, vt corrumpi, aut fuscari sinistra interpretatione possint. Nec tantùm Maimburgo debemus, vt ei nullos testes allegantí, ac post tot sæcula scribenti, nimiùmque partibus addicto maiorem fidem præstemus, quàm Fredegario, Theophani, ac Zonaræ, res suorum temporum, & vicina narrantibus, quibus etiam adde Sigonium ita loquentem: [Gregorius Pontifex decretum proposuit, quo Leonem Imperatorem priorum communione remouit, ac mox Italiæ populos Sacramenti, quo se illi obligauerant, religione exsoluit, & ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent, indixit.] Vbi vides Gregorium non Ciuem, sed Pontificem egisse, ad hunc enim pertinet populos Sacramenti religione absoluere. Idque etiam ex eo euidenter deducitur, quod citati auctores hisce verbis vtantur: [Consulatum sanciuit, tributa deferri prohibuit, vectigalia inhibuit, fœdus cum Francis percussit, ne obedirent, indixit;] quæ verba superioritatem omninò indicant, qualem Gregorius, vt Ciuis supra Romanos non habuit, ea enim tota ad Imperatores, & Exarchos pertinebat, non ergo vt ciuis, sed vt Pontifex Romanus prohibebat, inhibebat, edicebat, inibatque cùm externis Principibus fœdera. Nec obstat, hunc eumdem Gregorium in secunda ad Leonem epistola scripsisse, nullam esse Pontificibus in Reges, eorumque Palatia potestatem: [Nam quemadmodum, inquit Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi; sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi. Additque Maimburgus: His solis verbis debilitatem illius argumenti ostendi, quod ab exemplo Gregorij petitur.] Miram huius præsidentiam iuxta, & simplicitatem! Non obseruantis, quæ à nobis concedantur, quæque negentur; nos ipsi concedimus, nullam esse Pontifici Romano in Reges ordinariam, & directam potestatem, nec ex istorum arbitrio deferri Regna, sed vel successione, vel electione, vel iure belli, alioue legitimo titulo; & quamuis in raro aliquo casu; & indirectè, rebusque in arcto stantibus etiam hoc Pontifici competat, hæc tamen rara, & indirecta, mereque contigens potestas non denominat subiectum, nec ab ea dicimur aliquid posse; sic dicimus, non posse Ecclesiasticos nubere, non posse Principes alieno iuri derogare, non posse carnes Sabbato comedi, non posse Gallos in Romanos Imperatores eligi, & mille alia, quæ absolutam, certisque circumstantijs adstrictam potestatem non excludunt; & hanc ipsam Pontifici permissam ex Gregorij literis deducas; nam in prima ad Leonem Imperatorem hæc habet: [Scire autem debes, ac pro certo habere, Pontifices, qui pro tempore Romæ extiterint, conciliandæ pacis causa sedere, tanquam parietem integerinum, septumque medianum Orientis, & Occidentis, ac pacis arbitros, & moderatores esse. Et epistola secunda circa finem. Et nos culpam peccati recipimus, vt qui potestatem à Deo recepe- rimus, terrena, cœlestiaque soluendi, atque ligandi. Vbi vides, potestatem Pontificiam non ad cœlestia solùm, & spiritualia, sed etiam terrena, & temporalia proferri, quando videlicet necessitas postulat. Sed præsertim ex illis verbis argumentari licet, quibus vt Imperatori in Ecclesias, & Clericorum electiones: ita Pontifici in Palatia, Regesque nullum esse ius dicit. At verò si Clerus Episcopum aliquem hæresi imbutum, aut perduellem eligat, quique Ecclesiam vastet, quis dubitat, si alia remedia absint, nec periculum moras patiatur, posse Imperatorem, tanquam Ecclesiæ Aduocatum, prohibere, ne is eligatur, aut electum Regno, & Ecclesia arcere? Nec pauca sunt huius rei exempla. Si ergo id natura ipsa, ac necessitas Ecclesiæ defendendæ Principibus concessit, quantò magis Pontifici in Principes, & Regna? cùm nihil magis Ecclesiæ noceat, exponatque ruinæ, vt hæresis coronata; si enim tot illa clades, & ærumnas excitauit inermis, & abiecta, quid faciet armata, regnansque? Et experientia plus satis docuit, ex principum Religione etiam subditorum Religionem, fidemque pendere. Cæterùm cum extincto Martello, & Pipino necdum noto, aut rerum potito, auxilium à Francis cessaret, & Græci Exarchum adhuc in Italia, & Siciliam, Calabriamque obtinerent, Longobardi verò hæresi, & armis grassarentur, ac Romæ imminerent, non destitere Romani Pontifices, Gregorius, videlicet II. Gregor. III. Paulus, Stephanus, Zacharias, Hadrianus, alijque apud Græcos Imperatores literis, ac legatis agere, vt in sinum Catholicæ Ecclesiæ redirent, & Romam, Italiamque à Longobardis tuerentur; cùm tandem rebus omnibus desperatis Pipinus, & Carolus subuenere Imperio Græcis adempto.

Epist. 2. Greg. II. ad Leon. Isaur. ann. 726.

III. Anno 752. Contigit auctoritate Pontificis Romani celebris illa Regni Francici de Merouingica in Carolinam stirpem translatio, quæ sola sufficeret, si omnia alia deessent, ad demonstrandum, quę tunc temporis fuerit Gallicanæ Ecclesiæ sententia, tunc inquam temporis, cùm doctrina, ac pietate florebat, omni procul adulatione, & Romana Ecclesia adeò à Longobardis oppressa, vt nihil ab ea sperari, nihil metui posset; nec ferè in historia Gallica aliud reperies pluribus, ac maioribus testibus proditum, vt tantò magis eorum præsidentiam admireris, qui audent tam aperta negare, & oculos Soli claudunt, ne cogantur videre: duplicis culpæ rei, & negatæ veritatis, &

amissi

amiſſi pudoris; quid enim credas, tam certa abnuentibus? Fluxerant à baptiſmo Clodouæi anni quinquaginta duo ſupra ducentos, & Franciam duodeuiginti Principes gubernauerant, ſed ciuilibus bellis, fratrumque diſcordia, ac Regum ignauia res Franciçæ iam ferè conciderant. Reges ruri potiùs, quàm in aula degere, otio & delitijs vitam ducere, præparcis tamen, & priuatæ potiùs, quàm Regiæ ſortis, ratò in publico, niſi cùm Legatos audirent, redderentque reſponſa, nec ea pro arbitrio, ſed ſuggeſta, aut etiam iuſſa, inani Maieſtatis ſimulachro, niſi quòd Solio inſiſterent. Cùm prodirent, plauſtrum pro curru, boues pro equis erant; producta, fluenſque barba, & coma in humeros fuſa; hæc pompa, hoc faſtigium Franciçæ maieſtatis, quod pluribus Eginhardus teſtatur. Ius interim belli, paciſque, ac Regni moderandi penès Palatij Magiſtros; & dum iſti, aut retinendæ potentiæ, aut vincendis æmulis, aut Regibus pro arbitrio deligendis, abdicandiſque certant, Regnum intereà ciuili bello conſumi, Franciæ Prouincias, vt quiſque occupauerat, in diuerſos ſcindi Principatus: Saracenos, Gothoſque aut ſponte, aut in ſubſidium vocatos Galliæ infundi; & quamuis deleti eſſent Martelli virtute, parique fortuna, nulla ſpes tamen componendi Regni, Regibus laſciuia, ac otio torpentibus, Præfectis verò Palatij ciuili bello colliſis, quòd Regij ſanguinis non eſſent, inualida apud populos reuerentia. Nec melior Eccleſiæ, quàm Regni facies. Ærarijs bello exhauſtis, Eccleſiarum decimas, & facultates occupauerant. Ex his ſtipendia militi, Ducibus præmia; quòd bellum contra Paganos, Gothoſque actum, pietas obtendebatur; promiſitque Martellus, omnia Eccleſijs redditurum confecto bello; ſed vt fieri ſolet, inane id ſolatium, & irritum fuit, hoſtes cæſi, fugatique, bellum peractum, Martellus victorijs, ac triumphis plenus, ſed nudæ, ſpoliatæque vt priùs Eccleſiæ; eòque audaciæ, & auaritiæ deuentum, vt Epiſcopatus & Sacerdotia à Laicis obtinerentur, pretioque Infulæ venirent, fœdo quidem, ſed publico mercatu. Quæ poſteà Zachariæ cauſa fuit, vt Pipino priuilegium concederet nominandi Epiſcopos ad omnes Regni Eccleſias, quod grauiſſimi Auctores tradunt. Sic in Gallia res habebant, nec melior aliarum Orbis Eccleſiarum conditio. Italiam Longobardi, Afrique bello, hæreſi, prædatione vaſtabant: Græciam Bulgari, Auares, Saraceni, ciuileſque diſcordiæ, ſed omnium peſſimè Iconoclaſtarum ſæuities: Hiſpaniam, Africamque Alaui, Wandali, Sueci, Gothique, & Turcæ quoque gliſcebant. Crederes, communi bello Eccleſiam peti, ipſamque periclitari arcem Religionis, Longobardis Romam accinctis. Et ecce! cùm minimè crederes, à Pipino Legati, & auxilium. Poſcebat Pipinus Regnum à Zacharia Pontifice, & Childericum Regem deponi, poteratque audax votum videri, niſi neceſſitas, & periclitans Religio excuſaret: [Childericum Regem ignauia, ac delitijs marcere, non ingenium illi regendo Imperio, non ſobolem firmando eſſe, nec maius ab eo auxilium Francis, quàm à ſimulachro gemmis, auroque intecto. Ceſſare populis reuerentiam tam abiectę, deriſæque Maieſtatis: Regnum intereà domi foriſque laborare, quippè nullis legibus plebem, primoreſque frænari Regis contemptu: inſtare Barbaros tota Aſia, Africa, Hiſpaniaque victores: iam quarta vice Pyrænis ſuperatis Franciam irruiſſe: ter à Martello Patre, nuper à ſe victos, deletoſque: redituros tamen, quippè exploratis iam montibus, & niuibus aſſuetos, & tot cladibus aſperatos potiùs, quàm fuſos; ſi vincant, nam lubricam fortunam eſſe, nec vni addictam, quis Italiam, quis Romam, ipſamque Religionem tueri poſſit? Solam Galliam Barbaris obſtare, nec Pipino apud Gallos, dum Corona abſit, ſatis reuerentiæ, ac fidei eſſe, pleriſque Imperium aſpernantibus, Coronæ vacuum. Childerico ſobolis experte, defunctoque ciuile bellum inter æmulos arſurum, irrupturos Barbaros, Patriæ ac Religionis excidio. An ergo non expediat, præuenire potiùs, quàm operiri extrema, & Regem deligere, tot infortunijs, ac neceſſitatibus parem? Id futurum, ſi Pontifex Romanus iubeat, nec aliud Gallos expectare, tanto operi promptos, accinctoſque.] Permouit Zachariam oratio, & inſtans Religionis, Regnique periculum. Ergo Childericum Imperio moueri, tonderique; Pipinum omnium votis eligi iubet, Francos verò iuramento abſoluit, quod Childerico dixerant. Quod rogo maius exemplum velis Pontificiæ in Reges poteſtatis, quàm coronas vni ſtirpi, & familiæ inſertas, in alias transferre? tantùmque abfuit, Gallos obniti, ac Zachariæ aduerſari, velut inconceſſa tentanti, vt potiùs id ipſum expectarent, acceptarentque concordibus votis, pari in Pipinum amore, & Pontificem reuerentia; patet ergo, quænam fuerit eo temporis ſententia Eccleſiæ Gallicanæ; & ne vlla dubitandi ratio ſuperſit, dabimus auctorum omni exceptione maiorum verba, & ea tam clara, vt negari à nemine poſſint, niſi qui fidem abrogari ſibi velit, & inter eos cenſeri, quos victos licèt, edoctoſque pudet veritatem fateri, quam agnoſcunt, maluntque obſtinati potiùs videri, quàm victi.

Maimb. des Iconocl. l. 2. f. 259. Reg. Sac. fol. 57.

V. Lup. Ferrar epiſt. 81. 98. & 99. S. Bonif. epiſt. ad Zach. pp. Flodoard. in hiſt. Rhem. de Priuil. Hadr. I. De Priuil. à Zachar. conceſſo. Ioan. X. Papa, ep. ad Herim. Colon. Florum Magiſtrum in fragm. de elect. ad calcem op. S. Agob. Paſchal. II. Papa apud Malesbur. l. 5. della Marca lib. 8. c. 20.

Eginhardus perpetuus Carolo comes, eique à Secretis, quique non audita ſolùm & præterita, ſed viſa, & præſentia ſcribebat: [Gens, inquit: Merouingorum vſque in Hildericum Regem, qui iuſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus, ac detonſus duraſſe putatur. Et infrà: Pipinus autem per iuſſionem Romani Pontificis ex præfecto Palatij Rex conſtitutus eſt. Et in annalibus: Burkardus Vvirziburgenſis Epiſcopus, & Ioluadus Presbyter Capellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, vt conſulerent Papam, de cauſa Regum, per quos prædictus Pontifex mandauit, melius eſſe, illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret, dataque auctoritate ſua iuſſit Pipinum Regem conſtitui. Et alibi ad annum 750. Hoc anno ſecundùm Romani Pontificis ſanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus eſt.] Nota, hanc translationem ab Eginhardo, iam Zachariæ, iam Stephano tribui, quia illam vterque promouit, Zachariæ initium, Stephani exitus & perfectio fuit; eodem enim

Eginh. in vita Caroli Magni ab initio.

Et in annal. ad ann. 749. & ad anno 750. Obijt Eginhardus ann. 843. iux ta Chronol. Bolādi T 2. Ian. f. 975.

anno, quo Zacharias Pipinum Regem iussit, & Francos Sacramento exsoluit, ipse vitam finiuit. Stephanus verò Ius Regium Pipino, & Filijs confirmauit, vt posteà videbimus, vnxitque & Coronam imposuit.

Annales Francici à Pithœo editi: [Septingentesimo, quinquagesimo secundo anno Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate Regia vtebatur, nominis quoque dignitate frueretur.

Fredeg. ad ann. 751. fol. 161. floruit seculo 8.

Fredegarius: [Quo tempore vnà cum consilio, & consensu omnium Francorum missa relatione à Sede Apostolica, auctoritate percepta præcelsus Pipinus electione totiùs Franciæ in Sedem Regni sublimatur.]

Rhegino in Chrō. obijt circa initiū sec. 10.

Rhegino: [Iussit Papa per auctoritatem Apostolicam Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis Ordo.]

Otto Frising lib. 5 ca. 22. & 23. obijt anno 1158.

Otto Frisingensis, Imperatorum nepos: [Zacharias consultus respondit, & ipsius auctoritate Pipinus à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, & alijs Regni Principibus in regē eligitur.] Et alibi: [Ann. Domini 754. Pipinus à Stephano Papa I. à fidelitatis Sacramento, quod Hilderico promiserat, cum alijs Regni Francorum Proceribus absoluitur.]

Abbas Vrsperg. ad anno 743. circa fin. floruit seculo vndec.

Abbas Vrspergensis: [Sic ergo Pipinus ex Præfecto palatij auctoritate Apostolica sublimatus, & vnctus in Sedem Regni, regnauit annis quindecim, absolutus per eumdem Stephanum Papam à iuramento, quod Regi Childerico cum cœteris Regni primoribus fecit. Et alibi: Zacharias verò Papa super huiusmodi negotio consultus, remandauit, melius esse, eum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret, dataque auctoritate sua Pipinum Regem iussit constitui.]

Sigeb. ad anno 750. floruit seculo vndec.

Sigebertus: [Pipinus verò Princeps Apostolica auctoritate, & Francorum electione à S. Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo in Regem vngitur, & consecratur.]

Ludou. Imp. epist. apol. ad Basil. anno 871. habetur apud Baron. & du Chesne Tomo 3.

Ludouicus II. Caroli Magni Pronepos, qui res in familia sua gestas, recentesq; ignorare non poterat, in Epistola ad Basilium Orientis Imperatorem: [Matrem omnium Ecclesiarum Dei (Romanam videlicet Ecclesiam) defendendam suscepimus, ex qua & regnandi priùs, & posteà Imperandi auctoritatem Prosapiæ nostræ seminarium sumpsit; nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt ij dumtaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt, &c.] Vbi vides, Ludouicum Imperatorem agnoscere, auctoritatem regnandi Carolinæ Prosapiæ à Romana Ecclesia prouenisse.

Lamb Schafnaburg. in hist. Germ.

Schafnaburgensis: [Pipinus decreto Zachariæ Papæ per vnctionem S. Bonifacij Rex appellatus est.]

Herm. Cōtr. ad ann. 752. in Chron.

Hermannus Contractus: [Pipinus auctoritate Stephani Papæ, detonso, ac deposito Hilderico Rex Francorum factus est.]

Crantzius lib. 1. metropol. c. 14.

Albertus Crantzius: [Meritò Summus Pontifex, & Gallorum Rex mutuis se attollunt fauoribus, quando ab initio hæc Sedes Domui Caroli hoc præstitit, vt Regiam haberet dignitatem.

Carol. Sigo. de Regno Ital. ad annū

Carolus Sigonius: [Pipinus Zachariam consulit, vter ei Regio fastigio dignior videretur? is, qui otio languens nihil ad communem vtilitatem afferret, an qui dies, noctesque de regni vtilitate cogitaret? Cui Zacharias respondit, omninò se Regem illum cogitare, qui regni commodis, & vtilitati seruiret: rogatusque ab illo, Decretum pro magnitudine potestatis interposuit, quo Regnum Childerico abrogauit, & Francis Sacramenti Religione solutis, vt Pipinum Regem substituerent, Auctor fuit. Quo decreto accepto Franci conuenerunt, ac Childerico abdicato Pipinum Regem designarūt, eumque Suessione per Bonifacium Archiepiscopum consecrarunt.]

750. obijt anno 1585.

Paulus Æmilius rerum Francicarum scriptor accuratissimus: [Pipinus Burchardum Vvirzburgensium Episcopum ad Zachariam Pontificem Maximum Oratorem mittit, vt Franci soluerentur Iurisiurandi religione, quâ se Childerico deuinxerant. Oratione Episcopi motus Zacharias initio minimè audebat tam magni momenti cogitationem suscipere, sed tandem Francos Sacramento Regi Childerico dicto soluit.

Præter iam citatos Auctores videndi sunt, Aimoinus, Marianus, Scotus, Gaguinus, Sabellicus, Spondanus, alijque, qui ijsdem ferè verbis hanc translationem recensent; vbi simul aduerte, esse omni exceptione maiores, quippe integerrima fide, quique aut res suorum ferè temporum, recentesque narrabant, aut Principum partibus addicti potiùs, quàm Pontificum, imò istis infensi, quales Frisingensis, Vrspergensis & Sigebertus; & denique eodem modo deponunt, videlicet Childerici ignauiam, Pipini ad Zachariam Legationem, consilium à Pontifice petitum, acceptumque, vter videlicet dignior Imperio esset, Childericus ignauia torpens, an Pipinus bello, & victorijs promptus? decretum, & mandatum Zachariæ Pipinum eligi iubentis; iuramenti, quo Franci tenebantur, absolutionem, & denique omnium votis electum Pipinum. Iam verò post tam multa, & tam clara testimonia quid aliud à Maimburgo expectares, quàm aut veritati cessurum, quippe tot testibus, & probationibus nixæ; aut saltem alios producturum, pari numero, parique auctoritate; id enim causæ grauitas, ac toties ostentatus amor veritatis, & vitæ institutum duplici titulo Sacrum, Religiosi videlicet: & Sacerdotis exposcebant, præsertim cùm toto eo libro, quem vltimò edidit, nullum finem protestandi faciat: [Se non disputationibus, non subtilitate vsurum, sed historia, & factis euidentibus, quæque nullam tergiuersationem admittant.] Audi iam verò, quid exhibeat post tot magnificè promissa: [Quæ, inquit, de Zacharia dicuntur, nullius momenti sunt, supponuntque Franciciæ historiæ extremam ignorantiam; Franciæ enim Optimates sunt, qui Coronam Pipino detulere, non verò Pontifex Romanus; hic enim rogantibus, & consilium expetentibus, an id liceret? respondit licere; consuluit ergo, non imperauit. Et verò ęquum id consilium fuerit, an secùs, non est huius loci disputare; enimuerò verba, quibus antiqui Scriptores hanc translationem describunt, clarissima sunt, vt ostendant,

Aimoin. de gest. Franc. l. 4. c. 6. Scotus l. 3. Chron. Robert. Gagu. l. 3. Chrō fol. 45. Spond. ad ann 751. Sabellicus enneād 8. l. 8. Platina in Zach. Greg. VII. in cap. alius 15. q. 6.

Maib. Tr. de l'Egl de Rome cap 29. fol. 404.

Bbbbb nihil

nihil aliud, quàm consilium à Francis petitum esse, vt videlicet electionem, quam animo agitabant, Summi Pontificis auctoritate munirent; nam Chronicon vetus à Pithœo editum: Missi sunt, inquit, ad Zachariam Papam, vt consulerent.] Et Annales Francorum Metenses: [Missi fuerunt ad Zachariam interrogandum, si bene fuisset, annon? ergo nihil aliud à Pontifice & petitum, & datum, quàm solum, merumque consilium, & hoc ipsum improbauit Stephanus Zachariæ Successor, qui teste Theophane eius temporis Scriptore à Pipino ob violatam Childerico fidem pœnas expetijt; aut ergo Stephanus, aut Zacharias errauit; imò cùm Franci Hugonem Capetum solio imposuere, Carolo debitum, ne consilium quidem à Ioanne XV. expectatum est, multò minùs Imperium.] Hæc Maimburgus. Ignorantiam primò historiæ Francicæ opponit nobis, sed ego Lectoris arbitrium posco; nam piget cum Maimburgo loqui, tam vana iactante, an nos historiam Francicam ignoremus, qui præcipuos historiæ Francicæ scriptores non legimus tantùm, sed verbatim allegamus, Eginhardum videlicet, Fredegarium, Rheginonem, Pithœum, Æmilium, aliosque. Quòd si ignorantia hæc est, non nostra, sed omnium illorum fuit. Quis verò est Maimburgus, vt istos ignorantiæ accuset? aut quæ ipsius materia, fidesque toties fœdata, vt eum Eginhardo, Ottoni, Vrspergensi, Aimoino æques, præferasque? Quòd si istos ipse non legit, quæ rogo hæc negligentia, & ignorantia fuit, nescire tam obuia, tamque necessaria historiam profitenti? Scribit, quæ non legit, iactat, quæ ignorat, profitetur, quæ nescit, & tamen obiectat alijs ignorantiam, hoc nouum modestiæ genus. Si verò hos ipsos Auctores legit, quos modò produximus, cur rogo silentio præterit? & illum ipsum Pithœum, quem citat, cur vna tantùm ex parte recitat, premitque aliam, quæ totam rem explicat? consilium enim à Francorum Legatis petitum esse, & à Pontifice datum, nemo inficias iuerit, sed Imperium consilio accessisse, & nos asserimus, & historici tradunt, & ipse inter alios Pithœus his verbis exponit, quæ Maimburgus omisit, videlicèt [Zacharias Papa ex authoritate Petri Apostoli mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate Regia vtebatur, nominis quòque dignitate frueretur.] Et Eginhardus studiosè inter consilium, & præceptum distinguens, vtrumque Pontifici attribuit: [Burchardus, inquit, Episcopus, & Iolradus Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, vt consulerent de causa Regum, qui illo tempore nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt; per quos prædictus Pontifex mandauit, melius esse, eum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret.] Hactenus consilium. Audi nunc mandatum: [Dataque auctoritate sua iussit Pipinum Regem constitui.] Et ad annum 750. [Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.] Dicine potuit aliquid clarius? Et idem in vita Caroli: [Childericus Rex iussu Stephani Pontificis depositus, ac detonsus, & in Monasterium detrusus est.] Et Rhegino: [Iussit Papa per auctoritatem Apostolicam, Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis Ordo.] Et Otho Frisingensis: [Pipinus à Stephano Papa fidelitatis Sacramento, quod Hilderico promiserat, absolutus est.] Et Vrspergensis: [Pipinus ex præfecto Palatij auctoritate Apostolica sublimatus postea regnauit annis quindecim, absolutus per Stephanum Papam iuramento, &c.] Et Aimoinus: [Missi sunt Romam ad consulendum Pontificem, dataque auctoritate sua iussit Pipinum Regem institui: hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.] Hæc omnia, an solum consilium denotent, clarius est, quàm vt explicari à me debeat; sanè, [soluere aliquem iuramento, iubere, sancire,] non sunt consilia, sed præcepta, nec alia ratione Maimburgus ea tacuit, quàm quia conuinci se illis videbat. Quantò id verò historiæ, suique dedecore, ac fidei, quæ in scriptore prima esse debet, detrimento, nihil attinet dicere; quis enim iam credat Maimburgo, tam comperta neganti, tamque indignis artificijs fucanti veritatem? Tinctorem eum magis, quàm historicum credas. At, inquit, [Theophanes scribit, Pipinum Stephano pœnas dedisse violatæ Childerico fidei.] Sed quàm ista veritati consentiant, sufficit repetere, quæ modò ex Eginhardo, Vrspergensi retulimus, qui omnes Pipinum iuramento fuisse solutum à Stephano traduut; non potuit ergò Stephanus punire, quod ipse fecerat, aut si Pipinius iniustè alienum Regnum inuaserat, parum fuit punire, nisi restitueret: & tamen tantum adfuit, Stephanum restitui iussisse, vt potiùs Regnum Pipino confirmaret, quod citati Auctores tradunt; & mirum est, Theophanem, qui aut Constantinopoli, aut in exilio agebat, tantò Roma, & Parisijs internallo, Eginhardo præferri, qui in Aula, vbi hæc contingebant, versabatur, Carolo Pipini filio à secretis, & omnium conscio, quæ illic fiebant: id perindè fuerit, ac si de ijs, quæ Romæ contingunt, malis nautæ Bizantino, quàm Romano Senatori fidem habere. Imò idem Theophanes pro nobis contra Maimburgum testatur, sic enim scribit: [Prædictus namque Stephanus vi pressus, & crudelitate coactus Aistulphi, simul etiam cohortatus est ab eodem Pipino ire in Franciam, & facere quæcumque posset; qui veniens Pipinum prouehit in Regem, virum probatissimum, &c. Cur ergo non etiam Pontificem Franci rogarunt, cùm Hugonem Capetum Regno admouerunt?] Vanum est hoc argumentum, non enim sequitur, quod semel omissum est, non esse alio tempore factum, id enim perindè est, ac si dicas: [Semel sitiuit Dauid, nec tamen bibit; ergo quoties sitiuit, non bibit.] Ergo non sequitur, si Hugo Capetus Coronam à Pontifice non accepit, non etiam Pipinum accepisse, nec enim semper è Pontificis manu Coronæ proueniunt, sed cùm necessitas postulat, & vt loquitur Rhegino, [cùm ordo Christianitatis periclitatur.]

Eginh. in annal. ad an. 749.

Theoph. lib. 22.

IV. Anno 754. Aliud specimen, nec minùs egregium Pontificiæ auctoritatis in Gallijs editum. Aistulphus Longobardorum Rex

Rex ferro, ignique Italiam vastabat, & Romæ imminebat, prædæ auidus, iamque Vrbem obsederat. Auxilia à Græco petita, Longobardus donis, vt abscederet, tentatus, sed omnia frustra; preces ergo ad Pipinum versæ, qui Pontificis necessitate comperta, Rhodigangum Episcopum mittit, Ducemque Ancharium, vt illum in Franciam deducant: iam Barbari Vrbem premebant, cepissentque, sed Legatis in castris comparentibus obsidio omissa, metu, & reuerentia Franci; Stephanus Parisios à Legatis deductus, illic omni apparatu, cultuque exceptus, & mixta amori reuerentia; ipse Pipinus cum Regia coniuge, liberisque obuiam processit, & equum comitatus est obsequij causa. In eo conuentu decreta in Aistulphum expeditio, & Regia Dignitas, quæ nuper per Legatos, nunc coram, & ab ipso Pontifice, maiorique apparatu, Pipino collata, cui etiam Sacra Vnctio, & solemnis Coronatio addita. Quæ ratio est, vt multi Scriptorum nunc à Zacharia Pipinum, nunc à Stephano prouectum dicant; sed veritas est, ab vtroque factum: sed illud in hac secunda multò ampliùs, quòd non contentus Pipinum Regem dicere, iussit insuper, adegitque Francos iuramento, ne Regem ex alia stirpe, quàm Pipini deligerent. Nec putandum est, prætergressos iuramentum, cùm Hugonem Capetum Throno intulere, omisso Carolo Primo Lotharingiæ Duce, & proximo Regij Sanguinis Principe; quamuis enim, vt dixi, is proximè Ludouicum Quintum vltimum Galliæ Regem, & sine liberis functum attingeret, quippe huius Patruus, & Lotharij Regis frater; Capetus tamen, & ipse Pipini progenies erat, ex Childeprando videlicet Pipini Crassi filio, & Martelli fratre, quod etiam passim Galli testantur, vt apud Spondanum, & Morerum videre est. Sed vt fides narrationis constet, verba scriptorum numerabimus.

V. Spond. ad anno 987 & Morer. in Childepr.

Theophanes: [Prædictus Papa Stephanus vi pressus, & crudelitate coactus Aistulphi, simul etiam cohortatus à Pipino ire in Franciam, veniens Pipinum prouehit in Regem, Virum probatissimum.]

Theoph. lib. 21.

Ludouicus, Caroli Magni filius: [Gesta autem sunt hęc à B. Stephano Papa adiuuantibus SS. Apostolis Petro, & Paulo ab Incarnatione 754. quo inter oblationem, & celebrationem Sanctissimi Sacrificij vnxit in Reges Francorum florentissimum Pipinum Regem, & duos eius filios, atque Francorum Proceres auctoritate B. Petri obligauit, & obtestatus est, vt numquam de altera stirpe Regem supra se præsumant aliquo modo constituere, quos & diuina prouidentia ad Sanctissimam, & Apostolicam Sedem tuendam eligere dignata est.

Lud. in ep. ad Hilduin. quæ habetur in Areopag.

Gaguinus: [Stephanus autem, vt Regi gratificaretur, Pipino benedixit, & posteritati eius, atque qui temeritate aliqua aduersùs Francos bella mouerent, Communione Christiana interdixit.

Gagui. hist. Franco. lib. 3. f. 45.

Abbas Vrsperg: [Francorum populos vnà cum Proceribus auctoritate Beati Petri Apostoli obligauit, & protestatus est eos, vt numquam de alia stirpe sibi Regem præponerent, quos diuina Prouidentia in defensione Ecclesiæ dignata est sublimare.

Abb. Vrsperg. ad an. 753.

Paulus Æmilius: [Hac celebritate Pipinum coronauit, sacraque vnctione imbuit, omniaque fausta in omne tempus apprecatus est, simul diris, detestationeque insectatus, si quis contra moliri auderet; ità priùs acceptum Ius regnandi, tunc quasi diuinitùs confirmatum, & immortale factum in ea familia videbatur.

Aemil. in vita Pipini propè init.

Nauclerus: [Stephanus Papa, vt Ecclesiæ defendendæ spem accepit, Pipinum sacta vnctione in Regiæ dignitatis honore confirmauit. Pipino benedixit, & posteritati eius, atque qui temeritate aliqua aduersùs Francos bella moueret Communione Christiana interdixit.

Carolus Sigonius: [Solemni pompa Carolum, & Carolomannum Reges inunxit, solemni carmine adstantes Francorum Proceres sacræ detestationis obstringens, ne quando alios, quàm ex illorum progenie regnare iuberent, quos constaret, Diuina Prouidentia ad Catholicæ Ecclesiæ tutelam adscitos, Vniuersa interim Francorum Nobilitate plaudente.

Carolus Sigo. lib. 3. Italiæ ad an. 754.

Habemus hìc iterum, quid sentit Gallia de Pontificis potestate, tantùm enim abest, obstitisse Pontifici, ista decernenti, vt potiùs, & audierit, & orauerit, & Regnatrices Capetam, ac Borboniam familias Pontifici Romano debeat.

V. Anno 773. Desiderius Longobardorum Rex Ecclesiæ Ditiones populatur, Exarchiam Rauennatem occupat, & Romam cum exercitu mouet: causa belli, præter regnandi cupiditatem, quòd Hadrianus Pontifex nollet Carolomanni liberos, nepotesque Desiderij ex filia Carolomanno nupta, Reges, habilesque paterno Regno, quod totum Carolo Magno cesserat, appellare. Audi Æmilium: [Longobardus contendebat, vt Hadrianus Pontifex Carolomanni liberos, eosdem Pipini nepotes Reges appellaret, inungeretque, quòd eius iudicium Sanctum apud Francos fore non dubitaret, Regnumque paternum ad adolescentulos rediturum.] Vides hìc iterum, quænam tunc temporis Francorum mens, & sententia fuerit, quàmque etiam apud Barbaros vulgata.

VI. Anno 774. Carolus Magnus Ticino expugnato, Rege Desiderio capto, deletoque Regno Longobardorum, quod annis ducentis steterat, Patritij Romani dignitate ab Hadriano Pontifice augetur; hac Imperio aptabatur. Constantinus Augustus præcipuè Patritij dignitatem extulerat, prima post Cæsares, maiorique præfectura Prætorij. Patres Imperatorum dicebantur; si bellum inferendum, si pax sancienda, aut alia Imperij cura, primùm cum Patritijs consilium: paludamentum humeris iniectum, annulus dextro indici insertus, caput aureo circulo reuinctum, picti calcei, sublimisque Sella insignia Patritij erant. Eiusque officium, & curæ, tueri populum, hostes repellere, vrbemque gubernare; tantique fuit, Patritium esse, vt non à Romanis solùm ea Dignitas, sed ab exteris etiam Principibus peteretur, eamque Theodorico Gothorum Regi datam à Zenone legimus. Vide Cantelium, & Cassiodorum de Patritij dignitate, Adelmum verò, Sigebertum, & ex hoc Gratianum, qui

Cantel. p. 1 diss. 3. c. 4. Cassiod. l. 8. ep. 9. & seqq. Adelm. ad anno 801. Sigeb. in Chron. ad anno 774. Grat. in c. Hadrianus, & seqq. d. 63

huius in Carolum collatæ meminerunt.

VII. Anno 800. Contigit celebris illa Occidentalis Imperij in Francos translatio, auctoritate Leonis III. Pontificis Maximi facta. Eius translationis Seriem, & narrationem in Regali Sacerdotio descriptam habes, nec mihi animus est repetere illic dicta. Solùm obserua, cum tunc temporis Romanæ Ecclesiæ statum fuisse, vt meritò Romanus Pontifex huius translationi animum adiecerit. Italia quadringentos ferè annos sub Gothorum, & Longobardorum dominatu gemuerat, nunc à Græcis, nunc à Gothis, nunc à Longobardis; iam ciuili, iam externo Marte fœdata, & quod acerbius erat, cum Ariana, cum Iconoclastica hæresi toties collisa, & tantùm non victa. Quoties ad Romæ portas nunc Luitprandi, nunc Aistulphi, nunc Desiderij classicum sonuit? quoties accensæ à Barbaro faces Vrbi delendæ? quoties necando Pontifici nunc insidiæ, nunc venenum, nunc Sicarius à Græco immissus? Et quamuis, & Pipini, & Caroli Magni armis respirasse Italia, ac Roma viderentur, Longobardis planè deletis: vt primùm tamen in Franciam redibant, noua iterum bella, noua pericula nasci, crederes pacem ferre non posse, tot iam seculis bello assuetos. Eò factiones, turbæque ciuiles, cùm Carolus exercitus abduxisset, Romæ processerant, vt Leonem Pontificem Sacras Litanias obeuntem æmuli aggrederentur, cæderentque, ac oculos eruerent; elapsus ad Carolum, cum exercitu Romam reducit: supplicia de reis sumpta. Sedebant Constantinopoli Imperatores Græci, aut proferendæ hæresi, aut domesticis, & intestinis bellis intenti, nulla Italiæ, nec imperij cura. Constantinus cum Matre de Imperio contendebat, & hæc præualuit, ac filio oculos primùm, tum vitam ademit: Sol septemdium latuit tanti sceleris odio, ac nauibus toto mari, ac sine luce errantibus, aut anchora fixis, dum lux rediret. Saraceni, Bulgari, Auarcsque, Græciam vastabant: quod istis intactum, reliquumque, ciuile bellum absumpserat. Ergo vt inclinanti, imò labenti Imperio Leo subueniret, desperatà à Græcis ope, Carolum deligit, & in Francos communi etiam Senatus, Populique Romani assensu, coronam deposuit, quàm nemo magis, vt ille tueri poterat, nemo meliùs Religioni aptare. Vide, quæ in Regali Sacerdotio narrata sunt. Reg. Sacer. f.136.

Factam esse hanc Imperij Occidentalis translationem auctoritate Romani Pontificis iam dudum Bellarminus ostendit duodecim Imperatorum, aliorumque Principum, quinque, & triginta historicorum, septemque Pontificum testimoniis: ego, ne iam notis insistam, vnum, alterumque libabo.

Omnes historici, Græci, Latinique, quotquot de hac Imperij translatione loquuntur, eam Leoni Pontifici tribuunt, exprimuntque his verbis: [Carolus à Leone Papa coronatus est, ac Imperator appellatus est: Leo Francos Romam admisit: Carolus à Summo Pontifice ablato Patritij nomine, coronatus: Leo Papa Carolum fecit Imperatorem: Leo de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & Germanos Imperium transtulit: Leo Carolum ad imperium vnxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit: Leo illustria Caroli merita remunerans, eum Imperatorem appellat. Sic omnes scribunt, nec alia dicendi formula vtuntur, cùm huius rei mentionem faciunt, vt bene Spondanus, & ipse Gallus pronuntiet: [Non tantùm Eginhardus, & Anastasius de collata per Leonem Pontificem dignitate Carolo Magno sunt testes, sed fatentur id ipsum Latini omnes, & Græci auctores. Quòd verò Carolus, aut iure belli, aut Senatus, Populique Romani donatione Imperium acceperit, nullus omninò meminit, sed populo solas acclamationes tribuunt, quę vtique Imperatorem haud faciunt. Iam verò in rebus ad historiam pertinentibus, quæque nisi ex scriptorum fide sciri non possunt, cur non potiùs id dicas, credasque, quod omnes dicunt, quàm quod omnes tacent? & quæ ratio velit, vt, quod omnes asserunt, tu neges, & quod omnes tacent, tu asseras? & verò si non Leo Imperium in Carolum transtulit, sed Senatus, aut Populus, cur ex tot auctoribus Græcis, Latinisque, nemo Senatus, nemo Populi meminit, omnes Leonis? aut cùm aliquam Populi, Senatusue mentionem faciunt, cur istis solas acclamationes tribuunt, de Leone verò, transtulisse Imperium, fecisse, & appellasse Imperatorem dicunt? cùm potiùs contrarium dici oporteret; si enim Carolus à Senatu, Populoque Imperium habuit, ergo principales, præcipuæque partes Senatus, & populi erant, & huic translatio, & appellatio, non Leoni, ministro tantùm, non auctori, adscribenda erat: quemadmodum licèt sanctus **Bonifacius** Archiepiscopus Moguntinus **Pipinum, Filiosque** Reges Francorum vnxerit, nemo tamen scriptorum dixit, Bonifacium transtulisse in Carolinos Regnum, Reges constituisse, sed Zachariam, cuius iussu, & auctoritate Bonifacius agebatur, nec auctor, sed minister erat. Patet ergo ex omnium Latinorum, Græcorumque testimonijs, ac vniformi loquendi modo, non solum titulum, & Coronationem, sed ipsam dignitatem, ac potestatem Imperatoriam à Romano Pontifice in Carolum translatam esse.

Ludouicus Imperator conquerenti Basilio Imperatori, quòd titulum, ac dignitatem Imperatoris vsurparet, soli Græco debitam, hæc per Legatos, & epistolas respondit, anno 871. datas; hoc est septuagesimo post translationem anno, recenti adhuc facti, rerumque memoria: [Mirari, inquit, se Fraternitas Tua dilecta significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur; sed scire te cõuenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, vtique, nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen, & dignitatem assumpsimus, quorũ gentem, & Vrbem diuinitùs gubernandam, & matrem omnium Ecclesiarum Dei gubernandam suscepimus, ex qua, & regnandi priùs, & posteà imperandi auctoritatem prosapiæ nostræ Seminarium sumpsit; nam Francorum Principes primò Reges, deindè Imperatores dicti sunt ij dumtaxàt, qui à Romano Pontifice oleo sancto perfusi sunt. Præsertim cùm tales sæpè ad Imperium sint adsciti, qui nulla diuina operatione per Pontificum ministerium propositi solùm Spond. ad anno 800. Ep. Lud. II. Imp. ad Basilium æquè Oriẽt. Imp. anno 871. ap. Baron. ad eumdem anno nu. 51. & Andr. de Chesne Tom. 3.

solùm à Senatu, & Populo, Imperatoria dignitate potiti sunt: nonnulli verò nec sic, sed tantùm à militibus sunt acclamati, & ipsi Patrui nostri gloriosi Reges absque inuidia Imperatores nos vocitant, attendentes ad vnctionem, & sacrationem, qua per Summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen prouecti]. Et ibidem, [Illud autem mirari meritò possumus, quòd sublimitas Tua ad nouam, & recentiorem appellationem adspirare nos autumat, cum non sit nouum, vel recens, quod iam ab Auo nostro, non vsurpante, vt perhibes, sed Dei nutu, & Ecclesiæ iudicio, Summique Pontificis per impositionem, & vnctionem manus obtinuit]. Vides in his literis Ludouicum Imperatorem, non belli, non Senatus, Populique Romani, quasi ab his Imperium accepisset, sed solius Pontificis meminisset: nec dicit, Carolum Magnum populi, aut Senatus iudicio, [sed Dei nutu, & Ecclesiæ, Summique Pontificis iudicio Imperio potitum esse]. Cur ergo semper Populum & Senatum excludit, si ab istis Imperium sumpsit? an non poterat eadem opera ius belli, ac popularis electionis prætexere, si Imperium istis debebat? aut forsan, quæ in Ludouici familia, & adhùc recentia contingebant, meliùs Maimburgo post tot secula scribenti, quàm ipsi Ludonico constabant? & quis credat homini priuato, abditoque, & curis huius mundi soluto, qualem se Maimburgus profitetur, magis Imperij iura, titulosque, quàm Imperatori explorata esse? imò quod benè obseruandum, idem Ludouicus titulos obtinendi Imperij diligenter distinguens, alios militum, Senatus, populiq; consensu, se verò [Dei nutu, & Ecclesiæ, Summique Pontificis iudicio] electum dicit, & Imperio potitum; non ergo Senatui, non populo Romano, non armis hoc debuit, sed post Deum, Ecclesiæ, & Pontificis dono.

Albert. Imper. in lit. ad Bonif. VIII. anno 1309.

Albertus Imperator in literis ad Bonifacium VIII. [Profiteor, Beatissime Pater, me, bonorum omnium largitori, ac Vobis fore pro innumeris misericordijs, ac immensis beneficijs obligatum, &c. Recognoscens igitur, quòd Rom. Imperium per Sedem Apostolicam de Græcis translatum est in personam Magnifici Caroli in Germanos, &c.].

Lit. Princ. Elect., anno 1269. Indict. 7. Rodolphi Imper. anno 6. V. Baron. ad ann. 996. n. 44. & Bellarm. l. 3. c. 3. V. Serrar. lib. 1. rerum Mogunt. & Gretz. in defens. Bellarm. c. 28.

Principes Electores in literis ad Nicolaum III. PP. [Nos Principes Imperij vniuersis præsentem paginam inspecturis, &c. Complectens ab olim Romana Mater Ecclesia quadam quasi germana charitate, Germaniam illam eo terrenæ dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen, temporaliter præsidentium super omnem terram, &c.].

Clemens V. in Concilio Viennensi œcumenico: [Romani Principes Sacrosanctam Ecclesiam Romanam, ac Romanum Pontificem feruore fidei venerantes eidem Romano Pontifici sua submittere capita non reputabant indignum, sicque illi, & eidem Ecclesiæ Romanæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, adstringere vinculo iuramenti, &c.]. Nota, hoc etiam testimonium maximi ponderis esse, quippè à Pontifice Gallo, in ipsa Gallia, præsente, audiente, & approbante tota Ecclesia Gallicana, ac tandem ipsis actis Concilij œcumenici insertum, adeo vt non tam Clementis Pontificis, aut Concilij Decretum, quàm totius Ecclesiæ Gallicanæ haberi debeat. Et ipse Maimburgus rei veritate conuictus, & hoc Concilij Viennensis, & illa, quæ suprà citauimus, Electorum, & Imperatorum testimonia: [Tanquam verissima, indubitata, & adeò fide digna pronuntiat, vt ea nec negari, imò nec in dubium vocari posse dicat]. Sed addit, intelligenda esse, [non de vera, realique potestate, sed tantùm de ritu, & ceremonia, ac coronatione externa; in electione enim, ipsoque electo Imperatore duo distingui: primum, quòd sit caput, supremusque Princeps, & Monarcha Germanici Imperij, à quo Principes alij dependeant, & hoc primum quòd spectat, nec Electores, nec Imperatores à Romano Pontifice quidquam accepisse; cùm iure naturali, diuinoque, vt in alijs Regnis electiuis, sic & in Germanico Imperio possint Optimates sibi Caput, & Principem deligere. Secundum, quod in electo Imperatore spectari debeat, esse, quòd electus solus, exclusisque alijs omnibus vnicè ius habeat coronam à Romano Pontifice postulandi: hanc verò Coronationem à Romano Pontifice fluxisse quidem, esse tamen ritum haud necessarium, & sine quo tota Maiestas Imperatori constet]. Hæc Maimburgus in libro de Imperij Declinatione; & in Historia Iconoclastarum: [Carolum M. Imperium Occidentis, ipsamque Italiam bello occupasse] ait; [Romam verò populi Romani donatione: nec aliud à Leone Papa, quàm Coronam, hoc est, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm, nudamque ceremoniam accepisse: imò nec istam, nisi Ciuium Romanorum precibus compulsum, eum sine fine Augustum conclamantium, tunc enim nec priùs à Leone coronatum]. Additque: [Se quidem de hac Imperij translatione nolle sententiam pronuntiare, eamque arbitrio lectoris committere; principia tantùm statuisse, ex quibus rei veritas facilè deduci possit: (hæc principia sunt, quæ modò ex eodem Scriptore commemoraui) Eum verò, qui alia, quàm ipse principia statuat, omninò errare, & à vero abludere, pulchrasque rerum ideas, & imagines velut somniantem ante oculos ponere, quæ delectent quidem, sed numquam fuerint. Carolum ergo Magnum iure partim belli, partim hæreditario magnam Occidentis partem obtinuisse; quid ergo illi defuit, vt Imperator diceretur? quòd si dici noluit, modestiæ id fuit; maximè postquam dono, & spontanea Populi Romani subiectioni Romanæ Vrbis potitus est; nam camdem ob causam Odoacer, & Theodoricus Imperatores appellati sunt, subacta Roma]. Hæc Maimburgus citatis locis, repetitque Tractatu de Romana Ecclesia cap. 29. Quæ omnia ex Matthæo Illyrico Lutherano Centuriatore accepta sunt, nec quidquam Gallicas voces Maimburgus ex suo addidit. mirumque est, Maimburgum, cùm hæc Lutherani argumenta ex Bellarmino, vbi ea legerat, descripsisset, non etiam Bellarmini solutiones adiecisse; cur enim has dissimulauit, si bonas? aut si malas, cur non euertit? aut quæ Religio, ac bona fides fuit, quæ Lutherani nobis objiciunt, pro argumentis suis sumere, & quę nos illis respondemus, silentio à Maimburgo

Maimb. de la decadence de l'empire lib. 2. ad ann. 996.

Id. in hist. Iconocl. l. 4. ann. 800.

burgo premi? ergo vt vinceret in mala causa, non erubuit Lutheranum aduocare, eumq; mendacijs præcipuum, turpi vtique triumpho, quamuis vicisset. Sed ad singula respondendum. I. Dicit, solam coronationem, ritumque externum à Pontifice Maximo, non veram, & Imperatoriam potestatem tributam Carolo esse, hanc enim Senatui, Populoque, & militi, non Leoni adscribendam. Si ità est, cur ergo nemo ex tot Scriptoribus antiquis (nam Recentiores haud moramur, Sigebertum videlicet & alios paucos) qui eã translationẽ commemorant, Populo, aut Senatui adscribunt, sed Leoni tantùm? nam si Leo instrumentum fuit, populus verò, & Senatus auctor, & causa principalis, cur tantum opus non causæ potiùs principali, quàm instrumento dicaretur? cur solas acclamationes populo tribuunt, cum potiùs rem ipsam, collatamque dignitatem tribuere debuissent, si vera sunt, quæ Maimburgus narrat; nam quod scribit, priùs à Populo, Senatuque Carolum Imperatorem acclamatum esse, quàm Leo coronam imponeret, falsum esse ex Eginhardi historia constat, qui Carolo à secretis, & spectaculo intererat, sic enim loquitur: [Cùm die Sacratissima Natalis Domini ad Missarum solemnia fuisset ingressus, & coram Altari assisteret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante: Carolo Augusto à Deo coronato &c.]. Et Anastasius in vita Leonis: [Tunc almificus Pontifex manibus suis proprijs pretiosissima Coronà coronauit eum, tunc vniuersi fideles vnanimiter exclamarunt Carolo pijssimo Augusto à Deo coronato.] Vides, semper Coronationis priùs mentionem fieri, quàm acclamationis: nec populum acclamasse, nisi iam coronato: eodemq; modo alij Scriptores narrant, videlicet Annales Francorum, Aimoinus, Otto Frisingensis, alijque. Quæ ergo Maymburgo fides, tam comperta, & vulgata neganti? hausit nimirùm ex Illyrico Centuriatore, cuius argumenta descripsit, & quo nemo mendacijs largior. Et planè consuluisset Maimburgus famæ, ac pudori suo, si postquam animo fixerat veritatem oppugnare, alium saltem ducem elegisset, & mendacijs minùs infamem. Nota etiam in vita Caroli ea verba Eginhardi: [Imperatoris, & Augusti nomen in tantum auersatus est, vt affirmaret, se eo die numquam Ecclesiam intraturum fuisse, si Leonis consilium scire potuisset]; cur non dicit: [Si Senatus Populique Romani consilium præscire potuisset?] Nisi quia rem totam ex Leonis auctoritate pendere intelligebat. Sed, & illud mirùm, certumque indicium falsi, in re tam celebri, ac certatim à tot historicis, Græcis, Latinisque conscripta, ne vnum quidem à Maimburgo allegari posse suæ sententiæ testem; nam si aliquem haberet, quanto illum apparatu, pompaque verborum in scenam produceret? id enim solet; cur ergo credas, quod nemo dicit, neges verò, aut in alienos sensus detorqueas, quod omnes, & tanto numero? clarèque dicunt? ergo maiorem nemini, quàm omnibus fidem habeas? Sed, & ipse Maimburgus locis suprà citatis fatetur, documenta, & testimonia Innocentij III. in cap. venerabilem, de elect. Principum

Eginh. in annal. ad an. 801.

De Illyr. mend. v. Bellarm. lib. de transl. Imp. cap. 2. & Baron. ad ann. 800. n. 29.

Electorum, Alberti Imperatoris, & Concilij Viennensis: [esse certissima, indubitata, nec posse negari, nisi fundamentis historiæ, fideique humanæ conuulsis]. At verò hæc ipsa, & indubitata testimonia non solùm de ritu, ac cæremonia externa, & coronatione non necessaria, sed de vera, realique Dignitate Imperiali intelligenda esse tam clarum est, vt nihil magis; sic enim sonant: [Germanis Principibus concessum esse ius eligendi Aduocatum, & Defensorem Ecclesiæ: Electoribus dissidentibus posse Romanum Pontificem, non tantùm Imperatorem, sed etiam Regem eligere, alio reiecto, omnique dignitate excluso: posse Pontificem declarare, electum à Principibus, propter hæresim, Censuram, aliudque impedimentum inhabilem Regno esse: posse imò teneri subditos ab eo, quem Pontifex, eiusuè Legatus excl userint, omninò deficere, & iuramento solui: Imperium auctoritate Pontificis à Græcis in Germanos translatum esse: Imperatorem ab eodem Pontifice per Electores recipere temporalis gladij potestatem]. Hæc omnia sunt verba ipsissima Innocentij, Concilij Viennensis, Alberti Cæsaris, ac Principum Electorum, quæ an explicari possint de sola cæremonia externa, rituq; haud necessario, clariùs est, quàm dici debeat; mirùmque sit, Gallos ipsos Maimburgo non irasci, tam infirmis, caducisque humeris tantam molem sustinenti, & supra vires conanti. Accedit, & insigne Glabri testimonium (qui, & ipse Gallus fuit, & vtique ex sensu Gallicanæ Ecclesiæ scribebat) dum Iure Imperatorem eligendi, needum ad Septem-Viros translato *hæc scribit*: [Illud nimiùm condecens, ac perhonestum videtur, atque ad pacis tutelam optimum Decretum, scilicet, vt ne quisquam audacter Imperij Romani Sceptrum præproperè gestare Princeps appetat, seu vt Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne Imperiale]. Additque causam: [Quòd olim vbique terrarum quilibet Tyranni sese procaciter impellentes sæpissimè essent Imperatores creati, quamquam minùs apti Reipublicæ]. Asserit hìc Glaber, ad Romanum Pontificem publici boni, vitandæque Tyrannidis causa pertinuisse, non solùm coronare, sed etiam deligere Imperatorem, & contra Pontificis voluntatem neminem dici Imperatorem, imò nec esse potuisse: non ergo Pontifex ritum tantùm externum, nec necessarium circa Imperatores exercebat; hic enim non pertinet ad [delictum Imperatoris], & ad hoc, vt dicatur aliquis, [fitque Imperator]: & verò quid compescendis tyrannis solus hic ritus profuisset, si nihil Imperatoribus dabat, adimebatque? num tyrannis titulis tantùm, & specie coercentur rebus vacua? Commendat verò Glaber hanc in Pontifice potestatem, eamque dicit [Reipublicæ necessariam]; tantùm abest, vt eam reprehendat, & inconcessam credat. Vides ergo, quæ tunc temporis fuerit Ecclesiæ Gallicanæ sententia. Sed ad conuincendam Maimburgi vanam illam distinctionem, egregium est testimonium Synodi Ticinensis, in qua expressis, ac conceptis verbis habemus, Coronationem illam, quam Pontifices præstant, non

Maimburg. de la decad. lib. 2. ad an. 996. propè init.

Galber. lib. 1. in f. floruit circa ann. 1040. V. & Panuin. de Comit. Imper. & Regal. Sacerd. fol. 148.

Syn. Ticin. §. vnde nos. Habetur in

annal. Pithœ f.391. & apud Baron. ad ann 876 V. Spond ad eumdem anno num 2. & ann. 875. n. 2. Syn. Pontigon. Act. 2. apud Spond. anno 876. n. 2. & Aimoin. lib. 5. c. 33 Greis Apol. Baron. c. 15.

non esse merum ritum externum, nudumque ministerium, [sed electionem, & approbationem, & solennem ad Imperij Romani sceptra prouectionem]. Quod posteà Decretum Concilij Ticinensis ab Episcopis Galliæ in Synodo Pontigonensi [actione 2.] lectum, approbatumque est, teste Aimoino; excluso Ludouico fratre Germaniæ Rege, & Imperij æmulo, Et quamuis Galliæ Antistites in eadem Synodo Pontigonensi numquam flecti potuerint, vt contra Galliæ priuilegia Ansegiso Archiepiscopo Senonensi Primatum deferrent: quamuis subornato priuilegio, & Caroli Imperatoris potentia, id enixè vrgentis, fulciretur; vbi tamen de Imperatoris electione actum est, omnium assensus extemplò secutus, reuerentia Pontificis Romani. Nec vlli Episcoporum in mentem venit, vt dicerent, supra Pontificis Romani potestatem id esse, eòque Regni, & Ecclesiæ Gallicanæ libertates violari; nam si violari istas crederent, cur non eodem animo, eademque constantia Pontifici, & Carolo obsisterent, qua vtique obstiterunt, cùm pro Archiepiscopo Senonensi Primatum peterent? non ergo obluctandi animus, sed ratio illis defuit; elucet hìc iterùm, Coronationem à Pontifice factam non fuisse Galliæ iudicio speciem tantùm, ac pompam externam, sed iuri, ac potestati Imperatoriæ coniunctam. Equidem non id ago, vt hìc decidam, iure, an iniuria Ioannes VIII. Carolum Caluum promouerit, neglecto Ludouico fratre, sed solùm vt Pontificis Romani ostendam in Imperatores exercitam, agnitamque à Gallis potestatem. Credo equidem satis auctoritate probatum, Leonem, cùm Carolum Magnum Imperatorem pronuntiauit, non solùm ei nomen, sed etiam Imperatoriam potestatem contulisse; sed etiamsi auctoritas abesset, id satis ratio ostenderet; si enim ante Leonis Coronationem iam Imperator Carolus, vt contendit Maimburgus, cur nulla apud auctores istius Imperij mentio? cur modò post Coronam à Leone acceptam ab omnibus historicis Imperator appellatus? cur in omnibus Diplomatibus ante Coronationem datis Regis titulum, posteà verò Imperatoris præfigit? & denique cur anni illius Imperij modò à Coronatione numerantur? si enim Coronatio res tantùm accidentalis erat, nullumque ius Imperatori tribuebat, & Carolus multò priùs Imperator, cur non potiùs ab ipsa vera, realique potestate, quàm à mero titulo, vmbraque Dignitatis anni ducebantur? quod proindè est, ac si Regni sui annos non ab ea die numeret aliquis, qua successit, vel electus est, sed ab eo, quo cum Sceptro, & purpura in publicum processit; cùm tamen fieri possit, vt multis priùs annis Rex fuerit, quàm insignia Regni induerit. [Sed, inquit, Maimburgus, modestia fecit, ne vellet Imperator appellari]. Inane responsum. Modestia enim aliena tantùm vsurpari prohibet, non proprijs vti; quis enim modestiæ adscriberet, & non potiùs, aut hypocrisi, aut pudori rustico, si qui Parochus est, nollet Parochus dici: & qui Episcopus est, omnique conatu Episcopatum captasset, nollet eo adepto Episcopus vocari? quod si Carolo tanta modestiæ cura, oportebat illum non tam titulo, & insignibus irasci, quàm ipsi dignitati, & potestati Imperatoriæ, quam teste Maimburgo tot priùs annis adeptus erat, ac Græcis eripuerat: ipsique Græci numquam priùs de Carolo conquesti sunt, quasi Iura Occidentis Imperatorum occuparet (cùm tamen multos iam annos præter Franciam, & Germaniam Italiæ potiretur) sed modò, cùm coronatum illum à Leone audierunt; id manifesto argumento est, non ante Coronationem Imperatorem fuisse, sed Regem; quod in Carolo æquè, ac in alijs Longobardorum Regibus patienter Græci ferebant.

II. [Sed, inquit Maimburgus, quid Carolo deerat, vt Imperator dici antè coronationem non posset, cùm iàm maxima Occidentis parte potiretur, & quanta nemo alius Imperatorem, Francia videlicet, Alemannia, Italiaque, aut quid illi coronatio adiecit, quod priùs non haberet?] Resp. Hoc argumentum ex Illyrico descripsit Maimburgus, recitatque Bellarminus lib. de translat. Imper. cap. 13. arg. 16. Sed Maimburgus, vt tempori, ac calamo parceret, Illyrici argumenta velut sua deprompsit, tacuitque Bellarmini responsa. Concedo ergò, magnam Occidentis partem Carolo paruisse, sed vt Regi, non Imperatori; priùs enim quàm Carolo hæc dignitas à Leone conferretur, legitimi Imperatores Occidentes Græci erant: nec oberat, paucas in Occidente Prouincias eis tunc temporis paruisse; constat enim, iura Imperij, aut Monarchiæ, vel in vna Ciuitate, & exiguo terræ spatio conseruari, quod leges Romanæ, & ex illis Hermes insignis Iurisconsultus egregiè ostendunt; & quantula Imperij Romani pars est, quam nostri Imperatores obtinent? Cùm ergò Occidentis Imperatores Græci essent, & in Italia Siciliam, Neapolim, Apuliam, Calabriamque tenerent, non poterat Carolus Imperator esse, aut dici, nisi translato per Leonem Imperio: nec verò hæc translatio merè titularis fuit, & honoraria, vt putat Maimburgus; nàm primò nouus Imperatoris, & Augusti titulus accessit, & cum titulo ius præcedendi, gaudendique omnibus priuilegijs Romani Imperatoris, quæ tunc temporis maiora fuisse, quàm nostrorum Imperatorum, exemplo Henrici II. constare videtur, qui missis ad Concilium Turonense Legatis grauiter de Ferdinando Magno Castellæ, & Legionis Rege conquestus est, quòd titulos, & insignia Augusti vsurparet, nolletque Henrico legitimo Imperatori obtemperare; & Ferdinandus Victori II. vt alienis honoribus abstineret monenti, modestè acquieuit. Quanti verò etiam nuda insignia, titulique, ac ius præcedendi à magnis Principibus fiant, quantaque pro illis contentione certetur, nihil attinet dicere, quippè & antiquis, & recentibus exemplis res nota est. Nec diffitetur Maimburbus, Nicephorum Logothetam, qui Irenæ successerat, ægerrimè tulisse, acceptum à Carolo Imperatoris nomen; sed cùm armatum illum, victoremque metueret, amicum, quàm hostem maluit. Basilius quoque grauiter cum Ludouico II. per literas expostulauit, quòd non Regem, sed Imperatorem se scriberet, eiusque Legatos in Synodo Constantinopolitana pessimè habuit, quòd Ludoui-

cum

cum Imperatorem appellassent; immò ex literis Apostolicis, quas dolo corruperat, expungi hunc titulum fecit; eamdemque ob causam indignè accepti Othonis I. Legati à Nicephoro Phoca, cuius priuignam Othoni filio petebat. In Occidente verò palàm est, quanti hic titulus, & corona ab Imperatoribus ambirentur: hinc omnium ferè Imperatorum à Carolo Magno, vsque ad Rodolphum in Italiam expeditiones; nec anni Imperij à die successionis, vel electionis, sed à die coronationis per Romanum Pontificem numerabantur, vt passim in historia occurrit, & in Regali Sacerdotio exemplis probatum. Patet ergò, quanti à Græcis, Latinisque hæc coronatio fieret, quantumuis daremus,quod tamen falsum est, merè titularem fuisse. Secundò, accedebat præter titulum Imperatoris ius quoque non tantùm eas Prouincias occupandi, quæ ad Imperium Occidentis pertinebant, à Græcis, aut iniustè ab alijs possessæ (erant verò Apulia, Calabria, Sicilia, Neapolis, Illyricum, Candia, Dalmatia, Cyclades insulæ) sed etiam retinendi, quæ Carolus Longobardis, & Longobardi Græcis eripuerant; Longobardi enim iniusto bello Italiam, & per tyrannidem inuaserant. non ergò eius Dominium Græcus amiserat, & ideò nec Carolus retinere eam poterat, quippè legitimo, inuitoque Domino ablatam: & Græci nunc Legatis ad Pipinum missis, nunc classe in Carolum armata, & atroci pugna defuncti Duce Aldagiso Desiderij filio Italiam repetebant; cesseruntque ea tandem pace cum Francis, ac fœdere composito, ac Sicilia, Calabria, Apuliaque retentis: sed id translato jàm Imperio euenit. Vt ergò Carolus iusto titulo Italiam possideret, non sufficit, vt Longobardos bello vinceret, isti enim non Domini Italiæ, sed raptores erant, nisi insuper Imperio Occidentis augeretur, quod, vt dixi, à Leone ei præstitum. Cùm ergò Maimburgus quærit, quid hæc translatio Carolo adiecerit, iàm aliàs maiorem Occidentis partem obtinenti? Respondeo, adiecisse titulum, præcedentiam, & alia Imperatorum Occidentis priuilegia, ac insuper ius Italiam à Longobardis possessam occupandi, aliasque insuper Prouincias, quæ ad Imperium Occidentis pertinebant, nec Longobardis paruerunt, vindicandi; & iàm Pipinus Caroli filius bello accingebatur; sed, vt dixi, Græcus præuenit, festinata pace, quod Æmilius in vita Caroli obseruat. Tertiò, objicit insuper Maimburgus: [Romam Imperij caput spontanea Senatus, Populique Romani cessione Carolo aduenisse, ergò iàm antè dici Romanorum Imperator poterat, quàm à Leone corona cingeretur: sic Odoacer, & Theodoricus Imperatores dicti sunt, Romam adepti.] Resp. Promiserat Maimburgus, se de Imperij translatione ea dicturum, quæ ipsam lucem vincant certitudine, nec in dubium vocari possint; nunc promissi oblitus rem ponit incertissimam: incerta enim sunt, quæ de spontanea Romanorum subiectione narrat (nàm Agilbertus, Abbas sancti Richardi, non Francis iurasse Romanos, sed Pontifici Leoni iussu Caroli Imperatoris, scribit) & videri potest Bellarminus de translatione Imperij. Sed iurauerint Carolo Romani, at id fieri potuit iussu, & auctoritate Pontificis Romani, à iuramento, quod Græco fecerant, solutis; immò ità factum esse persuadent, tùm omnium Scriptorum vota, vni Pontifici hanc Imperij translationem adscribentium, tùm exempla Zachariæ Pontificis, & Stephani IV., de quo Theagnus, & ex illo Maimburgus: [Stephanus postquàm Pontificatum suscepit, statim iussit omnem Populum Romanum fidelitatem cum iuramento promittere Ludouico.] Sed demus, Populum Romanum se Carolo subiecisse, demus, id spontè sua, non Leonis auctoritate aggressum esse, non ideò Carolus Romanorum, & Occidentis Imperator; Imperialis quippe dignitas non est loco, & vrbi alligata, alioquin qui hanc haberet, continuò Imperator esset, qui non haberet, non esset, ergo nec Leopoldus, nec alij longa serie Augusti Imperatores Romanorum dici possent, nam Roma caruere: an verò Reges Hispaniæ, Galliæ, Angliæque Romanorum Imperatores, quia Regnis præsunt, quæ olim Prouinciæ fuerant Romani Imperij? non ergo Roma, non Romanæ Prouinciæ Imperatorem faciunt, sed qui legitimo ordine, iure videlicèt sanguinis, aut electionis Romanis Principibus succedit, siue is Romæ, seu Viennæ Regiam figat, nam vt obseruat Poeta:

Seios habitante Camillo
Illic Roma fuit.

Patet ergo ex dictis, quàm multis partibus Maimburgi laboret obiectio; nam quod de Odoacre, & Theodorico addit, quasi occupata Roma Imperium gesserint, infeliciter, imperitèque ex Illyrico suo descripsit, qui hoc ipso argumento vtitur de translatione Imperij pag. 26. quamuis contrarium in Centurijs docuerit Centur. 6. cap. 16. Quid rogo Barbari, & Tyranni exemplum probet? eodem enim iure Imperium, & Italiam tenebat, quo Pyratæ, & latrones viatorum spolia tantùmque ad probandum Theodorici, & Odoacris exemplum valet, quantum pyratarum, & latronum; vbi videas Maimburgi paupertatem tam infelicibus exemplis vsi, cùm alia deessent malæ causæ firmamenta. Deinde Theodoricus non ob Romam, Italiamque occupatam Imperator dictus, sed dono Zenonis, qui triumphum, Consulatum, & equestrem in foro statuam Theodorico detulit, immò in filium adoptauit, præmia bellicæ virtutis, nauatæque contra rebelles operæ: sed ipse fortunam suam non ferens, & maiora, quàm caperet, animo agitans, primò Orientem, tum Italiam tentauit, subegitque, benefactori suo ingratus, de quibus Euagrium, Ennodium, Iordanemque Episcopum consule.

IV. Objicit etiam Maimburgus in libro de Imperij declinatione: [Friderico Primo Imperatore vehementer Hadriano IV. Pontifici infenso, quòd in literis ad eum datis hæc verba posuisset; insigne Coronæ beneficium tibi contulimus? Hadrianum repetita ad Cæsarem Legatione protestatum esse, se illis verbis nihil aliud significare voluisse, quàm imperialis dignitatis insigne capiti tuo impo-

fui-

Marginal notes: Spond. ad ann. 968. — Vide Reg. Sacer. f. 148. — Bellarm. de Transf. Imp. l. 1. c. 1. n. 15. & cap. 13. ad 11. — Meim. des Iconocl. lib. 4. ad ann. 800. Theagn. de gest. Lud. Pij cap. 16. 17. 18. — V. Bellar. de transl. Imp. l. 1. c. 1. num 7. — Euagr. l. 3. c. 25. Ennod. in Paneg. Iord Episc. in Orat. Spód. alijq; — Maimb. de la decad. l. 5. f. 451.

fuimus.] Fatetur ergo Hadrianus, nullum allud Pontificis munus esse circa Imperatores, quàm Coronam eis imponere; & hoc totum esse, quòd præstant, cùm dicuntur Imperatorem constituere, quod etiam Fridericus in conuentu Principum his verbis expressit, teste Radeuico, Ottonis Frisignani Continuatore: [Liberam Imperij nostri Coronam diuino tantùm beneficio adscribimus electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deindè quòd superest, cæteris secundùm Ordinem Principibus, Regalem vnctionem Coloniensi, supremam verò, quæ Imperialis est, summo Pontifici, quidquid præter hæc ex abundanti est, à malo est.] Ergo ex Hadriani, & Friderici sententia, cùm Pontifices Imperatorem coronant, nihil exhibent præter externam cæremoniam, sacramque vnctionem: [Idque, inquit Maimburgus loco citato, tota hactenus Gallia credidit; quidquid enim Imperialis potestatis in Occidente Carolus, & Otto Magni possederant, aut paternæ hæreditati, aut gladio debent. Respondeo, Confundit Maimburgus tempora, educitque argumentum, quàm visu speciosum rerum imperitis, tam historiam callentibus ne aspectu quidem dignum, quòd ferè in hoc Scriptore perpetuum Cùm hæc Episcopi Germaniæ ad Adrianum ex mente Friderici scriberent, agebatur annus 1157. quo tempore ius eligendi Imperatorem in certos Germaniæ Principes auctoritate Summorum Pontificum translatum fuerat. Sciendum enim est, dominante stirpe, ac familia Carolina iure legitimæ successionis Regnum Germaniæ deferri (cui Imperium annexum erat) vel potiùs transmitti ad proximos Agnatos consueuisse; sed extincta Carolina stirpe Reges eligi cœpere. Ea in Ludouico IV. Imperatore Arnulphi filio, ac sine virili prole defuncto, extincta est. Supererat ex Carolina stirpe Carolus cognomento Simplex, Franciæ Rex, sed eo ob ignauiam contempto, Imperium à Principibus Germaniæ Ottoni Saxoniæ Duci, istoque recusante Conrado primo, Franconiæ Principi, oblatum. Anno 919. moritur Conradus, & Henricus Auceps Saxoniæ Dux, ad quem Conradus insignia Imperij transmiserat, communi Principum voto sufficitur. Anno 937. in Comitijs Generalibus Aquisgranum indictis Otto Magnus Henrici Aucupis filius Rex Germaniæ pronuntiatur, vngiturque ab Archiepiscopo Moguntino. Ottoni, eiusque filijs, quò eos ad liberandam Romanam Ecclesiam inuitaret à Tyrannis oppressam Leo VIII. priuilegium concedit, eligendi successores Germaniæ Reges, posteà ad Imperium à Pontifice promouendos. Recitant hoc priuilegium non Baronius tantùm sed etiam ipsi Centuriatores Lutherani, verba priuilegij inter alia sunt etiam hæc: [Nos quoque Leo, seruus seruorum Dei, Episcopi similiter cum toto Clero, & vniuerso populo Romano constituimus, confirmamus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Ottoni primo Teutonico Regi, eiusque successoribus huius Regni Italiæ in perpetuum facultatem successorem eligendi, &c. Quo priuilegio Otto eiusque filius vsi sine alia electione, iure sanguinis Imperium adepti sunt. Witichindus tamen, Continuator Rheginonis; & Platina in vita Benedicti VII. etiam istos à populo electos dicunt. Post Ottones non ampliùs successione, sed electione prouecti Imperatores, quod de Henrico II. Rege, & I. Imperatore, qui Ottoni III. successit, Conrado II. Rege, & I. Imperatore, Henrico IV. Rege, & III. Imperatore, Henrico IV. Imperatore, Lothario II. Conrado II. Imperatore. Friderico I. Ottone IV. & Friderico II. docent auctores hìc ad marginem citati. Sæpè tamen in forma eligendi variatum, aliquandiù enim etiam populus ad suffragia admissus, immò Principes, Vrbesque Italiæ, ipsique per suos Legatos Pontifices, quia videlicet Italiæ Regnum pars Germanici Imperij censebatur: aliquando ad solos Principes, Officiales, Ministrosque Imperij ius eligendi spectauit: aliquando soli, omnesque, qui vellent, Principes Germaniæ. Tamdem ad septemuiros res delata, adeò vt vltima de Electoribus constitutio multa capita complecteretur, videlicet vt non hereditate, sed electione Imperium quæratur; vt soli Principes, non populus eligat; vt soli Germani; vt non omnes, sed sex tantùm, aut septem. Fuisse autem institutum Collegium Electorale, receptumque non quidem quoad numerum Electorum, sed quoad alia electionis capita suprà commemorata, ac Principibus Germaniæ ius eligendi concessum, idque ante obitum non solùm Friderici II. sed etiam Friderici I. Imperatorum, dubitari non potest; id enim omnes Auctores (si Onuphrium Panuinum excipias de Comitijs Imperatorum, & Auentinum) grauissimique testantur, ac Friderico II. coæui; ij sunt Sanctus Thomas, Beatus Augustinus Triumphus, Lupoldus Bambergensis, Aluarus Pelagius, & Ioannes Villanus, alijque quos citat Bellarminus; hi omnes ad tempora Ottonis III. referunt hoc Priuilegium, & facultatem Principibus Germaniæ datam circa Imperatoris electionem; & ab Ottone III. per ducentos, & supra annos vsque ad Fridericum II. negari haud potest, ius eligendi penès omnes Principes fuisse, id enim, & ipsæ electiones ostendunt, & literæ Romanorum Pontificum ad omnes Principes Germaniæ datæ de noua Imperatoris electione, Gregorij videlicet VII. circa annum 1080. & Innocentij III. 1200. Ipse Fridericus II. non à septem tantùm, sed à quàm plurimis Germaniæ Principibus electus est, vt apparet ex Comitijs ea de causa habitis. Numerus ergo Septem-Viralis, aut à Gregorio V. natione Germano, & Ottonis III. Nepote institutus est, quod voluit Bellarminus; obijt verò Gregorius anno 999. & ius eligendi concessit Germanis in Synodo Romana anno 996. aut in Synodo Lugdunensi prima ab Innocentio IV. anno 1245. quod probat Baronius testimonio Matthæi Pariensis, & actorum Concilij Lugdunensis, in quibus id claré asseritur. Et verò multæ, magnæque rationes erant, numerum Electorum ad paucos restringendi, ob ingentia mala, flammasque bellorum, quæ totum Imperium, Ecclesiamque in partes scindebant, vastabantque ambitione Candidatorum. Nisi malis dicere, in Concilio Lugdunensi primo non

Radeu. l. 1. c. 15. & 16.

Anno 912.

Baron. ad ann. 996. n. 41. habetur c. in Synodo d. 63.

Centuriat. Cent. 10. cap. 16.

Otto Frisin. l. 6. cap. 17. & 18 l. 7. c. 22. de reb. Frid. Vrsp. in Chron. anno 1053. & 1106. Cótinuator Sigeberti anno 1126. Vvitich l. 1. rer. Saxon. Luitpr. l. 2. cap. 7.

S. Thom l. 3. de Regim. Princ. c. 19. B Aug Triumph. de poe eccl qu. 35. Lupold. l. de ior. Imp. c. 3. Alu. Pelag. lib. 1. à 41. Villan. l. 4. hist. Flor. c. 2.

Innoc. III. in cap. venerabilem de elect.

Greg. VII. lib. 4. epist. 3

Matt. Parif. in V. Henr. III.

Baro. ad anno 996.

eam fuisse constitutum numerum Septem-Viralem, quàm renouatum, præceptumque obseruari, cùm hactenus induci Principes non potuissent, vt se iure eligendi abdicarent. Deberi verò hunc numerum, formamque eligendi summorum Pontificum auctoritati, in Regali Sacerdotio euidenter ostendimus, productis videlicet testimonijs omni exceptione maioribus, ac etiam confessione aduersariorum, certissimis. Patet ergo ex dictis, frustrà à Maymburgo testimonia Hadriani Papæ, & Friderici I. Imperatoris obiectari, nullum ius Pontifici Romano, excepta coronatione, sacraque vnctione agnoscentium, eo enim tempore totum ius eligendi in Principes Germaniæ Pontifices transtulerant, & ideò non Pontificum ea cura, sed Principum erat, nisi cùm Ecclesiæ, & publica necessitas aliud exigerent; quæ ergo consequentia à Friderico ad Carolum Magnum, quando, & vltima necessitas Pontificem vrgebat, & ius Imperatorem eligendi necdum ad alios translatum?

V. Regal. Sacerd.

V. Allegat Maymburgus testimonium Ottonis Frisingensis, viri sanctitate, & eruditione præcipui, nec minùs Pontificum, quàm veritatis studiosi; is enim ita loquitur: [Lego, & relego Romanorum Regum, & Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice, vel excommunicatum, vel depositum. Hæc Otto non scriberet, si aut legisset, aut putasset, Græcos Imperatores maiori parte Romani Imperij à Leone priuatos esse. Et verò quis credat, à tam præclaro scriptore rem tam celebrem, aut ignoratam, aut negatam esse? Resp. Ottonem Frisingensem inter præclaros scriptores numerandum esse nemo inficias iuerit, sed & illud compertum, non caruisse illum næuis, quæ humanam naturam comitantur. Quantis ille laudibus Gilbertum Porretanum non extulit? adeò vt Sanctum Bernardum, qui Porretanum confutabat, nimij ardoris incusaret: sed moriturus errorem agnouit, deplorauitque, ac libros, quos ea de re scripserat, corrigi à suis iussit, teste Radenico Canonico Frisingano. Quid ergo mirum, si Otto Imperatorum frater, & Patruus naturæ aliquid, & affectui indulserit? præsertim cùm semper aulam, & castra Cæsaris sequeretur, vbi querelæ in Pontificem perpetuæ. Et reuera deceptum Ottonem, cùm scripsit, à nullo ante Gregorium Pontificem Imperatores Romanorum excommunicatos fuisse, plus quàm certum est; nam anno 246. Fabianus Papa teste Eusebio Philippum Imperatorem multis delictis impiatum Ecclesia eiecit, nec priùs admisit, quàm publica pænitentia, & confessione veniam flagitijs impetraret. Anno 307. Innocentius Pontifex Arcadium, & Eudoxiam Imperatores ob proscriptum Chrysostomum anathemate percussit; inter alia literis ad eos datis ità Pontifex loquitur: Itaque ego minimus, & peccator, cui thronus Magni Petri commissus est, segrego, & reijcio te, & illam, à perceptione immaculatorum mysteriorum Dei nostri. Episcopum autem, aut Clericum Sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare, aut exhibere ea vobis ausus fuerit, dignitate excidisse decerno; quòd si vt homines potentes quemquam ad id vi adegeritis, scitote, id vobis non paruum peccatum fore, in tremendo illo iudicij die, cùm neminem huius vitæ dignitas, & honor adiuuare poterunt.] Anno 502. Symmachus Papa Anastasium Imperatorem sacris interdicit. Anno 547. idem fulmen in Theodoram Augustam Iustiniani Coniugem: Quòd pertinaciter Eutychianis faueret, à Vigilio Pontifice vibratum, vt testis est B. Gregorius Papa. Anno 730. Leo Isauricus à Gregorio II. quòd sacras imagines persequeretur, in Synodo Romano diris percutitur: testes sunt Theophanes, Zonaras, Græcique, & Latini omnes. Aut ergo deceptus est Otto Frisingensis, cùm negat, quemquam Imperatorum à summis Pontificibus excommunicatum esse, aut intelligendus de Imperatoribus Germanis. Sed qui excuses Maimburgum tantùm historiæ ostentatorem, & hæc nescientem? quique toties, tantoque verborum strepitu Baronio congreditur; nunc Ottoni propitium, eo solùm nomine, quòd cōtra Pontifices scribat; nam si Ottoni contra Imperatores similis error excidisset, quanta putas solertia illi expromendo Maimburgus laboraret? adeò hunc hominem non veritas, sed odiū delectat.

Otto Frisin. in Chron. l. 6. cap. 35.

Otto Frisin. l. 1. c. 46.

Radeu. in Frid. l. 1. c. 46.

Euseb. lib. 6. hist. cap. 27. Spōd. ad anno 246. n. 2.

Theod. l. 5. cap. 34. Niceph. l. 13. c. 34. Glycas Annal. p. 4. Extant to. 1. epist. Rom. Pp. epist. Innoc. 17.

VI. Opponi etiam potest, quòd narrat Sigebertus in Chronico, videlicet: [Clodovæum Regem ab Anastasio Imperatore Codicillos de consulatu, & coronam auream accepisse cum gemmis, & tunicam blatteam, & ex ea die Consulem, & Augustum appellatum esse, ipsum verò Coronam cum gemmis Sancto Petro dono misisse.] Causa quærendæ, parandæque cum Clodouæo amicitiæ bellum fuit cum Theodorico, (quòd Pannoniam occupasset) Gothisque susceptum, quo tempore eosdem Gothos Clodouæus ingenti clade deleuit, Alarico eorum Rege sua manu percusso. Si ergo, inquiunt, Anastasij Imperatoris dono Clodouæus Consul, & Augustus fuit, sequitur hanc dignitatem Augustalem ad Clodouæi posteros, & consequenter Carolum Magnum, non Pontificis auctoritate, sed hæreditariò deuenisse. Resp. Cùm nullus Scriptorum Clodouæum, multòque minùs eius posteros in fastos consulares, aut numerum Imperatorum referat, palàm est. sola insignia, titulumque Clodovæo oblata, non verò ipsam Consulis potestatem: & hoc ipsum fuisse prærogatiuam Personalem, & cum Clodouæo extinctam, nec in eius posteros propagatam; quis enim ex omnibus Franciæ Scriptoribus Reges Galliæ Imperatores, & Augustos appellauit? & quā ob causam Græci Imperatores tam ægro animo hunc titulum à Carolo assumptum esse doluere, si ad ipsum, eiusque maiores spectabat, Græcorū dono? Adde, nec Carolū Mag. ex Clodouæi priuilegijs.

VII. Obijcit etiam Illyricus Sigeberti, Vincentij Belluacensis, & Lupoldi auctoritatem, qui videntur hanc Imperij Translationem non Pontifici, sed populo adscribere. Resp. Qui rogo sunt hi Auctores, tam pauci numero, tot annis à Carolo remoti, vt possint cum alijs innumeris, ac Carolo coæuis componi, qui omnes hanc Translationem Imperij non populo, sed Pontifici tribuunt? & cùm Imperium non penès populum Romanum, sed Græcos esset, qui poterant Romani tribuere, quod non habebant? id enim perinde esset, ac si diceres, posse

posse Gallos Imperium Romanum in Principes Borbonios transferre, cùm tamen nec Galli hoc Imperium habeant, nec dare alijs possint. Et Sigebertus nihil aliud dicit, quàm [populum Caroli Regi Imperatoris laudes acclamasse.] Lupoldus verò ex instituto probat, non potuisse à populo Romano Imperium transferri. Vincentius Belluacensis idem quod Sigebertus scribit, nihil ergo ex his Auctoribus probare potest.

V. Bellarm. de Translat. Imp. l. 1. c. 10

Patet nisi fallor ex hactenus dictis. Romani Imperij Translationem auctoritate Romani Pontificis factam esse, & argumenta, quæ in contrarium opponuntur, tam esse infirma, & omnium præsertim antiquorum testimonijs adeò conuinci, vt vel hoc ipso imbellicitatem suæ causæ ostendant, quòd tam vanis nitantur: sed nescientibus imponunt; breuitatem, & fœdo mendacij solatio, placuisse imperitis, & decepisse. Nunc ad alia exempla huius Pontificiæ potestatis vertamur, si minùs celebria, at æquè vera, semper tamen intra Galliam hærebimus, id enim propositum mihi, vt longa, certaque inductione ostendam, quænam mens fuerit Ecclesiæ Gallicanæ.

VIII. Anno 593. Petentibus Francorum Regibus, inquit Spondanus, B. Gregorius Magnus Monasterio Suessionensi S. Medardi in Gallia Priuilegium concedit, quo illud constituit caput omnium Monasteriorum totius Galliæ, & nullius voluit ditioni subijci, præterquam Sedis Apostolicæ. Initium huius Priuilegij sic habet: [Pretiosissimis lapidibus in Diademate Christi, &c. Et infrà: Si quis autem Regum, Antistitum, Iudicum huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis Decreta violauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur. Huic priuilegio Theodoricus Rex, alijque Franciæ Episcopi subscripsere, vt intelligas, quæ tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ mens, & sententia fuerit. Aduerte tamen, eam subscriptionem posteà adiectam esse Theodorico Galliam gubernante; anno enim, quo ea Constitutio facta est, videlicet 593. Gildebertus regnabat. Tanta verò fuit modestia, pietas, & doctrina Gregorij, vt eum, aut fastu, aut ignorantia errasse, dubitare nemo possit.

IX. Anno 603. idem Gregorius Magnus concessis priuilegijs Xenodochio à Brunihilda Regina, & Theodorico eius nepote eamdem clausulam subnectit, videlicet: [Si quis verò Regum, Sacerdotum, iudicum hanc Constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentauerit, potestatis, honorisque sui dignitate priuetur.] Nota circa has Epistolas, eas inter epistolas B. Gregorij reperiri, & in omnibus quidem tam impressis, quàm scriptis Codicibus, citantque non solùm Gregorius VII. sed etiam illi, qui Galliæ monumenta collegerunt, videlicet Andreas du Chesne, Iacobus Sirmondus, alijque quàm plures Galli, & ab vndecim ferè seculis nemo de illis dubitauit. Maimburgus, cùm nihil solidi obiectare his epistolis posset, in solitas inuectiuas effunditur, & armis destitutus cymbalo perstrepit: [Imposturas crassissimas vocat, & inuerecundos, qui earum testimonio vtuntur.] Si quæras, quibus rationibus contra tot seculorum cursum nitatur, tamque insignes viros, ad quorum vix fimbrias ipse assurgat, tam indignis censuris perstringat? nullas prorsùs adducit, immò nec testes, perinde, ac si Maimburgi auctoritas toties fœdata, & malæ fidei comperta tanti sit, vt vndecim seculorum possessioni præferri debeat, & in eius gratiam Gregorius Pontifex, Spondanus, alijque impudentiæ notari; nam quòd dicit; [repugnare Gregorij modestiæ tam seueras Clausulas; iam suprà ostendimus, eum Gregorium fuisse, qui & obsequi sciret, & imperare, & cùm necessitas posceret, modestiam seueritati iungeret.

Greg. VII. l. 8. ep. 2. & l. 4. ep. 2. & 23. Sirm. Concil. Gall. t. 1. Andr. duch. hist Franc. t. 1. Spond. ad anno 593. n. 6. Baro. ibid. n. 95. Greg. M. l. 11. epist 10. ind. 6. V. tract de lib Eccl. Gall. f. 175. Maim.

traité de l'Eglise de Rome f. 403.

X. Anno 823. In Ludouicum Pium Imperatorem Pipinus, Lotharius, & Ludouicus filij armantur. Causa pudendi belli ambitio; iamq; acie congredi paratis Gregorius Papa, qui ex Italia aduolauerat, pugnam diremit: sed eo digresso bellum iterum, litesque accensæ. Conuentus Episcoporum Compendij habitus; illic Sacerdotum auctoritate Imperium Ludouico ademptum, & Lothario filio traditum. Audi annales Francorum ex Bibliotheca Pithœi editos, qui sententiam ab Episcopis latam, ità referunt: [Omnibus in Christiana Religione scire conuenit, quale sit ministerium Episcoporum, quos constat esse Vicarios Christi, & Clauigeros Regni Cœlorum, &c. Et infrà: Proinde notum esse necessarium duximus, qualiter nos Episcopi super Imperio Domini Lotharij Imperatoris constituti memoratum Principem humiliter audiuimus, & hoc quidem illi, seu Optimatibus eius, seu omni generalitate populi, quæ vndique illuc confluxerat, manifestari curauimus, qualis sit vigor, & potestas, seu ministerium sacerdotale, & quali meretur damnari sententia, qui monitis sacerdotalibus noluerit obedire. Et infrà: Sed quia idem Princeps Ludouicus ministerium sibi commissum negligenter tractauit, & multa, quæ Deo, & hominibus displicent, fecerit, & facere compulerit, & in multis nefandis consilijs Deum irritauit, & populum sibi subiectum ad generalem interitum contraxit, & ab eo diuino, iustoque iudicio subitò Imperialis sit subtracta potestas, nos tamen, &c.] Vides, quid Episcopi Galliæ senserint de Ecclesiastica in Regna potestate. Et quamuis posteà hoc Decretum, vt Æmilius, & Marianus Scotus notant, auctoritate Gregorij Pontificis rescissum fuerit, & Iuditha Augusta Imperio, & thoro restituta, ac Lugdunensis Archiepiscopi temeritas mulctata, imò ab omnibus ferè Gallis execrationi habita; non ideò id fuit, quòd negarent, hanc esse in Ecclesia potestatem, sed quia, vt loquitur, qui res gestas Ludouici tunc temporis conscripsit, [pro his, de quibus iam pœnitudinem gesserat Imperator, iterum publica pœnitentia iudicaretur. Cùm ne forenses quidem leges contra vnam culpam semel commissam bis inuehant vindictam, eumque absentem, & inauditum, neque confitentem, neque conuictum adiudicarunt.] Vbi vides, non esse de potestate, sed de abusu querelam: imò Ludouicus, quamuis exercitus affluerent, constaretque iniustam esse sententiam, & vrgeretur totius Galliæ votis in thronum redire; vt

Baron. ad ann. 833.

tamen palàm faceret, quantum ipse potestati Ecclesiasticæ deferret, noluit nisi Episcoporum manibus Coronam recipere, gladioque accingi. Sic enim auctor vitæ Ludouici: [At verò ij, qui cum Ludouico remanserant, eum ad recipiendas Imperatoris Insulas hortabantur, sed Imperator nequaquam properè eorum voluit sententiæ acquiescere, sed Episcopali ministerio voluit reconciliari, & per manus Episcoporum armis accingi consensit.] Agnouit ergo Ludouicus, esse in Ecclesia potestatem, quæ Imperatores moueat noxios Religioni, idque in Gallia adeò receptum fuerat, vt non solùm Ludouicus Imperator, sed posteà etiam Carolus simplex id agnouerit; cùm enim anno 898. cum Normannis tunc temporis idolorum seruituti addictis fœdus contra Odonem Franciæ tyrannum pararet, Fulco Archiepiscopus Rhemensis, pietate, & doctrina celeberrimus, re intellecta Carolum ab incepto reuocat, minatus, nisi impio fœdere absistat, [se numquam ei fidelem extiturum, sed & quoscumque posset ab eius fidelitate reuocaturum, & cum omnibus Episcopis suis ipsum Regem æterno anathemate damnaturum.] Verba

Flodoard. lib. 4. c. 5. sunt ipsius Fulconis apud Flodoardum. Paruit Rex salubria monenti, & Deus in præmium auditi Sacerdotis Odonem æmulum Regni è medio sustulit. Cæterùm circa vtrumque obserua, cùm Reges exauctorare, eorumque subditos iuramento absoluere ad maiores causas pertineat, & plerumque totius Ecclesiæ, aut quies, aut turbatio in eo vertatur; non posse rem tanti periculi à solis Episcopis suscipi, sine Romani Pontificis auctoritate, assensuque, ad quem in maioribus causis iudicium, & sententia pertinent; & in hoc quoque grauiter ab Episcopis peccatum, qui Ludouico Imperium ademerunt; sed hoc ad abusum potestatis pertinet, de quo modò non disputamus, quis enim nescit, non ideò priuari potestate supremos Principes, quia aliqui ea abutuntur, alioquin omnis è mundo potestas proscribenda, quia vix aliqua non abusu fœdatur: id verò perindè esset, ac si oculos, linguamque omnibus adempta velis, quibus homines toties delinquunt; maiori pernicie, quàm remedio. Subinde tamen silentium, & approbatio Pontificis Romani pro assensu fuit, quod etiam in sequēti exemplo obserua.

XI. Anno 842. Lotharius Imperator Ludouicum, Carolumque fratres bello aggressus, acie vincitur, fugamque capit. Episcopi Galliæ Aquis conueniunt, & Lotharium Regno, Imperioque abdicant, duobus fratribus in eius locum suffectis; priùs tamen de Lotharij criminibus cognoscunt, vindicantque, ac tunc demum Imperio eijciunt; sed nec fratres admissi, nisi priùs se iustè, & ex legum præscripto regnaturos iurassent; audi Nithardum, Francorum nobilissimum, & Caroli M. ex filia nepotem, quique omnia coràm spectabat; sic enim inter alia: [Qui Episcopi ab initio gesta Lotharij spectantes, quomodo Patrem suum Regno pepulerit: quoties populum Christianum periurum effecit: quot homicidia, adulteria, incendia vniuersalis Ecclesia sua nefandissima cupiditate perpessa sit: insuper autem neque scientiam gubernandæ Reipublicæ illum habere; Ergo omnibus vnanimiter visum est, atque consentiunt, quòd vindicta Dei illum eiecerit, Regnumque fratribus suis melioribus se ad regendum tradiderit. Verumtamen haud quaquam illis Episcopi hanc licentiam dedere, donec percunctati sunt, an secundùm Dei voluntatem regere vellent? & respondentibus se velle, aiunt, & auctoritate diuina, vt illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.] Vides hìc, Galliæ Episcopos ius Imperijs, ac Regibus dicere, nostramque sententiam non calamo solùm, sed exemplo docere, & Coronas de vno in aliud caput transferre, certis tamen, fixisque legibus, & iuramento sancitis: quid ampliùs velis?

XII. Anno 860. Ludouicus Pius Imperator, cùm tres filios reliquisset, Lotharium primum Imperatorem, Ludouicum Germaniæ Regem, & Carolum Caluum, istorumque factionibus, bellisque ciuilibus, diu Imperium, & Gallia conflictarentur; tandem inter Ludouicum, & Carolum fratres, eorumque ex fratre nepotem Lotharium (filium Lotharij Imperatoris) pax sancita est, ac mutuis iuramentis firmata; sed Caroli ambitio, pactorum, ac finium impatiens omnia abrupit, inuasitque fratris, ac nepotis Prouincias; hinc à Ludouico, & Lothario ad Nicolaum querelæ, quibus vt inuasorem compesceret, petebatur; inter alia sic Pontificem alloquuntur: [Oporteret vestræ auctoritatis iubar propter generalem sollicitudinem nostros inuisere fines, vt quos nulla mouent fraternæ charitatis viscera, Apostolica inuectio ad censuram venire Ecclesiasticam compellat.] Vides hìc testimonio Regum Galliæ, posse Romanos Pontifices de causis Principum temporalibus cognoscere, sententiam proferre, & compellere repugnantes, quod magis etiam ex mox dicendis apparebit. Nam cùm idem Lotharius Vualdradam pellicem deperiret, eamque, abdicata Theutperga Regina, in thorum recepisset, Nicolaus Papa, nisi protinùs resipisceret, non tantùm Ecclesia, sed etiam Regno se illum amoturum minatus est. Sic enim loquitur: [Non putamus, te in tantam tui perniciem deuoluendum, vt contra nostras definitiones, vel aduersùs dictam fœminam B. Petri confugio prorsùs innixam, agere quoquo modo consentias, cùm tibi potiùs, & Regno tuo, quàm Theutpergæ acquiras omninò dispendium.] Quibus verbis Regni abdicationem minari Nicolaum, non solùm Baronius, & Spondanus ad anno 866. testantur, sed etiam ipse Lotharius agnouisse videtur, quando in hæc verba reuerentiæ, & modestiæ plena Nicolao respondit: [Vti Antecessores nostri Sanctissimorum Prædecessorum vestrorum monitis obedierunt, ità nos etiam coram excellentia Apostolatus vestri nos humiliare cupimus; quamobrem cernuo lumine vestram affatim deposcimus Paternitatem, vt dum nos vobis, missisque vestris per omnia obedire volumus, non aliquem nostri Deo miserante consimilem super nos extollere, aut terræ præponere vestræ libeat Paternitati, ne forte ipsi talem contra moliri velint causam, quàm tolerare non valentes pro Regio munimine, inter nos ali-

Ex actis Cōcilij apud Confluent. in Ms. Cod. Anton. Aug. ap. Baron. ad ann. 860.

Epist. Nic. 51. ap. Binn. to. 3. Conc. sect. 2.

Epist. Loth. ad Nicol. PP. ex Cod. Treu. apud Baronius ad ann. 866. n. 43.

aliquod scandalum euenire possit. Et infrà: Nulli prorsùs homini subiecti esse volentes, nisi Deo, & sancto Petro, ac cœteris Sanctis, vestræque Paternitatis culmini, mi Pater & Domine, &c.] Vides, profiteri Lotharium, [se nulli prorsùs homini subiectum esse, nisi sancto Petro, ac cœteris Sanctis;] quod vtique de subiectione temporali saltem indirectà accipiendum est, si enim de subiectione merè spirituali intelligas, quis nescit, Reges non soli Pontifici, sed etiam Episcopis, alijsque sacerdotibus subiectos esse? Rursus illa verba: [Vestram deposcimus Paternitatem, ne aliquem nostri consimilem super nos extollere, aut terræ præponere libeat:] apertè significant, & Pontificem minatum esse, & Regem timuisse, ne alius Regno imponeretur.

XIII. Anno 869. Mortuo Lothario Carolus Caluus eius Regnum inuadit, occupatque assensu Procerum, excluso Ludouico Imperatore defuncti fratre, ac legitimo Regni hærede. Hadrianus II. qui Nicolao successerat, vbi id intellexit, Legatos ad Carolum mittit, iubetque alieno Regno abstinere, nisi pareat, anathema intentat, infirmatque electionem iniquè peractam. Verba Pontificis ad Regem, & Episcopos apud Aimoinum, sunt ista: [Regnum quondam Lotharij, quod spirituali filio nostro Ludouico Imperatori hæreditario iure debebatur, mortalium nullus inuadat, nullus commoueat, nullus ad se flectere conetur; quod si quis præsumat, non solùm per nostræ auctoritatis ministerium infirmabitur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus cum Diabolo omninò locabitur. Et infrà: Carolus peracta venatione Autumnali ad Monasterium S. Dionysij perrexit, vbi Apostolicos Legatos cum epistolis ad se, & ad Episcopos Regni sui directis, terribiliter sibi Regnum quondam Lotharij interdicentibus, molestè accepit.] Et ipse Hadrianus in epistola ad Carolum Regem: [Ludouico Cæsari contra hostes Christiani nominis dimicanti, pro liberatione populi Dei multis laboribus insistenti, & Saracenorum multitudinem superanti, vt pax fieret, cedere noluisti, &c. Et infrà: [Igitur monemus, & auctoritate Apostolica modis quibus possumus spiritualiter suademus, paternoque affectu præcipimus, vt iam tertiò monitus ab inuasione Regni spiritualis filij nostri, Christianissimi Principis te subtrahas; nos etenim, nisi saltem nostris parueris monitis, nullo pacto, nulloque prætermittemus ingenio, quò minùs nosmetipsi partes illas petamus, & quod nostri est ministerij penitùs peragamus. Vides hìc iterum, Romanum Pontificem ius Regibus dicere, & ad quem Regna pertineant, aut non pertineant definire, ac procerum Regni electionem, quòd iniusta ea esset, penitùs soluere. Sciendum enim est, in Synodo Metensi ab Episcopis, & Magnatibus Regni fuisse Carolo delatam Coronam, quorum inter alia sunt etiam hæc verba: [Quia voluntatem Dei vnanimitate nostra videmus, hunc Regni huius hæredem esse legitimum, cui nos spontè commisimus, vid: præsentem Regem, ac Principem nostrum Carolum, vt nobis præsit, & prosit, &c.] Pontifex ergo Romanus dum Regiam electionem ab Episcopis, & Optimatibus factam auctoritate sua dissoluit, satis ostendit, quid in Reges, & Regna possit. Nec obstat, Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, aliosque Galliæ Episcopos obstitisse Pontificis decreto, quorum hæc sensa, & verba in epistola Hincmari ad Hadrianum leguntur: [Omne Regnum seculi huius bellis quæritur, victorijs propagatur, & non Apostolicis, vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur; & scripturam diuinam proponunt dicere: Domini est Regnum, & cui voluerit dabit illud: & Dominus Apostolicus Rex, & Episcopus esse simul non potest, & sui antecessores Ecclesiasticum Ordinem, quod suum est, & non Rempublicam, quod Regum est, tractauerunt.] Hæc ex Gallorum sententia Hincmarus; non ergo hanc in Pontificibus potestatem admiserunt, immò reijciunt, damnantque. Resp. Mirum non est, si Hincmarus, alijque Episcopi, qui in Concilio Metensi Coronam Carolo imposuerunt, Ludouico abdicato, nunc quoque factum excusent, quid enim aliud expectares à Synodo Prædatoria, qualem hanc Metensem appellarunt? & quem latent Hincmari artificia, & intemperies scribendi? Malè ergo ab irato, & offenso, & Regi Carolo aduersùs Pontificem tot titulis deuincto argumentum sumitur. Deinde demus, Gallos obstitisse; at saltem constat, Hadrianum Pontificem auctoritate sua in Reges equè, ac alios Summos Pontifices vsum, & ita falli Maimburgum, qui negat, conaturque inductione ostendere, nunquam id Pontifices ausos esse, quasi verò exempla Zachariæ, Gregorij, Leonis, Stephani, Nicolai, aliorumque ignorentur, qui Regibus imperarunt: frontesque coronatas Imperio crucis submisere: & in hoc ipso exemplo, quod manibus versamus, quis nescit, Carolum Caluum auctoritate, iussuque Ioannis Pontificis (quod in Concilio Pontigonensi Galli venerati sunt, non ausi obsistere) coronam, & imperium accepisse Ludouico debitum maiori natu? Agnouit ergo Gallia hanc Pontificum in Reges potestatem, sed tunc, cùm pacata, cùm libera passionibus fuit, & ratione, non ira ad clauum sedente.

XIV. Anno 893. Carolus Simplex Ludouici Balbi filius, cùm se imparem videret Tyrannis Galliam occupantibus, præsertim Odoni Comiti Parisiensi, cum quo paulò antè pacem inierat, vires cum Northmannis idolorum cultoribus sociare parat, ac fœdus componere; quod vbi Fulco Rhemorum Archiepiscopus intellexit, ac Religionem, animasque periclitari impiorum consortio, literas ad Regem componit, libertatis, ac ardoris plenas, & quales solent, cùm quis amat, doletque, & medius inter indignationem, ac reuerentiam pendet, clauditque his verbis epistolam, quæ ad propositum nostrũ apprimè faciunt, videlicet: [Meliùs enim fuerat, vos non nasci, quàm Diaboli patrocinio velle regnare. Sciatis enim, quia si hoc feceritis, & talibus consilijs acquieueritis, numquàm me fidelem habebitis, sed & quoscumque potuero, à vestra fidelitate reuocabo, & cum omnibus Coepiscopis meis vos, & omnes vestros excommunicans æterno anathemate condemnabo. Pro fidelitate, quam

Aimoin. l. 5. c. 24 & 26.

Id. loco cit. c. 27.

Epist. Hadr. Pap. ad Carol. Reg. ap. Baron. anno 870. ex Codic. Petr. Fabr. Parisijs allato.

Ex Actis Synod. Met. quam prædatoriã appellarunt.

Ep. Hincm. ad Had PP. anno 870.

Aimoin. l. 5. c. 31. 32. & 33

quam vobis seruo, gemebundus scribo, Regnum enim, quod Deus dat, firmum habet fundamentum; quod verò per iniustitiam, & rapinas acquiritur, caducum est, & citò deciduum.] Hæc Fulco apud Flodoardum. Fuit in nobilitate, pietate, ac doctrina insignis, & inter præcipua Ecclesiæ Gallicanæ lumina censeri potest. Si ergò is credidit, ob Religionem in discrimen adductam, ac fœdus cum Gentilibus initum, quorum societate periclitari, peruertique Imperium posset, Regia dignitate exui Regem debere, idque in potestate Archiepiscopi Rhemensis esse; quantò magis hanc ipsam potestatem Romano Pontifici tribueret, cuius custodiæ, ac curæ omnes Ecclesiæ committuntur? Nec Fulco tam præsidenter, & omnium suorum Coepiscoporum nomine hæc scriberet, nisi ei constaret, hanc aliorum Galliæ Episcoporum mentem, & sententiam esse.

Flodoard. hist. Rhem. lib.4 c.5.

XV. Anno 1179. celebratum est Concilium Lateranense Oecumenicum, cui quàm plurimi Galliæ Episcopi interfuere, in quo cap. vltimo in Dominos, qui certum prædonum genus fouerent, hæc pœna indicitur: [Relaxatos se nouerint à debito fidelitatis, & Dominij, ac totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint.] Agnouerunt ergò Patres, & inter illos Galliæ Præsules, posse à Summo Pontifice (nàm huic Synodo Alexander III. præsidebat,) non solùm spiritualibus pœnis, quæ plerumque à sceleratis contemnuntur, sed etiam temporalibus delinquentes puniri.

XVI. Anno 1216. magnum, & Oecumenicum Lateranense Concilium conuenit, quo nullum frequentiùs, ac pluribus Insulis celebre, quippe cui adfuerunt, Vrspergensi, Stadensi, & Parisio testibus, Episcopi 412. Archiepiscopi 70. Prælati alij supra 800. Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, Legati Alexandrini, & Antiocheni Patriarcharum, Imperatorum Orientis, & Occidentis, Regumque Hierosolymorum, Angliæ, Galliæ (Philippi Augusti) Arragoniæ, Hungariæ, Cypri, aliorumque Principum Oratores, præseditque Innocentius III. In hoc verò Concilio, quod meritò Conuentum totius Orbis Christiani vocaueris, cap. 3. ità statutum est: [Si verò Dominus temporalis requisitus, vel monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros Comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit intrà annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse Vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam.] En tibi totius Orbis Christiani sententiam! Cui tantùm abest Gallos obsistere, vt potiùs & ipsi, magna quippè illius Concilij portio, sua vota contulerint. In eodem Concilio Dominium Tholosanum Comiti Monfortio dono datum, exuto Raymundo, quòd Albigenses bello adiuuisset. Verba Concilij sunt: [Sacro consulto Concilio ità duximus prouidendum, vt Raymundus Tholosanus Comes ab eius Dominio, quod vtique graue gessit, perpetuò sit exclusus.] Probauitque tota Gallia, & ipse Philippus

Vid. Rayn. ad ann. 1215

Vid. Lucam Dacher. to.7 spic. & Raynal. ad anno 1214. n. 19. & ann. 1215. n. 25.

Rex, quando præstandi iuramenti causa (nàm supremum Tholosæ ius Regi Innocentius reseruauerat) ad se venientem summa gratulatione, plausuque excepit. Alia ergò tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ sententia fuit, quàm nupera Conuentus Parisiensis.

XVII. Anno 1245. Innocentius IV. Friderici Imperatoris arma, quibus tota Italia grassabatur, veritus, in Galliam secedit, & Lugduni Concilium indicit, vbi Pontificio apparatu, cultuque insignis, facesque cum ingenti aliorum Episcoporum agmine manu quatiens, & mox terræ obuersas extinguens, diras solemni pompa in Fridericum pronunciat, priuatque Imperio, ac Principibus, vt alium eligant, mandat; & illi nec mora obsecuti, Henricum Thuringiæ Ducem Imperatorem pronunciant. Sententia in Fridericum prolata hæc fuit: [Nos super præmissis, & quàm pluribus alijs eius nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti (cum Iesu Christi vices licèt immeriti in terris, nobisque in beati Petri persona sit dictum, quodcumque ligaueris super terram, ligatum erit & in Cœlis:) memoratum Principem omni honore, ac dignitate priuatum à Domino ostendimus, & denunciamus, & nihilominùs sententiando priuamus omnes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur adstricti, à iuramento huiusmodi perpetuò absoluentes, auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quispiam de cætero sibi tamquàm Imperatori, vel Regi pareat, vel intendat.

Ludouicus Maimburgus lib.2. des Croisades ad anno 1245. fol. 116. cùm sententiam Innocentij recitasset, hæc subdit: [En meme temp les Eueques, qui tenoient des cierges allumez, approuuent, & confirment la sentence, & en les etcignant prononcent l'anatheme contre lui.] Hoc est: [Eodem momento Pontificis sententiam Episcopi cōfirmarunt, ratamque habuerunt, extinctisque, quas manu gestabant facibus, anathema Friderico dixerunt.] De hoc eodem Concilio Æmilius, & Spondanus hæc habent: [Nisi sancti Ludouicus Rex Francorum huic Concilio dignitatem, roburque præstitisset, turbasset illud armis Fridericus.] Habes hìc iterùm Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, non vtcumque, sed in ipsa Gallia, plenoque Concilio expressam, & cui muniendæ Episcopi vota, Rex potentiam suam commodarunt: nec habuit Maimburgus, quid huic Concilio opponeret, quamuis alioquin nec timido ingenio, nec parco exceptionum. Iàm tecum expende, quæ sit eorum fiducia, qui audent nobis Ecclesiam Gallicanam opponere, cùm nullibi plura, aut fortiora exempla, quàm in Gallia pro nobis obuenerint. Et si nihil aliud, quàm Concilij Lugdunensis auctoritas esset, qui rogo sunt illi, qui non dico præferri, sed vel comparari possint cum tam magno, tam sancto, celebrique Consessu, totaque Gallia tanta veneratione culto?

XVIII. Anno 1307. interfecto Alberto Imperatore Philippus Pulcher Galliæ Rex re in Senatu maturè agitata solemnem ad Clementem V. Pontificem, qui tunc in Gallijs mora-

morabatur, Legationem decernit, sibique Imperium, aut Carolo fratri deposcit. Inter alias rationes permouendo Pontifici hanc etiam Legati produxerunt, videlicet: [Cui, enim, inquiebat, fit iniuria, si vacantis Imperij conditio permutetur? idem fecerunt olim Pontifices alij.] Sed Clemens nimiam Philippi potentiam verebatur, si Regno Imperium coniungeret; spatium ergò deliberando petit, & interim clàm missis Nuntijs Henricum Lucemburgensem promoueri ab Electoribus curat. Vide Conradum Vecerium, Bzouium, & Æmilium, aliosque. Agnouit ergò Rex Galliæ, Regiusque Senatus, posse Imperia à Pontifice transferri, alioquin cur peterent, quæ fieri non possunt? idque ab alijs retrò Pontificibus factum esse professi sunt.

Conr. Vecer. lib. de gest. Henr. VII. Bzou. ad ann. 1307 Aemil. in Phil. Pulch.

XIX. Anno 1414. inchoatum est Constantiense Concilium, cui interfuere Sigismundus Imperator, quatuor Patriarchæ, Cardinales viginti nouem, Archiepiscopi septem & quadraginta, Episcopi centum sexaginta (alij 270.) Prælati, & Doctores sexaginta quatuor supra quingentos; taceo promiscuum vulgus, quod ad mille sexaginta peruenisse dicitur. Cæterùm in hoc Concilio præcipuas fuisse Gallorum partes & Galli fatentur, Maimburgus præsertim, in magno Schismate Occidentis, & res ipsa loquitur, cùm nemo ignoret, quid Vniuersitas Parisiensis, eiusque Cancellarius Ioannes Gerson in Concilio præstiterint, à cuius doctrina, calamoque, velut pacis Oraculo Patres pendebant, cui meritò illud Eliæ applices elogium: [Et surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.] Episcopi Conuentus Parisiensis propositione secunda dicunt: [Decreta Concilij Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ac totius Ecclesiæ vsu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicanæ Religione perpetua esse custodita.] At verò nullum Concilium magis, pluribusque exemplis hanc ipsam Pontificis in Reges potestatem ostendit, deciditque, vt adeò, & secum ipsis pugnent, qui Concilium Constantiense miris laudibus extollunt, simùlque ab eius doctrina discedunt; & cum Ecclesia Gallicana, quæ in Concilio sedit, in Concilio dixit, & quam tamen Maimburgus non audit, immò eodem tempore impugnat, laudatque. Concilium ergò Constantiense sess. 20. [Friderico Austriæ Duci, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Ecclesia, vel Imperio obtinet, & inhabilitationis suæ, & filiorum suorum ad obtinendum tam feuda, quàm officia, & beneficia, & honoris, ac famæ, & communionis in Consilijs Principum mandat, ne iura, & bona Episcopatus Tridentini inuadat.] Et sess. 31. in monitorio contra Comitem virtutum: [Et si prædictas pœnas interdicti, & excommunicationis dictus Fridericus animis sustinuerit induratis, ad omnes alias pœnas spirituales, & temporales procedere valeant.] Et sessione 39. [Si quis in electione metum, vel impressionem, aut violentiam intulerit, cuiuscumque status, vel præeminentiæ fuerit, etiamsi Regali, aut Imperiali præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in Constitutione Bonifacij VIII. quæ incipit, Felicis, continentur. Eæ verò sunt, vt sit infamis, banitus, intestabilis, nec ad alicuius bona ex testamento, vel ab intestato vocetur; dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam, nullus ei debita reddere teneatur,] & alia, quæ habentur in cap. 5. de pœn. in 6. Et in Bulla Martini sess. vlt. idem Pontifex sacro approbante Concilio: [Volumus, inquit, ac statuimus, vt omnes, & singulos Hæreticos, etiamsi Regali, Reginali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostra diligenter inquirere studeatis, & per pœnas excommunicationis, necnon priuationis dignitatum, ac etiam bonorum, & dignitatum secularium puniri faciatis, &c.] Similia habentur in Constitutione Carolina auctoritate Concilij edita (vt habetur sess. 19.) quam reperies post acta Concilij, præsertim verò in §. Item eadem auctoritate, & §. Item dicta Synodus. Habes hìc iterùm illius Synodi sententiam, quam Patres Conuentus Parisiensis tam impensè dilaudant, quam sanctam, & immotam, semperque in Gallijs custoditam, ac cultam pronunciant, & cuius decretis Pontificiam potestatem alligatam volunt; & tamen hæc ipsa est, quæ Regibus imperat. quæ Coronis minatur, quæ honores, dignitates, testamenta delinquentibus adimit, quæque omnem potestatem temporalem fidei rebellem compescit, exarmatque. Quid aliud volunt. & quæ alia superest probandi necessitas post tam clarum, euidensque testimonium? Galli erant, qui in hac Synodo sedebant. Galli, qui vota conferebant, Galli, qui primas acies ducebant, Galli denique, qui nullum finem faciunt huius Synodi laudandæ. Ergò, qui à sententia, doctrinaque huius Synodi abscedunt, qualis Maimburgus, eique similes, nec Galli dici merentur, nec Gallicanæ Ecclesiæ sensis imbuti sunt.

Maimbur. Grád. Schif. d'Occid præsertim lib 3.

Eccles. c 48.

Vid. etiam sess. 15. & 17.

Maimburgus, vt auctoritate, & exemplo Concilij se liberet, in libro de magno Schismate Occidentis, dicit: [Concilium rem ausum esse, quæ nullo pacto sustineri, excusarique possit, quæque Principum supremæ dignitati planè aduersetur, nullumque exemplum in quatuor primis Concilijs habeat; & priuilegium infallibilitatis à Deo Concilijs datum, ad sola fidei dogmata, non ad Regna, & Principum dignitates pertinere. Errare ergò Concilium in hac parte potuisse, immò errasse.] Hæc Maimburgus, quæ ego verbatim ex Gallico transtuli, vt inconstans huius Auctoris, ancepsque ingenium videas, & in omnem partem versatile, vt Regibus blandiatur. Concilium Constantiense, vbi contra Pontifices statuere aliquid videbatur, ad Cœlum extollit, nec eius laudandi finem vllum, aut exitum reperit. Vbi verò pro Pontifice aliquid, & contra Reges decernit, continuò errat Concilium, fallitur Concilium, limites suos, & alueum egreditur, non excusari, non sustineri potest. Quis hìc non videat, calamum, & ingenium Maimburgi, non veritati, quæ & vna, eademque est, sed adulationi dicatum esse, in personas, & obsequium intentæ? Quis verò ferat priuatum hunc hominem, nec optimo metallo fusum, tam Sacro Senatui, & ex flore totius

Maimbur. grád. Schif. d'Occid. l. 6. fol. 370.

totius Europæ, Galliæque præsertim collecto insultantem, quasi is ea decreuerit, quæ nullo pacto sustineri, excusarique possint, minùsque quàm Maimburgus suæ potestatis limites, ac Principum iura cognouerit? Enim verò nimiùm hic Auctor sibi blanditur, si tam sancto Concilio, & Patribus tanta virtute, ac doctrina insignibus non dico se tantùm exæquet, sed etiam præponat. Vbi etiam obserues, eos, qui tot encomijs Concilia exornant, ac etiam Pontifici præferunt, non eò spectare, vt Concilijs subdantur, sed solùm, vt istorum obtentu, quæ tardissimè, & raro conueniunt, parata interim Pontificis Imperia deludant, eodemque artificio Concilijs imponant, si aliquando conuenerint. Dicunt enim, aut in ijs, quæ ad fidem non pertinent, errare posse, aut non esse recepta, aut non esse vniuersalia, saltèm non constare. aut mille alia, quæ numquàm desunt quærentibus. Ergò obtentu Concilij anarchia, & libertas paratur, nullis legibus, nulli Magistratui, nulli obsequio deuinctæ, sola gubernante voluntate. Sed rem ipsam, quod attinet, nolo cum Maimburgo de singulis, quæ obiectat, contendere, ea enim, aut principium petunt, aut alibi soluta sunt, & infrà redibunt. Id solùm dico, non iàm verti quæstionem, an falli, aut non falli Concilium possit? sed quæ in hoc argumento Ecclesiæ Gallicanæ sententia fuerit? eam verò sensisse, etiam Regna, & Principatus Pontificum potestati subiacere, testimonio, exemploque Constantiensis Concilij demonstrauimus. Cùm enim hoc Concilium tam seueras pœnas Principibus dictaret, cùm dignitatibus, immò Regnis exueret, an Galli Concilio non assidebant? an non primas illi partes agebant? an sua quoque vota non illi conferebant? nùm Patribus ea decernentibus aut Gerson, aut Vniuersitatis Parisiensis Legati, aut Gallorum alius obluctatus est? siue ergò Concilium errauerit, siue expers erroris fuerit, Gallorum ex doctrina, & sensus fuit. Erratque Maimburgus, aliosque in errorem inducit, cùm iactat, sententiam, quam nos tuemur, Ecclesiæ Gallicanæ aduersam esse; qui enim aduersa, quam Ecclesia Gallicana, & præcipui illius Doctores in Concilio œcumenico tam enixè, exemplisque repetitis professa est? An ergò ea solùm erit Maimburgo Ecclesia Gallicana, quæ Regibus adulatur; quæ non adulatur, non erit? at Ecclesiam non adulatio, sed veritas facit, Et verò neminem credo tam fore imprudentem, qui non malit cum Concilijs œcumenicis, quàm Maimburgo sentire; si enim errare illa, fallique possunt, & aliter quàm veritas permittit, scripturas explicare, quanto magis Maimburgus, eique similes? nam & minùs periculum, & maior errori venia, in ambiguo, incertoque plures, gnarosque viarum elegisse, quos sequaris; quippè & peritissimis potiùs Medicis valetudinem nostram, & versatissimis Gubernatoribus nauigationem committimus, quàm Vnguentario nuper Scholas egresso, & nauclero, marium, ventorumque, & stellarum, quæ spectari solent, ignaro: [At, inquit Maimburgus, antiqua Concilia, & Papæ spiritualibus pœnis contenti, temporalibus abstinebant, nec legimus, in Coronas, & Regna sæuisse.] Resp. Pessima semper fuit à negatiuis argumentatio; quàm enim multa hodie, & salubriter fiunt, olim insueta? Olim nulla Antipodum, Americæ, Magneris, & mille medicinarum notitia, & vsus, quæ modò, & passim abundant; an ideò nemo hodie in Americam nauigabit, quia olim nulla illuc nauigatio? nemo contra febres Chinam Chinæ sumet, quia olim ignota? produntur, & crescunt cum morbis, annisque remedia, & quæ multis retrò annis aut noxia, aut occulta, nunc aperta, & salubria. In ipsa fide, hoc est, anima nostræ Religionis, quàm multa, aut dubia, aut intrà velum subducta, nunc in apricum emersere, semper quidem vera, at non semper patentia. Ipse Maimburgus percurrat illa priuilegia, aut, vt vocant, Ecclesiæ Gallicanæ libertates, quàm multa illic inueniet elapsis retrò temporibus non ignota tantùm, sed etiam damnata? non ergò sequitur, vt modò non liceant, quæ olim vsurpata non sunt, mutata præsertim hominum, temporumque conditione. Olim vni, aut summùm duobus Principibus totus Orbis, Oriens, Occidensque parebat, quæ ergò Pontificum imprudentia fuisset, cùm ipsi inermes, nudique potentia essent, aggredi tam potentes, & pœnas vibrare, quas nec accipere Principes vellent, nec exequi ipsi possent? Deindè, maior olim sacrarum pœnarum reuerentia, & metus erat, vt adeò nec temporalibus vti oporteret. Audi Arcadium Imperatorem, quàm modestè, demissèque intentatas ab Innocentio Pontifice censuras sit deprecatus: [Omninò ò Pontifex Dei ne quidquam eorum, quæ in Legatos audacter perpetrata sunt, sciente me factum est. Nobis ergo placetur Paterna humanitas tua, neque deseras nos expertes mysteriorum sacrorum. Tunc etiam filiam tuam Eudoxiam, quæ peccauerit, vltus sum, quæ etiam ex his grauissimo morbo correpta lectulo decumbit. Ne igitur sæpiùs pœnas sumas ò Reuerendissime Pater: vbi autem erit pœnitentiæ bonum, nisi is, qui pœniteat, veniam consequatur? Igitur si nos quidem ex pœnitentibus non essemus, meritò aditus ad veniam clauderetur.] De Theodosio Imperatore audi S. Ambrosium: [Strauit omne, quo vtebatur, insigne Regium: defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat; gemitu, & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam, neque postea vllus dies fuit, quo non illum doleret errorem.] Si ergo Arcadium, & Theodosium Principes imitarentur, pari in sacra, & sacerdotes reuerentia, nihil opus temporalibus pœnis, sacræ sufficerent; nunc verò vbi paruus, aut nullus sacrorum sensus, & solæ dignitates, ac coronæ in pretio, & cura sunt, æternorum neglectu; quid aliud superest, quàm vt fatali somno abrumpendo (quo plerique tenentur) ea applicentur, quæ cùm magis doleant, magis excitant, sanantque; nam si censuris semper pugnatum esset, quando Friderici, Henrici, alijque ad mentem redijssent? Ergo vt præmia, quibus bene meritos Ecclesia muneratur, si sacra tantùm, & spiritualia essent, parùm animos excitarent, ita

Vid. Glyc. annal. par. 4. & Baron. ad ann. 407. S. Ambrof. orat. in fun. Theod.

ita & pœnæ parùm compescerent. Cœlum ergo terræ miscendum, & spes, metusque vtroque temperanda.

XX. Anno 1311. Viennæ in Gallijs Concilium Vniuersale celebratum est, aderantque Galliæ, Angliæ, & Arragoniæ Reges, Patriarchæ, Alexandrinus, & Antiochenus, Episcopi centum quatuordecim, præsedit Clemens V. natione Gallus, ipsisque Gallis addictissimus, quique Sedem Pontificiam Auenionem transtulerat, gemente, aut indignante Italia. In hoc Concilio nostram sententiam Ecclesia Gallicana iterum professa est, videlicet: [Ecclesiam Romanam à Græcis Romanum Imperium ad Germanos transtulisse, & ad certos eorum Principes ius, & potestatem eligendi Regem ab eadem Ecclesia peruenisse, &c.] Quæ verba sunt ipsius Clementis in Concilio Viennensi, immò ipsius Ecclesiæ Gallicanæ, quæ maximam huius sacri Senatus partem implebat.

XXI. Anno 1432. Synodus Basileensis in saluo conductu, seu fide publica Legatis Pontificijs data sic loquitur: [Exhortatur omnes, & singulos Christifideles, cuiuscumque dignitatis, gradus, aut præeminentiæ existant, spiritalis, seu temporalis, etiamsi Regali fulgeant dignitate, eisque in virtute sanctæ obedientiæ mandat, vt si per eorum dominia, terras, Ciuitates, territoria, aut alia loca transire contingat, sub pœna, sententijs, & censuris tam Constantiensis, quàm huius sacræ Synodi decretis conuentis, & fulminatis, districtè iniungendo, quatenùs vos, & vestrum quemlibet cum vestra Comitiua securos, liberos, & tutos cum rebus vestris ire, stare, & redire sine molestia, & impedimento permittant &c.] Pœnæ verò à Concilio Constantiensi decretæ, quarum Basileenses meminerunt, habentur in hæc verba sess. 17. [Quicumque cuiuscumque status, aut conditionis existat, etiamsi Regalis, euntes, vel redeuntes impediuerit, aut perturbauerit, sententiam excommunicationis incurrat, & vlterius omni honore, & dignitate ipso facto sit priuatus.] Episcopi ergò Galliæ, qui magno numero, nec minori auctoritate Concilio tunc aderant, sentiebant, Reges, etiam quod temporalia spectat, Ecclesiasticæ potestati subiacere; quod præsertim argumentum contra Maimburgum valet, qui decreta Basileensis Concilij valida, & ab Eugenio confirmata esse omni studio contendit.

Conc. Basil. in Congreg. Gener. anno 1432. habet. in append. epist. Concil. ap. Binium to. 4. Conc.

Conc. Constant. sess. 17

Maimburg. Traitè de l'Eglise de Rome c. 25.

XXII. Anno 1563. in Synodo Oecumenica Tridentina sess. 25. cui Galliæ Episcopi, & præsertim Cardinalis Lotharingicus intererant, omnium approbatione, & consensu duella, & monomachiæ prohibitæ, ijsque hæc pœna apposita: [Qui pugnam in duello commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ iuxtà sacros Canones puniri debeant.] De hoc, & alijs decretis eadem sessione editis hæc habet Pallauicinus: [De his, quæ proposita sunt, mirus fuit consensus.] Agnouerunt ergò, probaruntque hanc nostram sententiam Galliæ Antistites (nàm Oratores ob alias causas Concilio abscesserant) quorum in Concilio magna, & spectata auctoritas, Lotharingi præsertim, quem vt instar Collegæ haberent, rerumque omnium conscium, suis Legatis Pontifex imperauerat. Nec obstat, non fuisse Concilium Tridentinum in Gallijs receptum, id enim ob alias causas contigit, quæ à Pallauicino memorantur, eiusque receptio non à Galliæ Episcopis (de quorum sententia disputaui) sed ab Optimatibus Regni, & præsertim pendebat, rationibus politicis absterrita, & præsertim ne Caluinistas tunc temporis in Gallia præpotentes offenderet.

Conc. Trid. sess. 25. c. 19.

Pallauic. in hist. Concil. Trid. lib. 24. c. 7. n. 2.

Vid. Pallau. cit. cap. 10. & 11.

XXIII. Anno 1589. Duce Guisio, eiusque fratre Cardinali ab Henrico III. occisis: [Facultas Theologica Sorbonæ, inquit Spondanus ad hunc annum, die 7. Ianuarij congregata, post publicam supplicationem omnium Ordinum dictæ facultatis, & Missam de Spiritu Sancto celebratam, audita omnium, & singulorum Magistrorum, qui ad septuaginta conuenerant, matura, accurata, & libera deliberatione, & multis, ac varijs rationibus, quæ magna ex parte ex sacris scripturis, Canonicis sanctionibus, & Decretis Pontificum in medium proditæ fuere, conclusum est à Decano nemine refragante per modum consilij ad liberandas conscientias, populum solutum esse à iuramento fidelitatis, & obedientiæ Henrico præstito. Seniores tamen Theologi, ipseque adeò Decanus, qui tunc erat Ioannes Faber, censuit, vt res integra ad Pontificem remitteretur; qui Decretum illud vti temerarium valdè improbauit.] Hactenùs Spondanus. Vides ergò, quæ tunc temporis fuerit Sorbonæ sententia, posse videlicet Reges abdicari: & quamuis temerarium fuerit, id propria auctoritate aggressam esse, temeritatem tamen correxit, adornata ad Sixtum V. quatuor Optimatum Legatione, qui id ipsum à Pontifice peterent. Hunc verò censuisse, omninò Pontifices id posse, quamuis hac potestate vti tunc noluerit; certissimum est, quippè qui primo Pontificatus sui anno, videlicet 1585. Henricum Nauarræ Regem, eiusque fratrem, Principem Condeum, omni Regio iure, ac Principali dignitate spoliauit, vt videre est apud Spondanum. Sed & ipsi Sorbonicæ facultatis Decanus, & Seniores hanc ipsam potestatem professi sunt, quando videlicet censuerunt, rem totam Pontifici remittendam. Immò totius Sorbonicæ facultatis hæc sententia fuit, missa ad Pontificem celebri Legatione, qua, vt dixi, Regem exauctorari petebant.

Spondan. ad ann. 1585.

XXIV. Anno denique 1615. Clerus Gallicanus in publicis, & vniuersalibus Regni Comitijs hanc nostram sententiam egregiè, & clarissimè professus est, cùm etiam Clerus nouam quamdam legem abrogari peteret tertio Ordini (qui ex Magistratibus sub alternis, minorique populo constat) proficuam: [Continuò, inquit Gramondus, vbi id tertij Ordinis Oratoribus constitit: rati, vt res erat, peti Ordinem suum, statim proponunt thesim toties Clero obstrepente agitatam; nullam videlicet esse potestatem in temporalibus supra Regiam, vnique immediatè Deo debitam Coronam à Gallis Regibus, &c.] Nota ea verba, obstrepente Clero; ijs enim significatur, propositionem Parisijs editam,

Gramond. Reg. Cōsist. Senat. & in Parl. Thol. Præf. lib. 1. hist. ad ann. 1615. fol. 60.

& nuper à Maimburgo ex professo defensam, à populo, vltimoque Ordine receptam quidem iactatamque, sed obstrepente semper, & aduersante Clero; sicque sententiam dici posse plebis, non Ecclesiæ Gallicanæ. Pergit posteà idem Gramondus dicere: [Clerum perorante doctissimo Perronio probasse, potestati Romanæ Sedis in Reges hæretica labe infectos, Regumque Sceptra, subscripsisse, quotquot antè Caluinum Theologica tractauere. Contrariam opinionem nouam esse, Luthero, & Caluino auctoribus natam, cui veterum nemo subscripsit, recentiorum pauci; hunc errorem primum fuisse Henrico VIII. Angliæ Regi viam in hæresim; apertam rebellionem sonare in solium Petri; si Reges Galliæ fautores Hæresiarcharum, si noui dogmatis assertores, deberi vltionem Vicario Dei, ad quem ex lege pertineat periurij pœna. In eam sententiam exactis seculis itum, iri, & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis, contrariam sententiam tamquam dogma politicum defendi posse ad summum &c.] Et infrà, cùm Senatores Parlamenti in eamdem sententiam cum tertio Ordine conspirassent, placitumque vulgassent, videlicet: [Pro lege politica, Regnique fundamentali habendum esse, quòd Rex Galliæ nullum alium in temporalibus superiorem agnoscat; excanduit, inquit, Clerus, non eas esse Parlamenti partes; Comitijs generalibus conuocatis Regium omne ius translatum in ipsa, adeòut velut iustitio indicto cessare debeat omnis Magistratus, Clerum, & Nobilitatem conuenire in eamdem sententiam, nec ideò contrariam opinionem valere, quia ità populus censet; duorum vota, & calculos vni præualere.] Audis hìc iterùm duos Galliæ Ordines, Clerum videlicet, & Nobilitatem, pro nostra sententia esse, Populum: & Parlamentum aduersari; & ideò cùm suprà Perronius dixerat: [Exactis seculis in nostram sententiam itum, iri, & hodiè passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis!] id solùm significauit, toto Orbe Catholico sententiam nostram teneri, in sola Gallia Populum, Parlamenta, & reliquum vulgus politicorum contra opinari, Clero tamen, & Nobilitate nostram sententiam complexo, hos enim duos Ordines, vt vidimus, clarè excipit, quod etiam ex ijs patet, quæ posteà subiungit, certatum videlicet esse de Tridentino Concilio Galliæ inferendo: [Eleganter, & doctè perorante Perronio; sed præualuit Clero Populus: creditum tunc potuisse conciliari opiniones Cleri, & Populi, facta quasi compensatione, nempè si Clerus tertij Ordinis articulum admitteret, negantem Summo Pontifici ius esse in Regna.] Ergo propositio, quæ Pontifici hanc potestatem in Regna adimebat, populi, & politicorum: quæ asserebat, Cleri erat; maluitque Clerus, non recipi Tridentinum, quàm populo contra Pontificem assentiri; permittebat tamen, vtramque propositionem problematicè defendi, vnam, quia veram, alteram, Senatus, populique aura subnixam, vt idem Gramondus testatur. Habemus hìc iterum testimonium omni exceptione maius, & Ecclesiæ Gallicanæ luculentam professionem, qua mentem suam ante paucos annos non solùm declarauit, sed etiam contra Senatum, populumque egregiè tutata est. Nec habuit Maimburgus, quid opponeret, nisi, [Perronium Cardinalem suo, priuatoque nomine, non Cleri locutum in Comitijs esse.] Cæterùm quis non videt, sine omni fundamento hæc dici, soloque studio impugnandæ, ac premendæ veritatis, nulla historiæ, aut notitia, aut cura. Demus solius Perronij hanc mentem fuisse, an æquum non erat, eum potiùs, quàm Maimburgum audire? quis enim Maimburgus, vt non dicam præferri, sed componi cum Perronio debeat, auctoritate, eloquentia, doctrina, scriptisque præcipuo? Sed nec Perronium ex sua tantùm, sed totius Cleri sententia locutum esse, clarius est, quàm vt ab aliquo dubitari possit. Gramondus enim illis verbis: [Clerus perorantè Perronio: & infrà: Excanduit Clerus: Et, Clerum, & nobilitatem in eamdē sententiam conuenire: & paulò post: Creditum tunc potuisse conciliari opiniones Cleri, & populi, nempe si Clerus articulum tertij ordinis admitteret, &c.] Plus satis demonstrat, voces quidem vnius Perronij, sed mentem, ac sententiam totius Cleri fuisse; quod etiam ipse Perronius professus est, quando in ea Oratione, quæ actis Gallicanæ Ecclesiæ inserta, se non suo tantùm, sed totius Ecclesiastici, & Nobilium Ordinis nomine loqui testatur; eius verba sunt: [Considerez, que ce non est point moy, que vous ecoutez; car ce non est point moy, qui parle en cette cause, mais tout le corps de l'Ordre Ecclesiastique, & tout celui de la Noblesse, &c.] Hoc est: [Nec verò in animum vestrum inducite, me eum esse, quem vos loquentem auditis, & cuius voces excipitis: mihi credite, non ego in hac causa loquor, sed Clerus, & Nobilitas tota &c.]; Et verò oportuit Perronium mente, ac pudore omni destitutum esse, si in publicis Comitijs, & vbi tot testibus redargui, vincique poterat, ea diceret, & nobilitati, Cleroque tribueret, quæ sciret, non solùm iniussu, sed etiam contra vtriusque sententiam à se proferri. Quis rogo tantum Maimburgi testimonio tribuat, vt hoc credat de Perronio Cardinali? & quid Gramondo facias, & Gallo, & Parlamenti Tholosæ Præsidi, resque suorum temporum scribenti, qui toties, vt suprà vidimus, non Perronij tantùm, sed Cleri hanc fuisse mentem profitetur? Vidimus in hoc toto exemplorum, annorumque decursu, semper Ecclesiæ Gallicanæ hanc sedisse opinionem, vt crederent, in certis casibus Regna Pontifici subiacere: nunc Scriptorum nomina recitabo, qui aut Galli fuere, aut in Gallia celebres, eamdemque sententiam amplexi sunt, & quia eorum verba in Regali Sacerdotio recensita sunt, aut aliàs nota, ijs supersedebo. Ii ergo sunt, inter alios quàm plurimos, sequentes.

XXV. S. Thomas 2.2. q. 12. a. 2. in corp. & ib. ad I. & 2.2. q. 69. a. 6. ad 3. & in 2. d. 44. q. 9. a. 2. & in 2. ad Corinth. c. 11. lect. 2. & in epist. ad Philipp. circa fin. & opusc. 20. de Regim. Princip. l. 3. c. 10. & cap. 17. Negant tamen aliqui, hoc Opusculum esse S. Thomæ. S. Bonauentura, l. de Eccl. Hierarch. p. 2. c. 1. T. 7. operum. Et in 4. d. 37. Ioannes Gerson Cancellarius Vniuersitatis

Marginal notes: Gram. l. cit. — Gram. citat. fol 67. — Maim. Traitè de l'Eglise de Rome. ch. 30. fol. 416. — Ex Actis Cleri Gall. tom. 5.

tatis Parisiensis p. 4. serm. de pace, & vnit. Græcor. consid. 5. Petrus Blesensis ep. 146. S. Petrus Cluniacensis l. 6. ep. 28. S. Bernardus l. 1. de consider. c. 6. & l. 4. c. 3. S. Augustinus Triumphus, Sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ Parisijs discipulus q. 1. de potest. Eccles. p. 1. a. 7. & 8. Alexander Alensis Parisijs Theologiæ Lector, & SS. Thomæ, & Bonauenturæ Magister p. 3. Summæ q. 48. membro 1. a. 3. Henricus Gandauensis Doctor Sorbonicus quod l. 6. q. 23. Vmbertus ex Diœcesi Viennensi serm. 70. Petrus Paludanus in 3. sent. d. 40. q. 2. concl. 4. Franciscus Mayronus in Schola Parisiensi Doctor insignis in 4. d. 19. q. 4. Durandus Episcopus Meldens. in tract. de orig. Iurisd. Eccles. q. 3. Ioannes de Parisijs c. 14. Iacobus Almainus Doctor Parisiensis tract. de pot. Eccles. c. 9. & q. 2. c. 5. ad c. 8. Occami. Ioannes Maior Doctor Parisiensis in 4. d. 24. ad 4. Gulielmus Durandus Episcopus Mimatensis in Spec. Iur. Tit. de Legat. §. 6. n. 17. Ioannes Monachus de suppl. negligent. Prælat. n. 4. Ioannes Selua tract. de benefic. p. 3. q. 8. n. 31. Stephanus Anfrerius in Senatu Tholosano Præses tract. de potest. Eccl. n. 32. Ioannes Faber in Senatu Parisiensi causarum Patronus in l. 1. c. de summa Trin. n. 10. Petrus Gregorius Tholosanus in varijs Galliæ Academijs Professor de Rep. l. 26. c. 5. Fulco Archiepiscopus Rhemensis in ep. ad Carolum Simplicem Galliæ Regem apud Flodoardum l. 4. c. 5. Perronius Cardinalis apud Gramondum l. 1. hist. ad ann. 1615.

XXVI. Ex allegatis hactenus testimonijs multa colligere licet, quæ hìc breuiter obseruabo. I. Falli Maimburgum, (falli dico, malo enim erroris eum, quàm doli postulare) cùm in vltimo Tractatu de Ecclesia Romana sententiam hanc nostram illis tantùm attribuit, qui citra alpes morantur. Ergo ex sententia Maimburgi Patres Conciliorum, Lugdunensis, Viennensis, & Ordinis Ecclesiastici in Comitijs Parisiensibus, quæ Gramondus describit, Gerson etiam, Fulco, Petrus Blesensis, alijque præcipui in Gallia scriptores Cisalpini erant; nec aduertit Maimburgus, huiusmodi hyperbolicis locutionibus, & adeò à vero abludentibus id solùm agi, vt historiam suam totam, etiam vbi vera recitat, suspicioni exponat, dubiamque reddat; quis enim credat inexplorata narranti, vbi tanta in rebus obuijs certisque fiducia impingit. Si quis seriò, enixèque contenderet, nullos passeres in Europa videri, crederes tu illi, Pegasos ex India, Gryphesque memoranti? II. In nulla Orbis parte plura exempla exercitæ in Reges potestatis, quàm in Gallia reperiri, & exempla non vnius tantùm, aut alterius, sed omnium ferè Galliæ Ordinum, Pontificum videlicet Regum, Imperatorum, Synodorum Comitiorumque Gallicanæ Ecclesiæ; quos omnes, imò si ex illis vnicum Maimburgo, eique similibus opponas, sufficiet toti huic agmini fundendo, delendoque; qui enim illi, vt vel vnius Thomæ, Bonauenturæ, aut Bernardi auctoritatem, vultum que sustineant, quantò minùs integræ vnius Synodi, imò plurium Synodorum? III. Et illi ipsi, qui hanc nostram sententiam calamo, aut exemplo illustrarunt, tanta doctrina, & sanctitate floruere, vt apicem in vtroque contigerint, nec dici, imò nec cogitari potest, illos, aut partium adulatione, aut fastu, aut Scripturarum ignorantia deceptos esse, corruptosue: ij sunt S. Gregorius M. S. Zacharias, S. Leo Pontifices: S. Thomas, S. Bernardus, S. Bonauentura, S. Antonius, S. Petrus Cluniacensis, S. Augustinus Triumphus, Innocentius III. Gerson, alijque. Iam peto ex Maimburgo, vt sententiæ nostræ tot Sanctis munitæ, vel vnum pro sua opponat: quòd si nullum habet, vt planè non habet, neque enim aliquem allegat, dicat rogo quid causæ sit, vt nullus Sanctorum ei sententiæ subscripserit, nostræ verò quàm plures? an istis fortè doctrina, aut modestia, aut animi moderatio, aut aliquibus eorum defuit, quod persuadendæ veritati faciat? aut fortè non Bonauentura, non Thomas, non Gregorius. non Bernardus, non Patres Lateranensis, Viennensis, & Lugdunensis Conciliorum, Scripturæ, Patrumque mentem, & sensa intellexere? quòd si nihil horum dici potest, quæ causa Maimburgo fuit, & sacris addicto, & Pontifici iurato, eam sententiam deserendi, impugnandique, quam omnes Societatis suæ Doctores tot editis libris professi sunt, quæque tot habuit munimenta veritatis? Nam quòd ait: [Omnes primitiuæ Ecclesiæ Patres, quique ante quintum sæculum scripserunt, pro sua opinione stare, & istos meritò præhabendos esse recentioribus;] id vnum est ex solitis Maimburgi argumentis, magno strepitu nihil præstantis: nimirum Concilia Oecumenica, Thomas, Bonauentura, Gregorius Magnus, alijque Ecclesiæ, Patrumque sensum ignorabant; & illi, quos ipse citat, in genere tantùm loquuntur, videlicet: [Obediendum esse Principibus, etiam Paganis, hæreticis, & vt loquitur Apostolus, dyscolis, eosque soli Deo subiacere.] Quæ omnia generalia, & verissima sunt, quis enim negat, Persarum Regi quamuis impio, veræque Religionis experti teneri subditos etiam Christianos obedire, eumque etiam eorum, quæ impiè agit, nemini præter Deum obnoxium esse? idem de alijs Regibus dicas. Hæc inquam in genere prolata verissima sunt; nemo verò eorum Patrum, quos recitat Maimburgus, negant: [Posse Reges in aliquo casu, & cùm Ecclesiam, fidemque persequuntur, exarmari, Regnoque exui, & subditos iuramento solui.] De hoc solo quæstio vertitur, neque hoc inficiantur Patres, imò ex principijs Maimburgi inficiari non poterant, qui hanc potestatem Reges destituendi, quam nos Pontifici, ipse statibus, & Comitijs Generalibus toties concedit. Ex aduerso Concilia, & Patres, quos pro nostra sententia produximus, hanc quæstionem, de qua modò contendimus, in particulari, & indiuiduo proponunt, an videlicet possint in certo, raroque casu Pontifices Romani imperia Regibus adimere? deciduntque, posse. Quis verò nescit, duos testes, qui in particulari deponunt, centum præualere, qui in genere tantùm? & dispositionem legis particularem, & specificam centum Regulis generalibus præferri? nam si quis Theologus, aut Iurisconsultus ex generalibus illis præceptis: [Non esse iurandum, & neminem cum alterius iniuria fieri

Maim. Traité hist. de l'Eglise c. 26. fol. 367.

Maimb. de l'Egl. de Rome chap. 28. circa f. 392.

Maimb hist. Iconocl. l. 2. f. 257. & l. 4. sæpiùs. Et Traité de l'Egl. de Rô. ch. 29. circa finem.

debere locupletiorem ;] inferret, in nullo casu particulari, ne in Iudicio quidem, & iubente Magistratu iurandum esse, nec præscriptionem, qua quis cum alterius damno ditescit, permissam, is meritò se omnibus ridendum proponeret. Et ideò toties in Iure Romano, Sacrisque Canonibus illæ regulæ repetuntur: [Generi per species derogatur: in generali concessione non censentur comprehensa, quæ speciali nota indigent, &c.] Nihil ergo probant generales illę Patrum locutiones, multòque minùs Patribus derogant à nobis productis, & de hoc ipso casu particulari loquentibus, quem nos præ manibus habemus. IV. Sed, & illud nimis præfidenter, inconsultèque à Maimburgo dictum, videlicet. [Ecclesiam Gallicanam, omnesq; Galliæ Doctores, sententiam, quæ in Reges Pontifici ius tribuit, semper pro noxia, plenaque discriminis, & seditionis habuisse.] Crediderim hìc Maimburgo excidisse, quid aut de quibus loquatur, si enim de Concilijs Oecumenicis in Gallia celebratis, totque alijs sacris Doctoribus loqui se cogitaret, qui nostram sententiam exemplis, calamoque tradidere, auderet ne illis seditionis notam, publicæque inquietis attribuere? Seditiosum ergo Concilium Lugdunense, seditiosum Viennense? Seditiosi Leo, Gregorius, Zacharias, alijque tot sancti Pontifices? Et quę tandem est illa Ecclesia Gallicana, qua toties vanèque gloriatur? num illa Pontificibus, Episcopis, Synodisque, & Doctoribus Galliæ constat? & si constat, cur nullos pro se Maimburgus producit? si nullis constat, oportet ergo Ecclesiam Gallicanam Idæam quamdam Platonicam esse, solo nomine insignem, reique expertem. Quòd si mihi pro Ecclesia Gallicana Conuentum Parisiensem, & aliquos ex Sorbona Doctores obijciant, continuò illud Cœlestini Pontificis reponam: [Desinat incessere vetustatem nouitas.] Suspecta est mihi Ecclesia Gallicana noua, recensque, & antiquæ opposita. Vbi Synodos habetis, quas Viennensi, Lugdunensi, Lateranensi, ac Constantiensi æquare possitis? vbi Doctores nostris Bonauenturæ, Thomæ, Antonino pares? malo cum Bernardo, Fulcone, Gersone, Zacharia sentire, quàm cum Maimburgo, & Conuentu Parisiensi paucorum Prælatorum, & in quo spes, metusque præsedit: Comitia totius Orbis præpono in Gallijs habita, à Gallis culta, & tunc solùm à Gallis impugnata, cùm plus aulæ, quàm Ecclesiæ delatum. Sed illud quis non videat? Maimburgum, qui Patres sexti, septimique, & octaui seculi à nobis productos, tamquam nouos, recensque natos repellit, nunc velle, vt ijs fidem habeamus, qui decimo sexto seculo Parisijs conuenere? istos nimirum mille annis recentiores pro antiquis habet, illos pro nouis. V. Denique nec tantùm exemplis, decretisque Ecclesiæ Gallicanæ, sed etiam ex Maimburgi principijs veritas Conclusionis, nostræ deduci potest. Is enim in historia Iconoclastarum, in libro de Imperij declinatione, & in Tractatu historico de Ecclesia Romana, communi Procerum, statuumque consensu Imperium Francicum in Pipinum, & Hugonem Capetum, Romanum, Italicumque in Carolum Magnum translata esse docet, ciuiumque Romanorum auctoritate tributa Copronymo Imper. negata, Vrbemque à Græco ad Francos defecisse, idque in libro de Imperij declinatione [ex singulari Dei prouidentia Regnum Gallicum protegentis, & Pipinum excitantis euenisse dicit.] Et in libro de Ecclesia Rom. [Quòd populus, Senatusque tributa Copronymo negauerint, implorauerintq; tutelam externi Principis, iuri naturalis defensionis adscribit.] Hæc Maimburgi doctrina si vera est, sequitur ergo dari casum, in quo status, & Comitia abdicare Regem aliquem possint, quemadmodum Childebertum, Copronymum, Constantinum, & Carolum Lotharingiæ Ducem abdicarunt, Capeto Coronæ admoto; & negari haud potest, hanc esse ex maioribus causis, cùm in illis de Regnis, bellisque agatur, totque alijs damnis, quæ huiusmodi mutationes consequuntur. Si ergo dubitari contingat, an is casus euenerit, adsintque circumstantiæ, quæ subditos Iuramento liberent, ad quem pertinebit hunc casum decidere, qui ex maioribus est, & causam iuramenti cognoscere, quæ omnino spiritualis est, nisi ad Summum Pontificem, cui causæ maiores reseruantur? idque Ecclesia Gallicana cognouit, quando teste Maimburgo Zachariam consuluit, liceretne ipsis Childeberto Pipinum sufficere? si ergo definiat, licere, imò necessarium esse, poterunt subdiri, ac etiam tenebuntur huic sententiæ declaratoriæ deferre. Siue ergo Pontifex iuramento subditos soluat, siue declaret solutos esse, perindè idem effectus consequetur, subditis æquè obsequio liberis, quemadmodum cùm Pontifex declarauit, matrimonium Henrici IV. cum Margaritha Valesia irritum, cassumque fuisse, perinde ad nouas nuptias libertatem est nactus, coactusque primas illas abrumpere, ac si Pontifex non irritum tantùm declarasset, sed er[illegible] fecisset. Eadem ergo vis Pontifici, [illegible] declaranti, seu statuenti: hanc frustra impugnant, coacti illam cedere. Quid enim interest intrare volenti, si ianuam vnam claudas, altera patente? In quamcumque partem ergo se vertant, frustrà laborant, seque ipsos implicant, vincente veritate. Et hæc de mente, sententiaque Ecclesiæ Gallicanæ: restat, vt quæ Maimburgus obijcit, soluantur, quamquam iam dudum, & millies soluta, argumentis videlicet exoletis, marcidisque, & toties à Luthero, Caluino, Illyricoque (quem Maimburgus à secretis habuit) declamatis.

Maimb. Tr. de l'Egl. de Com. ch. 26. fol. 365.

Cœlest. PP. ad Episcop. Gall.

La decad. de l'Emp. lib. 1. f. 7. Tr. hist. de l'Egl. de Rome c. 29.

§. III.

Soluuntur, quæ contra Pontificis indirectam in Regna potestatem Maimburgus, alijque obiectant.

SVMMARIA.

1 *Indirectam Pontificis in Reges potestatem, nec Gallicanæ Ecclesiæ, nec publico bono aduersam esse, exemplis docetur.*
2 *Nec exemplo Christi aduersari.*
3 *Nec Textibus sacræ Scripturæ, Matth. 20; Marci*

Marci 10; *Lucæ* 22; *Roman.* 13; 1. *Petri* 2.

4 *Falli Maimburgum, asserentem subditos ab obedientia Principibus debita exsolui non posse.*

5 *Eamdem potestatem Theologicè ex sacris Literis deduci.*

6 *Neque improbari à S. Bernardo.*

7 *Neque ab alijs SS. Patribus, aut antiquis Pontificibus.*

I. NOn est mihi animus, singula persequi, quæ in vltimo Tractatu de Ecclesia Romana Maimburgus Pontificiæ potestati obiectat, tam enim multa, aut extra lineam quæstionis, aut nihil probantia congerit, vt pigeat iam cadentia mouere, irritoque labore papiliones istos prosequi, infestos quidem, sed innoxios flori. Illa tantùm seligemus, quæ fallere incautos possint colore veritatis.

Opponit I. Antiquorum Patrum, & Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem; sed quàm id immeritò, nulloque fundamento, iam in priori Paragrapho euidenter ostendimus.

Opponit II. Ecclesiam Gallicanam, omnesque Galliæ Doctores existimasse, sententiam, quæ Pontifici Romano potestatem in Reges concedit, periculi, damnique plenam esse, & publicæ tranquillitati aduersam. (Maimb. de l'Egl. de Rome chap. 26. circa fin.)

Resp. Quæ fuerit Ecclesiæ Gallicanæ, Galliæque Doctorum sententia, & quàm mala fide eius auctoritatem iactet Maimburgus. iam suprà ostendimus: quòd verò hanc nostram doctrinam [periculi, damnique plenam dicat, & publicæ quieti aduersam ;] id more suo iactat, non probat Maimburgus. Sed nos euidentibus argumentis contrarium ostendemus. I. Certum est, Ecclesiæ Gallicanæ florem Concilijs Lugdunensi, Viennensi, Constantiensi, & Basileensi adfuisse, & tamen in his ipsis Concilijs sententia hæc nostra non probata solùm, & admissa est, sed magnis exemplis exercita, vt suprà ostensum: quis ergo non miretur, audere Maimburgum tam insignem, claramque falsitatem Parisijs vendere, Regique offerre, nescias, maiori suo, an Principis ludibrio? & quæ rogo in sacrosancta Concilia Maimburgi reuerentia, quæ vt Pontifici Romano præferat, in cœlos vsque alibi extollit, nunc verò cùm eorum Decretis se premi videt, ea docuisse dicit: [Quæ periculi, damnique plenæ sint, & publicæ quieti aduersentur.] Ergo Concilia iam sunt Sacrosancta, iam seditiosa, vtcumque Maimburgo placuerit. Nos verò qui sacra: & Oecumenica Concilia eodem semper, parique tenore veneramur, nec tam in illis Senatum præcipua pietate, ac doctrina florentem, quàm æternam veritatem Concilijs præsidentem adoramus id potiùs dicimus, doctrinam in Concilijs expressam, exercitamque, non pernitiosam, non seditiosam esse, sed amoris, pacisque plenam, Religioni, fideique conseruandæ necessariam, quæque Ecclesiam Gallicanam, & præcipuos illius Doctores decuit. II. Ipse Maimburgus, cùm hanc ipsam potestatem destituendi Reges Comitijs, & Statibus Generalibus tribuit, tantum abest, vt seditiosam, noxiamque dicat, vt potiùs [ex iure naturali, singularique Dei prouidentia] fluxisse velit, & eos, qui legitimis Regibus à Senatu substituti fuerunt, non perduelles, non Tyrannos vocat, sed [à Deo singulari bonitate excitatos:] sic loquitur, cùm de Pipino, Carolo Magno, & Hugone Capeto sermonem facit; non ergo abdicatio Regum, in certis casibus peracta, talis est, qualem Maimburgus describit, hoc est, seditiosa, turbarumque Ciuilium causa; alioquin non à Deo, non à natura proueniret, sed potiùs contra naturæ, Deique institutum: imò conseruandis Regnis sæpè necessaria, nam, & Franciæ Regnum, nisi Pipinus succollasset Childerico suffectus, ruinam minabatur. Quæ tamen ita dicta velim, non vt Maimburgi sententiam probem, hanc potestatem eliminandi Reges in populum, Senatumque conferentis: sed vt probem, vel ex ipso Maimburgi testimonio, potestatem abdicandi Reges, si ritè peragatur, & à legitima potestate, nec seditiosam esse, nec publicæ quieti noxiam, imò sæpè proficuam. Quod exemplis iamiam ostendam. (Maimb. la decad. lib. 1. fol. 7. & Traict. de l'Egl. de Rome c. 29.) III. Franciæ Regnum ignauia Regum eò deuenerat, vt Saracenorum incursu, bellisque Ciuilibus iam ferè concideret, & quod magis gemendum, hæresis Arriana inuehi Romam parabat, fuissetque Longobardo ad portas strepente; sed Pipinus Zachariæ, & Stephani iussu Imperio admotus, pristinæ maiestati Galliam restituit, Longobardos submouit, Græcos, cœlo terræque infestos, quique in Vicarium Christi toties sicarios armauerant, Italia exuit, Romanam Ecclesiam hactenus inopem, solaque Religione tutam, & ideò iniuriæ expositam ingentibus Prouincijs auxit, fecitque metuendam duplici terrore septam, maiestatis, & Religionis: ac denique collabentem Religionem ipse sinu excepit, sustentauitque, & quod omnia superat, Carolum Magnum successorem reliquit, quo nullum præstantius Ecclesiæ, & Orbi beneficium. Hæc omnia, & ingentia vtique bona cessassent, nisi Zachariæ Pontificis iussu Pipinus Coronam accepisset, non Saraceni expulsi, non Monarchia vindicata, non Saxones ad veram fidem prouecti, Idolis abdicatis, non Græcus domitus, non Longobardus excisus, & Ecclesia Catholica numquam tot naufragijs erepta. Hæc omnia Zachariæ debemus coronas transferenti. Gregorij VII. contra Henricum IV. Imperatorem, & inuestituras certamen nemo ignorat; & is quidem nimiæ seueritatis, & inclementiæ à multis notatus est: sed Deus æquè multis prodigijs eius innocentiam absoluit, quæ Leo Ostiensis, & Bertholdus Constantiensis enarrant, & euentus ostendit, luctas Gregorij insigniter Ecclesiæ profuisse, dignasque omninò, quæ tam grandi conatu agitarentur; (Leo Ost. l. 3. cap 53. Berthold. Constant. in appéd. ad Her.) quamuis enim Gregorius in acie ceciderit, nec victoriæ superfuerit, eius tamen exemplo successores Pontifices, Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. Gelasius II. & Callixtus II. inhæsere; & hic tandem, indicto Romæ Concilio, quingentorum annorum bellum absoluit, libertatem electionibus reddidit, præsertim Pontificijs, & Episcopalibus; & inuestituras quoad spiritualia sustulit Henrico in gratiam, sinumque recepto, sicque finis impositus tot illis, & ingentibus malis, quæ dignitates consequebantur. Principum

voto

voto, imperioque collatas, & fundamenta iacta altissimæ illius pacis, quæ modò Sacerdotium Imperio coniungit. Et cui tanti operis laus, nisi Gregorio? hoc enim cessante nec bellum cum Principibus, nec victoria fuisset, non Inuestituræ abolitæ, non libertas electionibus reddita, Pontificum præsertim, ex quo vno quanta in Ecclesiam mala profluxerint, quanta rerum omnium confusio, dici haud potest. Bellum ergo Gregorij pax Ecclesiæ fuit. Idem de Gregorio V. dicas, (aut si quis alius Pontifex fuit, nam aliquem ex Pontificibus fuisse testimonio Concilij Viennensis, ipsorumque Electorum constat) qui ius eligendi Imperatorem in Collegium Principum Germaniæ transtulit, à quo tempore illa bella ciuilia, discordiæque cessarunt Imperio fatales, ob ambitionem Candidatorum, ferro, flammaque pro Corona, velut eridis pomo certantium. Euolue historiam profanam ad Ludouicum vsque Imperatorem, & Caroli M. filium, inuenies, Imperium grauissimis bellis conflictatum, ac ferè deletum esse ob studia ambientium Coronam. Ludouicum ipsum Pipinus, Lotharius, & Ludouicus filij, quòd Carolo Iudithæ filio fauere videretur, bello appetunt, ac throno mouent, & Lotharium Imperatorem dicunt: nec aliàs funestius bellum Patre, filijsque pro Imperio decernentibus. Ludouico Lotharius successit, exarsitque inter fratres bellum Ciuile imperandi cupidine, nec priùs cessatum, quàm collatis signis concurrerent, gemente Francia, & ciuili discordia propè confecta. Idem Carolo Caluo infortunium, nunc cum Lothario fratre, nunc cum Ludouico nepote, armis implicito, iam victore, iam victo. Carolus Crassus Imperio à suis exutus, & Arnulphus suffectus, quo tempore multi simul Tyranni Coronam inuaserant, videlicèt, Berengarius Wido, Odo Parisiensis, & Rodolphus Conradi filius: adeòque omnium animos bellandi cupido inuaserat, vt etiam Episcopi, & Abbates armati in àcie viserentur, pronumque est cogitare, quæ tum facies, & perturbatio Occidentis fuerit, tot bellis, cædibus, ac discordijs agitati; durauitque ad Occidentis fuerit, tot bellis, cædibus, ac discordijs agitati; durauitque ad Ottones vsque. Quæ sub Henricis, & Fridericis, & quàm multa infaustè contigerint, notiora sunt, quàm memorari debeant; quę omnia, aut omninò, aut maiori ex parte sublata sunt translato ad Principes Septemuiros, auctoritate Romani Pontificis, iure eligendi. Patet ergo, hanc potestatem, quam Pontifici in Imperia tribuimus, non discordiæ non seditioni, sed paci seruire. Quòd si aliquando contrarium euenit, non potestatis, non Pontificis culpa, sed eorum fuit, qui remedia obstinatè respuebant, peracerba illa quidem, sed tamen salubria pertinacibus morbis; quàm multi sub medentis manu, ferroque labantur? an ideò, quàm morbum accuses? Sed numquam magis, vt in Henrici Magni conuersione huius Pontificiæ potestatis necessitas iuxtà, & vtilitas apparuit. Mortuo Francisco Duce Alensonio Henrici III. fratre, Regisque sterili matrimonio, proximus Regij sanguinis sequebatur Henricus Borbonius, Nauarræ Rex, sed Caluino addictus; hunc, & fratrem eius Principem Condæum Sixtus V. Pontifex Maximus inhabiles Regno declarat, excluditque. Henrico Rege per sicarium, & insidias cæso, pleræque Galliæ Ciuitates ab Henrico Borbonio, quem ob hæresim auersabantur, abstractæ, fœdus cum externis Principibus ictum, diræ à Gregorio XIV. repetitæ, immissique exercitus, effusique thesauri, quos Sixtus condiderat, ne hæresis cum Borbonio Principe thronum conscenderet; & hic quidem virtute, ac fortitudine militari, & plerumque victor, diu torrentem sustinuit. Sed cùm Clemens VIII. potestatem Regem eligendi fœderatis dedisset, & isti Comitia Lutetiæ agerent, multique Europæ Principum hunc Galliæ florem rapturi viderentur, præuenit Henricus, seque Catholicum, cum potiri aliàs Regno haud posset palàm professus est; quod vbi constitit, tota in eum Gallia confluxit, exterique pulsi, & Regnum pace compositum. Henricum ergo, vt Catholicus esset, Pontifices euicere; si enim thronum conscendisset hæresi imbutus, quis dubitet, maiorem Galliæ partem exemplo Regis corruptam fore? Filij verò nepotesque ex Henrico nati, videlicet, XIII. & XIV. eamdem, quàm Patris, Auique, & in qua nati, educatique essent, amplexuros? Perpetuum ergo hoc malum Galliæ fuisset, & Religioni fatale, plerisque, vt fieri amat, aut metu, aut adulatione Regem imitantibus. Quòd ergo Henricus Magnus hæresi exemptus, quòd Gallia hac peste intacta, quod Ludouicum regnantem non Catholicum tantùm, sed ardore veræ, auitæque Religionis Constantino, ac Theodosio parem habeamus, hæresi toto Regno eiecta, deuictaque; Vobis post Deum, Romani Pontifices Sixte, Gregori, Clemens, vestræque potestati debemus, qua opportunè vsi perculsistis, secuistis, ac tandem sanastis. Ingemuit quidem Gallia, altumque indoluit, recenti adhuc plaga, & multum sanguinis micante, nunc sana, vigensque ferrum illud, manumq; curatricem amplectitur, alioquin, si medicus parceret, peritura; nunc valet, quia secta. [At, inquies, infinitæ calamitates Regna, & Imperium afflixere, cùm Reges à Pontificibus Romanis abdicabantur, vt in Henricis, Fridericis, & Angliæ Regibus obseruatum est: satis ergo esset, hac potestate, aut carere, aut non vti Pontifices.] Resp. Nulla est in rebus humanis, aut ars, aut status, aut conditio tam perfecta, & absoluta, quæ non multis, magnisque incommodis misceatur, & ob quæ si tollenda illa essent, tolli omnes artes, potestates, ac statuum conditiones oporteret, idque omnibus his incommodis multò peius foret. Ex Regia potestate quot iniuriæ, ex arte nauigandi quot naufragia, ex scientia militari quot cædes, artesque nocendi? ex matrimonijs quot adulteria, litesque domesticæ, & partus Reipublicæ noxij? an ideò Regia potestas, matrimonia, artesque abolendæ? at multò id peius, ac pluribus obnoxium malis, sublatis videlicet humanis commercijs, dataque iniurijs, vagisque amoribus licentia. Idem dicas de potestate Reges abdicandi: fateor bella, discordias comitari; at quantò peiora,

Vid. Reg. Sacerd. fol. 166.

Anno 833.

Anno 842.

Anno 858.

Anno 888.

ra, si eos hæresim profiteri, matrimonia soluere, Ecclesias depilare ferres, idque impunè, nulloque frœno, & exemplo, quòd pro Imperio esse solet in subditos manante? quanta rerum omnium, motumque corruptio sequeretur? Deinde videndum est, an ea incommoda, quæ nobis aduersarij obiectant, ex vsu Pontificiæ potestatis, an verò ex eorum vitio proueniant, qui emendari nolunt, prouocantque extrema remedia: dolorem enim irrogati supplicij cuius culpæ adscribes, reo, an Iudici? flagitio, an legi? Henricus Bolænam amat; fastiditque Vxorem, & thalamo eijcit, ducitque amicam publicam publico ritu. Europa tam turpi exemplo attonita, hæretque, cui primas lachrymas spargat, triumphanti vnius libidini, an alterius oppressæ innocentiæ. Pontifex Romanus rogat, minatur, terretque, & longas inducias pœnitentiæ donat, ac tandem obstinatum, & ludibria flagitijs iungentem sacris interdicit: hic amore, & iracundia flagrans Romæ bellum denuntiat, seque iugo subducit. [O incautum, inquiunt, Pontificem, qui Angliam perdidit intempestiua seueritate! Sed cur non potiùs exclamant: O inconsultum Regem, qui animam, Regnumque posthabuit insano amori!] nulla enim necessitas fuit adulterio fœdari, sed maxima adulteriū punire: hoc Pontifex fecit, illud Henricus. Cur ergo malis defectionis culpam illi adscribere, qui scelus iustè, & necessitate puniuit, quàm illi, qui impiè, & voluntate commisit? alioquin omne flagitium impune fuerit, si sufficiat metu defectionis terrere puniturum. Et ideò tamquam plena constantiæ, & libertatis celebratur apud Ioannem Saresberiensem illa Alexandri III. vox, quando Regijs Legatis minantibus nisi Thomam Archiepiscopum abdicaret, Regem ad Mahometis Religionem defecturum, intrepidè respondit: [Potest Rex eligere viam prauam, ego tamen non recedam à via recta. Et illa Diui Thomæ Archiepiscopi, & Martyris Cantuariensis, cùm scriberet ad Ecclesiæ Romanæ Cardinales: [Non simulatione, non ingenio regenda est Ecclesia, sed iustitia, & veritate, quæ se obseruantem liberat ab omni periculo.] Non negauerim tamen, huiusmodi interdicta, censuras, & præsertim Regnorum mutationes parcissimè adhibendas; nec alijs morbis, quàm desperatis, nam nec membra truncamus, nisi medicinis absumptis; quod etiam eleganter Concilium Tridentinum præmonit: videlicet, [Excommunicationis gladium sobriè, magnaque circumspectione exerendum, cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex causis incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs afferre, quàm salutē.] Cuius exemplum illustre apud eumdem D. Thomam Cantuariensem, qui Regem Angliæ excommunicatione percussurus Suessionem ad D. Virginem peregrè profectus est, triduumque inter preces insumpsit, vt videlicet vibrando sacro fulmini Deum haberet directorem, neue aliquid humani affectus, aut vindictæ tam sacro operi misceretur.

Ioan. Saresb. ep 66. inter epist. S. Th. Cant.

Inter epist. S. Th. epist. 46.

Conc. Trid. de Reform. sess. 25. c. 3.

Ioa. Saresb. ep. 140.

II. Oponitur III. Christus, inquit Maimburgus, [non Herodem Regno non Pilatum Prætorio expulit, quamuis impios, iniustosque, imò vtrique, ac præsertim Cæsari se subiecit, iussitque pro se, suoque Vicario tributum persolui, apertèque professus est, [Regnum suum non esse de hoc mundo.] Quo ergo iure Romanus Pontifex faciet, quæ Christus non fecit? sibique potestatem sumet; quam Christus non sumpsit? [Nec enim discipulus est supra Magistrum, nec seruus maior Domino suo.] Et si Christus non Cæsarem, non Herodem Regno interdixit, cur Pontifex Fridericos, & Henricos interdicet? an isti Tiberio, & Herode peiores? aut maior Pontifici, quàm Christo in Reges auctoritas?

Maimb. Tr. histor. de l'Egl. de Rome ch. 27. f. 367.

Resp. Hoc argumentum adeò infirmum est, vt multis modis impugnari possit; nam I. si exemplo Christi Domini agendum sit, dubitari vix potest, vtramque illi dignitatem collatam esse, Sacerdotalem videlicet, & Regiam, id enim Angelicus Doctor expresse docet, & saltem id verum est quoad illa, quæ gubernandæ necessaria erant, nam vt idem S. Doctor scribit: [Cui committitur principale, committitur, & accessorium; omnes verò res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna.] Et hæc ipsa videtur expressa sacræ Scripturæ sententia, nam Matth. vlt. Data est mihi, inquit Christus, [omnis potestas in cœlo, & in terra;] & Paulus ad Hebr. [Quem constituit hæredem vniuersorum. Et Apocal. 1. Princeps Regum terræ; & Apocal. 6. Rex Regum, & Dominus Dominantium.] Et radix huius Regiæ potestatis videtur fuisse vnio hypostatica; communicata enim naturæ humanæ forma Deitatis, communicatæ sunt etiam omnes diuinæ proprietates, quarum capax erat natura humana. Quis verò neget, capacem fuisse Imperatoriæ, & Regiæ dignitatis? quemadmodum forma ignis ferro communicata omnes iuxtà ignis proprietates communicatas videmus, adeò vt non ignis solùm, sed etiam ferrum luceat, rubescat, caleatque, vt ignis; quòd si vnio ignis ad ferrum, quæ merè accidentalis est, transiensq; omnes ignis proprietates ferro communes facit, quantò magis vnio hypostatica, quæ substantialis est, ac æterna, omnes proprietates naturæ Diuinæ, & consequenter etiam Regiam in res temporales potestatem humanitati impresserit? Et hac ipsa potestate Christus, quantumvis formam serui præferret, aliquibus aliorum disponendo; nam adulterij ream, compertamque absoluit, & pœna legibus præscripta exemit. Ficulneam nulla Domini licentia aridam fecit, inutilemque, greges porcorum inuitis, & gementibus Dominis Dæmonio immisso aquis præfocauit. Qua rogo hæc potestate, nisi Regia, absolutaque, nullisque legibus obstricta? Quæ tamen Regia potestas, cùm immediatè à Deo esset, & vi vnionis hypostaticæ, optimè dixit Christus. [Regnum suum non esse ex hoc mundo,] non negat, Regnum suum esse in hoc mundo, erat enim: sed, [esse hoc mundo;] quippe nullo iure, aut titulo humano partum, quo modo huius mundi Regna quæruntur, hoc est, non electione, non successione non vi armorum, nec donatione paratum, sed immediatè à Deo, & vi vnionis hypostaticæ. Negari ergo haud potest, Chri-

S. Thom. l. 1. de Regim. Princ. c. 12. & seq. & p. 3. q. 59. a. 4.

Christum potestate in Reges prædítum fuisse. Quæro iam ex Maimburgo, an Christi exemplo Pontificiam Potestatem metiri velit, aut non velit? Si non vult, cur ergo impugnandæ huic potestati Christi exemplum producit, quo eam impugnare, aut non vult, aut non potest? si vult, ergo sequitur exemplo Christi etiam Pontificem Romanum imperare Regibus posse, habuit enim Christus hanc potestatem, ergo etiam, si exemplo Christi vti velis, Pontifex Romanus. [At Christus numquam Reges deposuit.] Resp. Non hic de vsu, sed potestate quæri hanc verò Christum habuisse negari haud potest, & si habuit, ergo vti etiam potuit. [Cur verò vsus non est?] Quia passurus, quia moriturus venerat, nec vindictæ, aut potentiæ, sed humilitatis, & patientiæ exempla daturus; si enim Herodem, & Pilatum Regno, ac Præfectura pelleret, quando pateretur? quando moreretur? quando genus humanum redimeret? & quis ab illo pati iniurias disceret, hostesque amplecti, si in hostes vindicaret? Nec propterea caruit potestate, quia illa vti noluit: quis enim neget, multis eum scientijs, & artibus præditum, quas numquam exercuit? militari videlicet Astrologica, Medicaque. Nam, & nostri Reges multa possunt, quæ numquam exercent, indigna videlicet tanto fastigio, aut saltem incommoda. Cur ergo Summi Pontifices exemplo Christi non etiam hac potestate abstinent quamuis eam habeant? quia Christus Ecclesiam voluit non armis, non vi, non sapientia humana, sed humilitate, patientia, & miraculis institui, ne illa opus humanum, sed cœleste tantùm crederetur. At verò semel institutam, humanis medijs ac industria propagari; nam & corpus humanum solus ipse, ac è terra produxit, productum tamen nec solus, nec è terra multiplicat, sed alijs, ac naturalibus modis. Et quis agricolam, aut vinitorem non rideret, qui segetem, vitesque non culta, non arata terra, nec sparsis seminibus, aut palmite palis adstricto speraret, quia Deus ex nihilo produxit? non ergo sequitur eodem modo, quo plantata est, conseruari Ecclesiam debere, & ea, quæ à Christo, etiam à Pontifice omitti debere. Alioquin nec mitras Episcopis, nec sericum, nec annulum, nec equos, rhedasque permittes, quia Christus nihil istorum vsurpauit. Ergo quid Pontifici, aut Episcopis liceat, non ex ijs sumendum est, quæ Christus omisit, sed quæ praxis, vsusque Ecclesiæ obtinuit; præsertim causis, statuque rerum mutatis: alioquin si exemplo Christi nec adulteria punias, nec calumnias refellas, nec contra iniurias militem scribas, nec latrones castiges, sed potiùs præmijs dones, quæ facies Ecclesiæ, & Reipublicæ fuerit? nullum ergo argumentum deduci potest ex ijs, quæ Christus omisit. Vnde patet, Maimburgi argumentationem multis, & grandibus vitijs laborare. Promiserat is initio capitis vigesimi septimi: [Se non multis, nec subtilibus argumentis vsurum, sed citra omnem disputationem ea tantùm producturum, quæ magni instar splendoris se ipsa ostentent, & modò oculos habeas, cerni ab omnibus possint.] Quis non expectaret post tam magnificè promissa insignem aliquam, inulctamque demõstrationem? & tamen ex suppositis non tantùm non certis, aut saltem dubijs, sed euidenter falsis procedit. Supponit enim, Christum, vt hominem nec potestatem in temporalibus Regiam habuisse, nec ea vsum; cùm tamen non testimonio tantùm Angelici Doctoris, sed omnium ferè Theologorum contrarium constet, saltem si de potestate indirecta loquamur, quatenus illa gubernandæ Ecclesiæ seruiebat, eamque aliquoties exercuit, rarò tamen, quia videlicet non ideò in mundum venerat, vt exempla regnandi, imperandique daret (id enim sponte sua natura facit, nec exemplis vrgenda est) sed potiùs obsequendi, ferendique aduersa. Deinde adducto Christi exemplo Pontificem omni in Reges potestate Maimburgus priuat: at si exemplo Christi vtamur, contrarium omninò sequitur; hanc enim potestatem Christus habuit, ergo & Papa, si istum ex Maimburgi sententia metiri velis. Supponit denique, omnia, quæ Christus fecit, omisitque Redemptionis peragendæ, & Ecclesiæ constituendæ causa, fieri quoque, omittique à Pontificibus debere, etiam peracta redemptione, Ecclesiaque instituta; quod perinde est, ac si dicas, constructo iam, absolutoque ędificio Patremfamilias, qui ædes inhabitat, ijsdem instrumentis, operis, fabrisque indigere, quibus Architectus, dum ædes construeret. En egregiam Maimburgi demonstrationem, ferro & adamante contextam, si promissa spectes; si facta vitream, fragilemque, & vix dignam relatu. II. Multò minùs aliquid probat, quod adiungit, videlicet: [Iussisse Christũ pro se, & Petro tributum solui; Petrum ergo subiectum Cæsari voluit: si subiectus, qui ergo Cæsari imperabit? qui Regno deponet?] Resp. Christus non ex debito, sed spontanea voluntate tributum soluit, vt apertè ex illis verbis constat: [Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus, ergo liberi sunt filij: vt autem non scandalizemus eos, da eis pro me, & te &c.] Non ergo Christus, & Petrus tenebantur tributum soluere (sicut nec filij, & familia Regum) liberi ergo erant; quæ verò est mirabilis hæc consequentia Maimburgi: [Christus & Petrus liberi à tributo erant; ergo subijciebantur Cæsari?] cùm potiùs contrarium deduci oporteret, vid. [Ergo non subijciebantur Cæsari.] Sed Maimburgus nec Religioni habuit, sententiam Euangelij truncare, & ea verba subticere, quæ rem totam declarabant, nec consequens inferre præmissis contrarium, perinde ac si diceres: [Sol lucet, ergo nox est.] Quòd si concedamus, etiam Pontifices Romanos subiectos Cæsari fuisse, quoad ea, quæ res temporales, ciuilesque spectant, non ideò sequitur, non posse in certis circumstantijs, & quando agitur de Ecclesia conseruanda, Cæsares, Regesque deponere: numquid enim Galli, Romanique, qui Pipinum & Hugonem, ac Carolum Magnum Imperio donarunt, legitimis Regibus subiacebant? & istis tamen ex sententia Maimburgi Regna abrogarunt. Deinde cùm Pontifex Romanus declarat, subditos Principi hęretico, aut Ecclesiam

Matth. c. 17. v. 25.

cle-

clesiam persequenti iuramento non ampliùs obstringi, cessat ea subiectio; & consequenter obligatio obsequendi. Sed & ius naturale defendendæ Religionis, & tot animas perituras, multò est antiquius, fortiusque iure subiectionis erga Principes Seculares; cessat ergo subiectio periclitante Religione. Ac denique potestas indirecta Pontificis Rom. in Principes, Regesque temporales, est verè Spiritualis, & Ecclesiastica, quippe gubernandæ Ecclesiæ, seruandæque Religioni data, & Pontificio characteri innexa; non ergo quoad huius exercitium Imperatori Pontifex subiectus dici potest. Quemadmodum bona Ecclesiasticorum, quantumuis temporalia, quia tamen Ecclesiæ seruiunt, nec quoad Dominium, nec quoad vsum Principibus secularibus subiecta esse possunt. Nihil ergo probat Maimburgi argumentum.

Matth. c. 20. Marci 10. Lucæ 22. Maimb. cit. c. 27. f. 367.

III. Opponitur IV. Christus apud Matthæum prohibet Apostolos omni dominatione illis verbis: [Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos; vos autem non sic.]

Resp. Hunc quoque Scripturæ locum Catholicis obijciunt Caluinistæ, ex quorum libris omnia ferè argumenta sua exscripsit Maimburgus, labori, vt credo parcens, aut meliorum inopia. Contendebant Apostoli, quis in eorum Collegio Primatum obtineret? dabatque ansam importunę emulationi duorum Piscatorum supplicatio, primas Sedes in Regno Christi expetentium, matre interpellante. Christus, vt primas scintillas extinguat gliscentis ambitionis, monet illos officij, ac professionis Apostolicæ, nec enim Regnum suum alijs Regnis simile esse, nec apparatu niti, pompaque seculari, nec Apostolos, eorumque Successores ad dominandum, imperandumque, & regendam Rempublicam vocari, sed ad pascendas animas, prædicandum Euangelium, corrigenda hominum flagitia, euertendam Idololatriam, exercendasq; per omne genus virtutes, humilitatis prę sertim, & contemptus caducarum voluptatum. Quæ omnia verissima sunt, & nos quoque, has esse præcipuas partes Romani Pontificis constanter asserimus. Si verò Principes in hæresim labantur, & Religioni, & animabus ingentem, ac ineuitabilem perniciem moliantur, non prohibet Christus, eos à Romanis Pontificibus coerceri, & gladium velut furentibus eripi; id enim cùm ex iure naturalis defensionis, ac officio Pastorali consequatur, noluit hic Christus exprimere, cùm potiùs comprimenda esset Apostolorum ambitio, quàm nouis facibus accendenda. Nulla est ergo hæc consequentia: [Status & dignitas Pontificia, ac Apostolica ad gubernandam Ecclesiam, non verò ad dominatum terrestris Reipublicæ ordinatur. Ergo nunquam potest Regibus Ecclesiam persequentibus potestatem Regiam adimere, aut subditos iuramento soluere; imò contrarium potiùs inferri debuit: cùm enim causa, & cognitio iuramenti, quibus videlicet casibus obliget, aut non obliget, sit spiritualis, & temporalis potestas subordinetur potestati spirituali, tanquam medium fini, sitque, spectata conditione humana, maxima connexio rerum spiritualium cum temporalibus, ac gubernandæ Ecclesiæ sit omninò necessarium, Ecclesiæ hostes coercere (quemadmodum eadem est ars militaris, quæ ciues munit, repellitque hostes) sequitur, vt concessa suprema potestate Spirituali Ecclesiam gubernandi, concedi etiam debuerit potestas Regibus imperandi, eosque, si necessitas, & periculum Religionis vrgeat, exauctorandi, non quidem absoluta & ordinaria, sed subsidiaria & euentualis, atque vt dixi ad casum puræ necessitatis restricta, idque iuxta naturalia illa, & communia prudentiæ axiomata, atque toties à Sacris Theologis, Iurisque Consultis repetita, videlicet [Cuicumq; committitur principale, committitur & accessorium; & concessa alicui iurisdictione conceduntur omnia, quæ ad illam necessaria sunt, & sine quibus exerceri illa efficaciter non potest.]

S. Tho. 3. p. qu. 59. ar. 4. & L. fin. ff. de off. eius, cui mand. iurisd. & l. 2. de iurisdict. omn. Iud. & cap. prętere a de off. Iud. deleg. V. Reg. Sacer. à fol. 236.

Opponitur V. Iubent sacræ Scripturæ, ad Romanos 13. [Vt omnis anima (& consequenter etiam Pontifex Romanus) sublimioribus potestatibus subiecta sit. Et apud Matthæum: Vt reddantur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo: vt obediamus Regibus etiam dyscolis, idque, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.] Acceditq; exemplum Ecclesiæ primitiuæ, quando videlicet flagrante persecutione, & Christianis omni genere tormentorum, vi, dolisque ad cultum Idolorum adactis, nemo tamen contra legitimos Principes arma sumpsit, nemo cum illis de Imperio contendit, seque iuramento solutum credidit. Neque id metui tribuas, aut paucitati Christianorum, aut quòd Principe Catholico carerent, quem sequerentur, quique Imperij Principibus bellum inferret. Nam qui poterant illi aut paucitate, aut metu cohiberi, qui non morti tantùm, sed etiam pœnis morte acerbioribus tanta alacritate se offerebant? illi bellum refugerent pro Religione, qui gladios, ignesque velut delicias amplexabantur? Audi Tertullianum: [Si hostes exertos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, castra ipsa, sola vobis reliquimus templa; cui bello non idonei, non prompti fuissemus, & non impares copijs, qui tam libenter trucidamur?] Eodem modo sæuiente hæresi Ariana, & Neronum, ac Deciorum crudelitatem æquante. & quando rerum in Occidente Catholici potiebantur, sub Imperatoribus Constantio, & Valentiniano æquè Catholicis deerant illis arma, vires, Ducesque copiarum, quas Valenti, & Constantio opponerent? & tamen quando nec causa, nec vires, Ducesque Catholicis aberant: & tempus vindicandæ Religionis: quis de Imperatoribus deijciendis, soluendisque subditis iuramento cogitauit? non ergo Pontifices Romani id sibi licere credebant; nam si crederent licere, cur non eodem modo illi Decios, Nerones, Constantios, Valentesque, quo nuperi Pontifices Fridericos, Henricosque persequerentur? aderat enim par, imò æquior causa protegendę Religionis, nec vires minores.

Rom. 13. Matth. 22. Ep. 1. Petri 2. Maimb. cit. c. 27. f. 369.

Tertul. in apolo. c. 37.

Resp. Sententias Sacræ Scripturæ quod attinet, generales illæ sunt, nec se ad casum adeò specialem, & extraordinarium, de quo

nos loquimur, extendunt. Quòd enim Principibus obediendum sit, omnique cultu, ac reuerentia, quamuis dyscoli impijque, prosequendi, nemo dubitat, nemo negat; imò ipsi Summi Pontifices, cùm adhuc quoad temporalia Imperatoribus subderentur, summa illos reuerentia obseruabant, adeò vt Stephanus II. in Epistola ad Pipinum, [se eius vestigijs aduolui; Gregorius verò Magnus in Epistola ad Mauritium; [se vermem, puluerem, cineremque profiterentur;] nonne hîc satis reuerentiæ, & obsequio datum? Cæterùm, vt etiam suprà notauimus, generales illæ locutiones nihil casui derogant, de quo nos loquimur. Quemadmodum enim generalia illa præcepta: [Ego autem dico vobis, omninò non iurare: non occides: non furtum facies,] non extenduntur ad casus necessitatis, & naturalis defensionis, ita neque ad casum, de quo agimus; quæ enim maior necessitas, aut quæ iustior defensio, quàm animarum, quàm fidei, & Religionis? [Cur ergo non etiam antiqui Pontifices hac potestate vsi sunt?] Resp. Nullum esse argumentum à negatiuis, multa enim olim facta nō sunt, idque ex certis causis, quæ tamen fieri alioquin potuissent. Nec Decius, nec Diocletianus, nec Titus, nec alij retrò Imperatores Constantinopoli Regiam fixerant, num ideò nec Constantinus id potuit? Sic olim Episcopi, & Pontifices in communne viuebant, nec distinctis suisque Patrimonijs instructi erant, nec etiam à solo Clero, multòque minùs à solis Canonicis eligebantur; num ergo aliter viuere, eligique non poterant? Fateri ergo oportet, multa olim, quæ fieri poterant, facta non esse. Eodem modo, quòd olim Constantios, Valentes, aliosque impios persecutores Pontifices tulerint, nec eos diris percusserint, (quod vtique poterant, neque Maimburgus negabit) multòque minùs Imperijs exuerint, dubium non est, ob magnas, grauesque causas fecisse, præsertim peiorum metu, & exilij, quod temporalia spectat, Pontificum maiestate, quodque nulla spes alluceret imperata exequendi; nam & immensa tunc erat Imperatorum potestas, aut toto, aut media Orbis parte dominantium, promptisque exercitibus, militiæ, ac pugnæ paratis; ergo tunc temporis aut non decuit, aut non oportuit, aut non expedijt, multòque tutius ferre, & expectare, quàm hostes, & fortiores excire inutili, ac noxia vindicta. Alioquin si hoc exemplum antiquitatis aliquid vrgeat, quo iure ex sententia Maimburgi Franci Pipino, & Capeto, Romani Carolo Imperium detulere, ipsique acceptarunt? si nefas hoc fuit, nunquam peius, quàm in Gallia, & à Gallis peccatum. Sed & illud huc facit, quòd non olim tantùm, sed hoc etiam tempore, quando summi Pontifices hanc sibi in Reges, & Imperia potestatem conuenire putant, multos tamen hæreticos Principes tolerant, nullisque eos pœnis, nec sacris, nec profanis insectantur, nec subditos iuramento absoluunt, idque aut metu peiorum, aut quia credunt se frustrà conaturos, quamuis multi, potentesque Catholici Principes non desint, quorum armis vti possent; nec propterea sequitur, arbitrari modernos Pontifices, se hac potestate vti non posse; ita non sequitur, & antiquos

Stephan. II. epist. 4. ad Pipin.
Gregor. M. epist. 62. ad Maurit.

Pontifices id arbitratos esse, qui ob similes causas censuris, pœnisque abstinebant, non quòd causæ, aut potestas, sed quòd tempus abesset, nam nauigatio non omni vento opportuna.

IV. Opponitur VI. Obedientia, quam subditi Principibus debent, iuris diuini est, & à Deo imperata, non ergo dispensare, eamque soluere Pontifices possunt, vt sæpe in sacris Canonibus definitum est, docentque illis verbis sacræ Scripturæ: [Quod Deus coniunxit, homo non separet.] Alioquin auctoritate Pontificum etiam matrimonia laxari possent.

Maimb. cit. cap. 27. fol. 372.

Resp. Obseruabit lector, promisisse Maimburgum, se argumentationibus non vsurum, & consultò quidem, nihil enim eo infelicius, cùm argumentari incipit; cùm historiam texit, euoluitque præterita, & olim facta, fallit quidem, sed obseruari nisi ab eruditis non potest, & quibus libri, & otium est percurrendi antiqua. Cùm verò philosophari incipit, rationesque deponere ex suo contextas, adeò aberrat, vt nemo non noter, videatque, aut indoleat tam malè in metam collimanti, appareatque, maiorem illum eloquentiæ operam, quàm Theologiæ dedisse. Si obedientia Regibus debita iuris diuini est, quod solui à nullo, & nunquam potest, quis ergo Francos, Romanosque iuramento exsolui, quod Childerico, quod Constantino dixerant? idque vidente, approbante, imò acceptante Gallia? Quis in iuramentis, quis in votis dispensat, quorum obligatio iuris vtique naturalis est, diuinique: Sed principium Maimburgus petit, supponit enim, quod probandum erat, videlicet præcepta diuina, præsertim positiua pro omni casu obligare, cùm contrarium constet, etiam in præceptis negatiuis; præceptū enim [non occidendi] in certis casibus, & circumstantijs non obligat, præsertim in casu defensionis; ità nec præceptum [Principibus obediendi,] quando necessitas defendendæ Religionis, quæ multò fortior & antiquior est, vrget. Declaratio verò, an ea necessitas vrgeat, adsintque circumstantiæ, ob quas iuramenti obligatio cesset, est vna ex maioribus causis, & ideò Pontifici reseruata, nec priuatorum iudicio permissa, alioquin nemo non causas fingeret, legitimos Magistratus respuendi, essentque omnia latrocinijs, ac factionibus plena.

c. sunt quidam 25. qu. 1. c. literas de restitut. Spoliat. cap. super eo 4. vsur. S. Tho. 1. 2. q. 97. ar. 4. ad 3. & quodl. 4. qu. ar. 3. vide Reg. Sacer. f. 560.

V. Opponitur 7. Potestas hæc indirecta, quæ Pontifici Romano tribuitur, nullum habet à sacris literis patrocinium, ne leue quidem, atque ex tot auctoritatibus, quæ illi opinioni sustinendæ producuntur, nulla à sacris Concilijs, sanctisque Patribus in eum sensum explicatur, qui illis à Bellarmino, & Suarezio falsò attribuitur. Illæ verò Euangelicæ sententiæ: [Pasce agnos meos, & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis,] intelligendæ sunt de sola potestate spirituali, non verò temporali, & sic à Patribus intellectæ, explicatæque sunt.

Maimb. cit. ca. 27. f. 373.

Resp. Scripturas quod attinet, alibi ostensum est, hanc nostram sententiam apertè, & Theologicè ex illis deduci, parique ratione, quâ olim SS. Patres per euidentem ac natu-

naturalem discursum suas Conclusiones contra hęreticos ex sacris literis inferebant. Nã I. In veteri testamento Oziam Regem incensa in templo adolentem, & ideò lepra statim percussum Summus Pontifex Azarias non solùm, vt templo egrederetur rogauit, sed etiam inuitum eiecit: [2. Paralipō. cap.26.] [Cùmque, inquit Scriptura, respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes vidissent lepram in fronte eius, festinatò expulerunt eum, & habitauit in domo separata plenus lepra, & filius eius rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ.] Vbi obserua, Pontificum munus fuisse, de Principis lepra cognoscere, & vbi infestum repetissent, omni commercio, ac hominum societate excludere, sicque inhabilem Regno pronuntiare, nam Leuitici 13. [Leuit.13. vers.44.] ita statuitur: [Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra.] Sicut ergo Pontifices Aaronici de lepra Principis cognoscebant, eaque infectos templo arcebant, omnique humana societate, sicque inhabiles declarabant gubernandę Reipublicæ: neque id obstabat reuerentiæ Principi debitæ, omnique naturali, ac diuino iure sancitæ: ita Romani Pontifices de morali Principum lepra sententiam dicunt, id enim ad maiores causas pertinet, soli Vicario Christi reseruatas, nam & olim solus Pontifex lepram notabat, & huius iussu Ozias templo excessit. Et sic lepra correpti omni commercio, congressuque humano arcebantur, & ideò inepti, exclusique Regno, adeò vt idem esset, pronuntiare leprosum aliquem, & Regno indignum: ita Princeps hæresi corruptus, corrumpensque alios, & propterea [1.ad Corinth.5.& ep.2. B. Io. Ap. v. 10.] Sacris interdictus decreto Apostolico hominum commercio & societate excluditur, adeò vt [nec cibum cum illo sumere, nec cum salutare permittaris.] Sic enim habes Epist. 2. B. Ioannis Apostoli: [Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis; qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.] Quæ Apostolica prohibitio saltem tunc locum habet, cùm est periculum, ne tu, vel tui ab hæretico peruertaris (quod peruersionis periculum tunc maximè obuersatur, cùm Princeps aliquis hæresim suam, aliosue errores exemplo, aut etiam armis propagat?) in quo casu non humano tantùm iure, sed etiam diuino & naturali sociari hæretico, aut excommunicato non potes; & [V.causã 11. quæst.3.in decret.Grati, & can. omnis 24. quæst.1.] videri possunt Beda, Fabianus, Callixtus, & canones Apostolici à Gratiano citati. Et quamuis necessitas Principibus obsequendi, quà subditi stringuntur, eosdem excuset, permittatque, vt hæretico, aut excommunicato conniuant, quis tamen Pontificem prohibeat, ne ex Apostolorum præscripto, regulaque subditos omni consortio, & societate cum hæretico principe interdicat, à quo ipsi vi, & exemplis corrumpuntur? si enim tanta pernicies ab hæreticis priuatæ sortis, & ideò vetat Apostolus cum ijs communicare, quantò maius à Principe periculum, quantòque maior necessitas eum deuitandi? & si lepra Reges deposuit, quæ in corpora tantùm serpit, sæuitque, quantò magis hæresis animabus, ac Religioni funesta? Quòd si nihil Azarias contra reuerentiam deliquit Principi suo debitam, quando leprosum abegit, permisitque alium Regem subiectis; cur Pontifex Romanus delinquat, si eodem iure in hæreticum agat? an forsan maior hæretico reuerentia, quàm leproso debetur? aut lepra maius hæresi delictum, maiorique pœna dignum? [At, inquit, præcepit Deus, à leproso principe, non hæretico secedere:] imò multò magis ab hæretico; quæ enim maior separatio, quàm non communi eum mensa, aut domo, imò nec salutatione dignari? hæc enim omnia hæreticis, & excommunicatione percussis Apostoli vetant, leprosis concessa, nam salutare licebat. Si ergo Pontifex Romanus, Gregorius videlicet XIV. aut Clemens VIII. Gallis præcipiat; nolite cum Henrico Nauarræo adhuc hæresim spirante, & Galliam infesturo, [cibum sumere, aut recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis, qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius malignis;] auderetne Maimburgus dicere, Pontifices præter, imò contra Scripturas agere, cùm tamen id ipsum agerent, dicerentque, quod Scriptura, quod Apostoli! Dices, [Apostolos non loqui de principibus, sed de priuatis tantùm. Resp. Nec in libro Leuitici expressè de Principibus à populo separandis, si lepra tangantur, sermonem esse; & tamen Azarias Pontifex ob paritatem rationis etiam de Regibus intellexit, nec enim minùs periculi à Regis, quàm priuati lepra; idem de hæresi dicas, alijsque contagiosis Principum morbis, quorum tantò potentius venenum, nam infinita illis media, artesque pestem dilatandi. Illud quoque circa factum & lepram Oziæ memoria dignum, quod ex SS. Hieronymo, Cyrillo, Origene, & Chrysostomo notat Cornelius, & Tirinus, videlicet [Priuasse Deum Iudæos suis Oraculis, prophetia, & spiritu vsque ad mortem Oziæ, quòd eius consortio & præsentia contaminarentur.] Tanti apud Deum fuit, Regi à Pontifice eiecto, lepraque fœdato sociari. II. Id etiam efficaciter probat locus ille S. Pauli; 1. ad Corinth. 6. præsertim iuncta Patrum interpretatione, sic enim Corinthios recèns ad Christum conuersos alloquitur: [Audet aliquis vestrum habens negotium aduersùs alterum iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? an nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? & si in vobis iudicatur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia?] Videbat Apostolus, periclitari Christianos, eorumque Religionem ludibrio exponi, quando litium finiendarum causa gentilium commercia, tribunalia, fauoremque captabant; & ideò vult lites & iudicia à Christianis agitari, componique, nec Tribunalia Paganorum quæri: & ne causarentur, se potestate iudicandi destitutos, ostendit, ijs, quibus causæ spirituales committuntur, multò magis seculares committi: [Nescitis, inquit, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia?] Quasi dicat, interprete in eum locum Diuo Thoma: [Qui idoneus est ad maiora, multò magis idoneus erit ad minora.] Ex qua Apostoli doctrina hoc iudicium causarum sæcularium posteà commissum fuit Presbyteris

 teris

Clem. Papa II. constit. 49. & seq. Nyssen.in vita Greg. Thaumat. Ambr. 2.Offic. cap. 29 August.de op.Monach. cap. 26. Synes.ep.57.& 58.Greg. M 2. par. Pastoral.cap.7. Greg. VII. l.8.ep. 21.S. Bernard. de consid. lib.1. cap 6. & lib. 16.de Episc. iud. Cod.Theod & in Capitular Carol 6 & ca. quicumque & seq.11.qu.3.

teris & Episcopis, vt expressè testantur Clemens Papa, Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Synesius, Theodosius, & Carolus Magnus Imperatores; Apostolus tamen non demandat hoc officium causas seculares cognoscendi Episcopo Corinthiorum: [Quia, vt ait Ambrosius, necdum Rector in eorum Ecclesia erat constitutus;] quippe recèns ad fidem conuersi erant. Eodemque modo hunc locum intelligunt Anacletus, Gregorius Magnus, Gregorius VII. & S. Bernardus. Et ne quis dicat, in causis tantùm arbitrarijs, & ex partium consensu Episcopos iudicasse, audiat verba Theodosij, quæ in decreto habentur: [Etiamsi alia pars refragetur.] Quæ verba necessitatem, non arbitriū sonant. Multò minùs dici potest, hanc in causas secularium iurisdictionem ex priuilegio Principū, Theodosij videlicet & Caroli, non ex iure diuino, aut naturali Episcopis prouenisse; nā nec Apostolus, nec Patres huius priuilegij meminere, imò aliqui eorum ante Theodosij, & Caroli tempora vixerunt: nec fundamentum ex concessione principum, sed ex ipsa potestatis spiritualis natura sumunt, cui temporalis subordinatur; id enim ea verba Apostoli significat: [Si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? nescitis, quia Angelos indicabimus, quantò magis secularia?] Et illa S. Bernardi: [Denique vbi necessitas exigit, aliud quid censeat, non ego, sed Apostolus; si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis?] Et S. Thomæ: [Qui idoneus est ad maiora, multò magis idoneus erit ad minora.] Vbi vides hanc potestatem in secularia non in priuilegium, & concessionem principum, sed in ipsam naturam, & prærogatiuam characteris spiritualis ab Apostolo, Sanctisque Patribus referri. Ergo ex hac & superiori Apostolorum sententia argumentari ità licet: quando peruersionis, amittendæque Religionis periculum instat, quod euitari alia ratione non potest, Apostoli non contenti spiritualibus pœnis, etiam de rebus temporalibus disponunt, easque de vno in alium transferunt; dant enim potestatem iudiciariam ijs, qui non habent, prohibentque iure hospitatis, humanæque societatis (quæ est Iuris gentium, & hominibus ferè optatissima) ergo potestas spiritualis inditectè se extendit ex doctrina Apostolorum etiam ad dispositionem bonorum temporalium, quatenus ista conseruandæ animæ, ac Religioni deseruiunt. Dices, [nihil Apostolus de Regibus ex auctorādis dicit. Resp. Tu qui negas omnem Pontifici in Regna potestatem, ex quo fundamento id negas, nisi quòd solam, vnicamque in Pontifice agnoscas spiritualem potestatem, neque hanc ad temporalia extendi dicas? id enim omnibus ferè paginis Maimburgus sonat: contrarium ex doctrina Apostoli, Patrumque ostendimus. Cadit ergo fundamentum, quo nitebaris, & cum illo opinio tua. Quòd si semel extendi ad temporalia potestatem spiritualem dicis; idque conseruandæ Religionis causa; cur non ad Regna, cùm nulla maior, quàm ab hæreticis Regibus, aut Ecclesiam persequentibus pernicies? quòd nimiùm exempla, fideique ruinæ docent. Sed quia

S. Bernard. de cōnd.l.1. cap.6.

Reges Ecclesia, Regnoque interdicere ex causis non maioribus rantùm, sed maximis est. ac præsertim arduis, ex ijsque salus, aut pernicies Regnorum, ac Ecclesiæ pendet; ideò solis Summis Pontificibus id hodie permittitur, vt colligitur ex cap. ne aliqui de priuil. in 6. docentque communiter Doctores, & ipse Maimburgus fatetur, causas maiores ad tribunal Pontificis pertinere, exemplo Moysis, cui ex consilio Iethro Summæ lites submittebantur, reliquæ, minutæque inferioribus commissæ. Quia tamen occupatio circa negotia, causasque seculares vehementer animum implet, auocatque à cura animarum, ideò ordinariè, ac extra necessitatem, nec Christus implicari ijs voluit, repulitque de hæreditate interpellantem; & Apostolus prohibuit [militantem Deo implicare se negotijs secularibus, vt placeat Deo; quod eleganter D. Gregorius in suo Pastorali, & Bernardus in libris de consideratione prosequuntur. III. Huc faciunt verba, & promissio Christi ad Petrum: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quod solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis. In his verbis ex omnium Catholicorum sensu committitur Petro summa in causis spiritualibus, & animas ligandi, soluendique potestas. Atqui causæ iuramentorum sunt spirituales, & quousque, ac in quibus casibus obligent, pertinet ad Summum Sacerdotem definire; poterit ergo definire in certo casu non obligare, & si definiat, non obligare in casu, de quo agimus; hæc eius definitio, vtpotè super causa spirituali, & à supremo iudice facta à nullo alio improbari poterit, euertique. Rursus, si iuramenta, ac obedientia Regibus præstita in ipsorum subditorum, Regumque perniciem, damnumque animarum vergat, solui vtique ab eo poterunt, cui suprema cura animarum data, eorumque omnium, quæ animabus noxia: alioquin quid proderit, animas soluendas, curandasque committere, non verò eas curandi, soluendique modos, & finem imperare negatis medijs? id enim perinde fuerit, ac si nauigare aliquem iuberes subtracta naui, aut Classicum canere subductis tubis. Immò contrarium in Imperijs, negotijsque humanis exerceri videmus, quantòque magis in diuinis, quorum Ordo, & efficacia maior? Si enim Rex aliquis supremum exercitus Ducem constituat, iubeatque vrbem terra, marique ab hostibus cinctam obsidione soluere; quis neget hoc ipso summo illi Imperatori commissam potestatem, & fabris imperandi, vt arma expediant, & frumentarijs, vt commeatus comportent, & Classium Præfecto, vt vela faciat: qui si cessent, aut etiam ad hostes deficere parati sint, quis neget, posse illos (quamuis alioquin militiæ Duci non subsint) non imperio tantùm, sed etiam pœnis vrgeri, immò officijs exui, aliosque imponi, qui victoriam iuuent, paratamque defectionem moreutur? Si ergo potestas soluendi obsidionem tantum auctoritatis tribuit Duci exercitus, etiam in eos qui subditi aliàs non sunt; quantò plus tribuet potestas soluendi peccata, animasque liberandi Vicario Christi, ac capiti Ecclesiæ? Dices; illa Matthæi

V. Silu. v. excomun.1. n.10. Henr. l.13. cap.25. Sà verb.ex. communic. n.13. Laym. de Pœnit.c. 10. num. 3. Maimb. Tr. de l'Egl. de Rome f.60.

Luc. 12. 14. & 2. ad Timoth 2.v.4. S. Greg. in Pastor p.2. cap.7. S. Bern. de consid. l. 1. c.6.& lib.4. c.3. v. Reg. Sacer.f.102. Matth.16.

thæi verba intelligenda tantùm sunt de potestate spirituali absoluendi peccata, non verò deponendi Reges, subditosque ab obedientia, quam illis debent, liberandi. Respon. Verum id est, si de potestate ordinaria, & principali loquamur, quæ Apostolis, eorumque successoribus ad animas, non Regna disponenda commissa est: sed ex hac ipsa potestate regendi animas, soluendique peccata, sequitur alia, & indirecta potestas, ac pro raro casu, statuendi videlicet etiam de temporalibus, quando id necessitas conseruandę Religionis requirit, nec aliter vitari peccata, delerique possunt, quemadmodum potestas gubernandi vrbem includit etiam, saltem pro casu necessitatis, repellendi hostes, comprimendique, ac exauctorandi ciues perduelles, si domari aliter non possint. De hac tamen potestate non ita expresè primi Ecclesiæ Patres loquuntur, tum quia includitur in prima tum quia minùs principalis, & prima Scripturæ, ac Patribus cura fuit, animas instituere, tum denique, quia rarò locum habet. Patet verò, leges non loqui de casibus, qui rarò, sed qui plerumque contingunt. Et denique in hac controuersia euenit, quod in alijs plerisque, vt videlicet tunc primùm Patres expresè, clarèque loqerentur, cùm cœpit agitari, ac in dubium verti. Et planè quis non videt sub Neronibus, & Decijs, aut sub Constantinis, & Theodosijs importunè hanc quæstionem motum, & explicatum iri, quando, aut nulla spes, aut nulla necessitas, aut nullæ vires exequendi: at verò vbi periclitari Religio à Regibus cœpit, viresque, ac Principes oblati, qui casuram sustiuerent, quod præsertim à Pipini, & Caroli M. temporibus euenit, non omisit Ecclesia potestate sua vti, eamque scripturæ testimonijs fulcire non quidem in alienos à veritate sensus detorquendo (id enim Maimburgus non sine graui iniuria, parique imprudentia Concilijs Vniuersalibus, Lugdunensi, Viennensi, duplici Lateranensi, Constantiensi, Tridentinoque affingit, & consequenter Ecclesiæ Gallicanæ, quæ magna pars illorum Conciliorum fuit) sed veritatem explicando, in Scripturis quidem, apertisque Scripturæ exemplis contentam, sed à primis Ecclesiæ Patribus non euolutam, tacitamque, quippè alieno tempore, & Principibus hoc remedio non egentibus, aut non sanandis. Idque vt dicebam in Ecclesia frequentissimum, tunc videlicet scripturas explicari hactenus inobseruatas, decidiq; quæstiones, cùm occasio ferebat, quod multis quidem exemplis Patrumque testimonijs illustrari posset, sed vno alteroque contentus rem totam absoluam. Primis Ecclesiæ temporibus, cùm aut delendis idolis, aut Filio, Sanctoque Spiritui asserendæ diuinitati, à Macedonianis, Arianisque impugnatæ, Patres laborabant, nulla ferè apud illos mentio aut si aliqua, leuis admodùm, incidensque quòd à Patre, Filioque Spiritus S. procederet; & ipse sacer textus adeò nihil de hac processione expresè videtur statuere, vt potiùs soliùs à Patre processionis meminerit: & sanè antiqui Patres nullum Scripturæ testimonium producunt, quo hanc Processionem confirment, quippe alijs bellis intenti, nihil pro ea parte curabant, quæ hoste carebat; nec diffitetur Maimburgus, non laborasse Ecclesiam Orientalem huic Processioni examinandæ. At verò vbi impugnari ab hæreticis hæc veritas cœpit (qui maximè silentio Scripturæ nitebantur) præsertim à Theodoreto, Priscillianistis, Ioanne monacho Hierosolymitano, Theophylacto, Photioque, tunc enimuerò certatim: ac velut signo dato Concilia, Patresque exciti, & veritati defendendæ calami exerti: inquàm plurimis Synodis Processio à Patre, Filioque decantata, præsertim Toletana prima, tertia, octaua, & duodecima, Gentiliacensi, Nicæna secunda, Foroiuliensi, Aquisgranensi, Arelatensi sexta, Romana sub Benedicto VIII. Barensi in Apulia, Lateranensi sub Innocentio III. Lugdunensi sub Gregorio X. ac tandem Florentina sub Eugenio IV. Tunc etiam in fauorem eiusdem Processionis sacrarum scripturarum sententię expositæ: quamuis antiqui Patres numquam eas in hunc sensum explicauerint. Ex illis enim verbis: [Omnia quæcumque habet Pater mea sunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet. Et: Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis ita argumentabantur: Si omnia, quæ habet Pater dedit filio, ergo etiam filio dedit vim spiratiuam; si Spiritus Sanctus aliquid de Filio accipit, vel aliquid accidentale, vel aliquid substantiale accipit? non accidentale, quia alioquin Deus non esset: si aliquid substantiale, ergo secundùm substantiam à Filio procedit. Si Spiritus Sanctus mittitur à Filio, aut mittitur auctoritate, & imperio, aut Origine, quomodo arbores dicuntur flores mittere; non auctoritate & imperio (hoc enim seruitutem sonat; & subiectionem, quæ in Deum non cadit) ergo origine.] Quæ explicationes veræ quidem sunt, sed apud Patres quatuor primorum sęculorum inauditæ, quippe nondum armamentarium expanderant, silente hoste, quietoque. Et ideò cùm Græci in Florentino Concilio sæpissimè silentium scripturæ, & Ecclesiæ obijcerent, responsum à Latinis est: [Eadem Ecclesia diuersis temporibus, ac vrgente necessitatę accessionem facere potest, quæ quidē facultas nunquam poterit auferri, noster enim Saluator inquit: Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad consumationē seculi. Nihil ergo est nouisi nouis in Ecclesia quæstionibus exortis nouæ sint explicationes scripturarum, nouæ decisiones auditæ. Id quod etiam Patres obseruarunt: Tertullianus: [Nihil, inquit, sine ætate est, & omnia tempus expectant. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoueri, granum est primò, & de grano frutex oritur, & de fructu arbuscula enititur, deinde rami, & frondes inualescunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquando, & informis paulatim ætatem suam digerens eruditur in mansuetudinem saporis. Sic, & iustitia (nam idem Deus iustitiæ, & creaturæ) primò fuit in rudimentis &c. Et S. Augustinus: Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & aduersario mota quæstio di-

Maimb. de Schis. Oriē. t.1.l.2 f.213.

Theodoret. in confutat. anathem. 9. Cyr Priscil. ap. S. Leonem ep. 93.

Concil. Tolet. 1. apud Bar. an. 447. Conc. Gentil. apud Maim. hist. des Iconocl. l. 3. Concil. Nicen. 2. act. 7. Conc. Foroiul. c. 7. Conc. edit. Paris. vide Maimb. cit. de Schism. Orient.

Conc. Flor. sess. 6.

Tertul. de velād. Virg. cap 1.

S. Augustin. l. 16. de ciu. cap. 2.

S. Naz. ser4 de Theol.

discendi existit occasio. Et Gregorius Nazianzenus: Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæque ordinem, quem nobis tenere præstiterit, vt nec repente, nec confertim omnia in lucem efferamus nec in finem vsque occultemus. Et Gregorius M. Hoc quoque nobis sciendum est, quia & per incrementa temporum creuit scientia spiritualium Patrum, plus namque Moyses, quàm Abraham, plus Prophetæ, quàm Moyses, plus Apostoli, quàm Prophetæ in Omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hæc ipsa scriptura non loquitur; & mensus est, inquit, limen portæ calamo vno: mensura ergo calami, qui est sex cubitorum, & palmo ducatur ad cubitos tredecim, quia quantò mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ scientiæ aditum clariùs aperitur. In quàm sententiam exponit idem Gregorius illud Danielis vaticinium: Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia; siue vt clariùs habent hebraici Codices: Discurrent multi, & multiplicabitur scientia. & septuaginta: Donec doceantur multi, & multiplicetur scientia. Conuincunt hæc omnia, frustra Maimburgum excipere, illos Scripturæ textus, qui à nobis citantur; non fuisse à Patribus antiquis explicatos de potestate, quam in certis casibus habet Ecclesia, Reges in ordinem redigendi, soluendique subditos à vinculo iuramenti, quo illis deuinciuntur: nondum enim hæc quæstio mota fuerat, & propterea nec eam scripturis illustrari oportebat; quæ necessitas enim probationes, testesque cumulandi, lite necdum instructa? præsertim Patribus in tot bella, hostesque accinctis. Num ergo Concilijs, Lugdunensi alijsque loqui non licuit, quia illi tacebant? aut forsan plus habent auctoritatis probandique efficaciam, tacentes, quàm loquentes testes? aut alligata est virtus, ac potentia Spiritus Sancti, vt radiùs heri nube obseptus micare hodie non possit? præsertim cùm in sacris literis tam multa testimonia, & exempla extent, pro hac nostra sententia, quæ partim produximus, partim infrà producemus, vt non tam silentem Scripturam, quàm apertè loquentem habeamus. Nam IV. efficax argumentum sumitur ex illis Christi verbis ad Petrum; [Simon Ioannis diligis me? pasce oues meas;] idquè tertiò Christus repetijt. Agnoscunt hic SS. Patres, estque in sacris Concilijs definitum, ac perpetua traditione, vsuque in Eclesia probatum, per hæc verba soli Beato Petro, eiusque successoribus supremam, ac totius Ecclesiæ curam traditam esse, quòd Sancti Leo, & Bernardus eleganter expresserunt, nec Galli negant. Ex illis verbis argumẽtari ita licet. Cura vniuersam Christi Ecclesiam, eiusque oues pascendi Petro, & Successoribus commissa est. At verò cura Pastoralis non solùm id requirit, vt oues pascas, tondeas, mulgeas, ducas, reducasque, & morbidas cures, sed etiam vt si quæ ex illis sanari non possit, aliasque inficiat, Pastor eam ab alijs separet, lupumque irruentem arceat, vinciatque, ne gregem irrumpat; hæc enim si omitteret, præstaretque alia omnia, meritò diceretur suo officio defuisse, nec Pastoris partes explesse: non quòd Pastoris cura sit, medicum, aut venatorem agere, sed quia curari oues non possunt, nisi illa exhibeantur, & commissis ouibus illa omnia commissa censentur. Quòd si Pastor inuadente gregem latrone, aut taceat, aut acquiescat, aut solis vocibus aduersetur, nec cùm possit, eum vinciat, aut armis exuat, ne possit nocere, idque ea ratione excusaret, quòd sola sibi in oues potestas tradita sit, nulla in prædones, lupòsque, quis rogo non timidum, ignauumque, ac sui muneris oblitum diceret, & gregis vastati reum? Sic cum Pontifice Romano res se habet. Pastor ille, Christiani omnes, etiam Principes, Regesque ad oues pertinent: fac ex ouibus vnam non morbidam tantùm, sed lue correptam esse, alijsque funestam, aut quod peius est, in lupum verti, & in oues iuxta, Pastoremque grassari, volo dicere, Principem aliquem ex ouibus Christi hæretica labe contaminari, & Ecclesiæ, ac Religioni bellum, stragemque moliri, nec vllis rationibus, non minis, non precibus sanari, sistique posse, num à Summo Ecclesiæ Pastore vinciri, exarmarique non possit, eaque potentia exui, qua in sui, aliorumque perniciem abutitur? licet hoc Pastori in prædonem, lupumque, cur non Pontifici in hæreticum, hostemque Ecclesiæ? aut forsan maius periculum, damnumque ouibus à lupo, quàm Christianis ab hæretico Principe? aut Iura naturalis defensionis, quæ in Pastore locum habent, non habebunt in Romano Pontifice? Patet ergo ex cura Pastorali Petro, & Successoribus commissa, sequi necessariò potestatem oues morbidas separandi ab ouibus sanis, arcendique lupos ouibus infestos. Nec obstat, quod infert Maimburgus, videlicet sequi, vt quemadmodum lupus, ita & Princeps, qui Ecclesiam persequitur, à quouis, & quocumque modo cohiberi, opprimique possit, id verò parricidijs, ac cædibus ianuam aperire, & vnam esse ex Draconis legibus, sanguine, non atramento scriptam. Resp. Absit, vt hæc consequentia deduci ex nostris principijs possit, aut à nobis vnquam concedatur; & Maimburgus artificio professione sua, ac fide historica nimis indiguo, vt odium nostræ opinioni conciliaret, nobis id attribuit, vt doceamus, [quemadmodum lupum, ita & Principem hæresi infectum omni modo quo potest auferri è medio posse: id enim verò detestamur, non docemus, imò toties repetimus, hanc ex maioribus causis esse soli Pontifici permissis, nec quouis modo, aut tempore, sed certis gradibus, ac moderatione cohibendos esse; primò enim rationibus tentandos, tùm precibus, deindè minis, postea censuris, sacrisque pœnis; nec vltra procedendum, nisi mala in extrema proruperint; nec vllo priuato damno in Sceptra, & Coronas bellum cieri posse, sed publico tantùm fidei, & Ecclesiæ malo: & tunc quoque sisti hìc vindictam, aut ociùs remedia oportere, nec Catholicæ Religioni sanguine litari, præsertim Regio: quippe balsami arbusculæ similem Ecclesiam esse, quæ cùm plagas ab ebore, vitroque sustineat, imò pretiosas lacrimas reddat, ferro tantùm abhorret, & contactu inarescit: nihil ergo ferro, & Ecclesiæ; quod multi sacri Canones, &

Margin notes:

Gregor. M. hom. 16. in Ezech.

Daniel. 12. ver 4.

S. Leo ser. 3. de assumpt. sua S. Bern. l 3. de consid. cap. 7.

Maimb. Tr. hist. f. 376. cap. 27.

Causas maiores ad S. Pontif pertinere habes Ap. Innoc. I. epist ad Vitric. Rhotomag. Pelag. ep 8. Vigil. ep. 7. ad Auxan. Greg. M. ep 52. l. 4. Concord. Leon. X. Marca l. 1. de concord. Sacerd lib. 7. c. 10. 12. 13.

Decretū in c his, a quibus, & c. si in morte 23. q 8. & Grat. post c. nos q. 7. causa 2.

& apertè decernunt, docetque Gratianus eleganter in Decreto. Quantum hæc doctrina à fæuis illis, & sanguinarijs vocibus distat: [Posse Principem omni modo, quo potest è medio tolli; id enim significant verba illa Gallica Maimburgi: [Dont il se peut defaire, omni modo quo potest:] Quamuis verò Ius naturalis defensionis, curæque, ac custodiæ Pastoralis ius Pastoribus in lupos tribuat, & Pontifici in Reges, diuerso tamen modo; semper enim sacri Canones, exempla Patrum, ac mansuetudo Ecclesiæ propria sanguini pepercere; præsertim Regio; adeòut, qui etiam iustè sanguinem effudissent, altaribus arcerentur. Ius ergo Pontificum, vsque ad purpuram, sed citra sanguinem stetit. V. Præceptis, ac sententijs Euangelicis exempla Christi accedunt, eiusque Apostolorum multò verbis potiora. Ipse enim Christus, qui formam serui acceperat, qui venerat ministrare, non ministrari, qui, tributum Principibus soluerat, qui iusserat dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris, qui licèt interpellatus noluerat diuidendæ hæreditati se miscere, & tandem qui Regnum suum non esse de hoc mundo professus fuerat; nihilominùs tamen, vbi salus animarum, & Redemptio humani generis poscebat, de rebus hominum temporalibus absoluta quadam, & Regia potestate disposuit, nam & ficum arefecit, & gregem porcorum mersit, & mulierem adulterij ream contra leges absoluit; Petrus verò, & Paulus Christi discipuli alijs oculos, alijs vitam miraculo ademere, multò Regnis chariora: nec spiritualia tantùm, sed etiam corporalia beneficia omnibus præstabant, quia hæc persuadendæ fidei, ac plantandæ Religioni erant necessaria. Ex quibus omnibus planè deducitur, Deum Apostolis, eorumque successoribus potestatem tribuisse, non tantùm spiritualia, sed etiam temporalia bona largiendi, quatenus ista spiritualibus seruiebant. Quòd si poterant visum, auditum, vitam ipsam largiri, quantò magis Regna, si hæc tantum Religioni conferrent, sintque bona temporalia multò illis inferiora? Cæterùm, quia hæc potestas Regna transferendi, si omnibus passim Episcopis concedatur, multò magis Ecclesiæ nocet, quàm prosit; ideò vni Romano Pontifici est reseruata. VI. Suffragatur etiam, præter Verbum Dei scriptum, & exercitum; Verbum Dei impressum, innatumque, quod Ius naturale appellamus, hoc enim est quædam diuinæ legis impressio, singulorum animis insculpta, quam nemo non audit, nemo non intelligit, nullòque tempore, aut deleri potest, aut corrumpi, fucarique interpretationibus falsis, qua ratione multùm antecellit Verbum Dei scriptum, nec minùs impius fuerit, qui verbo, & legi Dei naturali, quàm qui scriptæ repugnauerit, vtriusque enim idem Deus est auctor, & istam dictauit tantùm, illam verò scripsit, impressitque. Ex principijs ergo Iuris naturalis sententiam hanc nostram multifariam probamus. Primò, Nemo dubitat, defensionem esse iuris naturalis, adeòut nullum ferè animal non instinctu tantùm, sed armis etiam natura instruxerit vi repellendæ necessarijs:

V. Act. 5. & 13. V. Hier. Chrysost. Greg. M. apud Gratian. causa 23. quæst. 7.

Ouid. in Halieu.

Accepit mundus legem, dedit arma per omnes.
Admonuitque sui, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, & caudæ sic scorpius ictu.
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem
Præsidiùmque datum sentire, & noscere teli
Vimque, modùmque sui.

Habet verò locum iusta defensio, quoties iniustè ab alio inuaderis, sunt enim hæc correlatiua, iniusta inuasio, ac iusta defensio, & vna ex altera resultat; nec refert, si, qui te inuadit, subditus non sit, aut quacumque dignitate præfulgeat, alioquin si Regem Galliæ Rex Hispaniæ, aut Persarum inuaderet, repellere inuasores non posset; & ipsa natura, qua omnes pares sumus, delictumque inuasorem subijcit. Licet ergo, qui tibi, rebusque tuis vim affert, repellere, armisque exuere, quibus te aggreditur, (quæ omnium modestissima est defensio) omnique modo eniti, ne damno immerentem afficiat. Si ergo Rex aliquis Ecclesiam, Religionem, fidemque inuadat, aut inuadere paratus sit, poterit is, qui Ecclesiæ præest, eamque gubernat, vbi alia ratione non possit, armis nudare, ac nocendi instrumenta adimere, Sceptra videlicet Coronas, subditosque, quibus multò magis Principes, quàm ferro, ignique grassantur, quæque nisi furentibus eripias, numquam desinent ferire; cùm illorum arbitrio sedeat, iniuria abstinere, & pace frui. Si ergo aliqua defensio est iusta, imò necessaria, quæ rogo iustior, quàm quæ Religionis, & fidei causa suscipitur? licet domum defendere, non liceat Ecclesiam? licet gladium, & facem latroni eripere, non liceat Sceptrum, & Coronam? quæ nisi excutias, numquam gladij, facesque cessabunt? Demus, Regna, & Imperia non subdi Pontifici; at subduntur naturæ, quæ defensionem imperat, aut permittit; nam nec Persæ Gallo subduntur, num ideò Gallus feret, si illi inuadant? Aut quæ possit moderatior defensio esse, quàm quæ arma nociturо aufert? negari ergo non potest, iure naturalis Defensionis Regna, & Imperia Pontifici Romano subdi. Secundò. Ex iure naturalis defensionis aliud, & par ius exurgit, legitimi videlicet belli, quod æquè ad æquitatem naturalem pertinet, estque species naturalis defensionis. Si quis ergo Princeps publica commercia turbet, Prouincias tuas inuadat, pacta infringat, subditos tuos, vi, pecunia, malisque artibus corrumpat, certum est, huiusmodi Principem, quamuis alioquin nullo tibi iure subiectum, bello peti, & nisi absistat, acceptetque iustas pacis conditiones, etiam Regno priuari posse, quo modo videmus, tot Regna, & Imperia, aut euersa, aut translata. Ergo etiam Pontifex Romanus Principes Ecclesiæ infestos, eamque illata hæresi corrumpere molientes, poterit iusto bello coercere, & nisi absistant, coronis priuare; cur enim totius Ecclesiæ defendendæ causa non liceat, quod licet vnius Castri, aut Ciuitatis causa? Tertiò; Si videas innocentem aliquem à latronibus impeti, & continuò trucidandum esse, nec alia ratio supperat eum iniusta cæde liberandi, nisi tela extorqueas, equosque, quibus fugientem insequun-

sequuntur, infectis vinculis moreris; quis neget, te facere id posse, idque naturam permittere, quæ omnibus innocentiam commendauit? adeò vt Sanctus Ambrosius, & ex illo Doctor Angelicus pronunciet: [Eum, qui non repellit iniuriam à socio, cùm possit, tam esse in vitio, quàm ille, qui facit.] Idemque S. Doctor alibi docet, Principibus etiam infidelibus, nulloque modo subiectis posse ab Ecclesia bellum indici, si fideles persequantur, eosque in suæ Religionis exercitio impediant: quantò magis poterit Principi Christiano titulo baptismi, ac specialis iuramenti Ecclesiæ subiecto? cui enim magis innocentium cura, præsertim in ijs, quæ ad animam pertinent, æternamque salutem, quàm Ecclesiæ committitur? Si ergo tu potes latronem vincire, quamuis non tibi, sed Magistratui suo subiectum, ne innocentem perimat, quantò magis poterit Ecclesia constringere Principes, ne animas perdant? Quartò: Est etiam iure naturali notum, in mutuis, ac reciprocis pactis te, nec pacto, nec iuramento teneri, altero fidem datam fallente, nec promissis stante, vndè illud axioma manauit, omni iure receptum: videlicet, [frangenti fidem impunè fidem non seruari.] Cùm ergo Principes, quos tempore Imperium ineunt, solemni iuramento, se Ecclesiæ, subditisque obstringant, de Catholica fide obseruanda, tuendaque: si id non præstent, aut quod peius est, illi euertendæ accingantur, & promissis absistant, dubium non est, posse publica auctoritate coerceri, exsoluique subditos iuramento, ac obsequio Principi promisso, quod etiam eleganter docuit S. Doctor in libro de Regimine Principis. Poterit ergo Summus Pontifex in hoc, aut simili casu declarare, iuramentum non stringere, & pacta rescindi, Principe datam fidem violante; qua verò in re grauiùs violari fides poterit, quàm in ijs, quæ animam, ac æternam felicitatem spectant? Videri possunt iuramenta Caroli Magni, & Ottonis Imperatorum apud Spondan. & Gratianum in Decreto. Et hæc quidem sunt prima naturæ principia, adeòque euidentia, & clara, vt negari possint à nemine, imò illis nemo non conformiter viuit. Constat ergo, quàm iniusta fuerit Maimburgi censura negantis, nostram hanc sententiam diuino testimonio fulciri; at verò ostendimus, eam Verbo Dei scripto, exercito, innatòque subniti, quid ampliùs velit?

S.Thom. 2.2 qu.6o. art.6. ad 2.

S.Thom. 2.2 qu.10. art.8.

V. cap.3. de iureiur. c.28 de Simon. c. frustra de R. I. in 6. L. cùm proponas 31. C. de pactis. Et Clemét. vn. de iureiur.

S.Thom. l.1 de Regim. Princ. c.6.

Spond. ad anno 800. Grat. c. ubi d. 63.

VI. Obijcitur 8. Negat S. Bernardus Pontifici, vt tali vllum Dominatum competere, quantò ergo minùs auctoritas Reges destituendi? verba S. Bernardi sunt: [Esto, vt alia quacumque ratione hæc tibi vendices, sed non Apostolico iure, nec enim Petrus tibi dare potuit, quod non habuit.] Nulla ergo ex Christi institutione, & iure Apostolico Pontifici auctoritas, quàm sola spiritualis, ligandi videlicet, soluendique animas.

Maimb. Tr. hist. de l'Eglise de Rome f. 391.

Bern. l. 2. de cósid. c. 2

Resp. Agit sculptorem, non historicum Maimburgus; cædit, truncat, versatque Bernardum, vt statuam mendacio fingat. Negat Bernardus: [Aurum, & argentum Pontifices sibi Apostolico iure vendicare, sed aliundè.] Nemo id negat: alioquin Apostoli non essent, qui auro, argentoque caruere. Docet idem Bernardus: [Non reliquisse Apostolos suis successoribus dominationem iuxta sententiam Petri, non dominantes in Clero, sed forma gregis facti;] & exemplum, ac edictum Saluatoris: [Qui maior est vestrum, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut, qui ministrat, ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat;] & concludit: [Planum est, Apostolis interdicitur dominatus.] Hæc Bernardi sententia est, qui vt patet, non de dominatu Pontificis in Principes, sed in Clerum loquitur; additque in eumdem sensum sequentia: [Domabis lupos, sed ouibus non dominaberis, pascendas vtique, non premendas suscepisti.] Vbi planum est, Bernardum de dominatu etiam in Clerum, & Ecclesiasticos loqui. Si ergo eo modo Bernardum explices, quo Maimburgus, sequeretur, non tantùm Regibus, & Principibus, sed etiam Clericis imperare Pontifices non posse, id verò absurdum est, & ne quidem à Maimburgo concessum. Vult ergo Bernardus, Pontificem, secularium, nec Ecclesiasticarum personarum Dominum, sed Pastorem, & Rectorem esse, sicque non posse de ouibus suis, earumque rebus pro arbitrio disponere; id enim discriminis est inter Dominum, & Rectorem, quòd huic ratio, illi arbitrium pro lege sit: & Domino, quid sibi, Pastori, quid ouibus, prosit, curæ est. Tota ergo Pontificia, & Episcopalis potestas [ministerialis est, non dominatiua, quia videlicet Ecclesiæ seruit, spectatque Ecclesiæ, non Pontificis, & Episcoporum priuata commoda: & ideò etiam cùm Principes iudicat, abdicatque, non id agit Pontifex potestate dominatiua, sed ministeriali, quia non suo, sed Ecclesiæ bono. Quemadmodum cùm Tutor pupillo imperat, irritatque eius contractus, non sequitur, Tutorem esse pupilli Dominum; aut cùm morbidas oues Pastor seiungit, & medicus infestum membrum truncat, nemo propterea dixerit, Pastorem esse ouium Dominum, medicum membrorum; imò seruiunt etiam cùm sæuiunt, & ideò mercedem accipiunt crudelis obsequij. Cæterùm agnouisse Bernardum hanc indirectam, & ministerialem potestatem, qua Pontifices in temporalia funguntur, dubium non est, nec latuit, vt credo, Maimburgum; sed maluit celare veritatem, quàm fateri se victum. Is enim libro 1. de consideratione: cùm hæc præmisisset: [Non monstrabunt puto aliquando, vbi quispiam Apostolorum Iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum; stetisse lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego; ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: habent hæc infima, & terrena iudices suos, quid fines alienos inauditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?] mox subiungit, quæ ad propositum nostrum apprimè faciunt: [Denique, vbi necessitas exigit, audi, quid dicat, non ego, sed Apostolus: si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Sed aliud est, incidenter incurrere in ista, causa quidem vrgente, aliud vltrò incumbere istis, tamquam magnis, dignisque tali, & talium intentione rebus.] Vides hic, Bernardum duas, distinctasque rerum temporalium constituere potestates, vnam directam, & Or-

1. Petri 5.

Lucæ 22.

Bernard. l. cit.

& Ordinariam, quam Regibus tribuit, aliam indirectam, & incidentem, & necessitate vrgente, quam Pontifici Romano. Vides ergo, quàm mala fide Patres alleget Maimburgus; & quàm rogo imperita fuit illa consequentia: [Prohibentur Pontifices dominari; ergo prohibentur Regibus imperare, eosque si necessitas,& periculum fidei vrgeat, Regnis amouere? Quasi verò imperare, prohibere, infesta membra secare, lupos arcere, latrones ne obsint vincire, ad solos Dominos, & non etiam ad ministros, Tutores, Pastoresque pertineat? Rursus, quantum abest à veritate, & candore sacri Scriptoris, Bernardum de dominatu in Clerum loquentem interpretari, quasi de dominatu in Principes loqueretur? & sententiam truncam, detortamque in alienos sensus producere, illas verò tacere, in quibus se ipsum clarè, distinctèque Bernardus explicat? Qui excuses hunc hominem? nisi dicas, necessitate illum deliquisse, quippe non potuisse malam causam, nisi peioribus artificijs sustinere.

VII. Opponitur 9. Sancti Patres, & antiqui Pontifices duas illas potestates, temporalem videlicèt, & spiritualem distinguunt, & vnam ab altera independentem constituunt, adeò vt sicut Imperatori nulla in Ecclesias, ita Pontifici nulla in Palatia, & Regna sit potestas; ita enim Gelasius I., Nicolaus I., & Gregorius II. loquuntur: tantumque abest, vt Sceptra, & Coronas Imperatoribus raperent, vt potiùs eos colerent demississimis obsequijs, adeò vt se seorum vestigijs prouolui, cineres, & vermes esse, eorumque iussionibus subiectos dicerent]; quæ sunt verba Pelagij I., Stephani II., & Gregorij Magni. Resp. I. Duas esse potestates temporalem, & spiritualem, nemo negat; sicut nec illud, iure ordinario, & citrà necessitatem nullam esse in Principes, Regesque Pontifici Potestatem; id enim, & ipsi Pontifices fatentur, & nos alibi ex istorum, Patrumque testimonijs, Nicolai videlicèt, Stephani VI., Gregorij II., Alexandri III., & Bernardi probauimus. Id tamen non obstat, vt premente necessitate, ac Religionis periculo leges Principibus dare, eosq; cohibere non liceat Pontifici: id Iojadas, id Azarias Pontifices florente Synagoga fecere, quantò magis id nostris Pontificibus liceat, quorum dignitas tantò maior, sublimiorque? & ideò S. Bernardus à fastu, & adulatione alienissimus, quique Pontifices omni Dominatu, curaque temporalium arcet, nec vult, vt [falcem mittant in Principum messem] hoc ipsum tamen concedit, si necessitas vrget: non ergo sequitur, vt, si Patres ordinariam In Reges potestatem negēt, hanc ipsam etiam negent in casu vrgentis necessitatis, & Religionis periculo laborantis. Quis enim nescit, quàm multa necessitas excuset? non licet alteri vitam, non domum adimere, licebit, si ratio publici boni, si defensio exigant: neque hoc est falcem in alienam messem proferre, aut limites egredi Ecclesiasticæ Potestatis; cùm enim omnis potestas, & felicitas temporalis ordinentur ad Religionem, veramque fidem stabilendam, tamquam media ad finem; potestas Ecclesiastica, quæ Religioni, & Fidei præest, etiam de medijs, hoc est, de potestate, rebusque temporalibus disponet; neq: hoc est limites egredi, cùm eadem sit finis, & mediorum disciplina; quamuis enim ad nauis gubernatorem id solùm pertineat, vt nauim in portu agat, non verò, vt cœli cursum, stellarumque metiatur; nemò propterea dixerit, cùm Vrsam, cùm Arcturum, & Plejadas examinat, cùmque in omnes cœli plagas oculum defigit, & in ipso Magnete polum quærit, extra terminos ferri suæ artis, quia videlicèt, qua ratione hæc omnia media sunt, & adiumenta felicis nauigationis, ad artem nauticam pertinent, suntque Gubernatori necessaria. At non minùs Regia potestas veræ Religioni, quis enim nescit, quantum intersit veræ Religionis, quis imperet? Testes Anglia, Germania, Suecia, & Dania, suorum Principum exempla, & casus secuti: vt ergo Regia potestas veræ Religioni, aut noxia, aut proficua, sic Pontifici subdita; & sicut nimia, & assidua Cœlorum contemplatio Nauarcho inutilis, quippè alias curas moraretur huic arti proprias; & illa tantùm salubris, quæ naui gubernandæ seruit: ita, & Pontifici nulla de Regnis cura, nisi cùm Religio poscit, naufragium factura alioquin, si assiduus, & velut ex proposito in has stellas intendat, nauis interim curam, cursumque omittet, & dum Regna quærit, animas perdet. Hoc solùm Patres, nec aliud in Pontifice damnant. II. Vnde iam patet, quàm incautè Maimburgus dixerit, potestatem temporalem nullo modo à spirituali pendere; qui enim fieri hoc potest? cùm bona temporalia sint media, & instrumenta Religionis, fidei, æternæque felicitatis: an media à fine, instrumenta à causa principali non pendent? Id periadè esset, ac si diceres, animam omninò à corpore non pendere, cùm tamen nemo nesciat, iacere animam inertem, desidemque, nec posse in actiones micare, languido, & ægro corpore; multò magis corpus ab anima pendet, & ideò ab ista sustentatur, alioquin fato cessurum. Sic ergo temporalia à Spiritualibus pendent, & ista illis imperant; sic virtutes, quæ animam exornant, etiam in corpus exundant, & huic moderantur: & ideò Religio, fides, charitas non solùm animam ad actus internos, sed etiam corpus ad externos impellunt. Malè ergo supponit Maimburgus, potestatem Regiam, & temporalem à spirituali non pendere, id enim perindè est, ac si dicat, nec terram à cœlo, nec corpus ab anima, nec media pendere à fine, imò si experientiam examinet, cursumque annorum, fatebitur, Regnorum felicitatem à Religione fluxisse, & cum ista, aut creuisse, aut declinasse, quod pronum esset omnium ferè Imperiorum exemplis ostendere, nisi id alij præstitissent. Cicero Romanum Imperium sola Religionis cura ad tantum fastigium pertigisse scribit, cuius verba memoratu digna hic adscribam: [Quàm volumus, inquit, P. C. nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec validitate Pœnos, nec artibus Græcos, sed pietate, ac religione, atque hac vna sapientia, quòd Deorum immortalium munere omnia regi, gubernarique prospeximus, omnes gentes, nationesque sperauimus]. Quòd si tantùm Imperijs contulit æstimata religio, Deo etiam vmbras virtutum adamante, quantum conferet vera, nec mendacijs fucata? Si ergo spi-

Maimb. cit. c.29. à f.394

Nicol. I. ep. 8. ad Mich. Steph. VI. epist. ad Basil. Imper. apud Baron. ad ann. 885. Greg. II. ep. ad Leon. Isaur. apud Bar. an. 726. Alex. III. in cap. 7. de appell. & c. 7. qui filij sint legit. S. Bernard l. 1. de cōsid c. 6. & l. 4. cap. 3. V. Reg. Sacerd. l. 1. f. 101. & f. 252

Cicero Orat. de Arusp. Resp.

spiritualia sunt meta, & causa bonorum temporalium, idque etiam Pagani agnouere, qui potuit Maimburgus dicere, potestatem temporalem à spirituali haud pendere? III. Quòd verò addit, Pontifices humillimis formis supplicasse Imperatoribus, verum quidem est, idque ad Pontificum modestiam pertinet; & nihil obstat, quin tempus, & necessitas poscerent, non eadem maiestate, qua nuper modestia, vterentur, vicesque obsequendi, imperandique miscerent, nunc abiecti, nunc sublimes, nunc rogantibus, nunc iubentibus similes, vtcumque Dei gloria postulásset; cum enim Episcopi, ac olim etiam Pontifices Imperatoribus, quoad temporalia subijcerentur, quoad Spiritualia verò Patres Imperatorum essent, rogabant vt subditi, imperabant vt Patres; idque tum sacræ literæ, tum etiam Sancti Patres egregiè aduerterunt, nam Ecclesiasticus: [Noli, inquit, esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris]. Et S. Paulinus: Illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, sed ignauia mentis hominibus adducitur, & humanam gratiam magis, quàm suam salutem curat, mendacij famula, veritatis inimica, libertatis expers; iniquitatis obnoxia]. Et S. Bernardus; [Agit hoc nimirùm in cordibus electorum gratiæ prærogatiua diuina, vt eos nec humilitas pusillanimes reddat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem cooperentur sibi, vt non solùm nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maximè prouehatur humilitas: ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat, sed quò minùs de sua quisque, vel in minimis præsumere consueuit, eò ampliùs etiam in magnis quibusque de diuina virtute confidat]. Quæ Sanctorum monita egregiè ab illis ipsis Pontificibus obseruata sunt, quos Maimburgus adducit, nec enim eodem semper tono cecinere, sed iam blandi, iam minaces, iam tuba, iam cheli personabant, vt Principum mores deposcerent, quod etiam suprà à me notatum, & videri possunt epistolæ Gelasij I. ad Anastasium, Gregorij M. ad Mauritium, & Gregorij II. ad Leonem Imperatores; quæ re vera non tam literis scriptæ, quàm flammis videntur, adeò libertatem spirant, & animum tanto fastigio dignum, & alibi exempla dedimus. Quid enim fortiùs illis Gregorij vocibus ad Mauritium Imperatorem: [Ecce per me vltimum seruum suum, & vestrum respondebit Christus; ego te de notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solùm hoc, sed Patrem Imperatorem feci. Ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? responde, rogo pijssime Domine seruo tuo, quid venienti, & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo?]. Et Symmachi ad Anastasium Imperatorem; [Precor Imperator, pace tua dixerim, memento te hominem, vt possis vti concessa tibi diuinitùs potestate. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterùm si tu Deo non defers, non potes eius vti priuilegio, cuius iura contemnis]. Et Gregorij Papæ ad Leonem Isauricum: [Obsecutus es peruicaci animo tuo, & dixisti: Imperator sum, & Sacerdos. Audi humilitatem nostram Imperator, & cessa, sanctamque Ecclesiam sequere; prout accepisti, non Imperatorum dogmata, sed Pontificum. In administrationibus seculi militarem, & ineptum, quem habes sensum, ac crassum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non putes, &c.]. Taceo inuectiuas Ambrosij in Theodosium, quas cum peruoluo, ac perpetuis illis blanditijs confero, quibus Principes nostros Maimburgus demulcet, cœlisque exæquat, vehementer fateor, antiquis me Patribus indignari, isti enim semper aliquid in Principibus notàbant, quod reprehenderent. Stephanus IV. amores cum Longobarda Carolo M. exprobrat, Athanasius Constantino festinata iudicia, Innocentius Arcadio Joannis Chrysostomi exilia, Ambrosius Valentiniano impietatem, aut potiùs conniuentiam, Theodosio sæuitiam, denique semper in Solibus nostris aliquas Eclypses obseruant. Hac verò nostra tempestate omnia Principum laudantur, credas, illos prisci Paradisi rosis simillimos, quæ spinarum expertes nascebantur. Si amant, elegantes appellantur, placidique, ac vitium instar semper gratiores alieno amplexu. Si aliena bello inuadunt. Heroes, ac bellatores, vastisque animis, ac metas spernentibus: si Pontifices non audiunt, mulctentque recta monentes, & aras transiliant Religionis, iurium suorum tenaces; denique nullum Principis vitium elogio vacat. Ergo, aut antiqui illi, sanctiq; Patres in censendis Principum vitijs nimij erant, errabantque, aut Principes nostri multò Constantinis, Caroli, Theodosijs perfectiores, nec ex eadem massa peccatrice compacti, aut denique adulatores omnes illi, qui omnes paginas implent ijs elogijs, quæ ipsi Principes erubescant, tacitis intereà maculis, & ideò perpetuis. Quòd si Theodosius, & Constantinus viuerent, fallor, nisi Maimburgus vtriusque vitijs latitaret, solitisque adulandi artibus vnius voluptati, & alterius sæuitiæ incensum adoleret, & quod olim Nero, ardentem incendio Romam cantu fallere, quàm aquis iuuare mallet.

Ecclesiast. cap. 13.

S. Paulin. ep. 34. ad Amād.

S. Bernard. serm. 1. de Virg. Deip. num. 13.

Gelas. epist. ad Anast. T. 2. Conc. ap. Bin. Greg. M. ad Mau. rit. l. 2. ep. 62 Greg. II. ep. 2. ad Leon. T. 3. Conc. V. Regale Sacerd. f. 37.

Greg. ep. 62. l. 2.

CAPVT IV.

Soluuntur aliæ obiectiones, quæ à Maimburgo ex Actis, & Auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ adducuntur.

SVMMARIA.

1 *Pontificis indirectæ in Reges potestati non obesse Acta inter Gregorium, & Ludouicum Imperatorem.*

2 *Neque Acta inter Bonifacium, & Philippum Regem Galliæ, quæ fusiùs percurruntur.*

3 *Nec denique alia ex Actis, & Auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ à Maimburgo adductæ.*

1 OPponitur 1o. Cùm Ludouicus, Pipinus, & Lotharius in Ludouicum Patrem, & Imperatorem arma sumpsissent, seque eorum partibus Gregorius Papa adiunxisset,

Maimb. Tr. hi. de l'Egl. de Rome c 30. f. 415.

xisset, vtque eorum causam promoueret, Roma in castra profectus esset; Imperator missis ad eum legatis primò conqueri, quòd in hostium castris contra maiorum exempla hæreret, deindè cùm intellectum esset, eum anathemata, dirasque parare, nisi filiorum voluntati, & postulatis acquiesceret, cordatè ab Episcopis responsum: [Si excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret cùm aliter se habeat auctoritas antiquorum Canonum]. Liquet ergo, vel hoc vno exemplo, Episcopis Galliæ eam opinionem animo sedisse, vt crederent, non esse Pontifici permittendum. vt se rebus, causisque Principum immisceat.

Resp. Fallit Maimburgus, remque multò aliter narrat, quàm se habeat, idque odio Pontificis; cui enim alteri causæ adscribas falsam narrationem? quamuis dedecore in solum auctorem recidente. Audi Aimoinum Floriacensem in sua historia Francia: [Tandem ad id ventum est, vt filios Imperatoris in vnum cum copijs, quibus poterant, coire facerent. Gregoriumque Papam aduocarent sub ornatu quasi, qui Patri solus filios reconciliare deberet, aut posset; rei tamen veritas post claruit. Cùm verò rumor vsquequaque diffusus ferret de cœteris, quod verùm erat, de Papa verò Romano, quòd ideò adesset, vt tam Imperatorem, quàm Episcopos excommunicationis irretire vellet vinculis, si qui inobedientes essent suæ, filiorumque Imperatoris voluntati, parùm quid surripuit Episcopis præsumptio audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle eius succumbere voluntati, sed si excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret. Ductus autem Papa in habitationem Castrensem multis assertionibus perdocuit, se tantùm iter non ob aliud suscepisse, nisi quòd dicebatur, quòd inexorabili contra filios discordia laboraret, ideòq; pacem inter vtramque partem serere velle. Remissus autem ab Imperatore ad filios, vt pacem mutuam necteret, cùm penè omnis populus ad eos torrentis more deflecteret, nequaquam vt fuerat iussus, redire est permissus]. Et post pauca: [Ipsum verò Ludouicum Lotharius ad sua cum Carolo admodùm puero deduxit, & Imperium inter fratres terna sectione partitur. Gregorius Papa talia cernens cum maximo mœrore Romam regreditur]. Paulus verò Æmilius in vita Ludouici: [Gregorio in Italiam regresso Lugduni Concilium Episcoporum, quos filij Reges contraxerant, habitum, Imperiumque Patri abdicatum; quod decretum mòx à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis multata]. Vides, quantum differant Aimoini, & Maimburgi narratio. Aimoinus dicit: [Gregorium in castra à filijs Ludouici euocatum, prætextu pacis conciliandæ]. Non ergo Gregorius ideò profectus ad illos est, quòd eis magis, quàm Patri faueret, sed quia illexerant spe pacis iucundæ. Falsum ergo, quod ait Maimburgus, [eum vt perduellibus faueret, in castra venisse]. Rursùs scribit Aimoinus; [Rumore iactatum esse, Pontificem, vt anathemate Imperatorem feriret, aduenisse]; additque: [Cùm verò rumor ferret de cœteris, quod verùm esset, de Romano verò Pontifice, quòd ideò esset, vt Imperatorem excommunicaret]. Quibus verbis apertè ostendit, rumores de alijs fuisse veros, non verò de Romano Pontifice sparsos. Cur rogo Maimburgus rumores accipit pro veritate? an nescit, nihil esse incertiùs rumore vulgi, & præsertim ab hostibus sparso? nam intererat Principum, vt Pontificem à suis partibus esse crederetur. Et quæ rogo integritas scribentis, veritatem, & historiam facere, quòd Aimoinus rumorem? nec lectorem monere, ne falleretur. Si Maimburgus [iactatum] id diceret, ferri poterat, sed quòd ipse tamquam certam veritatem producat, asseratque, quod rumor tantùm fuit, isque, vt innuit Aimoinus, subornatus; nulla ætas Maimburgo ignoscet, quippè se ipsum dedecore, & lectorem erroribus implicanti. Adiungit Aimonius: [Surripuit Episcopis præsumptio audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle eius succumbere voluntati.] Vocat Aimoinus audaciam, quam Maimburgus pro exemplo adducit: miseram causam tam caducis argumentis nixam! quæ enim vitia excusari non possint, si audacia, & libido, & homicidia pro exemplis adducantur? Sed rem totam absoluit, quod Aimoinus, & Æmilius addunt, videlicet: [Gregorium Papam talia cernentem cum maximo mœrore Romam esse regressum.] Non ergo Gregorius Ludouico aduersabatur, alioquin nec eius vices tanto mœrore prosequeretur, nec decretum, quo Imperio exuebatur, rescinderet, quin potiùs confirmaret. Quis ergo non videat, mireturque, maluisse Maimburgum rumori credere, quàm innocentiæ tot argumentis probatæ? Pro qua & illud facit, quòd Gregorium tribus posteà annis Lotharius bello inuasit, nec reuocari potuit, nisi Ludouici imperio, minisque, & festinata ad filium Legatione. Audi illius temporis scriptorem Anonymum in vita Ludouici: [Nuntiatum est Imperatori, quòd Lotharius Ecclesiam S. Petri, & homines eius crudelissima clade vexaret, quæ res animum Imperatoris mitissimum adeò exasperauit, vt quodammodo extraordinariè missos dirigeret, nullum penè ad tantum iter conficiendum spatium tribuens.] Tantùm ergo abest, Gregorium Ludouici filijs fauisse, ipsi verò Ludouico aduersatum esse, vt hunc amicum & protectorem, illos hostes haberet. [Sed, inquit Maimburgus, cur in hostium castris hærebat Gregorius, Ludouico contempto, & per Legatos exprobrante, vt si more antecessorum suorum aderat, cur tantas necteret moras, non sibi occurrendo?] Respondeo, non hanc Gregorij, sed Principum culpam fuisse, Pontificem vana spe pacis lactantium, & ne castris excederet prohibentium, quod etiam Aimoinus citatus illis verbis notauit: [Nequaquam, vt fuerat iussus, redire est permissus. At saltem apparet, inquit, noluisse Galliæ Episcopos, Pontificem Romanum negotijs Regum implicari, hoc enim ea verba significant; nullo modo se velle eius voluntati succumbere, si excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret.] Resp. Mirum esse, vt paucorum Antistitum verba, qui ab armato ad armatos veniebant, vicinaque pugna feroces, quosque Aimonius ipse [præsumptionis, & audaciæ notat;] toti Ec-

Aimoin. in gest. Franc. l. 5. cap. 14. Aemil. in Ludou. Pio.

clesiæ Gallicanæ adscribantur. Cæterùm si remoueas verborum intemperantiam, falsamque opinionem, qua Gregorium credebant Ludouici hostibus fauere; verum erat, nihil Pontificis anathemata, si illis iustam Ludouici causam morari vellet, & perduellium tueri, valitura. Quippe iniusto bello Ludouicus petebatur, eius verò defensio non iusta tantùm, sed necessaria; quis verò nescit, non posse iustam defensionem anathemate prohiberi? aut quis vnquam docuit, Pontifici parendum esse æqua prohibenti, aut flagitia imperanti? Hoc ergo exemplum, etiamsi daremus sincerum esse, incorruptumque, nihil prorsùs ad rem facit, sed intexi debuit inopia meliorum, & Maimburgo, cùm virtute non possit, numero pugnante.

Maimb. cit. c. 30. f. 315.

II. Opponitur XI. Bonifacio VIII. iura Coronæ Gallicæ palàm aggresso, præsertim verò in Bulla, cuius initium: Vnam Sanctam (ea enim Pontificem Romanum etiam quoad temporalia omnibus Regnantibus præficit) nemo ignorat, Philippum Pulchrum Galliæ Regem, omnemque Ecclesiam Gallicanam omnes vires intendisse, & ad futurum Concilium prouocasse, nec vnquam subiacere huic potestati voluisse; patet ergo, quænam Ecclesiæ Gallicanæ sententia tunc fuerit.

Resp. Quæ Bonifacio VIII. & Philippo Regi contigere, vtinam pateretur Maimburgus silentio inuolui, delerique ex Galliæ monumentis: eorum sanè adeò Philippum puduit, quippè à suis delusum, vt in Concilio Viennensi, teste Nauclero Doctore Sorbonico, eorum memoriam aboleri, nec filijs imputari petierit, obtinuitque publico Diplomate; & planè nulli funestior ea tragedia fuit, quàm Regiæ domui paulò pòst excisæ, vt notat S. Antoninus. Nam Bonifacium quod attinet, nullius innocentia gloriosiùs probata, quod postea dicemus. Quæ ergo Maimburgo delectatio, cineres Regios turbare, & olim obliterata, ac Regno fatalia proferre? ego ea tantùm expromam, quæ innocentiam Bonifacij ostendant. Is Anagniæ in Patria sua opera præsertim Columnensium, quorum duos purpura exuerat, & Nogareti captus tenebatur. Triduum iam fluxerat, Anagnienses & pudore tanti flagitij, & quadringentis equis, quos Vrsini adduxerant, freti Pontificem liberant; hostes aut capti, aut cæsi, fugatique; Pontifex aduocata Concione omnes venia donat, tum Romam petit, exceptus infinita omnium gratulatione, & in modum triumphantis. Consilium agitantem, in quo tanti sceleris vindictam, & delicto parem repeteret, mors occupauit; placidè solutum esse, sacrisque omnibus procuratum, ac ratione ad extremum constante Processus Bonifacij, Iacobus Stephanesius, Nauclerus, alijque testantur, nec furenti similem, arrosisque digitis, & illiso capite extinctum, si alia omnia desint, satis ex illius cadauere constat, sano, integroque, quod trecentis post annis effossum est, & videri authentica Instrumenta possunt apud Bzouium, & Rubeum. Obijt 7. Octobris Anno 1303. trigesimo quinto die à captiuitate. Missi in Galliam nuntij, qui Philippo mortem referrent. Ea in Galliam perlata Episcopus Maurianensis fertur in hoc vaticinium prorupisse, teste

Naucler. de Monarch. p. 4. lib. 7. c. 18. Ioann. Rub. in Bonifac. f. 235. Villã. l. 9. cap. 22. Clem. V. in Regest. epist. 32. S. Antonin. p. 3. Tit. 21. c. 3. Bzouius T. 14.

Process. Bonif. p. 36. & p. 151. Naucl. p. 4. l. 7. c. 18. Iac. Steph. test. oculatus.

Bzouius cit. Rub. f. 347.

D. Antonino: [Hoc nouum magnum dabit Regno Franciæ gaudium, sed extrema gaudij luctus occupabit, nam propter tantum excessum notabile Dei iudicium irruet super eum, & progeniem eius.] Successit Bonifacio Benedictus XI. & huic veneno inter ficus, florésque propinato Clemens V. opera Pratensis Cardinalis, & beneficio Philippi Regis, in cuius gratiam sedes in Galliam translata, immenso Italiæ luctu, damnoque. Inter alios articulos Regi à Clemente promissos quartus fuit, [vt Bonifacij memoriam damnaret.] Quis non crederet conclamatum esse? Rege videlicet accusante, Pontifice obstricto, & Reo non silente tantùm, sed etiam extincto? Clemens ad Concilium retulit: illic à trecentis Patribus absolutus: accusatores repulsi, fraudes detectæ, Philippus Rex ingenti pœnitudine tactus, seque deceptum ingemuit. Audi Nauclerum Doctorem Sorbonicum: [Bonifacium post nouem annos Clemens V. annuentibus trecentis Patribus in Concilio Viennensi, vbi præsens aderat Rex Franciæ Philippus, verum Catholicum, nullaque labe pollutum fuisse pronuntiauit, Omnium maleuolorum calumnias, imposturas, mendaciaque in illius Pontificis famam contorta, vt Regi placerent, placendo illuderent, illusum deciperent, ipse Pontifex cum toto Concilio detestatus execrationi subiecit. Ipsi verò Regi Philippo agnoscenti diffidiorum crimina contra Bonifacium perpetrata, eaque per ignorantiam se commisisse, proditoriè Sycophantarum illusionibus illusum, deceptumque profitenti Clemens V. ignouit. Qui cùm valdè metueret, ne illa criminum falsorum accusatio, quæ deceptus Bonifacio affinxerar, sibi ac posteris dedecori verterentur, propterea Clemens Pontifex cum vniuersa Synodo sanciuit, nunquam Philippo Regi, tanquam innocenti, aut saltem nescienti, proditorum decepto fraudibus ea exprobratum iri. Sed non ideò placatum Numen, nam Ciuitas Anagniæ fame, peste, ciuilibus bellis, ruinisque pęnè deleta, nec priùs à malis cessatum, quàm à Clemente VII. impetrato Episcopo, qui eos noxa à maioribus contracta liberaret. Alij proditorum immatura aut morte, aut clade sublati. Philippus Rex, dum aprum insequitur, equo lapsus, extinctusque, tres filios reliquit, infelices omnes Vxorum adulterijs, teste Diuo Antonino, & Æmilio: illis breue Regnum, nullique mares, & ita familia Pulchri extincta Valesia successit. Obseruabit Genebrardus, & ex illo Spondanus, Philippo nihil prosperi euenisse post captum Bonifacium. Si quæras, vnde Philippi odia fluxerint; respondet Maimburgus: [Bonifacium in Iura Gallici Sceptri falcem misisse, seque per celebrem illam Bullam, Vnam Sanctam, velut sublata in altum face iurgiorum, Regnantibus omnibus præferre aggressum; hinc orta diffidia.] Sic Maimburgus, aut ignarus, aut quod magis crediderim, dissimulans rerum. Quicumque enim prætextus fuerint funesti diffidij, certum est, causas multò alias fuisse, & quàm decoras Bonifacio, tam indignas Philippo à suis circumuento. Quod vt clarè sub oculos ponam, singula suis annis distinguam.

Anno 1294. Cœlestinus V. Pontificatu abit,

V. S. Antoninus 3 par. T. 20. c. 8.

Masson. in V. Philippi Pulchri, & Ciaccon. in V. Clem. V.

Naucl. de Monarchia. p. 4. l. 7. c. 18.

Alex. Bonõ. in descript. Lat.

Ioan. Villan. lib. 9. cap. 65. S. Antonin. p. 3. T. 21. c. 3. §. 4. Masson. in V. Philip. Raynal. an. 1314. n. 26. Spond. ad an. 1314.

Maimb. cit. c. 30. f. 415.

abit, eique in Cardinalium Senatu liberè renuntiat; succedit omnium votis Cardinalis Caietanus, seque Bonifacium VIII. appellat. Multos ea electi gaudio, quàm plures mœrore affecit; Cœlestinus enim sanctitate, & miraculis populum deuinxerat, Principes verò ingenti liberalitate, regendique dulcedine. Bonifacius ergo velut affectatæ Tiaræ, ac dolo obtentæ incusatus. Sed immeritò, quamuis enim Cœlestinum rerum humanarum, gubernandique rudem, & in largitiones, Principumque postulata nimis facilem multi illius temporis auctores tradant, præsertim verò Clemens V. in Bulla Canonizationis; Bonifacium tamen disuasisse, ne Pontificatu cederet, multi, & oculati testantur; inter quos Ægidius Columna: [Comprobari potuit ex pluribus tunc viuentibus, Bonifacium, cùm in minoribus ageret, persuasisse Domino Cœlestino, quòd non renuntiaret, quia sufficiebat Collegio, quòd nomen suæ Sanctitatis inuocaretur super eo.] Eadem habet Cardinalis Stephanesius. Obluctata est præsertim Vniuersitas Parisiensis, de qua in Actis coram Clemente V. hæc habentur: [Cùm verò hæc Parisijs inaudirentur, quæri & examinari ceptum est super ingressu illegitimo dicti Bonifacij, videlicet: an teneret dicti Cœlestini renuntiatio, vel non? consuluntur plures Doctores, & in Theologia Magistri, qui viderunt in materia diligenter, & determinarunt eorum plurimi, & magni, Cœlestinum renuntiare non potuisse, Constitutionemque suam in contrarium priùs editam non tenuisse, nec eum id, quia contra Deum esset, & eius Euangelium, & omnem rationem, statuere potuisse.] Cæterùm errasse Vniuersitatem patuit ex Concilij Viennensis, & Ecclesiæ assensu, Bonifacium pro vero Pontifice agnoscentis. Et ipse Maimburgus in historia Schismatis Occidentis fatetur, posse, imò debere in aliquo casu Pontificem etiam legitimum, & pro tali habitum Pontificatu cedere, confirmatque Archiepiscopi Parisiensis auctoritate, cum quo præcipua historiæ sua puncta contulisse se ait.

Lucens. in Bonif. Petrarch. lib. 2. de vita soli. Villan. l. 8. & Clem. V. in Bulla Canoniz. Aegid. Columna l. de renunt. Pap. Stephanes de renuntia. Cœlest. Acta inter Bonifac. & Phil. coram Clem. V.

Maimb. hist. du grand Schis. d'Occid. lib. 5.

Anno 1295. Bonifacius Adolfum Imperatorem societate, ac fœdere cum Eduardo Angliæ Rege contra Philippum prohibet: vtrumque verò Regem societate componit. Eodem anno Constitutionem edit, qua libertatem Ecclesiarum contra omnes Principum conatus tuetur, vindicatque. Carolum II. Galliæ Principem, & S. Ludouici ex fratre nepotem Siciliæ throno imponit, omnique studio contra Friderici, & Siculorum conatus fouet. Constantia Siciliæ Regina Henrico VI. Imperatori nupserat, dato Siciliæ Regno dotis loco. Henricus Friderico II. filio reliquerat, hic Conrado, Conradus verò veneno extinctus Conradino filio, quem Innocentij IV. tutelæ bimulum commisit. At Manfredus Friderici nothus armis, donisque Siciliam obtinebat, Tyranni nomine in Tutorem mutato. Sed Innocentius IV. Vrbanus IV. Clemens IV. Rom. Pontifices sibi asseuerant, quippe Ecclesiæ feudum, amissumque Friderici, & filiorum perfidia; erantque maiestatis rei. Vrbanus in Carolum I. Andegauensium Comitem transtulit, S. Ludouici Galliæ Regis fratrem: huius filius Conradino extincto, pacatisque Siculis, Sceptro succedit. Sed turbatis iterum rebus Friderico Regis Arragoniæ fratri Sicilia se dedit; at Bonifacius VIII. Gallum, vti dicebam, potenter sustinebat.

Anno 1296. Guido Flandriæ princeps filiam Philippam Eduardio Walliæ Principi, Angliæque hæredi despondet. Philippus Galliæ Rex, cui suspecta cum hoste affinitas Flandri, Guidonem, Vxoremque Corbolium inuitat, retinetque, nec priùs libertas reddita, quàm sponsa in fidem data. Intercessit pro Virgine Bonifacius, sed neglectæ à Gallo preces; hinc bellum ab Anglo, nisi Bonifacius inducias imperasset, quippe dum Christiani Principes intestinis bellis consumuntur, Christianum nomen in Syria deletur. Replendis interim ærarijs, quæ domesticis bellis exsugebantur, in Anglia, Galliaque grauissima tributa indicta: in Gallijs centesima mercatoribus imposita, tum quinquagesima, nullo secularium, Clerique discrimine. In Anglia, obtinente tributis Clero, bona Ecclesiastica occupata, cuius posteà sceleris adeò Eduardum Regem pœnituit, vt largè fluentibus lacrymis veniam ab Episcopis posceret. Cùm ergo immunitas Ecclesiastica tot modis ab illis euerteretur, qui tueri debebant, nec ferre Bonifacius id posset, edita sanctione Principibus prohibet: [Ne quidquam à personis Ecclesiasticis quouis doni, mutui, aut subsidij nomine recipiant, nisi Pontifice consulto, & nisi parcant, anathemate percellit.] Exarsere Politici, quorum manibus sacri æris semper aliquid hærebat; & ne titulus abesset honestæ iræ, Bonifacium incusant, quasi necessarios sumptus auertat tuendæ Galliæ, belloque à Gallo, Anglo, Germanoque impendente. Vtque Bonifacium ferirent simili plaga, edictum à Rege extorquent, quo ne aurum, argentumque Gallia efferretur, prohibebatur. Sed Bonifacius lædi hoc edicto pietatem Gallicam, & maiorum exempla ostendens, nec Gallo opportunum, eo tempore, quo ab Hispano, Germano, Angloque bellum instaret, Pontificem prouocari; effecit apud Regem, vt edictum reuocaretur, molli videlicet adhuc Philippi animo, ac remedia admittente.

Anno 1297. Fridericus Arragonius Siciliæ Tyrannus Cardinales Columnenses sibi deuincit, trahitque in societatem belli, & proditionis: eos Bonifacius, cùm molliri, auertique haud possent, arcibus, purpura, sacrisque exuit; hinc implacatum ab illis odium, & Bonifacium, Regemque inter perpetuæ discordiarum faces, ac tandem incendium, nescias Ecclesiæ magis, an Regno funestum? Eodem hoc anno Bonifacius dato ad Philippum Diplomate profitetur, nunquam sibi mentem fuisse, vt Galliæ Præsules non possent voluntarijs subsidijs Regem adiuuare, modò vis abesset, nomenque tributi: imò necessitate vrgente, aut illos, qui feudum accepissent à Rege, cogi etiam posse. Diuus Ludouicus Galliarum Rex hoc ipso anno inter Sanctos relatus.

V. c. Clericis de Immunit. Eccl.

Anno 1300. Annum Iubilæum Bonifacius celebrat, ad quem supra ducenties mille peregrinos conuenisse aiunt. Carolum Valesium Regis fratrem comprimendis Italiæ, & Si-

Siciliæ motibus Imperatorem deligit, oblatis in necessarios sumptus Galliæ decimis, & vtriusque Imperij spe.

Anno 1301. Philippus ministrorum consilijs actus, Rhemensis, Carnutensis, Laudunensis, & Pictauiensis Ecclesiarum bona, ac iura occupat, præsertim verò Lugdunensis, Narbonensis, & Apamiensis, quarum Præsules earum Vrbium dominatu gaudebant. Ipsum verò Episcopum Apamiensem violata Immunitate Ecclesiastica, immissa satellitum manu ad se vocat, traditque custodiendum Archiepiscopo Narbonensi. Bonifacius Episcopum solui, Romamque mitti ad dicendam causam, ablata Ecclesia Apamiensi, iubet, & Episcopos Galliæ ad Concilium dimitti; uam vt ait S. Antoninus: [Philippus Episcopatus vacantes, cùm essent bona Episcoporum, diripiebat, & inuestituras eorum facere volebat. Quamobrem Bonifacius vt magnanimus, & audax neminem timens cœpit contra ipsum agere, tanquam inimicum Ecclesiæ, & Prælatos Franciæ ad Vrbem ad celebrandum Concilium vocauit.] Sed Philippo hæc contra Galliæ Priuilegia fieri contendente, Bonifacius, ne obtentu Priuilegij Ecclesiæ euerterentur, exhiberi ea iubet, & interim viribus carere.

Antonin. 3. p. T. 20. c. 8. § 20. Ioann. Villan. l. 8. c 62 Aemil. in Phil. Pulchro.

Anno 1302. Tandem Gallicanæ nubes tempestatem effundunt, tanto tempore collectam. Philippus Ariminensem & Apamiensem Episcopos, quamuis Apostolicam Sedem appellantes, carceribus detinet. Prælatos ad Concilium euocatos Gallia exire prohibet; & quis crederet? isti Philippo potiùs, quamuis persequenti, quàm Bonifacio, qui illorum causam agebat, detulere; adeò illos aura,, quæ ex Aula spirabat, corruperat, vt præ libertate seruitutem amarent. Idem Philippus Legatos Pontificios exire Regno iubet, calumniarum copias pronuntiari è Cathedra Parisijs in æde D. Virginis facit, & à Comminatorijs Bonifacij ad futurum Concilium prouocat. Quo tempore Bonifacius Cathedræ suæ iuribus vindicandis celebrem eam Decretalem vulgat, cuius initium: [Vnam Sanctam Ecclesiam.] Tota huius Constitutionis summa est, vt ostendat, [duplicem in Ecclesia gladium esse, materialem videlicet & spiritualem, & gladium materialem sub spirituali esse. Quòd si gladius & potestas materialis exerrauerit, corrigendam & iudicandam esse à potestate spirituali.] Hæc Bonifacij doctrina totidem ferè verbis ex Diui Pauli, & Bernardi desumpta est; nam temporalem potestatem à spirituali iudicandam esse illis verbis Apostolus expressit: [Si Angelos iudicabimus, quantò magis temporalia?] Duplicem verò in Ecclesia gladium esse, temporalem & spiritualem, S. Bernardus [in lib. 1. de consider. cap. 6. ad Eugen.] tradit. Non ergo nouæ doctrinæ Bonifacius; nec aliud scripsit, quàm quod calamo, exemplisque antiquitas expresserat. Sed cùm Philippi animus iam ira caleret, adderentque faces Regij Ministri, facilè fuit Bonifacij verba in aliena sensa torquere; dicebant enim, Pontificem sibi in Francicam Coronam ius vendicare, quasi illa Ecclesiæ Beneficium esset, quàm tamen tantùm Cœlo deberet; idque in publicis Comitijs iactatum, quò maior in Bonifacium inuidia conflaretur. Prohibiti etiam Præsules, ne Concilium, quò à Pontifice vocabantur, adirent. Bonifacius eos omnes censuris afficit, qui Romanum iter morarentur, nec tamen Regem expressit: Imò Ioannem Cardinalem Parisios mittit, qui Regis animum molliat, & exsoluatque censuris.

V. Masson. in vita Bonif.

Anno 1303. Cùm nihil efficeret Legatus Cardinalis, Bonifacius Albertum Imperatorem in Philippum concitat; hic in publicis Comitijs Bonifacium hæresis, vsurpati Papatus, & Simoniæ postulat, totoque Regno vulgari iubet, & ad Concilium prouocat, quique Regijs edictis & voluntati obniterentur, exilio pulsi, & ipse Bonifacius, vt suprà indicaui, Anagniæ captus. Hic ordo, & series Tragœdiæ, ex qua Maimburgum facilè conuincas; nec enim dissidia Philippi cum Bonifacio ex eo fluxere, quòd hic, aut coronam auferre minaretur, aut Constitutionem illam, [Vnam Sanctam,] ediderit; hæc enim contigerunt natis iam iniurijs, adulrisque, vt suprà vidimus; imò quàm plurimis beneficijs Philippum Bonifacius affecerat: sed veræ causæ sunt illæ ipsæ, quas Maimburgus tegit, videlicet: quòd ægrè haberet Gallos, Cœlestinum Pontificatu cessisse; is enim cùm omnes sua virtute metiretur, facilimus erat in Principum postulata, Gallorum præsertim; successerat Bonifacius, si minori Sanctitate, at maiori prudentia, nec dolis obuia: hinc primi Sorbonæ impetus, negantis potuisse Cœlestinum renuntiare, ideòque nec Bonifacium Papam esse: quòd Ordinem Clericalem tributis, vectigalibus, decimis grauari vetuerit inconsulto Pontifice; cùm enim bello inter se Gallus, Anglusque sæuirent, Regijs ærarijs exhaustis, bello sustentando Ecclesiæ premebantur: quod Columnenses purpura exuisse, & isti perpetuis querelis aulam, regemque incitarent: quod Ecclesiarum iura, Lugdunensis præsertim, Narbonensis & Apamiensis occupasset Philippus, quarum Vrbium dominatu hactenus Episcopi gauisi erant: quòd Episcopum Apamiensem violata immunitate inclusisset; & tandem, Episcopos Galliæ, vt corruenti Immunitati subueniret, ad Concilium euocasset. Hæ inquam veræ causæ persequenti Bonifacium, sed pudebat istas, quippe Gallo indecoras, nec eius causæ profuturas, proferre. Quis enim Philippo accederet, eiusque studia probaret, si fateretur, se Pontifici, quòd Ecclesias, quòd Canones, quòd immunitatem tueretur, bellum dixisse? alia ergo quæsita, si minùs vera, at fallendis incautis aptiora, & quæ colore saltem placerent, si pretio non possent. Quòd verò multi Galliarum Præsules contra Bonifaciũ, & cum Rege sentirent, nihil Maimburgum iuuat; quis enim nescit, Episcopi in Aula frequentes quot vinculis Regi adstringantur? nam & chamaleontes ex flore, herbisque, quibus adhærent, colores sumunt. Quę causa vnquam iustior fuit, quàm Chrysostomi, Athanasij, Thomæque Cantuariensis? & tamen nemo his magis, vt Episcopi aduersabantur, quippe qui ex Principum nutu pendebant, eòsque sequebantur, quos duci oportebat. Nec mirum ergo, nec nouum esse debet

Auctor V. Bonif.

ber plerosque Galliæ Antistitum Philippo Regi adhæsisse, id enim potentiæ, non causæ dabatur; præsertim cùm metus & pœnæ iungerentur; constat enim, quàm plurimos, qui Bonifacio studebant, exilio & carceribus mulctatos esse, vt Massonius in vita Philippi, & acta coram Clemente testantur; nihil ergo subsidij à votis episcoporum, quos metus, & carceres, & exilia vrgebant: absint minæ & proscriptiones, liberæque sint voces Episcoporum, nec strepitu catenarum, minisque expressæ, & tunc demum pondus & momentum habebunt, alioquin nihil fidei extortis.

Masson. in V. Phil. processus f. 230.

Dices; quæ Bonifacius in Philippum scripsit, fecitque, à Clemente V. abolita & deleta sunt; ergo id signum est, Regem innocentem fuisse. Resp. Clementem Gallorum opera, regis præsertim, Pontificatu potitum esse, & multa priùs Regi promisisse, ac etiam iuramento confirmasse, præsertim de Bonifacij memoria abolenda, notius est, quàm vt repeti à me debeat. Quid ergo mirum, si Pontifex Gallus, quique in Gallijs morabatur, imò sacram Sedem eò transtulerat, Regi tot beneficijs, promissisque ac iureiurando deuinctus erat, multum Philippi gratiæ & potentiæ detulerit, ac præsertim paci Ecclesiæ; nec disputauerim, quanto id iure: illud certum, Clementem propterea apud multos malè audiuisse, & Bonifacij memoriam, quam Philippus persequebatur, cœlesti prodigio assertam esse. Sanè quod Pontificis potestatem in reges spectat, Bonifacij vestigijs Clementem inhæsisse patet tum ex Hungariæ Regno, quod contra Ottonis Bauariæ Ducis studia Carolo Martello asseruit, tum etiam ex celebri Constitutione, quam in Concilio Viennensi edidit, & suprà produximus; vt si pugnare velimus Clementis exemplo, plus id Maimburgo, quàm nobis noceat.

V. Rainald. ad ann. 1307

III. Addit alia Maimburgus Ecclesiæ Gallicanæ testimonia, ad quæ cùm superiori §. responderimus, nolumus hìc repetere. Illud tantùm obserua, Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem, & à Maimburgo, & à me proferri, sed longo discrimine; Maimburgus enim non habet antiquiora Gallicani Cleri testimonia & Decreta, quàm à decimo quarto sæculo, & tunc quidem temporis, cùm dissidia inter Pontifices, regesque ardebant, & Clerus, vt fieri solet, spe, metuque, ac etiam adulatione in regias partes trahebatur, multique pietate, ac doctrina præcipui Pontifici adhærebant: erantque Conuentus illi Gallicani particulares tantùm, nec Maimburgus ex Sanctis Ecclesiæ Gallicanæ Patribus, aut Doctoribus proferre aliquem potuit, cui sententiam suam cum decoro committeret: nec enim moror sententias aliquas generales, & quæ nullam penitùs rei, de qua loquimur, mentionem faciunt; multò minùs Concilia aliqua Generalia, quæ sententiæ eius faueant, produci possunt: planè nullum Maimburgus produxit, quamuis suæ causæ adornandæ omnia concusserit. At verò Ecclesia Gallicana, quam nostræ sententiæ apertè consentientem vidimus, non noua, recensque, sed antiqua, & septimi iam sæculi est, abundatque Patribus, Sanctisque Ecclesiæ Doctoribus, quinque Concilijs Generalibus præ-ualida, nec in genere tantùm, sed de casu, quem præ manibus, in particulari & indiuiduo loquitur, & tunc temporis sententiam suam de Pontificia suprà Reges potestate dixit, quando Summa Pontificum, Regumque concordia, omnique procul affectuum, iræque tempestate, ac placidis annis veritas promebatur. Iam lectoris arbitrium esto, vtri sententiæ auctoritas Ecclesiæ Gallicanæ magis suffragetur. Quòd si palàm antiquitati danda, nostra multò antiquior, vtquæ nouem iam sæcula in Ecclesia durauit, tot exemplis, tot Patrum oraculis, tot Concilijs sufflata, florensque. Valeant ergo, vincantque illæ à Sanctis Patribus toties repetitæ & inculcatæ voces, videlicet: [Mos iste semper in Ecclesia viguit, vt quò quisque religiosior foret, eò promptiùs nouellis opinionibus contrairet. Christianus ergo Catholicus prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorsùs iam non potest ab vlla nouitatis fraude seduci. Sed, inquit Maimburgus, potestas in Reges Pontificia numquam magis, fortiùsque, vt in vltimo Conuentu Parisiensi, repressa, constrictaque est. Rex verò vtpote Conciliorum, Canonumque defensor doctrinam eius Conuentus quatuor propositionibus comprehensam toto Regno acceptari, colique iussit, eo ferè modo, quo apud superiores religionum fieri solet, vt certa aliqua doctrina, Thomæ videlicet, aut Scoti teneri iubeatur, concordiæ causa.] Resp. At ego in nullo Conuentu magis, grauiùsque, vt in illo Parisiensi, peccatum esse crediderim, nec simplici, sed cumulato errore, quod pace & reuerentia Sacri illiùs Senatus dixerim, numquam dicturus, nisi cogeret maiestas offensi. Primò enim, quis nescit, iram, metumque huic Choro præsedisse? quos verò fructus expectes radice infecta? Repetantur memoria Antiochense, Ariminense, & Ephesinum II. Concilia, videbis semper periclitatam esse veritatem, animis ira, metuque agitatis. Elisæus quamuis aduersùs Ioram idolis addictum sacro, iustoque zelo inardesceret, non priùs tamen Sancto Spiritu afflari potuit, quàm turbatum, flagrantemque animum poneret mulcente tibicinis manu: [Adducite, inquit, mihi Psaltem, dumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini.] Si ergo cœlesti etiam flammæ tantum fumi est, vt radium veritatis obumbret, quantum erit terrestri illi, densæque, & quam odium, ac vindicta incendit? Quæ ergo auctoritas ei Conuentui esse potuit, in quo ira præsedit, terror suffragium inijt, metus decidit, & adulatio subscripsit? quæ si quis neget, Apamiensis tragœdiæ tantùm recordetur, & fatebitur, nihil à me supra verum, sed multum infra memorari. Secundò. Negari haud potest, maiores causas ad Romani Pontificis cognitionem pertinere, idque inter huius priuilegia Maimburgus reposuit: at verò causæ, quas Conuentus Parisiensis decidendas sibi sumpsit, non maiores tantùm sunt, sed omnium maximæ, versantur enim inter prima Ecclesiæ, & Reipublicæ capita, Pontifices videlicet: Reges, & Concilia vniuersalia. Si enim quæstio verteretur, an Gallici Regni Status sint supra Regem, possintque istum iudicare, punire, ac etiam Re-

Vincent. Lirin. commonit. l. 1. c. 3. & 9.

Maimb. Tr. histor. de l'Egl de Rome ch. 30. f. 415.

V. Reg. Sacerd. f. 73.

4 Reg. c. 3.

Maimb. cit. cap. 5. f. 61.

guis

gnis exuere? an à Rege ad Comitia Regni appellari possit? an Sententiæ ac edicta Regia tanquam errori ac iniustitiæ obnoxia recusari impunè possint, & ab illis tanquam ab abusu ad futuros Reges, aut futura Comitia prouocari? Si inquam huiusmodi quæstiones agitari Parisijs contingeret, quis non illa maximi momenti esse diceret, quippe ad Regni, aut quietem, aut turbas pertinentes, & plurimorum bellorum ac seditionum faces? & qui huiusmodi quæstiones, aut hactenus inauditas, aut saltem dudum sopitas excitaret, imò in prauitatis Conuentibus iactari, palàmque affigi vellet, quo rogo is alio nomine dignus esset, quàm factiosi ac perduellis? at verò similes omninò in Conuentu Parisiensi non propositæ tantùm & auditæ, sed etiam decisæ sunt, imò imperatæ, armatæque supplicijs, si non iussu, at rogatu, nutuque Patrum. Non dico, factiosos illic, aut perduelles sedisse; absit, absit, me reuerentiæ obliuisci, tot magnatibus, sacrisque Infulis debitæ; illic dico non potuisse tanti, imò maximi momenti causas ab eo Conuentu agnosci, multòque minùs decidi, quippe soli Pontifici reseruatas, etiam Gallorum, & Maimburgi iudicio. Quo ergo iure tribunalia miscent, & spem vtriusque potestatis perrumpunt, sibique causas vendicant Pontifici tantùm sepositas? & qui hæc faciunt, magnæ auctoritatis Maimburgo, inuictæque videntur; at nullius mihi, quantæ videlicèt si de causis Regni Gallici Hispanus pronuntiaret, aut Anglus de iure margaritas piscandi in Sinu Persico. Tertiò. Omni Iure, naturali videlicèt diuino, humanoque statutum est, vt non priùs in aliquem sententia dicatur, quàm vocatus is fuerit, audituque, & copia data suas rationes deducendi. Iam verò Conuentus Parisiensis Tiaræ Pontificiæ duos, quos habuit, pretiosissimos vniones subduxit, supremum videlicèt in rebus fidei iudicium, & potestatem Reges abdicandi, quoties necessitas tutandæ Religionis exegerit: quæ duo si negent Galli ad Pontificem certò pertinere, negare saltem non possunt, dubium esse, an ad Pontifices pertineant, id enim saltem euincunt tot Patrum, tot Doctorum, Conciliorumque testimonia, & præsertim possessio tot exemplis à Romano Pontifice in Gallis excitata. Quo ergo iure potuit Conuentus Parisiensis Romanum Pontificem tam egregijs prærogatiuis exuere, non auditum, non defensum, nec saltem litis admonitum? Cur possessione abdicatus tot annis obtenta? si vel vnum ex opulentis illis Sacerdotijs Archiepiscopo Parisiensi adimeres, quibus fruitur; nec is priùs causam in senatu dixisset, quantæ rogo de iniuria, violatisque legibus querelæ? & tamen quantum inter Pontificem & Archiepiscopum, inter Sacerdotium, supremamque potestatem discriminis? Dices, sententiam & declarationem Conuentus Parisiensis ad solam Galliam pertinere. Estò: at potestas Pontificia non Gallias minùs, quàm alias mundi partes complectitur, nec minùs in ijs, quæ fidem, moresque spectant, Gallia, quàm Italia Pontificis subijcitur, quod nec Galli ipsi negant; quo ergo iure, non auditum, non defensum Pontificem eo iure priuant, quod in Gallijs habuit, possedítque tot annos, quoque priuari nisi auditus non debuit? Demus enim, non habuisse, at saltem habere se credidit, contenditque ingentibus rationibus nixus; non ergo condemnari debuit, nisi præsens, auditusque. Quòd si dicant, nihil noui Parisienses statuisse, sed tantùm antiqua, & iam olim à Patribus statuta, declarasse. Respondeo, hocipsum in dubium vocari, imò grauissimis rationibus ostendi, Patres & Concilia contrarium statuisse: non ergo tam graue, & controuersum dubium decidi à Parisiensibus debuit, nec præsentibus, nec auditis partibus, quarum intererat; alioquin si is litem lucretur, vincatque, qui stare pro se Iura, & scripturas dicit, seque nihil aliud expetere, quàm olim Iure & scripturis decisa, & ideò nec iudice, nec sententia opus esse; quis tam reus, quem non continuò absoluas? nec enim tam malam causam quis habeat, qui non Canones, non Leges, & scripturas appellet: imò ij maximè, qui suæ causæ minùs confidunt, tympanorum more, fortiùs ex vacuo sonantium. Quartò. Certum est, non posse superiorem ab inferioribus iudicari, multòque minùs iuribus, quæ habere se contendit, priuari. Quis verò Conuentum Parisiensem Pontifici & Concilijs præposuit, vt ab istis sancita ille refigeret? ergo Conuentus Parisiensis Concilijs Viennensi, Lateranensi, Lugdunensi, ac Constantiensi maior, vt quæ hæc comprobarunt, ille damnaret? & doctrinam in ijs Concilijs non ploratam solùm, sed etiam ac toties exercitam aboleri iuberet, imò seditiosam, sacrisque scripturis aduersam appellaret? huc ergo tendunt tot illa encomia, ac prærogatiuæ Conciliorum à Gallis inuidiosè iactata, vt videlicet Pontifici quidem præferantur, Galliæ tamen Episcopis subiaceant, ab istis, vt libuerit, obliteranda. Concilia Ecclesiam vniuersalem repræsentent, Concilia errorum expertia, Concilia omni Pontifice superiora, Conuentui tamen Parisiensi ad pedes iaceant, corrigenda, improbanda, imò & damnata, vtcumque aulæ placuerit, & Infulis ab aula pendentibus. Quòd si Conuentus Parisiensis ingenuè fateatur, ut planè fateri debet, se multò infra Concilium esse, & Pontificum decreta; quærimus, qua ergo auctoritate ausus fuerit sententiam proferre, imò imperare, ac minacibus decretis obtrudere, adeò Conciliorum doctrinæ, exemplisque aduersam? Num ergo Archiepiscopus Parisiensis pateretur, aliquem è Decanis suis Ruralibus collectis clericorum comitijs Archiepiscopi decreta contrarijs euertere, & suas opiniones Archiepiscopi præferre, imò imperare? atqui non minùs Archiepiscopus, Conuentusque Parisiensis Pontifici & Concilijs subest, quàm Decani Antistiti suo; non ergo contra Pontificum, Conciliorumque decreta statuere quidquam poterant; & quæ statuerunt, nullius ponderis ac momenti sunt. Si enim corrigi, iudicarique Pontifices & Concilia oportebat, ab alijs Pontificibus & Concilijs decuit, non à Conuentu Parisiensi, cui nulla in maiores potestas; alioquin quanta Hierarchiæ Ecclesiasticæ confusio, si liceat contra superiorum statuta non tantùm docere, sed etiam imperare? Id quoque

que egregiè obseruauit Cardinalis Richelius (quo vix alius doctior, certè nemo Regi suo addictior, magisque de Regno Galliæ meritus) in libro, quem Episcopus scripsit, & necdum Romana Purpura insignis; sic enim cap. 8. Gallicè scribit, quæ ego latinè reddam: [Ipse Clerus Ecclesiæ alicuius particularis, qualis est Ecclesia Gallicana, non posset hanc quæstionem decidere, cùm ad solam Ecclesiam pertineat fidei articulos definire; imò cùm in hac re ius, & causa vertatur omnium Regnorum, statuumque Orbis Christiani, vni & particulari Regno, sine auctoritate, assensuque aliorum Regnorum permissum non est de hac re sententiam ferre; imò quod plus est, ex huiusmodi decisione (quod videlicèt Pontifici Romano nullo casu liceat de Regnis disponere) necesse est certissimum schisma in Ecclesia consequi, cùm videlicèt articulus Fidei singularis, & pro vna tantùm Ecclesia Gallicana statuitur, non pro tota Ecclesia Catholica, vnde schismatis & diuisionis in rebus Fidei occasio dabitur. Adde eam sententiam (quæ videlicèt Pontifici Romano potestatem indirectam adimit) bono, & securitati regnantium non solùm inutilem, verùm etiam noxiam esse, vt ex ijs videre est, quæ super hoc argumento magnus ille Perronius Cardinalis scripsit, sæculi sui ornamentum, quique materiam hanc ea eloquentia, & doctrina, quam omnes in hoc Purpurato demirantur, prolixè discussit.] Vides hic à Richelio, necdum Purpurato, Romæque obstricto, sententiam Perronij Cardinalis (qui Pontificis Romani potestatem indirectam tam ardenter, eruditèque defenderat) approbari: quâ igitur facie audet Maimburgus dicere, nunquam id Galliam sensisse? num igitur Perronius, & Richelius Cardinales Galli non erant? num in sinu Sorbonicæ scholæ non enutriti? num doctrina & charitate in principem, supra omnes, qui unquam Galliam insederint, non eximij? num in nupero Conuentu Parisiensi aliquis fuit, qui Perronio, & Richelio, non dicam præponi, sed ne quidem æquari potuerit? num vni Perronio, aut Richelio mille Maimburgi sufficiant? Et iste sciuerit, quod illi ignorauerint? negat Perronius, negat Richelius hanc esse Galliæ sententiam, affirmat Maimburgus, vtri maior fides? vtri plus credas?

Cadinal. de Richelliure intitulé: Le Principaux points de Foy de l'Eglise ch.8.

Nec obstat, pietatem, & religionem obtendi; id enim commune iam omnibus fallere volentibus, vt videlicèt honesta prætexant, & quod de Panthera memorat Plinius, [odore inuitant perituros.] Estque præferendæ religionis artificium tam vetus, vt S. Leo iam olim illud obseruauerit in epistola ad Theodosium Imperat. [Priuatæ causæ pietatis agimtur obtentu, & cupiditatum quisque suarum Religionem habet velut pedissequam. Patet ergo ex dictis, auctoritatem Conuentus Parisiensis, quam inter præcipuas Maimburgus ponit, planè nullius ponderis esse, nullamque habere vim probandi. Sed nec minus inaue illud, quod addit: [Regem videlicèt, vtpote Sacrorum Canonum Protectorem, Conuentus Parisiensis declarationem recipi toto Regno iussisse; idque exemplo superiorum Regularium, suos Clientes vnius Doctoris sententiæ adstringentium concordiæ studio.] Iussisse Regem, declarationem Parisiensem toto Regno vulgari, recipique nemo inficiatur. At verò, id fecisse tanquam Canonum protectorem, vnum est ex solemnibus Maimburgo paradoxis; persecutoris enim Canonum, non protectoris est, doctrinas Canonibus aduersas munire, suamque illis auctoritatem præstare; neque Rex id suo, sed aliorum instinctu fecit, tegentium videlicèt priuatas vindictas aliena, & decepta Maiestate. Et verò, in qua religione receptum vidit Maimburgus, doctrinas imperari Canonibus, Concilijs, Pontificibus, Sanctisque Patribus ac moribus aduersas, qualis est illa, quam buccinantur Politici? Scio, multis in scholis receptum esse, vt à sententijs Augustini, Thomæ, Scotique abscedere non liceat; sed vt non liceat à declaratione Parisiensi, nec ratio, nec conscientia permittet: spesque omninò est, vbi primi impetus deferbuerint, cesserinque voces aulæ adulantium, Regem tandem, Galliamque æquitati cessurum; & quod semper euenit, breuis æui futuras fraudes, perpetua veritate.

S. Leo ep. 25 ad Theod.



DISSERTATIO TERTIA.

In qua refutantur, quæ Maimburgus in fauorem secundæ Propositionis Parisiensis producit, conaturque Romanum Pontificem Concilio Generali submittere.

§. I.

Refelluntur Maimburgi argumenta ab exemplis Leonis, Vigilij, Honorij, Siricij, Siluestri Pontificum, & Concilij Arelatensis petita.

SVMMARIA.

1 *Concilia, si Acephala sint, aut Pontifici opposita, aut ab eo non confirmata; non esse certa Spiritus organa, nec erroris expertia, idque testimonio Patrum, ipsiusque Maimburgi, & rationibus probatur.*

2 *Maiorem esse Pontificis, quàm Concilij auctoritatem, verbis, exemplisque probatur Leonis Magni, frustra Maimburgo circa vnum, alterumve Leonis verbum rixante.*

3 *Pertexitur Vigilij historia. Nestorij mores, promotio, hæreses, damnatio, extrema.*

4 *Nestorij libri edicto Theodosij flammis cremati, eorum loco à Nestorij Clientibus Theodori Mopsuvesteni scripta varijs linguis euulgantur.*

5 *Eutychetis error, & Concilium Chalcedonense in quo Theodorus Cyri, & Ibas Edessæ Episcopi absoluti, & quas ob causas?*

6 *Bellum tribus Capitulis indictum odio Eutychianorum Concilio Chalcedonensi aduersantium. Vigilius consilij anceps in omnem se partem versat, fugitque Thessalonicam.*

7 *Concilium Constantinopolitanum. Vigilij pro tribus Capitulis constitutum, & rationes. Tria capitula in Concilio Constantinopolitano damnata, cui, & Vigilius subscripsisse fertur concordiæ studio.*

8 *Causam trium Capitulorum nihil ad fidem spectasse Gregorij, & Pelagij Pontificum, & totius ferè Occidētis testimonio, exemploque probatur, qui in causa trium capitulorum obluctari Concilio Constantinopolitano non priùs destitit, quam Pontificum auctoritate vinceretur. Nec Vigilium mutatis toties sententijs errasse.*

9 *Honorij PP. innocentia multis modis ostenditur: ac etiam si admittas hæreticum fuisse, nihil contra Pontificum auctoritatem concludi.*

10 *Ex Concilio Arelatensi nihil contra Pontificis authoritatem colligi, sed multa pro illa, vbi etiam Maimburgi errores notati; & luculentissimum Zosimi Pontificis testimonium.*

11 *Siricij quoque Exemplum nihil contra Pontificis authoritatem, sed pro illa potiùs militare.*

12 *Ex Gerberti Historia stabiliri potiùs Pontificis authoritatem, quàm euerti, & quàm mala fide eam recitet Maimburgus.*

I. Ore suo Maimburgus pręlii initurus ingenti buccinatu pugnæ præludit, videlicet: [Numquam elapsis retrò annis in Ecclesia dubitatum esse, quin Concilio vniuersali Pontifex subderetur: hanc vnicam, & veram causam esse; cur elapsis temporibus de hac quæstione altum silentium fuerit; id se verò factis, exemplisque probaturum, quibus opponere nihil possis.] Sic ille ingenti pompa verborum aures auditorum animosque captans. Cæterùm quàm malè huius Auctoris promissa rebus ipsis respondeant, floresque Autumni æmulentur colore tantùm nobiles, & fructunm steriles; iam Lector didicerit quàm plurimis experimentis, & quę

Maimburg. Traittè Histor. fol. 197.

& quæ mox dicam, adhuc clariùs aperient.

Subesse Concilia Romano Pontifici in Regali Sacerdotio copiosè probatum est, idque scripturæ, & Conciliorum tam claris testimonijs, vt planè responderi ad ea nihil possit: nec ipse Maimburgus aliquid reperit, quòd opponeret tam euidentibus argumentis, & ideò illa omnia silentio transmisit, fugam, quàm prælium malens desperata victoria; nihil eorum, quæ illic dicta sunt, repetendum duxi, sed solùm, quæ Maimburgus scripsit, examinabo, temporis, ac verborum parcus, & vnicæ veritati intentus; ergò rem ipsam aggredior.

Regal. Sacerdot. l. 2 à f. 275.

Opponit 1. Spiritus Sanctus est, qui in Concilijs Oecumenicis loquitur, & cui soli infallibilitatem Concilij debemus; quemadmodùm plurium, ac discordium vocum concentus, & harmonia, non organis, non fistulis, sed artifici, ac Musico debetur instrumenta moderanti, & ideò in decisione, ac Decretis primi Hierosolymitani Concilij hæc verba leguntur: [Visum est Spiritui Sancto, & nobis.] Anima ergò Concilij est Spiritus Sanctus, atqui Pontifex Romanus subest Spiritui Sancto, ergò etiam subest Concilio, cuius voces, & Decreta, sunt voces, & decreta Spiritus sancti.

Maimb. cit. c. 17. fol. 201

Resp. Verum est Spiritum S. per Concilia loqui, & voces Concilij Vniuersalis voces esse Spiritus Sancti iuxta illud Christi Domini: [Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis.] Cœterùm non omne Concilium est aptum organum Spiritus sancti, nec omnes Concilij voces sunt Spiritus Sancti: quis enim dicat Decreta Conciliorum Ariminensis, cui 400. Patres assederunt, Ephesini secundi, cui 128. Antiocheni, Basileensis, aliorumque, quibus toties, tàm grauiter erratum est, à Spiritu Sancto fluxisse? & de quibus Gregorius Nazianzenus conquestus est: [Numquam sine periculo, & offensione Sacerdotum haberi Conuentus, & nullius Concilij finem lætum, faustumque visum à se esse.] Sicut ergò non omnis fistula canenti apta, ita nec omne Concilium est aptum organum loquentis Spiritus Sancti: sed illud tantùm, quod Oecumenicum est, quod legitimè conuocatum, approbatumque à Romano Pontifice, vt alibi probatum est. Quomodo enim erit Concilium Vniuersale, quod integrum non est? quomodo autem integrum, cui Caput deest? integrum Templum fundamento destitutum? Integra Familia Oeconomi, aut Vicarij expers? Cùm ergò Pontifex Romanus sit Caput, fundamentum, & Paterfamilias Ecclesiæ; tàm non potest sine illo, eiusque assensu Concilium dici Vniuersale, legitimum, integrumque, quàm non potest exercitus sine Duce, domus sine fundamento, familia sine Oeconomo integra dici. Apparuitque id ipsum in prima illa Synodo Hierosolymitana, quam meritò exemplar omnium aliarum dicas; in qua licèt omnes Spiritu Sancto abundarent, non priùs tamen vox Spiritus Sancti audita, aut contentiones pacatæ, quæ Sanctos Antistites agitabant, quàm Petro sententiam præloquente, ac viam Spiritui Sancto parante.

Greg. Nazianz. ep. 55. ad Procop.

Audi sacrum textum. Conueneruntque Apostoli, & seniores videre de hoc verbo: Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Tacuit autem omnis multitudo.] Vbi vides priùs Concilium varijs opinionibus agitatum esse, quàm Petrus loqueretur: posteà eo sententiam proferente, lite iam velut finita, omnium silentium esse consecutum. Hæc etiam causa fuit, vt sæpè à Patribus dictum sit, nullum valere Concilium, nullosque Canones præter Romani Pontificis auctoritatem sanciri posse; quia videlicet credebant Patres, vt animam in corpore capitis experte mutam esse; ita nec Spiritum Sanctum in Concilijs loqui, nisi per caput Ecclesiæ, quod est Romanus Pontifex. Audi eorum verba. Patres Concilij Romani sub Damaso PP. [Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præiudicij vim habere non debet, præsertim cùm formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia ante omnia expectanda erat, nec Vincentio, neque alijs consentientibus. Et Gelasius I. Cognoscant igitur illud secundùm scripturas sanctas, traditionemque maiorum secundùm Canones, regulasque Ecclesiæ pro fide communi, & veritate Catholica, & Apostolica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegauit, factamque firmauit, à tota Ecclesia indubitanter recipi (loquitur de Synodo Chalcedonensi) alia autem, quæ illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegauit, mox à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradicta manifestum est, &c. Vbi vides illa tantùm ab Ecclesia recipi Concilia, quæ & quatenùs à Sede Romana sunt approbata, quæ verò, & quatenùs approbata, & confirmata non sunt, nec in Ecclesia recipi oportere.

Actorum 15 Patres concil. Roman. Anno 359.

S. Gelasius Tomo de Anath Vinc ab init. T. 2. Concil. Obijt Anno 496.

Nicolaus I. [Denique in vniuersalibus Synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probauit, vt ipsi scitis: sicut è contrariò, quod ipsa sola reprobauit, hoc solummodò constat hactenùs reprobatum. Et S. Leo IX. Non lateat vos, non debere præter sententiam Romani Pontificis vniuersale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi; quia etsi licet examinare, definitiuam tamen dare sententiam absque consultu Romani Pontificis non licet dare, quod in sacris Canonibus statutum potestis inuenire. Scilicet, quia omnium Ecclesiarum Maiores, & difficiliores causæ per sanctam Sedem definiendæ sunt.] Socrates de Concilio Antiocheno loquens; [Iulius Romanus Episcopus neutiquam aderat, nec quemquam, qui eius locum suppleret, eò misit, cùm Canon Ecclesiasticus habeat, non oportere absque sententia Romani Pontificis Decreta Ecclesijs sanciri. Et infra: Iulius Episcopus, ijs, qui Antiochiæ conuenerant, per literas respondit, eos contra Ecclesiæ canones egisse, cùm Canon Ecclesiasticus vetet, ne Decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesijs sanciantur. Et Sozomenus: Lex est ad Sacerdotij dignitatem spectans, quæ pronunriat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Epi-

Nicolaus I. PP. epist. 7.

S. Leo IX. ep. 4. Obijt Anno 1054.

Socrates lib. 2. hist. Ecclesc. c. 5.

Idem c. 13.

Sozom. lib. 2. c. 9.

scopi Romani constituuntur.]Si ergo ex Sanctorum Patrum, Canonumq; sententia, quæ in Concilis statuuntur, nisi à Romano Pontifice approbentur, irrita, & nulla sunt, nec recipi ab Ecclesia debent; necessariò sequitur, vt Concilium Pontifice destitutum, aut quod peius est, Pontifici oppositum, non esse Spiritus S. organũ sed falli, & errare posse; qui enim sunt voces, & organa Spiritus Sancti, [quæ irrita, quę nulla sunt, quę Sacris Canonibus aduersa, & prohibita, quæ recipi in Ecclesia non debet, quæ improbari possunt, quæque vltimam, & definitiuam sententiam expectant Romani Pontificis?] Sic enim Patres loquuntur. Non ergo loquitur Spiritus Sanctus per Concilium Acephalum, & capite truncatum, quale est, quod Pontifici, aut opponitur, aut auctoritate illius, & assensu caret. Errat ergo Maimburgus, cùm scribit: [Romanos Pontifices, cùm Decreta Conciliorum confirmant, nihil aliud agere, quàm vt votum suum, & suffragium apponant, eadem omninò ratione, qua alij Episcopi, qui Concilijs intersunt, quique Concilio superiores vtique non sunt; dicuntur tamen acta Concilij confirmare, cùm illis subscribunt, suumq; calculum addunt.] Sed ex productis supra testimonijs, quis non videt, quantum intersit inter confirmationem Romani Pontificis, aliorumque Episcoporum? si enim Romani Pontificis assensus, & confirmatio æquè, ac vnius ex alijs Episcopis, non est absolutè necessaria, cur ergo Patres, ipsique Canones toties repetunt, irrita, cassa esse Concilia, sacrisque Canonibus aduersa, & prohibita, quæ neque recipi in Ecclesia debeant, nisi accesserit Pontificis confirmatio? quomodo irrita? quomodo cassa, si nihil necessarium illis desit? quod si confirmatio Pontificis nihil habet supra aliorum Episcoporum confirmationem, ergo dicentur cassa, irrita, prohibita, improbata Concilia, quibus votum vnius, aut alterius Episcopi, Tholosani v.g. aut Salisburgensis, aut Viennensis, aut Antiocheni non accesserit; quæ omnia, & absurdissima sunt, & in Patribus, sacrisque Canonibus numquam lecta, numquam audita. Vides in quæ absurda animus ruat semel alienis affectibus tinctus, occupatusque, & veritati occlusus. Ergo antè Pontificis assensum imperfecta Concilia, nec satis certa, quæ in illis decreta sunt: idque ex principijs à Gallis, & Maimburgo admissis omninò consequitur. Fatetur enim in Tractatu historico de prærogatiuis Ecclesiæ Romanæ: [Pontificis partes, & munus esse, vt iudicium, & sententiam ferat in causis maioribus, & fidem, ac mores spectantibus;] quod his verbis Gallicè expressit: [C'est à lui de iuger des causes maieures, comme sont celles, qui regardent la foy, & qui sont ambigues, les costumes vniuersales, &c. dont le iugement lui appartient, & lui doit estre rapporté, &c.] Si ita est, & toties à Partibus inculcatur, ergo Summi Pontifices, cùm Concilia confirmant, in quibus maximæ tantùm causæ fidei, morumque agitantur; nõ solùm id agunt, quod reliqui Episcopi, hoc est, nudum suffragium, & votum ferunt; (id enim non esset vlla prærogatiua Pontificis Romani, cùm ad singulos Episcopos pertineat) sed insuper vltimum iudicium, & sententiam dicunt, adeò vt probare, aut improbare possint à Concilijs vniuersalibus decreta, vt Nicolaus primus loquitur. Nec tamen frustra sunt Concilia: cùm enim ad fidem stabiliendam, hæresesque debellandas, non sufficiat decernere, quid credendum sit, sed oporteat insuper rationes credendi in medium proferre, scripturas explicare, quæ ab hæreticis opponuntur, reuincere, & manifestæ falsitatis arguere, quodque præcipuum est, de remedijs cogitare, quibus, & infecti sanentur, & ad sanos pestis haud perueniat: quis non videt hæc omnia longè copiosiùs, tutiùsque à Concilio obtineri, vbi ex toto Catholico orbe Patres doctrina, pietate, ac experientia præcipui conueniunt, quàm à solo Romano Pontifice? nam, & duo oculi plùs vno vident; & stellæ, quamuis à sole radientur, & hic solus etiam sine illis diem efficiat; habent tamen suos, ac proprios influxus, quibus adiuuant solem, redduntque potentiorem Orbi gubernando: hoc ergò Patres Pontifici, quod stellæ soli; lucent, iuuantque, sed diem non reddunt.

Maimbur. Traittè histor. ch. 27. f. 209.

Dices, Concilio Constantinopolitano primo nec per se, nec per Legatos Damasus Pontifex præsedit, & tamen pro Oecumenico, & legitimo habitum est; ergo approbatio Pontificis non est Concilio necessaria.

Resp. Non interfuit quidem Damasus illi Concilio, quippe qui eodem tempore Synodum Romæ collegerat, ad quam, & Orientales Episcopos euocauit; sed tamen certum est approbasse, & confirmasse, quæ in hac Synodo contra Arianos decreta sunt, id enim expresse Photius testatur libello de septem Synodis, & S. Gregorius M. l. 6. epist. 125. vbi scribit: [Non omnes eius Concilij canones receptos à Romana Ecclesia esse: Canones, inquit, Constantinopolitani Concilij Eudoxianos damnant; sed quis fuerit eorum auctor Eudoxis, minimè ostendunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit, in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonianos definitum.] Hìc Gregorius apertè testatur, non omnes illius Concilij canones à Romana Ecclesia receptos esse; supponitque pęnès Romanam Ecclesiam esse, quos Conciliorum Canones probet, improbetque: quomodo ergò maior Concilij, quàm Pontificis auctoritas, si pęnès istum est Conciliorum canones alios falsi damnare, & rursum omnes examini subdere, an vero, an falso consentiant? planè non est hoc Concilio subdi, sed præesse, nec obsequi, sed imperare.

Maimburg. Traittè histor. ch. 5. f. 61.

At, inquit Maimburgus: [Si Decreta in Concilijs sancita, nec certa sunt, nec vires habent, nisi post Romani Pontificis sententiam? ergò huius arbitrio steterit, vtrùm ad fidem aliquid pertineat: & si decretis Nicœni Concilij Siluester Papa abnuisset, ergò, & Ariani hæretici non essent, & eorum errores æquè, ac alias opiniones amplecti impunè, ac sine culpa licuisset, quæ omnia absurdissima sunt, & à nemine concessa. *Maimbur. Traittè hist. ch. 17. f. 20.*

Resp. Si aliquid roboris huic argumento insit, non minùs Concilij auctoritatem, quàm Pontificis euertit. Quęro enim si Concilium

cilium Nicænum decreuisset, filium non esse æqualem Patri; an ideò pro vero haberi id debuisset? aut ante Concilij decreta liberum erat Diuinitatem filio adimere? aut Arius nisi post Concilij sententiam hæreticus non fuit? quod si dicas: hypothesim illam esse impossibilem, & vt in scholis loquimur, de subiecto non supponente; neque enim Concilium errare posse, aut aliquid contra veritatem in scripturis reuelatam definire; & Arium quidem, aliosque hæreticos etiam ante Concilij sententiam fuisse, quippe qui veritati in scripturis expressæ, agnitæque obluctarentur, nec iudicio Ecclesiæ submitti vellent. Alios verò, & plerosque errasse quidem, non tamen ante Concilij sententiam hæreticos dici potuisse, cùm parati essent veritatem admittere, si docerentur. Hæc igitur si tu dicas in fauorem Concilij, ego multò magis, maiorique iure in fauorem dicam Pontificis, eiusque Confirmationis; Pontifici enim, non Concilio dictum: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Pontifici: Tibi dabo claues regni Cœlorum. Pontifici: Ego pro te rogabo, vt non deficiat fides tua. Pontifici denique, non Concilio: Pasce oues meas. Cùm ergò toties in scripturis habeamus Ecclesiam Pontifici regendam, docendamq; commissam esse, nunquam verò Pontificem Concilio, aut Ecclesiæ regendum, pascendumque: cur non malis id dicere, quod scriptura dicit; quàm dicere, quod nunquam, & nullibi dicit? Præsertim, quia si Pontificis confirmationem remoueas, vnde constabit Concilium aliquod Vniuersale, & legitimum fuisse? vnde vota libera non metu, non fraude, non pretio extorta, non ambitione, aut contra æquitatem corrupta, vt in Concilijs Ariminensi, Ephesino, Constantinopolitano, ac etiam Chalcedonensi, & Basileensi euenit? Quis me certum, firmumque reddet, non æquè alia concilia errasse, aut erratura, si errarunt illa tot, tamque egregijs Patribus florentia? an credam historicis Concilium aliquod Vniuersale, & legitimum fuisse scribentibus? quasi verò errantibus Concilijs, & tot Patrum cohortibus vnus alterque historicus errorum sit expers: aut fides mea, quæ Diuina, & certa esse debet, ac etiam, si oporteat, morte sancienda, ex vnius, aut alterius historici narratione pendeat. At Ecclesia Concilium recipit, & ideò legitimum, ac Vniuersale esse constat. Immò vt Ecclesia recipere teneretur, oportuit priùs constare legitimum, & Vniuersale fuisse, vnde autem id constabit, si Pontificis Romani auctoritatem, & confirmationem submoueas? Deinde Ecclesia non solùm recipit decreta, canonesque Conciliorum Vniuersalium, sed etiam particularium, immò priuatorum subinde Doctorum, non ergò sequitur Concilium legitimum, & vniuersale fuisse, quia ab Ecclesia receptum est. Patet ergò ex hactenus dictis, cùm Pontifex confirmat, eam confirmationem non honorariam esse, aut aliorum Episcoporum Confirmationi parem, sed omninò, & absolutè necessariam.

(Maimburg. Traitté hist. ch.18.f.213.)

II. Opponitur 2. S. Leo Magnus, quamuis opinionem Eutychetis hæresis damnasset, & duas in Christo naturas literis ad Flauianū Patriarcham datis egregiè asseruisset, permisit tamen eamdem Eutychetis causam in Concilio Episcoporum examinari tamquàm in pleniore iudicio; immò ad Theodoretum scribens, sibi gratulatur, suam de duabus naturis sententiam à Concilio confirmatam, totoque Orbe receptam esse: sic enim in literis ad Flauianum scribit: [Quia piè, ac religiosè Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, vt pleniore iudicio error aboleri possit.] Agnoscit ergo Leo Papa iudicium Concilij esse plenius, & superius iudicio, & sententia Concilij, sicque maiorem huius auctoritatem, quàm illius esse. Idem S. Pontifex epistola ad Flauianum: Gloriantur, inquit, in Domino, qui nullum nos in nostris fratribus desiderium sentire permisit, sed quæ nostro priùs ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis firmauit assensu, vt verè à se prodijsse ostenderet, quod priùs ab omnium sede firmatum totius orbis iudicium recepisset.] Supponit ergò S. Leo definitiones Pontificum confirmari, & rursùm examinari à Concilio posse; nec priùs constare, an à Deo prodierint, quàm si totius Orbis recipiantur iudicio: quæ omnia ostendunt Concilia supra Pontifices esse. (S. Leo epist. ad Flau. 16.)

Resp. Auctoritatem Romani Pontificis multò Concilijs superiorem esse, nemo clariùs vt Leo Magnus doctrina, exemploque professus est; nec finem mirandi facio, Maimburgum in vrbe Regia, & sub oculis tot eruditorum, tanta fiducia res compertissimas negare, cauillarique circa apices verborum, cùm mens, & sententia Leonis sit apertissima, perinde, ac si aliquis lucere solem negaret nubecula tantùm circa illum exorta, quamuis aliàs mille radijs se prodat. Audi Leonem, & iudicia. Primò in illa ipsa epistola ad Synodum Ephesinam data, quam Maimburgus citat, circa finem hæc Leo scribit: [Fratres nostros Iulianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarium Diaconum misi, qui vice mea sancto Conuentui nostræ fraternitatis intersint, & communi nobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant; hoc est, vt primitùs errore pestifero damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter errauit, restitutione tractetur, si tamen sensus hæreticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, plenè, apertèq; propria voce damnauerit.] Et Epistola ad Concilium Chalcedonense: in quo eiusdem Eutychetis causa discussa est. [Fraternitas vestra, inquit, me Synodo existimet præsidere, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & iam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non desum, vt qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis ignorare, quid cupiamus. Vnde fratres charissimi reiecta penitùs audacia disputandi contra fidem diuinitùs inspiratam, non liceat defendi, quod non licet credi, cùm secundùm Euangelicas auctoritates, Apostolicamque doctrinam plenissimè, & lucidissimè per literas, quas ad Flauianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis Domini Nostri pia, & sincera confessio.] Et Epistola 33. ad Pulcheriam Augustam: [Remoto longarum disputationum labore Cyrilli Alexandrini Episcopi epistola mea ad Flauianum, quia & mea, SS. Patrum de Incarnatione concors per omnia, & vna Confessio est, quam si quis æstimauerit

(Epist. Leon. ad Synod. 2. tom 2. Concil.)

(Leo in epist 45. Concil. Chald.)

non

non sequendam, ipse se à compagine Catholicæ Vnitatis abscindit.] Similia habet epist. 40. & 41. ad Martianum Imperatorem. Et 49. ad Pulcheriam Augustam. In quibus imitatus est Leo Cœlestinum Antecessorem suum, qui in commonitorio Legatis suis ad Concilium Ephesinum dato, hæc clarissima, & digna memoratu habet. [Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodite; siquidem, & instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquantur, vt interesse Conuentui debeatis, ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententijs iudicare debeatis, non subire Examen.

Commonit. Cœlest. nuper editum per Steph. Balluz. ex M. S. Colbertino;

Constat ex his omnibus Cœlestinum, & Leonem præscripsisse, quid credi, quid decerni oporteret, vt videlicet primò hæresis Eutychetis damnaretur, vt à doctrina literis Cyrilli, & Leonis comprehensa ne latum vnguem discederent Patres, idque sub pœna anathematis: vt disputationibus abstineretur: vt Eutyches verbo, scriptoque hæresim recantaret, sicque cathedræ restitueretur: vt denique Legati de Patrum, Concilijque sententijs iudicium ferrent; ipsi verò Pontificis Romani doctrinam minimè examini, iudicioque Concilij subderent: poteſtne aliquid dici immò cogitari, quod ampliùs Pontificis supra Concilium auctoritatem exprimat? aut qui sunt characteres superioris, si isti non sunt? aut quod vnquàm Concilium tales Pontificiæ auctoritati, & Decretis Leges præscripsit, quales Leo Concilijs? tantùmque abest, vt Concilium quereretur, doleretque Leonem aliena vsurpare, & auctoritatem Concilijs debitam in se transferre, vt potiùs summis laudibus Leoni acclamaret, eiusque epistolas velut Cœlo lapsas amplecteretur, vt videre est in actis Concilij actione 2. circa finem. Nec Leonis potestas intra verba stetit, sed processit in exempla. Cùm enim Patres fidei professionem concepissent, essetque omnium votis comprobata, soli Leonis Legati eam, quòd minùs perfecta, reiecerunt, Patresque quamuis obluctantes, vt aliam ederent, coegere, idque imperio, & auctoritate, manifestoque potestatis, quam in Concilium exercebant, argumento. Audi acta Concilij, actione 5. Omnes Reuerendissimi Episcopi præter Romanos, & aliquot Orientales clamauerunt: [Definitio omnibus placet; hæc fides Patrum: qui aliter credit, anathema sit Paschasinus, & Lucentius Vicarij Sedis Apostolicæ dixerunt. Si non consentiunt Epistolę Apostolicę Beatissimi Papæ Leonis, iubete nobis rescriptū dare, vt reuertamur. Vides hic iterùm tantùm abesse vt Leo doctrinam, & epistolā suam examini Patrū Concilijq; subdat, vt potiùs velit, apertèq; & in pleno cōsessu profiteatur, oportere, vt Patres ad normam, mentemque Leonis decernant; estne rogo discipulum hoc agere, an Magistrum? obsequi, an imperare? Si Pontifex Concilio subest, cur imperat? cur à toto Concilio probata improbat reijcitque? cur compellit Concilium obliterare iam ab omnibus decreta, & noua proferre? cur suam Epistolam pro norma præscribitque, eique Concilium alligat, nec patitur ab ea recedi? paruitque Concilium, & aliam edidit fidei Professionem, quæ habetur actione 6. Eadem auctoritate Pontificis Legati canonem 28. Synodi Chalcedonensis irritum, cassumque voluerunt, quo videlicet primus locus post Romanum Pontificem Alexandrino debitus Archiepiscopo Constantinopolitano cedebatur, quo iterum ostendere, Pontificem non subdi, sed imperare Concilio, & rescindere ab isto perperam facta. Vide Actionem 15. Conc. Chal. circa finem. Jam Lectoris iudicium esto, quàm verè Maimburgus dixerit, Leonem doctrinam suam Concilio examinandam permisisse, cùm potiùs eam pro norma, & amussi Concilio præscripserit, vetueritque ab ea recedi: quis dicat Lydium lapidem ab auro, perpendiculum à pariete examinari, & non potiùs contrarium?

[Cur ergò dixit Leo, Concilij iudicium plenius esse, ab eoque aboleri errores oportere?]

Resp. Quia licèt Concilium oppositum Papæ, aut ab ipso non confirmatum, sit infra Papam; coniunctum tamen, & approbatum à Papa, multò perfectius, vtiliusque est, quàm solùm Papæ iudicium, vt etiam suprà monuimus: nec vero quæstio est, an Concilium confirmatum à Papa sit infra, aut supra Papam (hæc enim quæstio est meri nominis, & theoretica, ac ferè illi similis, quam speculatiui in scholis agitant, an videlicet Deus solus sit maius bonum, quàm Deus, & creaturæ) sed an Concilium à Papa non confirmatum, immò Papæ oppositum sit supra Papam, eique imperare possit; vnde patet, ne statum quidem quæstionis Maimburgum intellexisse, quì ergo scopum tangeret nunquam visum? Quemadmodum ergò licèt Rex sit supra Senatum, nec aliqua sit contra Regiam voluntatem auctoritas Senatus: si tamen Rex in Senatu, & cum Senatu agat, nemo dubitat, multò eius diplomata meliora, & perfectiora fore (vtpote tot aliorum consilijs, & instructionibus acuta) quàm si à solo prodeant. Idem de Pontifice dicas, præsertim in causa Eutychetis: in qua cùm non solùm ageretur de Decretis fidei scribendis: sed etiam de modo hæreticos conuincendi, exarmandi, Eutychetem restituendi, Imperatorem ne peruerteretur (nam pestis iam aulam penetrauerat) edocendi, quis non videt hæc omnia multò securiùs, perfectiùsque à Concilio Græcorum Patrum, quàm Romæ à Leone tot rerum ignaro peractum iri? præsertim cum Dioscorus, alijque, qui Eutycheti studebant, ausi essent in Leonem sententiam proferre; non ergo eum iudicem paterentur, quem ipsi reum, damnatumque peregerant: prudentis ergo fuit celare potiùs, quàm exponere Maiestatem. Quòd verò Leo Pontifex sibi gratuletur, sententiam suam de duplici Christi natura à Concilio receptam esse, ideò est, tum quòd multi, qui discordias quàm pacem malebant, Leonem non eadem cum Concilio sentire iactarent, quod ipse Leo in epistola ad Martianum Augustum testatur: tum quia, vt idem Leo in epistola ad Theodoricum se explicat; etiam, quæ fidei sunt, quæque omne dubium excludunt, examinari possunt, non ea quidem ratione, vt eis subesse falsum suspicemur; sed vt clarè intellecta, & cum ratione, scripturis collata tantò meliùs firmiùsque animo hæreant. Quàm multa in scripturis examinamus; nec ideò dubij, sed auidi veritatis; audi ipsum Leonem in eadem epi-

Epist. Leon. Ad Mar. August. 63. inter ep. Sanct. PP.

Leo epi. 67. ad Theodor.

epistola ad Theodoricum: [Ipsa quoque veritas, & clariùs enitescit, & fortiùs retinetur, dum, quæ fides priùs docuerat, hæc posteà examinatio confirmaret.] Cæterùm persuasum fuisse Leoni, non Pontifices Concilio, sed Concilium Pontificibus subdi, manifestum est ex superiùs dictis, & ex auctoritate, quam in Concilium Chalcedonense Leo exercuit, expressitque clarissimè in epistola ad Theodoricum, quam citat Maimburgus: cum enim Leo gratulatus sibi esset, Concilium in eamdem secum sententiam conspirasse, hæc subiungit: [Vt in hoc quoque capite membra concordent, in quo ampliùs nobis crescit gaudendi materia.] Et post pauca: [Multùm denique Sacerdotalis officij meritum splendescit, vbi sic summorum seruatur auctoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. En hìc iterùm apertè Leo profitetur Pontificem in Concilio Vniuersali partes capitis agere; reliquos Episcopos membra esse; si Pontifex illius sacri corporis caput est, ergo ad eum pertinet dirigere, gubernare, mouere; ad Patres verè dirigi, gubernari, mouerique. Rursus per ea verba: [Sic summorũ seruatur auctoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta Libertas. Clarissimè ostendit supremam in Concilijs potestatem penès Pontificem esse, Patres verò inferiores, subditosque; & tamen Maimburgus, cùm superioritatem Pontificis tàm luculenter in epistola Leonis expressam videat, & quod maius est, clarissimis exemplis in conspectu Chalcedonensis Concilij exercitam, probatamque: hæc omnia silentio tegit, cum duobus, aut tribus verbis rixatur, aquam in pumice, & victoriam in syllabis quærens; quæ tamen vt vidimus, & ipsa nihil ad rem faciunt.

Maimburg. Traitè hist. ch. 18. f. 216. & ch 17. f. 89. & ch. 11. fol. 148 & histor. du Pontif. de S. Gregor. lib. 1. fol. 31.

III. Opponitur tertiò exemplum Vigilij Pontificis: hic enim cùm constitutionem edidisset, qua tria Capitula comprobabat, vetabatque, ne à quoquam mortalium damnarentur; Concilium Constantinopolitanum quintum, & Vigilij Constitutionem, & doctrinam trium capitulorum examinandam suscepit, damnauitque obluctante primùm Vigilio, ac tandem Concilio cedente. Si ergò Concilium examinat, damnatque, quæ tanto studio, tantaque animi contentione, ac solemni diplomate Vigilius decreuerat; oportet vtique maiorem esse Concilij, quàm Pontificis auctoritatem, & hunc illius iudicio subiacere. Vigilij verba in Constituto ad Imperatorẽ Iustinianum inter alia hæc sunt: Apertissima lucet veritate ex verbis epistolæ venerabilis Ibæ rectissimo, ac pijssimo intellectu perspectis, Patres nostros in Chalcedone residentes rectissimè Orthodoxam eiusdem viri fidem prænunciasse, & ideò præsentis sententiæ vestræ auctoritate statuimus, atque decernimus, cum in omnibus, tùm etiam in memorata venerabilis Ibæ epistola intemeratum Patrum Chalcedone residentium manere iudicium.] His verbis Vigilius non solùm personam Ibæ, sed etiam eius epistolam, quamuis mille blasphemijs plenam hæresi absoluit, & in mitiorem partem explicat, idque obtenta Concilij Chalcedonensis auctoritate. Additque, in fine Constituti: [Si quid verò de ijsdem tribus Capitulis

Constitut. Vigilij non procul à fine apud Baron. ad annum 563. nu. 196.

contra hæc, quæ hìc asserimus, vel statuimus factum, dictum, atque conscriptum fuerit, hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis Apostolicæ refutamus.] En Vigilium ex Cathedra decidentem! & tamen Concilium Oecumenicum Constantinopolitanum à tota Ecclesia receptum, cultumque, contrarium omninò decidit, sic enim loquitur: [Si quis, defendit epistolam Ibæ, quam ad Marim Persam; Hæreticum dicitur Ibas scripsisse, quæ abnegat Deum Verbum ex Virgine Maria incarnatum, & eam non anathematizat, & qui præsumit eam defendere, vel insertam ei impietatem, nomine sanctorum Patrum, vel Concilij Chalcedonensis, anathema sit.] Concilium ergò non damnat solùm, sed etiam anathemate punit Vigilium, eiusque constitutum. Et Pelagius II. ac Gregorius Magnus apertè Vigilium ignorantia errasse profitentur, ac postmodùm meliora edoctum Concilij sententiam amplexum esse, Constituto, quod priùs ediderat, enixè damnato. Patet ergò tot Pontificum, qui post Vigilium sedere, immò totius Ecclesiæ consensu, quæ tria capitula damnauit; & Pontificem errasse, & à Concilio correctum, immò perculsum esse anathemate, & rursùs Pontifices infrà Concilium esse, & ab isto iudicari posse, punirique.

Concil. Oecum. 5. collat. 4. c. 14.

Pelag. II. epist. 7. quæ est 3. ad Ep. Istr. Greg. M. lib. 3. ep. 2. 3. 4 37. & lib. 7. ep. 10. 53.

Resp. Multum spei collocat Maimburgus in Constituto, causaque Vigilij: ea verò qualis fuerit, altiùs repetemus, atque vt clariùs veritas appareat, omnia per annos distinguuntur. Anno 428. Sisinio Episcopo Constantinopolitano morte sublato, Theodosius Imperator ex Populi voto Nestorium sufficit Presbyterum, & Monachum Antiochenum. Pietas illum, zelusque aduersùm Hæreticos, & vis eloquentiæ omnibus commendauerant: sed, vt notat Theodoretus, ingentem ambitionem, qua infulas captabat, his dotibus texerat simulata virtute. Nata ex ambitione se ostentandi cupido, veterumque contemptus: & honorum, quæ magis animos stringunt, ingens prurigo, ac tandem hæresis. Dicebat in Christo, vt duas naturas, ità duas Personas esse, Diuinam, humanamque, & ita Deum nec conceptum, nec natum ex Virgine, nec passum, mortuumque, sed hominem solùm. Latuit aliquandiu venenum tùm dulcedine orationis, qua errores condiebat, tùm opinione virtutis, qua populum occupauerat externa spectantem, ignarumque occulti. Anno 429. Nestorius hæreses suas palàm expromit, binisque literis à Cyrillo Alexandriæ Episcopo erroris monetur. Sequenti proximè anno collecta Romæ Synodo Cœlestinus Pontifex Nestorium infulis priuat; Cyrillo prosecutionem causæ, suasque vices delegat. Hauserat virus à Theodoro Mopsuesteno Nestorius Chrysostomi quondam in Monasticis collega. Anno 431. Nestorij causa in Ephesina Synodo agitatur, & ipse cùm ne quidem adesse dignaretur quãuis vocatus, hæresis damnatus, ac Episcopatu exutus est: libri flammis addicti. Superuenit post quintum diem Ioannes Episcopus Antiochenus iàm olim Nestorio amicus, itaque in Cyrillum fremens, antiqua quippè æmulatione Alexandrinæ, & Antiochenæ Sedis, ac recenti odio ob amici casum, præsertim quòd

quòd à Patribus expectatus non esset, pugnam instaurat, subleuatque Nestorium varijs in Cyrillum, Patresque coniectis calumnijs; sed momentaneum solatium; quippe fraudes detectæ, & Nestorius primò in Monasterium, tùm in exilium eiectus, vbi lingua vermibus exesa, solutoque putredine corpore vitam absoluit, Ioannes & ipse à Patribus damnatus, deiectusque, semper tamen ei mora pœnitendi data: nàm & spes erat clementia flecti posse, metus verò, ne si duriùs haberetur, totam Syriam desperata venia perverteret: respondìtque euentus, nam sequenti anno Ioannes Nestorio, hæresique abiurata, cùm Romano Pontifice primùm, mox cum Cyrillo in gratiam redijt, iunctisque dextris in Nestorium duxit.

IV. Anno 435. Theodosius lege lata Nestorij libros, quibus hæresim propagabat, cremari iubet: at qui Nestorio studebant, Theodori Mopsvvesteni libros eulgant, Syriaca, Persica, Armenicaque lingua conscriptos, quò à pluribus legerentur. Theodorum pietatis, & doctrinæ species, & ex istis veneratio celebrem reddiderant: at eodem, quo Nestorius veneno turgebat, immò à Theodoro Nestorius acceperat; ergò mutato solum nomine eadem pestis serpebat. Accensa, vt fieri amat partium studia, alijs Theodorum laudantibus, detestantibus alijs, quippe qui eosdem in Theodoro errores agnoscerent, alia quidem larua, sed eodem vultu, parique fœditate. Fuerat inter præcipuos Theodori, Nestorijque cultores Theodoretus Cyri Episcopus, vir pietate, & doctrina insigni, sed pari in Cyrillum odio, & cuius capitula instinctu Ioannis Antiocheni confutàuerat; sed tandem veritati cedens; & Nestorium, cuius amicitiam coluerat, detestatus est, & Cyrillo placatur, vt ex eius scriptis apparet.

Theodoret. epist. 1. ad Sperad. & 83. ad Dioscor. & lib. 4. adu. Nestor.

V. Anno 448. Eutyches Archimandrita dùm nimio, inconsultoque ardore Nestorium persequitur, in aliam hæresim impingit, docetque, vt vnam in Christo Personam, sic vnam naturam esse; nec abstitit monitus, quamuis à Flauiano Episcopo Constantinopolitano, damnatusque repetita Synodo: sed obstinauerat animum, aut pretio sui, aut aulæ patrocinio, Chrysaphij præsertim, multorumque Episcoporum noua præ antiquis amplexantium. Delendo igitur tam pernicioso errori Synodus Chalcedonensis indicta, vbi omnium votis hæresis Eutychiana conclamata est. In hac Synodo, quod maximè ad rem nostram facit, duo Episcopi Theodoretus Cypri, & Ibas Edessæ Episcopi Nestorianæ hæresis suspecti à Patribus absoluti sunt. De Theodoreto iàm dixi, de Iba hæc accipe; is cum alijs Syriæ Episcopis Ioanni Antiocheno adhæserat, Cyrillo infensus, & Nestorio amicus, pro cuius erroribus ad Marim Persam epistolam scripsit, in qua & Theodorum laudibus effert, Cyrillum verò perstringit, tamquam is odio in Theodorum anathematismos scripsisset; & hæresi Apollinaris infectus esset: cùm enim Cyrillus vnam Christi Personam assereret, Ibas vnam naturam intelligebat, videturque totum hoc certamen cum Cyrillo inde prouenisse, quòd Ibas, socijque Personam, & naturam confunderent, & cùm à Cyrillo vnam Personam audirent, ipsi vnam naturam intelligerent; & ideò (vt in eadem Ibæ epistola legitur) nec Ioannes Antiochenus priùs Cyrillo reconciliari voluit, quàm istas propositiones damnaret, videlicet: [Diuinitas passa est; &, Vna est natura Diuinitatis, & Humanitatis.] Cùm ergò, vt dixi, Ioannes Antiochenus, & Cyrillus Alexandrinus dextras iunxissent, vnàque Nestorium damnassent; Ibas, qui erranti Patriarchæ comes fuerat, pœnitentem quoque secutus est, pacatusque Cyrillo vires, & calamum in Nestorium vertit, & ideò ad calcem epistolæ, quam ad Marim dedit, gratulatur reductam pacem, extincta odia, sedatam Ecclesiæ tempestatem, duosque Patriarchas belli quondam ductores, nunc mutua charitate, eademque fide compositos. Quibus verbis se quoque Ibas significabat cum Cyrillo communicare, eamdemque fidem complecti, nec aliud in Cyrillo aliquando damnasse, quàm quòd videretur vnicam in Christo naturam profiteri, nota enim epistolam Ibæ hæc capita complecti. Primò, criminatur Cyrillum, quòd diceret: [Vnam esse naturam Diuinitatis, & Humanitatis, nec esse differentiam inter Templum, & inhabitantem in eo,] quodque odio, malisque artibus effecerit, vt Nestorius deponeretur. Secundò, multis laudibus Theodorum Mopsvvestenum effert, eiusque zelum in profligandis Hæreticis commemorat, vocatque beatum, & veritatis Prædicatorem. Tertiò, denique pacem inter Ioannem Antiochenum, & Cyrillum commemorat, sibique reddita Ecclesijs pace, sublatisque dissidijs gratulatur, innuitque eamdem sibi, & Cyrillo, ac Ioanni Antiocheno fidem esse, sicque Catholicum se ostendit, & Nestorio aduersum, quod etiam illis verbis apertissimè declarat: [Ecclesia, inquiens, sic dicit, sicut tua Religiositas nouit, & à principio est edocta, atque firmata ex libris beatissimorum Patrum, duæ naturæ, vna virtus, vna Persona, quòd est vnus Filius Dominus noster, &c.] Græcè: [*Dyo physeis, mia dynamis, en prosopon*.] Quæ doctrina, vt palàm est, Nestorianæ omninò est opposita, & hæc causa fuit, vt Ibas bis hæresis Nestorianæ postulatus, bis in solemnibus Episcoporum Conuentibus culpæ expers, innocensque declaratus sit, Beryti videlicet, & Tyri: nec mireris Theodori libros ab Iba laudari; eo enim tempore necdum satis de Theodori scriptis constabat, alijs eos execrantibus, alijs verò laudantibus, & blasphemias, quæ in iis legebantur, non Theodoro adscribentibus, sed alijs, qui eius scripta corruperunt: eadem ferè ratione, qua olim multi Patrum Origenem defenderunt, & nostra quoque ætate multi Iansenium. Quæ causa fuit, vt non à solo Iba, sed etiam ab alijs laudatus sit Theodorus, eiusque scripta, tamquam veritati, ac fidei Catholicæ consentanea, videlicet à Ioanne Patriarcha Antiocheno postquam in sinum Ecclesiæ redierat; & Theodoreto in Dialogis aduersùs Eutychetem. Mirum ergò non est, Ibam, Tyri, & Beryti omnium Episcoporum iudicio Nestorianismi, cuius postulabatur, absolutum esse, quod anno Christi 448. contigit: cùmque in ijsdem Tyrio, & Berytensi

Epist. Ibæ habetur in actis Conc. Chalcedon. act. 10.

Vide Baron. & Spondan. ad ann. 458.

Io. Antioc. ep ad Theodos., & ad Cyril. & ad Procl. Constantinopol. Theodoret. in Dialog. Eranistæ. & epist. 16. ad Iren.

tensi Conuentibus maximè epistolam Ibæ ad Marim vrgerent aduersarij, tantùm abest eum hæresis conuictum esse, vt potiùs Patres eiusdem epistolæ argumento Ibam Orthodoxum, & innocentem pronunciarint; vt habetur in actis, & subscriptionibus Concilij Chalcedonensis actione 10.; immò quod maius, idem Concilium Chalcedonense lecta, audiraque Ibæ epistola ad Marim pronunciauit, apparere ex eadem epistola, Ibam Orthodoxum esse, verba Patrum, & sententiæ hæc sunt: [Paschasinus, & Lucentius tenentes locum Sedis Apostolicæ dixerunt: Relectis chartis agnouimus ex sententia Reuerendissimorum Episcoporum (qui videlicet Tyri, & Berithi conuenerunt) Ibam Reuerendissimum innocentem approbari; relecta enim eius epistola agnouimus eum esse orthodoxum; & ob hoc decernimus, & honorem Episcopatus, & Ecclesiam ei esse restituendã.] Hæc Patrum Chalcedonensium sententia fuit de Ibæ epistola; vbi tamen obserua, non dicere Patres, epistolam Ibæ orthodoxam esse (nam ob immodicas Theodori laudes, damnatumque hæresis Cyrillum in suspicionem vocari poterat) sed ex illa Ibam orthodoxum probari; cùm enim ad calcem epistolæ Cyrilli fidem comprobaret, gauderetque Ioannem Antiochenum cum illo communicasse, pacemque iuijsse, sibique propterea, ac toti Ecclesiæ gratularetur; apertè ostendebat, se quoque cum Cyrillo consentire, sicque Orthodoxum esse, & Nestorio aduersum; sicut enim cùm Ariana hæresis Ecclesiam in duas partes scinderet, seque occultissimis artificijs abderet, nec satis hæretici à Catholicis distingui possent, quippe laruata, fictaque facie; certissimum veritatis indicium erat, cum Athanasio communicare; ita peste Nestoriana grassante, nullum certius argumentum sanæ, intactæque Religionis, quàm Cyrillo adhærere, quod, cùm in sua epistola Ibas profiteretur, mirum non est, à Concilio Chalcedonensi pro Catholico receptum esse. Hanc rationem Eunomius Episcopus Nicomediæ attigit, quando actione 10. Concilij Chalcedonensis Ibam absoluit: [Iam, inquiens, ex ijs, quæ relecta sunt, innoxius approbatus est Ibas Reuerendissimus, in quibus enim dicendo malè culpare visus est Beatissimum Cyrillum, in postremis rectè confessus, illa, in quibus culpauit, refutauit.] Manifestum ergo est, quamuis epistola Ibæ hæresim redoleret, quia tamen circa finem epistolæ cum Cyrillo communicare se profitebatur, & Nestorium damnabat, ideò à Patribus Concilij Chalcedonensis pronuntiatum est: [Ibam ex epistola ad Marim data Orthodoxum apparere.] Et sic quidem habuit causa Ibæ Episcopi Edesseni in Concilio Chalcedonẽsi agitata; non omittam tamen, etiam illud dicere, sanctos Gregorium M. & Epiphanium conari, vt ostendant, eam epistolam Ibæ non fuisse; sed obstant acta Tyrij, Berithensis, & Chalcedonensis Conciliorum, ex quibus liquidò patet, Ibam eam epistolam pro sua agnouisse. In eadem quoque Chalcedonensi Synodo Theodoretus Episcopus Cyri actione 8. absolutus est, ac sedi suæ, cùm Nestorium detestatus esset, restitutus. Hic monasticam vitam amplexus Cyri Episcopus renuntiatus

S. Gregor. lib. 7. ep. 53. & Epiphan. act. 6. Concil. Nic. II.

est, immensosque labores pro fide Catholica, contra gentiles, & hæreticos suscepit; sed posteà Theodori Mopswesteni, & Nestorij amicitia (quorum immensis laudibus omnes libros implebat) adeò fœdatus est, vt eodem morbo infectus videretur, præsertim vbi contra Cyrillum, quem catholici omnes vt arcem veræ Religionis venerabantur, calamum strinxit; eadem quippe fidei, & Cyrilli causa videbatur, vt qui hunc impeteret, illam quòque aggressus putaretur: sed tandem detecta veritate, obseruatisque Nestorij, & Theodori erroribus, præsertim cùm obstinatos eos vidit, pedem à præcipitio, cui impendebat, retraxit, subscripsitque Leonis epistolæ, quæ pro tessera colebatur sacræ militiæ; & ab eo vicissim in communionem, & amicitiam receptus est; nam tanti Doctoris accessu partes catholicorum augeri lætabatur, & ob has quoque causas Concilio Chalcedonensi Theodoretus pro catholico habitus est. Audi acta Chalcedonensia, actione 8. [Residentibus omnibus ante cancellos sanctissimi altaris, Reuerendissimi Episcopi dixerunt: Theodoretus modò anathematizet Nestorium. Theodoretus dixit: Ego per Dei gratiam ab Orthodoxis sum enutritus, & Orthodoxè sum edoctus, & Orthodoxè prædicaui, & non solùm Nestorium, & Eutychem, sed omnem hominem, qui rectè non sapit, auersor, & alienum existimo: & dum diceret hæc, Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: clarè dic anathema Nestorio, & dogmatibus eius: anathema Nestorio, & amantibus eum. Theodoretus dixit: verè non dico, nisi quomodo noui Deo placere; neque de Ciuitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adueni. Nestorium, & Eutychem, & omnem hominem dicentem, vel opinantem duos filios, anathematizo; & cùm diceret, Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: dic apertè anathema Nestorio, & qui ea, quæ eius sunt, sapiunt. Theodoretus dixit: Anathema Nestorio, & ei, qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur vnum Filium Dei vnigenitum. Omnes Episcopi clamauerunt: Theodoretus dignus est sede: Ecclesia Orthodoxum, Ecclesia Pastorem recipiat. Paschasinus, & Lucentius habentes locum Apostolicæ Sedis dixerunt: Sanctissimum, & venerabilem Episcopum Theodoretum, Sanctissimus, & Beatissimus Vniuersæ Ecclesiæ Episcopus Vrbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit. Quoniam igitur Nestorium, & Eutychem anathematizauit, Sanctissima & venerandissima Synodus, insuper verò, & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam propriam definiuit.] Vides ergo in hoc Concilio Oecumenico Theodoretum, & pro Orthodoxo acclamatum esse, & pro digno, cui sedes redderetur. Hæc sunt ergo tria Concilij Chalcedonensis decantata Capitula, & ex quibus inuidia Eutychianorum Concilio Chalcedonensi aduersantium tot posteà discordiæ, & malorum series deductæ sunt. Absolutio videlicet Ibæ, Theodoreti, & Theodori Mopswesteni, quamuis enim de hoc vltimo nihil Concilium deciderit; hoc ipsum tamen silentium, & quòd Ibam, ac Theodoretum perpetuos, ac indefessos Theodori laudatores Concilium recepisset,

vitio vertebatur, quasi Nestorio faueret, quamuis vt vidimus, & Nestorium Patres execrarentur, eiusque causam redderent debiliorem, præcipuis eiusdem defensoribus in vera Religionis castra translatis: nec enim fauere hosti dicendus est, qui eum ducibus, ac militibus priuat, suisque eos partibus clementia, & præmijs adstrinxit: id fecit Concilium.

VI. Anno 538. Hoc est octoginta septem annis post Concilium Chalcedonense de tribus capitulis mota contentio, priùs ne cogitatum quidem, vt aliquid turbaretur. Res ita euenit. Missus fuerat in Orientem ab Agapito Pontifice Pelagius, vt Romanæ Sedis legatione fungeretur; is è Palæstina reuersus (vbi Episcopum Alexandrinum patratæ cædis reum gradu deiecerat.) Monachorum agmen secum duxerat Origeni infensum: ingentem texuerant errorum catalogum, quibus suos libros insperserat, vrgebantque istos simul cum Auctore damnari: [Quamdiu enim Origenis nomen in Ecclesia vigeret, istius errores deleri ex animis non posse Auctoris reuerentia; nec persuaderi hominibus, vt cùm coli arborem, amarique videant, fructus tamen auersentur; istos verò spontè collapsuros arbore truncata.] Hæc Monachi, nec sine assensu in aula repetebant, Pelagij præsertim, & Iustiniani Imperatoris; Pelagij quidem, quòd liti tanto tempore, tantoque animorum æstu inter catholicos agitatæ finem imponi cuperet. Imperatoris verò, quòd innato quodam, fatalique impetu rebus sacris se implicaret, amaretque inter Infulas spectari: ergò vnius ardor, & alterius ostentatio bellum in Origenem accendit. Indictum Constantinopoli Concilium, in eoque damnatus cum erroribus Origenes: & quamuis Paschasius, & Mennas Episcopus Constantinopolitanus iudices sedissent, diploma tamen, quod sententiam, & errores complectebatur, Imperatoris nomine expeditum, siue id genio Imperatoris datum, siue vt aduersarios percellerent, sceptrum magis, quàm pedum vereri solitos. Agebat in aula Theodorus Cæsareæ Archiepiscopus, florebatque Principis gratia; sed Origeni, & Eutychianis planè addictus, occulto tamen, celatoque veneno, & in occasiones prompto. Is damnatum Origenem acerbè indoluit, credebatque à Pelagio non tàm cineribus Origenis, quàm sibi illusum, hinc ardor vindicandi; vtque securior esset, certiorque vindicta, pressus intra animum dolor, nec vultu proditus. Vbi opportunitas fuit, Principi ostendit, perire Ecclesiam Eutychianorum, & Acephalorum discordijs: & tamen finiri contentiones posse facili, obuioq; remedio: si Concilium Chalcedonense omnes recipiant, nihil amplius dissidij fore: vt verò recipiant, illud vnum obstare, quod Theodorum Mopsvvestenum, & Theodoretum, præcipuè verò Ibæ epistolam Patres comprobassent: istos verò Nestorio apertè fauere, sicque Nestorium quoque eiusque sententias visas à Concilio comprobari, cùm illos admisissent: hoc catholicos Nestorio, vt par erat aduersos offendi, hoc vnum morari, ne Concilium, pacemque admittant: si ergò tria illa Capitula damnentur, & Concilium admissum, & pacem redditum iri, nullo impendio: litandum esse omnium paci, bonoque, paucis mortuorum cineribus, idque ipsum Ibam, sociosque, si viuerent optaturos, gloriam verò redditæ pacis penès Imperatorem fore. Hæc Theodorus obtentu Religionis: sed vindicta querebatur: præuidebat enim Pelagium, sociosque, vt termini mouerentur à Concilio, & Patribus fixi, numquam assensuros; hinc illis cum Principe bellum, & ex bello offensam: aut si assentirent, semel Concilij Chalcedonensis euersa, deletaque aliqua parte, facilè totum impugnari, aut in dubium vocari posse, id verò Eutychianis saluti fore. Hæc Theodori sensa, sed Principi abstrusa. Is oratione permotus, & Theodoræ Coniugis, quàm deperibat, blanditijs edictum proponit, quo tria Capitula damnabantur. Ingens inter Catholicos accensum certamen, quòd negarent conuelli posse à Concilio statuta; eademque Vigilij Romani Pontificis sententia erat: cumque aduerteret Imperator, in huius exemplum omnium oculos defigi, & eò inclinaturam victoriam, vbi Vigilius esset, Constantinopolim eum accersit, excipitque obuiam progressus. Omni ergò arte laboratum, vt hanc arcem euerterent: præmia minis coniuncta: spes, metusque temperati: & quod omnia vincebat, Imperatricis preces, lachrymæque, ac promissorum exactio: promiserat enim Vigilius, si Pontificatum ab Imperatrice obtineret, se tribus Capitulis abnuntiaturum; quid ergò negaret & fœminæ, & Augustæ, & Benefactrici? maximè cùm preces, vt dixi, lachrymis, minisque armarentur. Nec minùs se Vigilius in omnem partem vertebat suspensus, pendensque animi, cui inter tot contrarios ventos vela laxaret; quippe damnatis tribus Capitulis Concilium quoque Chalcedonense damnari videbatur, immensa eorum indignatione, præsertim Occidentalium, qui nihil demi Concilio permittebant. Obsisteret verò Imperatoribus? plenum hoc discriminis, damnique: decreuit ergò media incedere, quod plerumque in ambiguis solet. Primò liberum cuique edixit, vt in hac re pro arbitrio sentirent, scriberentque, donec Concilium definiret; nec enim de rebus fidei quæstionem: nec Ibas catholicus, aut hæreticus sit, ad fidei articulos pertinere, libertatem ergò opinandi esse. Deinde in gratiam Imperatoris, à quo continuò pulsabatur, libellum concipit, quem tamen occultum voluit, secretumque, quo tria Capitula arguebat. Sed Libello vulgato, offensisque Occidentalibus apertè se Orientalium sententijs adiungit, vt istos saltem lucraretur, quippe numero, & potentia maiores. Aduersati, indignatique Occidentales, quòd crederent vnam eamdemque esse Capitulorum, & Concilij causam; & Vigilius Schisma veritus, indicto Episcopum, qui aderant, Concilio silentium partibus indicit, exoratque Imperatorem, vt in proximũ, ac vniuersale Concilium suspendi edictum velit: annuitque Augustus. Interim Vigilius Theodorum hæresis compertum, & Episcopum Cæsareæ Augusto prædilectum, sed schismatis auctorẽ Ecclesia, sacrisq; interdicit; quo vno ostẽdit in negotio trium Capitulorum non animum sibi, nec constantiam, sed causam defuisse: quodque iam in hanc

iam

quàm pactus esset, & frustra obluctante Vigilio, Edictum palàm proponit, iubetque Episcopos, qui subscribere morarentur, in carceres, & exilia rapi: ipse Vigilius, cum micantes iam gladios, & catenas videret, Thessalonicam, & ad aras confugit, vulneribus in faciem acceptis. Sed cùm terræ motibus: hiatibus, marisque inundatione, ac incursibus Barbarorum Imperium, concideret, Imperator, & Menna Patriarcha mali fessi, deuictique, veniam sacrilegij petere, & Edicta auferri iussa. Hæc ab anno 547. vsque in annum 552. peracta.

VII. Tandem Anno 553. Concilium Oecumenicum Constantinopoli habitum, in quo de Origenis, Nestorij, & Eutychetis erroribus actum, quos variè obtegebant, præsertim verò de tribus Capitulis: causabantur enim Eutychiani, se propter tria Capitula synodum Chalcedonensem amplecti non posse, quod Nestorio fauerent, & isti Hesitantij appellabantur, aut etiam Acephali. Missa ad Vigilium ornatissima Legatio 20. videlicet Metropolitanorum Antistitum, inter quos tres Patriarchæ: vbi vides, quanti etiam ab hostibus Romanum fastigium æstimaretur: nam cùm Patriarcha aliquis euocandus, tres solùm mittebantur. Repetita dein Legatio, additique præcipui Magistratus, & ipse Belisarius armorum Dux, rogabantque Vigilium, vt synodo adesse vellet. Ille primùm inducias petere, tum morbum causari, & absentiam Occidentalium Episcoporum, qui præcipuè edicto Imperatoris turbabantur: ac tandem, quid de tribus Capitulis sentiret, scripta editurum. Et planè nolebat Vigilius synodum in Græcia, sed in Sicilia conuenire, vt videlicet Occidentales Episcopi adesse possent, & vota liberè conferri; sed id ipsum Augustus verebatur, præuidebatque se numero victum iri, si Occidens confluerer; ergo nec alijs, nec Pontifice expectatis initium synodo fieri voluit. Illyrici Antistites adesse recusarunt: Primasius Adrumeti in Africa Metropolitanus, cum ad synodum vocaretur, intrepidè respondit: [Papa non præsente non venio.] Alij, qui ex Africa, & Italia aderant, paucique Orientis Episcopi Vigilio adhærere, vt ex eorum subscriptionibus patet. Tres primæ collationes mittendis Legationibus, legendæque fidei professioni insumptæ. In quarta recitatæ sunt Theodori Mopswesteni blasphemiæ, & in illas à Patribus conclamatum. In quinta, quæ Patres aduersùs Theodorum scripserant, quæque Theodoretus in Cyrillum, producta: addita Patrum exempla, & sententiæ, quibus etiam defunctos damnari posse probatum est. Acceptum etiam, auditumque Vigilij Constitutum, quo fortiter, prolixèque pro tribus Capitulis desudabat. Rationes Vigilij ad hæc capita reducebantur: [Quæ Concilium Chalcedonense statuisset, nulla ratione, nulloque obtentu subuerti debere; alioquin vna Concilij parte oppugnata, totum infringi, quàm vt suspectum videant, damnatùmque tribunal, in quo ipsi causa eeciderint. Iam ferè sæculum fluxisse, quo tribus Capitulis nemo litem intenderit, quid ergo causæ esse vt nouo nec necessario bello Ecclesia collidatur? cur modò improbentur tot iam annis probata? Nestorianam hæresim tam clarè enixeque in Concilio Chalcedonensi damnatam esse, tamque repetitis vicibus, vt venire in mentem nemini possit, eam tribus illis Capitulis, aut assertam: aut admissam esse, nec Chalcedonensibus Patribus, tam parùm lucis adfuisse, nec Ecclesiam tam vecordem, inertemque, vt tot annorum cursu, aut statueret, aut permitteret, quæ Religionem, fidemque minuerent. Vt Theodoretus, & Ibas damnentur, nihil ad fidem pertinere; hanc enim de rebus, non personis esse; quid ergò intersit Theodoreto, Ibæque parci, si modò quæ illi docuerunt, constet & ab illis reuocata, & ab Ecclesia, Concilioque proscripta? id semper in Ecclesia receptum esse, vt pœnitêtes in sinum reciperet; apertisque amoris, & clementiæ ostijs aditum ostenderent reuerti volentibus: alioquin nullum errori remedium, & finem fore, si crederetur, ignosci non posse, ignouisse Ecclesiam viuis, nec culpæ securis cur in mortuos sæuiretur, nec ampliùs offensuros? Quod si leges, Canonesque prohibeant absentem aliquem, indefensumque damnari; quantò magis emortuum, & in publica synodo absolutum? falli Patres si crederent, hac in mortuos sententia pacem redituram: imò nouum bellum incendi, nouumq; hæresi triumphû parari; Occidentis Antistites numquàm Chalcedonensibus illudi passuros, istos ergò perniciosio Schismate inuolui, reddique Patribus, qui Constantinopolim peruenerint, infensos, auersosque, & quam isti sententiam in tria capitula protulerint, illos planè reiecturos; quanto hoc synodi dedecore, quantoque damno? Hæreticis id lucri accedere, vt cùm duas synodos aduersis Decretis pugnantes videant, vtramque pari ludibrio habeant; hunc ergò fructum Concilio fore, vt nulla Concilijs reuerentia, fidesque habeatur. Hoc Hæreticos cupere.] Hæc Vigilij sensa; & rationes erant in constituto expressa; sed cohiberi torrens non potuit, quin Ibas eiusque epistola ad Marim damnaretur, quod factum actione sexta, repetito in Nestorium, & Mopsvvestenum anathemate. Septima collatione plures Vigilij literæ in synodo lectæ, quibus tria Capitula damnasse videbatur. Octaua tandem in tria Capitula pronuntiatum: sic habuit synodus Constantinopolitana; secutæ persecutiones, proscriptiones, exilia Episcoporum, qui nollent tria Capitula damnare: nec Vigilio pepercere, ad carceres, & exilium rapto cùm Clericorum manu, qui ei adhærebant. Inter ipsos Catholicos ingens discordia, quàm plurimis tria capitula damnare recusantibus, quòd posteà dicemus. Redijt tandem ab Exilio Vigilius, ac in Sicilia morbis, ærumnisque

consumptus vitam finiuit. Testantur quàm plurimi, Vigilium tandem Concilio subscripsisse, idque ne videretur Nestorio, & præsertim Origeni fauere, cuius errores paulatim Orientem occupabant; maluit ergo maiori morbo occurrere, & impendens naufragium breui, viliqùe iactura redimere: quæ causa fuit Pelagio, & Gregorio Magno Pontificibus, vt hoc quoque Concilium curarent recipi, quod tandem magnis laboribus effecere. cùm palàm ostendissent, in rebus ad fidem spectantibus nihil à quinta synodo definitum, quod decretis Chalcedonensibus aduersaretur, id enim præcipuè omnium ferè animis insederat, quod vbi dedocti sunt, manus, tandem communi paci dedere; hoc enim sancti illi Pontifices obseruarunt, vt cum certamen de fide non esset, aliquid darent optatæ concordiæ, cederentque Græcis genti superbæ, ac vinci dedignantibus, & flecti nescijs.

Vigilium 5. synodo subscripsisse testes sunt Euagr. lib. 4. cap. 33. Niceph. lib. 17. c. 27. & 28. alijque. Vide Reg. Sacerd. fol. 320

VIII. Ex hac historica narratione multa deducere licet memoratu digna, & quæ facilè nubes discutiant ex narratione Maimburgi offusas. Primò certum est causam trium capitulorum nihil ad fidem spectasse: errores enim Theodori, Theodoreti, Ibæque omnes Catholici æquè detestabantur: lis tantùm de personis erat: hæc quæstio facti erat; nec enim sequitur, vt qui hæresim docuit, continuò sit hæreticus, mens enim, & pertinacia hæreticum, non calamus facit; & sæpè ignorantia delinquitur, ac præsertim cùm illi errores abiurassent, & in Leonis sententiam, ac scripta flexissent, idque S. Gregorius multis locis testatur, salua videlicèt fide de tribus capitulis certatum esse: [De illa, inquit, synodo, quæ Constantinopoli facta est, quæ à multis quinta vocatur, scire vos volo, quod in ea de Personis tantummodò, non autem de fide aliquid gestum est, & de personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur. Et lib. 3. epist. 2. Postquàm talis scissura pro nulla re facta est, iustum fuit, vt Sedes Apostolica curam gerat. Et Pelagius II. epist. 2. ad Eliam vocat quæstionem superfluam.] Docuitque idipsum experientia; quamuis enim absoluto Concilio eiusdem Canones ab omnibus recepti sint, cùm nihil aliud repeterent, quàm Ephesini, & Chalcedonensis Conciliorum Decreta; in his tamen quæ ad tria capitula spectant, totus ferè Occidens obluctatus est, collectisque Concilijs defensio trium Capitulorum suscepta; nec propterea quisquam hæresis accusatus est: quippe persuasum habebant, maiorem esse Vigilij, quàm Concilij auctoritatem; quamuis enim Vigilius, cùm adhuc animi penderet, in priuatis quibusdam epistolis aduersùs tria capitula scripsisset, nunquam tamen rem definiuit, tulitque sententiam; nisi eo diplomate, quod constitutum appellauit, synodoque exhibuit, & hoc solo tanquam Pontificia auctoritate edito Occidentales contra synodi decreta nitebantur. Victor ergo, & Facundus Hermianensis post Concilium Constãtinopolitanum Africani Episcopi pro tribus Capitulis dissertissimè scripserunt, & ideò ad pœnas quæsiti. Africa, Illyrium, Hybernia, & totus ferè Occidens fatente etiam Maimburgo causam trium capitulorum contra quintam synodum amplexus, idemque in Concilio Aquileiensi definitum: nec alia isti ratione ducebantur; quàm quod crederent, doctrinam quintæ synodi, qua parte de tribus capitulis agit sententiæ Pontificis Romani aduersari, sicque huius potiùs auctoritati, quàm synodo deferendum esse; nec vllis artibus aut pœnis, nec millies obiecta Concilij auctoritate priùs moueri potuerunt, vt tria capitula damnarent, quàm edocti à summis Pontificibus, hanc ipsam esse Romanæ Sedis sententiam tempori, ac concordiæ cedentis, præsertim cùm quæstio de fide non esset palam ergo est, omnes Episcopos Occidentis, ac etiam Gallicanam Ecclesiam eius sententiæ tum temporis fuisse, vt crederent nullam esse synodo auctoritatem à Romanis Pontificibus improbatæ, & istorum Decreta omni synodo potiora esse: alioquin si id non crederent, cur Pontifici potiùs, quàm synodo adhærerent, cur improbarent, repellerentque synodi Decreta collectisque Episcoporum Concilijs, ac libris disertissimè scriptis ea impugnarent, nec pœnis, nec exilijs, nec alia quauis ratione ad ea recipienda moueri priùs possent, nisi à Romanis Pontificibus iussi? iubet synodus, non audiunt: iubet Pontifex, obtemperant; cuius ergo auctoritatem maioris ducunt? illius, quem respuunt, an cuius admittunt? sed ne quid ex nostro præter verum finxisse videamur, audiendus Gregorius in epistola, quam adhuc Diaconus nomine Pelagij Pontificis ad vniuersos Istriæ Episcopos scripsit, & habetur tomo 2. Conciliorum par. 2. inter fragmenta Concilij Constantinopolitani. Rursum, inquit, per epistolam vestram dicitur à Sede Apostolica vos doctos, atque à scrinio Sanctæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei consentire debeatis. Atque hanc opitulationem excusationi vestræ adiungitis, quòd in causæ principio, & Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum Prouinciarum Principes damnationi trium capitulorum fortiter restiterunt. Et Beda lib. de 6. ætatib. Synodum Aquileiæ factam ob imperitiam fidei quintum vniuersale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus B. Papæ Sergij monitis instructa, & ipsa huic cum cæteris Ecclesijs annuere consentit. Et Platina in vita Sergij: Ecclesiam Aquileiensem quintam synodum non omninò approbantem ad sanitatem doctrina, & auctoritate sua tandem perduxit.] Plus ergo Patres, & Ecclesia Aquileiensis Sergio Pontifici, quàm quintæ synodo deferendum censuit. Quòd si Pelagius, Gregorius, Sergius, alijque Pontifices perrexissent quintæ synodo obniti, eamque improbassent, certissimum est, eam toto Occidente nunquam acceptam fore, cùm vix tandem, & post longum certamen Pontificum auctoritate euictum sit, vt reciperetur: plus ergo istis reuerentiæ, & submissionis, quàm Concilio datum; hoc enim quamuis centum septuaginta quinque Episcoporum votis, ac Principis Maiestate, ac præterea sæuissimis legibus, ac longa persecutione armatum, nunquam tamen euicit, vt ei Occidentales sub-

S. Gregor. lib. 3. ep. 37.

Maimb. hist. du Pontif. de S. Greg. lib. 1. fol. 37. & fol. 34.

subscriberent; soli ergo Vaticano gloria confectæ pacis, impetratique obsequij seruabatur. Postquam verò reliquæ Ecclesiæ Occidentis causa vitandi schismatis, exemploque Pontificum, cesserant; meritò S.Gregorius, & Pelagius querebantur paucas illas reliquias, in re, vt loquitur idem Gregorius, [nullius momenti, merèque superflua, nec fidei connexa,] opinionem suam paci, & charitati præferre, & ab aliarum Ecclesiarum societate disiungi: quis enim Ibas, & Theodoretus, vt istorum causa perire Vnitatem, pacemque vellent? præsertim cùm ex sensu, verbisque quintæ Synodi conditionata solùm esset eorum damnatio, [si videlicet erroribus immortui essent;] constabat verò immortuos non esse, imò errores execratos: quid ergo damni, si Græcorum pertinaciæ, communique concordiæ mortuos damnarent, innoxia sententia, nec obfutura? tam magna victoria tam parui stabat.

Dices ex illa ipsa alijsque Gregorij Epistolis apparet, creditum à plerisque fuisse, Pelagium, & Gregorium, aliosque Romanos Pontifices contra Concilij Chalcedonensis decreta sentire, & ideò tanto tempore morati sunt, obluctatique, vt tria Capitula damnarent: credebant ergo Pontifices errare posse, sicut planè errasse Vigilium oportuit, qui non priuatis tantùm Epistolis, sed solemni, ac Pontificio diplomate, quod Iudicatum vocabant, in tria Capitula pronuntiauit: posteà alio, parique auctoritate, quod Constitutum dicebant, eadem Capitula prolixè sustinuit, vetuitque damnari. Ac tandem sexto, postquam, exulauit, mense Pontificia Decretali tria iterùm Capitula obliterata voluit, addiditque hæc verba; [Quæ verò aut à me, aut ab alijs ad defensionem prædictorum trium Capitulorum facta sunt, præsentis huius scripti nostri definitione euacuamus.] Oportet ergo, inter tot sibique aduersas Vigilij sententias aliquam falso laborare; falli ergo Pontifices possunt.

Resp. Iam suprà monui, quæstionem de tribus Capitulis citra fidem stetisse, imò à S. Gregorio, & Pelagio [nullius momenti, & superfluam] vocatam esse; in huiusmodi autem falli Pontifices posse vltro fatemur: quamquam nec Vigilius, aut alij errabant; cùm pro varijs temporum, hominumque circumstantijs nunc damnari tria Capitula, nunc sustineri volebant. Cùm timor erat, ne illis damnatis Capitulis damnari quoque Synodus Chalcedonensis videretur (id quod optabant Eutychiani) aut saltem in dubium vocari, frementibus Occidentis Episcopis, ac Schisma minantibus, nisi absisteretur: credidit Vigilius abstinendum [illegible] antiquisque vestigijs inhærendum; quod in [illegible] Constituto prolixè demonstrauit. Vbi verò ex aduersò præuidit multò plus periculi ab Orientalibus, nisi Capitula damnarentur, instare; omnibus videlicet in eam sententiam ruentibus, ipsoque Imperatore tanto ardore agmen ducente; præsertim cùm Nestoriani ea Capitula suis erroribus prætexerent, multisque Theodoreti, & Ibæ auctoritate imponerent, viderentque sub istorum nominibus à Concilio admissis venena quoque animis illabi, maiorque multò spes alluceret Occidentalium animos placandi, permouendique, quàm Græcorum, qui innatam pertinaciam duplici auctoritate Principis videlicet, Synodique obfirmabant. Et his, inquam, alijsque rationibus, vtque glisceenti Schismati & ingens incendium promittenti fomenta subducerentur, permotus est Vigilius, alijque post eum Pontifices, consilia sæpiùs, non finem mutare: neque hoc inconstantis, aut errantis fuit, quippe eadem semper nauigatione, & eumdem portum spectante, quamuis contrarijs ventis, & ex aduerso flantibus; & Medici remedia vertunt mutantibus morbis; nec alternatio errori, sed arti adscribitur; imò is error esset, nolle consilia temporibus aptare, eodemque vestitu gaudij, luctusque diebus incedere. Prudentis ergò fuit consilijs non obstinari, affigique, sed vt res ferret, in diuersa transire, & locum necessitati dare: alioquin si error is fuisset, sequeretur etiam Concilia Oecumenica errori esse obnoxia; nam, & Synodus Chalcedonensis sententiam pro tribus Capitulis tulit, quam posteà Synodus Constantinopolitana mutatis causis correxit; sic B.Paulus, qui in circumcisionem tàm acriter inuectus aliquandò fuit, eam posteà Timotheo adhibuit, ne Iudæos offenderet; quam cùm videret Gentilibus fastidio, & scandalo esse, obliterari iterùm voluit, Petro vehementer obiurgato: hoc ergò Vigilius fecit, alijque Pontifices; nam quòd timiditas Vigilio opponebatur perinde, ac si in Augusti sententiam metu, non ratione flexisset, res ipsa Vigilium, & euentus purgarunt; eodem enim tempore, quo inter Papam, & Augustum lis ista feruebat, Theodorum Episcopum Cæsareæ, Mennamque Patriarcham Imperatori prædilectos, ipsamque Augustam hæresis compertam Vigilius Ecclesia, sacrisque exclusit; non hæc timentis erant, sed intrepidi, inuictique, & ipsum Imperatorem in charissimis Capitibus prouocantis: quis ergò dubitet non eadem ausurum in causa Capitulorum, si eadem necessitas foret seueritatem exerendi? sed aptior clementia videbatur, & hæc tandem finem certamini dedit. Secundò illud quoque diligenter obseruandum, Concilium hoc quintum non potuisse priùs pro Oecumenico haberi, quàm confirmatum à Vigilio, aut alijs Pontificibus fuerit: & ideò cùm Vigilius quod tria Capitula spectat, confirmare illud renuerit; sequitur nihil momenti, aut virium fuisse: hinc Patres tanto conatu egerunt; vt ei Vigilius interesset; audi istius epistolam ad Synodum: [Poposcit Vestra Fraternitas, vt nobis præsidentibus de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, conferatur, & finis quæstioni, ipsi Deo placitus, & conuenienter ijs, quæ à quatuor sanctis Concilijs definita sunt, imponatur: quibus ita dictis postulationibus annuimus, vt de tribus Capitulis facto Regulari Conuentu, seruata æquitate, & medijs SS.Euangelijs Collationem cum vnitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo.] Collatione quoque VII. eiusdem quintæ Synodi multæ Vigilij epistolæ recitatæ sunt, quibus ostendere conabantur, Vigilium tribus Capitulis aduersarum esse, nec aliud ea sessione actum, & tandem collatione 8. ante sententiam definitiuam præfati hæc

Ep. Vigilij 8. inter ep. PP.

hæc sunt: [Quia contigit Vigilium Religiosissimum omnibus interesse, quæ in tribus Capitulis annotata sunt, & tàm in scriptis, quàm sine scriptis in Concilio conuenire &c.] Imò ipse Mennas Patriarcha Constantinopolitanus, teste Facundo Africæ Episcopo, numquàm Iustiniani edicto contra tria Capitula assentiri voluit, nisi iuramento accepto, nullam fore subscriptionem, si Pontifex reclamasset: agnoscebant ergò Patres Concilij necessariam esse Pontificis confirmationem, & assensum, pro quo ostentando tàm enixè laborabant; quæ Confirmatio, dum abfuit, persuaderi Occidentalibus non potuit, vt Concilium reciperent; sed nemo luculentiùs huius necessitatem, vt B. Gregorius Magnus in suis epistolis ad Episcopos Istriæ, Illyricique in causa Capitulorum scriptis ostendit; citat enim, laudatque multa Leonis Magni testimonia, qui canonem 28. Concilij Chalcedonensis Patriarchæ Constantinopolitano secundas deferentis aboleri voluit, nulliusque momenti esse, quippe inuita Romana sede conceptum, editumque; Romanam enim sedem tantùm ea confirmasse, quæ sunt fidei, non verò, quæ pertinent ad Personas, & ideò, quæ à Romana sede confirmata non fuerant, nullius quoque ponderis fuisse. Audi Leonem epistola ad Pulcheriam Augustam: [Consensiones verò Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.] Oportet ergò magnam esse Confirmationis Pontificiæ auctoritatem, & necessitatem, quando eius defectu, aut dissensu decreta Synodi Oecumenicæ [irritantur, & cassantur.] Et in Epistola ad Martianum Augustum. [Nam, & vestræ pietatis apices, & ipsius Anatolij scripta declamant, Legatos Sedis Apostolicæ sicut oportuit contradictione iustissima ei restitisse, vt inexcusabilis esse præsumptio, quò se nec increpata cohiberet.] Si inexcusabilis est, & præsumptione laborat, qui licèt auctoritate Concilij muniatur, contradicentem tamen habet Pontificem, sequitur nullam esse Concilij auctoritatem, cùm Pontificem aduersantem habet: & tamen nota, quòd sedis prærogatiua, quam Patriarcha Constantinopolitanus expetebat, quamuis Nicænæ Synodo aduersaretur, eamque Pontifices Romani tanto ardore impugnassent; nihilominùs tamen mutata rerum, temporumque conditione ab ijsdem Pontificibus Romanis communis concordiæ causa Patriarchis Bizantinis in Concilio Lateranensi quarto permissa est. Vnde argumentari sic licet: si à Concilio Chalcedonensi statuta, Leo, Simplicius, Gelasius, Gregorius, Nicolaus, alijque Pontifices euertunt, idque iure meritò factum esse Martianus Imperator, & Anatolius Patriarcha confitentur; rursum mutata temporum conditione, pacisque causa eumdem illum Chalcedonensem Canonem toties damnatum, Pontifices ratum volunt, nec errorem hunc esse, sed prudentiam omnes dicunt, tempori se aptantem; quid mirum, aut nouum esse potest in causa trium Capitulorum, variatis rebus variatum toties à Concilijs, & Vigilio,

Facund. pro defens. c. 2. & 4.

Vide Gelasium I. ep. 13 ad Episc. Dard.

alijsque Pontificibus esse? aut cur potiùs in hoc Pontifices, quàm in illo erroris arguas? Quamuis si erroris fuit, priùs Concilium Chalcedonense, quàm Vigilius errauit, & ideò, aut vtrumque, aut neutrum damnas, paris videlicet vtriusque, aut culpa, aut innocentia. Elucet etiam, quanti sit Pontificis Romani confirmatio; hoc enim abnuente, quod duo Concilia Oecumenica statuerunt, pro sede videlicet Constantinopolitana, proque causa trium Capitulorum, acceptum non est, sed à quàm plurimis impugnatum: vbi verò Romanus Pontifex annuit, sublatæ lites, & contentiones, & omnium votis conspiratum, adeò vt ab huius auctoritate præcipuè penderet, recipi Concilia, an respui deberent; quod Patres septimi Concilij apertè professi sunt: sic enim loquuntur: [Hoc autem subtiliùs, inquiunt, est considerandum in ipsa sacra, & venerabili septima Synodo; in qua nullus eorum, qui in his partibus Episcopi erant, conuenisse repertus est. Sed nullum ex hoc sanctæ adhæsit Synodo præiudicium, neque prohibitio vires habuit aliqua statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata, præcipuè cùm sanctissimus, & Apostolicus Papa concordauerit, & in ea inuentus sit per suos Apocrysarios. Tertiò.] Ex his omnibus, quæ in causa trium Capitulorum dicta sunt, facilè colligis, quàm multa Maimburgus inuoluat tegendæ veritati, quæ si apertè, & singillatim edidisset, se ipsam veritas proferebat, sed maluit obscura, & insidijs apta. Dicit: [Vigilium errasse, cùm sententiam tulit pro tribus Capitulis.] At non errauit Vigilius, sed necessitati, & tempori cessit, mutauitque opportunè consilia, idque exemplo Pauli Apostoli, aliorumque Pontificum, & Patrum, imò omnium ferè mortalium, consilia, & media, non finem mutantium; aut si error is fuit, non ad fidem, sed personas spectabat: de quo nulla nobis nec quæstio, nec cura est. Dicit: [Sententiam Vigilij à Concilio examinatam, & abolitam esse, & ita palàm omninò fieri, Ecclesiæ persuasum fuisse, Pontifices Concilio subiacere.] Sed quàm hoc imperitè, & extra lineam? nobis enim quæstio est de auctoritate Pontificum in causis fidei decidendis; at verò iam supra ostendimus, causam trium Capitulorum ad fidem non pertinuisse; quæ ergo consequentia est à rebus heterogeneis, & disparatis? deinde si Vigilius errauit, sequitur etiam Concilium Oecumenicum Chalcedonense æquè, & priùs errasse, quod eadem, quæ Vigilius de tribus Capitulis definiuit; sequitur ergo, non Pontifices solùm, sed etiam Concilia errori obnoxia esse, quod maximè ref[illegible] Maimburgus; denique si ideò Conci[illegible] Pontificem, quia huius senten[illegible]ni subiecit, correxitque: sequitur [illegible]tione Pontificem esse supra Concilium: nam Concilij Chalcedonensis decretum de primatu Patriarchæ Constantinopolitani à Romanis Pontificibus discussum, reiectumque est, vt suprà ostensum. Quòd si dicas illud ad fidem non spectasse, & ideò nihil in fidei rebus Concilijs derogatum; idem ego de causa trium Capitulorum dicam, quæ cum fide connexa non est, nec quidquam Pontificum auctoritati detrahit, qua pollent in rebus

Synod. 7. act. 3. in ep. Episc. Orien.

rum accusatus, damnatusque est: potest ergo Pontifex errare, iudicarique à Concilio. Quòd si dicas corruptam esse à Græcis Synodum sextam, & Honorium culpæ quidem expertem esse, malè verò à Patribus intellectum, explicatumque; quid rogo dices ad septimæ, & octauæ Synodorum, ad Hadriani, Leonis, Agathonis, Nicephori, Tharasij, Theodori, Bedæ, & aliorum Patrum testimonia idipsum asserentium? [Ar malè Patres Honorium sunt interpretati.] Esto; saltem ergo crediderunt posse Pontifices errare, nisi enim id crederent, numquam errasse eos dicerent; fuit ergo omnium eorum Patrum sententia, & Pontifices errori esse obnoxios, & Concilij iudicio subiacere; & qui contrarium docent, sententiæ, doctrinæque Conciliorum aduersantur.

Edit. f.155. & cap 12. fol.118.

Synod.6. Act.4. & Act 13. Synod 8. Act.7 Leo II. epist. 2. ad Episc. Hisp & epist. 4. Nicephor. epist. 3. ad Leonem III Tharas. epist ad summ. Sacerd Antioch, Synod 7. Act 3. Beda de nat. rer. cap.67. V. Regal. Sacerd. fol. 546.

Resp. Vtcumque Honorij res se habeant; certum est, nihil causæ nostræ eius exemplum, aut errorem obstare, si quis fuit: quis enim nescit epistolas Honorij ad Pyrrhum, & Sergium, & ob quas hæresis accusatus dicitur, priuatas fuisse, non publicas, nec dogmaticas, & in quibus nihil Honorius definiuit, sed mentem tantùm suam, priuatamque sententiam aperuit? in huiusmodi verò epistolis errare Pontifices posse, corrigique, non inficior, neque hoc in quæstionem venit; neque enim omnia, quæ agunt, aut dicunt Pontifices, continuò oracula sunt, & humanæ conditionis expertia, sed solùm cùm Pontifices agunt, vel vt scholæ loquuntur, cùm ex cathedra docent; quemadmodum non omnia, quæ Reges dicunt, scribuntque, continuò sunt edicta, & sententiæ, nec vim edicti, aut sententiæ habent. Errat ergò Maimburgus, & ne statum quidem quæstionis intelligit: iacitque tela incerto scopo, ignotoque, sed de hoc postea. Nunc verò hæresim Honorij, quod spectat, fateor in nulla re magis ambiguum me animi, incertumque fuisse; ex vna enim parte tam multi sunt, grauesque in Honorium testes, vt vix audeam absoluere tot testibus impetitum: ex altera verò tam clarum est in ijs epistolis, quæ vnicè arguuntur, nullam hæresim esse, vt non ausim damnare delicti immunem: quid enim? si quis è regio diademate sublatum à me dicat consumptumque pretiosum adamantem, idque centum confirment; & tamen, nec vestigium furti in diademate ostendi, nec gemmarum defectus possit, integro videlicet numero, illibatoque, num furti damnari potero plebiquemum maior vocibus fides, quàm oculis dabitur? Eadem omnino Honorij causa: furti illum, & grauissimi postulant, testes magni, multique: dicunt vnam è duabus in Christo voluntatibus eum subduxisse: si locum patrati furti interroges, literas ad Pirrhum, Sergiumque ostentant. Si literas inspicias, omnesque illarum sinus excutias, tantùm abest vnam voluntatem desiderari, vt potiùs vtramque clarissimè Honorius asserat, vtramque Lector inueniat. Innocens ergo Honorius, si veritatem spectes; Reus, si te-

loco fuisse, & adhuc esse? Ergo persuasum omnino habeo, errorem aliquem Græcorum fraude in sextam Synodum irrepsisse, & vt fieri amat, in alios postea deriuatum esse, qui auctoritate Concilij decepti fuerint, nulla indagandæ veritatis, aut cura, aut studio; cùm superfluum id crederent, sententia à Patribus dicta. Fateor arduum esse, originem, causamque erroris detegere, sed quàm multa, quorum causam ignoramus? nemo dubitat Ægyptum Nilo rigari, quamuis origine occulta. Certum igitur est primò Acta sextæ Synodi à Græcis corrupta esse, nec id nouum apud Græcos, nam, & Acta quintæ Synodi infecerant restibus Patribus action.12. Et 14. sextæ Synodi: & Sessione 8. gloriatur Macharius Archiepiscopus Antiochenus Patrum scripta, vt suis opinionibus opportunum videbatur, aptata à se esse. Beatus etiam Gregorius lib.5. Epist.15. ad Narsem, Concilia Chalcedonense, & Ephesinum fatetur eadem fraude fædata, idemque B.Leo, & Anastasius testantur. Eadem Nicolai primi querela epistola ad Michaelem Imperatorem. Quid ergo nouum est, Græcos hac arte non imbutos tantùm, sed etiam superbos, quique tertiam, quartam, quintam, & septimam Synodos aggressi fuerant, pari audacia in sextam grassatos esse, nullo pudore, imò etiam fastu, quippe ingenio adscribebant. Secundò, ipse Agatho Papa in epistola Synodali (quam Patres sextæ Synodi summis laudibus extulerunt) cùm de hæresi Monothelitarum disputaret, negat, [Romanam Ecclesiam iuxta Christi promissionem à vera fide vnquam deflexisse, sed suos Prædecessores semper hæresibus restituisse, & fratres in fide confirmasse.] Qui rogo id Agatho, & in consessu totius orbis ediceret, recenti adhuc Honorij exemplo, & Patribus tam noto? Quis non Salomonem rideret, si in publicis regni Comitijs pronuntiaret; nullum è sua Iudæque familia homicidio, & adulterio obstrictum fuisse, cùm vestigia fœdari Thalami, calentisque Vriæ sanguinis omnium oculos adhuc implerent? Mendax ergo Agatho, impudensque, qui Patribus tam aperto mendacio illuderet; sed multò isti nocentiores, qui non ferrent tantùm Agathonij mendacium, sed etiam applauderent, clamarentque: [Petrum in Agathone locutum esse:] Hoc dicerent mentienti? Tertiò, si verum est, Honorium à Concilio Hæresis damnatum esse, pace dixerim tantorum Patrum, nec maius delictum imputari, nec iniquior sententia esse potuit. Honorius hæreticus, Honorio anathema: interim verò nulli tanti delicti testes, nulla iudicia, nullum causæ examen, nullus, qui iam dudum defuncti innocentiam substineret, sed vno, eodemque temporis momento Honorius Pontifex Romanus, reus, & victus, damnatusque; crederes de papauere in hortis demetendo, non de Pontifice Romano causam agitari: & quando, vel vilissimum caput tanta iniuria, rerumque neglectu iudicatum est? cùm Arius, & Ne-

S.Leo ep 81 ad Palæstinos. Anast. præfat. in 8 Synod.

Sexta Synod 29. 12. & 14 V. act. 8. & 18.

& Nestorius, cùm Theodorus, & Mopsuvestenus, Theodoretus, alijque postulati sunt, quorum tamen hæreses notæ, vulgatæque, & tot libris, ac spectatoribus sparsæ; quanta nihilominùs cura studióque, & probationum mora sententiæ dilatæ sunt, inuitis velut extortæ? adeòut cùm in Nestorium pronuntiarent, gemitus sententiam sequerentur: in solos Honorij, & indefensos cineres nullo examine, nulloque apparatu, vibrata cursim anathemata: quis hoc de tanto Concilio? præsertim cùm in promptu Honorij epistolæ essent, in quibus expressis disertisque verbis duas naturas, duasque operationes fatebatur, Monothelitarum hæresi confixa potiùs quàm probata. Si ergo verum esset, Honorium in hac Synodo hæresis damnatum esse, oporteret Synodum in iudicio tanti momenti summæ iniquitatis, & socordiæ pulsari, imò ignorantiæ: nemo enim, qui rem ipsam confitetur, si nomen reticeri iustas ob causas velit, vt Honorius reticeri volebat, hæreticus appellari debet, præsertim re nondum definita; alioquin, & Hieronymus hæreticus fuerit, qui censuit non esse tres hypostases in Deo dicendas: & Augustinus, qui Pascentio Ariano vocem homousij omitti permittebat, modò fateretur filium eiusdem cum Patre substantiæ, & naturæ. Hæresis ergo non vocum, sed rerum est: quæ ergò Patrum ignorantia, Honorium hæresis damnare, qui hæresim ipse damnabat, & quibusdam tantùm vocibus abstinendum scribebat concordiæ causa, quodque vocibus duarum naturarum, quàmplures abuterentur, quasi in Christo duæ, & contrariæ fuissent, quales videlicet in nobis sunt, aduersæ sibi, rebellesque? hæc tota Honorij culpa, ob quam an hæretici nomen, & pœnas meruerit, clarius est, quàm vt Synodus potuerit ignorare, & alibi ostensum est.

Hieron. ep. ad Damas. S. Augustin. epist. 174.

V. Regale Sacerd. fol. 146.

Dices: Honorius cum Sergio communicabat, imò eidem scripserat, se cum eo sentire, sibique probari, quæ Sergius proposuerat, ergo ex hoc capite meritò pro hæretico habitus est.

Resp. Latebat adhuc hæresis Sergij, aut quòd recens, aut quòd pietate fucata, & necdum perstrinxerat Occidentem, quæ causa, vt non Honorius solùm, sed alij quam plures doctrina, & virtute præstantes cum Sergio communicarent, quippe needum comperto: sic Basilius vir alioquin seuera pietate cum Eustachio Episcopo Ariano communicare visus, & tot calumnijs præsertim in Occidente petitus, sic Chrysostomus cum Origenistis, Innocentius cum Pelagio, quòd videlicet pietate, & religione, quas simulabant, capti, eorum societatem non respuerent, aut quòd ægros ignorarent, aut quòd sperarent curari posse: quando mederentur, si fugerent laborantes? non sequitur ergò Honoriū quoq; febribus æstuasse, quia decumbentibus assedit.

[At Honorius Sergio Monothelitæ hæretico assentiri se dicit, ergò, & ipse Hæreticus Monothelita est.]

Resp. Videndum priùs, qua in re Honorius Sergio assentitur: sicut enim non omnia, quæ hæreticus dicit, hæreses sunt, ita non omnis, qui hæretico aliqua in re assentitur, continuò hæreticus est. Concedit Lutherus tres esse Personas in vna natura Diuina: num ideò hæreticus, & Lutheranus erit, qui hac in re sentire cum Luthero se dicat? Honorius ergò vna in re cum Sergio hæretico sentit; abstinendum videlicet illis vocibus: [Duæ voluntates in Christo, duæ operationes;] id enim nouum esse, nec necessarium veritati, & potiùs ad Philosophorum, & Grammaticorum scholas pertinere, imò abuti aliquos ijs vocibus, vt ostendant; populoque persuadeant, duas in Christo voluntates discordes fuisse: ergò voces quod attinet, premendas eas esse concordiæ causa, & nec vnam voluntatem, nec duas dicendas esse, sed potiùs duas naturas propria, operantes in vna Persona: in hoc ergò eadem Honorij opinio, & Sergij fuit, neque id hæresis, sed prudens cautela, ne fomes daretur gliscenti discordiæ. Multa dissimulari possunt malo adhuc modico, & remedium patiente, quæ postea obfirmata ferri non debent. Rem verò ipsam quòd attinet, an videlicet duæ in Christo naturæ, duæque operationes essent, dissentit omninò à Sergio Honorius; Sergius enim, omnesque Monothelitæ negabant esse duas in Christo voluntates, duasque operationes; sed vnam tantùm voluntatem, vnamque operationem admitti volebant; at Honorius clarissimè dicit: [Non esse dicendum vnam voluntatem, vnamque operationem, sed tamen vnum operatorem Christum propter vnitatem suppositi:] monetque Sergium, vt deinceps omittat dicere, vnam esse in Christo voluntatem: Vtrasque, inquit, [naturas in vno Christo cum alterius communione operantes, [atque operatrices confiteri debemus, & Diuinam quidem, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem.] *En tibi* duas naturas, duasque operatrices potentias, & duas quoq; operationes, humanam videlicet, & Diuinam: quid poterat contra Monothelitas expressiùs dici? si enim, vt dicit Honorius, natura humana in Christo operatur, ergò operationem aliquam humanam habet (Diuinam enim habere non potest) ergò in Christo duæ sunt operationes, humana, & Diuina. Rursus Monothelitæ nullam propriam, & humanam operationem in Christo admittebant, sed solam Diuinam; humana natura patiente tantùm, & recipiente, eo ferè modo, quo tabula, aut marmor recipit tantùm, non format imagines, actio verò Pictoris, sculptorisque à solo Pictore, aut sculptore est: id obseruat S. Thomas, clarèq; Sergius ad Honorium scribit: Quemadmodum, inquit, [corpus nostrum regitur, & disponitur ab intellectuali, & rationali anima nostra; ita & in Domino natura tota humana, eius conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, vt sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.] Idemque Pyrrhus fatetur in Dialogo, quem cum Maximo habuit. At Honorius: [Vnum quidem operatorem esse dicit, at duas operatrices naturas. Itaut Diuina, quæ Dei sunt, operetur, humana, quæ hominis, sicque humanam naturam non pati tantùm, sed etiam operari.] Qui ergò Monothelita Honorius, si Monothelitis è diametro aduersatur, negatque quæ illi asserunt, asserit, quæ negant? [At Monothelitæ Honorij societate, & communione gloriabantur. Sed nos queri-

S. Thomas 3. p. qu. 18. ar. 1. Sergius epist. ad Honor. act. 12. sextæ synodi.

[illegible] Hieronymus, Chrysostomus, & præsertim Augustinus, quorum Societatem, & olim, & nunc quòque Hæretici passim vanèque ostentant. Palàm est ergò, si epistolas Honorij examines, quarum causa hæresis postulatus est, innocentem illum esse, & culpæ immunem, & ideò, nec credi posse in Concilio damnatum, præsertim iam prædefunctum, & de quo dubitari meritò debuit, essetne hæresi immortuus, si quam contraxisset. Quartò, denique summi momenti est S. Maximi Monachi, & Martyris testimonium, quo Honorium Papam omni culpa, & hæresis suspicione absoluit. Is præcipua Sanctitate florebat, cui tandem Martyrij palmam adiunxit; Monothelitarum perpetuus malleus, eorumque errorum adeò gnarus, vt Pyrrhum Monothelitarum Principem, & Constantinopolitanum Patriarcham publico congressu, & disputatione vicerit, conuerteritque; non ergò, aut adulationis, aut ignorantiæ notari potest: & præsertim cùm eius disputatio publicè audita, publicè excepta fuerit, nec quidquam à Maximo narratum, non planè compertum, certumque veritatis. Cùm ergò Pyrrhus Honorij auctoritatem Maximo in hæc verba obijceret. [Quid de Honorio ad respondendum habes, qui apertè Antecessori meo vnam voluntatem Domini Christi esse tradidit?] Respondit Maximus: [Quis fuerit fide, & auctoritate dignus epistolæ huius interpres, qui eam ex persona Honorij scripsit adhuc superstes, & qui totum Occidentem tum virtutibus, tùm dogmatibus fidei illustrauit? an ij, qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur? Pyrrhus: Cui hanc composuit. Maximus: Is igitur ipse cùm ad Diuinum Constantinum Imperatorem ex Persona rursus sancti Papæ Ioannis de hac epistola scriberet, dixit: vnam diximus voluntatem in Domino, non Diuinitatis, & Humanitatis, sed Humanitatis solius; cùm enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates contrarias ponerent; diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis videlicet, & Spiritus, sicut nos habemus post peccatum &c. Hæc Maximus, cui Pyrrhus acquieuit, nec habuit, quod reponeret. Contigit verò hæc disputatio Anno Christi 645. hoc est annos triginta sex, antequam Concilium Constantinopolitanum conuenerit. Considera, an Maximus hæc dicere auderet, an Pyrrhus reciperet, nisi vterque vera esse, & extra dubium credidissent. Reperitur etiam in Collectaneis Anastasij à doctissimo Sirmondo editis Apologia Ioannis Papæ IV. ad Constantinum Imperatorem Heraclij Filium, epistolas Honorij Catholicas esse, nec vlla hæresi inquinatas, & fraude Monothelitarum in alienos, peruersosque sensus expositas. Hoc scriberet Ioannes Constantinopolim, & Imperatori, nisi certus veritatis? alioquin conuinci poterat falsitatis, & palàm argui epistolis, quas Honorius scripserat, in lucem depromptis. Sic in Synodo Lateranensi sub

V. Dialogũ Græcolatinum S. Max apud Baron in App. Tom. 8.

[illegible] & in sexta Synodo eodem fasce cum alijs hæreticis implicitus? sic etiam Photius: Zonaras, & Paulus Diaconus, vbi enumerant in sexta Synodo damnatos, nullam habent Honorij mentionem. Ex quibus omnibus deducas, meritò, & à quamplurimis asseri, Honorij nomen, aut fraude, aut errore in acta Concilij deuenisse, & postea in alios quàm plures; quamuis, vt supra monui, difficile sit causam, & originem erroris, aut fraudis euoluere; latente videlicet radice, & ramos tantùm ostentante; non enim sequitur non esse, quæ sunt occulta. Quintò. Sed quidquid sit de Honorij lapsu, illud certum est, nihil obesse infallibilitati Pontificum, & auctoritati, quam illis in Concilio tribuimus. Epistolæ, quas Honorius ad Sergium dedit, priuatæ sunt, nec fideles alloquuntur, nec quidquam decidunt; quamuis enim ex lege contradictoriarum oporteat duas voluntates, & operationes in Christo esse, vel non esse; Honorius tamen neutrum vult dici, sed tantùm duas cum proprijs operationibus; quod planè non est decidere, sed rem in medio, & suspensam relinquere. At verò non in omni casu, nec in quouis scripto nos Pontificem infallibilem esse dicimus, ac erroris securum; sed tunc solùm, cùm Pontificem agit, & Magistrum Ecclesiæ, hoc est, cùm actum aliquem exercet, qui ad solum Pontificem pertinet, qualis non est epistolas scribere, aut scriptis respondere, & quid consultum credas, aperire; id enim non soli Pontifici Romano, sed cuiuis, non Episcopo solùm, sed etiam priuato permissum est; cùm enim hoc priuilegium infallibilitatis in publicum Ecclesiæ bonum vergat, noluit Deus illud Personæ, sed officio annecti, & tunc solùm præstò esse, cùm Pontificali officio fungeretur, eo ferè modo, quo in veteri Testamento non semper, nec quouis tempore oracula Pontifici dabantur; sed tunc solùm, cùm Pontificio apparatu, cultuque, Templo, & arcæ se sisteret, quæ cum alibi fuse sint demonstrata, repeti non debent. Nec verò, vt inquit Maimburgus, [sunt hæc ænigmata, & responsa ambigua, ac plena obscuritatis, & quæ, nec illi satis intelligunt, qui ea proferunt;] enim verò oportet Maimburgum in alio orbe natum, & numquam, non dicam in scholis, sed nec in foro, aut palatio visum, qui ea pro obscuris, & imperuijs habeat, quæ nemo non videt; quis enim tam simplex, rudisque, & humanæ societatis ignarus, qui nesciat, non omnes Regum actiones Regias esse, & priuilegio Maiestatis gaudere? nec omnia Iudicum verba, & epistolas ad leges, & edicta pertinere? quæ si clara, & obuia sunt, & omnibus comperta; quæ tandem sunt illa arcana, vocesque impenetrabiles, nec ipsis loquentibus notæ, cum nos dicimus, non omnia Pontificum scripta ad oracula, & dogmata pertinere, sed ea solùm, quæ vt Pontifices, & Ecclesiæ Magistri, atque è Cathedra pronunciant?

V. Reg. Sacerdot. fol. 467.

Maimb. Tract. Hist. c. 12 f. 131.

hoc eſt, cùm rebus maturè diſcuſſis cauſam aliquam definiunt, iubentque definita pro fidei veritatibus haberi, eoſque, qui ſecus credunt, haberi pro hæreticis volunt? hic eſt actus Pontificiæ auctoritatis, & in hoc falli, aut errare Pontifices poſſe negamus: nec vmquam Maimburgus contrarium oſtendet: in alijs verò actibus, qui Pontificiæ poteſtati non ſunt proprij, falli eos poſſe, commune, communique mortalium conditioni erroribus obnoxiæ ſubiacere vltrò concedimus. Deque, vt breui argumento omnia concludã: aut Honorius hæreticus fuit, aut non fuit? ſi non fuit, falſa ergo accuſatio, nulloque fundamento nixa, quæ ex illo conſequuntur: ſi hęreticus fuit, concedimus Papam hæreticum iudicari à Concilio poſſe, neque hoc in quæſtione vertitur; cùm enim fides ſit vita Corporis Myſtici, adeò vt ex mente S. Pauli, Iuſtus ex fide viuat: qui fidem non habet, non eſt membrum viuum Eccleſiæ; quì ergo erit Caput Eccleſiæ, qui ne membrum quidem eſt? & ideò ſacris Canonibus toties definitum eſt, Pontificem Romanum in ſola hæreſis cauſa iudicari à Concilio poſſe, quia vide licet ſola hæreſis facit, vt deſinat eſſe membrum, & conſequenter caput Eccleſiæ. Vides ergo Exempla à Maimburgo adducta tot partibus laborare, vt non tantùm euidentibus demonſtrationibus accenſeri nõ poſſint quales ipſe promiſit, ſed vix leuibus coniecturis; quippe, aut ex dubijs principijs, aut ex falſis procedunt, aut extra ſtatum quæſtionis vagantur: capiunt tamen, eliduntque ignaros, Tartarorum excurſionibus ſimiles, imbelli tantùm plebi, minutæque infeſtos, ſed armatis impares.

c. audiuimus 24. q. 1. c. Nouatianus q. 1. c. dicimus ca. Achatius 25. q. 1. cap. oues 2. q. 7. c. ſi Papa d. 40. Caiet. Tr. de auct. Conc. & Papa. cap. 20. S. Anton. in ſumma, tert. p. T. 23. c. 3. § 4. Suar. de fide n. 10. f. 6. Bellarm. de Rom. Põtif. l. 2. c. 30. V. Reg. Sacerd, f. 415.

X. Obijcitur 5. Donatiſtæ in cauſa ſchiſmatis Carthaginenſis, cùm Cœcilianum eius Eccleſiæ Epiſcopum Romæ multis querelis oneraſſent; is verò ſententia Melchiadis Papæ abſolutus eſſet, ad Concilium appellarunt, idque Conſtantini Imperatoris Arelate ijs datum, magno Epiſcoporum numero frequens. In eo ſententia in Donatum dicta, innocentia Cœciliani probata. De hoc Concilio, ita Auguſtinus: [Putemus illos Epiſcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Vniuerſalis Concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari, vt ſi malè iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur.] Fatetur ergo Auguſtinus minorem Pontifici auctoritatem, quàm Concilio eſſe: ab hoc enim iudicari Pontificum ſententias poſſe, ſoluique. Exclamatque hìc Maimburgus, perinde, ac ſi bellum confectum, nec alia cura, quàm eleuandi trophæi eſſet; [Ingenuè, inquit, liberèque fateor, nullo magis exemplo conſtare Pontificum ſententias tribunali Conciliorum ſubmitti; in hoc enim examinari poſſunt, corrigique, ſi iniuſtæ appareant.]

Maimb. cit. cap. 18. f. 159

Reſp. Hiſtoria Concilij Arelatenſis ſic habet: Anno Chriſti 306. Ceſſatum eſt in Africa à fidelium perſecutionibus, Maxentij Imperatoris, ſeu indulgentia, ſeu metu: quippe Chriſtianos lucrari properabat Conſtantino Imperij æmulo palàm addictos. Contigit eodem tempore Menſurium Carthagine Epiſcopum morte defungi: ſucceſſit omnium votis Cæcilianus Menſurij quondã Diaconus, conſecrauitque Felix Aptungitanus Epiſcopus. Vehementer hac electione Botrus, & Cæleſtius offenſi, quibus, & ſpes fuerat, & par ambitio, eas infulas occupandi, nunc ſpe deiectos cupido inceſſerat vindicandi: auctuſque æmulorum numerus ſeniorum factione, à quibus ſacra vaſa auro, argentoque inſignia nouus Epiſcopus repetierat: ſed quod peius omni malo, fœmina præpotens, iraque, & opibus ferox tempeſtatem ciebat. Lucilla ea fuit, quam cùm Epiſcopus obiurgaſſet, quòd indigna ſuperſtitione priùs cineres cuiuſdam cadaueris libaret, (quod Martiris fuiſſe nec dum ſatis conſtabat) quàm ſacro epulo accumberet, immenſo obiurgantis odio flagrauit, effuditque, vt licuit. Quæſitæ criminationes, quæ odium obtegerent; videlicet: [Quòd aliena manu conſecratus eſſet, Secundo Tegiſitano Epiſcopo, & Numidiæ Primate pręterito, neglectoque. Quòd Martyres, qui carcere tenebantur, fame necaſſet: quodque à Traditoribus ſacris initiatus.] Paratis ergò calumnijs Cæcilianum in ius vocant, cauſam dicturum: is negat ſe adeſſe poſſe, Iudicibus iam odio corruptis, & palàm aduerſis Abſentem ergò in Conuentu 70. ferè Epiſcoporum damnant, eique Maioranum ſufficiunt Lucillæ præcharum; hinc natum ſchiſma pertinax, funeſtumque, Duce præſertim Donato Epiſcopo, qui nomen factioni dedit, auxitque eloquentia populari, ac rebus turbandis apta. Nihil moueri Cæcilianus, innocentia, & Pontificis Romani tutus auctoritate. Audi Auguſtinum: [Conſpirantem multitudinem inimicorum non curabat, cùm videret ſe, & Romanæ, in qua Apoſtolicæ Cathedræ ſemper viguit Principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere. Donatiſtæ, cùm cauſæ ſuæ, ac Romæ diffiderent, à Conſtantino Imperatore, qui tunc in Gallijs morabatur, Gallos iudices petunt. Conſtantinus Romam, cùm litteris ad Melchiadem Pontificem mittit, illic enim cauſas maiores agitari oportere; additi tamen tres è Gallia Antiſtites, Maternus Colonienſis, Rheticius Auguſtodunenſis, & Marinus Arelatenſis Epiſcopi, quibus Itali quindecim adiecti: Cæcilianus omnium votis abſolutus, ſed præſertim Melchiadis ſententia, de qua ita Optatus: [Etiam Melchiadis ſententia, qua iudicium clauſum eſt his verbis &c.] Et Auguſtinus: [Qualis ipſius Melchiadis prolata eſt ſententia, quàm integra, prouida, atque pacifica &c.] & poſt pauca: [O Virum optimum, ò filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis!] Prouocatum à Donatiſtis ad aliud, & plenius Concilium, vt apertè teſtantur DD. Auguſtinus, & Optatus, & quamuis Conſtantinus prouocationi ceſſerit pacis ſtudio, eam tamen prouocationem, & ipſe, & alij Patres deteſtati ſunt, & impiam crediderunt. Audi S. Optatũ, qui cùm Melchiadis ſententiam retuliſſet, continuò hæc ſubdit: [Sufficit ergo etiam Donatum tot ſententijs eſſe percuſſum, & Cæcilianum tanto iudicio eſſe purgatum? & tamen Donatus ab Epiſcopis appel-

S. Auguſtin. epiſt. 162.

V. S. Optat. l. 3 contra Parmenian.

Optatus loco cit.

Aug. epiſt. 162.

Aug. in Pſ. contra part. Donati.

Optatus lib. cit.

Optatus l. 1. contra Parmenian. Idẽ fatetur Maimb. Tract. hiſt. cap. 18. fol. 157.

uocationem pro legitima habuerit, vt eam furoris, & audaciæ plenam dixerit, & Christianis indignam: nota tamen hæc verba à Constantino reperita videri cùm posteà ijdem Donatistæ à Concilio Arelatensi ad Augusti tribunal prouocarunt, vt animaduertit Sirmondus, & eruditissimus Schelstrate. Inuehitur in eamdem prouocationem Constantinus epist. ad Chrestum Episcopum Syracusanum apud Eusebium, & præsertim Augustinus: [Tantæ, inquit, auctoritatis Episcopos, quorum iudicio, & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est; non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quòd malè iudicarint. Dedit ille Arelatense Concilium, non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omnimodò cupiens eorum impudentiam cohibere.] Et iterùm: [Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret.] Vbi vides hanc prouocationem ab Augustino [impudentiæ, & peruersitatis] notari, [& fallacibus, ac tumultuosis querelis] accenseri; quod etiam de Marca Archiepiscopus Parisiensis fatetur: [Alienum, inquit, putabat Constantinus, à disciplina, res à Pontifice Romano indicatas refricari.] Sed tamen vt dixi concordiæ datum, vt causa Cæciliani iterum cognosceretur. Id factum in Concilio Arelatensi. Conuenerunt Patres ex toto ferè Occidente, Gallia videlicet, Hispania, Italia, Africa, ac etiam Britannia, quæ causa est, vt Augustinus hoc Concilium [plenarium vocet, & ex Vniuersa Ecclesia collectum.] Numerus Episcoporum ex communi sententia n onminor ducentis; id enim expresse testatur S. Augustinus: quamuis Ado sexcentos numeret. Cæterùm non videtur hoc Concilium verè, & in rigore Oecumenicum appellari posse, sed solùm Patriarchale, cùm ad illud nemo ex Oriente conuenerit, sed illi tantum Episcopi, qui Patriarchatui Romano parebant, is verò totam Europam complectebatur, & prouincias Africæ Occidentales; & huiusmodi Concilia, imò etiam Nationalia sæpè à sanctis Patribus vniuersalia appellantur, vt patet ex Concilijs Romanis sub Symmacho, Toletano III. c. 18. & Carthaginensi IV. quæ omnia vniuersalia dicuntur, quamuis ex vna tantùm Prouincia collecta; quantò ergo magis Arelatense gaudere hoc titulo potuit; cui Episcopi ex tot Prouincijs, Regnisque aderant? Et sanè omnium ferè sententia est, Concilium Nicenum fuisse primum Oecumenicum. Adfuisse huic Concilio Legatos Siluestri Pontificis dubium non est; ij enim nominantur initio Concilij Arelatensis primi, videlicet Claudius, & Vitus Presbyteri, Eugenius, & Cyriacus Diaconus. Sed dubium est, an præsederint, cùm in epistola Synodali Marinus, cæterique Episcoporum nominentur nulla mentione Legatorum facta: Et in Synodo Arelatensi II. can. 18. dicatur: [ad

Schelstr. Antiq illust. p. 2. dissert. 1. c. 7. a. 3. §. 1 n. 122.
Euseb. lib. 10. cap. 5.
S. Aug. ep. 162.
Marca lib. 4. de Concor. c. 17. n. 2.
S. Aug. l. 2. de Bapt. contra Donat.
S Aug. lib. 1. contra ep. Parmen. c. 5.
Ado in chron. ætat. &c.

[illegible] mitterentur, quod exemplo Constantinopolitanæ Synodi abundè probatur, in qua Anthimus damnatus est præsidente Menna Patriarcha, alijs verò Legatis Apostolicæ Sedis post Mennam aliosque Episcopos subscribentibus, vt habetur in sententia contra Anthimum sess. 4. Sic etiam summus Pontifex alicui ex Græcis Episcopis suas partes, munusque præsidendi imponebat, quo casu Romani Legati primo loco abstinebant: sic Cyrillus Concilio Ephesino nomine Cœlestini, Mennas nomine Agapeti Pontificum præfuere: sic denique S. Leo Anastasium Thessalonicæ Episcopum suum per Illyricũ constituit Vicarium, Gregorius Augustinum per Angliam. Leandrum per Hispaniam, Zosimus Archiepiscopum Arelatensem per Galliam: qui Vicarij Primates appellabantur, omnesque Metropolitanos, & Archiepiscopos dignitate, & loco anteibant: eisque inter alia, quæ nomine Pontificis peragendam, illud etiam concessum, vt nomine Pontificis Concilia Nationalia conuocarent. Hæc ergò causa fuit, vt Marinus Arelatensis Episcopus ante alios Legatos Concilio præsideret: idque sequentibus annis frequenter euenit, vt videlicet Arelatensis Episcopi Vicarij Apostolici, & Primates essent; apertèque etiam colligitur ex canone 12. Concilij Arelatensis secundi: [Ad Arelatensis, inquit, Episcopi arbitrium Synodus congreganda.] Sed quo iure Arelatensi hoc competat, nisi quia Vicarius Romani Pontificis, & ideò Primus? Cæterùm missa fuisse acta Concilij Romam, & illic confirmata, dubium non est ex Epist. Synodali, quam Patres ad Siluestrum dedere, & habetur post acta Concilij, quod etiam Bail Doctor Parisiensis ingenuè professus est Tom. 2. ad hoc Concilium: [Ipsa, inquit, Synodus Arelatensis subditam se agnouit Pontificis iurisdictioni, vt testata est per Epistolam Synodicam ad Siluestrum Melchiadis Successorem, missam eo fine, vt quæ statuisset, auctoritate Pontificia confirmaret.] Sed & illud egregium reuerentiæ in Pontificem argumentum, quòd licèt inter duas partes iudicium verteretur Cæcilianum videlicet, Donatumque; istum accusatorem, illum accusatum; noluit tamen Concilium, vt partes Rei Cæcilianus sustineret, quippe iam à Melchiade absolutus, sed eum, eiusque socios Episcopos inter Patres, Iudicesque Concilij admisit, & ideò tàm in Epistola Synodica, quàm etiam in sententia contra Donatum lata Cæcilianus subscribit. Quæ verò ratio, vt Cæcilianus Romano Tribunali reus assisteret; Arelatensis verò Collega, & Iudex, nisi, quia Patribus indignum videbatur, vt pro Reo haberent, multòque minùs, vt damnarent, quem Roma absoluisset? non ergo id agebant Patres Arelatenses, vt corrigerent, aut in dubium vocarent à Pontifice iudicata; sed vt conuincerent Donati impudentiam, alios semper, aliosque iudices fatigantis: nam ab hoc etiam Conuentu ad Augustum prouocauit, at iste in hæc

V. epist. 5. Zosimi Papæ ad Epis. Galliæ & libellum Episcop. Prouinc. ad Arelat. Leon. 1.

Rescript. Constant. apud Optat. l. 1 contra Parmenian.

verba rescripsit cedro, & æternitate digna: [Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto; dico enim, vt se veritas habet, sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet; nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi Magisterio sunt edocti.] Hęc est series, & historia Concilij Arelatensis, non mea, sed scriptorum omni exceptione maiorum fide, & ex ipsis authenticis actis, quę ad marginem notaui, exposita. Promptum iam erit quamplurima ex ijs deducere, quæ obiecta Maimburgi non refellant tantùm, sed etiam malæ fidei conuincant. Nam primò Argumentum ex Cõcilio Arelatensi sumptum Maimburgus à Caluino didicit, exscripsitque, quod in hoc homine ferè perpetuum; nihil enim noui affert, præter styli condimenta; alia ex Illyrico, Centuriatoribus, & Caluino collecta, dissimulatis Catholicorum responsis, quæ cùm vinci non possent, celata maluit, quàm producta. Verba Caluini sunt: [Constantinus appellationis iudicium demandat Episcopo Arelatensi, sedet ille Iudex, vt post Romanum Pontificem, quod visum fuit, pronunciet. Si Romana Sedes Summum habet iudicium sine prouocatione, cur sibi tam insignem calumniam irrogari permittit Melchiades, vt sibi Episcopus Arelatensis præferatur?]. En tibi Caluini voces, & sensa Maimburgi simillima! enim verò miserrimam causam, quæ iuuari non potest, nisi pudendis auxilijs. Secundò ostendit Maimburgus, se ne quidem intelligere, qui sit status Controuersiæ, & qui sensus quæstionis, quam tanto studio, sed cœco versat, vt cogar de illo dicere, quæ olim S. Gregorius: [Non intelligentes, neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant]. Quærimus enim, an in rebus ad fidem spectantibus maior sit Concilij, an Pontificis auctoritas? Maimburgus Concilium præfert, allegatq; Cæciliani exemplum; at in eo, non de fide, sed de facto, & delicto agebatur, an videlicet Cæcilianus sacros Codices prodidisset, & Martyres inedia confecisset: quid rogo facit iudicium delicti ad iudicium fidei? aut quæ consequentia à tam disjunctis? fieri non potest, vt in factis, quæ sub oculos hominum, & testes cadunt; maior sit pęnès Patres notitia, qui factum conspexere; quàm pęnès Pontifices procùl remotos, quique ob hanc ipsam causam cognitionem facti alijs, vicinisque committunt. Nam, & Columbo ex nouo, nobisque opposito orbe redeunti, ac posteà tot alijs testibus maior fides habita, quàm Zachariæ Pontifici, alios sub terra homines, hoc est, Antipodas neganti, & propterea Sanctum Virgilium grauiter reprehendenti. Deindè constat Concilium Arelatense à Siluestro Pontifice approbatum, confirmatumque fuisse: atqui nulla quæstio est de Concilijs à Pontifice confirmatis: cùm enim quærimus, an Pontifex sit supra Concilium, non quærimus de eo Concilio, cuius pars Pontifex fuit, & quod ipse confirmauit; sed de Concilio Papæ opposito, cùm videlicet aliud Pontifex, aliud Concilium definit, & diuersa vtriusque sententia est, quemadmodùm cùm quærimus, an tectum sit altius domo? quæstio non est de tecto, vt est pars domus (si enim nec tectum, nec domus altior, cùm sint vna tantùm res, & tectum pars domus) sed de tecto, vt res à domo reliqua distincta, & de domo, vt separata à tecto, & non coniuncta. Quæ cùm planè sint nota, & in primis Logicæ rudimentis exponi soleant, mirùm est à Maimburgo ignorata, & ita nec statum quæstionis intellectum. An fortè non tam illi studium fuit apta, quàm multa congerere? quippè tangendis falsis multitudo opportuna. Tertiò. Supponit Maimburgus Concilium Arelatense œcumenicum fuisse (constat enim alia, quæ œcumenica non sunt, Pontificibus haud præferri) at contrarium ostendimus, videturque omnium ferè sententia, qui Nicænum pro primo œcumenico statuunt: ergo nec hoc quidem ad rem, & propositum facit. Quartò. Certum est, vt suprà obseruatum, in hoc Concilio non de fide, sed de facto, & delicto disputatum esse. Quæro igitur ex Maimburgo, extra fidei causas, & vbi de facto, aut delicto Episcoporum agitur, an Concilium supra Pontificem esse credat, aut non credat? si non credit, cur ergo exemplo vtitur, suo etiam iudicio, ac sententia inutili, vanoque? si credit, manifesti erroris tenetur; constat enim exemplis, doctrinaque Sanctorum Patrum extra fidei causas, & vbi de Episcoporum iuribus, & delictis agitur, errare Concilia posse, corrigique à Summis Pontificibus debere: sic Canon quintus Synodi Constantinopolitanæ, & Canon vigesimus octauus Synodi Chalcedonensis, qui in præiudicium Patriarchæ Alexandrini vergebant, à Leone I. & Gregorio M. alijsque intermedijs Pontificibus improbati sunt, abrogatique. Audi S. Leonem ep. 6. ad Synodum Chalcedonensem: [Vt, & fraterna Vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum iuijsse sententiam, in sola videlicet fidei causa, quod sæpè videlicet dicendum est]. Et Gelasium Papam in Tomo de Anathematis Vinculo: [Ne fortè, quod solent dicant, quòd si Synodus Chalcedonensis admittitur, omnia constare debeant, quæ illinc videantur esse deprompta. Cognoscant illud secundum scripturas sanctas, traditionemque Maiorum, secundùm Canones, regulasque Ecclesiæ, pro fide communi, & veritate Catholica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegauit, factamque firmauit, à tota Ecclesia indubitanter admitti: alia autem, quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenùs delegauit, mòx à Vicarijs Sedis Apostolicæ contradictum manifestum est, quæ Sedes Apostolica etiam petente Martiano Principe nullatenùs approbauit]. Similia habet S. Gregorius M. in epistola Pelagij II. nomine ad Episcopos Istriæ scripta. Imò ipse Maimburgus, hoc ipso Tractatu, quem refutamus, & alibi apertè docet, causas Episcoporum, præsertim, cùm de illis deponendis agitur, ad Summum Pontificem pertinere: sic enim loquitur c. 5. [Deplus come Papa est sans contredit par dessus chaque Euesque de qualche dignitè qu'il soit, & par dessus toutes les eglises, & tous le sinods particuliers, on peut appeller de

Greg. lib. 4. epist. 14.

V. Baron. ann. 748.

S. Leo ep. 53 ad Pulcher. & 59 ad Synod. Chalc. & ad Martian. Imp. & ad Anatoli. Patriarch. & S. Greg. lib. 6. ep. 31.

Gelasius I. PP. Tom. de Anath. vinc. To. 2. Concil. inter opusc. Gelas.

Epist. Pelagij II. quæ habetur in fragmentis Synodi 5. T. 2. Conc. p. 2.

tous

tous ces Eucsques, & de tous ces finods à son tribunal. C'est à luy de juger des causes majores, come sont celles, qui regardent la foy, la deposition des Evesques, &c.] Hoc est: [Cùm dubitari non possit, Maiorem esse Pontificis Romani, quàm singulorum Episcoporum, quantacumque dignitate ij sint, aut Synodorum particularium auctoritatem; sequitur, vt ab Episcopis quibuslibet, Synodisque ad Tribunal Pontificis appellari possit: huius officij est, de maioribus causis iudicare, quales sunt quæ fidem, aut Episcoporum depositionem spectant]. Si ergo Conciliorum exemplis, sanctorumque Patrum assertione, & ipsa confessione Maimburgi certum est, à Synodis particularibus (qualis fuit Arelatensis) ad Summum Pontificem appellari, præsertim in causis Episcoporum; adeò vt etiam in Concilijs œcumenicis contra Episcopos statuta, fuerint posteà à Romano Pontifice reuocata, neque hoc negari possit: qua rogo fiducia Maimburgus dicere potuit: [Maiorem Concilij Arelatensis auctoritatem, quàm Pontificis fuisse? & huius tribunal, illius tribunali subiectum, atque à Pontifice pronunciatam sententiam potuisse ab eo Concilio examinari, delerique?]. Num ergo Maimburgus ignorabat causas Episcoporum, qualis erat, quæ Arelate agitabatur, maximè cùm de eorum depositione agitur, ad Pontificem pertinere? Num eum latebat, non solùm quæ in Synodis particularibus, sed etiam, quæ in Æcumenicis contra Episcopos decreta fuerant, à Pontificibus sublata esse, ac penitùs rescissa, idque toto Orbe comprobante? aut forsan maior Arelatensi, quàm Chalcedonensi, & Constantinopolitano Concilijs auctoritas, & dignitas fuit? & hæc tamen, cùm de Episcopis statuissent, Roma correxit, aboleuitque: idque iure factum, & Imperator Martianus, & Patriarcha Anatolius, quamuis hostis, agnouit; Leo quoque, Gelasius, Gregorius, alijque testati sunt: qui ergo dici potuit Arelatense Tribunal Romano præfuisse, si corrigi, si iudicari, damnarique ab isto, potuit, idque exemplo tot aliorum? [Cur ergo, inquies, permisit Melchiades Romanam sententiam inferiori, externoque sisti Tribunali?]. Resp. Quia pacem, & concordiam amabat, sperabatque, quod etiam euenit, eorum pertinaciam fatigari hac conniuentia, vincique posse; nec verò alienum, externumque Tribunal fuit, cui Legati aderant, quòdque ipse confirmabat, Concilium ergo Arelatense non ea conditione, aut petitum, aut admissum est, vt de Melchiadis sententia iudicaret; sed vt instrueret, frangeretque obstinatos, non maiori quidem, sed repetita auctoritate. Alioquin si ideò Pontifices Concilio subduntur, quia causa semel à Pontifice decisa in Concilijs iterum examinata est, sequeretur Concilia etiam Imperatoribus subdi; cùm enim Donatistæ in Concilio Arelatensi damnati essent, illi ipsi ad Constantinum Imperatorem prouocarunt, auditique sunt, ne aliquis esset excusationis locus: audi Augustinum; [Atque vtinam saltem ipsius Constantini iudicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque vt eis ipse cessit, vt de illa causa post Episcopos iudicaret, à sanctis Antistitibus posteà veniam petiturus; dum tamen alij, (S Augustin. epist 62.)

quod vlteriùs dicerent, non haberent, si eius sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi prouocauerunt; iussit enim ille, vt ei partes occurrerent Romam ad agendam causam, quò cùm Cæcilianus nescio qua de causa non occurrisset, præcepit, vt Mediolanum sequerêtur, quò cùm etiam Cæcilianus peruenisset, ipsum quoque sicut scripsit, exhibuit, cognitaque causa, qua diligentia, qua cautela, qua prouisione, sicut eius iudicant literæ]. Vides hìc Cæcilianum iam à Synodo examinatum, auditum, absolutumque: ab Imperatore citari iterum, examinari, absoluique; an ergo Imperator supra Cōcilium? quòd si non ideò Imperator supra Concilium, quia à Concilio ad Imperatorem prouocatum est; quare Concilium supra Pontificem, quia à Pontifice ad Concilium Donatistæ prouocarunt? si enim prouocatio sit signum subiectionis, sequitur non solùm Pontificem infrà Concilium esse, sed etiam Concilium infra Imperatorem; quippè, & à Pontifice, & à Concilio prouocatum est; quòd si dicas temerariam fuisse à Concilio prouocationem; dicam, & ego temerariam fuisse à Pontifice Romano, & quid dico temerariam; imò [peruersam, impudentem, rabidam, furiosam, audacemque]. Constantinus, & Augustinus appellant. (Constantin. ep ad Chrestum Episc. Syrac. apud Euseb li. 10. August. ep. 162.)

At, inquit, Maimburgus, S. Augustinus eadem epistola hæc habet: [Putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuisse: restabat adhùc Ecclesiæ vniuersalis Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur]. Supponit ergo Augustinus, errare Romanum Pontificem, eiusque sententias à Concilio corrigi, soluique posse, quæ omnia sunt argumenta superioritatis.

Resp. Si hæc sint argumenta superioritatis, sequitur omninò multò supra Concilium Pontifices esse, palàm enim est, ab istis Concilia œcumenica non solùm correcta, sed etiam temereritatis damnata esse, cùm perperam de Episcopis, eorumque causis statuissent, quod suprà de Constantinopolitano, & Chalcedonēsi Concilijs, & testimonijs Leonis, Gelasij, & Gregorij ostendimus; nobis ergò pugnat Maimburgus, quamuis inuitus. Sciendum igitur est sententias Romani Pontificis immotas quidem, ratasque esse, nec vllius subiectas Tribunali, imò ab illis velut à quibusdam Lineis, regulisque Concilia pendere, quod alibi fusè ostensum est, faceturque, & confirmat auctoritate S. Augustini, Maimburgus ipse libro de vera Ecclesia, quando videlicet tranquillo, placidòque animo, & affectibus libero veritatem admittebat, adulandi adhùc rudis; sic enim scribit: [Apres que ceux de Cartage, & de Numidie l'eurent jugè contraire alla Doctrine de la foy, on attendit la decision du Pape Innocent. Durant cette internalle saint Augustin ecriuant à Hilaire d'Arles de cette Nouelle heresie de Pelagius, dit qu'elle non est pas encore ouuertement reconnue par telle de toute l'eglise. Mais aussitost, que le Pape Innocent eut fait contre elle la Constitution, qui fut receuë auec tant d'applaudissement de toute le Chrestientè; alors le dogme de Pelagius fut tenù vniuerselement par tout pour heretique; & ce (Regal. Sacerdot. l. 2.) (Maimb. l de la Vray Egl. sect. 7. f. 304.)

saint

saint Docteur declarant ce, que le soutain Pontife avoit defini, auquel on auoit enuoiè le deux Conciles d'Afrique, ajousta ces belles paroles: De hac causa iam duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam Rescripta venerant, causa finita est, vtinam aliquando error finiatur. Ie sçays bien, que cette heresie fut condamnèe encore quelque temps apres au Concile d'Ephese: Mais ce fut sans en faire vne plus exacte discussion, & comme vn erreur dejà reprovè par vn jugement legitime, come les Peres le declarent dans la lettre sinodale au Pape Celestin]. Hoc est: [Postquàm à Carthaginis, Numidiæque Patribus declaratum est, hæresim nuper à Pelagio conceptam, editamque fidei aduersari, adhuc tamen quid de illa Innocentius Papa definiret, expectabatur. Interim verò decisione illius necdum vulgata, scribit Augustiuus Hilario Arelatensi, errores Pelagij nondum à tota Ecclesia hæresis damnatas; nondum, inquit, euidenter ab Ecclesia separata est. Vbi verò Innocentij constitutio eam hæresim damnantis summa omnium gratulatione fidelibus innotuit; enimuerò dogma Pelagianum à tota Ecclesia pro hæretico habitum, creditumque. Et ipse S. Doctor, cum Populo explicaret, quæ in hac causa Romanus Pontifex, cui duo Africæ Concilia transmissa fuerant, decreuisset, in hæc verba prorumpit digna memoratu: de hac causa iam duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam &c. Non me equidem latet, paucis post annis hanc ipsam hæresim in Concilio Ephesino confixam esse; sed id obiter, cursimque factum; quippe causa per legitimum, ac solemne iudicium iam finita, quod Patres Ephesini in epistola Synodali ad Cœlestinum Pontificem apertè professi sunt. Hæc Maimburgus, cùm animo adhuc integro scriberet, intactoque affectibus aulæ, quibus fatetur, in rebus fidei dicta semel à Pontifice Romano sententia causam finiri, nec amplius aliquid superesse, quod oporteat à Concilijs agnosci, decidique, eamque Augustini mentem, & Synodi Ephesinæ fuisse, quod, & elegantibus versibus S. Prosper insinuat;

Conc. Ephesin. act. 5.

August. epistol. 94.

-- Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput Mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Ergò vt ostendi Papæ sententia etiam ante vota Concilij firma, & erroris tuta; sæpè tamen eam Pontifices ad Concilium referebant, non quòd huic subessent, sed quia in rebus factum spectantibus maior pænès plures, quàm vnum notitia, & vt omnem tergiuersandi occasionem aduersarijs adimerent; nec aliud Pontificis, & Concilij Tribunal erat sed vnum, idemque, quippe nihil valiturum, nisi Roma subscriberet, & quod illi statuissent ipsa firmasset: Patres ergo numerum, sed pondus Pontifices dabant: id, quod S. Zosimus eleganter expressit literis ad Concilium Carthaginense datis: [Quamuis, inquit, Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio disceptare nullus auderet: idque per canones semper, regulasque seruauerit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomine, à quo ipsa quoque descendit, reuerentiam, quam debet, exoluat. Tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, vt nullus de nostra possit retractare sententia, nihil edimus, quod non ad vestram notitiam nostris vltrò literis referemus, dantes hæc fraternitati, vt in commune consulentes, non quia quid deberet fieri, nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra Ecclesiæ vtilitatem veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo &c. En tibi sententiæ nostræ, & confutati Maimburgi luculentum testimonium! Asserit Zosimus, tantam esse Apostolicæ Sedis auctoritatem, vt de eius iudicio disceptare nullus audeat, nec eius sententiam retractari posse, idque Patrum traditione acceptum, & firmatum esse. Quid possit contra Maimburgum clarius dici? & obserua non hæc in angulis, latebrisque Zosimum scribere, sed plena in luce, subque oculis Carthaginensis Concilij, àquo facilè argui poterat, conuincique, nisi vera, & comperta scripsisset, vel dixisset. Quia verò Zosimo obijci poterat, quod nobis obiecit Maimburgus: [Cur videlicet summi Pontifices sententias suas Conciliorum examini submittant, si iudicari à nullo possunt? Cur Innocentius Pontifex causas à se finitas ad Concilium Arelatense referri est passus? Respondet Zosimus: Non ideò factum, quòd aut nescirent Pontifices, quid fieri deberet, aut facere aliquid possent, quod Ecclesiæ vtilitati aduersaretur, sed vt fraternitati deferrent &c. Vbi vides iam ante mille, & ducentos, ac supra annos, hoc est, florente Ecclesia, & vbi nulla fastus suspicio, aut cupiditas aliena vsurpandi, sententiam hanc nostram pro vera, certaque habitam, & Patrum traditione subnixam, videlicet sententias Romani Pontificis nullius iudicio subiectas, & erroris expertes esse, id enim apertè sonant ea verba: [De eius iudicio disceptare nullus audet: nullus de nostra potest retractare sententia: non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra Ecclesiæ vtilitatem displiceret &c.] Ergò cùm Pontifices præsertim in quæstionibus facti ad Concilia referunt; non id agitur, vt Concilium iudicet, rescindatque Romæ iudicata; id enim potestatis maioris esset, quam Zosimus Concilio negat, sed vt solùm meliùs Pontificem doceant, an factum ità se habeat, suggerantque, quid fieri oporteat; nam, & Regio Senatui nulla potestas rescindendi à Rege decreta, sed solùm ostendendi, deprecandique. Ita Concilij Arelatensis res, & causa se habuit.

Zosim. epist. ad Episcop. African. anno 418. apud Baron. ad eumd. annum.

XI. Obijcitur 6. Siricius Papa, qui Damaso successerat, apertè confitetur, se Concilio subiectum esse, cuius tam ingenua, & in re propria testantis confessio maximi vtique momenti esse debet. Durabat adhuc Antiochenum Schisma, extinctis Paulino, & Meletio Episcopis, quibus vtriusque fautores duos suffecerant, Flauianum videlicet Meletio, & Euagrium Paulino. Huic tam perniciosо dissidio componendo Concilium Capuanum indictum fuerat, Flauiano, Euagrioque citatis. Absuit Flauianus, rogauitque Theodosium Imperatorem, vt hæc causa alteri in

Maim. Traittè de l'Egl. de Rom. ch. 19. f. 161.

ri in Oriente Synodo committeretur; at Episcopi, qui Capuam conuenerant, Theophilo Episcopo Alexandrino, alijsque Ægypti Episcopis hanc ipsam Flauiani, Euagrijque causam delegant; Bonosi verò (blasphemiæ in Deiparam Virginem accusati) Anysio Episcopo Thessalonicensi, subiectisque illi Episcopis: hi ad Siricium Pontificem deferunt. Siricius abnuit, negauitque facultatem sibi esse eam causam cognoscendi, quam Patres Capuani, Theophilo alijsque detulerant. Verba Siricij sunt in epistola ad Anysium Thessalonicensem: [Cùm huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso, atque eius accusatoribus Iudices admitterentur, aduertimus, quod nobis iudicandi forma competere non possit &c.] Et infrà [Primum est, vt ij iudicent, quibus iudicandi facultas est data, vos enim totius Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate iudicare non conuenit.] En Siricium Concilio submissum si enim maior Syricij potestas, quàm Concilii esset, cur non posset Concilij decretum factamque delegationem rescindere, & causam alijs iudicibus creditam, ad suum, hoc est, altius, præstantiusque Tribunal auocare?

Resp. Hoc Maimburgi argumentum more solito multis partibus laborat. Nam primò Concilium Capuanum non Oecumenicum fuit, sed particulare; sequeretur ergò etiam Concilio particulari Pontificem subijci, quod tamen etiam ipse Maimburgus non admittit, sic enim in hoc ipso tractatu, quem refutamus, loquitur: [De plus come le Pape est en certe qualitè sans contredit par dessus chaque Euesque de qualque dignitè, qu'il soit & par dessus toutes les Eglises, & tous les sinods particuliers; en peut appeller de tous ces Eueques, & de tous ces sinods à son Tribunal. Si ergo, vt hìc loquitur Maimburgus, Pontificis Romani Potestas omnibus Ecclesijs, Synodisque particularibus præstat, ideòque ab omnibus particularibus Synodis ad Tribunal Romanum appellari potest; si inquam ita res se habet; qua fiducia Maimburgus dicere potuit, Siricium Capuensi iudicio subiectum, & huius Decreto alligatum fuisse? Secundò; Sed etiam ipsi Patres Capuensis Synodi, inter quos præcipuus Ambrosius, quamuis huiuscausæ cognitionem Theophilo, alijsque detulissent; semper tamen quidquid illi iudicassent, Pontificis Romani iudicio, & approbationi subiecerunt. Verba Ambrosij ad Theophilum Alexandrinum hæc sunt: [Sanè referendum arbitramur ad sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant ita enim vtile erit consultum sententiæ, ita pacis, & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod Communioni nostræ dissensum non afferet; vt nos quoque accepta nostrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur.] Vides tantum abfuisse, vt Patres Capuenses, & inter illos Ambrosius crediderint Romanum Pontificem Concilij Delegatis subesse, aut rescindere non posse ab istis iudicata, vt potiùs eam regulam Delegatis præscriberent; ne videlicet, quidquam iudicarent, quod Romano Pontifici displicere, aut comprobari ab eo non posset. Agnouit ergo Concilium, esse altius aliquod Tribunal, cui placere oportet, & cuius censuræ Concilij acta subiacerent. Tertiò. Sed illud quoque mirum, voluisse Maimburgum ad confirmandam tanti momenti causam, epistolam adhibere dubiæ omnino incertæque fidei: illam Maimburgus Siricio adscribit: at illa nec inter Siricij epistolas reperitur, nec Siricij nomen, sed Ambrosij præfert, habeturque libro 10. epistolarum Ambrosij epistola 79. cum hac inscriptione: Diui Ambrosij ad Theophilum, & Anysium, excusantis se de iudicio ferendo inter Bonosum Episcopum, &c. Et quamuis negent aliqui eam epistolam Ambrosij esse; non continuò sequitur esse Siricij, quæ enim hæc consequentia, vt ideò eam Siricius scripserit, quia non scripsit Ambrosius?

Quartò. Sed demus scripsisse Siricium, non tamen sequitur aliquid ab eo derogari Pontificiæ potestati: nec enim passim, & sine magna, vrgenteque ratione Pontifici licet ordinem gradusque iudiciorum, & Conciliorum, ac Sacerdotum iudicia, sententias, & priuilegia turbare, & causas alijs commissas suo tribunali vindicare: immò nulli æquè, vt Romano Pontifici incumbit, Conciliorum, & Episcoporum iura, & prærogatiuas custodire, quod eleganter Gregorius Magnus hisce verbis expressit: [De Ecclesiasticis priuilegijs, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione tenent; quia sicut nostra defendimus, ita singulis quoque Ecclesijs sua iura seruamus, nec cuilibet fauente gratia vltra quàm meretur, impertiar, nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu stimulantè derogabo: sed fratres meos per omnia honorare cupio &c.] Extatque eiusdem Diui Gregorij exemplum memoria dignum: cùm enim Traianus quidam Melitam Insulam, vbi Episcopus designatus erat, proficisceretur, quatuor ex Monasterio Syracusano Monachos petijt, viæ, & curarum solatio futuros; concessit Gregorius, ea tamen lege, vt Episcopi Syracusani, cui Monasterium illud subiectum erat, licentia, & facultas accederet. [Perijt, inquit, Gregorius, à nobis Traianus, vt de Monasterio, quod in ciuitate Syracusana situm est, ei quatuor, vel quinque dari Monachi debuissent, qui ad Locum proficiscens incognitum, si proprios, quorum consolatione vtatur, non habeat mens affecta tristitia, minùs se ad ea, quæ sunt vtilitatis erigit, & antè incipit succumbere, quàm laboret. In quare, ne Reuerendissimi fratris, & Coepiscopi nostri Ioannis priuilegiorum videremur prærogatiuam minuere, ita hoc illi noueris esse concessum, vt tamen fratris nostri Ioannis sit arbitrio per omnia seruatum. Siricius ergo cùm noluit causæ Bonosi Episcopi se immiscere, non id fuit, quod crederet sententiam, & Decretum Concilij non subiacere Tribunali Romano; immò, & Patres Concilij, & ipse Maimburgus, vt vidimus, & subiacere professi sunt; sed quòd non appareret publica, vrgensque ratio eam causam auocandi; nihil ergo Pontificiæ potestati, quam defendimus, obstat exemplum Siricij: & cùm Maimburgus dixit:

Maim. Traitédel'Egl. de Rom. ch. 5. f. 43.

S. Greg. M Epi. ad Domin. Carthagin. Epic. l. 2. ep 39. V. causam 25. quæst. 2.

Exem-

Exemplo Siricij nihil clarius, sincerīusque contra Pontificiam auctoritatem afferri posse; constat vnum esse ex solitis Maimburgi stratagematis, ingentibus promissis Lectorem fallentis, & cui meritò applicare possis illud Diui Augustini Symbolum de vtre inflato: [Vtres, inquit, duos si videas, vnum plenum alterum inflatum; in vtroque eadem est magnitudo, sed non in vtroque eadem plenitudo: si attendas, falleris, si appendas, inuenies. Sic ergo se habent Maimburgi argumenta, vt videlicet magna appareant videnti, sed inania ponderanti.

August. ser. 112. de Tem.

Obijcitur 7. Innocentius Primus, cùm à Ioanne Chrysostomo (qui æmulorum factionibus, Theophili præsertim, damnatus, pulsusque fuerat) appellaretur? Chrysostomum ad Oecumenicum Concilium remisit, iussitq; ab hoc solo remediū expectare, sibi enim nec vires, nec aliud consilium suppetere; verba Innocentij: [Quodnam remedium hisce malis afferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio; ea sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retardare potest. Et infrà: Ac nos quidem multum deliberamus, quonam modo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam turbulenti isti motus consopiri possint. Expectemus auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda. Agnoscit ergo Innocentius plus auxilij, & auctoritatis in Concilio, quàm Pontifice Romano esse; alioquin cur Chrysostomum ad Concilium remittit? cur remedia in tam longum tempus, & tam lentum Senatum differt? cur nullum aliud remedium præter Concilium superesse profitetur? immò multò promptius supererat, multòque validius, sententia videlicet Pontificis Romani, si maior huius, quàm Concilij auctoritas fuit. Hoc Innocentij exemplum adeò Maimburgo placuit, vt postquàm illud recitasset, suasque ex illo consequentias deduxisset, in hac verba prorumperet. [Potuissetne, inquit, clarioribus verbis exprimere Innocentius auctoritatem Concilij ad multò plura extendi, maioremque, quàm Pontificis Romani esse, sicque Pontificem Concilio subesse?

Innoc. epist. ad Cler. Constantinoplit. Anno 404.

Maimb. cit. fol. 163.

Resp. Adeò hoc argumentum nihil probat, vt potiùs in antiquum lapidem Maimburgus impingat, semperque magis, ac magis ostendat, se ne statum quidem eius quæstionis intelligere, quam tanto labore agitandam suscepit, perinde, ac si iaculum mitteret scopi, metæque ignarus. Nec enim à nobis quæritur, an Concilium à Pontifice coactum, directum, approbatumque sit supra Pontificem? id enim parum ad praxim, vsumque pertinet: sed tota quæstio in eo vertitur, an Concilium Papæ oppositum, & ab isto non approbatum, quale Basileense fuit, præponi Pontifici debeat, adeò vt Concilio magis, quàm Pontifici deferri oporteat contraria decernenti, & Concilium improbanti. Patet ergò nihil probare Innocentij exemplum; cùm enim dicit, afflictis Chrysostomi rebus solum Concilium posse subuenire, de Concilio loquitur non acephalo, non improbato, non Pontifici aduerso, sed cum isto consentiente, nulla ergò consequentia ab vno ad alium, & tam disparatum casum. Et meritò tunc temporis credidit Innocentius adiuuando Chrysostomo non sufficere solius Pontificis manum, sed expectandum Concilium; quippe si solus Pontifex Theophili sententiam, & iudicium rescinderet, cui tot alij Orientis Episcopi subscripserant; timendum omnino erat, ne Schisma conflaretur; Græcis ingenita leuitate, fastuque ad omnia promptis, & præsertim Augustis Chrysostomo aduersantibus, quæ posteà Photiano Schismati causæ fuerunt. Prudenter ergò Innocentius vitando ciuili bello Concilium indici voluit, quo Chrysostomi causa maiori non tantùm auctoritate, sed etiam numero fulciretur, nec vlla Græcis tergiuersandi causa superesset, si pleno totius Ecclesiæ senatu vincerentur. Innocentius ergò, vt necessitati consuleret, potestatem seposuit. Idem responderi debet ad exemplum Innocentij III., qui vrgenti Philippo Augusto diuortium Ingelburge Reginæ, respondit; [Non posse à se aliquid ex suo sensu pro Rege definiri, nec debere absque deliberatione Concilij aliquid determinari.] Loquitur enim Innocentius de Concilio, cui Pontifex præest, approbatque; non verò de Concilio Papæ aduerso, de quo solùm est quæstio: & meritò Pontifex in re tanti momenti, & publico omnium scandalo iuncta, tamque ambigua, varijsque, & contrarijs opinionibus agitata (constat enim in Concilio Suessionensi quindecim totos dies in vtramque partem disputatum esse), & eo tempore, quo Innocentius Philippi Regis opera, armisque præcipuè vtebatur; prudenter rem ad Concilium retulisse, siue, vt longis dilationibus amantem Regem fatigaret, siue vt odium repulsæ in alios conferret. Verba Innocentij hæc sunt: [Si super hoc absque generali deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus, præter Diuinam offensam, & mundanam infamiam, forsan Ordinis, & officij nostri periculum immineret, cùm contra veritatis sententiam (quod Deus coniunxit, homo non separet) nostra non possit auctoritas dispensare.] Vides Innocentium non de sententiæ Concilij, sed deliberatione loqui, quæ nullam infert superioritatem: deliberationem verò prætexit ob allatas causas; alioquin palàm erat, non magis posse Concilium dispensare in præcepto Diuino de non dissoluendo Matrimonium ratum, & consummatum, quàm Papam; qui si contra tam clarè in Euangelio expressam veritatem dispensaret; meritò hæresis suspectus esset, sicque ordinis, & Officij sui periculum adiret.

Obijcitur 8. In Concilio Romano sub Symmacho Pontifice Decreto Patrum sub graui pœna vetitum est, ne bona Ecclesiæ Romanæ quouis necessitatis obtentu in perpetuum alienentur. Cùm verò sex, & triginta post annos Agapetus Pontifex rogaretur, vt huiusmodi prædium alienari permitteret subleuandæ pauperum necessitati; respondit, non posse se vlla ratione in hanc alienationem consentire: [Diuini enim, inquit, considerationc iudicij, necesse nobis est, quidquid sancta Synodalis decreuit auctoritas, inuiolabiliter custodire.] Si ergo Concilium aliqua prohibere Pontificibus potest, & si facultas non est Pontificibus rescindendi à Concilijs statuta, constat ergo maiorem Concilijs auctoritatem, quàm Pontificibus esse, & istos subdi illorum Decretis.

Maimb. cit. ch. 19. f. 167. Conc. Rom. sub Symm. Pap. de non alien. rebus Eccl. cap. 4. anno D. Agapet. pe. ad Cæsar. Arelat.

Resp. Errat iterum Maimburgus, receditque à statu quæstionis; alia enim quæstio est, an quando Pontifex, & Concilium contraria sibi sentiunt, maior sit Pontificis, quàm Concilij auctoritas? Alia: an Pontifex Decretis Concilij à Papa comprobatis teneatur? fieri enim potest, vt Pontifex, aut alius Princeps, eius legibus teneatur, cui subiectus non est: quis enim nescit, nec sibi Pontificem, nec Antecessoribus subiectum esse, cum quibus pari fungitur potestate? & tamen communis tum Sacrorum, tum prophanorum Doctorum sententia est, Principem quemlibet, præsertim verò Summum Pontificem tam suis, quàm Antecessorum legibus quoad vim directiuam obstringi: idque à Sanctis Patribus, sacrisque Canonibus sæpè repetitum est, docetque S.Thomas Theologorum Princeps; non ergo sequitur Pontificem Concilio subdi, quia Concilij à se approbati Decretis tenetur, nam, & suis legibus, & Antecessorum tenetur; nec ideò tamen aut sibi, aut Antecessoribus suis subiectus est, minorique potestate. Sciendum ergo est, postquam semel Decretum aliquod statutum in Concilijs fuit, resultare hoc ipso obligationem naturalem, quæ Legislatorem etiam obstringat ad legum suarum obseruantiam, quantum videlicet eius status, & conditio patitur; cùm enim proximus legum finis sit earundem obseruatio, ac promotio boni publici, nihil verò magis legis obseruantiam, & communem vtilitatem ex legum obseruantia redundantem impediat quàm si Legislator ipse in legem offendant, eamque suo exemplo contemptui, ac ludibrio exponat, imitantur enim subditi vitia Principum, quibus auctoritas delinquentis venerationem, & speciem, immò impunitatem conciliat; qua enim fiducia sua scelera in alijs puniant?) inde fit, vt ex natura legis, & iustitiæ, officijque, quo Principes funguntur, ac subditos ad legum obseruantiam vrgere tenentur, ac transgressores pœnis afficere, vt ipsi quoque Principes suis, & Antecessorum legibus obstringantur; non quòd Principes, aut sibi, aut Antecessoribus subdantur, sed quia legum natura, ac ratio officij id à Principe postulant; hanc obligationem agnouit etiam Christus, quando Pharisæis exprobauit: [Quod grauia hominibus onera imponerent, quæ ipsi nollent digito tangere.] Agnouerunt etiam Prophani, ac Gentiles scriptores, apud quos toties hæc axiomata reperies, videlicet: [Quod quisque iuris in alium statuit, ipse eodem iure vti debet. Et; Patere legem, quam ipse tuleris, &c.] Et S. Ambrosius epistola ad Valentianum Imperatorem: [Quod cùm præscripsisti alijs, præscripsisti etiam tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. Aliud ergo Maimburgus probauit, quàm probare oportuit; probauit enim Pontifices Decretis Conciliorum à se probatorum obligari; at hoc probandum non erat, quippe à nobis concessum. Illud ergo probandum erat: Pontificem Decretis Conciliorum teneri, quæ ipse improbauit. Hoc tacuit Maimburgus; falsi enim conuinci poterat, patuitque in Constantinopolitano, & Chalcedonensi, quorum Decreta, quamuis Oecumenica essent, non sunt tamen omnia à Pontificibus accepta, immò reiecta, tantum abest, vt se illis subiectos crederent. Immò si à Decretis Conciliorum etiam Generalium argumentari licet, fortissimum pro Pontifice habemus argumentum; certum enim est, dispensationem esse actum superioris: at verò qui nescit in Decretis Conciliorum sæpissimè dispensasse Pontifices? quod alibi demonstratum est.

Vide Gelas. ep. ad Episc. Dard. in c. confidimus 25. q. 1. Iuon. ep. ad Hug. Arch. Lugd. c. contra statuta 25. q. 1. Gregor. PP. lib. 3. ep. 10. in c. iustitiæ 23. q. 1. Leo PP. Pelag. Isidorus in causa 25. q. 2. & c. iustum d. 9. & S. Th. 1. 2. q. 96. art. 5.

Matth. 23.

Ambros. l. 5 epist. 32. ad Valent. Imperat.

vide Regal. Sacerd. fol. 581.

XII. Obijcitur 9. Siluester II. Romanus Pontifex, & eruditione celeberrimus, in epistola, quam ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum scripsit, hæc habet inter alia: [Constanter dico, quod si ipse Romanus Episcopus in fratrem peccauerit, sæpiùsque admonitus Ecclesiam non audierit; hic inquam Romanus Episcopus præcepto Dei est habendus sicut Ethnicus, & Publicanus. His Siluestri verbis, hæc Maimburgus ex suo addit commentarij loco: Potuissetne, inquit, clarioribus verbis hic Papa profiteri; Pontifices Romanos, quantumuis Ecclesiæ capita, non ideo tamen Legibus Conciliorum, quæ vniuersalem Ecclesiam repræsentant, exemptos esse?

Maimb. cit. ch. 29. fol. 169.

Ep. 2. Gerberti ad Seguinum Ep. Senon.

Resp. Gerberti testimonium, qui posteà Siluester II. dictus est, pudori potiùs Maimburgo esse debuit, quàm argumento: ego, vt veritatem intelligas, rem totam à principijs suis euoluam. Anno 987. Ludouico V. Francorum Rege extincto, in thronum euectus est Hugo Capetus, Parisiensium Comes; is è Regio quidem Francorum sanguine ortum duxerat, quod alibi ostendimus, sed dubium non erat, deberi Regnum Carolo Lotharingiæ Duci, quippe Ludouici Patruo, proximoque sanguinis Regij; sed quòd Imperatori; Germanisque nimiùm adhæreret, Gallos offenderat, auerteratque. Natum Ciuile bellum, Hugone, Caroloque pro corona certantibus, & initia quidem Carolo fausta, Lauduno tunc Regia Ciuitate, Rhemisque captis, idque vt ferebatur opera, & proditione Principis Arnulphi, posteà Rhemensis Archiepiscopi: quas Infulas cùm acciperet iuramento se Hugoni Regi deuinxerat, sed Patrui amor iuramento, & fidei præpotuit, Rhemosque hosti apetuit. Hugo collectis iterum copijs Lauduni languentem Carolum obsidet, capitque, & Aurelianis custodiæ mandat; secuta Rhemorum deditio, & Arnulphus proditionis, ac Maiestatis reus Concilio Rhemensi sistitur, cui inter alios Seguinus aderat Archiepiscopus Senonensis, & Apostolicæ Sedis Legatus. In hac synodo certamen primò fuit de Patrum potestate, an videlicet exauctorare illis Episcopum liceret sine Romani Pontificis assensu? negabant qui Arnulphum tuebantur, inter quos Abbo Floriacensis Abbas præcipua doctrina, ac sanctitate, & posteà Martyr; [Quippe ex sacrorum Canonum sententia maiores causas, & Episcoporum depositiones Romano Pontifici reseruari?] Sed vicit opinio aduersantium Arnulpho: [Missos Romam Legatos octodecim mensium spatio, ad limen palatij præstolatos esse, non admissos, non auditos redijsse, ergò tam longum silentium pro assensu esse, impletumque quidquid Pontifici deberetur tam prolixo obsequio.] Stabilita Concilij auctoritate damnatus Arnulphus, cùm

priùs delictum cõfessus esset, sacrisque infulis exutus, Gerbertus deposito suffectus. Seguinus recusauit sententiæ subscribere; reliqui Episcopi quamuis inuiti, metu tamen, & reuerentia Regis Arnulpho infensi vinci se passi sunt: [Venerabilis autem Seguinus Archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti; iussio autem Regis vrgebat: alij verò Episcopi licèt inuiti, tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulphum, & ordinauerunt Gerbertum. Maimburgus, decipi hunc auctorem dicit, & apertè falsa narrare, nullamque speciem veritatis habentia; se verò hanc Gerberti historiam ex monumentis fide dignissimis, quæque in dubium vocari haud possint, recensere.] Si verò ab eo quæras; quæ nam ea sint monumenta fide dignissima? nulla alia profert, quàm epistolas Gerberti, & acta synodi Rhemensis ab eodem Gerberto conscripta, quæ Sectarij nostrorum temporum, perinde, ac si Thesaurum reperissent, duplici editione in lucem protulere. Gerbertum verò constat amarissimo in Pontificem animo fuisse, quippe huius auctoritate sede Rhemensi eiectum, & ipse fatetur Maimburgus [Gerberti scripta, præsertim epistolas ad Seguinum datas plus fellis, quàm rationis habere.] Ipse Gerbertus, vt habetur in appendice Aimoini, [intelligens quod iniustè Pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus est;] quando videlicet misso Leone Apostolicæ Sedis Legato, nouaque synodo Rhemis coacta, Arnulphus sedi restitutus est Gerberto pulso; qui Gallis offensus, à quibus desertum se viderat in Germaniam ad Ottonem III. confugit, & huius patrocinio Pontificatum adeptus est, damnauitque, quæ tanta olim contentione contra Arnulphum, Romanumque Pontificem declamauerat, sic enim scribit in epistola ad Arnulphum, quàm Balluzius recitat: [Quapropter tibi Arnulpho quibusdam excessibus Pontificali honore priuato subuenire dignum duximus, vt quia tua abdicatio Romano assensu, caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari.] Vides hic fatentem Gerbertum, non debuisse sine Romano consensu Archiepiscopatu exui Arnulphum; & ipse de Marca, ac Glossa pragmaticæ sanctionis depositiones Episcoporum soli Pontifici reseruatas esse agnoscunt; [Idque in Gallia, reliquisque Orbis Christiani Prouincijs receptum esse, & in mores versum.] Ex quibus iam videas, quàm falsò dixerit Maimburgus: [Gerberti scripta esse omni fide dignissima, & quibus cedere debeant, quæ Continuator Aimoini posteritati reliquit.] Ergò ex calculo Maimburgi, quæ ab irato, ab offenso, ab hoste scripta sunt, quæque reuocata, correcta, & in publica Synodo deleta, ac ab Hæreticis euulgata in odium Sedis Romanæ [monumenta sunt fide dignissima, omnique dubio maiora.] Quæ ergò erunt indigna fide? Planè, vel hoc vno exemplo patet, quantum excæcandis hominum mentibus, delendisque communis vitæ, ac rationis humanæ principijs animi passiones valeant. Quòd verò ad Aimoini Continuatorem pertinet, & quem Maimburgus suspectæ fidei reddit; Lectoris, omniumque prudentum iudicio relinquimus; illi magis fidem habere velint res ferè suorum temporum, sed tamen aliena non sua, & quorum nulla cura, aut lucro, damnoque tangebatur, narranti; an Gerberto tot titulis offenso, iratoque, & quem ipse Maimburgus fatetur plùs iræ, quàm rationi, & veritati indulsisse.] Iàm ergò ex hac Gerberti historia facilè intelligas, quàm nihil ad rem faciat Maimburgi argumentum, quàmque multis partibus erret; illa enim Gerberti verba, quibus dicit: [Pontificem admonitum, nec Ecclesiam audientem tamquàm Ethnicum, & Publicanum habendum esse:] perindè recenset, ac si à Gerberto iàm Pontifice dicta essent (vt videlicet tantò sit fortiùs argumentum ex confessione ipsius Pontificis petitum) sic enim scribit: [Sur quoy ce Pape ecriuant à Seguin, non à point fait de difficultè de s'esprimer en ces termes extremement fort, &c.] Et infrà: [Ce Pape peut il faire extendre plus clairement, che les Papes sont soumis au Concile General?] Quibus verbis apertè Lectorem fallit; nec enim Pontificis hoc est testimonium, nec ea Gerbertus scripsit, cùm iam Pontifex esset, sed adhùc Monachus, & iratus, offensusque Pontifici, qui vnus obstabat, ne infulis Rhemensibus potiretur; immò Pontifex factus se ipsum correxit, reuocauitque tam imprudenter olim effusa, vt ex epistola ad Arnulphum ostendi: hæc omnia Maimburgus, aut mutauit, aut tacuit, vt ità argumento planè inani, inutilique speciem aliquam veritatis afferret artificio planè indiguo, & quod non dicam in historico, & Sacerdote, sed ne in plebeio quidem feras.

Aimoin. l. 5.

Maimb. de la decad. l. 1 fol. 95.

Magdeburg. cent. 10. c. 9. & seorsum Francofurt. anno 1600.

Maimb. de la decad. l. 1. fol. 93.

Aimoin. l. 5. c. 45.

Baluz. ad lib. 7. de Marca c. 25.

De Marca l 7 c. 25. n. 9. Guim. in Gl. pragm. tit. de concub.

Maimb. de la decad. l. 1. fol 95.

Maimburg. Traittè de l'Egl. ch. 19. fol. 169.

Postquam Maimburgus cap. 19. ex Pontificum testimonijs, quæ modò refutauimus, conatus fuisset ostendere Pontifices subiacere Concilio, cap. 20. subiungit, in quo testimonia Pontificum recenset, qui sacris Canonibus, sacrorumque Conciliorum Decretis teneri se profitentur; ex quo concludit, infrà Concilium Pontifices esse: sed hoc iam suprà ad obiectionem 8. refutauimus, & ità repetere nolumus iàm semèl dicta. Illud discussione indiget, quod circa finem eius capitis de Appellatione ab abusu commemorat, quodque in sequenti paragrapho explicandum suscipimus.

§. II.

De Appellationibus tamquàm ab abusu.

SVMMARIA.

1 *Quinque Parisienses propositiones eò pertinere, vt omnes causæ spirituales Parlamento, prophanisque Tribunalibus subdantur, idque testimonio Maimburgi palàm fieri Appellationes ab abusu Concilio Oecumenico substituentis.*

2 *Appellationes ab abusu recentes esse, & præteritis retrò annis ignotas, idque testimonijs Constantini, & Theodorici ostenditur.*

3 *Earum Appellationum iniustitia tùm ex ipso*

ipso Appellationis nomine, tùm ex gradibus, quibus prouectæ sunt, probatur.
4 *Et ex querelis Cleri Gallicani, eas Appellationes improbantis.*
5 *Et ex varijs rationibus.*
6 *Respondetur ad Regiorum argumenta.*

Maimburg. Traittè de l'Eglise ch. 20. fol. 180.

I. MAimburgus finem cap. 20. his verbis concludit: [Cùm Romani Pontifices limites à sacris Canonibus præscriptos transgressi sua potestate abuterentur; ad futura Concilia appellari cæptum est. Id in causa Bonifacij VIII. factum, in omnium Regum coronas dominatum vsurpantis. Iterumque ab Vniuersitate Parisiensi, vbi contra Canonum præscripta, & Ecclesiæ Gallicanæ priuilegia, Decimis se onerari, alijsque exactionibus sensit. Sed præsertim, & frequentiùs id agitatum in Germania. Verùm cum illæ ad futurum Concilium appellationes, aut nimis lentum remedium afferrent grassantibus malis, aut Pontificiæ auctoritati, sententijsque eludendis adhiberentur, vnius ferè sæculi mora, quæ conuocandis Concilijs necessaria est, & ideò à Pio II. Iulioque III. huiusmodi prouocationes iure merito damnatæ sunt. Aliud remedium in Gallijs successit, Appellationes videlicet tamquam ab abusu, à Summis Pontificibus ad Parlamentum factæ, id quippè Maiestatem, iustitiamque Regis repræsentat; & ad hunc velut ad Canonum protectorem spectat, prouidere, ne quid attentetur illis contrarium; immò & Bullas, sententias, legesque Ecclesiasticas ad examen, iudiciumque suum reuocare, arbitrarique, an aliquid Canonibus, ac Galliæ libertatibus aduersum complectantur.] Hactenùs Maimburgus, vbi planè faciem nudauit, seque ipsum agnoscendum proposuit, & quò tenderent propositiones Parisienses ostendit, toties & tam quæsitis coloribus pietatem professæ: vt nimirùm tota de rebus, causisque Ecclesiasticis potestas, ad Reges & Parlamenta, forumque seculare transferatur: & hanc vocant Gallicanæ Ecclesiæ libertatem, Regi, & Senatoribus Regijs seruire. Errant, inquiunt, falluntur Pontifices, ergò Concilijs subdantur; sed quia longum est, molestumque Concilia expectare; subdantur Regi, & Parlamentis, prophanisque Tribunalibus; & ne velum desit tam pudendo facinori, abusus Pontificiæ potestatis vocetur, quidquid non placet. Possit error, possit fraus, possit ignorantia in Pontifices cadere; non possit in Regem, & Parlamenta: & ea infallibilitas, quæ Pontifici debebatur, Regibus, & Parlamentis donetur: isti sedeant, iudicentque, Reo interim Pontifice, & ad pedes prophani Tribunalis sententiam præstolante, & hoc ipsum appelletur libertas Gallicana. Potestne à Maimburgo dici, immò cogitari aliquid indignius Christiana pietate? sed rem ipsam aggrediamur.

II. Primò, constat huiusmodi appellationes tamquam ab abusu nouas esse, recentesque, & vltimis seculis natas, quando videlicet & disciplinæ Ecclesiasticæ fastidium, & libido opinandi noua, gliscensque adulatio, ac etiam aliquorum Pontificum prædura imperia medicinas quærere coegerunt morbis peiores. Feuretus putat anno 1404. primùm emersisse. Auctor libertatum Ecclesiæ Gallicanæ ad annum 1489. refert: Acta Cleri Gallicani non antè annum 1532. cæpisse. Eadem ferè sententia Petri de Marca, aliorumque Galliæ scriptorum, ex quibus iàm facilè intelligas huiusmodi prouocationes, vel ex hoc capite improbandas esse, quòd nouæ sint; semper enim nouitas in ijs, quæ ad fidem, ac disciplinam Ecclesiasticam pertinent, suspecta fuit, præsertim cùm Canonibus, praxique Ecclesiæ aduersabatur. Audi sanctum Vincentium Lerinensem in præclaro suo Commonitorio: [Mos iste semper in Ecclesia viguit, vt quò, quisque Religiosior foret, eo promptiùs nouellis adinuentionibus contrairet.] Et alibi: [Christianus ergò Catholicus prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorsùs iàm non potest ab vlla nouitatis fraude seduci.] Et planè si totam percurras antiquitatem, numquam reperies appellationes ab Ecclesiastico ad prophanum Tribunal sine horrore, & execratione auditas esse, cuius in Donatistis egregium exemplum; cùm enim isti à sententia Melchiadis, Romanæque Synodi, aut, vt alij volunt, à Synodo Arelatensi ad Constantinum prouocassent; is teste Optato Mileuitano, rei indignitate commotus in hæc verba prorupit: [O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.] Quibus verbis non id tantùm obiurgat Constantinus, quòd Donatistæ ex leuibus causis appellassent (huiusmodi enim appellationes, ne quidem à Gentilibus admittebantur) sed quòd ab Ecclesiastico Tribunali, & in causa Ecclesiastica ad Imperatorem prouocassent. Quid iàm diceret Constantinus, si has ipsas prouocationes, & suscipi in Gallia, & defendi, vt legitimas videret? Memoratu quoque digna est illa Theodorici, quamuis Ariani, sententia, qui cùm à Patribus, quid in causa Symmachi Pontificis agi vellet, consultus esset? Respondit modestia Rege digna: [In Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere.

Car. Feuret. lib 1. cap. 2. Auct. libert. Gallic. to. 1. pag. 96. Acta Cleri Gall. tom. 1. tit. 2. c. 19. Steph. Pasquier. l. 3 c. 38. Vide tract. de libert. Eccles. Gallic. l. 12.

Vinc. Lerin. lib. 1. Commonit. c. 3. & 9.

Optatus l. 1. cõtra Parm.

Vide acta Syn. Palm. anno 502. & ibi Baron. ad eumdem annum n. 14.

III. Secundò, sed & ipsum nomen appellationis iniustitiam istarum prouocationum ostendit: Appellatio enim est à minori Iudice ad maiorem facta prouatio: atqui potestas secularis etiam Regia multò est minor omni potestate Ecclesiastica; qua ergò ratione à maiori potestate ad minorem appellatur? Demus iniustas esse Episcoporum, & Pontificum sententias; num ideò, quia iniustæ sunt, debent maiori iniustitia propulsari? quæ verò maior iniustitia, quàm priuatam iniuriam publico Ecclesiæ dedecore, ac damno vindicare, eamque non alieno tantùm Tribunali, sed etiam minori subijcere? si ergò Reges sua potestate abuti contingat; an ideò priuatis Ciuibus à Regia sententia obtentu abusus ad Parlamentum appellare licebit? & si quis id audeat, non in illum tamquam læsæ Maiestatis reum vindicabunt? si ergò nullo abusus prætextu appellari à Rege ad Parlamentum non licet, quantò minùs licebit à Pontifice ad Regem, aut Parlamentum?

Tertiò, nihil verò istarum Appellationum indignitatem æquè prodit, vt illi gra-

dus, quibus ad summum licentiæ, & inuerecundiæ peruenerunt. Primò enim exortu modestè, timidèque, ac intrà necessitatem procedebant, quæ causa fuit, vt Ecclesiæ irreperent conniuentibus, nec inuitis Episcopis, aut inobseruatæ videlicet, aut contemptæ, & præsertim, quòd soli Pontifici obiectarentur, cuius potestatem arctari, non ingratum Episcopis amore libertatis. Initio igitur eò solùm pertinebant huiusmodi appellationes, vt executio suspenderetur, nec vltrà temporalia, aut beneficia proferebantur. Deindè coacti Episcopi, vt Decreta, quæ accusabantur, reuocarent. Posteà ab ipsomet Senatu irrita, & nulla declarata; tandem in omni causa spirituali, Matrimoniali, ac Sacramentali appellari cæptum est; vt enim nulla causa, in qua aut committi abusus, aut fingi, & prætexi non possit, ità etiam nulla huiusmodi appellationibus non obnoxia, sic enim loquitur Iacobus Duhamel in sua Politica Regia, quam exhibet Compilator Libertatum Gallicarum tomo 1. fol. 590. [Si contra has regulas, inquit, edicta, Constitutiones, & placita Curiarum supremarum, si contra libertates, & immunitates Regni, si contra iurisdictiones Regias, aliquid à Iudicibus Ecclesiasticis fieri, vel attentari contigerit; remedium est Appellatio, quasi ab abusu: idque intelligo non solùm de causis criminalibus Regijs, & priuilegiatis, sed etiam de rebus ciuilibus secularibus, & prophanis; immò etiam spiritualibus, & sacramentalibus: est enim Appellatio quasi ab abusu, via ad tribuendum Curijs Parlamentorum rerum spiritualium cognitionem, quæ aliàs ipsis non competeret.] Nulla ergò est causa tam sancta, quæ iurisdictionem Parlamenti, istarumque Appellationum laqueos effugere possit. Rursùs appellari etiam solet, quando abusus non est notorius, vnde facilè fuerit abusum fingere, & causari, quando, & vbi nullus abusus est, sicque omnes sententias Ecclesiasticas ludificari abusuum prætextu. Accedit, quòd huiusmodi Appellatio nullo tempore finiatur, ac etiam post centum annos proponi possit, etiam post tertiam, conformemque sententiam, etiam non seruato Tribunalium ordine; & Iudex Ecclesiasticus interposita ea appellatione ad Magistratus seculares, supersedere interim executione debet: vt tandem, qui huiusmodi Appellationibus repugnauerit, litemque indixerit, reus habeatur contemptæ Maiestatis; quæ omnia constant ex Feureto lib. 1. 3. quem de hoc argumento conscripsit. Vides ergò Appellationum tamquam ab abusu... conseruandorumque Canonum prætextu omnium maximum abusum induci, & Canonicam disciplinam maximè, ac in suis fundamentis euerti; quis enim abusus maior, quàm qui sacram, prophanamque potestatem confundit; immò sacræ potestati omnem neruum incidit, eamque penitùs inutilem reddit appellationum obiectu? aut quid sacris Canonibus magis aduersum, quàm quod Immunitatem Ecclesiasticam tot Canonibus, tot Martyrum pugnis sancitam penitùs euertit?

IV. Quartò, & ideò Clerus Gallicanus de hisce Appellationibus tamquam ab abusu, frequenter, & grauissimè conquestus est, quippè cùm totam Ecclesiæ libertatem abolere ijs videret. Extant inter acta Cleri Gallicani to. 5. Orationes, & alia innumera ferè documenta, ex quibus apparet Antistites Galliæ omnibus viribus connisos esse, vt huiusmodi Appellationes sacræ libertati fatales submouerentur; sed cùm sustinere torrentem non possent, illud saltèm conatos, vt earum abusus quibusdam limitibus, ac terminis cohiberent, sed vix aliquo operæ pretio, aula, & adulatione præualente. Videri etiam potest tom. 1. eorumdem Cleri Gallicano actorum, vbi in tractatu de libertate Ecclesiastica cap. 9. hæc leguntur, quæ Cleri Gallicani sensa plùs satis explicant: [Omnium malorum, vulnerumque, quibus Ecclesiastica potestas, & disciplina aliquando afflicta est; illud maximum, quod ab Appellationibus tamquam ab abusu recepit. Artificium à Regijs Officialibus excogitatum, vt omnes causas Ecclesiasticas, quarum nulla eis cognitio, aut iudicium competit, suis Tribunalibus addicerent. Cùm enim nihil in mundo sit, cui non abusus aliquis obiectari possit, ita nulla iam erit Persona Ecclesiastica cuiuscumque ea gradus, aut dignitatis sit, quæ colore, obtentuque exerciti abusus non ad pedes sisti possit prophani tribunalis, prostrata interim, captiuaque ea libertate, quæ & Gallis ornamento, & toti terrarum Orbi olim exemplo fuit. Id est, quod vltimo hoc sæculo Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem iuxtà, & venerationem subtraxit, ac sacram morum disciplinam planè subuertit; atque vtinam post hanc Ecclesiæ desolationem, quàm oculis vsurpamus; non etiam Imperij ruina subsequatur.] Quid possit contra huiusmodi Appellationes grauiùs dici à Clero Gallicano? Nec minùs patheticè nomine eiusdem Cleri Episcopus Ambianensis: [Sed Appellationes, inquit, ab abusu multò plus confusionis, damnique Ecclesijs attulere. Hæ sunt nouæ fabulæ, næniæque prioribus retrò sæculis in Gallijs numquam auditæ, & quarum veneno aliæ Christiani Orbis Nationes hactenus intactæ sunt.] Hæc sunt de Appellationibus tamquam ab abusu Cleri Gallicani sensa, à quibus quantum Maimburgi de ijsdem Appellationibus sententia abhorreat, nemo non intelligit; vt mirum videri debeat, hominem, qui singulis ferè paginis auctoritatem iactat Cleri Gallicani, eamque cœlis exæquat; quoties videlicet inumbrandæ Pontificum Maiestati seruire Maimburgo videtur: nunc verò vbi de viribus, & libertate Ecclesiarum agitur, palàm à Clero Gallicano deficere, & quod rem ipsam spectat, totam de causis spiritualibus iudicandi potestatem Parlamentis adscribere: adeò videlicet se Aulæ deuinxit, vt hanc vnam respiceret, nullo æqui, aut iniqui discrimine, & sola Principem demerendi cupidine.

Episc. Ambian. in Or. nomin. Cleri Gallic. anno 1656. to. 5. Actor. Cler. Gall.

V. Quintò. Sed & nihil magis, vt istæ Appellationes, rectæ rationi aduersum. Quidquid enim tot Canonum, & Conciliorum apparatu, ac etiam Principum edictis circa Immunitatem Ecclesiasticam, ac etiam tot Episcoporum, ac Martyrum pugnis sancitum est, totum illud euertitur istarum Appellationum ludibrio. Quidquid enim, aut Pontifices, aut Episcopi decernent, quod Principi non pla-

placeat, abusus potestatis vocabitur; nec deerunt venales animi, calamique, quibus Palatia semper abundarũt; qui inductis coloribus in abusum transforment, quidquid aulæ displicuit. Quid ergo tam rectum fuerit, quod vocari abusus non possit? & consequenter quæ causa tam sancta, & Ecclesiastica, quæ prophanis iudicijs non subdatur? quò ergo tot Concilia, tot Canones, tot Principum edicta, Patrumque labores, ne sæculares de causis Ecclesiasticis iudicent, prohibentium? quoties enim, aut sacerdoti obtemperare noluero, aut libido, vel questus fuerit res sacras contrectandi, abusum vocabo: frustrà ergo canones, frustrà reliquæ Tabernaculi fores clausæ, hac vna patente; quid enim interest, qua ianua irrumpas? Ex quo aliud incommodum sequitur, & præcipui quidem momenti, videlicet, inutilem fore omnem potestatis Ecclesiasticæ monendi vim, puniendique, ac Principes sæculares dirigendi. Nemo planè Pontificis, & Ecclesiasticorum directione magis, quàm Principes, indiget; in summo quippe fastigio constitutis, cùm nec potestas desit, nec cupiditas pro arbitrio imperandi; & nemo sit, qui cupiditates Principum, aut metu, aut imperio moretur: immò perpetuæ sint voces, omnia in Principe comprobantium; quis rogo, aut errantes, aut præcipitio imminentes moneat, teneatque, aut obiectis sacrarum legum, & canonum repagulis, periculo arceat, si Pontifici communi omnium Patri, & Maiestate, ac Religione etiam Regibus verenda id non permittas? At verò quid Pontifices, & Episcopi ampliùs possint, si ab eorum legibus, decretisque appellare liceat, sicque inutilia ea reddere abusuum obtentu? an verò Principibus colores deerunt, omnia in abusum fingendi? aut erit aliquid tam sanctum, tam iustum, quod appellari abusus non possit, si Principi non placeat? Prohibent canones, & ad istorum normam prohibent Pontifices turbare liberas electiones, prouentus Ecclesiasticos inuadere, Episcoporum causas prophanis Tribunalibus subdere, Beneficia in vnam, eamdemque personam confertim deponere, & alia mille Canonibus aduersa: obtemperare Principes renuunt, & tam iusta imperia abusum vocant potestatis. Quid ergo proderit in Pontifice, alijsque Episcopis potestas imperandi, si nulla in subditis necessitas obsequendi? Deinde quàm illud absurdum, quòd velint Parlamentum, Senatores, Regem, aliasque potestates sæculares de Pontifice, & Episcopis iudicare, an, cùm imperant, cùm prohibent, puniuntque, sua potestate contra Canones abutantur? quomodo enim de canonum, rerumque Ecclesiasticarum abusu iudicabunt, canonum ipsi rerumque Ecclesiasticarum, aut rudes, aut negligentes? & qui negant Pontifici de rebus Politicis iudicandi potestatem, sibi potestatem vsurpabunt de rebus Ecclesiasticis decernendi? quod ergo eorum sententia Pontifici in Reges non licet, Regibus in Pontifices licebit? aut fortè de rebus ad aras Deumque spectantibus, deque sacrorum Canonum intellectu, eorumque abusu meliùs Reges, Regijque Parisijs Ministri, quàm Pontifices ipsi, & Episcopi iudicabunt? id perinde fuerit, ac si iudicium de rebus militaribus nautæ, aut de rebus nauticis Cantori permittas, & sententiam ab Astrologo expectes, quando & vbi in pingenda imagine suis pictor coloribus, ac penicillo abusus sit; quòd si artifici in sua arte credendum est, quidni rebus Ecclesiam, arasque spectantibus Pontifici potiùs, & Episcopis credas, quàm Regi, Parlamento, Aulæque Ministris? Idque tantò æquius est, quòd Rex quoque, alijque Principes sæculares in rebus merè temporalibus numquam permissuri sunt, vt ab eorum sententijs, ad Episcoporum Tribunalia prouocetur obtentu abusus; idque si quis attentet, velut offensæ Maiestatis reus grauissimas pœnas daturus est: & tamen quis neget abuti illos posse Regia potestate? Si ergo, quia Reges, quia Parlamenta errare possunt, suaque potestate abuti, non ideò tamen ab eorum sententijs ad Episcopos licet appellare, quantò minùs licebit à Pontifice ad Reges?

VI. Vnde facilè respondeas ad ea, quæ obiectari solent, quæque ad hoc vnum reducuntur, videlicet, Reges Canonum Custodes esse, legumque præsertim naturalium defensores, si ergo aliquid Pontifices contra Canones moliantur, aut priuatis, Regijsque iuribus officiant, poterunt Reges eorum conatus coercere, & decreta compescere, quo verò titulo, & colore honestiore, quàm si obijciant abusos esse potestate? & in hunc finem accumulantur canones, quibus rerum Ecclesiasticarum custodia Principibus defertur. Can. si jis 16.q.7. Can. boni Principis d. 96. Can. tributum 23. q. 8. Can Principes 23. q. 5. Can. Maximianus 23. q. 3. & q. 5. & Can. Regum, Can. Imperatoribus, Can. Qui potest.

Resp. Multis modis refelli potest hæc obiectio. Nam primò, si à Pontificum, Episcoporumque decretis Ecclesiasticis appellari potest ad Magistratum sæcularem prætextu abusus, & iure naturalis defensionis, sequetur pari, immò eadem ratione, à Magistratu sæculari ad Ecclesiasticum prouocari posse, & hac prouocatione suspendi decreta, & sententias sæcularium Magistratuum, quippe qui potestate sua abuti possunt, immò sæpè abutuntur, nec minùs ius naturalis Defensionis Pontifici, quàm Regi tribuendum est, immò illi multò magis, quantò videlicet Ecclesiastica dignitas multò sæculari maior; & innocentium cura, legumque naturalium custodia multò magis Pontifici, quàm Regibus commendata; omnes ergo causæ abusuum prætextu ad forum Ecclesiasticum trahi poterunt; quòd si hoc non permittunt Principes, nec æquum arbitrantur, quæ æquitas fuerit, vt quam ipsi ferre renuunt, seruitutem, Ecclesijs imponant? Secundò. Si Reges, alijque Principes sæculares canonum custodes sint, oportet ergo, vt canones non destruant, sed tueantur, conseruentque; neque enim custodem arborum, vinearumque appellaueris, qui eas fuerit deprædatus, omnesque earum fructus pro arbitrio suis vsibus addixerit, ita canonum custos, non qui euertit, sed qui obseruat. At verò quid magis & sæpiùs canones inculcant, quàm personarum, & causarum Ecclesiasticarum exemptionem, & ne causæ cœlestes prophanis tribunalibus sistantur? qui ergo istos canones violat tam sæpè tam enixè Ecclesiæ commendatos, & non atramento tantùm, sed etiam sanguine, & vulneribus scriptos; istos, inquam, canonum custodes, an hostes dixeris?

Ter-

Tertiò. Dubium non est, posse non Principes solùm, Regesque, sed quemlibet etiam priuatæ conditionis hominem impedire, ne Pontifices manifestam alteri iniuriam inferant, eumque, aut vita, aut bonis, aut ijs, quæ vtroque chariora sunt, priuent; si enim Pontificum aliquis capite, aut exilio puniri vellet innocentem; quis neget posse me, aut carceribus apertis, aut monstrata fuga, aut alio quouis modo periclitanti, & afflictæ innocentiæ remedium quærere? siquidem Pontificum potestas ad ædificandum, non destruendum data; si ergo contingat veritatem, & iustitiam eos destruere, non tam Pontifici, quàm Vastatori obsistas, ac vltra potestatem suam grassanti; cœterùm hæc locum habent, cum abusus, & iniustitia manifesta, & notoria sunt, ac omnium oculis exposita, non verò cùm Parlamentis solùm, Regijsque Ministris, & Principum Adulatoribus talia apparent, aut ijs, qui Pontificum Decretis, aut sententijs cohibentur, ne cupitis fruantur; quid enim erit tam rectum, & iustum, quod istorum iudicio non iniquum, iniustumque credatur? si Rei, ac damnati iudicia, & querelas attendas, nulla vnquam fuit iusta sententia, nec placuit perituris. [At inquies, iudicabit Parlamentum, æqua, an iniqua fuerit à Pontifice appellatio;] sed hoc ipsum querimur, & negamus fieri posse, neque enim pronuntiari potest iusta appellatio, nisi sententiam iniustam dicas: at quæ parlamento in sententias Pontificum potestas, & iurisdictio? aut qui Canones, & quæ ratio permittat, vt plus deferas parlamento absoluenti, quàm Pontifici damnanti? Num verò parlamentum permitteret, in sententijs à se datis, causisque temporalibus ad Pontificem appellari, & hunc de iustitia appellationis cognoscere? cur ergo in causis spiritualibus sibi tribuant, vsurpentque, quod in merè temporalibus, quæ multò minoris momenti sunt, Pontifici non permittunt? quacumque ergo ex parte huiusmodi appellationes inspicias, iniustæ sunt, & Gallorum pietate prorsus indignæ.

§. III.

Respondetur ad auctoritatem Concilij Pisani:

SVMMARIA.

1 *Auctoritas Concilij Pisani à Maimburgo adducta.*

2 *Huius Concilij auctoritatem multis ex capitibus dubiam esse, & incertam, euidentibus argumentis ostenditur, & auctoritate ipsius Concilij Constantiensis, ac etiam Maimburgi testimonio.*

3 *Nec tamen aliquid in Concilio Pisano, aut decisum, aut factum, quod Pontificum in Concilia auctoritati derogare possit; & quæstionem in Concilio agitatam toto Cælo ab ea distinctam esse, quæ modò inter nos vertitur.*

4 *Mala fides Maimburgi sententiam Parisiensis vniuersitatis peruertentis.*

I. Objicitur 10. In Concilio Pisano, quod Anno 1409. congregatum, & peractum est, multis tum scriptis, tum exemplis ostensum est, Pontifices Concilio subdi, & ab isto iudicari, puniri, damnarique posse. Nam primò cùm quidam in sacro illo Senatu sustinuissent, nullam Concilijs esse in Pontifices Romanos potestatem; Patres eam protestationem derisui habuere, vtpotè nullo Antiquitatis exemplo fultam. Deinde quidam Petrus Plaust doctrina celebris, & vnus ex vniuersitatis Parisiensis deputatis, quæ tunc temporis ad supremum gloriæ peruenerat, egregiè, multisque rationibus ostendit, multum Ecclesiam supra Pontifices esse, & consequenter etiam Concilium, quo Ecclesia repræsentatur, additque hanc esse Parisiensis, omniumque Galliæ vniuersitatum sententiam Vt primùm perorauit, exscenditque cathedra: secutus est Nouariensis Episcopus, seque ex suggestu ostentans, & voce, qua omnibus intelligi posset, protestatus est, centum & tres Doctores, ac Theologiæ Licentiatos, qui ex varijs vniuersitatibus confluxerant, iussuque Cardinalium hanc causam diligenter examinauerant, cum Parisiensi schola in eamdem sententiam conuenire; immò, & Bononiensem, ac Florentinam fama, doctrinaque celebres; & Florentinam quidem scripto libello, quem viginti Doctores subsignauerant, mentem suam expressisse. Tandem re in Concilio maturè, lentèque discussa, Benedictum XIII. & Gregorium XII. quamquam eorum alter verus Pontifex esset, Papali dignitate abdicarunt, initisque suffragijs nouum Ecclesiæ Pontificem dedere, Alexandrum videlicet V. quem pro vero, Legitimoque Pontifice, & tota ferè Ecclesia, si paucos excipias Benedicto, Gregorioque addictos agnouit; & ipse Alexander, quamuis notæ sanctitatis, mortique vicinus, vbi finiri ambitio solet, se verum Pontificem professus est. Patet ergo Auctoritatem Concilij supra Pontificem in Concilio Pisano multis modis ostensam esse. Et verò fuisse hoc Concilium Oecumenicum, & vnum ex maioribus conuentibus, qui vnquam in Ecclesia peracti sint, patet ex numero, & dignitate Prælatorum, qui illi adfuerunt: quippe Cardinales quinque supra viginti, Patriarchæ quatuor, Episcopi 182. Abbates 290. inter quos Capita, & Generales omnium Ordinum, Magni Ordinum S. Sepulchri, Theutonici, Rhodiorumque Magistri, Vniuersitatum Parisiensis, Tholosanæ, Aurelianensis, Andegauensis, Cracouiensis, Viennensis, Pragensis, Coloniensis, Oxfordiensis, Cantabrigiensis, Bononiensis, Florentinæ, aliarumque Deputati: Legati quoque Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum supra centum: Theologiæ, sacrorumque Canonum supra trecentos Doctores. Oratores denique Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Cypri, Siciliæque Regum: Ducum quoque Bauariæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantij, Brandenburgi, omniumque ferè Germaniæ Principum; præter alios Hispaniæ, Arragoniæ, Hungariæ, Sueciæ, Noruegiæ, Daniæque Reges, qui tandem Concilio Pisanò adhæsere. Ergo quo primùm tempore conferri inter se Conciliorum potestas, & Pontificum cæpit, tot Regno-

Maimburg. traittè hist. ch. 21. fol 184. & du grand. schis. d' Occiden. 14. à f 63.

gnorum, Prouinciarum, vniuersitatum, Ordinum, Doctorum, Episcoporum, hoc est totius ferè Christiani Orbis vox vna, & sententia fuit, Pontifices Concilio subesse, ab eoq; iudicari, puniri, deponique posse. Hactenus ferè verba Maimburgi ex Gallico translata.

II. Resp. Hæc Maimburgi narratio partim, & argumentatio, eodem filo, quo reliquæ huius Auctoris, contexta est: videlicet ex principijs, aut dubijs, aut falsis, semper tamen specie veri coloratis, vt eodem tempore placeant, fallantque incautos? Nam primò certum quidem est in Concilio Pisano fuisse Gregorium XII. & Benedictum XIII. Pontificatu eiectos, electumque Alexandrum, sed non æquè certum iure id factum, & ex legitima potestate; nec propterea noui Pontificis electione cessauit dubitatio, quis pro vero Pontifice habendus esset: nec sublatum Schisma, imò quod plerique eorum temporum Auctores notant, auctum potiùs, diffusumque noui Pontificis accessione, adeò, vt cùm priùs Ecclesia in duas, posteà in tres factiones scinderetur, augente incertitudinem Pontificum numero, ea ferè ratione, qua in Labyrintho, non ideò certiùs eas, quia pluribus vijs: & qui Gregorio, ac Benedicto adhærebant, nec pro hæreticis, aut Schismaticis habiti sunt, quòd videlicet multis nec inanibus rationibus niterentur, vt Concilio Pisano non subscriberent, nec satis de vero Pastore constaret; imò etiam sanctos reperias, qui Concilio Pisano obluctati sunt, inter quos S. Antoninus: [Pisanum Concilium, inquit, vel Conciliabulum, cùm non esset alicuius eorum, qui se pro Pontifice gerebant, auctoritate congregatum, non erat ablatum ipsum Schisma, sed augmentatum ex duobus, tribusue se pro Papa gerentibus. Et alibi testatur: Gregorium à multis Deum timentibus & peritis creditum fuisse verum Pontificem tempore eiusdem Concilij.] Si ergo à Pisano conuentu electo Alexandro, depositisque Benedicto, & Gregorio, multi nihilominus sanctitate & doctrina conspicui, nec Alexandrum agnouere, nec à Gregorio separati, nec tamen pro Schismaticis, sed pro veris, pijsque catholicis habiti sunt, sequitur omnino, Concilium Pisanum non fuisse pro certo & Oecumenico, nec nonam electionem Alexandri, & Gregorij abdicationem pro legitima habitam; alioquin Schismatici, impijque, qui aut legitimo Concilio, aut vero Pontifici obsisterent, & abdicato, falsoque adhærerent. Planè post Concilium Pisanum, Neapolitanum & Siciliæ Regna, Romandiola, Ducesque Bauariæ, ac plurimi Germaniæ Episcopi Gregorio adhæsere, neque is alligari se voto credebat, quod de Pontificatu abdicando emiserat; quippe cùm id votum conditionatum esset, si videlicet Petrus de Luna idipsum præstaret; hoc quippe dignitatem retinente, nec pax Ecclesiæ obtineri poterat, nec Schisma extingui, cùm Regna, Prouinciæque non paucæ Benedicto parerent, Arragonia videlicet, Nauarra, Castellæ, Scotia, Baleares, Corsica, Sardinia, aliæque, & Eugenius IV. in apologia fatetur Obedientias Gregorij, & Benedicti [fuisse non modicam Christianitatis partem. Idque apertè Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis professus est, qui sedente Constantiensi Concilio librum scripsit de Ecclesiæ & Cardinalium potestate; is enim primam conclusionem his verbis expressit: [Licèt Concilium Pisanum fuerit legitimè ac canonicè celebratum, & duo olim contendentes de Papatu iustè, & canonicè condemnati, & electio Alexandri V. fuerit ritè, ac canonicè facta, prout hæc omnia tenet obedientia Domini nostri Papæ Ioannis XXIII. tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diuersa, & aduersa veritate non sunt minores difficultates iuris, & facti, quàm ante Concilium Pisanum erat de iustitia duorum contendentium.] Hæc Alliaci confessio doctrina clarissimi, quique eodem tempore scribebat, rerum, quæ in Concilio fiebant scientissimus, tantò pluris esse debet, quòd ipse à Ioanne XXIII. purpuram accepisset, eiusque partes teneret; sicque non tam odio, aut partium studijs, quàm rei veritate ad hæc scribenda permotus credi debeat. Et re ipsa Concilium Constantiense hanc Alliaci sententiam amplexum est, approbauitque. Cùm enim Anno 1415. die 4. Ianuarij Ioannes Dominicus Cardinalis, & Nuntius Greg. XII. in Concilio comparuisset, cæptum est à Patribus disceptari, an cum purpura & insignibus Cardinalis admittendus esset? multis abnuentibus, censebant alij admitti eum debere, inter quos Alliacensis Cardinalis præcipuus, cuius etiam sententia præualuit, & Gregorij Legatus galero purpureo insignis, magnoque apparatu in Constantiam inuectus est. Audi acta Concilij ex duobus MM. SS. Codicibus Bibliothecæ Victorinæ, Maimburgo sæpe, & vehementer laudatis. [Alij asseruerunt, licentiam fratri Ioanni Dominici concedendam cum capello rubeo ingrediendi: & huius sententiæ fuit R. D. Petrus Cardinalis Cameracensis, & quidam alij, die namque 22. Ianuarij, D. Frater Ioannes Dominici Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Ragusinus, vt Cardinalis, & cum Capello rubeo medius inter Dominos Ducem Bauariæ, & Ducem Briegę sequentibus Dominis Wormatiensi, Spirensi, & Vverdensi Episcopis in obedientia dicti Gregorij persistentibus, qui omnes prędictis Legatis Gregorij extra Constantiam obuiauere, & Ciuitatem Constantiæ sunt ingressi &c.] Nota Episcopum Ragusinum à Concilio Pisano, & ab Alexandro V. & Ioanne XXIII. nuuquam pro Cardinali agnitum esse, sed Patres Constantienses rationibus Petri Alliacensis promoti eum pro tali recepere, sicque ipso facto professi sunt, iura Gregorij non adeò proiecta esse, & conclamata, vt sustineri pro vero Pontifice non posset; si enim certum erat Gregorium Pontificem non esse: ergo æquè certum, non esse veros Cardinales, quos ipse purpura induisset, cur ergo pro talibus habiti, admissique? Idem Episcopus Ragusinus, cùm Gregorij XII. insignia Pontificia ædibus suis appendisset, & propterea ingens inter Patres certamen accensum esset, eorum præsertim, qui Ioannis partes sequebantur; die 20. Nouembris collectis in Concilio Patribus certatum diù est, pugnantibus Antistitum votis, tandem præualuit sententia negantium tolerari

S. Antonin. 3. p. Tit. 22. cap. 5. §. 2. & cap. 6. §. 2.

V. epist. Archiepisc. Narb. in M. S. Regestro Conc. Schelstrate in actis Concil. fol. 51. Eugen. IV. in Apolog. cõtra Basileẽses Turrecr. lib. de Eccles.

Petrus Alliac. in Conclusionib. à Philippo Labbeo editis, & in appendicem Conc. Constant. reiect.

Regest. Cõcil. Constãt. ex duobus MM. SS. Bibliothecæ S. Victoris.

rati insignia Pontificia deberi, nisi ipse Gregorius coram, præsensque adesset; in hoc ergo omniū vota conuenere, ipsi Gregorio permitti posse, si adesset, vt insignibus vteretur Pontificiæ dignitatis: non ergo certum erat Pontificem non esse; quomodo enim in tam sacro senatu permitterent Gregorium Mimum agere, & in ludibrium supremæ potestatis, ipsoque Ioanne Pontifice coram tiaram ostentare alteri raptam? Audi ipsius Concilij tabulas: [Alij verò asserebant supradicta arma in locis prædictis in obedientia Domini Nostri Ioannis XXIII. constitutis affigi non potuisse, & per consequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & huius sententiæ fuit D. Patriarcha Gradensis, & alij, qui plures, quàm alteri sententiæ adhęserunt dicentes, nisi Angelus Corrario personaliter veniret, ipsius arma ibidem non debere depingi.] Sed nihil æquè ostendit, Patres Concilij Constantiensis Decreta Pisani Concilij, & Gregorij abdicationem, ac electionem Alexandri, & Ioannis, pro dubijs, incertisque habuisse, quàm quæ sessione 14. peracta sunt, in qua cùm Gregorius non priùs Papatu cedere vellet, quàm vt Ioannis XXIII. tanquam Pontificis mentio nulla fieret, vt Sigismundus Imperator auctoritate, & delegatione Gregorij Concilio præsideret, vt ipsum Concilium tanquam priùs non ritè congregatum, iterum sua auctoritate conuocaretur, & confirmaretur, quòd etiam à Cardinali Ragusino nomine Gregorij factum est, & sic tandem ipse Gregorius Pontificatu cessit. Tantum verò abest, Gregorium à Concilio pro pseudo Pontifice habitum esse, aut pro Schismaticis, qui eum venerabantur; vt semper, quoties Gregorij mentio incidebat, tanquam de dubio Pontifice loqueretur, & hanc formulam adhiberet, cautam quidem, sed tamen venerationi mixtam, videlicet: [Ille Dominus, qui in sua obedientia dicitur Gregorius XII.] Et cùm resignationem, & alia Gregorij postulata admisit, his verbis vsum est: [Dictam conuocationem, auctorizationem, & confirmationem, in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet, eis admiserunt.] Quibus verbis omnino Patres significant Gregorium pro dubio saltem Pontifice sustineri potuisse; alioquin si illum pro certo & notorio Pseudopontifice, & temerario Inuasore sacræ Sedis haberent, qua ratione, imò qua cōscientia permitterent, vt Concilium indiceret, confirmaret, nouum Præsidem diligeret, & deniq; abdicaret se potestate, quam non habebat? Planè fuisset hæc indulgentia & simulatio, tam sacro, amploque senatu plusquàm indigna. Maimburgus quidem in libro de Magno Schismate Occidentis hęc omnia pro lusu & scena habet, Patribus id Gregorio indulgentibus: [Vt Synagogam suam cum apparatu, pompaque funeraret, inani quidem solatio, sed tamen innoxio.] Cæterùm alias oportet esse Maimburgi curas, & cogitationes hominis priuati, imbutique politicorum principijs, ac vtilia tantùm, non honesta, aut decora spectantis: alias Concilij Oecumenici tot Purpuratorum, Antistitum, Principumque affluxu insignis, & nihil indignum quouis obtentu admissuri.

Regest. Actorum Cōstant. ex 2. MM. SS. codd Bibliotheca S. Victoris adud doctiss. Schelstratt. in Tract. de sensu & auctoritate Decretor. Conc Constant. f. 153.

Session. 14.

Maimb. hist du grand. Schis. d Occid. l. 5. fol. 309.

Ac deinde prudentum iudicio reliquerim, maiorem Maimburgo fidem habere velint, post duo sæcula 2. ex suo scribenti, quàm Petro Alliacensi Cardinali, & Archiepiscopo Cameracensi, quique Concilio aderat, & omnia coram spectabat, Ioanni XXIII. à quo Purpuram induerat, alioquin addictissimus; is verò in Conclusionibus Anno 1415. post primam Sessionem mense Februario Patribus Concilij oblatis, honores Gregorio oblatos non vanæ ostentationi, inanique fabulæ tribuit, sed quòd [duæ obedientiæ Gregorij & Benedicti istos probabiliter pro Pontificibus teneret, in qua opinionum diuersa & aduersa veritate nō essent minores difficultates iuris & facti, quàm ante Concilium Pisanū erant.] Honores ergo à Patribus Gregorio exhibiti non vanæ fabulæ dati, vt Maimburgo visum, sed Gregorij rationibus suum Pontificatum [multis factis & iuris fundamentis, ac asseclarum auctoritate fulcientis. Nec dubium est, eadem ratione, ijsdem honoribus Benedictum XIII. à Concilio afficiendum fuisse, si modò æquè animum paci adiecisset; nam & eius Pontificatum probabilem reddebant, tum tot Regnorum; Principumque auctoritas, qui eius partes sequebantur: tum etiam quamplures iuris, factique rationes, quas ipse septem horarum spatio, quibus perorauit in Conuentu Perpiniani habito, tanta eloquentia persecutus est, vt attonitos, defixosque redderet Auditores: nec nimium pondus eius causæ addebat duorum fratrum sanctitas, Vincentij videlicet, & Bonifacij Ferrerij, Benedicto etiam post Pisanum Concilium addicti. Et denique Ioannes Gerson, cuius auctoritatem tantopere & vbique contra Pontifices Maimburgus deprædicat, in tractatu de modo se habendi tempore Schismatis hæc habet: [In Schismate præsertim tam dubio, temerarium, iniuriosum & scandalosum est asserere, omnes tenentes istam partem, vel alteram esse extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de schismate suspectos. Et infrà: Tota ratio fundatur in hoc, quòd nunquam fuit tam rationabilis, & vehemens causa dubitationis in aliquo Schismate, sicut in isto, cuius signum euidens est varietas opinionum Doctorum, & inter doctissimos & probatissimos ex vtraque parte &c. Potest ergo illud dici rationabiliter dubitabile, quod plurimi & maximè sapientes dubitabile reputant & prædicant &c.] Quæ doctrina & ratiocinatio Gersonis etiam post Concilium Pisanum locum habuit; nam etiam post illud [fuit varietas opinionum Doctorum inter doctissimos & probatissimos,] vt enim de solo Benedicto XIII. loquar, cuius obedientia multò alijs inferior minorque, etiam post Pisanum Concilium, à quo depositus est, ei Regna Scotiæ, Nauarræ, Castellæ, Arragoniæ, Sardiniæque adhæserunt, inter quos S. Vincentius Ferrerius, qui nouem post Pisanum Concilium annis constanter Benedicto adhæsit, nullo Sanctitatis suæ damno, quod etiam fatetur Maimburgus. Non ergo constabat Concilium Pisanum Oecumenicum esse, & Alexandrum in Concilio electum, eiusque successores veros Pontifices; alioquin non sanctus, sed Ethnicus, & Publicanus, qui nollet Ecclesiam audire,

Ex Gestis Constant. Concil. in 4. MM. SS. & Append. eiusdem Synodi Edit. Paris. apud Labb. Tom. XI. Concil.

Ioann. Gerson 1. part. operum.

Maimb. du Grād. Schis. d'Occident. lib. 5. f. 453.

audire, veroque ac legitimo Pontifici parere. Vtique irrefragabili testimonio omnia concludam, id ipsum tres nationes, Gallica, Hispanica & Italica cum Collegio Cardinalium professæ sunt, hoc est, maior, saniorque Concilij pars, quando in protestatione contra Germanicam Nationem edita, & in qua petebatur, vt omisso interim reformationis articulo ad electionem procederetur indubitati Pontificis, ita loquuntur: [Ecclesia in periculo remaneret, quia vix, aut nunquam Summus Pontifex indubitatus posset haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet conuocare.] En! fatentur Patres Constantienses, Nec Pisanum, nec aliud Concilium certum esse posse sub incerto Pontifice. Hæc omnia eò pertinent, vt ostendam auctoritatem Concilij Pisani tot Principum, Regum, Antistitum, Sanctorum, ipsiusque Concilij Constantiensis opinione nullo modo certam, & indubiam fuisse, ideòque à quamplurimis mortalium sine Schismatis nota Benedictum, & Gregorium pro veris Pontificibus agnitos, quod etiam Maimburgus nunquam sibi constans profiteri compulsus est, quando in libro de magno Schismate Occidentis scribit: [Eorum sententiam, qui Benedictum pro vero Pontifice agnoscebant, probabilem fuisse (quamuis contraria magis probabilis esset) & ideò viros sanctitate, doctrina, & dignitate præcipuos potuisse illam secura conscientia amplecti.] Si ergo teste Maimburgo hæc propositio: [Benedictus est verus Papa;] erat probabilis, ergo eius opposita, videlicet, [Benedictus non est verus Papa,] non erat certa, quod enim est certum, excludit contrariæ sententiæ omnem probabilitatem; quemadmodùm quia hæc propositio, [nix est alba;] est certa; eius opposita videlicet, [nix non est alba,] omnino non est probabilis: sequitur ergo Benedictum & Gregorium fuisse probabiliter veros Pontifices, & consequenter auctoritatem Concilij Pisani, quod vtrumque deposuerat, ex Principijs Maimburgi, nullo modo certam, sed dubiam fuisse, quod probare susceperam. Errauit ergo Maimburgus, quando indubias & euidentes veritates Lectori pollicitus, dubias, incertasque supposuit.

Protestatio trium Nationum in Conc. Constantiensi post session. 38. ex Gest. Concil. in 4. MM. SS. codd. apud Schelstrat. fol. 6.

Maimb hist du Grand Schis d'Occident lib. 6 fol. 379. ad ann. 1415.

III. Secundò. Demus tamen Concilio Pisano omnē auctoritatem, quam Maimburgus optat, etiam quam non habuit, adhuc tamen certum est, nihil pro Maimburgo, eiusque sententia facere. Duo enim quæri possunt, Primò, an Concilij Oecumenici auctoritas sit maior auctoritate Pontificis Schismatici, Hæretici, dubijque, adeò vt talis Pontifex à Concilio iudicari possit, deponique? Secundo, an Concilij Oecumenici auctoritas sit maior auctoritate Pontificis Catholici, legitimi, & certi? De hoc secundo tota quæstio, & controuersia inter nos est, de hoc Propositiones Parisienses loquuntur, hoc Maimburgus probandum susceperat, hoc probandum ergo erat. At Concilium Pisanum nihil penitùs loquitur de hoc secundo, sed de primo tantùm, de quo nulla dubitatio, nulla controuersia est; quæ ergo noua hæc disputandi, demonstrandique methodus, probare iam aliàs certa, & concessa, non probare negata? quærimus de Pontifice certo, Maimburgus probat de Pontifice dubio: quærimus de Pontifice Catholico, probat de hæretico: perinde, ac si iter Romam quærenti, alter Constantinopolim monstraret. Nihil ergo ad rem faciunt, quæ disputat, & vt dici solet, toto ostio aberrat. Id autem quàm verum sit, hoc est, Concilium Pisanum loqui solùm de Pontifice dubio, Schismatico, & Hæretico, ex iam dicendis intellige, vbi etiam notabis, quàm mala fide idem Maimburgus acta Concilij Pisani alleget, inuertatque, vt videlicet quod veritate non potuit, euincat pudendis artificijs.

Certum igitur est, quo tempore Concilium Pisanum celebratum est, in eoque Gregorius, & Benedictus depositi, nullum certum Pontificem extitisse, sed ob infinitas & contrarias iuris, & facti rationes vehementer dubitatum esse, vtri Pontificum parendum esset, toto Christiano Orbe in duas factiones diuiso; nam Italia cum suis Insulis, Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Angliaque Gregorio parebant, Gallia verò, Hispania, Scotia cum subiectis Insulis Benedicto. Hæc verò incertitudo, vter ex duobus Pontifex esset, tanta fuit, vt Vniuersitates Parisiensis, & Bononiensis, eam inextricabilem vocauerint, sic enim in Conclusionibus Concilio porrectis loquuntur: [Quinta conclusio stante dubio inextricabili Papatus propter dubium facti, & iuris, ne in subuersionem fidei Ecclesia sic maneat perpetuò diuisa cum tanto scandalo, & animarum perditione; prouisio spectat ad Concilium, vt vtrumque eis non cedentibus possit à Papatu eijcere.] In quibus verbis duo obserua: vnum, fateri Parisiensem vniuersitatem inextricabile dubium fuisse, quis ex duobus verus esset, & legitimus Pontifex; sicque casum, & quæstionem, quæ tunc temporis in Vniuersitate; Concilioque vertebatur, nō eam fuisse, de qua modò disputamus, videlicèt de vero, & indubitato, sed de dubio Pontifice; vt proindè, quæ de vno casu decisa in Concilio, & Vniuersitate sunt, malè ad alium casum adeò diuersum applicentur. Alterùm verò, quod in ijs verbis obseruari oportet, est, vtramque vniuersitatem, Bononiensem videlicet, & Parisiensem, potestatem Concilij de Pontifice exauctorando expressè ad solum casum dubij Pontificis restringere; sic enim loquitur: [Stante dubio Papatus inextricabili, prouisio spectat ad Concilium.] Si ergò nullum sit dubium, prouisio non pertinebit ad Concilium; si enim absolutè, ac etiam omni dubio remoto posset de Pontifice Concilium prouidere, cur restringeret ad solum casum Pontificis dubij? Certum igitur, & indubitatum est, Concilium Pisanum agere, & decidere de alio omnino casu, quàm ille sit, de quo nos disputamus; illud enim de dubio Pontifice, nos de indubitato, certoq; loquimur. Imò quod maius est, Patres Concilij Pisani velut trepidarent etiam in dubios, incertosque Pontifices sententiam dicere, illud omni studio conati sunt, vt aliam causam, magisque certam inquirerent Pontificem deponendi, hæresim videlicet, quæ vnica causa est, ob quam Pontifices dignitate sua excidunt; & ideò in omnibus sessio-

Conclusiones vniuers. Paris. & Bonon ex Gobel. Paderb. Offi. & habentur inter acta Conc. Pisan. apud Binn. tom 3 Conc. p. 2. & Lucam d'Acher. to. 6. spicil.

nibus, citationibus, & sententijs in duos Pontifices latis, hanc causam eos deponendi obtendunt: [Quòd videlicet essent notorij Schismatici, necnon notorij hæretici, & à fide deuij;] credebant enim remota hæresi, ne quidem iudicari illos à Concilio, multò minùs deponi posse. Id ita esse ex singulis sessionibus huius Concilij patet, quas breuiter percurram. Nam sess.3. hæc habentur: [Declaratio ad Decretum latum contra duos contendentes de Papatu ob contumaciam ipsorum in causa fidei, & schismatis contumaciæ.] Et infra. [Sancta Synodus Dominos Petrum de Luna, & Angelum Corario de Papatu contendentes, & quantum in eis est, Ecclesiam Dei in notorio Schismate tenentes, & proclamatos in causa Schismatis, & fidei ad hoc præsens, & sacrum Concilium. Et sess. 9. Insuper sacra Synodus ex causis, quibus suprà pronuntiauit, statuit, & decreuit, præfatos contendentes de Papatu in præsenti causa Schismatis, & fidei contumaces fore &c. Et infrà. Item eadem sacrosancta Synodus in fauorem fidei, & Schismatis extirpandi &c. Et sess. 13. in oratione Magistri Petri Plaust: Et postmodùm posuit opinionem Vniuersitatis Parisiensis, videlicet, quòd Petrus de Luna est Schismaticus, pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæresim propriè & strictè, & præcisus ab Ecclesia Dei &c. Idem habetur sess. 14. & sess. 15. vbi recitatur sententia in Benedictum, & Gregorium à Concilio dicta: Christi nomine inuocato sancta, & Vniuersalis Synodus declarat &c. Vtrumque fuisse, & esse notorios Schismaticos, & antiqui Schismatis nutritores, nec non notorios hæreticos, & à fide deuios. Et in prima conclusione Parisiensis, & Bononiensis Vniuersitatum: Vterque de Papatu contendentes ex debito Pastoralis officij veri, vel prætensi stante Schismate tam inueterato tenetur, & debet credere, ex quo propter dubia iuris, & facti super Papatu aliter dari non potest vnio, & pax in Ecclesia Dei &c. Et in 3. conclusione. Papa stante tali Schismate pertinaciter resistendo incurrit crimen notorium, propter quod subijcitur prouisioni Concilij, & vltra hoc concluditur Schismatis nutritor, & fautor, cuius obstinatione, & vetustate descenditur in hæresim, & fides læditur, cuius prouisio pertinet ad Concilium.] Hactenus Acta Concilij, ex quibus apertè intelligas Concilium semper loqui de dubio Pontifice, hæresisque comperto, & Schismatis tempore, & ideò semper hæc à Patribus repeti; sollicitis quippe, ne de alio, quàm Schismatis casu, aut alio Pontifice, quàm dubio incertoque intelligerentur. Eamdemque Vniuersitatis Parisiensis doctrinam & cautelam fuisse, suas Conclusiones ad casum Schismatis restringentis. Nec enim Epistolam ignorabant Adriani II. in octaua Synodo lectam approbatamque actio n.7. vbi inter alia hæc habet: [Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus Maiorum suorum motibus resistere.] Vides Adrianum ne Concilio quidem Oecumenico permittere (hoc enim Honorio anathema dixerat) vt extra casum hæresis Pontificem iudicet, neque Concilium Oecumenicum octauum contradixit; sed potiùs summis laudibus eam Epistolam extulit. Patet ergo Concilij Pisani mentem, doctrinam, & decreta, ad solum Schismatis, & hæresis casum pertinere, de quo alibi actum. Regale Sacerdot. fol. 415. & 462.

IV. Sed excusari Maimburgus vtcumque posset, quippe aut statum quæstionis, de qua nunc agimus, aut Concilij mentem, & verba non satis obseruauit: illud verò nulla ætas, nulla historia (cui fidem suam obstrinxit) ignoscet, quòd sciens, prudensque sententiam Parisiensis Vniuersitatis peruertit, eique non alium tantùm sensum, sed alia omnino etiam verba adapter, pari, & sui dedecore, & Lectorum, quos fallit, iniuria. In suo etiam tractatu historico de Prærogatiuis Ecclesiæ Romanæ cap. 21. fol. 148. prope initium hæc habet: [Petrus Plaust vnus ex Vniuersitatis Parisiensis deputatis longa, doctaque oratione, quam in pleno Patrum consessu perorauit, multis rationibus Ecclesiæ Vniuersalis, & consequenter Concilij, quod eam repræsentat, auctoritatem Pontificiæ auctoritati præstare ostendit, addiditque hanc esse Parisiensis, & omnium Galliæ Vniuersitatum sententiam.] Sed quàm à veritate hoc sit alienum, facilè ex verbis, actisque Concilij intelliges, quæ aliud omnino exhibent, quæque non potuit ignorare Maimburgus: sic ergo habent: [Decima tertia sessio fuit die Mercurij, die 29. Maij, in qua post Missam, & Litanias Magister Petrus Plaust pro Vniuersitate Parisiensi dixit, opinionem Vniuersitatis esse, istos duos contendentes debere reputari Schismaticos, & hæreticos pertinaces, firmans auctoritatem Concilij ad decidendam hanc causam, & declarandum, eos esse ab Ecclesia præcisos, & abiectos &c. Posteà in medio: Vnus Episcopus Italicus dictus Nouariensis legit quamdam schedulam facientem mentionem; qualiter secundum ordinationem Dominorum Cardinalium per D. Cardinalem Mediolanensem fuerunt simul congregati omnes Magistri in Theologia, & Licentiati, qui ad dictum Concilium de multis partibus, & Vniuersitatibus conuenerunt, & inter eos fuerit habita plena deliberatio super ista materia, & posteà in eamdem opinionem conuenerant, & concordes fuerunt, videlicet, quòd dictos contendentes tenent Schismaticos &c.] Vides quàm alia sit Parisiensis, aliarumque Vniuersitatum sententia, ab ea, quàm illis affingit Maimburgus; non enim dicunt: [Concilia esse supra Pontificem,] vt ille mira fiducia scribit: [Sed Benedictum, & Gregorium pro schismaticis, & hæreticis habendos, & Concilium esse in hac causa cognoscenda iudicem.] Quod toto Cœlo diuersum est, vt patet. Sed piguit Maimburgum sententiam, & verba Vniuersitatis referre, quippe causæ suæ aut noxia, aut inutilia: at hoc non Historici, sed Poetæ officium. Equidem fateor, cùm primùm legendis Maimburgi historijs animum adieci, magna me huius nominis opinio, magna expectatio cœperat, illectum quippe, & dulcedine Gallici sermonis, & ingentibus promissis, Acta Pisana ex editione Lucæ d'Acher sess. 13. & Philippi Labb. edit. Paris.

tam multa, & mira Lectori pollicentis: nec falli me posse credebam; nec ignorantiam in viro erudito, & doctrinam passim iactante: nec fraudes in sacerdote suspicabar: & animum firmabant narrationes historicæ tot ornamentis, & coloribus veritatis aspersæ, ac candorem, simplicitatemque toties professæ. Vbi verò me, & semel, & decies, & centies deceptum vidi; fateor non minùs trepidum, anxiumque per huius hominis historias incedere, quàm olim Moyses, cùm per spinas, vepresque nudis pedibus ad rubum vocaretur; suspenso videlicet semper gradu, & casum, aut vulnus timente. Nunc reliqua videamus.

§. IV.

Agitur de Concilio Constantiensi, & argumentis ex eo petitis respondetur.

SVMMARIA.

1 *Exhibentur Concilij Constantiensis Acta suis temporibus distincta.*
2 *Patres Constantienses circa auctoritatem Concilij in quinque sententias diuisi, quarum vltima, & peior, ac votis infrequentior Ioannis Gersonis.*
3 *Octo argumentis inuictisque ostenditur, Decreta 4. & 5. Sessionum necessario examine, ac deliberatione caruisse, nec posse dici* conciliariter *facta.*
4 *Eadem Decreta ne in ipso quidem Constantiensi Concilio, nec à Patribus pro Decretis Oecumenici Concilij habita esse, testimonijs grauissimorum Auctorum, qui Concilio intererant, ac etiam Gallorum alijs nouem argumentis demonstratur.*
5 *Sed præfata 4. & 5. Sessionum Decreta à Martino V. Pontifice Maximo esse confirmata.*
6 *Imò Concilium Constantiense pro nobis esse, quatuor argumentis euincitur.*

I. AVctoritate Concilij Constantiensis nimium quantum sibi Maimburgus blanditur, in eoque spem victoriæ reponit, ac doctissimam Canonici Schelstrate de hoc argumento dissertationem aliquot capitulis incessit, triumphanti potiùs, quàm pugnanti similis; nam, & hanc quoque inter alias habet fallendi artes, vt victoriam simulet, etiam dum cadit. Vt ergo Constantiensis Concilij mentem, ac sententiam plenè intelligas, tria hoc paragrapho exequar. Primùm seriem, & acta Constantiensis Concilij per sua tempora distinguam. Secundò Constantiense Concilium à nobis stare demonstrabo. Tertiò ad ea, quæ Maimburgus obiectat, respondebo.

Acta ergo Constantiensis Concilij quod attinet, ea ex suis principijs deducta sic habent. Anno 1305. post longum Purpuratorum certamen Clemens V. Archiepiscopus Burdigalensis Gallus in Pontificem eligitur opera præsertim Cardinalis Pratensis, & Philippi Pulchri Galliæ Regis, cum quo secretæ pactiones. Is Apostolicam Sedem Auenionem in Gallias transtulit, hæsitque septuaginta, & supra annos sub varijs Pontificibus, videlicet, Clemente V. Ioanne XXI. Benedicto X. aliàs XII. Clemente VI. Innocentio VI. Vrbano V. Gregorio XI. Creditur Clemens Sedem in Gallijs ex arcanis pactis fixisse. Sexta enim Philippi postulatio, cùm de Pontificatu transigerent, his verbis concepta fuit: [Sextam gratiam mihi reseruo, exprimendam loco, & tempore suo, arduam, & magnam. S. Antonin. p. 3. tit. 21. cap. 1.

Anno 1377. Gregorius XI. Galliam relinquit, reditque in Vrbem. Persuaserunt Gregorium, vt rediret, sanctarum Brigittæ, & Catharinæ preces, & Oracula, Italiæ Legationes, præsertim verò calamitates, ac bella, quæ illam ferè consumpserant; sed vix annus effluxit, cùm Gallias iterum cogitantem mors occupauit. Successit Cardinalium electione Archiepiscopus Barensis, qui Vrbanus VI. appellatus: hic cùm inconsulto impetu Ecclesiasticorum morbos aggreditur, & initia medendi à ferro, flammaque incipit, omnium à se animos auertit, Gallorum præsertim, qui Fundos secedunt, & Cardinalem Gebennensem Pontificem aduersùs Vrbanum renuntiant Clementis VII. nomine. Honestus titulus Schismati quæsitus, quòd videlicet [prior Vrbani electio metu, minisque Populi Romani extorta fuisset, Cardinales, nisi Italum, aut Romanum eligerent, ad mortem exposcentis.] Sed, vt monui, prætextus hic erat; præterquam enim, quòd etiam ante popularem tumultum in Archiepiscopum Barensem conuenissent, quippe ex sexdecim purpuratis (inter quos vndecim Galli, Itali quatuor, vnusque Hispanus) cùm Itali, Gallique nollent Papam Lemouicensem, & Lemouicenses perennare sibi tiaram vellent, iam quatuor suæ gentis Pontificibus superbi: tandem in Barensem plerique conuenere, idque Gebennensis Cardinalis, posteà Clemens appellatus, Marino Episcopo Cassauensi omnium arcanorum conscio aperuit, & hic palàm deposuit: verba Gebennensis inter alia hæc fuere: [Nunquam isti traditores Lemouicenses tam potentes erunt, quin pro ista vice nos habebimus Italicum Papam. Per hæc sancta Dei Euangelia nunquam habebimus alium Papam, quàm Archiepiscopum Barensem, aut alium, quem ad præsens nolo tibi indicare.] Ipse Cardinalis S. Petri vir integerrimus, & neutri factioni addictus, & cui reluctanti, placandoque Populo Papatus insignia iniecta sunt; cum mors immineret, publicis tabulis professus est: [Se à Gallis priùs quàm Conclaue ingrederetur, rogatum esse,] vt suffragia pro Barensi sociaret.] Patet ergo iam ante Populi tumultum, metumque incertum, in Vrbanum VI. conspiratum esse, non ergo metus extorsit, quod metum præcessit. Nec metus iniectus à Populo fuerat, vt Italum, sed Romanum eligerent, quamuis Italum, aut Romanum priùs postulassent. Audi verba vnius ex Populi signiferis sic ad Conclauis fenestram Cardinales alloquentis: [Scitis Domini mei, quòd in introitu Conclauis multi clamauerunt rogantes vos, quòd eis daretis Italicum, vel Romanum; nunc autem pro parte totius Populi sum missus, & vobis eorum pro parte notifico, quòd solùm volunt eis dari Romanum, nec essent contenti de Italico; timen, enim, ne

Depositio Episc. Cassanensis in actis Schism. Tom. 2. p. 38. & 67. & 4. p. 63. 64. & 78. v. Rayn. ad an. 1378. n. 2.

Extat To. 2. de Schism. p. 38.

Ex actis Schis. To. 2. p. 82. Depositio Abbatis Sistres.

ne ſub aliqua conuentione ſecreta, inter vos, & aliquem Italicum non Romanum ipſe reduceret Curiam Auenionem. Et poſt aliqua: Placeat Deo, quòd nobis detis Romanum, alioquin procul dubio ſentietis.] Idque non intra minas ſtetit, ſed in facta prorupit: cùm enim audiſſent Barenſem, qui Romanus non erat, electum eſſe; eum occultiſſimis latebris abditum, & electores Cardinales ad necem quæſierunt; qui tamen inter tumultus elapſi, proteſtati ſunt, ſe millies potiùs mortem ſubdituros, quàm vt Romanum, aliumque præter Barenſem eligerent. Audi ex actis huius Schiſmatis Abbatis Siſtrenſis depoſitionem: [Propter quod] (Cardinalem videlicet Sancti Petri, qui Romanus erat, electum non eſſe) [tota Ciuitas concurrit ad arma, & circumeuntes Palatium minabantur interficere Cardinales; quorum auditis minis aliqui de ipſis Dominis fregerunt ſolarium Conclauis, & per poſticum credentes aufugere finaliter capti ſunt à populo, & cum magnis preſſuris, & opprobrijs reducti ſunt in Conclaue, territi per populum, quòd niſi eligerent Romanum, erant mortem nullatenus euaſuri.] Et infra: [Et iſtis quatuor manifeſtarunt Domini Cardinales electionem Archiepiſcopi Barenſis, dicentes eis, quòd Populus benè poſset eos interficere omnes, ſed non habere Romanum pro iſta vice.] Et Epiſcopus Tudertinus in ſua depoſitione: [Ipſis verò recedentibus, ego dixi Domino Noſtro] (Vrbano videlicet) Audiſtis quid dixerunt illi? & ille dixit, quid dixerunt? & ego recitaui ſibi verba dicta per eos: & ipſe dixit: non cognoſcunt me benè, ſi tenerent mille ſpathas ad collum meum, non renuntiarem.] Conſtat ergo, ſponte Cardinales Neapolitanum elegiſse, populo Romanum flagitante. Sed quod omnia ſuperat, ceſsante iam metu, pacatiſque omnibus, & ſumma pace compoſitis, Cardinales tres ferè menſes Romæ hæſerunt, ab iiſque Vrbanus Throno impoſitus, tiara redimitus, cultuſque omni veneratione eſt; illi ſacris operanti, ſenatumque agenti, & de grauiſſimis negotijs conſultanti adſtitere, quodque omnia ſuperat, datis tum priuatis, tùm publicis, ac nomine totius Collegij ad Principes literis Vrbanum verum eſse Pontificem profeſſi ſunt quod etiam ipſe Maimburgus fatetur, alijq; grauiſſimi Auctores. Imò Cardinales abſentes, qui vtique metu tangi non poterant, aut per literas (ſex videlicet, qui Auenione morabantur) aut coram, vt Cardinalis Ambianenſis, præcipuus poſtea diſcordiarum follis, Vrbanum venerati ſunt. Imò in Conuentu Epiſcoporum Pariſijs habito, cui Archiepiſcopi ſex, Epiſcopi triginta, & quamplurimi alij Doctores, Prælatique aſsederunt, decretum fuit, teſtimonijs Cardinalium, qui Vrbanum reijciebant, ſeque ipſos mendacij damnabant, ſtandum non eſse; à qua poſtea ſententia, vt notat Æmilius in alio, minùſque frequenti Conuentu receſsum eſt. Et verò, qui crederes Cardinalibus illis, qui odio Vrbani flagrabant, qui ſe hoſtes illius profitebantur, qui Clementem noua electione promouerant, eique ſe iuramento addixerant, quique ſeipſos mendacij, & periurij arguebant, ob electum, coronatum, promulgatumque Principibus, & trimeſtri obſequio adoratum Vrbanum? quis vel in profano Tribunali, minimique pretij cauſa teſtem admitteret tot labibus inquinatum, & metus, qui obiectabatur, aut idoneis teſtibus probari poterat, aut non poterat? ſi non poterat, vicit Vrbanus: ſi poterat, certè Cardinales, vt oſtendi, idonei teſtes non erant. Planè electio Vrbani, ſi non certa, at ſaltem dubia erat; ergo donec probaretur contrarium, poſseſſioni ſuæ relinquendus; alioquin ſemper, & cùm libuerit, promptum erit Schiſmatæ Eccleſiam turbare, & nouum Pontificem iam aliàs electo opponere, quæſito videlicet aliquo crimine, obiectoque electioni, & non probato, & tunc demum ad alia vota procedendum; præſertim cùm Vrbanus Concilium Oecumenicum offerret, in quo, & ſua, & æmuli iura promerentur, relicta Patribus ſententia, vter præferendus; nam quamuis longum eſset Concilij remedium, at aliud non ſupererat, & multò longius, peiuſque Schiſmatis malum, quod Eccleſiam quinquaginta ferè annorum môra, & innumeris calamitatibus afflixit; at Clemens, eique addicti Cardinales oblatum Concilium reſpuerunt manifeſto indicio malæ cauſæ ſemper Iudicem formidantis. Cæterùm neque illud negari poteſt, Vrbani peracerbum, & immite ingenium, ac præmaturum Zelum non quidem cauſam Schiſmati, ſed occaſionem dediſse: nam cùm ſopire ante vulnus ægros oporteret, ne ferrum ſentirent, aut recuſarent, excitabat potiùs, admonebatque, doloris inclementibus modis; perindè, ac ſi cruciatu magis, quàm cura gauderet; hinc omnium auerſi animi, ac vindicta flagrantes, intentique priuatis odijs ſatiandis. Hæc occaſione Schiſmatis duxi memoranda, & præſertim, quia Maimburgus in libro de magno Schiſmate pro Clemente multa diſseruit. Cæterùm vtcumque res habuerit, certum eſt ex Clementis electione diuturnum obſtinatumque Schiſma natum eſse, quo nullum magis diutiuſque Eccleſiam concuſſit, nec ante mortem Benedicti XIII. hoc eſt annos nouem, & quadraginta extinctum eſt, incerto Orbe Chriſtiano, cui capiti obſequeretur. Succeſſerunt Vrbano Bonifacius IX. Innocentius VII. Greg. XII. Alexander V. & Ioannes XXIII. Clementi verò Benedictus XIII.

Depoſitio Abbatis Siſtrenſis To. 7. de Schiſm. p. 62.

To. 2. Schiſ. p. 43.

Maimb. Grād. Schiſ d'Occid. lib. 1. fol. 52. ex Cod. S. Vict Pariſ. Fraſſardus in Chrō. Vualſing in Rich Aemil. in Carolo V.

Extant literæ Tom. 2. Schiſ. p. 32.

Paulus Aemilius in Carolo V.

V. Tom. 2. de Schiſm. p. 36 & Tō. 16 par. 12. & Raynald. ad Annum 1378. nu. 42. & ſeqq.

Lib. 1. à fol. 105.

Anno 1393. Benedictus, qui Clementi ſucceſserat, primò in Conclaui, deindè poſt electionem ſolemni ſe iuramento obſtringit de abijcienda tiara, ſi & quoties id publicæ pacis interſit; Idem à Gregorio XII. qui Innocentium excepit, iuratum eſt. Ea tamen conditione ſi Benedictus cederet.

Anno 1049. Cùm vterque Pontificum ceſſionem æmuli exſpectaret, & ita obſtinatè throno hæreret, neutro primam aleam iaciente; Cardinales Piſam conueniunt, collectaque ibi Synodo Benedictum, & Gregorium deponunt, ſubſtituuntque Alexandrum. Cauſam vtrumque deponendi, eligendique Alexandrum Pariſienſis, & Bononienſis Vniuerſitates his verbis expreſsere: [Quia ſtante dubio inextricabili Papatus propter dubia facti, & iuris, prouiſio ſpectat ad Concilium.] Et Patres Concilij Piſani: [Viſis, & diligenter

Côcil.Pisan sess. 15. mē. se Iun. die 5

genter inspectis omnibus, & singulis productis, probatis, & agitatis, habitaque priùs inter se ipsos, & demùm cum copiosa multitudine Magisttorum in sacra Theologia, atq; vtriusque Iuris Doctorũ pluties diligenti collatione, tandem deliberatione matura in prædictos tamquam de Papatu colludentes, Schismaticos, & veros hæreticos sententiam depositionis pronuntiat.] Vbi vides sententiam in hæreticos, & dubios Pontifices ferri, sicque penitùs nihil obstare sententiæ nostræ, qui de Catholico tantùm, certoque Pontifice loquimur. Cæterùm electione Alexandri inualuit potiùs Schisma, non extinctum est; Benedicto, & Gregorio firmiter throno hærentibus, & multorum Regum, Principumque, imò sanctorum ope, ac obedientia subnixis, vndè patet modicam apud Catholicos huius Concilij reuerentiam fuisse.

Anno 1410. Moritur Alexander, eique Balthasar Cossa Legatus Bononiensis, postea Ioannes XXIII. appellatus sufficitur, is auctoritate Sigismundi Romanorum Imperatoris (cuius potentia indigebat) aut victus, aut deceptus Concilium Constantiam indicit, eamque Anno 1414. solemni pompa ingressus est. Die sexta decima Nouembris prima sessio habita est, in qua nihil de vnione actum. Decima nona Nouembris ad valuas Ædium Augustinianorum insignia Gregorij Pontificis pependere, quæ sequenti nocte, iussu, vt creditur, Ioannis sublata sunt: ingens super ea re inter Patres natum certamen, cùm alij auferri insignia, alij sustineri vellent; omnium tandem sententia fuit, si Gregorius coram adesset, Insignibus Pontificijs vti posse. Non ergo Patribus constabat, Gregorium Pontificem non esse; cur enim insignia Pontificia illi permitterent, quem pro Antipapa haberent? Die vigesima quarta Decembris Sigismundus Imperator Constantiam ingreditur, & Pontifice sacris operante, Euangelium cantat Diaconi amictu. Secuta Imperatorem ingens Principum, ac Antistitum turba, adeòut vna die triginta equorum millia numerata sint: solum Archiepiscopum Moguntinum Thorace ex rubro holoserico insignem, ferroque ad latus pendente sexcenti equites comitati, vt videas, quæ illorum temporum conditio fuerit. Patriarchæ 4. Cardinales 29. Archiepiscopi 47. Episcopi 160. qui postea ad 300. creuere.

Ita habent duo M.SS Regesti Cō stantian V. Schelstratte in tract. de Decret. Cō cil. Constan fol. 30. & fol. 153.

II. Anno 1415. Mense Ianuario Io: Dominico Gregorij Legato à Patribus permissum, vt pileo, vestituque Cardinalitio ingredi Constantiam posset, obluctante quamuis Ioanne Pontifice. Mense Februario, cùm Cardinalis S. Marci libellum sparsisset, quo multa contra Ioannis auctoritatem dicebantur; alij continuò in eiusdem defensionem producti, & inter alia hæresis postulabatur, qui indubitatum Pontificem, & nulla hæresi contaminatum cogi posse ad cedendum dixisset. Sed Cardinalis Cameracensis pugnam dirempturus conclusiones aliquot Patribus obtulit, in quarum prima continebatur: [Duas obedientias Ioanni contrarias probabiliter sustinere electionem Alexandri, eiusque successorum non esse legitimè, ac Canonicè factam, in hac opinionum diuersitate

Ita habet Regestum Côst. in duobus MM. SS. & Codices Bibliothecę S. Victoris Paris.

Cardinalis Cameracensis Concl. 3. & 4. ex 4. MM. SS. Codic apud

non esse minores difficultates Iuris, & facti quàm ante Concilium Pisanum erat de iustitia duorum contendentium; & ideò attenta perplexitate casus præsentis pro pace Ecclesiæ acceleranda posse de Papatu contendentes ad cessionem compelli, & nolentes deponi. Vides hìc iterum agi tantùm de Pontifice dubio, & ex hoc ipso dubio procedere Patres; qui consilio Alliacensis obsecuti sunt ad Ioannem deponendum; & ipse Cardinalis omnium, quæ Pisis, ac Constantiæ agebantur, conscius, fatetur Pontificatum Ioannis dubium esse: malè ergo, quæ Constantiæ decreta, & peracta sunt de Pontifice dubio, extenduntur ad casum Pontificis certi. Hoc etiam anno Gregorius XII. Legatis suis concedit, vt acta Concilij confirment, eiusque auctoritatem Oecumenicæ Synodi tribuant, ea tamen conditione, vt Ioannes Concilio non præsit, neque id à Ioanne conuocatum dicatur: nec Ioannes postea Concilio præfuit, imò nec arcanis eorum congressibus adesse permissus est, ne videlicet consilia pacis turbaret solitis artibus; quomodo ergo pro vero, certoque Pontifice habebant, quem nec, vt Præsidem, imò, nec collegam ferebant? Vide sessionem 14.

Labbeum in Appēd Côcil Côstanc Tomo 11. edit. Paris. Schelstratte fol. 152.

Die 2. Martij. Ioannes promittit, se Papatu cessurum, modò Gregorius, & Benedictus idem præstent. Diebus 13. 15. & 19. Martij laboratum est, vt Ioannes Procuratorem deligeret, qui eiusdem nomine, quando, & vbi Concilio videretur, Pontificatum abdicaret. Videbat Ioannes se hoc telo peti, cogique ante alios duos tiaram deponere; id ne fieret, multis artibus certarum, sed cùm declinare ictum haud posset, Schafhusam profunda nocte elapsus est, inde Friburgum, & Brisacum; secuti à Concilio Legati, qui reditum persuaderent.

Die 23. Martij. Perorauit Ioannes Gerson, & multa contra Pontificis auctoritatem disseruit; hinc nata quæstio de superioritate Concilij supra Pontificem: & Ioannes Galliæ Oratoribus amarè conquestus est Gersonis audaciam, Vaticanum oppugnantis: quæ causa fuit, vt ijdem Galli cum Cardinalibus collatis capitibus se decretis opposuerint contra Sedis Apostolicæ auctoritatem edendis, & ipse Rex, vt videbimus, ægerrimo animo tulerit, Ioannem à Concilio depositum esse, quod etiam Maimburgus, alijque fatentur.

Maimb. du Grād. Schis lib. 5. à fol. 281. Monac. Dionys. lib. 35. c. 18 M. Labou reur. ibid.

Die 26. Martij. Celebrata est ante meridiem tertia sessio: huic duo tantùm Cardinales adfuere Cameracensis videlicet, & Florentinus; statutum fuit in ea sessione: Concilium Constantiense per recessum Ioannis dissolutum non esse, sed nec dissolui debere, ante Schismatis extirpationem, nec ad alium locum transferri posse sine consensu Concilij. Hæc omnia non alia ratione Alliacensis, & Zabarella Cardinales publicari permiserunt, quàm vt illa Ioannes papa rata haberet, confirmaretque. Videre est hanc Cardinalium protestationem apud Philippum Labbeum in appendice Synodi Constantiensis tomo 11. Conciliorum, & Manuscripto Capranicensi, ex quo Labbeus descripsit.

Die 29. Martij. Ioannes Schafhusa profugit, quippe vicinam Constantiam metuens.

tuens. Turbati Patres, offensique, & à pluribus Germanicæ, Anglicæ, Gallicæ Nationum deliberatum, fixumque est, vt in crastinum sessio quarta perageretur, in eaque hæc capita decernerentur, videlicet: Primò, quòd Concilium Constantiense potestatem habeat immediatè à Deo, cui etiam Papa obedire teneatur, in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris. Secundò, quòd cogi possit, si obedire contumaciter contempserit. Tertiò, alia complura, quæ omnia cùm non solùm Nationi Italicæ displicerent, sed nec sacro Collegio ad deliberandum oblata essent; noluerunt Cardinales, Gallicique Oratores sessionem adire, nisi secundum Capitulum, quo dicebatur, Pontificem cogi posse, omitteretur: & in primo decreto illa verba, de reformanda Ecclesia in capite, & in membris, delerentur; quod etiam communi voto à Patribus sequenti die acceptum est, cùm videlicet Episcopali vestitu insignes iam quartæ sessioni accingerentur; idque annitente præsertim Imperatore Sigismundo. Cùm verò Cardinalis Florentinus, cuius officium erat Decreta in publicis sessionibus legere, ad verba de reformatione Ecclesiæ in Capite, & membris peruenisset, nec ea, vt condictum fuerat, deleta à Nationibus obseruasset, continuò Decretum abrupit; eamque partem [falsam esse, addiramque præter communem deliberationem,] professus; ergo clausula de reformatione ea sessione quarta omissa est; sed & Cardinales monuerunt Nationes, [vt suspenderent ad tempus materias illas, quæ magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem;] ea videlicet, quæ auctoritatem Pontificiam spectabant. Ita notant Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Concilij Constantiensis in tribus Manuscriptis Codicibus, quorum verba recitata reperies apud doctissimum Schelstrate. Et verò ea verba, quæ dicunt: [Papam in ijs, quæ ad reformandam Ecclesiam in Capite, & membris pertinent, Concilio subiectum esse,] in sessione 4. omissa fuisse, illud certissimo argumento est; quòd in omnibus ferè Codicibus manuscriptis, qui in Romana, Viennensi, Parisiensi, & Salernitana Bibliothecis reperiuntur, ea verba absunt, imò ne quidem in tribus Codicibus Manuscriptis, qui acta Concilij Constantiensis complectuntur, & ex quibus Basileenses sua decreta compilarunt; sed neque in celebri illo Manuscripto Caprauicensi, qui ad vsum Cardinalis de Capranica, Basileensis Concilij temporibus scriptus videtur, & ex quo Philippus Labbeus Constantiensis Concilij vltimæ editioni multa adiunxit, confirmatque sæpè laudatus Schelstrate testimonijs Gobelini Personæ; qui tempore Concilij scribebat, ipsorumque Basileensium, ac aliorum in Gallia codicum; qui etiam alibi notat in Decreto sessionis quartæ, vbi dicitur: [Papam teneri obedire Concilio in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis;] eas voces, ad fidem, primò appositas esse à Petro Crabbè in sua editione Anni 1538. ex qua in alias postea editiones deriuatæ sunt; nam in antiquioribus editionibus

Schelstrate in actis Cōc Constāc f. 2. & 3 & seqq & in Tract. de sensu & auctor. Decretor. &c. fol. 41. & fol 84.

Schelstr. in Tract. de sēsu &c. f. 24. & 26.

Schelstr. in Tract. de sēsu, & auct. fol 42.

videlicet Haggenouiensi Anno 1500. Mediolanensi Anno 1511. Parisiensi Anno 1524. Coloniensi Anno 1530. illæ voces desiderantur; id, verò Tabellionum negligentiæ, qui eas voces omiserint, Maimburgus tribuit. Sed vtcumque res habeat, excusari vix potest Maimburgus, quando in suo Tractatu historico, magnis, vt solet, verborum ampullis, triumphos Lectori de Schelstrato pollicitus, ex diuersis Gersonis operibus, ac etiam Orationibus in Concilio dictis, probare conatur, ea verba, quæ reformationem spectant, decretò sessionis quartæ adiuncta fuisse, adeòque victoriæ securus est, sibique blanditur, vt Schelstrate ad ponenda arma, pacemque, ac veniam erroris perendam inuitet; nescias victori, an insultanti similior: additque plures alios manuscriptos Codices, quos omnes conuenire cum Gersono dicit. Sed Maimburgum egregiè confutauit, conuicitq; eruditissimus Schelstrate, vbi euidenter, allatisque verbis ostendit Gersonem & consequenter Codices ei conformes loqui de Decretis die 6. Aprilis hoc est, sessione quinta editis, non verò de decretis sessionis quartæ, quę trigesima Martij celebrata est. Vtramq; ergo sessionem Maimburgus confudit, suumque errorem alienum credidit. Dices vnde ergò prouenit, vt omnes Concilij Constantiensis editiones in decreto sessionis quartæ hæc verba constanter exhibeant: [Et ad Reformationem Generalem Ecclesiæ Dei in Capite, & in membris?] Respondeo errorem ex eo fluxisse, quòd cùm Basileenses viderent auctoritatem suam, & Concilium paulatìm contemptui, ac ludibrio esse, vt fulcirent cadentem auctoritatem, cogitasse de edendis Concilij Constantiensis actis, quorum subsidio Vaticanum impugnarent. Duobus ergo Cardinalibus, totidemque Episcopis, ac Theologiæ Doctoribus, & Archidiacono Zagabriensi Prouinciam imponunt, Decreta Constantiensia exhibendi. Id Anno 1441. ab eis peractum: ex hoc codice Ioannes Hober ex Inderdorff sacrę Theologiæ Baccalaureus, Anno 1490. alium sua manu exarauit, transmisitq; Hieronymo de Croaria iuris vtriusque Doctori, & hic posteà anno 1499. Hagenouij in oppido Imperiali typis vulgatus est. Post hanc aliæ tres editiones prodierunt, quibus acta Constantiensis Concilij iuxta Basileensem Collectionem continebantur. Error ergo præsentium editionum circa sessionem quartam à Basileensibus manauit, nec ipse Maimburgus negare potest, Basileensem Collectionem, & editiones ex illa profectas defectu laborare; tam enim editio Hagenouiensis, quàm tres aliæ posteà secutæ illam particulam, ad fidem, omisere, quam Maimburgus necessariam agnoscit. Et hæc quidem circa sessionem quartam ex laudatissimo Schelstrate notanda duxi, iam ad quintam veniamus.

Maim Tract. histor. à fol. 238.

Gersō. serm pro viaggio Reg. Rom. & Tract. de potest. Eccl. & serm. in Dom. 2. post Epiphan.

Post quartam cœpta est præparari materia professione quinta; Decretum videlicet, quo dicebatur: [Pontificem Concilio in rebus fidei, morumque reformatione Concilio subiectum esse, & ab isto cogi posse. Et quamuis summi momenti res hæc esset, & aliquando nouo, & peiori Schismati fomitem

datura;

datura; sicque longissimo, & accurato examine priùs cognoscenda, quàm decerneretur: nihil tamen aliud à Patribus factum, quàm vt aliquos deputarent, qui cum Cardinale Zabarella Florentino conferrent; is erat, qui illis articulis in sessione quarta grauiter obstiterat. At Deputati perindè, ac in re leui, paruique pretij rem paucis absoluerunt, inter alia multa die 2. Aprilis statuere: [Vt proxima sessione omnes articuli, & clausulæ concordatæ per Nationes in vltima sessione prætermissæ expediantur.] Ita habet Regestum Concilij: & notant eiusdem Concilij gesta, quàm leue, ac perfunctorium examen fuerit, quo tanti ponderis argumentum expendebatur his verbis: [Post sessionem quartam fuit per Cardinalē Florentinum cum Deputatis aliqualiter disputatum: finaliter Concilium voluit ex integro dictas definitiones in alia sessione pronuntiari, &c.] Vides inter paucos, priuatosque ac extra sessionem, nec initis suffragijs, hoc est [non Conciliariter,] nec tam decernentium, quàm altercantium more, eo ferè modo; quo in circulis Philosophorum solet, inter Cardinalem; & Deputatos disputatum esse, idque vt acta commemorant, [aliqualiter,] hoc est, leuiter, cursimque, nec quantum oportebat. Cùm ergo sentirent Cardinales in sessione quinta ea à Nationibus decretum iri, quæ nec examinata erant, nec approbare ipsi poterant, statuerunt sessione abstinere: sed posteà cum viderent, id sine publica offensa, periculoque; ne Concilium solueretur, fieri non posse; adire quidem sessionem parant: protestati tamen in ędibus Palatij Constantiensis, vbi infulas sumebant, se vitandi scandali causa, non verò animo illis consentiendi, quæ audiebant proxima sessione decretum iri, Conuentui adfuturos; idemque Gallici Oratores, qui Cardinalibus se adiunxerant, professi sunt. Audi Regestum Concilij: [Die Sabbathi sexta mensis Aprilis, cùm per priùs inter Nationes, & Dominos Cardinales altercatum esset super correctione, & emendatione Capitulorum in præcedenti sessione (quarta) statutorum; tandem ordinatum, & conclusum est, quod supradicta Capitula modo infrascripto corrigerentur. Conuenientibus ergo dicta die Gloriosissimo Principe Sigismundo Romanorum, & Hungariæ Rege semper Augusto, Reuerendissimis Dominis Cardinalibus, cœterisque Principibus, & in alijs sacro Concilio existentibus, præmissa per Dominos Cardinales, & Oratores Regis Franciæ protestatione facta, quòd propter scandalum euitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi ijs, quæ audierunt statui debere, &c.

Regest. Cōcil. Cōstant. in tribus MM. SS. apud Schelstr. fol. 42. Tract. de sensu, & auctor &c.

Gesta Concil. ex 4. MM. SS.

Regestum Concilij in tribus MM. SS. Codd. apud Schelstr. Tract. de sensu, & auctor. &c. fol. 42.

Cùm ergo quinta sessio ageretur, & Decreta legi publicè à Cardinali Florentino de more oporteret, recusauit id munus, quippe qui vnà cum sacro Collegio ijs decretis numquam maturè, & conciliariter discussis obluctatus semper esset; electus igitur Poznaniensis vices Florentini obijt, legitque à Nationibus statuta. Et hæc est illa sessio quinta, cuius Decretis tantopere Maimburgus præfidit: cæterùm quàm vanis, & caducis fundamentis, nemo ex tot alijs, qui hoc ipsum conati sunt, elegantiùs, fortiùsque doctissimo Schelstrato demonstrauit. Sciendum igitur est, Decreta Sessionis quintæ, nec Conciliariter, nec cum examine tantæ rei debito, maturaue deliberatione, qualem res tanta exigebat, vulgata esse, hoc ita se habere euidentissimis testimonijs, & argumentis ostendam. Primò. In antiquis, Concilijs, quoties fidei aliquis articulus, aut aliàs maioris momenti agitabatur; toties scripturarum testimonia, Antiquitatis monumenta, Conciliorum, Patrumque Decreta producebantur, quibus veritas fulciretur, sic in Nicæno primo, & secundo, Chalcedonensi, alijsque Concilijs factum, vbi longam seriem argumentorum reperies. Imò ipsum Concilium Cōstantiense in alijs articulis decidendis monere solet legitimum, longumq; examen, ac discussionem præcessisse. Exempla sunt Sessione 15. vbi cùm errores Ioannis Huss damnandi essent: [Habita, inquiunt, per prius plenaria informatione, & diligenti deliberatione Reuerendissimorum in Christo Patrum S.R.Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum, & Doctorum sacræ paginæ, & iuris vtriusque in multitudine copiosa, &c. Habita collatione per plures Magistros in sacra pagina &c.] Et sess. 24. in citatione contra Benedictum XIII. [Mandauimus per nonnullos venerabiles viros fratres, & dilectos Ecclesiæ filios Cardinales S.R.Ecclesiæ, & alios Prælatos, & alios tam sacræ paginæ, quàm iuris vtriusque Professores Commissarios nostros ad hoc specialiter deputatos inquiri, informationemque recipi, quam legitimè receptam referri iussimus in publica sessione nostra sacrosanctæ Constantiensis Synodi; qua plenè audita, & discussa maturo decreuimus, atque digesto consilio &c.] Et sess. 30. vbi approbatur subtractio Obedientiæ factæ per Regem Arragonum: [Eadem sacrosancta Synodus causis, & motiuis planè inspectis, & diligenter examinatis, de quorum veritate facta extitit eidem Synodo plena fides &c. ideò eam S.Synodus ex certa scientia, & causa debitè cognita &c.] Vides Concilium etiam in quæstionibus multò minoris momenti, quàm sit illa, de qua modò agimus, nihil decernere, nisi [habita plenaria informatione, & diligenti deliberatione, habita collatione per plures Magistros sacræ paginæ, & iuris vtriusque maturo, atque digesto consilio, &c.] At verò vbi de potestate Pontificia agitur, deque supremo iure Maiestatis, hoc est, de quæstione omnium, si fidem excipias, maxima; non rogatæ scripturæ, non auditi Patres, non examinata Concilia, non collata in sessionibus capita, sed ex abrupto, cursimque, & in ipso sessionis limine: [Declaramus, inquiunt, Concilio immediatam à Deo potestatem esse, cui Pontifex subdi, cui obedire teneatur.] Quid quæso est rem inconsultò, & sine examine definire, si hoc non est? & quid minùs fieri posset, si de minimo Sacerdote, imò ędituo in ordinem redigendo ageretur? Videantur acta Synodi Ephesinæ, illic apparebit, quanta cura, lentisque gradibus, quanta testium, & scripturarum, Patrumque mole laboratum sit, an Nestorius deijceretur:

tur: nunc verò non de vno Pontifice, sed de omnibus, imò de ipsa Pontificia dignitate quæstio vertitur, quantò igitur pluribus testibus, maiorique cura agi res debuit? & tamen nulla magis, minorique studio festinata; quæ omnia mihi æstimanti semper magis, magisque persuasum, fixumque est, non fuisse Concilij mentem quidquam definire de Pontifice certo, sed tantùm dubio, & tempore Schismatis hoc enim minoris operæ, & indaginis erat. Sciendum enim est, tempore Synodi Constantiensis circa Concilij supremam auctoritatem varias Doctorum opiniones fuisse. Prima, ne Schismatis quidem tempore posse dubios Pontifices à Concilio iudicari, cui sententiæ Benedictus XIII. adhærebat teste S.Antonino, imò, & Gregorius XII. quique istorum partes amplexabantur, hoc est, ingentia Regna, virique doctrina, & sanctitate conspicui; cùm enim in Concilio Pisano vtrique Pontificia dignitas adempta esset, & ipsi exauctorati Pontifices, & ipsorum sequaces negabant id iure factum esse, nec vllam Concilio in Vicarios Christi potestatem fuisse; ergo credebant, ne Schismatis quidem tempore, nec in dubios Pontifices quidquam Concilio licere; & videri potest Raynaldus ad annum 1409. Altera sententia fuit, nullum Pontificem ne Schismatis quidem tempore deponi posse, nisi ob solum hæresis crimen; fuit huius sententiæ Concilium Pisanum, quod non priùs Benedictum, & Gregorium damnare voluit, quàm vt accusatos, conuictosque, vt Patres credebant, hæreticæ prauitatis, quod suprà demonstrauimus, & habent acta Pisani Concilij à Notarijs ipsius Synodi conscripta, vbi inter alia: [Omnes Magistri in Theologia, tam Episcopi, quàm Abbates, & Generales ordinum Mendicantium anno 1429. die 28. Maij ad requisitionem sacri Collegij Cardinalium congregati sunt in sacristia Fratrum Minorum, vt deliberarent de his duobus articulis: an duo de Papatu condendentes essent Schismatici, & hæretici reputandi, & dato sic, vtrum sub titulo hæresis sint ab vniuersali Ecclesia, & Papatus regimine eijciendi. Ad has quæstiones habita ad inuicem pluries matura deliberatione concorditer, & vnanimiter responsum fuit, prædictos hæreticos censeri, & vt tales per sententiam declarari, ac deponi posse.] Patet ergo; ne Patres quidem Pisanos ausos esse in Pontificem pronuntiare, nisi hæresis manifestum, quod pluribus suprà ostensum. Tertia sententia fuit Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui Pontificem tempore Schismatis subiacere Concilio credidit, ab eoque iudicari, deponique posse credebat; & hanc suam sententiam scriptis commendauit, porrexitque Patribus quorum plerisque probata est: & hæc causa fuit, vt Concilium huic sententiæ examinandæ minùs laboraret, vtpotè iam passim notæ, acceptæque. Quarta sententia fuit Cardinalis Zabarellæ, admittentis quidem posse tempore Schismatis nouum eligi Pontificem; sed negantis ante factam electionem de Reformatione in Capite, & membris agendum esse, vt enim nulla peior Deformatio, quàm Schisma, ita nihil priùs emendari oportere; & ideò articulus de Reformatione in primo Decreto sessionis quartæ omissus fuit; id quòque eleganter expresserunt quatuor Nationes in protestatione post trigesimum octauam Sessionem, vbi inter alia: [Si Reformatio, inquiunt, facienda est de Deformatis, quæ maior est, aut esse potest in Corpore deformitas, quàm carere capite, & esse acephalum? illa igitur prior, tanquam magis necessaria debet esse Reformatio, quæ corpus ipsum ad Caput reformet. Et infrà: Duplex secundùm sacros Doctores est Vnio Ecclesiæ, vna membrorum ad inuicem, quæ iam creditur esse facta: altera membrorum ad Caput, vt constituatur corpus integrum; & perfectum, & ista non est facta; igitur primo loco fienda.] Patet ergo sententiam eorum, qui docebant tempore Schismatis de Pontificis electione, non de morum Reformatione agi oportere, celebrem fuisse, & in Synodo frequentem, imò potiorem. Quinta denique sententia fuit Ioannis Gersonis, qui Pontifices non solùm durante Schismate, sed semper, & absolutè omnique tempore Concilio subesse voluit, ab eoque posse iudicari; in hunc sensum decreta Sessionis quintæ Gerson intellexit, eòque progressus est, vt scriberet, à vero, & indubitato Pontifice ad Concilium appellari posse, & Martino id neganti Tractatum illum opposuerit, cui titulus: [An, & quomodo appellare liceat. Huic sententiæ Gersonis nunquam Concilium acquieuit, & ideò Decretis quartæ, & quintæ Sessionis semper illa verba apposuit: [In his, quæ pertinent ad extirpationē dicti schismatis, & pro extirpatione dicti schismatis. Quibus verbis ostendit Conciliū, se cum Gersone non sentire, qui absolutam subiectionem volebat; cùm Patres de limitata solùm; & in casu excepto intelligi vellent, hoc est, tempore Schismatis.

III. Sed iam perge, & alia testimonia percurramus, quæ defectum examinis, & necessariæ deliberationis circa quartæ, & quintæ Sessionum Decreta ostendant. Secundò. Martinus V. vt habetur sess. 45. in Confirmatione Concilij profitetur: [Se omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in Materijs fidei per Concilium Constantiense conciliariter tenere velle; ipsaque sic conciliariter facta approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.] Supponit ergo Martinus, fuisse in Synodo Constantiensi aliqua [conciliariter] facta, & hæc confirmat: alia verò [non conciliariter,] hoc est, sine examine, & deliberatione, nec votis, & sententijs in Conuentu dictis, & hæc confirmare renuit: non verò apparet, quæ Decreta sint minùs conciliariter facta, quàm quartæ, quintæque sessionum, nec putes hanc esse opinionem, aut coniecturam domi meæ natam, audi testimonium Iacobi Spondani Galli, & Apamiensis Episcopi, qui Manuscriptos codices Regiæ, sanctique Victoris Bibliothecarum egregiè peruoluit, eiusque de Synodo Constantiensi historiam, pulcherrimam Spondani operum Maimburgus pronuntiat; is verò ad annum 1418. ita scribit: [Putamus Nuntiorum Poloniæ petitionem de industria Martini nutu ad vltimam sessionem reseruatam, vt ea occasione significaret, quæ Concilij decreta ipse auctoritate Apostolica, ac supre-

S. Antonin. T.3. Chron Tit.22 §.3.

Acta Concilij Pisani à Notarijs ipsius conscripta in duob MM.SS. Codicibus.

Ioan. Gerson in serm. Domin. 2. post Epiphan & sermon pro Viaggio Regis Roman.

suprema probaret, quæ verò non; ne si anteà quidquam de ijs agere voluisset, murmur aliquod, tumultumque in Patribus excitaret ob ea, quæ ambiguè decreta fuissent de auctoritate Concilij supra Pontificem, quas absolutè, vt sonare videntur sumptas, nullo modo Martinus agnoscere, aut probare voluit, vtpotè contrarias existimatas, & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ Petro, eiusque successoribus potestati, ipsique demum naturæ rei, qua caput debet membra regere, non regi à membris.] Hæc Spondanus. Tertiò. Gesta Concilij Constantiensis ad sess. 7. [Penè in omnibus Concilij decretis factum est, vt Cardinalibus ita arcto, & breui tempore ostensa sint decreta à Nationibus conclusa, vt non fuerit in eorum potestate sufficienter deliberare, immò in magnum contemptum habiti sunt, & finaliter petiuerunt, quòd cùm essent in Concilio quatuor Nationes, vna Angliæ, in qua non erant 20. capita, de quibus tres solùm Prælati, & Cardinales essent 16. & alij futuri, de quibus plures Magni, & insignes Doctores propter dignitatem Collegij haberent dignitatem tantam, & auctoritatem, sicut natio Anglicana. Quod fuit recusatum, & dictum, vt venirent ad Nationes.] Quartò. eadem Manuscripta testantur, noluisse Cardinales ad sessionem quartam venire: [Eò quòd super illis non fuerint habitæ, nec sufficienter petitæ deliberationes eorum. Quintò. Abbas Panormitanus in sententia finali, & Regestum Constantiensis Concilij in tribus Manuscriptis Codicibus memorant, Nationes in quarta sessione fuisse à Cardinalibus monitas; [Vt suspenderent ad tempus materias illas, quæ habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem. Sextò. Petrus Alliacensis apud Gallos celeberrimus in Tractatu de Ecclesiæ, & Cardinalium auctoritate, quem ante aduentum scripsit Legatorum Regis Castellæ, parte 1. cap. 4. aliqua dubia proponit, vt super illis Concilium deliberaret, ne illius acta in futurum in dubium vocarentur: [Nam apud nonnullos, inquit, magnam perplexitatem inducunt. Primum dubium: an quatuor nationes in hoc sacro Concilio sic distinctæ excluso Cardinalium Collegio faciant Concilium generale, cum sint plura Concilia particularia valdè inæqualia, & improportionabiliter diuisa. (Nam Anglicana Natio complectebatur vota solùm 20. Gallicana supra 300. & tamen Gallicanæ voces non vincebantur pro pluribus, cùm quælibet Natio pro vno tantùm voto computaretur,) & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, exclusa deliberatione dicti Collegij Cardinalium, & non facta in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij conciliariter facta. Secundum dubium, an dictæ Nationes, quę sunt multa Collegia particularia, quæ multis videntur contra, vel præter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licèt ex rationabili causa, & sub debitis circumstantijs ita restitui potuerint, & habuerint à Iure Diuino, vel humano auctoritatem priuandi Romanam Ecclesiam, & sacrum Collegium (quod est antiquum Collegium, & in antiquo iure, & in sacris generalibus Concilijs, & in sanctorum Patrum Decretis fundatum) priuandi inquam iure suo, habendi scilicet votum in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi.] Vides iam tunc temporis de validitate Decretorum Constantiensium ob defectum deliberationis Conciliaris dubitatum esse; sicque antiquam hanc querelam non nouam esse, nec à nobis repertam. Septimò. Quatuor Manuscripti Codices, quibus acta Continentur: [Die 2. Maij Anno 1415. Cardinales licèt præsentes in sessione fuerunt, numquàm illam formam viderant; eodem enim die circa horam septimam de mane fuit data eis copia ad deliberandum super illa, cùm iam plures prælati sederent, & immineret relatio nouorum fienda Regi, & Deputatis Nationum in sacristia, in qua relatione præsentes fuere, nec poterant illam formam videre, cùm statim facta relatione peruentum est ad sessionem, quæ iam peracta erat, & ita penè in omnibus Decretis Concilij factum est, Cardinalibus ita arcto, & breui tempore ostensa sunt Decreta iam conclusa à Nationibus, vt non fuerit in eorum potestate super illis sufficienter deliberare, imò fuerunt in magnum contemptum habiti, &c.] Octauò. Die Septembris 11. Anno 1417. in protestatione, quam tres Nationes, & Collegium Cardinalium contra Germanicam Nationem ediderunt, hæc] inter alia leguntur: [Clerus, & Populus nonnullorum Regnorum, & Prouinciarum nondum clarè, & solidè huic sacro Concilio adhæserunt, necnon etiam quorumdam, qui eidem Concilio adhæserunt propter rumores discordiarum, & quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides iam de eodem Concilio dicitur vacillare. Et infrà: His diebus magnus terror, & turbatio dicebatur esse in Concilio, fama enim erat communis, & multi scientes de Consilijs Regis dixerunt amicis, quod rex proponebat, & deliberauerat aliquando capere omnes Cardinales, & posteà restrinxit ad sex; sed Cardinales, & alij; de quorum proscriptione dicebatur, constantes steterunt, nec omiserunt loqui, & prosequi, quæ eis iusta videbantur. Causa autem odij Regis in eos dicebatur, quòd Rex volebat habere Papam ad voluntatem suam, & illis stantibus non poterat.] Ex his omnibus euidenter colligitur, multa in Concilio contigisse, ob quæ meritò dubitari poterat, imò dubitandum est, an illius Decreta, præsertim, quæ Pontificiam dignitatem spectabant, consultò, deliberatè, & Conciliariter concepta essent, quippe cùm Patrum vota, aut metu Regiorum, aut exclusione Cardinalium, aut nimia festinatione, quæ examen præuertebat, redderentur suspecta; idque in particulari de Decretis quartæ, & quintæ sessionum intelligendum esse ex allatis testimonijs constat, illa enim apertè ostendunt, Capitula illa post tumultum de celebranda sessione quarta in vnica Congregatione Nationum conclusa fuisse, & totam deliberationem vnius diei tempore absolutam, neque deliberationem illam fuisse communem, & Conciliarem, vt oportuit, cùm nec in sessione habita fuerit, nec audita Cardinalium vota.

Gesta Conc. Constant. in 4. MM Codd. apud Schelstrat. fol. 104.

Schelstr. fol. 257.

IV. Age iam verò, & Decreta illarum ses-

sionum ne quidem à Concilio, œcumenico, & generali facta esse, nec pro talibus à viris grauissimis, & doctissimis habita, demõstremus.

Primò. Certum est Ioannem XXIII. numquam ijs Decretis assensum esse. Is enim in literis ad Ducem Biturigiæ datis causas exponit, cur Decretis Constantiensibus deferre non posset: [Quòd, videlicet, licèt in Concilijs generalibus non debeat fieri Nationum differentia, sed omnes, & singulos sententiam suam dicere publicè oporteat, vt vnius instructione informentur alij; hoc tamen Constantiæ non fuerit permissum, quin imò statutum, quamlibet Nationem vnam tantummodò vocem, siue suffragium habituram, etiam si in Natione Gallica essent ducentæ voces notabiles, & in Italica totidem: & de Anglicana essent tantùm tres Prælati ibi personaliter comparentes, ac Cœteri Clerici nouem numero. Deinde quòd cùm in Concilijs Generalibus secundùm statuta Canonum vis suffragij non competat, nisi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quorum suffragia requirenda sunt in sessionibus publicis, & non priuatis consilijs; nihilominus quicumque ad huiusmodi consilia fuissent admissi, nullo discrimine personarum habito, omnium suffragia, etiam Laicorum, subtractis Prælatorum suffragijs recepta sint, & licèt in Concilijs suffragia debeant esse libera, nihilominus multę extiterunt cauillationes, & subornationes per minas, & terrores ab Imperatore procedentes.] Hæc Ioannis querela nullam fidem, aut paruam mereretur, nisi omnino ijs consentanea esset, quę ijsdem penè verbis à Spondano, à Cardinali Alliacensi, ab Actis Concilij in 4. manuscriptis Codicibus, & denique à tribus Nationibus, & Cardinalium Collegio in Protestatione recensentur, quorum testimonia suprà produximus, vt adeò dubitari non possit, vera esse, quæ Ioannes commemorat, quæque Eugenij IV. testimonio indubitata redduntur, is enim in sua Apologia: [Contra Decreta de auctoritate Conciliorum nonnulli reclamauerunt grauiter, qui strepente multitudine superati (sicut his nouissimis temporibus, quibus carnales exuberant passiones, factum esse manifestum est) audiri nequiuerunt.] Non ergo pro Decretis Concilij Oecumenici habita sunt, aut haberi potuere, quæ contra Conciliorum Oecumenicorum normam facta sunt, hoc est, quæ metu extorta, quæ non conciliariter, nec auditis, sed exclusis, quorum intererat, admissis verò, qui admitti non debebant, nec seruata votorum pluralitate, decreta sunt. Idque egregio confirmatur exemplo, verbisque Caroli VII. Regis Galliarum; qui cùm à Deputatis Concilij Constantiensis audiuisset sententiam à Patribus in Ioannem XXIII. latam; non tantùm eam improbauit, negauitque id Synodo licuisse, sed etiam ipsos Deputatos amarè obiurgans: [Ecquis, inquit, eam vobis licentiam dedit, vt auderetis in Pontificem Romanum manus inijcere, eique dignitatem, ac infulas adimere, quod nuper Constantiæ fecistis? Postquàm ergo eò audaciæ peruenistis, quid aliud superest vobis, quàm, vt pari facinore Regi, Regisque Principibus coronam, & imperium

Ioann. xxiij. in epist. ad Duc. Bitur. in Sorbona publicè lecta, & in duobus MM SS. Codd. Bibl. S. Victor. asseruata.

Eug. IV. in Apolog. cõtra Basil.

inuoletis? sed enim ne id vobis procedat, maturè præueniam.] Hæc Maimburgus totidem ferè verbis, quæ ex Gallico reddidi, adiungitque: [Iam ab annis nongentis Ecclesiæ Gallicanæ hanc sententiam fuisse, vt videlicet excepto hæresis casu, à nullo hominum, nulloque Concilio, sed à solo Deo iudicari Pontifex Romanus, deponique possit.] Hæc Maimburgus sui, suarumque opinionum, quas alibi docuit, in gratiam Regis Galliæ oblitus; adeò videlicet illum Reges demerendi impetus cœpit, vt iam amicus Pontifici, iam hostis appareat, vtcumque Regi placuerit; sed de hoc aliàs. Palàm igitur hoc exemplo fit, Regi Galliæ Regioque senatui Decreta quartæ, & quintæ sessionum numquam probata fuisse, adeòque, aut non habuisse Concilium pro Oecumenico, legitimoque, aut arbitratos esse, nullam Concilio in Papam esse potestatem.

Maimburg. Grãd. Schisd'Occ. lib. 5. foi. 307. Vid. Spondan. ad annum 1415. n. 12. & ibi Bzou.

Secundò. In Regesto Concilij Constantiensis, quod duobus Manuscriptis continetur, hæc leguntur: [Die 6. Aprilis Anno 1415. Cùm per Dominos Cardinales, & Nationes altercatum esset super correctione, & emendatione Capitulorum in præcedenti sessione (quarta) statutorum, tandem ordinatum, & conclusum est, quòd supradicta Capitula modo infrascripto corrigerentur, &c. præmissa per Dominos Cardinales, & Oratores Regis Franciæ protestatione secreta in Camera Paramentorum Palatij Constantiensis secretè facta, quòd propter scandalum euitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his, quæ audierant in ea statui debere, &c.] Censuerunt ergo Cardinales, Gallicique Oratores, quo tempore sessiones quarta, & quinta agebantur, aut Concilium non fuisse Oecumenicum, aut nulla potestate in Pontifices præditum; alioquin qui poterant Decretis Concilij haud annuere, quod Oecumenicum, & legitimum crederent? imò nisi annuissent, pro Schismaticis habendi erant, nec tamen habiti sunt.

Tertiò. Cardinalis Turrecremata in lib. de Ecclesia: Nullus, inquit, dubitat, quòd asserere, quòd sola obedientia Ioannis faceret Concilium Vniuersale, Vniuersalem Ecclesiam repræsentans, esset temerarium, ac scandalosum alijs duabus Obedientijs. Omnes ergo Episcopi, Cardinales, Doctores, omnesque Vniuersitates, Scotiæ, Lusitaniæ, Castellæ, Nauarræ, Arragoniæ, totiusque Hispaniæ, Bearniæ quoque, Sardiniæ, Corsicæ, Maioricæ, Bauariæ, Flaminiæ, celebresque Wormatiensis, Spirensis, & Werdensis Episcopatus, qui Gregorio, & Benedicto adhærebant, Concilium Constantiense, quo tempore duæ sessiones, quarta, & quinta agebantur, pro Oecumenico, & Vniuersali non habuerunt; nec propterea ab vllo mortalium pro Schismaticis aut hæreticis habiti sunt; non ergo certa, & indubitata ea Decreta dici poterant, quæ à tam multis, & celeberrimis Ecclesijs, pro irritis, nullisque habebantur, illæsa, & inuiolata conscientia.

Quartò. Eugenius IV. Pontifex Maximus in Apologia contra Basileenses: [Non dixit Obedientia Gregorij, non Benedicti, quæ Christianitatis pars non immodica fuit, ante tempus Conuentionis plenarium fuisse

Con-

Concilium, nec priùs actitata, quasi Synodi Generalis plenaria auctoritate suscepit; itaque oportuit ipsis conuenientibus primò ab Obedientia Gregorij, deinde ab Obedientia Benedicti nouum Concilium conuocari, hincque Vniuersa Ecclesia concurrente plenariæ Synodi rem, & nomen accepit. Quod ergo ante illum articulum ipsis à Patribus ibi considentibus actum est, Vniuersæ Ecclesiæ non debet adscribi, sed eis tantùm, qui ibidem considebant, & vnius tantùm obedientiæ Synodum faciebant. Fuit ergo Eugenij, omniũque, qui Eugenio adhærebant, hoc est, totius Orbis Christiani sententia (paucis exceptis, qui Basileæ tumultuabantur) Constantiense Concilium, cùm illæ duæ sessiones peragebãtur, non fuisse Oecumenicum, sed particulare tantùm, vnius videl. obedientiæ Ioann. XXIII.

Quintò. Idem Cardinalis Turrecremata lib 2. de Ecclesia cap. 99. [Neque ipsa integra Ioannis XXIII. Obedientia consensit; quoniam plures Patres doctissimi illius Obedientiæ illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum.] Plures ergo, & doctissimi viri, etiam ex Ioannis Obedientia credebant, se Decretis illis haud illigari, sed posse obniti, & consequenter non fuisse eo tempore Concilium Oecumenicum, aut saltem sua potestate abusum; aut qui dici potuit Concilium Vniuersale, cui deerant tot suffragia, aut contempta videlicet, aut contraria, aut non audita? Idem Turrecremata, qui Concilio Constantiensi interfuit: [Congregatio, inquit, Constantiæ celebrata tria tempora habuit: primum fuit, in quo sola Obedientia Ioannis præfati Constantiæ conuenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corrarius, vocatus in Obedientia sua Gregorius XII. iuri suo cedens præfatæ Congregationi, sub certis modo, & forma se coniunxit. Tertium tempus est, in quo Reges, & Principes, ac Prælati Obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in Obedientia sua, per suos Oratores noua facta conuocatione Concilij se vnierunt præfatæ Congregationi ad pacem dandam Ecclesiæ, & fuimus nos præsentes, tunc in Minoribus constituti; pro quo solo tempore conuenientibus omnibus simul tribus Obedientijs fuit certum dicere, quòd Vniuersalis Ecclesia fuit repræsentatiuè congregata Constantiæ.] Hæc Turrecremata, cui vtpote præsenti, rerũmque omnium conscio, quæ Constantiæ agebantur, & doctrina, ac pietate præstanti, nec partibus addicto, meritò fidem adhibeas.

Sextò. Sessione decima quarta Concilij Constantiensis leguntur Bullę Gregorij certis conditionibus Papatui renuntiantis, in quarum prima Arimini data tertio Idus Maij Anno 1414. [Concedit suis Legatis Congregationem Constantiensem, in quantum per serenitatem Regiam, & non per Balthassarem se nuncupari facientem Ioannem Papã XXIII. vocatam vice sua ad prædictorum effectum conuocandi; & auctorizandi in Generale Concilium, remota tamen omnimodo Balthassaris præsidentia, & præsentia ab ijsdem.] Hanc Gregorij Bullam, qua Concilium ante Sessionem decimam quartam apertè Oecumenicum negabatur, non solùm actis suis Synodus Constantiensis inseruit; sed etiam ex consensu quatuor Nationum, omniumque Patrum Archiepiscopus Mediolanensis tabulas legit, quibus dicebatur: [Quòd Concilium memoratum dictam conuocationem, auctorizationem, & confirmationem, in quantum ad eumdem Gregorium pertinet, & attinet, eis admittit, Collegium ipsis D. Gregorij nuncupati, alteri Collegio videlicet olim Ioannis Papæ, & è conuerso, vnita omnino decreuit, & Notarij rogati de præmissis non faciant mentionem in instrumentis suis de Papa, vel Sede Apostolica, sed de Sigismundo Romanorum Rege vsque ad cessionem nomine dicti Gregorij faciendam.] Et sess. 20. non priùs Obedientia Benedicti se Patribus Constantiensibus adiunxit, quàm [vt iterum Concilium conuocaretur, perindè, ac si hactenus legitimè conuocatum non esset, neque Oecumenicum fuisset: vt Congregatio titulo abstineret Concilij Oecumenici.] Et sexaginta literæ ad Regem Arragoniæ Ferdinandum missæ sunt, nulla Concilij Generalis inscriptione; quæ omnia à Patribus Concilij acceptata, confirmata, & iurata sunt, vt videre est in Actis vigesimæ sessionis, & in duobus Codicibus Manuscriptis Regestum Concilij continentibus. Agnoscebant ergo Patres Constantienses, antequam Obedientiæ Gregorij, & Benedicti sese adiungerent reliquis, nondum satis constare de auctoritate Concilij, & an esset Oecumenicum; si enim constabat Oecumenicum esse, cur nouam Concilij conuocationem, cur Decreta priora in dubium reuocari permittebant, abstinebantque titulo Oecumenicæ Synodi, toties in prioribus sessionibus vsurpato? Nec dici potest id Patres tolerasse studio pacis: nec enim hanc tantùm causam fuisse; sed eam præcipuè, quòd reuerà à magna Christiani Orbis parte, imò etiam à quàm plurimis in ipsa Synodo, negaretur Oecumenica, & legitima esse (alioquin numquam pacem tam carò, indignisque conditionibus emerent, & Decreta prioribus sancita sessionibus permitterent, aut euerti, aut in dubium reuocari) id quod ex Turrecremata, Petro Alliacensi, Eugenio IV. alijsque suprà ostendimus. Et ideò Arragonensis Regis Legati protestati sunt: [Quòd quidem vellent se vnire Concilio, non tamen reputare esse Generale Concilium, neque agi de rebus Generalis Concilij, donec venirent Legati Regis Castellæ. Ex 4. Cod. MM.SS. ap. Schelstr. in dissert. Antuer. fol. 52.

Septimò. Sessione 14. sub grauissimis pœnis decretum de non eligendo sine assensu Concilij Romano Pontifice hisce verbis editum fuerat. [Sacrosancta Generalis Constantiensis Synodus pronunciat, statuit, & ordinat ad electionem futuri Pontificis nullatenus procedatur, sine deliberatione, & consensu huius sacri Concilij Generalis, & si quid fieret, sit ipso facto auctoritate huius Concilij irritum, & inane; nullusque electum contra hoc Decretum in Papam recipiat sub pœna maledictionis æternę, & fautoriæ Schismaticis. &c.] Quid poterat à Concilio enixiùs decerni, & grauioribus pœnis armari? & tamen, quia Benedicti XIII. Obedientia necdum accesserat, ideòque ea Synodus pro Oecumenica non habebatur, adeò huic Decreto delatum non est, vt, & Concilium Cardinalium, & Natio

 Hisp-

Hispanica, imò, & tres reliquæ Nationes protestatæ sint illud Decretum, [aut nullum esse, aut saltem dubiæ auctoritatis; & ex eo sequi, Ecclesiam Dei sine capite, & lege futuram esse, sed nec illo Hispanicam Nationem ligari potuisse, quamuis validum foret: nec haberi posse indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet Concilium conuocare.] Hæc omnia palàm faciunt, non fuisse eo tempore Concilium Constantiense pro certo, ac Oecumenico habitum; quì enim certum, & Oecumenicum, quod negant esse indubitatum, quod Acephalum dicunt, cuius Decreta inualida, nec illis Nationem Hispanicam ligari volunt, imò turbari Ecclesiam, reddique exlegem? hæ planè non sunt notæ legitimæ, & Oecumenicæ Synodi: & hæc si obijci poterant sessioni decimæ quartæ, quantò magis sessioni quartæ, & quintæ, tot aliàs, vt suprà ostendi, defectibus laborantibus, & in quibus Obedientia Gregorij nondum se reliquo agmini sociauerat? In quatuor Codicibus Manuscriptis (quos Schelstrate edidit in Tractatu Romæ edito) ad Annum 1417. hæc habentur: [His diebus post electionem Petri de Luna infra decem dies Cardinales attendentes constitutionem: vbi maius de elect. in 6. alia iura, & etiam Decreta Concilij super electione Papæ hac vice, pro qua Concilium decreuit electionem fiendam modo, & forma, loco, tempore, & materia per Concilium ordinandis, & pœnas terribiles imponit contrarium facientibus, suspenditque omnia iura positiua in illa materia; licèt dicti Cardinales non reputarent dicta Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium; noluerunt tamen illa publicè impugnare &c. Propter quod fecerunt protestationes in omnibus nationibus, mitiores, quàm potuerunt, per quas posset ius eorum conseruari, & nullus de Concilio deberet exasperari &c. Et infrà: Dictam protestationem fecerunt in qualibet Natione per duos Cardinales, & Procuratorem, cum duobus Notarijs Nationis Italiæ &c] Et in alia protestatione eiusdem sacri Collegij, ac trium nationum, videlicet, Italicæ, Hispanicæ, Gallicæque. [Audite hæc omnes, auribus percipite, qui habitatis Orbem &c. Vos præfatam venerabilem nationem pluries, & instanter exhortati sunt, & requisierunt, quatenus attentis periculis Ecclesiæ sanctæ Dei velletis per vos, vel Deputatos vestros cum dictis tribus nationibus Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, & Cardinales super modo futuræ electionis maximè de electoribus tractare, agere, & conuenire, quod facere, & super hoc respondere iam multis diebus distulistis, & non fecistis, licèt asseratis sine vestro consensu, & ordinatione Concilij; super modo, forma, loco, tempore, & materia non posse ad dictam electionem procedi, obstantibus quibusdam huius Concilij decretis, quibus nos, Hispanica natio, etiamsi aliàs valida existerent, non ligamur. Et infrà: Cùm si ante dictam prouisionem Ecclesiæ de Pastore, aut saltem modi electionis illius, suppositis huius Concilij Decretis, quibus omnia iura circa electionem Pontificis edita, dicuntur esse suspensa; ex quo sequetur Ecclesiam Dei esse sine capite, & sine lege, & ordinatione electionis Pontificis, hoc Concilium casu aliquo dissoluetur, prout iam multæ causæ timentur imminere; Ecclesia in periculo remaneret, quia vix, aut nunquam summus Pontifex indubitatus posset haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet conuocare &c.

Octauò. Sessione 39. præscribitur forma Professionis fidei, quam Romani Pontifices legitimè electi facere tenentur in hæc verba: [In nomine sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, &c. Anno à Natiuitate Domini, &c. Ego electus in Papam Omnipotenti Deo corde, & ore profiteor, me firmiter credere, & tenere sanctam fidem Catholicam, secundùm traditionem Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum; maximè autem Sanctorum octo Conciliorum, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertij Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti, & sexti Constantinopolitanorum, septimi Nicæni, octaui quoque Constantinopolitani; nec non Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis Generalium etiam Conciliorum, & illam fidem vsque ad vnum apicem immutilatam seruare: ritum quoque pariter Sacramentorum Ecclesiæ.] Ecce enumerat Constantiensis Synodus omnia Generalia Concilia, in quorum fidem iurare oporteat Romanum Pontificem; cur rogo ex omnibus Generalibus Concilijs solum Constantiense omittitur, quod tamen adeò expressè, ac nominatim sessionibus quarta, & quinta decretis fidei à se statuendis Romanum Pontificem illigauerat; id, quod à nullo hactenus Conciliorum legimus factum; cur ergo solum Constantiense omittitur, quo nullum magis exprimi debebat? nimirum agnoscebant Patres Constantiense Concilium, vtpote à Romano Pontifice necdum approbatum, dici non posse Oecumenicum, & ideò nec inter Oecumenica reponi debere.

Nonò. Petrus Alliacensis, qui tractatum de Ecclesiæ; & Cardinalium auctoritate anno 1417. scripsit, hoc est, quando sessio vigesimasexta iam Constantiæ habita, & obedientia Benedicti se Concilio adiunxerat; parte illius libri prima cap. 4. dubia aliqua proponit: [Quæ, dicebat, apud nonnullos magnam inducere perplexitatem. Primò an quatuor Nationes in hoc sacro Concilio, excluso Cardinalium Collegio faciant Concilium generale, cùm sint plura Concilia particularia valdè inæqualia & improportionaliter diuisa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, exclusa deliberatione collegij, & non facta in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilij conciliariter facta. Secundò an dictæ nationes, quæ sunt noua collegia particularia, habuerint à iure diuino, vel humano auctoritatem priuandi Romanam Ecclesiam, & sacrum collegium iure suo, habendi scilicet vocem in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi.] Hæc Cameracensis Cardinalis, qui posteà adiunxit: [Hæc à se proponi eo consilio, vt super his Concilium deliberet, ne in futurum eius acta improbentur.] Ergo iam tunc temporis apud multos Concilij auctoritas vacillabat, eratque incertum, an pro Oecumenico,

nico, legitimoque habendum esset, idque preter alias rationes, etiam ex his capitibus; tùm, quod non tam vnum Corpus, vnumque Concilium, quàm quatuor, & diuersæ Congregationes viderentur, ex quatuor Nationibus conflatæ, idque contra instituta, moremque omnium retrò Conciliorum: tum, quia numerus votorum non rectè iniri poterat, adeò vt minor pars æquiualeret multò, & decuplo maiori, quod apertè libertati, exemplo omnium Conciliorum, sacris Canonibus, rectæque rationi aduersabatur; Natio enim Anglicana viginti tantùm votis constabat; Gallicana, & Italica singulæ trecentis, & tamen Anglicanæ vota æquiualebant voti Gallicanæ, cùm quælibet Natio pro vno tantùm voto computaretur: tum, quia deliberatio, & examen rerum, quæ definiri oportebat, nō instituebatur Conciliariter, hoc est, in communi omnium Nationum, sed in priuatis singulorum Conuentibus, quæ dici Conciliaris deliberatio non poterat: quemadmodum in causis, quæ capitulariter decerni deberent, non haberetur pro resolutione Capitulari, quæ in particularibus Capitularium congressibus caperetur, vt si in electione Episcopi v.g. Constantiensis, Sueui, Helueti, Fraconesque Canonici in priuatis, distinctisque Cœtibus, non in communi conuentu sua vota conferrent, præsertim si Heluetorum vota, quæ tantùm sunt tria, æquiualere Sueuorum deberent, quæ sunt supra viginti: tum denique, quia Cardinales ad deliberandum non admittebantur; quamuis enim non oporteat ad Concilium Oecumenicum omnes Episcopos conuenire, oportet tamen nullum excludi, accedere, & interesse volentem: Si ergo ex his capitibus, teste Alliacensi Cardinali, auctoritas Concilij dubia reddebatur; quantò id magis de sessionibus quarta, & quinta dicendum, cui vna tantùm Obedientia interat, & in quam, præter istos, tot alij defectus incurrebant suprà notati?

V. Si ergo auctoritas Concilij Constantiensis, priusquam à Martino V. confirmaretur, Regi Senarui, & Oratoribus Gallicis, immò Cardinalibus, ipsisque Concilij Patribus, aut dubia, aut nulla habebatur, idque inuictis testimonijs à nobis probatum est; quid tandem præsidij ab huius Concilij decretis sperare Maimburgus potest? at celauit hæc omnia, vt cùm vincere non posset, saltem abderet veritatem. Sed præter iam dicta aliud adhuc superest, quod illis Decretis validè objiciamus. Nego enim illa in sensu, quem Aduersarij volunt, & præsertim Maimburgus, Martino V. confirmata esse. Nam Primò Martinus V. sessione 45. his verbis Concilij decreta confirmat. [Omnia, & singula determinata, & conclusa, decreta in materia fidei per præsens sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter tenere, ac inuiolabiter obseruare volebat, & nunquam contrauenire quoquo modo; ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo.] Hic Martinus ea solùm Concilij acta confirmat, quæ ad materiam fidei pertinent, & conciliariter facta, non verò approbat, quæ ad fidem non spectant, nec sunt conciliariter facta: at talia sunt decreta quartæ, & quintæ sessionum: hæc enim propositio: [Concilium est supra Papam certum, & indubitatum,] non est de fide, alioquin totus ferè Catholicus Orbis, si paucos in Gallia excipias, omnesque Doctores, & vniuersitates, ipsique Romani Pontifices; qui contrarium scriptis, & exemplis docuete, hæretici vocandi essent; quod vtique ne Maimburgus quidem dixerit, quamuis alioquin lati thoracis homo. Ea insuper decreta non fuisse Conciliariter edita, iam supra magnis testimonijs, & præsertim Spondani Episcopi Galli, & Maimburgo commendatissimi ostendimus; si ergo nec ad fidem spectant, nec Conciliariter sunt facta; sequitur à Martino V. confirmata non esse. Vbi sciendum est triplicis generis causas in Concilio agitatas esse, videlicet; fidei, vnionis, & reformationis. Per materias fidei ea in Concilio intelligebantur, quæ contra hæreticos decernebant: & vbi de materijs fidei mentio aliqua in Concilio incidit, semper agitur de ijs, quæ contra Ioannem Vvicleffum, Ioannem Huss, & Hieronymum Pragensem decreta sunt, nec aliam fidei materiam in hoc Concilio reperies; id, quod specialiter in sessione quinta obseruare licet, cum enim legerentur, primum, & secundùm decretum (in quibus de auctoritate Concilij statuitur) præmittitur: [Fueruntque pronuntiati articuli, & constitutiones sequentes per Reuerendum D. Andream electum Poznaniensem. Vbi vides eos articulos, qui de Pontificis, & Concilij auctoritate agunt, constitutiones, non Dogmata vocari: hisce verò constitutionibus perlectis, vbi Dogmata peruentum, hæc præmittuntur: [Quibus peractis supradictus Reuerendus Pater D. Andreas electus Poznaniensis in materia fidei, & super materia Ioannis Huss quædam auisamenta perlegebat.] Vbi vides Concilium expressè distinguere inter constitutiones, & materias fidei: & prima illa decreta, quibus auctoritas Concilij sancitur, ad constitutiones, non ad Dogmata referri.

Secundò. Tantum abest; Martinum decreta quartæ, & quintæ sessionum in sensu Aduersariorum confirmare voluisse, vt ea potiùs vidente, audiente, nec repugnante Concilio obliterata, & deleta voluerit. Cùm enim Poloniæ Legatus Archiepiscopus Gnesnensis cum, eoque Polonica Natio libellum quemdam famosum contra Vladislaum Regē, totamque Polonicam Nationem à Ioanne Falckenberg editum, damnari hæresis cuperent, immò & à toto Concilio, ac Cardinalium Collegio damnatus esset; solus obstitit Martinus, negauitque hanc fidei causam esse cùm ergo Poloni ad futurum Concilium à Martino appellassent, Martinus constitutionem edidit anno primo sui Pontificatus 6. Idus Martij, in qua: [Nulli inquit, fas est, à supremo Iudice, videlicet, Apostolica Sede seu Romano Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei, (quæ tamquam maiores ad ipsius, & Sedem Apostolicam deferendæ sunt declinare.] Meminit huius constitutionis Ioannes Gerson in Dialogo Apologetico pro Concilio Constantiensi, & occasione illius Tractatum scribit, quomodo, & an liceat à Summo

mo Pontifice appellare? Quid poterat Martinus expressiùs dicere contra Concilij anctoritatem, duobus illis decretis ex sensu Aduersariorum sancitam? Volunt enim illis definitum esse, Pontificem subiacere Concilio; at Martinus superiorem se profitetur. Volunt in causis fidei Pontificem Concilij decretis alligatum esse; at Pontifex in causis fidei dijudicandis supremam auctoritatem non Concilio, sed sibi competere pronuntiat; nec altius esse tribunal, ad quod liceat appellare. Quis iam credat Martinum ea Concilij decreta confirmasse, quæ tam seriò, tamque enixè confutat? idque vidente, audiente nec repugnante Concilio? Vndè facilè intelligas, quàm inanis sit Maimburgi cauillatio asserentis id tantùm Martinum prohibere: [Ne ad Episcopos particulariter sumptos appellari à Pontifice possit, non verò prohibere appellationes ad Episcopos in Concilio congregatos.] Vana responsio, nec causæ, nec veritati idonea. Martinus enim hanc suam de non appellando constitutionem Appellationi opposuit à Polonis factæ; Poloni verò non ad Episcopos particulariter sumptos, sed ad futurum Concilium appellauerant; hoc ergo, non illud Martinus prohibuit; & ideò Ioannes Gerson Tractatu, quomodo, & an liceat appellare, omnem lapidem mouet, vt ostendat, eam Martini constitutionem decretis synodalibus repugnare: at non repugnasset decretis synodalibus, si tantùm prohiberet Appellationem ad particulares Episcopos, & Romanum Pontificem singulis tantùm Episcopis præponeret; id enim decreta Concilij nunquam statuerant; quæ cùm Pontificis auctoritatem circumscribunt, non eam singulis, aut particularibus Episcopis, sed toti Concilio submittunt.

Tertiò. Id quoque Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis ingenuè professus est, cui vtpotè Gallo, notæque pietatis, ac Regibus charo, nec partibus addicto, fidem meritò adhibeas. Is verò ita loquitur: [Ea, quæ ambiguè decreta fuissent de auctoritate Concilij suprà Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam tam in capite, quàm in membris, absolutè vt sonare videntur, sumpta, nullo modo Martinus agnoscere, aut approbare voluit, vtpotè contraria existimata, & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino potestati, ipsique demum naturæ rei, qua caput debet membra regere, non regi à membris.

Spondan. ad ann. 1414.

VI. Superest iam, vt ad plenam dictorum synodi decretorum intelligentiam ostendamus, Patrum Constantiensium mentem, sensumque non fuisse, vt Concilij auctoritatem in omni casu Schismatis, dubijque Pontificis. Id verum, certumque esse ex sequentibus disce.

Nam primò quoties Concilium de hac re loquitur; semper verba, & decreta sua ad casum Schismatis restringit. Sessione 4. [Hæc sancta synodus Constantiensis faciens pro extirpatione præsentis Schismatis, & nomine, ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris fienda. Et infrà: Et primò quòd ipsa synodus in Spiritu Sancto congregata generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, &c. Et sessione 5. Et primò declarat, quod ipsa immediatè à Christo potestatem habet, cui quilibet, etiamsi Papalis dignitatis existat, obedire tenetur in his, quę pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, reformationem Ecclesiæ in capite, & in membris. Et infrà: Item declarat, quòd quicumque cuiuscumque dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus huius sacrosanctæ synodi, aut cuiuscunque alterius Concilij Generalis legitimè congregati super præmissis, aut ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, &c.] Obserua sermonem semper esse de solo Concilio Constantiensi, quando nullus certus Pontifex, & obstinatum Schisma Ecclesiam diuidebat; cùm verò de alijs Concilijs Generalibus mentio fit; adijcitur continuò clausula restrictiua, videlicet: [Super præmissis, seu ad ea pertinentibus.] Quæ verò sint illa præmissa, constat ex antecedentibus verbis: [Hæc sancta synodus Constantiensis Generale Concilium faciens pro extirpatione ipsius Schismatis, & vnione, & reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris, &c.] Nulla ergo Concilijs in Pontifices potestas, nisi cùm agitur de extirpando Schismate, & vnione Ecclesiæ, & consequenter in casu dubij Pontificis. Si enim absolutè, omnique casu Concilium sit supra Pontificem; cur rogo Patres Constantienses toties, tamque repetitis verbis hanc potestatem restringunt, aut ad Concilium Constantiense, aut ad casum præsentis Schismatis? qui nescit clausulas præsertim sæpiùs repetitas operari aliquid debere? & inclusionem vnius esse exclusionem alterius? planè, & Concilijs, & veritati iniuriam fecere, si quod semper Concilijs licet, ipsi ad vnum casum restrinxerint? quemadmodum si petenti facultatem comedendi carnes in Quadragesima, Pontifex, aut Episcopus rescribat: [Concedo, vt possis ter in hebdomada carnibus vesci;] nemo dubitabit pluries non licere; cur enim si semper licere voluissent, ad ternas vices licentiam restringerent?

Secundò. Cùm synodus Constantiensis deponere Ioannem vellet, nec tamen id satis auderet defectu potestatis; primò illum Schismatis, & hæresis accusarunt, quod scirent hoc vno delicto moueri Pontifices posse, idque sacris canonibus sancitum: sed cùm id non procederet, nec probari posset monente in publico congressu Cardinale S. Marci: [Vt attenderet Concilium, quod Procurator Concilij proposuerat crimen hæresis, & fautoriam Schismatis, & alia quædam non constare.] Patres omissa hæresis accusatione, collatisque cum Sigismundo Imperatore, sacroque Collegio consilijs, censuerunt illud superesse, vt Pontifex in sententiam à Concilio ferendam consentiret, ac spontè renuntiaret, delectique quatuor Cardinales, inter quos Florentinus, & Cameracensis, qui hac legatione fungerentur, mouerentque Ioannem: & lata iam in eum sententia, repetita Legatio est, annuitque Ioannes vtrique Legatio-

Gesta Constant. ex 4. MM.SS. Codicib.

gationi. Audi acta ipsius Concilij. [Statim Rex, Cardinales, & Deputati, pluresque tractauerunt materiam, quòd Papa consentiret sententiæ suæ depositionis, & ex abundanti renuntiaret. Et infrà: Ordinatum fuit quòd Cardinales de Vrsinis, Cameracensis, de Thalanco, Salutiarum, & Florentinus irent ad Papam. Et infrà post latam sententiam [Concilium misit ad Papam, & Papæ sententiæ acquieuit, & ex abundanti renuntiauit in forma prædictæ schedulæ. Forma autem à Concilio missa inter alia hæc habet: Porrò si omnino dictum sacrum Concilium vult procedere ad sententiam, scilicet amouendo eumdem Dominum Ioannem Papatu, affirmat, quòd non vult reclamare, nec reclamabit contra dictam sententiam proferendam, quin immò ipsam ratificabit, & approbabit, & in quantum in se fuit, confirmabit &c.] Et in instrumento Concordatorum Narbonæ inter Regem Romanorum, & Legatos Concilij ex vna, & Obedientiam Benedicti ex altera partibus. [Dominus, qui Gregorius XII. in sua Obedientia dicebatur, sua sponte cessit. Sic & Dominus, qui Ioannes XXIII. dicebatur, facere voluit, atque fecit.] Vbi vides Ioannis exauctorationem non sententiæ Concilij tribui, sed spontaneæ cessioni. Si ergo Concilium Constantiense ne dubium quidem Pontificem, & tempore schismatis est ausum, nisi priùs hæresis notatum, & hac non probata, nisi consentientem, approbantem, suoque iure, ac sponte cedentem, quantò minùs id auderent in Pontificem verum, & legitimum, & planè indubium? quantòque minùs decreta quartæ, & quintæ sessionum extendi ad hunc vellent?

Ex iisdem MM.SS.14. Maij 1415.

Tertiò. Post trium Obedientiarum vnionē nouum inter Patres certamen est ortum, quo diù, multùmque collisi sunt. Volebant tres Nationes, Hispanica videlicet, Italica, & Gallica, & cum istis Cardinalium Collegium, non priùs de Reformatione sermonem fieri, quàm certus, & indubius Pontifex eligeretur: quippe præcipuam, maximèque necessariam Reformationis partem esse, si schisma tolleretur: tolli autem non posse, nisi certo Pontifice, hunc ergo ante omnia eligendum. At Natio Germanica præmitti volebat morum reformationem in capite, & in membris, qua etiam Pontifex teneretur. Post longum certamen vicit trium Nationum sententia, cessitque Germanica, ea tamen conditione: [Vt à Concilio expediretur assecuratio, & cautio per Decretum irritans, quòd post electionem Papæ fieret Reformatio ante Coronationem Papæ, & administrationem aliquam. Qua postulatione Germanorum audita, perpensaque subiungunt acta: Posteà fuerunt factæ diuersæ formæ, ac tandem fuit dictum, quòd Papa electus ligari non potest. Hic apertè suam mentem Concilium explicauit: nam sessione quarta, & quinta agebatur de Pontifice dubio; quippe tres Pontifices Ecclesiam in diuersas partes scindebant, & ideò definitum est, subiacere Pontifices Conciliorum decretis. Vbi autem de vero, & indubitato Pontifice actum, ingenuè Patres profitentur: Electum Pontificem ligari non posse. Quid clariùs dici poterat? si enim crederent Concilij potestatem etiam in verum, & indubitatum Pontificem extendi, idque Decretis quartæ, & quintæ sessionum sancitum esse, quid morantur, renuuntque electo Pontifici leges statuere, & nisi obseruet, pœnas, Depositionem, ac alia minari, quæ in tres dubios Pontifices experti sunt? Non potest, inquiunt, electus Pontifex ligari. At Joannem, Benedictum, Gregorium ligatis; cur non etiam Martinum? Quia videlicet de hoc constabat legitimum esse, non verò de illis. Patet ergo ex hoc Nationum responso, quæ fuerit Concilij mens de potestate in verum, certumque Pontificem, eum videlicet Concilio ligari non posse. Et ideò in Decreto sessionis 45. à quinque Nationibus Conciliariter edito statuitur: [Vt Romanus Pontifex proximè assumendus Ecclesiam in capite, & membris reformet.] Nulla tamen, vt sessionibus quarta, & quinta, addita pœna; quia videlicet sentiebant, verum certumque Pontificem nullius Concilij potestati coactiuæ subiacere, & ideò contrà quàm Germanica Natio postulauerat, nullam pœnam nolenti præfigunt. Quod etiam discrimen inter certum, dubiumque Pontificem egregiè obseruatum est sessione 39. vbi enim sermo est de vero, & indubitato Pontifice, statuitur quidem vt singulis quinquennijs Concilium indicat, nulla tamen omittentis pœna: sequenti verò paragrapho, vbi agitur de tempore, & casu Schismatis, dubioque Pontifice, grauissimæ pœnæ, ac etiam priuatio Papatus negligenti statuuntur; certum igitur est, nec negari potest, aliam fuisse Concilij mentem circa dubium, aliam circa certum, indubitatùmque Pontificem.

Ex 4. MM. SS. Codd. apud Schelst. fol. 268. & hab. in protestatione trium Nationum contra Nat. Germ. ante session. 40. die 11. Septem. Anno 1417.

Quartò. Sessione vltima in Bulla Martini sacro approbante Concilio edita contra hæreses VVicleffi, & Hussij expressè dicitur: [Papam Canonicè electum supremam in Ecclesia Dei habere potestatem.] Atqui non haberet supremam, si potestati Concilij subiaceret; nemo enim dixerit, in Republica Romana, aut alia Democratica supremam potestatem esse penès Consulem, aut Ducem, sed penès Comitia Popularia.

Quintò. Eamdem Pontificis auctoritatem manifestè ostendit Constitutio Martini V. prohibentis libellum Ioannis à Falkenberg hæresis damnari (quem tamen totum Concilium damnauerat) & pronuntiantis, non posse à Pontifice ad Concilium appellari, supremumque in causis fidei tribunal esse penès Pontificem, non Concilium, idque audiente, nec contradicente Concilio de quo suprà.

Et hæc sunt, quæ circa quartam, & sessiones monenda censui, quæque apud doctissimum Schelstratum fusiùs deducta reperies; ego enim, vt candidè veritatem profitear, neminem credo magis de veritate in hac causa meritum esse; quippe nulla re magis, quàm auctoritate Concilij Constantiensis gloriabantur Gallici Antistites, & tamen hoc illis Palladium Schelstratus eripuit, quod nemo ante illum, vt acta Concilij Constantiensis magna ex parte, Basileensium artibus sepulta, in lucem erumperent, & veritati testimonium ferrent. Superest nunc, vt quæ istis Maimburgus obiecit, diluamus.

Re-

§. V.

Respondetur ad reliquas Maimburgi Obiectiones.

SVMMARIA.

1 *Respondetur ad ea, quæ Maimburgus Codicibus Manuscriptis opponit.*
2 *Et ad Gersonis Auctoritatem.*
3 *Et ad Concilij Pisani.*
4 *Et ad argumentum ex titulo Oecumenici Concilij sumptum.*

Maim. Trait tè histor. ch. 23. fol. 197. I. OPponit 1. Manuscriptos Codices, ex quibus multa hactenus testimonia deducta sunt; non posse actis Concilij Constantiensis iam editis, & ducentorum annorum possessione probatis, quidquam præiudicare; quidquid ergo ex illis productum est, infirmæ fidei, ac vacillantis esse.

Resp. Nihil apud eruditos est noui, si ex antiquis, ac indubitatis Manuscriptis multa suppleantur, aut suppressa, aut inobseruata, & typis omissa; hinc est, vt in omnibus Bibliothecis tanta sit cura, & pretium manuscriptis ac ineditis libris; & in Gallia præsertim, nihil ferè Erudicis solemnius, quàm vt huiusmodi documentis veritatem illustrent; hinc tot illa spicilegia, mantissæ, fragmenta, Obseruationes, ex quibus Sirmundus, Balluzius, Labbeus, Duchesne, Monachi S. Dionysij, alijque suos libros, nouasque Sanctorum Patrum, & Conciliorum editiones instruxerunt. Ipse Maimburgus huiusmodi antiquitates quoties ostentat? & præsertim libro secundo magni schismatis Occidentis, vbi cùm in fauorem Clementis VII. per 4. integra folia pretium cuiusdam manuscripti iactasset, suamque in eo consequendo felicitatem; non contentus eius manuscripti auctoritate Clementis electionem Vrbani præferre, ac insuper Monachum S. Dionysij, Iuuenalem de Vrsinis, ipsumque Spondanum præstantissimos scriptores erroris, ac negligentiæ damnasse, adiungit ista pompæ, ac magnificentiæ plena: [Se quidem eloquentia, stylique elegantia superari ab alijs potuisse, fidem verò, ac diligentiam quod attinet, nemini palmam concedere.] Si ergo Maimburgus tantum manuscriptis suis tribuit, vt eorum auctoritate, & Pontifici tiaram, & præclarissimis scriptoribus fidem adimat, se verò illis omnibus præponat; quid tandem offendere illum posset; si nos non vno tamen, sed pluribus, sibique planè conformibus manuscriptis nixi, nullo aut nostro lucro, aut aliorum damno, ea tantùm suppleamus, quæ Constantiensi Concilio desunt? aut qui Codices maiorem fidem merentur, quàm quibus stylus, character, antiquitas, ac locus ipse fidem conciliat? constat enim omnia Conciliorum acta Romam mitti solita, quod, vt alia omittam, de Nicæna prima, & octaua Synodis ex actis ipsorum Conciliorum, & Anastasio certum est. Et planè in nullo Concilio maior necessitas recurrendi ad Autographa Codicesque manuscriptos, vt in Constantiensi; hoc enim iussu Patrum Basileensium typis vulgari cœptum est; quippe cùm auctoritatem suam apud plerosque comtemptui esse viderent, vt eam casui vicinam fulcirent, ac Cathedram Petri, quam suis non poterant, alienis viribus concuterent; Synodi Constantiensis typis euulgandæ consilium cœpere. Delecti ad hoc opus Cardinales duo, totidemque Episcopi, & Doctores, & Archidiaconus Zagabriensis, qui Synodi Decreta ex actis Constantiensibus extraherent. Id ab illis perfectum Anno 1442. & Codex, quem conscripserant, bulla plumbea, filoque setico firmatus, & à Deputatis subscriptus. Ex hoc aliud exemplar Ioannes Hober ex Inderdorf manu propria descripsit, quod cum Originali conuenire testatus est Matthias Strinbach; & anno 1499. hoc ipsum exemplar typis mandatum est in Imperiali oppido Hagenow, & deinceps aliæ editiones, omnes, quæ cùm auctores habuerint ipsos Basileenses, Pontifici Romano hostes implacatos, pronum est videre, quanta necessitas fuerit manuscriptos Codices consulendi, credendique libenter ab ijs ea omnia omissa, quæ Pontifici fauere possent. Nec obstat, quod de longa possessione memorat Maimburgus; nullo enim tempore veritati præscribitur; alioquin Americam, Basiliamque negabimus repertas esse, quia olim inuisas, occultasque: quod si tempus nihil obfuit quærentibus terram, cur obsit quærentibus veritatem? & ideò eleganter Tertulianus lib. de præscriptionibus: [Sempiterna quædam res est veritas, cui nemo præscribere potest; non spatium temporum, non patrocinia Personarum, non priuilegia Nationum.] Et S. Augustinus in Psalm. 61. [Licèt veritas latere potuerit, vinci non potuit.

V. Acta Concil. Nicæn. lib. 3. & Turrian. proem. in Can. Syn. Nicæn. & Anast. præfat. ad 8. Synod.

II. Opponitur 2. Auctoritatem Ioannis Gersonis doctrina, & pietate celebris, qui in sermone coram Concilij Patribus habito secunda post Epiphaniam Dominica hæc habet: [Huic veritati (loquitur de Decretis quartæ, & quintæ Sessionum) fundatæ supra petram sacræ scripturæ quas qui à proposito detrahit; cadit in hæresim iam damnatam, quam nullus vnquam Theologus, maximè Parisiensis, & sanctus asseruit. Vidi nuper Sanctum Thomam, & Bonauenturam; hic reliquorum libros non habeo; dant supremam, & plenam summo Pontifici potestatem Ecclesiasticam: rectè procul dubio, sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos, & Ecclesias particulares. Dum etenim comparatio facienda fuisset ad auctoritatem Ecclesiæ Synodaliter congregatæ, subiecissent Papam, & vsum potestatis suæ eidem Ecclesiæ tanquam Matri suæ &c.] Constat ergo testimonio Ioannis Gersonis, Concilij mentem, & sententiam fuisse etiam legitimum, & indubitatum Pontificem (talis enim esse debet, cui singuli fideles, & particulares Ecclesiæ obedire tenentur) Concilio Oecumenico subiacere. Maim. Traitè hist. ch. 23. fol. 203.

Resp. Multa responderi possunt ad Gersonis auctoritatem; nam primò quæro ex Maimburgo, an Gersonem talem esse putet, cui fides necessariò adhiberi debeat? & an ipse paratus quoque sit eam fidem illi præstare, quam à nobis exigit? si negat, frustrà nobis eam auctoritatem obiectat, quam ipse

con-

contemnit, reijcitque. Si affirmat, ergo concedere debet, esse in Pontifice Romano indirectam in Reges, & Regna potestatem, posse etiam Principes Ecclesiasticos, & sæculares priuata auctoritate occidi; vtrumque enim Gersonius docuit, & tamen Maimburgus vtrumque negat, non ergo auctoritas Gersonis tanta est, quam recusare non liceat, etiam exemplo Maimburgi; & planè Gersonem nimio Zelo, quo sui temporis abusus, & flagitia persequebatur, extra iusti, rectique limites abreptum esse, ne illi quidem negant, qui eius patrocinium maximè susceperunt. Nihil ergo auctoritas Gersonis conuincit, præsertim tot alijs auctoritatibus oppressa.

Gerson. par. 4. ser. de pace & Vnit. Græcor. consid. 5 & part. 2. in Regul. Moral. de præcept. Decalogi, & opusc. contra adulat. consid. 7.

Secundò. Idem Gerson hæresis damnat contrarium opinantes; id verò manifestè falsum est etiam confessione aduersariorum: alioquin omnis Hispania, Italia, Polonia, Germania, ac tota ferè Europa hæresis damnanda; hæretici etiam tot illi sancti, & Doctores, & integra Regna, quæ Gregorio, & Benedicto adhærebant, quique Decreta illarum sessionum numquam pro legitimis agnouere. Qui ergo fidem habeamus erudito quidem, pioque Doctori, sed nimio, cæcoque impetu toties labenti?

Tertiò. Eiusdem farinæ est, quod subiungit idem Gerson, sententiam nostram, quæ Concilium Papæ submittit, [à nullo Theologorum, & sanctorum traditam esse]. An ergò in Obedientia Gregorij, & Benedicti, quæ magnam Christiani Orbis partem complectebatur, nulli sancti, & Theologi, qui vel hac ipsa ratione Constantiensis Concilij Decreta respuebant, quòd dicerent, nihil Concilijs in Pontifices licere? & tamen dubij illi erant, incertique, quid de indubijs, certisque Pontificibus dicerent? An verò in Nicæna, Ephesina, Chalcedonensi, Lateranensi, Lugdunensi Synodis, nulli sancti, nulli Theologi erant? & tamen isti omnes pro summis Pontificibus pronuntiarunt, vt alibi ostendimus. An verò Bonifacius, Gelasius, Symmachus, Nicolaus, Cyrillus, Damasus, Athanasius, Isidorus, Bernardus, alijque, qui Pontifices Concilio prætulere, sancti non erant?

V. Reg. Sacerd. à fol. 305. & fol. 392.

Quartò. Fatetur Gerson in allegatis verbis, à se in præsenti controuersia nullum alium Auctorem præter Thomam, & Bonauenturam lectum esse, defectu librorum, qui ad manus non erant; & verò nullum esse à Gersone lectum infallibili argumento est, quòd nullum neque ex Patribus, neque ex Concilijs testimonium citat; nec verò in re tam magni momenti, tamque à multis etiam in Concilio impugnata citare omisisset, si quis Gersoni faueret, quod etiam obseruabis circa quartæ, & quintæ Sessionum Decreta: quæ ergo maior negligentia fingi potuit, quàm in re tanta, interque summa Ecclesiæ capita vertente, ex solo impetu priuati affectus, nullo teste, nulla lege, nulloque antiquitatis, Patrumque examine festinare sententiam, & Pontificem ea ratione damnare, qua nec priuatum hominem licuisset? [Nullum, inquit, legi præter Bonauenturam, & Thomam; & tamen assero sententiam contrariam, quæ Pontifici fauet à nullo Theologo, nulloque sancto doceri, imò hæreticam esse]. Ignosce mihi Gerson, non sunt hæc verba Parisiensi toga, tantoque digna Doctore, humani aliquid, & passus, & quod ratio non debuit, impetus edixit. Si nullum præter Thomam, & Bonauenturam legisti, vnde ergo tibi constat, sententiam, quæ Pontificem Concilijs præfert, à nullo Theologo, nulloque sancto doceri? num ergo sciri potest, quid Theologi, quid Sancti doceant, si eorum libros non legeris? quo ergo fundamento asseris, quod ignoras? doces, quod non didicisti? si ergo legisses, quæ Gelasius scripserat, videlicet: [Sanctæ memoriæ Flauianum Pontificum Congregatione damnatum pari tenore, quoniam Sedes Apostolica non consensit, absoluit, ac pro veritate fidei, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit]. Et Nicolaus primus: [Non ergo dicatis, in caussa pietatis non eguisse vos Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, & sua moderatione custodit. Vnde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderũt &c.]. Et Bonifacius: [Numquam etenim licuit, de eo rursùs, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari]. Et Cœlestinum in Commonitorio, seu Instructione Legatis ad Concilium Ephesinum dato: [Instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquuntur, vt conuentui interesse debeatis. Si ad disceptationem ventum fuerit, vos de eorum sententijs iudicare debeatis, non subire examen &c.]. Hæc inquam, & alia multa, quæ alibi notauimus, si Gerson legisset, numquam vtique scriberet, sententiam, quæ Romanum Pontificem Concilijs præfert, à nullo Theologorum, & Sanctorum traditam esse.

S. Gelasius epist. 13. Nicolaus primus epist. 8. S. Cœlestin. in Commonitorio apud Balluzium ex Cod. Colbertino, & ex Cod. Romano apud Schelstr. in differt. Romana fol. 87

Quintò. Sed multò grauiùs hallucinatur Gerson, minorique venia, quando allegans sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ auctoritatem, dicit eos loqui [de Summo Pontifice cum Ecclesijs singulis, & particularibus, non verò cum omnibus Episcopis in Synodo congregatis]. Id verò tam apertè falsum est, vt oporteat, nec eos quidem à Gersone lectos esse; aut si legit, adeò fuisse auerso, occupatoque animo in tunc temporis Pontifices, vt ne ad ea quidem, quæ legebat, animum aduerteret. Audi vtrumque S. Doctorem. S. Thomas in 2. 2. q. 1. art. 10. in C. ita loquitur: [Ad illius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei; vt ea ab omnibus inconcussa fide teneantur: hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones deferuntur; & huius ratio est, quia vna fides debet esse vnius Ecclesiæ, quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest. Et ideò ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli, sicut, & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum &c.]. Et ad 2. [Vnde pertinet ad Summum Pontificem, cuius auctoritate Synodus congregatur, & eius sententia confirmatur]. Hìc clarum est, sanctum Doctorem loqui non de Ecclesijs particularibus, sed de tota, & Vniuersali Ecclesia, & etiam Vniuersalibus Synodis, tum quia expressè loquitur de Synodis, earumque Confirmationibus: tum etiam, quia loquitur de articulis Fidei, deque Sym-

 bolis

bolis Fidei, quæ vt patet, non tantùm ad singulas, & particulares Ecclesias, sed etiam, & ad Synodos Vniuersales pertinent: tum denique, quia dicit, [finalem determinationem fidei ad Romanum Pontificem, eumque solùm pertinere]; at vtrumque falsum est, si Concilium sit supra Pontificem; tunc enim finalis determinatio ad Concilium pertinebit. Clara est ergo sententia S.Thomæ. Idem q.10. de Potent. art. 4. ad 13. [Ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest (hoc est, interpretari Symbolum) cuius auctoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, quæ omnia patent ex Gestis Chalcedonensis Synodi]. Hic S. Thomas Summum Pontificem expressè cum Synodo œcumenica comparat, vt patet exemplo Synodi Chalcedonensis, quam allegat, & tamdem eumdem Pontificem Synodo maiorem facit, dum scribit: [Ad Pontificem appellari]. Et in opusculo 19. contra impugnantes Religionem: [Sancti Patres in Concilijs congregati, nihil statuere possunt, nisi auctoritate Summi Pontificis interueniente, sine qua nec Concilia celebrari possunt]. Si Concilia nihil statuere possunt sine auctoritate Summi Pontificis, ergo certum est, maiorem esse Summi Pontificis, quàm Conciliorum auctoritatem; maior enim potest statuere sine consensu minoris, Princeps videlicet sine consensu Senatus, Episcopus sine consensu Vicarij, aut Synodi Diœcesanæ. Ex quibus luce meridiana clarius est S.Thomam non solùm Ecclesijs particularibus, sed etiam Synodis Vniuersalibus Summi Pontificis auctoritatem præferre. Ex quibus placeat Lectori duo obseruare. Primum, quantum noceat cognoscendæ veritati, animum afferre alienis opinionibus iam semel imbutum, occupatumque. Nemo negauerit fuisse Gersonem selectæ doctrinæ, & pietatis, & tamen quia semel opinionem imbiberat Pontifici aduersam; idque vt persuasum omninò habeo, Zelo Ecclesiam adiuuandi ambitione trium Pontificum miserè collisam; adeò illius animum hæc tinctura corripuit; vt cùm Diuos Thomam, & Bonauenturam ante oculos haberet, legeretque, non tamen eos intellexerit, imò in sensus detorserit eorum menti adeò contrarios, vt nemo non errorem obseruet: ergo vt natura omni colore pupillam nudauit, quò omnes colores caperet; ita seponenda est omnis opinio veritatem captanti. Secundò. Nec minùs quoque obseruatione dignum est, quàm parua cura, studioque hæc quæstio in Synodo Constantiensi agitata fuerit; nec tam ad momenta veritatis, quàm ex animorum affectu, impulsuque decisa: si enim Gerson flos Gallicanæ Sapientiæ, & ex cuius ore Galli omnes pendebant, quique in Constantiensi Synodo omnem paginam implebat, si is, inquam, nullos alios præter Thomam, & Bonauenturam in hac quæstione legerat, & istos tam malè intellexit, vt nè quidem legisse videatur: quid rogo de alijs Patribus dices, minùs Gersone eruditis, minùs pijs, minùsque lectioni addictis? Vnde semper magis, magisque verum apparet, quod superiùs probauer am: videlicèt, Decreta quartæ, & quintæ sessionum sine examine, & deliberatione sufficienti, ac tantæ materiæ pari fuisse in Concilio vulgata. S. Bonauentura suam mentem his verbis expressit: [Summus verò Pontifex, penès quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei reseruatur arbitrio]. Si prima in terris auctoritas penès Summum Pontificem residet, ergo non penès Concilium: si à nullo hominum iudicari potest, sed solius Dei reseruatur arbitrio, ergo à Concilio non potest iudicari, multòque minùs deponi, alioquin non solius Dei arbitrio reseruaretur.

III. Opponit 3. Hanc quæstionem de superioritate Concilij in Concilio Pisano, vbi primùm agitata est, fuisse decisam, in Concilio verò Constantiensi adeò maturè, exactèq; discussam, vt nulla magis, quippè toto ferè Concilij tempore in Congressibus, ac Disputationibus in Concilio habitis tam ante, quàm post Gersonis Orationem, de nulla ferè alia re, quàm de ista sermonem inter Patres fuisse, ac tandem omnium Nationum consensu pro Concilio in quarta, & quinta sessionibus sententiam latam esse. Nam quòd aliqui Patrum ante Decreta, ac præsertìm Cardinales obluctati, ac protestati fuerint; nihil obstare valori Decretorum, quæ tandem omnium conspiratione acceptata sunt, Spiritu sancto opinionum pugnas pacante; alioquin nullas Pontificum electiones, nulla Concilia, ac præsertim Tridentinum sustineri posse, in quibus ante Decreta, communemque electionum tot contrarijs votis, atque sententijs certatum à Patribus est; quis nescit ex qualitatum pugna tandem corpora formari? sic veritatem ex pugna opinionum. Hæc Maimburgus. Maimb. cit. ch.23.f.216.

Resp. Supponit Maimburgus quæstionem, de qua agimus, fuisse in Pisana Synodo pro Concilio decisam, at contrarium iam suprà ostendimus; Concilium enim Pisanum, ac Bononiensis, & Parisiensis Vniuersitates sententiam suam expresè ad casum Schismatis, dubiosque tunc temporis Pontifices restrinxere, imò nec in eos, quamuis dubios pronunciare ausa sunt, nisi ob causam hæresis, & Schismatis, qua vterque Pontificum notabatur; nihil ergo in materia, de qua agimus, Pisanum Concilium decidit. Imò vt supra ostendi, potiùs à nobis Concilium facit. Multò minoris pretij sunt, quæ de Synodo Constantiensi dicuntur. In illa fuisse inter priuatos Cœtus, & tumultuariè, vt fieri solet in scholis Philosophicis, disputatum, verum est: sed fuisse maturam, & Synodalem discussionem, ac examen institutum, hoc est, dictis in publicis sessionibus sententijs, auditis pacatè singulorum rationibus, examinatis Patrum, ac Conciliorum in hac materia doctrinis, exemplisque, ac antiquæ Ecclesiæ traditione; hoc est, quod negamus in Synodo Constantiensi, ac quarta, & quinta sessionibus factum; quod apertè ex eo ostenditur, quòd in omnibus tam editis, quàm scriptis huius Concilij actis, nec vnica quidem ratio, aut Patrum auctoritas in medium producta fuerit, qua Concilij potestas supra Pontificem probaretur, multò minùs auditæ in contrarium rationes; quì potuit igitur Synodalis Deliberatio vocati, quæ nec in sessionibus

facta,

facta, nec vllis rationibus in medium pro vna, alteraue parte productis. Deliberare enim non est aliquid asserere, aut negare, sed rationes vtriusque partis expendere; idq; exemplis ostenditur Conciliorum, quæ ipse Maimburgus producit, Nicæni videlicet, & Tridentini. Quærebatur in Concilio Nicæno, an Filius Diuinæ, & æqualis naturæ cum Patre esset; hoc est, Deus, an Creatura? hoc Arius, illud Orthodoxi volebant; & planè res tam clarè in scripturis decisa fuerat, vt nullo examine, nullaque disceptatione opus videretur; & tamen non sufficit Patribus Nicænis in re tam clara, liquidaque id agere, quod Patribus Constantiensibus in re multò magis dubia, quæque maiori indagine opus habebat; non sufficit inquam, non partibus, non testibus auditis, non libratis causæ momentis Decretum effundere Constantiensi simile: sed per moras, lentèque, & omnium sententijs, ac etiam, quæ ab aduersarijs proponebantur, auditis, tandem pronuntiatum est. Videantur acta Concilij Nicæni, patebitque quantum Patres, vel vnius Philosophi quem Ariani conduxerant argumentis dissoluendis curæ impenderint, nec priùs cessauerint, adductis varijs è scriptura, rerumque natura argumentis, quàm planè conuicerint. In Nicæna secunda Synodo plus quàm ducenta Sanctorum Patrum testimonia producta, quibus colendas esse Imagines probatum est. In Ephesina Synodo nullum ferè allegandis, expendendisque Patrum testimonijs contra Nestorium finem inuenies. Idem in secunda Constantinopolitana, & in Florentina Synodis factum. Idem quoque in Tridentina, quam tamen pro se allegat Maimburgus. In ea enim non solùm capita fidei decernenda diligentissimè examinabantur; sed etiam in publicis sessionibus adeò patienter singulorum sententiæ, ac momenta rationum audita, vt subinde vnius ex Patribus voces ad duas, & suprà horas proferrentur; ipsæque etiam sessiones, & decreta non semel cum ingenti temporis, sumptuumque impendio, dilatæ sunt, ea tantùm ratione, vt Lutheranis ad Concilium vocatis suorum dogmatum argumenta proferre liceret. Nihil verò simile vt dixi in quarta, & quinta sessionibus factum, in quibus idem deliberandi, iudicandique momentum fuit. Verum quidem est, in omnibus Concilijs, antequam sententia à Patribus ferretur, pugnam aliquam, & discordiam opinionum, ac votorum fuisse (neque hoc in Constantiensi Concilio damnamus) at semel sententijs dictis, decretisque ex plurium votis in Concilio sancitis omnes tamdem acquiescebant, transibantque in plurium sententiam; quòd videlicet scirent hanc Concilijs Oecumenicis deberi reuerentiam; & qui huiusmodi decretis repugnarent, pro hæreticis habebantur. Aliter se res habuit in decretis quartæ, & quintæ sessionum, illis enim non à paucis tantùm hominum, sed ab integris Regnis: nec solùm antequam decreta sancirentur, sed etiam posteàquam sancita sunt, vehementer repugnatum est, nec propterea pro hæreticis habiti, vt suprà ostensum; id verò manifestum signum est, non fuisse Concilium eo tempore, quo huiusmodi decreta confecta sunt, pro Oecumenico habitum.

IV. Opponit 4. Vt Concilium aliquod dicatur Oecumenicum, non requiritur omnes Episcopos ei interesse; sufficit omnes inuitari, omnibusque patere; alioquin nullum ferè Concilium Oecumenicum fuerit, ac præsertim Tridentinum, cui nulli ex Anglia, Scotia, Dania, Noruvegia, Suecia, Ægypto, Græcia, alijsque Prouincijs interfuere, quæ Romanum Pontificem haud agnoscunt; pari ergo ratione nihil obsuit Constantiensi Concilio eorum Antistitum absentia, qui Gregorio, & Benedicto addicti, Ioannem verum Pontificem respuebant; alioquin si istorum defectu Synodus Constantiensis Oecumenica non fuit, non ergo errores Hussij, & Vvicleffi pro hæreticis, damnatisque habendi sunt, quippe trium Obedientiarum Vnione necdum secuta, & incerto adhuc Pontifice. Sequetur etiam inualidam fuisse Ioannis depositionem, electionem Martini, ac omnium, qui Martino successere; id quod Cardinalis Iulianus, cùm Eugenij nomine Basileensi Concilio præsideret, eleganter notauit literis ad Eugenium datis. Quòd si dicas Ioannem Depositioni consensisse; facilè respondebo eum consensum fuisse grauissimo metu extortum, perpetui videlicet carceris, quem Ioanni nullibi locorum tuto Martinus iam parauerat, quemque ille Martini pedibus affusus Florentiæ deprecatus est, idque Aretinus rerum Italicarum scriptor expresè testatur: quæ potuit igitur depositio valida dici, quam & iniusta, ac vsurpata potestas, & metus tam grauis extorsit? Multò minùs Bellarmini responsio sustineri potest asserentis: [Non posse quidem Concilium sine Papa noua fidei dogmata definire, posse tamen tempore Schismatis iudicare, quis verus sit Papa.] Primò enim quis nescit in primo Constantinopolitano Concilio sancitam, ac inter fidei dogmata contra hæresim Macedonianam relatam esse Spiritus Sancti Diuinitatem, cui tamen Concilio, nec immediatè Damasus, nec per Legatos præsedit? Sic etiam contra trium Capitulorum hæresim à quinta Synodo pronuntiatum est, non tantùm Vigilio non consentiente, sed etiam repugnante. Secundò numquàm in Concilio Constantiensi dubitatum est Ioannem esse verum, legitimumque Pontificem, non ergo dici potuit sententiam à Patribus non incertum, ac indubium Pontificem, sed in dubium, & de quo non constabat, prolatam esse. Ac denique si quo tempore Synodus Constantiensis Ioannem deposuit, Vniuersalis, & Oecumenica dici non poterat, qua ergo potestate sententiam in eum dixit, cùm omnium consensu id solùm Oecumenico, non particulari Concilio liceat?

Maimburg. citat. ch. 22. fol. 220.

Leonard. Aretin. in hist. rerum Ital.

Resp. Primò. Verum est, ad Oecumenicum Concilium non requiri, vt omnes Episcopi Concilio intersint; neque ex hoc capite quartæ, quintæque sessionum Decreta reijcimus, sed ex illo, quòd vt suprà vidimus, ac teste Cardinali Alliacensi, prima, & præcipua Senatus Ecclesiastici pars, Cardinales videlicet, aut exclusi fuerint, aut quod idem erat, capita rerum agendarum adeo occultata, vt deliberare illis non liceret. Deinde, quòd illi, qui Concilio non adfuerant, non solùm non hæretici, aut miseræ Christianitatis re-

liquiæ essent (vt quinque Regnorum populos Maimburgus pro solita modestia appellat) sed & catholici, & maximo numero, ac sapientia, immò sanctitate celebres; & tamen Concilium pro Oecumenico non haberent, nec eius decretis alligari se crederent, adeò vt Hispanica Natio alijs Nationibus, ac Cardinalium Collegio approbantibus, protestata sit, se Decretis Concilij, quæ ante Vnionem Obedientiarum facta erant, non alligari; idque vt dixi non solùm tres aliæ Nationes non improbarunt, verùm etiam positiuè acceptarunt, suæque protestationi inseruerunt, quam ex Gestis Concilij fideliter conscriptis, & in quatuor Manuscriptis repertam Schelstratus verbatim recitauit, nosque suprà libauimus. Ipsum quoque Concilium Gregorio, & Benedicto, seu potiùs Benedicti obedientia petentibus, titulo Oecumenici abstinuit, permisitque Concilium iterum indici, perinde, ac si ante Vnionem non legitimè indictum, nec Oecumenicum fuerit, ex quibus omnibus, multisque alijs, & non ex sola Episcoporum absentia, collegimus, tempore quartæ, & quintæ sessionum Concilium Constantiense Oecumenicum dici non potuisse, quæ vti patet, de alijs Concilijs dici non possunt.

Schelstr. in dissert. Antuerp. fol. 6. & in Rom. fol. 255.

Secundò. Errores Hussij & Vvicleffi, quod attinet, verum est, illos ante trium obedientiarum vnionem damnatos hæresis esse; at non sequitur ideò pro hæreticis non esse habendos; quamuis enim Concilium tunc Oecumenicum non fuerit, at posteà iam vnione composita, Oecumenicum euasit, & Martinus V. sessione quadragesima quinta in Bulla confirmatoria Concilij omnes Vvicleffi, & Hussij errores singillatim recensens, eos sacro approbante Concilio condemnat, ac hæresis notat, adiungitque, [se omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materijs fidei per Concilium Constantiense conciliariter tenere velle, ipsaque sic conciliariter facta approbare, & ratificare.] Nihil ergo timendum, ne errores Vvicleffi impunè abeant, quippe à Concilio, cùm iam Oecumenicum esset, & capiti vnitum, damnati; ac etiam ab ipso Martino Summo Pontifice, cuius vel sola auctoritas, etiam remoto Concilio rebus fidei decidendis sufficiens omninò est, vt suprà ostensum.

Tertiò. Depositionem Ioannis quod attinet, ea valida fuit; tum, quia non constabat esse verum, & indubitatum Pontificem, duobus alijs eamdem dignitatem magno rationum, ac Clientum numero sibi vendicantibus: tum etiam, quia Ioannes consensit spontè, liberèque; sciendum enim est, Ioannem ter in sententiam Depositionis consensisse, videlicet die 24. Maij Anno 1415. in Oppido Cellę, quando videlicet liberè, omnique metu solutus Papatui renuntiauit, rogatusque totius Concilij nomine à quatuor Cardinalibus, de Vrsinis, Cameracensi, de Thallauco, Salluciarum, & Florentino sententiæ acquieuit propediem ferendæ. Verba Ioannis sunt. [Ego Ioannes Papa XXIII. prædicta de mandato meo per alium scripta approbo, confirmo, ac spontè & liberè volo adimplere cum effectu.] Rursus die 29. Maij sess. 12. Lata est in Ioannem sententia, [qui acquieuit, atque ex abundanti renuntiauit.] Ita habent Gesta Constantiensis Concilij in quatuor manuscriptis, & acta eiusdem Concilij à quatuor Protonotarijs conscripta, ac etiam edita. Ac tandem cùm metu perpetui carceris à Martino parati in Ligures aufugisset, liber, nulloque metu impulsus iterùm renuntiauit, si Aretino credendum est, quem Maimburgus citat quidem, sed mala fide, ijs videlicet silentio prætetitis, quæ nocere poterant malæ causæ. Sic enim Aretinus: [Dum apud Ligures esset & sui iuris, siue conscientia ductus, siue quod desperabat aliquid proficere posse, sponte sua Florentiam venit, & sese pedibus Martini subijciens, eum, vt Pontificem verum, & vnicum recognouit.] Idemque Aretinus Martinum alloquens: [Ioannes Pontifex, de cuius depositione propter vim adhibitam multi dubitabant, securitate, atque fiducia huius loci Florentiam venit, tibique se sponte sua subiecit, quo facto omnis est penitùs scrupulus, ambiguitasque sublata, neque de vi vlla adhibita sollicitus esse quisquam potest, cùm ipsius voluntaria in loco sibi tutissimo sit conspecta subiectio.] Audis Aretinum non semel tantùm, sed sæpè confitentem, Ioannem [sponte sua, cùm esset sui iuris, securitate atque fiducia Vrbis Florentinæ, nulla vi adhibita, sed in loco tutissimo voluntaria subiectione Papatu cessisse.] Quæ omnia efficaciter ostendunt, Ioannis cessionem liberam, nulloque metu expressam fuisse; sed demus metum, quid inde sequitur? Inualidam fuisse Ioannis cessionem? nullo pacto: Ioannes enim tam ante, quàm post Pontificatum sæpiùs promiserat, imò iuramento se obstrinxerat, boni publici, Schismatisque finiendi causa Papatu abire, idque præstare tenebatur: metus ergò ei incussus, vt se iuramento, promissisque absolueret, iustus erat; at iusto metu peracta omni iure subsistunt, quod legibus sæpè definitum est, & à Doctoribus communiter receptum: tantòque magis, quia Ioannes dubius erat, non certus, & indubitatus Pontifex: hic verò Concilio subiacet tanquam legitimo Magistratui, de quo in Iure Cæsareo l. 3. §. sed vim ff. quod metus causa, ita legimus: [Vim accipimus atrocem, & eam, quæ aduersùs bonos mores fiat; non eam, quam Magistratus intulit, scilicet iure licito, & iure honoris, quem sustinet.] Nihil ergo probant, quæ de metu Maimburgus memorat.

Leonard. Aretin. in hist. sui temp.

Quartò. Contendit Maimburgus, posse res fidei à Concilio sine consensu Pontificis definiri, sed nihil magis à vero, doctrinaque Patrum alienum dici potest; id alibi demonstrauimus, estque expressa Nicolai I. sententia: [Non, inquit, dicatis in causa pietatis non eguisse vos Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, & sua moderatione custodit. Vnde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.] Taceo multa alia, quæ alibi reperies: nec obstant, quæ de Concilijs primo, & quinto Constantinopolitano Maimburgus opponit: nam primum quod attinet, certum est auctoritate Damasi Pontificis conuocatum, & ab eodem confirmatum esse, id enim ex gestis Damasi, eiusdemque epistola apud Theodore-

Nicolaus I. epist. 8.

V. Regal. Sacerd. lib. 2.

doretum, & libello Photij, ac etiam Diui Gregorij auctoritate clarius est, quàm vt negari possit; quamuis nec alia confirmatione opus fuerat, cùm idem Damasus Papa iudicium Synodi Constantinopolitanæ præueniens, Sabellij, Macedonij, & Eunomij opiniones prædamnauerit, dirasque, & anathemata in eorum hæreses dixerit, vt habetur tomo primo Conciliorum ante Synodum Constantinopolitanam: quid ergo confirmaret iam olim confirmatam, imò Concilio præscripta? falsum igitur est, quod Maimburgus pro certo supponit, videlicet, Concilium Constantinopolitanum sine Pontificis Romani consensu dogmata fidei sanxisse. Sed illud æquè falsum, videlicet: [Hæreses trium capitulorum non solùm non assentiente, sed etiam inuito Vigilio Pontifice à Synodo Constantinopolitana confixas esse.] At certum est, quæstionem de tribus capitulis citra fidem stetisse, nec eos, qui aut negabant, aut asserebant, hæresis notatos esse; id in historia Ecclesiastica tam certum est, vt persuaderi non possim ignorasse Maimburgum; quì enim tam communia & vulgata ignoraret, qui etiam arcana ostentat, alijsque inaccessa? Ergo vt dixit causa trium capitulorum testibus Greg. & Pelagio Pontificibus, imò toto ferè Occidente nihil ad fidem spectabat, quod alibi fusè ostensum. Errores enim Theodori, Theodoreti, Ibæque omnes Catholici detestabantur: is de personis erat, an videlicet pro hæreticis, damnatisque habendi essent, quos Synodus Chalcedonensis absoluerat, vt enim non continuò est pictor, qui pingit; cùm sæpè casu, & ignorantia artis id fiat, vt in annulo Pyrrhi: ita non continuò hæreticus, qui hæresim docuit. Audi S. Gregorium: [De illa, inquit, Synodo, non quæ Constantinopoli facta est, scire vos volo, quia in ea de personis tantummodò, non autem de fide aliquid gestum est.] Et alibi de ijsdem tribus capitulis loquens: [Postquam talis scissura pro nulla re facta est, iustum fuit, vt Sedes Apostolica gerat. Et Pelagius II. vocat quæstionem superfluam.] Certum ergò est, quæstionem trium capitulorum intra metas fidei stetisse, totumque ferè Occidentem, qui eorum damnationi subscribere renuerat, nunquam pro hæretico habitum esse. Vbi simul obserues, quibus modis, quàmque ab honesto alienis fulcire suam causam Maimburgus conetur. Probandum susceperat, posse sine consensu Pontificis res fidei à Concilio definiri: id verò vt persuaderet, exemplis opus erat: sed vera haud suppetebant, quid ergo consilij? falsa subornantur; Damasus, Vigilius producuntur; falso quidem vterque iudicio, sed tamen fallendis Lectoribus opportuno; quotus enim quisque aut tempore, aut libris abundat quærendæ, ac euoluendæ veritati?

Gesta Damasi apud Baronius ad anno 381. Theodoret. lib. 2. c. 22. Photius in libello de 7. Synodus S. Gregor. l. 6. epist. 125.

S. Gregor. lib 3 ep. 37. & lib. 3. ep. 2. & Pelag. II. ep. 2. ad Eliam.

§. VI.

Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij, & Vniuersitatis Parisiensis.

SVMMARIA.

1 *Respondetur ad auctoritatem Basileensis Concilij.*
2 *Frustra Ecclesiæ Galicanæ auctoritatem in auxilium vocari, imò eam pro Pontifice stetisse multis exemplis ostenditur, ac etiam confessione ipsius Maimburgi.*
3 *An ex eo, quòd totum sit maius sua parte, concludatur, Concilium esse supra Papam? vbi cauillationes Maimburgi refutantur.*
4 *Insignis Maimburgi fallacia in citando Pij Secundi testimonio.*

I. Opponit Maimburgus 12. Auctoritatem Concilij Basileensis: hoc enim sessione 2. definit, Concilium esse supra Pontificem; nec posse, nisi Patres consentiant, Concilium à Summo Pontifice aliò transferri, aut dissolui. Et sess. 3. monitorium contra Eugenium IV. expedit, pœnasque non obtemperanti decernit. Et sess. 4. prohibet, ne durante Concilio Pontifex ad promotionem nouorum Cardinalium procedat. Et sess. 7. non posse Papam de Beneficijs Cardinalium à Concilio punitorum disponere. Et sess. 8. Eugenium auctoritatiuè, & sub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. Et sess. 9. rescindit omnia acta, & processus ab Eugenio Summo Pontifice contra Vvilhelmum Concilij protectorem factos. Et sess. 12. acriter in Eugenium Summum Pontificem declamat, definitque, & olim in Romanos Pontifices à Concilijs animaduersum esse, & deinceps animaduerti posse. Et sess. 14. Conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehensæ à Concilio præscribuntur, in quas nisi consentiat, Papatu exuitur. Et sess. 16. Eugenius Papa, vt ibi habetur: [citationi, monitioni, & requisitioni sacri Concilij plenariè satisfacit:] Bullas, & diplomata contra Concilium à se edita, nulla, & inania fuisse declarat: ipsum verò Concilium fuisse legitimè inchoatum, legitimèque continuatum; quo videtur Eugenius omnia in superioribus sessionibus facta, & consequenter citationes, & sententias contra se dictas confirmasse, & Concilij auctoritatem supra legitimum Papam agnouisse. Et sess. 17. admittit, vt præsideant, Legatos Papæ, sed cum certis conditionibus, quarum præcipua, ne vllam in Concilium exerceant iurisdictionem coactiuam. Et sess. 18. expressè definit, maiorem esse Concilij, quàm Papæ auctoritatem, & hunc nisi obediat, posse à Concilio puniri. Et sess. 21. tollit Concilium omnes Annatas, & qui eas exegerit, pœna Simoniacis decreta punit: ipsum verò Summum Pontificem, si aliquid contra hoc decretum moliatur, iubet Concilio deferri. Et sess. 26. iterum definit

Maimburg. cap. 21. fol. 191.

nit Papam notoriè criminosum iurisdictioni Concilij subiacere, ipsumque Eugenium Papam in ius vocat. Et sess. 29. circa medium, clarissimè iterum auctoritas Concilij supra Papam asseritur. Et sess. 31. Eugenium suspendit. Et sess. 33. etiam deponit. Et sess. 38. Concilium generale supra Papam esse definit, idque ad veritatem fidei catholicæ pertinere, & qui hoc pertinaciter negat, hæreticum esse. Et sess. 39. Amadæum Sabaudiæ Ducem, sub nomine Fœlicis V. Papam renunciat.

In appendice ad sess. 17. quæ habetur post acta Concilij, Legati Eugenij IV. Romani Pontificis, [iurant fideliter laborare pro statu, & honore Concilij Basileensis, eiusque decreta defendere, & manutenere, & specialiter decretum Concilij Constantiensis de subiectione Pontificis. Et aliud Synodi Basileensis decretum, quòd Papa Concilio vniuersali obedire teneatur. Idem habet Platina in vita Eugenij IV.

Ex his Concilij Basileensis actis sic argumentari licet: Quidquid à legitimo Concilio definitum est, & à legitimo Pontifice confirmatum, id pro vero, ratoque haberi debet: sed Concilio Pontificem subiacere, & à Concilio citari, iudicari, punireque posse; & ipsa Synodus Basileensis definiuit, & Eugenius Papa confirmauit tanquam ritè, legitimèque facta.

Resp. Multa sunt, quæ ad Basileensis Concilij auctoritatem dici possunt. Primò ergo aliqua in genere, tum ad singula respondebimus. Concilium Basileense ab Eugenio IV. conuocatum, misso Iuliano Cardinali, sicque legitimè inchoatum esse, dubitari non potest; ita enim habetur in actis Concilij sessione prima. Sed cùm aduerteret Eugenius, Basileam ciuitatem opportunam non esse, solui Concilium iubet, aliò transferendum. Hinc primæ faces discordiarum. Sed Eugenium hæ causæ mouerant. Quòd paucissimi Antistites Basileam accedere possent, ardente inter Austriæ, ac Burgundiæ Duces bello, Bohemis hæreticis omnes circa Regiones incursantibus, & ideò itineribus omnibus infestis, occupatisque. Quòd Græcorum Imperator, alijque eius Imperij Principes, societatem cum Latina Ecclesia inituri, Vrbem in Italia peterent, tam longo itineri commodam, marique vicinam, & ideò Basileam auersarentur. Quòd ingentis momenti negotia in Concilio agitanda Pontificis præsentiam poscerent; Is verò & decoris, & necessitatis causa, exire Italia non poterat, bellis, & tumultibus absentiam secuturis. Hæ Pontifici causæ soluendi Basileensis Concilij, aliòque mouendi. Hinc Patrum indignatio, tum seditio, & aperta defectio, ac perpetuum bellum, non cum Pontifice tantùm, sed cum ipsa Pontificia dignitate. Varia Patres concitabant. Quàmplurium ambitio tiaram captantium: Columnenses Eugenio implacati, quòd eorum auaritiæ obstitisset, cùm thesauris inhiassent à Martino relictis: Dominicus Capranica, alijque, quòd Purpura carerent à Martino parata: Philippus Dux Mediolanensis, perpetuus Eugenio hostis, quòd huius cura Italiæ Imperio arceretur: Cardinalis S. Eustachij à Patribus Auenionensi, & Venusino Comitatibus cōtra ius, fasque præfectus, ideòque turbarum, bellique gaudens, ac turbido securus: Alphonsus Arragoniæ Rex, à Neapolitanis ad solium euocatus, quod extincta Andegauensi Stirpe Ecclesiæ accesserat: Carolus VII. Galliarum Rex impulsu Alphonsi Arragonij, ac opportunitate Regiam potestatem augendi, Ecclesiastica oppressa Basileensium fauore; quod etiam consecutus est celebri illa Pragmatica sanctione, toties impugnata, toties victrice, ac tandem deleta. Hæc erant, quæ Basileensium animos aduersùs Pontificem armabant, implebantque Concilium discordijs, seditionibus, tumultu, ambitione; adeò vt non tam Synodum, quàm Euripum crederes, ventis, ac tempestatibus turbidum: & in quo vota & suffragia non veritati, sed singulorum affectui, & cupiditatibus quærebantur. Quæso te, quam fidem adhibeas tam suspectæ auctoritati, quæque ex Principum, & ambientium motu, nutuque pendebat, aut vindicta, aut cupiditate sententiam ferente? Nego ergo hanc Synodum, sed Synagogam fuisse pro tiara iurgantium: & in qua non Patres, sed Principes decernebant, nec fidei causa, sed ambitionis agebatur. Et quamuis hæc manifesta sint, nec ab alio negari possint, quàm historiæ ignaro; addam tamen confirmandæ veritati eorum testimonia, qui Concilio intererant, scribebantque, integritate ac doctrina celebres, omnique maiores exceptione.

S. Antoninus Concilium Basileense, postquam ab Eugenio Pontifice iussum dissolui, vocat: Conciliabulum viribus cassum, Synagogam Sathanæ, temerarium; & præsumptuosum Conuentum, &c.] B. Ioannes Capistranus; [synodum profanam, excommunicatam, interdictam, basiliscorum speluncam, Dæmonum cauernam, &c.] Ioannes de Turrecremata: [Nullus sanè mentis vir, qui nouit, cum quanta grauitate, integritate, & modestia, fidei iudicia tractanda sint, iudicabit esse vniuersali consensu totius Ecclesiæ conclusa, Spirituque sancto, dictata, in quibus huiusmodi factiones, & practica interuenerunt. Pius II. in Bulla retractationis: multi doctissimi viri, & sanctitate celebres scire se dicebant, Basileenses Spiritum Sanctum non habere Auctorem.] Beatus Albergatus teste Sigonio: [Cùm audisset, quæ in contemptum Apostolicæ Sedis Basileenses decreuissent, vir antiquæ probitatis exarsit, atque grauiter eorum facta increpuit & vt in auctoritate Summi Pontificis permanerent, admonuit.] Idem suprà laudatus Turrecremata; [Talia decreta Concilij Basileensis (videlicet contra Pontificiam auctoritatem) ad furorem quorumdam hostium Apostolicæ Sedis cum multitudine Populi parui pretij, & nullius auctoritatis publicata sunt; & ideò plures attendentes, prædicta Decreta aduersa esse Sanctorum Patrum doctrinis, non modò in deputationibus suis contradixerunt, & reclamauerunt, verùm etiam in sessionibus ipsius Concilij interesse noluerunt.] Episcopus Meldensis Caroli septimi ad Eugenium Legatus, Regis sui Gallorumque nomine Basileensem synodum vesanam appellat, oratione in Cardinalium Collegio habita. Synodus quoque Florentina

S. Antonin. 3. p. Tr. 22. cap. 10. §. 4.

B. Ioan. Capistran. de Papæ, & Con. auctor. par. 3.

Carol. Sigon. in vita cap. 13.

Turrecrem. summa de Eccl. lib. 2. cap. 100.

V. Rainald. ad an. 1441. num. 10.

Conc. Flor. in sess. publica anno 1439. prid. Non. sept.

na Declarationes Basileenses tanquam impias, scandalosas, in manifestam Ecclesiæ scissuram, ac omnis Ecclesiastici Ordinis confusionem tendentes damnat, reprobatque. Denique Concilium Lateranense (cui Ludouicus Galliæ Rex tanquam legitimo, & Oecumenico per suos Legatos se adhærere professus est) sessione vndecima appellat Basileensem synodum; [Conciliabulum Schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.] Si ergo, vt ex adductis hactenus testimonijs liquet, Concilium Basileense [Schismaticum, Sathanicum, temerarium, præsumptuosum, Dæmoniacum, serpentinum, factiosum, vesanum, viribus cassum, Spiritu sancto destitutum, furiosum, sanctorum Patrum doctrinæ, & exemplis aduersum, scandalosum, reprobatum, damnatumque fuit;] amabò te, ex tali Concilio quale subsidium speres? annon pudeat tam sordidi, fædique patrocinij? Ego fidem adhibeam, ego moueri tam indignis testimonijs? Immò si alia omnia cessent, hoc vnum suffecerit spernendæ Aduersariorum sententiæ, quòd tam miseris, pudendisque auxilijs sustentetur; impiam prodit tam profanus comitatus.

Dices. Synodum Basileensem tunc solùm damnatam esse, cùm Eugenium deposuit Amadæo suffecto; tunc enim Schismatica euasit.

Resp. Constat ex allatis testimonijs, Basileensem Synodum non solùm ob euectum Antipapam, sed etiam quòd Eugenio obtemperare nollet, illumque Concilio submittere conaretur, grauiter à Viris doctrina, & pietate præcipuis vapulasse, & execrationi habitam. Si enim Concilium est supra Papam, si hunc citare, punire, ac obsequium detrectantem in ordine redigere potest; quid tamdem Synodus deliquit, si Eugenio, cùm Concilio non pareret, alium Pontificem suffecit? Vsa est potestate, ac iure suo; non ergo [Schismatica, non Satanica, non vesana] dici debuit: aut si debuit, non tunc solùm, cùm Eugenium deiecit; sed multò maximè cùm citauit, cùm decreuit, cùm Concilio subiecit; ex his enim necessariò sequebatur, deponi etiam posse, nam ad superiorem id spectat. Nec causa deponendi deerat; si enim Pontifex Concilio subiectus, ergo non soluere Concilium, non transferre, non Patres anathemate punire, non aliud Concilium indicere poterat; quæ tamen cùm omnia faceret, nec Decretis Basileensium toties repetitis acquiesceret, meritò pœnas dabat. Si ergo Eugenius Concilio subiectus, si nocens, si obstinatus, quid mali Concilium fecit? si subiectum, & nocentem damnauit, aliumque Pontificem delegit? Ergo Basileense Concilium, aut semper, aut nunquam deliquit.

Secundò. Tantum abest, Concilij Basileensis auctoritate causam nostram peiorem reddi, ut potiùs maximum pro nobis ex illa argumentum sumatur. Tum, quia illius Decretis, qua parte auctoritatem Pontificiam impugnabant, omnes Viri sancti, doctrinaque præcipui aduersati sunt, videlicet, S. Antoninus, S. Bernardinus, S. Laurentius Iustinianus, B. Albergatus, B. Capistranus, alijque, adeò, vt ne quidem Sessionibus interesse voluerint, in quibus ea Decreta concepta, & vulgata sunt, vt testatur Turrecremata paulò antè laudatus. Concilium quoque Florentinum centum quadraginta Episcoporum (inter quos Patriarcha Constantinopolitanus, ac ceterorum trium Patriarcharum Legati) & Concilium Lateranense centum quatuordecim Episcoporum, eadem Decreta execrati sunt. Ipsos Patres Basileenses adeò huius Concilij puduit, vt confertim se Eugenio adiunxerint, abscederentque Basilea, vix viginti, vnoque Cardinali relictis; & hi, vt numerum supplerent, cadauera Episcoporum, qui iam vita decesserant, inferri Synodo iussere, ut à mortuis saltem suffragia impetrarent, cum à viuis non possent. Denique tota Ecclesia, Orbisque Christianus, & Decreta, & audaciam Basileensium damnauit, quando illis inuitis Eugenium pro Pontifice habuit; quamuis enim Basileense Concilium Eugenium accusasset, citasset, damnasset, abdicassetque, Ecclesia tamen, ac omnes Catholici damnatum à Concilio, abdicatumque pro vero, legitimoque coluit. Agnouit ergo Ecclesia tota, & errasse Basileense Concilium, & nullam in Pōtifices exercere auctoritatem posse si enim Concilium Basileense non errauit, habuitque in Pontificem potestatem, cur ergo Ecclesia, quem Concilium damnauit, que m Concilium abdicauit, pro damnato, abdicatoque non habuit? Adde Concilium Basileense, postquam aduersari cœpit Romano Pontifici, adeò discordijs, factionibus, rapinis, aliisque facinoribus fædari cœpit, sacro Conuentu indignis, vt omnium confessione in Schismaticum euaserit, illique exscindendo, velut communi mortalium malo, Principes ferro, cœlum peste, armari oportuerit, qua tamdem illa rebellium acies dissipata est. Quo exemplo manifestè patuit, eamdem esse Politici, ac naturalis Corporis rationem; vtrumque enim quamuis floridum aliàs, vegetumque amisso Capite in cadauer euadit.

Dices. Basileense Concilium, quo tempore Eugenium damnauit, non fuisse legitimum.

Resp. Quæro, quam ob causam legitimum non fuerit, nisi quia ab Eugenio solutum, & Patribus maiori ex parte ad Pontificem reuersis? Ergo Concilium Pontifici subiacet; alioqnin inuitum, repugnansque dimitti à Pontifice non posset: ergo censuerunt Patres, maiorem esse Pontifici, quàm Concilio potestatem; alioquin Concilio potiùs obtemperare, quàm Pontifici debebant: & illi potiùs, quàm huic adhærere; nunc verò, postquam Concilium deserunt, vt Pontifici se adiungant, idque tota Ecclesia probante, manifestè profitentur maiorem esse Pontificis, quàm Concilij potestatem. Quacumque ergo ex parte Basileense Concilium aspicias, constat insigne ex illo causæ nostræ patrocinium, inuictumque accedere; numquam enim illud Sanctissimi Viri (quotquot videlicet ea ætate florebant, scribebantque) nunquam Florentinum, & Lateranense Concilium, imò totius Ecclesiæ consensus damnasset, quando contra tot, ac singulis ferè sessionibus pronuntiata Decreta, Eugenium pro legitimo Pontifice habuit, & huius imperium Basileensium Decretis semper prætulit. Nobis ergo militat, non Aduersarijs Basileense Concilium.

Ter-

Leo I. epist. 53. ad Pulc. Gregor. M. l. 6. epist. 31. rc. Paschal. II. epist. 3. ad Eliam, quæ habetur Tomo 2. Conc. p. 2. in frag Synodi V.

Tertiò. Sessionem secundam Basileensem quod attinet, in qua decernitur: [Certum, legitimumque Pontificem Concilio subiacere.] Dico multis modis impugnari eam posse; constat enim, quo tempore habita est, Synodum Basileensem iam ab Eugenio solutam, reuocatamque fuisse. Si ergo Synodus à Pontifice non confirmata nullius roboris est, quantò magis nullius roboris erit, non tantùm non confirmata, sed positiuè reiecta, rescissa, & improbata? Deinde ex supradictis, Sanctorumque Patrum testimonijs, quæ alibi produximus certum est, non posse à Concilio definiri, nisi illa, ad quæ definienda conuocatum est; & ideò Leo Primus, Gregorius Magnus, Paschalis II. quæ in Concilijs Oecumenicis, Constantinopolitano primo, & Chalcedonensi contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini decreta fuerunt, irrita & inania esse voluerunt, vt alibi demonstratum est. Si ergo Sancti Patres ne quidem tantorum Conciliorum auctoritate, qualia Constantinopolitanum, & Chalcedonense, moueri potuerunt, vt admitterent, quæ contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini decreta fuerant; quantò minùs admisissent, quæ Concilium Basileense contra Romani Pontificis? An peior causa, minorque reuerentia Pontifici maximo, quàm Alexandrino Patriarchæ? aut maior Basileensi Concilio, quam Constantinopolitano, & Chalcedonensi auctoritas, vt quod ista in Patriarcham non poterant, istud posset in Romanum Pontificem? Nihil ergo ex Decretis secundæ Synodi Basileensis contra superioritatem Pontificis Romani deduci potest: idemque dicas ad alias sessiones, in quibus multa Pontificiæ potestati contraria statuta sunt.

Quartò. Ad sessionem 16. in qua Eugenius Bullas, & diplomata à se contra Concilium edita, [nulla, & inania fuisse declarat: ipsum verò Concilium fuisse legitimè inchoatum, legitimèque continuatum]; multa responderi possunt. Cardinalis enim Turrecremata omnium conscius, testisque oculatus negat eas Bullas Eugenij, sed à Cardinalibus quibusdam expeditas, Pontifice decumbente, ærumnis, morboque confecto: [Andreas, inquit, Venetus, Dominij Venetorum tunc Orator, & aliqui Domini Cardinales, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt Domino Eugenio, nisi Bullas illas adhæsionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent; vnde præfato Domino in lecto decumbente, præfati Domini referuntur Bullas illas taliter qualiter expediuisse, & misisse Basileam.] Neque hoc nouum in Eugenio, cuius testimonio constat, prolixiores illas litteras, quæ in ipsius defensionem ad Vniuersos Christi fideles inscriptæ sunt, quæque sessione 16. recitantur, subornatas esse. Deinde certum est, quæ Eugenius in fauorem Basileensium scripsit, omnium grauissimo metu, qui in hominem cadere possit, etiam constantissimum, expressa fuisse. Armis domi forisque obsidebatur: Principes omnes abeo defecerant: Sigismundus tantùm animi pendebat: Roma capta: Cardinales offensi: Schisma iam ferè conflatum, minæque omnium, qui supererant, defectionem inclamantium, nisi Basileensibus annueret. Quis

Turrecrem. lib. 2. cap. 100.

Vide sess. 16 & Spond. ad ann. 1433. n. 23. & 24.

rogo maior metus iniici poterat? aut quis pro validis agnoscat, toties negata, ac tandem tanto metu concessa? An iure meritò non hic cum magno Athanasio dicas? [Non est censenda eius sententia, quam minæ, & terrores extorserunt; sed ea, quam protulit, cum liberos haberet affectus.] Denique licèt Eugenius omnes Bullas reuocauerit, quibus Concilium Basileense solui iubebat, vitandique Schismatis causa Concilium ratum, legitimumque esse voluerit; nunquam tamen Decreta confirmauit, quæ contra Pontificiam Dignitatem edita in Concilio fuerant; aliud enim est, Concilium esse verum, legitimumque, aliud omnia, quæ in Concilio facta sunt, legitimè facta esse; nam, & Concilium Constantinopolitanum, & Chalcedonense, & Constantiense legitima erant, & tamen non omnia, quæ in illis decreta sunt, Leo, Pelagius, Gregorius Martinus approbarunt, vt suprà notatum est. Et quàm multa illegitimè inualidèque fiunt à legitimo, veroque Principe? non ergo sequitur, approbato concordiæ causa Basileensi Concilio, omnia quoque, quæ in illo facta sunt, ab Eugenio approbata esse. Testatur id Cardinalis Turrecremata, qui Eugenij verba in Concilio Florentino differentis recitat. [Eugenius, inquit, Florentiæ in Disputatione publica respondit ita dicens: Nos quidem progressum Concilij approbauimus, volentes vt procederet, vt inceperat; non tamen approbauimus eius Decreta. Et in hoc sapientissimè fecit; quis enim nisi imprudentissimus Princeps approbaret Decreta, quæ nunquam vidisset, aut quæ priùs non examinasset, si in eis minùs rectum, aut minùs verum, aut minùs expediens reperiretur?] Lege totam Eugenij Bullam, quæ sessione 16. recitatur, & ne verbum quidem inuenies, quo dicatur Basileensium Decreta confirmari; imò, quod efficacissimè conuincit, Legati ab Eugenio missi, rogatique, vt Decreto Constantiensi de subiectione Pontificis subscriberent, subscripserunt (vti expressè habetur sessione 17.) nomine proprio, priuatoque; non verò vt Legati Pontificis; quod euidentissimo argumento est, aliam fuisse Eugenij mentem; alioquin quid opus erat protestari, se id nomine proprio, non verò nomine Eugenij præstare velle? Idipsum testantur Turrecremata, & Spondanus. Et hæc sunt, quæ de Basileensi Concilio dicenda habui, studio, curaque veritatis.

S. Athanas. epist. ad solit. Vitam agentes.

Turrecrem. Sum. de Eccles. lib. 2. cap. 10.

Turrecrem. lib. 2. cap. 100. Spond. ad ann. 1434. n. 2.

II. Opponit 13. Vniuersitatem Parisiensem, totamque Gallicanam Ecclesiam, ac præcipuos huius Ecclesiæ, ac Vniuersitatis Doctores præferre Concilij auctoritatem auctoritati Pontificiæ.

Maimb. cap. 25. fol. 253.

Resp. Primò. Equidem asserere non possum, quid modò Vniuersitas Parisiensis, & Ecclesia Gallicana de hac re sentiant; video enim omnes in Regis obsequium spectare, nulla Canonum, nulla Ecclesiasticæ libertatis cura, nec tam ex ratione, quàm metu, præmijsque pendere: & quid mirum, etiam scholas gratiæ, & fauori cessisse, si templa cesserunt? scribunt ergo calamo Doctores, quod Episcopi docent exemplo. Cæterum paucos ante annos non hanc Ecclesiæ Gallicanæ, & Vniuersitatis sententiam fuisse, graues testantur, & oculati scriptores; nam Anno 1662.

die

die 12. Decembris Parisijs in Collegio Claremontano Patres Societatis contra hæreses, & Schisma seculi X. hanc thesim publicè exposuerunt, defenderuntque, videlicet : [Datur in Ecclesia Romana Controuersiarum fidei Iudex infallibilis, etiam extra Concilium generale, tum in quæstionibus iuris, tum facti; vnde post Innocentij X. & Alexandri VII. Constitutiones, fide diuina credi potest, librum, cui titulus Augustinus Iansenij, esse hæreticum, & quinque propositiones ex illo excerptas Iansenij esse, & in sensu Iansenij damnatas. In hac thesi agitur quidem de sola Pontificis infallibilitate, sed ex illa apertè sequitur, Concilium non esse supra Pontificem; si enim Papa etiam extra Concilium in rebus fidei errare, & falli non potest, ergo nec corrigi, nec iudicari à Concilio potest, & consequenter nec Concilio subijcitur. Patres ergo Societatis, quamuis Parisijs essent, & Parisijs docerent, non crediderunt, mentem esse Vniuersitatis Parisiensis, aut Ecclesiæ Gallicanæ, vt Concilium Pontifici præferatur; quis enim credat, aut ignorasse illos Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, aut contempsisse? nisi fortè dicas, aliam illorum temporum, aliam istorum conditionem esse; tunc enim fortiter contra Iansenium scribebatur, quia quid Iansenio, aut placeret, aut displiceret, parum intererat : nunc verò aptari calamus debet Regio fauori, oportetque Pontificis auctoritatem ex Principis gratia metiri. Alia quamplurima omitto, quæ sequenti Dissertatione prolixè dicentur.

Resp. Secundò. Sed vt dixi, parum mihi curæ est, quid modò Ecclesia Gallicana sentiat; quærimus quid olim senserit, quando videlicet illibata, innocensque florebat, veritatis, non gratiæ auxia, nec ad Regis arbitrium suspensa. Eam pro nobis stetisse, sequentia clarè ostendunt.

Nam Primò Anno 498. mortuo Anastasio Pontifice Maximo delectus est Symmachus Romanæ Ecclesiæ Diaconus. At Festus è primis senatoribus corrupto pecunijs Clero, magnam eius partem sibi adiunxerat, & suffragia pro Laurentio S. Praxedis Archipresbytero parauerat, eodemque die Symmacho opposuerat, empta auro electione. Creditum est, id datum à Festo Anastasij Imperatoris Eutychiani gratiæ, cui, cùm Constantinopoli Anastasij Pontificis Legatum ageret, pollicitus erat, se acturum, vt Roma Henotico subscriberet. Cum ergò Schisma in Vrbe flagraret, nec partium studia componi possent, itum ad Theodoricum Regem, qui pro Symmacho, quippe pluribus votis electo sententiam dixit; nec id iure factum, sed necessitate ac meliorum desperatione, deque partium consensu. Festus iudicio victus ad fraudes, & calumnias vertitur. Multa Symmacho flagitia imposita, præsertim adulterij, vtque Pontificatu absolueretur, à Theodorico petitum. Is Episcopum destinauit, qui criminationes, causamque Symmachi examinaret, sed vociferante Clero, id contra Canones fieri, nec ab alio iudicari Pontificem, quàm à S. Concilio posse; imò ne à Concilio quidem, nisi illud Pontifex conuocasset; Symmachum rogat, Concilium indicat. Is Regi assensus Romam centum, & quindecim Episcopos vocat, seque eorum iudicio spontè submittit. Audi acta Synodi Palmaris; sic enim teste Anastasio in Honorio, Porticus Basilicæ S. Petri Palmaria dicebatur : [Memorati Pontifices (quos videlicet Theodoricus ad Synodum inuitauerat) suggesserunt Regi, ipsum Symmachum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare, scientes, quia eius Sedis primum Petri Apostoli est meritum, vel Principatus, nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam demonstrasse significauit, &c.] Sed cum in Synodo nullus fieret disceptandi finis; Symmachus moræ, & contentionum fessus, quamuis tertiò vocatus negat, se amplius velle iudicio sisti, & minorum, quibus nullum in se ius esset, sententias experiri; nec Patres abnuerunt, quorum ad Regem scribentium hæc sunt verba : [Nobis quid facere possimus, non remansit, nec inuitum ad disceptationem nostram adducere possumus; noua res est, Pontificem Sedis istius apud nos audiri, nullum constat exemplum, &c. Inhorruit Gallia, vbi Reum Pontificem audijt, multòque magis vbi Concilium iudicasse. Ergo omnium nomine ad Festum, Symmachumque Romani Senatus capita hæc Auitus Episcopus Viennensis scribit: [Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxij animis at trepidi essemus, vtpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes, quos omnes vna criminatio percusserat, si statum Principis obruisset. In sacerdotibus cæteris potest, si quid fortè nutauerit, reformari; at si Papa Vrbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur non Episcopus vacillare: Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis eius sanctam toto orbe Venerabilem, dum illis, quidquid fidelium est, vbique submittitur, dum totius Orbis caput esse dignatur; de qua mihi videtur dictum per Prophetam: si hæc humiliabitur, ad cuius confugietis auxilium, & vbi relinquetis gloriam vestram. Non facilè datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur, quod Synodus ipsa venerabilis laudabili Constitutione prospiciens causam, quam (quod salua reuerentia dictum sit) penè temerè susceperat inquirendam, diuino potiùs seruauit examini.] En tibi Gallicanæ Ecclesiæ sententiam doctrina, ac pietate florentis, quippe sub tempora baptizati Clodouæi : [Non posse Romanum Pontificem in dubium, seu iudicium vocari : Illi quidquid est fidelium, submitti, esse totius Orbis Caput, & temerè à Synodo iudicari, sed Diuino tantùm examini seruari.] Ita Galliæ Antistites ante mille centum, & octoginta annos sensere. [Neque, dicas, id tantùm de Synodo particulari intelligendum esse, non verò de Synodo Oecumenica.] Respondeo vanum esse hoc effugium, omnes enim rationes, sacræque auctoritates, quæ probant Pontificem particulari Synodo, probant etiam Oecumenica esse superiorem: & citati Patres Gallicani expressè fatentur, Romanum Pontificem [Diuino tantùm examini seruari;] quod falsum esset, si Oecumenico Concilio subiaceret. Et ita, quod maximi momenti est, En-

Anastasius in Symmacho.

V. Tom. 4. Conc. edit. Parisien. & Maymb. de Schism. Occident. lib. 5. fol. 295. Cassiodorus in chron. anno 500.

V. Tom. 4. Concil. edit. Parisien. fol. 1330. & seq.

S. Auitus Episc. Viennens. epist. 2. comuni omnium Episcoporum Galliæ nomine apud Sirmond. in Ennod.

nodius scripsit; is enim, & Gallus erat, nec ignorare poterat mentem Ecclesiæ Gallicanæ, eodemque tempore vixit, quo Synodus agebatur, & pro Symmacho eloquentissimè scripsit, tantoque pretio apud Patres Synodi Romanæ Apologeticum fuit ab eo conscriptum, vt redigi voluerint inter acta Synodalia, & pro doctrina Synodali ab omnibus haberi. Audi acta ipsius Synodi: [Eo recitato libello, & ab omnibus consona voce comprobato sancta Synodus dixit: hæc futuris temporibus reseruentur, atque ab omnibus teneantur, & ab omnibus seruentur: hic libellus integerrimè synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartæ, & quintæ Synodorum actiones interponatur, quia Synodali auctoritate conscriptus est, & roboratus. Ad quæ omnes ter vna voce responderunt, vt fiat rogamus.] Iam verò cum tantæ sit auctoritatis Apologeticum Ennodij, audi quid ipse sentiat de Pontificis potestate nulli humano iudicio obnoxia: [Aliorum hominum causas DEUS voluit homines terminare, sed Sedis istius Præsules suo sine quæstione reseruauit arbitrio: voluit B. Petri successores Cœlo tantùm debere innocentiam. Dicas forsitan: omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo, vni dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Si ergo DEUS Romanos Pontifices suo soli arbitrio reseruauit; si voluit Cœlo tantùm debere innocentiam, patet illos Oecumenico Concilio minimè subdi, alioquin falsum esset eos [soli Diuino arbitrio reseruari, & Cœlo tantùm innocentiam debere.] Id verò, tam clarum est, vt ipse Maimburgus tum Ennodij, tum Antistitum Galliæ, quorum voces Auitus Viennensis calamo expresserat, testimonijs victus libro quarto de magno Schismate Occidentis fol. 307. in hæc verba proruperit: [Par l'histoire meme de Symmachus il est tout euident, que le Concile de Rome, toute l'Eglise Gallicane, Ennodius, & le Canons rapportez dans le Decret de Gratien auoient deià decidè plus de neuf cens anns auparauant, que c'est à Dieu seul, qu'on doit reseruer la connoisance, & le iugement des crimes, qu'on pourroit imputer aux Papes, & consequentement qu'il n'y à Personne, qui ait droit de les iuger, ny de les deposer, si ce n'etoit, qu'ils fussent Heretiques, car il est certain; qu'en ce cas ils ne seroient plus Papes. Hoc est: Ex ipsa Symmachi Historia certissimum est, tam Concilium Romanum, quàm Ecclesiam totam Gallicanam, Ennodium, Canonesque à Gratiano citatos iam ante nongentos annos decidisse, solius Dei iudicio cognitionem, sententiamque eorum criminum reseruari, quæ Romanis Pontificibus imputantur; & proinde nulli mortalium fas esse sententiam contra illos dicere, eisque Pontificatum abrogare, nisi fortè hæresi tangerentur, tunc enim certum est, eos ne Pontifices quidem esse.] Hactenus Maymburgus cùm adhuc innocenti calamo scriberet, nec præmijs capto, & hoc ipso exemplo vtitur, vt ostendat: [Non licuisse Concilio Constantiensi Ioannem XXIII. Pontificatu exuere, idque Senatum Regium censuisse.] Si ergo ex sententia Caroli VII. Galliarum Regis, eiusque senatus, ac etiam ipsius Maimburgi non licuit Oecumenico Concilio etiam tempore Schismatis, etiam in dubium Pontificem sententiam ferre, quantò minùs licebit in vnicum, verum, indubiumque? Sed vt dixi, hæc Maimburgus scripsit pace inter Pontificem, Regemque florente; vbi turbata est, animum, ac sententiam mutauit, Regique accessit, non quod huius causa melior, sed quia vicinior, potentiorque, sicque pretium ex propinquo paratius. Ergo siue Concilium Romanum, siue Gallicanam Ecclesiam, siue Ennodium, & Maimbùrgum æquè Gallos interroges; Papa omni Concilio superior.

Secundò. Facit pro hac nostra sententia egregium Ennodij Galli (qualem se sæpè profitetur) testimonium modò recensitum.

Tertiò. Anno 800. Cùm Carolus Magnus Romæ ageret, & Leonem III. criminibus, quæ ab æmulis obiectabantur, in Synodo purgari vellet, Antistites maxima, & præcipua parte Galli (vt testatur Anastasius in vita Leonis) in hac verba exclamarunt: [Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ipsa nos omnes, ipsa à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitùs mos fuit.] Ita Anastasius in vita Leonis. Si à nemine iudicatur, ergo neque à Concilio Oecumenico; & nota ea verba: Sicut antiquitùs mos fuit. Nostra ergo sententia iam dudum Antiquitati commendata fuit, nec vti falsò supponit Maimburgus, modò tyrocinium egressa.

Quartò. Anno circiter 1004. Iuo Carnutensis epist. 183. [Iudicia Romanæ Ecclesiæ à nemine retractari possunt; & si quis aliquando huius Ecclesiæ auctoritate prægrauatum se sentiat, non debet in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugere, & inde expetere leuamen, vnde se conqueritur accepisse grauamen. Si ergo Iudicia Romanæ Ecclesiæ à nemine retractari possunt; si ab Ecclesia prægrauatus ad nullum alium recurrere,] ergo Concilium non est supra Papam, alioquin huius iudicia retractari possent, & prægrauatus à Pontifice, non ad hunc redire teneretur, sed posset ad Concilium prouocare.

Quintò. Anno circiter 1300. S. Thomas Aquinas, qui Parisijs didicit, docuitque, & quo Vniuersitas Parisiensis neminem habuit doctrina, & sanctitate maiorem, is opusculo contra impugnantes Religionem capite 4. ita loquitur: [Papa habet immediatam iurisdictionem in omnes Christianos, quia Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit; & illa, quæ sancti Patres determinauerunt esse iuris positiui, sunt relicta sub dispositione Papæ, vt possit ea mutare, vel dispensare secundùm opportunitates temporum, vel negotiorum. Sancti enim Patres in Concilijs congregati, nihil statuere possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interueniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest. Et Quæstione de Pot. a. 4. ad 3. Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest (hoc est, interpretari Symbolum) cuius auctoritate sola Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo

nodo appellatur. Quæ omnia patent ex Gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium, quod ad eius expositionem congregetur Vniuersale Concilium; cùm quandoque id fieri prohibeant belli dissidia, sicut in 7. Synodo id legitur, quod Constantinus Imperator dixit, quòd propter imminentia bella Vniuersalem Synodum congregare non potuit, sed tamen illi, qui conuenerunt, quædam dubia in fide exorta sequentes sententiam Agathonis determinauerunt.]

Sextò. Sanctus quoque Bonauentura Clarissimum Vniuersitatis Parisiensis Lumen, & de quo Ioannes Gerson eiusdem Vniuersitatis Cancellarius verissimè dixit: [Numquàm talem Doctorem habuisse studium Parisiense:] Hic, inquam, Seraphicus Doctor de Cœlesti Hierarchia p. 2. c. 1. [Summus Pontifex, penès quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine iudicatur, sed solius DEI iudicio reseruatur.

Gerson de lib. Leg con. fid. 5. p. 2.

Septimò. Extollunt Moderni Galli Decreta Concilij Constantiensis, ac præsertim Patres Cõuentus Parisiensis, vt proinde huius Concilij doctrina dici possit doctrina modernæ Ecclesiæ Gallicanæ: at Patres Concilij Constantiensis negant Concilium esse supra certum, & indubitatum Pontificem, idque patet ex eo, quod quoties potestatem Concilio in Pontificem tribuunt, toties clausulam taxatiuam, & restrictiuam apponunt, videlicet: [In his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis; super præmissis, aut ad ea pertinentibus, pro Vnione Ecclesiæ, &c.] Planè hæ restrictiones apertè significant, in alijs casibus, quando videlicet nec Schisma est, nec dubius Papa, nullam esse Concilio potestatem; exceptio enim firmat regulam in contrarium, quemadmodum si Episcopus dicat: [Concedimus Petro facultatem audiendi missam in sacello domestico durante morbo;] hoc ipso innueret, morbo finito, facultatem quoque sublatam: Sicque Henricus Spondanus quamuis Gallus, & Episcopus Apamiensis in Annalibus Ecclesiasticis intelligendum esse Concilium Constantiense discretè, multisque in locis profitetur: præcipuè verò ad Ann. 1415. n. 54. & ad Annū 1418. n. 5. cuius verba posteà exscribemus. Sed præsertim Concilium suam mentem expressit, quando die 11. Septembris Anno 1417. ante sessionem 40. post trium Obedientiarum Vnionem, cùm tres Nationes Italica, Hispanica, & Gallica vellent priùs certum Pontificem eligi, quàm ad Decretum reformationis procedi; Germanica verò contenderet præmittendam reformationem, tandem acquieuit Germanica tribus alijs Nationibus, idque iure merito, quid enim magis ad reformationem necessarium, quàm tolli Schisma, & reddi Ecclesiæ vnionem? Post quæ, subiungunt acta, [fuerunt factæ diuersæ formæ Decreti ad hoc; ac tandem fuit dictum, quòd Papa electus ligari non poterat;] ita habetur in 4. Manuscriptis Codicibus à doctissimo Schelstrato editis, relatisque in actis, & Gestis Concilij Constantiensis. Si Papa à Concilio ligari non potest; sequitur ergo Concilium non esse supra Pontificem, ideò enim aduersarij Concilium Pontifici præponunt, vt ligari, iudicarique à Concilio possit; at Concilium Constantiense negat id fieri posse. Eadem die, mense, & anno in protestatione à tribus Nationibus (quarum florentissima Natio Gallicana, vt ex actis patet) contra Germanicam edita, & communi nomine à Cardinali Pisano lecta, cuius initium: [Audite hæc omnes gentes,] circa medium hæc habentur: [Si ante dictam prouisionem Ecclesiæ de Pastore, aut saltem modi electionis illius, suppositis huius Concilij Decretis, quibus omnia iura circa electionem Summi Pontificis edita dicuntur esse suspensa, sequeretur Ecclesiam Dei esse sine Capite, & sine Lege, & Ecclesia in periculo remaneret, quia vix congregaretur indubitatum Concilium deficiente capite, ad quod pertinet conuocare.] Quomodo ergo Concilium est supra Papam, quando ne quidem est Concilium, multòque minùs habet auctoritatem Conciliarem, deficiente Papa? Quomodò sustineri potest, auctoritatem Concilij esse immediatè à Christo, si ne Concilium quidem esse, aut dici potest, Pontifice sublato, eisque auctoritatem non præstante? Quòd si defectu Pontificij consensus Concilium euadit nullum, multò magis erit nullum, Papa expressè contradicente; plus enim est, positiuè contradicere, quàm tantùm non consentire. Rursus in Bulla Martini V. sacro approbante Concilio facta, quæ habetur sessione vltima, inter alias propositiones, quæ aliquem suspectum hæresis reddunt, etiam hęc ponitur: [Papa canonicè electus non est successor Petri, nec habet in Ecclesia Dei supremam auctoritatem.] Agnoscit ergo Concilium, supremam in Pontifice potestatem, atquì suprema non esset, si Concilio subiaceret; quemadmodum in statu Democratico, qualis erat Respublica Romana, & hodiè Heluetica, nemo dicet supremam potestatem esse penès Consulem, sed penès Comitia Popularia. En tibi Concilium Constantiense, ipsamque Ecclesiam Gallicanam, præcipuam videlicet illius Concilij partem sententiæ nostræ subscribentem!

Schelstrat. in Actis, & Gestis Cõc. Constant. fol. 268.

Octauò. Insigne Ecclesiæ Gallicanæ testimonium habemus in protestatione, quam ea ante Sessionem 40. Concilij Constantiensis contra Nationem Germanicam edidit, quodque modò antè retulimus.

Nonò. Anno 1441. Carolus VII. Francorum Rex celebrato apud Biturigas Galliæ præsulum Conuentu, missaque ad Eugenium IV. legatione, cuius Princeps Episcopus Meldensis, non solùm Eugenium pro vero Pontifice agnouit, respuitque Decreta Basileensia, verùm etiam Pontificis Romani supra Concilium auctoritatem palàm testatus est; verba Meldensis Episcopi hæc sunt. (Nimio feruore resistendi ad hanc insaniam deuenerunt] (Basileenses videlicet) [quòd supremam potestatem in vno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diuersa scinditur, collocant, & sic pulcherrimam Ecclesiæ Monarchiam, quæ Christianos hucusque tenuit in vnitate fidei, in vna professione Religionis Christianæ, in vno ritu sacramentorum, in vna obseruantia mandatorum, in eisdem cæremonijs diuini

cultus, atque pacem, & tranquillitatem asseruit, nunc abolere contendunt, nobilissimam Politiam, quæ beatitudinem cœlestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes. Et hoc animaduertens præfatus Rex Christianissimus vehementi dolore ingemiscit, ac remedia vbique perquirit, ac denique consulto Prælatorum &c.] Obserua, qua Galli censura nostram ab Aduersariorum sententia distinguant; Aduersariorum enim sententiam, quæ Concilium Pontifici præponit, insaniam vocant. Nostram verò, quæ Concilium Pontifici subdit, ac perfectam Ecclesiæ Monarchiam statuit; [Pulcherrimæ Monarchiæ, Vnitatis, fidei, ac Religionis Christianæ, Obedientiæ, pacis, ac tranquillitatis Matrem appellant; quid poterat luculentiùs à Gallis dici? aut quis vnquam sententiam nostram pulchrioribus encomijs, Aduersariorum verò grauiori censura notauit? Neque hæc solius Regis, aut Episcopi Meldensis sensa fuere, sed vt in eadem Oratione habetur; [Ex Consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientum Regni sui, &c. Hæc Gallus perorabat.

Habetur tota Oratio Episc. Meldensis apud Raynald. ad ann. 1441. ex Codice Vaticano 4177 descripta.

Decimò. Anno 1513. Ludouicus Galliæ Rex Legatos suos Cardinalem videlicet Sanseuerinum, Claudium Seisellum electum Episcopum Massiliensem, ac Ludouicum Futbin ad Concilium Lateranense mittit, qui exhibitis Regijs literis professi sunt: [Galliæ Regem, Concilio Pisano, ac omnibus in eo peractis renuntiare: Concilio verò Lateranensi tamquam legitimo, vnico, indubitato, & Oecumenico adhærere, & quàm primùm fieri poterit, effecturum, vt aliqui Prælati, & insignes viri nomine Ecclesiæ Gallicanę cum sufficienti mandato submittantur, qui Concilio Lateranensi adhæreant, & assistant, quemadmodum cæteræ Nationes.] Idemque Claudius Massiliensis Episcopus publicis instrumentis, & literis, quas Concilio sequenti anno exhibuit, palàm fecit, ostenditque: Cabilonensem, Lexouiensem, Ambianensem, Engolismense, & Laudunensem Episcopos vnà cum aliquot Doctoribus in Theologia, & vtroque iure iter ad Pontificem sumpsisse, ad renuntiandum Pisano Conuentui, & adhærendum Lateranensi Synodo.] In hoc autem Concilio, quod Galli pro vero, & Oecumenico habuere, sessione 10. pronuntiatum est: [Solùm Romanum Pontificem pro tempore existentem auctoritatem super omnia Concilia, plenamque potestatem habere Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum, idque ex sacrarum literarum testimonio, dictis Sanctorum Patrum, sacrorumque Canonum Decretis constare, &c.] Et quamuis per modum Dogmatis definitum non fuerit, negari tamen haud potest, maximæ auctoritatis hanc doctrinam esse, vtpotè in Concilio Vniuersali assertam, probatam, & cui nullus Episcoporum resistere est ausus.

V. acta Concilij sess. 8. & 9. Spond. ad ann. 1514 nu 3.

Vndecimò. Hanc ipsam veritatem agnouit, ac sæpè in suis professus est Henricus Spondanus Natione Gallus, dignitate Episcopus, doctrina eximius, parique pietate, ac honorum contemptu, sicque adulationis expers, quam nemo gratis exercet. Is ad Annum 1415. num. 16. vbi agit de sessione 4. Concilij Constantiensis, ita loquitur: [Hoc Decretum sessionis 4. accipiendum est de tempore Schismatis, cùm dubitaretur, quis verus esset Pontifex; de quo semel dicimus, cùm apud diuersos pluresque eius sæculi auctores reperitur assertum, Concilium esse supra Pontificem, Papam subesse Ecclesiæ, intellexisse omnes (si verba eorum diligenter expendantur) intelligendumque omninò esse, quando agitur de fide, aut tempore Schismatis, quoniam si Papa fortè fieret hæreticus, desineret esse Papa, tempore verò Schismatis incertus est: Ecclesia autem, nec vnquam labi in hæresim potest, nec eius auctoritas est vnquam incerta.] Et ad annum 1418. num. 5. [Quæ ambiguè dicta fuerant de auctoritate Concilij supra Pontificem, & de potestate reformandi Ecclesiam, tam in Capite, quàm in membris, vt sonare videntur, absolutè sumptas nullo modo Martinus agnoscere, aut probare voluit, vtpotè contrarias existimatas, & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino Petro, eiusque successoribus auctoritati, ac potestati, ipsique demum naturæ rei, qua Caput debet membra regere, non regi à membris, &c.] Hæc Spondanus, cui vtique nemo vnquam imputabit, aut ignorasse illum Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, aut ab ea desciuisse.

Duodecimò. Ipse Maimburgus infestus adeò Romanæ Sedi, seù nondum adulatione corruptus, seù veritati cedens; idipsum apertissimè professus est in libro de Magno Schismate Occidentis lib. 5. fol. 307. vbi cùm longa oratione, & exemplo Symmachi Papæ, quod supra retulimus, ac præsertim auctoritate Ecclesiæ Gallicanæ tunc temporis sanctitate, ac doctrina eximiæ ostendisset: Pontificem Romanum nullius Synodi, sed solius Dei iudicio subiacere, hæc tandem verba ex suo adiungit: [Manifestum omninò est, exemplo Synodi Romanæ, testimonio Ennodij, Ecclesiæ Gallicanæ, sacrorumque Canonum à Gratiano citatorum, iam supra nongentos annos decisum esse, soli Deo iudicium reseruari eorum criminum, quæ Pontifici Romano imputantur, sicque nulli mortalium fas esse Pontificem iudicare, aut eum Pontificia dignitate exuere; sola hæresi excepta, quam si incurrat, certum est, illum nec dici, nec esse Pontificem posse.] En tibi, & Ecclesiæ Gallicanæ, & ipsius Maimburgi manifestam sententiam! quam si postea Maimburgus mutauit, non causæ hoc vitium, quæ semper eadem est, sed animi fuit, indignatione in Pontificem, amore in Principem, & cupiditate præmiorum capti, aut si hæc omnia defuere, (nec enim mortuum iudicauerim) eum societas aulæ corrupit, ardorque non tam vera scribendi, quàm grata, & placitura. Miserum si tam breui, fluxoque pretio calamum locauit, & tempori, non æternitati scripsit. Plura dici possent, quibus Ecclesiam Gallicanam pro nobis stare palàm fieret; sed id tota Dissertatione quarta ex professo, & luce meridiana clariùs demonstrabitur.

III. Opponitur 14. Totum est nobilius parte, & corpus est nobilius membro, idque non tantùm lumine naturali euidens est, sed etiam

Maimburg. c. 25. fol. 242

etiam sancti Patres testantur: S. Augustinus de Baptismo: [Totum suis partibus optimè præponitur.] Et S Hieronymus epistola ad Euagrium: [Maior est auctoritas Orbis, quàm Vrbis.] Atqui Summus Pontifex cùm sit caput, est etiam pars, & membrum Ecclesiæ, ergò Ecclesia, & consequenter Concilium, quòd Ecclesiam repræsentat est nobilior, & superior Pontifice.

Resp. Si ita est, ergo & Synodus Diæcesana est supra Episcopum, & exercitus supra Ducem, & Capitulum supra Abbatem, quia Episcopus est Caput suæ Ecclesiæ, & Dux caput exercitus, & Abbas caput Capituli, poteritque Synodus Episcopos deponere, exercitus Duces, Capitulum Abbates iudicare, punire, ac etiam deponere; quæ si admittantur, quis non videt solui omnem Ecclesiasticam, humanamque disciplinam? nam si semel hæc potestas subditis permittatur, siue sigillatim, siue collectim sumptis, numquam causa deerit obtrectandi. Imò hoc Maymburgi Principium eius potiùs sententiam destruit; quippè capitis officium est, non solùm singula, ac separata membra gubernare, sed vniuersum, collectumque corpus: sicut, & Belli Imperator non singulis tantùm militibus, aut manipulis, sed Vniuerso exercitui imperat, præscribitque quid agere, quid omittere oporteat; & tunc primùm collabi Imperium Romanum cœpit, quando exercitus deligendi: deponendique Imperatoris sibi ius vendicauit; tuneque florentissimum stetit, quando, vt sub Octauiano Augusto contigit, vnus omnibus imperabat immuni, ac secura Maiestate; quòd si aliquando penès Senatum, Romanum Imperium stetit, modica adhuc Republica id fuit; nam dilatata, & Orbem complexa nunquam bellis ciuilibus iactari desijt, donec summa rerum vnus potiretur: Idem dicas de Ecclesia toto Orbe diffusa, quę toties turbata est, ac discordijs scissa, quoties Pontificis imperium, aut respuit, aut excussit; testes Græcia, Anglia, Germania; nec vlla hæresis prodijt, quæ non simul, eodemque tempore Deo rebellis, & Pontifici fuerit: ipsa Concilia cùm imperare, non obsequi maluerunt, quantas in Ecclesia, & implacabiles tempestates concitarunt nec priùs composita, quàm reddita Pontifici obedientia, idque in Pisano, & Basileensi Concilijs palàm fuit; ergo vt dixi, tam non potest pax in Ecclesia, & Concilijs esse, nisi Pontifici submittantur; quàm in exercitu, nisi vni pareat Imperatori, seque regi patiatur; aut in corpore, nisi à Capite sustentetur, motumque accipiat; est ergo, vt dicebam, de ratione, ac bono corporis, vt regatur à Capite, non vt regat, & ideò semper magis corpori consultum est, vt qualecumque caput habeat, etiam ægrum, & infirmum, quàm nullum, & pessimus is Medicus foret, qui deponi caput, & truncari iuberet, quo corpori mederetur; Carnificis hæc remedia, non Medici sunt. Immò hoc ipso, quòd Ecclesia est præstantior, nobiliorque Pontifice Romano, non quidem iurisdictione, & auctoritate, sed extensione, ac fine, cùm Papa sit propter Ecclesiam, & propter hanc magis, quàm propter Papam Christus sit incarnatus, ac Religionem, & Sacramenta instituerit, quemadmodùm, & Rex est propter Populos, & Dux propter exercitium) oportuit Pontificem Ecclesiæ, & Concilijs præesse, ac imperare, cùm hæc ipsa superioritas Pontificis, & subiectio Ecclesiæ, ac Conciliorum cedat in maximum bonum, vtilitatem, pacem, ac perfectionem Ecclesiæ, quemadmodùm, & Magister est propter Discipulos, & Dux propter exercitus, & Tutor Principis propter Principem, & ideò oportet Magistrum, Ducem, ac Tutorem imperare, discipulos verò, exercituum, ac pupillum subesse quia videl. istorũ interest, subesse potiùs regique, quàm imperare, nec aliud magis exercitui, Discipulis, pupillisq; noceret, quàm si mallent imperare, quàm obsequi. Nec obstat, quod ridiculè obijcit Maimb. [Aliam, videl. esse Regis, Ducisque rationem, aliam Pontificis; Illos enim esse non tantùm capita, sed etiam Dominos, & ideò imperare, & præesse, non subijci, prohibente Christo Dominatum illis verbis: Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic] Quasi verò ad solos Dominos pertineat imperare, & non etiam ad eos, qui licèt Domini non sint, iurisdictionem tamen, & auctoritatem in alios habent; num Dux à Principe bello præfectus Dominus est exercituum, quos ducit? num Dominus Discipulorum est Magister? Tutor Pupilli, Medicus ægroti, Iudex litigantium? & tamen hi omnes superiores sunt, imperantque, alij verò, qui forsan Domini sunt, obedire tenentur; sed Maimburgus non distinguit inter Dominum iurisdictionis, & inter Dominum proprietatis; Pontifex non est Dominus Proprietarius Ecclesiæ, & ideò non potest pro libito, de bonis seu temporalibus, seu spiritualibus Ecclesiæ disponere; est tamen Dominus Iurisdictionis: nec Christus omnem Dominatum in Ecclesia prohibet, sed tantùm qualem Reges Gentium vsurpare solent, hoc est, cum fastu, pompa, & ambitione coniunctum. Rursus prohibet Dominatum proprietatis, & qui cedat in destructionem Ecclesiæ, non verò Dominatum iurisdictionis, & qui necessarius est ad ædificationem Ecclesiæ, qualis videlicet, Iudici, Tutori, Medico, Pastorique competit, quem si ab Ecclesia tollas, quid intererit inter Ecclesiam, & Brasiliam? [At Ecclesia est totum, Pontifex est membrum Ecclesiæ, ergo Pontifex est infra Ecclesiam, & ab ista regi, & gubernari debet.] Hæc illatio tantum valet, quantum istæ: Caput est mēbrum corporis, & corpus est totum, ergo caput est infra corpus, & regi, gubernari, ac moueri à corpore debet; Dux belli est caput, & membrũ exercitus, ergo regi, iudicari, puniriq; ab exercitu debet. Admitto Pontificē esse Caput, & membrum Ecclesię, ac Concilij Oecumenici, sed nego propterea Ecclesiæ, ac Concilio subijci, nec enim est membrum qualecumque; sed membrum hierarchicum, ac principium totius motus, ac Directionis spiritualis, de cuius ratione est, vt moueat, & non vt moueatur; vt gubernet, non vt gubernetur, & hoc ipsum ad commodum Ecclesiæ pertinet. Deinde Ecclesia, vt opposita, separata à Pontifice, tam non est totum, quàm corpus à capite disiunctum non potest dici totum corpus; & exercitus, vt opositus, ac separatus à suo Duce, non est totus, & integer exer-

exercitus, sed optima sui parte minutus, ineptusque victoriæ, ac hosti obnoxius. Ex quot vitijs abundat Maimburgi argumentatio? supponit enim, omnem Dominatum in Ecclesia à Christo sublatum esse: nullam esse distinctionem inter Dominum Iurisdictionis, & Proprietatis: eum tantùm imperare, gubernare, ac auctoritatem in alios habere, qui Dominus est: Concilium à Papa separatum, eique oppositum esse, aut repræsentare totum, & integrum corpus Ecclesiæ, & alia similia, quæ falsissima omnino sunt. Sicut & illud falsum, quòd Concilium sit supra Papam, quia vacante sede, aut Pontifice dubio pertineat ad Concilium de Pontifice dubio sententiam ferre, ex quo colligit, Concilium esse supra Papam etiam certum; manifesta enim est disparitas, nam Papa dubius, cùm lateat, nec missionem, & commissionem suam ostendat, non est caput visibile Ecclesiæ, cùm de illo non constet: nec tenetur Ecclesia ei obedire, vtpote commissionem suam non probanti: & quamuis vacante sede decernere, & imperare Concilium possit, quia in hoc casu supremum est in Ecclesia tribunal (sicut capitulum vacante Sede Episcopali) neque possit in rebus fidei errare; cùm deficiente Capite visibili à Capite inuisibili, hoc est, Christo gubernetur, secus est postquàm Caput visibile electum est, tunc enim cessat immediatus Christi in Ecclesiam influxus, qui Ecclesiam suam non aliter vult gubernare, quàm per vocem, ac directionem capitis visibilis: quemadmodùm ferè quamdiu Populo Israelitico humanus cibus in deserto defuit, cœlesti eum pauit: at vbi Chananæam ingressis cibus humanus præstò fuit, cœlestis defuit, aliter ergo Deus Ecclesiam regit Capite visibili destitutam; aliter Capite visibili instructam, sicut aliter pauit Israelem, cùm humanus cibus defecerat, aliter cùm abundabat; aliter Eliam in deserto, aliter in ciuitate.

Maimburg. c. 23. f. 256. IV. Opponit 15. Testimonium Pij II. Summi Pontificis. [Pius, inquit, II. cùm adhuc Æneas Siluius vocaretur, ageretque Basileensis Concilij Secretarium, exemplo Doctorum Parisiensium omnem neruum intendit, vt defenderet maiorem esse Concilij, quàm Pontificis auctoritatem: at verò vbi Pontificatum obtinuit, ex rationibus, quas facilè quiuis imaginari sibi potest, animum induxit, vt mundo palàm faceret, se ab ea sententia recessisse, quam olim vtpotè de meritis, ac iustitia causæ optimè instructus ardentissimè defenderat. Id per Bullam fecit, in qua retractat, reuocatque, quæ Basileæ docuerat, & tamen in hac ipsa retractatione non potuit imperare sibi, quin manifestæ veritati suffragium ferret, aperiretque vtriusque sententiæ, & quam deserebat, & quam recèns complectebatur, elogium. En eius verba: tuebamur antiquam sententiam, ille (hoc est Cardinalis) nouam defendebat: extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatē magnoperè commendabat, En ingenuam Pij confessionem! fatetur sententiam, quæ Concilij partes tuetur, antiquam esse; eam verò quæ Pontificem præfert, nouam, recènsque inuentam. At verò idipsum est, quod nobis probandum suscepimus; quippe id solùm præsenti libro agimus, vt Lectoribus ostendamus, quænam hac in re antiquitatis mens, sententia fuerit. Ergo postquàm tam solemne, & irrefragabile Pij II. testimonium pro causa nostra habemus; meritò, quòd etiam in alijs articulis suprà recensitis obseruatum est, celebre illud Cœlestini I. dictum vsurpauerim: Desinat incessere Nouitas Vetustatem. Hactenus Maimburgus cuius verba ex Gallico ad amussim transtuli.

Resp. Duo complectitur Maimburgi obiectio. Primum est, Pium postquàm Pontificatum adeptus est, opinionem de Concilio mutasse, quam eò vsque altè imbiberat, parique ardore defenderat; id denotant ea Maimburgi verba: [Mais quand luy meme fut deuenu Pape, il crut par vne raison, que l'on peu aisement deuiner, qu'l deuoit fair scauoir à tout le Munde, qu'il auoit change de sentiment, & qu'il croit allors tout le contraire de ce, qu'il auoit sontenu auparauant. Hoc est, Post quàm ipse Pontificatum obtinuit, in animum induxit, toti Mundo palàm facere, se mutasse sententiam, & tunc contraria illis sentire, quæ priùs defenderat. Et infrà: C'est ce qu'il fit solennemnt par vne Bulle, dans la quale il se retracte, & en se retractant pour declarer, qu'il vouloit suiure vne autre opinion, &c. hoc est, Hoc ipsum solemniter vigore Pontificiæ Bullæ executus est, in qua retractat priorem suam sententiam, & dum retractat, simul profitetur, se aliam opinionem amplecti velle. Et infrà: Ce Pape qui voulut bien changer d'auis, changeant de condition. Hoc est: Hic Papa volens sententiam mutare, cùm mutauit conditionem. Quæ omnia apertè significant, Pium tunc primùm sententiam suam de auctoritate Concilij mutasse, cùm mutauit statum, rerumque potitus est. [Secundum est, quod Maimburgus in ea obiectione asserit: Pium in Bulla retractationis scripsisse sententiam, quæ Concilium Pontifici præfert, antiquam esse, quæ verò Pontificem Concilio, nouam, recentemque.] Cæterùm hæc duo, quæ Maimburgus allegata ad marginem Pij Pontificis Bulla, scribit, tam sunt à vero aliena, tamque compertæ falsitatis, & ipsi Bullæ, quam allegat, contraria, vt mirer non erubuisse adeò corruptis mercibus incautos fallere, eos præsertim, quibus Bullam legendi, aut tempus, aut occasio deerat, aut saltem non esse veritum, tandem fallaciam obseruatum iri æterno Auctoris dedecore. Primum quod attinet, certum, & ex ipsa Bulla manifestum est, Pium multò antè, quàm Pontificatu potiretur, sententiam mutasse, immò cùm nondum sacris ordinibus initiatus est. Audi ipsam Bullam à Maimburgo productam, & maligna interpretatione corruptam. [Dicent fortasse aliqui, cum Pontificatu nobis hanc opinionem aduenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ità est, longè aliter actum. Anno salutis primo, & trigesimo supra millesimum quadringentesimum, cum Dominico Capranica, quem Martinus V. in secreto Cardinalium Consistorio creauerat, Eugenius IV. spreuerat, Basileam petiuimus. Iulianus aderat Cardinalis Sancti Angeli: Is cùm cæteris præstaret, audita Eugenij reuocatione, præsidentiam dimisit tamquàm summo Pontifici vellet obedire; sed cùm augesceret indies

Bulla Pij II. quæ in Bull. est 10. Ann. 1463. §. 4.

dies, Eugenio vel inuito Concilij præsidentiam resumpsit, & Auctoritatem Concilij mirum in modum extollens, eminentiam primæ sedis supprimere cœpit, & cùm esset facundissimus, facilè persuasit Auditoribus, quæ cupiebat. Nos, qui ex patria iuuenes, non ex Vrbe illuc migraueramus, & noua tunc primùm auis ex Senensi Gymnasio euolaueramus, rudes, & inexperti vera esse arbitrabamur cuncta, quæ dicebantur: nec putabamus mentiri alios, qui nesciremus ipsi mentiri, atque vt est innatum homini, tetra, & horrenda crimina odio habebamus. Nec Eugenium amare poteramus, quem, tot tantique testes indignum Pontificio culmine dicerent. Et infrà: Aduersùs Concilij dignitatem mutire aliquid crimen hæresis fuit: Vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat. De Sedis Apostolicæ præcellentia, aut silentium, aut contemptus, Concilium cuncta sonabant. Didicimus ergo, quæ audiuimus. Et infrà: Et quamuis posteà Julianus Sancti Angeli, & Ioannes Sancti Petri Cardinales, quibus plurimùm credebamus, ad Eugenium defecissent, quamquam paucissimi in fide Basileensi remansissent, noluimus tamen credere, exstimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent. Post pauca: Fortè per id tempus (cùm videlicet, Æneas in aula Friderici Imperatoris, qui neutri parti, hoc est, nec Eugenio, nec Concilio adhæreret) Iulianus sancti Angeli Cardinalis ex Hungaria Viennam venit; cum eo sermonem pro veteri consuetudine miscuimus; sæpè de rebus Basileensibus disputauimus; tuebamur antiquam sententiam, ille nouam defendebat. Extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnoperè collaudabat, &c. Et paulò post: Ad extremum cùm suis scriptis, dictisque Cardinalem premeremus, vinceremusque vehementer; subridens ille: Tu inquit, Ænea tabellis obsignatis agis mecum, & quoniam aliquando sensimus, vt dicis, idcircò, & hodie idem putas debere sentire, & addictos priori sententia credis? cur non liceat omni tempore relicto falso verum amplecti? Tu qui errantem olim secutus es, cur non modò sequeris recta monentem? &c. Et infrà: Hæserunt pectori nostro verba viri; quibus consideratis cecidit ab oculis nostris caligo, quæ velut aranearum tela verum cernere impediebat. Eramus adhuc penè Laici quando ad Eugenij Obedientiam rediuimus. Ex Basilea Clericali tantùm charactere insigniti recessimus, nec vnquam sacros induimus ordines, nisi post veritatem cognitam Basileensi cæcitate relictâ &c. Hactenus Pij Bulla, ex qua sequentia deducimus.

Primò. Pium II. non scripturæ, non Patrum, non Conciliorum auctoritate adductum esse, vt Basileensi sententiæ adhæreret, sed vt ipsemet fatetur, rerum ignorantia, inconsulta iuuentute, calumnijs in Eugenium iactatis, societate, & exemplis aliorum.

Secundò. Pium multò ante Pontificatum, immò penè adhuc Laicum mutasse sententiam, quam Basileæ conceperat de Concilij auctoritate, idque non Romæ, sed Viennæ in Austria, vbi veritatem ab illis edoctus est, qui Eugenium maximè impugnauerant. Quanta ergo Maimburgi, aut ignorantia, vt causam suam quouis modo iuuaret, scribentis Pium mutasse cum dignitate sententiam!

Tertiò. Illa Pij verba: [Tuebamur antiquam sententiam, ille nouam defendebat. Extollebamus Concilij Generalis auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnoperè collaudabat.] Non eum habent sensum, quem Maimburgus illis affingit; quasi videlicet Pius crederet, sententiam, quæ Concilium Pontifici præfert, fuisse in Ecclesia iam antiquam, & ab antiquis Patribus, Concilijsque receptam: quæ verò Pontifici fauet, nouam, recentemque: non hic, inquam, eorum verborum sensus est, sed vt apertissimè ex verbis, & contextu patet, iste: Pium, cùm Cardinali Sancti Angeli Iuliano antiquam, quam olim ipse Iulianus Basileæ defenderat, pro Concilio opinionem, obijceret, & pro hac olim à Iuliano asserta opinione pugnaret; Iulianumècontrà antiquæ suæ opinionis pœnitentem, nouam, quam pro Pontifice amplexus erat, conatum esse Pio persuadere: primò enim contra Pontificem Iulianus Basileæ scripserat, dixeratque, multosque peruerterat, & hanc vocat sententiam eius antiquam: posteà pœnitens pro Pontifice steterat, & hanc vocat Pius nouam Iuliani sententiam. Id ita esse luce clarius est ex suprà recitatis Bullæ verbis. Potuitne iam rogo indignius aliud facinus cogitari, quàm hoc Maimburgi, non erubescentis tam pudendis artibus Galliam decipere, ac veritati imponere? potuitne aliquid turpius facere Tiberius, Seianus, Machiauellus, aut quisquis veritati bellum indixit? ego nullum huic fallaciæ, aut parem legi, aut fœdiorem: ignoscerem tamen necessitate peccanti; quippe non poterat defendi pessima causa, nisi pessimis artibus, nisi eam spontè suscepisset; quod verò sine flagitio fieri non potuit, non decuit velle. Cæterùm tantum abfuit, Pium in ea Bulla retractatoria sententiam, quam nos defendimus, pro noua habuisse, vt eam potiùs antiquissimam, & antiquissimis Conciliorum, Patrumque Decretis consentaneam fateatur; sic enim ad finem Bullæ loquitur: [Veneramur Constantiense Concilium, & cuncta, quæ præcesserunt, à Romanis Pontificibus nostris prædecessoribus approbata, inter quæ nullum vmquàm inuenimus fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Pontifice absque ipsius auctoritate conuenerit, quia non est corpus Ecclesiæ sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas.] Si ergo nulla fuere Concilia, quæ pro ratis haberi potuerint, nisi post Summi Pontificis approbationem; & nulla est in Ecclesia potestas, quæ non defluxerit à Capite; sequitur omnia Concilia à Pontifice indubitato pendere, sicque doctrinam, & veritatem, quam modò tuamur, tam esse antiquam, quàm sunt ipsa Concilia, immò cum istis natam.

Opponit 16. Ipsi Romani Pontifices, præsertim Gelasius, Cœlestinus I. Leo, Simplicius, Martinus, Gregorius Magnus, Ioannes VIII. Eugenius III. apertè profitentur: [Se sacrorum Canonum, Conciliorumque De- Maimburg. ch.20.fol.2.

Decretis subiectos esse; non posse terminos Patrum præterire; non contra statuta maiorum agere; contra Deum, & Canonum Sanctiones non posse supplicantium precibus acquiescere, Pontificibus regulas dominari, non Pontifices Regulis, &c.]

Resp. Ad hanc obiectionem iam sæpè, & inuictè responsum est. Loquuntur Pontifices de Concilijs non Acephalis, & à Pontifice Romano improbatis; sed de Concilijs confirmatis, approbatisque, de quibus nulla in præsentia quæstio est. Deinde alia est subiectio quoad vim directiuam, alia quoad vim coactiuam: de hac in Concilio Constantiensi dictum est: [Papam electum ligari non posse,] vt suprà ostendimus. De directiua certum est, nullam inferre superioritatem; nam & Papa suis legibus, & suorum Antecessorum obligatur; non ideò tamen Papa, aut sibi, aut suis Antecessoribus subiectus est; & ratio est, quia vis directiua non tam ex lege humana, quàm diuina, & naturali proficiscitur vitandi scandali, se conformandi cum alijs Reipublicæ partibus, ac præsertim non prouocandi subditos ad contemptum Legum, quod fieret Legislatore nullas Leges curante. Deinde multa dicimur non posse, quæ licèt validè à nobis fiant, non tamen honestè, non licitè, non vtiliter, hæc enim à Iure Ciuili, & Canonico inter impossibilia reputantur, & in hoc sensu celebrem illam sententiam pronuntiarunt Imperatores, videlicet: [Dignam esse vocem Maiestate Regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri, & maius imperio esse, submittere legibus Principatum.] Et Paulus Iurisconsultus: [Legata Imperatorem vindicare inuerecundum est, decet enim tantam Maiestatem eas seruare leges, quibus ipse solutus est.

L. digna vox ff. de legib. L. ex imperfecto, ff. de Legatis 3. Vid. Regale Sacerdot. f. 445. S. Th. 1. 2. qu. 96. art. 5. ad 3. Gratian. causa 25. q. 1.



DIS-



DISSERTATIO QVARTA.

In qua refutantur, quæ contra Romani Pontificis è Cathedra pronunciantis Infallibilitatem à Maimburgo, alijsque opponuntur.

§. I.

Ex praxi, vsuque Ecclesiæ, ac Phrasi, modoque loquendi omnium SS. Patrum ostenditur Pontificis Romani infallibilitas.

SVMMARIA.

1 *Summum Pontificem Infallibilem esse, ex omnium SS. Patrum Elogijs ostenditur.*
2 *Ex inductione omnium sæculorum, quibus quicumque Romano Pontifici obtemperabant pro Orthodoxis.*
3 *Eos verò, qui non obtemperabant, pro Atheis, & Hæreticis habitos esse demonstratur.*
4 *Ex vsu, & Praxi Pontificum, multa fidei dogmata sine Concilio decidentium.*
5 *Ac hæreses plerasque absque concursu Concilij Oecumenici damnantium; quod inductione probatur, Cerdonis, Valentini, Theodoti, Montanistarum, Cataphrygum, Origenis, Cypriani.*
6 *Necnon Apollinaris, Ioiniani, Ruffini, Pelagij, Nestorij.*
7 *Adstipulante ipsamet Synodo Chalcedonensi.*
8 *Præterea ex damnatione Petri Cnaphæi Eutychiani, Monothelitarum, Iconoclastarum, Photij; Berengarij, Abaillardi, Lutheri, Michaelis Baij, Iansenij.*
9 *Ac nouissimè Ludouici de Molines sub Innocentio XI. moderno PP.*
10 *Tandem testimonio Bernonis Mon. S. Galli, postea Abbatis Augiensis.*

I. MAimburgus Romani Pontificis auctoritatem in rebus fidei decidendis impugnaturus, solitis artibus pugnæ præludit, reuerentiam, obsequiumque profitetur; præsertim, [se Patrum, se Conciliorum, ac venerabilis Antiquitatis sententiam expositurum, & ex huius voto, citra omnem argumentandi, disputandique strepitum (nam hoc abstinere se omninò velle) causam finiturum.] Ita Maimburgus, tunc blandissimus, cùm insidias parat, ac semper promissis diues. Pollicetur Antiquitatem, vt huius reuerentia causam suam muniat; & muniret quidem, si Antiquitatem ex vero sponderet. Sed tamen certum est, Antiquitatem totam Maimburgo obsistere, ac pro nobis facere, vt omninò appareat, hanc quoque vnam esse ex Maimburgi fallacijs, pyratarum more vexilla mutantis, alienamque militiam profitentis. Totius ergo retrò Antiquitatis hanc vnam, veramque sententiam fuisse ostendam, vt videlicet crederent, quæ à Romano Pontifice in materia fidei semel decisa forent, inconcussa esse, omnisque dubij expertia, nec posse reijci, aut in litem vocari, nisi ab ijs, qui, aut Schismatis, aut etiam Hæresis nota configi vellent. Si ergo palàm fecero, & Concilia, & Patres, & omnium seculorum traditionem à nobis stare, duas simul victorias consequar, videlicet, & Maimburgum falsi conuincam, Antiquitatem simulantis; & Gallicanam Ecclesiam nostrarum esse partium ostendam, hæc enim palàm profitetur, se adhærere antiquorum Patrum, Conciliorumque auctoritati. Vnum ergo, idemque erit, antiquos Patres pro nobis, & Ecclesiam Gallicanam proferre, præsertim cùm Patres Conuentus vltimi Parisiensis in limine suæ declarationis profiteantur, [fundamenta libertatum Gallicanæ Ecclesiæ Sacris Canonibus, Patrumque auctoritate, & traditione niti. Patres ergo, Sacrosque Canones audiamus, & ex istorum voto causa decidatur. Nam Scripturas Sacras quod attinet, illæ tam claræ sunt, & in Regali Sacerdotio ex mente Sacrorum Ecclesiæ Doctorum tam luculenter explicatæ, vt nihil dicendum superfit, pigetque iam dicta repetere. Primò ergo modum loquendi in genere in hac materia à Patribus vsurpatum, tum praxim Ecclesiæ, ac tandem Patrum per omnium seculorum decursum sententias expendemus.

Maimburg. Traitté hist. ch. 6. fol. 55.

Primò igitur, Infallibilitas Pontificum in

in rebus fidei decernendis ex ijs titulis, ac elogijs constet, quæ non ab vno tantùm, aut altero, sed ab omnibus certatim Patribus Pontifici Romano tribuuntur. Sexta Synodus in Prosphonectico ad Constantium Imperatorem: [Adamantem fidei, vocat, cuius solida mens aggressionibus, atque conflictibus alienæ à fide opinionis non est vulnerabilis.] Sanctus Chrysostomus homilia 2. in Psalm.50. & homilia de Petro, & Elia: [Basim fidei immobilem.] Tres Synodi Africanæ in Synodica ad Damasum: [Beatitudinem, cui Episcoporum iudiciaria, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum in honorem beatissimi Petri Patrum decreta omnium cunctam reseruauere sententiam.] Paschasius Legatus Pontificius in tertia Oecumenica Synodo Ephesina, Patribus non tantùm non reclamantibus, sed vehementer, & effusè applaudentibus: [Caput Vniuersalis Ecclesiæ, Petri Apostoli præditum potestate, qui Ecclesiæ fundamentum, & Petra Fidei appellatur.] Philippus itidem Legatus in Concilio Ephesino tomo 2. cap.15. [Caput totius Fidei.] Iterum sanctus Chrysostomus in Encomio SS. Petri, & Pauli: [Consiliarium necessarium Christianorum.] Andronicus Imperator epistola ad Ioannem XXI. apud Eugubinum lib.2. de Donatione Constantini: [Successorem Petri Apostoli, verticis Apostolorum, qui habet potestatem de fide iudicandi, & si quæ de Fide subortæ sunt quæstiones, suo iudicio dissoluendi.] Iterum Concilium Ephesinum tomo 2. cap. 15. Sanctus Petrus Chrysologus serm. 107. & Martinus I. ep. 11. Sanctus Anselmus lib. de Incarnat. verbi c.1. [Custodem vitæ, & fidei Christianæ.] Synodus Alexandrina ad Felicem Papam, & Sergius Cyprius in Concilio Lateranēsi sub Martino I. [Depositorem prophanarum hæreseon.] Tertullianus lib. de Præscript. [Felicem, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt.] Constantinus Pogonatus ad Leonem Papam: [Pastorem Romanæ Ecclesiæ super Petram fundatæ, & portis inferi, hoc est, insidijs hæreticorum ex prædictione Christi numquam succubituræ.] Sanctus Maximus epist. ad Abbatem Thalassium: [Pastorem Ecclesiæ, quæ ab olim huc usque omnibus præest, vtpote senior cunctarum, quæ sub sole sunt, Ecclesiarum, ac nullis (propter Pontificatus prouectionem) scriptis, aut Synodicarum editionibus chartarum subiecta.] Theodorus Studita ad Paschalem lib.2. epist.13. [Facem diuinitùs lucentem ad Ecclesiæ, quæ sub Cœlo est, illuminationem in Apostolica Sede collucentem.] Sergius Cyprius ad Theodorum Papam in Concilio Lateranen. sub Martino I. Secretario 2. [Firmamentum à Deo fixum, & immobile, ac formam lucidissimam fidei diuinitùs constitutam.] Iterùm Theodorus Studita epist. ad Paschalem Papam, lib. 2. epist.13. [Fontem verè illimem, ac sincerum iam indè à principio veræ fidei.] Andreas Cretensis serm. de Transfigurat. Et Stephanus Episcopus Dorensis epist. ad Synodum Lateranensem sub Martino I. consultatione 2. [Fundamentum dogmatum Fidei.] S.Athanasius cum Collegis epistola ad Felicem Papam: [Fundamentum, super quod Columnæ Ecclesiæ confirmatæ sunt.] Zozimus Papa epist.10. [Iudex, de cuius iudicio disceptare nemo audet.] Synodus Romana sub Nicolao I. contra Photium: [Iudex omnes iudicans, ipse à nemine iudicandus.] Sanctus Bonifacius apud Surium in vita sancti Burchard. lib.1. cap.9. [Magister Vniuersalis Episcoporum.] S. Ignatius ad Nicolaum I. [Medicus vnus, singularis, præcellens, Catholicissimus, à Deo prouisus sanandis Christi membris.] Hincmarus initio operis de Diuortio: [Nutritius, & Doctor omnium Ecclesiarum.] Tarasius ad Hadrianum Papam: [Oculus totius Corporis ostendens rectam veritatis semitam.] Osuui Rex Saxonum apud Bedam lib.3. histor.Angl.cap.25. [Ostiarius, cuius obediendum est statutis, ne aduenientibus ad fores Regni Cœlorum non sit, qui reseret, auerso illo, qui claues tenere probatur.] Theodorus Studita epist. ad Paschalem: [Portus securus totius Ecclesiæ.] Hieronymus epist. 16. [Portus tutissimus totius Catholicæ Communionis.] Rupertus præfatione ad libros de SS.Trinitate Pontifici inscripta: [Præcentor Christianæ fidei.] Constantinus Magnus in Edicto: [Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi, cuius iudicio, quæque ad cultum Dei, vel fidei Christianæ stabilitatem procurata fuerint, disponuntur.] Gotfridus Vindocinensis epist. 7. lib.1. [Princeps Fidei Catholicæ.] Iterum Constantinus Pogonatus epist. ad Leonem Papam: [Propugnator firmus veritatis, accinctus verbi gladio, cuius est omnem hæreticum auditum, atque doctrinam præcidere.] Concilium Chalcedonense actione 29. in Prosponetico ad Martianum Imperatorem: [Propugnator impenetrabilis ab omni errore, quem Deus prouidit doctrinis, eum per omnia veritati adstringens, vt quemadmodum Petrus, &c.] Theodoretus Studita: [Thronus supremus verticalis, in quo Christus fidei claues posuit, aduersùs quem non præualebunt vsque ad consummationem Portæ inferi, ora scilicet hæreticorum.] Hæc & alia quàm plurima elogia, quæ non ab vno tantùm, sed ab omnibus ferè Patribus confertim in Summum Pontificem cumulantur, omninò persuadent, sensisse illos, & cum eis totam Ecclesiam, Pontifices Romanos in rebus fidei decidendis errorum expertes esse, nec falli posse. Nec enim Ecclesia, & fideles vniuersi aliud sentire, & credere poterant, quàm didicerant; nec ab alijs didicerant, quàm à Sanctis Patribus, suis videlicet Doctoribus, & Magistris; nec Sancti Patres aliud docuerant, quàm quod ipsi sentiebant; tantòque maioris momenti eorum testimonium habendum est, quòd, cùm scriberent causa adhuc integra, nec in litem vocata, eximiaque insuper sanctitate florerent; suspicari nemo potest, eos, aut partium studio, aut adulatione corruptos festinasse tot elogijs Pontificis gratiam promereri; nondum erant ea tempora, nec fauore, aut pretio calami locabantur. Quòd si Patres hæc de Concilijs dixissent, quæ de Pontifice dixerunt, an non crederent aduersarij, se omninò acie victores esse, quanroque cum triumpho illa vbique decantarent? Et tamen ne vllum quidem apicem proferre possunt, quo Concilium Acepha-

pha-

phalum, ac Papæ oppositum à Patribus laudetur, multò minùs, quo infallibile appelletur, aut ei suprema in rebus fidei iudicandis auctoritas tribuatur. Quando enim, & apud quos Ecclesiæ Doctores legerunt, Concilium Acephalum, & quod peius est, Concilium Papæ oppositum, ab eoque dissentiens, esse [Fidei adamantem, esse, basim immobilem, esse supremum Fidei tribunal, quod à nullo iudicari possit, esse fundamentum, & Caput Ecclesiæ? Hæc planè numquam de Concilio Papæ opposito, aut etiam de Concilio non confirmato dicuntur; nec ab aduersarijs, qui tamen tot folia impugnando Pontifici impleuerunt, vel syllaba produci potuit; si ergò, vti dicunt, sanctorum Patrum vestigijs adeò constanter inhærent, cur Concilijs priuilegia tribuunt, quæ Patres numquam tribuerunt? Pontifici verò cur negant, quæ Patres numquam negarunt, sed certatim; & confertim, atque à primis Ecclesiæ nascentis temporibus tribuerunt? Hoc est ergò Patrum exempla sectari, negare, quod Patres asserunt, asserere, quod Patres negant? Nec dicant, elogia hactenus recitata non ad Pontifices vniuersim pertinere, sed vel ad sanctum Petrum, vel ad alios particulares Pontifices, v. gr. Leonem, Cœlestinum, &c. sicque esse elogia personalia, & dignitatis; ac consequenter non posse ad omnes Pontifices extendi. Respondeo enim, plerosque allegatorum Patrum loqui de priuilegio Cathedræ, non personæ, & fundari in promissionibus à Christo factis, videlicet: [Tu es Petrus, &c. Portæ inferi non præualebunt, &c. Pasce oues meas, &c.] Quæ promissiones ex sensu omnium Catholicorum sunt vniuersales, nec ad solum Petrum, aut particulares aliquos Pontifices, sed ad omnes Petri successores pertinent; alioquin quomodò probarent perpetuum, & vniuersalem Primatum omnium Romanorum Pontificum? Et planè negari non potest, hanc omninò Christi mentem, & Ecclesiæ necessitatem fuisse. Nàm priuatam Petri personam, quod attinet, parùm intererat, eam fallibilem esse, aut infallibilem, immò si abstrahas à publica Ecclesiæ vtilitate, minùs Petro nocebat, eum falli posse, quàm peccare posse; & tamen certum est; peccare potuisse. Si verò non priuatam Petri personam, sed eius dignitatem, ac officium, & consequenter Ecclesiæ Catholicæ necessitatem attendas, æquè, immò magis oportebat, omnes Petri successores, quàm ipsum Petrũ, in rebus, & dogmatibus fidei tradendis infallibiles esse; mortuis enim Apostolis, sanctitate, ac miraculorum gratia minùs, quàm Apostolorum ætate, abundante, hæresibus ex omni parte erumpentibus, ac fidem impugnantibus, quis non videt, maiorem nunc esse ad conseruandam Religionem capitis visibilis, & infallibilis necessitatem, quàm fuerit olim? nisi dicas, firmum, ac solidum fundamentum tantùm domui inchoandæ necessarium esse, non verò perficiendæ, & consummandæ; ac peritum cœli, marisque Nauarchum incipiendæ tantùm nauigationi quærendum esse, & dùm nauis adhùc in portu est, aut propè littus, non verò naui in altum prouecta; & ventis, ac tempestate iactata. Nec obstat, non ampliùs opus esse Capite, ac Pastore visibili, Ecclesia iam constituta, & Petro, alijsque Apostolis per scripturas loquentibus; nàm de ipso scripturarum sensu, & interpretatione summa concertatio est, nec aliunde tot hæreses natæ, prolatæque, quàm ex falsa scripturarum explicatione; vndè, vt insistam prælibatæ similitudini, sicut ad fœlicem, securamque nauigationem non sufficit, chartas hydrographicas, cursumque stellarum antè oculos poni nauigantibus, nisi vnus sit Gubernator, qui & eas intelligat, & cursui, ac necessitati aptare nouerit, suoque imperio, ac directione reliqua seruitia, remigesque in officio contineat; ità in Ecclesia Dei, in qua tot quotidiè naufragia animarum, ac fidei, parùm est, mysteria Religionis chartis inscriptas esse; nisi alius sit, qui eas certò interpretetur, & cui omnes Fideles sine vlla erroris suspicione obedire teneantur, alioquin quàm timida erit, & anxia Religio, semper videlicet aut cadens, aut casum expectans? Hæc omnia probant, priuilegium infallibilitatis non soli Petro, sed omnibus eius successoribus necessarium esse; & Patres, qui de Petro loquuntur, non de persona, sed de officio Petri, ac dignitate loqui, sicque de omnibus Romanis Pontificibus, ad quos dignitas, & officium transit. Deinde Patres loquuntur de ingenti, ac præcipuo Ecclesiæ Romanæ priuilegio, nullis alijs Ecclesijs concesso; at nullum esset peculiare priuilegium, si id tantùm vellent, Petrum, Leonem, & Cœlestinum, paucosque alios in tradendis fidei dogmatibus nullo errore corruptos fuisse; quæ est enim Ecclesia toto Orbe terrarum, quæ vel Apostolos fundatores non habuerit, vel alios Episcopos immaculatæ fidei? Non ergò esset hoc speciale priuilegium Romanæ Ecclesiæ, si Patres de vno tantùm, aut altero Pontifice intelligantur, aut de solo Petro.

II. Secundò, accedit praxis, vsusque Ecclesiæ perpetuus, qui hanc ipsam Romanorum Pontificum infallibilitatem multis ex capitibus euincit; nàm quicumque à Pontifice Romano in rebus fidei decreta, & definita non recepisset, sed ijs obluctatus esset, pro Hæretico, & Schismatico habitus est, & ab Ecclesiæ communione præcisus. Ità rem se habere Patrum testimonia in medium prolata certum, palàmque facient.

Anno 109. passus est sanctus Ignatius Apostolorum discipulus, qui epistola ad Romanos, postquàm Ecclesiam Romæ existentem vocasset: [Deo dignam, decore dignam, meritò beatissimam, dignam laude, dignam, qua quis potiatur, castissimam, & præcellentem dilectione Christi, spiritu plenam, &c.] Posteà circa medium loquens de Cleto, & Clemente successoribus Petri: [Qui igitur, inquit, his non obedit, atheus prorsùs, & impiùs est, & Christum contemnit, & constitutionem eius imminuit.] Vbi nota, Ignatium loqui non de solis Clemente, & Cleto, sed de omnibus Petri successoribus, vt significant ea verba: [Constitutionem Christi imminuit.] Constitutio verò Christi, videlicet: [Super hanc petram, &c, Tibi dabo claues Regni Cælorum, &c.] complectitur non solùm Petrum, sed omnes eius successores, vt constans est omnium Catholicorum sententia.

Anno 261. sanctus Cyprianus martyrium subijt. Is libro 4. epist. 9. ità scribit: [Qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.] At Cathedram Petri deserit, qui, quæ Petrus, Petrique successores ex Cathedra definiunt, acceptare renuit; quid enim est aliud Cathedram deserere? aut si Cathedra Petri errare potest, cur non æquè Cathedram Petri, ac Cathedram Pauli, Iacobi, Ioannis, aliorumque deserere liceret? quisquis enim errare potest, deseri potest, nec fidem meretur; nec ob aliam causam infallibilitas Romanæ Cathedræ negatur, quàm vt eam impunè liceat deserere. Neque dicas, sanctum Cyprianum de ijs tantùm loqui, qui Cathedram Petri in omnibus, non verò, qui in vno tantùm, alteroque articulo ab ea deficiunt. Hæc enim euasio ridicula, & vana est. Nàm qui docent, Cathedram Petri errare posse, non tantùm in vno, alterone, sed in omnibus, vtcumque libuerit, deserunt. Cùm enim dicis, Pontificem ex Cathedra docentem errare, fallique posse in exponendo vero scripturæ sensu, rebusque fidei decidendis, quæro, an in omnibus? Si in omnibus, ergò apertè sequitur, posse in omnibus deseri, sicut potest in omnibus errare. Si in vno tantùm, alteroque, quæro, in quo possit errare, & in quo non possit? & cur in vno magis, quàm in altero? & quam ob causam voluerit Christus in vno potiùs esse infallibilem, quàm in alio, cùm tamen oporteat, Ecclesiam, & consequenter Ecclesiæ Magistrum, & Pastorem non in vno tantùm, alteroque, sed in omnibus, quæ ad fidem pertinent, erroris expertem esse? Quid, rogo, proderit, vnam hosti portam occludere, alia patente? vnum venenum respuere, aliud admittere? fundamentum Ecclesiæ vna ex parte firmum, solidumque esse, alia infirmum, ac ruinæ obnoxium? Deindè nullus vmquam fuit, eritque Hæreticus, qui in omnibus fidei articulis à Cathedra, & doctrina Romanorum Pontificum recesserit, non Arius, non Pelagius, non Nestorius, non Lutherus, non Caluinus; frustrà ergò, & sine causa diceret Cyprianus: [Qui Cathedram Petri deserit, in Ecclesia nõ esse;] quippè de casu loqueretur, qui nunquam contigit, & nunquam contingere potest. Imò si Patrũ testimonia consideres, luce meridiana clariùs erit, eos de particularibus tantùm casibus loqui, non verò de ijs, qui vniuersim, omnique ex parte, & quoad omnes fidei articulos à Cathedra Petri deficiunt. Neque dicas, Cathedram Petri deserendam non esse, quando ex præscripto sacræ scripturæ, verbique Diuini aliquid docet, in hoc enim casu, non verò in alijs esse infallibilem. Verùm quidem est, numquam debere Romanum Pontificem aliquid docere, quod scripturæ, & veritati aduersetur, sed quæstio est, vtrum possit huiusmodi aliquid contra scripturam, & veritatem docere? nàm si potest, frustrà ex Cathedra Petrus clamabit; dicam enim, quoties libebit, eius doctrinam cum scripturis pugnare, nec vmquam scripturæ, & rationes deerunt ad id confirmandum, sicut nec Ario, nec Luthero, nec alijs Hæreticis omnibus defuere. Quando, rogo, lis finietur, si ex partium arbitrio pendeat, declarare, sententiam à Iudice prolatam contra leges pugnare, & ideò nec obligare? Nec Cyprianus de priuilegio Cathedræ, sed sacræ scripturæ loqueretur (quemadmodum, quòd hedera plantæ implicita sursum, & in altum feratur, non est proprietas hederæ, sed plantæ) cùm tamen constet, loqui de priuilegio Cathedræ. Et frustrà diceret Cyprianus: [Qui Cathedram Petri deserit, non esse in Ecclesia,] si crederet, Cathedram Petri errori subiectam esse, & tunc solùm non deserendam, cùm constat, eam nihil aliud docere, quàm quod docet scriptura; hoc enim non tantùm Cathedræ Romanæ priuilegium est, sed etiam Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Mediolanensis, immò omnium Episcoporum, & Sacerdotum, ac etiam cuiuslibet priuati Doctoris, vt videlicet errare non possint, nec deseri debeant, quoties, & quando aliquid scribunt, docentque sacræ scripturæ consentaneum; In hoc ergò sensu æquè dicere poterat Cyprianus: [qui Cathedram Carthaginensem, Mediolanensem, immò Tertulliani, & Origenis deserit, in Ecclesia se esse non confidat.] Quæ omnia, quàm sint absurda, nemo non videt. Hæc obseruatio sequentibus quoque Patrum testimonijs aptanda est, ne oporteat idem sæpiùs repetere.

Anno 368. obijt Optatus Mileuitanus, qui libro 2. contra Parmenionem hæc habet: [Negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, vt iàm Schismaticus, & peccator sit, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.] Si vnitas ab omnibus cum Cathedra Petri seruanda est, oportet ergo, eam Cathedram esse infallibilem, alioquin ab ea discordare liceret; vbi verò est discordia, ibi vtique non est vnitas doctrinæ; & cur potiùs in Cathedra Petri sit vnitas doctrinæ ab omnibus seruanda, si æquè, ac aliæ Ecclesiæ, Cathedra Petri errare possit? Et rursùs si Schismaticus est, qui contra singularem Petri Cathedram aliam collocat, quæro, an ab hac nota eximi possint, qui contra Cathedram Petri aliam Cathedram in Concilio collocant, quales fuerunt Basileenses. Quæro etiam, an qui contra Cathedram Petri, & contra sacrosancta Innocentij XI. decreta, & diplomata, Regaliam extendi prohibentis, eandem Regaliæ extensionem approbarunt, quique ideò Pontificem falli, ac errare posse docuerunt, vt, quoties luberet, eum possent erroris arguere, aliamqué doctrinam Pontificiæ doctrinæ oppositam docere? quæro, inquam, an ij contra Cathedram Petri non aliam Cathedram collocent? quid enim est aliud alia Cathedra, quàm alia doctrina? Nàm si velint tùnc tantùm Cathedrã contra Cathedram collocari, quando Pontifici legitimè electo alius Pontifex opponitur, nihil hìc speciale Cathedræ Romanæ concederetur. Rursùs si Schismaticus est, qui doctrinæ à Cathedra Romana traditæ aliam doctrinam opponit; ergò oportet, doctrinam Romanæ Cathedræ esse infallibilem, nec enim Schismaticus dici potest, qui doctrinam probabilem quidem, sed tamen adhùc incertam,

ac

ac errori obnoxiam amplecti renuit.

Anno 397. obijt sanctus Ambrosius, qui in Oratione funebri de excessu fratris sui Satyri: [Aduocauit, inquit, Satyrus Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi solius fidei gratiam, percunctatusque est ex eo, vtrùmnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret?] Et epistola 11. ad Ageruchiam: [In omnibus Romanæ Ecclesiæ formam, & typum sequimur.] Si ergò ex mente Ambrosij vnum, idemque est: [Cum Ecclesia Catholica, & cum Romana Ecclesia conuenire;] sequitur, eum, qui non conuenit cum Ecclesia Romana, multòque magis, qui ab ea positiuè in rebus fidei dissentit, ne quidem cum Ecclesia Catholica consentire, & consequenter Schismaticum esse. Ergò oportet, doctrinam Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Romani Pontificis è Cathedra pronunciantis, omninò infallibilem esse, alioquin cur ab eâ dissentire non liceat, si errare potest?

Anno 430. obijt sanctus Augustinus, qui epistola 157. [In verbis, inquit, Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica fides, vt nefas sit dubitare Christianis.] Si doctrina, & decreta fidei Sedis Romanæ sunt certa, si, qui de illis dubitat, non est Christianus, sed nefarius, ergo doctrina Sedis Romanæ est infallibilis; alioquin, & dubitare de illa liceret, nec magis nepharius esset, indignusque nomine Christiano, qui illam, quàm qui Constantinopolitanæ, aut alterius Sedis decreta respueret.

Anno 420. obijt sanctus Hieronymus, cuius hæc sunt verba epist. 57. ad Damasum Pontificem: [Ego Beatitudini Tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est, si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluuio. Quicumque tecum non colligit, dispergit, hoc est, qui Christi non est, est Antichristi.] Obserua, vnum idemque esse apud sanctum Hieronymum, Cathedram Petri (qui vtique errare non potest) & Cathedram Pontificis Romani; & qui cum Pontifice Romano non colligit, hoc est, contrariam ab eo in rebus fidei sententiam tenet, non esse Christi, sed Antichristi, nec intrà arcam Noe, (hoc est, in Ecclesia) sed extra illam, hominemque prophanum esse. Quæ vtique dici non possunt, nisi de doctrina certa, & infallibili. Idem Hieronymus in expositione Symboli: Si autem hæc nostra Confessio Apostolatus Tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.

Anno 432. sanctus Cœlestinus I. Pontifex Maximus extinctus est. Hic epist. ad Episcopos Galliæ hæc habet: [Satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt; vt prorsùs non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententijs esse contrarium.

Anno 444. moritur Cyrillus Alexandrinus. Hic epist. ad Cœlestinum ita scribit: [Quamuis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, declarare, quo liquidò constet, communicare ne nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denunciare, &c.] Nestorius grauissimis scripturæ, Patrumque testimonijs premebatur, & tamen non palàm constabat, communicare cum illo, an secùs oporteret; idque ex sententia Pontificis vnicè pendebat, vt patet ex allegata Cyrilli sententia; itemque ex alia Hieronymi epistola 58. ad Damasum: [Si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus, sed mihi credite, venenum sub melle latet.] Si ergo sententia Pontificis, & cum ea consensus est nota verę, & Catholicæ Religionis, sequitur, esse infallibilem, & erroris expertem; doctrina enim falsa, & incerta non potest esse signum verę & indubitatæ fidei.

Anno 461. sanctus Leo Magnus mortem oppetijt. Is epist. 87. ad Episcopos Viennensis Ecclesiæ: [Prædicationis Euangelij Sacramentum ita Dominus ad omnes Apostolos pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso, velut quodam Capite, dona sua, velut in corpus omne, diffunderet, vt exortem se mysterij esse diuini intelligeret, quisquis ausus fuisset à Petri soliditate recedere.] Neque dicas, sanctum Leonem loqui de sola Petri persona, non verò de illius successoribus. Nam ex contextu eius Epistolæ palàm est, sanctum Leonem hanc ipsam Petri prærogatiuam ad omnes eius successores extendere. Deinde si personam Petri consideres, prout tantùm Apostolus erat, non magis eius doctrina in rebus fidei infallibilis erat, atque à Deo inspirata, quàm aliorum Apostolorum; & ideò sanctus Leo, vt patet etiam ex eius verbis, loquitur de Infallibilitate sancti Petri, non, vt Apostolus erat, sed vt Caput Ecclesiæ, & consequenter de Infallibilitate Dignitati annexa, quæ perpetua est, & ad omnes Petri successores transmissa; idque iure meritò, cùm Ecclesiæ non prima tantùm sui ætate, sed semper, & perpetuò visibili Capite, fundamento solido, ac Iudice controuersiarum indiguerit; oportuit ergo Infallibilitatem in bonum, ac ædificationem Ecclesiæ Petro concessam non cum ipso Petro interire, sed in eius successores perpetuari.

Anno 549. sanctus Pelagius Papa Augustinum citans: [Contra Apostolicam Sedem temerè credentes, pessima diuidit opinio, quod Schisma specialiter esse denuntiat Augustinus. Habetur in decr. Grat. c. quon. 24. qu. 1.

Anno 549. Patres Concilij Aurelianensis in Gallia: [Quas etiam Sectas Sedes Apostolica condemnat, similiter cum suis auctoribus, & sectatoribus execrantes anathematizamus, rectum, atque Apostolicum in Christi nomine fidei ordinem prædicantes.

Anno 878. Patres Concilij Trecensis æquè in Gallijs habiti: [Iudicium vestræ auctoritatis, quod priuilegio Diui Petri, & Sedis Apostolicæ protulistis, voto, voce, & vnanimitate nostra persequimur, scilicet quos ex-

excommunicastis, excommunicamus, quos ab Ecclesia abiecestis abijcimus.] Sententia ergo Pontificis est infallibilis auctoritatis; quomodo enim dignus esset Ecclesia excludi, qui dubiæ, incertæque doctrinæ fidem non adhiberet? Et nota illa verba: [Iudicium vestræ auctoritatis, quod priuilegio Diui Petri, & Sedis Apostolicæ protulistis, &c.] Quæ omninò significant, infallibilitatem iudiciorum Apostolicorum in rebus fidei fundari in priuilegio Diui Petri, Sedisque Apostolicæ, sicque esse perpetuum, & ad omnes Pontifices, Petrique Successores pertinere.

Anno 843. Gregorius IV. Pontifex Maximus epist. ad vniuersos Episcopos, prout habetur cap. Præceptis d. 12. Omnis Sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apostolicam quasi ad Caput Ecclesiarum debeat referri, & indè normam sumere, vbi sumpsit Originem, cuius auctoritatis sanctionem omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ Petræ, supra quam Christus vniuersalem fundauit Ecclesiam, societate diuelli.

Anno 1061. sanctus Nicolaus Papa II. in epistola ad Mediolanenses, & habetur in cap. Omnes dist. 22. Fidem violat qui aduersùs illam agit, quæ mater est fidei, & illi contumax inuenitur, qui eam forsan non cunctis Ecclesijs prætulisse inuenitur.

Anno 1085. Gregorius VII. in dictato Canone 26. [Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.] Scio, apud aliquos Gallorum Gregorium VII. non bene audire, quippe nimiæ seueritatis accusatum (seueritatem enim in Pontifice appellant, quam in aliquo suorum Iudicum animi magnitudinem, in Senatore inuictam fidelitatem appellarent) sed cùm Gregorius nihil aliud dicat, quàm quod alij sancti Patres, & Pontifices dixerunt, non potest in Gregorio in dubium ea sententia vocari, quam ab alijs sanctis Patribus hausit; alioquin poterit Gregorius dicere, quod olim sanctus Hieronymus epist. 77. [Quid vnum hominem exceptis socijs criminantur? si riuus tenuiter fluit, non est aluei culpa, sed fontis.

Annò 1167. Hugo Etherianus de Process. Spiritus Sancti lib. 3. cap. 10. qui habetur in Bibliotheca Patrum: [Æquum est, ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex annuntiat; qui autem primæ Sedis, imò totius Orbis Præsulis resistunt, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ indicio plectentur. Quicumque Christi nauiculam spernit, incautè nauigat, & nisi plumbeas moles peruicacitatis abijciat, influent maria.

Anno 1054. sanctus Leo IX. epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum: [Quid hoc monstri est, frater charissime? Romana Ecclesia adeò non est sola, vel, sicut tu putas, vna, vt in toto orbe terrarum quæcumque natio dissentit superbè ab ea, non sit iam dicenda, vel habenda Ecclesia aliqua, sed omninò nulla, quin potiùs Conciliabulum hæreticorum, aut Conuenticulum Schismaticorum, & Synagoga Sathanæ.

Anno 1114. sanctus Iuo Carnotensis epistola 8. Cuius iudicijs, & Constitutionibus obuiare est hæreticæ prauitatis notam incurrere.] Loquitur Iuo de quodam iudicio prolato ab Vrbano II. extra omne Concilium Oecumenicum.

Anno circiter 1200. Goffridus Vindocinensis epist. 30. Eodem spiritu, quo dictante, & lex prima per Moysem data est, & per Christum secunda, sancta Apostolica Sedes Canones dedit, & ipso inspirante exposuit. Si quis igitur Apostolicæ Sedi in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit, quicumque est ille, sed desipit, non cultor, vel expositor diuinæ legis, sed insidiator, & oppressor indubitanter agnoscitur.

Ex his Patrum, etiam primorum seculorum, sententijs manifestum est, eos, qui in rebus fidei Summorum Pontificum Decreta non recepisseut, pro hæreticis, ac Schismaticis ab Ecclesia habitos esse, & consequenter infallibilem esse Summorum Pontificum auctoritatem; si enim falli possent, eorum Decreta ad Fidem non pertinerent; si ad Fidem non pertinerent, ergo qui contra illa sentiret, hæreticus non esset, hæresis enim est peccatum fidei oppositum; nec incerta, & dubia sub pœna hæresis, & schismatis credere teneor; fides enim est de certis, & infallibilibus, non de incertis, dubijsque.

Neque dicas, Patres loqui de Pontificum Decretis ab Ecclesia receptis. Nam Primò ex contextu allatorum testimoniorum constat, Patres loqui de Decretis Pontificum recèns editis, & nondum tota Ecclesia vulgatis, & consequenter necdum in Ecclesia receptis; nec Patres vllam mentionem faciunt de necessario Ecclesiæ consensu, vt legentibus patet; gratis ergo, & sine vllo fundamento id dicitur; & mirum est, Aduersarios tanto strepitu Patres inclamare, & quando posteà Patrum auctoritate opprimuntur, ad tergiuersationes fugere nullo Patrum testimonio nixas. Agite enim, quis Augustinus, quis Ambrosius, quis Hieronymus dicit, Decreta Pontificum in causis fidei reijci posse, donec Ecclesiæ consensus accedat? Quòd si nullus dicit, vt planè nullus dicit, nec produci aliquis potest, quis pudor est, vos, qui singulis paginis ad Patres vano terrore prouocatis, in re tanti momenti sine Patribus loqui? & cùm nos non manipulos tantùm, sed agmina Patrum producimus, istorum auctoritati distinctiunculas opponitis apud vos natas, repertasque eludendæ veritati, perindè, ac si Patres dicant, quidquid vos fingitis.

Secundò. Si certitudo Decretorum, quę Pontifices in causis fidei ediderunt, à consensu Ecclesiæ pendet, ergo non Ecclesia in Petro, eiusque successoribus fundatur, sed potiùs Petrus in Ecclesia fundatur, nec Petrus erit fundamentum Ecclesiæ, sed Ecclesia potiùs erit fundamentum Petri; id verò tam apertè sacris litteris, Patrumque testimonijs repugnat, vt nihil magis; semper enim Patres hanc Infallibilitatem referunt in speciale Priuilegium Christi Petro concessum, & illis verbis explicatum: [Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & tu conuersus confirma fratres tuos. Pasce oues meas;] cùm potiùs ex Aduersariorum explicatione dicere oportuisset: [Super Ecclesiam fundabo Petrum; tu Ecclesia confirma Petrum &c.]

Quæ

Quæ omnia in Scripturis, & Patribus inaudita sunt, & tamen ex mente Aduersariorum necessariò consequerentur.

Tertiò. Patres, vt ex eorum verbis constat, loquuntur de hac Infallibilitate doctrinæ tamquam de specialissimo Petri priuilegio, nulli alteri concesso. Atqui si sententiæ Pontificum non sunt certæ, & indubiæ, nisi post consensum Ecclesiæ, nihil planè speciale Petro conceditur; quis enim nescit, non Pontificis tantùm, sed cuiuslibet Episcopi, priuatique Doctoris sententias certas esse, si eas Ecclesia recipiat? quid ergo plus Petro conceditur, quàm Paulo, & Iacobo, & Augustino, & Bedæ?

Quartò. Cùm dicis. Pontificum Decreta assensu Ecclesiæ fieri certa, quid intelligis nomine Ecclesiæ? particulares aliquas Ecclesias? at istæ errare omnes possunt, & à vera fide deficere, vt nimiùm experientia constat. Quomodò ergo fieri potest, vt illæ Ecclesiæ sententias Pontificum reddant infallibiles, & erroris immunes, quæ falli ipsæ, ac errare possunt? num curuum est regula recti? Si verò nomine Ecclesiæ. Ecclesiam vniuersalem intelligis, ista, ne cœco modo, velatisque oculis doctrinæ incertæ consentiat, oportebit, quoties à Pontifice aliquid decernitur, Ecclesiam vniuersalem, aut saltem Concilium œcumenicum conuenire, ac Pontificum Decreta examinare, vtpotè errori obnoxia, & sic tandem consentire; id verò falsissimum est, vt ex posteà dicendis patebit, cùm quamplurimæ hęreses à solis Pontificibus damnatæ sint, nullo Conciliorum assensu; imò Pontifices ipsis Concilijs credenda præscribebant, nec patiebantur sua Decreta in dubium vocari, vt in Regali Sacerdotio ostendimus, & videri possunt epistolæ Leonis PP. præsertim 40. 41. 45. 49. 59. & acta Concilij Chalcedonensis actione 1. & 2. & 3. & 5. & 16. Et Euagrius l.2. cap.4. Tantùmque abest, sententias Pontificum, vt infallibiles sint, consensu Ecclesiæ in Concilijs congregatæ indigere, vt potiùs ipsorum Conciliorum Decreta nulla sint, nisi auctoritate Pontificum confirmentur, quod in Regali Sacerdotio ostendimus. Vide interim epistolam Hadriani ad Tarasium lectam in 7. Synodo actione 2. Gelasium epistola 13. & opusculo de anathem. Tomo 2. Conciliorum, post Concilium Chalcedonense. Socratem l.2. cap.11. & 13. Sozomenum l. 3. cap. 9. Theodoretum l.2. cap.22.

Regale Sacerd. f. 314.

Reg. Sacerdot. f. 309.

Quintò. Patres à nobis producti, expressè, clarèque scribunt, teneri Ecclesias sub pœna hæresis, & schismatis Pontificum Decreta recipere, idque quia [non licet à Petræ soliditate recedere], quia [à Summo Pontifice, quasi à quodam Capite in omnia membra Christi dona diffundũtur &c.] quia Petro dictum est; [Pasce Oues meas]. Quæ omnia ostendunt, non ideò Pontificum decreta certa esse, quia ab Ecclesia recipiuntur, sed ideò recipi, & recipi debere, quia certa sunt.

Sextò. In tota historia Ecclesiastica paucissimos reperias Catholicos, qui solemni Papæ iudicio restiterint, & si restitere, ostendit euentus, eos omnes in errore versatos esse, quod manifestum signum est, Papæ circa fidem sententias etiam ante Ecclesiæ consensum infallibiles esse; & ideò cùm post latam à Papa sententiam Concilia celebrabantur, id erat, vt hæreticorum contumaciæ mederentur (quamquam neminem hæreticorum reperias, qui non eadem audacia, qua Pontificum, etiam Conciliorum Decreta respuerit) vtque collatis capitibus de remedijs prouiderent, quibus singulæ Ecclesiæ contra hæreticorum venena munirentur; non verò vt Pontificum solemne de Fide decretum in dubium reuocarent, multòque minùs, vt abolerent, quod iam suprà exemplo Chalcedonensis Concilij obseruauimus. Errauit S. Cyprianus, quando contra Stephani decretum rebaptizari hæreticos voluit. Errauit S. Polycarpus, alijque Asiani Episcopi, quando, licèt prædicatione B. Ioannis Euangelistæ recens imbuti, contra S. Anicetum, aliosque Romanos Pontifices Pascha celebrari volebant decima quarta Luna, quacumque die illud tandem incideret; quam ob causam S. Victor papa omnes Asiæ Episcopos, aliosque finitimos (quippè teste Eusebio hæresis suspectos) excommunicatione ferire parabat. Et quamuis S. Irænens, alijque tantam seueritatem haud probarent (quam tamen grauissimas ob causas Baronius necessariam fuisse contendit) numquam tamen auctoritatem, & Potestatem Pontificiam in dubium reuocare ausi sunt. Hæc omnia eum in finem dicimus, vt intelligas, etiam ante consensum Ecclesiæ Pontificum sententias ratas, errorisque securas fuisse, & errasse, qui illis obsistebant.

Euseb., & Baron. ad ann. 198.

Septimò. Denique, ipsi Patres, ac etiam Galliæ Doctores sentiunt, scribuntque, omnes Christi fideles necessitate constringi, vt quæ Pontifices in causis fidei decreuissent, amplectantur, sicque manifestè supponunt, etiam ante consensum Ecclesiæ rata, & fixa esse, ac erroris expertia Pontificum Decreta, nec dependere à consensu Ecclesiæ, sed potiùs consensum Ecclesiæ necessariò Pontificum decretis deberi. Audi aliqua tantùm Patrum testimonia, nam plura in progressu dabimus. Epistola sex Galliæ Episcoporum, quæ inter epistolas D. Bernardi est 370. sic habet: [Nulli dubium est; quòd ea, quæ Apostolica firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alicuius possunt deinceps cauillatione mutilari]. S. Callixtus I. epist. ad omnes Galliarum Episcopos: [Talibus igitur gloriantes indicijs rogamus, ne in illis partibus contra Apostolica statuta fieri sinatis, sed nostra fulti auctoritate, nocina compescite &c.]. S. Eusebius epistola æquè ad omnes Galliæ Episcopos: [Si amplius de talibus, aut his similibus aliquid fuerit deliberandum, celeriter ad Nos relatio dirigatur, vt pertractata qualitate horum, nostra, quid obseruari debeat, sollicitudo constituat]. S. Innocentius Papa ep. 3. ad Exuperium Episcopum Tholosanum: [Et quidem dilectio tua institutum secuta prudentum ad Sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubijs custodire deberet potiùs, quàm vsurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur, obtinere]. S. Zosimus epist. 8. ad Hilarium Narbonensem Episcopum: [Quæ à Nobis sunt sub Dei iudicio constituta, si quid contra hæc tentaueris, Catholica communione discretus serò de illicitis ingemisces]. S. Cœlestinus Papa epist. ad Episcopos Galliæ: [Ad confitendum gratiam Dei satis sufficere credimus,

Anno circiter 219.

Anno circiter 309.

Anno circiter 402.

Anno circiter 416.

Anno circiter 423.

dimus, quidquid secundùm prædictas Regulas Apostolicæ Sedis scripta docuerunt, vt prorsùs non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententijs esse contrarium]. Patres Concilij Turonensis II. canone 20.
Anno 570. [Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat?]. Nicolaus I. in Romana Synodo, quæ extat apud Annales Fuldenses: [Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel Decreta pro Catholica Fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, pro interdictione imminentium, aut futurorum malorum à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit]. Episcopi Galliarum in Concilio Pontigonensi can. 1.

Obijt Nicolaus 867. Anno 876.

Anno 876. [Quæ secundùm sacrum suum ministerium Apostolica auctoritate Spiritualis Pater noster, & vniuersalis Papa decreuerit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus obseruentur]. Denique (vt alia quamplurima omittam, quæ videri possunt apud eruditissimum Cardinalem Aguirre, qui tam præclarè, solidèque hoc argumentum prosecutus est, vt credam, omnibus gloriam præreptam esse, aliquid meliùs, fortiùsque scribendi, & re vera quidquid de auctoritate Pontificia Bellarminus, alijque collegerunt, vmbra est, si ad hunc solem conferantur) Galliæ Episcopi nouissimè, hoc est Anno 1658. literis decima nona Iulij ad Innocentium X. datis: [Iudicia, inquiunt, pro sancienda regula Fidei à summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (siue suam in actis Relationis sententiam ponant, siue omittant) diuina æquè, ac summa per vniuersam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur. Ea nos quoque sententia, ac fide imbuti &c.]. Quid potuit clariùs, & manifestiùs à Gallis dici? Nota præsertim illa verba: [Summa, ac diuina auctoritate niti]. Si ergo etiam ex Gallicanæ Ecclesiæ sententia Pontificum Decreta à nullo mutari, violarique possunt, sed ea sub pœna Anathematis recipere, ac obseruare tenentur, sequitur euidentissimè, etiam ante consensum Ecclesiæ infallibilia, & certissima esse, alioquin liberum esset ea, aut amplecti, aut respuere. Et re vera cùm Illustrissimi Episcopi in vltimo Parisiensi Conuentu declararunt: [Non esse Pontificis irreformabile Iudicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit], id planè non ob aliam causam facere, quàm vt liberè posteà, quæ Innocentius XI. contra Regaliam decreuerat, effugere possent, prætextu erroris; quippè prima cura est Reo sententiam formidanti, contra Iudicis auctoritatem excipere. Vt planè, & ex natura rei, & ex aduersariorum intentione idem sit, præsertim in rebus fidei, falli Pontificem posse, & non teneri Ecclesiam obedire. Quis enim obediat præcipienti impossibilia? at impossibile est, vt fide diuina credas, quod est dubium, & incertum, cùm Fides Diuina sit de rebus certis, & indubijs.

III. Tertiò. Exorta aliqua de rebus fidei quæstione, vt Catholici ab hæreticis aliqua, certaque nota distinguerentur, vtque certi ipsi essent, quid credere, quid respuere deberent, se id credere profitebantur, quod Pontifices Romani crederent, damnare, quod ipsi damnarent, suamque fidem in rebus fidei eorum iudicio submittebant, & doctrina à Pontificibus Romanis, quamuis extra Concilium, hæresis damnata, statim pro hæretica habebatur. Ex quo sequitur, iudicium Pontificis esse infallibile, & irreformabile; si enim falli, & reformari posset iudicium Pontificis; ergò falli; & reformari possent dogmata ab eo decisa, vtpotè errori obnoxia, & fallibili, ac lubrica auctoritate nixa; at dogmata fidei nunquam falli, aut reformari, corrigique possunt, cùm sint æternæ veritatis, & ideò in rebus fidei semèl decisa, semper decisa, semèl vera, semper vera; sicut è contrà, semel reprobata, semper reprobata: semèl falsa, semper falsa. Nec sufficit dicere (quod Patres vltimi Conuentus Parisiensis in sua Declaratione insinuant) [præcipuas esse in rebus fidei partes Romani Pontificis, non tamen sententiam irreformabilem]. Quomodò enim reformabilis, si ex illa pendet Ecclesiæ fides? si ex illa Catholici ab hæreticis distinguuntur? si, qui illam reformare, ac mutare conantur, pro hæreticis, ac Schismaticis habentur? si ex illa pendet, quænam doctrina Catholica, quænam hæretica sit? num ergo, aut fides, aut hæresis reformari potest, vt quæ semèl vera fuit, posteà euadat falsa, & quæ semèl falsa; posteà sit vera? Sed audiamus testimonia Patrum, ad sententiam Rom. Pontificis, velut ad lydium lapidem, suam, aliorumque fidem explorantium, verumq; aurum à falso distinguentium, Credo equidem, neminem lecturum, quin statim cedat veritati; tam videlicet clara, tam manifesta sunt: vt vnum, idemque sit, ea legere, & vinci, aut si vinci nolis, saltem confundi pudore, ac conscientia veritatis. Excurramus ergò per omnes seculorum ætates. Quia tamen sæpè in hac tota Dissertatione testimonia antiquorum Pontificum trium priorum seculorum vsque ad Siricium occurrent, qui obijt anno 398. & illa à grauissimis auctoribus in dubium vocantur, quamuis Decreto Gratiani inserta, præmittendum est, quantæ, & cuius sint auctoritatis. Et primò quidem non agimus de epistolis S. Cornelij, quæ extant inter opera S. Cypriani, neque de epistolis Iulij I. quæ referuntur à S. Athanasio Apolog. 2. nec de epistolis Liberij, quæ à S. Hilario in fragmenta recensentur, nec de epistola Damasi ad Illyrici Episcopos, quam exscribit Theodoretus l. 2. histor. Ecclesiast. cap. 22. sola ergo quæstio est de ijs epistolis, quas ex Isidori mercatoris collectione Compilatores Canonum in numerum, & Catalogum Decretalium retulere, nec earum à veteribus historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus, aut sanctis Patribus vlla fit mentio. Tales sunt S. Clementis quinque, S. Anacleti tres, Euaristi duæ, Alexandri tres, Sixti I. duæ, Thelesphori vna, Hygini duæ, Pij I. quatuor, Aniceti vna, Soteris duæ, Eleutherij vna, Victoris quatuor, Zephyrini duæ, Callixti I. duæ, Vrbani I. vna, Pontiani duæ, Anteri vna, Fabiani tres, Cornelij duæ, Lucij vna, Stephani I. duæ, Sixti II. duæ, Dionysij duæ, Felicis I. tres, Eutychiani duæ, Caij vna, Marcellini duæ, Marcelli I. duæ, Eusebij tres, Melchiadis

dis vna, Syluestri vna, Marci vna ad S. Athanasium, Iulij I. duæ, Liberij duæ, Felicis II. duæ, Damasi plures, nimirum tres ad S. Hieronymum, ad Afros de Chor-Episcopis, ad vniuersos Episcopos Italiæ, ad Aurelium. De his quærimus, legitimæ sint, an verò suppositititiæ, & dico esse suppositiias, & falsò ijs Pontificibus adscriptas, Id ita esse ex sequentibus rationibus patet. Primò. Quia illæ epistolæ abundant verborum sordibus; omninò alienæ sunt ab elegantia sermonis illius ætatis, & à Maiestate, & grauitate alijs Pontificibus, qui tunc temporis scribebant, vsurpata. Secundò. Quia eodem scribendi stylo, & charactere prædıtæ sunt, vt vnius tantùm scriptoris, non plurium, & diuersorum esse omninò videantur. Tertiò. Quia vtuntur vulgata S.Hieronymi versione, quæ multò recentior est, vt proinde videantur post ætatem Hieronymi scriptæ. Quartò. Quia Hieronymo, qui scriptorum Ecclesiasticorum catalogum texuit, Innocentio, Leoni, alijsque sanctis Patribus, incognitæ. Quintò. Quia Dionysius Exiguus, qui tempore Iustiniani scripsit, & Romæ omnium Pontificum Romanorum Constituta, Decreta, & epistolas colligebat, numquam earum meminit, sed initium à Siricio facit. Sextò. Quia Legum Imperatoriarum verba, quæ in Codice Theodosiano habentur, vsurpant, cùm tamen ij Pontifices duobus, aut tribus seculis Codicem Theodosianum præcesserint. Septimò. Leo IV. anno circiter 850. diligenter epistolas Decretales enumerans initium sumit à Siricio Papa. Octauò. Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ ex tribus vetustissimis exemplaribus transcriptus solas exhibet decretales à tempore Siricij. Nonò. Earum epistolarum argumenta, contra morem omnium Ecclesiasticorum Doctorum, & Patrum, qui ijs seculis scripsere, omninò ijs temporibus non conueniunt, & nihil tradunt, quod controuersijs, quæ ea tempestate agitabantur, accomodatum sit. Decimò. Omnes ferè veterum Pontificum epistolæ falsis temporum, & Consulum notis consignantur. Vndecimò. Ipse Baronius, & Bellarminus, imò plerique huius temporis Auctores apocryphas esse fatentur. Duodecimò. Singulæ propemodùm manifestis erroribus scatent, v.g. epistolæ Anacleti habent testimonia Damasi, Augustini, Idacij, Gregorij M. Gelasij, aliorumque, qui diù post vixere. Agunt quòque de Patriarchis, quorum nomen primò audiri cæpit circa tempus Concilij Chalcedonensis. Et ita de reliquis. Ergo, vt dixi, primorum Pontificum epistolæ omninò suppositiciæ videntur, non ideò tamen contemnendæ auctoritatis: Nam, vt de Marca fatetur, [è sententijs, & verbis legum, Canonum antiquorum, & sanctorum Patrum, qui quarto seculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constar.] Et ideò Hincmarus, qui octauo seculo floruit Rhemensis Archiepiscopus, quamuis negaret, eas epistolas ad Canones pertinere, nec canonum auctoritate præditas esse, eas tamen magni facit, earumque auctoritate sæpè vtitur, & cum Hincmaro tota ferè Gallia, teste eodem de Marca, vnde in Concilio Rhemensi anno 902. Anacleti, Iulij, Damasi, aliorumq; Pontificum epistolæ expenduntur in causa Arnulphi. Et Iuo quoque Carnotensis suæ Canonum collectioni intexuit, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ vsum publicauit circa annum 1001, Agnouit etiam Concilium Aquisgranense circa annum Domini 836. Concilium Coloniense anno 887. Monguntinum anno 888. Metense anno 887. Triburiense anno 895. Rhemense anno 892. Lateranense sub Callisto II. Ex quibus constat, Decretales primorum trium seculorum non esse quidem eorum Pontificum, quibus inscribuntur, magni tamen momenti, magnæque auctoritatis; quid enim refert, cui nomini tribuantur, si veræ sunt? nec interest, Apellem, aut Parrhasium auctorem imago habeat, si pulchra est, & placet: sint aurum, si non sunt gemmæ, an ideò contemnas? His ita de auctoritate earum epistolarum disputatis videamus, quomodo Patres omnium seculorum thesim nostram confirment.

Marca lib.3 cap.5.1.

Marca lib. 3. cap.6. §.1.

S.Irenæus antiquissimus, & doctissimus Patrum, & Episcopus Lugdunensis lib.3. aduersùs hæreses c. 3. [Sed quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximę, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ eamquam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter principaliorem Principatum necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, in qua semper ab ijs, qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.] Vides signum, quo [hæreticos, confundimus,] & Catholicos ab his distinguimus esse [traditionem, & fidem, quæ in Romæ constituta Ecclesia semper seruata est,] & consequenter, vsque ad finem mundi semper conseruabitur, alioquin [non oporteret, ad eam omnes conuenire Ecclesias.

Tertullianus de Præscriptionibus c. 36. loquens de Romana Ecclesia: [Statu, inquit, felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt, videamus, quid dixerit, quid docuerit.] En tibi lydium lapidem, quoties dubitas.

S.Hieronymus ad Damasum Papam de tribus hypostasibus: [Idcirco obtestor Beatitudinem Tuam, per crucem Domini, vt mihi literis tuis apud quem in Syria communicare debeam, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est. Discernire obsecro; non timebo tres hypostases dicere, si iubetis. Quamobrem obtestor Beatitudinem Tuam, vt mihi epistolis tuis, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur auctoritas.

Idem S.Hieronymus in expositione Symboli circa finem, prout etiam allegatur à S. Thoma 2.2. q.11.a.2. ad 3. [Hæc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minùs peritè, aut parùm cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri fidem, & Sedem tenes; si autem hæc nostra Confessio

Apostolatus Tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.

S.Cyrillus Alexandrinus in libris Thesauri de SS.Trinitate (manifestum est, non tantùm quatuordecim esse, sed triginta duos, qui à priscis scriptoribus allegantur) quos allegant S.Thomas opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 68. & opusc. 29. cap. 3. Cardinalis Turrecremata l.de Potestate. Gennadius in opere quadripartito pro Synodo Florentina. Alanus Copus Dial.1. cap.13. Andreas Episcopus Græcus Colossensis in Synodo Florentina, nemine Græcorum dissentiente; hi inquam omnes numquam auderent in facie Græcæ Ecclesiæ eos libros citare, nisi palàm esset, esse Cyrilli, quamuis, vti dixi, nunc quatuordecim tantùm legantur, reliquis vti creditur, Græcorum in Romanam Ecclesiam inuidia sublatis. Hìc ergò Cyrillus ita loquitur: [Debemus nos, vt qui membra sumus, Capiti nostro Pontifici Romano, & Apostolicæ fidei adhærere; ad nos pertinet, indè, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere.

S. Augustinus lib. 3.de verbis Apostoli: [Iam enim de hac causa (hæresi videlicet Pelagiana) missa sunt ad Sedem Apostolicam duo Concilia, indè etiam Rescripta venerunt, causa finita est.

Theodoretus lib.4.histor.c.2.[Gratianus toto Imperio potitus scripsit legem, qua iubebat, sacras Ecclesias tradi, qui Damasi (is erat Episcopus Romæ) communionem amplexarentur.

S.Cyrillus epist.ad Cœlestinum Papam: [Quamuis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa Tuæ pietati indicaremus. Digneris proindè, quid sentias declarare, quò liquidò nobis constet, communicare cum Nestorio oporteat, an liberè ei denuntiare.

Theodoretus Cyri Episcopus epist. ad Leonem PP. [Ego suffragium Sedis Apostolicæ efflagito, vestram sententiam expecto, quòd si sententiæ eorum, qui condemnarunt, acquiescere iusseritis, acquiescam.

Iustinianus epistola ad Hormisdam Papam: [Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.

S.Agatho epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur actione quarta sextæ Synodi: [Hæc Apostolica eius Ecclesia numquam à via veritatis deflexa est, cuius auctoritatem semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Vniuersales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnesq; venerabiles Patres eius fidem amplexi, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odijs insecuti.

Constantinus Pogonatus ad Leonem II. PP. [Sta firmus propugnator pietatis, accinctus verbi gladio, cuius est, omnem hæreticam doctrinam præcidere.]

S.Fulgentius l.de Incarnat. Verbi: [Quod Romana, quæ mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus Orbis nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.

Simplicius Papa epist.4.ad Zenonem Imperatorem: [Perstat enim in Successoribus suis hæc, & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam iniunxit Ouilis, cui se vsque ad finem seculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam præualituras esse promisit.

Ioannes Episcopus Constantinopolitanus in epist. ad Hormisdam PP. & in Regula fidei, quæ habetur post epist. 6. eiusdem Hormisdæ:] Et quia non potest Domini nostri prætermitti sententia, quæ dicit: Tu es Petrus, &c. hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper seruata Religio. Vnde sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia constituta, spero, vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas.

Omitto Patres posteriorum sæculorum, quia in Regali Sacerdotio, & apud Eminentissimum Aguirre exscripti sunt. Isti sufficiant ex primis sęculis deprompti, selectique, quippe doctrina, & virtute præstantes, & omni adulatione intacti. Ex istis apertè constat, quod probandum susceperam, videlicet Catholicos hoc præcipuè signo ab hæreticis distingui solitos, quòd illi sub vexillis militarent Romani Pontificis, eamdemque cum isto fidem profiterentur. Hæc ergo tessera veræ Religionis: [Romanus sum.] Et verò nulla alia esse poterat, quo enim ab hæretico aliàs distinguaris? Scripturas allegas? non desunt hæretico, aut saltem in alienum sensum interpretabitur. Patres? suos quoque opponit, nemo magis Augustinum iactat, vt Lutherus, & Caluinus. Miracula? ficta esse dicet, & vnde probabis vera, nisi testimonio Pontificis? Nullum ergo apertius signum, magisque apud summos, medios, infimos, doctos, indoctosque perspectum: quàm si cum Papa consentias; vt primùm dixeris, [Romanus sum,] iam omnes intelligunt, te non Arianum, non Pelagianum, non Lutheranum, non Caluinistam, sed Catholicum esse. Sic Hieronymus, sic Athanasius, sic Augustinus ab hæreticis distincti. Ex quo sequitur; sententias Romani Pontificis in causa fidei prolatas omninò infallibiles esse, alioquin si, & veræ, & falsæ esse possunt, quomodo verum à falso, Catholicum ab hæretico distinguent? Quis ignem à fumo cognosceret, si fumus etiam aquæ coniungi posset? Quis militem à Senatore solo gladio, pallioque, cùm ab vtroque gestentur? Sic frustrà Patres, cœterique fideles veram à falsa Religione auctoritate Pontificia discernerent, si hæc tam falsæ, quàm veræ patrocinaretur.

IV. Quartò. Illud quoque Pontificiæ Infallibilitatis certissimum argumentum, quòd multa Christianæ fidei dogmata à solis Romanis Pontificibus sint decisa, hæresesque damnatæ; ex quo, vt iam supra ostendi, necessariò sequitur, sententias Romani Ponti-

Pontificis in causa fidei pronuntiatas omnis esse erroris expertes; quod enim fide diuina credo, non tantùm verum est, sed etiam certum, ita vt falsum esse non possit: & fideles ita prompti, paratique esse debent, ad huiusmodi dogmata amplexanda,& retinenda, contrariasque hæreses respuendas, vt nec sanguini, nec vitæ,exemplo tot millium martyrum, parcere oporteat. Iam verò quàm plurimas hæreses sola Pontificum auctoritate proscriptas, & dogmata contraria constituta esse nullo etiam Concilij Oecumenici adminiculo, ita certum est, vt negari non possit.

Nolebant Pelagiani Summorum Pontificum sententijs acquiescere, quibus & necessitas gratiæ asserebatur, & Pelagij errores hæresis damnabantur; prouocabantque Pelagiani ad Concilium Vniuersale, quibus egregiè Augustinus in hæc verba respondet: [An verò Congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, &c.] Et paulò post: [Verùm istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam peruertere nequeũt, saltem cõmouere conantur,&c. Et alibi: Quasi verò in Concilio Episcoporũ, quod non salubriter,sed iactanter propter vestras quæstiones debere dicitis cõgregari,si sederent Episcopi, quos suprà memoraui, facilè inuenires, quos eis in doctrina Ecclesiastica antiquitùs tradita æquare, nedum præferre possetis.] Et alibi: [Si in Concilio, cuius videris desiderare iudicium, sederent Cyprianus, Hilarius Gregorius, Basilius, Ioannes Constantinopolitanus, vt taceam alios,numquid doctiores, prudentiores, veraciores Iudices quærere auderes? ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis scripta vestra condemnant, quid quæris amplius?] Quod si quæras, si Concilio Oecumenico (de hoc enim loqui Augustinum certum est ex illis verbis: [Vt propter illos Orientis,& Occidentis Synodus congregetur; opus non est,cuius ergo auctoritate, & sententia hæreses elidentur,verusque Sacrarum Scripturarum sensus elucidabitur? respondet Augustinus: [Si Romanæ Ecclesiæ Præsidentem B. Innocentium audire voluisses, iam tunc periculosam Iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris perseueranter tenet Ecclesia?] Quibus verbis duo docet Augustinus, videlicet, & non posse Romanum Pontificem ab antiqua, & vera doctrina aberrare, & eius auctoritatem sufficere hæreticis laqueis exuendis. S. Prosper quoque in Chronico: [Tunc Pelagianorum machinæ fractæ sunt, quando B. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.] Et S. Hieronymus de Irenæo Romam misso: [Omnium doctrinarum curiosissimus explorator,non moles ædificiorum Vrbem circumeundo, sed Apostolicæ Sedis fidem, ritus, mores, ac disciplinam, quam illi Petrus, & Paulus Apostolorum Principes tradidissent, perscrutabatur, nactusque ibi Apostolicas traditiones,integras, & illibatas, vt ab Apostolis traditæ fuerant, ad eas omnes, quos scriptis exagitat, exinde prouocauit hæreticos, quos sciret eo solo tam patenti testimonio posse conuinci.] Sozomenus l. 6. c. 22. [Qua de controuersia Romanus Pontifex certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis literas, vt vnà cum Sacerdotibus, & Episcopis Occidentis Trinitatem, & Consubstantialem esse, & gloria æqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquieuerunt, hæcque Controuersia finem habere visa est.] Sixtus II. PP. [Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius a Domino IESU Christo confessio est glorificata, & cuius fides nullam hæresim vnquam fouit,sed omnes quidem hæreses destruit.] Omitto alia iam superiùs memorata.

Auguſt. lib. 4. cõtra duas epist. Pelag. cap. 12.

Idem lib. 1. cõtra Iulian. c. 60.

Dices. Etiam ab alijs Episcopis, priuatisque Synodis fuisse hæreses damnatas, vt ex Augustino constat, locis citatis; non ideò tamen sequi, sententias Episcoporum & particularium Synodorum esse irreformabiles; ergo ex hoc Capite non potest deduci Infallibilitas Summorum Pontificum.

Resp. Maximum esse discrimen inter sententias Pontificum,& inter sententias Episcoporum hæresin aliquam damnantium. Episcoporum enim sententiæ erant tantùm doctrinales, non verò dogmaticæ, & vltimæ, atque irreformabiles; nec priùs valebant, quàm à Summo Pontifice confirmarentur; sententiæ verò Pontificum Dogmaticæ, & vltimæ, nec poterant iterum in iudicium, litemque vocari, adeò, vt si permissu Summorum Pontificum prædamnatæ à Pontifice hæreses iterum in Concilijs examinarentur, non id erat, quod causa à Romano Pontifice iam finita dubitare liceret,sed vt auctoritate tot Patrum, doctrina, & sanctitate florentium, argumentisque ab eis tanta efficacia, & eloquentia productis hæreticorum peruicacia obrueretur. Id ita esse patet testimonijs eorumdem Patrum. Nam S. Hyeronimus: [Hæc est Fides, inquit, Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minus peritè,aut minùs cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri, & fidem, & Sedem tenes.] S. Cyrillus Alexandrinus epistola ad Cęlestinum Papam, [Quamuis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hîc sentias, declarare.] S. Paschalis Papa. [Aiunt, in Concilijs statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia vlla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter auctoritas.] S. Innocentius PP. [Quidquid, quamuis de disiunctis, remotisque Prouincijs ageretur, non priùs Patres ducebant finiendum, nisi ad Sedis notitiam perueniret, vt tota huius auctoritate pronunciatio firmaretur.] S. Stephanus Archiepiscopus suo, & trium Africæ

Habetur in Decr. Grat. cap. quoniã 24. qu. 1.

In capit. significasti de elect.

Conciliorum nomine: [Vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem iudiciorum Ecclesiasticorum in honorem Beatissimi Petri Patrum Decreta omnium cunctam reseruauere sententiam; antiquis enim regulis constitutum est, vt quidquid horum, quamuis in remotis ageretur Prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis Vestræ fuerit deductum, vt eius auctoritate iuxta quod pronuntiatum fuerit, firmaretur.] S. Damasus: [Nulla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sint fulta Apostolica auctoritate.] Cœlestinus PP. in Instructione Legatis suis ad Concilium Ephesinum data: [Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodire debetis, siquidem, & Instructiones, quæ vobis traditæ sunt, hoc loquuntur, vt interesse Conuentui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententijs iudicare debeatis, non subire examen.] S. Gelasius: Hoc robur obtinuit, quod in Synodo firmauit Sedis Apostolicæ auctoritas, quod refutauit, firmitatem habere non potuit. [Omitto sexcenta alia, ex quibus palàm est, latum discrimen à Patribus agnitum esse inter sententias Episcoporum, & sententias Romanorum Pontificum, hæreses aliquas damnantium, vt videl. istorum vellent esse vltimas, & decretorias, illorum verò adhuc reformabiles, & iudicio Pontificum, etiamsi in Concilio Oecumenico latæ essent, omninò subiectas.

In Epist. ad Damas. PP.

Epist. ad Stephanum.

Commonitor. Cœlest. à Balluzio nuper editū ex MM.SS. Codic. Colbertino, & Vaticano.

S. Gelas. l. de vinculo anathem.

Sed videamus nunc, quænam in particulari hæreses à solis Romanis Pontificibus extra Concilium Oecumenicum damnatæ sint.

Certum est, à Christi natiuitate vsque ad annum 325. quo Concilium Nicænum celebratum est, nulla fuisse Oecumenica Concilia celebrata, & tamen quàmplurimæ hæreses toto hoc annorum decursu, & extitere, & abolitæ, aut saltem damnatæ sunt. Et quamuis in particulari non semper ostendi possit, eas à Romano Pontifice damnatas esse, quippe flagrantibus persecutionibus, & Ecclesia Romana omnibus venis sanguinem fundente, otium non erat Romanis Pontificibus multa scribendi, & posterorum memoriæ commendandi; vix tamen dubium esse potest, auctoritate Summorum Pontificum fuisse confixas. Constat enim vna parte testimonijs suprà productis, Ecclesiam supra fidem Petri eiusque successorum fundatam esse, idque Patres priorum seculorum palàm professi sunt, nam præter dicta Sozomenus scribit: [Iulium ad eos, qui Antiochiæ conuenerant, scripsisse, atque incusasse, quod contra leges Ecclesiæ eum ad Concilium non vocassent, nam Legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronuntiat, acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.] Et ipse Athanasius ex persona Iulij, cuius epistolam recitat: [An, inquit, ignari estis, hanc consuetudinem esse, vt nobis scribatur, vt hinc, quod iustum est, definiri possit? nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam iam egerunt, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt; non ita se habent Petri, & Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste, & nouum studium est. Quæ enim accepimus à B. Petro Apostolo, hæc vobis scribimus.] Vbi vides, hanc Pontificis Romani auctoritatem ad Apostolorum traditionem referri. Ex altera verò parte æquè constat, Pontificum in fidei causis sententiam adeò Ecclesiam Catholicam venerari solitam, vt qui eam non reciperent, teste S. Ignatio Episcopo Antiocheno, qui primo Seculo floruit: [Qui his non obedit (loquitur de SS. Cleto, & Clemente) Atheus prorsùs, & impius sit, & Christum contemnit, & Constitutionem eius imminuit] At quæ est Christi constitutio, nisi illa? [Tu es Petrus, &c. Tibi dabo claues Regni Cœlorū, &c. Pasce oues meas.] At hæc Christi constitutio, aut de omnibus Petri successoribus intelligenda est, aut non est intelligenda de Cleto, & Clemente, cur enim potiùs de Cleto, quàm de Alexandro, de Gregorio, de Innocentio? Cùm ergo constet, Romanis Pontificibus supremam in causis fidei decidendis auctoritatem concessam, eamque in primitiua quoque Ecclesia agnitam, summaque veneratione exceptam esse; quis dubitet, in profligandis hæresibus Summos Pontifices illa, non esse vsos? Poterant, debebant, ergo fecere, alioquin sancti non essent. Et ideò S. Irenæus de S. Clemente scribit: [Dissensione non modica inter eos, qui essent Corinthi, fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & fidem eorum reparans, & annuntians, quam ab Apostolis receperant, traditionem.] Sic Cerdon, & Valentinus hæresiarchæ coram Hygino S. Pontifice hæreses suas recantarunt. Sic Theodotus hæresiarcha, Theodoreto, & Eusebio testibus, à Victore Pontifice damnatus, & Ecclesia eiectus est, quod doceret, Christum hominem tantummodò, non etiam Deum esse. Idem Victor, vt habet Eusebius, [torius Asiæ Ecclesias, & alias finitimas quamuis traditionem Ioannis Euangelistæ prætexerent) tanquam alterius fidei, & opinionis literis grauiter obiurgatas simul omnes à Communione Ecclesiæ remouendas duxit;] quòd videl. celebrarent Pascha decima quarta Luna, quacumque die incidisset. Id verò quamuis Ecclesia Romana tolerasset; postquam tamen verti in hæresim cœpit, & Iudaismo ansam præbere (quod Nicephorus testatur) quodque conniuentia Ecclesiæ fuerat, pro necessitate, ac debito iactari, (pari ferè ratione, qua hac tempestate de necessitate vtriusque in Communione speciei à Caluinistis disseritur) Victor necessariam esse seueritatem credidit, quamuis ab ea sanctum Pontificem Irenæus vehementer dehortatus sit, potestatem quidem Pontificis agnoscens, sed vsum restringi cupiens. Vbi nota, quamuis plurimi historici Ecclesiastici, videl. Eusebius, Irenæus, Nicephorus, Hieronymus, Photius, alijque huius rei meminerint, nullus eorum tamen scribit, Episcopos Victori hanc potestatem negasse, sed tantùm hortatos esse, vt pacis causa nimia seueritate temperaret. Et temperauit quidem Victor, sed eius sententia contra omnium Asianorum, & Synodi Ephesinæ Decreta omninò vicit, ac Nicæno Concilio confirmata est. Paulò post Zephyrinus Victori succedens hæresim Montanistarum, & Cataphrygum anathemate ferit, & præ-

Lib. 3. hist. cap. 9.

S. Athanas. apolog. 2. ad Orient.

S. Ignat. ep. ad Roman.

S. Iren. lib. 3. adu. hæres. cap. 3.

Anno 155. testibus Ireneo l. 3. c. 4. Eusebio l. 4. cap. 10.

Anno 196. Theodoret. hæretic. fab. lib. 2. Eusebius l. 5. hist. cap. 27.

Niceph. l. 4. cap. 30. Tertull. de Præscript. c. 53. Euseb. 5. hist cap. 9.

Anno 215.

Tertull. de ieiun. cap. 1.

præcipuum huius hæresis Caput Tertullianum quod ipsemet fatetur, vnde perpetuum Tertulliani in Pontifices odium, more omnium hæreticorum, Iudicem, à quo plectuntur, auersantium. De eiusdem Zephyrini contra Cataphrygas Decreto hæc scribit Tertullianus: [Audio etiam, decretum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum dicit; ego & mœchiæ, & fornicationis delicta functis pœnitentia dimitto.] Vbi obseruas, iam tunc temporis, quamuis flagrante persecutione, Romanos Pontifices suprema auctoritate sua vti solitos esse, in materia videl. fidei (talis enim erat, de qua tunc temporis quærebatur, videlicet, an relapsi ad pœnitentiam recipi possent) Decreta, & quidem peremptoria, hoc est, definitiua proponendo, quibus omnes Christi fideles obedire tenentur; hæc verò Decreta, vt aliàs ostendi, infallibilitatem Pontificiam supponunt. Origenes à Dionysio Episcopo Alexandrino hæresis accusatus, fidei suæ professionem Romam ad Fabianum Pontificem misit: sed cùm calamo fides non

Anno 248. haberetur, ipse Romam accessit, ratus, se hæ-

Euseb lib 6 hist. cap. 28. 29.

resis nota satis absolutum fore, si à Romano Pontifice reciperetur.

V. Cyprianus, omnesque ferè Africani Patres, à Stephano Papa anathemate percus-

Anno 258. si, aut saltem territi, ob repetitum hæreticorum baptisma. Vbi planè enituit inuicta Romanorum Pontificum auctoritas, quando contra torrentem Africanæ eloquentiæ, & sanctitatis, frustrà obtinente Cypriano (cuius in Ecclesia Catholica ea tempestate summa veneratio) veritati suffragium tulit, effecitque, vt toto Orbe probaretur. Planè nunquam magis credi potuit, errasse Pontificem, quàm cùm Cypriano, totque, & tam numerosis Synodis (in quibus florem Catholicæ Religionis facilè collectum vidisses) aduersarus est; vicit tamen, & pro illo veritas stetit. Quando errabit Pontifex, si tunc non errauit? num aliquando doctiores, sanctioresque aduersarios habebit, quam Cyprianum, & tot alias Synodos Orientis? ergo si tunc, quando tam multi, robustique impellebant, hæc Petra non cecidit, frustrà expectas aliquando casuram; stetit, stabitque, vt Petram decet.

Dices. Etiam post prolatam à Stephano sententiam, dirasque intentatas, nec Cyprianus, nec alij Africæ Episcopi acquieuere; non ergo credebant, Pontificem falli non posse.

Resp. de certamine Cypriani cum Stephano alibi dictum est, & dicetur posteà, cùm obiectiones dissoluemus; nunc verò id solùm dico, Cyprianum, eiusque asseclas, si crediderunt Pontificem ex Cathedra docentem falli posse, omninò errasse; neque id mirum est, aut absurdum; si enim errarunt circa Baptismum, cur non errare potuerint circa Pontificem? & si tu absurdum, & falsum esse non credis, cùm dicitur, Cyprianum circa Baptismum errasse, cur absurdum, & falsum esse credas, cùm dicimus, errasse circa Pontificem? præsertim cùm nemo vnquam falsam doctrinam pertinaciter defenderit, qui non hoc ipso cum Romano Pontifice bellum gesserit, iurato videlicet, & necessario mendacij hoste, ac vindice veritatis; vt adeò vnum idemque sit, Pontifici bellum, & veritati indicere, quemadmodum vnum, idemque est, in leges, & in Iudicem offendere. Et verò vbi primus ille animorum ardor deferbuit, qui Cypriani, & Firmiliani calamos myrrha, & felle impleuerat, redijtque serenitas agnoscendæ veritati necessaria; resipuit Cyprianus, totumque illud agmen Africanorum, seque Pontifici Romano submisit. Cùm ergo Cyprianum habeamus, & errantem, & pœnitentem, quærimus ex Gallis, cur malint errantem sequi, quàm pœnitentem? Audi Augusti-

num: [Correxisse autem Cyprianus istam sententiam non inuenitur, non incongrueuter tamen de tali viro existimandum est, quod correxit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.] Idem testatur clarissimis verbis S. Hieronymus de Episcopis, qui cum Cypriano decreuerant, hæreticos rebaptizandos esse. Verba Hieronymi hæc sunt: [Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos, cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem reuoluti (quæ habebat, non esse rebaptizandos hæreticos, & qua maximè Stephanus nitebatur) nouum emisere Decretum. Et Cresconius Donatista obijcit Augustino: [Maiores nostri (Donatistæ videlicet) ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum iudicium resciderunt, quo eis placuerat de illa quæstione (an videlicet hæretici rebaptizandi essent) Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere.] Cui respondet Augustinus: [Paucos illos Orientales, quinquaginta videl. (totidem erant Episcopi in Synodo Iconiensi Firmiliano præsidente) non tantùm iudicium suum rescidisse, verùm etiam correxisse. De Dionysio quoque Patriarcha Alexandrino mutasse eum sententiam, ac Stephano manus dedisse clarum videtur, tum ex familiarissimis eius Epistolis ad Xistum Stephani successorem apud Eusebium: tum quia adeò Stephani sententiæ accesserat, vt ne quidem [fratrem quemdam ætate admodùm prouecta, & Baptismate apud hæreticos tinctum, sed pleno impierare, plenoque blasphemiæ, neque vllam omninò cum nostro habente similitudinem, sit ausus rebaptizare,] nisi permitteret Romanus Pontifex; sic enim epistolam ad Xistum concludit: [Profectò opus habeo Frater consilio Tuo, & sententiam Tuam expecto, ne fortè ipse halluciner tali negotio ad me delato. Ità Eusebius; patet ergo, Africanos Episcopos, eorumque Coryphæos Firmilianum, & Dionysium sententiam correxisse. Quando ergo Arelatense, quod multò post celebratum est, canone 1. decernit: [Afros propria lege vti, vt rebaptizent,] intelligendum est, vt bene notauit Sirmondus non de quibuscumq; Catholicis Afris (quales erant Cypriani sectatores) sed de Afris Donatistis, & Schismaticis; & ideò in Concilio Romano ante Concilium Arelatense celebrato sub Melchiade Papa, Donato etiam ab Africæ Episcopis vitio datum, imò damnatus est, quod confessus esset se rebaptizasse teste Optato Mileuitano; ergo certum est, ea tempestate non fuisse apud Africanos moris, vt tincti ab hæreticis iterum tingerentur, alioquin quomodo ab Africanis Episcopis id

August. epist. 48. ad Vinc.

S. Hieron. Dial. contra Luciferianos.

Crescon. l. 3. cap. 2.

August. cōtra Cresco. lib. 3. cap. 3.

Euseb. lib. 7. cap. 9.

soli

soli Donato crimini verteretur? Hæc omnia eò spectant, vt ostendamus; Africanos Episcopos, præsertim Firmilianum, & Dionysium resipuisse. Iam Lectoris iudicium esto, quorum æquior sit causa: aduersariorum, qui errantes Africanos sequuntur, an nostra, qui sequimur pœnitentes? Illud quoque ex Augustino addendum; paucos fuisse, qui cum Cypriano Pontifici obluctabantur: [Quinquaginta videl. Episcopi Orientales, & septuaginta Afri contra tot millia Episcoporum, quibus hic error (Cypriani) in toto Orbe displicuit.] Quæro iam iterum, vtrùm magis expediat paucorum errores amplecti, an multorum veritatem, imò tot millium Episcoporum, & totius Orbis consensum, qui Romani Pontificis sententiam venerati sunt? Quanquam si verum dici oportet, nihil Stephanus ex Cathedra, & per modum Dogmatis definiuit; cùm enim Cyprianus Anno 256. in secundo Carthaginensi Concilio, quò omnes Africæ Episcopi conuenerant, solemni Decreto hæreticorum baptisma damnasset, illudque per literas Synodicas Stephano Papæ confirmandum misisset, Stephanus in hæc verba respondit: [Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innouetur, nisi quod traditum est.] Quibus verbis planè contrariam Cypriani sententiam hæresis non damnauit, sed vetuit tantùm, nihil innouari, hoc est, antiquam Ecclesiæ traditionem, vsumque retineri, donec tota hæc quæstio in Concilio Vniuersali decideretur, vt sæpe testatur Augustinus. Et meritò ad Concilium vniuersale reiecta est, cùm enim potissima quæstio facti, non iuris esset: [An videlicet rebaptizatio hæreticorum antiquæ totius Ecclesiæ consuetudini, & traditioni aduersaretur,] meritò Concilium vniuersale expetebatur, vt videlicet singuli Episcopi de suarum Ecclesiarum vsu, ac consuetudine testari possent. Et quia pauci Episcopi Africani contra tot millium Episcoporum, imò totius Orbis sententiam (vt testatur Augustinus) non solùm priuatam opinionem sustinebant, verùm etiam contra Decretum Pontificis Romani ne quidem operiri Concilium, & interim repetito Baptismo abstinere volebant, imò primam Sedem conuicijs onerabant, planè sacro calamo indignis (qua de causa S. Augustinus Cyprianum reprehendit) iure merito excommunicationem illis Romanus Pontifex Stephanus minatus est, non tamen inflixit, deprecante Dionysio Patriarcha Alexandrino; sic enim ipse testatur epistola ad Xistum Pontificem: [Atque vt pro omnibus Episcopis illum deprecarer, epistolam scripsi. De quo vide Schelstrate, & Alexandrum Natalem, & simul aduerte, moris fuisse, vt sanctissimi Episcopi excommunicationem apud Romanos Pontifices deprecarentur, eamque ne vibrarent, dissuaderet; sic Irenæus Victorem, sic Dionysius Stephanum Pontifices rogarunt.

S. Augustin. contra Crescon. lib. 3. cap. 3.

August. l. 5. contra Donat. cap. 25.

Apud Euf. lib. 7. cap. 5.

Schelstr. in antiquit. illustrata p. 2. dissert. 1. c. 5. a. 5.

Alex. Nat. ad seculum 3 Dissert. 12.

Ex hoc Cypriani conflictu magnum pro Infallibilitate Pontificia argumentum sumitur. Cyprianus tanta doctrina, pietate, eloquentia, ingenio, ac insuper tot Episcoporum, & trium Synodorum votis subnixus, vbi tamen à Romano Pontifice secessit, in hæresin, & errores prolapsus est, posteà ab Ecclesia damnatos; naufragium fecit, anchoram perdidit; quis ergo deinceps speret, se absque periculo, & impunè à Romani Pontificis sententia deflexurum, sibique stationem promittat Cypriano cadente? [Tu es Petrus, & super hanc Petram (inquit Christus), ædificabo Ecclesiam meam.] Ergo super hanc Petram ædificium es, extra hanc Petram ruina.

VI. Anno 373. Primus Damasus hæresim Apollinaris, simulque Timotheum, & Vitalem Apollinaris discipulos extra Concilium Oecumenicum damnauit. Negabant isti Diuinitatem Spiritùs S. Damasi verò Decretum fuisse peremptorium, & decisiuum, ac necessitatem Ecclesijs imposuisse, vt reciperetur, authenticis documentis probari potest, ac insuper testimonio Ecclesiæ Gallicanæ. Theodoretus hæc habet: [Damasus simul, vt exortam hanc hæresim accepit, non Apollinarem solùm, verùm etiam Timotheũ eius discipulũ abdicauit, quam rẽ etiam Episcopis Orientalibus significauit.] Damasus ipse in epist. ad Episcopos Orientis: [Sciatis velim, Fratres, nos Timotheum ipsum cum impio eius dogmate iam pridem abdicasse, & ob eam causam credimus, impias eius reliquias nihil in posterum momenti habituras. Iam enim semel formulam fidei edidimus, &c. Et post pauca: quid est, quòd abdicationem Timothei à me rursus requiratis, qui etiam hìc iudicio Sedis Apostolicæ abdicatus est vnà cum Magistro suo Apollinari? quòd si alios quosdam ad suam perducat sententiam, sciant illi, se cùm illo vnà perituros, vt qui animum induxerint Ecclesiæ canoni repugnare. Nota illa Damasi verba: Iam pridem impium eius dogma abdicauimus, quam ob causam credimus, eius reliquias nihil inposterum momenti habituras.] Quæ causalis supponit omninò, sententias Pontificis Romani in causis fidei esse vltimas; & irreformabiles, alioquin quæ esset consequentia? Damnauimus dogma Appollinaris, ergo illud dogma nihil amplius momenti habebit?] Immò habebit, quia damnatio Pontificis reuocari potest, & errori subiecta, nec certam fidem facit, nisi ab Ecclesia recipiatur; nõ ergo sufficit à Damaso damnatam esse. Sed & illa verba: [Sciant: se cum Apollinari vnà perituros, &c. Eandem Infallibilitatẽ ostendunt. Ipsi Galliæ Episcopi ex hoc Damasi decreto Pontificiam Infallibilitatẽ recentissimè agnouerit, & Papę decreta [diuina, ac summa per vniuersã Ecclesiam auctoritate niti professi sunt.] Sic enim ad Innocentium X. ann. 1653. scribunt; [Perspectum enim habebat (Zosimus videlicet PP.) non solùm ex Christi pollicitatione, sed etiam ex actis priorũ Pontificum, & ex anathematismis aduersùs Apollinarem, & Macedonium nondum ab vlla Oecumenica synodo damnatos à Damaso paulò antè iactis, iudicia pro sancienda Regula fidei à Summis Pontificibus lata, diuina æquè, ac summa per vniuersam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius etiam mentis obsequium præstar teneantur.] Neque obstat, post Damasi definitionem in Concilio Constantinopolitano eamdem Pneumatomachorum causam fuisse agitatam, damnatamque; neque enim id factum, quod sententia Pontificis incertæ fidei esset, ac retractari posset, sed quia hæretici eadem temeritate,

Theodoret. lib. 5. c. 10.

Theodoret. ibid.

tate, quæ Spiritui sancto sacræque Scripturæ, etiam Pontificum iudicio obluctabantur, & quid mirum, qui Deo, & Scripturæ non credebant, non credidisse Pontifici; num ideò errare scriptura potest, quia hæretici scripturæ non credunt? Vt ergo eorum contumacia tot Patrum doctrina, & pietate florentium testimonijs, ac insuper argumentis, quæ ab illis in medium proferebantur, vinceretur, permisit Papa, eamdem causam in plenario Concilio agitari, cuius auctoritas licèt non sit maior Pontificia in decernendo, ac decidendo, est tamen maior in docendo, & instruendo, ob præclaram scientiam, facundiam; ac zelum Episcoporum, qui Concilio intersunt. Sicut ergo cùm Christus Apostolis dixit: [Paraclitus autem Spiritus, quem Pater mittet in nomine meo, ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero] (Græcè *eipon*, hoc est, dixi, prout etiā Arabicus, & Syrus habet) vobis; non ideò sequitur, Spiritum sanctum maioris esse auctoritatis, quàm Christum, aut posse corrigere, quæ à Christo dicta sunt; sed tantùm, Spiritus sancti partes esse, insinuare, explicare, & credentium animos suauiter, fortiterque disponere, vt credant, quæ à Christo dicta sunt; ita Concilij partes sunt, non immutare Pontificum decreta ad fidem pertinentia, sed solùm explicare, & fidelium animos doctrina, eloquentiaque, quæ in Concilijs abundant, permouere. Et hoc modo intelligendus est etiam S. Augustinus, quando, præcipuè in causa S. Cypriani, Concilium vniuersale toties commendat. Verbo, Papa est supra Concilium in decernendo, Conciliū supra Papam in docendo, si nō semper, at sæpè; quemadmodū maior potest esse in Senatoribus, & Consultoribus doctrina, iurisque peritia; at penès Iudicem maior; imò vnica potestas iudicandi, litemque finiendi. Et illud quoque obseruatione dignum, quod S. Hieronymus notat, videlicet in synodo Nicæna, quæ anno 325. celebrata est, nullam fieri expressam mentionem errorum Origenis, Valentini, Marcionis, Cataphrygarum, aut Manichæi, [quos certè ante synodum fuisse dubium non est.] Ex quo euidenter colligitur, Patres Nicænæ synodi sententias Summorum Pontificum pro indubitatis habuisse, alioquin cur eas hæreses intactas, & indemnatas relinquerent, quas soli Pontifices damnassent extra Concilium vniuersale, damnatas enim esse à Pontificibus & ideò quoque ab Ecclesia reiectas patet tum ex ijs, quæ diximus, tum ex luculento Damasi testimonio, sic enim ad Stephanum Archiepiscopum Carthaginensem, & tria Africæ Concilia scribit: [Scitis, Fratres Charissimi, firmamentum à Deo fixum, & immobile suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum Apostolicam Sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum, &c. Nam vt nostis, synodum sine eius auctoritate fieri non est Catholicum, neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non fuerint eius fulta auctoritate, &c.] Et circa medium: [Cuius Sedis Apostolicæ ante omnia decebat eos (Patres Concilij Ariminensis) expectare decretum.] Quæ tantùm abest, vt ab Episcopis improbata fuerint, vt ipsi potiùs ad eumdem Damasum ita scriberent: [Notum facimus vestræ Beatitudini, quod quidam fratres venerabiles Episcopos vobis inconsultis à proprio deijciunt gradu, cùm vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem negotiorum Patrum decreta omnium cunctam reseruauere sententiam inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura, & sollicitudine obseruare debemus.] Hæc omnia falsa sunt, si Pontifex errare, eiusque sententiæ in materia fidei corrigi possunt; quomodo enim finis negotiorum summorum Pontifici reseruatur, si aliud adhuc Ecclesiæ, aut Conciliorum examen, & iudicium expectandum est? Quomodo Sedi Romanæ [Patrum decreta omnium cunctam reseruauere sententiam,] si post eius sententiam, quia errare potest, alijs sententijs locus est? Quomodo nulla [Concilia rata leguntur, quæ non fuerint Sedis Apostolicæ fulta auctoritate,] cùm potiùs Sedis Romanæ iudicia non sint rata ex mente aduersariorum, nisi Conciliorum auctoritate fulciantur?

Hieron. ep. 65. cap. 1.

Anno 390. Emersit, laruamque deposuit hæresis Iouiniani. Eam S. Hieronymus acri, flammatoque stylo confixit, crederes nō tam scribere, quàm tonare; sed dum totus est in extollenda Virginitate, visus est in extrema prolabi, & matrimonium quoque auersarij, vnde multorum in Hieronymum querelæ, quas ille scripta apologia deleuit. Siricius verò Papa, vbi eam hæresim detexit, coacta Romæ Synodo continuò damnauit, datisque literis ad S. Ambrosium, nam Mediolani quoque grassabatur, pro damnata haberi eam voluit. Sic enim scribit: [Nos sanè nuptiarum vota non aspernanter accipimus, sed virginum nuptias maiore honorificentia honoramus. Facto igitur Presbyterio (hoc est synodo) inuenimus, ea doctrinæ nostræ, hoc est, Christi esse contraria, vnde omnium nostrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm totius Cleri vna lata fuit sententia, vt Iouinianus, Auxentius, Genialis, diuina sententia, & nostro iudicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. Quod custodituram Sanctitatem vestram non ambigens hæc scripta direxi.] Vbi etiam nota, Siricium Pontificem pro eodem habere, Dei, & Papæ iudicium. Respondit Ambrosius suo, & Mediolanensis synodi nomine: [Recognouimus literis sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam seruas, & pia sollicitudine Christi ouile custodis, dignus, quem Domini oues audiant, & sequantur.]

Vide epist. Rom. Pontificū to. 1.

Anno 401. Anastasius Papa Rufinum Origenistarum Coryphæum Romam vocat ad causam dicendam; sed tergiuersantem, & comparere renuentem (quippe haud ignorabat, si semel Romæ hæresis notaretur, se toto Orbe Catholico abominationi, & pro Hæretico habitum iri) hæresis damnat, & vnà infallibilitatem Pontificiam egregio testimonio sancit; audi Hieronymum, & posteà ipsum Anastasium; Hieronymus ergo hæc de Rufino scribit: [Innocentem te vocas, ad cuius interpretationem (transtulerat enim Origenis Periarchon) Roma contremuit? Absentem, qui accusatus respondere non audes, & in tantùm Romanæ vrbis iudicium fugis, vt magis obsidionem Barbaricam, quàm pacatæ Vrbis velis sententiā sustinere?] Anastasius verò epist. ad Ioannem Hierosolymi-

S. Hieron. apolog. in Rufin.

lymi-

lymorum Episcopum hæc habet: [Absit hæc ab Ecclesia Romana nequaquam Catholica disciplina. Numquam profectò eueniet, vt aliqua hoc admittamus ratione, quod iure, meritòque damnamus. Quapropter in toto Orbe Christi Dei diffusa prouidentia probare dignabitur, accipere nos omnino nō posse, quæ Ecclesiam maculent. Mihi certè cura non deerit, Euangelij fidem circa meos custodire populos, partesque populi mei, per quæque Orbis terrarum spatia diffusas quantùm possum, literis conuenire, ne qua profanæ Interpretationis origo subrepat. Audis profiteri Anastasium: Nunquam per Christi prouidentiam euenturum, sed nec euenire posse, vt Romanus Pontifex recipiat, quæ Ecclesiam maculent.] Quid est hoc aliud, quàm infallibilem esse?

Anno circiter 416. Innocentius Primus hæresim Pelagianam damnauit extra omne Concilium Oecumenicum, & teste Augustino insigne Infallibilitatis Pontificiæ documentum post se reliquit. Sic enim de Innocentio apud S. Prosperum: [Constituimus, in Pelagium, atque Cœlestium per venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Sede prolatam manere sententiam. Et Gennadius: Multos Cataphrygas (Innocentius videlicet) & Pelagium, ac Cœlestium inuenit hæreticos, & damnauit eos, & hoc constituit, vt qui natus fuerit de Christiana, rursus nasci debeat per Baptismum, hoc est, baptizari debeat; quod Pelagius damnabat. Idem S. Prosper: Tunc Pelagianorum machinæ fractæ, quando B. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit. S. Augustinus lib. 2. contra Pelagium, & Cœlestium c.7. Cœlestius B. Papæ Innocentij non est ausus literis obsistere, imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.] Et lib. 2. cap. 3. contra duas epistolas Pelagianorum: [Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est: totoque Orbe post eius damnationem damnati sunt, ac literis Innocentij tota de hac re dubitatio sublata est.] Et contra Iulianum lib. 1. cap. 4. [Puta, eam tibi partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Nihil enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia.] Et serm. 2. de verbis Apostoli: [iam enim de hac causa (hæresi videlicet Pelagiana) duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt; causa finita est, vtinam etiam error finiatur?] Quomodo dici potest per rescripta Apostolica causa finita esse, si iudicia Romani Pontificis errori subiecta sunt, si examinari debent, si consensu Ecclesiæ, si sententia Concilij Oecumenici indigent? an Pelagiani respondere non poterant, nullo modo causam finitam esse, quippe in nullo Oecumenico Concilio damnatam; nam Concilia quorum Augustinus meminit fuerunt solùm Prouincialia? Ipsi denique Gallicanæ Ecclesiæ Antistites literis ad Innocentium X. datis: [Innocentius I. Pelagianam hæresim, inquiunt, damnauit olim ad Episcoporum Africæ relationem; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresim ex aduerso Pelagianæ oppositam Innocentius X. auctoritate sua proscripsit, &c.] Vides, non solùm nouum exemplum damnatarum ab Innocentio hæreseon, sed etiam infallibilitatem Romani Pontificis palàm assertam, quid enim aliud sonant illa Augustini verba: [Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est, ac literis Innocentij tota dubitatio sublata. Et illa: Puto, eam tibi partem Orbis sufficere debere, in qua primus Apostolorum martyrio coronatus est. Et illa: Nil potuit vir ille sanctus (Innocentius) Africanis respōdere Concilijs, quàm quod antiquitùs Apost. Sedes tenet, &c.

S. Prosper. adu. Collat. Gennad. de viris illustr. cap. 43.

Anno 418. Cœlestius Pelagianus, cum pollicitus esset B. Innocentij sententijs acquiescere, postea verò eamdem hæresim redoleret, iterùm Carthagine in synodo 214. Patrum damnatus est; sed cum ab hac synodi Carthaginensis sententia appellasset, Zozimus Pontifex appellationem recepit; causa recipiendæ appellationis, teste Augustino: [Quod Cœlestius literis B. Innocentij Papæ quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit, & propterea Libellus eius Catholicus dictus est. Sed cùm Romę Cœlestius recusaret, errores, quâ fama, quâ proprijs scriptis sibi impositos damnare, Zozimus Papa, & Cœlestio, & hæresi Pelagianæ extremum vulnus inflixit, adeò, vt post Zozimi decretum toto Orbe deleta sit. Audi eorum temporum Scriptores, qui & hoc testantur, & Pontificiæ Infallibilitati insigne suffragium præstant. Sanctus Prosper: [Concilio, inquit, apud Carthaginem habito ducentorum decem & septem Episcoporum ad Pontificem Zosimum Synodalia Decreta perlata sunt, quibus probatis per totum Orbem hæresis Pelagiana damnata est.] Ipse Zosimus Pontifex epistola ad Aurelium, & Episcopos Carthagine congregatos: [Quamuis Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper, regulasque seruauerit; tamen cùm tantum nobis esset auctoritatis, vt nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris vltrò literis referimus, non quia, quid deberet fieri, nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra vtilitatem Ecclesiæ veniens displiceret, sed pariter vobiscum volumus habere tractatum, &c.] Nil poterat pro Infallibilitate clariùs dici, qui enim falli posse Pontificem dicunt, consequenter etiam volunt, de Pontificis iudicio disceptari, eiusque sententiam retractari posse; id verò Zosimus negat: & quod Pontifices congregari subindè Concilia permittant, non id necessitatis esse, aut ignorantiæ, quasi quid deberet fieri nesciat, aut aliquid contra vtilitatem Ecclesiæ decernere possit; sed vt fraternæ charitati consulat.] Hæc omnia aduersarios manifestè confundunt. Paulinus Diaconus epistola ad eumdem Zosimum Pontificem: [Beatitudinis Tuæ iustitiam obsecro, Domine Zosime Papa Venerabilis; numquam Fides vera turbatur, & maximè in Ecclesia Apostolica. Cui non sufficit ista sententia? Pontifices videli-

S. August. ad Bonifac. cōtra lit. Pelagij lib. 2. c. 3.

S. Prosper. in Chron.

Vide integ. epist. apud Baron. ad anno 418. n. 5.

delicet Romani) quis hanc tam salubrem, tam amplexabilem, tam piam respueret alius, nisi qui à fide deuius est?] Hæc omninò infallibilitatem Pontificiam sonant, alioquin & fides Cathedræ Romanæ turbari posset, nec esset à fide deuius, qui Pontificijs decretis non acquiesceret, nec sufficeret Romana sententia.] Ipse sanctus Augustinus lib. 2. retractat. cap. 50. testatur, postquam Innocentius, & Zosimus Summi Pontifices doctrinam Pelagij, vt hæreticam damnarunt, omnes Catholicos eos pro Hæreticis habuisse.

Anno 430. Nestoriana hæresis palàm erumpere, laruamque deponere cæpit. Et Cyrillus Alexandriæ Episcopus, vt primùm comparentem vidit, grauissimis scriptis confutauit, nec tamen priùs Nestorium pro Hæretico habere, eiusque communione abstinere ausus est, quàm Cœlestini Pontificis sententiam exquireret. Hic verò indicta Romam Synodo non solùm Nestorium, hæresimque Nestorianam confixit, totoque Orbe proscriptam voluit, verùm etiam Patribus Synodi Oecumenicæ Ephesinæ, quid in hac causa definire eos oporteret, præscripsit, prohibuitque, ne à sententia Romana, vel latum vnguem abscederent. Quid amplius cupias pro asserenda suprema, & infallibili in causis fidei Pontificum auctoritate? si enim falli Pontifex potest, cur asserit Cyrillus, se nulla alia ratione de Nestorio damnando certum reddi posse, quàm ex sententia Pontificis? & quid est aliud, esse infallibilem, quàm esse certum? & si potest errare Pontifex, cur non possit à Concilio corrigi? & si corrigi potest, cur prohibet, ne aliter Concilium iudicet, quàm Papa iudicauit? Planè tam sunt inuicta Infallibilitatis Pontificiæ hæc argumenta, vt desiderari maiora non possint. Sed testes audiamus. Cyrillus ergo epistola ad Cœlestinum (cuius hoc initium: Si in rebus vsque adeò serijs) hæc scribit: [At quamuis ita res habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hìc sentias, declarare, quò liquidò nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat, an verò liberè ei denuntiare, neminem cum eo communicare, qui huiusmodi erroneam doctrinam prædicat.] Sanctus Cœlestinus epistola ad Nestorium, quæ in Concilio Ephesino summis laudibus excepta est, & quam Euagrius diuinam appellat circa finem: [Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, vt nisi hanc perfidam nouitatem intra decimum diem aperta, & scripta confessione damnaueris, ab vniuersali te Ecclesiæ Catholicæ communione deiectum scias, quam formam nostri iudicij per filium meum Possidonium Diaconum destinauimus, vt agat vice nostra, quatenus statutum nostrum, vel tibi, vel vniuersis Fratribus innotescat.] Et in Commonitorio suis Legatis ad Concilium Ephesinum dato, quod nuper Stephanus Balluzius edidit: [Auctoritatem Sedis Apostolicæ custodire debetis, & conuentui interesse, ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententijs iudicare debetis, non subire examen.] Idem Cœlestinus epistola ad Synodum Ephesinam data: [Direximus pro nostra sollicitudine sanctos

Euagr. lib. 1. c. 4. Baron. anno 430.

Commonit. Cœlest. apud Ballu. ex MS. Cod. Colbertino, & conseruato in Bibl. Vatic. Habetur in actis Synodi Ephes. p. 2. act. 2.

Fratres, & Consacerdotes nostros, qui ijs, quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis anteà statuta sunt exequantur, quibus præstandum à vestra sanctitate non dubitamus assensum. Et Proiectus Cœlestini Legatus: Literarum S. Papæ Cœlestini Episcopi formam vestra sanctitas consideret, vt ea, quæ & dudum antè definire, & nunc in memoriam reuocare dignatus est, iuxta communis fidei regulam ad finem deduci iubeatis. Et ibidem Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus: Apostolica, & sancta Sedes Cœlestini sanctissimi Episcopi per literas, quas misit etiam antè de præsenti negotio, sententiam, regulamque præscripsit, quam nos quoque secuti formam illam executioni mandauimus, Canonicum, Apostolicumque iudicium in illum exequentes.] Vides tantum abesse, vt Pontificum sententiæ tanquam errori obnoxiæ iudicari, corrigique à Concilio debeant, vt potiùs illæ normæ, regulæ sint, ad quas Concilij decreta exigi debeant, erratura, & abolenda, si illis non respondeant; nec alias esse Concilij partes, quàm vt Pontificum sententias iam priùs prolatas exequantur, sic enim Cœlestinus, eiusque Legati, immò, & Patres Concilij profitentur. Quod si Concilium à Pontificis sententia deflectat, non Pontifex errabit, sed Concilium: nec sententia Pontificis corrigi, sed Concilij debebit, quod tum ex allatis testimonijs constat, tum etiam luculento exemplo, quod in eadem Synodo Ephesina proditum est. Cùm enim Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus ob celebritatem eius vrbis contra Cæsariensis Episcopi iura Primatum totius Palestinæ affectasset, ac etiam communi totius ferè Synodi suffragio obtinuisset, obstitere Legati Apostolicæ Sedis, & auctoritate, qua supra Concilium pollebant, Decretum Synodi abolitum voluere, id quod S. Leo Magnus memorat, simulque quantum Pontifex Romanus Concilio præstet, his verbis memoria dignis ostendit: [Quoties, inquit, ob incurrentes causas generalis Congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile est, vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere, sicut etiam in Ephesina Synodo Iuuenalis Episcopus ad obtinendum Palestinæ Principatum credidit, se posse sufficere, quod sanctæ memoriæ Cyrillus meritò perhorrescens multùm poposcit scriptis suis, vt illicitis conatibus nullus præbeatur assensus. Hoc tamen proprium definitionis meæ est, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorumdam subreptionem decernat, id iustitiæ consideratione cassetur.] Iterum sæpè memoratus S. Cœlestinus Papa epistola ad S. Ephesinam Synodum: [Tandem malorum fine gaudendum est, tandem iniquè loquentium os videmus esse obstructum. Huiusce tamen fideliter peractæ rei vos executores, ac defensores nobiscum videamus fuisse fidei Sacerdotes.] Vbi iterum vides, non alias esse Concilij partes, quàm vt exequatur, quæ à Summo Pontifice definita sunt. Vnde facilè respondetur Ludouico Dupino interroganti: [Si Pontifices infallibiles sunt, quid opus cogi Concilia?] Cui respondeo, cogi Concilia, non vt retractent, reuocentque iam semel à Pontificibus definita, sed vt exequantur,

S. Leo ep. 62 Baron. ad ann. 431. nu. 103.

tur, vt illustrent, vt compellant, vtque ab Hæreticis obiecta, qua valent eloquentia, & ingenio, refutent, prout clarissimè in Concilijs Nicæno, & Ephesino apparuit, in quibus Christianæ fidei dogmata præclarissimis argumentis non tantùm definita, sed etiam illustrata, & munita sunt. Non ergò conuocantur Concilia, vt Pontificum decreta examinent, vera, an falsa sint, sed vt eorum veritatem magis, magisque illustrent; quemadmodum cùm sacrarum scripturarum sententias ad examen vocamus, non id agitur, vt de eorum veritate dubitetur, sed vt eadem veritas, quam illæ complectuntur, omnibus perspecta fiat, omnique argumentorum genere conspicua euadat: nàm & qui telescopijs, alijsque instrumentis Solem intuetur, non dubitat, an Sol existat, luceatque, sed id agit, vt Solem existentem, & lucentem magis, magisque agnoscat. Et quoties vnum, idemque dogma in diuersis Concilijs Oecumenicis examinatum, discussumque est? num ideò prioris Concilij dubia fides, & errori obnoxia? sic contra hæresim Arianam post Nicænam Synodum etiam in Synodis Sardicensi, & Ariminensi actum est. Sic hæresis Nestoriana non solùm in Synodo Ephesina, verùm etiam in Chalcedonensi, & Constantinopolitana iterùm, iterùmque damnata est; & de vna, eademque fidei veritate, quàm multi Prophetæ vaticinati sunt? num ideò priorum Prophetarum falsa vaticinia, aut dubia, quia alij idem cecinere? Nihil ergò Pontificum auctoritati obstat, quòd, quæ ipsi definiuerant, alia Concilia postmodùm æquè deciderint, præsertim cùm eorum decisiones, nisi Pontificis Romani auctoritas accederet, vanæ, irritæque haberentur. Sed quid opus argumentis, quando ex allatis Patrum testimonijs constat, Concilia exequi tantùm solita esse Pontificum decreta, nec illis licuisse aliud pronunciare, quàm Roma præscripsisset? Quæ testimonia siue Dupinus legit, siue non legit, æquè reus est; si enim legit, quantæ pertinaciæ est, agnoscere veritatem, nec tamen admittere? si non legit, quantæ temeritatis scribere, quæ ignoret? Et planè legenti Dupinum palàm est, non aliam ei metam fuisse, quàm Maimburgi argumenta (quæ in libello de priuilegijs Ecclesiæ Romanæ recitauerat) exscribere, & latinitati tradere, nulla interim veritatis, aut cura, aut notitia. Sed hæc ex dicendis adhuc clariora euadent.

VII. Anno 449. celebrata est Synodus Chalcedonensis, cuius occasione non solùm auctoritas Romani Pontificis in damnandis etiam extrà Concilium Oecumenicum Hæreticis, ac statuendis fidei dogmatibus, verùm etiam summa infallibilitas multifariàm enituit, multisque testimonijs, & exemplis probata est, vt ex dicendis patebit. S. Leo ad Patres Ephesi in causa Eutychetis congregandos; [Fratres nostros Iulianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum misi, qui vice mea sancto Conuentui intersint, & communi vobiscum sententia, quæ Domino sint placitura, constituant. Hoc est, vt primitùs pestifero errore damnato etiam de ipsius, qui impudenter errauit, restitutione tractetur, si tamen sensus hæreticos, quibus imperitia eius fuit

S. Leo epist. 15.

irretita, planè, apertèque propria voce, & subscriptione damnauerit, quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram se esse sententiam secuturum.] Vides, Leonem iam prædamnasse extrà Concilium hæresim Eutychetis, nec suam iam priùs prolatam sententiam Concilij arbitrio, aut iudicio subijcere, sed potiùs, & modum, & substantiam, quo procedere debeant, præscribere; num hoc, aut Leo faceret, aut Concilium pateretur, si errare Pontifex posset? si infrà Concilium esset? nec enim minor maiori præscribit, nec is, qui errare non potest, ab eo se doceri, ducique, & imperari permittit, qui errare potest. Idem S. Leo epistola ad Patres Synodi Chalcedonensis: [Tamen in his Fratribus, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & iam dudum fidei Catholicæ prædicatione non desum, vt, qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Vndè fratres charissimi, reiecta penitùs audacia disputandi contra fidem diuinitùs inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi; cùm secundùm Euangelicas veritates, secundùm Propheticas voces, Apostolicam q; doctrinā, plenissimè, & lucidissimè per literas, quas ad bonæ memoriæ Flauianum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini Nostri pia, & sincera confessio.] Si errare Pontifex potest, si Concilio subiectus est, cur non liceat eius epistolam examini subijcere? cur illi Patres Concilij adstricti sint? quænam ergò sunt notæ Infallibilitatis, si hæ non sunt? & quid ampliùs præstare Pontifex debet, vt credatur Concilio maior, expersque erroris? Dicant aduersarij, si quid habent, & si non habent, cedant veritati. Martianus quoque Imperator oratione ad Concilium habita: [De cętero autem nemo de natiuitate Domini aliud disputare audeat, præter quod Apostolicum proœmium trecentorum decem & octo Patrum consonans huic doctrinę traditisse noscitur, sicut Sanctissimi Papæ Leonis, qui Apostolicum gubernat thronum, ad sanctæ memoriæ Flauianum testantur literæ.] Et Valentinianus Imperator epistola ad Theodosium: [Fidem, quam à nostris maioribus traditam accepimus, debemus cum omni deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam conseruare, quatenus Beatissimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui Principatum super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de Fide, ac Sacerdotibus iudicandi. Hac enim gratia secundùm solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem, quę orta est de Fide. [Et Galla Placidia ad eumdem Theodosium Filium: [Hac itaque gratia mansuetudo tua tantis malis resistens veritatem immaculatam fidei Catholicæ Religionis seruari præcipiat, vt secundùm formam, & definitionem Apostolicæ Sedis in statu Sacerdotij illæso manente Flauiano ad Concilij (non Oecumenicum, sed Romanum, & nationale

S. Leo epist. 47.

Extat to. 1. Conciliorũ antè Conc. Chalcedon.

tionale Italiæ, quod Leo Romam indixerat) & Apostolicæ Sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claues dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinauit.] Vides hic iterum, iudicia in causis fidei Romanæ Sedi committi, reseruarique, & ad illius præscriptum & normam instiruenda esse, quæ vtique summa est infallibilitatis nota, cùm oporteat regulam, & normam erroris expertem esse.

Neque dicas: Summos Pontifices more aliorum Episcoporum sententias, quidem ferre in causis fidei, sed non vltimas, nec infallibiles, & peremptorias, has enim Concilio reseruari.

Respondeo, allata Patrum testimonia nimis esse clara, vt eam inanibus, & ridiculis distinctionibus eludi possint. Si enim Pontificum sententiæ in causis Fidei non sunt decretoriæ, & definitiuæ, sed solùm doctrinales; cur Patres sub pœna anathematis eas recipi toto Orbe terrarum iubent? cur illis adstringunt Concilia, nec permittunt in dubium vocari? cur toties protestantur, non valere Conciliorum Decreta, nisi à Pontificibus confirmata? & quænam est censenda vltima, & definitiua sententia, quæ nullam aliam expectat, à qua confirmetur? (quales sunt sententiæ Romanorum Pontificum) an quæ aliam expectat, à qua necessariò pendeat, quales sunt omnes sententiæ Conciliorum vt suprà ostendimus? Et denique potestatem Romanorum Pontificum causas fidei decidendi Patres in speciali priuilegio fundant Cathedræ Petri; at verò Iudicium ferre tantùm doctrinale, quòdque examinari, corrigique possit, nec priùs certum reddatur, quàm Ecclesia illud acceptet, non est speciale priuilegium Sedis Apostolicæ, sed cuiuslibet Episcopi, imò & priuati Doctoris, Theologia vtcumque imbuti. Sed age iam alios quoque testes audiamus. Theodoretus epistola ad Renatum Cardinalem: [Hac igitur de causa, inquit, tuam oro sanctitatem, vt persuadeas sanctissimo, atque Beatissimo Archiepiscopo Tuo, vt Apostolica vtatur auctoritate, & præcipiat, ad vestrum conuolare Concilium. Habet enim Sanctissima illa Sedes omnium per orbem terrarum Ducatum, & Principatum, multis quidem ex causis, præcipuè verò, quòd hæretica labe immunis permansit, & nullus, qui contraria sentit veritati, in illa vnquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram, & immaculatam seruauit. Quæ enim à nobis decernuntur, contenti his erimus, & illis acquiescemus; quæcumque illa fuerint, vestro iusto iudicio confisi. Si teste Theodoreto, Primatus Romanæ Ecclesiæ præsertim in eo consistit, quòd hæretica labe immunis permansit, & nullus in ea sedit, qui contraria sensit veritati:] sequitur, vt quemadmodum semper penès Romanam Ecclesiam Primatus stetit & stabit, ita etiam semper Romana Sedes, & immunis fuerit, & immunis futura sit ab omni hæresi, & errore; in hac enim Immunitate Primatus Pontificius (qui salua fide negari non potest) teste Theodoreto consistit; sed hic Primatus est perpetuus, ergo etiam perpetua ea Immunitas. Illud quoque insigniter ostendit, quàm præcipuæ sint partes

Theodoret. ep. 116. apud Baronium ann. 449 numer. 124.

Romani Pontificis in damnandis hæresibus, multòque supra Concilium; quòd cùm in Synodo Chalcedonensi omnium Patrum suffragio formula, & confessio fidei contra hæreses Eutychetis contexta esset, eamque pertinacissimè Patres defenderent, adeò vt contenta voce clamarent: [Definitio omnibus placet, hæc Fides Patrum, qui aliter sentit, anathema sit; altera definitio non fit;] Legati nihilominùs Romani Pontificis eam semper respuerunt (quòd videlicet non omninò Leonis epistolæ consentanea esset) parati Concilium dissoluere, ac re infecta Romam reuerti: [Si enim, inquiebant, non consentit Epistolæ Apostolicæ, & Beatissimi Viri Papæ Leonis, iubete nobis rescriptam dari, vt reuertamur.] Ipsi quoque Concilij Iudices: [Ergo addite definitioni secundùm iudicium Sanctissimi Papæ nostri Leonis, duas esse naturas vnitas in Christo inconuertibiliter, inseparabiliter, & inconfusè.] Assenserunt Patres, aliamque Fidei formulam ex præscripto Leonis ediderunt. Quæro iam, quid apertiùs, & efficaciùs dici possit pro superioritate Pontificis supra Concilium, proque eius infallibilitate? Si Pontifex Concilio subiectus est, cur imperat, non obsequitur? cur cogit? cur præscribit? & si non patitur, Patres Concilij aliter in rebus fidei loqui, aut scribere, quàm ipse loquatur, & scribat; quantò minùs pateretur, aliter sentire, aliter credere? Denique S. Gelasius Pp. opusc. de anathemate: [Cognoscant igitur illud (Concilium videlicet Chalcedonense) secundùm Scripturas sanctas, traditionemque Conciliorum pro fide communi, & veritate Catholica, & Apostolica, pro qua hanc fieri formam Sedes Apostolica delegauit, factamque firmauit, à tota Ecclesia indubitanter admitti; alia autem, quæ Sedes Apostolica nullatenus delegauit, mox à vicarijs Sedis Apostolicę contradicta manifestum. Quid clariùs dici poterat? Nihil videlicet in Concilijs etiam Oecumenicis definita valere, nisi à Sede Apostolica priùs præscripta fuerint, & posteà confirmata.

Acta Conc. Chalcedon. act. 5.

Obijcies I. Sophronius ex S. Gregorio narrat, Leonem cùm epistolam dogmaticam contra Eutychetem, & Nestorium scripsisset, eam Apostolorum tumulo cum his verbis imposuisse: [Si quid vt homo, vel minùs cautè posui, Tu, cui à Domino Saluatore nostro hæc Sedes commissa est, emenda. Post quatuor verò dies, quos inter preces & vigilias consumpserat, Apostolum apparuisse ac dixisse: [Legi, & emendaui.] Quam cùm Leo aperuisset, legissetque, [Apostolica manu emendatam] inuenisse. Nisi ergo Petrus emendasset, Leo in rebus fidei tradendis errasset; cur ergo non possint alij Pontifices errare, doctrina, & pietate Leone inferiores, & quorum epistolas non solet Petrus emendare?

Sophron. Prato spirit. 147.

Resp. Priùs oporteret istarum visionum veritatem ostendi, quàm ex illis argumentari; nec enim potest esse certa, & necessaria consequentia ex incertis, dubijsque principijs: & nos certa, non dubia quærimus, nec ex visionibus, sed ex traditione, Patrumque doctrina argumenta petimus; mirumque est S. Leonem nihil de hac Petri emendatione

dixisse, quo fidem epistolæ suæ adstrueret; fuissetque operæ pretium, quando videlicet Eutychiani eamdem epistolam corruperunt, adeò vt Nestorianismum redolere, multisque in Ecclesia Alexandrina suspecta hæresis videretur; quæ causa fuit, vt B. Leo datis ad Martianum literis Imperatorem rogauerit, curaret epistolam suam fideliter in Græcam linguam transferri. Sed demus, hanc visionem certam esse; quis nescit potuisse emendari epistolam, non quòd errorem aliquem fidei contineret, sed quia tamen mysterium aut non plenè, aut non clarè, aut verbis mysterio imparibus explicabat? nam & domum, & imaginem, & faciem emendamus, integra, nec mutata substantia. Imò hoc ipsum ostendit, quanta, quàmque speciali prouidentia Deus Pontificio calamo moderetur, vt quantumuis humano aliquo errore tangatur, non permittat tamen, eum in Ecclesiæ perniciem vulgari, sed illum quouis modo emendet, seu miraculo, seu speciali reuelatione, qualis & Petri fuit, de quo Christus: [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.] Et Caiphæ Summi Sacerdotis, qui licèt impijssimus, & in ipso procinctu flagrantis Deicidij, prophetauit tamen priuilegio Pontificatus. Prophetauit, inquit Euangelista, quia Pontifex erat anni illius. Si prophetauit Caiphas, quantò magis prophetabit Innocentius, prophetabit Alexander, vbi non de occidendo Deo, sed fide stabilienda agitur?

S. Leo epist. 69. Baron. ad ann. 454.

Obijcitur II. Epistola Dogmatica Sancti Leonis à multis impugnata est, nec priùs admissa, quàm post longum examen; id enim S. Leo testatur epistola ad Theodoretũ: [Gloriamur, inquit, in Domino, qui nullum nos in nostris Fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro priùs ministerio definiuerat, vniuersæ Fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodijsse ostenderet, quòd priùs à prima Sede firmatum totius Christiani Orbis iudicium recepisset. Nam ne aliarum Sedium consensus assentationis esse videretur, inuenti priùs sunt, qui de nostris iudicijs ambigerent. Et dum nonnulli à dissensionis incitati auctore ad contradictionis bella prosiliunt, ad maius bonum, malum eius peruentum est, ipsa quoque veritas clariùs enitescit, dum, quæ fides priùs docuerat, posteà examinatio confirmat. Multùm denique Sacerdotalis officij meritum splendescit, vbi sic summorum seruatur auctoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.] Si ergo doctrina Leonis, quam in Dogmatica sua epistola expresserat, in dubium & ad examen vocata est, sequitur, quòd non crediderint Patres, Leonem errare non posse; quis enim rem certam examinet? Sic etiam Eusebius Mediolanensis Episcopus coacta Synodo eamdem epistolam ad normam traditionis exegit; sic enim ad Leonem scribit: [Recitata epistola, quam ad Orientem Sanctitas vestra transmiserat, claruit, eam Prophetarum assertionibus, Euangelicis auctoritatibus, Apostolicæ doctrinæ testimonijs, omnibusque sensibus conuenire, quos Beatus Ambrosius suis libris inseruit.] Ex his Alexander Natalis concludit, summi quidem Pontificis partes esse: [Vt causas fidei ad Synodum referat, vt formam edendæ definitionis in causa fidei concipiat, vt in fide, & pace Ecclesiarum constituenda à sacris scripturis, à Canonibus, à traditione maiorum nullo pacto discedat; quod, vtrùm ita se habeat, expendere partes Concilij erunt, & ita non priùs decreta Pontificum rata, & certa esse, quàm à Concilio confirmentur.

S. Leo epist. 65.

Alex. Natal ad Seculum 5. Dissert. 12.

Resp. Hæc obiectio multa complectitur, quæ singillatim sunt examinãda. [Primò. Epistola, inquit, Leonis, diù multùmque priùs examinata est, quàm reciperetur.] Esto; sed nego, omne examen, omnemque disputationem esse de re incerta, dubiaque. Quanto studio, quantisque disputationibus sacras literas examinamus, earumque mysteria discutimus, ac innumeris obiectionibus exercemus? Num ideò incertæ veritatis sunt, & qui illas dictauit Spiritus sanctus errori obnoxius est? Et Christus Ioannis 5. [Scrutamini scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Num verba, & prædicatio Christi dubiæ fidei, quia eorum veritas ad testimonia Prophetarum examinanda erat? Quàm multis, varijsque instrumentis Astrologi Solis, Lunæque cursum, & eclypses examinant, obseruantque? num ideò de Solis existentia, motu, vmbraque ambigui sunt? Non ergo sequitur, vt, quidquid examini subijcitur, mox sit incertum, & dubiæ fidei; aliqua enim examinamus, quia licèt vera, falsis tamen aliunde suggestis admixta sunt; sic aurum igne examinatur, vt à fæcibus purgetur; alia examinamus, quia licèt vera, nobis tamen obscura sunt. Vtrumque accidit epistolæ dogmaticæ Leonis; nam vt suprà diximus, Eutychiani eam corruperant, & Nestorianismo miscuerant, ne fidẽ mereretur. Rursùs quia Latino idiomate, cuius plerique in Synodo Patres ignari erant, concepta, à quàm plurimis malè intelligebatur; adeò vt Romanis Legatis ei explicãdę sudandũ fuerit; quàm primùm verò explicata est, omnium vota promeruit, nullo examine, nullo conflictu consensum morante. Id ita esse patet ex actis Concilij; cùm Palestinæ, & Illyrici Episcopi ignorantia linguæ aliqua in epistola Leonis non intelligerent, & ideò consensum suspenderent, tandem edocti industria Legatorum sic locuti sunt: [Factum est autem nobis certum de epistola missa ab ipsius Beatitudine à sanctissimis Episcopis Paschasino, Lucentio, qui nobis dilucidauerunt, quæ obscuritas linguæ secernere subnotabat. Quæro igitur; si linguam Syriacam ignoranti Euangelium Syriacè conscriptum exhiberem, peteremque, vt continuò assensum suum præberet, is verò differret, ignorantiam linguæ causatus; an propterea dicendus esset de Euangelij veritate dubitare? Non ergo epistola Leonis examinata est, ex qua parte Leonis erat, sed ex qua parte, aut ab Eutychianis corrupta, aut à Græcis malè intellecta imperitia sermonis; alioquin de illius veritate nullam dubitandi, disputandique rationem fuisse tam certum est, vt nihil certius esse possit; sic enim ipse Leo epist. 45. ad Synodum: [Fratres charissimi, reiecta penitus audacia di-

spu-

sputandi non liceat defendi, quod non licet credi, cùm secundùm Euangelicas auctoritates plenissimè,& lucidissimè per literas, quas ad Flauianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis pia, & sincera confessio.] Et epistola 33. ad Pulcheriam Augustam: [Simplex est, & absolutum quod poscunt, vt remoto longarum disputationum labore Cyrilli epistolæ acquiescat, & epistolæ meæ, quæ ad Flauianum Episcopum est directa, consentiat, quia & mea, & Sanctorum Patrum concors, & vna confessio est, quam si quis existimauerit non sequendam, ipse se a compage Catholicæ Vnitatis abscindit.] Et actione 1. Concilij Chalcedonensis Lucentius Legatus: [Quoniam Sanctæ memoriæ Flauiani fides concordat cum Apostolica Sede: & Patrum traditione, sententiam, qua illum ab hæreticis constat esse damnatum, in eos retorqueri à sancta Synodo necesse est.] Et actione 2. Cecropius Sebastopolitanus: [Emerserunt, quæ ad Eutychē pertinebant, & super ijs forma data à sanctissimo Episcopo Romanæ Vrbis, & epistolę omnes subscripsimus; Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Omnes ista dicimus.] Et actione 4. Sedis Apostolicæ Legatus: [Manifestum est, nec poterit dubitari, vnam Fidem Beati Papæ Leonis cum trecentorum decem, & octo Patrum apud Nicæam concordare, &c. Ex his alijsque, quæ prolixè in medium adduci possent, clarissimum est, epistolam Leonis huiusmodi fuisse, vt nullus Catholicorum de eius veritate dubitauerit, præsertim postquam obscuræ quædam sententiæ ob ignorantiam Latinæ linguæ à Romanis Legatis explicatæ sunt. Quòd verò Monachi quidam Eutichiani, adeòque hæretici Leonis Epistolæ subscribere noluerint, nihil causæ nostræ officit; nec enim contendimus, Infallibilitatem Pontificis apud hæreticos certam esse, sed apud Catholicos tantùm. Imò illi ipsi, qui Epistolam Leonis in dubium vocabant, renuebantque illi subscribere, æquè Concilij Decreta in dubium vocabant, æquè aduersabantur, æquè cum sacris Concilij Nicæni Canonibus conferri volebant; cùm enim Patres sæpè decreuissent Leonis epistolam recipiendam esse, quique ei subscribere nollet, anathemate feriendum, hæresisque notandum; pergebant tamen oblatrare, aduersarique. Si ergo Infallibilitas Pontificis ideò neganda est, quia aliqui circa eius epistolam confligabantur; æquè infallibilitas Concilij neganda erit, cùm istius Decreta ab illis ipsis respuerentur, qui Pontificiam epistolam respuebant, vt videre est tota ferè actione 4. Et ideò huiusmodi concertationes, & dubitationes tam Sanctus Leo loco citato in Obiectione, quàm Patres Concilij actione 4. [A spiritu malo contradictionis, & hæresis] profectas esse dicunt. Patet ergo hoc Alexandri argumentum, quàm multis ex capitibus inualidum, & inerme sit. Secundò. In præfata Obiectione opponitur, epistolam Leonis fuisse collatam ab Eusebio Episcopo Mediolanensi alijsque, cum Sanctorum Patrum testimonijs, & doctrina, cumque Decretis Concilij Nicœni, & tunc primùm receptam esse, cùm palàm fuit, eam nihil antiquæ doctrinæ aduersum complecti; atqui nulla collatione opus erat, si credebant, Leonem errare non posse.

Resp. Hæc Obiectio non minùs Concilij Infallibilitatem, quàm Pontificis impugnat, nam & Concilij Chalcedonensis Decreta fuisse cum Decretis Nicęnæ Synodi, Sanctorumque Patrum Doctrina ab Episcopis collata, & ideò recepta, quia Doctrinæ Patrum consentanea reperiebantur, innumeris ferè testimonijs ostendi posset; aliqua tantùm libabimus. Episcopi Europæ sic ad Leonem Imperatorem loquuntur: [Chalcedone collectum magnum, & Vniuersale Concilium, eò, quòd prædicta Concilia (Nicænum videlicet Ephesinum, & Constantinopolitanum) firmauerit, nihilque commouerit, nec augmentum, vel detrimentum fecerit, aut quidquam, quæ tunc fuerunt definita commouerit, aut aliquid incongruenter interpretatum sit, seruamus &c.] Vides hìc, Decreta Concilij Chalcedonensis cum Decretis aliarum Synodorum fuisse collata, & ideò ab Episcopis Europæ recepta, quòd cum Decretis Nicænæ, Constantinopolitanæ, & Ephesinæ Synodorum concordarent; an propterea dicendum erit, Decreta Concilij Vniuersalis incertæ fidei esse, nec priùs obligare, quàm à nobis cum sacris scripturis, Patrumque traditione collata fuerint? Audi etiam Stephanum Episcopum epistola ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post acta Concilij Chalcedonensis: [Tanti, & talis Concilij (Chalcedonensis videlicet) amplectere iudicium Serenissime, & Orthodoxe Imperator, tales namque sapuisse comperimus omnes, qui verbo, & doctrina Deo placuerunt, id est, Beatus Athanasius, sic, & Basilius magnus, & Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nissæ, & Ioannes Constantinopolitanus, verborum simul, & cogitationum pelagus benedictum.] En tibi Concilij Chalcedonensis recipiendi rationes, quia videlicet Athanasio, Basilio, aliisque consentit; quid si ergo non consentiret? num ideò erraret? num ideò arbitrio nostro stabit, Decreta Concilij Vniuersalis cū doctrina Athanasij, aliorumque Patrum conferre, & si cum illa consentire videantur, recipere, sin minùs, respuere? Sicut ergo hæc Collatio Decretorum Concilij cum doctrina Patrum nihil nocet Infallibilitati Conciliorum; ita etiam nihil nocet Infallibilitati Pontificum. [Ad quid ergo hæc collatio, si constat, Pontificem falli non posse? Cur aurum lydio lapide exploras, si constat, aurum esse?] Respondeo, quia lumen lumini additum maiorem lucem, & Claritatem affert, redditque obiectum magis, magisque visendum; quoties duas faces accendimus, cùm vna sufficiat? ipsa fidei mysteria, quoties parabolis, similitudinibus, & argumentis è Philosophia petitis illustrantur, quamuis certa, quamuis indubitata? num ideò maior Philosophiæ, quàm fidei certitudo? nutriunt hæc fidem, si non pariunt. Deinde Concilia, & Pontificum Decreta non solùm fidelibus, sed etiam infidelibus, & hæreticis scribuntur, istos vt sanent, illos vt confirment; ergo vt etiam hæreticos conuincant, rationibus muniend a sunt, quas etiam hæretici

ca-

capiant; tales sunt, quæ à scripturis, & Patribus, ac Synodis petuntur, olim, & ab omnibus receptis. Nouit aurifex, quid sit aurum, ignoro ego; mihi ergo, non illi Lydius admouetur. Meritò igitur, cùm Eutychiani, sicut omnes æquè heretici Leonis Papæ epistolam, & Concilij Decreta respuerunt, ad scripturas, ad Synodum Nicænam, ad Patres reuocabantur; alioquin veris Catholicis nullam fuisse de Leonis epistola rationem dubitandi, adeòque nullam examinandi necessitatem ex dictis certum est, & audiri adhuc possunt acta Chalcedonensis Synodi; nam actione 4. Paschasinus dixit: [Manifestum est, nec poterit dubitari, fidem Beatissimi Papæ Leonis cum trecentorum Patrum concordare &c.] Et S. Leo epist. ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post acta Concilij Chalcedonensis: [Licèt ea, quæ à Sede Apostolica iudicata sunt, sufficerent, insidias tamen hæreticorum etiam hæc, quæ sunt adiecta, reserabunt.] Vbi vides, sufficere quidem in causis fidei [Apostolicæ Sedis iudicium:] Sed tamen conuincendis hæreticis Patrum quoq; suffragia admitti. Tertiò. Concludit P. Alexander, Pontificum Decreta in causis fidei [non priùs rata, & certa esse, quàm à Concilio confirmentur.]

Resp. Tam falsa hæc est Conclusio, quàm falsa sunt principia, ex quibus illa deducitur, & quæ iam suprà confutauimus. Imò tantum abest, vt Decreta Pontificum à Concilio confirmari debeant, vt potiùs certissima sit regula, & millies à Patribus repetita, videlicet: [Concilia à Pontifice Romano non confirmata nullius valoris esse.] Et id ipsũ confirmant, quæ de Concilio Chalcedonẽsi hactenus dicta sunt, videlicet [Leonẽ præscripsisse Cõcilio, quid definiri, quid non definiri oporteret; Concilij Decreta alia confirmasse, alia improbasse; in causis Fidei sufficere Pontificis Romani sententiam. Quod si Pontificis Decreta non priùs valida, & rata sunt, quàm à Concilio Oecumenico confirmentur, quid rogo plus habent Decretis cuiuslibet Episcopi? & vbi est illud tam à Patribus declamatum Romanæ Sedis priuilegium in causis fidei decidendis? Et hæc sufficiant pro Infallibilitate Pontificis ex Chalcedonensi Concilio excerpta.

VIII. Anno 483. Prorupit hæresis Petri Cnaphæi, qui non solùm Eutychianus hæreticus, sed etiam Apollinarista, atque Sabellianus, erat, sicque ob hæresim, ex tribus hæresibus conflatam meritò Heresiarcha appellatus est; hunc à Felice III. in Synodo Romana damnatum esse totaque Ecclesia proscriptum, & simul insigne Infallibilitatis Romanæ argumentum editum esse ex sequentibus patebit. Euagrius hæc habet: [Mittuntur à Felice ad Zenonem Imperatorem Vitalis, & Misenus Episcopi, vt eius auctoritate tum Concilium Chalcedonense firmarent, tum Petrus vt hæreticus Episcopatu pelleretur, tum denique Acacius mitteretur ad ipsum Felicem, rationem de rebus, quas Ioannes ei obiectasset, redditurus.] Idem Euagrius cap. 20. [Quod quidem Romanum Concilium, quæ sequuntur, de Petro pronunciauit: Petrum hæreticum iam pridem sententia sacræ Sedis Apostolicæ condemnatum, interdictum Ecclesia, & anathemate multatum Ecclesia Romana non recipit. Et ipsa Synodus Romana: [Successor Præsulum Sedis Apostolicæ caput est omnium, Domino ad B. Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; quam vocem sequentes sancti Patres apud Nicæam congregati confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt, quam vtramque vsque ad ætatem nostram successiones omnes Christi gratia præstante custodiunt.] Vt intelligas, quæ de Canone Nicæno Synodus Romana hìc memorat, sciendum est, tribus locis de Romani Pontificis Primatu Canones Nicænos loqui, iuxta diuersas editiones, videlicet canone 6. canone 19. & canone 40. Quamuis enim Rufinus, communisque sententia tantùm viginti Canones numeret, grauissimæ tamen rationes sunt; quæ persuadent plures, hoc est vsq; ad 70. fuisse: tum quia acta Concilij Nicæni ab hæreticis Arianis flammis corrupta sunt, tum quia Iulius I. Epistola ad Orientales, quam S. Athanasius citat Apologia 2. meminit Canonis 71. vbi de appellationibus ad Romanum pontificem agitur, S. Hieronymus contra Luciferianos agens de rebaptizatione meminit canonis 31.32.34.35.36. Sanctus Augustinus epistola 100. canonis 48. in versione Turriani, & in versione Abrahami Ecchellensis canonis 52. & canonis 54. S. Leo PP. Primus epistola ad Theodosium 24. vbi agit de Appellatione Flauiani, Canonis 71. Et denique multa apud antiquos scriptores in Nicæna Synodo constituta esse leguntur, quæ modò in vulgatis Canonibus reperire non est; vt adeò certum sit, multò plura in Synodo Nicæna decreta esse, quàm viginti canones complectantur. Sed quidquid de hoc sit, sextus saltem Canon Nicœnus indubitatæ fidei est, quantumuis, & hunc, prout modò in Tomis Conciliorum legitur, esse corruptum, nec eam sententiam reddere, quam antiqui Patres repræsentant, certum sit; is enim canon, prout in vulgatis exemplaribus legitur, comparationem tantùm instituit quoad Patriarchatum inter Pontificem Romanum, & Episcopum Alexandrinum, vt videlicet hic intra terminos sibi à Synodo assignatos, Ægyptum videlicet, Pentapolim, Libiamque eamdem Patriarchalem potestatem exerceat, quam Romanus Pontifex intra suum Patriarchatum, cuius quidem nullos terminos Nicænum Concilium assignat. At verò lapsis retrò temporibus multò plura hic canon continebat, Primatum videlicet, & iudiciariam vniuersalem Pontificis potestatem. Bonifacius enim primus epistola 9. ad Episcopos Thessaliæ: [Institutio, inquit, vniuersalis Ecclesiæ de Beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen eius, & summa consistit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeòut non aliquid super eum sit ausa constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa.] Nota, ne quidem Concilium Nicœnum, quamuis omnium celeberrimum, quamuis circa Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum Patriarchas multa constituisset, non tamen circa Romanum Pontifi-

Euagr. lib. 3. cap. 18.

Idem l. 3. c. 20.

Inter epist. Felicis epistola 4.

Obijt anno 423.

tifi-

tificem; & quam ob causam? nisi quòd agnosceret, omne Concilium? quantumuis Oecumenicum, infra Pontificem esse? Stephanus V. An ignoras, inquit, [quid in prima Nicæna Synodo præsidente ibi Constantino B. Syluester Papa de non iudicando supremo Throno per Legatos pronuntiarit?] In Concilio Chalcedonensi actione 16. Paschasinus Episcopus, & Leonis Legatus hæc habet: [Trecentorum decem, & octo Patrum canon sextus: Quòd Ecclesia Romana semper habuit Primatum; teneat autem, & Ægyptus, vt Episcopus Alexandrinus omnem habeat potestatem &c.] S. Leo IX. epist. 1. ad Michaelem Patriarcham: [Beatissimo, & Apostolico Pontifice Syluestro diuinitùs decernente, spiritualique eius Filio Constantino cum vniuersa Synodo approbante, ac subscribente, vt Prima Sedes à nemine iudicetur.] S. Gelasius I. Tract. aduersùs Græcos: [Qua ratione, vel consequentia alijs Sedibus deferendum est, si primæ Beatissimi Petri Sedi antiqua, & vetusta reuerentia non defertur, per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est roborata, atque firmata, trecentorumque decem, & octo Patrum inuicto, & singulari iudicio vetustissimus iudicatus est honor?] Constat ex Patrum testimonijs, multò ampliorem fuisse Concilij Nicœni de Romano Pontifice sententiam, quam quæ modò in vulgatis Canonibus habetur.

Obijt anno 817.

Obijt anno 1054.

Obijt anno 496.

Anno 494. Gelasius Papa in Synodo Romana septuaginta Episcoporum, quinam libri sint Canonici, quinam verò apocryphi (hoc est, aut dubiæ, aut malæ fidei, aut erroribus aspersi) definit, sicque lapidem fundamentalem veræ Religionis ponit; quid enim certi in fide Catholica, si incertum sit, quodnam sit Verbum Dei? Claudit Gelasius hoc Decretum de libris Canonicis his verbis supremam auctoritatem indicantibus: [Hæc omnia, & his similia non solùm repudiata, verùm etiam ab omni Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata;] In eodem Decreto hæc habet Gelasius: [Sancta Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cœteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri Primatum obtinuit.] Et infra: [Eadem Sancta Romana Ecclesia post illas veteris, & noui Testamenti etiam has suscipi non prohibet scripturas, videlicet Sanctam Synodum Nicœnam, trecentorum decem, & octo Patrum, Sanctam Synodum Constantinopolitanam, Sanctamque Synodum Ephesinam.] Nota ea verba: [etiam has suscipi non prohibet scripturas &c.] Quibus manifestum est, Papam esse supra Concilium, nec vllum esse Concilium tam Oecumenicum, tam sanctum, quod ex Pontificia approbatione non pendeat; cuius enim est prohibere, nisi superioris? & quomodo prohiberi possit à Pontifice, quod à Pontificis potestate non pendeat? Prohibebit miles Ducis imperium recipi, Senator Imperatoris?

Anno 534. Cùm Iustinianus Imperator ad Ioannem II. Romanum Pontificem splendidam Legationem misisset, rogaretque, eius Decreto definiri, an salua fide Catholica admitti hæc propositio posset, videlicet. [Vnus de Trinitate passus est?] Ioannes habita Romæ Synodo definiuit, posse. Quamuis enim Hormisda Papa aliquando eas voces nouitatis suspectas, & ab Eutychianis repertas (tacebant enim nomen Personæ, & tantùm Vnum dicebant, quod æquè de Vnitate naturæ intelligi poterat) vetuisset; mutatis tamen personis, submotoque periculo, ad confundendos Nestorianos (qui negabant, vnam esse in Christo personam) Ioannes Papa definiuit, posse eam propositionem admitti. Hac occasione insigniter quoque Primatus, & Infallibilitas Pontificia emicuit; nam in Epistola, quam Iustinianus Imperator ad Ioannem Pontificem scripsit, hæc habentur: [In præsenti, quæ commota sunt, quamuis manifesta, & indubitata sint, & secundùm Apostolicæ Vestræ Sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmiter custodita, & prædicata, necessarium tamen duximus, vt ad Vestram Sanctitatem perueniat, nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, indubitatum sit, quod moueatur, vt non etiam Vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium Ecclesiarum.] Fatetur hìc palàm Iustinianus; [Quæ ab Apostolica Sede decreta sunt, ab omnibus semper Sacerdotibus firmiter custodita, & prædicata esse;] quod omninò infallibilitatem arguit, alioquin quæ causa esset, [vt ab omnibus reciperentur, & firmiter custodirentur Pontificum Decreta?] Et infra in eadem epistola: [Omnes Sacerdotes Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ sequentes sanctitatem vestram, & custodientes statum, & vnitatem Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolicæ Vestræ Sanctitatis Sede, nihil penitùs immutantes de Ecclesiæ statu.] Ioannes verò Papa in Responsoria ad Iustinianum: Ipsos (hoc est Accemetes Eutychianos) [minimè in nostra Communione recepimus, & ab omni Ecclesia Catholica esse iussimus alienos, nisi errore damnato doctrinam nostram quantocyùs sequeretur. Æquum quippe est, vt qui nostris statutis non præstant obedientiam, Ecclesijs habeantur extorres.] At quomodo æquum, vt qui non obedit Apostolicæ Sedis Decreto, ab Ecclesia habeatur extorris, si errare Sedes Apostolica potest? Nemo enim cœcam hanc, & necessariam obedientiam debet incerto Duci. Quid ergo ex sententia Ioannis meriti sunt, qui Innocentij XI. Decretis non tantùm non obtemperarunt, sed etiam eius auctoritati bellum intulere? Idem Iustinianus alia ad Hormisdam Papam Epistola: [Hoc enim credimus esse Catholicum, quod Vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.] Credebat vtique Iustinianus, Papam esse infallibilem; alioquin falsum esset, id esse Catholicum, quod Papa pronuntiat.

Anno 648. Theodorus Papa hæresim Monothelitarum, eiusque præcipuos auctores ante omne Oecumenicum Concilium damnat; sic enim Anastasius in vita Theodori:

doti: [Sanctissimus Papa Theodorus scripsit Paulo Patriarchæ, sed cùm non posset à suo conamine reuocare, iustè ab Apostolica Sede depositionis Sententia percussus est.] Theophanes ad annum 20. Heraclij Imperatoris: [Theodorus plenitudine conuocata Ecclesiæ] (hoc est Synodo Romana) [ad Sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & diuino calice expostulato, ex viuifico sanguine in atramentum stillauit, & ità propria manu depositionem Pyrrhi fecit.

Anno 649. Celebrata est Synodus Romana, in qua Martinus Papa hæresim Monothelitarum damnauit, & insignia quoque Pontificiæ infallibilitatis exempla prodita sunt. Sic enim epistola II. ad Hierosolymitanum,& Antiochenum Episcopos Martinus loquitur: [Nos verò, idest, huius sanctæ Sedis Pontifices ad custodiam domus peruigiles non permisimus eos Fidei thesaurum surripere, sed ipsos catenis impiæ, & adulterinæ eorum doctrinæ constringentes accurata demonstratione, & examinatione eorum, quæ ab ipsis contra integritatem fidei scripta sunt, tùm ipsos, tùm ea, quæ impiè docuerunt, igne Canonicæ sententiæ velut mala Zizania exurentes Synodaliter condemnauimus.] Idem Martinus epistola 13. enarrans, quæ sibi acciderant Constantiniana Basilica exeunti, Calliopa (qui ad eum trucidandum missus fuerat) pro foribus stante: Cùm, inquit, [exirem ab Ecclesia, in qua exercitus me cum armis constrinxerat, clara voce dixerunt: anathema habeat, quisquis dixerit, vel crediderit, quia Martinus,vsque ad vnum apicem fidem mutauit, aut mutaturus sit.] Hìc apertè Ecclesia Romana agnoscit, & profitetur, non posse Pontificem fidem mutare, & consequenter infallibilem esse; sunt enim termini æquiualentes, esse infallibilem, & esse in vera Fide immutabilem. Et Secretario secundo Synodi Lateranensis Maurus Episcopus Cæsenas: [In his quæ mouentur, & contra Patrum Orthodoxorum Decreta proponuntur, me non aliter sentire, nisi quomodo sancta vestra Apostolica doctrina, & orthodoxa tenet Ecclesia, profiteor.] Agnoscit ergo infallibilem esse doctrinam Apostolicæ Sedis; alioquin qua conscientia dicere posset, se credere, quod Papa credit? non esset hoc inniti super baculo arundineo? nec Fidem diuinam, sed humanam, & fallibilem profiteri, quippè humano, ac fallibili iudicio nixam? non est hoc credere, sed opinari, nec supra Petram, sed super arenam ædificare. Si falli potest Papa, & ergo, & falli potest, qui credit, quod credit Papa; sed vera fides falli non potest. Eodem Secretario 2. Sophronius Stephanum Dorilensem ita alloquitur: [Quantocyùs ergo ex finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apostolicam Sedem peruenias, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, & non quiescas instantiùs petens, atque exorans, donec ex Apostolica prudentia, quæ in Deo est,ad victoriam iudicium perducere debeant, & nouiter introductorum dogmatum destructionem.] Fierine potest, vt in Sede Romana sint [Orthodoxorum dogmatum fundamenta,] si Sedes Romana in rebus fidei falli potest? Contra fundamenta fideine portæ quidem inferi possunt præualere, quomodo error, & ignorantia præualebunt? aut ergo falsum est, quod Sophronius profitetur, quodque Synodus tacendo approbat; videlicet: [In Sede Romana Orthodoxorum dogmatum fundamenta reperiri;] aut falsum est Papam errare posse, repugnat enim, esse fidei fundamentum, & labi posse.

Anno 680. Romæ ab Agathone PP. Synodus celebrata est, in qua, sicut, & in sequenti Oecumenica, quæ fuit sexta Constantinopolitana, multa Pontificiæ infallibilitatis argumenta, & testimonia prodita sunt, quæ hìc breuiter libabimus. Agatho igitur epistola ad Constantinum, & Fratres Imperatores ex Synodo Romana hæc habet: [Cuius (B.Petri) adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cuius auctoritatem vtpotè Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Ecclesia,&Vniuersales Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles, Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam, & probatissima Ecclesiæ luminaria claruerunt, & sancti Orthodoxi Doctores venerati sunt, hæretici autem falsis criminationibus, ac odijs insecuti.] Et infra: [Hæc est vera Fidei regula, quam, & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperij, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit.] Quid rogo dici poterat, quod magis Pontificiam infallibilitatem probaret? Fac, me Romæ in ea Synodo largis stipendijs Aduocatum fuisse; num poteram aliquid accommodatius, & efficacius dicere? Nunquam à via veritatis deflexit, nunquam errauit, nunquam vniuersales Synodi ab eius doctrina discessere, nunquam Patres eius dogmata non sunt amplexi, nunquam à tramite Apostolicæ traditionis secessit. Quid est, esse infallibilem, si hoc non est?

Dices, Agatho de præterito loquitur, non de futuro; dicit, nunquam errasse, non verò,nunquam erraturos Pontifices; & quid, si addam, Agathonem errasse, quando dixit, Pontifices errare non posse.

Resp. Ratio Agathonis omne tempus, præteritum, & futurum complectitur; quòd enim nunquam errauerit, rationem hanc affert, quia videlicet; [Petri confessio à Deo reuelata est; quia spiritales oues Ecclesiæ terna commendatione à Domino pascendas suscepit; quia Christus Petro dixit: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.] Quæ rationes omne tempus complectuntur; numquid enim pro aliquo tantùm tempore Christus Petro oues commendauit, & non semper? & pro aliquo tantùm tempore pro Petro rogauit? Quòd si Sedes Romana, quando Ethnici Imperatores ferro, & flamma in eam grassabantur, quando Ariana, Pelagiana, Nestoriana, Eutychiana hæreses impietate, & potentia armatæ eam impellebant; quando in-

do inquam tot erant errandi causæ, numquam tamen errauit; quis credat, erraturam quando errandi causæ cessarunt? Stetit, cùm quateretur, non stabit, cùm quies est? non cessit aduersis ventis, cedet, aut mergeretur secundis? & cùm lubricum, & glaciem calcaret, erecta tamen, & immota processit, nutabit nunc, cadetque plano, & florente itinere? Millies ergo cecidisset, si cadere posset; nunc autem ideò non cecidit, quia non potuit, sustinente videlicet Christo: [Et innixa super dilectum.] Quamquam, nec argumentis opus est, cùm ipse Agatho obiectioni occurrat, & Sedem Romanam non tantùm numquam errasse, sed ne quidem errare posse apertè dicat; sic enim pergit. [Sed vt ab exordio Fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus permanet secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem: Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.] Nota ea verba, quæ omnem cauillationem præcidunt, videlicet. [Illibata finetenus permanet.] Neque hæc solius sunt Agathonis verba, sed totius sextæ Synodi, quæ Agathonis epistolam instar oraculi habuit, vt videre est in actis eiusdem Synodi. Idem Agatho in epistola Synodali ad Patres Oecumenicæ Constantinopolitanæ, Legatos se quidem mittere, qui Synodo vniuersali assistant, ita tamen, vt nullo modo permittat, quæ ab ipso Agathone definita erant, in dubium, aut disputationem vocari, multò minùs inuerti; quod quid aliud est dicere, quàm Pontificem in rebus fidei decidendis, & infallibilem esse (cùm ne quidem in Concilio Vniuersali disputari de ijs debeat, quæ semèl ipse decidit) & omni Concilio superiorem, cùm Concilio imperet, præscribatque, quid credere debeat? Sed audi ipsum Agathonem in Epistola suis ad Concilium Legatis data: [Personas autem de nostræ humilitatis Ordine præuidimus dirigere, quæ omnium nostrum suggestionem, in qua, & Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibauimus, offerre debeant; non tamquam de incertis contendere, sed vt certa, atque immutabilia compendiosa definitione proferre]. Et iterùm: [Portitoribus testimonia aliquorum Sanctorum Patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, vt ex ijs dumtaxàt satisfacere studeant. Licentiam proindè eis, siue auctoritatem dedimus apud tranquillissimum Vestrum Imperium simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxàt iniunctum est, vt nihil profectò præsumant augere, nihil minuere, sed traditionem huius Apostolicæ Sedis, vt à Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sincerè enarrare]. Vides hìc iterùm, Pontificem Concilio præscribere, quid credere, quid definire debeat, aut non debeat; imò prohibere, ne ijs, quæ ipse definierat, [addatur aliquid, aut minuatur]. Quid hoc est aliud, quàm Papam esse infallibilem? nam si falli, si errare potest, cur non possit corrigi, & emendari, eiusque doctrinæ addi aliquid, detrahique?

V. Baron. ad ann. 681. n. 31.

Anno 692. Constantinopoli celebrata est Synodus quinisexta (sic dicta, quòd Canones in quinta, & sexta Synodo omissos suppleuerit) in qua centum, & tres Canones sanciti, sed quamplures contra Ecclesiæ antiquam disciplinam, adeò vt Romani Pontifices numquam eam comprobare voluerint. Nihil à Græcis Imperatoribus actum non est, vt Pontificis consensum impetrarent, sed irrito semper, & inani conatu. Audi Anastasium in Sergio: [Compellebatur autem, & ipse Sergius subscribere, sed nullatenus acquieuit, pro eo, quod quædam capitula extra ritum Ecclesiasticum fuerant in eo adnexa; quæ, & quasi Synodaliter definita, & in sex tomis conscripta à tribus Patriarchis, hoc est, Alexandrino, Constantinopolitano, & Antiocheno subscripta, manuque Imperiali firmata in hac Romana vrbe ad confirmandum, vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici vtpotè Capiti omnium Sacerdotum direxit, qui Beatissimus Pontifex penitùs eidem Iustiniano Augusto non acquieuit, nec eosdem tomos suscipere, vel lectione pandere passus est, porrò eos, vt inualidos respuit, atque abiecit &c.]. Mortuo Sergio idem Iustinianus Ioannem Pontificem, missa legatione enixè, ardenterque, sed frustrà pro Confirmatione rogauit. Repetitæ preces apud Constantinum Pontificem, imò is propter eà Constantinopolim accersitus, sed æquè frustrà: nulloque successu. Iam quæro, quid causæ fuerit, vt tanto studio, ac toties repetitis vicibus consensus Romani Pontificis peteretur, cùm iam quatuor Patriarcharum præcessisset, isque sufficere videri posset; nisi quòd scirent Græci, quod Romanus Pontifex probauisset, à toto Orbe probatum iri: quod improbasset, irritum, & inane futurum? vt planè ea Synodus irrita fuit, ac communi Ecclesiæ voto, erratica, est appellata.

Anno 726. Gregorius II. Iconoclastarum hæresim anathemate primus configit, celebrata Romæ Synodo. Audi Zonaram: [Gregorius, qui tunc Romæ Ecclesiam gubernabat, repudiata societate Præsidis nouæ Romæ Leonis scilicet Imperatoris, necnon eorum, qui illum sequebantur, Synodico anathemate perstrinxit.

Anno 773. Teste Anastasio, Gregorius III. collecta Romæ Synodo 93. Episcoporum decreuit: [Vt si quis deinceps antiquæ consuetudinis, & Apostolicæ Ecclesiæ fidelem vsum contemnens aduersùs eamdem venerationem sacrarum Imaginum depositor, atque destructor, & prophanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris à corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, vel totius Ecclesiæ vnitate, atque compage]. Idem anathema repetitum est contra Iconoclastas à Stephano Papa IV. anno 768. in Synodo Romana.

Anno 786. Celebrata est pro sacrarum Imaginum cultu secunda œcumenica Synodus Nicæna, in qua egregia iterùm, & inuicta testimonia pro suprema Pontificis Romani auctoritate, & infallibilitate: nam Hadrianus I. Pontifex Maximus missis ad Imperatorem Constantinum, sacramque Synodum Legatis, additisque literis. Primò, negat vllum dubitandi locum ampliùs superesse, postquam cultus sacrarum Imaginum à Pontifice Romano definitus, receptusque sit. Secundò, modum, legesque Concilio præscribit,

quas in definienda hac causa fidei necessariò obseruare debeat. Tertiò vetat, ne ab ijs, quæ Romani Pontifices olim decreuerant, remoueri se patiantur. Quartò. Primarij Concilij Patres, imò tota Synodus tamquam de re necessaria interrogantur, velintnè epistolam dogmaticam Hadriani recipere, an secùs? Quintò. Legatis præcipitur, vt si Synodus parere, & acquiescere nolit Romani Pontificis sententiæ, continuò Romam reuertantur, nec Synodo assistant.] Amabò quid amplius velis, quo constet Pontificem esse Synodò superiorem, & posse ante omnem Synodi sententiam causas fidei definire, nec à Synodo pendere, sed hanc potiùs à Romano Pontifice? sed audi ipsa Synodi acta; Hadrianus in epistola ad Augustos: [Vos autem maximè in traditione orthodoxæ fidei Ecclesiæ B. Petri, & Pauli Principum Apostolorum acquiescetis, eamque amplectemini, quemadmodum à superioribus Imperatoribus factum est, qui Vicarium eius ex toto corde dilexerunt]. Et infrà: [Hi siquidem Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam Orthodoxam fidem auspicati seruandam præceperunt, omnibus scilicet, qui in sedes eorum successuri erant, & in fide eorum vsque ad consumationem sæculi permansuri]. Nota hæc vltima verba, quibus apertè infallibilitas Pontificia palàm fit; si enim contra veram fidem docere aliquid possent, planè non permanerent vsque ad consummationem sæculi in Petri fide. Et infrà præscribens quid fieri, quid omitti à Synodo debeat: [Si verò impossibile est, ipsas sacras Imagines sine Synodi actione in pristino erigere, ac confirmare statu; sic in vestris fertur imperialibus iussionibus; imprimis pseudosyllogus ille, qui sine Apostolica Sede enormiter, nequiter, irrationabiliter contra Sanctorum Patrum traditionem de sacris Imaginibus actus est, anathematizetur præsentibus missis nostris; & tunc sicut antiquitus mòx extitit, iureiurando vestra pijssima, ac tranquillissima potestas, vnà cum Domina Augusta, seu eiusdem Regię Vrbis Patriarcha, nec non, & cuncto senatu corporale tribuentes sacramentum verbum Commonitorium, sicut antiquitùs nobis dirigere vestra dignetur sacra Imperialis potestas, quòd non est apud vos partis cuiuslibet fauor, aut defensio, sed ęqualitatem vtrisque partibus conseruabitis, nullatenùs necessitatem facientes ijs, qui à nobis mittuntur, sed omni honore eos habebitis. Et siquidem vtrique conuenerint, eccè benè! sin autem minimè conuenerint, cum omni humanitate ad nos dirigere satagetis]. Vides, nolle summum Pontificem Concilij Decretis adstringi, sed potiùs Concilium adstringere, vt obtemperet sententiæ à Pontifice Romano latæ, quod nisi faciat, Legatos suos re infecta domum remitti. Non dicit Hadrianus: [Legati mei Concilio obtemperent], sed è contrà: [Concilium Legatis meis obtemperet, & nisi faciat, domum redeant]. Iudicium nunc feras licet, maior sit Pontificis, an Concilij auctoritas, isto parente, illo imperante. Idem Hadrianus in epistola ad Tharasium Patriarcham: [Cuius, hoc est B. Petri, etiam sedes per totum Terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit, cui etiam velim Beata Vestra sanctitas ex sincera mente, & toto corde agglutinetur, vtpotè, quæ sit re vera rectè sentiens; & pietatis interruptæ conseruatrix. Hoc sacrificium primum Deo omnipotenti exhibeatur. Vestraque Beatitudo pijssimos nostros Imperatores supplicibus verbis admonebit, vt Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes, & seruantes traditionem huius sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ &c.]. Potestnè Hadrianus tam intrepidè asserere, Romam sedem esse (incorruptam Conseruatricem veræ fidei), corrumpi, si fidem dissipare possit? Posset tam præsidenter hortari Imperatores, vt Romanæ doctrinæ agglutinentur, vt eius vestigijs insistant, si ducere in errorem possunt?

Actione secunda eiusdem œcumenicæ Synodi Legati Apostolici primùm Tharasium Patriarcham, posteà totam Sacram Synodum his verbis interrogant: [Dicat nobis sacra Synodus, num recipiat sanctissimi Papæ Veteris Romæ literas, an secus? sancta Synodus respondit: sequimur, recipimus, approbamus]. Quod si Synodus respondisset: [Non sequimur, non recipimus, non approbamus]: quid aliud Legati dicturi essent, quàm quod olim in Concilio Chalcedonensi actione 5. dixere, videlicet: [Si non consentiunt epistolæ Apostolicæ Beatissimi Papæ Leonis, iubete nobis rescriptam dari, vt reuertamur]. Et planè Hadriani Legati, vt suprà vidimus, in mandatis habebant, vt nisi Synodus Hadriani Decretis inhæreret, continuò Constantinopoli excederent, sicque Concilium, dissoluerent. Actione 6. Patres Conciliabulum Constantinopolitanum, quod Iconoclastæ pro septima Synodo venditabant, hac ratione improbant: [Quis nullum habuit Cooperarium, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Prouinciales Literas, quemadmodùm fieri in Synodis debet]. Nota confirmationem Romani Pontificis necessariam esse Synodis œcumenicis, & esse non tantùm meræ conuenientiæ, sed debiti.

Anno 869. Cœpta est celebrari Constantinopoli octaua œcumenica Synodus auctoritate Hadriani II. Papæ, in qua præclara omninò argumenta Auctoritatis, & Infallibilitatis Pontificiæ producta sunt; imò in ea expressis, conceptisque verbis definitum est, Papam à Concilio œcumenico iudicari non posse, sicque Papam Concilio non subiacere. Cùm Photius verus, non fabulosus Græciæ Phaeton, ausus esset sententiam, & diras in Pontificem pronuntiare, coacta in Regia vrbe Synodo; necessariu nedum opportunum fuit, supremam Pontificis auctoritatem in Synodo œcumenica vniuersali Decreto sancire. Audi ergo, quàm multa, & irrefragabilia in hac Synodo pro Romano Pontifice dicta sint. Nam primò negant Legati, nec Concilium dissentit; se vmquam (quantò minùs Romanum Pontificem) Concilij iudicio subiectos fuisse. Cùm enim rogarentur Legati Sedis Apostolicæ, mandatum exhibere Pontificis Hadriani, respondent: [Hoc nos non inuenimus in Vniuersali Synodo factum, vt Vicarij senioris Romę à quolibet perpendantur, vtrùm talem habeant existimationem]. Secundò Actione 1. Hadrianus Pontifex Con-

Concilio imperat, præscribitque, quid fieri oporteat, & insuper libellum Patribus legendum proponit, cui omnes subscribere teneantur. Audi Hadrianum in epistola ad Basilium Augustum data, & in Synodo omnium approbatione perlecta: [Volumus, inquit, numerosum Concilium Constantinopoli celebrare, cui nostri missi Præsidentes, & culparum, Personarumque differentias liquidò cognoscentes, iuxta quod in mandatis acceperunt. In quo sacrato Cœtu execrandæ vanitatis Concilij, quod aduersùs hanc sedem actum est, cuncta decernimus exemplaria igne cremari, nec superesse apud quemlibet, vel vnum jota, nisi quis totius Clericatus, imò totius nominis Christiani anathemate perculsus carere voluerit]. Et paulò post recitatur libellus Hadriani, cui omnes subscribere tenentur, qui sic habet. [Anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, donec Sedis Apostolicæ sanctionibus inobediens perseuerans eius, sententiam tam de se, quàm de Patriarcha nostro Ignatio spreuerit, & Conciliabuli acta, quod se auctore contra Sedis Apostolicæ voluntatem congregatum est, anathematizare distulerit. Sequimur autem sanctam Synodum, & amplectimur, quam Beatæ recordationis Papa Nicolaus, cui, & ipse coangelice Papa Hadriane subscripsisti, simul. & quam tu ipse egisti, & omnia, quæ in eis statuta sunt secundùm decreti vestri moderationem venerabiliter conseruabimus, recipientes, quos recipiunt, & damnantes, qui in illis damnati sunt. Sancta Synodus dixit: [Omnibus placet libellus à Sancta Romana Ecclesia expositus]. Et tertia Epistola Hadriani ad Synodum: [Romanorum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quempiam iudicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit, sciendum tamen, quia fuerit de hçresi accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistere; quamuis, & ibi nec Patriarcharum, nec cęterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit sententiam proferre, nisi eiusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset.

Actione 4. & 10. recitatę sunt epistolę Nicolai I. Pontificis, summisque laudibus celebratę. Hic verò Nicolaus epistola ad Michaelem Imperatorem: [Non ergo dicatis vos in causa pietatis Ecclesię Romanę non eguisse, quę collecta Concilia sua auctoritate firmat, & sua moderatione custodit. Vnde quędam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt]. Et in eadem epistola §. sed his tamdem: [Patet profectò Sedis Apostolicę, cuius auctoritate maior non est, iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio]. Idem Nicolaus in Romana Synodo: [Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina à sedis Apostolicę Pręsule salubriter promulgata cōtempserit, anathema sit. Idē Nicolaus in libello paulò ante citato, & cui nisi subscripsisset, nemo ab Hadriano ad Concilium admittebatur, quique propterea in Canonem à sacra synodo admissus est. Postquam Nicolaus Primatum Summi Pontificis multis ostendisset, tandem subdit: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectu, quia in Sede Apostolica est immaculata semper Catholica reseruata Religio, & sancta celebrata doctrina. Hæc verba infallibilitatem Pontificiam omninò conuincunt, si enim Pontifex Romanus aliquando ex cathedra hæresim docuit, falsum est, in Sede Apostolica immaculatam semper reseruatam fuisse] catholicam Religionem. Idem Nicolaus epistola 8. ad Michaelem Imperatorem: Nulla regula, nulla consuetudo demonstrat Sedis Apostolicæ semel prolatam sententiam ipsa non annuente posse mutari. Ergo infallibilis est, si enim falli posset, mutari posset, corrigique. Sed omnium apertissimè Papam omni Concilio superiorem esse, & consequenter infallibilem, definitum est in canone 21. (in alijs editionibus est 13.) eiusdem octauæ Oecumenicæ Synodi, vbi hæc leguntur: [Porrò si Synodus Vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romana Ecclesia quædam ambiguitas, & controuersia, oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere] (alia versio habet, licebit cum decenti reuerentia de proposita quæstione cuncta percunctari, responsumque admittere, vel vtilitatem admittere, vel dare) non tamen audacter sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices. Hic apertis, clarisque verbis Patres testantur, ne quidem Concilio Vniuersali fas esse, sententiam in Romanum Pontificem dicere, & consequenter hunc Concilio non subesse, ergo nec errare posse, alioquin si errare possent, à Concilio corrigendus, & huic subiectus foret.

Dices, Concilio tantùm prohiberi, ne audacter contra Pontifices sententiam ferat. Resp. Friuola, & ridenda cauillatio! Concilium distinguit inter sciscitationem, & sententiam, istam contra Romanum Pontificem non probat, illam admittit; atqui si tantùm intelligatur audacia prohiberi, quis non videt non tantùm audacē sententiam, sed etiam audacem interpellationem vetandam esse? nam audacia, siue interroges, siue pronunties, æquè damnanda est. Deinde: nullum hoc esset Romani Pontificis priuilegium; nec enim solus Romanus Pontifex, sed nec Episcopus, nec Clericus, nec Laicus, immo nec latro, nec parricida, temerè, & inconsultè damnandus est; quid ergo plus Pontifici tribuitur, quàm Clerico, quàm Laico, quàm Latroni, quàm Parricidæ?

Anno 1050. Leo Nonus in Synodo Prouinciali Romana Berengarij hæresim damnat, sic enim Landfrancus scribit: [Tempore Sancti Leonis Papæ delata est hæresis tua (Berengarium alloquitur) ad Apostolicam Sedem, qui cùm Synodo præsideret ...... promulgata est in te damnationis sententia, priuans te Communione sanctæ Ecclesiæ &c. Eadem hæresis in Concilio quoque Vercellensi præsente eodem Leone iterum damnata est. Sed cùm Berengarius ad vomitum ite-

rum, iterùmque rediret; sæpiùs quoque, & à varijs Pontificibus eius hæreses confixæ sunt, videlicet Leone IX. Victore II. Nicolao II. & Gregorio VII. Insigne verò est eiusdem sancti testimonium pro infallibilitate Pontificia, sic enim ad Petrum Patriarcham Antiochenum scribit: [Siquidem ab Apostolica tua sede nostram sedem consulendo perpendimus tuam Dilectionem nolle deuiare à Dominico, & omnium Sanctorum Patrum concordi decreto, quo cunctis in toto Orbe terrarum Ecclesijs sancta Romana, & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, & sic ipse sanctus Sanctorum confirmat. Nimirum solus est Petrus, pro quo ne deficeret fides eius, Dominus, & Saluator asserit se rogasse, quæ Venerabilis, & efficax Oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vsque in sæculum sæculi. Nihil poterat Leo clarius dicere, tantòque maiorem fidem eius testimonium meretur, quòd omninò cum ijs concordet, quæ ijsdem ferè verbis S. Agatho professus fuerat, ac vniuersali applausu Concilium sextum Oecumenicum exceperat. Credit Eminentissimus Aguirre primum fuisse Leonem, qui processionem Spiritus Sancti à Patre, Filioque definierit. Primus enim inuenitur eam Symbolo, & Professioni fidei ad Petrum Patriarcham Antiochenum inseruisse nam, & anno 1054. Humbertum Legatum suum Constantinopolim misit ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, Processionem Spiritus Sancti negantem, & ab eodem Michaele excommunicatus est, quòd Symbolo addidisset Filioque.

V. Card. Aguirre Tract. 1 de auct. infall. Roman. Pontif. d. 10. & tomo 1. Theol. S. Anselmi diss. 91 & 92.

Anno 1065. Hæresis Incestuosorum nata est, quàmplurimi enim, immò teste Petro Damiano, multa millia Christianorum præcipuè præpotentium in tertio gradu nuptias contrahebant, quòd multorum Iuris-Consultorum auctoritate ducti, gradus ex Iustiniani præscripto numerarent, adeò vt fratrem, & sororem in secundo gradu collocarent. Hanc Hæresim Alexander II. in Synodo Romana damnauit; sic enim loquitur in sententia Synodali: [Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, Auctoritate vos Apostolica monemus, vt omnibus seriem Genealogiæ computandam intimetis, quemadmodùm SS. Patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos Ecclesiæ hactenus comprobasse monstratur. Nam si quis peruersa, & obstinata mente à recto tramite Apostolicæ Sedis deuiare voluerit, & aliter quàm nos in nuptijs contrahendis gradus cumputare, primùm pro sua temeritate cœlesti pœna plectetur: postmodùm verò gladio perpetui anathematis se nouerit esse iugulandum.] Ad eundem Alexandrum Petrus Damianus contra insurgentem Simoniacam hæresim hæc scribit: [Dignum est, vt summo Pontifici patientis Ecclesiæ læsio nuntietur, vt nutantis fidei firmamentum, vel etiam ordo Religionis, qui confundi cœperat, instauretur. Noua proh dolor hæresis orta est, cui nisi quantociùs auctoritatis se vestrę vigor objiciat, timendum est, ne ad Religionis Christianæ perniciem cancer feraliter serpat.]

Habetur c. ad Sedem Apost. 35. q. 4.

Habetur apud Baron. ad ann. 1063 n. 36.

Anno 1085. Obijt Gregorius VII. inuictissimi animi Pontifex, & Regibus, cum quibus perpetuum ei bellum, formidandus. Multa is Pontificiæ infallibilitati testimonia reliquit, Is enim in Dictatu suo canone 18. ita definit: Sententia Papæ à nullo debet retractari, & ipse omnium solus retractare potest. HancGregorij sententiam verissimam esse Iuo quoque Carnotensis Archiepiscopus profitetur, sic enim ad Ioannem Archiepiscopum Lugdunensem scribit: [Non videtur nobis vtile ad ea Concilia couenire, in quibus non possumus eas Personas, de quibus agitur (agebatur verò de Paschali Papa, qui priuilegium tradendi Episcopis inuestituras Imperatori concesserat) iudicare, vel condemnare, quia nec nostro, nec vllius hominis probantur iudicio subiacere.] Sæpiùs hoc Iuo repetit, præsertim verò epistola 241. & 159. Sed multò maximè id confirmatum est in Concilio Quintileneburgensi, Anno 1085. De quo ita loquitur Bertholdus eius temporis scriptor: [Cùm ergo omnes iuxta suum ordinem consedissent, prolata sunt in medium Decreta Sanctorum Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ, quòd nulli vnquam liceat eius judicium retractare, quod de totius Synodi professione laudatum, & confirmatum est.] Vide, quæ in Regali Sacerdotio de hac re diximus. Idem Gregorius VII. can. 26. [Catholicus non habetur, qui nonconcordat RomanæEcclesiæ.] Hoc quoque Gregorij effatum omninò concordare cum aliorum Patrum doctrina, præsertim verò SS. Ignatij, Hieronymi, Cypriani, Ambrosij, aliorumque, iam suprà ostendimus. Idem omninò est sensus S. Iuonis Archiepiscopi Carnotensis, sic enim scribit: [Contra Apostolicam Sedem caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos in quantum in vobis est, destruitis; & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis, cuius iudicijs, & constitutionibus obuiare est hæreticæ prauitatis notam incurrere.] Nota hunc esse illum Iuonem, quem Præsules Gallicani in Conuentu Parisiensi epistola ad Innocentium data mirificis laudibus in Cœlum vsque extollunt. Eadem sententia Adelberti Archiepiscopi Moguntinensis epistola 23. ad Ecclesiam Herbipolensem: [Nouerit pro certo Dilectio Vestra, nos id ratum habere, quod Romana sanxit, & determinauit Auctoritas, cuius terminos nec debemus, nec volumus transire, quia hæreticum esse constat, quisquis Romanæ Ecclesiæ etiam in tam iusto iudicio non concordat.

Reg Sacerd. lib. 2. §. 6.

S. Ivo epist. 8.

Anno 1140. Damnata est ab Innocentio II. hæresis Abailardi, qualis ea fuerit Bernardus his verbis explicat epistola 292. quæ est ad Guidonem de Castello: [Cùm de Trinitate loquitur, Arium sapit: cùm de Gratia, sapit Pelagium: cùm de Persona Christi, sapit Nestorium.] Ad hanc ergo hæresim, quæ paulatim per Galliam serpebat, perimendam ita idem Bernardus Innocentium implorat: [Verùm tu ò successor Petri iudicabis, an debeat habere refugium ad Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu inquam amice sponsi prouidebis, quomodo liberes sponsam à labijs iniquis, & à lingua dolosa..... itaque ad consummationem Virtutum, & ne quid mi-

minùs fecisse inueniamini à magnis Episcopis Antecessoribus vestris, capite nobis Patet amantissime vulpes, quæ demoliuntur Vineam Domini] Nec moratus Innocentius aquam gliscenti incendio affundere, coacta Romæ Synodo nouum hæresiarcham, nouasque hæreses damnauit, sic enim ipse ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, & S.Bernardum scribit: [Nos itaque, qui in B. Petri cathedra licèt indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium consilio Vniuersa ipsius Petri peruersa dogmata Sanctorum Canonum Auctoritate cum suo Auctore damnamus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoque eius errores damnantes, eorum sectatores, & defensores à fidelium consortio sequestrandos esse censemus. Ad eumdem Innocentium II. ita scribit S. Bernardus [Oportet ad vestrum Apostolatum referri pericula quęque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum quippe arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides detrimentum sentire; hæc quippe huius prærogatiua Sedis; cui enim alteri aliquando dictum est; ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua? Hìc manifestè Bernardus docet Pontifices Romanos in causa fidei errare non posse: si enim errare possent, ergo posset eorum fides detrimentum sentire] (quid enim est aliud detrimentum fidei, quàm error fidei) at Bernardus hoc negat; immò hanc infallibilitatem inter prærogatiuas reponit Sedis Romanæ. In eadem Abailardi causa Rhemensis, Suessionensis, Catalaunensis, & Atrebatensis Episcopi ita ad Innocentium scribunt: [Tuum est de cætero Beatissime Pater, ne in diebus tuis aliqua hæreticæ prauitatis macula Decor Ecclesiæ maculetur, prouidere. Tibi commissa est sponsa Christi amice sponsi: Tuum est tandem Vni viro Virginem castam exhibere Christo.] Nec minùs

Epistola 17. neruosè Gotfridus Vindocinensis: [Si cuilibet retractare placet, quod Romanus Pontifex facit, & in eum, qui soli Cœlo innocentiam debet, os ponere præsumit, &c. Et epist. 30. Eodem spiritu, quo dictante, & lex prima per Moysem data est, & per Christum secunda, S.Apostol. Sedes Leges, quas Canones appellamus, dedit, & ipso inspirante exposuit. Si quis igitur Apostolicæ Sedi, quę leges canon. dedit in Canonum expositione contrarium sentit, non sapit, quicumque est ille, sed desipit, & quia suo spiritu loquitur, non cultor, vel expositor Diuinæ Legis, sed insidiator, vel oppressor indubitanter agnoscitur.

Anno 1148. A Romano Pontifice Eugenio III. in Concilio Rhemensi hæresis Gilberti Porretani examinata, & proscripta est. In qua causa aliqua contigere Pontificię infallibilitati apertè fauentia. De illa hæc habet Otho Frisingensis: Gilbertus cùm quadam die Conuentum de sua Diœcesi Clericorum magnum celebraret, sermoni, quem fortè gratia exhortationis habebat, quædam de fide sanctissimæ Trinitatis inseruit, & à duobus suis Archidiaconis Arnoldo, & Calone tamquam doctrinam instituens contrà Catholicæ Ecclesiæ normam, ad summi Pontificis, Romanæque Sedis examen appellatione mediante vocatur. Fuisse verò hanc hæresim ab Eugenio III. damnatam testis est Goffridus in vita Sancti Bernardi: [Ita demum, inquit, Apostolico iudicio, & auctoritate vniuersalis Ecclesiæ error ille damnatus est.] Et Goufredus Monachus Cisterciensis: [Ibidem Dominus Papa auctoritate Apostolica de consensu totius Ecclesię, quæ conuenerat, capitula ipsa damnauit, districtè præcipiens, ne eumdem librum legere, vel transcribere etiam sic reprobatum quis auderet, nisi priùs Romana Ecclesia eum correxisset. Illud quoque in hoc Concilio memoratu dignum contigit, videlicet Sanctum Bernardum vnà cum Galliæ Episcopis secessisse, Symbolum fidei contra Gilberti errores conscripturum; quod cùm Cardinalibus innotuit, vehementer indignati sunt, quippe solius Romani Pontificis esse, Symbolum fidei fidelibus proponere, nec retrò temporibus vllum vnquàm Symbolum valuisse, nisi à Pontifice confirmatum. Eugenius vbi has querelas intellexit, facti rationem à Bernardo exposcit; is verò modestissimè, vt sanctum decuit, respondit, agnouitque vnà cum Præsulibus Gallis Symbolum fidei condere ad solos Romanos Pontifices pertinere; se verò, quid Ecclesia Gallicana crederet, scriptis complexum esse, relicta Pontifici auctoritate definiendi. Si ergò ex confessione Galliæ Antistitum, solus Pontifex est, qui fidei Symbolum condit, nec vllum Symbolum valeat, nisi à Pontifice confirmatum: sequitur Pontificem in causis fidei esse infallibilem, quid enim magis ad fidem pertinet, quàm Symbolum fidei? & quid minùs erroris expers est, quàm Symbolum fidei? alioquin tota Ecclesia errare potest, quæ id credit, quod Symbolo fidei continetur. Sed præstat audire acta ex historia Othonis Frisingani: [Hoc Gallicanæ Ecclesiæ factum (Symboli videlicet confectionem) tam grauiter sacer Cardinalium Senatus accepit, vt cum magna indignatione curiam intraret, ac Pontifici suo diceret...... Quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? qua fronte contra Ecclesiæ Romanæ Primatum, & apicem se erexit? Hæc enim est sola, quæ claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens à nullo in hoc singulari honore præiudicium pati potest, sed ecce Galli isti tamquam definitiuæ sententiæ vltimam manum apponendo nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Quin imò iuxta Antiquiorum exempla, & instituta Romano seruaretur examini terminandum.] Eugenius, cùm querelas benignè recepisset, ex Diuo Bernardo rationem facti exposcit, à quo modestè responsum: [Se, vel Dominos Episcopos nihil de præfatis Capitulis definisse, sed simpliciter quid sentiret, exposuisse. Quo tam humili, quàm modesto responso Cardinalium indignatio quieuit, ita tamen. vt præfatum scriptum tamquàm inconsulta Curia prolatum, velut Auctoritatis pondere carens pro Symbolo in Ecclesia, quod in Concilijs contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.] Vides hìc iterum, & Diuum Bernardum, & Ecclesiam Gallicanam verbis, factisque testari, potestatem condendi Symbolum fidei, tesseramque veræ Religionis penès

Otho Fris. de hist. Frid. lib. 1. cap. 46 & 47.

Goffr. in V.S.Bern. l. 3. cap 5.

nes solum Pontificem Romanum esse, nec vllius Symboli auctoritatem aliquam esse, nisi illo probante, quod vt suprà diximus, certum est Pontificiæ Infallibilitatis argumentum.

Anno 1302. Celebratum est Viennense Concilium, in quo Petri Ioannis hæreses (tres erant, videlicet, Christum adhuc viuentem Lancea percussum: animam rationalem non esse formam Corporis: nullasque virtutes supernaturales in Baptismo infundi) damnatæ sunt, eademque occasione Pontificis Romani in rebus fidei decidendis auctoritas insigni testimonio asserta. Sic enim Pontifex in eodem Viennensi Concilio loquitur. [Nos igitur Apostolicæ considerationis, ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet, aciem connettentes &c.] Solius ergò Romani Pontificis officium, & potestas est, vltimam sententiam in causis fidei proferre, & consequenter illi soli infallibilitas competit, nec Concilium contradixit.

Anno 1479. Sixtus IV. Petri Osmanni Professoris Salmanticensis errores damnat. Ij erant, Confessionem non esse sacramentum, sed rem humana lege, non diuina inductam: & Ecclesiam Romanam in hæresim prolabi posse. Sixtus hos errores hæresis notauit. Petrus verò palinodiam canens fidem suam in his verbis expressit: [Consentio sanctæ Matri Ecclesiæ Romanæ, & Sedi Apostolicæ: & ore, ac corde confiteor, illam me fidem tenere, quam Dominus Sixtus Papa auctoritate Apostolica, & Euangelica tenet, & omnes, qui contra hanc fidem venerint, dignos æterna damnatione pronuntio.]

Vide Raynaldum ad hunc annum, & Constitutiones Sixti IV. in Bull.

Anno 1521. A Leone X. Pontifice Maximo damnati sunt, quos recèns sparserat, ac Germaniæ intulerat, Lutheri errores. Verba Bullæ Leonis circa finem hæc sunt: [Auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, præfatos omnes errores tamquàm respectiuè hæreticos, aut scandalosos, & veritati Catholicæ obuiantes damnamus, reprobamus, atque omninò reijcimus; ac pro damnatis, reprobatis, atque reiectis ab omnibus Christi fidelibus haberi debere harum serie declaramus &c.] Notandum verò est, fuisse ab eodem Leone X. Concilium Lateranense, quod Iulius II. inchoarat, ad finem perductum, eique tamquam Oecumenico, & sacrosancto Ludouicum XI. Galliæ Regem adhæsisse, vt habetur sessione 8. ac etiam Basileensi, ac Pisano Conciliabulis expressis, & conceptis verbis renuntiasse. In hoc verò Lateranensi Concilio, quod Rex Galliæ pro legitimo, & Oecumenico habuit, superioritas Papæ supra Concilia, ac consequenter infallibilitas in causis fidei sessione decima desinita, multisque rationibus stabilita est; nec illi recitandæ immorari lubet, cùm omnibus sit nota, & in Regali Sacerdotio prolixè exposita.

Regal. Sacerd. lib. 2. § 3. n. 15.

Anno 1579. Gregorius XIII. Michaelis Baij Louaniensis Vniuersitatis Cancellarij septuaginta nouem propositiones velut hæreticas damnauit; easque ipse Baius opera Francisci Toleti, postea Cardinalis recantauit sequenti anno. Quin, & Nicolaus Magniensis ex relatione Toleti addit, dixisse Baium: [Malle se porcos pascere, quàm vlla in re Romani Pontificis iudicio repugnare.]

Anno 1653. Innocentius X. quinque Iansenij Propositiones hæreticas esse declarauit, atque anathemate inussit. Et quamquam Iansenius morte præuentus, damnationi suæ haud superuixerit, certum tamen est ex ijs, quæ scripsit, eum Pontificiæ sententiæ tamquam infallibili acquieturum fuisse; sic enim tomo 2. sui Augustini lib. 1. cap. 29. scribit: [Mihi constitutum est, ad extremum vsque Spiritum Romanam Ducem sequi Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romana Sede successorem. Super illam hanc Petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque cum illo non colligit, spargit, apud eum solum incorrupta Patrum seruatur hæreditas; quodcumque ab ista Petri Cathedra, ab isto Christi Vicario præscriptum fuerit, teneo. Quidquid improbatum, improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.] Et libro 10. de gratia: [Quidquid de rebus tam multiplicibus, tam arduis, iuxta mentem non meam, sed S. Augustini pronuntiaui, de Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque Romanæ Matris meæ iudicio, sententiaque suspendo; vt illud iam nunc teneam, si tenendum: reuocem, si reuocandum: damnem, & anathematizem, si damnandum, & anathematizandum esse iudicauerit.] En ingenuam Iansenij Professionem, legerat Augustinum totum tredecies, & libros de gratia contra Pelagianos vigesies; eloquentia, ingenio, Theologicis scientijs florebat, & tamen Romano Oraculo hæc omnia submittit: taceo, scribo, reuoco, improbo, vtcumque Romæ placuerit: quid amplius loqui poterat, vt Pontificis infallibilitatem satis testaretur? atque vtinam Iansenistæ Iansenij sui modestiam imitentur; si enim eum Magistrum agnoscunt, eiusque doctrinam sequuntur, cur rogo, non æquè eius humilitatem, modestiam, Romanæque Cathedræ obseruantiam? Cum Iansenio sentitis, esto; sed cur non æquè cum Iansenio paretis? an verò pudet vos ab eo discere virtutem, à quo didicistis errorem? Sed Iansenio imputantur, quæ Iansenij non sunt. Nimirum, cùm Pius V. cùm Innocentius, cùm Alexander VII. & Clemens IX. Pontifices Iansenium damnarunt, innocentem, inauditumque damnarunt, & tam cæci erant, vt, quæ Iansenius scripserat, imò impresserat, non viderent, aut saltem tam improuidi, iniustique, vt accusantibus crederent, nec probata causa, nec reo conuicto; præsertim cùm tam facilè calumnia notari posset, detegique, si videlicet, qui hæc Iansenium scripsisse dicebant, in Iansenio non ostenderent; quid enim magis obuium, magisque parabile argumentum, quàm Iansenium accusantibus dicere: [Si hæc Iansenius in libris docuit, ergò libros ostendite:] erit aliquis tam ineptæ mentis, qui credat Iansenium à quatuor Pontificibus damnatum, & tamen illorum nulli in memoriam venisse, vt peterent sibi ostendi, vbi hæc Iansenius scripsisset? & demus hoc quatuor Pontificibus excidisse, quid dicemus de tot alijs Doctoribus, & Theologis, qui illis assidebant, dum hæc causa examinaretur? nemini illorum res tam obuia, & tamen tam necessaria in mentem venerit? Sed fuerit Iansenius innocens, tantùm

cùm errores ipsi damnentur, & cum illo facilè in gratiam redibimus, quippe vt ostensum est, calamum, doctrinamque suam Romanæ sententiæ submisit. Cœterùm damnatas Iansenij propositiones in illius Augustino reperiri dubirari vix potest. Nam prima damnata propositio totidem ferè verbis habetur l.3. de statu Nat. lapsæ cap.13. & lib. 4. cap. 24. Secunda propositio habetur lib. 1. de gratia Christi cap. 1. & cap. 24. & cap. 25. tertia propositio habetur lib. 6. de gratia Christi cap. 6. & cap. 8. Quarta propositio habetur lib. 8. cap. 6. de hæresi Pelagiana, & ibidem cap. 7. & lib. 2. de gratia Christi cap. 12. & 25. & lib. 8. de gratia Christi cap. 3. & 15. & 19. Quinta quòd Christus non sit pro omnibus mortuus lib. 3. de gratia Christi cap. 21. & fusiùs cap. 20. & lib 8. de hæresi Pelagiana cap. 26. & 31.

Sed quod hanc damnationem Iansenij spectat, illud præcipuè obseruandum est, non solùm fuisse illam ab octoginta quinque Galliæ Episcopis ab Innocentio X. expetitam, summoque plausu exceptam; verùm etiam eius occasione à Gallicanis Episcopis Pontificiam Infallibilitatem enixissimè proclamatam; sic enim in epistola ad Innocentium data anno 1653. loquuntur: [Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Experta est nuper Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in profligando gemino errore auctoritas valuerit: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem, & imperium mare, & venti obedierunt. Quamobrem flagitamus Beatissime Pater, vt clara, firmaque prolata istarum propositionum sententia caliginem omnem discutias; animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem reddas.] Hæc Galli ad Pontificem: sentiebant ergo infallibilem, eiusque sententias ab omni errore exemptas esse; alioquin quomodo caliginem omnem discuterent, animos fluctuantes componerent, dissidia prohiberent? cum semper respondere Aduersarij possent, quod modò Galli respondent, cùm Romanis imperijs vrgentur, videlicet, Papam falli posse; & ideò se eius definitionibus non teneri. Aut ergo Galliæ Antistites, tunc cùm hæc scribebant, errarunt, aut errant modò, cùm primis contraria decernunt; aut quod verò propius est, idem, & tunc, & modò sentiunt, sed non idem loquuntur; quippe tunc pacati erant, modò indignati, & ideò calamo, linguaque infesti, animis licèt veritate conuictis. Sed audienda est adhuc alia, multòque ad rem nostram accommodatior Gallorum Antistitum epistola. Sic enim ad Innocentium

Anno 1653. scribunt, postquam is Iansenij errores damnauerat: [Quo in negotio (damnatione videlicet propositionum Iansenij) illud obseruatione dignum accidit, vt quemadmodùm ad Episcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæresim damnauit olim; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim Pelagianæ ex aduerso oppositam Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enim verò illius vetustæ ætatis Ecclesia sola Cathedræ Petri communione, & auctoritate suffulta, quæ in Decretali epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque deinde Zozimi altera ad Vniuersos Orbis Episcopos subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini Nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis aduersùs Apollinarem, & Macedonium, nondùm ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò ante iactis, iudicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (siue suam in actis sententiam ponant, siue omittant) Diuina æquè, ac summa per Vniuersam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur. Ea vos quoque sententia, ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem debita obseruantia colentes Constitutionem Diuini Numinis instinctu à Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam, &c.] Hæc planè tam manifesta est Pontificiæ Infallibilitatis confessio, vt dici, imò nec optari efficacius possit: num Galli tunc temporis scripturas ignorabant? num eos, quid Concilia, quid Patres docuissent, quidue Gallicana Ecclesia sentiret, latebat? Quæ est ergo Galliæ Antistitum tam repentina mutatio, vt quod nuper sub vno Innocentio tam clarè asserebant, nunc sub altero Innocentio tam enixè repudient?

IX. Denique anno 1687. Innocentius XI. Pontifex morum sanctitate, rerum caducarum contemptu, disciplinæ Ecclesiasticæ zelo, propagandæ Catholicæ Religionis ardentissimo studio, animi magnitudine, etiam Regibus formidanda, præclarissimis contra Turcas victorijs, quas immensa auri profusione, & sanctissimis apud Principes consilijs, & continuis lachrymis à Deo impetrauit; Pontifex, inquam, rerum gestarum, & animi magnitudine, antiquis illis Pontificibus Leoni, Nicolao, Gregorio, hæreticorum etiam confessione, planè similis, & cui parem, à multis retrò sæculis haud inuenies; is, inquam, tantus Pontifex post accuratissimam, totoque biennio productam discussionem, Michaelis Molinos Hæresiarchæ perniciosissimos iuxtà, fœdissimosque errores die 28. Augusti extra Concilium Oecumenicum sola Apostolica auctoritate damnauit. Fuit Michael Molinos natione Hispanus, Arragonensis, Sacerdotis dignitate insignis, tantaque pietatis, quam accuratissimè simulabat, opinione apud plerosque commendatus; vt dirigendis Primatum, ac præsertim nobilium Matronarum conscientijs passim adhiberetur; hinc illi laxandis, pascendisque carnis cupiditatibus prona occasio: primò amor, tum error: inter thalamos, & amplexus Contemplatiuam, mysticamque Theologiam docebat; eodemque momento adulterum agebat, Doctoremque: sed hæc intra Cubile, Virginumque, aut etiam nuptarum Academias: foris Angelo similis, & exstases spiranti: crederes Paulum in tertium Cœlum altè sublatum: nullæ voces, quàm de [Oratione, sensuum morte, Vnione, ac quiete cum Deo.]

Hinc

Hinc tam multos infecit, dulci videlicet occultoque veneno; sed istis cognita fraude pœnitentia primùm, tum remedia successere. Duos, & viginti annos numquam conscientiam expiauit, numquam ex Catholico ritu carne abstinuit. Taceo alia memoratu pudenda. Tandem detectus, biennio Romæ intra carceres hæsit, quo tempore eius erroribus detegendis, confutandisque à præclarissimis Theologis desudatum. Posteà publicè coram sacro Senatu, Aulaque Romana, ac immensa populi frequentia errores suos recantauit; tanta omnium execratione eius doctrinæ capita, & obscœnitates auditæ sunt, vt repetitis populi vocibus ad flammas posceretur. Summa errorum hæc fuit. Vt in elemento aeris, ita in anima hominis duas esse regiones, superiorem, & inferiorem, quas Theologi duos appetitus vocant, rationalem, & sensitiuum. Superiorem quod attinet, illic semper serenum, & apricum esse oportere; hoc est Vnionem cum Deo, ac perpetuum contemplationis, amorisque solstitium, quale in Terrestri Paradiso fuit. At verò in animæ inferiori regione turbidum, & tempestates gliscere, iras videlicet, concupiscentias, & reliquum passionum humanarum tumultum, neque has curandas esse, sistendasue; sed permittendas potiùs, explendasque, quippe naturæ innatas, nec magis culpæ obnoxias, quàm naturam ipsam, cuius illæ flores, & fructus sint. Quis enim ægrè ferat vuas ex vite nasci, glandes ex quercu, spinas, vepresque ex rubo? atqui eamdem rationem esse, cùm voluptates ex carne leguntur, quippe æquè naturæ corporeæ congenitas, ac glandes quercui, spinæ, vepresque rubo. Immò coercendis voluptatibus illis frustrà, noxièque laborem impendi; frustrà, quia morari torrentem nemo potest, maximè cùm plenus est, redundatque. Noxiè verò, quia cùm illis obluctamur, laboramusque sustinendis, vnio interim, quiesque cum Deo turbatur, quæ vt perennis sit, & illæsa, pace potiùs cum sensibus, quàm bello curandum. Ex generali hac doctrina ad particulares alias propositiones nō impias tantùm Molinos, sed obscœnas etiam dilabitur, dictu, audituque indignas, adeò, vt cùm illæ ex suggestu legerentur, meritò ignem, ignem, Populus inclamauerit. Ex inter alias sunt: [Oportere potentias annihilari, & hanc esse viam internam. Deum offendi, cùm aliquis operari aliquid actiuè conatur, cùm Deus velit solus in homine operari; oportere igitur, vt quis se totum Deo deserat, & posteà instar mortui, & cadaueris se habeat. Deus vult in nobis operari sine nobis. Anima nihil agendo, & nihil operando ad Deum redit. Via interna est illa, in qua, nec lumen, nec amor, nec resignatio in Deum cognoscitur. Immò oportet ne quidem ipsum Deum cognosci, & tunc res benè habet. Anima nec de Deo, nec de Cœlo, nec de inferno cogitare aliquid debet. Qui semel Deo voluntatem suam commisit, nihil ampliùs, nec Cœlum, nec infernum curare debet, nec perfectionem, aut sanctitatem, virtutesque, immò nec salutem propriam optare. Petere à Deo aliquid est imperfectio, sicut & gratias agere. Postquàm Deo voluntatem tuam commisisti, non ampliùs curandæ sunt tentationes, neque illis resistendum, nisi tantùm negatiuè, nullaque adhibita diligentia: & si natura aliquid sentit, permitte, vt sentiat, quia natura est. Oportet, vt in Oratione solam fidem obscuram, & vniuersalem habeas, & stes coram Deo ad ipsum amandum, nullum tamen actum eliciendo, nihilque agendo, quia Deus huiusmodi mercibus haud delectatur. Cogitationes quātumuis impurę, & contra Deum, sanctosque, si voluntariè non foueantur, nec etiam positiuè repellantur, sed patienter tolerentur, non tantùm non impediunt Orationem, sed eam potiùs perfectissimam reddunt. Tædium rerum spiritualium bonum est, quia eo purgatur amor proprius.] Hactenus Molinos, qui alias propositiones adiungit in fauorem mollitiei, quam exemplis sanctorum Iobi, & Pauli sacrilegè promouere audet: nihil turpius, sed nec magis impium dictu, audituque est. Taceo igitur, quæ nec legi, nec scribi possunt sine horrore. Has ergo sacrilegas, obscænasque hæreses Innocentius XI. extra Concilium damnauit, & Ecclesia mox pro damnatis habuit. Porrò ex hac tam longa inductione, qua ostensum est, quàm plurimas hæreses à solis Romanis Pontificibus damnatas esse, & Ecclesiam huiusmodi damnationi necessariò acquieuisse, adeò vt dubitari ampliùs non potuerit, teste etiam Gallicana Ecclesia in literis ad Innocentium X. constat, inquam, Pontificis auctoritatem in rebus fidei decidendis infallibilem esse, omnisque erroris expertem, & quæ contra hanc sequelam objici possent, iam suprà refutauimus. Sic ergò etiam quartum signum Infallibilitatis Pontificiæ absoluimus.

X. Quintum signum est, ex praxi Romanæ Ecclesiæ, cuius meminit Berno Monachus Sancti Galli, & posteà Abbas Augiensis lib. 2. de rebus ad Missam spectantibus, qui habetur in Bibliotheca Patrum. [Is refert, in Ecclesia Romana multos annos sub sacrum numquàm Symbolum cantare solitum, prętor morem omnium aliarū Ecclesiarum: roganti verò causam Henrico I. Imperatori, Benedictum VIII. respondisse: Quia traditio erat, Romanam Ecclesiam in fide errare nō posse. Sed Henricus Benedicto persuasit, vt more aliarum Ecclesiarum etiam Romę Symbolum caneretur.] Hæc Berno, qui, vt ipse testatur, coram assistebat, audiuitque responsum: [Me, inquit, coràm assistente audiui Pontificem huiusmodi responsum reddentem, videlicet, quòd Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fœce infecta, sed secundùm sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa: & ideò magis necessarium esse illos Symbolum sæpiùs cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari.] Vides in hoc celebri antiquitatis monumento, quàm antiqua fuerit traditio de Romani Pontificis infallibilitate, videlicet à Christi natiuitate, siue potiùs à tempore Apostolorum vsque ad annum circiter 1014. quo credimus hoc colloquium inter Benedictum, & Henricum contigisse, dùm Romæ essent.

Obijt Berno Anno 1089. si Trithem. fides est.

Dices, non hic asseri Romanorum Pontificum, sed Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem.

Resp.

Resp. Si particularis Romanorum Ecclesia errare non potest, multò magis errare non possunt Romani Pontifices; promissiones enim Christi ad Petrum, eiusque successores, non ad Ecclesiam, quæ Romæ est, referuntur; neque enim Christus dixit, se fundaturum Ecclesiam suam supra Romanorum Ecclesiam, sed supra Petrum: neque Christus pro Roma rogauit, ne eius fides deficeret, sed pro Petro; cur ergo priuilegium Petro adimis, quod Christus Petro dedit? & cur Romanæ Vrbi confers, quod Christus Romæ non contulit? & quo fundamento Romæ potiùs, quàm Petro, Petrique successoribus? Fac Petrum non Romæ, sed Alexandriæ, aut Antiochiæ mortem obijsse; quæso, an tunc quoque Romanorum Ecclesia ab omni hæresi immunis futura esset? si immunis, quam ob causam illa potiùs, quàm aliæ Ecclesiæ particulares? si non Romana, sed Antiochena, vbi Petrus obierat, suique successores reliquerat; ergo infallibilitas, & immunitas ab omni errore intuitu Petri, & successorum à Christo Ecclesiæ concessa est; priùs ergo magisque infallibilis Petrus, eiusque successores, quàm ipsa Ecclesia, cui Petrus præsedit; & planè cùm Deus omnia suauiter, & accomodatè ad rerum naturas operetur, adeò vt potentiam visiuam, v.g. oculo, non pedi infuderit, quia oculus magis dispositus est ad videndum, magisque oculo, quàm pedi videre conuenit; quis credat Deum, qui Romanum Pontificem Caput, & Magistrum Ecclesiæ Romanæ constituit, illum magis errori obnoxium esse voluisse, quàm Ecclesiam; cum vtique magis conueniat Caput, & Magistrum, quàm membra, & discipulos errorum immunes esse, & quid rogo magis rationi aduersum, quàm velle, vt erret, qui docet, non erret, qui discit? immò tam fieri non potest, vt errante Magistro non erret discipulus, quàm vt ductore errante non erret quoque qui sequitur, quemque is manuducit: verbo, [Non est discipulus super Magistrum, sed sufficit ei, vt sit sicut Magister,] teste ipso Christo Domino Nostro. Quamquam nec vllis argumentis opus est, cùm ex Patrum testimonijs suprà citatis satis, superque constet, quid de Infallibilitate Pontificis Romani Ecclesia semper senserit.

§. II.

Irrefragabilibus Patrum, Doctorum, & Vniuersitatum Galliæ testimonijs Romani Pontificis Infallibilitas probatur.

SVMMARIA.

1 *Perpetua annorum serie infallibilitatem Pontificis Romani vniuersæ Ecclesiæ Gallicanæ persuasam fuisse ostenditur, & primò testimonio S. Irenæi Episcopi Lugdunensis.*
2 *Edicto Valentiniani III. Imperatoris.*
3 *Auctoritate S. Auiti Episcopi Viennensis.*
4 *Secundæ Synodi Aurelianensis, & secundæ Turonensis.*
5 *S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, Caroli Magni, & Alcuini.*
6 *Iesse Episcopi Ambianensis, Ludouici Pij Imperatoris, & alterius Synodi Turonensis, Seruati Lupi, & Rheginonis Abbatis Prumiensis.*
7 *Concilij Trecensis, & Pontigonensis, Hincmari Archiepiscopi Rhemensis.*
8 *SS. Anselmi, Iuonis Carnotensis, Petri Cluniacensis, Bernardi, & Petri Cellensis postea Episcopi Carnotensis.*
9 *Concilij Lugdunensis primi, & secundi, SS. Thomæ Aquinatis, Bonauenturæ, & Augustini Triumphi.*
10 *Ex sententia Petri Alliacensis Episc. Cameracensis, Concilij Constantiensis, & Florentini, Senonensis, & Melodunensis, ac tandem Parisiensis.*
11 *Ex literis Cleri Gallicani ad Innocentium Decimum.*
12 *Ex thesibus PP. Societatis in Collegio Claremontano, & in Sorbona propugnatis, & præsertim testimonio Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis.*
13 *Ex assertione ipsius P. Maimburgi in sermonibus impressis.*
14 *Tandem ex auctoritate, & consuetudine antiquissima ipsius Vniuersitatis Parisiensis, & scholæ Sorbonicæ.*

I. SVperest iam, vt Ecclesiæ Gallicanæ consensum pro eadem Pontificis infallibilitate proferamus, quod methodo nobis familiari, & chronologica iam probare aggredimur.

Anno 205. Sanctus Irenæus Episcopus Lugdunensis Martyrio coronatus est. Is lib. 3. contra hæreses cap. 3. ita loquitur: [Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principatum necesse est omnes conuenire Ecclesias, hoc est, omnes, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio.] At si errare potest, & ideò aliquando erret, non oportebit, [ad Romanam Ecclesiam omnes fideles conuenire,] imò potiùs oportebit ab errante recedere: nec verum erit semper in illa [Apostolicam traditionem esse conseruatam,] nec enim doctrina erronea Apostolicæ traditioni cõsentanea esse potest.

Nec obstat. S. Irenæum de præterito loqui, non de futuro.

Resp. Ea verba: [Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principatum omnes conuenire Ecclesias,] omne tempus complecti, cùm enim [potentior Principatus Pontificis] sit perpetuus, ita quoque necessitas eum conueniendi, quæ in hoc Primatu fundatur, perpetua erit. Et quam rogo ob causam maior olim Romanis Pontificibus obaudiendi necessitas fuerit, quàm modò? an olim tantùm hæreses vigebant? an Ecclesiæ retrò tantùm temporibus Magistro, & fundamento opus erat? an priuilegium Petro collatum paucis tantùm annis, & non omnibus alligabatur? Auctoritas ergo Cathedræ Petri, aut semper, aut nunquàm infallibilis fuit, cùm omnium temporum eadem sit ratio: par videlicet necessitas Ecclesiæ.

II. Anno 445. Valentinianus III. Impe-

 rator

rator insigne edictum vulgauit contra S. Hilarij Pictauiensis Episcopi conatus, qui negabat posse Romam à Gallis appellari: quo simul edicto quanta fuerit in veteri Ecclesia Romani Pontificis auctoritas, egregiè exposuit; sic verò habet: [Cùm Sedis Apostolicæ Primatum S. Petri meritum, & Romanæ dignitas Ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius illicitum præsumptio attentare nitatur; tunc enim demùm Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si Rectorem suum agnoscat Vniuersitas. Hæc cùm hactenùs fuerint inuiolabiliter obseruata, Hilarius tamen, &c. His talibus contra reuerentiam Sedis Apostolicæ admissis per Ordinem Religiosi viri Vrbis Papę cognitione discussis certa in eumdem Hilarium lata est sententia, & erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim Pontificis tanti auctoritate in Ecclesias non liceret? sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlteriùs vel Hilario, nec vnquam alteri præceptis Romani Pontificis liceat obuiare, &c. hanc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum prouinciarum liceat contra consuetudinem veterem sine Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare, sed illius, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas.] Si nòn licet præceptis Romani Pontificis obuiare; si quod Papa sancit, omnibus pro lege esse debet, idque veteri consuetudine in Ecclesia præceptum est: sequitur planè Pontificis sententias infallibiles esse, ac primitiuam Ecclesiam, hoc est, multò ante quartum sæculum, id semper esse opinatam. Cœterùm causa Hilarij sic habuit. Damnauerat is Chelidonium, & sacris deiecerat, quòd sæcularis adhuc, cùm iudicia exerceret, reos aliquot capitis damnasset. Appellauit Leonem Primum Chelidonius, suamque innocentiam tam clarè Pontifici probauit, vt Hilarius, qui eum Romam secutus fuerat, nihil posset opponere: non ideò tamen quieuit, sed questus est, huiusmodi appellationibus Ecclesiæ Gallicanæ ordinem, & statuta turbari: nec permoueri potuit, vt Chelidonio communicaret, imò insalutato Pontifice Roma euanuit. Grauissimæ sunt Leonis de Hilario querelæ; pœnituit tamen; & repetitis legationibus veniam à Pontifice rogauit, impetrauitque, idque clarissimis verbis auctor eius vitæ testatus est. Adeò nullus sanctus à casu immunis, sed imitantur solem, breui tantùm, nec pertinaci Eclypsi, & post occasum resurgentes.

III. Anno 523. (Aut secundùm alios 527.) Obijt sanctus Auitus Episcopus Viennensis eruditione, vt loquitur Ado, & eloquentia præcipuus: hic verò epistola 87. ad Hormisdam Pontificem: [Securus non dicam de Viennensi; sed de totius Galliæ deuotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam.

IV. Anno 536. Celebrata est secunda Synodus Aurelianensis, in qua triginta Episcopi, qui per se, vel per Vicarios interfuere, ita canone primo loquuntur: [Quas etiam sectas Sedes Apostolica sancta condemnat: similiter, & cum suis auctoribus, & sectatoribus execrantes præsenti Constitutionis vigore anathematizamus, atque damnamus; rectum, atque Apostolicum in Christi nomine ordinem fidei prædicantes.]

Anno 570. (Alij ponunt annum 567.) Celebrata est secunda Synodus Turonensis, in qua ita Patres loquuntur cap. 21. [Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Sedis Apostolicæ semper fuit, aut intromittere Auctores, quorum valere possit prædicatio, aut apocryphos facere: & Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præceperit auctoritas. Nos ergo sequentes, quos vel Paulus Apostolus, vel Papa Innocentius statuit in canonibus nostris inserentes, &c.] Nota antiquæ, & primitiuæ Ecclesiæ Gallicanæ morem, & obsequium Pontificijs decretis præstitum: [Patres nostri, inquiunt, hoc semper custodierunt, quod eorum præceperit auctoritas.] Et paulò post pro eodem habent, parisque auctoritatis: [Quod vel Paulus Apostolus, vel Innocentius statuerit:] fierine posset, vt Illustrissimi Galliæ Episcopi Parisijs congregati Innocentij Vndecimi repetitis decretis tam enixè obniterentur, imò eius auctoritatem tanto conatu exarmatum irent, si Gallicanæ Ecclesiæ doctrina imbuti essent?

V. Anno 755. Obijt S. Bonifacius Germanię Apostolus, martyrio coronatus. Is quę tunc temporis de infallibilitate Romani Pōtificis in tota Ecclesia, ac præsertim Gallia sententia fuerit, luculentissimo testimonio ostendit, quo nihil clariùs dici possit, nihilque efficacius; sic enim scribit: [Tanta reuerentia apicem Apostolicæ Sedis omnes suscipiunt, vt sanctorum Canonum displinam, & antiquam Christianæ Religionis institutionem magis ab ore præcessoris eius, quàm à sacris paginis, & paternis traditionibus expectent. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, vt ad eius arbitrium suam conuersationem, & ipsi remittant, aut intendant.

Anno 792. Præsente Carolo Magno, multisque Galliæ Episcopis Ratisbonæ hæresis Fœlicis Episcopi Vrgellicani (qui Christum Filium Dei adoptiuum esse docebat) auctoritate Adriani I. Pontificis damnata est, de qua ita loquitur Alcuinus lib. 1. contra Elipandum: [Hæc eadem vestri erroris secta synodali auctoritate Sacerdotum Christi æterno anathemate damnata, imò à beatę memoriæ Hadriano Papa funditùs exterminata est.] At funditus exterminata non esset, si obijci Hadriano potuisset, eum in rebus fidei decidendis errare posse.

Anno 794. Carolus Magnus cùm de eadem Fœlicis hæresi damnanda ageretur, conuocatis Franciæ Episcopis, insigne auctoritati Pontificiæ testimonium dedit, dignumque omnibus Galliæ Ecclesijs inscribit, sic enim loquitur: [Ad Beatissimum Sedis Apostolicæ Pontificem ter quaterque direximus missos, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia, edocta traditionibus, de hac respondere voluisset traditione. Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor.

Anno

Anno 800. Circiter moritur Alcuinus primus Parisiensis vniuersitatis auctor, qui lib. 1. de diu. off. cap. 19. [Religionis, inquit, cultum sic Dominus instituit, vt in Beato Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi capite dona sua vellet in corpus omne manare.]

VI. Anno circiter 809. Floruit Iesse Ambianensis Episcopus, is in epistola encyclica ad suos hæc habet: [Sequimur Romanæ Ecclesiæ auctoritatem; vt vnde Catholicæ fidei initia accepimus, inde exemplaria salutis nostræ semper accipere debeamus, ne membra à corpore separentur suo; ne claiuger Regni Cœlestis abijciat, quos à suis diuersos intelliget esse doctrinis.

Anno 840. Obijt Ludouicus Pius Imperator Caroli Magni filius, cuius sicut & Galliæ,ac Germaniæ Episcoporum quænam de suprema Romani Pontificis auctoritate sententia fuerit, ex eius Capitularibus in quarto additamento clarissimum est, sic enim habet: [Omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, quoties necesse fuerit, Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad matrem fugiant, vt ab ea, sicut semper fuit, defendantur, & liberentur, cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum atque Canonum auctoritas reseruauit, quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem Sedis Papæ fieri placuerit, Canonibus quippe iubentibus in talibus absque Romano nihil decerni Pontifice, nec ad Concilium vocari debere decernunt.

Anno 849. Celebrata est Synodus Turonensis aduersùs Ducem Britonum Nomenorium; Is à Carolo Francorum Rege missus Britanniæ minoris curam susceperat, vt potiùs tyrannidem, humanis, Diuinisque vastatis, & Episcopis pulsis. Id vbi Leo IV. accepit, literas ad Ducem scribit, monetque, vt tyrannide abstineat: sed tantùm abfuit Britannum corrigi, vt ne Pontificis quidem literas accipere dignaretur. Id Episcopis Galliæ tam indignum facinus visum est, vt ad Ducem in hæc verba scriberent: [Ad cumulum malorum omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium Beati Petri Apostolicum, cui Deus dedit Primatum in omni orbe terrarum, spreuisti, & ne literas quidem ipsas recepisti; & quia nolebas à malo desinere, timuisti benè monentem audire. In eo igitur læsisti Apostolos, quorum Princeps est Petrus..... Et infrà, maximum reatum te contraxisse scimus, quòd epistolam Sedis Apostolicæ respuisti.] Si tantum, tamque indignum facinus viginti duo Galliæ Episcopi crediderunt, quòd Dux sæcularis, ac Tyrannus, nulloque alio vinculo Pontifici obstrictus, quàm illo communi hominis Christiani, Epistolas Romanas non admisisset; quid dicerent rogo, & quale crimen iudicassent; si Episcopi tot titulis, ac iuramento toties Romæ obnoxij, non tantùm Pontificis epistolas non acciperent, sed tot etiam modis eas neglectui haberent? & tamen Parisijs id factum.

Anno 852. Floruit seruatus Lupus: Is epistola 103. ad Benedictum III. ita scribit: [In quibuscumque ad religionem, vel honestatem spectantibus ambiguitatem creat varietas, vt optima quæque eniteant, illi sollicita inuestigatione credimus recurrendum, vnde fidei vbique manauit exordium.]

Anno 859. Rhegino Abbas Monasterij Prumiensis in Chronico ita scribit: [Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquam falli potuit.]

Anno 867. Celebratum est Concilium Trecense omnium Galliæ Episcoporum, qui ita loquuntur: [Iudicium vestræ auctoritatis (Ioannem VIII. Summum Pontificem alloquuntur) quod priuilegio Diui Petri, & Sedis Apostolicæ in eos, & complices eorum, iuxta sacros Canones Spiritu Dei, & totius mundi reuerentia conseruatos, ac secundùm sacræ Romanæ Ecclesiæ prædecessorum vestrorum decreta protulistis, voto, voce & vnanimitate nostra gladio Spiritus sancti persequimur, scilicet quos excommunicastis, excommunicamus, quod ab Ecclesia abiecistis, abijcimus, quos anathematizastis, anathematizamus, & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas, & Apostolica Sedes receperit, recipiemus.]

Anno 876. Celebratum est in Gallijs Concilium Pontigonense, in quo Canone primo ita Patres decernunt: [Vt honor Domino, & spirituali Patri nostro Ioanni VIII. Vniuersali Papæ ab omnibus conseruetur, & quæ secundùm sacrum suum ministerium Apostolica auctoritate decreuerit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illis reuerentia in omnibus conseruetur.

Anno 882. Obijt Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui licèt Romæ infestus, non potuit tamen non cedere veritati; sic enim de auctoritate Romani Pontificis loquitur in epistola ad Nicolaum I. [In omnibus dubijs, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, vt omnium Ecclesiarum, Mater & Magistra, nutrix, ac doctrix est consulenda, & eius salutaria monita sunt tenenda; vnde quoniam sicut B. Innocentius ad Decentium Eugubinum Episcopum scribit, manifestum est, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullam instituisse Ecclesiam, nisi eos, quos Venerabilis Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes; oportet hoc sequi, quod Romana tenet Ecclesia, ne dum peregrinis institutionibus studeant, caput institutionum videantur amittere.] Idem in libro de Prædestinatione contra Godescalcum cap. 4. [Sequimur autem, quod Catholica, & Apostolica nos docet sancta Romana Ecclesia, quæ in fide nos genuit.] Idem Hincmarus præfatione ad Nicolaum I. Pp. [Neque enim fas est, vt absque Vicario Dei, absque Clauigero Cœli, absq; curru, & auriga spiritualis Israelis, absque Vniuersitatis Pontifice, absque singulari Pastore, absque Vnico Papa, absque omnium arbitro aliquid consumetur, aut diuulgetur: Tu enim tenes claues Dauid. Tu acepi-

cepisti claues scientiæ. In arca quippe pectoris tui, arca Testamenti & manna cœlestis saporis requiescunt. Tu enim, quod ligas, nemo soluit, quod solius nemo ligat; qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei.

VIII. Anno 1109. Moritur S. Anselmus ex Abbate Beccensi (qui locus est in Normandia Galliæ prouincia) postea Archiepiscopus Cantuariensis libro de Incarnatione Verbi Vrbanum II. ita alloquitur: [Quoniam Diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem; cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur; si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur; nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, consulitur, vt eius prudentia examinetur.] Et epistola 73. ad Paschalem II. PP. [Non timeo exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad hæc omnia Deo confortante paratum est cor meum, pro Apostolicæ Sedis Obedientia, & matris meæ Ecclesiæ Christi libertate, certitudinem tantùm quæro, vt sciam absque ambiguitate, quid auctoritate vestra tenere debeam.]

Anno 1114. Obijt Iuo Carnotensis. Is epistola 8. ad Richerium Senonensem Archiepiscopum: [Dicitis me Sedem Gaufridi inuasisse, in quo contra Sedem Apostolicam caput erigitis, cuius iudicijs, & constitutionibus obuiare planè est hæreticæ prauitatis notam incurrere.]

Anno 1140. Floruit venerabilis Petrus Cluniacensis; is lib. 4. epistola 43. ita Innocentium II. alloquitur: [Spiritus Consilij, qui vbi vult spirat, qui per vos Ecclesiæ suæ per totum Orbem diffusæ assiduè consulit.]

Anno 1140. Sex Galliarum Episcopi ad Innocentium II. epistolam scribunt (quæ est inter epistolas S. Bernardi 370.) in hæc verba: [Nulli dubium est, quòd ea, quæ Apostolica firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alicuius deinceps mutari possunt cauillatione, vel inuidia deprauari; ea propter ad vestram Apostolicam Sedem, &c.] Nota in his, eo tempore ne quidem in Gallijs de Pontificis infallibilitate dubitatum esse.

Anno 1152. Obijt S. Bernardus clarissimum Galliæ, & totius Ecclesiæ lumen. Is epistola 190. ita Innocentium II. alloquitur. [Oportet ad vestrum afferri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; hæc quippe huius prærogatiua Sedis; cui enim alteri aliquando dictum est: ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?

Anno 1187. Obijt Petrus Cellensis, Episcopus posteà Carnotensis, qui epistola 3. Romanum Pontificem appellat: [Petrum radicatum, & fundatum in montibus Sanctarum auctoritatum, & in medio, vbi Mater Ecclesia nidificat, in foraminibus Petræ, & in cauernis maceriæ: ad voces Rotarum, quæ in se habent spiritum vitæ, securus sequor, quia facies Leonis præcedit, ne aliquid noceat: facies hominis, ne aliquid decipiat: facies vituli, ne vanitatis aliquid subripiat: facies Aquilæ, ne aliquid dubietatis remaneat, vel tarditatis præpediat. Regula veritatis tornauit rotas istas in circuitu, & orbe veritatis æternæ; tantæ auctoritatis, vt nullius ditioni subiaceat: tantæ maturitatis, vt numquam vultum Deificum deponat; tantæ certitudinis, vt nulla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio in eam incurrat.]

IX. Anno 1245. Concilium Lugdunense primum, in quo flos Gallicani Sacerdotij, habitum est. Id verò Pontificum infallibilitatem insigni testimonio his verbis probauit: [Pro humani Redemptione Generis Dei Filius Iesus Christus, ne gregem sui pretio Sanguinis redemptum post Resurrectionem ad Patrem absque Pastore desereret, ipsius curam B. Petro (vt suę stabilitate fidei cęteros in Christiana Religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera suæ accenderet deuotionis ardore) commisit.]

Anno 1274. Conuenit Concilium Lugdunense secundum, in quo iterùm infallibilitas Pontificia egregiè confirmata, sic enim Patres, quorum præcipua pars Galli, loquuntur: [Fideli, ac deuota confessione profitemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, & Filio tamquàm ex vno principio vnica spiratione procedit. Hoc professa est, hactenus prædicauit, & docuit, hoc firmiter tenet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium, & Magistra.] In eodem Concilio recepta est à Patribus, communique assensu probata professio fidei Orthodoxæ à Græcis his verbis, quæ infallibilitati manifestè suffragantur, expressa: [Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum, & plenum Primatum, & Principatum super vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, siue Vertice, cuius Romanus Pontifex est successor cum potestatis plenitudine, recepisse veraciter, & humiliter recognoscit, & sicut præ cœteris fidei veritatem tenetur defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri.] Potuitne clariùs, maiorique Gallorum consensu infallibilitas Romana commendari? aut Concilium pateretur priuilegium causas fidei decidendi se vidente ad Pontificem Romanum transferri, si crederet illud non Pontifici, sed Concilio datum esse?

Anno 1274. Obijt S. Thomas Aquinas clarissimum totius Ecclesiæ, ac præsertim Galliæ Lumen, atque à vitio adulandi longissimè remotus. Hic verò tam sanctus, tam magnus Doctor, & cui Gallia parem non habuit, Pontificiæ infallibilitati omnium clarissimè, & frequentissimè suffragatus est. Quodlibeto 20. art. 6. hęc habet: [Magis standum est sententiæ Papæ, (ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert) quàm quorumlibet sapientum in scripturis opinioni. Et 2. 2. quæst. 1. art. 10. Respondeo dicendum, ad illius auctoritatem pertinere editionem Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur.

tur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ causæ referuntur, vt dicitur in Decreto distinctione 17. & huius ratio est, quia vna debet esse fides totius Ecclesiæ; quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideò ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli, sicut, & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam. Et 2.2.q.11. art.2. ad 3. Postquam autem essent aliqua Ecclesiæ auctoritate determinata, hæreticus esset, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice, vt dicitur in causa 24.quæst.1. Contra cuius auctoritatem, nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sanctorum Doctorum suam sententiam defendit.]

Eodem anno 1274. Obijt S. Bonauentura doctrina, & sanctitate pari, ac Parisiensis vniuersitatis Doctor celeberrimus, qui hanc ipsam sententiam docuit de Pontificis Romani infallibilitate in Breuiloquio, 6. parte, capite 3. & initio expositionis Regulæ S. Francisci eamdem hoc argumẽto confirmat: [Quia alioquin Synagoga felicior fuisset, quàm Ecclesia, quia illa habebat vnum Summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, vt patet ex Deuteronomio capite 17.] Floruit eodẽ tempore S. Augustinus Triumphus Parisiensis vniuersitatis Doctor, ac professor, qui pro eadem infallibilitate hæc habet de potestate Ecclesiastica qu.10. [Si aliqua sunt dubia, & obscura in fide, ad Papam pertinet interpretari, & determinare, post cuius determinationem hæreticum est contrarium pertinaciter asserere.]

X. Anno 1387. Petrus Alliacensis Gallus Doctor, & Cancellarius vniuersitatis Parisiensis, ac postea Cardinalis, & Episcopus Cameracensis, ac proindè doctrina Ecclesiæ Gallicanæ apprimè imbutus, non suo tantùm, sed etiam vniuersitatis nomine Clementem VII. quem Gallia pro vero Pontifice agnoscebat, sic alloquitur: [Igitur pro vestris humillimis filijs vniuersitatis prædictæ, & pro nobis eorum nuncijs, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde, & ore vnanimiter protestamur, quòd quidquid hactenùs in hac causa actum est, & quidquid in ea nunc, vel aliàs acturi, aut dicturi sumus, correctioni, & iudicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis humiliter submittimus, dicentes cum beato Hieronymo: Hæc est fides Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, in qua si minùs peritè, aut minùs cautè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes. Non ignoramus enim, sed firmiter tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica est illa cathedra Petri, supra quam fundata est Ecclesia eodem Hieronymo teste, & sicut dixit Cyprianus distin.93. can. qui Cathedram; de qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est: Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.] Obserua hìc Lector, quænam tunc temporis Ecclesiæ Gallicanæ, & vniuersitatis Parisiensis de Pontificis auctoritate infallibili mens, & sententia fuerit; profitetur enim Alliacensis, se non tantùm ex vniuersitatis mandato hæc proferre, verùm etiam iuxta eius doctrinam; id enim significant ea verba: documentis innitimur.

Anno 1418. Celebrata est sessio quadragesima quinta Concilij Constantiensis, in qua omnibus Concilij Patribus, ac præsertim Gallis præsentibus, qui maximam eius Synodi partem agebant, Constitutio Martini V. nullo omninò Patrum reclamante, & consequenter nullo non consentiente (quis enim nescit silentium pro consensu esse, quando loqui oporteret) publicis Concilij actis inserta est in hæc verba: [Nulli fas est, à supremo Iudice videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice appellare, aut illius iudicium in causis fidei (quæ tanquam maiores ad Ipsum, & Sedem Apostolicam referenda sunt) declinare.]

Dices: Reclamasse Ioannem Gersonem scripto contra illud decretum prolixo opere.

Resp. Aliud est Gerson, aliud Patres Concilij Constantiensis; hos ego suffragatos esse illi constitutioni contendo, isti enim suffragium ferebant, isti patres illius Synodi, & ideò Spiritus sanctus per istorum ora loquebatur. Gerson priuatus tantùm Doctor, nec ad Patres Concilij, de quibus mihi tantùm sermo, spectabat. Non enim ideò Concilium inualidum, aut eius Decreta possunt in dubium reuocari, quia aliquis Doctorum in ea declamauit; alioquin quid erit in Concilijs satis tutum, & firmum, cùm nunquam hisce floribus crabrones defuerint? & quis Gerson, quantauis doctrina, vt toti Concilio præponas? præsertim cùm metus Schismatis trium Pontificum ambitione excitati, prolatique in longum tempus, Gersonem vrgeret Pontificiæ auctoritati in arctum cogendæ? Ergo Zelus magis Gersonem, & cupiditas Ecclesiam quouis modo iuuandi, quàm ratio agebant; quæ causa fuit, vt remedia corriperet ipsis morbis peiora, truncato videlicet capite, aut lethaliter saucio, quò corpori mederetur: & verò etiam præcipuos sanctitate, ac doctrina viros, cùm obtentu pietatis, & zeli, priuatis sententijs nimiùm animos laxarent, in errores incidisse ab ijs ipsis postea agnitos, defletosque, exempla Cypriani, & Hilarij plùs satis ostendunt. Errauit ergo Gerson, nec mihi eius errores pro exemplis proponi patiar.

Anno 1441. Comparuit in Florentino Concilio Legatio Caroli VII. Francorum Regis, ac Concilij Bituricensis, cuius Legationis Princeps Episcopus Meldensis sui Regis, Gallorumque Episcoporum nomine, quæ Basileense Concilium contra supremam Pontificis, & Monarchicam auctoritatem decreuerat, eam Concilijs submittendo, penitus improbauit; admisit verò, seque amplecti professus est, quæ pro eadem Monarchica, supremaque, ac omni Concilio superiore potestate Florentinum Concilium statuerat, sicque Pontificiæ infallibilitati insigne testimonium præbuit; verba Meldensis Episcopi coram sacro, purpuratoque Senatu perorantis hæc sunt: [Nimio feruore resistendi Basileenses

ses ad hanc vesaniam deuenerunt, quòd supremam potestatem in vno supposito consistere negent, sed eam in multitudine] (nota, quæso, quo elogio Galli eorum sententiam insigniant, qui supremam de rebus fidei iudicandis potestatem non vni supposito, hoc est Concilio tribuunt, quæ citò in diuersa scinditur) collocant, & sic pulcherrimam Monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos hucusque tenuit in vnitate fidei, in vna professione Religionis Christianæ, in vno ritu Sacramentorum, in vna obseruantia mandatorum, in ijsdem cæremonijs Diuini cultus, atque pacem,& tranquillitatem asseruit, nunc abolere, & supprimere contendunt, nobilissimam politiam ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes..... & hoc animaduertens præfatus Rex Christianissimus vehementi dolore ingemiscit, ac consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientum regni sui videtur sibi, quòd nullum est aptius remedium ad hoc Schisma extirpandum, quàm euellere, ac disperdere duas extremitates, ad quod faciendum necessarium est Concilium Generale. Porrò Concilium Basileense vnam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in vno extinguere pertentauit. Concilium autem Florentinum benè hanc veritatem lucidauit, vt patet in Decreto Græcorum, sed pro regulando vsum huius potestatis nihil edidit, &c.] Amabò te, poterant Galli supremam, & Monarchicam Pontificis potestatem, ex qua necessariò irreformabilitas, & consequenter infallibilitas resultat, pluribus, & pulchrioribus verbis testatam facere? Poterant apertiùs, enixiùsque Basileensis Synodi sententiam detestari, hanc ipsam supremam, & irreformabilem potestatem Pontifici adimentis, & transferentis in Concilium? Poterant rotundiùs, clariùsque Florentini Concilij Decreto subscribere, quo hæc ipsa suprema, & irreformabilis auctoritas luculentissimè asserta est? Quòd verò [regulari vsum huius potestatis] Galli petant, moderata, prudensque postulatio fuit, eo præsertim tempore, quo ambitione, luxuque Pontificum discordię flagrabant, & ideò Concilium Tridentinū hunc ipsum vsum Pontificię potestatis sanctissimis Decretis intra honestum coercuit. Neque id obstat sententiæ nostræ, qui non de vsu, aut abusu loquimur, sed de ipsa potestate, quæ cum, aut sine abusu esse potest, nec vllus negat posse Romanum Pontificem non tantùm à Concilio, sed à quouis Episcopo moneri, dirigique regulis tantæ moli sustinendæ paribus, quemdmodum id S.Bernardus cum Eugenio fecit: quantò ergò magis id Concilium poterit à Pontifice confirmatum? tunc enim non tam Concilij, quàm Pontificis auctoritas erit.

Anno 1527. Concilium Senonense in Gallijs celebratum est, Præside Senonensi Archiepiscopo Galliarum Cancellario. Sexdecim in illo Decreta edita sunt contra Lutheri hęreses in eorum vno, vbi de auctoritate Sedis Apostolicæ, hæc habentur: [Vniuersos, qui aliter quàm Romana credit, & docet Ecclesia credere, & pertinaciter asserere tentant; eiusdem Concilij auctoritate veluti hęreticos, & pertinaces à Communione Fidelium declaramus separatos.] Quid rogo est Papam infallibilem esse si hoc non est?

Anno 1579. Celebratum est in Gallijs Concilium Melodunense, in quo ita Patres loquuntur: [Operam dabunt ij, quibus hæc cura demandata est, Episcopi scilicet, & eorum Vicarij, vt in omnibus Synodis omnes & singuli tam Clerici, quàm Laici amplectantur, & aperta Professione eam fidem pronuntient, quam sancta Romana Ecclesia, Magistra, Columna, & firmamentum veritatis profitetur, & colit; ad hanc enim propter suam principalitatem oportet omnes conuenire Ecclesias.]

Anno 1526. Peracta est Synodus Parisiensis, in qua Ecclesia Gallicana tam eleganter, diffuseque hanc ipsam infallibilitatem explicauit, totique Clero commendatam, & inculcatam voluit, vt non credam, vel Romæ, in ipsoque Pontificis sacrario id aliquando luculentiùs factum esse. Sic enim articulo 137. loquitur sub hoc Titulo: [Aduis de l' Assemblèe generale du Clergè de France à Messieur les Archeuesques, & Euesques de ce Royaume.] Hoc est. Monita Conuentus Generalis Cleri Gallicani ad Dominos Archiepiscopos, & Episcopos huius Regni. Latinè reddam, quidquid illic Gallicè habetur: [Nullum maius argumentum veri erga Deum amoris exhiberi à nobis potest, quàm si debita veneratione eos prosequamur, quos ipse ad necessitates, animasque nostras curandas Vicarios, Legatosque suos constituit. Id verò cùm præcipuè, atque ante omnes Episcopos Romano Pontifici conueniat, æquum omninò est, vt ijdem Episcopi, & se Pontifici subiectos agnoscant, & alijs omnibus eximiæ in illum venerationis, ac reuerentiæ exemplum præferant. Hortamur igitur Episcopos omnes, vt sacram Apostolicam Sedem, Romanamque Ecclesiam, vtpote in Dei sponsione infallibili, & Apostolorum, ac Martyrum sanguine fundatam, omniumque Ecclesiarum Matrem omni honore, cultuque prosequantur. Ipsa enim, vt cum Beato Athanasio loquamur, est sacrum illud Caput, à quo in omnes Ecclesias, velut in totidem membra omnis spiritus diffunditur, quo nutriuntur, ac conseruantur. Sanctissimum quoque Patrem, & Pontificem nostrum, quippe Ecclesiæ vniuersalis Caput visibile; Deique in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum, & Patriarcham Patriarcharum honore afficient, is enim successor est Petri, à quo omnis Episcopus initium, atque Originem duxit, & super quem Christus Iesus Ecclesiam suam fundauit, quando illi Claues Regni Cęlorum, atque Donum infallibilitatis (N.B.) in causis fidei reliquit: quam fidem non sine ingenti miraculo durare in eius successoribus immobilem, illibatamque videmus; vnde ingens illa, in Romanorum Pontificum Decretis, mandatisque amplectēdis apud omnes fideles, & Orthodoxos obseruantia profecta est. Hæc verò, vt nihil detrimenti capiat, Episcoporum munus erit, curabuntque eorum improbitatem coerceri, qui obsequij omnis, legumque impatientes, sacram hanc tot Diuinis humanisque legibus sancitam auctoritatem reuocare

cate in dubium, cassamque reddere conantur: vtque alios efficaciùs ad id permoueant, primi ipsi exemplo præibunt, &c.&c.]

XI. Anno 1650. Cletus Gallicanus in Comitijs Generalibus epistola ad Innocentium X. ità scribit. [Scimus vbi Caput Ecclesiæ, ibi totius fidei arcem, totius, & disciplinæ Metropolim esse.]

Anno 1653. Galliæ Episcopi Octoginta quinque, litteras ad Innocentium X. dedere, quibus Iansenij propositiones damnari petebant, simulque Pontificiam infallibilitatem insigni testimonio confirmatunt. Verba eorum sunt. [Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Decennium est, ex quo grauissimis turbis Gallia magno nostro mærore commouetur ob librum posthumum, & doctrinam Reuerendi Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat, tum Concilij Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, quam Vrbanus VIII. aduersùs Iansenij dogmata pronunciauit, & Decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem, ac robur nouo diplomate vendicasti, sed quia nulli singillatim propositioni certa Censuræ nota inusta fuit; locus etiamnū aliquis quorumdam cauillis, & effugio relictus est. Intercludendum autem penitùs speramus, si vt precamur sanctitas Tua, quid hac in re sentiendum sit, clarè, distinctéque definiat. Experta est nuper Beatitudo Tua, quantum Apostolicæ Sedis in gemino errore profligando Ecclesiæ Capitis valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem, & imperium venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus Beatissime Pater, vt clara, firmaque de propositionum istarum sensu prolata sententia, cui Reuerendus ipse Iansenius morti proximus opus suū subiecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem restituas, &c.] En Galliæ Præsules fatentur: [In Sede Apostolica fidem Petri nunquàm deficere: Summi Pontificis è catedra pronuntiantis Decreta huiusmodi esse, vt omnibus cauillis, & effugijs locum penitùs intercludant: esse vocem, & imperium Christi: illi ventos, & mare obedite: illis omnem caliginem discuti, animos fluctuantes componi, dissidia prohiberi, &c.] Planè euidens omninò est, hæc elogia tam seriò, ac meditatò, nec adulantibus, sed ab Episcopis, repetita, constare non posse, nisi admissa infallibilitate. Quomodo enim sententia Pontificis est vox Christi, si erronea? an vox Christi errori est obnoxia? quomodo dissidia omnia, & animos fluctuantes componit, si dubia, & incerta? Qua ratione dici potest, illi ventos, & mare obedire, si fideles in causis fidei non tenentur ante Concilium Oecumenicum imperanti, & decidenti acquiescere? an verò maior in Romanum Pontificem ventis, & mari, quàm Gallis Obedientia, vt cui venti, & mare obediunt, obtemperare Galli non teneantur, maiorque istis, quàm duobus illis nunquàm sibi constantibus elementis sit aduersandi licentia? Denique qui fieri potest, vt fides Petri nunquàm in Sede Apostolica defecerit; si Sedes, & Cathedra Apostolica in causis fidei decidendis errare, & falli potest, imò aliquando errauit? Agnouerunt ergo Galli, altèque professi sunt Pontificiam infallibilitatem.

Eodem Anno 1653. Galliæ Antistites Lutetiæ congregati numero triginta præeunte Cardinali Mazarino clarissimè hanc ipsam infallibilitatem, & agnouerunt, & scriptis consignarunt. Idque sub Innocentio X. hoc est, sub Pontifice Gallis haud quaquàm grato, & cuius electioni, vt notum est, palàm aduersati sunt, adeò, vt Antonius Barberinus gratia excideret, quòd electionem promouisset. Mazarini quoque Cardinalis, cum Aula Romana, & Pontifice dissidia notiora sunt, quàm vt commemorari debeant, & tamen eo tempore, sub eoque Pontifice, cui Galli palam offensi erant, præpotuit veritas indignationi, & præclarissimum testimonium etiam ab iratis expressit. Sic ergo in litteris ad Innocentium X. datis, postquam Iansenij propositiones damnauerat; Galliæ Antistites decima nona Iulij inter alia scripsere: [Quo in negotio illud obseruatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem Innocentius I. hæresim Pelagianam damnauit olim; sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem hæresim ex aduerso Pelagianæ oppositam Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enimverò vetustæ illius ætatis Ecclesia sola cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta Pelagianæ hæresis damnationi, absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex pollicitatione Christi Petro factā, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis aduersùs Apollinarem, & Macedonium nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò ante iactis, iudicia pro sancienda Regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione (siue suam in actis Relationis sententiam ponant, siue omittant) Diuina æquè, ac summa per Vniuersam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur. Ea nos quoque sententia, ac fide imbuti Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem, &c.] Circa hanc Gallorum Præsulum epistolam obseruanda sunt aliqua, Primò. Gallicanos Antistites hisce litteris Pontificiam Infallibilitatem apertissimè professos esse, cùm enim dicunt: [Sententia Innocentij hæresim Iansenianam proscriptam esse; omniumque Pontificum Romanorum sententias pro sancienda regula fidei Summa Diuinaque per Vniuersam Ecclesiam auctoritate niti, eique omnes Christianos ex officio ipsius mentis obsequium præstare teneri.] Planè nihil aliud dicunt, quàm Pontificem in sancienda Regula fidei auctoritatis esse infallibilis: Auctoritas enim fallibilis, non est Diuina, non est suprema (cum corigi ab alia maiori auctoritate possit) non est Regula fidei, nec illi omnes Christiani mentis obsequium præstare tenentur, alioquin omnes Christiani, & consequenter etiam tota Ecclesia errare posset. Secundò fatentur ijdem Gallicani Patres, sententias Pontificum non

ideò

ideò esse certas, quia Ecclesia illas recipit; sed potiùs [Ecclesiam teneri eas recipere, idque quia sanciunt regulam fidei, & quia suprema, ac Diuina auctoritate nituntur,] sicque antecedenter ad Ecclesiæ consensum certas, & infallibiles esse. Tertiò, Docent quoque contra Maimburgi anilem, exoletàmque cantilenam, hanc de Pontificis Romani infallibilitate sententiam, non esse nouam, recénsque in scholis natam; vt ille comminiscitur; sed iam, [à tempore Damasi Papæ Apollinarem damnantis (id verò contigit anno Christi 373.) in veteri Ecclesia receptam, imò à sponsione Christi Petro facta.] Quid posset rogo efficaciùs dici? tamen Maimburgus hæc omnia silentio tegit ignoranti similis.

XII. Anno 1660. Patres Societatis Collegij Claremontani publicè theses proposuere, quibus Infallibilitatem Summi Pontificis, non tantùm in quæstionibus iuris, sed etiam in quæstionibus facti defendendas suscepere. Thesis ita sonat: [Christum ita Caput Ecclesiæ agnoscimus, vt illius regimen, dum in Cœlos abijt, primùm Petro, tum deinde successoribus commiserit, & eamdem, quam habebat ipse infallibilitatem concesserit, quoties ex Cathedra loquerentur. Datur ergo in Ecclesia Romana Controuersiarum fidei Iudex infallibilis etiam extra Concilium generale, tum in quæstionibus iuris, tum facti; vnde post Innocentij X., & Alexandri VII. constitutiones credi potest librum, cui titulus: Augustinus Iansenij esse hæreticum, & quinque ex eo propositiones decerptas esse Jansenij, & in sensu Iansenij damnatas.] Sic paucos ante annos Patres Societatis sentiebant, scribebantq; nec præsumi de illis potest, tàm prudentibus, tamque circumspectis, voluisse Parisijs propositionem tueri, quam doctrinæ Gallicanæ aduersam crederent.

Dices. At Patres Societatis iam mutarunt sententiam.

Resp. Non tam mihi curæ esse, quid iam in Gallijs sentiatur, quàm quid olim senserit Ecclesia Gallicana; neque enim decet, vt noui, recentesque antiquis præferantur, præsertim cùm tam multa iam in Gallijs contigerint, quæ aut prodere veritatem, aut celare compulerint. Cur eo tempore Galliam interrogas, cùm loqui non finitur? interroga liberam, pænisque, ac metu solutam, qualis videlicet fuit tot retrò elapsis sæculis. Patres Societatis, quod attinet, non in Gallijs tantùm, sed toto terrarum Orbe Infallibilitati subscripsisse adeò notum est, vt nulla probatione indigeat. Post Regiam verò declarationem certum est, Patres societatis nunquàm induci potuisse, vt contra Infallibilitatem Pontificiam aliquid docerent, licèt id Regio edicto caueretur. Quod verò siluerint, nec calamum pro Pontifice strinxerint; id fortè tempori datum, expectatumque, dum torrens laberetur, & mora periculum vanesceret, nam & lusciniæ cantum hyeme abrumpunt, vernis solibus repetituræ; æstatem ergo societas expectat hyemi successuram, & tunc canet.

Eodem Anno 1660. Die nona Decembris Sorbona eamdem infallibilitatem in publica Disputatione defendit huiusmodi proposita Thesi: [Romanus Pontifex Controuersiarum Ecclesiasticarum constitutus est Iudex à Christo, qui eius definitionibus indeficientem fidem promisit.] Ita testatur de Marca nominatus Parisiensis Archiepiscopus mox citandus.

Anno 1662. Petrus de Marca nominatus Archiepiscopus Parisiensis in obseruationibus supra dictas theses Claremontanas (quas vltimum eius opus fuisse doctissimus Saluzius testatur) num. 22. 31. & 34. ita scribit: [Hæc opinio (quæ videlicet Infallibilitatem Pontifici Romano asserit) est illa, quam vnicè Hispania, Italia, aliæque omnes Christianitatis Prouinciæ docent; ita vt illa, quam sententiam Parisiensium Doctorum vocant, ad classem earum opinionum reuocanda sit, quæ solùm tolerantur . . . . . . Auctoritas infallibilem sententiam in causis fidei pronunciandi est Romanis Pontificibus omnium Vniuersitatum consensu acquisita, excepta tamen antiqua Sorbona. Imò hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus; nam duodecima mensis Decembris anno 1660. in Sorbona publicè hæc thesis defensa est videlicet, Romanus Pontifex Controuersiarum Ecclesiasticarum est constitutus Iudex à Christo, qui eius definitionibus indeficientem fidem promisit. Eamdem thesin in Vnisitate Nauarica septima Decembris propugnatam scimus.] Et infrà, numero 34. circa finem de Doctoribus Galliæ: [Pars maior non solùm Theologiæ, sed etiam Iuris Doctorum communi opinioni adhæret, vtpotè fundamentis nixæ solutu difficillimis; ridetque antiquæ Sorbonæ opiniones.] Vides Doctissimum hunc Virum fateri, sententiam de Infallibilitate Pontificis esse omnium Vniuersitatum Christianitatis, imò omnium ferè Doctorum Vniuersitatis Parisiensis, excepta antiqua Sorbona, imò huius opinionem a reliquis rideri. Vt verò intelligas, quid nomine antiquæ Sorbonæ de Marca intelligat; sciendum est, Collegium Sorbonicum fuisse à quodam Roberto Sorbon (qui sancto Ludouico Regi à sacris confessionibus, & eleemosynis erat) anno 1253. fundatum; quo tempore in Ecclesia Gallicana sententiam de Romani Pontificis infallibilitate viguisse iam suprà monstratum est. Sequenti posteà sæculo hoc est anno 1373. inflammari cœpit diuturnum illud, & obstinatum Schisma, quo nihil funestius Ecclesiæ: & quia nulla in Pontificibus spes erat illius extinguendi, imò istorum ambitione magis magisque accendebatur; cogitatum fuit de inducenda maiori aliqua auctoritate, cui Pontifices obtemperare tenerentur: ea verò à Gersone, Almaino, alijsque paucis in Concilium collata est; id enim oportunum credebant euertendis in futurum Schismatibus, si videlicet aliqua in Ecclesia potestas esset, quam etiam ipsi Pontifices reuereri tenerentur. Vetus ergo Sorbona tempore Constantiensis, & Basileensis Conciliorum vigebat, constabatque vt dixi Gersone, Almaino, istorumque discipulis. Imò si quando inter Pontifices, Regesque Galliæ dissidium aliquod oriretur; mox in Parisiensi Vniuersitate ab aliquo Doctorum hæc Gersonis machæra expromebatur terrendo Pontifici; ita sub Sixto V. sub Iulio II. & Alexandro VII. factum est. Hæc ergo est Vetus Sorbona,

bona, quam à plerisque Theologiæ, & Iuris in Gallia Doctoribus irrisam esse Marca testatur: nam alioquin Vniuersitatem Parisiensem pro infallibili auctoritate Pontificis stetisse paulò post ostendemus.

XIII. Anno denique 1671. Editi sunt in lucem Gallico idiomate Maimburgi sermones; in quorum vno secunda Quadragesimæ hebdomada, die Martis pro hac ipsa Infallibilitate ita loquitur: [Obligamur sub pœna æternæ damnationis nos submittere Decisionibus Cathedræ S. Petri; tumque naufragium fidei patimur, cum doctrinas amplectimur ab hac Cathedra damnatas, reiectasque. Frustrà verò, qui hanc submissionem non habet, protestatur se Cathedram Petri pro prima, præcipuaque habere, ac fidei ab Ecclesia, à Patribus, Concilijsque tradita adhærere.] Hæc Maimburgus è suggestu. Ignorabat enim tunc temporis, quid Ecclesia Gallicana sentiret, non Patres, non Concilia, non scripturas legerat, quæ modò contra Pontificem tam clara esse contendit, Ergo cum è cathedra diceret, licèt tot annis in societate, studijsque exegisset, rudis tamen erat, indoctusque, ac recens ex ouo lapsus; & tunc modò aliquid sapere, & Theologus esse cœpit, cum Pontifici irascebatur, cùm aulam, Regemque captabat, ac præmia ostendebantur adulationi parata; ergo tunc primùm veritatem agnouit, cum cœpit Romam odisse. Amabò te quisquis hæc legis, animo tecum reputa, an fieri potuisset, vt Maimburgus Parisijs, ac de suggestu, totaque Gallia audiente sententiam proponeret doctrinæ Cleri Gallicani aduersam? imò totam Gallicanam Ecclesiam æternæ damnationi addiceret, cui obnoxium esse dicit, quisquis Pontificem infallibilem esse non credit, quoties è Cathedra pronuntiat.

Et hactenus quidem longa, & perpetua annorum serie à temporibus sancti Irenæi Episcopi Lugdunensis vsque ad præsentem ætatem ostendimus, perpetuam in Ecclesia Gallicana Traditionem fuisse de Pontificis Romani suprema, & infallibili auctoritate, quoties in causis fidei sententiam dicit. Tantòque certior hæc traditio euadit, quod omni testimoniorum genere à nobis probata sit, Regum videlicet, Doctorum, Episcoporum, Conciliorum Vniuersalium, Vniuersitatum, ac præcipuè totius Cleri Gallicani idipsum non semel tantùm, sed repetitis vicibus profitentis. Qua in re illud semper aduertas licet, quantùm nostra traditio differat à Maimburgi traditionibus. Hic enim in tractatu, quem impugnamus, sibi proposuerat, imò solito more magnificè lectori spoponderat; se ostensurum, perpetuam, constantemque in Ecclesia Romana traditionem fuisse, posse in rebus fidei decidendis Pontificem errare: inchoatque hanc traditionem à Leone Primo (qui sæculo quarto obijt) & prolato eius testimonio, mox transit ad Leonem X. qui sæculo decimo quinto Ecclesiam gubernauit. Egregiam enim verò traditionem, mille tantum, & centum annorum spatijs interruptam! At nos tam in superiori, quàm in præsenti paragrapho de sæculo, ad sæculum testimonijs omni exceptione maioribus ostendimus, tam Ecclesiæ Vniuersali, quàm etiam in speciе Ecclesiæ Gallicanæ Pontificiam infallibilitatem persuasam fuisse.

XIV. Vt verò tantò perfectior sit hæc Demonstratio, ostendendum est, etiam Vniuersitatem Parisiensem pro Pontifice semper stetisse.

Id verò multis modis, euidenterque probari potest. Nam primò. Certum est, Vniuersitatem Parisiensem nunquam doctrinam tradituram esse, quam sciret doctrinæ omniũ Patrum, ac ipsius Gallicanæ Ecclesiæ aduersam esse: at aduersa est, quæ dicit, Papam cùm è Cathedra pronuntiat, errare, fallique posse, vt suprà ostendimus. Secundò. Præcipui huius Vniuersitatis, ac celebratissimi Doctores, à quorum vestigijs alij, minorisque nominis nunquam deflexerint, infallibilitatem admisere. Ij sunt Alcuinus Caroli Magni Præceptor, & primus Parisiensis Vniuersitatis Auctor, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonauentura à nobis suprà citati. Quis credat à tam præclaris Doctoribus, & quibus maiores Gallia non habuit, voluisse Vniuersitatem Parisiensem deuiare? Tertiò. Longa consuetudine in Parisiensi Vniuersitate receptum est vt quicunque in hac Vniuersitate ad primos gradus promouentur, hanc ipsam infallibilitatem profiteantur. De hac consuetudine Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus, & in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor testis omni exceptione maior in suo tractatu de potestate Ecclesiastica, quàm in lucem edidit Anno 1604. quamque duo alij Parisienses Doctores Io: G. I. Bocher, & I. Ruhe approbarunt, ita loquitur: [Laudabilis in Academia Parisiensi viget consuetudo, qua Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solemniter responsuri protestationem præmittunt, se nolle quidquam contra Decreta sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non sanctæ Sedis Apostolicæ, & Romanæ asserere, aut defendere, & si quid aduersùs eius Decreta in æstu disputationis illis exciderit, vel ignorantia, vel immemoria, vel linguæ præcipitantiæ attribuendum velle. Quartò.] Grauissimi in Gallia Doctores, testesque oculati hanc ipsam esse Vniuersitatis Parisiensis mentem ac sententiam apertè confitentur; proindè de Marca Archiepiscopi Tholosani testimonium iam suprà recitauimus. Theophilus Raynaudus, & ipse Gallus in opusculo, cui titulus: *ayptas ephas*, allegatis quamplurimis ex schola Parisiensi Doctoribus: [Quotquot, inquit, ante Concilium Constantiense floruerunt, possent omnes theologi produci; nam non nisi a tempore Concilij Constantiensis, & Basileensis reuocata est in controuersiam hæc veritas apud Catholicos; sed omnes anteriores vnanimiter docuerunt, Definitiones Pontificias etiam absque Concilio Generali editas facere rem de fide.] Iosephus quoque Giballinus lib. 5. de iure Canonico cap. 3. §. 15. ex professo tuetur, lateque demonstrat, hanc esse, & fuisse semper doctrinam scholæ Theologicæ Parisiensis, tam in definitionibus, & censuris editis ab ipsa in vnum congregata, quàm in scriptis singulorum ipsius Vniuersitatis Doctorum. Pater Augustinus à Virgine Maria Carmelita Gallus Prouinciæ Turonensis in anno tertio cursus Theologici tract. de fide dist. 10. [Præter paucos iam citatos Docto-

es hucusqu e alios ex illa Facultate probatos Auctores non habemus, qui typis defendant sententiam nostræ oppositam. Quintò.] Sed nemo magis quàm ipsa Parisiensis Vniuersitas mentem suam explicauerit.

Anno 1387. Sic per Petrum Alliacensem Vniuersitatis Cancellarium Clementem VI. alloquitur: [Emendari à te cupimus, qui Petri Sedem, & fidem tenes, non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenus dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, super quam Hieronymo teste Ecclesia est fundata, de qua sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum est. Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: hæc est igitur, ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio maximè pertinet.] Eadem Vniuersitas Anno 1554. [Omnes, inquit, & singuli Obedientiæ filij ipsum Romanum Pontificem, vt Summum, & Vniuersalem Christri Iesu Vicarium, & Vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis à Christo data est, cui omnes vtriusque sexus obedire, cuius Decreta pro se quisque tueri, & conseruare tenetur, vt semper agnouerunt, & confessi sunt.] Hæc clara sunt: si enim Pontificum Decreta tanquàm errori subiecta, corrigi à Concilio, ac reformari possent; ergo plenitudo potestatis non iam Pontifici, sed Concilio data esset. Et si errare Pontifices possent, ac consequenter aliquando de facto errent; Christi fideles, non vtique tenebuntur Pontificijs Decretis fidem adhibere; si enim Innocentius X. iubeat, vt propositiones Iansenij pro hæreticis habeam, & illæ hæreticæ non sint; quæ rogo, vel in cœlis, vel in terris potestas est, quæ imperare mihi possit, vt fidem mendacio, aut errori habeam; Eadem Vniuersitas aduersùs errores Ioannis de Montesono hunc articulum statuit: [Ad sanctam Apostolicam Sedem pertinet auctoritate iudiciali supremà circa ea, quæ sunt fidei, iudicialiter definire. Videri potest hic articulus apud Duuallium Doctorem, & Professorem Sorbonicum. Tract. de Romano Pontifice par. 2. fol. 767. Sextò. Denique eamdem Vniuersitatem Parisiēsem Infallibilitati Pontificiæ subscribere ex præcipuis eiusdem Vniuersitatis Doctoribus patet, qui eamdem sententiam docuere. Ij sunt S. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonauentura locis suprà citatis. Dominicus de Raconis Doctor Sorbonicus, & Episcopus Vaurensis [de suprema Petri potestate sectione 1. cap. 5. fol. 349. Nicolaus Cœffetaus Doctor Parisiensis, & Episcopus Massiliensis opere de sacra Monarchia lib. 2. cap. 5. Michael Nauclerus Doctor Sorbonicus de Monarchia lib. 8. cap. 6. par. 4. Ludouicus Bail Doctor Parisiensis, & Propœnitentiarius. Edmundus Richerius Doctor Theologus, qui cum multa contra auctoritatem Pontificiam scripsisset, tandem vno ante obitum anno scriptorum pœnitens Sedem Apostolicam [Matrem, & Magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem Veritatis iudicem] agnouit, & professus est teste Duuallio initio sui operis de Pontificis potestate, vbi Richerij chirographum exhibet. Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus, & Professor in Parisiensi Vniuersitate opere [de suprema Pontificis Potestate præsertim par. 2.] Iohannes de Arti Regius Professor Tractatu de Beneficijs cap. 3. Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus locis paulò antè notatis. Henricus Spondanus Apamearum Episcopus, ad annum Christi 33. num. 5. Ioannes à Celaia Doctor Parisiensis in 3. sentent. dist. 25. par. 4. Ioannes Puteanus Professor Regius in Academia Tolosana in 2. 2. S. Th. qu. 1. a. 6. Leonardus Coquæus in Vniuersitate Parisiensi Doctor Theologus in Antimornæo tom. 1. fol. 83. Herueus Armoricus, Henricus Gandauensis, alijque, quorum nomina apud alios reperies.

Ex hactenus toto hoc paragrapho dictis patet, quæ Gallicanæ Ecclesiæ mens, & sententia fuerit, quamque immeritò illius auctoritate sibi Maimburgus blandiatur, cùm constet nostram esse. Nec obstat declaratio in vltimo Parisiensi Conuentu edita, quæ hanc infallibilitatem euertit. Nam, & pauci Episcopi erant, si numeres, qui aberant, imò ex industria delecti, quos constabat nihil oppositutos. Sonabant catenæ, carceres, exilia, spolia, & quidquid homines terrere potuit, nisi præscripta loquerentur; nec libera vota, sed spe, aut metu extorta, aut saltem vindicandi cupidine ob minaces Pontificis litteras. Roma quoque, quidquid in eo Conuentu actum, planè resciderat; si ergo ne quidem Oecumenicæ Synodo vlla auctoritas Pontifice improbante, quantò minùs priuato Conuentui, qualis Parisiensis? & denique demus, Parisiensi senatui nihil defuisse; cur rogo ipsius Decreta Decretis tot Conciliorum Oecumenicorum, tot Patrum, totiúsque Ecclesiæ Gallicanæ, imò totius Orbis præponas? Aut semper, totoque Orbe Christiano, aut semel Parisijs erratum est, vtrum tibi facilius creditu videtur? Sed iam in prima dissertatione ad auctoritatem Conuentus Parisiensis respondi, quò lectorem remitto. Nunc sufficiat supra quadraginta testimonijs omni exceptione maioribus mentem, sententiamque Gallicanæ Ecclesiæ, quæ Pontificiam Infallibilitatem tenuit, ostendisse; nunc ad dissoluenda, quæ Maimburgus obiectat, procedamus.

§ III.

Respondetur ad ea, quæ Maimburgus Infallibilitati Pontificiæ opponit. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

SVMMARIA.

1 *Ostenditur, pro Maimburgi sententia militare paucissimos, pro nostra omnis Regionis, ætatis, & ordinis Patres, & Doctores.*

2 *Petrum errasse, non in doctrina, sed in conuersatione, & exemplo.*

3 *Dissidium Victoris Papæ cum Asiæ Episcopis infallibilitati Pontificis Rom. eximiè patrocinari demonstratur testimonijs*

monijs Eusebij, Sozomeni, Irenæi, & Concilij Nicæni.

4 *Ex Cypriani Historia Infallibilitatem Pontificiam potiùs firmari, quàm euerti sex euidentibus argumentis elucescit.*

5 *Liberij metu, dolisque circumuenti causam infallibilitati Pontificiæ frustrà opponi, quatuor solidis argumentis euincitur.*

I. OPponit primò Maimburgus: sententia, quæ Infallibilitatem profitetur, paucorum est: & fermè eorum tantùm, qui trans montes habitant, Italiæ, Romæque vicini: quique vestigijs Caietani, Baronij, ac Bellarmini Cardinalium inhæsere. Vbi ex aduerso infinita est acies aliorum, qui ex omnibus Italiæ, Poloniç, Belgij, Germaniæque Vniuersitatibus, ac Galliæ præsertim, infallibilitati aduersantur.

Resp. Hæc est prima Maimburgi velitatio, maiori semper arte, quàm virtute pugnantis. Auget suarum partium copias, nostrarum premit. Caietanum. Bellarminum, Baronium quasi nostri agminis Duces ostentat, purpura videlicet, & nouitate suspectos, perinde ac si isti sententiæ nostræ auctores essent. At verò tantum abest, vt istos inter Duces habeamus, vt ne quidem inter milites receperimus. Quando enim toto hoc opere, vbi tot Doctorum nomina recitauimus, vel semel Caietani, aut Bellarmini, aut Baronij auctoritate vsi sumus? Tanta est fiducia causæ nostræ, vt ne omnibus quidem purpuratis, quamuis doctrina præcipuis locus in castris nostris sit. Magnus vtique Bellarminus, magnus Caietanus, & quibus Maimburgus vix fimbriam sustenret; & tamen cùm de Pontifice agimus; nihil eorum auctoritati tribuimus. Irenæus, Ignatius, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Patresque Chalcedonenses, & quidquid antiquæ illi, ac florenti Ecclesiæ ornamento fuit, momenta nostra, & rationes sunt; Antiquitate, sanctitate, & doctrina non qualicumque, sed supremi fastigij nitimur, nec quidquam purpuræ, aut Dignitati damus, victoria extra fastum contenti. Gallicanæ Ecclesiæ, ac Parisiensis Vniuersitatis quænam mens, ac sententia fuerit, iam suprà ostendimus. Si Gallicanæ Ecclesiæ nomine nuperum Parisiensem Conuentum intelligat, vicit Maimburgus: Si verò Gallicana Ecclesia ea sit, quæ in Concilio Lugdunensi, ac Lateranensi locuta est, quæ ad Innocentium X. scripsit; quæ Synodis Turonensi, Aurelianensi, Trecensi, Pontigonensi, Melodunensi, ac Parisiensi fidem explicauit, quæque temporibus Irenæi, Auiti, Caroli Magni, ac Bernardi effloruit, si, inquam, hæc dicenda est Ecclesia Gallicana; multòque illi præferenda, quę paucos ante annos Parisijs conuenit metu perculsa, libertatis expers; vicimus nos, Galliæque Ecclesiam sub nostris signis habemus. [Sed, inquit Maimburgus, Infiniti sunt Doctores, qui negant Pontificem infallibilem esse.] Amabò te, ex infinitis illis aliquos mihi exprome, & nominatim appella. [Gersonem, inquit, Almainum, Dionysium Carthusianum, Tostatum, Illyricum, Cardinalem Cusanum, Cameracensem, Florentinum, Æneam Syluium, & Adrianum VI.] Hoc est totum Maimburgi agmen; nã quod de Episcopis Galliæ, ac Vniuersitate adjungit iam in superiori paragrapho inuictis testimonijs ostendi, Galliam pro nobis esse: & nota Maimburgum Heroas suos nominasse; quos cum paucissimos habeat, immò subornatos, vt posteà videbimus, suppler numerum iactantia verborum; additque infinitos alios esse. Sed singulos, quos nominat, expendamus. Dyonisius Carthusianus apertè infallibilitatem agnoscit, nam in ea verba: [Ego pro te rogaui, &c. Lucæ 2. Ex his verbis, inquit, sumitur argumentum, quod fides Romanæ Ecclesiæ, quam in ea Petrus plantauit, sit in ea vsque in finem duratura.] Tostatum quod attinet; Concilio Basileensi adhuc iuuenis, & necdum infula insignis interfuerat, & Senis Theses viginti ex intima Theologia deprompras Eugenio coram defenderat; sed cùm illis errores aliquos aspersisset: eosque Eugenius diplomate notasset; adeò impotenter id tulit, vt scripto in suarum thesium defensionem libro, cui titulus defensorium: [In Pontificiam auctoritatem etiam inuectus est, & cùm non obtinuisset, quod petijt (ea est fragilitas præstantium ingeniorum, vt cùm eorum placitis resistitur, animi offensionem concipiant) non potuit adeò ingenio imperare, vt non acerbius rem in contrarium egerit.] Ita loquitur Spondanus. Cæterum vbi primus impetus deferbuit, successitque iuuentuti prudentior ætas; sententiam Tostatus mutauit, & cum veritate in gratiam redijt, ac Pontificiæ auctoritati subscripsit; sic enim scribit: [Quia Petrus erat Pastor, & populus debet talem tenere fidem, qualem Pastor confitetur, & Petrus futurus erat vniuersalis Pastor; voluit Christus, quod confessio esset per Petrum solùm, vt innuatur, quòd talis fides tenenda est, qualem prædicat Romana Sedes, quæ est Caput, & Mater Ecclesiarum, cui Petrus præfuit.] Ergo Abulensis quoque saltem infulatus, purgatoque passionibus animo noster est; & si adolescens, ac iratus cum Maimburgo sensit, matura tamen ætate, pacataque errorem correxit. Thomas Illyricus ex seraphica familia Doctor nostrarum quoque partium est, sic enim scribit: [In qua (sacra videlicet scriptura) si minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè dixerim, emendari cupio à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Si autem libellus meus Apostolatus tui iudicio improbabitur; quicunque me inculpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non Catholicum comprobabit. Cardinalem Cusanum quod attinet; illum quoque torrens Basileensis aliquandiu rapuit, sed tandem sibi, ac veritati restiturus, egregiè, apertèque pro illa scripsit, sic enim loquitur: [Cùm vnus sit per Orbem Principatus, qui suo priori adhærere debeat, Romanæ videlicet Sedi, erit necessariò Catholica Ecclesia illa, quę primæ Sedi adhęrebit Quare in ea saluti nostræ necessaria remansit hactenus, & remanebit veritatis Columna .... nullus de Romana Ecclesia, aut quod ipsa vnquam à fide errauerit, aut per quamcumque sedem fuerit reducta, comperiet: sed sicut aliæ ab ipsa aliquoties recesserunt, in erro-

Spondan. ad annò 1443. n. 10.

Tostat. in Euãg. Matthæi cap. 16. qu. 56.

Thom. Illyr. in clyp. adu. Luth. epist. ad Adr. VI.

Card. Cus. de vlu cathc. ad Bohem. ep 2.

erroremque inciderunt, ita per Principatum fortissimum Petri debiles demùm confortat. in fide ad eius vnionem reducti sunt: vnde infallibilitati refugium est in vnione esse cum Principe in Ecclesia.] Petrus Alliacensis, quem Maimburgus Cardinalem Cameracensem appellat, non suo tantùm, sed totius vniuersitatis nomine pro Pontificia infallibilitate egregiè perorauit, cuius verba paulò antè à nobis producta sunt: [Æneas Syluius, quæ iuuenis, & factionibus Basileensium implicitus scripserat, ante, & post Pontificatum reuocauit, vt eius Bulla, cuius suprà fragmentum dedimus, manifestissimum est.]

Pij II. Bulla retract. quæ reperitur in Bullar.

Ex omnibus ergo Doctoribus, quos Maimburgus adstipulari suæ causæ gloriatur, tres tantùm supersunt, videlicet, Adrianus VI. cùm adhuc Louanij doceret; Ioannes Gerson, & Almainus. En totam Maimburgi familiam! Adrianus non ex proposito hanc quæstionem tractat; sed incidenter tantùm, & vix tribus lineis respondendo ad obiectionem. Almainus eo tempore scripsit, quo inter Iulium II. & Ludouicum XII. discordiæ flagrabant, sicque facile fuit, vt Almainus calamum in eam partem flecteret, quæ Principi gratior, maximè tota Gallia in Pontificem armata, & certatim non militibus tantùm, sed etiam Theologis ad stipendia currentibus: idque solemne iam scholis est; quot enim calamis, pro Ludouico Bauaro, pro Henrico Nauarreo, pro Ludouico XIV. contra Vaticanum pugnatum est? quippe omnibus piscari aliquid in turbido volentibus. Vnus Gerson est, cuius pietati, & doctrinæ nihil obijci potest: sed & istum nimius Zelus abripuit; cùm cùm enim videret Pontifices sua potestate abuti, ideòque Ecclesiam infinitis mali conflictari; hoc vnum remedium credidit, si illos coerceret, & in arctum redigeret iniecto fræno, metuque Concilij. Ea fermè ratione; qua Romani, cùm Reges nimia licentia grassarentur, statum Monarchicum in Democraticum trāstulere, peiori remedio, quàm malo; nunquam enim grauioribus casibus iactati sunt, donec consumerentur ciuili bello, & pro vno Rege tot Principes passi, quot Ciues nouarum rerum auidos.

At, inquit Maimburgus, [Infiniti alij sunt, qui asserunt Pontificem falli posse.] Ego credam Maimburgo infinita memoranti; quando ne decem quidem bona fide recitauit? Sed age videamus, vnde infiniti illi Maimburgo supersint. Noster est Angelicus Doctor cum toto Dominicanorum ordine. Noster Seraphicus cum tota Seraphica familia. Noster Anselmus cum tota Benedictina Schola. Nostra Societas tota cum innumeris ex ea Doctoribus. Nostra Germania, Italia, Hispania, Gallia (adeò vt ante Concilium Constantiense nemo non infallibilitatem è Gallis docuerit teste Archiepiscopo Marca superiùs citato, & Theophilo Raynaudo) nostri Patres; quorum ne vnum quidem pro se Maimburgus citauit inopia testium, quos alioquin diligentissimè collegit. Vnde ergo infiniti illi, quos suos esse Maimburgus iactauit? & si infiniti; cur tres solùm producti, qui Maimburgo adhærent, illique extra Gersonem ferè vltimæ sortis inter Doctores? quis enim est Carthusianus, & Adrianus, qui Thomæ Aquinati, Bonauenturæ, Anselmo, Bernardo, & tot alijs in Gallia Synodis non dico præponi, sed nequidem æquari possint? Quantò meliori, maiorique ratione dicere possumus, idque non nostro, sed aliorum indubitato testimonio, infinitos esse, qui nobiscum sentiant? Id enim Suarezius asserit, quo in Societate nemo doctior, modestiorque: [Veritas Catholica est inquit, Pontificem definientem ex Cathedra fidei regulam esse, quæ errare non potest. Ita docent hoc tempore omnes Catholici Doctores, & censeo rem de fide esse certam.] Gregorius quoque de Valentia: [Hæc veritas adeò continet summam, & caput totius Christianæ Religionis, vt nemo Catholicus esse possit, qui illam non amplectitur.] Theophilus Raynaudus Gallus: Frustrà plures Theologos conquiram, cum omnes numerari possint; quotquot ante Concilium Constantiense floruere, nam anteriores docuere, Definitiones Pontificias etiam abque Generali Concilio editas facere rem de fide.] Marca Archiepiscopus Tolosanus, & posteà nominatus ad Episcopatum Parisiensem dicit hanc esse opinionem generaliter receptam, & approbatam à Romana Ecclesia, & scholis Christianitatis, quæque in Italia; Hispania, alijsque Prouincijs Christiani Orbis docetur, excepta sola antiqua Sorbona, immò iam quoque in Sorbona doceri.] Ex his omnibus palàm est, quàm pauci sint illi, qui Maimburgi sententiæ subscribunt, & quantum absit à veritate, cùm innumeros esse dicit.

Suar. de fide d. 5. sect. 8. num 4.

Valent. to. 3. Th. d. 1. p. 7.

Raynaudus in opusc. aypios ephā par. 11.

Marca dans la memoire pour defendre le theses du College de Clermōt en l'annee 1662.

II. Opponit 2. Pontifices Romani sunt Petri successores; nec maiori priuilegio donati, quàm ipse Petrus. At Petrus in fide errauit. Id enim S. Paulus ad Galatas 2. testatur his verbis: [Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat . . . . sed cum vidissem; quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: si tu, cùm Iudæus sis, cogis Gentes iudaizare, &c.

Resp. Multis modis, hoc argumentum peccat; nam primò petitum est ex pharetra hæreticorum; Cerinthi videlicet, Porphyrij Gnosticorum, & Lutheranorum, quibus millies à Catholicis etiam primitiuæ Ecclesiæ, Hieronymo videlicet, Tertulliano; alijsque responsum est: quis verò pudor, copias, & signa cum hæreticis iungere impugnando Vaticano, ac repetere toties reiecta? aut quis non suspecta habeat argumenta, non tantùm profana, sed etiam impia manu suggesta, atque à Patribus improbata? Sed hoc solemne Maimburgo, vix enim aliquid reperies ex proprio depromptum, & non à centuriatoribus mendicatum, viuit aliena, immò profana quadra. Secundò. Procedit quoque ex incertis, cùm tamen certissima promisisset: incertum enim, quis ille sit Cephas, nam multi negant esse Petrum. Incertum quoque an tota illa Pauli reprehensio, Petrique simulatio non ex condicto fuerit inter vtrumque Apostolum, vt videlicet, cùm Iudæi viderent Petrum reprehendi, eumque acquie-

acquiescere, secum reputarent, non esse ijs, qui Christianam Religionem susciperent, conuictu, cibisque Gentilium abstinendum; & ita quàmplurimi Patrum præsertim Græcorum, & inter Latinos S. Hieronymus hoc dissidium explicant. Nec verò inter sanctos huiusmodi simulatæ culpæ, & reprehensiones nouæ, & inauditæ sunt. Sic in vitis Patrum de S. Arsenio legimus; is ex aula recens pede in alterum genu coniecto cum Monachis sedere consuerat: indecens id reliquis visum, nec tamen audebant tantillæ rei tantum hominem admonere; alium ergo ex primarijs Monachorum subornant, qui eumdem gestum inter sedendum exhiberet, & in hunc velut incompositum, rudemque disciplinæ, grauiter Abbas inuectus est, Arsenio, qui prope assederat. rubore suffuso, ac pedem sensim demittente. Idem ab Apostolis factum Patres Græci agnoscunt Iudæis corrigendis. Meruit igitur Petrus reprehendi, vt Monachus, de quo diximus; at culpa subornata, meréque externa. Sed hæc Hieronymi, aliorumque Patrum, non mea est sententia, & solùm eo fine producta, vt ostendam Maimburgum ex incertis procedere. Tertiò. Sed quidquid de errore Petri fuerit, verus, an simulatus, nihil hoc exemplum ad rem facit. Malè Petrus fecerit, at non malè docuit, nec Paulus eum reprehendit, quod non rectè ad ueritatem Euangelij docuerit; sed quod non rectè ad veritatem Euangelij ambulauerit: hoc est, vitam, & mores instituerit; & ideò Tertullianus hæreticis hoc ipsum obijcientibus respondit: [Hoc fuisse vitium conuersationis, non verò predicationis:] sed nos non de moribus, & vita quærimus, sed de doctrina; & in hanc solam negamus cadere errorem posse. Possunt Pontifices malè viuere, possunt alios exemplo corrumpere; sed non possunt male, & contra fidem docere, [& ideò iubemur facere, quæ dicunt, non quæ faciunt. Nec Christus orauit pro Petro, vt eius sanctitas, sed vt eius fides non deficeret.] Cùm ergo non teneatur fideles mores Pontificum imitari, sed tantùm doctrinæ, & præceptis acquiescere, mirum non est, voluisse Christum, vt moribus quidem labi possent, at non fide. Malè ergo Maimburgus causam fidei, morumque miscuit, & vitia morum transtulit ad vitia fidei, qui paralogismus ferè perpetuus est in omnibus Maimburgi argumentis, adeò ille aut quæstionem non intellexit, aut intelligere non voluit, vt securiùs falleret.

Vide S. Hieron. epi. 89. ad Aug.

III. Opponit 3. Dissidium Victoris Papæ, cum Asiæ Episcopis. Res sic habuit. Romæ, totoque Occidente ex traditione à S. Petro accepta festum Paschæ Luna decima quarta Martij, aut post illam agebatur, semper tamen Dominica die, qua Christus reuixisse creditur. At Asiæ Episcopi, iuxta traditionem vti dicebant S. Ioannis Apostoli, Pascha Luna decima quarta Martij celebrabant ex præscripto Mosaicæ legis, quacumque die incidisset, etiam extra Dominicam, idque vt Synagogæ iam exauctoratæ aliquid deferrent honoris, in re haud adeò magna; & summi Pontifices, qui ante Victorem sederant, Anicetus videlicet, Pius, Hyginus, Telesphorus, Sixtus, hunc Asianorum morem æquo animo tulerant. Sed Victor Primus coacta Romæ Synodo abrogandum censuit; ratio, quæ Victorem ad id faciendum permouebat, ea potissimùm fuit: tum quòd Quartadecimani hanc permissionem teste Nicephoro in necessitatem, ac præceptum verterent, damnarentque erroris Occidentales: tum quòd hac occasione Montanistæ, alijque etiam Romæ Iudaismum latenter inducere conarentur, vt ait Tertullianus. Has ergo ob causas Victor (quem Maimburgus alibi egregium, & admirabilem Pontificem vocat, cùm videlicet needum Romæ indignaretur) Asianis Episcopis præcipit, vt Dominica die iuxta Romanam traditionem festum Paschatis peragant, anathema minatus, nisi obediant. Tantòque maior eos excommunicandi causa subesse videbatur, quòd nollent totius ferè Orientis, & Occidentis sententiæ, & Decretis acquiescere, que in omnibus toto Orbe Synodis sancita erant procurare Victore, sic enim testatur fragmentum Synodi Palæstinę sub Theophilo apud Bedam tom. 2. lib. de celebratione Paschæ. Irenæus præsertim idem cum Victore sentiebat, videlicet festum Paschatis Dominica die obeundum esse; id enim significant ea Eusebij verba: [Illud quidem defendit solo Dominico die Resurrectionis Domini Mysterium esse celebrandum] non cessauit tamen repetitis literis, donec Victorem permouit, vt iam latam excommunicationem suspenderet; Polycratem enim Episcopum Ephesinum (qui maximè Victori repugnabat) & cum eo Asiaticos Episcopos fuisse à Victore anathemare percussos, tam clarè ab Eusebio asseritur, vt negari vix possit. Sed tamen, & illud liquet, fuisse opera, studioque Irenæi pacem inter Polycratem, & Victorem compositam, reuocatasque censuras, & Asianos suis ritibus permissos, ea tantùm conditione, ne vti priùs Romanam consuetudinem hæresis damnarent. Id Sozomenus testatur: [Porrò, inquit, exortam olim controuersiam sapientissimè mihi videtur dissoluisse Victor tunc temporis Romanorum Episcopus, & Polycarpus Smyrnensis (error est Typographi, & legendum Polycrates: Polycarpus enim iam viginti annos ante Pontificatum Victoris Martyrio obierat) vt singuli festum, prout consueuerant, celebrantes à mutua inter se communione nequaquam discederent.] Cæterùm cùm procedente tempore huic consuetudini Asiaticæ se iterùm error misceret, eiusque prætextu induci Iudaismus inciperet; Patres Concilij Nicæni hanc consuetudinem hæresi Quartadecimanæ adscripserunt. Iam ex hoc Victoris cum Asiaticis dissidio, ita Maimburgus argumentatur. Asiani Episcopi Ductore Polycrate, Victori obtemperare noluerunt, quamuis seriò imperanti, minantique censuras, immò, & infligenti, nec tamen inter hæreticos ante Concilij Nicæni sententiam habiti sunt; non ergo tunc temporis credebant Pontificem infallibilem esse; cur enim non obtemperarent, si crederent errare non posse? immò hanc solius esse Concilij prærogatiuam, nam modò post Concilij Decretum hæresis damnati sunt.

Maimburg. §. 8.

Anno 199.

Nicephor. l. 4. cap. 30.

Tertulia. de pręscr. c. 53.

Euseb. lib. 5. cap. 24.

Sozom. lib. 7 cap. 19 Idem fa'etur de Marca lib. 3 cap 9.

Resp. Multifariàm solui potest hæc Maimbur-

imburgi oppositio; quamuis non tam sit Maimburgi, quàm Launoij, & Protestantium, qui hoc ipso Polycratis exemplo cum Victore dissidentis vsi sunt.

Primò igitur tantum abest, causam nostram exemplo Victoris destrui, quin potius validè adiuuetur. Pugnabant contra Victorem non Asiæ tantùm Episcopi, sed etiam Ioannis Apostoli, Philippi Diaconi, Polycarpi, Trasex, Sagaris, aliorumque Episcoporum, & Martyrum exempla, ac traditiones, Pascha Luna decima quarta celebrantium. Vicit tamen Romani Pontificis sententia, ostenditque euentus, ac Nicæni Concilij Decretum, non Pontificem errasse, sed eos, qui tantis exemplis vtebantur, nec cogitabant claues Regni Cœlorum, ac custodiam fidei non Ioanni, nec Philippo, aut Polycarpo, sed Petro eiusque successoribus commissam; quando ergo Pontifex errabit, si tunc non errauit, quando præter tot Episcoporũ, ac Martyrum exempla, illius etiam auctoritate conuinci videbatur, qui supra pectus Domini recubuerat, cui omnia Diuina secreta sunt reuelata? eritne aliquando auctoritas maior, quæ Pontifici opponi possit, quàm Ioannis Apostoli? & si hæc contra Pontificis Decreta nihil valuit, quæ alia valebit? quis credat aliquando casurum, quem immotum videt, cùm tam validè impelleretur? Exemplum ergo Victoris causæ nostræ egregiè patrocinatur.

Secundo. Victoris sententia aut vera, aut falsa fuit? si falsa; non solus Victor, sed totus cum illo Occidens, Oriensque (Asia excepta) immò Concilium Nicænum errauit, quod cum Victore decreuit. Si vera; non ergo Victor errauit, sed qui Victori repugnabat: quod ergo argumentum ab eorum auctoritate duci potest, quos constat errasse? aut apud quas gentes falsis, ac errantibus testibus causa aliqua non tantùm probata est, sed etiam vicit? Planè in nulla logica, multòque magis in nullo Tribunali hæc consequentia probabitur: Papa errare potest, quia hoc dicunt falsi, & erronei testes.

Dices. Nemo Asianos pro hæreticis habuit, quòd nollent Pontifici obtemperare, ergo extra hæresim licet credere, aut etiam facto profiteri, Pontificem errare posse.

Resp. In sententia Asianorum duo considerari, ac distingui oportet: primum, quòd decimaquarta Luna Pascha celebrarent etiam extra Dominicam. Secundum, quod huic ritui errorem miscerent, dicerentque id ad fidem pertinere, & qui aliter agerent, fidei derogare. Id certum est ex epistola Polycratis ad Victorem, quam recitat Eusebius: [Isti, inquit, omnes (Ioannes videlicet, Philippus, &c.) diem Paschatis decimaquarta Luna celebrabant ex Euangelij præscripto, & secundùm regulam, ac normam fidei.... His, quæ nobis ad terrorem obijciuntur, minimè conturbor; mei enim maiores dixerunt, oportere magis Deo obedire, quàm hominibus.] Vbi vides Polycratem hunc morem asserere tanquàm [ex Euangelij præscripto, præceptoque Diuino, ac secundùm regulam fidei prouenientem.] Ex quo consequebatur, Occidentales, immò plerosque Orientalium, contra [legem Euangelicam, præceptum Diuinum, normamque fidei agere,] qui planè error contra fidem erat, & vt talis à Victore damnatus, atque anathemate percussus: pergit enim Eusebius: [His ita gestis, Victor Romanæ Vrbis Episcopus omnes Asiæ, vicinarumq; Prouinciarum Episcopos tamquàm contraria rectæ fidei sentientes à Communione abscindere conatur.] Vibrato anathemati incessit Irenæus, effecetque apud Polycratem, vt hunc errorem deponeret, neque eum ritum ad fidem crederet pertinere. Apud Victorem verò, vt Asiaticam consuetudinem ferret errore iam liberam: & vtrumque persuasit: conuenitque inter Victorem, & Polycratem; sic enim Sozomenus scribit: [Porrò exortam olim controuersiam sapientissimè mihi videtur dissoluisse Victor tum temporis Romanæ Ecclesiæ Episcopus, & Polycarpus Smyrnensis (lege Polycrates, vt suprà memini) nam ex communi consilio placuit, vt singuli festum prout consueuerant celebrantes, à mutua inter se communione nequaquam discederent.] Ergo post Victoris, aut intentatas, aut vibratas Censuras, Irenæo præsertim agente, resipuit Polycrates, cessauitque contumacia; & Victor quoque passus est eam consuetudinem retineri, postquàm desijt cum errore misceri. Iam ergo ad Maimburgi oppositionem facilè respondeo: non ideò Polycratem, cæterosque Episcopos Asiæ pro hæreticis habitos non esse, quòd Ecclesia crederet, Pontificem falli posse, ac illi impunè resisti; sed quia, vt vidimus, resipuit Polycrates, cessauitque contumacia, ac Victor consuetudinem ferendam censuit errore purgatam. Quemadmodùm pari omninò ratione, Communio sub vna specie, ac consecratio in fermentato sunt ritus innocentes, nec fidei aduersantur, & ideò diù, multumque in Ecclesia vsurpati, prohibiti verò, vbi in hæresim desierunt. Cæterùm Ireneus, qui eo tempore florebat, pacemque inter vtramque Ecclesiam composuit, non solùm Pontificis Decreto quàmprimùm accessit, verùm etiam Pontificiæ infallibilitati insigne testimonium præbuit, simulque, qui tunc primę illius Ecclesię sensus esset, egregiè aperuit; sic enim loquitur: [Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem Principalitatem necesse est conuenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos, qui vbique sunt fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.] Nihil ergo Asiatica concertatio contra nos facit, sed plurimùm pro nobis; ex illa enim constat, iam primo seculo, & recenti adhuc, ac illibata Apostolica doctrina sanctissimo Pontifici, ac Martyri Victori, apud quem nihil adulatio, aut fastus poterant, certam, fixumque fuisse, teneri fideles in rebus ad disciplinam, fidemque spectantibus Decretis Pontificijs acquiescere, nisi facerent, arceri ab Ecclesia posse, non expectata Concilij sententia, & quamuis Polycrates, alijque Asiatici initio restiterint, constat tamen istos errasse, ac tandem veritate conuictos esse.

IV. Opponit 4. Exemplum S. Cypriani Episcopi, & Martyris Carthaginensis, aliorumque quàm plurium Africæ Episcoporum, qui Decretum Stephani Papę de hęreticis non reba-

Euseb. lib. 5. cap. 23.

Sozom. lib. 7. cap. 19.

S. Irenæus l. 3. contra hæreses cap. 4.

Maimb. §. 10

rebaptizandis nullo modo recepere; neque tamen aut Cyprianus, aut Firmilianus, aut Dionysius Alexandrinus, Athanasius, Optatus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, aliique Asiæ, Africæque Episcopi pro hereticis habiti sunt; donec in Arelatensi, Niceno, ac Constantinopolitano Concilijs Baptisma hereticorum repeti prohiberetur. Constat ergo Patres, tertij, quarti, quintique seculi eius sententiæ fuisse, vt crederent, vltimum, ac Decretorium de causis fidei iudicium non penes Pontificem, sed Concilium esse. Ita Maimburgus ex Launoio, & Centuriatoribus argumentatur, quod ferè perpetuum apud hunc Auctorem. Additque S. Augustinum apertè testari, S. Cyprianum, qui Stephano Pontifici non cesserat, cessurum tamen fuisse, si eo tempore questionis huius veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium fuisset. Censuit ergo non tantùm S. Cyprianus, sed etiam S. Augustinus, in causis fidei dirimendis maiorem esse Concilij, quàm Pontificis auctoritatem, vltimumque iudicium non ad hunc, sed ad Concilium pertinere.

S. Aug. l. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 4.

Resp. Supersedeo historia Cypriani pertexenda, quam in Regali Sacerdotio fusè prosecutus sum, & ad solam Maimburgi argumentationem respondebo. Nam Primò mirari lubet huius hominis incōstantiam. Quamdiu nulla Galliam inter, Romamque simultas erat; nemo extollendę Pontificum Maiestati Maimburgo flagrantior. Immò hoc ipso Cypriani exemplo confutādis Caluinistis vtitur: [Ab eo, inquit, tempore, quo Stephanus rebaptizari hereticos vetuit, error Cypriani in heresim transijt, &c.] Vbi verò oriri inter Romam, Galliamque dissidia cœpere, Pontifice Ecclesiasticam libertatem contra Regios Ministros protegente; Maimburgus continuò nulla cura causę melioris ad Regios transire, & hoc ipsum Cypriani exemplum, quo nuper pro veritate, nunc contra veritatem vrgere. [O fidem temporum, non Euangeliorum?] vt cum Beato Hilario exclamem. Quis non videt Maimburgum hac agendi, scribendique ratione corrupisse, quidquid olim contra Caluinistas disputauerat? quam enim fidem prestabunt contraria differenti? Ergo Maimburgus iam Gallus, iam Romanus, iam Hispanus est, iam totus, iam ex dimidio Catholicus, ac in omnem vultum compositus, vtcunque aulę placuerit; at veritas semper est eadem. Secundò. Idem Cyprianus, quem Maimburgus Romanę Cathedrę opponit, cùm tranquillo animo esset, nec indignatione agitato, egregiè pro eiusdem Cathedrę infallibili auctoritate scripsit; sic enim epistola 55. ad Cornelium loquitur: [Nauigare audent, & ad Petri Cathedram, vsque ad Ecclesiam principalem, vnde Vnitas Sacerdotalis exorta est, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia non possit habere accessum. Hæc Cyprianus serenā adhuc facie: at perturbata contrarium scripsit; quæro ergo, cur malis Cypriano credere irato, & offenso, quàm integro, pacatoque? Tertiò. Cyprianum, omnesque, qui illi contra Stephanum Papam adhærebant, certum est, errasse, ac posteà mutatis sententijs resipuisse; de Cypriano id clarè S. Augustinus insinuat epist. 48. ad Vincentium, & lib. 2. contra Donatistas. De Dionysio verò, alijsque Episcopis qui priùs cum Cypriano senserant, mutasse sententiam certum est, ex testimonio eiusdem Augustini, Dionysij ipsius Patriarchæ Alexandrini, ac præsertim S. Hieronymi, qui ita scribit: [Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum ipso statuerant (hoc est cum Cypriano) ad antiquam consuetudinem reuoluti nouum emisere Decretum.] Habemus ergo Cyprianum (aut saltem Cypriani sectatores,) & errantem, & erroris pœnitentem, quæro ergo cur malit Maimburgus, Pontificiam auctoritatem cum Cypriano errante impetere, quàm cum Cypriano pœnitente defendere? non agnouerit Cyprianus Cathedræ infallibilitatem; estò; at tunc errauit, quis verò prudens errorem in exemplum, ac imitationem sibi proponat? & quàm misera est causa, quæ sustineri alijs rationibus non potest, quàm exemplis errantium? Quartò. Sed & nimium hoc argumentum probat, quippe illo contra intentionem Maimburgi sequeretur, non Pontificem tantùm, verùm etiam Vniuersale Concilium errare posse. Scribit enim Maimburgus etiam post Arelatense, & Nicœnum Concilium, sententiam, de rebaptizandis hæreticis fuisse ab Athanasio, Basilio, Cyrillo Hierosolymitano, alijsque defensam. Et quidem de Basilio res est clara; nam Concilium Nicœnum statuerat canon 19. omnium hæreticorum baptisma validum, nec repetendum esse, exceptis Paulianistis: idque etiam testatur Sanctus Hieronymus contra Luciferianos; & ratio est, quia vt notat S. Innocentius I. epistola 22. cap. 3. Paulianistæ non baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & tamen nihil obstante Decreto Nicæno negari vix potest tam S. Basilium, quàm Sanctum Athanasium omnium Arianorum Baptismum respuisse, quamuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Baptismum conferrent. Verba Sancti Athanasij hæc sunt: [Ariani in periculum veniunt, ne amittant integritatem Mysterij, de Baptismo autem loquor; Patrem enim verum illi non pronuntiant, eò quòd negant aliquid ex ipso existere simile ipsius substantiæ; negant quoque verum filium, aliumque ex non entibus sibi comminiscentes in Baptismo proferunt ...... non enim in Patre, & Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore & Creatura. Sicut ergo Creatura diuersum quid à Filio est, ita diuersum, quid à vero Baptismate est, quod ab illis exstimatur dari, tametsi nomen Patris, & Filij, quia illa in scripturis vident, simulent se nominare; non enim, qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, & veram fidem habet....... Ita quoque, qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illuduntque eis, qui ab ipsis Baptismum accipiunt.] Vides hìc Sanctum Athanasium apertè profiteri, nullum esse Baptismum Arianorum; quia licèt Euangelica formula baptizarent, non tamen Euangelica fide. Sed adhuc clariùs loquitur S. Basilius; sic enim habet epistola ad Amphilochium canon. 47. [Encratitæ, Saccophori, & Apotactitæ subijciuntur eidem rationi, sicut

Regale Sacerd. libr. 3. §. 9. n. 4.

Maim. dans sa 2. lettre sous le nom de François Romain.

S. Augustin. contra Crescon. lib 3. cap. 3 Dionys. apud Eusebe. lib 7. c. 9 S. Hieron in Dialog contra Lucifer.

S. Athanas. serm 3. contra Arian.

sicut Nouatiani; quia de illis editus est canon, etsi diuersus; nos autem vna, eademque ratione eos omnes baptizamus. Si autem prohibita est apud nos hæc rebaptizatio, sicut, & Romanis alicuius Oecumenicæ Synodi gratia, nostra tamen ratio vires obtineat. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptisma baptizati fuerint. Ne dicant in Patrem,& Filium, & Spiritum Sanctum baptizati sumus, qui quidem Deum malorum effectorem esse existimant.] Vides Basilium post Concilium non solùm Arelatense, sed etiam Nicænum credidisse rebaptizandos esse hæreticos, quantumuis recta formâ Baptismi vsos. Si ergò ex Maimburgi sententia ideò Pontifex falli posse credendus est, quia post eius Decretum nihilominùs Cyprianus: alijque ab Hæreticis baptizatos iterùm tingebant; an non æquè concludi poterit, etiam Concilia Oecumenica falli posse, quia post Nicœnum Decretum Athanasius, & Basilius baptismum repetebant, & planè duo illi Athanasius, & Basilius si doctrinam, peritiamque scripturarum æstimes, centum Cyprianis anteponi debent; Cyprianus enim inter Gentilium sacrilegia consenuerat, & prouecta iam ætate, ac Neophytus Episcopatum adeptus est, tenuitque annos decem. Si ergo Conciliorum infallibilitati nihil derogat, Athanasium, Basilium, aliosque à Maimburgo numeratos sententiam docuisse, imò, & in opus deduxisse, Nicænis Canonibus aduersam; ita nihil Pontificiæ infallibilitati adimitur, si contra Stephani Decreta Cyprianus, aliique Africæ Episcopi moliri aliquid sunt. Quidquid ergo Maimburgus pro Concilio responderit, ego pro Pontifice respondebo. Si dicat errasse Basilium; dico ego errasse Cyprianum. Si dicat, credidisse Basilium, Nicœnum Canonem ad Oeconomiam, hoc est, ad disciplinam, non fidem spectare, sicque pro more Regionum mutari posse, ac proptereà nec ipsum Basilium, nec Athanasium hæresis damnatos esse; dicam ego idem censuisse Cyprianum, eamdemque ob causam, quãuis Stephani Decretis aliquandiù obsisteret, numquàm tamen fuisse hæresis postulatum, idque S.Augustinus quàm plurimis locis in eo commendat, quòd videlicet sententiam suam ita defenderit, vt tamen contrariam nec damnandam crediderit, nec proptereà à Romana Communione secesserit: Stephanus ergo Papa ita hæreticos baptizari prohibuerit, vt tamen, qui eos baptizent, hæresis non damnaret; quòd si Cypriano, alijsque Episcopis, qui cum illo sentiebant, anathema indixit, contumaciæ hæc pęna, & quod antiquam Ecclesiæ consuetudinem euerterent non hæresis fuit. Quintò. Imò ex hac ipsa Cypriani historia Maiestas, ac auctoritas Pontificia omni ratione superior, omnisque expers erroris vehementer elucescit. Quantus Cyprianus? quàm eloquens, quàm sanctus, quot Synodorum, atque Episcoporum, qui posteà Martyrio defuncti sunt, auctoritate munitus, quantisque rationibus ex sacris literis succinctus? & tamen quàmprimùm suas opiniones, quantumvis veritatem apprimè imitarentur, Romanæ sententiæ prætulit, in errores prolapsus est tota Ecclesia damnatos; vnicum Stephani Decretum paucis verbis conceptum omnibus illis argumentorum, Episcoporum, Synodorum, Martyrúmque cohortibus præposuit, Roma iterùm Carthaginem, Africàm que vincente. Si ergo etiam Cypriani, etiam integræ, pluresque Synodi clarissimis Episcopis atque sanctissimis instructæ agminatim cadunt, imò Africa tota errore inuoluitur, quoties Romanæ faci oculos claudit, quid rogo de alijs erit, qui nihil habent, quod cum Cypriani ingenio, doctrina, eloquentia, sanctitate componi potest? Omnes Africæ, Mauritaniæ, Numidiæ, Ægypti, Cappadociæ, Ciciliæ, Galatiæ, Phrygiæque Episcopi Ductore Cypriano hallucinantur, quàmprimùm à Pontifice Romano secedunt; quis ergo erroris securus erit? Euolue totam historiam Ecclesiasticam, paucos reperies, qui noluerint acquiescere Romæ definitis; & isti pauci semper errarunt; frustrà ergo extra hunc portum salutem quæris, vbi omnes naufragium passi. Errat Policrates, errat Cyprianus, errat Polycarpus, errat Firmilianus, errat Dionysius errant denique caduntque, quotquot cum hac palma luctantur; quis neget inuictam esse immotamque? stetit, vicitque iam mille sexcentos annos, millies concussa, millies quassata, quis neget perpetuam fore? si vitrum, non adamas esset, dudum cessisset tot malleos experta. Sextò. Ex quibus omnibus facilè iam colligas quid Maimburgo responderi debeat Cypriani casu exultanti. [Restitit Pontifici.] Fateor, sed ideò errauit, ac posteà pœnituit. [Non credidit Pontificem infallibilem esse.] Concedo, at æquè non credidit Baptismum, quem hæretici conferunt, validum esse. Si ergo non ideò Baptismus hæreticorum inualidus est, quia Cyprianus credidit inualidum esse; ita non ideo Papa fallibilis est, quia Cyprianus fallibilem esse credidit. Quod si error Cypriani nihil nocet Baptismo, ita error Cypriani nihil nocet Pontifici. Et si teste Augustino, ideò Cyprianus circa Baptismum errauit: [Quia illo tempore quæstionis istius veritas nondum eliquata, & declarata per Vniuersale Concilium fuerat, cui, & ipse sine dubio crederet.] Idem ego de Pontificis auctoritate infallibili dicam; eo enim tempore, quo Cyprianus tanto æstu, quantus Martyrem non decuit, in Pontificem ferebatur; quæstionis istius veritas de Pontificis infallibilitate nondum eliquata, & declarata per Concilium Vniuersale fuit, videlicet Chalcedonense, Constantinopolitanũ, vtrumque Lugdunense, Florentinum, ac Lateranense, nondum vnanimi Patrum consensu; quibus omnibus, & ipse Cyprianus cederet, si iam viueret. [Sed nemo Cyprianum fuisse hæreticum dixit.] Meritò, nam nec Stephanus dogma fidei constituit, sed solùm prohibuerat,[contra Antiquam Ecclesię consuetudinem aliquid innouare.] An parùm tibi videtur errare, qui Pontificem non audit, nisi etiam hæreticus sit? Quid miraris errasse Cyprianum circa hanc quæstionem, cùm nondum discussa, exactèque librata fuerit, quando ipse Augustinus fateretur, etiam Concilia errare: [Nisi primò diutiùs per Orbis

S. Augustin. de Baptis. contra Donatist. lib. 2. cap. 4.

bis terrarum Regiones multis hinc, atque hinc disputationibus, & collationibus Episcoporum pertractata fuerint.] Vbi nota loqui Augustinum de Concilio plenario. Cùm verò S. Augustinus, quoties hoc argumentum, factumque Cypriani præ manibus habet, videtur Concilium plenarium requirere: optimo iure id facit, quamuis enim sola Pontificis auctoritas de Cathedra loquentis sufficiat decidendæ veritati, non sufficit tamen ijs reuincendis, qui Pontificis auctoritatem pro suprema, & infallibili non agnoscunt. Quemadmodum scriptura omninò erroris expers est; sufficitque omni dubio expungendo; si quis tamen scripturas, aut humani ingenij partum esse dicat, falsoque obnoxias: alijs argumentis, alijsque auctoritatibus, quàm ex scriptura petitis opus fuerit. Papa ergo infallibilis; siquis tamen infallibilem neget (negabit verò omnis, qui defendendo errori animum obstinauerit) ei conuincendo Concilijs opus erit; quamquàm qui semel Pontificem exclusit, non tam Concilium amat, quàm huius obtentu moras, induciasque errori, & forsan hæc ipsa mens Cypriano fuit, nullum aliud in terris iudicium præter Diuinum admittentis; sic enim scribit: [Habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alium iudicare; sed expectemus Vniuersi iudicium Domini Nostri Iesu Christi, qui vnus, & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.

S. Cyprian. in Conc. Carthagin. Anno 256. aut secundùm alios 258.

Opponit 5. Liberij casum. Victus exilij tædio Arianæ hæresi subscripsit, Athanasium damnauit; vocem homousij expunxit; duasque epistolas, alteram ad Constantium Imperatorem Arianæ hæresis Protectorem: alteram ad Semiarianos Episcopos, quibus eorum doctrinam vehementer commendat. Et ideò tam S. Hilarius, quàm S. Hieronymus Liberium Semiarianæ hæresis postulant. Imò Ecclesia Romana tamquàm hæresis manifestum Pontificatu deijcit, surrogatque Felicem. Postquàm Maimburgus hæc de Liberio dixisset, insultat, illuditque, non victori tantùm, sed etiam hostem calcanti similis, nulla Dignitatis reuerentia. Pergit enim dicere: [Neminem Arianam hæresim altiùs professum esse: ex fastigio in abyssum procidisse: ab Hilario punctim cæsimque anathemate percussum esse:] Et mille alia, superbo potiùs, ac impotente aduersario, quàm historico digna, etiamsi vera essent; quantò igitur indigniora, cùm palàm falsa? Vix inter ipsos Caluinistas reperias acerbiùs, amariùsque insultantem Pontifici.

Resp. Hæc Maimburgi Oppositio tria complectitur: quorum primum verùm quidem est, sed nihil ad rem, ac oppositum facit. Reliqua verò tam falsa, vt magis non esse possint. Verùm est, Liberium peccasse; sed hæreticum fuisse, aut hæresim ex Cathedra professum esse, plusquam alienum à veritate, quod ex dicendis patebit. Nam Primò ipse ipse Maimburgus in historia Arianismi, vbi ex proposito Liberij casum examinat, fatetur: [Liberium nullo modo Semi-Arianorum hæresi subscripsisse, imò constantissimè

Maimburg. lib. 4. de l'Arianisme.

Filij consubstantialitatem propugnasse, idque tam clarum esse, vt nemo prudens de hoc dubitare possit. Quid amabò ab eo tempore, quo Maimburgus historiam Arianismi scripsit, Liberius deliquit, vt quem nuper hæresis purum, nunc reum faciat? Historiam Maimburgus, an fabulam, & Comœdiam scripsit, toties vertente Theatro? an forsan opinionum probabilitas, quæ hactenus Theologiam, nunc quoque historiam in Protheum vertit; vt quæ nuper vera, nunc falsa appareant? Secundò. Quòd si daremus, Liberium hæresi subscripsisse; quandò formulæ Sirmiensi subscripsit, damnauitque Athanasium; quid aliud sequeretur, quàm Pontifices si metu, pœnisque vrgeantur, absitque Libertas decidendi, posse in errorem labi? at de hoc nobis nulla est quæstio; quærimus enim de Pontifice libero, suique iuris, nec inter pœnas, ac tormenta loquutem, nam nec Leges Romanæ confessionem admittunt, supplicijs expressam. De Liberio autem ita loquitur Athanasius: [Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus]. Et S. Hieronymus: [Liberius tædio victus exilij &c.]. Si ergo errauit Liberius, metu errauit, de quo casu nulla nobis est quæstio, nam metus etiam Concilia corrupit, quæ tamen Maimburgus vult omnis erroris expertia. Concilium Ariminense quantumuis quadringentis Episcopis frequens, à Romano Pontifice conuocatum, eiusdemq; Sedis præsidentibus Legatis numquid multò magis Liberio, quàm Ariano errori fauit, non omissa tantùm, sed penitùs exterminata voce Consubstantialis? tantò vtriusque Orbis, Occidentis videlicet, ac Orientis consensu, ac Catholicorum partim luctu, partim pudore, vt S. Hieronymus in hæc verba proruperit: [Tunc Vsiæ nomen abolitum, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est, tunc ingemuit totus Orbis, & se Arianum esse miratus est]. Et Seuerus Sulpitius: [Hilarius, inquit, vbi aduertit extremum fidei periculum, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci &c.]. Taceo alia Conciliorum errantium, nec à Sede Romana approbatorum exempla. Quæro quid istis Concilijs defendendis dicturus sit Maimburgus, quod defendendo Liberio non æquè, multòque magis sufficiat? nam si metum prætexat, multò is maior in Liberio fuit, quàm in Synodo Ariminensi, in hac enim quadringenti cum metu pugnarunt, victique sunt; at Liberius vnus, & solus fuit; multò verò faciliùs vnius fugam, quàm multorum excuses. Tertiò. Sed demus Liberium Arianam hæresim animo recepisse (quod tamen falsum esse paulò post ostendemus) num ideò illam ex Cathedra docuit? hoc est iuxta explicationem Maimburgi à me verbatim hic ex Gallico redditam: [Num, inquam, tamquàm magister, ac Doctor omnium fidelium, & causa in pluribus Congregationibus, Consistorijs, Synodoque suorum suffraganeorum, Cardinalium, ac Doctorum examinata, ac petitis etiam Vniuersitatum Consilijs]. Sed præcipuè [per solemnes, publicasque preces Spiritus Sancti gratia, & assistentia definiuit, decreuit, imperauitque omnibus Christi fidelibus), vt Arianam fidem amplecterentur,

S. Athanasius epist. ad Solitarios.

S. Hieron. in Chron.

S. Hieron. contra Lucifer.

Seu. Sulp. lib. 2. sacræ histor.

Maimb. ch. 6. initio.

negarentque Filium esse Patri æqualem? Audeat ne hoc Maimburgus dicere? & si non audet, qui ergo Liberij exemplo dici potest, Papam ex Cathedra docentem errare posse; cùm ex cathedra docere, sit omnia illa præstare, quæ modò ex Maimburgo recensuimus, & quæ numquam præstitit Liberius? Vbi enim Synodi? Vbi Collegia Cardinalium? vbi Bullæ, & Imperia Diuinitatem Filio abrogantia? Liberius inter fastidia exilij, Liberius inter pœnas, & supplicia, ac tortorum manus, Liberius dolis, metuque circumuentus; hoc est ex Cathedra docere, & Pontificem agere? Aliud ergo est errare, aliud errorem docere; & de doctrina nobis, non de errore sermo est. Errauit Petrus, cùm Christum negauit, sed non propterea docuit Christum negandum esse. Errauit Marcellinus, cùm thura Idolis incendit; sed non decreuit Idolis adolendum esse. Errauit quoque Liberius, cùm Athanasium damnauit, cùm Sirmiensi formulæ subscripsit, nec metu purgari potest, vix priuatis permisso: sed nego Liberium Arianam labem ex Cathedra docuisse, multò minùs imperasse, & in hoc tamen tota quæstio versatur.

Quartò. Causa ergo Liberij sic habuit. Nulla hæresis, vt Ariana, speciosiùs incessit, ac pluribus dolis velata, adeò vt cautissimos falleret. Quis enim nescit, & Constantinum Principem aliàs æqui amantissimum, & Concilia Hierosolymitanum, Mediolanense, Ariminense, & alia doctissimis Episcopis referta Arianis fraudibus circumuenta, ac simili ferè culpa, quæ Liberium inuoluit, decepta fuisse? adeò vt S. Hieronymus testetur, totum Orbem, quamuis ignarum, inuitumque ingemuisse, Arianum se factum. Quid ergo mirùm, vnum hominem ijs retibus cecidisse, quibus tot millia capta fuerint? præsertim exilijs, ærumnisque fractum, & ideò facilè pro honestis captantem, quæcumque simùl prodessent. Simulabant Ariani se Catholicos esse, ac pristinis erroribus renunciasse: Filium Dei, non esse Creaturam, sed Deum, æternum, Patri per omnia similem: & denique quidquid Catholici vellent, à quibus etiam sibi formulas fidei præscribi patiebantur. Id solùm poscebant, vt Orthodoxi ea voce [Consubstantialis] abstinerent, & Athanasius condemnaretur. Id vt persuaderent, hæ rationes in medium producebantur: [Vocem Consubstantialis, nec in scripturis, nec in Patrum commentarijs reperiri: indignum esse vnius voculæ pretio tot corporum, & animarum millia perire, ac Religionem ciuili bello consumi. Quid refert vnam vocem, & nouam, & hactenus inauditam, nec necessariam taceri, si de re ipsa constaret? an verò Religio de vocibus, & non potiùs de rebus esset? Præsertim cùm ea vox euertendæ potiùs, quàm fulciendæ Religioni seruiret, eà quippè Sabellianos abuti, ac Personarum vnitatem inducere]. Hæc non absque ratione dici videbantur, habebantque fauentes Imperatores; & quid dico Imperatores? ipse S. Augustinus, quo nemo cum Ariana hæresi feliciùs conflixit aduersùs Pascentium Arianum agens; profitetur se illius fidei subscripturũ, si nulla alia re erret; quàm omissione vocis Consubstantialis. Athanasium quod attinet, criminationes ei impositæ tot coloribus veritatem imitantibus obducebantur; ac tam multis Conciliorum, Cæsarumque præiudicijs adiutæ erant, vt mirum esset non credi, fallerentque prudentissimos; præsertim cùm illi ipsi Episcopi Athanasium accusarent, quos constabat fidissimos amicorum fuisse; quæ causa fuit, vt Constantinus illum Treuiros deportauerit interceptæ annonæ reum. Hæc Liberium permouere. Cùm enim Arianam hæresim, eosque omnes, (qui Filium Dei esse, ac per omnia Patri similem, anathemate damnasset, credidit publicæ paci vnius Athanasij, ac voculæ exilio innocenter litari posse. Subscripsit ergo primæ formulæ Sirmiensi. Nihil ea speciosiùs dici, legique poterat, nec vllo mendacio, hæresique fœdebatur. Omittebat tantùm vocem [Consubstantialis]. Hoc Liberij delictum; quia tamen communi Catholicorum sensu causa Athanasij cum causa fidei coniungebatur, & vox homousij tessera erat, quæ Catholicos, Arianosque distinguebat; hinc à multis creditum est, Liberium Arianæ hæresi consensisse. Quæro iam ex Maimburgo, qua in re Liberius hæreticus fuerit? Quòd Athanasium damnauerit? at damnare innocentem iniustitia est, non hæresis; nec Liberius ob fidem Athanasium, sed ob alia damnauit, quæ illi obiectabantur, & ferè qualia superioribus annis Alectensi, & Apamiensi Episcopis: Athanasium enim pertinaciæ, superbiæ, seditionis, imò & Magiæ, & cædium postulabant. Quòd cum Arianis communicauerit? at Catholicos se simulabant, Ario, eiusque hæresi abiuratis; non ergo tamquàm cum Arianis, sed cum Catholicis societatem iunxerat. Quòd deceptus sit, & pro Catholicis habuerit, qui heretici erant? at decipi non hæresis est, sed imprudentia: num solùm Liberium, & non potiùs totum Orbem deceperant? & quæ tam cauta innocentia, vt falli non possit? nemo Chrysostomum hæreticum dixit, quòd Monachos Origenistas, Catholicam Religionem egregiè mentitos tanta cura contra Epiphanium defenderit, sinuque exceperit. Si quis Caluinista Catholicum se ferat, neque id tantùm voce, sed etiam corolla precatoria de manu pendente, cruce fronti impressa, sacra bulla ad collum demissa, alijsque Catholicorum ritibus: tuque hac specie, pompaque pietatis deceptus eum pro Catholico habeas, cum eoque communices; quis propterea Caluinistam te dicat? tantùm nec ampliùs fecit Liberius, species illum, colorque decepit, mendacio veritatem imitante. Quòd vocem Consubstantialis] omitti, sílerique permiserit? at eadem ratione Augustinum tantùm Arianorum hostem damnaueris, quippè eamdem silere paratum: nec silentium veritatis dici hæresis potest, præsertim cùm quis rem ipsam fatetur, nec enim fides de vocibus, sed rebus est: & Liberius ea ratione omiserat, quòd persuasus esset, ea Sabellianos abuti eliminandæ personarum distinctioni. Non negabat Liberius Filium eiusdem esse cum Patre substantiæ, imò qui hoc negaret, anathemate percusserat; sed sileri tantùm eam vocem ferebat tamquam nouam, in scripturis non repertam, Sabellianis propitiam, facemque discordiarum, vt Ariani iactabant, quæ quidem omnia, aut falsa erant, aut malignè expli-

S. Augustin. epist. 174.

plicata; sed fallentium culpa; non decepti. Non excuso Liberium, quippè aut incautum, aut mollem, & fastidio pœnarum pacem præ bello amantem; sed aliud est improuidum, inconstantem, mollemque, aliud hæreticum esse. Hoc numquàm Maimburgus de Liberio probabit, illa non excuso. Et hæc quidem de Liberio suffecerint. Pergit Maimburgus de Vigilio, & Honorio, de Bonifacio VIII. Adriano VI. & Pio II. dicere, quæ non solùm in Regali Sacerdotio, verùm etiam in superiori dissertatione à nobis refutata sunt, & ideò repetere non vacat.

§. IV.

Respondetur ad alias Maimburgi oppositiones à cap. 13.

SVMMARIA.

1 *Respondetur ad Decretum Cœlestini III.*
2 *Et ad definitionem Innocentij III.*
3 *Et ad errores Ioannis XXII.*
4 *Et denique ad sermonem Pauli IV. in Consistorio habitum.*

I. Opponit 6. Cœlestinus III. Papa definiuit in Decretali: [laudabilem. de Conuersione infidelium] . Solui fidelium matrimonia, quoad vinculum, altero Coniugum hæresim amplectente, ac innocenti liberum esse nouas nuptias inire. Contrarium Innocentius III. in capitulo quarto de Diuortijs definiuit.

Resp. Nihil ad rem facit hoc argumentum, & ne quidem quæstionem tangit. Cœlestinus nihil definierat, sed mentem tantùm suam, vt priuatus Doctor exposuerat, communem illius temporis opinionem secutus; quod apertè Innocentius illis verbis insinuat: [Et si quidem Prædecessor noster aliter sensisse videatur]. Aliud est sentire, aliud definire: præsertim cùm Cælestinus non ex proposito, sed incidenter, aliudque agens ad eum casum respondeat. Nimis verò in sacris Canonibus peregrinus est, qui nescit non omnia, quæ Decretalibus continentur, ad fidem pertinere; aliud enim est respõsum iuris, aliud Dogma, ac Decretum fidei: hoc totam Ecclesiam respicit, & quidem cum imperio ad omnes fideles directo, quo obligantur sub pœna hæreseos, & anathematis illud recipere, nec aliter credere: id numquàm Cœlestinus fecit, imò neque Innocentius, qui Cœlestinum corrigit: [Credimus, inquit, aliter respondendum]. Sunt hæc verba definientis, & non potiùs disputantis? sed parcendum Maimburgo solius historiæ gnaro, Theologiæ verò, Canonumque rudi, quod ex omnibus ferè illius operibus elucet; nihil enim infelicius, cùm Theologum agit, Iurisperitum, & alieno calceo incedit, cadenti, quàm eunti simillior. Pudet me immorari tam absurdis.

II. Opponit 7. Refert Cæsarius, Innocentium III. iam Pontificem solemnem definitionem ex consilio sacri Cardinalium Senatus, ad eoque ex Cathedra edidisse, quæ omninò fidei aduersatur, & ab ipso posteà Innocentio improbata est. Res sic habuit: Monachus quidam se Sacerdotem finxerat, ac quotidiè sacris operabatur. Tactus pœnitentia sacrilegium in Confessione Abbati exponit. Is iubet deinceps sacrificio abstinere. At Monachus pergere, veritus, ne ab alijs notaretur. Abbas animi incertus, cùm & timeret arcana confessionis retegere, nec sacrilegium ferre posset quotidiè oculis expositum, rem ad Capitulum generale defert suppresso nomine. Capitulum ad Pontificem Romanum, hic ad Cardinalium Senatum, ex cuius consilio: [Scripsit, inquit, Cæsarius sequenti anno Capitulo, quod fuerat à se determinatum, & à Cardinalibus approbatum in hæc verba: Ego dico in tali articulo esse prodendum, quia talis Confessio non est Confessio, sed blasphemia, nec debet Confessor blasphemiam tantam, ac insaniam celare.] At verò in Concilio Lateranensi, cui Innocentius præfuit, contrarium omnino definitur, vbi: [Caueat Sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem: & qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.] Et Innocentium contraria decernentem! semel in Senatu Cardinalium Ecclesiam Romanam repræsentante, semel in Concilio generali: hìc verum, illic falsum decernit; ergo Pontifex in Concilio generali erroris expers est: extra falli potest. Cœsar. lib. 3 cap. 22.

Resp. Tota hæc narratio Cæsarij auctoritate nititur: quam fragilem basim tantæ moli ferendæ! quis enim nescit, multa à Cæsario narrari fabulis simillima? & quæ ipse profitetur, aliorum tantùm narratione accepta? ergo æquum Maimburgo videbitur, totam retrò ab Irenæo antiquitatem, tot Patres, tot Concilia Oecumenica falsi arguere vnius Cæsarij testimonio? præsertim cùm is audita, non visa narret, immò ne ab vllo quidem Scriptore consignata, nec inter epistolas Innocentij reperta; & mirum est, rem tantam omnium silentio premi. Si post Innocentij Decretum Lateranense Concilium contrarium tamquàm fidei dogma definiuit, vt ait Maimburgus; ergo Cæsarius hæreticus est, qui non obstante Concilij definitione se Innocentij sententiæ adhærere profitetur: quam ergo fidem Cæsario adhibebimus perfidiæ, & hæresis reo? Dicam ergo errasse Cæsarium, quippe aliena, incomperta, inaudita, ac incredibilia narrantem. Quod si absurdum Maimburgo videbitur, Cæsarium in mero facto, historiaque errasse, in qua tam multi, præstantesque errarunt; quantò absurdius erit, in rebus ad fidem, æternamque salutem spectantibus errasse, aut errare Pontificem, errare Magistrum, Pastoremque Ecclesiæ, errasse Cathedram veritatis, errasse Patres, errasse Concilia, errasse Ecclesiam Gallicanam, omnesque Ecclesiæ scholas, quæ Romano Pontifici tanto consensu infallibilitatem tredecim, & vltrà seculorum decursu attribuere? Quantò minori dispendio errasse, deceptumque Cæsarium esse dicemus, quàm istos omnes? Sed demus vera esse à Cæsario nar-

narrata, nihil adhuc obstant veritati. Quando enim Innocentius Cisterciensi Capitulo scripsit, nihil definiuit, nec præcepit pro fidei dogmate habendum, nec contrariam sententiam doceri prohibuit, cæciditque anathemate, in quo solo casu, qui proprius Pontificis est, conuenitque Magistro Ecclesiæ, infallibilem esse dicimus.

III. Opponit 8. Exemplum Ioannis PP. qui nihil non egit, vt opinio in Ecclesia reciperetur, quam animo suo impresserat, animas videlicet iustorum non admitti post mortem ad visionem beatificam, antè resurrectionem corporum. Hanc enim sententiam & in publicis, & in priuatis congressibus, immò & è suggestu docuit, omnemque lapidem mouit, vt eam vniuersitati Parisiensi persuaderet: denique vt scribit Adrianus VI. publicè docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quod animæ &c. Et tamen hanc sententiam hæreticam esse, non solùm Parisiensis Vniuersitas, sed etiam Benedictus XII. & Concilium Florentinum diffiniuit.

Resp. Immò hoc maximè exemplo apparuit, quantum Deo curæ sit, ne Cathedra Petri aliquo errore inquinetur, quicumque tandem Pontifex eam Cathedram insideat. Certum est, Ioannem, in erroneam sententiam de animabus corpore solutis maximè propendisse, Deo tamen numquam annuente, vt hunc errorem è Cathedra promulgaret, & tanquam fidei dogma recipi tota Ecclesia iuberet. Id verum esse, multifariàm apertissimèque ex ipso etiam Maimburgo ostenditur. Nam primò permisit Ioannes, vt cuilibet pro arbitrio liceret de hac re sentire; rogauitque Philippum Regem, vt vtrique sententiæ locus, & libertas in Gallia esset, non tamen impetrauit. Nihil ergo definierat Ioannes, alioquin libertas opinandi sublata esset. Secundò. Nunquam constitutionem reperias, in qua Ioannes tanquam fidei dogma hanc opinionem suam admitti à fidelibus voluerit. Tertiò. Ipsemet Ioannes cùm videret nouella hac sententia turbari Galliam, indignarique, vocato Cardinalium, Prælatorum, Doctorumque Cœtu, qui Auenione morabantur, protestatus est, se quidquid pro sententia sua hactenus dixerit, non definiendi, sed veritatem examinandi, inquirendique causa à se dictum fuisse. Quartò. Ipsi Parisienses Doctores eodem anno, quo hanc Ioannis opinionem erroris damnarunt, anno videlicet 1333. secunda Ianuarij palàm apertèque professi sunt, eam sententiam à Ioanne in medium productam esse, non quòd veram crederet, multòque minùs, quòd definire eam vellet, sed solùm indagandæ veritatis gratia. Quintò. Idem Ioannes professus est, se nihil in hac causa positiuè affirmare velle; eiusque sententiam non tanquam Pontificis, sed priuati Doctoris censuit Rex Philippus sententiæ Parisiensis vniuersitatis postponendam esse, teste ipso Maimburgo. Sextò. Teste Wadingo, cùm Franciscanorum Generalis Parisijs Ioannis sententiam ex suggestu defendisset, Pontifex iuramento contestatus est, tantum abesse, Generalem id mandato suo fecisse, vt ne quidem de hac re cogitauerit. Septimò. Anno denique 1334. tertio Decembris idem Ioannes morti vicinus (quando præter æterna nil ampliùs speratur, timeturque) edita vltima constitutione professus est, iustorum animas statim, vt peccatorum reliquijs purgatæ sunt, in Cœlum admitti, vbi Beata Dei visione facie ad faciem perfruuntur, & hanc sententiam se habere, & antehac habuisse; quæ verò de hac re præteritis annis dixerit, scripseritque, omnia Ecclesiæ, suorumque successorum Pontificum iudicio, ac censuræ subiecta velle. Ita Willanus, & Wadingus testantur, nec Maimburgus lib. 6. de Imperij Occasu diffitetur. Constat ergo, nihil definiuisse Ioannem ex Cathedra, nihil ergo priuatus illius error Cathedræ infallibilitati nocet, frustrà ergo Maimburgus laborat, inuita non solùm veritate, sed etiam conscientia. Agnouit enim Ioannis innocentiam, immò defendit libro citato. Nunc verò, aut Romæ iratus, aut aulæ deuinctus, aut vtroque affectu peruersus, maluit falsa quidem, & indigna cum lucro scribere, quàm gratis, nulloque pretio veritatem.

Epist. Ioann. ad Philipp. Vales. à Calend. Decemb.

Maimburg. de la Decadence liu. 6. l. Vvillanus lib. 10. c. vlt. Vvading. ad ann. 1333.

Spondan. ad annum 1333. Hist. Vniu. Parisiens. ad eumd. ann.

Maimb. cit. fol 601. Vvading. in Regesto anno 1333.

Vvading. in Reg. cit.

Vvilan. lib. 11. cap. 9. Vvading. citat.

IV. Opponit 9. Paulum IV. PP. anno 1557. cùm ab eo peteretur dissolutio Matrimonij per verba de præsenti inter Mareschallum Momorantium, nobilemque Virginem contracti, nullo tamen maritali amplexu secuto, causa ad Collegium Purpuratorum delata sic præolocutum esse: [Quærimus, num Matrimonium de præsenti contractum, quod est verum Sacramentum, auctoritate nostra dissolui possit, cùm carnalis coniunctio nulla intercessit. Perspicite, an Decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili Matrimonij vinculo disquirimus. Non dubito, quin ego, & decessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc; verùm etiam in alijs rerum generibus. Fatetur ergo Paulus, Romanos Pontifices etiam in causis Sacramenta spectantibus errori subiectos esse.

Resp. Quæro ex Maimburgo, quem huius historiæ, sermonisque à Paulo habiti testem, auctoremque proponat? nihil enim in Annalibus eorum temporum, nihil in constitutionibus Pauli reperimus. Quem ergo Auctorem facit? Dominum, inquit, de la Haye. At hic nomine sponsi dispensationem vrgebat recusatamque ægerrimè tulerat, nec sermoni Pontificis in Consistorio perorantis interfuerat, sed tantum ab alijs relatum acceperat; quantam ergo fidem habebimus testi, & offenso, & audita tantùm narranti? Sed ita res se habeat, quid rogo consequitur? planè nihil aliud, quàm Paulum credidisse, Pontifices Romanos in concedendis dispensationibus, præsertim circa Matrimonia, aliquando, aut humano respectu, ac Principes demerendi causa, aut cupiditate, aut causarum ignorantia, aut dolo supplicantium errasse, deceptosque esse; sicque cum de huiusmodi indulgentijs agitur, laxandoque præsertim vinculo Matrimonij, non tam exemplis priorum Pontificum, quàm à legibus à Deo sancitis, atque in sacris literis Ecclesiæ propositis agendum esse. Quæ omnia verissima sunt, atque à nobis spontè concessa; nec enim in huiusmodi causis errare Pontifices posse, immò frequenter errasse, haud inficiamur. Illud ergo monstrandum à Maimbur-

Relat. Ioan. Hay.

burgo fuerat, dixisse Paulum: [Superiores Pontifices re maturè agitata solemni decreto definiuisse, totique Ecclesiæ tanquam fidei articulum credendum proposuisse, vinculum matrimonij rati solui à Pontifice posse, & tamen hanc definitionem falsam esse.] Id, inquam, oportuit à Paulo Pontifice dici, vt huius testimonium aliquid ad rem faceret: at nunquam hoc Paulus dixit; immò si dixisset, qui tandem esset? num quid Pontifices in consistorio perorant, id continuò decretum est fidei, & oraculum ex cathedra? at nos de hoc tantùm quærimus.

Ex hactenus dictis facilè iudicabit Lector, exempla hactenus à Maimburgo, aut ex libris protestantium, aut ex Launoij collecta (nihil enim ex suo præter formulas illas iactantiæ, & vanitatis plenas) non tantùm nihil probare, sed ne quidem ad statum quæstionis pertinere; probat, quæ nos ipsi concedimus; omittit, quæ negamus, & ex quouis trunco Mercurium facit. Nihil ergo ab eo timeas, qui non tantùm non ferit, sed ne tangit quidem.

S. CX.



S. CYPRIANI EPISCOPI, ET MARTYRIS.

DE VNITATE ECCLESIAE Catholicæ.

Sanctus Cyprianus ex Rhetore factus Christianus suadente Presbytero Cœcilio, à quo & cognomen Cœcilij sortitus est, omnia sua pauperibus distribuit, Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus, & Africæ Primas anno 248. consecratus est, vir sanctissimus æquè, ac eloquentissimus. Eius vitam describere, eumque commendare, deprimere est, cùm præstantissimos habuerit Panegyristas Sanctum Augustinum pluribus in locis, D.Hieronymum sæpè, Ruffinum in Apologia pro Origene, Prudentium in Hymnis, Ennodium Ticinensem, Agobardum Lugdunensem, fusèque vitam eius descripserint Pontius eius Diaconus, & comes indiuiduus, Iacobus Pamelius, & mille alij. Huius similiter ingenij, vt ait D.Hieronymus superfluum est indicem texere, cum Sole clariora sint eius opera. Sed cum alia certa sint, alia dubia, eximendus est à trepida mente scrupulus. Opera eius indubitata, in quibus tamen, sicut in ijs Tertulliani, notationes Catholicis Theologis suspectas adiunxere aliqui, sunt huiusmodi. Epistola 1. ad Donatum statim à baptismo conscripta aliæ vsque ad 39. in secessu Cypriani toto biennio scriptæ, vsque ad 57. aliæ scriptæ sub Pontificatu Cornelij, & Lucij Romanorum Pontificum vsque ad 65. Miscellaneæ in pace Ecclesiæ varijs temporibus conscriptæ, vsque ad 75. sub Pontificatu Stephani scriptæ, & de baptizandis hæreticis, reliquæ in exilio scriptæ, & sub finem vitæ libri de Disciplina, & habitu Virginum; de Lapsis; de Vnitate Ecclesiæ Catholicæ, vulgò de Simplicitate Prælatorum; de Oratione Dominica. Ad Demetrianum, de Idolorum vanitate; de Mortalitate; de Opere, & eleemosynis; de Bono patientiæ; de Zelo, & liuore. Ad Fortunatum, de Exhortatione Martyrij. Ad Quirinum Testimoniorum contra Iudæos libri tres. Concilium Carthaginense, de Baptizandis Hæreticis. Libros autem ad Pompeium contra Epistolam Stephani Papæ I. & ad Iubaianum de Baptizandis Hæreticis. Pamelius connumerat inter epistolas, & sunt epist.73. & 74. Opera supposita, aut dubia, de Monte Sina, & Sion, tractatus vnus; de Reuelatione Capitis Sancti Ioannis Baptistæ. Expositio Symboli; de Singularitate Clericorum; de Operibus Cardinalibus Christi sermone 12. de Laude Martyris; de Disciplina, & bono pudicitiæ. Ad Nouatianum de Spe veniæ lapsis non neganda; de duplici Martyrio; de Aleatoribus; de Cœnæ dispositione; de duodecim abusionibus sæculi; de Spectaculis; de Iudaica incredulitate. Ad Vigilium; de Iudæis, qui insecuti sunt Christum; Carmen Genesis; Carmen Sodoma; Carmen ad Apostatam Senatorem; Hymnus de Pascha; Oratio pro Martyribus, quæ incipit Agias; Oratio altera, quæ incipit Domine Sancte Pater. Tractatus de Monte Sina, & Sion, non habet stylum Cypriani. Tractatus de reuelatione Capitis Sancti Ioannis Baptistæ non est Sancti Cypriani, sed Auctoris multò Recentioris, qui in hoc ipso opere mentionem facit Sanctorum Athanasij, & Cyrilli, Theodosij Imperatoris, & Pipini

Regis

Regis Francorum, & ipsa reuelatio Capitis Sancti Ioannis Baptistæ contigit sub Theodosio, vt Nicephorus testatur lib.12. cap.49. & hæc facta est annis plus centum post obitum Cypriani. Expositio Symboli non est Sancti Cypriani, sed Ruffini, & eius nomine habetur inter opera Sancti Hieronymi, & testatur Gennadius Ruffinum in explicatione Symboli excelluisse, estque eius stylus. Tractatus de singularitate Clericorum insignis est, & vtilis, sed non redolet stylum Cypriani, sic sermones de operibus Cardinalibus Christi non redolent stylum altum Cypriani; libellus de Laude Martyrij quamuis in dubio ponatur ab Erasmo ob styli dissimilitudinem, sed communiter admittitur inter vera opera, præsertim cum Moses, & Maximus, ad quos liber iste scribitur in epistola ad Cyprianum huius libri mentionem faciant. Liber de duplici Martyrio esse Cypriani non potest, cum Auctor mentionem faciat Diocletiani, & Maximiani Imperaratorum, qui nondum tempore eius martyrij regnare cœperant, & meminit idem Auctor belli Cœsarei contra Turcas. Pamelius, & quidam alij censuerunt ab Erasmo fuisse confictum periclitandi styli gratia. Vide & Theophylum initio libri de Martyrio; de duodecim abusionibus sæculi. Neque Cypriani est, neque Augustini, licèt tamquam ex Cypriano allegent Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, & Concilij Trosleiani Patres cap. 2. Liber de aleatoribus vtilis, & doctus est, cœterùm cum Auctor dicat se præsidere toti Ecclesiæ videtur esse alicuius Romani Pontificis, Cyprianum imitati, sed non assecuti. Liber de Cœnæ dispositione non solùm Cypriani non sit, sed nec alicuius docti, miscet enim ineptas, & ridiculas narrationes, & fabellas. Liber de spectaculis egregius est, & non alia ratione Cypriani non videtur, nisi quia non est similis styli. Liber de Incredulitate Iudaica ad Vigilium nihil est aliud, nisi versio in latinam linguam Dialogi Græci, inter Iasonem christianum, & Papiscum hebræum, cuius meminit Origenes lib.4. contra Celsum qui illum vertit. Liber ad Cornelium, vel vt M.SS. habent ad Hadrianum, vel Alexandrum Papam de Cardinalibus operibus Christi à Natiuitate vsque ad Ascensum eius ad Patrem, & de Sancto Spiritu, est egregius, sed compositus ab Arnoldo Bonæuallis in Carnutibis Abbati, vt probant Theophylus, & Labbe contra Billium, & Bellarminum. Carmina, nec probantur esse, nec reprobantur esse Cypriaui à Bellarmino, sed à Labbè tribuuntur alijs. Liber de Iudæis est diuersissimi styli à Cypriano. Longum esset horum omnium operum cum Recentioribus texere criticam, hæc de illa tantùm delibasse sufficiat. Non iniucundum tamen erit ostendere, quibus collaborantibus peruenerint ad eam formam, & perfectionem eius opera, ex castigatione Desiderij Erasmi prodijt in folio Basileç anno 1521. Item cura Henrici Grauis Dominicani, ei vsque sudoribus Coloniæ in folio 1549. in officina Quenteliana. Addidit vigilias suas Paulus Manutius editione Romana anni 1563. quam cæteris omnibus multò castigatione, & lib.5. epistolarum integro auctiorem reddidit. Eamdem Gulielmus Morelius apud Lutetiam Parisiorum anno 1564. auctiorem præ cæteris, & recognitam obtulit. Post tot denique, tantosque viros Iacobus Pamelius Burgensis Canonicus, & Archidiaconus opera eiusdem S.P. euulgauit cum perpetuis, & insignibus in ea commentarijs impressa in folio Antuerpiæ anno 1568. & 1589. Itemque Parisijs 1574. & 1616. Discrepat autem ab alijs quod epistolas rationem temporum secutus disposuit, Post Pamelium cum notis euulgauit Nicolaus Rigaltius anno 1643. in fol. Insudauit etiam Philippus Prioris, Parisijs anno 1666. apud Ioannem Dupuis in fol. Parisijs, & ad calcem addit Minutium Felicem, Octauium, Arnobium Afrum, Iulium Maternum Firmicum, &c. Extat, & alia editio Oxonij in Anglia 1682. correcta ad M.SS. potissimùm Anglica Illustrata per Ioannem Feli Oxononiensem Episcopum; Hæc discrepat ab omnibus, continet Annales Cyprianicos, seu 13. annos quibus inter Christianos versatus est. Historiam Chronologicè delineatam per Ioannem Cestrensem Oxoniensis Fratrem. Ad calcem habet tractatum de baptismo non iterandum, quem dicit incerti Auctoris, sed ex Gennadio, & M.S. Vaticano constat spectare ad Vrsinum Monachum; Hæc autem editio maximè arguitur, quod ediderit D.Cypriani opera duo Confessionem, & computum de Paschate, quæ adulterina meliùs erat abscondisse. Ita Cosimus Oudin. Passus est, & mortuus Cyprianus eodem die, quo Cornelius Romæ non eodem anno 258. die 14. Septembris. Collocamus autem librum hunc de Vnitate, in quo Cyprianus Primatum Petri mirificè commendat, vocans

cans Petrum Caput radicem, & fontem, & vel vnicum fulmen omnes hæreses concutit. Quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuit, tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, &c.

CVm moneat Dominus, & dicat: [Vos estis sal terræ,] cumque esse nos iubeat ad innocentiā simplices, & tamen cum simplicitate prudentes: quid aliud Fratres dilectissimi, quàm prouidere nos conuenit, & sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter, & cauere, ne qui Christum Sapientiam Dei Patris induimur, minùs sapere in tuenda salute videamur? Neque enim persecutio sola metuenda est, & ea quæ subruendis, ac deijciendis Dei seruis aperta impugnatione grassantur. Facilior cautio est, vbi manifestior formido est; & ad certamen animus ante præstruitur, quando se aduersariùs profitetur. Plus metuendus est, & cauendus inimicus, cum latenter obrepit; cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, vnde & nomen serpentis accepit. Ea est eius semper astutia: ea est circumueniendi hominis cæca, & latebrosa fallacia: Sic ab initio statim mundi fefellit, & verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit; sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursùs & falleret, latenter accessit, intellectus tamen est, & retusus, & ideò prostratus, quia agnitus, atque detectus. Vnde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere vestigijs Christi vincentis insistere; ne denuò incauti in mortis laqueum reuoluamur, sed ad periculum prouidi accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi ea, quibus mors expugnatur, & vincitur, Christi mandata seruemus? ipso monente & dicente: Si vis ad vita venire serua mandata. Et iterum: si feceritis quæ mando vobis, iam non dicam vos seruos, sed amicos, hos denique fortes dicit & stabiles; hos super petram robusta mole fundatos; hos contra omnes tempestates, & turbines sæculi immobili, & inconcussa firmitate solidatos. Qui audit, inquit, verba mea, & facit ea similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim fuit super petram. Verbis igitur eius insistere; quæcumque & docuit, & fecit, discere, & facere debemus. Cæterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere præcepit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidei non vult seruare mandata? Nutet necesse est & vagetur; & spiritu erroris arreptus, velut puluis, quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viæ non tenet veritatem. Cauenda sunt autem fratres dilectissimi non solùm, quæ sunt aperta, atque manifesta, sed astutæ fraudis subtilitate fallentia. Quid verò astutiùs, quidue subtiliùs, quàm vt Christi aduentu detectus, ac prostratus inimicus, (postquam lux gentibus venit, & sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, vt surdi auditum gratiæ spiritualis admitterent, aperirent ad Deum oculos suos cæci, infirmi æterna sanitate reualescerent, claudi ad Ecclesiam currerent, muti claris vocibus, & precibus orarent,) videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas, ac templa deserta excogitauerit nouam fraudem subipso Christiani nominis titulo fallat incautos? Hæreses inuenit, & schismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitarem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate circumscribit, & decipit noui itineris erroribus. Rapit de ipsa Ecclesia homines; dum sibi appropinquasse iam lumini, atque euasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursùs infundit; vt cum Euangelio Christi, & cum obseruatione eius, & leges non stantes, Christianos se vocent; ambulantes in tenebris, habere se lumen existiment; blandiente aduersariò, atque fallente, qui secundùm Apostoli vocem, transfigurat se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros iustitiæ; asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: [Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quę ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.] Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat; [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi,]si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti, & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex vnus ostēditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pa-

ciat Spiritus Sanctus in Psalmis, dicens: [Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo.] In domo Dei, in Ecclesia Christi vnanimes habitant, concordes, & simplices perseuerant. Idcircò & in Columba venit Spiritus Sanctus. Simplex animal, & lætum est, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum: hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, cum generant, simul filios edere, cum commeant, volatibus inuicem cohærere, communi conuersatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda; vt Columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt mansuetudo, & lenitas Agnis, & Ouibus coæquetur. Quid facit in pectore Christiano Luporum feritas? & Canum rabies? & venenū lethale Serpentum? & cruenta sæuitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur; ne Columbas, ne Oues Christi sæua sua, & venenata contagione prædentur. Cohærere, & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborum solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur, & percutit Ioannes Apostolus, dicens: [Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.] Hinc hæreses, & factæ sunt frequenter, & fiunt, dùm peruersa mens non habet pacem dùm perfidia discordans non tenet vnitatem: Fieri verò hæc Dominus permittit, & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, vt dùm corda, & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce clarescat. Per Apostolum præmonet Spiritus Sanctus, & dicit: [Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti sint in vobis.] Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur; sic & antè iudicij diem hic quoque iam iustorum, atque iniustorum animæ diuidnntur, & à frumento paleæ separantur. Hi sunt, qui se vltrò apud temerarios Conuenas sine Diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt: quos designat in Psalmis Spiritus Sanctus, sedentes in pestilentiæ cathedra pestes, & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis euomentes: quorum sermo, vt cancer serpit: quorum tactus pectoribus, & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra eiusmodi clamat Dominus, ab his refrænat, & reuocat errantem plebem suam dicens: [Nolite audire sermones Pseudo-prophetarum; quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos.] Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis, qui abijciunt verbum Dei: [Pax erit vobis? & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis: omnis, qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala, non locutus sum ad eos, & ipsi prophetauerunt. Si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea, & si docuissent populum meum, conuertissem eos à malis cogitationibus eorum.] Hos eosdem denuò Dominus designat, & denotat dicens: [Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare.] Quando aliud Baptisma præter vnum esse non possit, baptizare, se posse opinantur. Vitæ fonte deserto, vitalis, & salutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illis homines, sed potiùs sordidantur: nec purgantur delicta, sed immò cumulantur. Non Deo natiuitas illa, sed Diabolo filios generat. Per mendacium nâti, veritatis promissa concupiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore repetunt. Nec se quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus; [Vbicumque fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, Ego cum eis sum.] Corruptores Euangelij, atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt; partis memores, & partem subdolè comprimentes. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt. Dominus enim cum Discipulis suis vnanimitatem suaderet, & pacem: [Dico, inquit, vobis: quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re, quamcumque petieritis, continget vobis à Patre meo, qui in Cælis est.] Vbicumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, Ego cum eis sum: ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. [Si duobus, inquit, ex vobis conuenerit in terra:] vnanimitatem priùs posuit; concordiam pacis antè præmisit, vt conueniat nobis, fideliter, & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire; cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo, aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab eius Euangelio separari? non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cum hæreses, & schismata postmodum nata sunt, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput, atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos, qui sunt in Ecclesia loquitur: vt si ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandauit, & monuit, duos aut tres licèt collecti vnanimiter orauerint, duo, aut tres licèt sint, impetrare possint de Dei Maiestate, quod postulant. Vbicumque fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo ego, inquit, cum eis sum; cum simplicibus scilicet, atque pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta seruantibus. Cum his, duobus, vel tribus licèt, esse se dixit Quomodo, & cum tribus pueris in camino ignis fuit; & quia in Deum simplices, atque interse vnanimes permanebant, flammis ambientibus medios spiritu roris animauit. Quomodo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia vnanimes erant ipse adfuit; ipse resolutis carceris claustris, vt verbum, quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rur-

sus imposuit. Quando ergo in præceptis suis ponit, & dicit. Vbi fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo ego cum eis sum; non homines ab Ecclesia diuidit, qui instituit, & fecit Ecclesiam; sed exprobans discordiam perfidis, & fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus, aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum dissidentibus plurimis; plusque impetrari posse paucorum concordi prece, quàm discordiosa oratione multorum. Ideò, & cum orandi legem daret, addidit dicens: [Et cum steteritis ad orationem, remittite si quid habetis aduersùs aliquem, vt & pater vester, qui in cęlis est, remittat vobis peccata.] Et ad sacrificium cum dissensione venientem reuocat ab altari, & iubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre, quia nec ad Cain munera respexit Deus; neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Quam pacem sibi igitur promittunt inimici fratrum? quæ sacrificia se celebrare credunt ęmuli Sacerdotum? an secum esse Christum; cum collecti fuerint, opinantur; qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexplicabilis, & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est; ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit: concordes, atque vnanimes esse præcepit: dilectionis, & charitatis fœdera incorrupta, atque inuiolata seruari mandauit: exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc, contestatur Paulus Apostolus dicens: [Et si habuero fidem, ità vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum: Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea, & si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas numquam excidit.] Numquam, inquit, excidit charitas: hæc enim semper in regno erit; hæc in æternum fraternitatis sibi cohærentis vnitate durabit, ad Regnum Cœlorum non potest peruenire discordia. Ad præmia Christi, qui dixit: Hoc est mandatum meum, vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos, pertinere non poterit, qui dilectionem Christi perfida dissensione violauit. Qui charitatem non habet, Deum non habet. Ioannis beati Apostoli, vox est: [Deus, inquit, dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet.] Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt; ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus; Occidi talis potest, coronari non potest. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo, & Christum diabolus sępè mentitur, ipso Domino præmonente, & dicente: [Multi venient in nomine meo dicentes; Ego sum Christus, & multos fallent.] Sicut ille Christus non est quamuis fallat in nomine illius: ità nec Christianus videri potest, qui non permanet in Euangelij eius, & fidei veritate. Nam & prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique, & admirabilis res est; non tamen Regnum cęleste consequitur, quisquis in his omnibus inuehitur, nisi recti, & iusti itineris obseruatione gradiatur. Denunciat Dominus, & dicit: [Multi mihi dicent in illo die: Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? & in tuo nomine dęmonia exclusimus? & in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis; Numquam vos cognoui, recedite à me qui operamini iniquitatem.] Iustitia opus est, vt promereri quis possit Deū iudicem. Præceptis eius, & monitis obtéperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem. Dominus in euangelio cum spei, & fidei nostræ viam compendio breuiante dirigeret: [Dominus Deus tuus inquit, vnus est; & diliges Dominum Deum tuum, de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum; & secundum simile huic: Diliges proximum tuum tamquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ.] Vnitatem simul, & dilectionem magisterio suo docuit: Prophetas omnes, & legem præceptis duobus inclusit. Quam verò vnitatem seruat, quam dilectionem custodit, aut cogitat; qui discordiæ furore vesanus Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, sacramentum prophanat? Malum hoc dilectissimi fratres iam pridem cęperat, sed nunc creuit eiusdem mali infesta clades, & exurgere, & pullulare plus cæpit hæreticæ peruersitatis, & schismatum venenata pernicies, quia & sic in occasu mundi fieri oportebat, prænunciante, per Apostolum nobis, & præmonente Spiritu sancto: In nouissimis, inquit, diebus aderunt tempora molesta, & erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati; impij, sine affectu, sine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis, quàm Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem eius abnegantes. Ex ijs sunt, qui repunt in domos, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs; semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes. Et quomodo Iamnes, & Mambres restiterunt moysi: sic & hi resistunt veritati homines corrupti sensu, reprobi circa fidem, sed non proficient plurimum; Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut, & illorum fuit. Adimplentur quæcumque prædicta sunt; & appropinquante iam sæculi fine, hominum pariter, ac temporum probatione venerunt. Magis, ac magis aduersario sæuiente error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat. Non tamen

nos

nos moneat, aut turbet multorum nimia, & abrupta perfidia, sed potiùs fidem nostram præanuntiante rei veritate corroboret. Vt quidam tales esse cæperunt, quia hæc ante prædicta sunt: ita cæteri fratres ab eiusmodi caueant; quia & hæc ante prædicta sunt; instruente Domino, & dicente: Vos autem cauete; ecce prædixi vobis omnia. Vitate, quæso, vos eiusmodi homines, & à latere, atque auribus vestris perniciosa colloquia, velut contagium mortis arcete; sicut scriptum est: Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Et iterum: Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimę. Docet Dominus, & admonet à talibus recedendum. Cæci sunt, inquit, duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens; simul in foueam cadent. Aduersandus est talis, atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Peruersus est huiusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersùs Sacerdotes Christi facit? qui se à Cleri eius, & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat: hostis altaris, aduersùs sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens Seruus, filius impius; frater inimicus, contemptis Episcopis, & Dei Sacerdotibus derelictis constituere audet aliud altare, precem alteram, illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia prophanare; nec dignatur scire, quoniam, qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduersione punitur. Sic Chore, & Dathan, & Abiron, qui sibi contra Moysem, & Aaron Sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pependerunt, Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit, stantes, atque viuentes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantùm eos, qui auctores fuerant, Dei indignantis ira percussit; sed, & cæteros ducentos quinquaginta participes eiusdem furoris, & comites, qui coagulati cum ijsdem simul ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis, properata vltione consumpsit; admonens scilicet, & ostendens contra Deum fieri, quidquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic, & Ozias Rex, cum turribulum ferens, & contra legem Rei Sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria Sacerdote, obtemperare nollet, & credere; diuina indignatione confusus, & lepræ varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offenso Domino, vbi signantur, qui Dominum promerentur. Et filij Aaron, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus; in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt. Quos imitantur scilicet, atque sectantur, qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt; quos increpat Dominus, & obiurgat in Euangelio suo dicens: Deijcitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis: peius hoc crimen est, quàm quod admisisse lapsi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur, & rogatur: illic Ecclesiæ repugnatur; Hic potest necessitas fuisse: illic voluntas tenetur scelere. Hic, qui lapsus est, sibi tantùm nocuit: illic, qui hæresim, vel Schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Hic animæ vnius est damnum: illic periculum plurimorum. Certè peccasse se hic, & intelligit, & lamentatur, & plangit: ille tumens in peccato suo, & in ipsis sibi delictis placens, à matre filios segregat, oues à Pastore sollicitat, Dei Sacramento disturbat. Et cum lapsus semel peccauerit, ille quotidiè pecat: Postremò lapsus, martyrium postmodum consecutus potest regni promissa percipere; ille si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest præmia peruenire. Nec quisquam miretur, dilectissimi Fratres, etiam de confessoribus quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda, quàm grauia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidijs diaboli, aut contra tentationes, & pericula, & incursus, atque impetus sæculares adhuc in sæculo positum perpetua securitate defendit: cæterum numquam in confessoribus fraudes, & stupra, & adulteria postmodum videremus, quæ nunc in quibusdam videntes, ingemiscimus, & dolemus. Quisquis ille confessor est, Salomone maior, aut melior, aut Deo charior non est. Qui tamen quamdiù vijs Domini ambulauit, tamdiù gratiam, quam de Domino fuerat consecutus, obtinuit: postquam dereliquit Domini viam, perdidit, & gratiam Domini, sicut scriptum est; Et citauit Dominus Satanam ipsi Salomoni. Et ideò scriptum est: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod vtique Dominus non minaretur, auferri posse coronam iustitiæ; nisi quia recedente iustitia, recedat necesse est, & corona. Confessio exordium gloriæ est, non meritum iam coronæ; nec perficit laudem, sed initiat dignitatem, cumque scriptum sit; Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit: quidquid ante finem fuerit gradus est, quo ad fastigium salutis ascenditur, non terminus, quo iam culminis summa teneatur. Confessor est; sed post confessionem periculum maius est, quia plus Aduersarius prouocatus est. Confessor est, sicque magis stare debet cum Domini Euangelio, per Euangeliū gloriam consecutus à Domino. Ait enim Dominus: Cui multū datur, multum quæretur ab eo, & cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur seruitutis. Nemo per confessionis exemplum pereat: nemo iniustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de confessionis moribus discat; Confessor est, sit humilis, & quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus; vt qui Christi confessor dicitur, Christum quem confitetur imitetur. Nam cum dicat ille: Qui se extollit, humiliabitur; & qui humiliat se, exaltabitur; & ipse à patre exaltatus sit, quia se in terris Sermo, & virtus, & Sapientia Dei Patris humiliauit: quomodo potest extollentiam diligere, qui, & nobis humilitatem sua lege mandauit, & ipse à patre amplissimum nomen præmio humilitatis accepit.

cepit. Confessor est Christi; sed si non postea blasphemetur per ipsum maiestas, & dignitas Christi. Lingua Christum confessa non sit maledica, non turbulenta, non conuicijs, & litibus perstrepens audiatur; non contra fratres, & Dei Sacerdotes post verba laudis, Serpentis venena iaculetur. Cæterum si culpabilis, & detestabilis postmodum fuerit, si confessionem suam mala conuersatione prodegerit, si vitam suam turpi fęditate maculauerit; Si Ecclesiam denique vbi confessor factus est derelinquens, & vnitatis concordiam scindens fidem primam perfidia posteriore mutauerit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi sic electus ad gloriæ præmia; quando ex hoc ipso magis creuerint merita pœnarum: Nam, & Iudam inter Apostolos Dominus elegit, & tamen Dominum Iudas postmodum prodidit. Non tamen idcirco Apostolorum fides, & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum Societate defecit: Sic, & hic non statim confessorum Sanctitas, & dignitas comminuta est, quia quorumdam fides fracta est. Beatus Apostolus in Epistola sua loquitur dicens: Quid enim si exciderunt à fide quidam illorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Stat confessorum pars maior, & melior in fidei suæ robore, & in legis, ac disciplinæ Dominicæ veritate. Nec ab Ecclesiæ pace discedunt, qui se in Ecclesia gratiam consecutos de Deo dignatione meminerunt: atqui hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suæ laudem, quod ab eorum perfidia segregati, qui iuncti confessionis consortio fuerunt, à contagio criminis recesserunt; verò illuminati Euangelij lumine, pura, & candida Domini luce radiati; Tam sunt in conseruanda Christi pace laudabiles, quàm fuerunt in diaboli congressione victores. Hoc opto equidem dilectissime Fratres, consulo pariter, & suadeo, vt si fieri potest nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus vnum gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdam Schismatum Duces, & dissensionis authores in cæca, & obstinata dementia permanentes non potuerit ad salutis viam consilium salubre reuocare, cęteri tamen, vel simplicitate capti, vel errore ducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti à fallaciæ vos laqueis soluit vagantes gressus ab erroribus liberate, ita rectum viæ cælestis agnoscit contestantis Apostoli vox est: [Præcipimus vobis, inquit, in nomine Domini Nostri Iesu Christi, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non secundùm traditionem, quàm acceperunt à nobis, & iterùm dicit; [Nemo vos decipiat inanibus verbis propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum. Recedendum est à delinquentibus, vel immò fugiendum nedùm, quis malè ambulantibus vngitur, & per itinera erroris, & criminis graditur à via veri itineris exerrans pari crimine, & ipse teneatur.] Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia eius, & fides vna, & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ plurimo copulata. Scindi vnitas non potest, nec corpus vnum discidio compaginis separaris diuulsi laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid à matrice discesserit seorsum viuere, & spirare non poterit substantiam salutis ammittit.] Monet nos Spiritus Sanctus, & dicit: [Quis est homo, qui vult vitam, & amat videre dies optimos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur insidiosè. Declina à malo, & fac bonum, quære pacem, & sequere eam. Pacem quærere debet, & sequi filius pacis à dissensionis malo continere linguam suam debet, qui nouit, & diligit vinculum charitatis. Inter sua Diuina mandata, & magisteria salutaria passioni iam proximus Dominus addidit, dicens: [Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.] Hanc nobis hæreditatem Christus dedit dona omnia suæ pollicitationis, & præmia in pacis conseruatione promisit. Si hæredes Christi sumus in Christi pace maneamus. Si Filij Dei sumus pacifici esse debemus. [Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi Filij Dei vocabuntur.] Pacificos esse oportet Dei Filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi vnanimitatis nexibus cohærentes: Hæc vnanimitas sub Apostolis olim fuit, sic nouus credentium populus Domini mandata custodiens charitatem suam tenuit. Probat scriptura Diuina, quæ dicit: [Turba autem eorum, qui crediderant anima, & mente vna agebant.] Et iterùm: [Et erant perseuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus, & Maria, quæ fuit mater Iesu & fratribus eius.] & ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcumque de Domini misericordia postulabant. In nobis verò sic vnanimitas diminuta est, vt & largitas operationis infracta est. Domos tunc & fundos venundabant, & thesauros sibi in Cælo reponentes distribuenda in vsus indigentium pretia Apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus, & cum vendere iubeat Dominus emimus potiùs, & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit? Et idcircò Dominus tempora nostra respiciens in Euangelio suo dicit: [Filius hominis cum venerit putas inueniet fidem in terra? Videmus fieri, quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorũ metum nemo cogitat diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat: Quod metueret conscientia nostra si crederet; quia non credit omninò, nec metuit si autem crederet, & caueret, si caueret, euaderet. Excitemus nos quantum possumus dulcissimi fratres, & somno inertiæ veteris abrupto ad obseruanda, & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales esse nos ipse præcipit, dicens: [Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando veniat à nuptijs, & cum venerit, & pulsauerit aperiat ei. Beati serui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes.] Accinctos nos esse oportet, ne cum expeditionis dies venerit impeditos, & implicitos apprehendat.

dat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen, & fulgeat, vt ipsum nos ad lucem claritatis æternæ de hac sęculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper, & cauti aduentum Domini repentinum, vt quando ille pulsauerit euigilet fides nostra vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata, seruentur, si hæc monita, & præcepta teneantur opprimi dormientes Diabolo fallente non possumus. serui vigiles Christo dominante regnabimus.

FINIS.

REGESTRVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll Mmmmm Nnnnn Ooooo Ppppp Qqqqq Rrrrr Sſſſſ Ttttt Vuuuu Xxxxx Yyyyy

Omnes ſunt Duerniones.
Principium eſt Duernio.

ROMÆ, M.DC.XCVII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.